post pg 265 - In Job et Ps 1-50
" " 358 - In Caret.
" " 72 - In Sp Paul I (ad Rom)
" " 147 - In Sp Paul II (1 Cor)

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/divithomaeaquina0000ange_j7f4

ANGELICI DOCTORIS

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

# EXPOSITIO

## IN ISAIAM, IEREMIAM, ET THRENOS




NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLVIII.

NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN ISAIAM PROPHETAM EXPOSITIO

## PROOEMIUM

Scribe visum, et explana eum super tabulas, et percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem.

*Scribe visum, et explana eum super tabulas, et percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, Abach. 2.* Ex verbis istis tria possunt accipi circa librum Isaiae prophetae, quem prae manibus habemus, scilicet auctor, modus, et materia. Circa primum tria ponuntur, scilicet auctor, auctoris minister, et ministri officium, sive donum. Auctor ostenditur in dicentis imperio; unde praemittitur, *Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum.* Auctor enim Scripturae sacrae Spiritus Sanctus est, *infra 48. Nunc misit me Dominus, et Spiritus eius.* Spiritus enim est, qui loquitur mysteria, sicut dicitur *1. Corin. 14.* Minister ostenditur in scribendi actu: dicit enim, *Scribe.* Fuit autem lingua prophetae organum Spiritus Sancti, *in Psal. 45.* dicitur: *Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis: 1. Cor. 3. Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus. Minister eius cui credidistis.* Officium vero ministri ostenditur in visionis privilegio. Dicit enim, *Visum:* qui enim hodie dicitur propheta, olim vocabatur videns, sicut *1. Reg. 9.* dicitur. Et *Num. 12.* dicitur: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Sic igitur patet auctor; sed modum ostendit in hoc, quod sequitur, *Et explana.* Modus enim istius prophetiae planus est et apertus. Unde dicitur in prologo, Non videtur vaticinari de futuris, sed magis de praeteritis historiam texere. Et circa hoc tria ponuntur, scilicet visionis explanatio, explanationis ratio, et utilitas consequens. Primum ostenditur in hoc, quod dicitur, *Explana eum.* Explanantur autem ab eo visus, sive visio, tribus modis. Primo per similitudinis adaptationem. Secundo per sententiae expressionem. Tertio per verborum venustatem. Et in his tribus iste propheta alios prophetas excellit. Ponit enim pulchras et curiales similitudines, quae quidem sunt necessariae nobis, propter connaturalitatem sensus ad rationem: est enim naturale rationi nostrae accipere a sensibilibus, unde perspicacius capit ea quorum similia ad propositum videt. Unde Dionysius *in epistola ad Titum secunda* demonstrat, quod necessariae sint sensibiles figurae in Scripturis, dicens: *Quicumque plana cum audierint, in seipsis componunt figuram quandam ad intellectum theologiae ipsos manuducentem.* Et *Osee 12. In manibus prophetarum assimilatus sum.* Excellit etiam in expressione sententiae, ut videatur non prophetiam, sed evangelium texere, ut dicitur in prologo galeato: *Prov. 9. Lingua sapientium ornat scientiam.* Sed explanationis tangitur consequenter ratio, cum dicit, *Super tabulas.* Sunt

enim tabulae legis, sunt lapidei cordis, et sunt tabulae mollis et carnei cordis: *2. Cor. 3. Epistola nostra vos estis, scripta non in tabulis lapideis, sed in tabulis carnalibus.* Primae tabulae legis scriptae fuerunt digito Dei, sicut dicitur *Exo. 21.* Et ideo scriptura est profunda, et obscura, et plena multis mysteriis. Unde oportuit superscribi illis tabulis digito hominis planam prophetiam ad explanandum: *infra 7. Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.* Sed secundis tabulis, scilicet cordibus lapideis superscribi oportuit, plane ad confutandum: *Matth. 11. Bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Sed tertiis tabulis, scilicet cordibus carnalibus, oportuit plane superscribi ad instruendum: *Esdrae 8. Signa te in libro Dei distincte, et aperte ad intelligendum.* Et sequitur, *Et intellexerunt cum legeretur.* Utilitas autem explanationis ostenditur in hoc, quod sequitur, *Ut percurrat:* percurrere enim est expedite in finem currendo devenire. Est autem finis triplex, scilicet finis legis, finis praecepti, et finis vitae. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti, sicut dicitur *ad Romanos 10. Finis praecepti caritas est: ad Timoth. 1. Finis vitae mors est. Statutum est hominibus semel mori, Hebr. 9.* Dicit ergo, *Ut percurrat qui legerit;* ac si dicat, Ut qui legerit, sine impedimento dubitationis percurrat credendo in Christum, credens amet, et in amore perseveret. Materia tangitur in hoc quod sequitur: *Quia adhuc visus procul.* Et est principaliter materia huius libri apparitio Filii Dei, Unde in ecclesia tempore adventus legitur. Est autem triplex apparitio Filii Dei. Prima, qua apparuit in carne homo factus: *Ad Titum 3. Apparuit benignitas, et humanitas salvatoris nostri Dei.* Secunda, qua apparuit per fidem mundo creditus: *Ad Titum 3. Apparuit gratia salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo* etc. Tertia, qua apparebit per spem in glorificatione: *1. Ioan. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Et istae apparitiones sunt materia istius libri. Unde in prologo dicitur, quia omnis cura eius est de adventu Christi, et vocatione gentium. Sed certe iste qui postea sic visus est, adhuc suis temporibus procul erat. Si quidem procul, quia excelsus in maiestatis aequalitate: *Iob 36. Unusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Erat etiam procul, quia absconsus in praefinitione Patris: *Eph. 3. Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Erat etiam procul, quia dilatus in expectatione patrum: *Hebr. 11. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes;* sed quod erat longe, factum est prope, quia excelsum factum est infimum. *Verbum enim caro factum est, Ioa. 1.* Quod erat absconditum, factum est publicum, quia Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Quod erat dilatum, incoepit esse iam a sanctis possessum in gloria: *Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Sic igitur poterat dicere adhuc visus procul, *Apparebit in finem* Fuit enim prima apparitio in fine legis: quia, *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ad Galat. 10.* Secunda autem fuit in fine idolatriae: *infra 19. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie eius.* Sed tertia erit in fine omnis miseriae, quia *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque labor, sed neque ullus dolor, quoniam priora transierunt, Apocal. 20.* Et haec sunt ultima, de quibus *Eccl. 48.* dicitur de Isaia spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes Syon usque in sempiternum. Ostendit futura et abscondita antequam evenirent.

# EIUSDEM DIVI THOMÆ

## IN PROLOGUM

# BEATI HIERONYMI EXPOSITIO

## PROLOGUS

S. HIERONYMI PRESBYTERI IN ISAIAM PROPHETAM

Nemo cum Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos aestimet apud Hebraeos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis, vel operibus Salomonis; sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, quae utique prosa, et non versibus conscripserunt. Nos quoque utilitati legentium providentes, interpetrationem novam novo scribendi genere distinximus. Ac primum de Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe ut vir nobilis, et urbanae elegantiae, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admixtum. Unde accidit, ut prae caeteris florem sermonis eius translatio non potuerit conservare. Deinde etiam hoc adiiciendum, quod non tantum propheta dicendus sit, quam Evangelista. Ita enim universa Christi Ecclesiaeque mysteria ad liquidum persecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de praeteritis historiam texere. Unde coniicio noluisse tunc temporis septuaginta interpretes fidei suae sacra perspicue ethnicis prodere, ne sanctum canibus, et margaritas porcis darent, quae cum hanc aeditionem legeritis, ab illis animadvertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit, prophetas intelligere, nec facile quempiam posse iudicare de interpretatione, nisi intellexerit ante quae legerit. Nos quoque patere morsibus plurimorum, quae stimulante invidia, quae consequi non valent, despiciunt. Sciens ergo et prudens in flammam mitto manum, et nihilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor, ut quomodo Graeci post septuaginta translatores Aquilam, Simmachum, et Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinae suae, vel ut septuaginta magis ex collatione eorum intelligant, sic et isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius, et postea despiciant, ne videantur non ex iudicio, sed ex odii praesumptione ignorata damnare. Prophetavit autem Isaias in Hierusalem, et in Iudaea, necdum decem tribubus in captivitatem ductis, ac de utroque regno, nunc commixtim, nunc separatim texit oraculum. Et cum interdum ad praesentem respiciat historiam, et post Babyloniae captivitatem,

reditum populi significet in Iudaea, tamen omnis eius cura de vocatione gentium, et de adventu Christi est. Quem quanto plus amatis o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite, ut pro obtrectatione praesenti, qua ne indesinenter aemuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Iudaei de falsitate Scripturarum ecclesiis eius diutius insultarent.

Huic autem operi praemittit Hieronymus prologum. In quo tria facit. Primo ostendit modum dicendi. Secundo modum prophetandi, ibi, *Dictum et hoc adiiciendum.* Tertio modum tractandi, ibi, *Prophetavit autem.* Modum dicendi ostendit circa ornatum prolocutoris ex duobus. Primo ex ordine verborum. Secundo ex elegantia verborum, ibi, *Ac primum de Isaia* etc. Circa primum tria facit. Primo removet ordinem a quibusdam aestimatum, scilicet metricum. Secundo demonstrat ordinem a propheta servatum, ibi, *Sed quod in Demosthene* etc. Tertio ostendit eundem modum se esse in sua translatione imitatum, ibi, *Vos* etc. Versibus in brevibus clausulis descriptos, idest distinctos, *Metro ligari.* Metrum graece, mensura dicitur latine. Unde illud dicitur metrice describi, ubi servatur certa mensura pedum, syllabarum, et temporum; a qua lege prophetae soluti sunt, *Et aliquid habere de Psalmis*, idest eis simile, *Vel operibus Salomonis*, quantum ad finem proverbii, et in canticis canticorum, et *Demosthene*, graeco, *Tullio*, latino, oratoribus, qui prosa scripserunt, *Per cola, et commata.* Tres sunt distinctiones in scriptis, comma, colum, et periodus, ad similitudinem corporis humani, in quo sunt distinctiones quaedam in partibus unius membri; sicut sunt articuli, et distincta membra, sicut manus, et pedes, et iterum totum corpus. Primae distinctioni respondet distinctio quae fit per commata, quia comma idem est, quod incisio vel divisio: secundae respondet illa quae est per cola, quia colon interpetratur membrum: sed tota respondet periodus. Periodus enim dicitur circulatio a peri, quod est circum, et odos, quae est via. Sola autem linea circuli completa est, sicut probat Philosophus. Sumuntur autem istae distinctiones in Scripturis tripliciter. Primo secundum Isidorum in versibus. Comma est, quando post duos pedes sequitur una syllaba, quae est pars alterius pedis, quia tunc deciditur pes unus, sicut ibi, *Gloria, laus, et honor.* Cola, quando accipiuntur duo pedes, sine syllaba sequentes, ut carmina dulcia. Sed periodus, quando tota sententia metrice traducta completur. Secundo modo in psalmo secundum Isidorum et Tullium, Comma est, quando imperfectae orationes pausatim proferuntur, ut *Is. 1. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filiis sceleratis*, et dicitur subdistinctio. Cola, quando perfectae orationes cum pausa proferuntur, quamvis perfecta non sit sententia, et dicitur distinctio, ut illud eodem, *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, alienati sunt retrorsum.* Periodus, quando ex pluribus orationibus constat perfecta sententia. Tertio modo sumitur comma a Rabano pro capite uno, super illud *Hic. 48. Audivimus superbiam Moab:* ubi dicit. In superiori provocavit ad poenitentiam, idest in superiori capite. Sed secundo modo accipitur hic, *Novam*, idest a nobis primo editam de hebraeo in latinum novo genere, servato modo qui apud Hebraeos est, per cola et commata, qui in aliis translationibus non servabatur. *Ac primum de Isaia.* Hic ostendit modum dicendi, quantum ad elegantiam verborum: et circa hoc tria facit. Primo ponit modum. Secundo assignat rationem ex conditione dicentis, ibi, *Quippe ut vir nobilis* etc. Tertio concludit excusationem defectus in sua translatione a tali modo, ibi, *Unde accidit, Disertus*, idest eruditus in eloquentia appareat: *Nobilis*, genere, quia fuit avus maternus, vel affinis Manasse regis Iuda, sicut dicitur in historia. *Unde accidit.* Quae pulchrae dicuntur in una lingua, non sonant pulchre translata in aliam. Et ideo quanto ipse prae ceteris prophetis pulchriori eloquio usus est, tanto magis translatio a pulchritudine ipsius deficit. *Florem*, idest dulcedinem et ornatum. *Deinde est hoc adiiciendum.* Ostendit modum

prophetandi apertum et expressum: et circa hoc tria facit. Primo ostendit modum prophetandi, qui dictus est. Secundo ex modo concludit rationem defectus in antiqua translatione septuaginta, ibi, *Unde coniicio*. Tertio excludit contradictionem aemulorum, ibi, *Nec ignoro* etc. Non tanquam propheta quasi veritatem sub aenigmate obscurans, *Mysteria*, idest secreta a mystim, quod est secretum, ut incarnationem: *Is. 10. Filius datus est nobis*, ad passionem: *Is. 53. Tanquam ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet.* Et multa alia. *Ad liquidum*, idest expresse, *Putes*, idest putare possis propter expressionem facti, non quantum ad modum, qui magis exprimi potest de praeteritis, quam de futuris: unde in hoc superat Evangelista prophetam. *Coniicio*, idest sub qua de coniecturatione existimo, *Ethnicis*, idest gentilibus ab Ethnon quae est gens, *Margaritas: Matth. 7. Neque mittatis margaritas ante porcos*, *Abscondita*, occultata. Unde tria facit. Primo ponit defectum. Secundo rationem defectus, ibi, *Sic sanctum*. Tertio probat per suam conditionem, ibi, *Quae cum hanc. Abscondita*, idest secreta. *Nec ignoro.* Hic refellit contradicentium falsum iudicium. Secundo convincit eos per exemplum, ibi, *Et nihilominus* etc. Tertio ostendit eis ordinem rectum, ibi, *Legat* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit causam falsi iudicii ex parte intellectus, ignorantiam. Secundo ex parte affectus, invidiam, ibi, *Vos quoque* etc. Tertio concludit suam inter contradictiones constantiam, ibi, *Sciens ergo quanti laboris* etc. Quanti laboris: *Ps. 14. Tenebrosa aqua in nubibus aeris:* contra supra dixit, *Ad liquidum*, idest expresse hunc dicere Christi mysteria. Responsio. Verum est quantum ad quaedam principaliora, *Morsibus*, idest detractoribus. *In flammam mitto manum*, idest expono me periculo. Et alludit proverbio vulgari, quod habet ortum ex hoc, quod Scevola manum qua scribam interfecit, credens Porsennam regem interficere, misit in ignem dicens: *Pereat manus quae hoc scelus operata est. Ob studium*, idest exercitium scientiae. *Prophetavit.* Hic ponit modum tractandi. Et circa hoc tria facit. Primo tangit tractatus ordinem, quantum ad tempus, et materiam, et modum simul. Secundo tangit intentionem, ibi, *Cum interdum* etc. Tertio ex intentione concludit orationis petitionem, ibi, *Quem quanto* etc.

# INCIPIT EXPOSITIO

# D. THOMÆ AQUINATIS

# IN ISAIAM PROPHETAM

INCIPIT ISAIAS PROPHETA.

## a CAP. I.

Visio Isaiae filii Amos, quam vidit super Iudam et Hierusalem, in diebus Oziae, Ioatham, Achaz, et Ezechiae regum Iuda.

b Audite coeli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem? Omne caput languidum, et omne cor moerens: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Syon, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, sicut civitas quae vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, et quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.

c Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri, populus Gomorrhae. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quaesivit haec de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi.

d Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt coetus vestri. Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta. Laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse, discite benefacere. Quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, et venite, et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis. Quia si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

e Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Israel. Heu, ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stamnum tuum, et restituam iudices tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos, sicut antiquitus. Post haec vocaberis civitas iusti, urbs fidelis. Syon in iudicio redimetur, et reducent eum in iustitia. Et conteret scelestos, et

peccatores simul, et qui dereliquerunt Dominum consumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt. Et erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppae, et opus vestrum, quasi scintilla: et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.

## a CAP. I.

Iste liber dividitur in duas partes, in prooemium, et tractatum. Secunda incipit, ibi, *Audite coeli* etc. Prooemium inducitur, quasi titulus, ad manifestationem sequentis operis. Manifestatur autem ex quatuor. Primo ex operis genere. Secundo ex auctore, ibi, *Isaiae*. Tertio ex materia, ibi, *Quam vidit* etc. Quarto ex tempore, ibi, *In diebus* etc. Genus operis ostenditur in hoc quod dicit, *Visio*, in quo differt a libris historialibus, quia prophetia est: *Osee 12. Ego visiones multiplicavi eis.* Et sequitur, *In manibus prophetarum assimilatus sum.* Hic oportet tria videre. Primo qualiter se habeat visio ad prophetiam. Secundo de modis prophetalium visionum. Tertio de differentia propheticae visionis ad alias visiones. Circa primum sciendum est, quod prophetia potest habere duplicem interpretationem, secundum quod potest venire a phanos, quod est apparitio, vel a far, faris: secundum primam derivationem dicitur prophetia habens apparitionem de his quae procul sunt. Et secundum hoc prophetia differt a visione in modo, quia apparitio dicit relationem visibilis ad videntem; sed visio e contrario. Iterum se habent ex additione, quia visio est de quibuscumque, sed prophetia de his, quae procul sunt. Dicuntur autem aliqua esse procul a cognitione nostra dupliciter; simpliciter, et secundum quid. Simpliciter procul sunt futura contingentia ad utrumlibet, quorum non potest alicui determinata cognitio, nec in se, nec in suis causis provenire: et de his prophetia est. Secundum quid procul sunt, quorum cognitio diffugit a cognoscente, sicut quaedam praeterita, et quaedam praesentia; et de his non est prophetia simpliciter, sed quoad nescientes. Sed secundum secundam derivationem dicitur propheta quasi procul fans: et sic prophetia addit supra visionem actum exterioris denunciationis, et visio erit materialis respectu prophetiae. Circa secundum sciendum est, quod modi prophetalium visionum distinguuntur secundum ea, in quibus accipitur scientia futuri contingentis. Illud autem est aut species facta in sensu; et dicitur visio corporalis, quia sensus accipit species praesentibus corporibus, quorum sunt: aut est species recepta in imaginatione: et dicitur visio spiritualis, quia primo manifestatur in ipsa actus et proprietas spiritualiter, quae est cognoscere rem abstractam a materia; aut est species existens tantum in intellectu, et dicitur visio intellectualis. Et est sciendum, quod prophetia salvatur in istis tribus, sicut totum potentiale in suis partibus, cuius natura est, quod secundum perfectam suam virtutem est in uno, et in aliis est quaedam participatio, et quidam motus illius: sicut est in anima, quod eius tota virtus salvatur in anima rationali, et sensitiva non habet perfectam animae virtutem, et adhuc minus anima vegetabilis. Propter quod dicit Gregorius, quod plantae non vivunt per animam, sed per vigorem. Similiter etiam et corporalis visio, et spiritualis, vel imaginaria est aliquid prophetiae; sed non possunt dici verae prophetiae, nisi addatur visio intellectualis, in qua est completa ratio prophetiae: *Dan. 10. Intelligentia eius opus est in visione:* unde antecedit, *intellexitque sermonem*, scilicet Daniel. Visio autem primo, et proprie dicitur de visione corporali. Et quia omnis nostra cognitio est a sensu, inter quos visus potior est, et subtilitate, et universalitate, quia plures rerum differentias ostendit; ideo transfertur nomen visivae cognitionis ad alias cognitiones interiores. Circa tertium sciendum, quod non quaelibet visio intellectualis est visio prophetalis: est enim quaedam visio ad quam sufficit lumen naturale intellectus, sicut est contemplatio invisibilium per principia rationis: et in hac contemplatione ponebant Philosophi summam felicitatem hominis. Est iterum quaedam contemplatio, ad quam elevatur homo per lumen fidei sufficiens, sicut sanctorum in via. Est etiam quaedam beatorum in patria, ad quam elevatur intellectus per lumen gloriae videns Deum per essentiam, inquantum est obiectum beatitudinis. Et hoc plene et perfecte non est nisi in patria. Sed quandoque ad ipsam raptim elevatur aliquis etiam existens in hac mortali vita, sicut fuit in raptu Pauli: *2. Cor. 12. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim* etc. ubi dicit Glossa quod vidit sicut illi qui sunt de tertia hierarchia. Nulla autem istarum est visio prophetalis, quia ad ipsam nec lumen naturale, nec lumen fidei sufficit; sed elevatur ad ipsam intellectus prophetae per lumen gratiae gratis datae, quod est donum prophetiae: neque enim attingit ad videndum Deum, prout est obiectum beatitudinis, sed prout est ratio eorum, quae pertinent ad dispositionem hominum in mundo. Similiter non omnis visio corporalis, vel imaginaria dicitur prophetica; sed illa tantum quae fit per speciem specialiter divina virtute ad hoc ordinatam, ut sit in signum alicuius futuri, sive videns, sive alio modo intelligentiam accipiat. Auctor tangitur in hoc, quod dicit, *Isaiae filii Amos.* Et quamvis iste Amos fuerit propheta, quia ponitur in titulo prophetiae, secundum regulas Hebraeorum; non tamen est ille qui est de numero duodecim prophetarum, quia aliis elementis apud Hebraeos uterque describitur. Materia tangitur in hoc, quod dicit, *Quam vidit super Iudam, et Hierusalem*, quia de his quae pertinent ad Iudam, et Hierusalem, ut ly, *Super*, accipiatur pro de, secundum translationem Symachi, vel pro, idest contra, secundum septuaginta, ut Iuda sumatur pro terra duarum tribuum, et Hierusalem pro Metropoli illius regionis. Vel Iuda pro sorte Iudae, et Hierusalem pro sorte Beniamin, quia in sorte illius erat quantum ad corpus civitatis, quod erat in planitie, quamvis quantum ad verticem montis, in quo erat turris David, et templum, pertinerent ad domum Dei, sicut potest *Ios. 5.* haberi. *In diebus.* Hic notificatur opus ex tempore: et ponuntur quatuor reges, quo tempore Isaias prophetiam hanc edidit, unde quidam dividunt hunc librum secundum tempora regum sub qui-

bus revelationem accepit. Ut in prima parte ponantur ea, quae visa sunt tempore Oziae. In secunda ea quae visa sunt tempore Ioatham in 6. c. *In anno quo mortuus est rex Achaz*, et inde usque ad finem 14. ubi dicuntur ea, quae sunt visa tempore Oziae. Sed quare non facit mentionem de regibus Israel, sicut Osee in suo titulo facit mentionem de Hieroboam filio Ioas, cum fuerint contemporanei? Ad quod dicitur quod iste prophetavit contra duas tribus principaliter: et ideo eorum reges tantum in titulo habet; sed ille contra utrosque. Item quaeritur, quare non fit mentio de Manasse rege Iuda, sub quo etiam prophetavit, cum constet eum non amisisse spiritum prophetiae. Ad quod dicendum, quod omnia quae in hoc libro scripta sunt, temporibus prophetarum vidit. Sed non erat decens, ut propheta qui principaliter consolationis est, in comminatione terminaretur: aut quod tempore mali regis, qui iram Dei provocabat, Dei consolatio praedicaretur: *Hie. 3. Dabo eos in furorem universis regnis terrae.*

b Hic incipit tractatus istius libri: unde accipietur divisio secundum exigentiam materiae. Dictum est autem, quod principaliter intentio eius est circa adventum Christi et gentium vocationem. Constat autem quod universae viae Domini misericordia et veritas, ut dicitur *in Ps. 24.* Unde Christo nato dictum est a Symeone *Luc. 2. Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel;* et intrantibus gentibus, dictum est ab Apostolo *Rom. 11. Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret.* Dividitur ergo iste liber in duas partes. In prima ponitur comminatio divinae iustitiae ad excidium peccatorum. In secunda consolatio divinae misericordiae ad resurrectionem iustorum, *cap. 40.* ibi, *Consolamini.* Prima in tres. Cum enim principaliter super Iudam et Hierusalem loquatur, in prima parte comminatur duabus tribubus peccantibus; in secunda aliis eas persequentibus, *7. cap. Et factum est* etc. In tertia liberat ab hostibus imminentibus, *32. cap. Ecce in iustitia* etc. Prima dividitur in duas. In prima exprobrat culpam, et comminatur poenam corrigentem. In secunda comminatur poenam condemnantem incorrigibiles, *6. cap. In anno quo mortuus est rex Ozias* etc. Prima dividitur in duas. In prima arguit de culpa ex parte aversionis. In secunda ex parte conversionis, *2. cap.* ibi, *Verbum quod vidit* etc. Prima in duas. In prima arguit in eis peccatum aversionis a cultu Dei. In secunda a iustitia proximi, ibi, *Quomodo facta est* etc. Prima in tres. In prima increpat culpam. In secunda pro culpa comminatur poenam, ibi, *Terra vestra deserta* etc. In tertia quaerit poenae medelam, ibi, *Audite verbum Domini* etc. Prima in tres. In prima quaerit iudicii testem. In secunda arguit peccati deformitatem, ibi, *Filios enutrivi* etc. In tertia ostendit peccantium incorrigibilitatem, ibi, *Super quo percutiam vos* etc. Requirit autem creaturam in testem in iudicium peccati, quae etiam fuerat testis in obligatione praecepti. *Audite coeli, et auribus percipe terra: Deut. 32. Audite coeli, quae loquor.* Fuerat enim creatura testis obligationis ad praeceptum, *Deut. 32.* Nunc autem invocatur ut arbiter transgressionis: *Psal. 49. Advocavit coelum desursum, et terram discernere populum eius.* Sed quandoque vocabitur ut instrumentum divinae ultionis: *Sapient. 16. Creatura creatori suo deserviens, exacuescet in tormentum adversus iniustos.* Sed videtur inconveniens, quod terra, et coelum, quae sunt insensibiles creaturae, vocentur ad audiendum. Sed dicendum, quod ad ea, quae sunt rationalis naturae, vocatur insensibilis creatura propter quinque. Primo ad ostendendam divinam potentiam: *Iob 38. Conclusi eam terminis.* Et *Rom. 4. Vocat ea, quae non sunt tanquam ea, quae sunt.* Secundo per evidentiam: *2. Reg. 12. Ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.* Et *Luc. 19. Dico vobis, quia si hi tacebunt, lapides clamabunt.* Tertio ad exaggerendam malitiam: *Hier. 2. Obstupescite coeli super haec, et portae eius desolamini vehementer.* Quarto ad magnificandam laetitiam: *Psal. 95. Laetentur coeli, et exultet terra.* Quinto ad stupendum tristitiam: *Osee 4. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea:* ac si diceret, Peccatum vestrum est adeo patens, quod ab irrationabilibus si fieri posset convinceretur, et similiter de aliis. Vel est ibi methonymia, ut ponatur coelum pro angelis, et terra pro hominibus, *Coeli*, plurale pro singulari. Vel quia ad literam sunt plures coeli, et unum centrum, quod est terra *Dominus locutus est.* Ipsum loquentem audiatis, quo loquente facti estis: *Psal. 150. Dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Audite coeli*, quasi distantes. *Percipe terra*, quasi propinqua. *Filios enutrivi.* Hic ostendit peccati deformitatem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit contemptum in affectu. Secundo ignorantiam in intellectu, ibi, *Cognovit bos* etc. Tertio aversionem in operis effectu, ibi, *Vae genti peccatrici* etc. Et servatur hic ordo, ut ex contemptu aggravetur ignorantia, idest non ignorantia excuset contemptum. Contemptum aggravat per beneficium impensum; unde circa primum duo facit. Primo commemorat beneficium. Secundo ingratitudinis vitium, ibi, *Ipsi autem* etc. Ponit autem triplex beneficium. Primum est filialis adoptionis, cum dicit, *Filios*: *Exo. 4. Filius primogenitus meus Israel.* Secundum solicitae educationis, ibi, *Enutrivi*: *Sap. 16. Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Tertium singularis exaltationis, ibi, *Et exaltavi: Sap. 11. Ostendens per sitim, quae tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios eorum necares.* Primum quantum ad patrum assumptionem, et exaltationem. Secundum in filiorum libertatem. Tertium in hostium subiugationem, *Ipsi autem spreverunt me*: *Hier. 3. Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel.* Ignorantiam autem aggravat per brutorum exemplum; unde circa hoc duo facit. Primo inducit cognitionem brutorum. Secundo ignorantiam peccatorum, ibi, *Israel autem* etc. *Cognovit bos* etc. quadam consuetudine beneficii, *Israel autem.* Arguit in eis duplicem ignorantiam, scilicet praecipientis, cum dicit, *Non cognovit me*, contra id quod dixerat possessorem suum, et contra rationem nominis Israel. Israel enim videns Deum interpretatur: *Ioan. 6. Non noverunt Patrem, neque me;* et ignorantiam legis, *Et populus meus non intellexit*, contra id quod dixerat, *Praesepe*, et quod dixerat, *Populus*, qui legislatoris praeceptis subiicitur: *Osee 5. Scribam eis*

*multplices leges meas, quae velut alienae computatae sunt.* Effectum autem cperis aggravat per confirmatum usum. Unde primo ostendit confirmationem. Secundo eorum aversionem, ibi, *Dereliquerunt* etc. Confirmationem ostendit primo pro peccati consuetudine, quae inducit habitum; unde dicit, *Vae genti peccatrici.* Sic enim est peccator ex habitu, sicut cantor ex arte, vel officio: *Isa. 48. Transgressorem ex ventre vocavi te.* Secundo per peccati promptitudinem, quae est quasi quaedam gravitas in peccante: Gregorius: *Peccatum quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit: Ps. 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Tertio ex peccati successione, quia peccata patrum imitantes, quasi ex propagatione habent; unde dicit, *Semini nequam*, idest pessimorum, secundum aliam translationem: *Ps. 105. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* Quarto, quantum ad peccatorum magnitudinem, cum dicit, *Filiis sceleratis: Ezec. 22. Viri detractores fuerunt in te, ad effundendum sanguinem, scelus operati sunt in medio tui: Isa. 57. Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax? Super quo addentes* etc. Hic ostendit peccati incorrigibilitatem, removens triplicem correctionis modum. Primo illum, qui est per divinum flagellum, dicens, *Super quo*, idest ad quid, *Addentes*, ut scilicet unde corrigo, inde addatis peccata: *Hier. 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Secundo illum, qui est per proximi consilium, vel auxilium, cum dicit, *Omne caput languidum*, quia nullus est idoneus ad succurrendum alteri propter propriam infirmitatem: et hoc ostendit quantum ad personam regis vel principis dicens, *Omne caput languidum: 1. Reg. c. Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Quantum ad personam sacerdotis, *Omne cor moerens.* Cor enim primo recipit vitam ab anima, et transfundit in corpus, quasi medium inter animam, et corpus, ita sacerdos est medius inter Deum, et populum: *Exo. 18. Tu eris eis in his quae ad Deum pertinent.* Quantum ad personam privati hominis, cum dicit, *A planta pedis usque ad verticem* etc. *Isa. 56. Omnes in viam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* Et notandum, quod inidoneitas regis ostenditur in languore: quia subvenire non poterat puniendo per potentiam: *Eccl. 7. Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitatem.* Sacerdotis autem inidoneitas ostenditur in moerore, per quem fit inidoneus ad sacrificia quibus expiabat peccata: *Lev. 10. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in caeremoniis, mente lugubri: Ps. 99. Introite in conspectu eius in exultatione.* Privatus poterat corrigere per exemplum; sed ideo ostenditur inidoneus per peccatum, quod designatur in privatione sanitatis, *A planta pedis: Psal. 13. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, scilicet ad corrigendum. Tertio ibi, *Vulnus et livor*, removet modum, qui est per humanum studium, sicut quando aliquis disponitur ad gratiam, quae delet peccata per bona opera; unde dicit, *Vulnus*, culpa patens: *Et livor*, invidia latens: *Et plaga tumens*, superbia inflans: *Non est circumligata*, vinculo legis retrahentis: *Hier. 2. A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, dixisti, non serviam*, quantum ad primum. *Nec curata medicamine*, caritate sanante, quantum ad secundum: *Pro. 10. Universa delicta operit caritas. Nec fota oleo*, humilitate leniente: *Iudith 9. Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio: Eccl. 3. Quanto maior es, tanto magis humilia te in omnibus: Prov. 3. Responsio mollis frangit iram: Iudic. 9. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur, et homines? Terra vestra* etc. In hoc comminatur poenam. Et primo ponit punitionis indicium. Secundo consolationis qualecunque solatium, ibi, *Nisi Dominus* etc. Poenam ponit triplicem. Primo quantum ad destructionem possessionum; unde dicit, *Terra vestra deserta*, quantum ad campestria, quae ita inculta erunt, sicut desertum: *Isa. 7. Vepres enim et spinae erunt in universa terra. Civitates vestrae succensae igni*, quantum ad urbana: *Amos 2. Mittam ignem in Iudam, et devorabit aedes Hierusalem: Hier. 4. Aspexi, et ecce carmelus desertus, et omnes urbes eius destructae a facie Domini, a facie furoris eius.* Secunda poena est, quantum ad destructionem terrae nascentium; unde dicit, *Regionem* etc. Devorant, quantum ad fructus: *Deut. 20. Devoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terrae tuae, donec intereas. Desolabitur*, quantum ad destructionem arborum, et vinearum: *Hier. 4. Vae nobis, quoniam vastati sumus.* Tertio quantum ad captivitatem hominum; unde, *Derelinquetur filia Syon*, idest Hierusalem, vel templum, unde erat custodia totius provinciae, ut solitaria. *Et ut umbraculum in vinea*, post vindemiam: *Infra 5. Vinea enim Domini domus Israel est, et viri Iuda germen delectabile eius. Sicut tugurium in cucumerario*, post fructus ultimos collectos, per quos significat patres: *Ose. 9. Quasi prima poma ficulneae in cacumine vidi patres eorum. Sicut civitas quae vastatur*, quia metropolis erat: *Ezech. 33. Vastata est civitas, ait ille qui venerat de Hierusalem: Hier. 6. Haec est civitas visitationis, omnis calumnia in medio eius. Nisi Dominus exercituum.* Hic ponitur consolatio ex promissione liberandi seminis. Reliquit autem Dominus eis semen carnis congregatum: *Is. 43. Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te.* Semen benedictionis promissum: *Gala. 3. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius.* Semen praedicationis diffusum: *Isa. 27. Qui egredietur impetu a Iacob, et florebit, et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Semen sanctorum novum: *Isa. 66. Sicut coeli novi, et terra nova quae ego facio stare coram me, sic stabit semen vestrum, et nomen eius vestrum, dicit Dominus. Filios enutrivi* etc. Hic notanda sunt tria, scilicet nutritionis beneficium, exaltationis privilegium, ingratitudinis contemptus. Nutrivit quidem tempore legis, quando adhuc haeres parvulus erat: *Galat. 14. Primo reficiens promissis in patribus: Gal. 3. Abrahae dictae sunt promissiones.* Secundo gubernans iudiciis in legislatoribus: *Ps. 147. Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non* etc. Tertio defendens auxiliis in iudicibus et regibus: *Iudith 2. Deus eorum defendit eos, et erimus in opprobrium universae terrae.* Quarto erudivit monitis in prophetis: *Mal. 2. Et iustificatus est Dominus inter te, et uxorem pubertatis tuae.* Quinto correxit flagellis in hostibus: *2. Mal. 6. Etenim non multo tempo-*

*re sinere peccatoribus ex sententia agere , sed statim ultiones adhibere , magni beneficii est indicium.* Sed exaltavit tempore gratiae. Primo secundum carnis assumptionem: *Hebr. 2. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Secundo per personalem praedicationem: *Mat. 10. Non sum missus , nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Tertio per suam conversationem : *Io. 10. Multa bona opera operatus sum in vobis, propter quod opus vultis me lapidare?* Quarto per miraculorum operationem: *Io. 5. et Luc. 7. Quia propheta magnus surrexit in nobis ; et quia Deus visitavit plebem suam.* Quinto per discipulorum praedicationem : *Ps. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Sed e contrario illi Christum vituperant: *Luc. 4. Nonne hic est filius Ioseph?* Secundo doctrinam improbant: *Matth. 26. et Luc. 22. Galilaea usque huc hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* Vitam blasphemant: *Mat 9. Quare cum publicanis, et peccatoribus manducat magister vester?* Miracula pervertunt: *Mat. 12. In principe daemoniorum eiicit daemonia.* Discipulos occidunt: *Mat. 23. Ecce mitto vos, ut oves in medio luporum*

c Hic ponitur medicina contra poenam. Et primo convocat ad audiendum. Secundo removet inutile remedium , ibi , *Quo mihi.* Tertio adhibetur salubre consilium, ibi, *Lavamini, mundi estote.* Convocat autem ad audiendum primo maiores, dicens, *Audite verbum Domini principes* etc. Secundo minores, ibi, *Populus Gomorrhae.* Sed quare invitat maiores ad audiendum, et minores ad percipiendum? Quia ea quae sunt a maioribus audita , facile percipiunt minores. Item cum relinquat eis semen , quare comparat eos Sodomitis et Gomorrhaeis, qui penitus consumpti sunt? Et dicendum, quod quantum ad incorrigibiles comparat propter duo. Primo propter peccati similitudinem: *Gen. 1. Et pueris alienis adhaeserunt:* et propter publicationem: *Isa. 3. Peccatum suum , quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt.* Et cum fuerint quinque civitates subversae , nihilominus praecipue comparat istis: quia sunt praecipuae inter alias. Et propter hoc etiam principes comparat Sodomitis, quia civitas illa Metropolis erat, sicut patet *Gen. 14.* Principum autem est audire a Domino verbum suum, et populo legem imponere. Et ideo invitat illos ad audientiam verbi , et populum ad perceptionem legis. *Quo mihi.* Hic ostendit inutilitatem remedii, quod apponebant. Et primo quantum ad sacrificiorum oblationes. Secundo quantum ad festorum celebrationes , ibi , *Neomenias vestras* etc. Tertio quantum ad divinas orationes, ibi , *Et cum extenderitis manus* etc. Circa primum duo facit. Primo reprobat oblationem de animatis. Secundo de inanimatis, ibi, *Incensum abominatio* etc. In sacrificiis autem animalium erat aliquid quod totum cedebat in cultum Dei : sicut holocaustum , quasi totum incensum , ab olon, quod est totum , et cauma , quod est incendium. Unde adeps totus adolebatur , ut habetur *Levit. 1.* et sanguis totus effundebatur, *Levit. 3.* Quaedam autem erant, quae partim cedebant in cultum Dei, partim in usum ministri: sicut hostia pro peccato, nisi quando erat pro peccato sacerdotis , vel multitudinis, *Levit. 4.* Quaedam autem de quibus cedebat aliquid in cultum Dei, et aliquid in usum ministri , et aliquid cedebat ipsi offerenti: sicut in hostiis pacificis, quae pro gratiarum actione offerebantur , vel pro salute , *Levi. 4.* Et secundum haec tria dividitur in tres partes. Primo reprobat sacrificia in tria distributa, scilicet pacifica. Et primo ponit reprobationem dicens , *Quo mihi* , idest ad quid mihi offertis , *Multitudinem victimarum vestrarum,* quasi non mearum ? Et dicuntur victimae , vel quia animal vinctum ad sacerdotem ducebatur ; vel quia pro victoria habita, vel habenda offerebatur. Deinde reprobationis rationem ponit dicens , *Plenus sum.* Vel propter fastidium, quia non bona: *Gen. 4. Ad Cain autem, et ad munera eius non respexit.* Vel propter dominium : *Ps. 48. Meae sunt omnes ferae sylvarum, iumenta in montibus et boves.* Secundo reprobat ea quae ex toto erant oblata Deo. Et primo ponit reprobationem illorum trium , et ponit tantum tria animalia: quia de his fiebant tantum sacrificia , quae erant de armentis: fiebant etiam quaedam de avibus turturum, et pullis columbae; sed hoc erat propter defectum, vel paupertatem, sicut patet *Levit. 24.* et pluribus aliis locis. Et iterum non erat usus eorum universalis in omnibus , quia non offerebatur ex his hostia pacifica. Deinde ponit reprobationis rationem, ibi, *Cum veniretis* etc. Quasi dicat, plus offenditis me ambulantes in atriis meis polluentes ea, quam holocaustum placeat; unde non accepto hanc communionem: *Ps. 39. Holocaustum et pro peccato non postulasti: Hier. 7. Non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum, et victimarum: Sed hoc praecepi eis, audite vocem meam, et ero vobis Deus , et vos mihi populus.* Tertio reprobat ea quae erant Deo, et sacerdoti debita dicens : *Ne offeratis ultra: Hiere. 11. Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas , in quibus gloriata es ?* Et *Mich. 6. Quid dignum offeram Domino ? Numquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos? Numquid placari potest in millibus arietum, aut in millibus hircorum pinguium? Incensum.* Hic reprobat oblationes de rebus inanimatis, pro quibus omnibus ponit incensum, eo quod hoc erat inter alia dignius: sicut thymiama , *Exod. 30.* Et communius , quantum ad thus, quod ponebatur, et adiungebatur cuilibet tali oblationi, et totum Deo incendebatur: *Isa. 66. Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Sed obiicitur de hoc, quod dicit glossa, quod numquam sacrificia eorum amavit, cum praeceperit ea ad hoc, quod fierent : *Gen. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. Et ait ad eum: Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem.* Et dicendum , quod in quolibet sacrificio est aliquid considerandum ex parte offerentis, et aliquid ex parte rei oblatae. Ex parte rei oblatae sacrificia nostra placent Deo per se; non autem antiquorum sacrificia. Et hoc est quod placitum non fuit. Amatum dicitur per se, quod in se habet, unde ametur , sicut bonum honestum. Quod autem tantum amatur per relationem illius ad alterum, non dicitur per se amatum: sicut dicitur secari, vel uri amatum , secundum quod est ad finem sanitatis relatum. Nostra autem sacrificia in seipsis continent gratiam sanctificationis, secundum quam sunt Deo accepta; sed illa antiquorum sacramenta erant tantum si-

gna istorum: et ideo non erant per se amata. Ex parte autem offerentis, et nostra et illorum possunt esse accepta ex devotione offerentis. Potest ergo quadruplex tempus distingui. Primum ante legem scriptam, et idolatriam. Et tunc placebant antiqua sacrificia facta a sanctis patribus, et propter devotionem offerentis, et propter significationem rei oblatae. Secundum tempus est sub lege scripta: et tunc interveniente idolatria, additum fuit quiddam propter quod displicebant, quia non erant digni quod eodem placaretur Deus, et colceretur diabolus. Et ex alia parte fuit addita una utilitas ex parte offerentis, ut esset remedium contra idolatriam populo ad hoc prono. Unde etiam de sacrificiis nihil praeceptum est ante frabricationem idoli. Et sic intelligitur auctoritas Hieremiae inducta. Tertium tempus fuit sub prophetis, in quo propter peccata populi iam non placebant ex parte offerentis, sed tantum inquantum erant signum. Unde secundum hoc non placabant Deum, sed magis ostendebant. Quartum tempus est sub gratia, quando iam usus eorum ex toto abolitus est: quia veniente veritate cessavit figura.

d Hic removet solemnitatum celebrationes. Et primo quantum ad futurum ponit prohibitionis propositum dicens, *Neomeniam: Ps. 80. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae. Sabbatum: Exo. 20. Festivitates alias: Levit. 23. Hae sunt feriae Domini, quas vocabitis celeberrimas, et sanctissimas. Iniqui sunt caetus vestri: infra 58. Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Non feram.* Secundo quantum ad praesens ponit odium dicens, *Calendas vestras*, quod addit supra neomeniam, *Et solemnitates vestras odivit anima mea:* unde *Ps. 80. Sumite psalmum, et date tympanum: psalterium iucundum cum cythara. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae: Thren. 2. Oblivioni tradidit Dominus in Syon festivitatem, et sabbatum, et in opprobrium, et in indignationem furoris sui regem, et sacerdotem.* Tertio quantum ad praeteritum ponit taedium dicens, *Facta sunt mihi molesta.* Et ponit gravitatem ponderis: *Ps. 37. Sicut onus grave gravatae sunt super me.* Secundo laborem portantis, *Laboravi sustinens: Isa. 43. Praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Et loquitur humano more de Deo: quia homini dicitur esse grave laborare in eo, quod non placet sibi. *Et cum extenderitis.* Reprobat orationes eorum. Et primo ponit reprobationem. Secundo reprobationis rationem, ibi, *Manus enim vestrae* etc. Circa primum duo facit. Primo reprobat quantum ad signum devotionis, ibi, *Et cum extenderitis: Thren. 3. Levemus corda nostra cum manibus in caelum ad Deum.* Et *infra 65. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur via non bona.* Secundo prolixitatem orationis: *Prov. 28. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt,* quem fudistis: *Ps. 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Prov. 1. Prohibe pedem tuum a semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem. Lavamini.* Hic ponit salubre consilium: et circa hoc tria facit. Primo ponit efficax remedium. Secundo remedii effectum, ibi, *Venite* etc. Tertio poenam contra contemptum, ibi, *Quia si volueritis* etc. Remedium consistit in duobus. In fuga mali, et in sequela boni, ibi, *Discite* etc. Malum fugatur dupliciter. Primo per purgationem praeteriti: et quantum ad hoc dicit, *Laudamini: Hier. 4. Lava a malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?* Secundo per cautelam futuri; et hoc fit tripliciter. Primo ut corde mala non cogitet, *Mundi estote: Prov. 22. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum Regem.* Secundo, ut cogitata opere non impleat: *Mich. 2. Vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud. Auferte malum,* scilicet opus. Tertio, ut incepta non perficiat, *Quiescite agere perverse: Hier. 2. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti,* et *in eodem cap. Cursor levis explicans vias suas. Discite benefacere.* Hic ponit remedium quantum ad sequelam boni. Et ponit ut addiscat. Secundo, ut opere impleat, ibi, *Subvenite oppresso* etc. Operatur enim aliquis bonum in ordinando seipsum: et quantum ad hoc dicit, *Discite benefacere: Hier. 6. Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te terram desertam, et inhabitabilem.* In ordine ad proximum: et hoc est, quod dicit, *Quaerite iudicium: Iob 29. Causam quam ego nesciebam, diligentissime investigabam. Hier. 6. State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis. Subvenite oppresso.* Hic ponit impletionem operis in subveniendo miseris. Miserum autem facit vel violentia: et quantum ad hoc dicit, *Subvenite oppresso: Pro. 24. Erue eos qui ducunt ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* Aut aetatis ignorantia, *Iudicate pupillo: Eccl. 4. In iudicando esto pupillis ut pater.* Aut sexus impotentia, *Defendite viduam: Iob 20. Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi. Et venite.* Hic promittit effectum: et circa hoc tria ponuntur. Primo promittentis obligatio, cum dicit, *Venite,* ac si diceret, si facitis, quae dico, et non sequatur, quod promitto, obligo me, quod arguatis me. Hoc plangebat Iob *9. Non est qui utrumque possit arguere, et ponere manum suam in ambobus.* Secundo malorum cessatio. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et promittit specialiter mundationem a peccatis, quia cessante causa, cessat effectus. Duo genera peccati tangit. Primum, quod est ex amore incendente, quod notatur in coccino propter intensum ruborem, contra quod ponit candorem nivis frigidae: *Iob 7. Si lotus fuero, quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae* etc. Secundum, quod est peccatum ex timore mortificante, quod notatur in vermiculo, cuius color accedit ad albedinem, *Et si fuerint rubra quasi vermiculus,* contra quod ponit lanam. Unde, *Velut lana alba erunt: Ezec. 27. In multitudine diversarum opum, in lanis optimi coloris: Dan. 7. Vestimentum eius, sicut nix, candidum, et capilli eius, quasi lana munda.* Tertio ponitur bonorum restitutio, *Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis: Ps. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium. Comedetis: Infra 65. Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Quia si nolueritis.* Ponit poenam contemptus. Et primo ponit

contemptum dicens, *Quia si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis: Zach. 8. Cogitavi, ut affligerem vos, cum ad iracundiam me provocarent patres vestri.* Secundo comminatur vindictae gladium, *Gladius devorabit vos: Ezec. 2. Gladium evaginabo post eos, et complebo furorem meum, et quiescere faciam indignationem meam in eis.* Tertio ostendit esse immutabile iudicium: quia, *Os Domini locutum est: Num. 23. Non est Deus, ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

e Hic ostendit peccata eorum, secundum aversionem a iustitia proximi: et circa hoc tria facit. Primo describit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Propter hoc dicit Dominus* etc. Tertio poenae sequelam, ibi, *Et restituam* etc. Circa primum primo arguit peccatum plebis. Secundo peccatum sacerdotis, ibi, *Argentum* etc. Tertio peccatum principum, ibi, *Principes tui* etc. In plebe duo arguit: aggravans per comparationem ad priorem statum, scilicet venalitatem, per comparationem ad priorem fidelitatem; unde dicit, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis: Hier. 2. Sub omni ligno frondoso, et in omni colle sublimi, tu prosternebaris meretrix.* Et crudelitatem per comparationem ad iustitiam, et iudicium, quod est iustitiae executio, *Plena iudicii. Iustitia habitavit in ea, Ps. 83. Quoadusque iustitia convertatur in iudicium:* unde dicit, *Nunc autem homicidae: Ose. 4. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Peccatum sacerdotum in duobus arguit. In corruptione veritatis doctrinae; unde dicit, *Argentum tuum versum est in scoriam: Ps. 11. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum: Hier. 5. Prophetae prophetaverunt mendacium.* Secundo in remissione severitatis disciplinae, quae significatur in vino: hoc enim est vinum, quod infundit Samaritanus: *Luc. 10.* unde dicit, *Vinum tuum mixtum est aqua: Ezech. 13. Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. Principes tui* etc. Hic arguit peccatum principum. Et primo ostendit eos infideles in officii executione, quod ad suam utilitatem, et non populi exequuntur: *Amos 6. Unguento optimo delibuti, bibentes in phialis vivunt: Eze. 39. Vae pastoribus,* Israel, *qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus?* Et propter hoc dicit, *Infideles.* Secundo ostendit eos transgressores in malefactorum receptione, *Socii furum,* eos defendendo, et patrocinium praestando: *Osee 6. Quasi fauces virorum latronum principes sacerdotum: Prov. 1. Fili ne ambules cum eis.* Tertio ostendit eos corruptos in munerum receptione: *Infra 5. Vae qui iustificatis impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo;* unde dicit, *Omnes diligunt munera,* recepta: *Sequuntur retributiones,* scilicet promissas vel speratas. Quarto ostendit eos iniquos in pauperum repulsione, *Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad eos: Hier. 5. Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt. Propter hoc, haec dicit Dominus* etc. Hic comminatur poenam. Et primo praelatorum. Secundo subditorum, ibi, *Et convertam* etc. Circa primum ponit tria. Primo punientis potestatem in auctoritate dicens, *Dominus: Malach. 1. Si ego Dominus, ubi est timor meus, dicit Dominus?* In ministrorum multitudine, *Exercituum: Iob 25. Numquid est numerus militum eius?* In fortitudine, *Fortis: Iob 9. Sapiens corde est, et fortis robore, quis restitit ei, et pacem habuit?* Secundo ponit punientis voluntatem, *Heu,* scilicet eis, *Consolabor,* quia mea consolatio erit punitio eorum, *infra 63. Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit.* Tertio ponit poenae crudelitatem, *Et vindicabor de inimicis,* quia sicut hostes puniam vos: *Deut. 23. Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam. Et convertam* etc. Hic comminatur poenam subditorum. Et primo ponitur punientis praeparatio, ibi, *Et convertam manum meam ad puniendum, quam parcendo, quasi plicatam tenueram: Iob 19. Manus Domini tetigit me.* Secundo poenae perfectio, *Excoquam,* igne tribulationis, *Ad purum scoriam tuam,* quousque aliquid purgandum sit: *Matth. 5. Non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Tertio poenarum multitudo, *Auferam omne stamnum tuum,* quia pro omni peccato puniam, *infra 40. Recepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Et restituam* etc. Hic ponit poenae sequelam. Et primo quantum ad correptos renovationem. Secundo quantum ad obstinatos consumptionem, ibi, *Et conteret* etc. *Eodem enim igne,* ut dicit Augustinus, *aurum probatur, et palea fumat.* Circa primum tria facit. Primo promittit renovationem quantum ad praelatorum emendationem. Secundo quantum ad famae restitutionem, ibi, *Post hoc vocaberis.* Tertio quantum ad iustitiae observationem, ibi, *Syon in iudicio* etc. Dicit ergo, *Restituam iudices,* quantum ad saeculares principes, quorum est iudicare populum; *Et consiliarios tuos,* idest sacerdotes, quorum est consilia Dei manifestare populis: *Malac. 2. Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est, Ut fuerunt prius,* sicut Moyses, et Iosue, qui Deo placuerunt: *Hiere. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascent vos scientia et disciplina. Et vocaberis,* idest recuperabis famam, ut dicaris talis qualis ante fueras, *Civitas iusti,* idest in qua servatur iustitia, *infra 62. Non vocaberis ultra derelicta, nec vocaberis ultra desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea. Syon in iudicio,* per executionem iustitiae, redimitur a calumniantibus. *Et reducent eum in iustitia,* quia iudicium est reducere ad aequitatem, in qua consistit iustitia: *Ps. 69. Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio: Hie. 23. Regnabit rex, et faciet iudicium, et iustitiam in terra. Et conteret* etc. Hic ponitur obstinatorum destructio: et circa hoc tria facit. Primo praedicit destructionem. Secundo destructionis modum, ibi, *Confundentur* etc. Tertio aufert evasionis spem, ibi, *Et erit fortitudo tua* etc. Et quia poena ordinatur contra culpam, ideo circa primum tangit culpam dupliciter. Ex parte conversionis, quantum ad scelus idolatriae; unde dicit, *Scelestos:* et quantum ad peccatum voluptatis, et luxuriae; unde dicit, *Peccatores,* quia ad talia homines maxime proni sunt, contra quod ordinat poenam contritionis, in qua no-

tatur poena pro inflictione : *Hier. 17. Duplici contritione contere eos,* quasi pro duplici peccato. Secundo ex parte aversionis, quia dereliquerunt Dominum, contra quod ordinat poenam consumptionis dicens, *Consumentur*, in quo designat poenam desertionis: quod enim consumitur, in nihilum vadit; et omnia in nihilum decideret, nisi manus Domini ea contineret, ut dicit Gregorius : *Hier. 17. Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Confundentur* etc. Hic ponit modum destructionis. Et primo quantum ad confusionem peccati. Secundo quantum ad subtractionem boni, ibi, *Cum fuerit* etc. Circa primum contra idolatriam ordinat confusionem dicens, *Confundentur ab idolis*, idest propter idola : *Ps. 96. Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Contra voluptatem erubescentiam, cum dicit, *Erubescetis super hortis, quos elegeratis luxuriae vestrae : Rom. 6. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis :* confusio enim magis respicit malum; sed erubescentia culpam. Peccata enim carnalia, ut dicit Gregorius, sunt minoris culpae, et maioris infamiae : et ratio est, quia sunt secundum potentias ignobiliores, et maxime materiales : et tamen sunt innatae et connaturales et passibiles. *Cum fueritis.* Hic ponitur subtractio boni. Et primo eius, quod ad protectionem, et ornatum spectat, quod significatur in ablatione filiorum. Secundo eius, quod pertinet ad fructum, ibi, *Velut hortus, qui sine aqua* etc. e contra dicitur de viro iusto: *Ps. 1. Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum Et erit.* Hic aufert eis evasionis spem. Et ponit tria. Primo aufert ab eis proprie fortitudinis firmamentum ; unde dicit, *Erit fortitudo vestra, ut favilla stuppae, quae cito consumitur: Eccl. 21. Stuppa collecta synagoga peccantium.* Secundo idolorum auxilium dicens, *Opus vestrum*, scilicet idolorum, quod manus vestrae operatae sunt, quasi scintilla quae nullius momenti est : *Deut. 32. Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam.* Et tamen comburitur ; unde loquitur, *Et succendetur : infra 50. Ambulate in lumine ignis vestri.* Tertio hominum succursum, *Et non erit, qui extinguat: Ezech. 20. Non extinguetur flamma succensionis, et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem, et videbit omnis caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.*

## a CAP. II.

Verbum quod vidit Isaias filius Amos super Iudam et Hierusalem. Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles. Et fluent ad eum omnes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem.

b Et iudicabit gentes, et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gentes contra gentem gladium, nec exercebunt ultra ad praelium. Domus Iacob, venite, et ambulemus in lumine Dei nostri. Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhaeserunt. Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis, et innumerabiles quadrigae eius. Et repleta est terra eius idolis. Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incarnavit se homo, et humiliatus est vir.

c Ne ergo dimittas eis. Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria maiestatis eius. Oculi sublimis hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa, quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur, et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan, et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos, et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. Et incurvabitur omnis sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. Et elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur. Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terrae a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. In die illa proiiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui quae fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones, scissuras petrarum, et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, et cum surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.

## CAP. II.

Hic increpatur culpa eorum ex parte conversionis. Et dividitur in partes tres. In prima arguit eos pro culpa quam committebant in cultura idolorum. In secunda pro illa, quam committebant in oppressione hominum, *5. cap. ibi, Ecce enim* etc. In tertia pro culpa, quam committebant in abusu rerum, *cap. 5. Cantabo dilecto meo* etc. Prima dividitur in duas. In titulum, et tractatum. Secunda, ibi, *Et erit* etc. et ponit *Verbum* in principio capituli : quia specialiter de incarnato Verbo prophetia est : *Amos 3. Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. Et erit.* Hic exequitur intentum : et dividitur in partes tres. In prima promittit salutis remedium, ne gravitas sequentis culpae in desperationem inducat. In secundo ostendit cul-

pae reatum , ibi , *Proiecisti* etc. In tertia comminatur poenae flagellum , ibi , *Ne ergo dimittas* etc. Circa primum tria ponuntur. Primo salutis praeparatio. Secundo gentium conversio, ibi, *Et fluent* etc. Tertio Iudaeorum in fine vocatio, ibi , *Domus Iacob* etc. Circa primum tria ponuntur. Primo salutis tempus ; unde dicit , *Et erit.* Et copulat ad praecedentem prophetiam , vel ad illud , quod a Domino audivi , sicut dicit Gregorius *sup. princ. Ezec. In novissimis diebus praeparabitur* etc. scilicet in tempore gratiae , quod dicitur novissimum, quia non succedet alia religionis observatio : *Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi : Gen. ult. Congregamini filii Israel , ut annunciem vobis quae ventura sunt vobis in novissimis diebus.* Sed videtur quod a principio humani generis debuerit ista salus praeparari, quae est per incarnationem Filii Dei: quia quando morbo per medicinam citius subvenitur, facilius curatur. Ad quòd dicendum , quod medicina debet offerri secundum conditionem morbi. Et quia peccatum hominis fuit per superbiam, qua praecepta Dei contempsit , oportuit quod ad salutis medicinam percipiendam praepararetur per humilitatem , ut cognosceret infirmitatem suam : quia nec lege naturali , nec lege scripta adiutus poterat sibi providere. Et sic tanto humilius , et ardentius medicinam quaereret , quanto in se auxilium sibi non inveniebat. Secundo salvantis virtus , cum dicitur , *Mons domus Domini.* In quo domus Domini est fundata : *Ezech. 5. Dimisit me super montem excelsum.* Tertio salvantis gradus , *In vertice montium*, idest maiorum , *Et elevabitur super colles* , idest super minores principes : *Infra 5. Ecce intelligit servus meus , exaltabitur, et elevabitur , et sublimis erit valde. Et fluent ad eum.* Hic ponitur gentium conversio; et circa hoc tria ponit. Primo ipsam conversionem. Secundo declarat conversionis ordinem , ibi , *Et ibunt populi.* Tertio promittit conversionis pacem , ibi , *Et iudicabunt gentes.* Dicit ergo , quantum ad primum . *Et fluent*, in quo notatur multitudo et festinantia, *Omnes gentes* , idest de gentibus omnibus aliqui : *Hier. 31. Adducam eos per torrentem aquarum in via recta , et non impingent in ea.* Ordo conversionis fuit, quod per vocationem eorum qui fuerunt ex Iudaeis, gentes conversae sunt. Et ideo tria circa secundum ponit. Primo vocantes. Secundo vocationem, ibi, *Venite* etc. Tertio ordinis rationem , ibi , *Quia de Syon* etc. Dicit ergo , *Populi* , idest , qui ex Iudaeis , *Multi*, non omnes, in quo notatur paucitas Iudaeorum conversorum respectu multitudinis gentium , *Ibunt* passibus fidei , credentes , *et dicent: 2. Cor. 4. Et nos credimus , propter quod et loquimur. Venite* Hic ponitur vocatio. Vocatur autem tripliciter ad fidei eminentiam ; unde dicit, *Venite*, per consensum, *Ascendamus* , per fidem , *In montem Domini* , idest ad Christum , *Et ad domum Dei Iacob*, idest Ecclesiam: *Hier. 21. Surgite, et ascendamus in Syon ad Dominum Deum nostrum. Quia haec dicit Dominus. Exultate in laetitia Iacob.* Secundo ad doctrinam , cum dicit , *Docebit nos vias suas*, idest praecepta quibus ad ipsum itur : *Can. 8. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito , et mustum malorum granorum meorum.* Tertio ad obedientiam consiliorum , *Et ambulabimus* post eum , *In semitis eius : Hier. 6. Interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, et ambulate in ea. Quia de Syon.* Hic ponit ordinis rationem , dicens , *Quia de Syon* , non de monte Syna: *Exibit lex*, spiritualiter intellecta , *Et verbum Domini* , idest Evangelium, *De Hierusalem*, propter contemplationem pacis. *Salus enim ex Iudaeis est , Ioan. 4.* Et *infra 29. Qui egrediuntur impetu a Iacob , florebit et germinabit Israel.*

b Hic promittit conversis pacem : et circa hoc tria facit. Primo ponit pacis effectivum. Secundo pacis signum , *Et conflabunt gladios* etc. Tertio pacis fructum , *Non levabit gens.* Effectivum pacis est regis iudicium ; et ideo primo dicit, *Iudicabit gentes*, dando eis iura : *Et arguet populos* , corrigendo peccata; *Infra 14. Iudicabit in iustitia pauperes , et arguet in aequitate pro mansuetis terrae.* Signum pacis est, quod instrumenta belli vertentur in cultum agri; unde dicit , *Et conflabunt gladios suos in vomeres: Ps. 46. Arcum conteret , et confringet arma.* Fructus est in amotione hostium ; unde dicit , *Non levabit gens contra gentem gladium : infra 26. Vetus error abiit, servabis pacem , pacem , quia in te speravimus.* Sed contra , quia postea fuerunt multa bella. Glossa respondet , quod non fuerunt tam magna , sicut ante. Unde in tempore Antichristi, quamvis sit futura magna persecutio , tamen habebunt pacem magnam ad invicem, sicut fuit in tempore Diocletiani. Vel melius dicendum, quod referatur ad pacem factam per Christum , quae complebitur in futuro. *Domus Iacob.* Hic ponitur vocatio Iudaeorum post conversionem gentium factam. Vel ex persona prophetae, vel ex persona gentilium , ut sint in cauda qui fuerunt in capite: *Rom. 11. Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret , et sic omnis Israel salvus fieret. Ambulemus* , simul et concorditer , ut sit unum ovile : *Io. 10. Et fiet unum ovile, et unus pastor. In lumine : Io. 12. Ambulate dum lucem habetis. Proiecisti enim* etc. Hic ostendit eorum reatum. Et primo in generali. Secundo in speciali , *Et augures habuerunt* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit eorum a Deo elongationem , cum dicit , *Proiecisti enim.* Et sic continuat Glossa, *Merito vocandi sunt , quia proiecisti: Hier. 22. Quare abiecti sunt ipse et semen eius , et proiecisti in terram , quam ignoraverunt.* Secundo ponit elongationis causam, *Quia scilicet repleti sunt iniquitate, Ut olim*, in Aegypto ? *Hier. 23. Adulteriis repleta est terra :* non enim est causa elongationis a Deo nisi peccatum; unde *infra 59. Peccata vestra, et iniquitates vestrae diviserunt inter vos , et Deum. Et augures.* Hic ponit eorum culpam in speciali. Et praecipue circa idolatriam, quam arguit in eis tripliciter. Primo quantum ad gentilem conversationem. Secundo quantum ad idolatriae occasionem, ibi, *Et repleta est terra* etc. Tertio quantum ad cultus observationem , ibi , *Et repleta est terra.* Gentilem conversationem reprehendit in eis in duobus. Primo quantum ad divinos et augures quos habebant ; unde dicit , *Augures*, idest pronosticantes de futuris ex voce et garritu avium. *Habuerunt ut Philistiim* , in quibus maxime haec superstitio vigebat , contra id quod praecipitur *Deut. 18. Cave ne imitari velis abominationes gentium illarum.* Et

*infra* statim: *Non invenietur in te qui ariolos scisciteturr, et observet somnia, atque auguria.* Sed videtur quod augurium non sit peccatum. Aves enim meliorem aestimationem habent quam pisces qui sunt magis aquosi. Sed marinarii motu quorundam piscium accipiunt coniecturas de tempestate futura. Ergo etiam per aves potest aliquid pronosticari de futuris. Et dicendum, quod Deus providit unicuique rei ea quibus possit conservari in esse, secundum suae naturae capacitatem; et ideo homini dedit rationem, per quam conferendo potest sibi adinvenire remedia contra nociva. Et quia in brutis deficit ratio, ordinavit, ut quod ex ratione deficit, natura suppleret: et ideo talibus data sunt arma, et operimenta naturaliter, quae homo per artem sibi acquirit. Similiter creata est eis quaedam vis naturalis aestimationis, impellens ea ad operandum opera suae speciei. Unde potius aguntur, quam agant, ut dicit Damascenus. Et cum natura inferior reguletur per naturam superiorem, et moveatur, relinquuntur in ipsis impressiones superiorum motuum fricantium huiusmodi motum, per quem moventur ad providendum sibi in necessariis. Et in talibus accipere coniecturam ab avibus, vel avium motibus, vel aliorum animalium, non est peccatum; sed tantum de his quae habent causam ex libero arbitrio, quod non operatur necessitate stellarum. Secundo quantum ad passiones innaturales, quibus subiacebant; unde dicit, *Pueris alienis*, idest alienigenis, vel a Deo alienis, *Adhaeserunt* per turpem abusum: *Rom. 1. Masculi in masculos turpitudinem operantes: 2. Macha. 4.* dicitur de hoc vitio: *Erat autem et incrementum quoddam, et profectus gentilis et alienigenae conversationis, propter impii, et non sacerdotis Iasonis nefarium, et inauditum scelus. Repleta est.* Hic ponit idolatriae occasionem, quae est avaritia: *Ephes. 5. Aut avaritia, quae est idolorum servitus.* Primo ergo ostendit avaritiam eorum, quantum ad multiplicationem rerum quae pertinent ad necessitatem victus, cum dicit, *Repleta est terra.* In quo notatur abundantia rerum. *Et non est finis.* In eo notatur insatiabilitas avari, qui non implebitur pecunia: *Eccl. 5. Avarus non implebitur pecunia. Et qui amat divitias, fructum non accipiet ex eis.* Et *Osee 2. Dedi eis frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi eis, et aurum quae fecerunt Baal.* Secundo, quantum ad res quae pertinent ad portantis usum, cum dicit, *Repleta: Ps. 19. Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri invocabimus. Et repleta est.* Hic arguit in eis idolatriae cultum. Et arguit hic ex tribus. Primo ex multitudine cum dicit, *Et repleta est: Osee 7. Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum: Hier. 2. Sub omni ligno frondoso, et in omni colle sublimi tu prosternebaris meretrix.* Secundo ex idolorum vilitate, *Quia opus manuum suarum*, et adhuc plus, quod fecerunt digiti eorum: *Ps. 113. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* Tertio ex hominis dignitate; et ideo dicit, *Homo*, qui ad imaginem Dei factus est, *Inclinavit se*, supponendo se idolis. *Vir*, qui virtuosus videbatur quantum ad acquisita, *Humiliatus est: Ps. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis: Infra 44. Curvatus est ante illud, et adorat, et dicit: Libera me.*

c Hic comminatur eis poenam. Et dividitur in duas partes. In prima ostendit eis imminere periculum. In secunda concludit evasionis remedium, ibi, *Quiescite ergo* etc. Ostendit autem eis imminere periculum removendo tria. Primo praesumptionem de divina misericordia. Secundo confidentiam de propria potentia, ibi, *Oculi sublimes* etc. Tertio remedium, quod relinquebatur in aliorum fiducia, ibi, *In die illa proiiciet homo idola* etc. Et quia divina misericordia mensuram non habet, sed semper superexaltat iudicium; ideo non removet eam praedicando ut defuturam, sed imprecando poenam ut iustam. Duo ergo facit. Primo ponit imprecationem dicens: Ex quo tam turpia mala faciunt, *Ergo ne dimittas eis;* quasi dicat, Iustum esset ut in nullo eorum misereris: *Hie. 5. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, et super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea?* Secundo ironice ponit consilium ad evasionem dicens, *Ingredere;* quasi dicat, Ex quo ipse non dimittit, restat ut abscondaris a facie eius. *Ingredere in petram*, ad literam in fissuras petrarum ad ibi manendum. *Abscondere in fossa humo*, idest in cavernis terrae a facie timoris Domini, idest a facie illorum per quos Deus se probat timendum, et glorificandum: *Hier. 18. Relinquite civitates;* sed non valebit eis: unde *in Ps. 138. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam.* Bernardus exponit de Christo, *Petra* enim *est Christus, 1. ad Cor. 10.* In ipso est intrandum per devotionis affectum. Dicit ergo: Ego quod mihi deest usurpo de visceribus Iesu Christi. Viscera enim misericordiae affluxerunt, nec desunt foramina per quae effluant. Foderunt enim manus eius, et pedes eius perforaverunt: *Can. 2. Surge, propera amica mea, et veni in foraminibus petrae. Oculi sublimis.* Hic removet ab eis confidentiam de propria potentia: et circa hoc duo facit. Primo excludit potentiam resistendi. Secundo repellit cautelam latendi, ibi, *Et introibunt* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit intentum. Secundo explicat modum, ibi, *Quia dies* etc. Tertio concludit propositum, *Et incurvabitur* etc. Ponit autem duo ad excludendum potentiam resistendi. Primo ipsorum depressionem tum quantum ad superbiam cordis, cum dicit, *Oculi*, idest superbia, *Sublimis*, idest hominis potentis, *Humiliati*, idest humiliabuntur. Praeteritum pro futuro propter certitudinem prophetiae: *Prov. 30. Generatio cuius oculi excelsi sunt, et palpebrae in alta surrectae: Iob 40. Respiciet cunctos superbos, et confundet eos, et conteret impios de loco suo:* tum etiam quantum ad nobilitatem generis; unde dicit, *Altitudo virorum*, idest nobilitas generis: *Am. 2. Ego exterminavi Amorrhaeum a facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius.* Secundo ponit punientis exaltationem, *Exaltabitur*, idest altus apparebit in punitione, qui infimus videbatur in expectatione: *Ps. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: Infra 5. Exaltabitur Dominus exercituum in iudicio. Quia dies Domini.* Hic ponitur modus expletionis praedictorum. Et primo quantum ad depressionem hominum. Secundo quantum ad subtractionem rerum, ibi, *Et super omnes* etc. Dicit ergo primo: Ideo erit hoc, quod dictum est; *Quia dies Domini*, idest ultionis tempus: *Infra 63. Dies ultionis*

*in corde meo, annus retributionis meae venit. Exercituum*, ut non dubitetur de victoria eius, cui tanta subest obsequentium multitudo. *Veniet*, quasi grave pondus ad comprimendum, *Super omnem superbum, et excelsum*, idest super eum qui magis de magnis, quae habet extollitur: *Et super omnem arrogantem*, qui elevatur de eo, quod non habet. Gregorius: *Arrogans est, qui sibi tribuit quod non habet: Prov. 8. Arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Et humiliabitur: Luc. 14. Qui se exaltat, humiliabitur. Et super omnes cedros.* Hic ponit subtractionem rerum quae faciunt ad defensionem. Et primo quantum ad ea quae faciunt, quantum ad praeparationem machinarum, vel propter altitudinem; et sic dicit, *Super omnes cedros;* vel fortitudinem; et sic dicit, *Super omnem quercum: Zach. 11. Aperi libere portas tuas, et comedat ignis cedros tuos.* Et *infra: Ululate quercus Basan, quia succinctus est, saltus munitus.* Secundo quoad ea quae pertinent ad mutationem locorum, aut a natura, *Et super omnes montes excelsos* etc. *Ezech. 6. Haec dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus;* aut ab arte, *Et super omnem turrim excelsam* etc. *Sopho. 1. Dies tubae et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos, et tribulabo homines.* Tertio quantum ad ea quae pertinent ad abundantiam victualium; et sic dicit, *Super omnes naves*, in quibus deferuntur, *Tharsis*, idest maris: *Infra 23. Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. Et super omne, quod visu pulchrum est.* Hoc pertinet ad hostium implacationem, vel augmentationem pugnantium: *Iudith 10. Quis contemnet populum Hebraeorum, qui tam decoras habet mulieres. Et incurvabitur.* Hic quasi concludit propositum: et est omnino idem quod prius dictum est; nisi quod additur de destructione idolorum, ut ostendatur ipse solus excelsus, cum dicit, *Et idola: Ezech. 6. Confringentur, et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra. Et introibunt in speluncas* etc. Hic ponit cautelam latendi, et est idem quod prius; nisi quod hic praedicitur quasi futurum, quia impotentiam deiiciendam praedicando, et non imprecando exposuerat: *Ps. 62. Introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. In die illa.* Hic removet tertium, scilicet idolorum fiduciam. Et primo removet auxilium, *Ut adoraret: Ezec. 8. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta: Infra 31. In die illa abiiciet vir idola argenti sui, et idola quae fecerunt manus eius in peccatum.* Secundo replicat latendi subsidium, ibi, *Et ingredietur* etc. *Apoc. 6 Omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium. Quiescite ergo.* Hic ponit sanum consilium ad evadendum. Et dicit. Ergo ex quo omnia ista non valebunt vobis, *Quiescite ab homine*, idest cessate ab offensa ipsius, scilicet Christi. *Cuius spiritus in naribus eius*, idest qui spirat, *In naribus*, idest vivit sicut alii homines quantum ad humanitatem. *Quia excelsus reputatus est ipse*, quantum ad divinitatem, a sanctis, et ab angelis: *Ps. 112. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius.* Vel aliter. Loquitur de Deo ad similitudinem hominis per figuram antropospatos. *Ab homine*, idest Deo, *Cuius spiritus in naribus.* Loquitur ad similitudinem irati, qui propter multiplicationem spirituum exsufflat per nares; unde dicit Homerus, *Quod fortes austeram virtutem per singulas nares exsufflabant: Ps. 17. Ab inspiratione spiritus irae tuae: Infra 30. Ardens furor eius, et gravis ad portandum.* Et iterum, *Spiritus velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum:* et hoc refertur ad primum in quo removit praesumptionem de misericordia Dei: *quia excelsus ipse*, discretive quasi solus.

## a CAP. III.

Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, et a Iuda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquae, et fortem, et virum bellatorem, et iudicem, et prophetam, et ariolum, et senem principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mistici. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Et corruet populus vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui, et dicet: Vestimentum tibi est, princeps esto noster: ruina autem haec sub manu tua. Respondebitque in die illa dicens: Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum. Nolite constituere me principem populi.

b Ruit enim Hierusalem, et Iudas concidit: quia lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondebit eis, et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Vae animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala. Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum. Retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatae sunt eis. Populo meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum Dominus, stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, et principibus eius. Vos enim depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum?

c Et dixit Dominus Deus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Syon, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Syon, et Dominus crinem earum nudabit. In die

illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et priscelidas, et murenulas, et olfatoriola, et inaures, et anulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et spicula, et syndones, et vittas, et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvicium, et pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in praelio. Et moerebunt atque lugebunt portae eius, et desolata in terra sedebit.

## CAP. III.

Hic incipit secunda pars, in qua arguit peccatum eorum, quantum ad oppressionem proximorum. Et dividitur in duas partes. In prima ponitur opprimentium confutatio. In secunda oppressorum consolatio, *4. cap. Et apprehendent* etc. Et quia volentium dominium non solum est culpa hominis, sed etiam est poena Dei iudicantis peccata populi, sicut dicitur *Iob 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi;* ideo prima pars dividitur in partes duas. In prima enim praedicitur, secundum quod est poena a Deo inflicta. In secunda arguitur, secundum quod est culpa ab homine commissa, ibi, *Populo meus* etc. Prima dividitur in duas partes. In prima comminatur regiminis subversionem. In secunda assignat rationem, ibi, *Ruit enim.* Prima dividitur in tres. In prima subtrahuntur a regiminis officio idonei. In secunda praeficiuntur indigni, ibi, *Et dabo pueros* etc. In tertia refutant vocati, ibi, *Respondebitque in die* etc. Prima in duas. In prima subtrahit idoneum a regiminis officio. In secunda utilem ad regentis auxilium, ibi, *Consiliarium* etc. Prima dividitur in tres. secundum tria quae requiruntur ad idoneitatem praelatorum. Primo enim aufert idoneum quantum ad potestatem. In secunda quantum ad sagacitatem, ibi, *Iudicem* etc. In tertia quantum ad auctoritatem, ibi, *Senem* etc. Potestas ad regenda bella populi requiritur in duce, et valet ad compescendum insolentias: *Eccl. 9. Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates:* quae in tribus consistit, secundum quae dividitur prima pars huius tertiae partis, scilicet in fortitudine corporis, quae consistit in tribus, scilicet in complexionis vigore; et quantum ad hoc dicit, Moneo ut quiescatis, *Enim*, idest quia, *Ecce*, in proximo est, *Aufert validum*, idest bene valentem in complexionis sanitate. In membrorum robore; et sic dicit, *Fortem*, quia fortitudo consistit in ossibus et nervis, ut dicit Philosophus. Iterum in cibi multitudine; et sic dicit, *Omne robur panis*, in quo omnis cibus et potus significatur: *Eccl. 29. Initium vitae hominis aqua, et panis, et vestimentum* Secundo consistit potestas in constantia cordis; et sic dicit, *Fortem*, secundum quod venit a fortitudine, quae est virtus animae. Tertio consistit in exercitio bellicae artis; et sic dicit, *Virum bellatorem.* Sapientia autem requiritur ad exercendum iudicia, propter quod petiit Salomon sapientiam a Deo: *3. Reg. 3. Dabis servo tuo cor docile, ut possit discernere inter bonum et malum.* Et hoc habetur tripliciter. Vel humana instructione; et quantum ad hoc dicit, *Iudicem*, quasi iuris peritum. Vel divina inspiratione; et quantum ad hoc dicit, *Prophetam.* Vel daemonis revelatione; et quantum ad hoc dicit, *Ariolum*, quia in aris daemonum divinabant, et aliquando vera dicebant. Auctoritas necessaria est ad reverentiam: et haec etiam consistit in tribus. In officii dignitate; et quantum ad hoc dicit, *Principem*, et per hoc omnes alios principes intelligit, ut dicit Glossa. In morum honestate; et propter hoc dicit, *Senem*, scilicet moribus. In vultus maturitate, *Honorabilem;* et propter hoc dicit, *Vultu.* Utiles autem sunt aliqui principibus ad regimen populi, vel ad expediendum dubia negotia; et quantum ad hoc dicit, *Consiliarium;* vel ad facienda aedificia; et ideo dicit, *Sapientem de architectis*, ab arcos, quod est princeps, et tecti, quod est ars, et praecipue moechanicarum. Unde architector dicitur principalis artifex qui praecipit artificibus inducere formam, et praeparare materiam, secundum considerationem finis, cuius scientia habet usum pro actione. Sapientia autem, ut dicit Philosophus, est duplex, scilicet universalis, et particularis. Particularem definiens dicit, quod est virtus, per quam homo potest in ultimo cuiuscumque artis, ut medicinae. Et ob hoc dicitur sapiens medicus, qui est certissimus in his quae sunt medicinae: et similiter sapiens faber, et sic de aliis. Et hoc modo sumitur hic. Universalis sapientia est, quae est ultimum in omnibus artibus et scientiis. Et ista est, per quam homo elevatur in cognitione nobilissimarum causarum, idest substantiarum separatarum, vel spiritualium. Et haec secundum Philosophum est Metaphysica, et secundum nos est Theologia. Tertio aliquis necessarius est ad instruendum divina; et quantum ad hoc dicit, *Et prudentem eloquii mistici*, a mistum quod est secretum, idest divinorum verborum quae secreta sunt. Et de omnibus his habetur *4. Reg. pen.* quod translati sunt a Nabuchodonosor in Babyloniam: *Transtulit quoque Ioachim in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos, et iudices terrae duxit in captivitatem. Et dabo pueros.* Hic ostenditur subversio regiminis, quantum ad hoc, quod praeficiuntur indigni. Et dividitur in duas partes. In prima ponitur indignorum praelatio. In secunda consequens populi turbatio, ibi, *Et corruet populus* etc. Sunt autem indigni, quantum ad defectum sapientiae et aetatis; et ideo dicit, *Dabo pueros principes.* Et quantum ad defectum virtutis; et sic dicit, *Et effeminati dominabuntur*, lascivi et imbecilles: *Osee 12. Dabo tibi reges in furore meo.* Effectus autem regiminis in perturbatione populi tangitur triplex. Primo universalis dissensio; unde dicit, *Corruet populus*, scilicet ab unitate pacis, per quam est populus. *Vir ad virum*, idest contra virum: *Prov. 11. Ubi non est gubernator, corruet populus: Zacha. 10. Abducti sunt quasi grex, affligentur: quia non est eis pastor.* Secundo amicitiae dissolutio. *Unusquisque ad proximum suum*, idest contra proximum suum: *Hier. 10. Omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* Tertio ordinis confusio. *Tumultuabitur puer contra senem* etc. *Thren. 4. Facies sacerdotum non*

*erubuerunt, nec senum miserti sunt. Apprehendet.* Hic ostendit subversionem regiminis, quantum ad hoc, quod invitati ad regendum recusant, quasi quoddam ruinosum. Et dividitur in partes duas. In prima ponitur eligentium invitatio. In secunda electi recusatio, ibi, *Et respondebit* etc. Circa primum tria ponuntur, scilicet ipsa electio, electionis occasio, officii immutatio. Electio est inordinata, quia ab uno tantum; unde dicit, *Tumultuabitur enim*, idest quia non convenienter eligent; sed, *Apprehendet vir fratrem suum*, idest coniunctum sanguine. *Domesticum patris sui*, idest familiaritate acceptum, quamvis etiam vilem: *Mic. 3. Qui aedificat Syon in sanguinibus, et Hierusalem in iniquitate.* Et hoc est contra formam servatam *Nume. 1.* in electione principum facta praecepto Domini, auctoritate praelati, et consensu multitudinis. Sed occasio est viris, quia propter divitias; unde dicit, *Vestimentum tibi est.* Sperat enim temporalem subventionem Et hoc est contra formam traditam *Exod. 18. Provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderunt avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones qui iudicent populum omni tempore;* sed iniunctio periculosa; unde dicit, *Princeps esto noster. Ruina autem haec,* idest periculum, *sub manu tua*, idest sub custodia tua, et defensione tua: *3. Reg. 20. Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius. Respondebit.* Hic ponitur recusatio electi. Et ponitur rationabilis excusatio. Secundo concluditur officii refutatio, ibi, *Nolite* etc. In excusatione praetendit tria, scilicet impotentiam ad repellendum nociva, *Non sum medicus*, scilicet ut possim mederi miseriis vestris: *Hier. 8. Nunquid resina est in Galaad, aut medicus non est ibi?* scilicet ad supplendum defectum. Et propter hoc dicit, *Et in domo mea non est panis*, quo suppleam defectum famis vestrae: *Thren. 4. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*, ad fovendum, vel conservandum nutrimentum; et ideo dicit, *Nec vestimentum*, quo conservatur calor: *Prov. ult. Non timebit domui suae a frigoribus nivis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Nolite me constituere principem populi.* Hic concluditur officii refutatio: *Iud. 9. Nunquid possum deserere pinguedinem meam qua dii utuntur, et homines?* Ubi ponitur triplex ratio, scilicet impedimentum devotae contemplationis, dulcis affectionis, *Isa. 6. Nunquid possum deserere dulcedinem meam?* et spiritualis exultationis, *Nunquid possum deserere vinum meum?* quod laetificat Deum et homines. *Et inter caetera ligna promoveri*

b Hic ponit causas dictae renuntiationis. Et primo ponit causam proximam, scilicet poenam universalis ruinae; unde dicitur ex parte prophetae, ideo recusabit, *Enim*, idest quia, *Ruit Hierusalem*, idest ipsa civitas, *Et Iudas*, ipsa provincia, *Concidit*, per poenam a sua integritate: *Isa. 25. In captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam.* Secundo ponit causam remotam, scilicet culpam. Et dividitur in partes tres. In prima aggravat culpam. In secunda contra culpam ordinat poenam, ibi, *Vae animae eorum* etc. Tertio ostendit punientis iustitiam, ibi, *Dicite iusto* etc. Peccatum aggravat ex tribus: ex peccati specie, quia blasphemant in Deum; unde dicit, ideo concidit, *quia lingua eorum contra Dominum: Infra 57. Super quem lusistis, super quem dilatastis os, et eiecistis linguam?* Secundo ex peccati novitate; unde dicit, *Adinventiones eorum contra Dominum; Ose. 7. Nunc circumdederunt eos adinventiones suae, coram facie mea factae sunt.* Tertio ex peccati publicatione; unde dicit, *Agnitio vultus eorum*; et hoc, quia peccatum suum a vultu agnitum aliis fecerunt, *Respondebit eis*, in poenam quantum ad gestus. Et quantum ad peccati commendationem dicit, *Et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt: Hiere. 2. Frons meretricis facta est sibi, et noluisti erubescere.* Aliter exponitur in glossa, *Agnitio vultus eorum*, idest cognitio suorum peccatorum, quam in intellectu habebunt: quia in vultu sunt sensus: *Respondebit eis*, quaerentibus quare puniuntur. Vel aliter, *Agnitio vultus eorum*, idest remorsus conscientiae, *Respondebit eis*, sicut poena. Et mystice hoc refertur ad peccatum quo Christum videntes cognoscere noluerunt, de quo conscientia redarguet eos, secundum quod dicit Glossa. Et quia iustitia Dei non sinit tam gravia mala inulta; ideo, *Vae animae eorum*, non solum corpori. *Quoniam reddita sunt*, scilicet in Dei praesentia; vel praeteritum ponitur pro futuro. Et ne putetur poena omnes involvere, subiungitur Dei iustitia in discretione bonorum a malis: et circa hoc duo facit. Primo ponit remunerationem bonorum, dicens, *Dicite iusto*, cuicunque, *Quoniam bene*, erit ei, cum alii damnabuntur: *Quoniam fructum*, idest mercedem, *adinventionum suarum comedet*, quasi fructum capiens bonorum excogitatorum. Sicut enim mali sunt soliciti ad inveniendum modos quibus peccatur, ita et boni sunt soliciti, ut adinveniant qualiter Deo placere possint: *1. Cor. 7. Qui sine uxore est, solicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: Ps. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es.* Secundo ponit punitionem malorum dicens, *Vae impio in malum*, ideo pro malo, quod sibi imminet, *Retributio manuum fiet ei: Ps. 9. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Populum meum.* Hic arguitur oppressio populi, secundum quod est peccatum hominis opprimentis. Et dividitur in partes duas. In prima ponitur oppressionis vitium. In secunda reducitur poenae iudicium, ibi, *Stat ad iudicandum Dominus* etc. Tripliciter autem quidam opprimebant populum. Primo opprimebant principes per violentiam rapiendo; et quantum ad hoc dicit, *Populum meum expoliaverunt*, bonis suis: *Ezech. 22. Populi terrae calumniabantur calumnia, et rapiebant violenter, egenum et pauperem affligebant.* Secundo mulieres trahendo ad concupiscentiam, et etiam ad idolatriam, sicut de Salomone dicitur *3. Reg. 3.* Quantum ad hoc dicit, *Mulieres eorum dominatae sunt eis: Eccl. 9. Ne des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtute tua.* Tertio prophetae decipiendo per astutiam adulationis; et quantum ad hoc dicit, *Populo meus;* quasi dicat, Per prophetas consueveram vobis loqui; sed quia illi mendaces sunt, per me vobis loquar, ne videatur non debere credi, quod propheta sit, contra prophetam. *Decipiunt*, promittendo securitatem: *Dissipant*, praebendo occasionem culpae: *Mich. 3. Haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt*

*populum meum, qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem : Hier. 14. Prophetae dicunt eis , non videbitis gladium, et fames non erit in vobis , pacem veram dabit vobis in loco isto. Stat ad iudicandum.* Hic inducitur iudicium ad puniendum oppressores: et dividitur in partes duas. Et primo ponitur iudicium contra oppressores principes. In secunda contra mulieres , ibi , *Et dixit Dominus.* Pseudoprophetae ad spoliandum populum decipiebant , et ideo habent idem iudicium cum principibus : *Ezech. 13. Violabant me ad populum meum , propter pugillum hordei , et frumentum panis.* Circa primum tria facit. Primo inducitur iudex; unde dicit, *Stat ad iudicandum: Mich. 4. Iudicabit populos multos: Dan. 7. Iudicium sedit, et libri aperti sunt.* Secundo inducuntur rei; unde dicit , *Dominus ad iudicandum veniet cum senibus*, scilicet sacerdotibus, *et principibus*, regibus, et ducibus: *Ezec. 34. Ego iudicabo inter pecus, et inter arietem, et hircum.* Tertio ponitur causa. Et primo inducitur accusatio actoris, cum dicit, *Vos depasti estis : Mich. 4. Comederunt carnes populi mei.* Secundo ponitur increpatio iudicis, cum dicit, *Quare atteritis*, affligendo, *Facies pauperum commolitis*, attenuando : *Am. 4. Calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes.* Ipse enim Deus erit actor et iudex. Notandum super illo verbo , *Dicite iusto , quoniam fructum* etc. quod est fructus iusti primo quem reddit. Et hic est triplex , scilicet fructus suae operationis: *Io. 10. Eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Suae praedicationis: *Heb. ult. Offeramus hostiam laudis Deo,* idest fructum labiorum confitentium nomini eius. Suae confessionis. Secundo quem percipit. Et hic est etiam triplex, scilicet fructus remissionis culpae: *Isa. 27. Dimittetur domui Iacob iniquitas. Et iste est omnis fructus , ut auferatur peccatum eius.* Participationis gratia: *Gal. 5. Fructus autem Spiritus charitas , gaudium, pax, patientia* etc. *Prov. 3. Melior est acquisitio eius negotiatione auri, et argenti primi , et purissimi fructus eius* Tertio quem quaerit In fruitione Dei: *Gen. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo.* In societate coelestis chori: *Ezech. 36. Montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum afferatis populo Israel , in perceptione divini doni : Can. 4. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.*

c Hic ponitur divinum iudicium contra mulieres. Et primo aperitur culpa. Secundo praedicitur poena, ibi, *Decalvabit* etc. Prima dividitur in duas. In prima arguit eas de superbia. In secunda de lascivia , ibi, *Et nutibus* etc. Circa primum duo facit. In prima arguit superbiam in corde, cum dicit, *Pro eo, quod elevatae sunt filiae Syon.* In superbiam: *Ps. 130. Domine non est exaltatum cor meum.* Secundo arguit superbiae signum in corpore , *Ambulaverunt extento collo* , quod signum superbiae est : *Iob 15. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Et nutibus.* Hic arguit lasciviam earum in quatuor, quibus homines ad concupiscentiam provocabant. Primo in ipso visu; unde dicit, *Et nutibus: Prov. 6. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus eius.* Secundo lusus etc. *Et plaudebant.* Glossa *Ludendo: Eccli. 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, ne forte pereas in efficacia eius.* Tertio in excessu, *Et ambulaverunt erecto collo : Prov. 8. Garrula, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* Quarto lascivo ornatu , *Composito gradu.* Glossa, *Ornatae de rapina pauperum: Prov. 7. Ecce occurrit mulier ornatu meretricio, praeparata ad capiendas animas. Decalvabit* etc. Hic comminatur poenam. Et primo quantum ad ablationem ornamentorum Secundo quantum ad solatium virorum, ibi, *Pulcherrimi quoque viri* etc. Circa primum duo facit. Primo aufert ab eis ornamenta quae sunt signa ineptae laetitiae et lasciviae. In secunda recompensat signa tristitiae, et miseriae, ibi, *Et erit pro suavi* etc. Circa primum duo facit. Primo aufert ab eis ornatum naturalem capillorum. Secundo artificialem, ibi, *In die illa.* Dicit ergo primo, *Decalvabit*, quantum ad capillos veros: *Isa. 5 In cunctis capitibus eius erit calvitium. Nudabit*, quantum ad capillos adulteros qui sunt sicut indumenta: *Deut. 32. De captivitate nudati inimicorum capitis. In die illa.* Hic aufert ab eis ornamenta artificialia. Et primo ea quae pertinent ad ornatum membrorum. Secundo ea quae pertinent ad cultum ornamentorum, ibi, *Acus et specula* etc. Circa primum duo facit. Primo aufert ea quae pertinent ad ornatum partium. Secundo ea quae pertinent ad ornatum totius, ibi, *Et mutatoria* etc. Circa primum duo facit. Primo aufert ea quae pertinent ad corporis membra Secundo ea quae specialiter ad sensus organa, ibi, *Olfatoriola* etc. Circa primum duo facit. Primo aufert ea quae pertinent ad inferiores partes corporis. Secundo quae specialiter ad membra capitis, ibi, *Et vittas* etc. Dicit ergo primo quantum ad pedes, *Ornamentum calceamentorum*, quaecunque, et specialiter, *Lunulas*, idest quasdam picturas factas in calceamentis de corio deaurato: *Cant. 7. Quam pulchri sunt pedes tui in calceamentis filia principis.* Secundo quantum ad collum, *Torques*, idest quaedam ornamenta colli usque ad pectus pendentia , in honorem victoriae data: *Prov. 1. Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* Tertio quantum ad pectus dicit, *Monilia,* quaelibet ornamenta, sed specialiter fibulae, quibus munitur pectus, ne vestes aperiantur : *Cant. 7. Iuncturae foemorum tuorum , sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.* Quarto quantum ad brachia dicit , *Armillas* , ornamenta brachiorum ab armo dicta : *Exo. 32. Viri cum mulieribus praebuerunt armillas ad faciendum opus tabernaculi testimoni. Et mitras.* Hic ponit ornamenta capitis. Et primo quantum ad verticem, *Mitras*, ornamenta capitis ad modum coronae: *Iud. 10. Imposuit mitram super caput suum, discriminato crine capitis sui.* Secundo quantum ad capillos dicit, *Discriminalia* , instrumenta quaedam de argento , vel auro in modum acuti fusi facta, quibus mulieres dividunt capillos suos ante frontem, sicut dictum est *Iudith. eod. Discriminavit carnem capitis sui.* Tertio quantum ad collum tangit duo. Primo, *Periscelidas*, a peri, quod est circum, et thelon , quod est membrum , quasi ornatus circa membrum. Aymo dicit , et quod fit ex auro , ad similitudinem armillarum, et ponitur circa collum. Glossa dicit, quod super pedes similes armillis. Alii dicunt, quod sunt quidam ornatus positi circa extremitates vestium, sicut auri frigia, vel pelles aliquae vel aliud huiusmodi. Et hoc potest stare cum utro-

que praedictorum: quia sic sunt, et circa collum, et circa pedes. Vestes enim habent talia, et in caputiis et in fimbriis inferioribus, et sic ornant collum mediate: *Num. 31. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli, quod in praeda auri potuimus invenire, periscelidas, et armillas, et annulos.* Secundo ponit ornamenta colli immediata, cum dicit, *Murenulas*, scilicet quaedam cathenae virgulis aureis et argenteis vermiculatae in modum murenae, quae ponuntur circa collum: *Cant. 1. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Et quia collum est medium inter caput et corpus, ornatus eius in utrumque ponitur. *Et olfatoriola.* Hic ponuntur ea, quae pertinent ad organa sensus. Et primo quantum ad olfatum, *Olfatoriola*, quaedam pixides in quibus ponebant muscum et huiusmodi: vel etiam quaedam vasa, sicut poma de argento facta, perforata ad modum thuribuli, in quibus ponitur ignis, et aliquid odoriferum: *Cant. 1. Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Secundo quantum ad auditum, *Inaures*, idest quidam circuli aurei, vel argentei, qui apponuntur in auribus mulierum ad hoc perforatis: *Ose. 2. Ornabatur inaure sua, et monili suo, et ibat post amatores suos.* Tertio quantum ad tactum qui maxime urget in digitis, *Annulos: Nu. 31.* auctoritate inducta superius. *Ob hanc causam offerimus annulos* etc. Quarto quantum ad visum, *Gemmas in fronte*, quibus ornabantur mulieres Aegyptiae: *Exod. 25. Accipietis lapides onichinos, et gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.* De gustu non facit mentionem, quia instrumentum eius interius est, et non ornatur. *Et mutatoria.* Hic ponit ornamenta pertinentia ad totum corpus. Et primo ad induendum: et sic dicit, *Mutatoria*, idest diversa vestimentorum paria: *Zach. 3. Indui te mutatoriis, et dixit: Ponite cydarim.* Secundo ad operiendum: et sic dicit, *Pallia: Gen. 24. At illa tollens cito pallium, cooperuit se.* Tertio ad iacendum; et sic dicit, *Linteamina: Io. 20. Venit Petrus, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita. Et acus.* Hic ponit ea, quae pertinent ad cultum ornamentorum. Et primo ad componendum, *Acus: Matt. 19. Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Dei.* Secundo ad discernendum, *Et specula*, quibus mulieres discernunt utrum sint bene ornatae: *Exo. 38. Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant ante ostium tabernaculi et atrium.* Tertio ad ornamenta operiendum. Et primo ad operiendum humerorum ornamenta, *Et syndones*, subtilia velamina quibus operiuntur humeri, sicut fit in capania a mulieribus: *Prov. ult. Syndonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Cananaeo.* Secundo ad operiendum ornamenta capitis, *Vittas*, idest pepla. Vel melius dicendum, quod dicuntur ligamenta, quibus mulieres ligant capillos suos ad modum retis facta; et sic accipitur *Exo. 24. Colligabisque eam vitta hiacintina*, scilicet lamina de auro purissimo, *Ubi scriptum erat nomen secundum Domini.* Tertio ad operimentum totius corporis dicit, *Theristra.* Glossa, vestis muliebris tenuissima, et visu pervia, aestati idonea, et inde nominatur. Thearia enim, idest aestas. Et praecipue consueverunt huiusmodi portare mulieres super serica vestimenta: *Gen. 38. Depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum.* De pluribus horum dicitur *Ezec. 16. Vestivi te discoloribus, calceavi te hiacinto, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collem tuum, et dedi inaures super os tuum, et circulos in auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. Et erit* etc. Hic sublatis ornamentis lasciviae, comminatur cultum miseriae. Et primo quantum ad id quod est extra, dicit, *Et erit pro suavi odore foetor* etc. Odor enim ab extra est: *Ioel. 2. Ascendit foetor eius, et ascendet putredo, quia superbe egit.* Secundo quantum ad id quod est circa, dicit, *Pro zona funiculus: Iob 12. Baltheum regum dissolvet, et praecinget fune renes eorum.* Tertio quantum ad id quod est supra, dicit, *Pro crispanti crine.* Quarto quantum ad id, ad quod est intra pro fascia pectorali, qua constringuntur ubera, idest comprimuntur, ne ex magnitudine sua turpitudinem ingerant. *Pulcherrimi quoque viri* etc. Hic aufert eis virorum solatium, quantum ad quatuor. Delectantur mulieres in virorum pulchritudine: et quantum ad hoc dicit, *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent: Thre. 4. Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores.* Secundo in fortitudine; et quantum ad hoc dicit, *Et fortes: Isa. 23. In captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam.* Tertio in dignitate: et quantum ad hoc dicit, *Et moerebunt*, scilicet interius, *Et lugebunt*, scilicet exterius, *Portae eius*, idest iudices sedentes in portis: *Thren. 2. Destructae sunt in terra portae eius, et perdidit, et contrivit vectes eius, regem eius, et principes eius in gentibus.* Quarto delectantur in virorum iucunditate; et quantum ad hoc dicit, *Et desolata in terra sedebit: Thren. 1. Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.*

Quaeritur primo circa hoc capitulum de hoc quod dicit, *Ariolum*, videtur secundum hoc, quod inquirere futura ab ariolis sit licitum. Auferre enim illicitum non est poena, sed magis beneficium. Praeterea. Idem videtur ex glossa, quia aliquando vera dicunt. Sed a quolibet est accipienda veritas. Ergo et ab ipsis. Praeterea. Cum daemones sint specula clarissima, secundum intellectum, ut dicit Dionysius, videtur quod in his quae pertinent ad cognitionem, ad minus non sit malum accipere, et ita divinationibus intendere erit licitum; et praecipue cum nulla cognitio sit malum, et divinatio dicat cognitionem. Ad quod dicendum est, quod divinatio suo nomine dicit usurpationem actus divini, et hoc praecipue in cognitione futurorum, quae naturaliter cognosci non possunt. Sunt enim quaedam futura, quae habent causas determinatas in natura, ex quibus necessario proveniunt: sicut eclypsis Solis, et de his non est divinatio. Quaedam etiam habent causas determinatas ex quibus proveniunt, ut in pluribus, sicut siccitas in aestate sub cane; unde de his non est divinatio. Tales enim sunt praenosticationes medicorum de sanitate, vel morte, et nautarum de tempestate futura, nisi forte praenuncientur immobili veritate futura: quia hoc solius Dei est. Sunt etiam quaedam futura, quae non habent causas determinatas in natura, et praecipue quae fiunt ex libero arbitrio. Et harum praecognitionem nullus habet nisi

Deus, cui omnia sunt praesentia, propter stabilitatem suae aeternitatis; vel aliquis accipiens a Deo: et si quidem inspiratione divina talia praedicuntur, erit prophetia, non divinatio. Si autem per propriam inventionem, et deceptionem propter lucrum, sicut faciunt vetulae, dicitur divinatio, et est peccatum: tum propter mendacium, quia asserunt incerta pro veris, tum propter deceptionem, tum propter usurpationem divinitatis. Similiter dicitur divinatio si fiant consilio daemonum qualitercumque, qui quidem possunt aliqua futura praedicere, vel quorum ipsi sunt causae, vel quae ipsi sciunt per revelationem bonorum angelorum, vel quae sciunt naturali cognitione in his, quae habent causas determinatas in natura; latentes tamen nobis, et notas eis, tum propter perspicacitatem intelligentiae, tum propter experimentum longi temporis: et tamen semper est peccatum inquirere ab eis, et apostasia a fide, ut dicit Augustinus; et hoc propter tres rationes. Primo quia quamvis vera dicant, tamen semper intentio eorum est ad fallendum. Secundo quia certitudinalem cognitionem habere non possunt, nisi de his quae per revelationem sciunt. Tertio quia non possumus simul esse participes donorum Dei, et diaboli: et haec inter omnes praecipua est. Et quamvis beneficium simpliciter sit auferre talia; tamen poena est illis qui talia sequuntur, quia est contrarium voluntati eorum.

Deinde quaeritur de ludis chorealibus, utrum sine peccato exerceri possint, propter illud quod dicit, *Et plaudebant.* Arguit enim hoc, tamquam peccatum. Ad quod dicendum, quod ludus secundum se non est malus: aliter in ludis non esset virtus, quae dicitur eutrapelia; sed secundum quod ordinatur diverso fine, et vestitus diversis circumstantiis, potest esse actus virtutis et vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa, et contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et si tali fine fiat, de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis, et poterit esse meritorius, si gratia informetur. Iste autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut clericus, vel religiosus: ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia, vel in nuptiis et huiusmodi: ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu, et quod gestus non sint nimis lascivi, et si qua huiusmodi sunt. Si autem fiant ad provocandum lasciviam, et secundum alias circumstantias, constat quod actus vitiosus erit.

Deinde quaeritur de ornatu mulierum, utrum sit licitum mulieribus ornare se. Et videtur quod non, per hoc quod hic dicitur. Et *1. ad Timoth. 1. Non in tortis crinibus, aut auro, et argento, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres* etc. Et dicendum, quod ornatus mensurandus est ad modum, et mensuram personae, et intentionem. Si enim mulieres portent ornamenta decentia, secundum statum et dignitatem suam, et moderate se habeant in factis suis, secundum consuetudinem patriae, erit actus virtutis modestiae, quae modum ponit in incessu, statu, habitu, et omnibus motibus exterioribus; et poterit esse meritorius, si sit cum gratia. Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur. Si autem habeant ornamenta pretiosiora, quam deceat ipsas, erit arrogantis: vel quid deformatum vitio luxuriae, si faciant ad provocandum ad concupiscentiam sui.

## a CAP. IV.

Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum.

b In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terrae sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit omnis qui relictus fuerit in Syon, et residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est, in vita in Hierusalem. Si abluerit Dominus sordem filiarum Syon, et sanguinem Hierusalem laverit, de medio eius in spiritu iudicii, et spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locum montis Syon, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum, et splendorem ignis, flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio, et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et pluvia.

## a CAP. IV.

Postquam arguit calumniam opprimentium in ea 2. et 3. in hoc capitulo propheta ponit consolationem oppressorum: et dividitur in duas partes. In prima consolatur eos contra oppressionem mulierum. In secunda contra oppressionem tyrannorum, ibi, *In die illa* etc. Solent autem mulieres in tribus molestae esse viris, scilicet in contemptu virorum; et quantum ad hoc dicit, *Et apprehendent septem mulieres.* Quod ad literam exponit Glossa, quia potuit esse, quod post captivitatem, interfectis viris multis, mulieres remanserunt plures, ita quod septem quaererent unum virum: *Isa. 18. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.* Secundo consueverunt esse molestae in superfluo victu, et vestitu; et quantum ad hoc dicit, *Panem nostrum comedemus;* quasi dicat, non oportebit, quod det eis expensas: *Prov. ult. Facta est, quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Quaesivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Tertio sunt molestae in superbiae fastu; et quantum ad hoc dicit, *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, ut dicamur tuae uxores, *Aufer opprobrium nostrum*, sterilitatis: *Deut. 7. Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* Sed ex hoc videtur quod sit licitum habere plures uxores, quia domus nunquam consolabitur per illicitum. Praeterea. Omne peccatum est innaturale. Sed habere unum virum plures uxores est naturale, quia unus

potest foecundare plures. Ad quod dicendum, quod, sicut dicit Philosophus, iunctio maris et feminae in hominibus non est tantum propter generationem, sicut in brutis; sed etiam ad commodum vitae: unde maris et feminae sunt diversae operationes, in quibus auxiliantur sibi invicem. Secundum enim ergo quod aliquid diversimode ordinatur ad hos fines, secundum hoc diversimode dicitur naturale, vel innaturale. Id enim quod nullo modo potest stare cum fine dicto, est omnino innaturale, et numquam potest esse bonum, sicut vitium Sodomiticum. Et sicut hic, quod una mulier habeat plures viros: quia una non foecundatur a pluribus, et quantum ad vitam civilem, quia una non regitur a pluribus, sed e contra. Aliquid autem potest se habere ad dictum finem indifferenter, quantum in se est. Et hoc potest determinari diversis temporibus diversimode, secundum diversos casus per legislatorem, et erit iustum positivum, sicut de gradibus consanguinitatis. Aliquid autem est, per quod aliquis potest consequi finem, tamen est impeditivum finis, ut in pluribus. Et hoc de se est innaturale; sed potest esse licitum, secundum dispensationem legislatoris attendentis speciales casus, et huiusmodi est, quod unus habet plures: potest enim unus plures regere secundum vitam civilem, et unus plures foecundare. Sed tamen aliquod impedimentum praestat generationi, cum oporteat semen viri esse digestum, et hoc non potest fieri in frequenter coeuntibus. Propter quod frequenter tales steriles sunt. Et adhuc magis impedit communem vitam, quia perfecta amicitia, qualis est inter virum et mulierem uxorem, propter quam etiam homo patrem et matrem derelinquit *Gen. 2.* non potest esse ad multas.

b Hic promittit exaltationem contra tyrannorum oppressiones. Et primo quantum ad prosperitatem in temporalibus. Secundo quantum ad sanctitatem in spiritualibus, ibi, *Et erit omnis* etc. Tertio quantum ad securitatem ab hostibus, ibi, *Et creabit Dominus* etc. Promittit autem prosperitatem in tribus. Primo quantum ad honorem hominum, cum dicit, *In die illa*, idest post reditum de captivitate, *Erit germen Domini*, idest filii, Iuda, de quibus *infra 5. Viri Iuda germen delectabile eius. In magnificentia*, quantum ad magna quae facient, et praecipue tempore Machabaeorum, *Et gloria*, quantum ad honorem, quem recipient: *1. Machab. ult. Vidit gloriam Symonis, et claritatem in auro, et argento, et apparatum copiosum, et obstupuit.* Secundo quantum ad abundantiam fructuum, *Et fructus petrae sublimis*, idest terrae nascentia in abundantia: *Amos ult. Comprehendet arator messorem suum, et calcator uvae mittentem semen, et stillabunt montes dulcedinem: Ps. 84. Terra nostra dabit fructum suum.* Tertio quantum ad laetitiam cordium, *Et exultatio his qui salvati fuerint*, redeuntes de captivitate: *Infra 51. Gaudium, et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Et erit omnis* etc. Hic promittit sanctitatem in spiritualibus: et circa hoc tria facit. Primo promittit sanctitatis divulgatum nomen, quod magis alliciebat cupidos gloriae; unde dicit, *Et erit*, hoc quod sequitur temporibus illis, *Omnes qui relictus fuerit in Syon*, in vita, *Et residuus in Hierusalem*, cunctorum voce, *Sanctus vocabitur: infra 81. Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei dicetur vobis: infra 6. Semen sanctorum signum, Omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem*, idest omnis cuius vitae, et generationis processio a parentibus scripta est in annalibus, secundum quod *in Esdrae 1. cap. 2.* legitur de quibusdam, qui usurpant sibi officium, et non est numerata genealogia eorum. Tertio sanctificationis modum, *Si abluerit Dominus*, idest si tamen abluerit: *Sordes*, vitiorum, *Et sanguinem* prophetarum effusum de medio eius, non in angulo, in quo notatur publicitas peccati, *Spiritu iudicii*, quantum ad aequitatem poenae, *Et in spiritu ardoris*, idest tribulationis, quantum ad acerbitatem, *Spiritu*, idest vento metaphorice, quo purgatur arca: *Hier. 4. Ventus vestros in viis, quae sunt in deserto viae filii populi mei ad ventilandum, et ad purgandum*, supple. *Et creavit Dominus* etc. Hic ostendit severitatem ab hostibus, et servat metaphoram: quia enim tribulationem ardori comparaverat, securitatem comparat nubi et tabernaculo, quibus ab ardore defenditur. Et dividitur in duas partes. Primo ponit divinam protectionem sub similitudine nubis. In secunda sub similitudine tabernaculi, ibi, *Et tabernaculum erit* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit protectionis rationem, *Et creavit Dominus.* Iam in sua praescientia, vel propter certitudinem prophetiae utitur praeterito pro futuro; et dicit, *Creavit*, quia ex vilissimo statu eos in tantam gloriam promovit, sicut quod creatur, ex nihilo fit. *Super omnem locum montis Syon*, idest Hierusalem, quae subiacet arci Syon et templo, *Ubi invocatus est.* Ecce ratio protectionis: *Hier. 14. Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos.* Secundo ponitur ipsa protectio, ibi, *Nubem.* Et ponitur secundum comparationem ad beneficium exhibitum in exitu filiorum Israel de Ægypto, de quo dicitur *Exo. 13. Numquam defuit eis columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo* Et ideo ponit hic, *Nubem*, per diem quantum ad primum, *Et fumum*, quantum ad secundum, propter duplex ignis beneficium, scilicet caloris contra frigus; et quantum ad hoc dicit, *Fumum*, in quo notatur flamma, quae est fumus accensus; vel quia est effectus caloris, et splendoris contra tenebras; et quantum ad hoc dicit, *Et splendorem*: *infra 10. Et erit lumen Israel in igne, et sanctus eius in flamma.* Tertio ponit protectionis magnitudinem, *Super omnem gloriam*, quia protectio qua proteget vos Deus, erit super omnem gloriam prius vobis praestitam, quasi excedens eam: *Aggaei 2. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae. Et tabernaculum.* Hic describit idem beneficium per metaphoram tabernaculi. Unde ponit ea, ad quae tabernaculum est utile: protegit enim contra solis aestum per umbram; et quantum ad hoc dicit, *In umbraculum diei ab aestu*, idest in die. Secundo protegit contra tempestatis impetum praebens securitatem; et quantum ad hoc dicit, *Et in securitate a turbine:* turbo enim est ex colluctatione quadam ventorum. Tertio protegit contra pluviarum stillicidium per absconsiones; et quantum ad hoc dicit, *Et absconsionem a pluvia.*

Et secundum hoc tertio designatur persecutio, secundum diversum sui gradum : *Isa. 32. Erit vir, sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* Glossae autem tangunt duplex mysterium. Quidam exponunt septem mulieres pro septem ecclesiis. Et secundum hoc dividitur capitulum in tres partes. Primo ponitur desponsatio. Secundo sponsi exaltatio, idest, *In die illa.* Tertio sponsae gubernatio, ibi, *Et erit omnis* etc. Desponsatio autem per fidem: *Ose. 2. Sponsabo te mihi in fide.* Unde tria ponit. Primo fidei communicationem, *Apprehendent*, per fidem, *Septem mulieres*, septem ecclesiae, de quibus *Apoc. 1. Ioannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia, gratia vobis, et pax*: in quo omnes continentur, secundum regulam tetragonismi et cubi. *Virum unum*, idest Christum: *Can. ult. Apprehendam te, et ducam in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae.* Secundo propalationem spei, quae est de sacramento sumendo, *Panem nostrum comedemus*, corpus Christi nobis datum: *Io. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, et quae est de dono virtutis percipiendo, *Vestimentis nostris operiemur*, idest virtutibus: *Ezec. 16. Vestivi te discoloribus, et calceavi te hiacinto, et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento.* Tertio desiderium, sive petitionem charitatis, quae est de consecutione Christiani nominis, *Invocetur tantummodo nomen tuum super nos*, ut Christo dicamur Christiani : *Act. 4. Non est nomen aliud sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et de ablatione carminis, *Aufer opprobrium nostrum*, quod patimur a Iudaeis, qui dicunt nos sine lege : *Iosue 5. Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis.* Nota super illo verbo, *Panem nostrum quotidianum*, quod panis, idest corpus Christi dat culpae veniam: *Matth. 6. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra.* Dat gratiae vitam : *Io. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Confirmat ad pugnam: *Ps. 103. Panis cor hominis confirmet.* Confortat ad viam : *3. Reg. 19. Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.* Facit praegustare ipsam gloriam: *Sap. 6. Paratum de coelo panem praestitisti illis sine labore, omnem delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Secundum alias glossas dividitur sic. In prima notatur gratiae plenitudo. In secunda gratiae exaltatio, ibi, *In die illa* etc. In tertia ponitur subditorum benigna gubernatio, ibi, *Et erit* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur donorum abundantia, *Septem mulieres*, septem dona Spiritus sancti, quae dicuntur mulieres, quia per eas in Deo aliquis generatur, et nutritur. *Virum unum*, idest Christum singulariter, qui solus sine peccato: *Io. 1. Vidimus eum, quasi unigenitum a Patre, plenum gratiae, et veritatis.* Secundo donorum sufficientiam in perfecta fruitione. *Panem nostrum comedemus*, scilicet patriae, quo fruitur perfecte Spiritus sanctus, cuius sunt dona, sicut et Filius : *Io. 4. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* In scripturae attestatione, *Et vestimentis nostris operiemur*, idest sermone Dei, quo dona ornant, quia eius. Tertio donorum perfectio per Christum, quantum ad collationem salutis, *Nomen tuum*, idest res hominis, scilicet salus, *Invocetur super nos*, idest in illis, qui ex nobis repleti sunt : quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, Ioan. 1.* Ante Christum enim dona non perducebant ad regnum. Quarto ad amotionem erroris, *Aufer opprobrium nostrum*, quod patimur a falsis virtutibus, quae nostrum nomen subripiunt : *Rom. 13. Nox praecessit, dies autem appropinquavit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: Can. 2. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.* Vel opprobrium quod patimur in repulsione hominum, qui nos peccando repellunt. *In die illa.* Hic ponitur exaltatio. Et primo quantum ad miraculorum operationem, *In magnificentia : Exo. 15. Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia.* Secundo quantum ad gloriosam resurrectionem, *Et gloria: 14. Consurge, consurge, induere fortitudine tua Syon.* Tertio quantum ad ascensionem, *Et fructus terrae*, idest filius virginis, *Sublimis : Is. 32. Ecce servus meus intelliget, exaltabitur, et elevabit, et sublimis erit valde*, quantum ad totius mundi venerationem, de quo *Phil. 2. Ut in nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Et exaltatio his qui salvati* etc. *Isa. 9. Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda. Et erit omnis.* Hic ponitur gubernatio. Et primo quantum ad sanctificationem. Secundo quantum ad sanctificationis ordinem, ibi, *Si abluerit* etc. Tertio ponit sanctificatorum protectionem, ibi, *Et creavit* etc. Ad sanctitatem tria requiruntur. Distinctio cum fide; et quantum ad hoc dicit, *Qui relictus*, a non credentibus electus, quasi distinctus, *In Syon*, quae specula dicitur, quia fides videt per speculum, et in aenigmate : *1. Cor. 13.* Et *Isa. 10. In veritate reliquiae convertentur, reliquiae inquam Iacob ad Deum fortem. Si fuerit populus tuus Israel, reliquiae convertentur.* Secundo tranquillitas ad pacem, *Residuus*, quasi residens, *In Hierusalem*, quae visio pacis dicitur : *Isa. 52. Hierusalem civitas sancta.* Tertio praedestinatio ad gloriam, *Omnis qui scriptus : Luc. 6. Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in coelis: Apoc. 3. Non delebo nomen eius de libro vitae. Si abluerit* etc. Hic ponitur ordo sanctificationis. Et primo per baptismi ablutionem, *Sordes*, vitiorum actualium, *Et sanguinem*, peccati originalis, vel, *Sordes*, venialium, *Sanguinem*, mortalium : *Ezec. 16. Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum a te*, per poenitentiae discretionem, *Spiritu iudicii : 1. Cor. 11. Si nosmetipsos iudicaremus, non utique a Domino iudicaremur*, sed a caritativa passione, *Spiritu ardoris*, idest caritatis suae, qua nulla maior fuit : *Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Matt. 26. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et creavit.* Hic ponitur protectio. Et ponit utilitatem protectionis, quantum ad protectos: unde, *Super omnem* diversitatem quantum ad protegentia, *Nubem*, et auctoritatem quantum ad affligentia; unde, *Per diem.* Sed in protectis sunt tria, scilicet eminentia contemplationis in corde, *Montem Syon: Ps. 12. Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Hierusalem.* Laudes confessionis in ore, *Invocatus est: Rom. 10.*

*Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Honestas conversationis in opere, *Gloriam: 2. ad Cor. 1. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Proteget autem per quatuor. Per speciem obumbrantem, *Nubem: Luc. 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Per compunctionem humiliantem, *Fumum: Ioel. 2. Dabo prodigia in coelo, et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.* Per veritatem illuminantem, *Splendorem: Luc. 2. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.* Per ecclesiam viventem, *Tabernaculum: Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Adversantia sunt tria. Prosperitas elevans, *Diem.* Adversitas constantiam frangens, *Noctem: Ps. 120. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Persecutio affligens, *Æstu*, per afflictionem: *Apoc. 16. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem* Et sequitur, *Et datum est illi aestu affligere homines, et igni. Turbine*, per impetum: *infra 21. Si sicut turbines ab Africo veniunt de deserto, veniet de terra horribili. A pluvia*, propter multitudinem: *Matth. 7. Descendit pluvia, venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit.*

## a CAP. V.

Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineae suae. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex ea, et plantavit vineam electam. Et aedificavit turrim in medio eius: et torcular extruxit in ea. Et expectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Hierusalem, et viri Iuda, iudicate inter me, et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae. Auferam sepem eius, et erit in direptionem. Diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam. Non putabitur, et non fodietur, et ascendent super eam vepres, et spinae, et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea autem Domini exercituum domus Israel est, et viri Iuda germen eius delectabile. Et expectavi, ut faceret iudicium, et ecce iniquitas, et iustitiam, et ecce clamor. Vae qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terrae? In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multae desertae fuerint grandes, et pulchrae, et absque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres.

b Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis. Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus: quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum, absque ullo termino. Et descendent fortes eius, et populus eius, et sublimes gloriosique eius ad eum. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, et Deus sanctus sanctificabitur in iustitia. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa advenae comedent. Vae, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis, festinet, et cito veniat opus eius, ut videamus et appropiet: veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud.

c Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Vae, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui iustificatis impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammae exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum, ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum super eum, et percussit eum. Et conturbati sunt montes: et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum.

d In his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terrae, et ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, neque solvetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagittae eius acutae, et omnes arcus eius extenti. Ungulae equorum eius ut silex, et rota eius quasi impetus tempestatis. Rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum. Et frendet, et tenebit praedam, et amplexabitur, et non erit qui eruat, et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. Aspiciemus in terram, et ecce tenebrae tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine eius.

## a CAP. V.

Hic arguit ergo peccatum duarum tribuum, quod committebant in abusu rerum, sub quadam meta-

phora. Et dividitur in duas partes. In prima ponitur metaphora. In secunda exponitur, *Vinea enim* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit titulum dicens, *Cantabo*, idest alte et aperte pronuntiabo, *Isa. 40. Exalta in fortitudine vocem tuam, Dilecto meo*, idest populo Iudaeorum, *Canticum patruelis mei*, idest filii patrui, *Vineae suae*, idest quod fecit de vinea sua. Aliquando enim prophetae ex istis rebus gestis assumunt similitudines ad suas prophetias, sicut patet *Hier. 32.* de venditione agri: *Ecce Ananel filius Sellum patruelis tuus venit ad te dicens: Eme tu agrum meum, qui est in Anatoth, tibi enim competit* etc. Ita etiam potuit contingere, quod ad literam aliquis patruelis suus composuerit simile carmen de vinea sua. Vel aliter, *Cantabo*, canticum, *Dilecto*, scilicet Deo, idest opera ipsius ad vineam suam. Vel dilecto, scilicet Deo, *Canticum patruelis*, idest de patruele meo, scilicet pro populo Iudaeorum, quia ex eisdem parentibus descendimus, *Vineae suae*, idest quia patruelis est vinea dilecti Dei. Vel mystice patruelis, idest Christi, qui ex eadem gente est mecum vineae suae, idest qui conqueritur de vinea sua, idest Synagoga, quae sibi amaros fructus in passione attulit. Et nota, quia canticum proprie exultationis est; unde hic improprie canticum dicitur, cum sit moeroris. Tale canticum cantavit David de morte Saulis *2. Re. 1. Inclyti tui Israel super montes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes Israel? Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos: Ez. 52. Cane carmen lugubre.* Secundo, ibi, *Vinea facta est* etc. Ponit ipsum canticum, quod continet metaphoram. In quo tria ponuntur. Primo causae recitatio. Secundo iudicii interrogatio, ibi, *Nunc ergo habitatores* etc. Tertio sententiae prolatio, ibi, *Nunc ostendam* etc. Circa primum duo ponit. Primo ex parte conquerentis diligentiam cultus. Secundo ex parte vineae malitiam fructus, ibi, *Et expectavi ut faceret uvas* etc. Diligentiam autem cultus ostenditur ex tribus. In loci praeparatione. In palmitum electione, *Et plantavit*. Et in sumptuosa aedificatione, ibi, *Et aedificavit* etc. Praeparatio loci primo describitur tripliciter. Primo quantum ad loci pinguedinem; unde dicit, *Vinea*, de qua *Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, et plantasti eam. Facta est dilecto meo*, idest Deo acquisitive, vel a Deo. *In cornu*, idest in loco eminenti, in quo notatur montuositas terrae ad constitutionem bonae vineae, propter hoc, quod respicitur a sole, *Filio olei*, idest adeo pingui, quod sufficeret ad multitudinem olei. Proprietas hebraici sermonis est, ut quilibet illius rei dicatur esse filius in quo abundat, sicut dicitur *1. Reg. 27. Vivit Dominus, quod filii mortis estis.* Et in hoc designatur bonitas terrae, quae fuit Iudaeis data: de qua *Ezech. 20. Levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti, in terram quam providerat eis fluentem lacte, et melle, quae est egregia inter omnes terras.* Secundo ponitur praeparationis diligentia quantum ad loci mutationem; unde dicit, *Sepivit eam: Osee 2. Sepiam viam tuam spinis:* in quo significatur custodia angelorum, et bonorum virorum. Tertio quantum ad purgationem, *Lapides elegit*, idest diligenter collegit ex ea: *Psal. 79. Eiecisti gentes, et plantasti eam.* Quantum ad electionem palmitum dicitur, *Et plantavit eam electam*, idest ex electis palmitibus. Unde alia translatio habet, *Vinea Soreth*, quod est nobilissimum genus vitis, in quo significatur bonitas patrum: *Hiere. 2. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum.* Quantum ad sumptum aedificii, quod pertinet ad defensionem, dicit, *Aedificavit in medio eius turrim*, in quo denotatur regia dignitas: *Ezech. 16. Decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum: Can. 4. Turris David aedificata est cum propugnaculis.* Vel templum, secundum alios. Usus turris ad conservationem fructus, et prospiciendum ad custodiam. Quantum ad fructus collectionem dicit, *Torcular* etc. *Prover. Implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt*, in quo notatur altare holocaustorum per effusionem sanguinis. *Et expectavit ut faceret.* Hic ponitur malitia fructus; unde dicit, *Et expectavit*, secundum ordinem beneficiorum: *Ut faceret uvas*, fructum bonorum operum: *Et fecit labruscas*, idest uvas sylvestres, ab hoc dictae, quia in labiis viarum nascuntur, scilicet sepibus, in quo amaritudo vitiorum notatur: *Hier. 2. Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? Mich. 7. Qui optimus est in eis, quasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de sepe. Nunc ergo habitatores Hierusalem* etc. Hic ponitur interrogatio iudicii: et circa hoc duo facit. Primo interpellat iudices dicens: Ergo quia feci, quod debui, *Nunc*, audita ratione mea, *Iudicate inter me, et vineam meam: Osee 2. Iudicate matrem vestram, iudicate quoniam non ipsa uxor mea, et ego non vir eius.* Simile iudicium quaerebatur a David de se quasi de alio *2. Reg. 12.* super peccato commisso ab eo, circa scilicet adulterium et homicidium Uriae Ethaei. Secundo quaerit iudicium: et duo quaerit. Primo, utrum peccaverit ex negligentia; unde dicit, *Quid ultra*, super dicta, *Facere debui: Micheae 6. Populе meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Secundo, utrum peccaverit in cultura vineae ex superflua cura; unde dicit, *An forte videor fecisse contra debitum quod expectavi*, bene colendo, *Ut faceret uvas, et fecit labruscas;* quasi dicat, In hoc videor potius superfluus, quod vineae meae tantam culturam adhibui: *Infra 26. Domine indulsisti genti. Nunquid glorificatus es?* Et *4. Transgressorem ex ventre vocavi te, propter nomen meum: Hier. 11. Ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fructeta eius.* Nota super illo verbo, *Vinea facta est dilecto*, quod est vinea multiplex. Primo carnalis concupiscentiae: *Deut. 32. De vinea Sodomorum vinum eorum, et de suburbanis Gomorrhae.* Et huius est primo vinum irae: *Deuter. 32. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Secundo luxuriae: *Apoc. 18. De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes.* Tertio ineptae laetitiae: *2. Esdrae 9. Omnem mentem vertit in securitatem, et iucunditatem.* Secundo est vinea fidelis animae: *Can. 2. Vinea floruit.* Huius vineae est vinum, primo poenitentiae: *Luc. 10. Appropians alligavit vulnera eius, fundens vinum, et oleum.* Secundo corporalis munditiae: *Zac. 9. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum in vinum germinans virgines?* Tertio spiritualis laetitiae: *Ps. 103. Vinum laetificat cor hominis.* Tertio est vinea mili-

tantis ecclesiae : *Can. ult. Vinea fuit pacifico in ea , quae habet populos.* Et huius vineae est vinum primo sacrae ablutionis. *Numeri 15. Et vinum ad liba fundenda eiusdem mensae.* Secundo fructuosae praedicationis: *Psal. 4. A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* Tertio devotae confessionis: *Can. 7. Guttur tuum , sicut vinum optimum.* Quarto est vinea caelestis patriae: *3. Reg. 21. Vinea erat Naboth Israelitae.* Et huius vineae est vinum primo divinae fruitionis : *Cant. 8. Comedi favum cum melle meo , bibi vinum meum cum lacte meo.* Secundo interioris repletionis: *Hester 1. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum, erat abundans ;* et praecipuum ponebatur. Tertio sanctorum congratulationis: *Cant. ult. Dabo tibi poculum ex vino condito. Et nunc ostendam vobis* etc. Hic profertur sententia. Et primo excitat attentionem , vel audientiam dicens , *Nunc.* Ex quo vultis sententiam proferre, Ego, *Ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: Isa. 48. Praedixi tibi ex tunc antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: idola mea fecerunt hoc , et sculptilia mea , et conflatilia mandaverunt ista , quae audisti vide omnia.* Secundo profert iustam sententiam, ut ingratis auferat beneficium exhibitum cum dicit, *Auferam sepem eius.* Et primo aufert beneficium quod pertinet ad custodiam , quae est duplex, angelorum : et quantum ad hoc dicit, *Auferam sepem eius*, idest auxilia angelorum, quibus contra hostes protegebantur. *Et erit in direptionem*, gentibus: *Eccle. 36. Ubi non est sepes , ibi diripietur possessio.* Est et custodia praelatorum; et quantum ad hoc dicit, *Diruam maceriam eius*, idest praesidia regni, de quibus *supra 2. Et incurvabitur omnis sublimitas hominum. Et erit in conculcationem*, idest vilis facta: *Psalm. 79. Destruxisti maceriam eius.* Secundo aufert beneficium , quod pertinet ad cultus diligentiam; unde dicit, *Et ponam eam desertam*, idest relinquam eam incultam sicut desertum. *Non putabitur* , admonitionis , aut correptionis vomere, quando peccat, *Et non fodietur*, ut auferantur ab eis occasiones mali, sicut malae herbae : *Et ascendent super eam vepres, et spinae*, idest maiora, et minora peccata. Vel vepres peccatorum, spinae tribulationum : *Isa. 7. Vepres enim et spinae erunt in universa terra.* Tertio aufert beneficium fertilitatis, contra quod ponit defectum pluviae; unde dicit, *Et nubibus mandabo ne pluant.* Ad literam, vel nubes praedicatores: *Isa. 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas: Hier. 3. Quamobrem prohibitae sunt stillae pluviarum , et serotinus imber non fuit. Vinea enim Domini exercituum* etc. Hic exponit metaphoram. Et primo quantum ad vineam. Secundo quantum ad vineae causam, ibi, *Expectavi ut faceret iudicium.* Circa primum exponit vineam dicens , *Vinea enim mea Dominus Israel est* : vel tota, vel quantum ad decem tribus, quae dictae sunt Israel post separationem regni propter multitudinem. Secundo quantum ad germen vel palmites , *Viri Iuda*, idest duae tribus in quibus adhuc observabatur cultus Dei: *Osee 4. Si fornicaris tu Israel , non delinquas saltem Iuda.* Vel quia ex ipsa principes: *1. Paral. 5. Porro Iudas qui erat fortissimus inter suos fratres, de stirpe eius principes germinati sunt. Expectavi ut faceret iudicium.* Hic exponit vineae causam, quae consistit in culpa, et poena quae consequitur culpam. Unde dividitur in partes tres. In prima ponitur culpa in generali. In secunda poena , et culpa simul in speciali, ibi, *Vae qui coniungitis domum* etc. In tertia poena in generali, ibi, *In his omnibus* etc. Culpam in generali arguit, quantum ad praelatos, quorum est facere iudicium, in hoc quod dicit, *Expectavi*, secundum ordinem beneficiorum: *Ut faceret iudicium*, iuste iudicando: *Et ecce iniquitas*, quasi inaequalitas iudicii: *Eccl. 3. Vidi sub sole in loco iudicum impietatem , et in loco iudicum iniquitatem.* Secundo quantum ad subditos quorum est tenere iustitiam sibi praefixam a praelatis, *Et iustitiam*, quae est per comparationem ad praecepta legis, *Ecce clamor*, tumultus rixantium, vel conquaestionis pauperum: *Infra 22. Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti, et tu omnis in tecta clamoris plena , urbs frequens, civitas exultans ? Vae qui coniungitis domum domui.* Hic ponit culpam eorum in abusu rerum in speciali, sequendo eas per partes. Et dividitur in duas partes. In prima arguit eos quantum ad ipsam culpam. In secunda quantum ad peccandi pertinaciam, ibi, *Vae qui trahitis* etc. Circa primum duo facit. Primo arguit eos quantum ad abusum possessionum , qui fit per avaritiam. In secunda quantum ad abusum ciborum, qui fit per gulam, ibi, *Vae qui consurgitis* etc. Circa primum tria ponuntur. Primo arguitur superflua possessionum multiplicatio ; unde dicit, *Vae qui coniungitis domum domui , et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci.* Sicut usque ad viam publicam: *Osee 4. Facti sunt principes Iuda, quasi assumentes terminum super eos: Hier. 22. Vae qui aedificat domum suam in iniustitia, et coenacula sua non in iudicio. Amicum suum opprimet frustra, et mercedem eius non reddet ei. Qui dicit aedificabo mihi domum latam , et caenacula spatiosa : Mich. 2. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt, et calumniabantur virum, et domum eius, virum et haereditatem eius.* Secundo ponitur iudicis interpretatio, *Nunquid habitabitis vos soli in medio terrae*, quae lata est, et spatiosa , et data multis in possessionem: *Gen. 5. Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Tertio ponitur poenae comminatio: et circa hoc duo ponuntur. Primo punientis auctoritas, vel potestas; unde dicit, *In auribus nostris sunt haec*, verba, *dicit Dominus exercituum.* Qui potest punire, quae dicam vobis adhuc sunt sonantia, *In auribus meis*, interioribus, in quo notatur verborum certitudo: *Isa. 50. Mane erigit mihi aurem, et audiam, quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem. Ego autem non contradico.* Secundo ponitur poenae severitas, ibi, *Nisi domus fuerint desertae*, quantum ad custodiam , *Et absque habitatore* , quantum ad solitudinem domorum; quasi dicat , non quiescet ira mea. Et est aposiopesis , quod est defectus orationis. Et ponit ea , in quibus consistunt divitiae domorum, scilicet in multitudine: et quantum ad hoc dicit, *Multae;* in pulchritudine ; et quantum ad hoc dicit, *Pulchrae;* in magnitudine, *Grandes: Soph. 2. Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum.* Secundo quantum ad sterilitatem vinearum dicit, *Decem iugera vinearum*, Iuger habet in longitudine centum viginta pedes. *Facient lagunculam u-*

nam. Alia litera habet batum, quod est eiusdem capacitatis in liquidis, sicut ephi in aridis. Tertio quantum ad amissionem seminum, *Et triginta modii sementis facient modios tres*, quia minus colligetis, quam seminastis: *Aggaei 2. Cum accederitis ad acervum modiorum viginta, et fierent decem.* Alii habent chorum, vel ephi, quod est decima pars chori: *Ez. 43. Ephi et batus erunt aequalia, et unius mensurae erunt, ut rapiat decimam partem chori batus, et decimam partem chori ephi.* Hic arguit eorum culpam quantum ab abusum ciborum. Et primo arguit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Propterea captivus* etc. Circa primum duo facit. Primo arguit gulam quantum ad suas species. Secundo quantum ad effectum, ibi, *Et opus Domini non respicitis* etc. Species autem gulae sunt, quae in hoc versu continentur, praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose. Dicit ergo primo, *Vae qui consurgitis mane*, quantum ad praepropere : *Eccl. 10. Vae tibi terra, cuius rex est puer, cuius principes mane comedunt: Prov. 23. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam.* Quantum ad ardenter dicit, *Ad ebrietatem sectandam.* Quantum ad nimis dicit, *Et potandum usque ad vesperam. Prov. 23. Cui vae, cuius patri vae, cui rixae, cui foveae, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis. Ut vino aestuetis*, ad luxuriam et ad omnia vitia. Quantum ad studiose dicit, *Cythara et vinum*, studiose quaesitum: quia cum magno studio praeparant sibi delectationes in cibis. Quantum ad laute dicit, *In conviviis*, in quibus fiunt magni apparatus, et electa cibaria : *Amos 5. Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti : qui canitis ad vocem psalterii, sicut David, putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti.* Effectus autem est in consideratione; et quantum ad hoc dicit, *Et opus Domini non respicitis*, quod facere debetis, *Nec opera*, quae ipse fecit: *Prov. 40. Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas. Propterea captivus* etc. Hic ponit poenam respondentem. Et primo quantum ad effectum voluntatis ; unde dicit, *Propterea*, sicut scientia eorum est captiva per ebrietatem, ita ipse captivabitur : *Osee 4. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.* Sed videtur, quod ignorantia non mereatur poenam, quia excusat culpam. Et dicendum, quod ignorantia potest dicere tantum negationem scientiae; et sic nec poenam, nec veniam meretur, sicut ignorantia geometriae in rusticis. Potest etiam dicere privationem scientiae, ita quod derelinquat debitam aptitudinem in subiecto. Et sic constat, quod nescire illa quae quis potest, et tenetur scire, vitiosum est. Secundo ponit poenam contra species gulae. Et sic ponit famem, et sitim, quae respondent ei, quod est proprie quantum ad causam, quia fames causatur ex hoc, quod aliquis tardat nimis sumere cibum, ac si diceret: Vos nimis cito comedebatis; sed tantum tardabitis, quod esuriretis. Iterum respondet illi speciei, quae est ardenter quantum ad genus suum: est enim fames desiderium cibi; unde dicit, *Nobiles eius*, quia abundant in cibariis, *Interierunt in fame, et multitudo eius siti exaruit.* Et ponit sitim contra multitudinem vulgi, quae ad minus aqua sitim extinguere consuevit. Contra nobiles autem, qui abundant in cibariis, quandoque siti gravatis, ponit famem: *Thren. 4. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fama.* Secundo contra aliam speciem, quae est nimis, ponit insatiabilitatem captivantium, inde captivitatem, *Propterea infernus dilatavit*, idest mors, vel diabolus, *Animam suam*, quantum ad effectum, *Aperuit os*, quantum ad affectum. Et loquitur more humano, quia infernus non habet animam: *Prov. 47. Infernus et perditio numquam replentur.* Vel infernus dicitur Nabuchodonosor: *Abac. 2. Qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur.* Tertio quantum ad studiosam ciborum praeparationem, quae contingit ex quadam elatione, ponit poenam humiliationis, ibi, *Et descendent.* Et ostendit eos humiliandos quantum ad tria. Primo quantum ad captivationem; unde dicit, *Descendent*, quasi humiliati, *Ad eum*, scilicet infernum captivitatis, *Fortes eius*, quantum ad potentes, *Et sublimes eius*, quantum ad divites, et aliis bonis eminentes, de quibus superbiunt, *Gloriosique*, quantum ad nobiles, et famosos : *Hier. 36. Et omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis. Oculos quoque Sedechiae eruit, et vinxit eum in compedibus, ut duceretur in Babylonem.* Et *infra eod. Et reliquias populi, quae remanserunt in civitate, et profugas qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.* Secundo quantum ad captivorum depressionem, *Et incurvabitur homo*, in captivitate existens quantum ad sublimes, *Et humiliabitur vir*, quantum ad potentes, *Et oculi sublimium*, quantum ad gloriosos : *Deut. 28. In gentibus quoque illis non quiesces, non erit requies vestigio pedis tui.* Tertio quantum ad punientis Dei exaltationem, *Et exaltabitur.* Altus apparebit, qui prius despiciebatur iniusto iudicio, *Et Deus sanctus*, in se, *Sanctificabitur*, idest sanctus apparebit: *Supra 2. Exaltabitur autem solus Dominus in illa die.* Quarto contra speciem, quae est laute, ponit devorationem bonorum ab hostibus, *Et agni pascentur*, idest comedentur ab hostibus vestris, *Iuxta ordinem suum*, quia meliores prius, quantum ad animalia; et quantum ad terrae nascentia, *Deserta*, idest agros vestros a nobis desertos, *In ubertate*, idest facti magis fertiles, *Advenae: Deut. 28. Adducet te Dominus, et regem tuum quem constitues super te in gentem quam ignoras tu, et patres tui : infra eod. Advena qui versatur tecum in terra, ascendet super te, eritque sublimior.* Mystice agni, idest sancti, doctrina Dei Patris reficientur iuxta ordinem, idest capacitatem suam, *Advenae*, gentes, et deserta a Iudaeis, sacras scilicet Scripturas, versa in ubertatem spiritualis intelligentiae. *Vae qui trahitis* etc. Hic arguit peccandi pertinaciam. Et primo arguit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Propter hoc sicut* etc. Circa hoc duo facit. Primo arguit in generali. Secundo explicat in speciali, ibi, *Qui dicitis* etc. Dicit ergo primo, *Vae qui trahitis*, idest protrahitis iniquitatem, *In funiculis*, idest vanis occasionibus, quibus ad peccata homo trahitur, dum per augumentum culpa protelatur: *Prov. 5. Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Et hoc dicitur quantum ad communia peccata. Quantum autem ad gravia subdit, *Et quasi vinculum plaustri pec-*

*catum*, idest quo ligatur et trahitur plaustro: *Infra 58. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Qui dicitis.* Hic ostendit istas vanitates in speciali, ex quibus peccatum trahebant super se, et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad contemptum iudicis. Secundo quantum ad excusationem peccati, ibi, *Vae qui dicitis* etc. Tertio quantum ad praesumptionem peccandi, ibi, *Vae qui sapientes* etc. *Et hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, Eccl. 4. Contemnebant autem iudicis comminationem* propter duo, scilicet propter sententiae dilationem; unde dicit, *Festinet et cito veniet opus*, captivitatis quod comminamini: *Eccle. 8. Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Secundo propter iudicis elongationem; unde dicit, *Appropiet*, quasi diceret: Ipse est in caelo, et non potest videre, sed fiat prope: *Ezechiel. 9. Dixerunt enim, reliquit Dominus terram, et Dominus non videt.* Nota super illo verbo, *Et quasi vinculum plaustri peccatum*, quod peccatum dicitur primo funiculus: et hoc quia trahit primo ad peccatum exemplum: *Prov. 7. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et ignorat quod ad vincula stultus trahatur.* Secundo ad peccandi usum: *Hierem. 2. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit*, ventum scilicet amoris. Tertio ad aeternae mortis interitum: *Proverb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare necesse.* Secundo peccatum dicitur vanitas: et hoc quia deficit primo ab imitatione divinae veritatis: *Sap. 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Secundo a consecutione sperati finis: *Ecclesiast. 2. Peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo.* Sed haec vanitas, et cassa solicitudo mentis. Tertio a longa duratione temporis: *Ecclesiast. 17. Non est moralis filius hominis, et in vanitatem malitiae placuerunt: Sap. 5. Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius praecurrens.* Tertio peccatum dicitur vinculum, et hoc quia nectitur primo intellectum ne videat: *Sapien. 17. Cum enim persuasum habent inigui, posse dominari nationi sanctae, vinculis tenebrarum, et longae noctis compediti inclusi, subiectis fugitivi, perpetuae providentiae placuerunt.* Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersa sunt. Secundo manum ne bona faciant. Tertio pedes ne proficiant. De his duobus *Matth. 22. Ligatis pedibus eius, et manibus, mitte eum in tenebras exteriores.* Quarto peccatum dicitur plaustrum: et hoc quia opprimit primo servitutis onere: *Hier. 16. Et servietis ibi dominis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Secundo cordis timore: *Sap. 17. Cum sit enim timida nequitia, data est in omnium condemnationem.* Tertio conscientiae inquietudine: *Isa. 57. Impium autem cor, quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

c Hic ponitur vanitas, quantum ad excusationem peccati. Et primo quantum ad effectum, *Malum bonum: Michaeae 7. Malum manuum suarum dicunt bonum.* Secundo quantum ad intellectum, *Lucem tenebras*, veritatem errorem: *Io. 3. Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Tertio quantum ad effectum, *Amarum in dulce*, vitam peccati dulcem existimantes: *Sap. 14. Et non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam, sed in magno viventes scientiae bello tot et tam magna mala pacem appellant. Vae qui sapientes estis.* Hic ponitur tertia vanitas, quantum ad praesumptionem peccandi quae est de tribus. Primo de sapientia cordis, et in speculativis, *Qui sapientes: Prov. 5. Ne sis sapiens apud temetipsum;* et practicis, *Prudentes: Ro. 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Secundo quantum ad poenam cordis, quantum ad peccandum, *Qui potentes estis ad bibendum.* Iactant se, quod possunt multum bibere, et inebriari propter consuetudinem terrae in qua bibitur vinum mixtum: *Infra 41. Ad me insulae et gentes fortitudinem mutent: Pro. 2. Laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Tertio quantum ad auctoritatem, *Qui iustificatis*, idest dicitis vos tantae auctoritatis quod pro libito vestro potestis iustificare impium, ut quod vobis placeat, legis habeat vigorem: *Isa. 10. Vae qui condunt leges iniquas, et scribentes iniustitias scripserunt: Prov. 17. Et qui iustificat impium, et qui condemnat iustum: Mich. 5. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum praelium. Propter hoc sicut devorat* etc. Hic comminatur poenam. Et primo ponit poenam consumptionis sub metaphora ignis, propter hoc quia iniquitatem trahitis ponentes vobis radicem in peccatis, *Sicut flammae ignis*, exurit stipulam quam attingit, *Et calor flammae*, exurit illam quae distat: persecutio enim captos occidit, et alios afflixit: *Deut. 32. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor; sic radix eorum, quasi favilla*, quantum ad ea quibus confidebant, vel patres, vel cognati, *Et germen eorum*, idest filii, *Ut pulvis ascendet*, in quo notatur fortitudo ex causis illis proveniens: *Mal. ult. Et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos.* Secundo ponit poenae processum, et ordinem. Et primo ponit poenae causam; unde dicit, *Abiecerunt enim legem*, corde contemnentes: *Et eloquium sancti Israel blasphemaverunt*, me irridentes: *Hier. 32. Non obedierunt voci tuae, et in lege tua non ambulaverunt.* Secundo punientis iram. Ideo, *Iratus est*, ad modum processus irae in hominibus loquitur: *Psal. 77. Iratus est Dominus furore.* Tertio poenae inflictionem, *Et extendit manum suam*, potentiae ad percutiendum, quam plicatam parcendo tenuerat: *Sopho. 3. Et extendit manum suam super aquilonem, et perdet Assur, et ponet speciosam in solitudinem.* Quarto poenae effectum in internecione maiorum, *Conturbati sunt montes*, idest maiores prae timore, Glossa dicit, quod loquitur hyperbolice. Sed contra: ergo excessit veritatem propheta. Et dicendum, quod in aliquibus Scripturis sumitur per excessum veritatis simpliciter, in sacra Scriptura pro excessu veritatis, secundum opinionem hominum; quasi dicat, Conturbatio erit ultra quam credi possit. Vel aliter hyperbole est quidam tropus; et in tropicis locutionibus aliud dicitur, et aliud intelligitur. Unde non est falsitas quantum ad sensum quem intendit facere, sicut etiam in metaphora; quasi dicat, Ita magna erit conturbatio, quod montes si esset possibile conturbabuntur: *Psal. 45. Conturbati sunt montes in fortitudine eius*, quantum ad vilitatem corporum, *Facta*

*sunt morticina: Hier. 8. Non colligentur, nec sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt: Hier. 16. Mortibus aegrotationum morientur, et non plangentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt.*

d Hic ponit poenam communem, et ultimam, quantum ad captivitatem per Romanos: et circa hoc tria ponuntur. Primo exercitus praeparatio. Secundo exercitus dispositio, ibi, *Et ecce festinus* etc. Tertio poenae inflictio, ibi, *Et tenebit praeda* etc. Circa primum tria ponuntur. Primo congregantis indignatio, *In omnibus his;* quasi dicat, Sicut vos peccatis peccata additis, ita ipse poenis poenas adiunget: *Infra 9. Vir fratri suo non parcet, et declinabit ad dexteram, et esuriet, et comedet ad sinistram, et non saturabitur.* Secundo vexilli erectio, *Et levavit signum*, idest vexillum: *Hier. 4. Levate signum in Syon, confortamini, et nolite stare: quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam.* Tertio exercitus convocatio, *Et sibilabit*, idest inspirabit: *Infra 7. Et erit in die illa, sibilabit Dominus muscae quae est in extremo fluminum Aegypti, et api quae est in terra Assur, et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium.* Et ad hoc quod magis terreat, ponit gentis extraneitatem, et quantum ad cultum, *In nationibus,* ut sancta vestra non revereantur; et quantum ad linguam, *Procul*, ne verbis placentur; et quantum ad mores, *De finibus terrae*, ne ab eis faedentur. *Ecce festinus* etc. Hic ponitur exercitus dispositio. Et primo ostendit eos expeditos ad veniendum. Secundo armatos ad pugnandum, ibi, *Sagitta eius.* Tertio crudeles ad puniendum, ibi, *Rugitus eius* etc. Circa primum duo ponuntur. Primo ipsorum velocitas: *Ecce*, pro certo, *Festinus: Thre. 4. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli: Abach. 1. Equites namque eius de longe venient: volabunt quasi aquila festinans ad comedendum: Hier. 4. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius; velociores aquilis equi illius.* Secundo velocitatis causa, secundum remotionem triplicis impedimenti, quod posset contingere. Ex naturae infirmitate. Contra quod dicit, *Et non est deficiens*, quia oporteat remanere, *Nec laborans in eo*, quia oporteat tarde venire, *Ps. 40. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae: current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient.* Secundo illud quod posset esse ex voluntate dicit, *Non dormitabit*, per pigritiam scilicet ut pigre vadat, *Neque dormiet*, ut non resipiscat: *Prov. 19. Pinguedo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet.* Tertio removet impedimentum ex rerum necessitate, *Nec solvetur cingulum.* Et ponit ea quibus viatores solent impediri ab itinere: quae omnia plus solito durabunt: *Deut. 29. Adduxi vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. Sagittae eius acutae.* Hic ostendit eos armatos esse ad pugnandum. Et primo quantum ad bonitatem armorum; et ponit ea, quae in illis terris sunt maxime consueta, *Sagittae acutae*, in quo notatur bonitas sagittarum, *Arcus extenti*, in quo praeparatio armorum, ne in praeparando impediantur: *Psal. 123. Sagittae potentis acutae.* Secundo ponit vectigalia: *Ungulae equorum eius ut silex*, qui non frangitur de facili, et rotae eius quasi impetus tempestatis propter multitudinem, et velocitatem magnum sonum facientes: *Hierem. 4. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius. Rugitus eius.* Hic ostendit eos crudeles ad puniendum. Et primo quantum ad animositatem, *Rugitus: Osee 11. Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, et formidabunt filii matris.* Secundo quantum ad rapacitatem, *Rugiet ut catuli leonum: Ps. 103. Catuli leonum rugientes ut rapiant.* Tertio quantum ad crudelitatem, *Et frendet*, quod est apri: *Ps. 34. Frenduerunt super me dentibus suis: Ps. 79. Exterminavit eos aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Et tenebit.* Hic ponitur poenae inflictio, et demum punitorum desperatio, ibi, *Aspiciemus* etc. Circa primum ponit tria. Primo comminatur captionem, *Tenebit praedam;* quasi dicat, sicut praedicta capiet vos: *Nau. 2. Leo caepit sufficienter catulis suis, et negavit leaenis suis, et implevit praeda speluncas suas, et cubile suum rapina.* Secundo solicitam detentionem, *Et amplexabitur*, ne exeatis per eorum incuriam, *Et non erit qui eruat*, per eorum impotentiam: *Thren. 1. Dedit me Deus in manu, de qua non potero surgere.* Tertio rigidam damnationem, *Et sonabit*, comminationibus et terroribus: *Hier. 6. Ecce populus veniet de terra aquilonis, et gens consurget a finibus terrae, sagittam et scutum arripiet, crudelis est, et non miserebitur. Vox eius quasi mare sonabit. Aspiciemus in terram.* Hic ponit eorum desperationem. Et primo quantum ad auxilium de terra, *Aspiciemus in terram.* Undique, *Ecce tenebrae*, quia omnes eos persequebantur. Secundo quantum ad auxilium de caelo, *Et lux*, divinae spei, *Obtenebrata est in caligine eius: Hier. 4. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil, et caelos, et non erat lux in eis:* et connumerat se propheta in eis per compassionem.

## a CAP. VI.

In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus a maiestate eius, et ea quae sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alae uni, et sex alae alteri. Duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis; et domus repleta est fumo. Et dixi: Vae mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphin, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.

Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mit-

tam, et quis ibit nobis ? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade , et dices populo huic. Audite audientes , et nolite intelligere , et videte visionem , et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius , et aures eius aggrava, et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat , et corde suo intelligat , et convertatur , et sanem eum. Et dixi : Usquequo Domine ? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore , et domus sine homine. Et terra relinquetur deserta , et longe faciet Dominus homines. Et multiplicabitur , quae derelicta fuerat in medio terrae, et adhuc in ea decimatio. Et convertetur, et erit in ostensionem , sicut terebinthus , et sicut quercus , quae expandit ramos suos. Semen sanctum erit id , quod steterit in ea.

## a CAP. VI.

Postquam arguit in duabus tribubus culpam, adiungens poenam corrigentem ; hic comminatur poenam condemnantem finaliter , scilicet poenam obdurationis; et ideo ista poena praedicitur per modum scientiae, et cum solemnitate iudicii. Dividitur ergo hoc capitulum in tres partes. In prima describitur sententiae actor, scilicet iudex. In secunda sententiae denuntiator minister iudicis, ibi , *Et dixi: Vae mihi* etc. In tertia ponitur ipsa sententia , ibi , *Audite audientes* etc. Circa primum duo ponuntur. Primo iussionis tempus. Secundo ipsa iussio, ibi , *Vidi Dominum sedentem.* Quantum ad primum dicit , *In anno quo mortuus est Ozias* , qui *4. Reg. 15.* dicitur Azarias, percussus lepra a Domino propter hoc, quod voluit usurpare sacerdotale officium, ut dicitur *2. Paralip. 26.* Sed postquam fuit percussus, filius eius Ioathan gubernavit domum Regis, et regnum usque ad mortem eius ; nec tamen dicitur regnasse tunc, sed magis vices patris gessisse ; sed tunc primo regnavit , quando mortuus est pater eius. Unde ista visio ostensa est regnante Ioathan, et praecedentia regnante Ozia. *Vidi Dominum sedentem.* Hic ponitur visio. Et primo describit iudicis solium. Secundo assistentem ministrum , ibi , *Seraphim* etc. Haec autem visio dicitur a quibusdam fuisse imaginaria , a quibusdam intellectualis. Et assumitur ab ipso propheta figura ex consimili , sicut dicit Dionysius in epistola ad Titum : quia prophetae his quae plane vident, sine figuris circumponunt figuras ad manuductionem audientium , qui per figuras sensibiles faciliter accipere possunt. Qualitercumque autem sit, oportet hic duo videre. Primo imaginationem figurae , vel a propheta visae , vel ab ipso compositae. Secundo ipsius figurae significationem : ad aliquid enim significandum spiritualiter inducuntur sensibiles figurae spiritualium in sacra Scriptura , sicut dicit Dionysius, et ille erit literalis sensus : sicut in locutionibus metaphoricis , non illud quod significatur per verba, sed quod loquens per verba vult significare. Circa primum ergo sciendum , quod templum aedificatum a Salomone habuit in altitudine centum viginti cubitos, sicut dicitur *2. Paralip. 3.* Et erat distincta altitudo per tres domos ; quarum suprema habebat sexaginta cubitos , et utraque inferiorum triginta. Et de istis dicitur *3. Reg. 6. Per cocleam ascendebant in medium coenaculum, et a medio in tertium.* Vidit ergo solium Domini in supremo coenaculo , propter quod dicitur , *Domus plena maiestate* , idest gloria eius, *Et ea quae sub ipso erant* , idest ornamenta throni eius , vel etiam splendor vestimentorum, sive subditorum agmina implebant infimum coenaculum , in quod intrabant sacerdotes , propter quod dicit, *Templum.* Alii dicunt aliter , quod vidit solium altum in medio coenaculo, quod dicitur domus, quae plena erat mediis membris, et brachiis Domini, inferius, quod dicitur templum, pedibus et tibiis, sed caput et collum praeminebant in tertium tabulatum: *3. Reg. ult. Vidi Dominum super solium suum sedentem, et omnem exercitum coeli assistentem et a dexteris et a sinistris: Prov. 20. Rex qui sedet in solio iudicii , dissipat omne malum in circuitu suo.* Circa secundum sciendum est , quod huius visionis significatum tripliciter a diversis assignatur. Quidam enim dicunt per sessionem in solio significari oppressionem captivitatis futuram , per repletionem domus a maiestate significari quod hostes qui sub ipsius dispositione erant, essent impleturi templum. Et hoc tangunt historiae. Hieronymus autem exponit et melius , per sedem significari Filii Dei maiestatem , propter quod dicitur *Ioan. 11. Haec dixit Isaias , quod vidit gloriam eius, et locutus est de eo.* Per solium significari angelos in quibus sedet Deus : *Psalm. 79. Qui sedes super Cherubim.* Per domum ecclesiam triumphantem , quae plena est gloria eius. Per templum ecclesiam militantem , quae plena est miraculis , vel angelorum agminibus , quasi custodibus. Dionysius aliter exponit *in 13. cap. coelest. hier.* et melius, ut videtur. Per solium significatur eminentia divinae naturae. Et dicitur , *Excelsum* , propter nobilitatem , *Elevatum* , quasi supra alia levatum , inquantum omnia in infinitum excedit : in quo dicitur sedere , propter immobilitatem. Unde dicit *9. cap. de divi. nomin. Quidnam dicendum de divina statione praeter hoc , quod manet in seipso immobili identitate singulariter fixus ?* Et dicitur domus tota creatura, quae plena est maiestate , inquantum impletur participatione bonitatis ipsius , secundum suam capacitatem. Et per templum videtur intelligere ipsas superiores creaturas: quae replentur his quae sub ipso sunt, inquantum bonitates receptae in ipsis deficiunt a bonitate Dei, quae tamen videtur propinquare. Sed contra hoc obiicitur *Exod. 23. Non enim videbit me homo, et vivet*, idest in hac mortali carne vivens. Et *Io. 1. Deum nemo vidit umquam.* Ergo nec Isaias. Ad quod dicendum, quod nec interior, nec exterior visus potest videre nisi moveatur a visibili ; et secundum quod perfectius immutatur a visibili, melius videt. Et tunc perfectissime videt, quando recipit actionem visibilis secundum totam suam virtutem. Et inde est, quod idem videtur diversimode a diversis, et interius et exterius, a quibusdam melius, et a quibusdam peius. Hoc igitur visibile quod est Deus, nihil perfecte apprehendit, nisi quod totum ipsum capit ; et ideo solus sic se videt. Unde coeleste secretum , dicit Chrysostomus, a quibusdam non

videtur in essentia sua sine medio ad hoc secundum perfectionem quam habet a suscepto divino lumine, attingentibus sicut a beatis in patria, et ab his qui elevantur per raptum ad illum modum visionis. Ab his autem minus perfectum visum habentibus videtur secundum similitudines quasdam bonitatis ipsius, sive in rebus sensibilibus, sive in imaginibus, sive in speciebus intelligibilibus. Et huiusmodi est visio, qua viderunt prophetae per lumen prophetiae, et qua videmus per fidem, et qua videtur lumine rationis, et a philosophis, qui cognoverunt etiam Deum, sicut dicitur *Roman. 1.* Sed tunc restat quaestio, utrum talem visionem immediate a Deo perceperint prophetae, vel mediantibus angelis. Et videtur quod immediate ex ipso modo loquendi: quia dicit, *Vidi Dominum*, et non vidi angelum. Item de Moyse *Exo. 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Item viderunt in speculo aeternitatis, ut communiter dicitur. Ergo viderunt quidam Deum. Ad quod dicendum, secundum Dionysium *4. cap. de coelest. hier. Quia nullus purus homo nec in patribus novi, nec veteris testamenti, accepit aliquam revelationem a Deo nisi mediantibus angelis.* Et hanc dicit esse legem inviolabilem, ut in prima per me ducantur infima. Et hoc probat per locum a maiori, quia etiam Moyses legem accepit mediantibus angelis, qui tamen excellentissime vidit: quod probatur per illud quod habetur *Gal. 3. Quid igitur lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat Deus, ordinata per angelos in manu mediatoris: Act. 7. Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis.* Ad primum ergo dicendum, quod intentio potest esse et ex parte finis visionis, et ex parte principii: ex parte finis, quia angelus revelans intendit ducere hominem in cognitionem Dei, et non in cognitionem sui, et ideo format visionem de Deo, ut ex his, quae figuraliter videntur, aliquid de Deo cognoscatur; ex parte autem principii, quia tota virtus angelici luminis ad manifestandum aliquid est ex Deo auctore, qui est fons luminis, sicut in nobis tota virtus luminis, vel manifestationis ex primis principiis. Unde Gregorius in glossa *super tert. cap. Exod.* ait: *Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Dominus, modo angelus nunciatur. Angelus, quia exterius loquendo servivit; Dominus, quia praesidens loquendi efficaciam attribuit. Cum enim loquens ab interiori regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus memoratur.* Ad secundum dicendum, quod hoc dicitur propter eminentissimum modum clarae visionis, quo Moyses super alios prophetas vidit, sicut dicitur *Num. 12.* Ad tertium dicendum, quod speculum aeternitatis non dicitur ipse Deus, sed ipsae species, quae sunt in anima prophetae; et dicuntur speculum, inquantum resultat in eis dispositio sapientiae aeternae. *Seraphim stabant.* Hic ponit ministrorum officium, et ordinem. Et primo describit ministrorum ordinem. Secundo eorum laudem, *Et clamabant, Sanctus, Sanctus* etc. Circa primum ponit tria. Primo ponit ministrorum gradum, dicens, *Seraphim stabant super illud*, scilicet templum, eo quod hic ordo inter omnes supremus est, sicut dicit Dionysius in glossa hic. Item notatur quod Seraphim scriptum per m pluralis est, et neutri generis, et significat totum agmen illius ordinis, sed Seraphin singularis numeri est, et masculini generis, et significat unum tantum de ordine illo: *Isa. 62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die et nocte perpetuo non tacebunt.* Et dicit, *Stabant*, erecti per contemplationem quasi assistentes. Secundo ponit ministrorum ornatum in senario numero alarum, *Sex alae.* Tertio alarum usum, *Duabus faciem eius*, in hebraeo est ambigue dictum. Et potest exponi, quod velabant faciem Dei; et sic accipit Hieronymus. Vel quod velarent faciem suam; et sic accipit Dionysius, secundum quem est sensus, quod caput erat velatum, et pedes, et medium corpus. *Duabus volabant*, scilicet mediis; *Ezech. 1. Unumquodque duabus alis velabat corpus suum.* Et *infra eod. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.* Huius visionis significatum tripliciter accipitur. Hebraeus dicit, quod per duodecim alas intelliguntur duodecim reges, qui praefuerunt populo ab Ozia, sub quo visio incepta est, et deinceps, quorum quatuor tantum iusti fuerunt, scilicet Ozias, Ioathan, Ezechias, et Iosias. Et ideo quatuor aliis volabant. Alii autem verecundabantur ante conspectum Dei, et ideo velabant faciem, quorum quatuor libere regnum possederunt, scilicet Achaz, Manasses, Amon, et Ioathan, qui a populo reges constituti sunt, et hi significantur per alas quae erant in capite. Alii vero quatuor regnum sub servitute aliorum possederunt. Unde et ab aliis, et non a populo reges constituti sunt, sicut Ioachim a Pharaone, Ieconias, et Sedechias, et Godolias, de quo *Hier. 41.* dicitur, quod Ismael et decem viri et qui erant cum eo interfecerunt Godoliam, quem praefecerat Rex Babylonis terrae. Praedicti enim tres constituti sunt a Nabuchodonosor rege Babylonis. Hieronymus dicit, quod dicuntur alati, vel quia superius commorantur, vel propter velocitatem ministerii; et intelligit per duodecim alas ministerium perfectionis, qui commendatur in duodenario, sicut duodecim gemmae in diademate sacerdotis, et sic de aliis. *Et duabus volabant etc.* qui ea quae fuerunt ante mundum, vel post mundum, nobis celant, et ostendunt quae fiunt sex aetatibus mundi, quia praeterita et futura nobis ignota sunt, sed praesentia scimus, ut sic hoc referatur ad actum ministerii. Et quod dixit, *Stabant* ad hoc, quod Deo assistunt. Dionysius aliter exponit *13. c. caelest. hierarch.* et *4. c. eccl.* et dicit, quod dicuntur alati, quia ad similitudinem volantis altam contemplationem et liberam habent. Describitur autem triplex binarius alarum, quia Seraphim vident ea, quae ad ipsos pertinent, qui sunt de prima hierarchia, et quae ad alias duas eminentius quam illi, ita quod per unam alam intelligatur capacitas naturae, et per aliam lumen quod participant a Deo, quia his duobus elevantur. Ea autem, quae ad hierarchias pertinent, sunt a Deo sicut a principio, et in Deum ordinantur, sicut in finem: et utroque modo non possunt perfecte intelligi ab angelis, quod significat velatio. Et sunt in ipsis quasi media inter principium et finem, et sic habent perfectam cognitionem de ipsis, et liberam; et ideo duabus mediis volabant. *Et clamabant* etc. Hic ponit eorum laudem: et circa hoc

tria facit. Primo ponit laudandi modum quantum ad devotionem, quia, *Clamabant* ex magnitudine affectionis: quantum ad concordiam, quia uterque; et quantum ad ordinem, *Quia alter ad alterum:* unus enim accipit ab alio, ut vult Dionysius: *Iob 38. Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* Secundo ponit laudis canticum, ibi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Et tria laudant. Personarum Trinitatem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Unitatis maiestatem, *Dominus Deus exercituum,* quia omnibus praeest: *Apoc. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Provisionis liberalitatem, *Plena est omnis terra gloria eius:* quia usque ad ultimas creaturas, quae per terram intelliguntur, extendit diffusionem suae bonitatis: *Hierem. 23. Numquid non coelum et terram ego impleo, ait Dominus.* Et hoc secundum Dionysium *7. ca. caelest. hier.* Hieronymus, *Plena est omnis terra, per notitiam fidei: Eccl. 42. Gloria Domini plenum est opus eius: Nonne Dominus fecit enarrare sanctos omnia mirabilia eius, quae confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua.* Tertio, ibi, *Et commota* etc. ponit laudis effectum, scilicet punitionem peccantium: *Isa. 65. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei laudabunt prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis.* Et significatur templum diruendum, *Commota sunt superliminaria cardinum: Amos 9. Percute cardinem, et commovcantur superliminaria. Et domus repleta est fumo*, combustionis a Romanis post agnitam fidem Christi. Vel per fumum indicat infidelitatem Iudaeorum. Per commotionem cardinum amotionem legalium, vel caeremoniarum, quae erant quasi umbrae claudentes aditum veritatis. *Et dixi* etc. Hic ponitur sententiae denuntiator. Et primo ostenditur eius humilitas. Secundo eius parvitas, ibi, *Et volavit* etc. Tertio auctoritas, ibi, *Et audivi* etc. Humilitas in confessione peccati. Confitetur etiam triplex peccatum in locutionis omissione, *Vae mihi, quia tacui*, non arguendo Oziam regem, et sic deplangit culpam. *Tacui* a laude Dei: et sic deplangit damnum: *Isa. 56. Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia: Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Secundo omissionis, *Quia vir pollutus labiis ego sum: Eccl. 23. Indisciplinatae loquelae ne assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.* Secundo malorum conversationis, *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito: 2. Cor. 15. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* Tertio peccatum praesumptionis, *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis;* quasi dicat, qui impurus est, non potest intrare templum eius, quanto magis nec ipsum videre: *Iudic. 14. Morte moriemur, quia vidimus Dominum:* et hoc fuit reverentiae. Sed Iacob dixit *Gen. 42. Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea;* et hoc est confidentiae. Hieronymus: *Felix conscientia, quae tantum in locutione peccavit, non suo vitio, sed populi polluta labia habentis. Et volavit ad me* etc. Hic ostenditur puritas ex peccatorum purgatione; et circa hoc tria ponuntur. Purgationis minister, *Volavit ad me unus de Seraphin.* Purgationis instrumentum, *Et in manu eius calculus de altari*, holocaustorum. Altare interius erat de terra, sicut dicitur *Exod. 20. Altare de terra facietis mihi.* Circumquaque autem erat de lapidibus, ubi congregabantur ignes sacrificii: de his accepit, *Forcipe*, idest instrumento habente duo brachia, per quod potest significari virtus receptiva, et per altare ipsa divina lux, vel bonitas, et per calculum donum receptum ad officium purgationis. Vel per ignem tribulatio. Per Seraphin Christus. Per forcipem duo testamenta. Per calculum charitas, quae in manu, idest operatione ipsius est. Tertio ponitur purgandi modus, *Et tetigit os meum, et dixit.* Sicut in sacramentis est actio, et verborum forma, *Ecce tetigit*, exprimit actum, *Et auferetur iniquitas*, in homines: *Peccatum*, in Deum. Et non dicit, auferam, quia solius Dei est peccatum dimittere: *Isa. 43. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*, et peccatorum non recordabor. De omnibus his *Dan. 9. Ecce vir Gabriel quem videram in visione, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et locutus est mihi.* Sed contra hoc obiicitur, quod Dionysius dicit, quod illi de superioribus ordinibus non mittuntur in ministerium. Sed constat Seraphim supremos esse. Ergo non videtur verum, quod veniat ad purgationem prophetae. Ad quod dicendum, quod Gregorius istam quaestionem tangit in quadam homilia de centum ovibus, et dimittit sub dubio. Dionysius autem expresse vult, quod tantum inferiores mittantur ad nos. Et hoc dicit esse per ordinem divinae legis, ut inferiora reducantur in suprema per media. Quod autem hic dicitur, dupliciter solvit. Uno modo, quod iste angelus purgans dicatur Seraphin aequivoce, non ab ordine, sed ab actu quem tunc exercuit, quia igne purgavit, et Seraphin dicitur incendium. Alio modo solvit, quod dicatur proprie ille, qui est de ordine illo; et dicitur purgare, non quia immediate ipse purgat, sed quia eius auctoritate, vel percepta ab ipso illuminatione, inferior angelus purgavit. Et ponit exemplum, sicut dicitur episcopus absolvere, quando alius auctoritate ipsius absolvit. Et ideo propter reverentiam angelus inferior, qui visionem formavit, reducit in Deum primo, et in Seraphin secundo, ac si diceret: Ego purgo te per lumen receptum a Deo mediante Seraphin. Septuaginta habent carbunculos propter similitudinem ignis: habent enim calorem flammantem.

c Hic ostenditur ministrari auctoritas ex imitatione officii: et circa hoc tria facit. Primo quaeritur mittendi consensus; unde dicit, *Quem mittam?* In quo notatur auctoritas ex parte mittentis: *Rom. 1. Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? Et quis ibit?* in quo notatur missi voluntas. *Nobis*, acquisitive, ut non quaerat vanum honorem, et non quaerat lucrum. E converso *Phili. 2. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi. Mittam*, in quo notatur unitas essentiae, *Nobis*, in quo pluralitas personarum. Secundo ponitur oblatum obsequium, *Et dixi, Ecce ego, mitte me: Isa. 50. Ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Sed videtur quod hoc fuerit praesumptionis, quia Moyses recusavit *Exod.*

*3. Quis ego sum ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel ex Aegypto?* Hieremias etiam recusavit: unde *Hiere. 1. A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Et dicendum, sicut dicit Gregorius *in pastor,* et ponitur *in princ. Hier.* in glossa : *Utrumque fuit ex radice caritatis : ille enim propter dilectionem Dei novit perdere solatium contemplationis, iste propter dilectionem proximi voluit mitti, ut prodesset; et tamen nec ille iustus pertinaciter recusavit, nec iste prius quam purgatus, aut requisitus esset, se obtulit.* Tertio iniungitur officium: et quantum ad hoc subiungitur, *Et dixit, Vade: Mat. 10. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Et dices populo huic : Hier. 15. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Audite audientes.* Hic ponitur sententia. Et primo ponitur sententia obdurationis. Non obdurat autem immittendo malitiam, sed non impartiendo gratiam: et quia non se volunt ad gratiam convertere. Secundo quaeritur sententiae duratio, ibi, *Et dixi* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur sententiae pronunciatio a Domino, quantum ad sensus disciplinabiles, scilicet auditum, qui deservit disciplinae; unde dicit, *Audite,* auribus exterioribus, *Audientes,* Christum, vel alium praedicantem. *Et nolite intelligere;* quasi dicat, quia non vultis, non intelligitis, permissivum est: et quantum ad visum, qui servit inventioni, *Et videte visionem,* Christum corporaliter, vel magnalia Dei : *Et nolite cognoscere,* permissivum est, et non imperativum: *Isa. 42. Quis coecus nisi servus meus ?* Secundo ponitur sententiae acceptatio a propheta; unde dicit, *O Domine,* ex quo pulchritudo gentium intratura est: *Ro. 11. Percute coecitate Israel. Excaeca cor,* interius : *Et aures aggrava,* ne percipiant: *Et oculos eius claude,* ne cognoscant : *Io. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant.* Vel est verbum Domini; et est sensus, *Excaeca,* idest excaecatum praedica. Tertio ponitur excaecationis ratio, *Ne forte,* propter bona, *Et convertantur, et sanem eos,* cum sanitate sint indigni; *Ezech. 18. Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit universa praecepta mea, et fecerit iudicium, et iustitiam, vita vivet, et non morietur, omnium iniquitatum eius non recordabor : Infra 3. Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis. Et dixi, Usquequo.* Hic ponitur sententiae duratio, et primo ponitur prophetae quaestio, *Usquequo,* excaecabuntur: *Dan. 8. Usquequo visio conculcabitur ?* Secundo Domini responsio, *Et dixit.* Et ponitur duplex terminus. Primus quantum ad poenam malorum. Secundus quantum ad sanctitatem bonorum, ibi, *Semen sanctum ;* ac si dicat, *Quousque,* qui in sordibus est, *Sordescet? Apocalip. ulti. Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Poenam autem tangit triplicem. Primo quantum ad captivationem quae designatur in desolatione civitatum, *Donec desolentur civitates: Hier. 11. Dederunt portionem meam desiderabilem, in desertum solitudinis : Thren. 1. Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.* Quantum ad culturam agrorum, *Terra derelinquetur deserta : Supra 1. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni.* Quantum ad exilium hominum, *Et longe faciet Dominus homines: Hier. 22. Et mittam te, et matrem tuam, quae genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini: Ezech. 20. Et erigam de vobis transgressores, et impios, et de terra incolatus eorum educam eos.* Secundo quantum ad captivitatis longitudinem, *Et multiplicabitur,* gens illa, *In medio terrae,* in qua captiva tenebitur tamdiu durabit captivitas: *Hier. 29. Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtulit de Hierusalem in Babylonem, aedificate domos, et habitate in eis;* et *Isaiae: Et multiplicamini,* ibi, *Et nolite esse pauci numero ; et quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci.* Tertio quantum ad iteratam persecutionem. Et primo ponit paucitatem, *Et adhuc in ea decimatio,* idest vix decima pars relinquetur a Tito in terra Iudaea, vel in toto orbe, propter Iudaeos interfectos : *Deut. 28. Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra coeli prae multitudine.* Secundo iteratam destructionem, *Et convertetur iterum super vos captivatio,* sub Adriano Imperatore: *Supra 5. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Tertio eorum vilitatem, et despectionem, vel dispersionem, *Erit in ostensionem,* derisionis. *Sicut terebinthus,* quaedam arbor, quae in Damasci partibus magna est, in Graecia parva. *Et sicut quercus, quae expandit ramos suos,* in quo eorum dispersio signatur: *Eccl. 14. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos. Semen sanctum* etc. Hic ponit terminum quantum ad sanctitatem bonorum; unde dicit, *Semen sanctum,* idest virorum perfectorum, qui divinae obediunt visioni, et aliorum sanctorum de Iudaeis. *Quod steterit,* non cadens per infidelitatem: *Infra ult. Quia sicut coeli novi, et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sicut stabit semen vestrum, et nomen vestrum.* Alii exponunt in bonum, *Multiplicabitur,* post reditum de captivitate : *In medio terrae,* suae, *Et adhuc in ea decimatio,* quae relinquetur ad cultum Dei post multorum necem : *Et convertetur,* ad Deum: *Et erit in ostensionem,* gloriae.

## a CAP. VII.

Et factum est in diebus Achaz filii Ioathan, filii Oziae regis Iuda, ascendit Rasin rex Syriae, et Phacee filius Romeliae rex Israel in Hierusalem ad praeliandum contra eam, et non potuerunt debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim. Et commotum est cor eius, et cor populi eius, sicut moventur ligna sylvarum a facie venti. Et dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz tu, et qui derelictus est Iasub filius tuus, ad extremum aquaeductus piscinae superioris, in via agri fullonis, et dices ad eum: Vide ut sileas. Noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis tytionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriae, et filii Romeliae, eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, et Ephraim, et filius Romeliae dicentes: Ascenda-

mus ad Iudam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio eius filium Tabeel. Haec dicit Dominus Deus: Non stabis, et non erit istud, sed caput Syriae Damascus, et caput Damasci Rasin. Et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus, et caput Ephraim Samaria, et caput Samariae filius Romeliae. Si non credideritis, non permanebitis.

b Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Iuda, cum Rege Assyriorum. Et erit in die illa, sibilabit Dominus muscae, quae est in extremo fluminum Aegypti, et api, quae est in terra Assur, et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus fructetis, et in universis foraminibus. In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt in rege Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam. Et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum, et duas oves, et prae ubertate lactis comedet butyrum. Butyrum enim et mel manducabit omnis homo, qui relictus fuerit in medio terrae. Et erit in die illa omnis lacus, ubi fuerint mille vites mille argenteis, in spinas, et in vepres erunt. Cum sagittis, et arcu ingredientur illuc. Vepres enim et spinae erunt in universa terra. Et omnes montes, qui in sarculo sarcientur, non veniet illuc terror spinarum, et veprium, et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.

## a CAP. VII.

Hic ponitur comminatio contra hostes duarum tribuum, et dividitur in duas. In prima ponitur comminatio contra persecutores populi. In secunda contra contemptores prophetarum, vaticinium *cap. 28. Vae coronae superbiae* etc. Prima in duas. In prima comminatur hostium deiectionem. In secunda ponit gratiarum exultationem, *ca. 25. Domine Deus meus es tu* etc. Prima in duas. In prima singulorum in speciali. In secunda omnium in generali, *24. cap. Ecce Dominus dissipabit* etc. Prima in tres. In prima contra hostes corporaliter persequentes. In secunda contra hostes potestatem praebentes, *cap. 17. Onus Damasci* etc. In tertia contra hostes in rebus calumniantes, *c. 21. Onus deserti maris* etc. Prima in duas. In prima contra persecutores eiusdem gentis. In secunda contra alienigenas, *c. 10. Vae qui condunt leges iniquas* etc. Prima in duas. In prima comminatur ipsorum frustrationem per liberationem duarum tribuum. In secunda ipsorum destructionem, *cap. 8. Et dixit Dominus ad me* etc. Prima pars, quae continetur in hoc capitulo, dividitur in tres. In prima describitur imminens periculum. In secunda promittitur liberationis beneficium, ibi, *Et dixit Dominus ad Isaiam* etc. Ad evidentiam autem primae partis sciendum est, quod Achaz fuit impius, et idolatra, sicut legitur *4. Reg. 16.* et *2. Paralip. 27.* Et ideo Dominus tradidit eum in manu regis Syriae, et Samariae, qui primo venerunt contra eum, et obsidentes Hierusalem, tandem devincentes ipsum magnam partem exercitus sui coeperunt, et principem exercitus eius. Iterum ex illa victoria confisi venerunt ut omnino privarent eum regno, et substituerent alium loco eius: et in hoc secundo adventu consolatur eum Isaias. Tria ergo ponuntur in prima parte. Primo describitur hostium congregatio; unde dicit, *Et factum est in diebus Achaz.* Reducit autem genealogiam usque ad Oziam, quia forte in percussione Oziae, quia percussus est lepra a Domino, *2. Paral. 26.* qui tamen iustus fuerat, acceperunt audaciam invadendi, quasi contemnentes divinum auxilium. *Ascendit.* Hoc dicitur propter situm terrae, quia Iudaea in montanis est. *Phacee*, qui interfecit Phacetiam regem Israel, cuius princeps militiae erat, et regnavit pro eo, *4. Reg. 15. Et non potuerunt*, in prima vice, quamvis regem in campo devincerent. Vel loquitur per anticipationem, quantum ad secundam ascensionem. Secundo ponit denunciationem, *Et nuntiaverunt*, sui exploratores, *Domui David*, idest domui regiae, *Dicentes: Requievit Syria super Ephraim*, idest rex Syriae cum rege decem tribuum, quae Ephraim dicuntur, propter primum regem, qui Ephraim fuerat, *3. Reg. 13.* Vel propter dignitatem sunt amicitia iuncti, qui tamen fuerunt prius inimici, sicut legitur *3. Reg. ult.* et *penult.* et dicit Syria super Ephraim, ut notetur principalitas in regno Syriae, quia fortius erat. Tertio ponitur denunciationis effectus, perturbatio scilicet regis, et suorum, *Et commotum est cor eius*, scilicet regis: *Eccl. 12. Sic et cor trepidum in cogitatione fatui: Prov. 21. Et pavor operantibus iniquitatem: Matth. 2. Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et dixit Dominus ad Isaiam.* Hic promittitur liberatio. Et primo ponitur promissionis modus. Secundo ipsa promissio, ibi, *Et dices ad eum* etc. Modus autem ponitur primo quantum ad personam nuntiantem, *Dixit Dominus ad Isaiam*, interius inspirando, vel loquens per subiectam creaturam, *Egredere in occursum Achaz:* qui forte propter timorem hostium fuerat ut praepararet se ad resistendum. Secundo quantum ad testem, *Et qui derelictus est Iasub*, tibi, alio fratre, scilicet Rapsace ex matre nobiliore nato, fugiente ad Regem Assyriorum, quia non bene receptus fuit ab Achaz,

de quo *Isa. 36. Deut. In ore duorum, aut trium stabit omne verbum.* Tertio quantum ad locum, *Ad extremum.* Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quia Hierusalem in montanis est, non abundat aquis fluentibus, et ideo habebat aquas collectas in piscinis, vel ex pluviis, vel ex longinquis fontibus per aquaeductus. Erant autem tres piscinae in Hierusalem. Una, quae erat ad usum sacerdotum, et sacrificiorum, quae dicitur probatica piscina, de qua *Io. 5.* Secunda erat inferius in civitate, quae munda servabatur ad communem usum civitatis. Tertia erat extra civitatem, quae habebat aquam immundam, in qua fullones lavabant lanam, et erat ad huiusmodi usus, et ab illa piscina dicitur totus, *Fullonis ager*: et sic patet, quod dicitur in litera. *Et dices ad eum.* Hic ponit promissionem. Et primo ponit confortationem. Secundo confortationis rationem, ibi, *A duabus caudis* etc. Tertio incredulorum condemnationem, ibi, *Si non credideritis* etc. Confortat autem, prohibens timoris signum. *Vide ut sileas*, idest cave ne timorem cordis exterius prodas: *Inf. 30. In silentio, et in spe erit fortitudo vestra: Eodem 32. Et erit opus iustitiae, pax, et cultus iustitiae, silentium, et securitas usque in sempiternum.* Et etiam ostendit timoris transitum, *Noli timere.* mala futura: *Et cor tuum ne formidet*, propter memoriam malorum, quae passus es: *Infra 43. Noli timere, quoniam ego tecum sum; ab oriente reducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. A duabus caudis.* Hic ponit confortationis rationem. Et primo ostendit proponentium vanitatem, qui magna proponunt, cum tamen nihil, vel parum possint sustinere, *Duabus caudis*, quia in eis finitum est regnum: Rasin enim interfectus est a Tegalphalasar *4. Reg. 16.* et sui in captivitatem ducti: sed Phacee subiugatus fuit, et postea interfectus ab hoste, qui postmodum captus est a rege Salmanasar, et decem tribus captivatae *4. Regum 17. Fumigantium*, tunc enim sunt vicini extinctioni. *Et sustinemus eum*, quasi somno quiescentem: *Et avellamus*, idest trahamus in potestatem nostram: *Filium Tebeel*, ad literam quendam hominem, vel idolum Dei nostri. Tebeel, bonus Deus. Secundo quantum ad propositi frustrationem, *Haec dicit Dominus*, qui omnia potest, *Non erit istud*, quia non perducetur ad effectum, *Et non stabit*, quia non diu durabunt in tali proposito, maioribus malis in eos irruentibus: *Isa. 8. Inite consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus.* Tertio quantum ad hostium destructionem. Et primo quantum ad Assyrios, *Sed et caput Syriae;* quasi dicat, Sed interim et antequam destruantur. *Caput Syriae Damascus, et caput Damasci Rasin;* quasi dicat, Erunt Damasceni, et rex eorum contenti suis finibus. *Et adhuc sexaginta, et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus*, quia captivabuntur. Isti anni non debent computari a tempore huius prophetiae, sed a tempore, quo Ozias percussus est lepra, quia tunc assumpserunt audaciam vigesimosexto anno regni eius. Et ex tunc Ioathan filius eius regnavit, vivente patre vigintiseptem, et postea sexdecim, et postea Achaz sexdecim. Et postea Ezechias cuius sexto anno captus est populus *4. Reg. 27.* et hi omnes collecti sunt sexagintaquinque anni. *Et caput Ephraim*, ut supra. *Si non credideritis.* Hic ponit incredulorum condemnationem, *Si non credideritis*, scilicet promissis Domini, etiam vos, *Non permanebitis in terra vestra*, sed captivabimini: *Abac. 2. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Et dicit hoc, quia Achaz non credens prophetae, invocavit auxilium regis Assyriorum Tegalphalasar, ut adiuvaret eum. Qui ad petitionem eius venit, et destruxit Damascenum, et regem interfecit, et cum dedisset sibi munera, tamen nihil sibi profuit, sicut dicitur *2. Paralip. 28.*

b Hic ponitur liberationis signum ad credendum. Circa quod tria ponuntur. Primo optio eligendi signum conceditur, *Et dixit Dominus ad Achaz*, quia prophetas condemnabant, ipse per se dixit. Quia videtur durum, quod tam potentes reges ita cito destruantur, *Pete tibi signum*, ut credas, *A Domino Deo tuo.* Ex hoc videtur, quod sit sermo prophetae. Et dicendum, quod mos est hebraici sermonis, ut utantur nominibus pro nominibus; unde, *A Domino Deo tuo*, idest a me. Vel est verbum Domini per inspirationem, et prophetae per denunciationem: *Isa. 8. Numquid non populus a Deo suo requiret visionem pro vivis, et mortuis? In profundum inferni*, ut aperiatur terra, et infernus pateat, sicut in subversione Dathan et Abiron, *Nu. 16.* Vel per infernum inferiora elementa, sicut Moyses de terra locustas, et cinifes eduxit, *Exod. 9. Sive in excelsum supra*, sicut Iosue in statione solis, *Ios. 10.* Iudaei enim signa quaerunt, *1. Cor. 1.* Secundo oblati refutatio, *Et dixit, non petam.* Vel quia in idolis confidebat, vel in rege Assyriorum, vel invidens Dei gloriae, vel quia timebat offendere Deum in angustia positus: *Isa. 26. Domine in angustia requisierunt te;* unde dicit, *Non tentabo:* innixus est enim ei, quod dicitur *Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed male intellexit, quia licebat ei auctoritate Dei petere signum, sicut Gedeon in velleré, *Iud. 6.* Tertio ponitur refutantis increpatio, *Et dixit*, scilicet Isaias: Ergo ex quo tam rebelles estis, *Audite ergo domus David*, propter consensum in malitia; vel quia David promissus est Christus, datur signum: *Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem. Numquid parum vobis est*, ad merendam divinam iram, *esse molestos hominibus*, quos spoliatis, vel prophetis, quibus non creditis, *Quia molesti estis*, per rebellionem, *Deo meo*, non vestro, cui non obedistis? *Hiere. 23. Ut quid vobis onus, proiiciam quippe vos, dicit Dominus. Propter hoc.* Hic datur signum ad credendum. Et primo confertur signum liberationis. Secundo comminatur incredulis poenam destructionis, ibi, *Adducet Dominus.* Hoc autem signum est de Christi incarnatione. Sed contra hoc obiiciunt Iudaei multipliciter. Primo quia Dominus dabat signum illius liberationis, ad quam nihil consonat Christi incarnatio. Ad quod dicendum, quod incarnatio Christi significat ipsam, per locum a maiori: quia si Deus dabit Filium suum ad salutem totius mundi, multo magis potest salvare vos ab istis hostibus: *Ro. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vel quasi causa motiva: hoc enim quasi movit Dominum, quod multa bona illi populo, quamvis iniusto, concedantur, quia de illo providerat Filium suum incarnandum. Item obiiciunt, quia signum sequens datur ad praesentes. Sed incarnatio non fuit facta temporibus

eorum. Et sic videtur quod nullum sit signum. Ad quod dicendum, quod incarnatio, quamvis non fuerit facta praesentibus illis hominibus, fuit tamen manente domo David; unde dicit, *Audite domus David;* non autem audi Achaz. Item obiiciunt, quia signum debet praecedere signatum. Sed incarnatio fuit diu post liberationem illam. Ergo non fuit signum eius. Ad quod dicendum, quod signum quandoque sequitur signatum, sicut *Deut. 18. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* Quandoque est simul: *2. Reg. 5. Cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis praelium.* Quandoque praecedit, sicut *Iudic. 7.* de Gedeone, ubi datum est signum, quod vincere debebat in his, qui aquam manibus lambierant. Et oportet de necessitate, quod hoc signum sequatur, etiam secundum quod ipsi exponunt. Si enim praecedit, tunc puer fuit natus ante mortem Phacee, qui regnavit viginti annis, cuius decimo septimo anno regnavit Achaz, qui regnavit sexdecim annis. Ergo Achaz regnavit tredecim annis post mortem eius. Et Osee regnavit duodecimo anno Achaz, cuius nono Samaria capta est, qui fuit sextus annus post mortem Achaz. Ergo in captivitate Samariae ad minus habebat puer novemdecim annos: ergo falsum est, quod *Is.* dicitur, quod puer nesciebat vocare patrem et matrem. Item obiiciunt, quod in hebraeo non est virgo, sed alma, quae apud eos significat iuvenculam nubilem, sicut habetur *Gen. 24.* de Rebecha, ubi nos habemus puella decora nimis, et ipsi habent, alma; et si etiam habeatur bethula, quod apud eos significat virginem, non oportet, quod manens virgo conciperet: quia poterat esse, quod quae tunc erat virgo, postea ex semine viri corrupta concepisset. Ad quod dicendum, quod nullum signum esset, si iuvencula concepisset, et etiam virgo corrupta. Dominus autem aliquid magnum voluit significare, cum dixit, *In profundum inferni, sive in excelsum supra.* Ideo autem apud nos ponitur magis alma, quam iuvencula, quia alma significat virginem secundum nominis originem, et adhuc plus, custoditam, de qua non possit haberi mali suspicio. Sed bethula significat, secundum usum loquendi posteriorem. Exponunt autem dupliciter. Quidam de Ezechia, quidam de filio Isaiae, quem fingunt esset Emmanuel vocatum. Sed quod primum non possit stare, sic ostenditur, quia Ezechias erat viginti quinque annorum, quando coepit regnare *2. Reg. 18.* Et Achaz regnavit sexdecim annis *4. Reg. 16.* Ergo Ezechias erat decem annorum, quando pater suus incoepit regnare, et sic non promittitur hic nasciturus. Praeterea. Quomodo nescisset vocare patrem et matrem, cum sexto anno regni eius capta fuerit Samaria? Iterum quod secundum non possit stare, ostenditur, quia hoc nullum signum fuisset. Et praeterea filius Isaiae non fuit Dominus Iudaeae, cum tamen dicatur *Isa. 8.* terra Iudaeae esse Emmanuel possessive. Et ideo oportet, quod intelligatur de Filio Dei. Secundum hoc ergo tria facit. Primo promittit signum, *Propter hoc,* quia vos non vultis petere: *Ipse dabit signum vobis,* vestrae liberationis. Hoc etiam signum datum est *Luc. 2. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum* etc. Secundo ponitur ipsum signum, *Ecce virgo.* Et primo ponitur miraculosa conceptio, *Ecce virgo,* manens virgo: *Concipiet:* in partu, *Et pariet filium.* Secundo mirabilis generati vocatio. Et primo quantum ad divinitatem: *Vocabit,* scilicet virgo, vel vocabis tu Iuda in periculis, *Nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus: Matth. 1. Vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et hoc totum nullum simile habet in aliis, quia novum est: *Hie. 31. Creavit Deus novum super terram, mulier, vel femina circumdabit virum,* idest perfectum hominem in ipsa conceptione, quamvis non secundum quantitatem perfectam, sicut dicit Augustinus *super illud Io. 2. Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc* etc. et ideo est super hominem, quia nihil novum sub sole, *Eccl. 1.* Unde concordantia alia non potest haberi de ipsa prophetia, nisi ipsa historia: *Luc. 1. Ecce concipies, et paries filium,* significatum: *Ezec. 44. Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Secundo quantum ad humanitatem, *Butyrum, et mel comedet:* ad literam cibos viriles, quia ab infantia ad modum aliorum se habuit: *Sap. 7. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Vel a parte ad totum secundum regulas Tyconii. Per hos enim omnes humanos cibos intelligit, *Ut sciat,* ut consecutivum est, quia talibus vescens adhuc puer, *Sciat reprobare malum,* sine experimento, *Et eligere bonum,* sine consilio, perfectam habens omnem scientiam. Hoc promiserat diabolus, sed non solvit; *Gen. 3.* sed Deus gratis dedit: *Sap. 7. Ipse enim mihi dedit horum, quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutem elementorum.* Vel ut est causale, *Ut sciat,* idest ut ostendat se scire, quia per cibos perductus est ad perfectam aetatis quantitatem, qua ostendit se scire. Augustinus *super illud Can. 4. Mel. et lac sub lingua tua* dicit, quod significat per butyrum humanitatem, quod de terrae nutrimento vivit; per mel divinitatem, quod de rore caeli colligitur. Habuit tamen naturam sine corruptione, sicut butyrum sine caseo, et portavit consolationem sine iudicio, quasi mel sine aculeo. Bernardus: *Elegit puer noster noviter concipi, quia naturam nostrae carnis accepit sine corruptione.* Similiter apis mel nobis attulit, non miscens aculeum: *Non enim venit, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, Io. 6.* Et sic est etiam causale. Et hoc est signum de deorsum ex parte virginis parientis, et de sursum ex parte Dei nascentis: *Ps. 84. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Tertio ponitur signi adaptatio; *Quia antequam sciat,* idest antequam nascendo scientiam creatam assumat, *Terra,* Samariae, et Syriae, *4. Reg. 16. et 17. Adducet Dominus* etc. Hic ponit comminationem contra non credentes signum. Et primo ostendit poenae gravitatem. Secundo poenae ordinem, ibi, *Et erit in die illa* etc. In tertia poenae effectum, ibi, *Et erit in die illa, nutriet homo* etc. Ostendit autem gravitatem ex praecipientis auctoritate, *Adducet Dominus,* qui potens est: *Exo. 15. Dominus omnipotens nomen eius.* Ex poenae universalitate, *Super te,* per Tegalphalasar. *Et super populum tuum, et super domum patris tui,* quantum ad posteros tuos per filios

tyrannos ex praecedentium comparatione. *Dies tam mali*, et dicuntur mali propter culpam: *Mat. 6. Sufficit diei malitia sua: Eph. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Propter poenam, *Qui non venerunt a diebus separationis*, Ephraim a Iuda, *4. Reg. 15.* Exequentis potestatem, *Cum rege Assyriorum*, Nabuchodonosor, quia regnum Chaldaeorum, et Assyriorum sub ipso unum fuit, et a principio unum fuerat: Assyrii enim de Chaldaeis egressi sunt, *Ge. 10. Hier. 25. Assumam Nabuchodonosor servum meum* etc. *Et erit.* Hic ponit poenae modum, et ordinem. Et ponit tria. Primo hostium convocationem, *Sibilabit*, idest inspirabit, *Muscae*, idest regi Aegypti, qui occidit Iosiam *4. Reg.* Et comparatur muscae propter immunditiam idolorum, et luxuriae, quae viget in Aegypto, *In extremo fluminum*, quia etiam de ultimis partibus Aegypti, *Et api*, scilicet Chaldaeis, et Assyriis, quia ab anteriori habebant mel defensionis, et a posteriori aculeum persecutionis: *Supra 5. Sibilabit ad eum de finibus terrae.* Secundo hostium multitudinem, *Invenient, et requiescent omnes in torrentibus vallium*, quia in vallibus consueverunt currere aquae propter commodum aquarum, *In cavernis*, propter munitionem, *In fructetis*, propter ligna, *In universis foraminibus*, loca domorum: *Isa. 8. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae.* Tertio captivationem, *In die illa radet Dominus in novacula*, idest per regem, *In his*, idest per hos, scilicet Assyrios, *Novacula acuta*, de qua *Ezec. 5. Sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumens eum, adduces per caput tuum. Caput*, regem, *Pedes*, artifices, *Barbam*, milites, qui sunt ad ornatum regis, *4. Reg. ult. supra 5. Omnem virum bellatorem, iudicem, et prophetam.* Vel loquitur contra Aegyptios, qui erant adiutores, *In his*, idest Aegyptiis, *Conducam: Ezec. 29. Et diripiet spolia eius, et erit merces exercitui eius, et operi, pro quo servivit adversus eam. Et erit in die illa, nutriet.* Hic ponit poenae effectum, vel signum destructionis primo in animalium paucitate, *Vaccam boum, et duas oves*, propter pauca animalia: *Supra 5. Et deserta in ubertatem versa advenae comedent.* Secundo ex victualium paucitate, *Butyrum et mel*, propter inopiam panis: *Thren. 4. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis.* Tertio ex paucitate hominum. Primo in utilitate possessionum: *Omnis locus ubi fuerint mille vites: Hier. 32. Eme agrum argento, et adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldaeorum: Prov. 24. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri, et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae.* In multitudine latronum, *Cum sagittis, et arcu*, scilicet fugientes ingredientur, *Isa. 24. Formido, et fovea, et laqueus super te, et super habitatores terrae.* Quarto in pavore hostium, quia colent montes, et dimittent plana, *Et omnes montes: Hie. 49. Et omnes civitates eius erunt in solitudines.* Et *Isa. 7. Apprehendere niteris altitudinem collis.* Notandum super illo verbo, *Vocabitur nomen eius Emmanuel, idest nobiscum Deus*, quod Christus est nobiscum multipliciter. Primo tamquam frater per naturae consortium: *Can. 8. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, et deosculer te?* Secundo tamquam sponsus, per amoris vinculum: *Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Tertio tamquam pastor, per maternae consolationis solatium: *Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit ianuam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo.* Quarto tamquam salvator, per defensionis auxilium: *Hie. 30. Tu ergo ne timeas serve meus Iacob, ait Dominus, nec paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua.* Quinto tamquam ductor, per operis exemplum: *Exo. 32. Dominus solus dux eius fuit.* Notandum super illo verbo, *Ecce virgo*, quod dicitur *Ecce*, propter eminentiam singularem, quia supra mulieres, propter virginitatem; unde dicit, *Ecce virgo.* Secundo supra virgines, propter foecunditatem; unde dicit, *Concipiet.* Tertio supra angelos omnes, propter fructus dignitatem; unde dicit, *Pariet filium: Heb. 2. Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*

## a CAP. VIII.

Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe, cito praedare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiae. Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius accelera, spolia detrahe, festina praedari.

b Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram rege Assyriorum. Et adiecit Dominus loqui ad me dicens: Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Syloe, quae vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliae, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes rivos eius, et fluet super universas ripas eius, et ibit per Iudam inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel.

c Congregamini populi, et vincimini, et audite universae procul terrae. Confortamini, et vincimini, accingite vos, et vincimini, inite consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus. Haec enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi huius dicens, Non dicatis, coniuratio: omnia enim, quae loquitur populus iste, coniuratio est. Et timorem eius ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, et ipse terror vester; et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et petram scandali, duabus domibus Israel, et in laqueum, et in ruinam habitantibus Hierusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et

conterentur, et irretientur, et capientur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Iacob, et praestolabor eum. Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel, a Domino exercituum, qui habitat in monte Syon.

d Et cum dixerint ad vos, quaerite a phytonibus, et a divinis, qui stridentin incantationibus suis, numquid non populus a Domino suo requiret visionem pro vivis, ac mortuis? Ac legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam, et corruet, et esuriet, et cum esurierit, irascetur: maledicet regi suo, et Deo suo. Et suspiciet sursum, et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio, et tenebrae, et dissolutio, et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.

## a CAP. VIII.

Hic praedicit destructionem decem tribuum, inquantum pertinet ad eorum poenam, quae facta est per Assyrios, primo per Tegalphalasar, regnante Phacee, et captivante duas tribus et dimidiam, quae erant trans Iordanem, et plurimos de tribu Zabulon, et Nephtalim, *3. Reg. 3.* et postmodum per Salmanasar in captivitatem reducente residuas, *4. Reg. 18.* Huius autem tribulationis etiam duae tribus fuerunt participes, quia a Tegalphalasar afflicti sunt, ut dicitur *2. Paral. 29.* et a Senacherib, sicut dicitur *infra 36.* Non tamen omnino subiugatae: et dividitur in partes duas. In prima praedicit tribulationem. In secunda modum ipsius, et ordinem, *c. 9. Primo tempore alleviata est* etc. Hoc autem capitulum dividitur in tres partes. In prima comminatur decem tribus Assyriorum destructionem. In secunda praedicit in hoc duarum tribuum afflictionem, ibi, *Et ibit per Iudam inundans* etc. In tertia confortat eos per futuram liberationem, ibi, *Congregamini* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit poenae praefigurationem. In secunda signi expressionem, ibi, *Quia antequam sciat* etc. Hoc autem signum Iudaei ad literam exponunt de filio Isaiae, per cuius nomen Dominus significare volebat decem tribuum destructionem. Et secundum hoc signum tripliciter confirmat. Primo scripto. Secundo testimonio, ibi, *Et adhibui* etc. Tertio ipso facto, ibi, *Et accessi* etc. Circa primum tria ponit, scilicet in quo scribendum, *Librum grandem.* Ad literam enim grandem, ad significandum magnitudinem tribulationis: *Hier. 36. Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia, quae locutus sum tibi adversus Israel, et Iudam.* Secundo quo scribendum, *Stylo hominis*, idest plane, ut intelligi possit, et ut scriptum maneat: *Abac. 2. Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* Tertio quid scribendum, nomen scilicet vastaturi, significans futuram destructionem in brevi, *Velociter spolia detrahe, cito praedare.* Haec verba possunt esse Domini ad prophetam: et sic sumuntur materialiter. Vel ad hostes; et sic significative: *Isa. 10. Et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et dividat praedam. Et adhibui.* Hic confirmatur signum testimonio, *Testes fideles: Deut. 19. In ore duorum, vel trium stet omne verbum. Et accessi ad prophetissam.* Hic confirmatur facto, quia aliquando prophetae annunciabant futurum verbo, aliquando autem ipso facto, sicut *Isa. 20. Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis, et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus.* Unde intelligitur ad literam, quod accessit ad uxorem suam; unde duo ponuntur. Primo pueri generatio, *Et accessi.* Secundo generati vocatio, *Voca nomen eius, accelera*, quasi festina ad faciendum. *Detrahe spolia*, ut supra. Vel secundum aliam literam. Primo accelera, spolia detrahe. Et hoc est melius, quia secundum hoc non est plus quam fuerit in scripto. Contra hoc quidem multipliciter obiiciunt, quod non possit ad literam intelligi. Primo quia cum pauca sint, quae scribi praecipiuntur, non oportebat librum esse grandem. Secundo quia non est probabile, quod propheta honestus homo testes adduxerit, quando accessit ad uxorem suam. Tertio quia Urias fecit altare idolorum, ad similitudinem altaris Damasci in templo Domini: unde non fuit fidelis testis. Quarto quia Zacharias non erat tunc vivus, quia Zacharias filius Ioiadae fuerat longe ante interfectus a Ioas rege Iuda, *2. Paralip. 24.* Alius dicitur Zacharias, qui fuit unus de duodecim prophetis, et fuit longe post, in reditu populi de captivitate, sicut patet *Zacha. 1.* et per totum. Ergo non potuit eum adhibere in testem. Et praeterea remanet similis obiectio sicut primo, quia ipse puer fuit natus ante mortem Phacee. Ergo ut supra probatum est, habebat in captione Samariae ad minus novendecim annos: ergo falsum est, quod dicitur, *Antequam sciat vocare patrem* etc. Et ideo volunt, quod intelligatur tantum de Christo, sicut et primum signum. Ut per librum grandem significetur sacra Scriptura, de qua habetur *Baruch 4. Hic est liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum.* Per stylum hominis modus prophetiae, ut non omnibus usquequaque pateat, sed tantum rationabilibus, qui ex figuris possunt significata concipere: *Osee 2. Ego visionem multiplicavi eis, et manibus prophetarum assimilatus sum. Velociter* etc. Nomen Christi, idest circumlocutio nominis, quod est Iesus salvator. Per hoc quod detraxit spolia, idest peccatores a potestate diaboli, et praedatus est infernum, de quo *Isa. 53. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia.* Per Uriam, qui interpretatur lux Domini, significatur lex: *Prover. 6. Quia mandatum lucerna est, et lex lux.* Per Zachariam, qui interpretatur memoria Domini, *Filium Barachiae*, qui interpretatur, Benedictio Domini, significatur prophetia, quia prophetae per benedictionem divini muneris cognitionem divinam acceperunt. Et hi, scilicet lex, et prophetae, sunt testes incarnationis Christi: *Luc. ult. Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me.* Prophetissa autem Beata Virgo est, quae prophetavit, dicens, *Magnificat anima mea Dominum, Luc. 1.* Ad quam accessit per propheticam intelligentiam, et per fidem. Vel prophetissa dicitur Spiritus sanctus, qui est principium

omnis prophetiae: *2. Petr. 2. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati loculi sunt sancti Dei homines.* Apud Hebraeos enim est feminini generis, scilicet Eva; et secundum hoc, *Concepit*, idest concipere fecit.

*Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, Matth. 1. Voca nomen eius*, scilicet Iesus, idest praenuntia nomen eius, sic ut supra. Haec autem expositio non est tantae auctoritatis, sicut superior, quae fuit *supra 7.* de alio signo, quia magis extorta est, et ex Scripturis non habet auctoritatem, sicut illa *Matt. 1.* Nam quidam dicunt non esse inconveniens, si hoc intelligatur ad literam: ita tamen quod puer iste sit figura Christi, sicut etiam supra dictum est in quada glossa *7. c. super illud, Ecce virgo* etc. Unde potest responderi ad obiectiones prius factas. Et dicendum ad primum, quod liber fuit grandis, non ad necessitatem scripturae, sed ad significandum magnitudinem tribulationis. Ad secundum dicendum, quod potest intelligi, quod testes fuerunt adhibiti ad scripturam, sicut fit in privilegiis, et non ad accessum ad uxorem. Et etiam si ad hoc fuissent adducti, non esset magis contra honestatem, ut videtur, quam factum de fornicatione *Osee 1.* quod tamen ad literam plures exponunt. Ad tertium dicendum, quod dicitur fidelis propter auctoritatem sacerdotii, et non propter bonitatem vitae; vel quia fide dignus habebatur a rege. Ad quartum dicendum, quod iste Zacharias neuter illorum fuit. Consuetum enim erat apud Hebraeos, sicut etiam apud multos, quod pueris imponuntur nomina de cognatione illa, sicut dicitur *Luc. 1.* de Ioanne: *Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Et sic iste potuit esse de progenie illius, qui prius interfectus fuerat: vel etiam consuetudo est apud Hebraeos, ut dicit Hieronymus, quod frequenter utantur propriis pro communibus, sicut hostia, quae est civitas munita, utuntur frequenter pro qualibet civitate munita. Et sic quia ille Zacharias fuit fidelis propheta, et in magna fama populi, vocatur iste, qui forte similiter erat fide dignus populo loci illius. Ad quintum dicendum, quod non est similis obiectio, quia quod supra dictum est, oportet intelligere de destructione solum, propter hoc quod dixit, *derelinquetur.*

Sed hoc potest intelligi de persecutione facta per Tegalphalasar, qui destruxit Damascum, *4. Reg. 16.* et spoliavit regnum Samariae, *4. Reg. 15.* Unde signanter dicit, *Auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae.* Et hoc fuit satis de propinquo. Notandum super illo verbo, *Librum grandem*, quod sacra pagina dicitur liber, primo grandis, quantum ad grande contentum: *Prov. 8. Audite me, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta praedicem.* Secundo signatur quantum ad visum: *Isa. 29. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati.* Tertio involutus propter multiplicem sensum: *Ezech. 2. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber.* Quarto amarus propter laboris studium: *Apoc. 10. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tanquam mel dulce; et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus: Prov. 8. Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Quinto dulcis quantum ad effectum: *Ezec. 3. Comede volumen illud; et comedi illud, et factum est in ore meo quasi mel dulce.* Sexto volans quantum ad intellectum: *Zac. 5. Vidi, et ecce volumen volans: Iac. 39 Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* Septimo vivificans quantum ad fructum: *Eccl. 24. Haec omnia liber vitae, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis: Prov. 8. Qui me invenerit, inveniet vitam.*

b Hic ponitur signi expositio. Et secundum literalem expositionem iam patet, secundum aliam vero, *Antequam sciat*, scientia creata, *Patrem*, putativum Ioseph, vel Deum, *Auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae.* Secundum haec potest etiam referri ad captivitatem Samariae. *Et adiecit.* Hic describitur ipsum destructionis factum: et circa hoc tria facit. Primo ponit puniendorum culpam. Secundo punientium potentiam, ibi, *Ecce adducet Dominus* etc. Tertio ponit ipsam poenam, ibi, *Et ascendet* etc. Dicit ergo primo, *Et adiecit.* Primo signum datum, *Aquas Syloe.* Syloe est quidam fons, qui nascitur ad pedes montis Syon, cuius aquae per horas ebulliunt, et plane vadunt; unde significant reges Iuda, qui quandoque boni, et potentes, quandoque mali, et imbecilles fuerunt. Et tamen legitime, et quiete regnaverunt comparatione regum Israel, qui omnes cogebant populum ad idola. Sed videtur quod hoc non sit eis imputandum pro culpa, quia hoc Domini voluntate factum est, sicut dicitur *3. Reg. 1. A me factum est verbum hoc.* Et dicendum, quod Dominus iuste voluit, quod reges Iuda paterentur hoc damnum propter culpam Salomonis, de quo *3. Reg. 11.* Sed illi male, et propter superbiam cordis hoc fecerunt, quia nolebant dare consueta tributa, sicut legitur *3. Reg. 12.* Vel aliter, *Abiecit populus iste*, idest contempserunt, et persecuti sunt, sequentes malitiam duorum regum. Et haec videtur esse intentio per id quod sequitur, *Et assumpsit magis Rasim* etc. *Propter hoc* etc. Hic describitur hostium potentia. Et primo ponitur metaphora quantum ad quatuor, scilicet quantum ad divinum auxilium, *Ecce Dominus adducet:* quantum ad impetum, *Aquas fluminis:* quantum ad robur, *Fortes:* quantum ad numerum, *Et multas.* Secundo exponit metaphoram, *Regem Assyriorum, et omnem gloriam eius*, idest exercitum eius: *Isa. 6. Ecce populus veniet de terra aquilonis, et gens magna consurget:* Glossa dicit, quod intelligit de Senacheribus. Sed contra: quia ipse non vastavit Samariam, sed Salmanasar, sicut dicitur *4. Reg. 17.* Ad hoc dicunt quidam, quod idem dicitur Salmanasar, et Senacheribus. Sed patet hoc esse falsum per id quod dicitur *Tob. 1.* quod mortuo Salmanasar, regnavit Senacheribus filius eius pro eo. Et ideo dicendum, quod regnante Salmanasare iam sene, filius eius erat in exercitu: et ideo idem exercitus est utriusque. Unde loquitur de tota illa vastatione, quae facta est per illos reges Assyriorum, quasi de uno persecutore, propter unitatem regni. *Et ascendet.* Hic ponit ipsam poenam, et servat metaphoram, quia aquae abundantes altiores sunt; unde dicit, *Ascendet super omnes rivos*, idest principes, *Et super ripas*, idest terras: *Ezec. 38. Ascendet indignatio mea in furore meo, et in zelo meo. Et ibit per Iudam.* Hic

tribulationem ponit redundantem in duas tribus. Et primo ponit tribulationis redundantiam, *Et ibit*, scilicet aquarum impetus, *Per Iudam*, idest per terram Iudaeae, *Inundans*, servat metaphoram: quando enim abundant aquae, emittunt undas extra alveum suum in agros vicinos: et dicit, *Ibit*, quia non habebunt perfectum dominium: *Hiere. 47. Ecce aquae descendent ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram, et plenitudinem eius, urbes, et habitatores eius.* Secundo persecutionis abundantiam, *Et transiens usque ad collum veniet.* Loquitur metaphorice, quasi diceret, In tanta abundantia redundabunt, quod si aliquis vellet a quas transire, et venirent sibi usque ad collum, fere submergeretur in eis, in quo significatur quod fuerint prope captivitatem, sicut *Isa. 56. Ezec. pen. Et ecce aquae redundantes a latere dextro.* Tertio exercitus copiam, *Et erit extensio alarum eius*, idest principum eius: *Implens*, prae multitudine: *Latitudinem terrae tuae*, idest Iudaeae, *O Emmanuel*, Christe, qui de ea nasci venisti. Misit enim principes suos Senacheribus ad capiendam Hierusalem, *Isa. 56.* De his aliis *Ezec. 17. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium eius: et transportavit eam in terram Chanaam in urbe negotiatorum posuit illam.*

c Quia dixerat, quod persecutio Assyriorum aliquo modo redundaret in duas tribus; hic confortat eos, quia illa persecutione non sunt finaliter captivandi, nec etiam a decem tribus, et Syris subiugandi. Et dividitur in partes duas. In prima ponit divinam confortationem. In secunda removet divinorum communicationem, ibi, *Et cum dixerint ad vos* etc. Circa primum duo ponit. Primo ponit irrisionem. Secundo hostis instructionem, ibi, *Haec enim ait Dominus.* Circa primum duo facit. Primo ponitur irrisio, vel insultatio Secundo irrisionis ratio, ibi, *Quia nobiscum Deus.* Irridet autem pugnantium exercitum, sapientum consilium, et dominorum praeceptum: his enim tribus bella prosperantur. Exercitus autem tribus invalescit, scilicet multitudine: et quantum ad hoc dicit, *O populi*, Syriae, et Samariae, *Congregamini*, ut sitis multi: *Et vincemini*, Domino contra vos pugnante per quoscumque suos ministros. Et non solum vos, sed *Audite*, hoc idem, *Universae terrae.* Et est sarcasmus, idest quaedam species tropi, quae dicitur esse quaedam plena odio, atque hostilis irrisio: *Ioel. 3. Erumpite, et venite, et omnes gentes de circuitu, et congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.* Secundo invalescit impugnantium fortitudine corporis, et animi: et quantum ad hoc dicit, *Confortamini: Ioel. 3. Infirmus dicat, quia ego sum.* Tertio invalescit armorum in munitione, *Accingite vos:* quod pertinet proprie ad gladios, sed inde transumitur ad omnia arma: *1. Mach. 4. Accingimini, et estote filii potentes, et estote parati mane, ut pugnetis adversus nationes has, quae convenerunt disperdere nos, et sancta nostra.* Quantum ad consilium, *Inite consilium, et dissipabitur: Iob 5. Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat: Prov. 21. Non est sapientia, et non est prudentia, non est consilium contra Dominum* Quantum ad praeceptum dominorum de his, quae post consilium eliguntur, *Loquimini verbum, et non fiet, supra 7. Ponamus regem in medio eius.* Regem enim quem eligebant annunciabant plebi, ut dicit Hieronymus. Rationem ponit, interpretando nomen Emmanuel, *Quia nobiscum Deus: Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Hier. 3. Et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus. Haec enim ait* etc. Hic ponitur populi instructio Et primo docet, quid non timendum. Secundo, quid timendum, ibi, *Dominum exercituum* etc. Prima dividitur in duas partes, scilicet in doctrinae probationem, et in ipsius traditionem, ibi, *Non dicatis* etc. Probat autem non esse timendos hostes dupliciter. Primo per Domini praeceptum; unde dicit: Ita vincemini o hostes, *Enim*, idest quia, *Haec*, quae dicta sunt, *Ait Dominus ad me.* Et ideo ne timeatis: *Num. 23. Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Secundo suo exemplo ait, *Dicit Dominus ad me*, dicens ad vos, quae sequentur ad erudiendum vos, *Sicut erudivit me*, idest ne imitarer eos in malitia sua; et hoc, *In manu forti*, idest in tribulatione. Vel non solum docens, quid faciendum, sed etiam dans gratiam virtutis ad complendum: *Thren. 1. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me. Ne dicatis* etc. Hic ponitur ipsa doctrina. Primo prohibet timoris verbum, *Non dicatis coniuratio*, duarum gentium, quasi nobis timenda est: *Omnia enim, quae loquitur populus iste, coniuratio est*, contra me. Unde si me sociant vobis in coniuratione, sentient me vobis socium in defensione: *Exo. 16. Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum: Isa. 50. Stemus simul. Quis est adversarius meus? Accedat ad me.* Secundo prohibet passionis motum, *Et timorem eius ne timueritis.* Timor, et pavor differunt secundum magis, et minus: timor enim facit motum cordis secundum systolem, sed pavor quasi immobilitat cor: *Ps. 21. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Dominum exercituum* etc. Hic instruit eos, quomodo timendus sit. Et primo ponit legem. Secundo legis absconsionem, ibi, *Signa legem* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit legis praeceptum Secundo obedientium fructum, ibi, *Et erit vobis* etc. Tertio poenam rebellium, ibi, *In lapidem autem* etc. Praeceptum autem est, ut Deus honoretur. *Sanctificate Dominum exercituum*, in vobis ipsis; *et in sanctitate serviatis ei. Ipse pavor vester*, inquantum Dominus: *Ps. 111. Beatus vir, qui timet Dominum ipse terror*, inquantum ultor: *Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam, et corpus in gehennam perdere.* Hoc exponit Petrus de Christo, *1. Pet. 3.* Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Etiam videtur intentio prophetae propter ea, quae sequuntur. Nota super illo verbo, *Sicut in manu forti erudivit* etc. quod est manus divina triplex. Primo est manus divinae potentiae: et haec est triplex. Primo creantis: *Iob 10. Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me.* Secundo continentis: *Ps. 94. In manu tua Domine omnes fines terrae.* Tertio protegentis: *Ps. 49. In umbra manus suae protexit me.* Secunda manus est manus iustitiae: et

ista erit triplex. Prima tangentis, ad probandum: *Iob 19. Manus Domini tetigit me.* Secunda flagellantis, ad purgandum : *2. Mac. 6. Nam et si in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manus omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Tertia opprimentis, ad condemnandum: *Hebr. 10. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Tertia manus est manus misericordiae: et ista est triplex. Prima sanantis: *Iob 5. Ipse vulnerat, et medetur, percutit, et manus eius sanabunt.* Secunda pascentis: *Ps. 94. Populus pascuae eius, et manus eius.* Tertia coronantis : *Sap. 5. Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. Et erit vobis* etc. Hic ponit obedientium fructum in sanctificationem, *Sanctos faciet vos: Lev. 22. Ego Dominus, qui sanctifico vos. In lapidem.* Ponit rebellium impedientium poenam sub metaphora viatorum. Et primo ponit occasionem. Secundo poenae perceptionem, ibi, *Et offendent* etc. Occasionem autem ponit primo quantum ad populum. Secundo quantum ad principes, ibi, *In laqueum* etc. Primum ponit sub metaphora lapidis existentis in via, qui dupliciter impedit viatorem, scilicet per pedis laesionem, et per casus occasionem. Et similiter Christus fuit incredulis ex Iudaeis occasio laesionis, et casus, non ex culpa sua, sed illorum. Dicit ergo, *Erit duabus domibus Israel*, idest infidelibus de decem, et duabus tribubus; vel scribis, et pharisaeis, *In lapidem offensionis*, quantum ad laesuram: *Rom. 5. Offenderunt enim in lapidem offensionis. Et in petram scandali*, in qua pes impingit ad casum. Scandalum graece, latine pedis impactio : *1. Cor. 1. Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et quia principes magis Christo restiterunt, ideo quantum ad eos aggravat. Et erit, *Habitantibus Hierusalem*, quae erat urbs principum, *In laqueum*, sicut animalia capiuntur laqueo, et hoc est gravius, quam offensio : *Isa. 54. Qui se explicuerit de fovea, incidet in laqueum. Et in ruinam*, quod est magis, quam casus simplex: *Luc. 2. Ecce hic positus est in ruinam.* Et quia occasiones quandoque aliquis devitat, et non incurrit; ideo hoc removet, et ostendit poenae perceptionem, et dicit, *Et offendent*, contra id, quod dixit, offensionis, per infidelitatem; contra scandalum vero, *Cadent*, a dignitate regni: *Matt. 8. Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Conterentur*, quantum ad ruinam poenae, famis, et gladii: *Matth. 21. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.* Quantum ad laqueum dicit, *Irretientur et*, funibus peccatorum perplexitatum, quae non rumpentur, *Capientur*, a Romanis: *Prov. 5. Funibus peccatorum suorum constringitur. Liga testimonium*, idest involve prophetiam de Christo obscuritate, ne videant Iudaei, quia indigni sunt, *Signa legem.* Ligare duo significat, quandoque claudere sub sigillo : et sicut dicit, *Signa legem*, veterem sub figuris, *In discipulis meis*, idest quousque discipuli mei aperiant praedicando per mundum: *Dan. 12. Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum.* Vel *in discipulis meis*, absconde. Quandoque significat expressionem figurae : *Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et sic, *Signa*, in anima, *Discipulis meis.* Secundo abscondit expectationem, *Expectabo : Mich. 7. Ego autem ad Dominum aspiciam. Expectabo Dominum salvatorem meum.* Expectati repraesentationem, *Ecce ego*, scilicet Christus, *Et pueri mei*, apostoli, *Quos dedit mihi Dominus: Io. 17. Tui erant, et mihi eos dedisti: In signum*, idest ut faciant signa, *Et in portentum*, mirum quod sua magnitudine portendit. Et hoc fiet, *A Domino qui habitat*, per cultum, vel fidem, *In Syon*, Ecclesia: *Zach. 3. Audi Iesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia potentes sunt.* Quidam exponunt hoc de Isaia, *Et pueri*, prophetae secundum hoc: *Isa. 20. Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum, et portentum erit super Aegyptum, et super Aethiopiam.* Quidam de filiis Isaiae. *Et pueri*

d Hic removet divinorum communicationem: et circa hoc tria facit. Primo ponitur falsa communicatio, *Et cum dixerint*, hostes vestri, *quaerite a phytonibus*, qui vobis praedicunt mala, et nobis bona. Phyton hebraice os abyssi. Et dicit Hieronymus, quod dicuntur ab Apolline phytio, quia hoc genus artis magicae invenitur, per quod videntur mortui suscitari, et de futuris aliqua praedicere, sicut legitur *1. Reg. 28.* Rabanus dicit, quod est nomen maligni spiritus. Item Hieronymus dicit, quod dicitur Phyton, qui habet diabolum in ventre. *Et a divinis*, quia sibi actum Dei vindicant in praedictione futurorum, et praecipue quantum ad cultum falsorum deorum, *Qui strident*, quasi insani : *3. Reg. 18. Clamabant voce magna, et incidebant se iuxta ritum suum cultris, et lanceolis, donec perfunderentur sanguine : Deut. 18. Non sit maleficus, nec incantator, nec qui phytones consulat, nec divinos, et quaerat a mortuis veritatem : omnia enim haec abominatur Dominus.* Secundo docetur responsio „ *Numquid non populus* etc. Vel, *Vivis et mortuis*, idest loco deorum vestrorum, qui sunt simulatus hominum, et mortuorum et vivorum. Vel quaerimus visionem pro vivis, et mortuis, sicut et vos, scilicet a diis vestris, qui sunt similes mortuis, *Ad legem magis*, quae prohibet talia, vel quae docet, quod est expectandum, *Testimonium*, scripturae. Tertio ponit inobedientium comminationem, *Quod si non dixerint ;* et facit tria. Primo comminatur poenam. Secundo in poena impatientiam, ibi, *Et cum esurierit.* Tertio desperationis tristitiam, *Et despiciet.* Dicit ergo primo, *Quod si non dixerint iuxta hoc verbum*, respondentes, scilicet vel faciemus, quod, *Non erit eis matutina lux*, idest Christus tenebras pellens : *Io. 8. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et transibit per eam*, congregationem ad alios, non manens in eis : *Isa. 58. Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus: Et corruet*, in damnationem, et verbum Dei : *Et esuriet: Amos 8. Ecce ego mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquae, sed audiendi verbum Dei*: vel lux consolationis. *Et corruet*, in damnationem: *Sap. 3. Ruit Hierusalem, et Iuda concidit. Et esuriet*, panem, *Et cum esurierit*, per impatientiam quantum ad iram cordis, *Irascetur* : *Ps. 58. Si non fuerint saturati murmurabunt.* Quantum ad blasphemiam oris, *Et maledicet* : *Apoc. 16. Et blasphemaverunt Deum coeli, prae doloribus et vulneribus, et non egerunt*

*poenitentiam de operibus suis. Et suspiciet sursum.* Hic ponit desperationis tristitiam. Et primo expectationem auxilii, *Suspiciet sursum*, de coelo quaerens auxilium, *Et ad terram intuebitur*, ad auxilium de terra: *Isa. 5. Aspiciet in terra, et ecce tenebrae tribulationis.* Secundo imminentia pericula, *Et ecce tribulatio*, praevisa, *Et tenebrae*, quantum ad consilium resistendi, *Dissolutio*, contra confortationem, *Et angustia*, quantum ad perplexitatem, *Et caligo persequens*, quantum ad persecutionem. Tertio liberationis impossibilitatem ad similitudinem avis caprae, *Et non poterit avolare de angustia sua.* E contrario est de iustis: *Ps. 123. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*

## a CAP. IX.

Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtalim, et novissimo aggravata est via maris, trans Iordanem Galilaeae gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam. Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis. Super David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et iustitia, amodo, et usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

b Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Ephraim, et habitantes Samariam in superbia, et magnitudine cordis dicentes: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus, sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos eius in tumultum vertet, Syriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente, et devorabunt Israel toto ore. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Et populus non reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt. Et disperdet Dominus ab Israel caput, et caudam, incurvantem, et depravantem die una. Longaevus, et honorabilis ipse est caput, et propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt, qui beatificant populum iustum, seducentes, et qui beatificantur praecipitati. Propter hoc super adolescentulis eius non laetabitur Dominus, et pupillorum eius, et viduarum non miserebitur. Quia omnis hypocrita est, et nequam, et universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit. Et succendetur in densitate saltus, et convolvetur in superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus, quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet, et declinabit ad dexteram, et esuriet, et comedet ad sinistram, et non saturabitur. Unusquisque carnem brachii sui vorabit. Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen, et simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

## a CAP. IX.

Hic ponit destructionis modum, et ordinem. Et primo secundum diversitatem punitorum. Secundo secundum diversitatem poenarum, ibi, *Verbum misit* etc. Prima in tres, secundum tres persecutiones factas ab Assyriis in terram promissionis. Primo enim Tegalphalasar, regnante Phacee in Samaria, captivavit duas tribus, et dimidiam, quae erat ultra Iordanem, respectu Hierusalem, et de tribu Zabulon, et Nephtalim, quae erant citra Iordanem tantum quod posset aequiparari dimidiae tribui; et quantum ad hoc dicit, *Primo tempore*, idest tempore primae captivitatis, *Terra Zabulon, et Terra Nephtalim alleviata*, idest minorata habitatoribus suis, quod forte remanentibus non fuit multum grave, quia remanserunt eis plures possessiones: et de hoc dicitur *4. Reg. 3.* Secundo venit Salmanasar nono anno Osee, et captivavit residuos ex decem tribubus, qui erant citra Iordanem respectu Iudaeae; et quantum ad hoc dicit, *Novissimo*, idest in ultima captivitate generali decem tribuum, *Via maris*, idest regio, qua itur ad mare Genesareth, *Galilaeae*, idest quae est in Galilaea, *Gentium*, quae est trans Iordanem, respectu Assyriorum, quamvis citra respectu Iudaeae, *Aggravata*, idest gravi pondere tribulationis pressa. Est autem duplex Galilaea: una in tribu Zabulon, alia in tribu Nephtalim, vicina Tyriis; et dicitur gentium ista, vel propter multas gentes, quae habitabant ibi, vel propter dominium, quia dederat eam Salomon regi Tyri, *4. Reg. 17.* Tertio venit Senacherib, et civitates Iuda coepit, et Hierusalem obsedit, sicut dicitur *4. Reg. 18.* Et de ista tertia persecutione loquitur hic propheta, dicens, *Populus*, et promittit Iudaeis salutem. Unde duo facit. Primo promittit salutis gratiam. Secundo assignat causam, ibi, *Zelus Domini exercituum* etc. Circa primum tria facit. Primo promittit salutem. Secundo prosequitur salvationis ordinem, ibi, *Multiplicasti* etc. Tertio describit ipsum salvatorem, ibi, *Parvulus* etc. Promittit autem eis salutem contra duo, contra perplexitatem; et quantum ad hoc dicit, *Populus*, Iudaeae, *Qui ambulabat*, idest procedebat in negotiis suis, *In*

*tenebris*, dubietatis, *vidit lucem magnam*, diem consolationis; et contra poenae gravitatem, *Habitantibus in regione umbrae mortis*, idest Iudaeae, quae propter gravem persecutionem erat similitudo mortis, *Lux orta eis est*, divinae consolationis: *Isa. 60. Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Multiplicasti gentem.* Hic ponit salvationis processum, et ordinem, quantum ad quatuor. Primo quantum ad hostium frustrationem; et quantum ad hoc dicit, *Multiplicasti gentem*, in exercitu Senacherib. *Et non magnificasti eis laetitiam*, ut implerent, quod proposuerant: *Iob ... Consilia pravorum dissipat.* Secundo hostium spoliationem, quod fuit, quando illis interfectis ab angelo, sicut dicitur *Isa. 36.* populus egressus est ad colligenda eorum spolia: unde comparatur messoribus, et victoribus, *Laetabuntur: Isa. 35, Gaudium et laetitiam obtinebunt; et fugiet ab eis dolor, et gemitus.* Tertio servitutis liberationem, Tyranni enim onerant praeceptis; et quantum ad hoc dicit, *Iugum enim oneris eius*, scilicet Senacherib, quod deposuit. Affligunt poenis; et quantum ad hoc dicit, *Et virgam humeri eius*, idest qua humeros verberabant. Spoliant rebus; et ideo dicit, *Sceptrum exactoris eius: Isa. 14. Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Ita hoc faciliter fiet, *Sicut in die Madian*, idest sicut Gedeon Madianitas deiecit, *Iudic. 7.* Quarto quantum ad hostium punitionem. Et haec evenient, *Quia omnis violenta praedatio cum tumultu*, idest violenti praedatores, quantum ad nocumentum, quod inferebant in rebus, *Et vestimentum mixtum sanguine*, eorum, quos occidebant. Quantum ad nocumentum inflictum in personis, *Erit in combustionem.* Ad literam enim combusti fuerunt: *Isa. 10. Et subtus gloriam eius ardebit succensa, quasi combustio ignis. Parvulus enim natus est nobis* etc. Hic describit Salvatorem. Et primo quantum ad receptionem. Secundo quantum ad nominationem, ibi, *Et vocabitur.* Tertio quantum ad potestatem, ibi, *Multiplicabitur eius imperium* etc. Recepimus autem in natura nostra in nativitate, *Parvulus natus est nobis: Luc. 2. Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator, quod est Christus Dominus in civitate David.* Recipimus in notitiam nostram in Patris attestatione: *Matth. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Bernardus: *Puer leviter placari potest, facile condonat; pauperes sumus, et parum dare possumus, tamen pro illo parvulo possumus reconciliari erga Christum parvulum, si volumus. Et filius datus est.* Recipimus etiam in divina reverentia per passionem: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, Phil. 2. Et factus est principatus*, idest crux, per quam principatus exaltatus est: *Io. 19. Et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locus. Et vocabitur.* Hic ponit eius nominationem. Et primo nomen exprimens sapientiam divinam, *Admirabilis: Ps. 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Unde omnia opera eius mirabilia fuerunt, et praecipue in unione earum duarum naturarum in una persona. Quantum ad humanam, *Consiliarius*, consilia praeceptis superaddens: *Eccl. 6. Consiliarius tibi sit unus de mille.* Exprimens potentiam divinam, *Deus: Isa. 55. Vere tu es Deus absconditus.* Humanam, *Fortis* in virtute: *Iob 9. Sapiens corde est, et fortis robore.* Tertio nomen exprimens bonitatis affluentiam quantum ad divinam, *Pater futuri saeculi*, idest generans filios in gloriam: *Heb. 2. Decebat enim eum propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari: Isa. 22. Et erit quasi pater habitantibus Hierusalem.* Quantum ad humanam, *Princeps pacis*, inquantum est mediator: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, Ephe. 2. Gen. 23. Princeps Dei es apud nos* etc. *Multiplicabitur.* Hic describit eius potestatem. Et primo quantum ad regni magnitudinem. Secundo quantum ad regni nobilitatem, *Super solium* etc. Tertio quantum ad aeternitatem, ibi, *Amodo et usque* etc. Circa primum duo ponit. Primo regni magnitudinem, *Multiplicabitur eius imperium: Dan. 7. Et omnes reges servient, et obedient ei.* Quantum ad pacis quietem, *Et pacis non erit finis: Isa. 26. Servabis pacem, pacem quia in te speravimus. Super solium David.* Hic describit regni nobilitatem, *Super solium David*, idest ecclesiam, quae significatur in regno David: *Luc. 2. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius.* Quantum ad effectum regni, *Ut confirmet*, ad resistendum, et corroboret etiam ad impugnandum, *In iudicio*, idest per iudicium: *Hier. 23. Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra.* Quantum ad aeternitatem, *Amodo*, idest a tempore incarnationis, *Et usque in sempiternum: Dan. 7. Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* Ultimo ponit motivum ad causandum, *Zelus*, idest amor Dei Patris: *Io. 10. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Iudaei exponunt hoc de Ezechia. Sed patet, quod regnum eius non fuit corroboratum in aeternum, nec nomina conveniunt sibi, quae significant divinam eminentiam. Propter quod Septuaginta subticuerunt, et posuerunt loco illorum, *Magni consilii angelus.* Notandum super illo verbo, *Parvulus natus est*, quod Christus dicitur parvulus primo in nativitate propter aetatem: *Matt. 2. Intrantes domum invenerunt puerum eum Maria matre eius.* Secundo possessione propter paupertatem: *2. Cor. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos factus est egenus, cum esset dives.* Tertio corde propter humilitatem: *Matt. 18. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Quarto morte propter mortis vilitatem: *Sap. 9. Morte turpissima condemnemus eum.* Notandum super illo verbo, *Datus est nobis*, quod Christus datus est nobis primo in fratrem: *Can. 8. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae.* Secundo in doctorem: *Ioel. 2. Filii Syon exultate, et laetamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiae.* Tertio in speculatorem: *Ez. 3. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Quarto in propugnatorem: *Isa. 19. Mitte eis salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos.* Quinto in pastorem: *Ezec. 34. Et suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eas.* Sexto in exemplum operationis: *Io. 25. Exemplum enim dedi vobis, ut que-*

*madmodum ego feci , ita et vos faciatis.* Septimo in cibum peregrinationis : *Ioan. 6. Panis quem ego dabo , caro mea est pro mundi vita.* Octavo in pretium redemptionis : *Matt. 20. Filius hominis non venit ministrari , sed ministrare , et dare animam suam redemptionem pro multis.* Nono in praemium remunerationis : *Apoc. 2. Vincenti dabo comedere manna absconditum.* Item notandum super illo verbo , *Supra humerum eius,* quod Deus posuit super humerum Christi primo peccata , sicut supra satisfactorem : *Isa. 53. Deus posuit super eum iniquitatem omnium nostrum.* Secundo clavem , sicut super sacerdotem : *Isa. 22. Et dabo clavem domus David super humerum eius , et aperiet , et non erit qui claudat.* Tertio principatum , sicut supra dominatorem hic : *Factus est principatus super humerum eius.* Quarto gloriam , sicut supra triumphatorem : *Isa. 22. Et suspendam super omnem gloriam domus patris eius.*

b Hic exequitur ordinem punitionis, secundum diversitatem poenarum. Et primo commemorat culpam. Secundo exequitur poenam, ibi, *Et elevabit* etc. Arguit autem in eis culpam dupliciter. Primo quantum ad transgressionem divini praecepti; unde dicit, *Verbum misit Dominus in Iacob* , idest in Iuda , vel in solo populo , ut de Iuda constituerentur duces : *Gen. pen. Non auferetur sceptrum de Iuda , et dux de femore eius , Iudic. 9. 4. Reg. 15 , Et cecidit in Israel* , idest frustratum est in Israel , idest in decem tribubus , quae dimittunt domum David , *3. Reg. 12.* Vel verbum legis universaliter : *Ose. 4. Si fornicaris in Israel , non delinquat saltem Iuda.* Secundo quantum ad executionem facti , inquantum dicebant se bene fecisse caecati superbia , quia tumor mentis obstaculum est veritatis; et ideo dicit, *Et sciet omnis populus Ephraim,* idest decem tribuum, *Et habitantes Samariam* , quantum ad principes populi. *Sciet* , idest recognoscet se , et culpam suam in poenam , quia oculos , quos culpa claudit , poena aperit. *Dicentes in superbia , et magnitudine cordis,* inquantum in corde suo super alios se existimabant, *Et magnitudine,* quantum ad praesumptionem magnorum, quae proponebant , *Lateres* , idest reges Iuda , qui erant firmi , *ceciderunt* , a nobis , *Sed quadris lapidibus* , idest fortibus regibus ex nobis: *Ædificamus,* regnum vestrum. *Succiderunt* , scilicet hostes , ut Syri, *Sychomoros* , idest reges Iudae infructuosos , *Cedros* , idest sublimes ex nobis , *Immutabimus* , idest ponemus loco illorum : *Isa. 7. Ponamus regem in medio eius filium Tabeel.* De superbia eorum: *Isa. 28. Vae coronae superbiae ebriis Ephraim. Et elevavit.* Hic exequitur diversitatem poenarum quantum ad tria , in quibus confidebant. Primo comminatur contra foederationem vicinorum. Secundo contra utilitatem personarum quam se aestimabant habere , ibi , *Et disperdet Dominus* etc. Tertio contra multitudinem populorum , ibi , *Succensa est* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur punitio. Secundo ulterioris poenae praeparatio , ibi , *In omnibus* etc. Comminatur autem duo. Primo futuram destructionem , *Et levavit Dominum hostes Rasim* , idest Assyrios , *In tumultum* , belli , de quo *4. Reg. 16.* Secundo persecutionis impugnationem. Et adducet Dominus, *Syriam ab oriente* , secundum situm terrae , qui erant amici , *Et Philisthiim ab occidente* , qui Iudam impugnabant , *Et devorabunt Israel* , destruent, *toto ore* , idest toto affectu : *Abach. 3. Exultatio eorum sicut eius , qui devorat pauperem in abscondito. In omnibus his non est aversus furor eius.* Hic ponitur poenae praeparatio ; et secundo assignatur ratio , ibi , *Et populus* etc. Praeparatio autem ponitur in voluntate, *Non est aversus furor, 3. Reg. 23. Veruntamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni , quo iratus est furor eius contra Iudam.* Et quantum ad potestatem,*Manus eius.* Loquitur more humano: *supra 1. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.* Ratio addendi poenam poenae est incorrigibilitas populi: et hoc est quod dicit, *Et populus non est* etc. *Hier. 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Disperdet Dominus* etc. Hic comminatur contra confidentiam de utilitate personarum. Et primo ponitur punitio. Secundo ultionis poenae praeparatio, ibi, *In omnibus his* etc. Personae autem utiles videbantur , vel ad defensionem ; et contra hos primo : vel ad divinae misericordiae provocationem; et contra hos , ibi , *Propter hoc super* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur dignitas, et culpa, et culpa sub metaphora, *Caput,* quantum ad principem : *Et caudam* , quantum ad populum: *Incurvantem,* contra rectitudinem iustitiae: *Depravantem* vel refraenantem, scilicet prophetam: *Ezec. 13. Et violabant me ad populum meum.* Secundo exponit metaphoram , *Longaevus* , docens mendacium: *Ezech. 22. Prophetae autem eius liniebant eos, absque temperamento videntes vana, et divinantes eis mendacia.* Tertio ponit poenam, *Et erunt seducentes , qui beatificant* etc. Seducti autem, *Qui beatificantur,* praecipitati: *Supra 3. Populе meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt: Osee 4. Corrues hodie , et corruet etiam propheta tecum. Propter hoc* etc. Hic contra personas utiles ad misericordiam provocandam, vel propter carnis integritatem, *Adolescentulis,* scilicet virginibus; vel propter aetatem, *Pupillorum;* vel propter infirmitatem, *Viduarum.* Et primo ponitur punitio, *Non miserebitur.* Secundo ponitur ratio, quantum ad simulationem in opere, *Quia omnis hypocrita est;* quantum ad malitiam in corde, *Et nequam;* quantum ad falsitatem in ore , *Et universum os : Iob 8. Spes hypocritae peribit. In omnibus* etc. ut supra exponitur. *Succensa* etc. Hic comminatur contra confidentiam de multitudine populi primo seditionem , deinde poenae ulterioris praeparationem, ibi, *In omnibus* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur metaphora ignis. Secundo famis, ibi, *Et declinabit ad dexteram* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit metaphoram. Secundo expositionem, ibi, *In ira Domini* etc. Comminatur autem poenam seditionis sub metaphora combustionis. Unde primo ponit causam combustionis efficientem, *Succensa est;* ac si dicat , Impietas vestra est sicut ignis accensus ad comburendum vos: *Isa. 50. Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis , ambulate in lumine ignis vestri.* Secundo materialem, *Veprem* , idest populum vitiosum, *Supra 5. Ascendent vepres , et spinae super eam.* Secundo ipsam combustionem, *Succendent in densitate saltus,* idest in sylva, in qua sunt multae arbores , et significatur multitudo populi , et

effectus, *Convolventur superbia fumi*, idest altitudine fumi : fumus enim ascendens ex igne involvit cacumina arborum, et tribulatio seditionis obtenebrat visum hominum : *Ioel. 1. Ignis comedet speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. In ira*, quae est quasi ignis, *Nume. 1. Indignatio eius effusa est, ut ignis, Et erit populus, quasi esca ignis: Isa. 50. Ambulate in lumine ignis vestri. Vir fratri suo.* Hoc exponitur quantum ad ipsam combustionem. *Et declinabit ad dexteram.* Hic comminatur eandem poenam sub metaphora famis. Et primo ponit metaphoram, *Declinabit*, quasi facta videantur, *Ad dexteram*, per quam amici significantur: *Esuriet*, adhuc malum facere, *Ad sinistram*, inimicos, *Carnem brachii*, idest consanguineos. Secundo exponit quantum ad consanguineos, *Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen*, qui ambo filii fuerunt Ioseph. Tertio quantum ad hostes, *Simul ipsi contra Iudam: Hierem. 9. Omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet: Supra 5. Et corruet populus vir ad virum, unusquisque ad proximum suum. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Expone omnia ut supra.

## a CAP. X.

Vae qui condunt leges iniquas, et scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causae humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum, et pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium, et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Vae Assur. Virga furoris mei, et baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat praedam, et ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita aestimabit, sed ad conterendum erit cor eius, et ad internecionem gentium non paucarum. Dicet enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt? Nunquid non ut Charchamis, sic Calano, et ut Arphad, sic Emath? Nunquid non ut Damascus, sic Samaria? Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Hierusalem, et de Samaria. Numquid non sicut feci Samariae, et idolis eius, sic faciam Hierusalem, et simulacris eius? Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Syon, et in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim: In fortitudine manus meae feci, et in sapientia mea intellexi. Et abstuli terminos populorum, et principes eorum depraedatus sum, et detraxi, quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur ova, quae derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, et non fuit, qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, et subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, et sanctus eius in flamma, et succendetur, et devorabitur spina eius, et vepres in die una. Et gloria saltus eius, et carmeli eius ab anima usque ad carnem consummetur. Et erit terrore profugus, et reliquiae ligni saltus eius prae paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. Et erit in die illa, non adiiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo, qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel. In veritate reliquiae convertentur, reliquiae, inquam, Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit iustitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae. Propter hoc haec dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere, populus meus habitator Syon, ab Assur. In virga enim percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Aegypti. Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio mea, et furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Aegypti, et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo, et iugum eius de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei. Veniet in Aiath, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua. Transierunt cursum, Gabaa sedes nostra. Obstupuit Rhama, Gabaath Saulis fugit. Hinni voce tua filia Gallim, attende Laisa, pauperula Anatoth. Migravit Medemena: habitatores Gabin confortamini. Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiae Syon, et collem Hierusalem. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus eius ferro, et Libanus cum excelsis cadet.

## a CAP. X.

Hic incipit comminari contra hostes corporaliter persequentes alienigenas. Et primo contra vastantes. Inde contra vastitati congaudentes, *infra 14. ca. In anno quo mortuus est rex Achaz* etc. Prima in duas. In prima contra Assyrios captivantes decem tribus, et affligentes duas. In secunda contra Babylonios captivantes duas, *13. ca. Onus Babylonis* etc. Prima in tres. In prima comminatur hostium destructionem. In secunda promittit populi reintegrationem, *c. 11. Confitebor* etc. Hoc autem capitulum dividitur in duas partes. In prima comminatur contra principes duarum tribuum, qui in Assyriorum auxilio confidebant, scilicet Achaz, sub quo haec visio scripta est, ut legitur *1. Reg. 16.* In secunda contra ipsos Assyrios, ibi, *Vae Assur* etc. Tamen aliqui incipiunt, ibi, *10. c.* Et tunc esset facilior, quia sic haec pars esset incondivisa praecedenti. Prima dividitur in duas. In prima ponitur comminatio. In secunda ostenditur ultionis poenae praeparatio, ibi, *Super omnibus* etc. Prima in duas. In prima arguit culpam. In secunda comminatur poenam, ibi, *Quid facietis?* etc. Culpam primum arguit quantum ad duo, scilicet quantum ad perversam legislationem, *Vae qui condunt leges iniquas*, secundum quod lex firmatur principis aedicto: *Et scribentes*, secundum quod firmatur scripto: *Ro. 10. Ignorantes enim Dei iustitiam, et suam quaerentes statuere, Deo non sunt subiecti. Quid facietis?* Hic comminatur poenam. Et primo aufert evasionis remedium. Et hoc triplex, confidentiae, secundum propriam potentiam, *Quid facietis in die de longe venientis?* quantum ad praemunitonem hostium, vel quantum ad praedictionem prophetarum: *Ose. 9. Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini: Naum 1. Ante faciem indignationis eius quis stabit?* Secundo quantum ad potentum amicitiam, *Ad cuius confugietis auxilium? Iob 6. Ecce non est auxilium in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.* Tertio quantum ad divitiarum gloriam, *Et ubi derelinquetis gloriam vestram*, quasi dicat, quae vobis non proderit: *Sap. 5. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum iactantia contulit nobis?* Secundo exprimit poenae modum. Et primo captivitatis, *Ne incurvemini: Supra 2. Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.* Secundo interfectionis, *Et cum interfectis cadatis: Ezec. 32. Omnes hi interfecti ruentes gladio. Super omnibus his* etc. Hic ponitur ulterioris poenae praeparatio, ut supra exponatur. *Et Assur.* In parte ista comminatur contra ipsos Assyrios: et dividitur in duas partes. In prima ponitur hostium opprimentium comminatio. In secunda populi oppressi confortatio, ibi, *Propter hoc dicat.* Prima in tres. In prima arguit culpam. In secunda comminatur poenam, ibi, *Propter hoc mittet* etc. In tertia ostendit poenae effectum, ibi, *Et erit* etc. Culpa autem consistit in transgressione praecepti, vel ab usu auctoritatis; unde dividitur prima pars in tres. In prima ponitur auctoritatis commissio. In secunda auctoritatis abusio, ibi, *Ipse autem non sic* etc. In tertia abutentis elatio, ibi, *Et erit cum impleverit* etc. Circa primum tria facit. Primo committitur flagellandi officium. Secundo designat flagellis dignum, ibi, *Ad gentem fallacem* etc. Tertio imponit flagellandi modum, ibi, *Ut auferat spolia et caetera.* Circa primum tria designat. Primo flagellantem, *Vae*, tibi imminet: *Assur*, qui es, *Virga furoris mei.* Flagellandi potestatem, *Baculus*, per quem ego flagello. *In manu eorum*, idest in potestate, idest in executione. Et flagellationem, *Indignatio mea*, complebitur per eos: *Isa. 14. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cedentem populos in indignatione. Ad gentem fallacem* etc. Hic describit flagellis dignum, et quantum ad culpam, *Ad gentem fallacem*, quia non servat promissum: *Exo. 19. Cuncta quae locutus est Dominus faciemus.* Et quantum ad sententiam, *Populum furoris*, idest quem iam iudicavi puniendum: *Mittam*, inspirabo vos esse puniendos: *4. Reg. 18. Dominus dixit mihi, Ascende ad terram hanc, et demolire eam. Ad*, idest contra. *Ut auferat* etc. Hic ponit flagellationis modum quantum ad detractionem rerum. *Auferat spolia*, quantum ad detentionem: *Diripiat*, quantum ad hominum oppressionem: *Ponat quasi lutum*, prae vilitate: *Ps. 17. Ut lutum platearum delebo eos. Ipse autem* etc. Hic ponitur abusio potestatis concessae, inquantum excessit fines mandati. Et primo ponitur eius propositum. Secundo ponitur propositi motivum, ibi, *Dicet enim* etc. Circa primum duo facit. Primo dimittit praefixam mensuram: et quantum ad rationis iudicium, *Non sic arbitrabitur*; et quantum ad cordis propositum, *Non ita aestimabitur*, hoc est taxabit poenam. Secundo adauget poenam et quantum ad modum, *Ad conterendum*, hoc est omnia disperdendum: et quantum ad numerum, *Gentium non paucarum*, immo plurium, non solum ad illos, ad quos mittebatur: *Abach. 1. Ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt: Abac. 2. Cogitasti confusionem domui tuae, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. Dicet enim* etc. Hic ponitur motivum. Et primo assumit. Secundo concludit, ibi, *Sic faciam Hierusalem, et simulacris* etc. Circa primum primo assumit servitutem regum, *Numquid non reges simul, et principes mei sunt? Abac. 1. Ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt.* Secundo subiugationem civitatum, *Numquid non ut Charchamis* etc. *Isa. 37. Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum.* Tertio destructionem deorum, *Quomodo invenit manus mea regna idoli?* admirative, quasi dicat, quomodo fuit hoc, quod dii illi non restiterunt mihi? *4. Reg. 18. Quinam illi sunt in universis diis terrarum qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit Deus eruere Hierusalem de manu mea? Sic faciam Hierusalem, et simulacris suis* etc. Hic concludit primo a gentibus ad totum populum Israel, *Sic et simulacra eorum de Hierusalem, et de Samaria.* Secundo ex decem tribubus ad duas, *Numquid non sicut* etc. De Samaria verum dixit, quia colebant idola; sed de Hierusalem abstulerat Ezechias, *4. Reg. 18.* Et forte aliqua remanserunt occulte, quae invenit in parte civitatis, quae tradidit ei Sobin scriba. Vel vocat simulacra archam, et ea, quae erant in ornatum templi. *Et erit cum impleverit* etc. Hic arguit eius superbiam. Et primo ponitur superba gloriatio. Se-

cundo gloriandi occasio, ibi, *Dixit enim* etc. Tertio gloriantis increpatio, ibi, *Numquid gloriabitur* etc. Dicit ergo. *Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua*, poenas scilicet quibus vult corrigere, *Magnifici cordis*, quantum ad praesumptionem de faciendis, *Et super gloriam*, quantum ad elationem de factis : *Supra 2. Oculi sublimes hominis humiliati sunt. Dixit enim* etc. Hic ponit gloriae occasionem ex magnis, quae fecerat. Et primo quantum ad facientis conditionem. Secundo quantum ad facti magnitudinem, ibi, *Et abstuli* etc. Tertio quantum ad faciendi facilitatem, ibi, *Et invenit* etc. Facientis conditionem ostendit, quantum ad potentiam bellorum. *In fortitudine.* Quantum ad sapientiam consiliorum, *Et in sapientia: Deut. 32. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* Facti autem magnitudo pensatur ex tribus. Ex multitudine regnorum ; unde dicit, *Et abstulit terminos.* Loquitur ad similitudinem eius, qui acquirit multos agros, qui aufert terminos, quibus diversorum possessiones dividebantur. Quantum ad spoliationem principum, *Et principes eorum depraedatus sum.* Quantum ad subiugationem regum, *Et detraxi quasi potens in sublimi*, idest in solio regni, *Residentes: Dan. 9. Quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat.* Facilitas autem faciendi determinatur quantum ad tria. Quantum ad plenariam subiectionem, *Et invenit, quasi nidum* etc. qui est in potestate invenientis: *Isa. 16. Et erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes ;* quantum ad facilem destructionem, *Et sicut colliguntur ova* etc. ita de facili: *Abac. 2. Et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes gentes;* quantum ad sublatam omnem conditionem, *Et non fuit qui moveret pennam*, idest manum. Penna avis se defendit, *Et aperiret os*, ad contradicendum, *Et ganniret*, quod est vulpium, vel avium, ad plangendum: *Ezec. 24. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymae tuae. Numquid gloriabitur* etc. Hic ponitur gloriantis increpatio : quia etiam est, sicut instrumentum, quod non potest operari, nisi motu artificis, *Securis*, ad mactandum malos, *Exaltabitur serra*, ad discernendum bonos a malis, *Virga*, ad corrigendum, *Baculum*, ad sustentandum correctos : *Iob 15. Quid tumet contra Dominum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones. Propter hoc immittet* etc. Hic comminatur poenam : et circa hoc tria facit. Primo comminatur poenae iudicium. Secundo determinat poenae modum, ibi, *Et subtus*, gloriam. Tertio poenae effectum, ibi, *Et erit terrore* etc. *in pinguibus*, potentibus et divitibus: *Isa. 25. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium. Et subtus* etc. Hic determinatur poenae modus, qui fuit per combustionem. Et ponuntur tria. Primo poenae species, *Gloriam eius*, idest multitudo exercitus, *Subtus*, idest sub vestibus, quia vestimentis illaesis corpora cremata sunt: *Supra 1. Et erit fortitudo tua, ut favilla stuppae, et opus vestrum, quasi scintilla.* Secundo poenam inferens, *Sanctus Israel*, Deus, vel angelus Michael, cui commissus fuit ille populus: *Dan. 10. Ecce Michael unus ex principibus primis venit in adiutorium meum. In ignem*, quia per ignem puniet eos: *Soph. 1. In igne coeli eius devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Tertio poenam patiens et quantum ad minores, *Spina et vepres*, quae non multum crescunt: *Et gloria saltus eius*, quantum ad magnos qui propter dignitatem comparantur altis arboribus, *Carmeli eius ab anima* etc. quia et in anima et in corpore mortui sunt : *Supra 9. Succensa est, quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. Et erit terrore* etc. Hic ponitur poenae effectus. Et primo in hostibus quantum ad fugam, *Et erit terrore profugus.* Quantum ad paucitatem, *Et reliquiae ligni*, quia ad literam Senacheribus cum paucis fugit quinque cum decem. Secundo effectum in populo, *Et erit*, quantum ad tria in quibus offendebant, scilicet in confidentia gentium, *Super eo qui percutiet eos*, quia illi a quibus auxilium petebant, quandoque etiam affligebant eos, *Qui fugerint*, vel ad Ezechiam, vel ad alias gentes *Ezech. 19.* innitentibus eis. Secundo quantum ad cultum idolorum, et quantum ad modum, quia, *In veritate reliquiae*, contra id quod dicitur *1. Reg. 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Et quantum ad conversos, *Reliquiae Iacob*, qui relinquuntur ab Assyriis. Et confirmat promissionem. Si enim fuerit: *Gen. 22. Multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli, et velut arenam, quae est in littore maris.* Tertio quantum ad iustitiam operum. Et primo ponit promissionem, *Consummatio abbreviata*, idest destructio in brevi facta in exercitu Senacheribus: *Inundavit iustitia*, idest faciet inundare iustitiam, *In populo: Isa. 26. Misereamur impio, et non discet iustitiam, in terra sanctorum iniqua gessit.* Secundo ponit confirmationem, *Consummationem enim: Nahum 1. In diluvio praetereunte consummatione faciet loci eius. In medio terrae*, idest in Hierusalem, quae est in medullio terrae : *Ezec. 5. Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras.* Apostolus *ad Ro. 9.* exponit de reliquiis salvandorum. Et verbum abbreviatum secundum Septuaginta est verbum evangelii: *Mat. 22. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae.* Vel Verbum incarnatum. *Propter hoc, haec dicit Dominus.* Hic ponitur populi confortatio: et circa hoc duo facit. Primo ponit confortationem, *Noli timere: Isa. 11. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel.* Secundo exponit evasionem. Et primo in generali. Secundo in speciali, ibi, *Veniet in Aiath* etc. Circa primum tria facit. Primo ponitur afflictio, *In virga*, idest in afflictione obsessionis, et depraedationis, *Et baculum*, confringentem, *In via Aegypti*, quia audiens, quod rex Aethiopiae esset egressus de terra sua, ut legitur *4. Reg. 19.* dimisit terram, et in reditu destruxit civitates, quas invenit, veniens per Aegypti viam: *Hier. 48. Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus?* Secundo affligentium destructio, *Adhuc enim paululum*, respectu aeternitatis, vel respectu illius temporis in quo affligentur: *Ezec. 7. De propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te.* Secundo poenae magnitudo, *Consummabitur indignatio*, quoad culpam, *Furor*,

quoad vindictam. Tertio quoad puniendi facilitatem, *Meus iuxta plagam Madian*, de qua habetur *Iudi. 7. Et super mare rubrum: Exo. 14. Et levabit eam contra te*, primo in via Aegypti, quia in Aegyptiis confidebas. Tertio ponitur consequens liberatio. Et primo liberatio, *Auferetur onus: Hier. 50. In die illa conteram iugum eius de collo tuo, et vincula eius disrumpam.* Secundo liberationis ratio, *A facie olei*, divinae misericordiae: *Supra 1. Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Veniet in Aiath* etc. Hic describitur in speciali. Et primo ponitur oppressio numerans civitates per quas transivit veniens de Aegypto in Hierusalem, *Veniet*, de Aegypto, *In Aiath, apud magnas*, transibit, commendabit vasa sua, *Dimittet partem supellectilis suae*, ut expeditus veniat, *Transierunt cursim*, non impediti propter resistentiam illarum civitatum, *Gabaa sedes nostra*, vos exercitus, qui ibi quievit. *Obstupuit Thama*, idest timuit, quia vicinius erat, *Gabaa Saulis*, civitas regalis tempore Saulis, *Hinni*, morte aequorum, *Attende Laysa*, quomodo possis fugere, et similiter tu, *Paupercula Anatoth*, quia parva villa erat, *Medemena migravit*, fugit, et similiter, *Habitatores Gabin.* Vox Senacheribus ad exercitum, *Confortamini, adhuc dies est, ut in Nobe stetur*, villa est prope Hierusalem; quasi dicat, Ad hoc est tantum de die, quod possumus illic figere tentoria; quia divinatum erat ei quod si illa die illuc applicaret, quod vinceret. Vel, *O habitatores Gabin confortamini*, quia hostes prope sunt, *Agitabit*, ad modum comminantis: *Isa. 37. Ad factum Israel in manu servorum tuorum exprobrasti Domino.* Secundo hostium destructio, *Ecce damnator.* Et primo facilitas ex parte punientis, *Confringet*, ad similitudinem facti Gedeon, *Iudic. 7.* Secundo universalitas ex parte punitorum. *Excelsi*, quantum ad fortes corpore: *Sublimes*, quantum ad principes: *Condensa saltus*, quantum ad multitudinem populi, idest fructus, quae faciunt silvam spissam, *Et Libanus*, ipse Senacheribus, qui interfectus fuit a filiis suis: *Isa. 27.* Mistice Glossa, *Confringet lagunculam*, in passione Christi. Nota super illo verbo, *Et erit lumen Israel in ignem*, quia Deus noster dicitur ignis primo, quia subtilis: et quantum ad hoc primo dicitur subtilis quantum ad substantiam, quia dicitur Spiritus: *Io. 4. Spiritus est Deus.* Secundo quantum ad scientiam, quia penetrabilis: *Heb. 4. Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Tertio quantum ad apparentiam, quia invisibilis: *Iob 28. Unde ergo sapientia?* et *Isa. eod. Abscondita est ab oculis omnium viventium: Iob 38. Omnes homines.* Secundo etc. quia lucidus. Quod autem sit lucidus, patet primo quia manifestat, quantum ad intellectum: *Ps. 35. In lumine tuo videbimus lumen.* Secundo, quia delectat, quantum ad affectum: *Tob. 5. Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* Tertio, quia dirigit, quantum ad actum: *Isa. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Tertio, quia calidus. Et hoc primo, quia vivificat: *Iob 39. Tu forsitan in pulvere calefacies ea? Thren. 1. De excelsis misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Secundo, quia purgat: *Eccl. 38. Vapor ignis urit carnes eius, et in calore fornacis concertatur.* Tertio, quia devastat: *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Quarto, quia levis. Et hoc primo propter motum, quia *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, Prov. 16.* Secundo propter situm, quia in altis habitat, *Ps. 90.* Tertio propter incommixtionis modum: *Sap. 8. Attingit autem ubique propter munditiam suam: vapor est enim virtutis Dei.*

## a CAP. XI.

Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet. Sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis terrae: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit. Vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedens paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientis. In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum. Et erit in die illa, adiiciet Dominus secundo manum suam, ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, et ab Aegypto, et a Phetros, et ab Aethiopia, et ab Elan, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris, et elevabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae, et auferetur zelus Ephraim, et hostes Iuda peribunt. Ephraim non aemulabitur Iudam, et Iudas non pugnabit contra Ephraim, et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul praedabuntur filios orientis. Idumaea, et Moab praeceptum manus eorum, et filii Amon obedientes erunt, et desolabit Dominus linguam maris Aegypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die illa, qua ascendit de terra Aegypti.

## a CAP. XI.

Posita destructione adversarii, promittitur reintegratio populi, qui erat divisus in duas partes, et decem tribus: et dividitur in partes duas. In prima describitur restaurator. In secunda promittitur restauratio, ibi, *Et erit in die illa.* Hoc autem capitulum tripliciter exponitur. Hieronymus, et omnes sancti nostri, exponunt de restauratione facta per Christum, et de Christo, ut sit figurative dictum. Quidam magistri exponunt de Ezechia, vel Iosia. Similiter figurate accipientes literam Iudaei de suo messia, quem expectant, volentes cuncta ad literam intelligere. Sed haec ultima stulta est et fabulosa; secunda extorta: sed prima simpliciter vera. Et ideo illam prosequentes, alias tangemus ex latere. Dividitur prima pars in tres. In prima describitur restaurator Christus, quantum ad nativitatem. In secunda, quantum ad sanctitatem, ibi, *Et requiescet* etc. In tertia, quantum ad dignitatem, ibi, *In die illa radix* etc. Circa primum duo tangit, processum matris ex regali serie, vel progenie, *Egredietur virga*, virga cui nullus frutex adhaesit: *De radice Iesse*, ad literam de progenie Iesse, qui fuit pater David: *Num. 2. Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel.* Quantum ad processum filii ex matre virgine, *Et flos*, Christus: *Can. 2. Ego flos campi, et lilium convallium. Ascendet*, quia, *qui de caelo venit super omnes est, Io. 3.* Unde *Isa. 19. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti. De radice Iesse: Hier. 23. Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra.* Cum deberet dicere de virga, dicit de radice, ad excludendum duas haereses: una quarum dicit, quod Christus non habuit veram carnem; alia dixit, quod Christus habuit veram carnem, sed illa non fuit propagata ab Adam, et a parentibus, et aliis, sed in B. Virgine a Deo creata; aut quod venit a primis parentibus distincta, sicut lux quaedam, numquam infecta contagione peccati originalis. Quod totum excluditur in hoc, quod ex parentibus virginis ascendere dicitur, sicut flos ex radice. Iudaei dicunt, et flos, et virga refertur ad Christum, et dicitur virga propter potestatem, et flagellationem malorum, et flos propter honestatem, et consolationem bonorum. Hieronymus dicit, quod de hoc loco sumitur quod dicitur *Matth. 2. Nazaraeus vocabitur*, idest floridus. Similiter exponunt, qui exponunt de Iosia, et Ezechia, et dicunt, quod dicuntur descendere ex Iesse, et non ex proximis parentibus, quia David facta est promissio de confirmatione regni in filiis. Notandum super illo verbo, *Egredietur virga*, quia Beata Virgo dicitur virga primo consolans in tribulationibus: *Exo. 14. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.* Secundo fructificans: *Num. 17. Invenit Moyses virgam Aaron in domo Levi germinasse, et turgentibus gemmis eruperant flores.* Tertio satians: *Num. 20. Cumque levasset Moyses virgam percutiens bis silicem, egressae sunt aquae largissime, ita ut biberet populus, et iumenta.* Quarto flagellans: *Num. 14. Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab.* Quinto vigilans: *Hiere. 1. Virgam vigilantem ego video.* Nota super illo verbo, *Et flos de radice*, quia Christus dicitur flos primo propter Mariae puritatem: *Can. 1. Ecce tu pulchra es amica mea: Can. 2. Ecce tu pulcher es dilecte mi*, et *Isa. Ego flos campi, et lilium convallium.* Secundo propter laesionis a vento facilitatem: *Iob 15. Laedetur quasi vinea in primo flore.* Tertio propter odoris suavitatem: *Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honestatis.* Quarto propter decoris pulchritudinem: *Eccl. 50. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis.* Quinto propter fructus certitudinem: *Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honestatis. Et requiescet* etc. Hic describit ipsum quantum ad sanctitatem, quantum ad tria. Primo quantum ad habitus necessitatis. Secundo quantum ad rectitudinem operis, ibi, *Non secundum visionem* etc. Tertio quantum ad effectum rectitudinis, ibi, *Habitabit lupus* etc. Ostenditur autem perfectio ipsius quantum ad habitus gratuitos in tribus. Primo quantum ad quietem, *Requiescet*, quia non fuit gratia in ipso augmentata: *Hier. 31. Mulier circumdabit virum:* nec interrupta per culpam: *1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius:* nec perturbata per pugnam carnis, quia sine originali: *Iob 3. Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae: Io. 1. Super quem videritis Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.* Quantum ad multitudinem in universitate donorum spiritus sapientiae: quamvis enim omnia dona gratiae gratum facientis simul infundantur, non tamen aliquis habet perfectum usum omnium. Propter quod de huiusmodi dicitur, *Non est inventus similis illi.* Nec circa omnes gratias gratis datas: *1. Cor. 12. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae, secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu* etc. Sed Christus omnia perfecte habuit, non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, *Io. 3.* Quantum ad plenitudinem, quia perfectus fuit in omni gratia, quod notatur in hoc, quod dicit, *Implevit: Io. 1. Vidimus eum plenum gratia.* De omnibus his *Col. 2. In ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Ad evidentiam eorum, quae hic dicuntur, oportet videre quinque circa haec dona. Primo qualiter differant a virtutibus, beatitudinibus, et fructibus. Secundo de numero ipsorum. Tertio de ordine ipsorum. Quarto qualiter sint in Christo. Quinto quomodo attribuuntur Spiritui sancto. Circa primum sciendum est, quod, sicut dictum est supra, dona dantur in adiutorium virtutum, quibus perficiuntur animae potentiae ad actus proportionatos, secundum modum humanum, sicut fides, quae facit videre in speculo, et aenigmate. Est autem duplex defectus virtutis: unus per accidens, qui est ex indispositione habentis, ex qua indispositione manet in subiecto, et iste defectus tollitur per augmentum virtutis; alius defectus est per se ex parte ipsius habitus, sicut fides secundum suam dispositionem est in continente imperfecta, quia aenigmatica. Et iste defectus tollitur per altiorem habitum, quia vocatur do-

num : quia quasi excedit modum humanae operationis a Deo datum, sicut donum intellectus, quod facit aliquo modo limpide, et clare intueri, quae sunt fidei. Operatio autem procedens a virtute perfecta dono dicitur beatitudo, quae nihil aliud est, quam operatio secundum virtutem perfectam, ut dicit philosophus, sicut dicitur *Mat. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Talem autem operationem necessario sequitur delectatio, quia delectatio est operatio proprii habitus non impedita, ut dicit philosophus. Et secundum hoc dicitur fructus. Unde dicit Ambrosius super illud *Gal. 5. Fructus autem Spiritus sunt charitas, pax* etc. *Quia dicuntur fructus, inquantum mentes sincera dilectione reficiunt.* Circa secundum sciendum, quod numerus horum potest accipi tripliciter: quia dona perficiuntur, aut per recessum a malo, et sic est timor; aut per accessum ad bonum, et sic vel secundum vitam contemplativam, vel secundum activam: si secundum contemplativam, aut secundum contemplationem finis, et sic est sapientia, quae est de causis altissimis: aut de his, quae sunt ad finem, et sic est intellectus, sicut de substantiis creatis spiritualibus, et de his quae ad eas pertinent: si secundum activam, aut quantum ad ea, ad quae tenentur omnes, et sic exequens est pietas, quae est benevolentia in eos qui fide, vel imagine Dei sunt nuntii, dirigens scientia; aut de his, ad quae non tenentur omnes, et exequens est fortitudo, ut exponat se difficilibus, dirigens vero consilium. Ex hoc iam patet responsio ad tertium: quia ordinantur primo, secundum quod perfectiones sunt, et hic ordo consideratur secundum exitum donorum ad ante, et non secundum quod recipiuntur. Tertium patet quod sapientia dirigit intellectum, quia sapientis est ordinare: et per prima aliquis regulatur, sicut metaphysicus alias scientias, consilium fortitudinem, scientia pietatem, timor omnibus, quia idem dirigit in accessu ad bonum, et in recessu a malo. Circa quartum sciendum, quod Christus habuit ista dona secundum excellentissimos usus ipsorum, secundum quos habentur in patria: non enim habuit timorem servilem, ut timeret poenam; vel filialem, ut timeret peccare, sed castum timorem, qui est reverentiae: *Heb. 5. Exauditus est pro sua reverentia.* Et similiter patet de aliis. Dicitur autem specialiter, quod replevit eum Spiritu timoris, ne ex magnitudine donorum superbus credatur, sicut primus angelus, de quo dicitur *Ezec. 28. In multitudine sapientiae tuae,* idest negotiationis tuae, *Repleta sunt interiora tua iniquitate.* Vel quia per humilitatem salvare venerat. Vel quia in hoc se imitari voluit: *Matt. 11. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Circa quintum sciendum est, quod si considerentur ista dona secundum proprias rationes, sicut scientia, inquantum est scientia, tunc quaedam appropriantur Filio, quae pertinent ad perfectionem intellectus; quaedam Spiritui sancto, quae pertinent ad perfectionem affectus, quamvis omnia communiter sint dona totius Trinitatis. Si autem considerentur inquantum habent rationem doni, sic omnia attribuuntur Spiritui sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur. Similiter etiam si considerentur quantum ad principium motionis talium donorum, qui est amor: bonitas enim Dei, ut dicit Dionysius, est diffusiva omnium, quae recipiuntur in creaturis a Deo, quae appropriantur Spiritui sancto. Alii autem referunt hoc ad sanctitatem Iosiae, et Ezechiae. Iudaei ad antichristum. *Non secundum visionem* etc. Hic ostendit sanctitatem eius quantum ad rectitudinem operis, et praecipue in iudicando: quia hoc est opus regis. Unde tria ostendit. Primo solertiam in discernendo. Secundo iustitiam in exequendo, *Sed iudicabit* etc. Tertio constantiam in perseverando, ibi, *Et erit iustitia* etc. Dicit ergo ad primum, *Non secundum visionem oculorum*, exteriorum, *Neque secundum auditum aurium,* exteriorum, sicut *Matth. 22.* dicentibus: *Magister scimus quia verax es: Ioan. 2. Opus ei non erat, ut quis ei testimonium redderet de homine, ipse enim sciebat, quid erat in homine.* Et hoc non potest exponi de homine puro, sicut dicitur *2. Reg. 16. Homo videt, quae foris patent, Deus autem intuetur cor.* Et ideo dixerunt discipuli *Ioan. 16. Nunc scimus, quia scis omnia.* Alii tamen extorte exponunt de illis regibus: quia non secundum adulationes ea quae primo aspectu videntur, iudicabunt, sed diligenter veritatem causae inquirent. *Sed iudicabit* etc. Hic ostenditur iustitia in exequendo. Et primo quantum ad bonos, ius suum distribuendo, *Iudicabit,* in die iudicii, et etiam nunc: *Io. 6. Pater omne iudicium dedit filio, Pauperes,* de quibus *Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Secundo quantum ad malos. Et primo quantum ad membra, *Percutiet terram*, idest terrenos, *virga oris sui. Ite maledicti in ignem aeternum, Matt. 25.* Quantum ad caput, *Spiritu labiorum*, idest indignatione sua verbis expressa, *Interficiet impium*, idest antichristum: *2. Thess. Revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Vel diabolum: *Io. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* Et totum hoc potest ad literam exponi de illis regibus, qui iusti fuerunt, et suis praeceptis impios occiderunt. *Et erit iustitia* etc. Hic ponitur constantia in perseverando, *Et erit iustitia,* quam observabit in iudiciis, *Cingulum lumborum eius,* idest ensis quibus pugnabit, et hoc quoad Christum, et ad illos reges. Vel cingulum lumborum, quod fortiter homini adhaeret, et totum hominem undique cingit, *Et fides cinctorium.* Vel, *Iustitia* in aequitate facti, fidelitas in modo faciendi: *Eph. ult. Estote succincti lumbos vestros.* Vel, *iustitia* iusti; fides, fideles; et tantum ad Christum referuntur haec verba: *Hier. 13. Sicut adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel.* Ex hoc arguit Hieronymus contra Hebraeos, quod non possunt omnia intelligi, sicut sonant verba, nisi de Christo. *Habitabit lupus cum agno.* Hic ponitur effectus rectitudinis, quae est in multitudine pacis, quam ostendit quantum ad duo. Primo quantum ad magnorum mansuetudinem. Secundo quantum ad parvorum securitatem, ibi, *Et delectabitur* etc. Mansuetudo ostenditur quantum ad tria. Primo quantum ad habitationem, *Lupus* rapax, cum *Agno* innocente; et contra, quia sequetur innocentiam eius, *Pardus* astutus, *Cum haedo* simplice, *Vitulus* genus animalis fortis, et leo genus animalis fortis,

et ferocis, *Ovis* genus animalis debilis, *Simul*, in unitate erunt. Ubi non est masculus, et femina, gentilis, et Iudaeus, circumcisio, et praeputium, barbarus et Scita, servus et liber, sed omnia in omnibus Christus, *Col. 3.* Quod significatum est in arca Noe, ubi fuerunt omnia animalia utriusque generis, *Gen. 7.* Secundo quantum ad gubernationem, *Puer parvulus*, Petrus piscator: *Isa. 8. Ecce ego, et pueri mei in cubili: 2. Cor. 1. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Minabit*, idest ducet ad regnum, sicut dux. Tertio quantum ad comestionem dicitur. Primo quantum ad cibi conformitatem, *Vitulus*, qui comedit herbas, animal est mundum, *Ursus*, qui lacerat carnes, nec est mundum animal, *Simul pascentur*, eodem cibo verbi Dei. *Catuli*, idest familiae eorum, *Simul*, idest conformiter requiescent ad comedendum, vel cibum sacramentorum: *1. Cor. 10. Eandem escam spiritualem manducaverunt.* Secundo quantum ad cibi humilitatem, *Leo* rex, *Quasi bos* rusticus, *Paleas*, rudem doctrinam, vel ad literam abstinentiae cibos: *Iob 39. Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum?* Sed expressius videtur hoc servari in religione, ubi homines diversae aetatis, et conditionis unanimiter et conformiter vivunt: *Psal. 67. Qui habitare facit unanimes in domo.* Alii volunt, quod fuit completum tempore illorum regum, quando maiores in pace vivebant cum minoribus. Iudaei vero exponunt de pace futura temporibus antichristi. *Et delectabitur* etc. Hic ostendit parvorum securitatem. Et ponit tria, scilicet eorum confidentiam, cum contra horrorem ponit laetitiam, *Super foramina aspidis*, idest super tribulationes quas diabolus, vel tyrannus immittet, *Infans ab ubere*, idest statim, quod lacte doctrinae fidei nutriri coeperit: *Rom. 5. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patientiam operatur.* Vel in convertendis malis: *Apocal. ult. Qui audit dicat, veni. Contra fugam*, quae est indicativa timoris, ponit invadendi audaciam, *Qui ablactatus fuerit*, iam solido utens cibo, faciet plus, quia mittet manum suam in cavernam, *Reguli*, idest diaboli, *qui est rex super universos filios superbiae, Iob 40.* Quia se confidenter persecutionibus tyrannorum exponet, sicut multi martyres fecerunt: *Iob 39. Exultat audacter, in occursum pergit armatis.* Vel refertur ad praedicatores, qui mittunt manum praedicationis ad conversionem peccatorum. Vel, *Ab uberibus* novitatis, et voluptatis, quia novitii de hoc gaudent. Secundo ponit nocendi impotentiam, *Non nocebunt in monte sancto*, idest ecclesia, nisi volentibus: *Luc. 10. Ecce dedi vobis potestatem super omnia daemonia: Matth. ult. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: Linguis loquentur novis, serpentes tollent* etc. Tertio ponit utriusque causam, *Quia repleta est terra scientia Domini: Psal. 18. In omnem terram exivit sonus eorum: Eccl. 24. Ego sapientia effudi flumina.* Iudaei exponunt hoc totum factum ad literam. Alii dicunt per hoc significari, quod temporibus illorum regum committebant se quilibet parvuli audacter illis, qui prius fuerant praedicatores, et creduli. *In die illa.* Hic ponit dignitatem, *In signum* crucis, quod assumentes salvabuntur: *Io. 12. Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum: Isa. 49. Ecce ego levabo ad gentem manum meam, et exaltabo ad populos signum meum. Ipsum gentes deprecabuntur: Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. Erit sepulcrum eius gloriosum*, venerabitur ab omnibus. Unde designatum est per sepulcrum, quod fecit in Moysen in monumentum sempiternum, ut aspiciatur ab omnibus transeuntibus, *Mach. 4.* Alii exponunt hoc de Iosia, quia fuit sepultus in sepulcris regum. *Et erit in die illa* etc. In parte ista promittit populi restaurationem quantum ad tria. Primo quantum ad ipsorum liberationem. Secundo quantum ad liberatorum conditionem, ibi, *Et auferetur* etc. Tertio quantum ad liberationis praeparationem, ibi, *Et desolabit* etc. Circa primum duo facit. Primo praemittit liberationem. Secundo describit liberationis modum, ibi, *Et levabit Dominus* etc. Quidam exponunt hoc de liberatione a captivitate Babylonis, quando possedit eos, eripiens a servitute in deserto Babylonis; et dicitur secunda respectu primae liberationis, qua deduxit eos de servitute Aegypti. Nabuchodonosor enim eos vastante, diversae gentes eos in captivos, et in servos duxerant, et multis interfectis, residui congregati sunt ex praecepto regis Tyri, sicut legitur *Esdrae 1.* Sed melius exponitur de liberatione facta per Christum: sic enim consonat praecedentibus, *In die illa*, scilicet cum steterit in signum populorum, *Adiiciet.* Secundo per Apostolos, quia primo per se praedicavit, *Residuum*, quia reliquiae salvae fient. In quo notatur paucitas Iudaeorum conversorum, et multitudinis gentium. De quo *Mich. ult. Factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae. Phetros* regio est, nomen habens ab uno filiorum Abraam, *Elam* civitas Persidis, *Emath* Antiochia, *Sennaar* locus in Chaldea, *Hier. 50.* Vel *Secundo*, idest in secundo adventu, quando per Eliae praedicationem *convertentur corda filiorum ad patres, Malach. ult. Et levabit.* Hic ponit liberationis modum, quantum ad primam expositionem, *Levabit signum*, idest aedictum regis Tyri, *Profugos Israel*, qui ad literas Ezechiae venerunt in Hierusalem, et coniunxerunt se duabus tribubus, et cum illis fuerunt captivati, et cum eis liberati. Vel *signum*, quantum ad secundam expositionem, *Et congregabit profugos: Act. 13. Vobis oportebat primum praedicari verbum Dei, sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes.* Vel *Signum* alicuius miraculi, per quod convertentur ad praedicationem Eliae: *Isa. 47. Ecce levabo ad gentes manum meam, et exaltabo ad populos signum meum. Et auferetur* etc. Hic ostendit liberatorum conditio. Et primo quantum ad concordiam contra odium, quod erat inter Ephraim, et Iudam, *Et auferetur zelus*, idest odium. Hoc completum fuit in reditu de captivitate, secundum primam expositionem. Vel quantum ad unitatem fidei, secundum secundam. Vel complebitur in futuro, quantum ad tertiam. De ista concordia *Hier. 3. Ibis domus Iuda ad domum Israel, et venient simul terra aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris.* Sed quantum ad potentiam in subiugatione hostium, vel quae fuit ad literam temporibus Machabaeorum quantum ad primam. Vel praedicationem apostolorum, quantum ad secundam. Vel quantum ad prosperitatem, quam etiam

in futuro Dominus eis dabit, quantum ad tertiam. *Volabunt* quasi velociter impingent, *In humeros Philistim* flagellandos, *Per mare*, quia sunt circa mare; et hoc quantum ad primam, et tertiam. *Simul* cum eis iam victis, *Praedabuntur filios orientis*, Assyrios. Hoc non legitur factum tempore Machabaeorum. Vel, *Praedabuntur per mare:* quia Philistaei abundant navibus. *Idumea, et Moab*, qui primo hostes, *Praeceptum manus eorum* implebunt, non expectantes alium facientem secundum mandatum. In quo notatur magna exultatio, *Et filii Amon* etc. Hi omnes fuerunt magni adversantes: *Isa. 49, Ecce isti de longe venient, et illi ab aquilone, et mari, et isti de terra Australi.* Vel *volabunt* prae desiderio praedicandi: *Per mare*, quia Apostoli navigio per mare ad multas gentes pervenerunt. Vel per has gentes, quas nominat, omnes intelligit: *Isa. 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant* etc. *Praeceptum maius*, quia docebant verbo et exemplo. *Et desolabit* etc. Hic ponitur liberationis praeparatio: et circa hoc duo ponuntur. Primo praeparatio. Secundo utilitatis consecutio, ibi, *Et erit* etc. Promittitur autem praeparatio, secundum similitudinem ad duplex beneficium, quod exhibitum fuit patribus venientibus de Aegypto. Primo in divisione maris, de quo legitur *Exod. 14.* et quantum ad hoc dicit, *Linguam maris*; et dicitur lingua maris, quia sicut dicit Magister in historiis, in egressu filiorum Israel de Aegypto non fuit divisum mare ex uno littore, sed quasi quaedam lingua, quae circumdabat montem quendam, *Linguam maris*, idest medium maris, more Hebraici sermonis, qui omne quod est in medio, linguam vocat, propter hoc quod lingua est in medio oris. Quod quidem ad literam nunquam fuit factum, sed significatur amotio omnis impedimenti detinentis, quantum ad primam expositionem. Vel lingua maris dicitur Aegyptus, cuius littus lingit mare. Sed quantum ad secundam, *Linguam maris Aegypti desolabit*, idest linguam qua idola laudabant. Secundum beneficium in divisione Iordanis, de quo legitur *Ios. 2.* et quantum ad hoc dicit, *Levabit manum suam*, hoc est potentiam suam, *Super flumen. Et percutiet eum in seipsum rivis ut transeant per eum calceati.* Quantum ad primam expositionem est metaphorica locutio, ut per divisionem maris, et fluminis intelligatur omnis impedimenti amotio. Quantum ad secundam significatur ad literam flumen, ipse Nilus, qui ab Alexandro divisus est in septem rivos, qui praeparatio Romanis est, et adeo praedilatati, ut aqua per rivos, et meatus transeunte transvadari a calceatis posset, idest apostolis, de quibus *Ephe. ult. Calceati pedes in praeparationem evangelii pacis.* Vel per flumen significatur regnum Aegypti, quod divisum est a Romanis in plures Senatus, *In fortitudine spiritus sui* exercitus Alexandri, vel Romanorum; vel spiritus, idest venti ad similitudinem eius, quod dicitur *Exo. 14. Flante vento vehementi et urenti tota nocte. Et erit via.* Hic ponitur utilitas, et iam patet per ea, quae dicta sunt, *Sicut fuit: Eccl. 36. Innova signa, et immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum, excita furorem, et effunde iram.*

## a CAP. XII.

Et dices in die illa: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris, et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen eius, notas facite in populis adinventiones eius. Mementote, quoniam excelsum est nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra, Exulta et lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

## a CAP. XII.

Hic ponitur gratiarum actio pro suscepto beneficio: quod quidem iam spiritu prophetali propheta videbat, et populo promittebat. Unde tria facit. Primo decantat canticum. Secundo promittit populo beneficium, ibi, *Haurietis* etc. Tertio praedicit decantaturum, *Et dicetis* etc. Tribus autem malis premebantur tunc, scilicet pro praeteritis culpis divino furore, pro futuris poenis hostium timore, pro praesentibus malis cordis dolore. Contra primum commemorat Dei misericordiam; et ideo dicit, *Confitebor tibi* ego, *Domine*, idest ex nunc lavabo, quia populi nondum videntis beneficium de quo gratias agant de hoc quod sequitur, *Quoniam*, primo iuste, *Iratus es mihi*, pro peccatis meis, *Conversus est furor tuus*, in misericordiam, *Et consolatus es me*, quantum ad misericordiae effectum: praeteritum pro futuro, et hoc in reditu populi de Babylone, et maxime de consolatione facta per Christum: *Zach. 8. Sicut cogitavi ut affligerem vos cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, et non sum misertus, sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam domui Iuda, et Hierusalem.* Contra secundum confitetur de Deo fiduciam, *Ecce Deus Salvator meus*, liberans populum de servitute Babylonis, vel verius qui salvum facit populum suum: *Luc. 1. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum: Hier. 30. Ne timeas serve meus Iacob, ait Dominus, nec paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua.* Contra tertium divinae fortitudinis potentiam, *Fortitudo mea*, per quam subsisto, *Et laus mea*, quam laudo relictis idolis: *Psal. 17. Diligam te Domine fortitudo mea. Haurietis.* Hic promittit beneficium, *Aquas* consolationis, refrigerantes contra aestum tribulationis. *Et dicetis.* Hic praedicit etiam populum decantaturum post receptum beneficium, et continet mutuam exhortationem populi ad divinam laudem. Ponitur exhortatio ad duo: ad laudis divinae confessionem, ad gratiarum actionem, ibi, *Exulta* etc. Circa primum ponuntur quatuor. Aut enim confitemur per fidem; unde, *Confitemini Domino: Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Aut invocamus per orationem, *Et*

*invocate, infra 55. Quaerite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Aut annuntiatur per praedicationem, *Notas facite in populis adinventiones eius*, quia multa adinvenit ad salvandum: *Hier. 11. Audite verbum Domini gentes, et annuntiate in insulis, quae procul sunt.* Aut memoratur per iugem meditationem, *Mementote*: *Psal. 140. Mementote mirabilium eius, quae fecit prodigia eius, et iudicia oris eius. Cantate* etc. Hic exhortatur ad gratiarum actionem. Et primo ut gratias agant Deo, *Cantate Domino, quoniam fecit magnifice*, nos liberando: *Psal. 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Secundo ut annuntietur mundo, *Annuntiate: Tob. 12. Benedicite Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitemini ei. Exulta.* Hic ponitur exhortatio ad exultationem. Et primo ut sit gaudium in corde, *Exulta.* Secundo ut sit iubilus in ore, *Lauda.* Tertio ponitur utriusque ratio, *Quia magnus*: *Infra 59. Exultabit laetabunda, et laudans.* Notandum super illo verbo, *Haurietis aquas*, quod est aqua, primo doctrinae: *infra 55. Omnes sitientes venite ad aquas.* Secundo gratiae: *Io. 7. Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Tertio baptismalis: *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Item notandum, quod hauritur aqua de fonte, primo divinae sapientiae: *Eccl. 1. Fons sapientiae verbum Dei in excelsis.* Secundo aeternae vitae: *Hier. 6. Me dereliquerunt fontem aquae vivae.* Tertio de Christi corpore: *Zach. 13. In die illa erit fons patens domui David.* Nota super illo verbo, *Adinventiones eius*, quod Christus adinvenit primo breve salutis verbum: *Baruch 3. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Iacob puero suo, et Israel dilecto suo.* Secundo bonum salvandi modum: *Iob 33. Inveni in quo et propitier.* Tertio populum salvandum: *Luc. 15. Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Nota super illo verbo, *In medio tui sanctus Israel*, quia Christus est in medio, primo quasi lux ad illuminandum: *Eccl. 10. Quasi stella matutina in medio nebulae.* Secundo quasi mediator ad reconciliandum: *Luc. ult. Stetit Iesus in medio discipulorum, et ait illis: Pax vobis.* Tertio quasi minister ad distribuendum: *Luc. 22. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

## a CAP XIII.

Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitus regum gentium congregatarum. Dominus exercituum praecepit militiae belli, venientibus de terra procul. A summitate caeli Dominus, et vasa furoris eius, ut disperdat omnem terram. Ululate, quia prope est dies Domini, quia vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis tabescet et conteretur. Torsiones, et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustae vultus eorum. Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et irae furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellae caeli, et splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo, et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et requiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. Super hoc caelum turbabo, et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem irae furoris eius. Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis, et non erit qui congreget. Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. Omnis qui inventus fuerit, occidetur, et omnis qui supervenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quaerant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcat oculus eorum. Et erit Babylon illa civitas gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam, et Gomorrham. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; sed requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus. Et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ibi ululae in aedibus eius, et syrenae in delubris voluptatis.

## a CAP XIII.

Hic comminatur contra Babylonios, qui duas tribus captivaverant: et dividitur in partes duas. In prima comminatur hostium destructionem. In secunda promittit ex hoc Iudaeorum consolationem, *c. 14. Prope est.* Prima dividitur in duas. Primo ponitur comminationis titulus, et increpatio, *Onus*, idest miseria opprimens: *Hier. 23. Si interrogaverint populus iste, vel propheta, aut sacerdos dicens: Quod est onus Domini* etc. Secundo ponitur ipsa comminatio, ibi, *Super montem* etc. Prima ergo dividitur in partes tres. In prima ponit vastantis exercitus convocationem, scilicet Medorum, et Persarum sub Cyro et Dario, qui caeperunt Babylonem, sicut legitur *Dan. 5.* In secunda ostendit poenae afflictionem, ibi, *Ululate* etc. In tertia subsequentem eius desolationem, *Et erit* etc. Circa primum tria ponit. Primo convocat exercitum. Secundo describit vocatorum adventum, ibi,

*Vox multitudinis* etc. Tertio indicitur venientibus praeceptum, ibi, *Dominus exercituum* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit convocationem, et convocat ad aggrediendum, et obsidendum, *Levate signum*, idest vexillum, *Super montes*, Babylonis, *Caliginosum*, propter fumum incendii, quando combusta fuit. Vel, *Super montem*, civitati adiacentem, *Caliginosum*, propter altitudinem nubibus opertum, vel caligare facientem visum. Ad exclamandum, *Exaltate vocem*, ut hostes conveniant. Ad congrediendum, *Levate manum*, ad pugnandum, et ad capiendum, *Et ingrediantur*: *Hier. 51. Levate signum super muros Babylonis.* Secundo ponit vocatorum conditionem quantum ad idoneitatem, propter officii iniunctionem, *Sanctificatis meis;* quasi dicat, quos ad hoc officium peragendum sanctificavi, et quantum ad potestatem, *Fortes*, et quantum ad iucunditatem, *Exultantes: Soph. 1. Sanctificavit Dominus vocatos suos. Vox multitudinis* etc. Hic describit vocatorum adventum. Et primo quantum ad minores, *Vox multitudinis.* Secundo quantum ad maiores, *Vox sonitus regum: Hier. 50. Vox eorum quasi mare sonabat: Isa. 43. Tumultus turbarum veniet. Dominus exercituum* etc. Hic indicit praeceptum. Et primo ponit diurnum praeceptum, *Dominus praecepit.* Secundo divinum auxilium ad complendum, *A summitate caeli*, quasi ad adiuvandum, *Et vasa*, quaelibet arma. *Ululate* etc. Hic describit poenae afflictionem: et circa hoc tria ponit. Primo puniendorum timorem. Secundo afflictionem, ibi, *Ecce dies* etc. Tertio punientium ferocitatem, ibi, *Ecce ego suscitabo* etc. Timor autem exprimitur primo quantum ad gemitum oris, *Ululate: Ezech. 30. Ululate, vae, vae, diei: quia iuxta est dies, et appropinquabit dies Domini, dies nubis. Tempus gemitum feret.* Secundo quantum ad remissionem operis, *Propter hoc omnes: Hier. 50. Audivit famam eius rex Babylonis, et dissolutae sunt manus eius.* Tertio quantum ad turbationem cordis, quod turbatur tripliciter secundum interiorem statum, vel quantum ad iucunditatem, *Tabescet;* vel quantum ad magnanimitatem, *Et conteretur*, quasi in parva divisum; vel quantum ad securitatem per timoris angustias, *Torsiones: Ps. 74. Ibi dolores, ut parturientis.* Secundo turbatur quantum ad auxilii defectum, *Stupebit ad proximum suum*, quasi prae stupore non poterunt auxilium ferre. Quantum ad exterius signum, *Facies combustae*, propter pallorem timoris. Vel ad literam, quia tali morte sunt interfecti: *Thren. 4. Denigrata est super carbones facies eorum. Ecce dies* etc. Hic describit poenam afflictorum: et circa hoc tria ponit. Primo poenae magnitudinem, *Indignationis*, quantum ad misericordiae subtractionem, *Irae*, quantum ad poenae delectationem. Philosophus: *Irati contristantur, punientes vero gaudent. Furoris*, quantum ad impetuosam ultionem, quia furor est ira accensa: *Isa. 30. Ardens furor eius, et gravis ad portandum.* Exprimitur etiam in consolationis subtractione, *Quoniam stellae.* Vel ad literam, quantum ad eorum reputationem: quia afflictis omnia videntur tenebrosa. Vel, *Stellae*, principes, *Sol in ortu suo*, Rex, *Luna*, regina: *Apocalip. 6. Sol factus est, quasi saccus cilicinus.* Secundo ponit aequitatem ordinis poenam contra culpam, quam committebant in seipsis, *Visitabo*, vindicabo, *Super orbis mala*, idest Babylonis, quia erat in ea monarchia. Vel propter multitudinem undique concurrentium. Et quantum ad culpam, quam etiam committebant in subditos, per malorum oppressionem, *Et contra impios.* Vel pactorum irritationem, *Infidelium.* Per meliorum molestationem, *Arrogantiam*, qua praesumebant omnes subiugare. Tertio ponit punitionis moderationem. Et ponit quatuor. Primo defendentium paucitatem, *Pretiosior*, idest rarior: *1. Reg. 3. Sermo Dei erat pretiosus. Et vir*, qui possit defendere per consilium, *Obrizo*, idest auro rubeo, quod optimum est: *Supra 10. Reliquiae saltus ligni eius prae paucitate numerabuntur.* Secundo elementorum commotionem, *Super hoc*, quantum ad literam potuit esse tempestas in aere, et terraemotus in terra. Vel est hyperbole prae magnitudine malorum: *Hier. 4. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil: caelos, et lux non erat in eis.* Tertio quantum ad fugientium dispersionem tam civium, et bellatorum, quam etiam captivorum, *Damula*, velox animal: *Prov. 6. Eruere quasi damula de manu.* Quarto quantum ad remanentium oppressionem, quae fuit in tribus. In nece hominum, *Omnis qui inventus fuerit*, quantum ad cives, *Superveniet*, quantum ad extraneos, *Infantes*, quantum ad pueros: *Hier. 52. Collidam in te senem, et puerum.* Secundo fuit in rerum direptione, *Diripientur*: *Thren. ult. Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.* Tertio quantum ad violationem mulierum, *Uxores eorum: Thren. ult. Mulieres in Syon humiliaverunt. Ecce ego* etc. Hic describit hostium ferocitatem, quae nec placatur muneribus, *Qui argentum;* nec flectitur misericordia, *Sed sagittis parvulos;* nec impotentibus viribus, *Et lactentibus;* nec filiis parvulis, *Et super filios: Hiere. 61. Ecce ego adducam super eos omnes malum. Et erit Babylon* etc. Hic describit subsequentem desolationem. Et primo civitatis destructionem, *Versa*, idest subversa, sicut Sodoma, de qua *Apoc. 18. Vae, vae civitas illa Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit iudicium tuum.* Secundo quantum ad eius perpetuam solitudinem, *Non habitabitur: Hier. 51. Non habitabit, qui tendet arcum suum, et non ascendet loricatus.* Tertio quantum ad solitudinis horrorem, qui ostenditur ex fuga pastorum, *Nec ponet ibi tentoria*, quia certas mansiones non habet, sed per desertum vagatur, *Nec pastores*, ovium quantum ad habitationem bestiarum, et mortuorum: *Sed requiescent ibi bestiae*, solitudinem amantes, *Draconibus*, qui secundum quosdam sunt serpentes alati magni; secundum alios sunt pisces magni, habentes humidas squamas; secundum alios serpentes cubitales, comedentes alios serpentes, et ex hoc flatu oris inficientes, *Struthiones*, animalia, quae habent pennas, sed non volant, immo pedibus gradiuntur: *Iob 29. Penna struthionis similis est pennis Herodii pilosi*, idest animalia pilosa, ut vulpes, lupi, et huiusmodi; vel homines sylvestres, pilosi, et hispidi, qui a quibusdam dicuntur non veri homines, sed figuram hominis habere, vel daemones in tali figura in assumentis corpora domos desertas tales frequentantes sunt, qui et ambulant per noctem, et inquietant homines diversis modis. *Ululae*, aves quantitatis corvinae, maculis conspersae, ex hoc dictae, quod vocem habeant ad mo-

dum ululantium luporum, *Syrenae*. secundum quosdam serpentes cristati, et alati. Vel pisces marini ad similitudines mulierum. Vel aves dulciter cantantes, *In delubris voluptatis*, idest locis in quibus luxuriabantur: *Isa. 34. Et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent daemonia, homocentaurus, et pilosus.* Nota super illo verbo, *super montem caliginosum*, quia est multiplex caligo. Prima ignorantiae: *Thren. 2. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Syon.* Secunda culpae: *Psal. 17. Caligo sub pedibus eius.* Tertia praesentis poenae: *Thren. 4. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Quarta futurae miseriae: *Matth. 22. Ligatis manibus, et pedibus mittite eum in tenebras exteriores*; et *Luc. 16. Inter nos, et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint.*

## a CAP. XIV.

Prope est, ut veniat tempus eius, et dies non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam. Adiungetur advena ad eos, et adhaerebit domui Iacob. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum. Et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos, et ancillas, et erunt capientes eos, qui se ceperant, et subiicient exactores suos. Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes crudeliter. Conquievit, et siluit omnis terra, gavisa est, et exultavit: abietes quoque laetatae sunt super te, et cedri Libani. Ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est, in occursum adventus tui suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detruderis in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, neque prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, et urbes eius destruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? Omnes reges gentium, universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, et descendes runt ad fundamenta laci. Quasi cadaver putridum non habebis consortium, neque cum eis in sepultura. Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. Non vocabit in aeternum semen pessimorum. Praeparate filios eius occisionī, in iniquitate patrum eorum. Non consurgent, nec haereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus. Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. Iuravit Dominus exercituum dicens: Si non putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum, et auferetur ab eius ingum eius, et onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et haec est manus extenta super universas gentes. Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, et quis avertet eam? In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud. Ne laeteris Philisthaea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem. Et pascentur primogenita pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent, et interire faciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam. Ulula porta, clama civitas, prostrata est Philisthaea omnis. Ab aquilone enim fumus veniet, et non est, qui effugiat agmen eius. Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Syon, et in ipso sperabunt pauperes populi eius.

## a CAP. XIV.

In parte ista promittit Iudaeis liberationem per Babylonis destructionem, quam supra comminatus est: et dividitur in partes tres. In prima promittit liberationem. In secunda praedicit liberationem contra oppressorum insultationem, ibi, *Et erit in die* etc. In tertia ponit insultationis confirmationem, ibi, *Non vocabitur* etc. Circa primum tria ponit. Temporis brevitatem, *Prope est dies Domini*, cui omnia sunt praesentia. Vel post nostram captivationem, *Dies eius*, captivationis: *Deuter. 32. Iuxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.* Secundo ponit liberationis modum, et ordinem. Et primo quantum ad relevationem miseriae, *Miserebitur: Michaeae 7. Miserebitur nostri.* Quantum ad recuperationem divinae gra-

tiae, *Et eliget*, aliquos scilicet : *Deuter. 7. Te elegit Dominus.* Quantum ad restitutionem patriae, *Et requiescere: Ezech. 34. Inducam eas in terram suam, et pascam eos in montibus Israel.* Tertio describit liberatorum dignitatem, quantum ad extraneorum adhaesionem, *Adiungetur: Iac. 4. Appropinquate Deo, et ipse appropinquabit vobis.* Quantum ad honorificam retentionem, *Tenebunt eos*, scilicet Iudaeos, *Populi*, apud quos erant captivi, quasi portandos : *Isa. 49. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt.* Vel aliter, quantum ad deductionem eorum, qui adhaeserunt, *Populi*, scilicet Iudaei, *Tenebunt*, idest retinebunt, *Eos*, secum ducendos, qui sibi adhaeserunt. Quantum ad hostium subiectionem, *Et possidebit eos*, versa vice: *Ioel. 3. Convertam retributionem vestram in caput vestrum. Et erit* etc. Hic ponitur insultatio populi liberati contra captivitatem, iam destructam. Et primo ponitur titulus, sive inscriptio continens tria. Tempus, *Cum requiem dederit a labore*, quo laborasti bellando, *Et concussione*, captivitatis, qua tenebaris carcere, *Servitute*, qua oppressa es in terra captivitatis: *Sumes parabolam*, idest sermonem similitudinarium, qui aliud dicit, et aliud significat: per ea enim, quae dicuntur, significatur conditio Nabuchodonosor, quantum ad potentiam, culpam, et poenam, propter quae potuerunt haec contingere, etsi non contigerunt, *Circa regem Babylonis: Mich. 2. In die illa sumetur super nos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate: Abach. 2. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument?* Secundo ponitur ipsa insultatio, ibi, *Quomodo* etc. Et primo virorum. Secundo mortuorum, ibi, *Infer* etc. Insultatio vivorum tria continet, eius destructionem cum culpa, quam commisit in exactione tributorum, *Quomodo cessavit.* In punitione hominum per poenas, *Contrivit*, quasi solutio praemissae quaestionis. In impugnatione regnorum, *Subiicientem: Hier. 50. Quomodo confractus est, et contritus malleus universae terrae.* Secundo continet subsecutam pacem, *Conquievit*, ab illo tumultu, *Siluit*, a fletu, *Gavisa est*, in tui destructione, *Et exultavit*, in sua liberatione: *Psal. 57. Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Tertio continet principum alacritatem, *Abietes quoque*, per quas significantur sublimes in dignitate. Simile habetur *Ezech. 32. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei. Dormisti somno mortis. Succidat nos*, idest occidat. *Infernus* etc. Hic ponitur insultatio mortuorum contra Nabuchodonosor. Et primo principum, et potentum. Secundo aliorum, ibi, *Qui te viderunt* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit infernalium occursum, quantum ad ministros operarum, sive officiales, *Infernus*, idest diabolus qui praepositus est inferis, *Subtus*, quia infernus deorsum est, *Conturbatus est*, idest in tumultum versus, quasi diceret, nunquid hoc potuit fieri? *Isa. 30. Speratis in calumnia, et in tumultu, et innixi estis super eo.* Tertio quantum ad alios potentes decurrentes, *Suscitabit tibi gigantes*, faciens secum tibi assurgere. Gigantes quantum ad fortes corpore : *Isa. 26. Morientes non vivant, et gigantes non resurgant. Omnes principes terrae*, quantum ad reges quorum est sedere in soliis, *Principes nationum*, quantum ad alios potentes; sed surrexerunt, *Universi*, scilicet infernales gigantes: *Respondebunt*, quasi convenisses eos, vel quasi flenti. Secundo ponit eorum improperium. Et improperant tria, scilicet poenam, quam invenit: et quantum ad mortem, *Vulneratus es*, morte, vi divinae potentiae : *Ps. 88. Tu humiliasti, sicut vulneratum superbum:* tum quantum ad mortui humilitatem; et in anima, *Detracta est;* et in corpore, *Concidit cadaver*, mortis : tum etiam quantum ad mortui afflictionem, in inferno, *Subter te*, In quibus omnes poenae inferni designantur: *Iud. ult. Dabit ignem, et vermes, et carnes eorum, ut urant, et sentiant usque in sempiternum.* Secundo improperant gloriam, quam amisit, tum quantum ad dignitatem regni, *Lucifer*, pulcher inter homines et alios reges, *Mane*, ante omnes alios monarchas: et quantum ad potentiam belli, *Corruisti in terra: Dan. 2. Tu es caput aureum, o rex. Et post te resurget aliud regnum minus te.* Tertio improperant superbiam cordis, quam habuit quantum ad tria. Quantum ad superbam cogitationem. Secundo quantum ad perversam intentionem, *Ero similis.* Tertio quantum ad propositi frustrationem, *Veruntamen.* Cogitatio autem erit superba, quia cogitabat usurpare, quae Dei sunt, secundum errorem gentilium, qui credebant homines in Deos mutari, et ex principibus fieri stellam, sicut dicitur *2. Mach. 11. Patre nostro inter Deos translato.* Cogitabat etiam usurpare divinum locum, *Conscendam in caelum*, super astra caeli, quia sicut sum super alios principes in terra, ita ero super alias stellas in caelo. Et divinum cultum, *Sedebo*, idest in templo Dei, quod erat in monte Syon, in quo erat testamentum legis, *In lateribus aquilonis*, idest in Hierusalem, quae erat ad aquilonarem partem montis. Et divinum actum, *Super altitudinem nubium;* quasi dicat, Ut tonem fulmen, vel det nubes prophetas. Per caelum, regnum Iudaeorum. Per astra, Iudaei fulgentes Dei cognitione. *Similis.* Ecce perversa intentio: *Ezech. 28. Nunquid dicens loqueris, Deus ego sum? Veruntamen,* Ecce frustratio intentionis, *In profundum laci*, idest in diversissimis poenis : *Iob 21. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui te viderint.* Hic ponitur insultatio aliarum communium personarum. Et primo describit eorum occursum. Omnes alii, *Qui te viderint*, in poenis, *Ad te inclinabuntur;* quasi dicat, Tantum eris infra alios, quod oportebit eos inclinari ad hoc, ut te videant: *Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur.* Secundo ponit eorum improperium. Et tria improperant. Primo culpam quam commisit, *Conturbavit*, in bellis, *Concussit*, mutando dominia, *Posuit orbem desertum*, exulando homines, *Urbes*, subvertendo civitates, *Vinctis non aperuit*, ut possent lumen videre: *Ezech. 32. Dederunt terrorem in terra viventium.* Secundo improperant sepulturam qua corruit, quia extumulatus a filio suo, qui divisit cadaver in ducentas partes, et alligavit totidem avibus de diversis terris congregatis, ne posset resurgere, *Pollutus*, sanguine eorum quos occidisti : *Hier. 32, Sepultura asini sepelietur.* Tertio improperant damnum, quod regno suo intulit, *Perdidisti*, quia Chaldaei plus tenuissent regnum, nisi fuissent peccata Nabuchodonosor: punitur enim populus pro culpa principis, sicut patet *Prov. ult.* Cuius ratio est : quia populus solet imitari culpam

regis: *Prov. 29. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Totum istud mystice exponitur de Diabolo, *Concutit regna*, quasi minister poenae, et culpae, cuius potentia per Christum diminuta est, et in die iudicii ex toto in inferno detrahetur, qui voluit in caelum conscendere, et ad aequalitatem maiestatis divinae venire, secundum quod exponitur in glossa. Nota super illo verbo, *Super astra Dei*, quia sancti comparantur stellis primo propter numerum : *Ps. 146. Qui numerat multitudinem stellarum*: *Dan. 7. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Secundo propter situm : *Eccl. 33. Species caeli gloria stellarum: Phil. 3. Nostra conversatio in caelis est.* Tertio propter gradum: *1. Cor. 15. Stella a stella differt in claritate.* Quarto propter splendoris rutilum: *Dan. 12. Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Quinto propter ordinatum motum: *Iudicum 5. Stellae manentes in ordine, et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt: 1. Cor. 14. Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis.* Sexto propter visum : *Eccl. 50. Quasi stella matutina in medio nebulae: 1. Io. 3. Nondum apparuit quod erimus.* Septimo propter figurae circulum: *Apoc. 12. Mulier apparuit in caelo, et in capite eius corona stellarum duodecim:* in quo signatur perfectio gloriae. *Non vocabitur* etc. Hic confirmat insultationem. Et primo per prophetae vaticinium. Secundo per divinum propositum, ibi, *Et consurgam* etc. Tertio per divini propositi firmamentum, ibi , *Dominus exercituum* etc. Circa primum comminatur tria. Et primo regni amissionem, *Semen pessimorum*, idest filii Nabuchodonosor, et filiorum suorum, *Non vocabit in aeternum*, idest non supererit, *Et nomen eius*, in honore regni. Secundo filiorum occisionem a Medis, et Persis, *Praeparate in iniquitate* , idest pro iniquitate. Tertio in possibilem recuperationem, *Non consurgent faciem orbis*, idest Babylonis, quae supra dicta est orbis: *Exo. 20. Ego sum Deus zelotes , visitans peccata patrum in filios: Sap. 4. Ex iniquis nascetur iniquitas. Et consurgam* etc. Hic ponitur divinum propositum ad complendum. Et primo ad destruendam Babylonis , quantum ad destructionem hominum, *Super eos*, scilicet filios Nabuchodonosor, *Nomen Babylonis* , idest famam potentiae suae, *Reliquias*, filios, *Et progeniem*, nepotes, et deinceps: *Iob 18. Non erit semen eius, nec progenies in populo suo.* Inquantum ad bestiarum habitationem, *Ponam eam: Isa. 34. Ibi. Habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit , et fodit in umbra eius.* Quantum ad destructionem murorum, *Scopabo*, ut non remaneat nisi pavimentum, sicut in domo, quando purgatur scopa. Secundo ponit propositum ad destructionem Assyriorum , ut sit in exemplum. Et primo ponit iuramentum, *Iuravit*, idest immobiliter statuit, *Si non ut putavi*, idest statui: *Ps. 109. Iuravit Dominus, et non poenitebit eum.* Secundo destructionis locum, *In terra mea*, quia iuxta Hierusalem destructus est exercitus Senacheribus: *Isa.25. Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium.* Tertio describit poenae fructum, *Auferetur: supra 9. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti.* Tertio ponit propositum de destructione omnium popularium , *Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram*, destruendam, quantum ad deliberationem, *Manus eius*, idest potentia, quantum ad executionem *: Hier. 29. Sume calicem vini furoris huius de manu mea.* Vel *omnem terram*, protegendam ab Assyriis, *Et haec manus extenta*, quae destructa est. Et sic erit fructus poenae in omnibus gentibus. *Dominus exercituum* etc. Hic ostendit divini propositi stabilimentum: et quantum ad decretum sapientiae, *Decrevit:* et quantum ad expletionem potentiae, *Et manus eius extenta, et quis avertet eam? Iob 23. Ipse solus est, et nemo potest avertere cogitationem eius, et anima eius quodcunque voluerit hoc facit. In anno.* Hic comminatur contra hostes de afflictione Iudaeorum gaudentes. Et primo contra Philistaeos, qui gaudebant de minoratione eorum per mortem Ezechiae. Secundo contra Moabitas , qui gaudebant de eorum destructione per Assyrios, vel Chaldaeos , *c. 15. Onus Moab* etc. Prima in duas. In prima ponitur tempus comminationis, *In anno* , cuius tempore Philistaei occupaverant quasdam civitates de regno Iudaeorum, ut dicitur *2. Paralip. 28.* Et tamen Achaz eis resistebat. Et ideo in morte eius laetabantur, quasi licentius Iudaeos infestaturi. Secundo ponitur comminatio, *Ne laeteris.* Et primo comminatur afflictionem, quam passi sunt sub Assyriis, ibi, *Ulula* etc. Circa primum tria facit. Primo enim excludit stultum gaudium, *Ne laeteris*, de hoc , quoniam *Virga*, idest potestas, *Percussoris tui*, idest Achaz , *Comminuta est*, per mortem: *Eccl. 2. Risum reputavi errorem.* Secundo comminatur poenae augmentum, *De radice enim colubri egredietur regulus ;* quasi dicat, Sicut regulus, qui et basiliscus, plus nocet, quam alius coluber, quia etiam visu, et flatu interficit, non solum animalia, sed etiam aves volantes; unde, *Absorbens volucrem* , ita Ezechias filius Achaz plus caeteris vos affliget: *3. Reg. 12. Pater meus imposuit vobis onus grave, ego superaddam.* Tertio praedicit poenae effectum, *Et in cunctis*, quantum ad terrae ubertatem. *Et pascentur primogenita*, idest Iudaei, de quibus *Exod. 4. Primogenitus meus Israel.* Et quantum ad pacis securitatem, *Fiducialiter: infra 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae.* Et effectum in Philistaeis per contrarium, scilicet famis, contra primum , *Interire radicem* , idest eos etiam , qui aliis nutrimenta ministrare debeant. Et occisionis contra secundum, *Et reliquias*, ab Ezechia, *Interficiam*, per Assyrios, et Chaldaeos: *Inf. 55. Servi mei bibent, et vos sitietis. Ulula* etc. Hic comminatur destructionem per Assyrios. Et primo comminatur eorum destructionem. Secundo Iudaeorum liberationem, ibi, *Et quid respondebitur* etc. Circa primum tria ponit. Primo comminatur naturalem destructionem, *Porta*, idest iudices sedentes in portis: *Hier. 3. Vox in viis audita est, ploratus et ululatus filiorum Israel multitudine exercitus propter pulverem. Ab aquilone* , propter situm Assyriorum ad Philistaeos : *Hier. 1. Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae.* Tertio evasionis impossibilitatem, *Et non erit qui effugiat: Thre. 2. Non fuit in die furoris recordatus scabellum pedum eius. Et quid respondebitur.* Hic promittit liberationem. Et primo ponit interrogationem, *Nuntiis*, angelis, praepositis diversis provinciis, vel de eorum statu solicite inquiren-

tibus: vel nuntiis missis ad consulendum Isaiam, sicut legitur de Hieremia 27. Secundo ponitur responsio, *Quia Dominus fundavit Syon*, idest sua protectione firmavit.

## a CAP. XV.

Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit, quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit. Ascendit domus, et Dibon ad excelsa in planctum, super Nabo, et super Medaba Moab ululavit. In cunctis capitibus eius calvitium, et omnis barba radetur. In triviis eius accincti sunt sacco, super tecta eius omnis ululatus, descendet in fletum. Clamabit Esebon, et Eleale, usque Iasa audita est vox eorum. Super hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit sibi. Cor meum ad Moab clamabit, vectes eius usque Segor vitulam consternantem. Per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronain clamorem contritionis levabunt. Aquae enim Nenrin desertae erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum. Ad torrentem salicum ducent eos, quoniam circuibit clamor terminum Moab. Usque ad Gallim ululatus eius, et usque ad puteum Helim clamor eius, quia aquae Dibon repletae sunt sanguine. Ponam enim super Dibon additamenta his, qui fuerint de Moab leonem, et reliquiis terrae.

## a CAP. XV.

In parte ista comminatur contra Moabitas, qui descenderunt a Moab primogenito Loth, *Gen. 19.* propter hoc quod gavisi sunt de destructione filiorum Israel, ab Assyriis, et Chaldaeis, a quibus tamen ipsi sunt destructi, quamvis post: et dividitur in partes duas. In prima comminatur destructionem. In secunda destructionis conditionem, ibi, *Emitte, cap. 16.* Prima in duas. In prima comminatur destructionem per Assyrios. In secunda per Babylonios, ibi, *Ad torrentem* etc. Prima in tres. In prima designat ex dolore poenae magnitudinem. In secunda poenae modum et ordinem, ibi, *Vectes* etc. In tertia magnitudinis rationem, ibi, *Secundum magnitudinem* etc. Magnitudinem autem doloris ostendit quantum ad tria, scilicet per stuporis silentium. Per doloris fletum, ibi, *Ascendit* etc. Per compassionem hostium, ibi, *Cor meum* etc. Stupor autem contingit ex privatione eorum, in quibus aliquis confidit. Confidebant autem in regia civitate a qua sperabant auxilium, et in munitionibus; et ideo dicit, *Onus Moab*, idest haec est visio de onere Moab, idest de provincia Moabitarum, *Conticuit*, prae stupore, *Quia Ar*, civitas regia, *Vastata est nocte.* Ad literam propter gravem tribulationem. Et quia nocte vastatus est murus et munitio, *Moab conticuit*, ac si fures intrassent. *Ascendit* etc. Hic ostendit magnitudinem fletus. Et tria ponit. Primo praedicit fletum; et quantum ad flentes, *Domus*, scilicet regia, hoc est nobiles eius, *Dibon*, quaedam civitas. Et quantum ad locum, *Ascendit in planctum*, idest ad flendum, *Ad excelsa*, in quibus idolis immolabant, ut plangendo auxilium quaererent. Et quantum ad materiam, *Moab* tota provincia, *Ululavit super Nabo, et super Medaba*, quaedam civitates, quae destructae fuerant: *Ioel. 2. Luctum Unigeniti fac tibi.* Secundo describit plangendi modum, secundum morem antiquorum, qui nutrientes tempore laetitiae barbam, et comam, tempore tristitiae deponebant, sicut habetur *Iob 2. Fuso capite corruit in terram. In cunctis capitibus eius calvitium: Isa. 3. Et erit pro crispanti crine calvitium.* Tertio excluditur fletus terminum. Et quantum ad diversitem locorum, *Quia omnis*, idest omnibus modis, *Ululatus* erit, *Super tecta eius*, quae plana habebant ad sedendum, *Et in plateis eius descendet in fletu*, ab excelsis quae flens ascendebat, ut in montibus, et vallibus fletus sit, *Esebo clamabit* flens, *Et Eleale*, quae sunt civitates, quinimmo terrae regni Moab: *Vox eorum audita est usque Iasa*, quae est alia civitas eius. Et quantum ad diversitatem flentium, *Super hoc* malum, *Expediti*, scilicet ad pugnandum, non tamen senes, et etiam simul cum aliis, sed etiam, *Sibi*, quando stat solitarius, *Anima eius ululabit*, quia planctus procedit ex intimis cordis: *Hier. 48. Super omne tectum Moab, et in plateis eius omnis planctus.* Nota super illo verbo, *Nocte vastatus est murus*, quia nox habet obscuritatem. Et primo originalis maculae: *Iob 3. Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Secundo actualis culpae: *1. Thess. 5. Qui dormiunt, nocte dormiunt.* Tertio infidelis ignorantiae: *Rom. 13. Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Secundo vero habet horrorem. Primo opprimentis expectationis: *Iob 27. Nocte opprimet eum tempestas.* Secundo praesentis afflictionis: *Prov. ult. Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Tertio aeternae damnationis: *Sap. 17. Vinculis tenebrarum, et longae noctis compediti* etc. *perpetuae providentiae iacuerunt.* Tertio nox habet quietem contemplationis. In qua primo est ferventis amoris desiderium: *Isa. 26. Anima mea desiderabit te in nocte.* Secundo debitae confessionis sacrificium: *Ps. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Tertio divinae consolationis silentium; *Sap. 18. Cum enim quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de coelo, a regalibus sedibus venit. Cor meum* etc. Hic ostendit magnitudinem poenae ex compassione hostium, quia ipse propheta condolebat, *Ad Moab*, idest pro afflictione Moab: *Hierem. 48. Supra te evigilabo. Vectes.* Hic describit poenae modum et ordinem. Et ponit tria. Primo terrae vastationem, *Vectes*, idest fortitudo, *Eius*, idest deserti sunt, *Usque ad Segor*, una de urbibus destructis: *Genes. 19. Quae erat in terris Moab, Vitula*, propter luxuriam, *Consternantem*, idest trium annorum, quando sunt animalia in suo robore, et fervore. Vel, *Consternantem*, quia tertia concussione terraemotus corruit recedente Loth: *Hie. 46. Vitula elegans atque famosa Aegyptus.* Secundo hominum captivitatem, *Per ascensum enim Luith*, quidam clivus, vel quidam vicus, unde ducebantur

captivi, *Ascendet*, Moab captivus ductus. *Et in via Oronain*, cuiusdam civitatis de Moab, per quam transibunt, *Levabunt clamorem contritionis: Naum 2. Miles captivus ductus est.* Tertio agrorum sterilitatem, *Aqua enim*, idest terra Moab, ita erit sterilis, sicut locus, iuxta oppidum, *Nenrin*, quod est iuxta mare propter aquas salsas, et amaras. Non quidem propter aquas, sed Dei iudicio, *Herba*, iam nata: *Aruit germen*, quantum ad ea, quae erant in pullulatione: *Viror*, arborum iam natarum: *Psal. 106. Posuit flumina in desertum. Secundum magnitudinem* etc. Hic ponitur ratio magnitudinis poenae, operis peccati, *Visitatio ult. Deuter. 25. Pro mensura peccati erit et plagarum modus. Ad torrentem* etc. Hic comminatur destructionem per Babylonios, in qua quidam fuerunt captivati. Et quantum ad hoc dicit Chaldaei, *Ducent eum ad torrentem*, Euphratem, iuxta Babyloniam, *Salicum*, qui iuxta fluvium crescunt: *Psal. 136. Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus.* Quidam fuerunt interfecti; et quantum ad hoc dicit, *Quoniam circuibit clamor*, flentium, vel pugnantium Chaldaeorum, quia aquae Dibon nomen civitatis, in quibus aquis propter amoenitatem locorum suas luxurias exercebant: *4 Reg. 3. Incurrerunt Moabitae aquas Dibon.* Quidam residui fuerunt diversis persecutionibus afflicti: *Ponam enim Dibon*, ad quam Iudaei confugerant haec, *Additamenta*, poenarum, *His qui fugerint de Moab*, ab Assyriis, *Et reliquiis terrae*, quos dimiserunt Assyrii, *Leonem*, ad literam, Bestias eos interficientes, vel hostem saevientem, scilicet Chaldaeum: *Supra 9. In omnibus his non est aversus furor meus.*

## a CAP. XVI.

Emitte agnum Domine dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Syon. Et erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiae Moab in transcensu Arnon. Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie. Absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris. Finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram. Et praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super eum in veritate in tabernaculo David, iudicans, et quaerens iudicium, et velociter reddens, quod iustum est. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde. Superbia eius, et arrogantia eius, et indignatio eius plusquam fortitudo eius. Idcirco ululabit Moab, ad Moab universis ululabit. His qui laetantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas, quoniam suburbana Esebon deserta sunt. Et vineam Sabama Domini gentium exciderunt. Flagella eius usque ad Iazer pervenerunt, erraverunt in deserto, propagines eius relictae sunt, transierunt mare. Super hoc plorabo in fletu Iazer, et vineam Sabama. Inebriabo te lacrima mea Esebon, et Eleale, quoniam super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit. Et auferetur laetitia, et exultatio de Carmelo, et in vineis non exultabit, neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverant, vocem calcantium abstuli. Super hoc venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. Et erit cum apparuerit, quod laboravit Moab super excelsis suis: ingredietur ad sancta sua, ut obsecret, et non valebit. Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc, et nunc locutus est dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur in eo, sicut racemus paryus et modicus, nequaquam multus.

## a CAP. XVI.

Hic describit poenae conditionem. Et ponit duas conditiones. Primo aequitatem ex parte iudicantis. Secundo deceptionem ex parte patientis, ibi, *Et erit cum apparuerit* etc. Æquitas autem poenae disponitur ex culpa praecedente; et ideo ordinat culpam. Ponit autem duplicem culpam. Primo contra praeceptum promissi beneficii. Secundo contra praeceptum salubris dati consilii, ibi. *In consilium* etc. Circa primum duo facit. In prima promittit beneficium Christi nasciturі de eorum gente, ut ex hoc aliquam consolationem accipiant: Ruth enim Moabites nupsit Booz, ex quo concepit Obeth patrem Iesse patris David, de quo natus est Christus, ut dicitur *Ruth ulti.* Et ideo dicit, *O Domine*, pater, *Agnum*, Christum, *Ioan. 1. De petra deserti*, de Ruth gentili cuius populus lapideus est, Deos lapideos adorans, et ob hoc a Deo desertus, *Ad montem*, Hierusalem in quo occisus est, et resurrexit. Vel ecclesiam, *Dominatorem: Apoc. 4. Dabant gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum.* Secundo ponitur poena contemnentium. *Erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes*, unde fugerunt, vel quia captivi ducebantur: *Supra 10. Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum.* Alii hic volunt, licet extorte, ad literam exponere de tributo agnorum quod rex Moab subtraxerat a rege Israel, sicut dicitur *4. Reg. 3.* quod per prophetam praedicitur restituendum Regi Hierusalem. *Dominatorem*, in signum dominii, *De petra deserti*, locus in quo nutriebantur oves. *In consilium* etc. Hic ordinat poenam contra contemptum dati consilii: et dividitur in tres partes. In prima ponit consilium. In secunda consilii contemptum, ibi, *Audivimus* etc. In tertia poenam contemnentium, ibi, *Idcirco* etc. Circa primum tria ponit. Primo hortatur ad liberationem, ibi, *In consilium* etc. quasi dicat, delibera qualiter salvari possis. Consilium est ipsa quaestio, quae vertitur inter consiliantes; concilium congregatio consiliorum, *Coge*, quasi strictum consilium habens: *Prov. 11. Salus, ubi multa consilia: Eccl. 32. Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.* Secundo ponit consilii tenorem, *Pone quasi noctem*, in quo hortatur ad duo. Ad recepta tionem Iudaeorum fugientium, ut locum absconsionis

praeparet. *Pone quasi noctem*, idest praeparate ad occultandum eos ita in die ac si in nocte. Vel, *In meridie*, aperta persecutione ut fugientes celet. *Absconde*, ut abscondens non reveles. *Vagos.* Hortatur etiam ut receptos amicabiliter sustentet, *Habitabunt: Inf. 32. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* Tertio assignat rationem, ibi, *Finitus* etc Et primo ponit quantum ad hostium destructionem ne eorum timorem dimittant, *Finitus est pulvis*, multitudo exercitus Senacheribus, *Consummatus est*, idest occisus a filiis, *Miser*, Senacheribus, *Inf. 38. Defecit*, quantum ad potentiam. Secundo quantum ad Iudaeorum restaurationem ut libentius faciant. Quantum ad regni praeparationem, *Praeparabitur*, in misericordia Dei, vel regis misericordis, *Solium*, regnum Iuda. Quantum ad regis potestatem, *Sedebit*, quia quiete regnabit, quantum ad iudicii aequitatem, *In veritate iudicans*, quantum ad sententiae prolationem, *Quaerens*, quantum ad causarum discussionem, *Reddens*, quantum ad sententiae executionem. Et hoc potest exponi de Ezechia, vel de Christo: *Supra 10. Super solium David, et super regnum eius sedebit.* Nota super illo verbo, *Emitte agnum*, quia Christus dicitur agnus primo propter vitae puritatem: *Exo. 12. Erit agnus sine macula, masculus, anniculus.* Secundo propter mortis mansuetudinem: *Infra 53. Quasi agnus coram tondente se, non aperuit os suum.* Tertio propter peccati expiationem: *Io. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* Nota super illo verbo, *De petra deserti*, quod Beata Virgo dicitur petra primo propter gratiae firmitatem: *Eccl. 26. Fundamenta aeterna.* Secundo propter continentiae frigiditatem: *Inf. 32. Sicut umbra petrae prominentis in terra deserta.* Tertio propter fructus ubertatem: *Iob 39. Petra fundebat rivos olei.* Et nota quod ista petra fuit singularis deserti: quia praecipua quantum ad primum: *Can. 4. Tota pulchra es amica mea.* Secundo, quia prima quantum ad secundum: *Can. 2. Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Virgo quantum ad tertium, *Supra 7. Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Nota super illo verbo, *Emitte*, scilicet tu pater filium, quod pater misit filium, primo, sicut sol radium: *Eccl. 43. Tripliciter sol exurens montes.* Secundo, sicut fons fluvius Dorix. Tertio, sicut per filium: *Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Audivi* etc. Hic ponit contemptum consilii ex superbia procedentem: unde describit eorum superbiam quantum ad tria. Primo quantum ad divulgationem, *Audivimus*, quasi publicum. Quantum ad quantitatem, *Superbus est valde.* Quantum ad hoc, quod excedit eius dignitatem, *Superbia eius*, quia de bonis habitis se extollit. *Et arrogantia*, qua non habita praetendit, *Indignatio*, qua vindictas praesumptuose proponit, *Plus quam fortitudo eius. Idcirco* etc. Hic ponit poenam contemnentium. Et primo puniendorum fletum, *Moab ad Moab*, scilicet ad invicem, de quo *supra 15.* satis dicitur. Secundo describit poenae modum, *His qui laetantur, loquimini plagas suas, gloriantur, et confidunt de munitionibus ex muris latericiis: Ezec. 33. Si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Secundo ponitur poenae descriptio quantum ad destructionem terrarum. *Esebon*, civitas in cuius terris abundabat triticum, *Sabama*, civitas, in qua abundabat vinum. Quantum ad hostium fortitudinem, *Domini gentium*, idest Assyrii, vel Chaldaei multis gentibus dominantes, *Flagella*, idest palmites, qui sunt in summitate vitis, per quos metaphorice significantur principes, et sublimes. *Usque ad Iazer*, destruendo, quae est in ultimis finibus, quantum ad afflictionem hominum. Errorem gentium, *Erraverunt: Ps. 106. Erraverunt in solitudine in inaquoso.* Utilitatem remanentium, *Propagines*, quae remanent in vinea excisis flagellis, sine fructu, et decore: *Dan. 4. Germen radicum eius in terra finite.* Elongationem captivorum, *Transierunt mare*, Moabiticum, ducti captivi in Babyloniam. Vel, *Mare*, idest Eufratem, secundum consuetudinem, *Ioel. 3. Venundabunt eos Sabaeis genti longinquae.* Vel exponitur de Assyriis mare transeuntibus, et venientibus ad destruendum. Tertio ponitur prophetae compassio. Et primo ponitur compassio super hoc, scilicet malum Moab. *Plorabo in fletu Iazer*, idest flens illam civitatem Moab. Et similiter etiam, *Vineam Sabama, et Eleale.* Secundo ponitur compassionis ratio, quantum ad hostium impetum, *Calcantium*, idest Assyriorum devastantium. Et quantum ad sublatum ab eis gaudium quod habebant de abundantia frumenti, *De Carmelo*, idest de fertilitate. Carmelus enim est in Moab, sed utuntur Iudaei nominibus propriis pro appellativis, gaudium quod habebant in abundantia vini, *In vineis.* Tertio infertur quasi ex ratione conclusio super hoc infortunio, *Venter*, idest sensus, *meus quasi cithara*, faciens sonum ad planctum. Vel quia cithara auget gaudium *Laetis*, et tristitiam tristibus. Vel propter concordiam, virtute prophetae. *Et erit* etc. Hic ostendit causam frustrationis eorum. *Super excelsis*, idest de idolis quibus sacrificabant in excelsis, et quibus sacrificabant in templis, quando erant in timoribus? *Deut. 32. Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam. Hoc verbum* etc. Hic est epilogus, *Ex tunc*, a morte regis Achaz. *Et nunc.* Hic ostendit brevitatem temporis. *In tribus annis*, qui erunt usque ad destructionem vestram, et a morte Achaz. Suo tempore fuit visio huius secundi verbi. Vel in quibus durabit vestra persecutio, vel impugnatio, *Anni mercenarii:* quia post hos Dominus reddet vobis mercedem pro peccatis vestris. Vel qui videntur magni, mercenarii sunt, et Domino parvi: *Iob 7. Militia est vita hominis super terram, et quasi mercenarii dies eius.*

## a CAP. XVII.

Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. Derelictae civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat. Et cessabit adiutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco, et reliquiae Syriae, sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. Et erit in die

illa attenuabitur gloria Iacob, et pinguedo carnis eius emarcescet, et erit, sicut congregans in messe, quod restiterit, et brachium eius spicas leget. Et erit sicut quaerens spicas in valle Raphaim, et relinquetur in eo, sicut racemus, et sicut excussio oleae, duarum, vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor, aut quinque. In cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel. In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi eius ad sanctum Israel respicient, et non inclinabitur ad altaria, qui fecerunt manus eius, et qui operati sunt digiti eius, num respicient lucos, et delubra? In die illa erunt civitates fortitudinis eius derelictae, sicut aratra, et segetes, quae derelictae sunt a facie filiorum Israel. Et eris deserta, quia oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. In die plantationis tuae labrusca, et mane semen tuum florebit. Ablata est messis in die haereditatis, et dolebit graviter. Vae multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi, sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum, et fugiet procul. Et rapietur, sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. In tempore vesperae, et ecce turbatio: in matutino, et non subsistet. Haec est pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.

## a CAP. XVII.

Hic incipit comminari contra illos, qui praeparabant populo Dei occasionem peccandi, dum per confidentiam auxilii ipsorum de Deo confidere non curabant: et dividitur in duas. In prima contra Syros, qui populo decem tribuum auxilium conferebant. In secunda contra Aegyptios, qui duabus tribubus, *cap. 18. Vae terrae* etc. Prima in tres. In prima comminatur destructionem Syrorum auxilium promittentium. In secunda decem tribuum in praemisso auxilio confidentium, ibi, *Et erit in die illa* etc. In tertia Assyriorum utrosque destruentium, ibi, *Vae multitudini* etc. Circa primum duo. Primo comminatur destructionem. In secunda describit destructionis effectum, ibi, *Et cessabit* etc. Destructionem autem comminatur primo quantum ad regiam civitatem, *Desinet esse civitas*, per depopulationem hominum, *Erit sicut acervus*, per destructionem mortuorum: *Mich. 3. Syon erit quasi ager.* Secundo quantum ad adiacentem regionem, *Aroer*, idest illius regionis Syriae in qua multae civitates sunt. Vel, *Aroer mitica*, quasi sicut loca, in quibus abundant miricae, quae steriles sunt, et derelicta in pastum gregum, ita civitates Syriae. *Non erit*, quia propter solitudinem etiam latrones non erunt ibi. Vel quia non erunt ad alium fructum utiles, *Sicut exterrentur greges a vineis, et locis cultis: Inf. 34. Orientur in domibus eorum urticae. Et cessabit* etc. Hic ponitur effectus destructionis. Et primo in decem tribubus, *Ab Ephraim.* Secundo quantum ad regiam civitatem, *Et regnum a Damasco*, cessabit, et non erit ulterius caput regni. Tertio quantum ad totam regionem, *Et reliquiae Syriae, sicut gloria*, ironice, idest erunt ignominiosi, sicut filii Israel: *Inf. 31. Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator. Et erit in die illa* etc. Hic comminatur destructionem decem tribuum in eorum auxilio confidentium. Et primo quantum ad oppressionem hominum. Secundo quantum ad desolationem civitatum, ibi, *In die illa civitates* etc. Tertio quantum ad sterilitatem agrorum, ibi, *Propterea plantabit* etc. Circa primum duo facit. Primo comminatur poenam. Secundo ostendit poenae fructum ibi, *In die illa inclinabitur* etc. Comminatur autem poenam in hominibus. Primo contra elationis gloriam, *Attenuabitur*, idest ad modicum et quasi nihilum redigetur, *Gloria*, destructis his, in quibus gloriabantur. Secundo contra divitiarum opulentiam, *Et pinguedo*, idest divitiae, quibus carnem delitiose nutriebant: *Supra 10. Mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, et subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.* Et infra eodem cap. *Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur.* Tertio contra populi abundantiam comminatur hominum paucitatem; quam describit sub triplici metaphora, secundum quod in tribus benedictio Iacob in abundantia fuit, *Gen. 28. Abundantiam frumenti, vini, et olei.* Quantum ad primum ponit paucitatem spicarum post messionem, quae vel congregantur ab ipso messore, et sic, *Et erit*, paucitas reliquiarum decem tribuum, sicut quando aliquis est, *Congregans in messe, quod restiterit*, in prima messione, *Et brachium eius*, de congregatis, *Spicas leget*, idest colliget. Et iste congregans fuit Ezechias, qui convocavit reliquias decem tribuum, sicut legitur 2. *Paral. 31. Quasi spicas relictas, quae congregantur ab aliquo paupere*, sicut dixit *Ruth 2. Vadam in agrum colligere spicas.* Et quantum ad hoc dicit, *Sicut quaerens spicas in valle Raphaim*, quaedam vallis fertilissima. Contra abundantiam vini ponit paucitatem uvarum post vindemiationem, *Et relinquetur in eo, sicut racemus: Mich. 7. Vae mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae.* Contra abundantiam olei ponit paucitatem olivarum post excussionem, *Et sicut excussio oleae.* Olea, ut dicit Papias, est fructus olivarum; sed hic, secundum expositionem glossae, videtur poni pro ipsa arbore, *Duarum vel trium olivarum in summitate rami: Deut. 28. Remanebitis pauci numero.* Nota super illo verbo, *Et pinguedo carnis* etc. quia divitiae dicuntur pinguedo primo propter sterilitatem: *Matth. 13. Fallacia divitiarum.* Secundo propter ventositatem: *1. Tim. ult. Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum.* Tertio propter inutilitatem: *Eccl. 5. Divitiae conservatae in malum Domini sui. In die illa* etc. Hic ponit poenae fructum, *Inclinabitur ad factorem suum*, exhibendo debitum servitutis cultum, *Homo*, de decem tribubus quicumque fu-

gerit ad Ezechiam, *Ad sanctum Israel respiciet*, expectando aliquod auxilium, *Non respiciet lucos et delubra*, templa in quibus erant fontes, quasi ad abluendum: *Isa. 31. In die illa abiiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum. In die illa* etc. Hic comminatur desolationes civitatum. Et primo comminatur ipsam desolationem, *Sicut aratra*. Tangitur historia, quomodo ad adventum filiorum Israel Amorraei fugerunt relinquentes omnia in agris: *Supra 1. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni*. Secundo ponitur desolationis ratio, *Et eris deserta, quia oblita es Dei salvatoris tui: Deut. 32. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. Propterea plantabis* etc. Hic comminatur sterilitatem fructuum: et circa hoc tria facit. Primo ostendit cultus inutilem laborem quantum ad vineas, *Plantabis plantationem fidelem*, quia non reddet fructum secundum laborem. Vel fidelem ironice; quasi dicat, aut propter mala, quae fecisti, erit plantatio tua fidelis? Quantum ad agros, *Germen alienum*, quod alii colligent: *Supra 5. Decem iugera vinearum facient lagunculam unam*. Secundo quantum ad fructuum perditionem, *In die plantationis tuae labrusca*, idest quando de plantatione fructum sumere debebas: et hoc quantum ad vineas. Quantum autem ad agros, *Mane semen tuum florebit*, idest primo pulchrum erit, ut magis doleas. Vel quia ante tempus florebit, et inutile erit: *Proverb. 20. Haereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Ablata est messis*, ab hostibus: *In die haereditatis*, quando in horreo debuit recondi, quasi fructus haereditatis: *Hier. 12. Seminaverunt triticum, et messuerunt spinas*. Tertio comminatur pro amissione dolorem, *Dolebit*, qui seminavit; vel dolebis tu. *Vae multitudini* etc. Hic comminatur Assyriorum exercitui: et circa hoc tria ponit. Primo describit exercitus multitudinem quantum ad strepitum incedentium, *Vae multitudini populorum*, venientium eum Senacheribus. Quantum ad tumultum colloquentium, *Tumultus*, qui est locutio confusa praecipue multorum. Quantum ad clamorem pugnantium, *Sonabunt*, in pugna: *Supra 8. Ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas: Hier. 6. Vox eius, sicut mare sonabit: Apoc. 17. Aquae multae, populi multi*. Tertio comminatur destructionem. Circa quam primo ponitur ipsa destructio, *Et increpabit*, occidendo exercitum per angelum: *Et fugiet procul*, in terram suam cum paucis, ut supra habetur *Ps. 9. Increpasti gentes, et periit impius*. Secundo ponitur similitudo respondens conditioni, quia superbus erat, *Rapietur sicut pulvis: Ps. 1. Tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae*; et respondens tempori, *Sicut turbo*, quia de nocte fuit percussus exercitus eius quem vocat tempestatem, cuius praeambulum in pulvere est turbo ex ventis, qui sunt causa pluviae: *4. Reg. 19. In nocte illa venit angelus, et percussit exercitum Assyriorum*. Tertio ponitur destructionis consummatio, *Et non subsistet*, quia ipsemet interfectus fuit: *Exech. 24. Nihil factus es*. Quarto ponitur destructionis ratio, *Haec est pars eorum qui vastaverunt nos*, idest possessiones: *Et sors*, diripientium res mobiles: *Ps. 10. Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Nota super illo verbo, *Oculi eius ad sanctum Israel*, quia oculi debent inclinari ad Dominum primo per fidei adhaesionem: *Isa. 30. Oculi tui videbunt praeceptorem tuum*. Secundo propter spei expectationem: *Ps. 104. Oculi omnium in te sperant Domine*. Tertio propter amoris contemplationem: *Iob 39. Inde contemplabitur escam, et de longe oculi eius respiciunt*. Quarto propter gloriae fruitionem: *Matt. 13. Beati oculi qui vident, quae vos videtis*. Nota super illo verbo, *Plantatio infidelis*, quia est primo avari: *Eccl. 5. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*. Secundo luxuriosi: *Ro. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Tertio superbi: *Sap. 5. Quid nobis profuit superbia nostra?*

## a CAP. XVIII.

Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumen Aethiopiae, qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulsam, et dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem expectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. Ad montem nominis Domini exercituum, montem Syon. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubae audietis, quia haec dicit Dominus ad me: Quiescam et considerabo in loco meo sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. Ante messem enim totus efflоruit, et immatura perfectio germinabit. Et praecidentur ramusculi eius falcibus, et quae derelicta fuerint, abscindentur, et excutientur. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terrae, et aestate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiae terrae super illum hyemabunt. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso, et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius: a gente expectante, et conculcata: cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Syon.

## a CAP. XVIII.

Hic comminatur contra Aegyptios. Et primo comminatur eorum poenam per comparationem ad poenae meritum. In secunda exequitur poenae modum, *c. 19. Onus Aegypti* etc. In tertia designat poenae tempus, *cap. 20. In anno* etc. Circa primum tria ponit. Primo designat culpam, quae est meritum poenae. In secunda comminatur poenam, ibi, *Omnes habitatores* etc. Tertio ostendit poenae fructum, ibi, *In tempore illo* etc. Circa primum duo facit. Primo describit situm terrae, in quo superbe confidebant, dicens, *Vae*, scilicet imminet, *Terrae*, Aegypto, *Cymbalo alarum*, propter sonitum Nili, cuius velocitas compara-

tur motui alarum propter velocitatem, vel propter multitudinem populorum, vel propter protectionis auxilium, quod populo duarum tribuum insonabant. *Quae est trans flumen Æthiopiae*, idest ultra Nilum, qui venit de Æthiopia: *Ezech. 29. Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Hoc tamen Iudaei exponunt de God qui habitant ultra Æthiopiam, contra quos testatur propheta, *Ezech. 38.* Secundo describit auxilium quod duabus tribubus promittebant.Et primo describit nunciandi modum dicens, *Qui*, scilicet populus Ægyptius, *Mittet legatos*, idest nuncios duabus tribubus, *In mari*, idest per mare, *Et super aquas*, fluminis. Vel maris, *In vasis papyriis*, genus iunci de quo fiebant capsellae ad portandas literas: vel arundines tam magnae, quod de his fiebant naves, ut legitur in historia Alexandri, a pyr quod est ignis. Secundo ponit legationis praeceptum, in quo determinat duo. Primo nunciandi modum, dicens: *O angeli*, idest o nuncii mei, *Ite veloces*, idest velociter. Secundo motivum ad agentem, scilicet duarum tribuum, quam ostendit miserabilem ex quatuor. Primo ex afflictionis magnitudine, *Convulsam*, a propria firmitate per subiugationem, *Et dilaceratam*, per poenarum afflictionem. Secundo ex pristina dignitate, *Terribilem*, quondam, *Post quem non est alius*, potentiae comparandus, nunc autem, *Expectantem*, alienum auxilium, *Conculcatam*, quasi in vilitate redactam. Tertio ex hostium potestate, vel iniquitate, *Cuius diripuerunt*, iniuste, *Flumina*, regis Assyriorum. Quarto ex loci sanctitate, *Ad montem.* Sunt autem puniti, quia eos a cultu Dei retrahebant: *Ezech. 29. Non erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem. Omnes habitatores orbis* etc. Hic comminatur poenam: et circa hoc duo facit. Primo ponit poenae evidentiam, *Videbitis*, idest notum erit vobis, *Signum*, vexillum Nabuchodonosor: *Hier. 46. Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram.* Vel hostium copiam, *Videbitis*, existentes in exercitu eius: *Ezec. 7. Adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum.* Secundo aufert defensionis divinae confidentiam, *Quia haec dicit Dominus.* Et primo, quia subtrahet eis auxilium suae defensionis, *Quiescam*, non vos adiuvans considerabo, idest videbo quid vos possitis facere: *Deut. 32. Considerabo novissima eorum.* Secundo, quia hostibus praebebit auxilium impugnationis, quantum ad consilium in dubiis, *Sicut meridiana lux*, ita evidenter ostendetur eis, quid sit eis agendum. Quantum ad relevamentum in laboribus, *Sicut nubes: Ps. 88. Exaltasti dexteram deprimentium eum, laetificasti omnes inimicos eius.* Tertio, ibi, *Ante messem.* Describit poenam metaphorice, scilicet per destructionem fructus in agro. Et ponit tria. Primo quantum ad fructus perditionem, qui perditur in flore, *Ante messem enim totus.* Similiter Ægyptus antequam potentiam haberet, florem suae gloriae ostendebat: de qua *Isa. 40. Omnis gloria eius quasi flos agri.* Perditur etiam in germine, quando nondum maturus est humor de quo fieri debet fructus, *Et immatura.* Similiter Ægyptus ultra potentiam, quam habebat, praesumebat. Perditur etiam in fructu, quando rami, in quibus sunt fructus, abscinduntur, *Praescindentur*, ante fructus maturationem: *Iob 15. Laedetur quasi vinea in primo flore: Prov. 13. Substantia festinata minuetur.* Secundo ponit fructuum remanentium ablationem, *Quae derelicta fuerint*, perfecta ab Aegyptiis, ab Assyriis, *Abscindentur*, a propria firmitate, *Et excutientur*, de loco suo per Chaldaeos: *Isa. 24. Quomodo si paucae oleae vel olivae, quae remanserunt, excutiantur ex olea.* Tertio ponit ipsius agri desertionem, *Et relinquentur sicut ager incultus*, in quo significatur caedes hominum, postquam multae bestiae fuerint in terra Aegypti: *Ezec. 39. Haec dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, et universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam* etc. *In tempore illo* etc. Hic ponitur poenae fructus, *Deferetur munus*, scilicet populus duarum tribuum confidentes de Deo et ipsius auxilium invocabunt cum munerum oblatione: *Supra 10. In die illa non adiiciet residuum Israel, et hi qui fuerunt de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos, sed innitetur super Dominum sanctum Israel, a populo divulso et dilacerato* etc exponatur ut supra in hoc *eod. cap.* circa principium. Nota super illo verbo, *Immatura perfectio germinavit*, quia est perfectio multiplex. Prima naturae: *Gen. 2. Igitur perfecti sunt coeli.* Secunda scientiae: *Iob 22. Numquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae.* Tertia gratiae: *1. Io. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quarta gloriae: *1. Cor. 13. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Nota super illo verbo, *Germen eius*, quia est germen primo pravae praelationis: *Eccl. 10. Vae tibi terra, cuius rex est puer, et principes mane comedunt.* Secundo doctrinae erroris: *Iudae: Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant* etc. Tertio praesumptuosae opinionis: *Ro. 12. Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* etc. Quarto praesentis consolationis: *Luc. 16. Recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Nota super illo verbo, *Deferetur munus*, quia est munus multiplex primo ferventis dilectionis: *Prov. 21. Munus absconditum extinguit iram, et donum in sinu indignationem maximam.* Secundo devotae orationis: *Psal. 140. Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Tertio perfectae operationis: *Mal. 3. Munus non suscipiam de manu vestra.* Quarto debitae oblationis: *Ps. 75. Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

## a CAP. XIX.

Onus Aegypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra a facie eius, et cor Aegypti tabescet in medio eius. Et concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. Et dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius, et consilium eius praecipitabo. Et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et phytones, et ariolos, et tradam Aegyptum in

manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus exercituum. Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur, et deficient flumina. Attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum. Calamus, et iuncus marcescet, nudabitur alveus rivi a fonte suo. Et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. Et moerebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. Confundentur qui operabantur linum, plectentes, et texentes subtilia. Et erunt irrigua eius flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni, filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi nunc sunt sapientes tui? Annuncient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Aegyptum. Stulti facti sunt principes Thaneos: emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomes. Et non erit Aegypto opus quod faciat caput, et caudam incurvantem et refraenantem. In die illa erit Aegyptus quasi mulieres, et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam, et erit terra Iuda Aegypto in pavorem. Omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chananea, et iurantes per Dominum exercituum. Civitas solis, vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus Domini iuxta terminum eius, et erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem, et propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis, et in muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, et sanabit eam: et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. In die illa erit via de Aegypto in Assyrios, et intrabit Assyrius Aegyptum, et Aegyptius in Assyrios, et servient Aegyptii Assur. In die illa erit Israel tertius Aegyptio et Assyrio, benedictio in medio terrae, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Aegypti, et opus manuum mearum Assyrius, haereditas autem mea Israel.

## a CAP. XIX.

In parte ista comminatur destructionem Aegyptiorum, prosequens modum et ordinem: et dividitur in partes tres. Et primo describitur poenae praeparatio. In secunda ipsa destructio, ibi, *Et tradam Aegyptum.* In tertia utilitatis consecutio, ibi, *In die illa erunt quinque civitates.* Praeparatio autem poenae describitur quantum ad quatuor. Primo quantum ad dispositionem hostium, *Ascendet*, inspirando, *Super nubem*, ex qua tempestas, *Levem*, propter agilitatem et promptitudinem: *Ps. 17. Nubes et caligo in circuitu eius.* Secundo quantum ad stuporem gubernantium Deorum, et *Movebuntur simulacra*, quia confracti sunt ab Assyriis: vel quia dare responsum non potuerunt: vel quia nec eodem die apparuerunt. *Cor Aegypti*, idest rex et principes ex quibus totus vigor Aegypti: *Supra 1. Omne caput languidum, et omne cor moerens.* Tertio quantum ad dissensionem resistentium. Quantum ad exteriorem contrectationem, *Et concurrere;* quantum ad extraneos, *Aegyptios adversus Aegyptios;* quantum ad consanguineos, *Pugnabit vir contra fratrem suum;* quantum ad notos et amicos, *Et vir contra amicum suum;* quantum ad diversos populos, *Civitas.* Ponit voluntatum diversitatem, *Dirumpetur*, idest dividetur, *Spiritus*, idest voluntas, *In visceribus eius*, idest in incolis terrae: *Matt. 12. Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Quarto quantum ad errorem consiliantium hominum, *Et consilium: Iob 5. Apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat*, idest daemonum, *Et interrogabunt*, frustra: *Supra 8. Et cum dixerint ad vos quaerite a phytonibus, et a divinis, qui occidunt incantationibus suis.* Nota super illo verbo, *Super nubem*, quia est quadruplex nubes. Prima assumptae carnis: *Iob 38. Ubi eras cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem?* Secunda est virginalis ventris: *3. Reg. 18. Ecce nubecula parva ascendebat de mari.* Tertia est devotae mentis: *Psal. 65. Magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.* Quarta iudiciariae sedis: *Ps. 67. Nubes et caligo in circuitu eius, iustitia et iudicium praeparatio sedis eius.* Item nota quod de prima nube procedit pluvia sacramentalis, vel sanctificationis: *Io. 19. De latere Domini continuo exivit sanguis et aqua.* De secunda procedit cibus consolationis: *Sap. 19. Nubes castra obumbrabat, et ex aqua, quae ante erat, terra apparuit arida*, et *Isaiae: Videntes tua mirabilia et monstra, tamquam enim equi depaverunt escam.* De tertia procedit coruscatio praedicationis: *Iob 37. Frumentum desiderant nubes, et nubes spargunt lumen suum.* De quarta procedit tempestas damnationis: *Ps. 67. Virtus eius in nubibus.* Item nota super illo verbo, *Nubem levem*, quod prima dicitur levis propter eminentiam dignitatis: *Dan. 7. Ecce in nubibus similis filio hominis veniebat.* Secunda dicitur levis propter virginitatis puritatem: *Apoc. 14. Et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem filio hominis.* Tertia dicitur levis propter obedientiae velocitatem: *Infra 60. Qui sunt isti qui ut nubes volant?*

Quarta dicitur levis propter executionis facilitatem: *Eccle. 43. In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides gratia divina. Et traham Aegyptum* etc. Hic prosequitur ipsam destructionem. Et primo quantum ad populi servitutem. Secundo quantum ad terrae desolationem, ibi, *Et arescet* etc. Tertio quantum ad sapientium stuporem, ibi, *Stulti principes Thaneos, In manu dominorum crudelium*, Assyriorum scilicet, et Chaldaeorum, et Romanorum: *Deut. 28. Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria, et ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.* Destructionem autem terrae designat per siccitatem aquarum in quibus Aegyptus ornata, et dives est. Vel quia ira Dei praevenit, ut aquae siccarentur, et animalia morerentur. Vel loquitur parabolice; quasi dicat, Tanta erit tribulatio, quod videbitur etiam aquas siccare. Ponit ergo tria. Primo siccitatis modum, *Arescet*, idest minuetur, *Fluvius*, Nilus, vel flumina alia: *Ezech. 30. Faciam alveos fluminum aridos.* Secundo ponit siccitatis signum, *Calamus, et iuncus*, quae nutriuntur in aquis: *Isa. 35. Orietur viror calami, et iunci.* Tertio ponit siccitatis damnum, *Nudabitur*, primo agriculturae, *A fonte*, idest a principio; vel hoc ad finem: *Ps. 106. Posuit flumina in desertum, et exitum aquarum in sitim.* Secundo piscatorum, *Moerebunt piscatores: Ezech. 29. Proiiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui.* Tertio diversorum artificum, *Confundentur qui operantur linum*, quod nascitur in locis humidis, *Flaccentia*, idest arentia, *Lacunas*, vivaria. *Stulti principes* etc. Hic ponit hominum stuporem. Et primo quantum ad errorem in consiliis. Secundo quantum ad timorem in bellis, ibi, *In die illa* etc. Circa primum tria. Primo irridet sapientium stultitiam quantum ad deliberationem, *Stulti principes*, idest Philosophi, *Thaneos*, ubi vigebat studium: *Hier. 51. A scientia stultus factus est omnis homo.* Quantum ad consilii promulgationem, *Sapientes.* Quantum ad sui commendationem, *Quomodo dicetis Pharaon*, idest quomodo poteritis dicere, quando putabit vos male consuluisse hoc, quod unusquisque vestrum solebat dicere ad sui commendationem, ut eius consilio credatur, *Filius sapientium;* quasi dicat, Haereditate sapientiam possideo, vel discipulus, *Regum*, qui antiquitus Philosophi erant: *Iob 15. Et senes et antiquitus sunt in nobis, multo vetustiores, quam patres tui.* Secundo irridet regis confidentiam, *Ubi nunc.* Et primo quaestionem: *Isa. 47. Non est qui salvet te.* Secundo responsionem, *Stulti emarcuerunt*, idest defecerunt, ut supra. Tertio irridet populi decepti ignaviam, *Deceperunt.* Hic tria facit. Primo ponit sapientium consilium, *Deceperunt angulum*, idest regnum, in quo multi coniunguntur sicut parietes in angulo: *Isa. 47. Sapientia tua et scientia tua decepit te.* Secundo Dei permissionem, *Dominus miscuit.* Saepe dicitur metaphorice, *Spiritum vertiginis*, idest errores ad modum eius qui patitur vertiginem: *3. Reg. ult. Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum.* Tertio ipsius populi errorem, *Et errare*, videlicet neque quoad principium, *Caudam*, neque quoad finem, *Incurvantem*, quoad senem, *Refraenantem*, quoad iuvenem, qui refraenatione indiget, vel lascivientem: *2. Tim. 3. Mali autem homines, et seductores proficient in peius. In illa die* etc. Hic comminatur timorem robustorum. Et primo ponit timorem, *Quasi mulieres, infirmi, et imbecilles: Hier. 51. Devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres.* Secundo rationem, *Erit terra Iuda*, scilicet memoria malorum quae fecerunt eis, avertentes eos aculei Dei, pro quo scient iram Dei se incurrisse: *1. Mac. 6. Nunc reminiscor malorum, quae feci in Hierusalem. In die illa* etc. Hic ponitur consecutio, scilicet eorum conversio. Et primo conversionis signum triplex. Quorum primum est iuramentum, *Iurantes: Isa. 65. Iurabit in Deo amen: quia oblivioni traditae sunt angustiae priores. Civitas solis*, Heliopolis, *Linguam Chananeam*, quae confinis est linguae Iudaeorum, ut in lingua etiam conveniant cum populo Dei: in his enim translati sunt a Nabuchodonosor quidam Syri, qui linguam propriam tenuerunt. Secundum signum est sacrum aedificium, *Altare Domini et titulus*, quia multos Deos colebant, sicut dicitur *Act. 27.* Hoc, *Ut dicunt quidam*, impletum est tempore Machabaeorum, quando multis Iudaeis fugientibus in Aegyptum, Onias volens implere hanc prophetiam, aedificavit altare contra praeceptum legis, quod est contra illud *Deute. 12. Non aedificabis mihi altare*, de quo arguitur *Dan. 11. Filii quoque praevaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruent.* Unde patet, quod non est iste intellectus, sed de altari aedificando ad cultum christianum. Tertium signum est, quia invocant Dei auxilium, *Clamabunt salvatorem*, Iesum: *Ps. 90. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Secundo ponit conversionis modum. Et primo quantum ad fidei susceptionem, *Cognoscetur: Hier. 31. Omnes cognoscent me a minori usque ad maximum, ait Dominus.* Secundo quantum ad sacrificiorum et votorum oblationem, *Et colent: Malac. 1. In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Tertio quantum ad peccatorum remissionem, *Et percutiet.* Primo per multas poenas, *Et sanabit*, a peccato: *Iob 5. Ipse vulnerat et medetur, percutit et manus eius sanabunt.* Tertio ponit conversionis triplicem effectum, scilicet pacem, *In die illa erit via*, quod ante non poterat esse per diversa regna, quae nato Domino iuncta sunt sub Romanis: *Servient*, in mercimoniis sibi invicem. Vel quia milites Syri erant in legionibus Romanorum ad custodiam Aegypti: *Supra 1. Non levabit gens contra gentem gladium.* Secundo promittit secundum effectum fidei veritatem, *In die illa tertius*, simul et aequaliter Romanis serviens, et in unitate fidei: *Io. 10. Fiet unum ovile, et unus pastor: Ro. 10. Non est distinctio Iudaei et Graeci.* Tertio ponit secundum effectum, scilicet benedictionem divinam, *Erit*, scilicet Israel, *Benedictio*, quia per apostolos totus mundus benedictionem Dei percepit: *Haereditas*, quia ibi natus, et mysteria salutis nostrae explevit: *Ps. 113. Benedixit domui Israel.*

## a CAP XX.

In anno quo ingressus est Thartan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam, in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiae filii Amos dicens: Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum, signum et portentum erit super Aegyptum, et super Aethiopiam, sic minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti, et transmigrationem Aethiopiae, iuvenem et senem, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti. Et timebunt, et confundentur, et ab Aethiopia spe sua, et ab Aegypto gloria sua. Et dicet habitator insulae huius in die illa: Heccine erat spes nostra ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum? Et quomodo effugere poterimus nos?

## a CAP XX.

Hic ponitur destructionis tempus: et dividitur in partes tres. Et primo ponitur designans quoddam, scilicet propheticum factum. Secundo facti significatum, ibi, *Et dixit* etc. Tertio ostendit significati effectum, ibi, *Et timebunt* etc. Circa primum tria. Primo ponitur prophetiae tempus, *In anno Azotum*, civitas Palestinorum: *Am. 1. Ubi est Gaza, Geth, Acharon, Ascalon, Azotus, Sargon*, qui et Senacherib secundum Hieronymum, quia sex nomina habuit, quae sunt Sargon, Senach, Phua, Salmanasar, Thegalphalasar, Afrae. *In manu*, idest in opere verbis concordante: *Ose. 12. In manibus prophetarum assimilatus sum.* Secundo ponit divinum praeceptum, *Vade et solve*: *Eze. 24. Eritque Ezechiel vobis in portentum.* Tertio praecepti complementum, *Et fecit sic. Et dixit Dominus* etc. Hic ponitur significatum praedicti facti. Et primo quantum ad tempus quo duravit persecutio, *Trium annorum*, per tres dies quibus nudus ivit, significatione: *Ezec. 4. Diem pro anno dedi tibi.* Secundo quantum ad destructionis auctorem, *Sic minabit rex*: *Ezec. 30. In die illa egredientur nuncii a facie mea in trieribus ad conterendam Aethiopiae confidentiam.* Tertio quantum ad destructionis conditionem, in universalitatem, *Iuvenem et senem*, in vilitatem, *Nudam*, scilicet captivitatem: *Hier. 46. Sanitas non est tibi. Et timebunt.* Hic ponit effectum in Iudaeis. Primo timorem, *Et timebunt.* Secundo confusionem, *Et confundentur.* Tertio utriusque expressionem, *Et dicet habitator insulae*, idest Hierusalem, quae persecutionis fluctibus incessanter tundebatur, sicut insula fluctibus maris, *Heccine*, in quo confusio, *Et quomodo*, in quo timor: *Isa. 30. Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.*

## a CAP XXI.

Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est, infideliter agit, et qui depopulator est, vastat. Ascende Aelam, obside Mede, omnem gemitum eius cessare feci. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, et angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes: surgite principes, arripite clypeum. Haec enim dixit mihi Dominus: Vade, et pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu. Et clamavit ut leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Ecce iste venit ascensor vir bigae equitum. Et respondit, et dixit: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. Tritura mea et filia areae meae, quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis. Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane, et nox. Si quaeritis, quaerite, convertimini, et venite. Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis praelii: quoniam haec dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. Et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar, imminuentur. Dominus enim Deus Israel locutus est.

## a CAP XXI.

Hic comminatur contra hostes, qui gravabant eos per rerum subtractionem, qui tamen erant eis aliquo foedere iuncti: et dividitur in partes tres. Primo contra illos qui erant iuncti amicitiae foedere. Secundo contra illos qui erant iuncti praelationis iure, *c. 22.* ibi, *Onus* etc. In tertia contra illos, qui erant eis iuncti in negotiationis societate, *23. c. Onus Tyri* etc. Prima in duas. In prima contra amicos extraneos, scilicet Babylonios, qui erant amici, et a rebus tandem spoliaverunt, sicut patet *Isa. 39.* contra amicos, cognatos, ibi, *Onus Damasci* etc. Circa primum duo facit. Primum ponitur titulus, *Onus maris*, Babylonis propter sonitum multitudinis populorum

*deserit,* quia in solitudinem redigetur: *Hier. 51. Desertum faciam mare eius, et siccabo venam eius.* Secundo ponitur ipsa prophetia. Et primo ponitur visio comminationis. Secundo modus accipiendae visionis, ibi, *Haec enim dixit* etc. Circa primum quatuor designat. Primo tribulationis gravitatem, ponendo similitudinem, *Sicut turbines,* Vox Babylonis, Ab *Africo de deserto,* quod erat ad meridiem, *Ita venit,* contra me vastitas, *De terra,* scilicet perside, *Horribili,* mihi: *Nau. 1. Dominus in tempestate, et turbine viae eius. Visio dura,* in persona Babylon: *Ioan. 6. Durus est hic sermo.* Secundo designat vastatorem. Et primo quantum ad ducis conditionem in infidelitate. Cyrus, *Qui incredulus,* idest infidelis, domino suo Baldasar, rebellans, et Babylonem obsidens. Confidens de ipsius effeminatione, *Infideliter agit,* idest aget videns non posse civitatem capi vi. fraude pacem faciens et iurans homagium regi Babylonis, a quo invitatus ad convivium, de quo *Dan. 5.* interfecit eum, et cepit civitatem in ducentis militibus per foramen muri, unde fluvius intrabat, aqua ipsius in multas partes divisa, in crudelitate, *Qui depopulator.* Unde in poenam crudelitatis suffocatus est in sanguine, et dictum est sibi: *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe: Abacuch 2. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso.* Secundo quantum ad exitus regionem, *Ascende Aela,* civitas Persidis et provincia, *Metaba,* civitas in Media, *Obside,* Babylon vox Domini: *Hier. 51. Ascendite contra eam omnes gentes.* Tertio hostis potestatem, *Omnem gemitum eius,* idest Babylonis, ut nec etiam plangere audeat: *Supra 10. Non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.* Vel quia suos gemere faciet. Quarto designat ipsius prophetae compassionem, quam designat quantum ad corpus, ad quod redundant affectiones mentis, et hoc quantum ad doloris sensum, *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore,* idest ita doleo, sicut qui patitur dolorem in renibus: *Ps. 47. Ibi dolores, ut parturientis;* et quantum ad casum, *Corrui;* et quantum ad turbatum vultum, *Turbatus: Ps. 76. Turbatus sum, et non sum locutus: Ps. 54. Turbatus sum in exercitatione mea.* Secundo quantum ad affectum, *Emarcuit cor meum,* idest affectus tristitia: *Hier. 4. Ventrem meum doleo.* Tertio quantum ad intellectum stupentem, *Tenebrae,* idest turbationes praevisae ac si essem in tenebris: *Hier. 50. Omnis qui transibit per Babylonem, stupebit, et sibilabit super universis plagis eius. Babylon dilecta,* tunc temporis, quamvis postea inimica, *In miraculum,* idest in admirationem: *Apoc. 17. Admiratus sum cum vidissem illam admiratione magna.* Quarto designat destructionis modum, et conditionem dicens, *O Babylon pone mensam,* invitando Cyrum et Darium ad convivium, *Contemplare,* idest vide, *In specula,* idest in scriptura manus scribentis, Mane, Techel, Phares, clara luce Domini, scilicet o Cyre, o Dari, *Principes comedentes et bibentes,* cum eo, *Surgite,* confortati visione, arripite clypeum, et interficite eum: *Hier. 46. Praeparate scutum et clypeum.* Vel aliter, ut sint verba Domini. O propheta, *Pone mensam,* idest ponendam praedica, *In specula,* idest in spiritu prophetiae, etc. ut supra. Vel verba Cyri, *Pone mensam,* Vos Persae accurrite, date equis annonam, ut sitis parati, ut speculator contemplare, *Quid fiat in tractatu vos,* Principes, *Mei,* comedite, Et hoc stat, etiamsi non sustineatur, quod Cyrus et Darius fuerint in convivio, ut quidam dicunt, sustinentes festum fieri in civitate, et delitiis vacare. Vel per festum discumbebant, vel propter treugas, vel propter victoriam semel habitam, vel propter adiutorium quod receperant, de nocte aggressi sunt civitatem. Nota super illo verbo, *Contemplare in specula,* quia debet homo in speculo mentis contemplari primo peccata quae commisit ut doleat: *Hier. 31. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* Secundo supplicia, quae meruit, ut timeat: *Mich. 7. Dies speculationis, visitatio tua venit.* Tertio beneficia, quae Deus contulit, ut gratias agat: *Isa. 52. Vox speculatorum tuorum, servaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Syon.* Quarto mandata quae praecepit, ut impleat: *Osee 10. Speculator Ephraim.* Quinto praemia quae promisit, ut comprehendat: *2. Pet. 1. Speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim a Deo Patre gloriam et honorem. Haec enim dicit* etc. Hic ponit modum acceptionis huius visionis: et circa hoc quatuor facit. Primo ponitur divina visio, *Pone speculatorem,* teipsum, vel discipulum tuum, quem Hebraei Abacuch dicunt fuisse, *Viderit,* spiritu prophetali, vel corporaliter: *Ezec. 3. Fili hominis, speculatorem posui te domui Israel.* Secundo ponitur visio. Et primo ponit rem visam, *Et vidit currum duorum equitum,* quia duobus equis consuevit trahi, exercitum duorum regnorum significatione, *Ascensorem,* scilicet currum, affini, regni Persarum, quod primum ignobile, *Cameli,* Medorum, quasi haec duo animalia loco duorum equorum currui adiungerem. Secundo videntis diligentiam, *Et contemplatus est: Ezec. 40. Pone cor tuum in omnibus quae ego ostendo tibi,* Tertio ponitur denunciatio, *Et clamavit, ut reo,* servitutem animi, qui prius speculator per eminentiam contemplationis. Et primo denunciat suam diligentiam, *Super speculam suam Domini: Abac. 2. Super custodiam meam stabo.* Secundo denunciat rem visam, *Ecce venit,* ut *supra 3.* Babylonis poenam, *Cecidit: Hier. 50. Capta est, et nesciebas.* Quarto ponitur prophetae ad populum denunciatio, *Tritura mea,* verba prophetae, vel Christi, quia Hierusalem triturata multis tribulationibus, *Filia arcae,* idest templum quod situm est in area Ornam, *2. Reg. ult. Domus Duma* etc. Hic comminatur contra amicos et cognatos. Et primo contra Idumaeos, qui de progenie sunt Esau fratris Iacob, *Gen. 25.* quandoque amici, sicut *10. Reg. 3. Ezec. 35. Audivi universa opprobria, quae locutus es de montibus Israel.* Secundo contra Arabes, qui de genere sunt Ismaelis, qui fuit filius Abraham, *Gen. 16,* ibi, *Onus in Arabia* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur inscriptio, *Onus Duma,* idest Idumaeae. Secundo comminatio. Circa quam tria. Primo ponitur eorum oratio, et sunt verba Dei haec Idumaeis: *Ex Seir clamat ad me.* Liberatis Iudaeis, post septuaginta annos captivitatis, *Custos,* qui custodis populum Israel, quasi eis dormientibus: *Quid de nocte,* idest quare nos non liberas de nocte captivitatis, sicut et eos? Et ostendunt magnum desiderium liberationis ex intentione verborum et decanta-

tione: *Ps. 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Secundo ponitur petitionis refutatio, et, *Dixit custos*, scilicet Deus, *Venit mane*, liberationis tempus Iudaeis, *Et nox*, captivitatis, adhuc Idumaeis manet: *Sap. 17. Solis autem illis superposita erat gravis nox.* Tertio adhibet remedium, *Si quaeritis*, me, *Quaerite*, toto corde relinquendo idola. Ut sicut in tribulatione, ita et in prosperitate: *Isa. 55. Quaerite Dominum dum inveniri potest. Convertimini, Ioel. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro.* Nota super illo verbo, *Custos quid*, quia homo debet se custodire in die prosperitatis a divitiis, primo, ne eas eligat, considerando earum utilitatem: *Phil. 3. Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum detrimenta.* Secundo, ne in eis confidat, considerando earum vanitatem: *Eccl. 2. Vidi in omnibus vanitatem.* Tertio, ne de eis superbiat, considerando earum imminentem adversitatem: *Eccl. 11. In die bonorum ne immemor sis malorum.* Item debet se custodire in nocte adversitatis, primo considerando percutientis affectum: *Prov. 3. Disciplinam patris fili mi ne abiicias, ne deficias, cum ab eo corriperis.* Secundo considerando percussi Christi exemplum: *Hebr. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.* Tertio considerando percussionis fructum: *2. Cor. 4. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Onus in Arabia* etc. Hic comminatur contra Arabes. Et primo innuit destructionis causam: quia filiis Israel fugientibus, panem porrigentibus, aquam subtrahebant. Unde ponit Iudaeorum fugam; O vos Iudaei, *In saltu*, Arabiae, *Dedanim*, nomen loci: *Ps. 106. Erraverunt in solitudine in inaquoso. Viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Hortatur ad misericordiam, *Occurrentes*, vos Arabes, *Terram Austri*, idest meridiei, *Isa. 48. Frange esurienti panem tuum.* Et ponit ibi misericordiae causam. *A facie enim*, ut moveantur ad misericordiam: *Hier. 4. A voce aequitatis, et mittentis sagittam fugit omnis civitas.* Secundo quia hoc facere noluerunt, comminatur poenam, *Quoniam haec dicit Dominus.* Et primo per Assyrios, a quibus praelatio vastationis Iudaeorum, et ipsa vastitas, *Quasi in anno mercenarii*, qui sibi videtur brevis, spe mercedis. Secundo Chaldaeos, *Reliquiae*, ab Assyriis derelictae, *Imminuentur*, a Chaldaeis, *Cedar*, filii Ismaelis, *Sagittariorum*, sequentes artem patris sui: *Gen. 21.* dicitur de Ismaele, quod factus est vir sagittarius.

## a CAP. XXII.

Onus vallis visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti, et tu omnis in tecta? Clamoris plena, urbs frequens civitas exultans? Interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui tui mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt. Omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter: procul fugerunt. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me, super vastitate filiae populi mei. Dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum, Domino Deo exercituum, in valle visionis, scrutans murum, et magnificus super montem. Et Aelam sumpsit pharetram, et currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus. Et erunt electae valles tuae plenae quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. Et revelabitur operimentum Iudae, et videbitis in die illa armamentarium domus saltus. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt. Et congregastis aquas piscinae inferioris, et domos Hierusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinae veteris, et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem eius de longe non vidistis. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci, et ecce gaudium, et laetitia, occidere vitulos, et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum. Vade ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi, et dices ad eum: Quid tu hic? aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale, diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevavit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet in terram latam et spatiosam. Ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae, et ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliachim filium Helchiae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius, et erit quasi pater habitantibus Hierusalem et domui Iuda. Et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui, et suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius. Vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum, usque ad omne vas musicorum. In die illa dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

## a CAP. XXII.

Hic comminatur contra illos, qui populo Dei iungebantur praelationis iure, et ipsum tamen rebus spoliabant. Et primo quantum ad illos ad quos pertinebat praelatio in temporalibus. Secundo contra illos ad quos pertinebat in spiritualibus, *Haec dicit Dominus*. Praelatio autem in temporalibus pertinebat ad reges. Et ideo comminatur in prima parte contra Hierusalem, quae erat sedes regni : et circa hoc duo facit. Primo ponitur inscriptio , *Vallis* , idest Hierusalem, non propter situm loci, cum sit in monte, sed propter vilitatem, quia ad ipsam sicut ad vallem confluebant sordes undique, dum vicinarum gentium actum sequerentur: *Ezec. 9. Haec est Hierusalem , in medio gentium posui eam.* Vel dicitur vallis propter infirmam partem civitatis, quae a Sabona tradita fuit Senacheribus. *Visionis* , propter sanctitatem templi ; nam in ipso visiones prophetis fiebant a Domino. Vel propter eminentiam loci, quia a remotis videri poterat. Vel propter nomen, quod loco illi imposuit Abraam, sicut dicitur *Gen. 22. Appellavitque nomen loci illius, In monte Dominus videbit.* Secundo ponitur ipsa comminatio: et circa hoc tria facit. Primo arguit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Interfectique tui* etc. Tertio ostendit in ipsa poena obstinationis pertinaciam, ibi , *Et congregastis* etc. Circa primum duo facit. Primo arguit peccatum duplex idolatriae, *Quidnam tibi quia ascendisti in tecta*, ad sacrificandum idolis, *Et tu*, quae speciali sancti privilegii gaudebas? *Ose. 4. Si fornicaris Israel, non delinquat saltem Iuda.* Et peccatum rixae , *Clamoris poena, Supra 5. Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Secundo ad gravandum peccatum ponitur Dei beneficium duplex, scilicet multitudinis hominum, *Urbs frequens; Thren. 1. Quomodo sedet sola civitas plena populo;* et plenitudinis gaudiorum, *Civitas exultans* quondam tempore Salomonis , prae nimia prosperitate : *Psal. 47. Fundatur exultatione universae terrae. Interfecti* etc. Hic ponitur poena. Et primo comminatur hominum destructionem quantum ad obsessos qui mortui sunt fame , *Non interfecti gladio*, sed fame, et siti: *Thren. 4. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame.* Quantum ad fugitivos principes, scilicet qui comprehensi, et, *Ligati*, sicut legitur *Hier. ult. Cuncti principes : Thren. 1. Facti sunt principes eius, velut arietes non invenientes pascua.* Quantum ad comprehensos in captivitate qui similiter captivati sunt, *Omnes qui inventi sunt, procul fugerunt*, in longinquam terram, in captivitatem ducti: *Deut. 28. Deducet Dominus in gentem longinquam.* Secundo ponit prophetae inconsolabilem compassionem , *Recedite*, vos prophetae consolantes, *Nolite incumbere*, more consolantium: *Hier. 9. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut possim flere interfectos populi mei?* Tertio ponit poenae modum, et ordinem: et circa hoc tria ponit. Primo Dei indignationem, *Dies interfectionis*, imminet, *Scrutans*, faciens scrutari ab hostibus , *Magnificus*, faciens hostes magnificos: in montibus enim et muris confidebant: *Soph. 1. In tempore illo scrutabor Hierusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fecibus suis.* Secundo ponit hostium superationem, *Et Aelam*, civitas Persidis , ex qua venerunt pugnatores cum Nabuchodonosor, qui et monarchiam orientis tenebat, *Clypeus*, portatus contra Hierusalem, *Nudabit parietem*, ad quam suspensus erat ad ornatum domus: *Hier. 46. Praeparate scutum et clypeum.* Vel aliter, *Clypeus*, potentia Chaldaei. *Nudavit parietem* , templi auro quo vestiebatur. Tertio ponit damni illationem, quantum ad quatuor. Primo quantum ad possessionum vastationem, *Erunt electae quadrigarum*, Babylonis : *Hier. 9. Quid gloriaris in vallibus ? Defluxit vallis tua filia dilecta.* Secundo quantum ad civitatum captionem, *Equites in porta*, ne quis effugiat: *Hier. 39. Ingressi sunt omnes principes Babylonis , et sederunt in porta media.* Tertio quantum ad sanctorum profanationem , *Et revelabitur*, idest nudabitur, *Operimentum*, idest sancta prius operta, quae nulli, nisi sacerdoti licebat videre: *Thre. 1. Viderunt gentes ignominiam tuam.* Quarto quantum ad armamentarii destructionem , *Videbis armamentarium*, idest domus saltus , in quo arma recondebantur eversorum: de cuius aedificio *3. Reg. 7. Civitatis David* , fortissimae. Vel ipsa Hierusalem cum forti muro in pluribus locis: *Cant. 4. Turris David aedificata est cum propugnaculis. Et congregasti aquas* etc. Hic ponit obstinationis pertinaciam. Et primo arguit obstinationis culpam. Secundo ponit contra eos divinam sententiam , *Et revelata est.* Redarguit autem eorum pertinaciam quantum ad duo. Primo quantum ad divinum auxilium quod non invocabant, de suis viribus et ingeniis confidentes, *Congregasti* , in unum locum intra civitatem per occultos meatus, *Aquas piscinae inferioris*, quae habebat aquas de terra fluentes , quae tamen ab hostibus prohiberi poterant. *Numerasti*, ut numero et mensura dispensaretur aqua; *Destruxisti domos* , quae erant iuxta murum, ut non impedirent defensores, *Lacum*, piscinae inferioris, *Fecistis*, fluere, *Inter duos muros*, quibus cingebatur civitas, *Et aquam*, instaurasti, *Eum*, scilicet Deum, *Eam*, aquam: *Ps. 13. Deum non invocaverunt.* Secundo quantum ad divinum consilium quod contemnebant , *Et vocabit :* et circa hoc tria ponit. Primum ipsum consilium, *Ad fletum*, oculorum, *Ad planctum*, manuum, *Ad calvitium*, secundum morem antiquum, qui in tristitia opera haec faciebant: *Ioel. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, et planctu.* Secundo ponit consilii contemptum, *Et ecce gladium:* supra *Cythara et lyra in conviviis vestris.* Tertio contemnendi animum , *Comedamus , 1. Cor. 15. Sapien. 2. Umbrae transitus est tempus nostrum. Et revelata* etc. Hic ponitur sententia; et possunt legi ex persona Domini, haec blasphemia vestra, *Revelata*, idest ego audivi, *Si dimittetur*, quasi dicat, non credatis: *Supra 2. Ne ergo dimittas.* Vel ex persona prophetae haec vox Domini, *Revelata est*, Et haec omnia quae dicta sunt , pertinent ad captivitatem per Nabuchodonosor imperantem facta. *Haec dicit Dominus* etc. Hic ponitur comminatio contra illos, ad quos pertinebat praelatio in spiritualibus. Et primo, contra sacerdotem qui tunc erat. Secundo, contra sacerdotalem ordinem , ibi , *In die illa dicit Dominus* etc. Circa primum duo facit. Primo praedicit illius depositionem , quia civitatem

terrore concussus tradidit Senacheribus, idest inferiorem partem. Secundo alterius substitutionem, ibi, *Et erit in die illa* etc. Circa primum tria facit. Primo describit personam ex officio, *Qui habitat in tabernaculo.* Sacerdotum erat excubare in tabernaculo, ut habetur *Nu. 1. Praepositum*, summum super decem. Secundo arguit culpam triplicem indignae habitationis, *Quid tu hic*, facis in domo mea, indignus tali habitatione: *Hier. 11. Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* De se superbae praesumptionis, *Aut quasi hic*, quasi dicat, aestimas te, ac si esses alicuius valoris, cum nihil sis: *Zach. 11. O pastor et idolum.* Curiosi sepulcri aedificationis, *Excidisti*, hic in Hierusalem iuxta templum, *Memoriale*, idest epitaphium, *In excelso*, idest in supremo situs sepulcri. Vel ad literam in alto sepulcrum suum collocaverat ad memoriam suam, sicut habetur *1. Mach. 13.* Tertio comminatur poenam, ibi, *Ecce Dominus* etc. triplicem. Primo captivationis, *Sicut asportatur*, ligatus et sine labore, *Gallinaceus*, qui pullos ad modum gallinae nutrit, castratus existens, qui capones dicuntur: *Et quasi amictum*, leviter super humerum levatus: *Hier. 20. Tu Phassur, et omnes habitatores domus tuae, ibitis in captivitatem, et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu, et omnes amici tui.* Secundo confusionis, *Coronans*, idest loco coronae qua utebaris cultu pontificali, habebis tribulationem, *Quasi pilam*, quae non invenit altam stationem, *Currus gloriae tuae*, qua ferebaris gloriosus, in confusionem tuam conversus est: *Et ignominiam domus Domini*, idest gloria quam habuisti in domo Domini, vertetur tibi in ignominiam: *Ose. 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Tertio poenam depositionis, *Et expellam: 3. Reg. 2. Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini. Et erit* etc. Hic ponit alterius substitutionem: et circa hoc tria ponit. Electionem, *Invocabo*, unum de vigintiquatuor, ut legitur *1. Par. 25. 1. Reg. 2. Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum sit.* Secundo ipsius consecrationem, *Et induam eum*, quia cum vestibus pontificalibus consecrabantur, sicut patet *Levit. 18.* de vestibus istis, et *Exod. 28.* Tertio confert iurisdictionem, *Et potestatem.* Et primo quantum ad potestatem quam habebat in populo, ponens potestatem, *Et potestatem*, scilicet, *Dabo: Ps. 108. Fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter. Et erit quasi pater: Hier. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Secundo quantum ad potestatem, quam habebat ad templum, *Et clavem*, quae aurea erat, *Domus David*, idest templi, ad quod aedificandum David impensas praeparavit, sicut patet *1. Para.* in fine. *Super humerum*, idest suam gubernationem. Vel quia ea utebatur, quasi quodam ornamento. *Aperiet*, quia sibi licitum erat intrare semel per annum in sancta sanctorum, ut dicitur *Hebrae. 9.* Tertio quantum ad potestatem, quam habebat supra totum ordinem ministrantium. *Et figam illum paxillum*, diminutivum de palo: sicut enim super palum aliquando suspenduntur diversa vasa, ita ad curam ipsius pertinebant diversa officia, quae habent usum diversorum vasorum in ministeriis domus Domini. *In loco fidelium*, scilicet templo. De hac potestate dicitur *Nu. 2.* et *24. In die illa* etc. Hic contra sacerdotium totum, quod destructum est tempore Sedechiae captivante Nabuchodonosor: quae enim dicta sunt de Sobna, pertinent ad tempus Senacheribus, *Auferetur pax illius.* Et vocatur hic paxillus ipsum sacerdotium, quod cessavit tempore captivitatis: *Ose. 3. Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, sine Ephod, et sine Teraphim.* Nota super illo verbo, *Qui habitat in tabernaculo*, quia est multiplex tabernaculum. Primum carnalis concupiscentiae, quod est porcorum: *Hebr. ult. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Secundum est temporalis, et naturalis vitae, quod est hominis: *2. Pet. 1. Certus sum enim, quod velox est depositio tabernaculi mei.* Tertium est militantis ecclesiae, quod est pugnantium: *Supra 3. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu.* Quartum est contemplativae sapientiae, quod est quiescentium: *Ps. 132. Introibimus in tabernaculum eius.* Quintum est coelestis patriae visionis aeternae, quae est omnium beatorum: *Isa. 33. Oculi tui videbunt Hierusalem civitatem opulentam, tabernaculum quod numquam transferri poterit.*

## a CAP. XXIII.

Onus Tyri. Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant, de terra Cethim revelatum est eis. Tacete qui habitatis in insula, negotiatio Sidonis. Transfretantes mare, repleverunt te. In aquis multis, semen Nili, messis fluminis fruges eius, et facta est negotiatio gentium. Erubesce Sydo, ait mare, fortitudo maris dicens: Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi iuvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. Cum auditum fuerit in Aegypto, dolebunt cum audierint de Tyro. Transite maria, ululate, qui habitatis in insula. Numquid non haec vestra est, quae gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe, ad peregrinandum. Quis cogitavit hoc super Tyrum, quondam coronatam? Cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terrae. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae. Transi terram tuam quasi fluvium filia maris, non est cingulum ultra tibi. Manum suam extendit suum mare, conturbavit regna. Dominus mandavit adversus Chanaam, ut contereret fortes eius. Et dixit: Non adiicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sydonis. In Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. Ecce terra Chaldaeorum, talis populus non fuit. Assur fundavit eam. In captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam. Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra. Et erit in die illa, in oblivione eris o Ty-

re septuaginta annis, sicut dies regis unius. Post septuaginta annos erit Tyro, quasi canticum meretricis. Sume tibi cytharam , circui civitatem , meretrix oblivioni tradita. Bene cane , frequenta canticum, ut memoria tui sit. Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum , et reducet eam ad merces suas, et rursum fornicabitur cum universis regnis terrae super faciem terrae, et erunt negotiationes eius , et merces eius sanctificatae Domino. Non condentur, neque reponentur, quia his , qui habitaverint coram Domino , erit negotiatio eius, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.

## a CAP. XXIII.

In parte ista comminatur contra Tyrios , qui populo Dei iungebantur mercationum societate : et dividitur in duas. Primo comminatur destructionem , quae facta est a Nabuchodonosor. In secunda promittit liberationem , ibi , *Et erit post septuaginta* etc. Circa primum tria ponit. Primo compatientium tristitiam. Secundo timentium fugam , ibi , *Transite* etc. Tertio destructionis poenam, ibi, *Dominus mandavit* etc. Circa primum tria ponit. Primo dolorem mercatorum ponens eorum planctum, *Ululate naves*, scilicet Chartaginenses: *Apoc. 17. Mercatores terrae, de virtute divitiarum eius divites facti sunt.* Et planctus motivum, *Vastata est domus*, idest Tyrus , *Venire consueverat* , negotiatio ; et etiam cognoscendi modum, *De terra Cethim*, idest Graecia: *1. Machab. 1. Egressus de terra Cethim Darius.* Secundo ponit stuporem, *Tacete*, adiungens tria in quibus gloriabatur, scilicet immutationem loci, *Qui habitatis.* In multitudine mercimonii , *Negotiatio* , idest in qua negotiantur , *Repleverunt* , divitiis in abundantia frumenti , *Semen Nili* , fluminis , est , *Messis et fruges eius*, scilicet Tyri, quia de Aegypto veniebat eis multum de tritico: *Et ideo facta est negotiatio gentium: Ezech. 27. Dices Tyro, qui habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas* etc. Tertio ponit confusionem vicinorum. Et primo Sydoniorum, quorum Colonia Tyrus erat: *Mare*, idest marini negotiatores , *Ait o Sydon erubesce*, quia non defendisti Tyrum, *Quia fortitudo maris*, idest Tyrus est, *Dicens, non parturivi*, ad defensionem Tyri. Vel aliter, *Sydon ait: O mare, fortitudo maris*, idest terrae, *Erubesce*, idest non valuit mihi parturivisse, quia capta sum. Vel aliter, *Mare* , idest , *Fortitudo maris* , idest negotiatores qui fortes sunt in mari , *Ait Erubesce Sydon , dicens non parturivi* , ad defensionem Tyri. Vel aliter, *Sydon ait mare fortitudo maris*, idest Tyre , erubesce tu Tyre, dicens quae sequentur. Vel Sydon dicens, cum vos ex me geniti sitis o Tyre, ita capti estis ac si non parturivissem. Secundo Aegyptiorum, *Cum auditum: 1. Reg. 3. Ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient aures eius. Transite* etc. Hic praedicit fugam timentium , quantum ad illos qui Nabuchodonosor impugnante civitate, fugerunt in Aegyptum cum navibus. Et primo hortatur ad fugam. Secundo ad fugae constantiam , vel festinantiam , ibi , *Transi terram* etc. Circa primum tria. Primo timentium fugam, *Transite.* Vos fugientes, *Ululate remanentes, Supra 16. Derelictae sunt propagines eius, transierunt mare.* Secundo remanentium ignominiam, *Numquid:* et circa hoc facit. Primo praedicit ignominiam, commemorans primo pristinam gloriam, *Numquid non haec vestra*, scilicet civitas, *Ducent*, quantum ad captivatos: *Baruc. 4. Delicati mei ambulabunt vias asperas.* Tertio admirationem ponens. Primo admirantis quaestionem, *Quis cogitavit coronatam*, quasi reginam aliarum civitatum, *Principes* , prae nimiis deliciis : *Ezec. 26. Quomodo periisti, quae habitas in mari, urbs inclyta; quae fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis?* Et subiungit responsionem, *Dominus exercituum, ut detraheret superbiam* etc. *Iob 40. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Transi terram* etc. Hic hortatur ad velociter fugiendum. Et primo ponit exhortationem, *Transi quasi fluvium*, quod cito navigio transitur: *Hier. 46. Vasa transmigrationis fac tibi, habitatrix filia Aegypti.* Secundo assignat rationem ex parte ipsorum, *Non est cingulum ultra tibi*, idest fortitudo. Aliter ex parte Dei, *Manum suam extendit super mare: Super 11. Desolabit Dominus linguam maris Aegypti. Dominus mandavit* etc. Hic comminatur destructionem. Et primo persecutionis flagellum. Secundo praedicit compassionis planctum , ibi , *Ululate* etc. Tertio determinat destructionis tempus, ibi, *Et erit in die illa* etc. Circa primum tria facit. Primo denunciat divinam indignationem, ponens praeceptum, *Mandavit*, Nabuchodonosor, *Adversus Chanaam*, in qua est Tyrus: *4. Reg. 18. Dominus dixit mihi, ascende ad terram hanc, et demolire eam.* Et finem intentum, *Et dixit: Non adduces ultra ut glorieris, calumniam sustinens*, accusata de superbia : *Hier. 10. Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec dives in divitiis suis.* Excludit etiam remedium , *In Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi : Deut. 28. In gentibus quoque illis non quiesces , nec erit requies vestigio pedis tui.* Secundo ponit hostium fortitudinem , *Et ecce terra Chaldaeorum talis populus non fuit*, ante eos, *Assur*, vel Nabuchodonosor, *Fundavit eam: Dan. 4. Nonne haec est Babylon, quam aedificavi?* Tertio ponit destructionem, quantum ad captivationem hominum, *In captivitatem transduxerunt robustos: Supra 5. Descendent fortes eius, et populus eius, et sublimes , gloriosique eius ad eum.* Quantum ad destructionem domorum, *Suffoderunt*, domos: *Supra 17. Erit sicut acervus lapidum in ruina. Ululate.* Hic ponit planctum. *Et erit* etc. Hic determinat tempus , *Sicut dies regis unius*, qui raro etiam tantum vivit: *Isa. 49. Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Post septuaginta annos* etc. Hic promittit liberationem. Et primo ponit liberatorum cantum, ponens canendi tempus, *Post septuaginta quasi canticum meretricis*, quae abiecta a viro, per cantilenas in quibus commemorat pristinam dignitatem, se iactitat , et cor movet aliorum ad misericordiam. Ponit etiam canticum quantum ad instrumentum, *Sume tibi cytharam.* Quantum ad locum, *Circui civitatem.* Quantum ad modum , *Bene cane.* Quantum ad numerum, *Frequenta.* Ponit etiam fructum, *Ut memoria tui sit : Hiere. 3. Vulgo dicitur: Si dimiserit*

*vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra?* Secundo promittit liberantis beneficium, *Et erit septuaginta* etc. *Fornicabitur*, idest negotiabitur: *Hier. 30. Glorificabo eos, et non attenuabuntur.* Contra *Ezec. 27. Ad nihilum deducta es, et non eris in perpetuum.* Glossa ibi, idest *In memoria quae est vita unius hominis, quod est per septuaginta annos: Ps. 89. Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni.* Tertio ponit liberationis fructum, *Et erunt: Isa. 60. Aurum pro aere afferam, et pro ferro afferam argentum.* Nota super illo verbo, *Sume cytharam*, quod per cytharam significatur recta vita. Primo quantum ad carnis mortificationem, propter chordarum materiam: *Ps. 70. Psallam tibi in cythara, sanctus Israel.* Secundo quantum ad virtutum connexionem, propter cantus concordantiam: *Supra 16. Venter meus ad Moab, quasi a cythara sonabit.* Tertio quantum ad dulcedinem boni operis, propter audientis laetitiam: *Iob 21. Tenent tympanum et cytharam, et gaudebunt ad sonitum organi.* Item nota super illo verbo, *Circui civitatem*, quia debet homo circuire civitatem primo propriae conscientiae, recogitando peccata: *Eccl. 12. Circuibunt in plateis plangentes, antequam rumpatur funiculus argenteus.* Secundo militantis ecclesiae, imitando iustorum exempla: *Ps. 47. Circumdate Syon, et complectimini eam.* Tertio coelestis patriae, cogitando sanctorum praemia: *Cant. 3. Surgam, et circuibo civitatem.* Item nota super illo verbo, *Bene cane*, quod debet homo bene canere primo, hilariter: *Ps. 146. Deo nostro iucunda sit laudatio.* Secundo attente: *1. Cor. 14. Psallam spiritu, psallam et mente.* Tertio devote: *2. Paral. 29. Obtulit populus hostias, et laudes mente devota.* Item nota super illo verbo, *Frequenta canticum*, quod debet frequentari primo propter ipsius magnitudinem: *Eccl. 43. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius.* Secundo propter bonorum interiorum multitudinem: *Psal. 107. Cantate, exultate, et psallite.* Tertio propter peccatorum abundantiam: *Ps. 118. Septies in die laudem dixi tibi, Domine Deus meus ne perdas me.*

## a CAP. XXIV.

Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam: et affliget faciem eius, et disperget habitatores eius. Et erit sicut populus, sic sacerdos, et sicut servus, sic Dominus eius, et sicut ancilla, sic Domina eius. Sicut emens, sic ille qui vendit, sicut foenerator, sic is, qui mutuum accipit, sicut qui repetit, sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione praedabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc: Luxit et defluxit terra, et infirmata est, defluxit orbis, et infirmata est altitudo populi terrae. Et terra interfecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores eius. Ideoque insanient cultores eius, et relinquentur homines pauci. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui laetabantur corde. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo cytharae. Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus, nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis laetitia, translatum est gaudium terrae. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. Quia haec erunt in medio terrae, in medio populorum. Quomodo si paucae olivae, quae remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terrae laudes audivimus gloriam iusti. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Vae mihi. Praevaricantes praevaricati sunt, et praevaricatione transgressorum praevaricati sunt. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terrae. Et erit qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam: et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, quia chataractae de excelsis apertae sunt, et concutientur fundamenta terrae. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra. Commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, quasi tabernaculum unius noctis. Et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adiiciet ut resurgat. Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam caeli in excelso, et super reges terrae qui sunt super terram. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Syon, et in Hierusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

## a CAP. XXIV.

In parte ista comminatur destructionem totius terrae, vel quae facta est in singulis regnis et diversis partibus: vel quae futura est in die iudicii, secundum quod *supra 14.* est dictum, *Hoc est consilium quod cogitavi super omnem terram, et haec manus extenta super universas gentes.* Quamvis quidam hic exponant de terra Babylonis; vel de terra Idumaeorum. Dividitur autem in duas. Primo comminatur contra terrae habitatores. In secunda contra populorum gubernatores, ibi, *Et erit in die* etc. Circa primum tria ponit. Primo destructionem hominum. Secundo subtractionem gaudiorum, ibi, *Luxit vindemia* etc. Tertio multitudinem periculorum, ibi, *Praevaricatores* etc. Circa primum tria. Primo comminatur destructionem, *Nudabit*, evacuando habitatoribus: *Dissipabit*, privando cultoribus: *Affliget*, diversis poenis: *Fa-*

*ciem*, idest habitantes in superficie, *Disperget*, in diversa dividendo per captivitatem: *Ioel. 1. Nudans spoliavit eam, et proiecit.* Secundo destructionis universalitatem, quantum ad punitos, adaequans differentes dignitate, *Sicut populus*, conditione, *Sicut servus*, rerum possessione, *Sicut emens: Io. 3. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo.* Quantum ad diversitatem poenarum, *Dissipationem*, ponens rerum amissionem. Quantum ad immobilia, *Dissipabitur.* Quantum ad mobilia, *Praedabitur: Hiere. 12. Desolatione desolata est omnis terra.* Quantum ad potentiae deiectionem, *Luxit et defluxit*, praeteritum pro futuro, idest defluet lugens pro infirmitate, et hoc est, *Infirmata est*, ut hoc dictum sit quantum ad populares. Secundo quantum ad potentes, *Defluxit orbis*, idest rectores orbis: *Supra 13. Visitabo super orbis mala.* Ponit etiam hominum interfectionem, *Et terra: Ps. 105. Interfecta est terra.* Tertio ostendit poenae acquitatem, quia transgressi sunt: et hoc per comparationem ad culpam. Unde duo facit. Primo ponit culpam, *Leges*, scriptas, vel naturales, *Ius*, consuetudinis, *Foedus*, amicitiae, *Sempiternum*, quia ex similitudine speciei causatum: *Ose. 8. Transgressi sunt foedus meum, et legem meam praevaricati sunt: Soph. 3. Polluerunt sanctuarium meum, iniuste egerunt contra legem.* Secundo comminatur poenam propter hoc quadruplicem. Primo divinae maledictionis: *Maledictio: Hier. 23. A facie maledictionis luxit terra.* Secundo divinae desertionis, *Peccabunt;* quasi dicat, Domino eos derelinquente: *Rom. 1. Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiae: Apoc. ult. Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Tertio infatuationis, *Ideoque insanient: Ps. 57. Conversi sunt in arcum pravum.* Quarto diminutionis, *Derelinquentur: Deut. 28. Remanebitis pauci numero. Luxit vindemia* etc. Hic comminatur subtractionem gaudiorum quantum ad malos. Et secundo gaudia bonorum, ibi, *Quomodo si paucae* etc. Et circa primum tria. Primo ponit cessationem laetitiae, quae ex tribus erat: vel in fertilitate rerum, *Luxit vindemia, deficiens*, idest causa luctus fuit: *Supra 16. In vineis non exultabit, neque iubilabit.* Vel in exercitio ludorum, *Cessabit gaudium: Apoc. 8. Vox cytharaedorum cytharizantium in citharis suis.* Vel in deliciis conviviorum, *Cum cantico non bibent* etc. *Supra 5. Cythara, et lyra, et tympanum, et tybia, et vinum in conviviis vestris.* Secundo ponit recompensationem tristitiae, *Amara*, quia in conviviis tristitiam habuerunt contra delicias conviviorum: *Am. 7. Convertam festivitates vestras in luctum. Attrita*, contra vanitatem ludorum: *Ps. 38. Universa vanitas: Eccl. 1. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Civitas*, Babylonis, quaelibet anima, *Clamor*, conquerentium de defectu vini, contra fertilitatem: *Am. 5. In omnibus vineis erit planctus.* Tertio concludit commutationem, *Deserta*, commutata in tristitia: *Luc. 6. Vae vobis, qui ridetis, quia flebitis: Prov. 14. Risus dolore miscebitur. Quomodo* etc. Hic ponit gaudia bonorum. Et primo praedicit laudem futurorum, quorum praedicit salutem. *Quomodo si paucae*, pauci salvabuntur respectu aliorum: *Supra 17. Relinquetur in ea sicut excussio oleae, duarum aut trium olivarum.* Et ponit ipsorum laudem, *Hi laudabunt. Hinnient*, sicut equi ad significandum magnam laetitiam: *Isa. 52. Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabunt.* Secundo indicit laudem praesentibus, ibi, *Propter hoc* etc. Et primo ponit praeceptum, *In doctrinis*, idest docendo alios. Alia translatio *Laudationibus: Eccle. 43. Glorificantes Dominum quantumque potueritis, supervalebit adhuc.* Secundo designat praecepti explementum, *A finibus terrae iusti*, idest Christi: *Isa. 62. Ecce Dominus auditum faciet in extremis terrae.* Tertio implentium praemium, *Et dixi Secretum*, de praemiis eorum: *1. Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Mihi*, soli, *Vae mihi*, quia non possum aliis enarrare: *2. Cor. 12. Audivi arcana verba, quae non licet homini loqui.* De poenis damnatorum, *Vae mihi quantas poenas video.* Et sic tenet se cum parte sequenti. *Praevaricantes* etc. Hic comminatur multitudinem periculorum: et circa hoc duo facit Primo arguit diversitatem peccatorum, *Praevaricantes*, omittendo, *Transgressi*, contra mittendo: *Ps. 18. Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae.* Secundo comminatur multitudinem periculorum. Et primo ponit hanc multitudinem, *Formido.* Loquitur ad similitudinem eorum, qui prae timore insequentes fugiunt: *Supra 8. Cadent, et conterentur, et capientur.* Secundo evadendi impossibilitatem, *Et erit qui fugerit;* quasi dicat, Decidet in Sillam, cupiens vitare Charibdim: *Ioel. 1. Residuum erucae comedit brucus.* Et assignat causam, quia de caelo et de terra veniet eis tribulatio. Et hoc est, *Cataractae*, idest occulti meatus, per quos aqua transit: *Gen. 7. Cataractae caeli apertae sunt.* Tertio ostendit reparationis impossibilitatem sub triplici similitudine, scilicet rei divisae, quae non integratur, *Confractione*, quantum ad partes magnas, *Contritione*, quantum ad parvas: *Am. 9. Ecce oculi Domini super regnum peccans, et conteram illud a facie terrae.* Et per similitudinem rei commotae, et quae non stabilitur, *Commovebitur*, de loco ad locum, *Agitabitur*, quasi tremens in proprio loco, *Sicut ebrius*, per similitudinem tentorii viatoris, quod in eodem loco non firmiter figitur, *Et quasi tabernaculum: Isa. 38. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum.* Et assignat causam, *Et aggravabit*, quasi pondus grave, ut non resurgatur: *Ps. 37. Iniquitates meae, sicut onus grave, gravatae sunt super me. Et erit* etc. Hic agitur contra populorum gubernatores: et circa hoc tria ponit. Primo ponit eorum poenam, *In die illa*, iudicii, *Militiam*, idest daemones, et super eosdem, *Reges: Io. 12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Vel etiam malos reges. *Congregabuntur*, simul in infernum: *Matth. 25. Qui paratus est diabolo, et angelis eius. Fascis: Matth. 13. Alligate ea in fasciculos ad comburendum;* ut sint similes in poena, qui fuerunt similes in culpa. Vel, *In die illa*, scilicet destructionis singulorum regnorum, *Militiam*, idola, scilicet solis et lunae, et aliarum stellarum: *4. Reg. 21. Adoravit omnem militiam caeli. Et congregabuntur*, per destructionem: *Inf. 34. Tabescet omnis militia caelorum.* Secundo determinat miseriam quantum ad tempus, *Et post multos dies visitabuntur*, quia post quantumlibet tempus tormentis punientur in aeternum: *Matt. 25. Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Vel in die iudicii, ut statim

ad infernum peracto iudicio redeant. Vel secundum aliam expositionem consolabuntur, quia post tempestatem omnibus aliquam tranquillitatem facit. Tertio punientis gloriam. Et primo iudicis, *Et erubescet Luna, et confundetur Sol*, idest splendor eius nihil reputabitur comparatione splendoris Christi: *Ioel. 2. Sol convertetur in tenebras, et Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, et terribilis.* Vel cultoris Solis, et Lunae. Secundo assessorum, *Cum regnaverit. Senum: Sup. 3. Dominus ad iudicandum veniet cum senatoribus terrae.* Nota super illo verbo, *Amara potio*, quia potio peccati est amara primo propter conscientiae remorsum: *Prov. 5. Novissima illius amara sunt.* Secundo propter mortis metum: *Eccl. 42. O mors, quam amara est memoria tua.* Tertio propter divinae dulcedinis defectum: *Hier. 2. Scito, et vide, quia malum, et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Quarto propter poenitentiae planctum: *Infra 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Nota super illo verbo, *Secretum*, quia Dei magnalia sunt secreta primo propter eorum magnitudinem: *Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc: Io. 3. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis caelestia, credetis?* Secundo propter eorum dignitatem: *Matth. 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis.* Tertio propter aliorum inidoneitatem: *Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.* Nota super illo verbo, *Et erit in die illa*, *Visitabit*, quod est visitatio Domini multiplex. Prima condemnationis: *Hier. 8. In tempore visitationis suae corruent.* Secunda correptionis: *Ps. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum.* Tertia consolationis: *Luc. 1. Visitavit nos oriens ex alto.*

## a CAP. XXV.

Domine Deus meus es tu, et exaltabo te, et confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen. Quia posuisti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum ut non civitas, et in sempiternum non aedificetur. Super hoc laudabit te populus fortis; civitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu. Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem. Sicut aestus in siti, tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, convivium pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos: et telam quam orditus est, super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum. Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra; quia Dominus locutus est. Et dicent in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos iste Dominus: sustinuimus eum, et exultabimus, et laetabimur in salutari eius, quia requiescet manus Domini in monte isto. Et triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleae in plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum, et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.

## a CAP. XXV.

Hic ponitur gratiarum actio. Et primo de populi exaltatione. Secundo de ipsius iustificatione, *cap. 26. In die illa.* Prima in duas. In prima ponitur gratiarum actio, *Exaltabo te*, idest in aliis alte te praedicabo, *Confitebor*, in me ipso gratias agendo: *Psal. 9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Secundo ponitur natura gratiarum actionis, *Quoniam fecisti.* Et primo in generali, quantum ad magnitudinem factorum, *Mirabilia: Iob 5. Qui facit magna, et inscrutabilia.* Quantum ad impletionem promissionum, *Fideles: Eccl. 36. Da mercedem Domine timentibus te, ut prophetae tui fideles inveniantur. Amen*, idest vere. Secundo in speciali, ibi, *Quia posuisti* etc. Et primo opera quae pertinent ad depressionem malorum. Secundo quae pertinent ad exaltationem bonorum, ibi, *Et faciet Dominus* etc. Circa primum tria. Primo comminatur poenae flagellum. Secundo poenae fructum, ibi, *Super hoc* etc. Tertio punitionis modum, ibi, *Sicut* etc. Dicit ergo primo, *Civitatem*, Hierusalem, *Alienorum*, a Deo, scilicet Iudaeorum, *In sempiternum non aedificetur*, quia nec in eodem postea loco constructa est: *Supra 17. Ecce Damascus desinet civitas esse: Mich. 3. Syon, quasi ager arabitur, et Hierusalem, quasi acervus lapidum erit.* Vel de Babylone, sive de qualibet alia civitate gentilium eis adversantium. *Super hoc* etc. Hic ponit fructum in subiectione hominum ad Deum. Et primo ponit duo signa subiectionis. Primo laudem, *Laudabit fortis*, quantumcumque tibi subiectus. Vel populus gentilis fortis in passionibus. Secundo timorem, *Timebit te*, quaecunque, *Civitas: Infra 60. Fortitudo gentium venerit tibi.* Secundo assignat rationem, quam primo ponit, *Quia factus es pauper:* qui parum habet, etsi sufficiens sibi, *Egeno*, qui eget: *Psalm. 83. Factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei meae.* Secundo ponit similitudinem, *Spes*, defensionis, *A turbine*, propter violentiam persequentis, *Umbraculum*, consolationis, *Ab aestu*, propter afflictionem persecutionis: *Infra 32. Erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* Tertio ponit expositionem, *Spiritus*, idest indignatio, et superbia: *Sup. 21. Sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Sicut aestus* etc. Hic ponit punitionis modum quantum ad afflictionem, *Sicut aestus in siti*, affligit, *Tumultum*, superbum clamorem. Quantum ad sterilitatem, *Et quasi calore sub nube*, adunata ex vento australi, quae etiam quandoque propter nimium

calorem fructus vitis destruunt: *Iac. 1. Exortus est sol cum ardore, et arescit foenum, et flos eius decidit. Et faciet Dominus* etc. Hic ponit ea quae pertinent ad exaltationem bonorum. Et hoc tripliciter. Primo quantum ad abundantiam honoris, quam describit sub metaphora, *Convivium*, quod paratur de animalibus pinguibus, et vino depurato, *In monte hoc*, quia ibi Christus passus est, unde nobis omnia bona provenerunt. Vel quia iudicabit, ut dicitur *Matth. 22. Ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia sunt occisa.* Secundo quantum ad subtractionem malorum, *Et praecipitabit.* Quantum ad mortis poenam, quam nominat vinculum, inquantum iusta Dei sententia ordinata est, *1. Cor. 15. Absorpta est mors in victoria: Osee 13. Ero mors tua mors, morsus tuus ero inferne.* Doloris tristitiam, *Et auferet: Apocal. 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* Confusionis ignominiam, *Et opprobrium: Supra 4. Auferam sepem eius, et erit in direptionem.* Quidam referunt hoc ad iudicium praestitum in morte Holofernis, qui contra omnes gentes veniebat: et similiter de convivio, et ponit gratiarum actionem. *Et dicent, sustinuimus*, patienter expectando: *Eccl. 2. Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius.* Et ponit rationem, *Quia requiescet*, cum quo nihil malum potest esse: *Psal. 131. Haec requies mea in saeculum saeculi.* Tertio quantum ad hostium oppressionem, scilicet Moabitarum, qui propter somnum maxime eis infesti erant. Et primo ponit eorum afflictionem, *Triturabitur: Amos 1. Triturauerunt in plaustris ferreis Galaad.* Secundo plenariam subiectionem, *Extendet manus*, quasi prostratus, et petens misericordiam, vel auxilium: *Isa. 49. Vultu in terram demisso adorabunt te.* Et munitionum destructionem, *Et munimenta*, de quibus habetur *supra 6.* Nota super illo verbo, *Confitebor nomini*, quia est multiplex confessio. Prima humilitatis: *Iac. ult. Confitemini alterutrum peccata vestra.* Secunda veritatis: *Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Tertia laudis: *Psalm. 32. Confitemini Domino in cythara.* Quarta gratiarum actionis: *Supra 12. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus est furor tuus, et consolatus es me.* Item nota super illo, *Amen*, quia Amen est hebraeum, et quandoque est verbum, idest fiat: *Deut. 27. Et dicet omnis populus: Amen.* Quandoque adverbium, idest vere: *Io. 6. Amen amen dico vobis.* Quandoque nomen, idest veritas: *Apocal. 2. Haec dicit. Amen.* Quandoque est Graecum, idest sine defectu, ab a quod est sine, et men, quod est defectus: *Rom. 9. Qui est Deus benedictus in saecula. Amen.* Nota super illo verbo, *Convivium pinguium*, quia est triplex convivium. Primum familiare militantis ecclesiae: in quo proponit tria. Primo amaritudinem passionis: *Exod. 12. Comedetis illud cum lactucis agrestibus: 1. Cor. 15. Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Secundo dulcedinem dilectionis: *Sap. 16. Panem de caelo praestitisti eis sine labore: omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Tertio pinguedinem, quantum ad effectum: *Psal. 22. Impinguasti in oleo caput meum.* Secundum est convivium privatum animae: in quo proponit tria. Primo vinum amoris: *Cant. 1. Meliora sunt ubera tua vino.* Secundo mel contemplationis: *Ps. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Tertio lac deputationis ad crescendum in perfectum: *2. Pet. 1. Rationabiles sine dolo, lac concupiscite.* Tertium est convivium solemne caelestis curiae: in quo proponit tria. Primo *vinum* ad ebrietatem: *Cant. 5. Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi.* Secundo *Mel*, ad satietatem: *Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Tertio *Lac*, ad perfectionem cordis, et animae: *Cant. 5. Oculi tui sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae.*

## a CAP. XXVI.

In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Syon salvator, ponetur in ea murus, et antemurale. Aperite portas, et ingredietur gens iusta, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem, quia in te speravimus. Sperasti in Domino in saeculis aeternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te, nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini. Domine exaltetur manus tua, et non videant: videant, et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret. Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis. Domine Deus noster, possederunt nos Domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. Morientes non vivant, gigantes non resurgant. Propterea visitasti, et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. Indulsisti genti Domine, indulsisti genti. Nunquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terrae. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris, doctrina tua eis. Sicut quae concepit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus. A facie tua Domine concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis. Iustitiam non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terrae. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te. Abscon-

dere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.

## a CAP. XXVI.

In parte ista gratias agit de populi iustificatione: et dividitur in duas. In prima praedicit iustorum statum. In secunda ostendit iustitiae fructum, ibi, *Vetus error* etc. Circa primum duo. Primo enim praedicit iustorum fiduciam, *In die illa.* Post reditum de captivitate, et afflictionem Moabitarum a Machabaeis. Vel post Christi adventum, *O Syon salvator*, Christus vel Iudas Machabaeus est, *Urbs fortitudinis in ea*, scilicet protectione, *Ponetur murus, et antemurale*, Christi tantum. Ad literam tempore Machabaeorum, *Murus*, idest defendens: vel *murus*, Christus, *Antemurale*, scilicet prophetae. Vel aliter, *Syon*, est urbs, *Salvator*, Deus. Vel Christus, vel Iudas Machabaeus, *Murus*, idest defendens sicut murus: *Prover. 18. Turris fortissima, nomen Domini: Zach. 2. Ero eis, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Secundo Dominus praedicat eorum iustitiam, dicens ad angelos, *Aperite portas*, caeli, vel virtutis clausas peccatis. Vel ad literam non oportet vos claudere portas propter infideles, quia omnes erunt iusti: *Psal. 117. Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam. Vetus error* etc. Hic ponit iustitiae fructum, scilicet pacem, de qua primo ponitur populi petitio, quae tria continet. Ponitur enim idoneitas petentium, *Vetus error*, scilicet idolatriae: *2. Cor. 5. Vetera transierunt.* Postulatur pacis beneficium, *Servabis pacem*, corporis et animae: *Isa. 52. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis iustitiae, et in requie opulenta.* Allegatur pacis meritum, *Quia in te speravimus: Eccl. 2. Quis sperat in Domino, et confusus est?* Secundo ponitur prophetae responsio, quae est mediator inter populum et Deum, *Sperastis*: et dividitur in tres. In prima ponitur pacis promissio. In secunda pacis impetratio, ibi, *Semita* etc. In tertia impetratae pacis denunciatio, ibi, *Iustitiam* etc. Circa primum tria. Primo concedit meritum, *Sperastis in Domino in saeculis*, idest semper: *Ps. 27. In ipso speravit cor meum, et adiutus sum.* Secundo adhibet consilium, *In Domino Deo*, supple sperate: *Matt. 10. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Tertio promittit pacis beneficium, pro destructione hostium, *Quia incurvabit habitantes*, Iudaei referunt ad Romanos. Potest autem referri ad quoslibet ipsorum hostium. Vel mystice ad ipsos Iudaeos: *Supra 25. Munimenta sublimium murorum tuorum corruent.* Et adiungit destruentium conditionem, *Conculcabit eam pes pauperis*, Iudaei qui parum habet, *Egenorum*, qui egent plura habere. Vel si mystice, ponit meritum destructionis Iudaeorum propter pauperem Christum, de quo *in Ps. 69. Ego autem egenus sum, et pauper.* Et *alibi: 21. Ego sum pauper, et dolens. Egenorum*, discipulorum. *Semita iusti* etc. Hic ponitur quasi disceptatio prophetae cum Domino, ad impetrandam petitionem populi. Et primo inducit ad puniendum hostes per argumenta. Secundo per experimenta, ibi, *Indulsisti* etc. Circa primum duo facit. Primo inducit ut puniat. Secundo ut in poena detineat, ibi, *Morientes* etc. Circa primum tria. Primo inducit ad iustitiam. Secundo excludit misericordiam, ibi, *Misereamur* etc. Tertio determinat poenam, ibi, *Et non videbit* etc. Provocat autem ad iustitiam, tria imponens. Primo iustitiae rectitudinem, ibi, *Semita iusti*, idest iustitiae: *Sap. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas.* Secundo afflictorum expectationem, proponens tria, scilicet ipsam expectationem, *In semita*, idest per poenam iudiciorum tuorum, quibus nos vindicas, et liberas: *Psal. 118. In aeternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Expectantium desiderium, *Nomen tuum: Hier. 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Desiderii assiduitatem, *Quia die, et nocte*, idest omni tempore. Vel in prosperis, et adversis. *Anima mea: Cant. 3. In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea: Ps. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Tertio proponit iustitiae utilitatem, *Cum feceris iudicia: Ps. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Misereamur* etc. Hic excludit misericordiam: et circa hoc duo facit. Primo Dominus interroganti proponit misericordiam, *Misereamur: Ps. 118. Misericordia Domini plena est terra.* Secundo propheta excludit ipsam, propter eius inutilitatem, *Et non discet: Eccl. 8. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala: Eccl. 30. Equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet praeceps;* et propter peccati gravitatem, propter sacri loci prophanationem? *In terra sanctorum: Ps. 78. Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: Hier. 11. Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Et non videbit* etc. Hic ponitur disceptatio de poena determinanda. Et primo Dominus interrogat, *Et non videbit;* quasi dicat, Nunquid debeo hanc poenam sibi dare, quod non videat? Vel remissive, et sufficit hoc ad poenam. Secundo propheta respondet, *Domine exaltetur.* Tertio Dominus poenam determinat spiritualem, *Videant, et confundantur: Apoc. 1. Videbit eum omnis oculus*, in gloria humanitatis, non divinitatis. Et corporalem: *Apoc. 19. Missi sunt in stagnum ignis.* Quarto propheta congaudens consentit, proponens duo bona consequentia ex dicta, scilicet pacem populi. Ergo, *Domine*, hoc facto, *Dabis pacem*, et hoc de te speravimus. *Omnia enim: Phil. 2. Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere. Operatus es*, opera, idest poenas quibus sufficienter nos purgasti: *Isa. 40. Suscepit de manu Domini duplicia.* Secundo laudem Dei, *Domine Deus possederunt.* Et ideo laudi tuae vacare non potuimus. *Tamen in te*, non habentes alium Deum cui soli vacemus: *Thren. ult. Servi dominati sunt nostri.* Nota super illo verbo, *Urbs fortitudinis*, quod Christus est urbs fortitudinis nostrae: quia nos confirmat primo in fide: *1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Secundo in spe: *Hebr. 6. Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Tertio in caritate: *Eph. 3. In caritate radicati, et fundati: Luc. 12. Ignem veni mittere*

*in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* Quarto in opere: *Phil. 2. Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Quinto in tentatione: *1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis.* Sexto in accusatione: *1. Io. 2. Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Septimo in remuneratione: *Apoc. 3. Faciam illum columnam in templo Dei mei.* Item nota super illo verbo, *Aperite*, quod aperire debemus portas per meditationem primo infernalis miseriae; *Isa. 38. Vadam ad portas inferi.* Secundo iustae vitae: *Prov. ult. Laudent eam in portis opera eius.* Tertio coelestis gloriae: *Ps. 147. Confortavit seras portarum tuarum.* Item nota super isto verbo, *Pacem*, quod tria sunt, quae faciunt pacem in praesenti. Primo contemptus temporalis opulentiae: *Isa. 57. Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Secundo subiugatio carnalis concupiscentiae: *Eccl. 44. Pacificantes in domibus suis.* Tertio contemplatio divinae sapientiae: *Ps. 75. In pace factus est locus eius, et habitatio eius in Syon.* Item nota super illo verbo, *Semita iusti*, quod est via iustitiae recta primo propter itineris brevitatem: *Sap. 6. Ambulavimus vias difficiles.* Secundo propter situs aequalitatem: quia rectum est illud, cuius medium non discrepat ab extremis: *Io. 13. Sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit.* Tertio propter pulchritudinem: *Hier. 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiae, mons sanctus.* Item nota super illo verbo, *Pacem*, quod tria sunt, quae faciunt pacem in futuro. Primo bonorum ubertas: *Psal. 147. Posuit fines tuos pacem.* Secundo malorum securitas: *Isa. 32. Sedebit populus meus in tabernaculis fiduciae.* Tertio immobilitas: *Psalm. 4. In pace in idipsum dormiam, et requiescam. Morientes* etc. Hic petit ne punitos ulterius a poena liberet. Et primo petit petitionem, *Morientes*, peccatores, *Non vivant*, vita gloriae ubi poeniteant: *Gigantes*, de sua potentia gloriantes, *Non resurgant*, ad gloriam: *Ps. 1. Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum: Eccl. 16. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes.* Vel petit ut hostes eorum decepti ulterius non resurgant ad potentiam. Secundo ponit exauditiones, *Propterea: Ps. 9. Pereat memoria eorum cum sonitu: Hiere. 8. In tempore visitationis suae corruent. Indulsisti* etc. Hic inducit Deum ad iustitiae opus per experimentum inutilitatis misericordiae: tum quantum ad remissionem poenarum, *Indulsisti:* tum quantum ad multiplicationem bonorum, *Elongasti: Hierem. 5. Magnificati sunt, et ditati, et incrassati sunt, et impinguati, et praeterierunt sermones meos pessime: Prov. 1. Prosperitas stultorum perdet eos.* Secundo utilitatem vindicantis iustitiae, *Domine in angustia: Ose. 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me: Hiere. 2. In tempore afflictionis dicent, surge, et libera nos. Sicut quae concepit* etc. Hic probat idem per experimentum in Iudaeis. Et primo ponit tribulationis flagellum, *Sicut quae concepit: Io. 16. Mulier cum parit, tristitiam habet: Ps. 47. Ibi dolores, ut parturientis.* Secundo emendationis fructum, *A facie tua: Hebr. 12. Omnis quidem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiae. Iustitiam non fecimus* etc. Hic denuntiat impetratam pacem: et circa hoc tria facit. Primo ostenditur ratio dilationis, *Iustitiam non fecimus;* ut alludat ei quod dicitur *Deut. 28. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversus te, corruentes in conspectu tuo.* Secundo ponitur promissio restitutionis populi per resurrectionem, sive corporalem in die novissimo, sive a miseria captivitatis. Unde promittitur resurrectio, *Vivent mortui: Ezech. 37. Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis* etc. Indicitur resurgentibus gratiarum actio, *Expergiscimini: Dan. 12. Multi ex his qui dormiunt, in pulvere terrae evigilabunt.* Et assignatur resurrectionis causa vel ratio, *Quia ros lucis*, scilicet divina benignitas. Tertio ostenditur hostium destructio, *Terram gigantium*, idest superborum, et potentium: *Supra 17. Erit quasi acervus lapidum in ruina.* Secundo populi Dei immunitatem, *Vade populus meus. Cubicula*, sepulcra. Vel ad literam munitiones in quibus interdum se caute custodiunt: *Isa. 54. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et misericordia sempiterna misertus sum tui; Apoc. 7. Dictum est illis, ut quiescant adhuc modicum, donec compleretur numerus fratrum suorum.* Tertio ponit destructionis ordinem, quia per iudicium: unde ponit iudicis adventum, *Ecce enim Dominus: Mich. 1. Ecce dominus egredietur, et omnes angeli eius cum eo.* Et maturationis terminum, *Et revelabit terra sanguinem: Iob 16. Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.*

## a CAP. XXVII.

In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est. In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus qui servo eam, repente propinabo ei, ne forte visitetur contra eam, nocte, et die servo eam, indignatio non est mihi. Quis dabit me spinam, et veprem in praelio? Gradiar super eam, succendam eam pariter? An potius tenebo fortitudinem meam? Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit, et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. Numquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? Aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est? In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam, meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus. Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius. Cum posuerit omnes lapides altaris, sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci, et delubra. Civitas enim munita desolata erit, spatiosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum. Ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates e-

ius. In siccitate messis illius conterentur mulieres venientes, et docentes eam. Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, et qui formavit eum, non parcet ei. Et erit in die illa, percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Aegypti, et vos congregabimini unus, et unus filii Israel. Et erit in die illa, clangentur in tuba magna, et venient, qui perditi fuerant de loco Assyriorum, et qui eiecti erant de terra Aegypti, et adorabunt Dominum in monte sancto, in Hierusalem.

## a CAP. XXVII.

In parte ista commemorat divinam, et paternam correctionem. Et primo flagellis alienis. Secundo flagellis propriis, ibi, *In die illa* etc. Unde dicitur *Sap. 2. Hos quidem tamquam pater monens probasti.* Circa primum ponit flagellum Babylonis, *Gladio*, scilicet vindicta, *Leviathan*, scilicet Nabuchodonosor, propter additiones regnorum, quae sibi subiugaverat, *Serpentem*, propter virulentam tyrannidem, *Vectem*, propter populorum correctionem a Deo: *Supra: Veh Assur virga furoris mei. In die illa* etc. Hic ponitur correctio per propria flagella. Unde primo prosequitur castigationem. Secundo consolationem, ibi, *Et erit in die illa* etc. Circa primum duo facit. Primo praedicitur castigatio. Secundo modus inquiritur, ibi, *Indignatio* etc. Circa primum tria. Primo praedicit doloris canticum, *Vinea*, quondam in prophetis, et patriarchis vini, *Meri: Supra 5. Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est.* Secundo ponit punientis propositum, *Ego Dominus, qui servo eam: Isa. 51. Bibisti de manu Domini calicem irae eius.* Tertio ponit beneficium, cui ingrati fuerunt, *Ne forte visitetur: Sap. 19. Sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Indignatio* etc. Hic inquiritur punitionis modus. Et primo ponitur indicis deliberatio. Secundo deliberati executio, ibi, *Civitas* etc. Circa primum tria. Primo proponit severum iudicium proponens saevientes iram, *Indignatio non est mihi;* quasi dicat, Immo iuste indignor, quia beneficiis ingrati sunt: *Isa. 51. Pleni indignatione Domini.* Et ex ira determinat austeram poenam, *Quis dabit mihi spinam, et veprem,* Quantum ad praecedentes angustias communiter in ipsis ad invicem exortas: *Supra 5. Ascendent super eam vepres, et spinae. In praelio,* quantum ad impugnationem hostium: *Hiere. 21. Debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi. Et percutiam habitatores civitatis huius. Succendam,* quantum ad destructionem domorum, et civitatum: *Hiere. 51. Egredietur ut ignis indignatio mea.* Secundo ponit sententiae temperamentum, *An potius tenebo;* quasi dicat, Retinebo iram meam per oppositum: *Hier. 30. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat, et compleat cogitationem cordis sui.* Et ponit temperamenti fructum, quantum ad bonos, quem quilibet faciet, in comparatione ad Deum: *Faciet pacem;* quasi dicat, pacificabit me bonis operibus: *Isa. 32. Erit opus iustitiae pax.* In comparatione ad seipsum, *Florebit*, fide, vel bono proposito, *Germinabitur*, operis consummatione: *Isa. 53. Florebit Hierusalem, quasi lilium.* Et in comparatione ad proximum, *Implebunt faciem orbis semine, qui egredientur*, scilicet apostoli: *Supra 2. De Syon exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem: Ps. 18. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Ponit poenae supplementum quantum ad ingratos, *Nunquid iuxta*, in quo improperat poenae beneficium: *Ps. 44. Non secundum peccata nostra facies nobis. In misericordia*, in quo comminatur adaequatum iudicium. *Cum abiecta*, a cultu Dei per infidelitatem, non credentes Christo: *Deut. 25. Secundum mensuram peccati, sic erit et plagarum modus. Meditatus*, in quo ostendit sententiae firmamentum, *Duro*, quia non placabitur: *Supra 2. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Tertio explicat motivum ad temperandum, ne tunc omnino destrueret, quia scilicet ex illa gente Christus, et apostoli descendere adhuc debebant, per quorum praedicationem idolorum cultus derelinquendus erat. Et hoc est, quod dicit, *Cum posuerit: Supra 17. Inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi eius ad sanctum Israel respicient*, *Civitas*, scilicet Hierusalem: *Thre. 1. Quomodo sedet sola civitas, plena populo?* Quantum ad hostium potestatem, *Ibi pascetur*, quasi sine timore requiescet, *Vitulus*, hostium exercitus, *Summitates*, metaphorice, idest spicas, per quas significantur principes: *Supra 13. Requiescent ibi bestiae.* Vel ad literam, ut sit desolationis signum: *1. Mach. 4. Viderent pastoforia direpta.* Et hominum destructionem. *In siccitate*, metaphora est, idest sicut pisces teruntur in siccitate aestatis. *Mulieres docentes*, a quibus maxime in peccata populus praecipitabatur: *Supra 3. Populum meum exactores sui despoliaverunt.* Vel quia ipsae mulieres docebant eos sicut Debora, *Iudic. 4.* Et Athalia, *4. Reg. 11.* Secundo ponit poenae aequitatem per comparationem ad culpam, *Non est enim populus: Supra 5. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Tertio destructionis magnitudinem. Et quantum ad universalitatem locorum, *Et erit in die*, idest ab uno capite usque ad aliud: *Supra 1. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Et quantum ad paucitatem hominum remanentium, *Et vos congregabimini: Deut. 28. Remanebitis pauci numero. Et erit* etc. Hic ponit consolationem per reductionem ad ipsam, *Tuba*, praeceptum regis: *Isa. 41. Levabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel.* Nota super illo verbo, *Vastabit Dominus in gladio*, quia vindicta Dei dicitur gladius primo durus propter poenae acerbitatem. Secundo magnus propter punitorum universalitatem: *Apoc. 6. Datus est illi gladius magnus.* Tertio fortis propter punientis potestatem: *Iob 19. Fugite a facie gladii.* Quarto acutus propter ipsius penetrabilitatem, quia usque ad animam: *Hebr. 4. Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quinto lucens propter aequitatem: *Naum 3. Peribis gladio, devorabit te ut bruchus.* Item super illo verbo *Leviathan* nota, quod diabolus dicitur Leviathan, quia addit primo humanae nequitiae: *Psal. 21. Appone iniquitatem super iniquitatem.* Secundo propriae potentiae: *Matth. 3. Haec omnia tibi dabo*,

*si cadens adoraveris me.* Tertio divinae iustitiae: *Gen. 4. Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Quarto divinae misericordiae: *Gen. 33. Tristem blanditiis delinivit.* Item nota super illo verbo, *Serpentem*, quia diabolus dicitur serpens primo propter renovationis ingenium: *1. Corinth. 2. Ipse Satan transfigurat se in angelum lucis.* Secundo propter incedendi modum: *Iob 1. Circuivi terram, et perambulavi eam.* Tertio propter venenosum morsum: *Prover. 23. In novissimo mordebit eum coluber.* Quarto propter involutionis modum: *Iob 40. Stringit caudam suam, quasi cedrum.*

## a CAP. XXVIII.

Vae coronae superbiae, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriae exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimae, errantes a vino. Ecce validus, et fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim. Et erit flos decidens gloriae exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui: et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. Verum hi quoque prae vino nescierunt, et prae ebrietate erraverunt. Sacerdos, et propheta nescierunt prae ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, et ignoraverunt iudicium. Omnes enim mensae repletae sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset locus ultra. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus? Quia manda remanda, manda remanda, expecta reespecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum, cui dixit: Haec est requies mea, reficite lassum, et hoc est refrigerium meum, et noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini, manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem. Dixistis enim: Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, mendacio protecti sumus. Idcirco haec dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum: qui crediderint, non festinet. Et ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura. Et subvertet grando spem spem mendacii, et protectionem aquae inundabunt. Et delebitur foedus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non flabit. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocumque pertransierit, tollet vos, quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest. Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus, sic in valle, quae est in Gabaon, irascetur, ut faciat opus suum. Alienum opus eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim, et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram. Auribus percipite, et audite vocem meam, attendite, et audite eloquium meum. Numquid tota die arabit arans, ut ferat, proscindet, et sarciet humum suam? Nonne cum adaequaverit faciem eius, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis. Et erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum. Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit, sed in virga excutietur gith, et cyminum in baculo. Panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret iustitiam.

## a CAP. XXVIII.

In parte ista comminatur contra illos, qui contemnebant prophetarum vaticinia. Et primo contra contemnentes in praesenti. Secundo contra futuros temporibus Hieremiae, *30. cap. Vae filii desertores* etc. Prima in duas. In prima contra illos de decem tribubus. In secunda contra illos de duabus, ibi, *Verum usque* etc. Circa primum tria facit. Primo arguit culpam superbiae, *Vae coronae*, quia de multitudine superbiebant, quae est corona, vel gloria regis. Secundo culpam gulae, *Ebriis Ephraim: Num. 3. Inebriaberis, et eris despecta, et quaeres tu auxilium ab inimico. Flori decidenti, qui erant*, temporibus latriae: *Errantes a vino*, scilicet idolatria: *Ezec. 7. Floruit virga, germinavit amigdalus.* Secundo comminatur poenam, ibi, *Ecce validus* etc. Et circa hoc duo facit. Primo ponit hostium fortitudinem, *Ecce validus*, quantum ad fortitudinem hostium, quos immittet, *Si-*

*cut impetus.* Quantum ad multitudinem *supra 17. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum.* Secundo ponit poenae inflictionem, scilicet deiectionem superbiae, *Pedibus;* et exinanitionem gloriae, *Et erit flos quasi temporaneum*, idest tempestivus, vel primitivus fructus: *Supra 18. Ante messem enim totum efflоruit: Nau. 3. Omnes munitiones tuae, sicut ficus cum grossis suis.* Tertio ponit iustorum gloriam, scilicet illorum de duabus tribubus, *In die illa*, scilicet temporibus Ezechiae destructis decem tribubus, quantum ad tria; quantum ad populi laetitiam, *Corona*, ex auro vel argento contra hoc, quod dicit *coronae superbiae; Sertum*, de floribus, contra hoc, quod dicit, *flori decidenti: Isa. 61. Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.* Quantum ad regis iustitiam, *Et erit*, ipse Dominus spiritus: *Hier. 23. Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra*, scilicet quantum ad militum potentiam: *Et fortitudo*, quia Dominus pro eis pugnabit: *Supra 25. Quia factus est fortitudo mea. Verum hi* etc. Hic comminatur contra illos de duabus tribubus. Et primo contra principes. Secundo contra civitatem; vel contra populum, *cap. 29. Vae Ariel* etc. Prima in duas. Primo ponit commutationem. Secundo consolationem, *Auribus percipite.* Circa primum duo. Primo arguit peccatum, et comminatur simul interitum. Secundo excludit, ibi, *Propter hoc audite* etc. Circa primum duo. Primo arguit in eis defectum scientiae. Secundo contemptum doctrinae, ibi, *Quia manda* etc. Circa primum primo arguit culpam, ponens primo errorem omnium communiter, *Verum hi quoque prae vino: Ose. 4. Vinum, et ebrietas apostatare faciunt a Deo.* Secundo doctorum, *Sacerdos.... nescierunt*, quantum ad ignorantiam credendorum: *Erraverunt*, quantum ad ignorantiam agendorum, *Videntem*, idest Deum, quia omnia videt. Unde est expositio eius quod habetur *Ezech. 23. Sacerdotes contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea.* Tertio ponit ignorantiae modum, *Omnes enim mensae*, quia in templis idolis dediti, *Sordiumque*, scilicet omnium vitiorum turpium: *Prov. Sicut canis, qui revertitur ad vomitum, et sus lota in volutabro luti.* Secundo comminatur poenam excaecationis, *Quem docebit?* Unde primo ponitur quaestio, *Quem docebit?* quasi dicat, Ex quo vos scientiam repulistis, *auditum*, scilicet quod audivi a Domino. Secundo ponitur responsio, *Ablactatos*, idest humiles, et parvulos simplices: *Matth. 11. Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Vel quoscumque bonos separatos a lacte concupiscentiae. Nota super illo verbo, *Ebriis*, quia mali inebriantur vino primo materialis liquoris: *Eph. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Secundo carnalis delectationis: *Prov. 8. Venite, inebriemur vino.* Tertio spiritualis erroris: *Supra 19. Et errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, et vomens.* Quarto divinae punitionis: *Thre. 3. Inebriavit me absinthio.* Item inebriantur sancti primo lacrymis compunctionis: *Supra 16. Inebriabo te lacryma mea.* Secundo calice compassionis: *Ps. 22. Calix meus inebrians quam praeclarus est.* Tertio incensivo amoris: *Can. 4. Comedite amici, et inebriamini.* Quarto torrente felicis delectationis: *Ps. 31. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* Item nota super illo verbo, *Coronae superbiae*, quia coronantur mali, et boni. Mali coronantur primo corona vanae laetitiae: *Sap. 2. Coronemus nos rosis.* Secundo opulentiae rerum: *Supra 23. Quis cogitavit haec super Tyrum quondam coronatam?* Tertio mundanae potentiae: *Iob 19. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.* Quarto superstitiosae observantiae: *2. Mach. 6. Cum Liberi sacra celebrarentur, cogebatur hedera coronari Libero circuire.* Item coronantur sancti corona nuptiali: *Isa. 61. Quasi sponsum coronavit me corona.* Secundo triumphali: *2. Tim. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Tertio regali: *Is. 62. Eris corona gloriae in manu Dei tui: Ps. 20. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso.* Quarto sacerdotali: *Eccl. 45. Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis.* Item nota super illo verbo, *Ablactatos a lacte*, quia est quoddam lac, quod debet deseri: et istud est multiplex. Primo carnalis concupiscentiae: *Supra 11. In caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Secundo imperfectae iustitiae: *Gen. 21. Crevit puer, et ablactatus est.* Tertio rudis doctrinae: *1. Cor. 3. Tamquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis.* Et est lac, quod debet amplecti. Primo purae conscientiae: *Thre. 4. Candidiores nive, nitidiores lacte*, propter nitorem. Secundo sanae doctrinae propter dulcorem: *Can. 4. Mel et lac sub lingua eius.* Tertio aeternae gloriae propter facilem absorptionem: *Ios. 20. Possidete terram fluentem lac, et mel. Quia manda* etc. Hic ponit contemptum doctrinae. Et primo per blasphemiam, qua prophetas deridebant, dicentes, *Manda*, quia his comminando utebantur: *Supra 13. Mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea*, et *supra 23. Dominus mandavit adversus Chanaam, ut contereret fortes eius: Supra 5. Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem. Expecta*, hic, promittendo: *Abacuch 2. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet.* Et addit poenam, *In loquela*, idest ita carebitis intellectu prophetarum, ac si aliquis loqueretur vobis motu labii tantum, et lingua extranea. Vel statim inferet vobis plagas. De ista locutione *Sap. 2. Contumelia, et tormento interrogemus illum.* Secundo quantum ad obedientiam, *Cui dixit.* Unde primo ponit praeceptum, *Haec requies: Matth. 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Secundo contemptum, *Et noluerunt: Exech. 3. Domus autem Israel noluit audire te, quia nolunt audire me.* Tertio comminatur interitum, *Et erit eis*, idest pro verbis suis hanc poenam patientur: *Matth. 12. Ex verbis tuis te iudico, serve nequam. Ut vadant*, in interitum. *Propter hoc* etc. Hic excludit remedium. Et primo ponit duo remedia, idest unum in quo confidebant, scilicet pactum cum idolis; unde ponit pactum, *Percussimus foedus cum morte*, idest cum diabolo: *Iob 40. Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum?* Et pacti fructum, *Flagellum inundans*, idest persecutio; *Mendacium*, idest idolum, quod vos prophetae dicitis mendacium: *Ps. 82. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Secundum est

remedium, quod Deus sanctis parat, scilicet Christum, *Ecce ego: Ps. 117. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes. Qui crediderit, non festinet*, sed expectet: *Abac. 2. Si moram fecerit, expecta eum.* Et hoc contra malorum blasphemiam. *Et ponam* etc. Hic excludit utrumque dictorum remediorum. Et primo primum. Secundo secundum, ibi, *Coangustatum* etc. Circa primum tria. Primo ponit exclusionis iustum iudicium, *Ponam: Sap. 11. Omnia in numero, pondere, et mensura fecisti.* Secundo excludit pactum, *Et subvertet grando*, tribulationis. Et ponit quatuor contra omnia, quae supra dixerat: *Iob 4. Spes hypocritae peribit.* Tertio exclusionis fructum, *Et tantummodo: Supra 26. Domine in angustia quaesierunt te. Coangustatum* etc. Hic excludit secundum remedium. Et primo ponit in eis impedimentum, quare non valeat eis. *Coangustatum.* Loquitur secundum similitudinem adulterae, quae non potest eodem loco habere virum, et adulterum: ita nec ipsi idolis cultum exhibere, et divinum auxilium obtinere: *1. Cor. 10. Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Secundo ponit liberantis adventum, *Sicut in monte divisionum.* Tangit historiam, quae habetur *2. Reg. 5. Sic in valle.* Tertio excludit misericordiae auxilium, *Ut faciat opus suum*, idest ut misereatur nobis, sicut tunc interrogative. Et respondit, *Alienum: Ps. 144. Miserationes eius super omnia opera eius. Et nunc nolite* etc. Hic concludit sanum, et salubre consilium. Et primo prohibet illusionem, *Nolite illudere, Vincula*, captivitatis: *Prov. 3. Ipse deludet delusores, et mansuetis dabit gratiam.* Et assignat rationem, *Consummatione enim* etc. *Auribus percipite* etc. Hic ponit consolationem. Et primo excitat attentionem, *Audite: Deut. 23. Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei.* Secundo ponit consolationem sub similitudine agricultoris, *Numquid tota die* etc. Per quem ostendit tria, scilicet punientis Dei intentionem, quia ut fructificemus sicut arator, ut serat, *Gith*, genus leguminis simile cymino. Secundo iudicii discretionem, quia alio modo punit hos, et illos, sicut rusticus alio modo excutit triticum, et gith, *Et erudiet.... panis*, idest frumentum. Tertio poenarum cessationem quantum ad hos, qui corriguntur, *Verumtamen: 1. Cor. 9. Debet in spe arare qui arat.* Tertio ponit expositionem, et haec, *A Domino: Ps. 118. Mirabilia opera tua.*

## a CAP. XXIX.

Vae Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David. Additus est annus ad annum, solemnitates evolutae sunt. Et circumdabo Ariel, et erit tristis, et moerens, et erit mihi quasi Ariel. Et circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et iaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi phytonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit. Et erit sicut pulvis tenuis, multitudo ventilantium te: et sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te praevaluerunt, eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terrae, et voce magna turbinis, et tempestatis, et flammae ignis devorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnae multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra Ariel, et omnes, qui militaverunt, et obsederunt, et praevaluerunt adversus eam. Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium, quae dimicaverunt contra montem Syon. Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini et non a vino: movemini, et non ab ebrietate, quoniam miscuit nobis Dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros, qui vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederit scienti literas, dicent, Lege istum, et respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicentque ei, Lege, et respondebit: Nescio literas. Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis, ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur. Vae, qui profundis estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos? Perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non fecisti me, et figmentum fictori suo: Non intelligis. Nonne adhuc in modico, et in brevi, convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur? Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris, et caligine oculi caecorum videbunt. Et addent mites in Domino laetitia, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Quoniam defecit, qui praevalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta supplantabant, et declinaverunt frustra a iusto. Propter hoc haec dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham: Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet, sed cum viderit filios suos opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Iacob, et domum Israel praedicabunt. Et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem.

## a CAP. XXIX.

In parte ista ponit comminationem contra populum, sive contra civitatem: et dividitur in partes duas. In prima comminatur poenam temporalis destructionis. In secunda poenam spiritualis excaecationis, ibi, *Obstupescite* etc. Circa primum duo. Primo comminatur destructionem. In secunda ponit qualemcumque consolationem, ibi, *Et erit sicut somnium* etc. Prima in duas. In prima ponit destructionem Hierusalem per Babylonios. In secunda per Romanos, ibi, *Et circumdabo* etc. Circa primum tria. Primo commemorat pristinam dignitatem, *Ariel*, idest leo Dei, quia Dei virtute temporibus David, et Salomonis nullum timebat, sicut nec leo: *Pro. 30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.* Vel propter altare holocaustorum, quod ibi erat, quod consumebat animalia sicut leo: et sic sumitur *Ezech. 43. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum* etc. Vel forte propter figuram, quia erat sita in modum leonis, *Expugnavit: 2. Reg. 3. Nam leonem, et ursum expugnavi.* Secundo ponit destructionem, ponens trium festorum cessationem, *Additus:* quasi dicat, Multis annis; *Evolutae*, idest perierunt: *Ose. 3. Sedebunt dies multos absque sacrificio* etc. *Obsidionem. Et circumvallabo*, scilicet Chaldaeis: *Ezec. 3. Et ordinabis adversus eam obsidionem* etc. Et innuit expugnationem ex tristitia, *Et erit tristis.* Tertio ponit reparationem factam sub Iesu sacerdote magno, et aliis, de qua habetur *in Esdra* per totum. *Et erit mihi*, quasi dicat, Umbram pristinae dignitatis retinens. Sed contra *Aggaei 2. Magna est gloria domus istius novissimae plusquam primae.* Et dicendum, quod hoc dicitur propter hoc, quod fuit visitata ab ipso filio Dei corporaliter. *Et circumdabo.* Hic comminatur destructionem per Romanos: et circa hoc quatuor ponit, scilicet obsidionem, *Et circumdabo quasi sphaeram*, idest in circuitu: *Luc. 19. Circumdabunt te inimici tui vallo: Abach. 1. Super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem.* Secundo obsessorum humiliationem, *Humiliaberis.* Et humiliationis signum, *De terra loqueris*, idest ita ac si sub terra esses, etiam audieris humiliter, verba ferens phytonis, qui silenter incantabant: *Sopho. 3. Auferam de medio tui maliloquos superbiae tuae.* Vel humiliationis meritum, arguens in eis peccatum avaritiae, *De terra loqueris;* et idolatriae, *Et erit quasi phytonis.* Tertio ponit hostium multitudinem, *Et erit sicut pulvis: Ioel. 2. Gens ascendit.* Vel hostium destructionem, sicut *supra 17. Rapietur sicut pulvis montium a facie venti.* Quarto ponit ipsam destructionem, *Eritque repente*, metaphorice, propter hostium ferocitatem: *Hiere. 4. Quasi nubes ascendet, et quasi tempestas, currus eius velociores aquilis. Et erit sicut somnium* etc. Hic adhibet quandam consolationem ex hostium poena, *Et sicut ros*, vana, in nihilum ibunt, non reportantes aliquod commodum de destructione Iudaeae, sicut nec esuriens, vel sitiens ex cibo, vel potu somniato: *Eccl. 24. Vana spes, et mendacium insensato viro, et somnia extollunt imprudentes: Zac. 12. Ponam Hierusalem lapides oneris, cunctis populis.* Nota super illo verbo, *Et erit sicut somnium*, quia aliquid dicitur somnium primo propter vanitatem: *Eccl. 54. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.* Hoc secundum hoc visia somniorum. Secundo propter brevitatem: *Iob 20. Velut somnium advolans non inveniretur.* Tertio propter cogitationis obscuritatem: *Iob 33. Per somnium in visione nocturna, quando solet sopor occupare homines, et dormiunt in lectulo suo, tunc aperit aures virorum*, et *erudiens eos instruit disciplina.* Quarto propter animae perversitatem: *Isa. 56. Dormientes, et amantes somnia. Obstupescite* etc. Hic comminatur poenam excaecationis. Et primo praedicit excaecationem Iudaeorum. Secundo conversionem gentium, ibi, *Nonne adhuc* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit excaecationem. Secundo ipsius rationem assignat, ibi, *Et dixit Dominus* etc. Circa primum tria. Primo praedicit excaecationem ponens ea, quae perturbant iudicium rationis. *Obstupescite*, ex consideratione malorum culpae, vel poenae: *Hier. 2. Obstupescite coeli super hoc, et portae coeli desolamini vehementer. Et admiramini*, ex consideratione magnorum: *Psalm. 118. Mirabilia opera tua. Fluctuate*, ex incertitudine eligendorum: *Iac. 1. Qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. Vacillate*, ex inconstantia propositorum: *Iob 4. Vacillantes confirmaverunt manus tuae. Inebriamini*, ex anxietate dolorum: *Abac. 2. Bibe tu quoque, et consopire, circumdabit te calix dexterae Domini.* Secundo ponit excaecationis modum, *Quoniam miscuit*, idest sicut vinum mixtum propinavit, *Oculos vestros*, scilicet prophetas: *Supra 15. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.* Tertio ponit excaecationis effectum, quia librum sacrae Scripturae in visiones omnium prophetarum non intelligent, *Et erit vobis: Apoc. 5. Vidi in dextera sedentis librum signatum* etc. *Et dixit Dominus* etc. Hic ponit causam excaecationis, scilicet peccatum ipsorum. Et primo in effectu. Secundo in intellectu, ibi, *Vae qui profundi* etc. Circa primum duo facit. Primo culpam divini contemptus, *Cor autem eius*, quia palliant verbis, *Labiis*, humanis observantiis, *Et timuerunt: Hie. 12. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum: Matt. 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Secundo poenam, *Ideo ecce ego... Grandi*, secundum eorum reputationem: vel quodammodo, *Peribit enim sapientia, Abd. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo, 1. Cor. 1. Vae qui profundi* etc. Hic ponit peccatum ex parte intellectus, quia non credebant Dei providentiam, quod sciret ea, quae circa nos aguntur: et circa hoc duo facit. Primo ponitur erroris excogitatio. Dicebant autem Deum latere, propter cordis profunditatem, ubi sua prava consilia pertractabant; unde dicit, *Vae qui profundi* etc. *Hiere. 17. Profundum est cor hominis, et inscrutabile, quis cognoscet illud?* Et propter obscuritatem locorum in quibus prava opera exercebant; unde dicit, *Quorum sunt: Io. 3. Omnis qui male agit, odit lucem: Eccle. 16. Non dicas, a Deo abscondar.* Secundo ponitur iusta increpatio, *Perversa est*, *Non fecisti*, quia Deus cognoscit, inquantum est causa rei: *Isa. 55. Vae qui contradicit factori suo: Infra 64. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu, et opera manuum tuarum*

*omnes nos. Nonne* etc. Hic praedicit gentium conversionem: et circa hoc tria facit. Primo praedicit conversionem ad gratiam, *Libanus*, idest gentes, quia mons erat in terra gentium, *In Charmel*, in gratiam quam Iudaei per circumcisionem habebant, quia inter scientiam circumcisionis, *In saltum*, idest in sterilitatem in qua prius erant gentes: *Infra 37. Saltum Charmeli eius ego fodi, et bibi aquam*, ad sacram scientiam. *Surdi*, scilicet gentiles, qui prius non audierant verba legis: *Matt. 10. Caeci vident: Io. 9. In iudicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident, caeci fiant.* Ad spiritualem laetitiam, *Et addent: Ps. 9. Laetabor, et exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.* Secundo assignat conversionis occasionem, vel rationem ex casu diaboli, *Quoniam defecit, qui praevalebat*, per potentiam, *Illusor*, deceptor per astutiam: *Supra 16. Consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram*, caecitate iudaici populi, quia *Caecitas ex parte contingit in Israel, Ro. 11. Succisi sunt qui vigilabant*, studiositas ad malum, *Prov. 4. Non enim dormiunt, nisi male fecerint. Qui peccare*, pravis exemplis, et doctrinis: *Arguentem*, quantum ad disciplinae contemptum: *Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta. Declinaverunt*, quantum ad peccati vanitatem, quia frustra est, quod non consequitur finem: *Sap. 5. Superbia, aut divitiarum iactantia, quid contulit nobis?* Tertio ponit Iudaeorum reversionem in fine mundi, cum dicit, *Propter hoc, haec dicit Dominus, Qui redemit Abraham: Gen. 12. Non modo*, idest in hoc tempore, *Confundentur*, bona confusione: *Eccl. 4. Est confusio adducens gloriam, et gratiam. Filios*, Apostolos, *Mussitatores*, idest qui primo murmurabant: *Supra 27. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, et florebit, et germinabit Israel.* Vel potest aliter exponi de prosperitate, quae eis promittitur destructo Senacheribus, vel Nabuchodonosor. *Charmel in saltum*, idest tanta erit fertilitas terrae promissionis, quod fertilitas, *Charmeli*, reputabitur sterilitas in comparatione eius, *Illusor* Senacheribus, vel Nabuchodonosor, *Filios suos*, tres pueros in camino ignis. Vel quia pueri ipsorum facient laudem nominis mei, quod ipsi in iuventute sua non fecerunt.

## a CAP. XXX.

Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: qui ambulatis, ut descendatis in Aegyptum, et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominia. Erant enim in Tani principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit. Non fuerunt in auxilium, et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium. Onus iumentorum Austri. In terra tribulationis et angustiae leaena, et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. Aegyptus enim frustra, et vane auxiliabitur. Ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce. Nunc ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum. Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quae recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. Propterea haec dicit sanctus Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia, et in tumultu, et innixi estis super eo: Propterea erit vobis iniquitas haec, sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso. Quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius, et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquae de fovea. Quia haec dicit Dominus Deus Israel: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. In silentio, et in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis, et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus. Ideo velociores erunt, qui persequentur vos. Mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quicumque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et signum super collem. Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabit parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus. Beati omnes, qui expectant eum. Populus enim Syon habitat in Hierusalem. Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Et dabit tibi Dominus panem arctum, et aquam brevem, et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis. Haec est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatae. Egredere, dices ei: Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terrae erit uberrimus, et pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose, et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent, sicut in area ventilatum est. Et erunt su-

per omnem montem excelsum , et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. Et erit lux lunae, sicut lux solis , et lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum , in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagae eius sanaverit. Ecce nomen Domini venit de longinquo , ardens furor eius , et gravis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione , et lingua eius quasi ignis devorans. Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli , ad perdendas gentes in nihilum , et fraenum erroris, quod erat in maxillis populorum. Canticum erit vobis, sicut vox sanctificatae solemnitatis; et laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini , ad fortem Israel. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suae , et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis: allidet in turbine , et in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus , et erit transitus virgae fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum , in tympanis, et cytharis, et in bellis praecipuis expugnabit eos. Praeparata est enim ab heri Tophet, et a rege praeparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta eius ignis , et ligna multa , flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

## a CAP. XXX.

In parte ista comminatur propheta contra illos, qui contempserunt prophetiam Hieremiae, euntes in Aegyptum contra eius consilium , sicut habetur *Hiere. 43.* Et dividitur in duas. In prima comminatur contra Iudaeos tantum. In secunda contra Iudaeos , et Aegyptios simul, de quibus confidebant, *31. cap. Vae qui descendunt* etc. Vel secundum glossam. In prima parte prohibet descensum. In secunda comminatur poenam contra descendentes. Prima in duas. In prima ponit comminationem. In secunda consolationem, ibi, *Propterea expectat.* Prima in duas. In prima arguit descensum. Secundo arguit praecepti contemptum , ibi , *Ideo clamavi* etc. Circa primum tria arguit in eis. Primo itineris dispositionem , ponens propositum ut faceretis consilium , *Telam* , pravam machinationem, et consequentem effectum, *Ut adderetis: 2. Paral. 28. Quare vultis addere peccata super peccata?* Secundo ponit consilii executionem quantum ad viae incessus , *Qui ambulatis* , qui incessus deformatur per contemptum divini consilii. *Habentes fiduciam, os meum*, Prophetam: *Hier. 13. Si separaveris pretiosum a vili , quasi os meum eris , quia quae dixi, facere noluistis.* Et per fiduciam humani auxilii, *Habentes fiduciam: Hiere. 17. Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Et ponit effectum , *Et erit vobis : Osee 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Unde quantum ad viae terminum, erant enim in Taphnis, quae est tantum in alia parte Aegypti, quasi timentes in primis terminis remanere: *Hierem. 2. Quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam.* Et ostendit spei defectum , *Omnes confusi sunt : Psalm. 145. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Tertio describit rerum asportationem. *Onus iumentorum* , comminans primo destructionem Aegypti. Vel onus filiorum Iuda, *Iumentorum*, propter soliditatem. Vel quia sicut iumenta res suas deferebant. *Austri*, quia ad Austrum fugerunt, vel quia in australi parte erat eorum habitatio. *In terra tribulationis*, in Aegypto , quae hebraice dicitur meyray, quod interpretatur tribulatio, vel angustia: *Hier. 42. Gladius quem vos formidatis ibi , comprehendet vos in terra Aegypti, et fames, pro qua estis soliciti, adhaerebit vobis in Aegypto , et ibi moriemini.* Secundo ponit asportantium conditionem, *Leaena propter ferocitatem, Leo* , propter audaciae praesumptionem, *Vipera*, propter crudelitatem, *Regulus volans* , non quod habeat pennas , sed quia insilit in faciem hominis, propter velocitatem ad malefaciendum: *Soph. 3. Principes eius quasi leones.* Tertio rerum asportationem , *Portantes.* Quarto laboris frustrationem , *Ad populum: Psal. 59. Vana salus hominis. Ideo clamavi* etc. Hic arguit in eis divini praecepti contemptum. Et primo ostendit, quomodo contempserunt divinum praeceptum. In secunda, quomodo contempserint salubre consilium , ibi , *Quia haec dicit Dominus* etc. Circa primum tria ponit. Primo divinum praeceptum. Secundo populi contemptum, ibi, *Populus* a. etc. Tertio comminatur contemnentibus mortem, vel mortis intentum, ibi, *Propterea haec dicit* etc. Primo praeceptum, quia scilicet inutile est ire in Aegyptum, *Quiesce*, in terra tua: *Hier. 14. Haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedem suum, et non quievit, et Domino non placuit.* Secundo ponit praecepti confirmationem, *Nunc ergo* etc. Tu Isaias, *Ingressus*, per propheticam visionem; vel tu Hieremias, *Ingressus*, in Aegyptum cum populo , sicut legitur *Hier. 43.* Tertio assignat confirmationis fructum, *Et erit in die illa: Exo. 17. Scribe hoc ob monumentum. Populus* etc. Hic ponit populi contemptum. Et primo secundum quod contemnebant Deum, *Ad iracundiam*, quantum ad peccatum transgressionis: *Ezec. 2. Noli esse exasperans , sicut domus Israel exasperatrix est. Mendaces*, quantum ad peccatum locutionis, quia promiserunt Hieremiae obedientiam, quam servare noluerunt, ut habetur *Hier. 42. Psal. 17. Filii alieni mentiti sunt mihi. Nolentes* , quantum ad peccatum omissionis: *Prover. 18. Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Secundo ponit contemptum prophetarum, *Qui dicunt videntibus*, secundum quod interdicebant eis proprium officium : *Amos 7. Qui vides , gradere, fuge.* Inquantum inducebant eos ad mendacium, *Loquimini : 3. Reg. ult. Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona praedicunt: Declinate*, inquantum prohibebant divinae cognitionis verbum: *Iob 24. Qui dixerunt Deo , recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Propterea haec dicit* etc. Hic comminatur eis interitum subitum, resumens culpam, ut iustior appareat poena, *Pro eo, quod reprobastis.* Poenam autem adiungit ibi, *Propterea erit vobis*, significans poenam subitaneam per si-

militudinem ruinae, quae diu latet in pariete, qui tandem subito cadit, *Quoniam subito: 1. Thes. 5. Cum enim dixerint pax, et securitas, tunc superveniet eis repentinus interitus.* Et dicit poenam validam, *Et comminuetur*, sub similitudine confractionis lagenae, cuius nulla testa remanet integra ad aliquid valens, scilicet ad ignem portandum, et ad aquam hauriendum: *Supra 24. Confractione confringetur terra.* Nota super illo verbo, *Quiesce*, quia quiescere debet homo primo a peccati actu: *Supra 1. Quiescite agere perverse, discite bene facere.* Secundo a vagandi cursu: *Hiere. 14. Haec dices populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit.* Tertio ab immoderato appetitu: *Infra 41. Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Quarto a praesumptuoso intellectu: *Eccles. 8. Cum consummaverit homo, tunc incipiet. Quia haec dicit Dominus* etc. Hic arguit in eis divini consilii contemptum: et circa hoc tria ponit. Primo consilium, *Si revertamini? Infra 45. Convertimini ad me, et salvi eritis.* Secundo contemptum, *Et dixistis, ideo fugietis*, hoc est verbum Domini: *Deut. 38. Per unam viam gradiemur. Et super veloces ascendemus*, vox populi rebellis, *Ideo velociores*, vox Domini: *Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli.* Tertio comminatur meritum, *Mille*, Aegyptii, *Unius*, Chaldaei, *Fugietis*, mille vos Iudaei, *Quandoque*, Chaldaeorum: *Deut. 32. Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarent decem millia. Quasi malus*, in signum evitandi naufragii: *Supra 6. Erit in ostensione, sicut terebinthus, et sicut quercus, quae expandit ramos suos. Propterea expectat* etc. Hic ponit consolationem: et circa hoc duo facit. Primo proponit miserendi propositum. Secundo exequitur misericordiae beneficium, ibi, *Populus enim* etc. Circa primum tria. Primo miserendi propositum in Deo, *Propterea expectat*, non ex toto destruens vos: *Osee 5. Dies multos expectabis me.* Secundo ingratorum iudicium, *Et ideo exaltabitur*, idest altus in iustitia apparebit, puniens vos ingratos suis beneficiis: *Supra 5. Exaltabitur Dominus exercituum in iudicio.* Tertio bonorum praemium, *Beati omnes: Luc. 12. Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Populus enim* etc. Hic exequitur misericordiae beneficium. Et primo in eorum exaltatione. Secundo in hostium oppressione, ibi, *Ecce nomen* etc. Circa primum duo. Primo sublationem malorum contra exilii captivitatem, *Populus enim*, tempore Zorobabel. Vel potius mystice totum: *Ps. 124. Non commovebitur in aeternum, qui habitat in Hierusalem.* Contra tristitiae anxietatem, *Plorans*, ante, *Nequaquam plorabitis*, semper, sed quandoque liberaberis: *Supra 25. Auferet lacrymam tuam ab omni facie.* Contra Dei indignationem, *Miserans: Psal. 90. Invocabit me, et ego exaudiam eum.* Contra paupertatem, *Et tibi dabit Dominus.* Et est sensus: Modico victu erunt contenti: *Eccl. 29. Initium hominis panis, et aqua.* Vel quia in reditu de Babylone penuriam passi sunt. Mystice secundum glossam. Secundo ponit collationem bonorum; unde, *Faciet.* Et primo spiritualium, quantum ad electam doctrinam describens doctorem, *Avolare*, idest recedere, *Doctorem*, Esdram, cuius doctrina adhuc utuntur. Vel Christum, *Post tergum*, sicut fugiens quando ab insequente revocatur: *Ioel. 2. Dedit nobis doctorem iustitiae.* Et ponit doctrinam, *Haec via: Num. 20. Via regia gradiemur.* Et etiam quantum ad debitam Dei culturam, *Et contaminabis*, in usus communes rediges: *4. Reg. 23. Contaminavit excelsa, et demolitus est ea. Vestimentum*, omnem ornatum idoli. Secundo quantum ad temporalia bona: unde dicit, *Egredere*, scilicet a spiritualibus ad temporalia. Et promittit terrae fertilitatem, promittens causam, *Dabitur pluvia: Ose. 2. Descendere faciet ad vos imbrem;* et effectum, quantum ad cibos hominum, *Et panis frugum: Gen. ult. Aser panis pinguis: Ps. 47. Adipe frumenti satiat te.* Quantum ad pascua armentorum, *Pascetur agnus*, quantum ad oves: *Tauri*, quantum ad boves: et in utrisque notat foecunditatem, ponens filios. Et quantum ad annonam iumentorum, *Et pulli asinorum, migma*, hordeum cum palea purgatum, quod prius commixtum comedebant. Secundo promittit aquarum ubertatem, *Et erunt.* Iudaei dicunt haec ad literam esse complenda in fine mundi, *Multorum*, scilicet Romanorum, secundum eos, quod est fabulosum. Vel potest esse metaphorica locutio, ut per aquam significetur consolatio, quam post reditum de captivitate, et Babyloniae destructionem habuerunt. Vel mystice de doctrina Christi: *Isa. 41. Aperiam in supremis collibus flumina, et in medio camporum fontes.* Tertio caeli claritatem, *Et erit lux solis sicut lux septem dierum*, tamen in uno, quantum modo septem, quasi septempliciter. Vel sicut fuit in primo septenario dierum. Haec Iudaei fabulose ad literam dicunt tempore aureae Hierusalem. Sed melius est, quod ad futuram sanctorum gloriam referatur, post mundi innovationem Vel metaphorice, et hiperbolice, ad statum populi referatur: *Ps. 146. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Nota super illo verbo, *Et panes frugum*, quia verbum Dei est panis primo aretus, propter observandi difficultatem: *Matt. 7. Arcta est via, quae ducit ad vitam.* Secundo uberrimus, propter fructus utilitatem: *Isa. 55. Quomodo descendit imber de caelo, et illuc ultra non revertitur, et inebriat terram, et germinare eam facit, sic erit verbum, quod egredietur de ore meo.* Tertio pinguis, propter delectationis suavitatem: *Gen. ult. Assur panis pinguis. Ecce nomen Domini* etc. Hic consolatur eos ex hostium punitione: et circa hoc tria ponit. Primo iudicis punientis adventum. Secundo poenae modum, *Et auditam faciet.* Tertio punitionis locum, ibi, *Praeparata est* etc. Circa primum tria. Primo adventum, *Venit*, ad universale iudicium, *De longinquo*, de alto potentiae suae. Vel ad destruendos Babylonios per Medos a longe venientes: *Hier. 5. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo. Nomen Domini*, filius, quantum ad primam expositionem. Vel quia redundans est in gloriam ipsius, quantum ad secundam, et tertiam. Secundo ostendit venientis zelum, ponens iram in corde, per antrapospatos, *Ardens furor.* Furor est ira accensa. Incenditur autem, vel quantum ad vehementiam desiderii: et quantum ad hoc dicit, *Ardens;* vel quantum ad quantitatem poenae: et quantum hoc dicit, *Gravis: Isa. 65. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Ponit etiam iram in ore, *Labia eius repleta sunt indignatione.* Improperans peccata, *Devorans*, comminando

tormenta : *Supra 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ponit etiam in opere, *Spiritus eius*, idest indignatio, *Usque ad medium colli*, idest usque ad extinctionem adducet : *Supra 8. Ibit per Iudam inundans furor.* Tertio ponit indignationis effectum. In malis destructionem gentium, *Ad perdendas gentes: Ps. 2. Domine in civitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Et cessationem tyrannorum, *Et fraenum erroris: Iob 30. Fraenum posuit in os meum.* Ponit etiam effectum in bonis in laude oris. *Canticum erit solemnitatis*, quia in tribus solemnitatibus ibant in Hierusalem cum laetitia: *Levit. 33. Civitatem solemnitatis nostrae oculi tui videbunt.* Et in iucunditate cordis, *In laetitia cordis* : *Isa. 51. Gaudium, et laetitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor, et gemitus: Iudith ult. Erat autem populus Domini iucundus. Et auditam* etc. Hic describit poenae modum: et circa hoc tria facit. Primo describit poenae modum, quantum ad punientis actum, *Vocis suae*, per quam apparebit gloriosus, *Et terrorem brachii*, per similitudinem irati, qui his modis comminatur : *Iob 40. Si habes brachium sicut Deus.* Et quantum ad instrumentum, *Et flamma ignis*, quia ad literam Assyrii combusti fuerunt, *Et in lapide grandinis*, forte tempestas aliqua fuit. Vel significantur diversae poenae in die iudicii: *Ps. 10. Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Secundo ponit poenae inflictionem ostendens eius honorem, *A voce enim;* et poenae durationem, *Et erit transitus fundatus*, idest firmatus. Tertio sanctorum exultationem, *In cythara in bellis praecipuis*, quae sola divina virtute geruntur: *Ps. 57. Laetabitur iustus cum viderit vindictam. Praeparata est* etc. Hic describit poenae locum. Et primo ipsius dispositionem, *Tophet*, vallis filii Emon gehenna, quia conservabatur ibi ignis ad sacrificia in lapidibus de Tophis. Eadem est vallis Gethsemanis, in qua destructus est exercitus Senacherib. Vel significatur per ipsam infernus. Unde Iudaei coniiciunt ibi esse infernum, quia ex duabus palmis, quae ibi sunt, semper emittitur fumus, *Ab heri*, idest ab initio: vel a secundo die secundum Iudaeos, quae habuit tantum heri : unde nudius tertius. De hac valle habetur *Hiere. 7. et 19. A rege*, Deo: *Supra 5. Dilatavit infernus animam suam.* Secundo poenarum diversitatem, *Nutrimentis eius digna*, impii, vel illi de exercitu Senacherib, *Flatus*, idest voluntate metaphorice: *Ps.10. Ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Nota super illo verbo, *Ecce nomen Domini*, quia Filius Dei est nomen Patris primo quo manifestatur: *Io. 17. Manifestavi nomen tuum hominibus.* Secundo quo honoratur: *Matth. 6. Pater sanctificetur nomen tuum.* Tertio quo invocatur: *Io. 16. Quaecumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item super illo verbo, *Venit de longinquo*, quod venit de longinquo primo propter diuturnam expectationem: *Heb. 11. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non receptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes.* Secundo propter meritorum nostrorum imperfectionem: *Ephes. 2. Veniens evangelizavit pacem, vobis qui longe fuistis.* Tertio propter temporis dilationem: *Num. 24. Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope.* Quarto propter maiestatis altitudinem: *Ps. 8. A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* Nota super illo verbo, *Lingua eius quasi ignis*, quia caritas dicitur ignis primo, quia illuminat : *Eccles. 2. Qui timetis Deum, diligite eum, et illuminabuntur corda vestra.* Secundo quia exaestuat: *Can. 2. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Tertio quia ad se omnia convertit: *Ro. 8. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quarto quia expeditum facit: *Io. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Quinto quia sursum trahit: *Cant. 3. In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum, et non inveni.*

## a CAP XXXI.

Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia pervalidi nimis, et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt. Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit. Et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. Aegyptus homo, et non Deus, et equi eorum caro, et non spiritus. Et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet, cui praestatur auxilium, simulque omnes consumentur, quia haec dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super praedam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit, sic descendet Dominus exercituum, ut praelietur super montem Syon, et super collem eius. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens, et liberans, transiens, et salvans. Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum, et cadet super Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii: et iuvenes eius vectigales erunt : et fortitudo eius a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes eius. Dixit Dominus, cuius ignis est in Syon, et caminus eius in Hierusalem.

## a CAP XXXI.

In parte ista comminatur utrisque simul, scilicet Aegyptis et Iudaeis : et circa hoc duo facit. Primo ponit comminationem. Secundo consolationem, ibi, *Quia haec Dominus* etc. Circa primum duo ponit. Primo culpam ex confidentia humani auxilii, *In equis sperantes: Ps. 32. Fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suae non salvabitur.* Et ex contemptu divini auxilii, ibi, *Et non sunt confusi.* Contra *in Ps. 19. Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri speravimus.* Secundo comminatur poenam, *Ipse autem.* Et primo contra con-

temptum divini auxilii. Secundo ponit Dei sapientiam, et sententiae firmitatem, *Et verba non abstulit*, id-est non irrita fecit, quae per prophetas comminatus est: *Num. 23. Non est Deus ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et subiungit poenam, *Et contra auxilium operantium: Iob 4. Qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum.* Et subiungit poenam, *Et consurget.* Contra fiduciam humani auxilii ponit eorum debilitatem, *Aegyptus homo: Ezec. 38. Cum sis homo, et non Deus, in manu odientium te, morte circumcisorum morieris.* Et subiungit poenam, *Et corruet auxiliator: Iob 4. Qui habitant domos*, ut supra. *Quia haec dicit Dominus* etc. Hic ponit consolationem, promittens per Deum liberationem ab hostibus, a quibus per Aegyptios liberari non potuerunt: et circa hoc tria facit. Primo ponit Iudaeorum defensionem sub similitudine leonis defendentis, dicens: Vos et Aegyptii peribitis, in quibus confidebatis, me contempto, *Quia haec dicit Dominus*, qui solus salvat, *Ut praelietur*, tanquam defensor contra illos, qui impediebant aedificationem templi, post reditum de captivitate. Vel contra Assyrios: *Ose. 13. Ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum.* Et sub similitudine avis protegentis, *Sicut aves: Matt. 23 Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti? Deut. 32. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.* Secundo ponit hostium destructionem, promittens consilium ad hoc moerendum, *Convertimini sicut in profundum* etc. *Pro. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: Ro. 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire munditiae in sanctificationem.* Et ponit complementum, *In die illa proiiciet homo idola sua.* Et ponit fructum, scilicet ipsam destructionem, quantum ad occisorum necem, *In gladio: Deut. 32. Gladius meus devorabit carnes.* Et quantum ad residuorum deletionem, in fuga, timorem, et servitutem, quia, *Vectigales*, primos Babylonis. Tertio ponit utriusque confirmationem, *Dixit Dominus, cuius ignis*, comburens Assyrios: *Supra 10. Erit lumen Israel in igne, et sanctus eius in flamma.* Vel ignis in altari thymiamatis, *Canimus*, in altari holocaustorum: *Levit. 9. Ignis in altari meo semper ardebit.* Vel ignis caritatis in ecclesia militante imperfecte, sed canimus in ecclesia triumphante perfecte. Item nota, quod caritas dicitur ignis. Require in praecedenti colloquio ante hoc capitulum.

## a CAP XXXII.

Ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio praecerunt. Et erit vir, sicut qui absconditur a vento, et celat se in tempestate: sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur, et plane. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur maior. Stultus enim fatua loquetur, et cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper iudicium. Princeps vero ea, quae digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. Mulieres opulentae surgite, et audite vocem meam, filiae confidentes, percipite auribus eloquium meum. Post dies enim et annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet. Obstupescite opulentae, conturbamini confidentes, exuite vos, et confundemini, accingite lumbos vestros. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinae, et vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis? Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebrae, et palpatio factae sunt super speluncas usque in aeternum. Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur, et habitabit in solitudine iudicium, et iustitia in Charmel sedebit. Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. Grando autem in descensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas. Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis, et asini.

## a CAP. XXXII.

Haec est tertia pars comminationis, in qua prosequitur liberationem ab hostibus qui tunc eis imminebant. Et primo praedicit eam per modum prophetiae. Secundo narrat per modum historiae, *36. c. Et factum est* etc. Prima in duas. In prima praedicit Iudaeorum prosperitatem. In secunda hostium destructionem, *33. c. Vae qui praedaris* etc. Circa primum duo. Primo praedicit liberatorum statum, quantum ad regis aequitatem, ibi, *Regnabit rex*, scilicet Ezechias: *Hier. 23. Regnabit rex, et sapiens erit*, quantum ad populi prosperitatem. Quantum ad consolationem, *Et erit vir: Supra 4. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu.* Quantum ad emendationem in spiritualibus, *Non caligabunt*, ut prius, propter peccata regis, et populi, *Viventium*, scilicet prophetarum, sed apertas a Domino visiones accipient, *Et aures*, scilicet subditorum, *Auscultabunt*, implentes praecepta Domini per prophetas: *Cor stultorum*, qui prius in idolis errabant, *Balborum*, prophetarum, qui prius obscure, et in aenigmate loquebantur: *Sap. 10. Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium*

*fecit disertas.* Et etiam quantum ad consecutam libertatem, scilicet a tyrannis. *Non vocabitur qui insipiens*, scilicet Senacheribus, cui prius tributa solvebant, sicut patet *4. Reg. 18. Ezec. 34. Eruam eos de manu regis Assyriorum.* Secundo exequitur liberationis modum, *Stultus enim.* Et prosequitur afflictionem. Secundo liberationem, ibi, *Donec effundatur.* Circa quod duo facit. Primo describit hostem persequentem. Secundo persecutionem, ibi, *Mulieres* etc. Circa primum tria. Primo ipsius regis nequitiam quantum ad blasphemiam oris, *Stultus*, scilicet Senacheribus, *Fatua*, verba blasphemiae, *Isa. 37. Prov. 15. Os fatuorum ebullit stultitiam.* Quantum ad duplicitatem cordis, *Cor eius faciet*, promittens populo bonam terram, *Ad Dominum fraudulenter*, dicens se illius praecepto venisse, *Isa. 56. Pro. 12. Cogitationes iustorum iudicia.* Quantum ad crudelitatem operis, *Vacuam*, spoliando eos rebus, quibus debebant nutriri, contra illud *Prov. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Secundo principium eius malitiam, *Fraudulenti*, scilicet Senacheribus, *Vasa*, idest nuntii, et principes eius: *Prover. 29. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Et malitiae executionem, *Ipsae enim cogitationes*, scilicet Rapsaces, de quo *Isa. 36. Concinnabit*, idest componet. Cinnus est genus potionis ex diversis speciebus compositae, *Pauper*, Iudaeus: *Ps. 49. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.* Tertio regnantis Ezechiae prudentiam. *Principes*, quia praecepit, quod non illi aliquis responderet, *Supra 1. Restituam principes tuos, ut fuerunt prius. Mulieres* etc. Hic describit persecutionem inflictam quantum ad tria. Primo quantum ad fructuum amissionem excitans attentiones, *Mulieres*, quae facile potestis plorare, *Opulentae*, quae plorandi materiam habetis ex bonorum perditione. Vel, *Mulieres*, idest vos Iudaei imbecilles: *Ps. 48. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Et ponit temporis determinationem, *Post dies*, aliquot, *Annum*, unum: *Ps. 21. Quoniam tribulatio proxima est, et non est, qui adiuvet.* Et ponit fructuum amissionem, *Consummata*, destructa, *Collectio*, frugum, *Non veniet*, in domos nostras ab agris: *Hier. 48. Ablata est laetitia de Carmelo, et de terra Moab, et vinum de torcularibus sustuli.* Secundo quantum ad camporum vastationem, indicens planctum, *Obstupescite: Baruc. 4. Exui me stola pacis: Supra 22. Et vocavit Dominus in die illa ad fletum.* Et praedicit damnum, *Super humum: Supra 5. Ascendent super eum vepres, et spinae.* Tertio quantum ad desolationem, *Quanto magis*, scilicet flendum est, *Civitatis exultantis*, scilicet Hierusalem, cuius inferior pars fuit tradita Assyriis, *Supra 22. Urbs frequens, civitas exultans.* Et desolationis magnitudinem, quantum ad domos, quia redactae in perpetuas tenebras, sicut accidit in aedificiis ruinosis, *Et tenebrae: Iob 12. Palpabunt in tenebris, et non in luce.* Et quantum ad agros, *Gaudium onagrorum*, qui morantur in magnis solitudinibus: *Hiere. 2. Onager assuetus in solitudine. Donec effundatur.* Hic prosequitur liberationem. Et primo ponit Iudaeorum consolationem. Secundo hostium destructionem, ibi, *Grando autem* etc. Tertio prophetae congratulationem, ibi, *Beati, qui seminant* etc. Circa primum tria. Primo divinam consolationem. Haec dico contingent vastante terram Senacheribus. *Donec spiritus*, divina consolatio: *Ezec. 37. Scietis, quia ego Dominus, quia intromittam in vos spiritum, et vivetis.* Quarto consolationis modum, et ordinem, quantum ad terrae fertilitatem, *Et erit desertum*, idest terra vestra prius deserta ita erit fertilis, sicut Carmelus, cuius fertilitas reputabitur sterilitas comparatione terrae vestrae, *supra 29.* Idem habetur quantum ad iustitiae observationem, *Et habitavit: Supra 1. Syon in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitia.* Et quantum ad pacis tranquillitatem, *Et erit opus*, idest effectus, *Silentium*, quia sine tumultu contentionum, et bellorum: *Supra 16. Domine dabis pacem nobis.* Tertio ponit divinae consolationis iucundam fruitionem, *Et sedebit: Prov. 1. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur. Grando*, scilicet tribulationis, *In descensione saltus*, idest descendent a Domino super hostes vestros: *Civitas*, Ninive: *Supra 25. Civitatem sublimem humiliabis. Beati, qui seminant* etc. Hic ostenditur prophetae congratulatio, *Super aquas*, idest super loca fertilia ex abundantia aquarum, *Pedem bovis et asini*, non simul, quia hoc prohibitum est *Deut. 22. Non arabis in bove, et asino: Ps. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.* Nota super illo verbo, *Erit opus iustitiae pax*, quia pax sanctorum in patria erit pulchra primo quia non erit falsa, *Sap. 15.* Secundo quia non interrupta: *Supra 8. Et pacis non erit finis.* Tertio quia plena: *Ps. 147. Posuit fines tuos pacem.* Item nota super pacem futuram tria faciunt appetibilem. Primo firmitas divinae potentiae: *Ps. 124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon, non commovebitur in aeternum qui habitat in Hierusalem.* Secundo puritas propriae conscientiae: *Prov. 3. Ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget.* Tertio remotio hostilis nequitiae: *Io. 16. Confidite, ego vici mundum.* Item nota super illo verbo, *Beati qui seminant super aquas*, quia doctrina Domini est aqua. Primo quia abundat: *Eccl. 24. Ego sapientia effudi flumina.* Secundo quia refrigerat: *Prov. 22. Aqua frigida animae sitienti.* Tertio quia foecundat: *Isa. 55. Quomodo descendit imber de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et germinare eam facit, sic erit verbum, quod egredietur de ore meo.* Quarto quia velociter portat: *Io. 4. Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Quinto quia singulis se conformat: *Prov. 5. In plateis aquas tuas divide.*

## CAP. XXXIII.

Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris depraedationem, depraedaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Domine miserere nostri, te enim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. A voce angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersae sunt gen-

tes. Et congregabuntur spolia vestra, sicut colligit bruchus, velut cum fossae plenae fuerint de eo. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso, implebit Syon iudicio, et iustitia. Et erit fides in temporibus suis: divitiae salutis, sapientia, et scientia : timor Domini ipse est thesaurus. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. Dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit civitates, non reputavit homines. Luxit, et elanguit terra, confusus est Libanus, et obsurduit. Et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan, et Carmelus. Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, et nunc sublimabor. Concipietis ardorem, et parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos. Erunt populi quasi de incendio cinis, spinae congregatae igni comburentur. Audite qui longe estis, quae fecerim, et cognoscite vicini fortitudinem meam. Contriti sunt in Syon peccatores, possidebit timor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquae eius fideles sunt. Regem in decore videbunt, oculi eius cernent terram de longe. Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? ubi est doctor parvulorum? Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possit intelligere disertitudinem linguae eius, in quo nulla est sapientia. Respice Syon civitatem solemnitatis nostrae. Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur, quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster. Locus fluviorum rivi altissimi et patentes : non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos. Laxati sunt funiculi tui, sed non praevalebunt: sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia praedarum multarum, claudi diripient rapinam. Nec dicet vicinus, Elangui. Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

## a CAP XXXIII.

In parte ista incipit praedicere hostium destructionem. Et primo ipsam destructionem. Secundo destructionis effectum, *35. c. Laetabitur* etc. Prima in duas. In prima praedicit destructionem hostium principalium, scilicet Assyriorum. In secunda aliorum eis auxiliantium, *34. c. Accedit* etc. Circa primum duo. Primo praedicit destructionem Assyriorum. In secunda ingratitudinem Iudaeorum, ibi, *Laxati sunt* etc. Circa primum duo facit. Primo praedicit Assyriorum destructionem. Secundo invitat omnes ad tanti facti considerationem, ibi, *Audite* etc. Circa primum duo facit. Primo praedicit poenam quam a Deo percepit. Secundo quam aliis ipse contulit, ibi, *Ecce videntes* etc. Circa primum tria facit. Primo comminatur Assyriis destructionem ponens quaestionem, *Nonne*. Et responsionem, *Cum consummaveris fatigatus*, quasi dicat, taedio affectus de multis victoriis : *Matt. 7. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis : Apoc. 13. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Secundo in persona populi petit a Deo comminationis confirmationem, *Domine miserere : Eccle. 36. Glorifica manum, et extende brachium : Ps. 59. Da nobis Domine auxilium de tribulatione*. Tertio ponit petitionis impletionem. Primo ponens destructionem Assyriorum, quantum ad exercitus. *A voce angeli*, multos interficientis, *Populi*, Assyrii, qui residui fuerunt : *Supra 31. Et pavebunt principes eius fugientes*, quantum ad spoliorum direptionem. *Et congregabuntur*, a Iudaeis, *Vestra*, o Assyrii: *Supra 10. Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur capta praeda, quando dividunt spolia*. Secundo destructionis fructum, scilicet Dei gloriam, *Magnificatus: Ps. 56. Magnificata est usque ad coelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua*. Et hominum gratiam in rectitudine actus, *Implevit*, scilicet Dominus, *Iudicio*, quod est executio iustitiae, *Fides*, quae est fundamentum iustitiae: *Supra 1. Syon in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitia: Osee 2. 2. Sponsabo te mihi in iustitia, et fide*. Quantum ad perfectionem intellectus, *Divinae salutis, Sapientia*, in divinis, *Scientia*, in humanis: *Prov. 3. Pretiosior est sapientia*. Quantum ad ordinationem affectus, *Timor : Eccles. 1. Timor Domini delet peccatum*. Nota super illo verbo, *Divitiae salutis*, quia nos habemus divitias, primo in Deo : *Col. 1. In ipso sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi*. Secundo in seipso: *Pro. 30. Pretiosior est cunctis opibus sapientia*. Tertio in sanctorum collegio : *Supra 13. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. Ecce videntes clamabunt* etc. Hic ponit poenam, quam aliis intulit. Et primo describit poenam ab ipso inflictam, quantum ad perturbationem hominum, *Videntes*, exercitus magnitudinem, *Foris*, qui habitant in suburbanis, *Angeli pacis*, legati Ezechiae ad Rapsacem: *Isa. 36. Hiere. 8. Ecce vox clamoris filiae populi mei de terra longinqua*. Quantum ad solitudinem viarum, *Dissipatae: Thre. 2. Viae Syon lugent, eo quod non est qui veniat ad solemnitatem*. Quantum ad infrictionem pactorum, *Irritum factum est pactum*, scilicet quo Senacherib assecuraverat. Et ideo, *Proiecit*,

quasi contemnens eorum amicitiam, *Non reputavit*, praesumptione cordis sui: *Iob 39. Absorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem.* Quantum ad destructionem regionum, *Luxit, et elanguit.* Et ponit praecipue fertiles regiones. Secundo ponit divinam resistentiam conatibus eius, *Nunc consurgam.* Et circa hoc tria ponit. Ex parte Dei resistentis propositum, *Nunc*, scilicet post tanta mala, quae fecit: *Consurgam*, contra improbos: *Ps. 11. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Secundo ponit frustratum Assyriorum consilium, *Concipietis*, idest cogitabitis alios ardere, *Parietis stipulam*, idest hoc sequetur, quod vos comburemini: *Spiritus vester*, idest indignatio, *Vorabit*, scilicet carnem sub corio: *Ps. 12. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit.* Tertio ponit resistentiae, sive poenae modum, *Et erunt populi*, quia ad literam corpora eorum sunt in cinerem redacta, *Spinae*, idest Assyrii, quia alios lacerabant: *Mala. ult. Calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum eorum. Audita* etc. Hic invitat ad tanti facti considerationem. Et primo ad considerandum liberantis divinae potentiae magnitudinem. Secundo ad considerandum liberatae civitatis dignitatem, ibi, *Respice Syon* etc. Circa primum duo. Primo invitat ad considerationem suae potentiae, *Audite: Isa. 49. Audite insulae, et attendite populi de longe.* Secundo ostendit potentiae signum, *Contriti sunt peccatores*, Assyrii scilicet: *Hier. 19. Conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli. Quis poterit* ete. Hic invitat ad considerandum idoneitatem eius, qui habitat cum Deo, ut ab ipso semper protegatur illaesus. Et primo inquirit idoneum. Secundo excludit indignum, ibi, *Ubi est literatus* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit quaestionem, *Cum igne devorante*, Deo scilicet, ut ab ipso non devoretur, sicut Assyrii: *Deut. 4. Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Secundo ostendit idoneitatem removens tria, ad quae Iudaei proni erant, scilicet avaritiam, quantum ad iniuste ablata, *Ex calumnia.* Et illiberalitatem, quantum ad accepta, *Et excutit.* Secundo quantum ad crudelitatem in homicidiis, *Qui obturat.* Tertio quantum ad luxuriam, *Et claudit oculos... Iste in excelsis*, scilicet cum Deo. Tertio ostendit huius habitationis utilitatem, quantum ad quatuor. Et primo quantum ad altitudinem securam, quod tamen est contra consuetudinem altitudinis, *Munimenta: Iob 39. In petris manet, in praeruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.* Secundo quantum ad satietatem plenam, *Panis: Gen. ult. Asser panis pinguis.* Tertio quantum ad Dei visionem, *Regem*, idest Deum: *Cant. 3. Egredimini filiae Syon, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Quarto quantum ad affectionem sanctam, scilicet contemptum terrenorum, *Oculi eius de longe*, quasi longe sub se positam per indignationem. Et quantum ad divinam subiectionem, *Cor tuum timorem*, filialem, *Eccl. 1. Timor Domini delectabit cor.* Et possunt haec exponi quantum ad eos, qui habitant cum Deo in praesenti ecclesia, vel triumphante. Vel aliter, *Terram*, scilicet viventium: *Ps. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium. De longe*, quasi longe supra dignitatem naturae, vel idoneitatem multorum, nunc in spe, in futuro in re, et sic se tenet cum tertia. Nota super illo verbo, *Spiritus vester ut ignis*, quia Deus dicitur ignis primo purgans: *Matth. 3. Baptizabit vos Spiritu sancto, et igne.* Secundo inflammans: *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram.* Tertio condemnans: *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Item nota super illo verbo, *Iste in excelsis habitabit*, quod sancti habitant cum Deo primo propter puritatem actionis: *Ps. 100. Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum.* Secundo per haesionem amoris: *Io. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Tertio per eminentiam contemplationis: *Philip. 4. Nostra conversatio in caelis est.* Quarto per gloriam fruitionis: *Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Ubi est liberatus* etc. Hic excludit indignum quantum ad illos, qui praecipue digni videbantur. Et primo eminentes in sapientia, *Ubi est literatus*, eruditus in philosophia, *Ubi legens verba*, eruditus in scientia divina. *Doctor*, instruens alios in erudimentis utriusque: *1. Cor. 1. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi doctus?* Secundo eminentes in eloquentia, sed non sapientia, *Populum alti sermonis: Hier. 5. Ecce ego adducam super vos gentem, cuius ignorabitis linguam. Respice* etc. Hic inducit ad considerandum liberatae civitatis dignitatem. Et primo quantum ad copiam bonorum, ponens quatuor quae sunt in caelesti, vel militanti ecclesia, scilicet cordium laetitiam, *Civitatem solemnitatis: Supra 30. Sicut vox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis.* Rerum opulentiam, *Oculi tui videbunt: Supra 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta.* Immobilitatis gratiam, *Tabernaculum clavi.* Loquitur secundum similitudinem tabernaculi, quod affigitur clavis, et funibus, qui dissolvuntur quando transferri debet: *Dan. 7. Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* Et huius assignat rationem, quia, *Solummodo Dominus*, est, qui valet transferre, et alii non potuerunt: *Ps. 47. Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* Aquarum abundantiam, *Locus fluviorum*, idest divinarum monitionum, *Rivi*, diversi modi participationum: *Ps. 45. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Hoc tamen Iudaei totum fabulose referunt ad auream Hierusalem. Secundo quantum ad immunitatem malorum, *Non transibit remigum*, quorumlibet hostium, qui quandoque consueverant per mare terram promissionis infestare, *Trieris*, navis habens tres ordines remorum. Et assignat causam, *Dominus enim iudex*, iudicans ab adversariis: *Zac. 9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Laxati* etc. Hic praedicit ingratorum Iudaeorum destructionem, primo a Romanis factam. Et ponit tria. Primo impotentiam ad resistendum, *Laxati*, idest praeparati, *Funiculi*, ut te contra Romanos defendas. Loquitur secundum similitudinem navis quae paratur ad eundum: *Malus*, arbor navis, idest templum in quo pretiosa vasa, et vela fuisse noscitur: *Thren. 1. Dedit me Dominus in manus, de qua non potero fugere.* Secundo direptionem spoliorum ab hostibus, *Tunc dividentur*, a Romanis, *Claudi*; quasi dicat, Nullus erit sic impotens inter eos, quin praedam vestram diripiat: *Ioel. 3. Infirmus dicat, quia ego fortis sum.* Tertio remissionem peccatorum hostibus, *Po-*

*pulus*, scilicet Romanus iustificatus, comparatione malitiae Iudaeorum: *Ezec. 16. Iustificasti sorores tuas, in omnibus abominationibus tuis quas operata es.* Vel loquitur contra Idumaeos, qui non poterunt praevalere contra Iudaeos, sed magis ab ipsis spoliabuntur tempore Machabaeorum, et populo Iudaeorum remittetur iniquitas: *Isa. 40. Completa est malitia eius.*

## a CAP. XXXIV.

Accedite gentes, et audite, et populi attendite; audiat terra, et plenitudo eius, orbis, et omne germen eius, quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super universam malitiam eorum. Interfecit eos, et dedit eos in occisionem. Interfecti eorum proiicientur, et de cadaveribus eorum ascendet foetor. Tabescent montes a sanguine eorum. Et tabescet omnis militia caelorum, et complicabuntur sicut liber caeli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, et de ficu. Quoniam inebriatus est in caelo gladius meus. Ecce super Idumaeam descendet, et super populum interfectionis meae ad iudicium. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum, et de sanguine medullatorum arietum. Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium, quia dies ultionis Domini, annus retributionis iudicii Syon. Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur. Et erit terra eius in picem ardentem nocte, et die, non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius a generatione in generationem, desolabitur in saecula saeculorum. Non erit transiens per eam, et possidebunt eam onocratulus, et ericius: ibis, et corvus habitabunt in ea. Et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem. Nobiles eius non erunt ibi: regem potius invocabunt, et omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius spinae, et urticae, et paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. Et occurrent daemonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra eius. Illic congregati sunt milvi, alter ad alterum. Requirite diligenter in libro Domini, et legite, unum ex eis non defuit, alter alterum non quaesivit: quia quod ex ore meo procedit ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. Et ipse misit eis sortem, et manus eius divisit eam illis in mensuram. Usque in aeternum possidebunt eam, in generationem, et generationem habitabunt in ea.

## a CAP. XXXIV.

In parte ista comminatur his qui fuerunt Assyriis coadiutores. Et primo omnibus. Secundo specialiter Idumaeis, ibi, *Ecce super Idumaeam* etc. Circa primum duo. Primo excitat attentionem, et attentionis ordinem, ut accedentes appropinquent, propinqui audientes attendant, *Isa. 49. Audite insulae, et attendite populi de longe.* Et ponit convocatorum universalitatem, *Audiat terra*, quantum ad mediocres: continens pro contento, *Plenitudo*, quantum ad maiores, *Germen eius*, quantum ad minores. Omnibus est praeparatum ad annuntiandum, ut quod omnes possint audire ostendat: *Psal. 23. Domini est terra, et plenitudo eius.* Secundo ponit comminationem populorum, ponens iudicis, scilicet Dei, indignationem, *Quia indignatio: Supra 14. Haec manus extenta super omnes gentes.* Hominum necem, *Interfecit eos*, per auctoritatem, *Dedit*, quasi dicat, aliis ad interficiendum, sicut executoribus: *Zach. 11. Ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui cadaverum abiectionem. Interfecti proiicientur: Hier. 22. Sepultura asini sepelietur; Ioel. 2. Ascendet foetor eius, et ascendet putredo eius, quia superbe agit.* Secundo quantum ad tyrannorum cessationem, *Tabescent montes*, idest tyranni, *A sanguine*, idest propter culpam effusi sanguinis: *Isa. 64. A facie tua montes defluxerunt.* Tertio quantum ad destructionem idolorum: et circa hoc tria facit. Primo ponit cessaturum idolorum auxilium, *Tabescent .... caelorum*, aereorum, idest daemonum: vel ad literam, spiritus qui praesidebant syderibus secundum opinionem gentilium: *Supra 16. Movebuntur simulacra Aegypti.* Et in consiliis, inquantum scilicet divinabant in astris, *Et complicabuntur*, idest sicut in libro plicato non potest aliquid legi, ita nec in caelo poterunt mala eis futura praevidere: *Apo. 6. Caelum recessit sicut liber involutus.* Secundo ostendit cessaturum idolatriae cultum, *Et omnis militia.* Vel facilitatem impletionis praedictorum: *Apoc. 6. Stellae de caelo ceciderunt super terram.* Tertio ostendit utriusque effectum, *Quoniam gladius*, idest ultio, *Inebriatus est in caelo*, idest abundanter in daemonibus ultionem exercui, qui idolis praesidebant: *Deut. 52. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.* Nota super illo verbo, *Accedite*, quia homo accedit ad Deum per succeptionem gratiae: *Rom. 5. Accessum habemus per ipsum ad Deum.* Secundo per contemplationem divinae sapientiae: *Ps. 33. Accedite ad Deum, et illuminamini.* Tertio per ministerium obedientiae: *Ezech. 4. Filii Sadoch qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei.* Quarto per spiritum concordiae: *Eph. 2. Per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ecce super Idumaeam* etc. Hic comminatur specialiter Idumaeis, qui cum hostibus contra Hierusalem venerunt, sicut dicitur in Abdia, quando capiebant alieni exercitum: et circa hoc tria facit. Primo comminatur hominum interfectionem. Secundo terrae destructionem, ibi, *Convertetur* etc. Tertio ponit utriusque confirmationem, ibi, *Respice* etc. Circa primum tria. Primo describit poenae aequitatem, *Ecce super Idumaeam*, ad opprimendam, *Inter-*

*fectionis*, idest digni a me interfici: *Hier. 49. Perditionem Esau adduxi super eum.* Secundo describit interfectionem quantum ad mediocres, ponens interfectorum diversitatem, *Gladius agnorum*, per quae omnia intelliguntur diversi gradus interfectorum: *Ezech. 21. Hic est gladius interfectionis magnae, qui obstupescere eos facit.* Et necis magnitudinem, *Victima*, idest quasi sicut in convivio magni regis, in quo multa animalia interficiuntur: *Ezec. 39. Ego immolo vobis victimam.* Et quantum ad maiores, ponens eorum occisionem, *Et descendent*, in mortem, *Unicornes*, animal est in quantitate, et tactu atrocissimum, habens cornu unum. Unde significat potentes monarchos: *Supra, Descendent fortes eius, et sublimes eius, gloriosique eius ad eum.* Et occasionis magnitudinem, *Inebriabitur: Ps. 101. Interfecta est de terra in sanguinibus.* Tertio ponit poenae rationem, *Dies iudicii Syon*, ut scilicet iudicetur Syon de Idumaeis: *Isa. 63. Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit.* Tamen secundum glossam, *Syon*, idest contra Syon. Unde omnia sequentia exponit de destructione Hierusalem facta per Romanos. *Et convertentur* etc. Hic ponit comminationem quantum ad terrae destructionem: et circa hoc tria facit. Primo praedicit destructionem. Secundo terrae destructae solitudinem, ibi, *Et desolabitur* etc. Tertio solitudinis horrorem, ibi, *Et erit cubile* etc. Circa primum duo ponit. Primo destructionem, *Convertentur*, idest ita tota terra comburetur ab hostibus, ac si aqua esset, *Pix*, et terra, *Sulphur: Ps. 10. Ignis, sulphur, et spiritus procellarum.* Secundo ponit destructionis durationem, *Non extinguetur*, idest affectus illius incendii manebit semper, *Fumus*, signum in memoriam praesentis incendii: *Apoc. 19. Fumus eius ascendet in saecula saeculorum.* Et hoc intelligendum est, manente causa combustionis, scilicet peccato: sic enim conditionaliter exponendae sunt omnes huiusmodi prophetiae, secundum quod ipsemet Dominus exponit se *Hier. 18. Repente loquar adversum gentem, et adversum regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi. Desolabitur* etc. Hic ponit solitudinem. Et primo praedicit rationem, vel solitudinem quantum ad habitatores, *Desolabitur: Thren. 1. Posuit me desolatam, tota die maerore confectam.* Quantum ad viatores, *Non erit transitus: Hier. 49. Non manebit ibi vir, et non incolet eam filius hominis.* Quantum ad bestiarum habitationem, *Et possidebit*, quasi sine timore, *Onocrotalus*, idem est quod pellicanus, *Ibis*, avis serpentibus inimica. Est ibex ibicis, quadruplex. Ibis ibicis, avis. Et invidus, ibis: *Ps. 103. Erodii domus dux est eorum, petra refugium erinaciis.* Secundo ponit solitudinis aequitatem. Et primo aequitatis iudicium, *Extendetur mensura*, poenae contra mensuram culpae, *Perpendiculum*, regula caementarii: *Supra 27. In mensura contra mensuram, cum adiecta fuerit, iudicabit eam.* Secundo ponit iudicii modum, *Nobiles eius*, in quibus gloriabantur: *Soph. 3. Auferam de medio tui magniloquos superbiae tuae. Orientur in domibus*, quas nimis ruinosas aedificabant. *Et paliurus*, quaedam herba multarum spinarum quae palliis adhaeret lata habens folia: *Ose. 9. Desiderabile argentum eorum, urtica haereditabit, lappa in tabernaculis eorum;* ut sic, *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum haberet tormentum, Apoc. 19. Et erit* etc. Hic ostendit horrorem solitudinis ex monstris, quae ibi habitabunt: *Daemonia*, daemonum monstra quae in desertis plurimum apparent: *Onocentaurus*, qui est medius asinus, et medius equus, vel illud est daemon potius quam naturale animal, *Pilosus*, simia, vel homo sylvester, vel daemon incubus, *Lamia*, habens caetera membra feminea, pedes equinos: *Alter ad alterum*, clamabit: *Supra 13. Requiescent ibi bestiae, et replebuntur domos eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones. Requirite* etc. Hic confirmat omnia, quae dicta sunt ex auctoritate divinae inspirationis, *Requirite*, vos qui futuri estis in libro Domini, idest in hoc libro, quem ego a Domino didici, *Unum ex eis non defuit*, idest omnia monstra, quae dixi erunt ibi, *Alter ad alterum*, mas ad feminam, *Da*, scilicet monstra marem, et feminam, *Sortem*, distribuens singulis loca apta ad manendum: *Luc. 21. Caelum, et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Vel si exponatur de Iudaea, intelliguntur per haec diversa monstra diversi gentilium errores, qui ibi a colentibus Romanis introducti sunt.

## a CAP. XXXV.

Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda, et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere. Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine, et quae erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, et iunci, et erit ibi semita, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et haec erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi. Et ambulabunt, qui liberati fuerint, et redempti a Domino, convertentur, et venient in Syon cum laude, et laetitia sempiterna super caput eorum. Gaudium, et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor, et gemitus.

## a CAP. XXXV.

In parte ista ponit effectum prosperitatis consequentis in Iudaeis ex destructione hostium: et dividitur in partes duas. In prima ponitur promissio consolans. In secunda exhortatio confortans, ibi, *Confortate ma-*

*nus* etc. Circa primum tria. Primo ponit hominum iucunditatem, quam comparat prato florenti, qui quidem habet pulchritudinem in floribus : unde dicit, *Deserta*, idest terra Iudaeorum, quae post vastantibus Assyriis erat huiusmodi. Methonimice, idest ipsi homines, *Quasi lilium*, quod est pulcherrimus flos, et diu durat: *Eccl. 39. Florens floreas quasi lilium.* Habet etiam pulchritudinem in germine; unde dicit, *Germinans* : *Ps. 91. Iustus germinabit sicut lilium* : sicut enim germen ex flore, ita exterior iucunditas ex cordis laetitia. Secundo promittit terrae fertilitatem, *Gloria Libani*, idest fertilitas diversarum rerum, quae est gloria horum locorum, erit in terra promissionis: *Ose. ult. Erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani.* Tertio utriusque propinquitatem, *Ipsi*, idest non differetur ad tempora filiorum: *Supra 33. Regem in decore suo videbunt. Confortate manus* etc. Hic ponitur exhortatio confortans: et circa hoc tria facit. Primo ponitur officii exhortandi iniunctio, *Confortate manus*, in quo debilitas ad operandum, *Genua debilia*, trementia, in quo debilitas ad sustinendum: *Hebr. 12. Remissas manus, et soluta genua erigite.* Secundo ponitur ipsa confortatio, *Dicite pusillanimis*: *Luc. 12. Nolite timere pusillus grex.* Tertio assignatur confortationis ratio. Et primo quantum ad remunerationem malorum, liberando ab hostibus, *Ecce Deus;* et sanando a languoribus, *Tunc aperientur.* Et sunt metaphoricae locutiones, si referantur ad tempus post destructionem Assyriorum, ut intelligantur spirituales defectus, ut supra. Vel ad literam, si referantur ad Christi adventum, sicut *Io. 11. Caeci vident, claudi ambulant.* Secundo quantum ad collationem bonorum quadrupliciter. Primo quantum ad abundantiam aquarum, *Quia scissae sunt*, metaphora, quae pro consolationibus. Vel quia multum pluet, ut sit magna fertilitas: *Ps. 106. Posuit desertum in stagna aquarum.* Secundo pulchritudinem camporum, *In cubilibus*, idest terra, quae prius erat deserta, ita ut haec animalia inhabitarent, erit culta, *Viror calami*, quae in locis virentibus oriuntur: *Iob 40. Sub umbra dormit, in secreto calami.* Tertio quantum ad restaurationem viarum, ponens viae sanctitatem, *Et erit ibi semita*, in terra Iuda, *Semita*, ducens ad templum, *Pollutus* gentilis sicut ante. Vel mystice de ecclesia militante, vel triumphante: *Apoc. 21. Non ingredietur in ea pollutus, et immundus.* Ponit etiam rectitudinem, *Et haec erit ... stulti*, idest quantumcumque simplices non errabunt, propter multitudinem transeuntium: *Hier. 21. Adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terrae.* Ponit etiam viae securitatem, *Non erit ibi leo: Supra 11. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo.* Et ponit viarum frequentationem, *Et redempti*, a praecedentibus periculis: *Baruch 3. Ecce enim venient filii tui, quos dimisisti dispersos.* Quarto promittit eis laetitiam cordium, *Laetitia sempiterna: Supra 25. Auferet lacrymam tuam* etc. Ostenditur etiam communiter laetitia sanctorum in patria, quia, *Sempiterna*, quia plena, *Obtinebunt*, quia pura, *Fugiet dolor, et gemitus: Apoc. 20. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor.* Nota super illo verbo, *Florebit quasi lilium*, quia sancti comparantur liliis primo propter stipitis altitudinem, ex quo constantia in adversis: *Can. 1. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Secundo propter odoris suavitatem, ex quo bona fama: *Eccl. 29. Florete flores quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam.* Tertio propter humoris virorem, ex quo virtus mentis: *Eccl. 5. Quasi lilia in transitu aquae.* Quarto propter connexionem, ex quo sanctorum caritas : *Can. 7. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Item nota, quod haec lilia Christus vestit quantum ad virtutum initia: *Matt. 6. Considerate lilia agri, quoniam non texunt, neque nent, et Pater vester vestit illa.* Secundo colligit ad aeterna praemia: *Cant. 6. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, et lilia colligat.* Tertio in eis requiescit per complacentiam: *Cant. 6. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Quarto quia ipse est lilium: *Cant. 2. Ego flos campi, et lilium convallium.*

## a CAP. XXXVI.

Et factum est in quartodecimo anno regis Ezechiae, ascendit Senacheribus rex Assyriorum super omnes civitates Iuda munitas, et cepit eas. Et misit rex Assyriorum Rapsacem de Lachis in Hierusalem ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquaeductu piscinae superioris in via agri fullonis. Et egressus est ad eum Eliachim filius Helciae, qui erat super domum et Sobna scriba, et Ioahe filius Sapha a commentariis. Et dixit ad eos Rapsaces: Dicite Ezechiae: Haec dicit rex magnus, rex Assyriorum. Quae est ista fiducia, qua confidis? Aut quo consilio, vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? Et confidis super baculum arundineum confractum istum super Aegyptum; cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, et perforabit eam: sic Pharao rex Aegypti, omnibus qui confidunt in eo. Quod si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus, nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa, et altaria, et dixit Iudae, et Hierusalem coram altari isto adorabitis? Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te praebere ascensores eorum. Et quomodo sustinebis faciem iudicis unius loci ex servis Domini mei minoribus? Quod si confidis in Aegypto, in quadriga, et in equitibus: et nunc nunquid sine Domino ascendi ad terram istam ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam et disperde eam. Ex dixit Eliachim, et Sobna, et Ioahe ad Rapsacem: Loquere ad servos tuos Syra lingua: intelligimus enim. Ne loquaris ad nos Iudaice in auribus populi, qui est super murum. Et dixit ad eos Rapsaces: Numquid ad Dominum tuum, et ad te misit me Dominus meus, ut loquerer

omnia verba ista, et non potius ad viros, qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? Et stetit Rapsaces, et clamavit voce magna Iudaice, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Haec dicit rex: Non vos seducat Ezechias, quia non poterit eruere vos. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas in manu regis Assyriorum. Nolite audire Ezechiam. Haec enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque aquam cisternae suae, donec veniam, et tollam vos ad terram, quae est terra vestra, terram frumenti, et vini, terram panum, et vinearum. Nec conturbet vos Ezechias, dicens, Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? Ubi est Deus Emath, et Arphad? Ubi est Deus Sepharvaim? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Hierusalem de manu mea? Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex dicens, ne respondeatis ei. Et ingressus est Eliacim filius Helciae, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Ioahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rapsacis?

## a CAP. XXXVI.

Hic narrat in modum historiae destructionem Assyriorum. Et primo ponit historiae gesta. Secundo quaedam ex historia occasionata, *c. 38. In diebus* etc. Prima in duas. Primo ponitur culpa, quam a Deo sustinuit, ibi, *Egressus* etc. Offendit autem tripliciter. Primo bellis. Secundo nuntiis, ibi, *Et misit rex* etc. Tertio epistolis, *c. 37.* ibi, *Quod cum audisset* etc. *Abacuch 1. Ecce ego suscitabo Chaldaeos gentem amaram, et velocem ambulantem super latitudinem terrae. Et misit* etc. Hic ostendit, qualiter offendit Iudaeos comminando per nuntios. Et primo ponitur nuntiorum congregatio. Secundo ipsorum collocutio, ibi, *Et dixit* etc. Circa primum duo facit. Primo describitur nuntius Assyriorum, *Rapsacem*, quem dicunt fuisse filium Isaiae, alii Samaritanum, *In aquaeductu*, de hoc *supra 7.* Secundo describuntur nuntii Iudaeorum, ibi, *Et egressus ad eum Eliacim* etc. qui successit Sobne, qui tradidit inferiorem partem civitatis Assyriis, ut *supra 22. Sobna*, non ille de quo supra, *A commentariis.* Cancellarius regis, qui gesta in scriptum redigebat, ad memorandum regi. Unde commentor a comminiscor. *Et dixit* etc. Hic ponitur nuntiorum collocutio: et circa hoc duo facit. Primo ponitur prolocutio Rapsacis ad nuntios. Secundo ad alios, ibi, *Et stetit* etc. Circa primum tria. Primo ponitur ipsius Rapsacis allocutio, in qua intendit astruere Ezechiae infirmitatem ad resistendum, excludendo defensionem Ægyptiorum, *Confidis in arundine*, derisorie, quia in Ægypto multae arundines sunt. Vel hoc dicit, quia Aegyptii tales erant: *Ezech 26. Fuisti baculus arundineus domui Israel.* Sed falsum erat, quod Ezechias confideret in eis, excludendo etiam auxilium divinum. *Quia si responderis .... cuius abstulit.* Quod fecit pro religione, pervertit in sacrilegium: *Deut. 12. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris.* Excludendo etiam robur proprium, *Et nunc trade*, quasi dicat, nec equos habes, aut equites, ut uni principum exercitus resistere possis: *Supra 33. Proiecit civitates.* Offert etiam Senacheribus potestatem ad pugnandum, ex praecepto Domini, *Quia confidis.* Secundo ponitur aliorum responsio, *Et dixit Eliacim, in auribus populi*, ne perturbetur, scientes quod dicitur *Prov. 11. In benedictione iustorum exaltabitur civitas, et ore impiorum subvertetur.* Tertio ponitur responsionis irrisio, *Et dixit ad eos: Urinam*, quae fluit ad pedes: *Thren. 4. Qui nutriebantur voluptuose, amplexati sunt stercora. Et stetit Rapsaces* etc. Hic ponitur allocutio impii ad populum. Et primo ponit stultum impii verbum, in quo terret minis, *Non poterit: Iudith 5. Quis est iste qui filios Israel posse dicat resistere Nabuchodonosor?* Secundo allicit promissis, *Haec dicit rex, benedictionem*, idest pactum, quod vertetur in vestram benedictionum. Vel benedicite me sicut Dominum vestrum, *Veniamque de Aegypto*, ad terram scilicet Medorum: *Gen. 27. Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti, vini, et olei.* Provocat exemplo, *Nec conturbet vos: Dan. 11. Elevabitur, et magnificabitur.* Secundo ponitur despecti populi silentium, *Et siluerunt: Prov. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi similis videaris. Praeceperat*, ne verba blasphemiae multiplicaret, aut populum deciperet. *Et ingressus* etc. Hic ponitur discessio nuntiorum ab invicem. Et primo reditus Iudaeorum ad Ezechiam. Secundo reditus Rapsacis ad Senacheribus, *Reversus est autem.* Circa primum duo. Primo ponitur reditus nuntiorum, et blasphemiae renunciatio. Secundo ponitur Ezechiae oratio, ibi, *Et factum est cum audisset, scidit vestimenta* etc. pro audita blasphemia, quod erat mos Iudaeorum, ut patet *Matthei 26. Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua* etc.

## a CAP. XXXVII.

Et factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini. Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam, et dixerunt ad eum: Haec dicit Ezechias: Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiae dies haec, quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rapsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus

ad blasphemandum Dominum Deum viventem, et exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus. Leva ergo orationem pro reliquiis, quae repertae sunt. Et venerunt servi regis Ezechiae ad Isaiam, et dixit ad eos Isaias: Haec dicetis Domino vestro: Haec dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quae audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua. Reversus est autem Rapsaces, et invenit regem Assyriorum praeliantem adversus Lobnam. Audierat enim, quia profectus esset de Lachis. Et audivit de Tharaca rege Aethiopiae dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam dicens: Haec dicetis Ezechiae regi Iudae, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens, non dabitur Hierusalem in manu regis Assyriorum. Ecce tu audisti omnia, quae fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt, et tu poteris liberari? Numquid eruerunt eos dii gentium quos subverterunt patres mei, Gozam, et Haran, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thalassar? Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex urbis Sepharvaim, Ana, et Ava? Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum; et legit eos, et ascendit in domum Domini, et expandit eos coram Domino. Et oravit ad Dominum dicens: Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terrae, tu fecisti caelum et terram. Inclina Domine aurem tuam, et audi, et aperi oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Senacheribus, quae misit ad blasphemandum Deum viventem. Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum: et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum, lapis, et comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu eius, ut cognoscant omnia regna terrae, quia tu es Dominus solus. Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Senacheribus rege Assyriorum, hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum: Despexit te, et subsannavit te virgo filia Syon: post te caput movit filia Hierusalem. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem tuam, et levasti altitudinem oculorum tuorum. Ad sanctum Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani, et succidam excelsa cedrorum eius, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis eius, saltum Carmeli eius. Ego fodi, et bibi aquam et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. Numquid non audisti, quae olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmavi illud: et nunc adduxi, et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum. Habitatores earum breviata manu contremueruut, et confusi sunt, facti sunt sicut foenum agri, et gramen pascuae, et herba tectorum, qui exaruit antequam maturesceret. Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum ego cognovi, et insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in auribus tuis, et fraenum in labiis tuis, et reducam te in via, per quam venisti. Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quae sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere. In anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. Et mittet id quod salvatum fuerat de domo Iuda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum, quia de Hierusalem exibunt reliquiae, et salvatio de monte Syon: zelus Domini exercituum faciet istud. Propterea haec dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit civitatem hanc, et non iaciet ibi sagittam, et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Et protegam civitatem istam ut salvem eam propter me, et propter David servum meum. Egressus est autem angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum. Et egressus est, et abiit. Et reversus est Senacheribus rex Assyriorum, et habitavit in Ninive. Et factum est cum adoraret in templo Neroch Deum suum, Adramelech, et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Arath, et regnavit Asarhaddon filius eius pro eo.

## CAP. XXXVII.

In parte Ista ostendit quomodo Ezechias contra blasphemias humilitate, et orationibus pugnavit: et circa hoc tria facit. Primo recitat quomodo petiit orationis locum, assumens humilitatis habitum, *Et obvolutus est sacco: Ionae 3. Pervenit verbum ad regem, et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.* Secundo non praesumens per se orationem Deo effundere, petiit orationis suffragium per nuntios a propheta; ubi recitat nuntiorum missionem, *Et misit Eliacim: Supra 8. Nunquid non populus a Deo suo requiret visionem?* Exponunt nuntii tribulationem, et debent sic legi: *Et venerunt, et dixerunt, dies tribulationis*, idest quam patimur in exterioribus tribulationibus: *Et angustiae*, quantum ad cordis dolorem, *Correptionis*, divinae, *Et blasphemiae*, hostium, *Venerunt*

*filii*, idest conceptiones consiliorum, *Pariendi*, explendi. Vel ita dolemus sicut parturientes: *Soph. 1. Dies irae dies illa, tribulationis, et angustiae.* Porrigunt petitionem ut sic ordinetur, *Leva ergo si quomodo: Hier. 42. Ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis.* Tertio ostendit prophetae responsum, *Et dixit ad eos*, in quo excludit regis timorem, *Ne timeas: Hiere. 1. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum:* et praedicit regis Senacheribus mortem, *Ecce ego: Apo. 23. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Reversus est autem.* Hic ponit reditum Rapsacis ad Senacheribus, et planum est. *Et audivit* etc. Hic recitat, quomodo offendit eos comminando per epistolas: et circa hoc tria facit. Primo ponit superbam illius comminationem, *Et audivit de Tharaca*, qui egressus in auxilium Aegyptiorum observavit exitum. Quod cum audisset, occurrit ei obviam, dimittens Iudaeam, et antequam recederet, scripsit: et Babyloniam postmodum vadens, et obsidens Pellusium in Aegypto, veniente rege Aethiopiae, noluit cum eo pugnare, dicens eum esse sacerdotem Plutonis derisorie, propter nigredinem: vel quia mures chordas arcuum corrodentes per exercitum eius illum immunem dimiserunt, *Supra 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli?* Secundo ponit Ezechiae orationem, praemittens receptionem epistolae. In qua oratione confitetur Dei potentiam per subiectionem angelorum, *Domine Deus exercituum: Iob 25. Nunquid est numerus militum eius?* per cultum Iudaeorum, *Deus Israel, qui sedes super Cherubim*, quia propitiatorium quod erat quasi sedes Dei, et etiam dabat responsa, erat super alas Cherubim: *Psal. 79. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse.* Sed cum tabernaculum sit dispositum secundum exemplar coelestis curiae, ut sumitur *Exod. 25.* videtur quod male dicatur sedere super Cherubim, sed magis super Thronos. Et dicendum, quod sedet super Cherubim, et Thronos, quia super Seraphin, qui sunt ultra eos. Vel secundum Gregorium, et Dionysium possidetur ibi singulariter; sed quod est inferiorum, attribuitur etiam superioribus eminenter. Unde proprietatem Thronorum eminentius habent Cherubin. Vel dicendum quod sedet super Thronos, sicut super sedem iudicii: super Cherubin, sicut super cathedram magistri, quia Cherubin interpretatur fusio scientiae. Et ob hoc congrue inde dicebantur dari responsa. Etiam ostendit Dei potentiam per dispositionem regnorum, *Tu es Deus solus: Dan. 6. Donec cognoscatur, qui potestatem habet super omnia regna.* Probat etiam per productionem creaturarum. *Tu fecisti: Psal. 145. Qui fecit coelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt.* Accusat etiam Senacheribus blasphemiam, *Inclina Domine: Iudic. 6. Domine Deus coeli, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem probans cum hoc blasphemiae stultitiam. Vere enim Domine: Psalm. 114. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* Petiit etiam tertio in hac oratione salutis misericordiam, *Et nunc Domine: Iudic. 9. Omnes gentes cognoscant, quia tu es Deus, et non est alius praeter te.* Tertio propheta promittit orationis exauditionem per nuntios, *Et misit Isaias.* Et circa hoc duo facit. Primo promittit hostium destructionem. Secundo civitatis liberationem, ibi, *Propterea haec dicit* etc. Circa primum tria. Primo ponit comminationem. Et primo destructionis interitum. Secundo ponit signum, ibi, *Tibi autem hoc erit* etc. Tertio ostendit destructionis fructum, ibi, *Et erit quod salvatum* etc. Circa primum duo. Primo comminatur poenam confusionis contra contemptum Iudaeorum, *Despexit*, quando tibi noluit respondere: *Movebit*, in futuro, quando aliis occisis cum paucis fugies: *Supra 33. Qui spernis, nonne et ipse sperneris? Iob 22. Videbunt iusti, et laetabuntur, et innocens subsannabit eos.* Secundo comminatur interitum destructionis contra culpam, quam in Deum commiserat: et circa hoc tria facit. Primo ponit culpam. Secundo assumit divinam potentiam, ibi, *Numquid non audisti* etc. Tertio concludit poenam, ibi, *Ponam ergo* etc. Circa primum arguit ipsum de duobus peccatis. Primo de blasphemia, *Cui exprobrasti*, verba Ezechiae ad Senacheribus; quasi dicat, non mihi, sed Deo: *Infra 57. Super quem lusisti, super quem dilatasti os, et eiecisti linguam?* Secundo arguit ipsum de superbia, quam conceperat ex magnitudine rerum factarum, *Et dixisti: in multitudine*, quasi mea, et non Dei virtute, *Iuga Libani*, summitates montium, idest potentium: *Deut. 32. Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* Ex magnitudine praepositorum, *Et succidam excelsa*, potentes in Iudaeis, *Altitudinem*, domum Domini, *Saltum*, populum: *Zach. 11. Aperi Libane portas tuas, et comedet ignis cedros tuos.* Ex multitudine pugnatorum, *Ego fodi;* quasi dicat, Tantum habeo exercitum, quod non sufficit mihi aqua quam invenio, nisi puteos fodiam. Vel metaphorice consolationes omnium gentium ego siccavi: *Ioel. 2. Quasi ortus voluptatis, terra coram eo.* Nota super illo verbo, *Leva ergo orationem*, quia levatur oratio primo per eminentiam contemplationis: *Psal. 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Secundo per fervorem affectus: *Thre. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelo.* Tertio propter lacrymas compunctionis: *Psal. 1. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quarto per studium bonae operationis: *Ps. 140. Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Numquid non audisti* etc. Hic assumit divinam potentiam, loquens in persona ipsius Dei. Et primo quantum ad aeternam praeordinationem, *Quae olim*, ab aeterno, *Fecerim*, idest proposuerim facere. Et de exaltatione et destructione, *Illud*, malum poenae, quod per ipsum inferre praevidi, et praedeterminavi. Secundo quantum ad aeterni propositi temporalem executionem, *Et nunc adduxi ... collium*, principum, *Compugnantium*, ad invicem, *Breviata*, idest retracta, *Manu*, mea ab auxilio eorum, vel diminuta manu ipsorum a sui auxilio, *Et herba rectorum: Psal. 128. Fiant sicut faenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* Tertio quantum ad omnium factorum cogitationem, *Habitationem*, idest sedem regni, *Introitum*, in terram Iudaeorum: *Iob 34. Oculi eius super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. Ponam ergo* etc. Hic concludit poenam, *Circulum*, sicut bubalo, *Fraenum*, sicut equo, idest po-

tentia divinitatis refraenando: *Iob 30. Pharetram suam aperuit, et afflixit me, et fraenum posuit in os meum.* Nota super illo verbo, *Ponam fraenum*, quia est fraenum primo discretionis : *Iacob. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Secundo divinae gubernationis : *Isa. 48. Laude mea infraenabo te , ne intereas.* Tertio diabolicae deceptionis: *Supra 30 Fraenum erroris, quod erat in maxillis populorum.* Quarto aeternae damnationis : *Ps. 31. In camo et fraeno maxillas eorum constringe.* Quinto temporalis afflictionis: *Iob 20. Pharetram suam aperuit, et afflixit me, et fraenum posuit in os meum. Tibi autem hoc erit signum* etc. Hic ponit signum. Venerat enim exercitus Assyriorum imminente messe : unde fructus non potuerunt tunc colligere , et fuerunt in terra usque post tempus seminationis. Unde etiam seminare non potuerunt. Sic ergo eis dicitur, quod illa anni parte residua, eunte Senacheribus in Aegyptum comedant, *Quae sponte nascuntur*, ut *4. Reg. 20.* scilicet ex granis conculcatis ungulis equorum , et quadrigis. Vel quaecunque repereris in horreis , prius ante obsidionem congregata. Vel quae severas secundum septuaginta , quae remanserunt conculcata in agris. *In secundo anno*, existente eo in Aegypto, quia per annum stetit , quia nihil recolliges cum nihil seminaveris. *Pomis.* Vel quae sponte nascuntur , ut *in li. 4. Re. 20. Et in isto secundo anno destruetur Assyrius , et sic in tertio anno habebis potestatem seminandi , et congregandi.* Vel secundum Andream, hoc est consilium, *Et hoc erit signum* , refertur ad praecedentia. *Et mittet.* Hic ponit destructionis fructum. Primo ponens similitudinem arboris, quae multos fructus affert, si in terra profundantur radices: *Hier. 17. Erit quasi lignum , quod ad humorem mittit radices.* Secundo ponit expositionem, *Quia de Hierusalem: Infra 46. Dabo in Syon salutem, et in Hierusalem gloriam meam.* Tertio assignat rationem , *Zelus. Propterea* etc. Hic promittit liberationem, *Non introibit*, sicut proposuit: *Supra 8. Inite consilium, et dissipabitur: loquimini verbum, et non fiet.* Et assignat rationem, *Et protegam, propter me: Infra 48. Propter me faciam , ut non blasphemer. Et propter David : Psal. 121. Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Egressus est autem* etc. Hic ponit poenam , quam a Deo sustinuit. Et primo quantum ad exercitus occisionem, *Et percussit: Supra 33. A voce angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersae sunt gentes.* Secundo quantum ad residuorum perturbationem, et fugam, *Et surrexerunt: Supra 33. Ecce turbatio.* Tertio quantum ad ipsius occisionem, *Et factum est cum adoraret.* Andramelech, et Sarasar primogeniti eius invidentes fratri minori , quem substituere volebat, qui erat ex alia matre natus. Et sic iustus de angustia liberatus est.

## a CAP. XXXVIII.

In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem , et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei: Haec dicit Dominus: Dispone domui tuae, quia morieris tu , et non vives. Et convertit Ezechias faciem ad Dominum, et dixit: Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis, fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. Et factum est verbum Domini ad Isaiam dicens: Vade, et dic Ezechiae: Haec dicit Dominus Deus David patris tui. Audivi orationem tuam , et vidi lacrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu Regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. Hoc autem tibi erit signum a Domino , quia faciet Dominus verbum hoc , quod locutus est. Ecce ego reverti faciam umbram linearum , per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum , decem lineis. Et reversus est sol decem lineis , per gradus quos descenderat. Scriptura Ezechiae regis Iuda, cum aegrotasset, et convaluisset de infirmitate sua. Ego dixi , in dimidio dierum meorum , vadam ad portas inferi. Quaesivi residuum annorum. Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium: non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. Praecisa est velut a texente via mea, dum adhuc ordirer, succidit me. De mane usque ad vesperam finies me. Sperabam usque ad mane. Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. De mane usque ad vesperam finies me. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor, ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine vim patior, responde pro me. Quid dicam , aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. Domine si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei. Corripies me, et vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Quia non infernus confitebitur tibi , neque mors laudabit te , non expectabunt , qui descendunt in lacum veritatem tuam. Vivens, vivens, ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie. Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Domine salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae, in domo Domini. Et iussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, et cathaplasmarent super vulnus, et sanaretur. Et dixit Ezechias: Quod erit signum , quia ascendam in domum Domini?

## a CAP. XXXVIII.

In parte ista ponit quaedam ex praedicta historia occasionata, scilicet infirmitatem Ezechiae, quam incurrit propter ingratitudinem, quia post tantam victoriam canticum gratiarum actionis non composuit, sicut moris erat: et dividitur in duas. In prima ponit ipsius aegritudinem. Secundo sanationem, *30. In tempore illo* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit aegritudinem. Secundo liberationem, ibi, *Et convertit* etc. Tertio liberationis ordinem, ibi, *Et misit Isaias* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit morbum, *Aegrotavit: Eccl. 31. Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Secundo ponit mortis nuncium, *Et introivit, Dispone*, ordinando quis tibi succedere debeat: *Eccl. 33. In die consummationis vitae tuae, et in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam.* Sed contra hoc obiicitur, quia postmodum vixit, et non mortuus est. Ergo huic prophetiae, *Morieris*, subfuit falsum, nec fuit immobili veritate denuncians rerum eventus. Et dicendum, quod cum omnium quae fiunt in toto decursu temporis, rationes ab aeterno in Deo fuerint, quaedam fuerunt inditae rebus, quae explicantur per opus naturae et voluntatis: quaedam apud se tantum retinuit, ut ea quae vellet in actum educeret. Videntes igitur prophetae in speculo aeternitatis vident de utrisque quantum Deus vult revelare. Fuerunt igitur Isaiae revelatae illae rationes, quae rebus inditae erant, quae causae secundae inferiores faciunt, scilicet naturales et meritorias, secundum quas infirmitas Regis ad mortem ordinata erat. Et etiam quantum ad sensum, quem in verbis propheta habuit, verum, quia secundum causas inferiores ita erat. Similiter etiam quantum ad alium sensum, quem Spiritus sanctus intellexit, verum dixit, quia mortuus fuit illi ingratitudini, dum postmodum Deo debitas gratias egit, sicut et Ninive subversionem quantum ad statum iniquitatis, ut dicit Augustinus. *Et convertit* etc Hic ponit liberationem: et circa hoc tria ponit. Primo orationis praeparationem, *Ad parietem*, templi. Et circa hoc duo. Primo ponitur Ezechiae oratio. Secundo salutis promissio, ibi, *Et factum est* etc. Tertio gratiarum actiones, ibi, *Scriptura regis* etc. Circa primum tria ponit. Primo orationis praeparationem, *Ad parietem*, templi, vel domus suae, ut devotius et secretius oraret: *Ps. 85. In die tribulationis meae clamavi ad te, et exaudisti me.* Secundo ponit ipsam orationem. *Et oravit, memento*, ut pro bonis quae feci vitam mihi concedas: dicitur enim Deus oblitus, quando non retribuit, *In veritate*, cultus tui, *Corde perfecto*, quantum ad amorem. Sed contra: *Prov. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum?* Et dicendum, quod non dixit sibi esse cor perfectum simpliciter, sed quantum ad hoc, quod proiecit idola, ut dicitur *4. Reg. 18. Eccl. 11. In die malorum ne immemor sis bonorum* Tertio ponit orantis compunctionem, *Et flevit: Matt. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Iud. 10. Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Et factum est* etc. Hic ponitur salutis promissio. Et primo ponit orationis exauditionem, *Factum est*, antequam exiret mediam partem atrii, *4. Reg. 20. Audivi orationem, supra 30.* Secundo ponit promissionem, *Ecce ego adiiciam: Ps. 60. Dies super dies regis adiicies.* Tertio ponit confirmationem per signum, *Hoc autem erit in sole*, idest per motum solis, *Ex lineis*; quibus secundum motionem naturalem computabantur decem horae: *Et reversus*, scilicet subito: et sic ille dies artificialis habuit viginti horas, sed reduplicatus secundum glossam; si autem successive, sic remeavit per quatuor, et rediit per quatuor, et iterum per quatuor venit. Et sic dies ille habuit viginti duas horas fere triplicatus secundum Dionysium. Hoc autem factum est, vel omnibus aliis caelestibus corporibus retroeuntibus, vel solem breviorem viam, aut velociorem motum dicendum est habuisse, ut ad situm suum simul cum aliis perveniret: *Eccl. 46. An non in iracundia eius impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?* Et hoc signum competit signato: *Iob 11. Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Scriptura Ezechiae.* Hic ponitur gratiarum actio pro salute promissa. Et primo ponit titulum, *Scriptura*, scilicet haec est. Secundo ponit canticum, *Ego dixi:* in quo tria facit. Primo plangit periculum, quod evasit. Secundo commemorat beneficium, quod percepit, ibi, *Domine si sic* etc. Tertio petit complementum, quod Deus promisit, ibi, *Domine salvum.* Plangit autem tria. Primo mortis horrorem, *In dimidio*, idest in iuventute mea, *Ad portas inferi*, idest limbum, vel mortem, vel sepulcrum: *Eccl. ult. Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* Secundo plangit bonorum amissionem, quantum ad Dei iussionem, *Quaesivi a Domino*, quod suppleret, *Residuum*, mihi ablatum. Vel inquisivi apud me, quantum restaret mihi de vita, *Dixi*, apud me. *Non videbo*, per speciem modo adhuc, *In terra viventium*, in caelesti beatitudine: *Ps. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium.* Vel, *Non videbo*, ulterius videndo templum et cultum eius, *In terra viventium*, scilicet Iudaeorum: *Mat. 22. Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Etiam, quantum ad hominum societatem, *Non aspiciam hominem*, in hac vita viventem: *Hier. 49. Non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis.* Vel hominem Christum nobis promissum. Etiam, quantum ad filiorum posteritatem, *Generatio*, scilicet filiorum, quia nondum filios habebat, *Convoluta*, plicata ne ad posteros extendatur: *Supra 22. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui.* Etiam quantum ad vitae brevitatem: *Praecisa est velut a texente dum adhuc*, texendo telam imperfectam, *Ordirer*, in iuventute: *Iob 11. Dies mei velociores fuerunt cursore.* Tertio plangit cordis anxietatem. Et primo quantum ad mortis continuam expectationem, *De mane*, scilicet dicebam, *Usque ad vesperam finies me*, morte. Et tunc etiam non metuens, *Sperabam*, iterum, *Usque mane*, simul cum morte dolor aegritudinis finietur. *Quasi leo sic contrivit*, languor, vel ipse Deus per dolorem aegritudinis: *Iob 7. Si dormiero, dicam quando consurgam, et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras.* Secundo quantum ad spei dilationem, ubi ponit triplicem sperantis conditionem, *Sicut pullus hirundinis*, expectat matrem, quia non videt, *Ut columba: Nahum 2. Ancillae minabantur gementes, ut columbae.* Ponit etiam spei dilationem, *Attenuati*

*sunt*, quasi fatigati, *Suspicientes*, per spem: *Prov. 13. Spes quae differtur, affligit animam: Psal. 123. Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Ponit etiam quandam cum Deo disceptationem, *Domine vim patior*, quasi dicat, violentia fit mihi, ultra merita affligor, *Responde*, fide iubeas, *Pro me quid dicam*, quasi in se reversus, quid possem contra Deum proponere, *Aut quid respondebo*, quando oportet ad interrogata respondere, *Cum ipse fecerit*, me, vel poenam meam? *Iob 7. Si volueris contendere cum eo, non poteris respondere unum pro mille.* Tertio quantum ad praeteritorum recordationem, *Recogitabo tibi omnes annos*, in quibus bona passus sum; vel in quibus tibi peccavi: *Iob 7. Loquar in tribulatione spiritus mei.* Nota super illo verbo, *Attenuati sunt oculi*, quia oculi attenuantur primo per depressionem: *Supra 2. Oculi sublimes hominum humiliati sunt.* Secundo per luminis oppressionem: *Prover. 26. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Tertio propter cogitationis pravitatem: *Iob 36. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* Item super illo, *Suspicientes in excelsum*, quia sunt oculi excelsi primo per cordis elationem: *Psal. 130. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Secundo per inquisitionis curiositatem: *Iob 18. Quasi magna cogitans attonitos habes oculos.* Tertio per contemplationem: *Infra 40. Leva in excelsum oculos, et vide iucunditatem, quae veniet tibi. Domine si sic* etc. Hic commemorat beneficium quod suscepit. Et primo correptionem, *Si sic vivitur*, idest si tam misera est vita hominum; vel si per tribulationem acquiritur vita: *Prover. 6. Via vitae increpatio disciplinae*, exponit, *Ecce in pace*, quasi in populo habente eam ab Assyriis, *Amaritudo*, mihi imminet: *Prov. 14. Risus dolore miscebitur.* Secundo commemorat liberationem a poena, *Tu autem eruisti animam meam a culpa: proiecisti post tergum tuum*, vel meum, quasi oblivisceris, *Omnia peccata mea: Sapien. 11. Misereris omnium Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Tertio assignat liberationis rationem. Et primo quantum ad mortis inutilitatem, *Quia non infernus*, idest damnati, vel sepulti, *Mors*, diximus, vel mortui, *Veritatem*, promissorum, vel filium: *Ps. 5. Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Secundo quantum ad vivorum laudem, *Vivens, vivens*, ad maiorem affirmationem: vel propter duplicem vitam: *Ps. 113. Nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Tertio quantum ad divinae laudis propositionem, *Pater filiis: Ps. 77. Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Domine salvum me fac* etc. Hic petit expleri promissum, *Salvum me fac*, ab Assyriis, et a languore: *Ps. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et iussit Isaias* etc. Hic ponit sanationis ordinem, et hic transpositum est, et debet esse ante signi dationem, ut patet *4. Reg. 20.* Sed quia non intendit historiam, sed prophetiam, quae ad prophetiam pertinent, primo posuit: et primo ponit curationis modum, *Cataplasma*, idest emplastrum, *Vulnus*, a Deo inflictum, vel ulcus ex humore corrupto carne aperta: dicunt enim quod laborabat morbo regio, qui dicitur lupus, cui nocent ficus, et uva dulcis, ut curatio tota divinae potentiae attribueretur. Alii dicunt, quod erat apostema, quod est ex humoribus intus collectis nondum carne scissa, ad cuius maturationem ficus prosunt, ut ostendatur non esse semper supervacua necessaria medicina: *Eccl. 38. Pigmentarius faciet pigmenta suavitatis, et medicinam conficiet sanitatis.* Secundo Ezechiae ponitur signum, *Et dixit Ezechias: Quod erit signum: 1. Cor. 1. Iudaei signa petunt, Graeci sapientiam quaerunt.*

## a CAP. XXXIX.

In tempore illo misit Merodach Baladan filius Baladan Rex Babylonis libros et munera ad Ezechiam: audierat enim, quod aegrotasset, et convaluisset. Laetatus est autem super eis Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suae, et universa quae inventa sunt in thesauris eius. Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam Regem, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quae in domo mea sunt, viderunt. Non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quae in domo tua sunt, et quae thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus. Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax, et veritas in diebus meis.

## A CAP. XXXIX.

Hic ponit amicorum gratulationem ostensam in missione nunciorum, et munerum: et circa hoc tria facit. Primo ponit nunciorum missionem, *Rex Arabiae*, qui tunc suberat Assyriis, *Libros*, idest epistolas: *Audierat*, sed maxime propter signum, quod in solis reversione viderat: *Psalm. 71. Vivet, et dabitur ei de auro Arabiae.* Secundo ponit ipsius Ezechiae elationem inde conceptam, ponens elationis laetitiam, *Laetatus*, contra hoc, quod habetur *Iob 31. Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea.* Et elationem in opere, in ostentatione divitiarum suarum, *Et ostendit cellam aromatum*, quae dicuntur species odoriferae. Etiam locum, ubi sepeliebantur Reges, vel inferiorem partem domus saltus, quae erat ex alabastro, ubi optime huiusmodi conservantur, *Apothecas*, cellaria, *Ver-*

*bum*, res digna verbo, *In omni potestate sua*, quantum ad ea quae erant in templo, quae quidem erant in potestate Regis usurpata : *Eccl. 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multae enim sunt insidiae dolosi.* Tertio ponit elationis reprehensionem, *Et introivit.* Et primo ponit culpae inquisitionem, et inanimationem, *Non fuit res: Proverb. 20. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* Secundo comminatur poenam, *Et dixit Isaias*, quantum ad amissionem rerum, *Omnia quae in domo: Hier. 27. Haec dicit Dominus ad vos : Ecce ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Quantum ad filiorum servitutem, *Et de filiis*, quod dicunt impletum in Daniele et sociis, non quia corpore, sed mente et officio tales fuerunt: *Deut. 28. Fili tui et filiae tuae tradentur alteri populo.* Tertio ponit poenae acceptationem, *Et dixit Ezechias : Supra 26. Domine dabis pacem, quia in te speravimus.*

## a CAP. XL.

Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et asperas in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere foenum est populus. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, verbum autem Domini manet in aeternum. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Syon, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem. Exalta, noli timere : dic civitatibus Iudae: Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo, et opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit. Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera? Quis adiuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam iustitiae, et erudivit eum scientiam, et viam prudentiae ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia eius non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Numquid sculptile conflabit faber, aut artifex auro figurabit illud, et laminis argenteis argentarius? Forte lignum et imputribile elegit : artifex sapiens quaerit quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur. Numquid non scitis? Nunquid non audistis? Nunquid non annunciatum est vobis ab initio? Nunquid non intellexistis fundamenta terra? Qui sedet super gyrum terrae, et habitatores eius sunt quasi locustae. Qui extendit velut nihilum caelos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint, iudices terrae velut inane fecit. Et quidem neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum. Repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos. Et cui assimilastis me, et adaequastis, dicit sanctus? Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec. Qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat. Prae multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque eius, neque unum reliquum fuit. Quare dicis Iacob, et loqueris Israel, abscondita est vita mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transibit? Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terrae : non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiae eius. Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem, et robur multiplicat. Deficient pueri, et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient.

## a CAP. XL.

Haec est secunda pars principalis istius libri, in qua principaliter consolationem populi intendit per multa beneficia repromissa. Dividitur autem in duas. In prima inducit eos ad promissorum expectationem. In secunda exequitur divinorum beneficiorum promissionem, *infra 45. Haec dicit Dominus Deus.* In prima confortat eos per promittentes potestatem. In secunda per ipsius dilectionem, *41. c. Taceant* etc. In tertia per idolorum quae resistere credi possent debilitatem, *44. cap. Et nunc audi Iacob* etc. Circa primum tria facit. Primo inducit ad consolationem. Secundo promittit consolatorem, ibi, *Vox clamantis* etc. In tertia ostendit Dei consolantis potestatem, ibi, *Quis mensus* etc. Circa primum tria. Primo inducit populum in consolationem, *Consolamini*, in spiritualibus, *Consolamini*, in bonis temporalibus concessis : *Eccl. 48. Consolatus est lugentes in Syon usque in*

*sempiternum.* Secundo inducit prophetis et sacerdotibus consolationis annunciationem, *Loquimini ad cor*, scilicet consolando, *Advocate*, a tristitia ab idolatria: *Osee 2. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Tertio assignat rationem quantum ad culpae dimissionem, *Quoniam completa*, quantum ad poenarum finitionem, *Suscepit.* Loquitur secundum tempus post captivitatem: *Hier. 17. Duplici contritione contere eos Domine.* Sed contra *Nahum 1. Non surget duplex tribulatio.* Et dicendum, quod duplicia dicuntur quantum ad poenam corporis et animae, sicut et culpa in utrisque est. *Vox clamantis in deserto.* Hic promittit consolationem: et circa hoc tria facit. Primo praemittit praeparationem. Secundo ostendit prophetiae firmitatem, ibi, *Vox dicentis* etc. Tertio praenunciat consolatorem venientem, ibi, *Super montem* etc. Circa primum tria. Primo inducit praeparationem, *Vox clamantis in deserto*, scilicet Ioannis Baptistae, haec erit, *Parate*, per conversionem a malis in solitudine vitiorum: *Amos 4. Praeparare in occursum Dei tui.* Secundo praedicit expletionem, *Omnis vallis*, sequens metaphoram in valle, quae si est montuosa, facit laborem. Unde dicitur, *Vallis exaltabitur*, ut adaequetur montibus, et totum fiat planum. Si est distorta, facit errorem; et quantum ad hoc dicit, *Erunt plana.* Si est lapidosa, facit pedum dolorem: et quantum ad hoc dicit, *Aspera in vias.* Per quod significatur quod pusillanimitas vertetur in securitatem, superbia in humilitatem, nequitia in rectitudinem, crudelitas in mansuetudinem: *Hier. 31. Dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti.* Tertio ostendit praeparationis utilitatem, *Et revelabitur gloria*, idest filius: *Hier. 33. Curabo eos, et revelabo eis depreationem pacis. Videbit*, idest omnibus visibilem se praebebit. Vel loquitur de die iudicii, *Videbit eum omnis oculus.* Quidam sic exponunt, *Vox*, Dei, *Clamantis*, haec est, *Praeparate in deserto*, idest in terra Iuda olim deserta, *Viam Domini*, scilicet ad veniendum ad templum. Vel in deserto quod est inter Babylonem, et Iudam, *Omnis vallis.* Per hoc ostenduntur omnia impedimenta removeri, ut libere populus revertatur, *Gloria*, in destructione Chaldaeorum, per quam gloriosus apparebit. *Vox dicentis* etc. In parte ista ostendit prophetiae firmitatem per comparationem ad hominum fragilitatem. Unde Dominus primo indicit clamorem, qui significat expressam et planam annunciationem, *Clama: Isa. 48. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Secundo indicat culpandum humanam fragilitatem interrogante propheta, *Et dixi, quid clamabo?* timens ne contra populum suum aliquid clamare praecipiatur, et Domino respondente, *Omnis caro: Iacobi 1. Exortus est sol cum ardore, et arefecit faenum.* Tertio ostendit divini verbi firmitatem, *Vere: Luc. 21. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Super montem* etc. Hic praedicit consolatorem venientem: et circa hoc tria facit. Primo Dominus indicit prophetae annunciationem. In secunda determinat adventus promissionem, ibi, *Ecce Dominus* etc. Circa primum determinat, quis, cui, qualiter annunciet. Quis, quia habet officium, *Qui evangelizas: Rom. 10. Quomodo praedicabunt nisi mittantur?* Modum designat per tria. Primo per loci altitudinem, ut bona nuncians de longe audiatur, *Super montes*, mystice Christum, vel caelestem conversationem et contemplationem: *Supra 2. Venite, ascendamus ad montem Domini: Isa. 42. De vertice montium clamabunt.* Secundo per vocis clamorem, *Exalta in fortitudine*, ut multi audiant, plane constanter praedicando: *Isa. 48. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Tertio per cordis securitatem, *Exalta, noli timere: Hierem 1. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.* Cui sit annunciandum determinat, quantum ad tria. Quantum ad regni provinciam, *Dic civitatibus.* Quantum ad provinciae metropolim, *Qui evangelizas Hierusalem.* Quantum ad civitatis rectores, *Syon*, ubi templum et domus regia: *Isa. 41. Primus ad Syon dicet, ecce adsum, et Hierusalem evangelistam dabo: Act. 13. Vobis oportebat praedicari verbum Dei; sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes. Ecce Deus* etc. Hic ponit adventus Dei promissionem, *Ecce*, in promptu, *Deus noster*, veniet: *Supra 35. Deus noster ipse veniet, et salvabit nos. Ecce Dominus* etc. Hic ostendit venientis conditionem. Et primo ostendit quod veniet fortis ad bellandum, *In fortitudine brachium*, fortitudo in die iudicii. Vel in primo adventu in potestate miraculorum, vel in destructionem Babylonis: *Iob 31. Si habes brachium sicut Deus* Secundo quod veniet iustus ad remunerandum, *Ecce merces, opus illius coram illo*, quia in facultate voluntatis: *Sap. 5. Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Tertio ostendit quod veniet pius ad consolandum, *Sicut pastor*, ad pascendum esurientes, gregem suum pascet: *Ezech. 34. In pascuis uberrimis pascam eas: Hierem. 3. Dabo vobis pastores qui pascent vos.* Ad congregandum dissentientes, *In brachio*: *Ioann. 10. Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Ad portandum deficientes, *In sinu*: *Luc. 15. Cum invenerit eam, allevat super humeros suos gaudens. Quis mensus est* etc. Hic ostendit divinam potestatem. Et primo astruit eam contra idolatrum errores, qui divinae potentiae derogabant creaturam creatori aequando: *Ro. 1. Servierunt creaturae potius, quam creatori.* Secundo contra desperationem Iudaeorum, qui divinae potentiae derogabant definiendo ibi, *Levate in excelsum oculos* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit Dei potestatem. Secundo excludit errorem, ibi, *Cui ergo similem* etc. Circa primum tria. Primo ostendit divinam potentiam simul et sapientiam in commensuratione facili, et creatione omnium rerum: facit enim omnia in numero, quantum ad multitudinem productorum; in mensura, quantum ad determinationem sub proprio esse, in pondere, quantum ad inclinationem in finem, *Sap. 11. Pugillo*, idest faciliter, sicut quae pugillo, qui est manus clausa, mensurantur: *Psal*, idest faciliter, qui est manus extensa, *Quis appendit* etc. *Iob 26. Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum*, quia nullo exteriori fulcitur, alias esset quies terrae violenta, *Super aquas*, quantum ad situm, quia aquis circumdatur: *Ps. 103. Super stabilitatem suam.* Quantum ad propriam causam quietis, quae est natura propria, *Tribus digitis*, idest faciliter. Vel tribus proprietatibus, gravitatis, siccitatis, et immobilitatis, *Libratur*, libratos fecit proprio pon-

dere. Secundo ostendit sufficientiam potentiae, quia non indiget adiuvante, *Quis adiuvit*, contra philosophos ponentes mediantibus primis causis ultima creata esse, quia non indiget consilio. *Aut quis consiliarius*, ut sibi daret consilium. *Cum quo, ut ab ipso peteret:* instruxit eum formam operis, *Semitam iustitiae*, naturalis, quam omnibus rebus praefixit, ut nulla res suae naturae metas excederet, *Scientiam*, de cognitione rerum creatarum, et universalium et particularium, contra Philosophos, *Vitam prudentiae*, quantum ad mundi gubernationem: *Iob 26. Cuius auditor est nunquid imbecillis? et sustentas brachium* etc. Tertio ostendit ipsius excellentiam, quia excedit omnem gentium multitudinem, *Ecce gentes quasi stilla*, parva gutta, *Situlae*, cadens de situla, quae secundum nos est vas aquaticum sitientibus aptum, quae pro nihilo reputatur: *Momentum*, quod inter brachia staterae est, quod de facili inter utrumque inclinatur: *Iob 26. Cum vix parvam scintillam sermonis eius audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinem illius sustinere?* Ostendit etiam, quod excedit omnem condignum honorem, et praecipue quantum ad oblationem, *Et Libanus*, idest ligna Libani quibus abundat, quia nemorosus est, *Et animalia*, quibus abundat, quia pascuosus: *Mich. 6. Quid dignum offeram Domino?* Ostendit etiam quod excedit omnem creaturae perfectionem, et naturalem, quia esse ipsorum respectu Dei est non esse. Dicit enim Dionysius *in li. de divinis nominibus c. 12. quod quantum participantia excedunt non participantia, et quantum participationes participantia, tantum qui est principium participantium, excedit et participationes et participantia. Omnes gentes:* et quantum ad perfectiones superadditas, quae quodammodo sunt implentes, et quasi, *Nihilum: Hier. 4. Aspexi terram, et ecce vacua erat nihil. Cui ergo* etc. Hic excludit errorem. Et primo irridet errorem quantum ad operantis intentionem, quia volebant Deum facere. Ergo ex quo Deus potens est, *Cui similem*, loquitur secundum errorem illorum qui ipsas similitudines deos putabant, *Aut quam imaginem*, quantum ad illos, qui putabant ea deos quorum sunt similitudines, ut solem, vel lunam: *Exo. 15. Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia?* Et quantum ad stultam operationem, quia in vili materia nobilissimam formam inducere volebant. *Numquid sculptile: Sap. 4. Incommutabile nomen Dei lignis et lapidibus imposuerunt.* Secundo convincit errorem. Et primo ex lege naturali dictante, *Numquid non scietis*, naturali ratione idola non esse deos: et lege scripta prohibente, *Numquid non annunciatum: Rom. 20. Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Convincit etiam ex consideratione creaturarum terrestrium quantum ad creationem, *Numquid non intellexistis fundamenta terrae*, ab ipso esse fundata, idest illud terrae, quod est iuxta centrum: *Pro. 8. Quando appendebat fundamenta terrae.* Et quantum ad creatorem, *Qui sedet super gyrum terrae*, quia spherica, sicut gubernans, *Et habitatores quasi locustae*, respectu magnitudinis terrae, vel ipsius. Ex creatione etiam creaturarum coelestium, *Qui extendit*, quantum ad coeli magnitudinem, *Velut nihilum*, substantiae subtilitatem, *Sicut tabernaculum* sibimet: in quo primo virtus eius relucet inter corporalia, quantum ad virtutem. Vel quasi in habitatione angelorum et sanctorum, quantum ad dignitatem. Vel etiam totius creaturae inferioris, quantum ad ipsorum claritatem: *Hie. 4. Praeparat orbem sapientia.* Convincit tertio eos, quantum ad magnorum subiugationem, ponens ipsorum destructionem qui sunt magni. Vel secundum scientiam, *Qui dat secretorum scrutatores*, scilicet Philosophos Vel secundum potentiam, *Iudices*, idest principes: *Ps. 63. Defecerunt scrutantes scrutinio.* Et ostendit destructionis facilitatem per similitudinem herbae, vel arboris, quae non habet radices firmas, *Et quid: Iob 13. Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris.* Tertio ponit conclusionem, *Et cui assimilastis: Ps. 88. Quis in nubibus aequabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei. Levate in excelsum* etc. Hic astruit idem contra desperantes. Et primo astruit divinam maiestatem ex rerum creatione, *Quis creavit*, scilicet caelestia: *Psal. 180. Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Ex scientiae perfectione, *Qui educit*, ad implendam suam voluntatem, *In numero*, determinato sua scientia, *Militiam eorum*, idest caelorum, stellas, vel angelos, *Ex nomine*, idest unicuique propriam naturam unde nominari possit determinans: *Psal. 14. Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Ex dominii plenitudine, *Fortitudinis*, ad impugnandum, *Roboris*, ad resistendum, *Virtutis*, ad operandum, *Defuit*, ab eius dominio: *Iob 25. Numquid est numerus militum eius?* Secundo excludit errorem. Et ponit errorem, *Quare dicis abscondita*, non videt quae mala patior, alias defenderet me: *Iudicium*, idest potestas iudicandi, quam olim habuit: *Eccl. 16. Ne dicas, a Deo abscondar.* Secundo ponit erroris reprobationem. Et primo reprobationis confirmationem ex lege, *Numquid nescis*, lege naturali, *Aut non audisti*, ex lege scripta, haec quae sequuntur. Secundo ponit probationem. Primo ostendens Dei magnitudinem ex his, quae in se habet, scilicet dominii aeternitatem, *Deus sempiternus: Exod. 15. Dominus regnabit in aeternum, et ultra.* Potentiam indeficientem, *Non deficiet*, ut omnia non possit, *Neque laborabit*, ut difficulter: *Daniel. 7. Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.* Scientiae incomprehensibilitatem, *Neque est investigatio: Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius.* Secundo per magna, quae in aliis facit. Et primo in illis quos confortat, pristinam debilitatem, *Qui dat lasso*, quantum ad illum, qui prius fortis fuerat, et defecit, *Et hi qui non sunt*, quantum ad eos, qui non fuerunt fortes: *Rom. 3. Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt: 1. Corint. 1. Quae infirma mundi sunt, elegit Deus, ut confundat fortia.* Secundo ostendit fortitudinis magnitudinem per comparationem ad fortitudinem naturalem, quam ostendit in aliis deficientem, *Deficient pueri*, qui sunt in statu proficiendi, *Iuvenes*, qui videntur robusti: *1. Reg. 2. Non in fortitudine sua roborabitur vir.* Secundo roboris a Deo dati indeficientem agilitatem.

*Qui autem sperant in Domino, mutabunt*, scilicet naturalem in divinam, ut non fatigentur ascensu, *Assument pennas*, ut etiam veloci cursu : *Prover. 23. Facient sibi pennas sicut aquilae, Current*, ut etiam continuo incessu, *Ambulabunt, Supra 5. Non est deficiens, neque laborans.* Nota super illo verbo, *Assument pennas ut aquilae*, quia sancti comparantur aquilis primo propter volatus altitudinem : *Iob 39. Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* in quo eminentia contemplationis : *Supra 37. Regem in decore suo videbunt.* Secundo propter odoris subtilitatem: *Luc. 16. Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*, in quo fervor dilectionis: *Cant. 1. Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Tertio propter loci sublimitatem: *Prov. 2. Tria sunt mihi difficilissima, et quartum penitus ignoro. Via aquilae in coelo*, in quo studium coelestis conversationis : *Philip. 3. Nostra autem conversatio in coelis est.* Quarto propter motus velocitatem : *Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli*, in quo promptitudo bonae operationis : *Proverb. 22. Vidisti hominem velocem in operibus suis?* Quinto propter renovationem: *Psal. 102. Renovabitur sicut aquilae iuventus tua*, in quo studium emendationis et profectus : *2. Cor. 4. Licet is qui foris est vetus homo corrumpatur, is qui intus est, renovatur de die in diem.* Sexto propter membrorum pulchritudinem : *Ezech. 14. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate venit ad libanum*, in quo decor virtutum : *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Septimo propter filiorum solicitudinem: *Deut. 32. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans*, in quo solicitudo sanctorum : *1. Corin. 11. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?*

## a CAP. XLI.

Taceant ad me insulae, et gentes mutent fortitudinem. Accedant, et nunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. Quis suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum, ut sequeretur se ? Dabit in conspectu eius gentes, et reges obtinebit. Dabit quasi pulverem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. Quis haec operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio ? Ego Dominus, primus, et novissimus ego sum. Viderunt insulae, et timuerunt, extrema terrae obstupuerunt, appropinquaverunt, et accesserunt. Unusquisque proximo suo auxiliabitur, et fratri suo dicet, confortare. Confortabit faber aerarius percutiens malleo eum quod cudebat tunc temporis, dicens glutino bonum est, et confortavit eum clavus, ut non moveatur. Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terrae, et a longinquis eius vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, et non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur, et erubescent omnes, qui pugnant adversum me. Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. Quaeres eos, et non invenies viros rebelles tuos, et erunt quasi non sint, et veluti consumptio hominis bellantis adversum te, quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adiuvi te. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel. Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia. Triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulverem pones. Ventilabis, et ventus tollet, et turbo disperget eos, et tu exultabis in Domino, in sancto Israel laetaberis. Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt, lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum et spinam et myrtum et lignum olivae. Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul. Ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit haec, et sanctus Israel creavit illud. Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus, afferte si quod forte habetis, dixit rex Iacob. Accedant, et nuncient vobis quaecumque ventura sunt. Priora quae fuerunt nunciate, et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quae ventura sunt, indicate nobis. Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. Bene quoque aut male si potestis facite, et loquemur et videamus simul. Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est. Abominatio est, qui elegit vos. Suscitavi ab aquilone, et venient ab ortu solis. Vocavit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum, et velut plastes conculcans humum. Quis annunciavit ab exordio ut sciamus, iustus est ? Non est annuntians, neque praedicens, neque audiens sermones vestros. Primus ad Syon dicet, ecce adsum, et Hierusalem evangelistam dabo. Et vidi, et non erat ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum. Ecce omnes iniusti, et vana opera eorum, et ventus et inane simulacra eorum.

## a CAP. XLI.

Hic incipit eos confortare ad firmam expectationem ex Dei promittentis dilectione : et dividitur in tres partes. In prima ostendit divinam dilectionem ex beneficiis quae patribus exhibuit. In secunda ex filio quem eis promisit, *42. cap. Ecce servus* etc. In tertia consolationes quas inter diversas angustias praedicit, *43. capit. Et nunc haec dicit Dominus* etc. Intendit autem per beneficia, primo praestita , confirmationem Iudaeorum, et idolorum confutationem, qui talia suis cultoribus non exhibuerunt. Et ideo dividitur prima pars in duas. In prima disceptat contra idolorum cultores. In secunda contra ipsa idola, ibi, *Prope facite* etc. Prima in duas. Primo enim per beneficia Iudaeis praestita convincit adversarios. In secunda per eadem confortat Iudaeos, ibi , *Et tu Israel* etc. Circa primum tria. Primo convocat gentes ad iudicium , prosequens iudicii ordinem ut tacentes audiant, et sic respondeant. *Mutent fortitudinem* , idest confortent se quasi renovati in fortitudinem ad disceptandum mecum: *Mich. 6. Audiant montes iudicium Domini, et fortiora fundamenta terrae.* Secundo narrat exhibitum beneficium , *Quis vocavit :* ubi narrat multitudinem beneficiorum quantum ad divinam electionem. *Ab oriente*, scilicet Chaldaea, *Iustum*, Abraham, *Genes. 12. Iob 23. Vestigia eius secutus est pes meus*: *Hier. 13. Sicut adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi domum Israel.* Et quantum ad concessam potestatem, *Dabit in conspectu eius*, scilicet quando liberabit Loth, pugnans contra quatuor reges, *Gen. 14. Psal. 1. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae.* Quantum ad exequendi facilitatem, *Transibit in pace*, scilicet sine labore, *Semita*, sicut qui leviter incedit , quasi vestigium non derelinquitur. Vel quia in pedibus est signum viae, cum derelictus est: *Supra 40. Current, et non laborabunt.* Quaerit actorem, *Quis haec operatus est, et quis*, vocans aeterna praesentia: *Isa. 49. Dominus ab initio vocavit me.* Et ponit responsionem, *Ego Dominus: Apoc. 1. Ego sum Alpha, et O, principium, et finis.* Aliter ad literam exponitur de Cyro: mystice de Christo. Tertio ponit quasi gentilium responsum, in quo per idola se defendere credebant. Et primo tangit eorum ad allegata mirabilia visa stuporem , *Videbunt insulae : Psalm. 76. Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae, et timuerunt. Accesserunt*, ad resistendum. Secundo ponit multam confortationem , *Unusquisque : Iob 40. Una via adhaerebit.* Tertio ponit idolorum fabricationem, *Confortabit percutiens*, ferrum malleo, *Qui cudebat*, formabit figuram idoli, *Dicens glutino bonum est* , ad consolidandum idolum : *Sapient. 13. In pariete ponens illud, et confirmans ferro ne forte cadat.* Nota super illo verbo, *Transibit in pace*, quia Christus transivit in pace primo in pace carnis ad spiritum , quem habuit : *Iob 5. Sciens quod pacem habeat habitaculum tuum.* Secundo in pace hominis ad proximum , quem docuit : *Infra 52. Quam pulchri supra montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem.* Tertio in pace mundi ad Dominum , qui fecit: *Ephes. 2. Faciens pacem , et reconciliet ambos in uno corpore Deo. Et tu Israel* etc. In parte ista confortat Iudaeos ex eisdem beneficiis. Et primo ponitur praeteriti beneficii repetitio in electione patrum Iacob, et Abraham, quibus ab aliis distincti sunt universaliter, *Iacob. Psalm. 104. Semen Abraham servi eius , filii Iacob electi eius: Rom. 11. Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est : Iacob dilexi , Esau autem odio habui.* Secundo ponitur futurorum promissio. Et primo quantum ad immunitatem malorum, excludens timorem , tum propter Dei praesentiam , *Ne timeas: Hier. 1. Ne timeas a facie eorum , quia ego tecum sum;* tum propter patrum iustitiam , *Suscepi te*, quasi semen repromissum, *Iusti mei*, Abraham. Vel, *Suscepi te*, defendendum, *Iusti*, Cyri: *Psal. 90. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et ponens etiam hostium amotionem , quantum ad eorum confusionem, *Ecce confundentur: Hier. 17. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego.* Quantum ad destructionem, *Erunt quasi non sint: Supra 30. Ad perdendas gentes in nihilum.* Et reparationis impossibilitatem, *Quaeres eos: Psal. 35. Vidi impium superexaltatum ;* et *infra: Transivi, et ecce non erat.* Ostendens etiam destructionis rationem, *Quia ego Dominus: Psalm. 143. Emitte manum tuam de alto, erue me de aquis multis , et de manu filiorum alienorum.* Secundo quantum ad abundantiam bonorum. Et primo contra servitutem, ponens ipsum servitutis iugum , *Nolite timere vermis;* quasi dicat , qui vel haberis vel calcaris sicut vermis, et pro mortuo computaris: *Psal. 21. Ego sicut vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Ponens etiam divinum auxilium : *Infra 50. Ego auxiliatus sum tui.* Ponens etiam exaltationis beneficium , quantum ad hostium subiugationem , *Ego posui te : Supra 25. Et triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleae in plaustro.* Quod factum fuit tempore Machabaeorum. Et quantum ad eorum exaltationem, *Et tu exultabis: Cant. 1. Laetabimur, et exultabimus in te.* Secundo contra paupertatem, ponens primo paupertatis incommodum, *Egeni et pauperes : Supra 50. Erunt super montes rivi fluentium aquarum , et in locis desertis. Ponam desertum*, idest terram vestram primo desertam: *Psal. 106. Posuit desertum in stagna aquarum.* Et quantum ad pulchritudinem arborum , *Dabo in solitudinem.* Quarto ponit beneficii fructum , *Ut videant : Ecclesiast. 36. Ut cognoscant, quoniam non est Deus nisi tu , ut enarrent magnalia tua.* Nota super illo verbo, *Suscepi te*, quia Christus suscepit nos primo, quia sicut victor captivum ad liberandum: *Gen. ultim. Ad praedam fili mi ascendisti , requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena.* Secundo quasi medicus infirmum ad sanandum : *Psal. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertio quasi advocatus ad reum excusandum: *1. Ioan. 1. Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Quarto quasi fortis debilem ad defendendum: *Infra 63. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Quinto quasi sponsus sponsam ad congaudendum: *Osee 2. Sponsabo te mihi in iustitia et fide. Prope facite iudicium* etc.

Hic ponit disputationem contra ipsa idola. Et primo ponit disputationem. Secundo sententiae determinationem, ibi, *Et videamus* etc. Circa primum duo facit. Primo disputat contra idola rationibus naturalibus. Secundo per rationem a quodam particulari facto sumptam, ibi, *Suscitavi* etc. Circa primum tria. Primo convocat ad iudicium, *Prope*, idest appropinquate ad me ut simul iudicemur, vos idola. Vel idololatrae, *Afferte*, idest allegate, *Si quid habetis*, ut probetis vos Deo: *Ps. 81. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat.* Secundo ponit argumentum duplex: unum sumptum ex divina scientia, quae plene omnia novit, praeterita et futura, quam idola non habent, *Priora quae fuerunt: Eccl. 23. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Aliud est sumptum ex divina potentia, quae potest punire, et bene facere, *Bene quoque: Baruc. ult. Neque si quid mali patiuntur ab alio, neque si quid boni, poterunt retribuere.* Tertio concludit eorum defectum, quantum ad causam materialem, *Ecce vos idoli*, ex nihilo, ex materia creata: quantum ad formalem, *Opus*, idest artificialis forma, quae figurat in vobis divinitatem, quae non est: quantum ad efficientem, *Abominatio*, idest abominabilis, *Et vos*, artifices, *Opus vestrum*, scilicet idola, *Qui elegit*, cultores: *1. Cor. 8. Scimus quia idolum nihil est: Hier. 10. Confusus est omnis artifex. Suscitavi* etc. Hic sumit quoddam speciale factum, *Ab aquilone.* Chaldaeum, *Ab oriente*, Persam, qui subiugaverunt primo diversas terras, et principes, *Plastes*, figulus, *Plasma*, factura. Mystice per eum qui ab aquilone, gentilem populum: per eum qui ab oriente, Christum: *Ps. 17. Ut lutum platearum delebo eos.* Secundo ex hoc sub quaestione proponit argumentum, quod qui hoc potest dicere, est iuste dicendus Deus, et qui non, non, *Quis annunciavit*: *Inf. 49. Congregamini, et audite.* Tertio excludit ab idolis divinitatis indicium, *Non est annuncians*, aliquis ex nobis diis, *Neque*, aliquis cultorum, *Audiens: Psal. 113. Oculos habent, et non videbunt, aures habent, et non audient.* Quatuor ostendit in vero Deo divinitatis signa, *Primus*, idest singularis Deus noster, *Ecce adsum*, in auxilium, *Evangelistam*, annuntiantem futura: *Dan. 2. Vere Deus vester Deus deorum est.* Vel, *Primus*, primogenitus Dei Filius: *Ephes. 4. Dedit quosdam quidem prophetas, quosdam autem Apostolos, alios vero Evangelistas. Et vidi* etc. Hic ex supraposita disputatione concludit sententiae determinationem. Et per se patet. Nota super illo verbo, *Quis annunciavit*, quia movet ad annuntiandum et praedicandum primo instinctus fidei: *Psalm. 115. Credidi, propter quod locutus sum.* Secundo stimulus zeli: *Hierem. 20. Et factum est in corde meo verbum Domini, quasi ignis aestuans.* Tertio magnitudo praemii: *Matth. 5. Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

## a CAP XLII.

Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedit spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet. In veritate educet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, et legem eius insulae expectabunt. Haec dicit Dominus Deus creans caelos et extendens eos, firmans terram, et quae germinant ex ea, dans flatum populo qui est super terram, et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quae prima fuerunt, ecce venerunt, nova quoque ego annuncio, antequam oriantur, audita vobis faciam. Cantate Domino canticum novum, laus eius ab extremis terrae, qui descenditis in mare, et plenitudo eius, insulae et habitatores earum. Laetetur desertum, et civitates eius, in domibus habitabit Cedar. Laudate habitatores petrae, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, et laudem eius in insulis nunciabunt. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir praeliator suscitabit zelum. Vociferabitur, et clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Dissipabo et absorbebo simul, desertos faciam montes et colles, et omne germen eorum exsiccabo. Ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam. Et educam caecos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta. Haec verba feci eis, et non derelinquam eos. Conversi sunt retrorsum. Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili, vos dii nostri. Surdi audite, et caeci intuemini ad videndum. Quis caecus nisi servus meus, et surdus nisi ad quem nuntios meos misi? Quis caecus, nisi qui venumdatus est? Et quis caecus, nisi servus Domini? Qui vides multa, nonne custodies? Qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret, ipse autem populus direptus et vastatus. Laqueus iuvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt. Facti sunt in rapina, nec est qui erunt, in direptionem, nec est qui dicat, redde. Quis est in

vobis qui audiat hoc, attendat, et auscultet futura? Quis dedit in direptionem Iacob, et Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, et non audierunt legem eius. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit, et succendit eum, et non intellexit.

## a CAP. XLII.

Hic ostendit divinam dilectionem ex filio quem promisit: *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Et primo ex tanto beneficio ostendit Dei dilectionem. Secundo Iudaeorum perversitatem, ibi, *Haec verba* etc. Circa primum tria facit. Primo praedicit filii Dei adventum. Secundo malorum casum, ibi, *Dominus sicut fortis* etc. Tertio resurrectionem bonorum, ibi, *Et ducam* etc. *Luc. 2. Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Circa primum tria. Primo describit mittendi conditionem. Secundo praedicit missionem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Tertio invitat ad gratiarum actiones, ibi, *Cantate Domino* etc. Circa primum tria. Primo ostendit gratiae plenitudinem, quantum ad gratiam unionis, ibi, *Suscipiam eum* etc. Suus secundum humanam naturam: *Luc. 1. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.* Quantum ad gratiam capitis, *Electus*, ut sit caput ecclesiae: *Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus, Cant. 5. Psal. 64. Beatus quem elegisti, et assumpsisti. Complacuit: Matth. 9. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quantum ad gratiam habitualem, quae fuit in ipso singularis, *Dedi spiritum meum, Supra 11. Requiescet super eum spiritus Domini.* Secundo ostendit iudicis aequitatem quantum ad tria, scilicet iudicandi auctoritatem, *Iudicium gentibus: Ps. 71. Deus iudicium tuum regi da: Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio.* Cui adiungit mansuetudinem, *Non clamabit.* Secundo ostendit iudicis aequitatem, *Neque accipiet personam: Act. 10. Non est personarum acceptio apud Deum.* Cui adiungit pietatem in subveniendo, *Nec audietur foris*, Iudaeam. *Verbum*, praedicationis eius, ut prius subveniret illis, ad quos missus erat: *Matt. 15. Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel: Psal. 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et in dissimulando, *Calamum*, scilicet regnum Iudaeorum, *Linum*, sacerdotium: *Ezech. 34. Quod confractum fuerat, non alligastis.* Tertio ostendit iudicii veritatem, *In veritate: Psalm. 95. Iudicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.* Cui adiungit iucunditatem, *Non erit tristis*, in corde, *Turbulentus*, in facie: semper enim hilaris iucundusque fuit, aequalitatem mentis servans, etsi quantum ad partem sensibilem fuerit propassio tristitiae, non quidem necessitatis, sed voluntatis: unde *Matth. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem: Eccles. 30. Iucunditas cordis sobriam facit animam.* Quarto ostendit dominii potestatem, *Donec ponat*, iudicium ultimum, vel praeceptum suum, praedicantibus Apostolis, *Legem*, evangelium: *Genes. ult. Ipse erit expectatio gentium: Infra 60. Me enim insulae expectabunt.* Alii exponunt haec de Dario rege Persarum, qui mansuetus, iustus, et quietus fuit, quem Dominus elegit ad liberandum Iudaeos. Nota super illo verbo, *Non clamabit*, quia est clamor primus devotae orationis: *Hebrae. 5. Cum clamore valido, et lacrymis exauditus est pro sua reverentia.* Secundus attentae praedicationis: *Ioan. 7. Ultimo festivitatis die clamabat.* Tertius innixae intentionis: *Supra 5. Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Haec dicit Dominus* etc. Hic praedicit missionem. Et primo ponit mittentis potestatem, quantum ad creationes coelestium, *Creans caelum;* quantum ad dispositionem terrestrium, *Firmans terram;* quantum ad animationem viventium, *Dans flatum*, naturalis vitae, *Spiritum*, gratuitae: *Zach. 12 Dominus extendens caelum, et fundans terram, et creans spiritum hominis qui est in ipso.* Secundo praedicit missionem, ponens missi exaltationem, *Ego Dominus vocavi te*, filium meum ab aeterno praedestinando te ad unitatem divinae personae, *In tristitia*, idest ut iustus sim, implens promissa: *Rom. 1. Qui praedestinatus est filius Dei. Apprehendi manum*, quantum ad operationem: *Ioa. 14. Pater in me manens ipse facit opera. Et servavi*, ne morte detinereris: *Psal. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Dedi te*, quasi mediatorem: *Gen. 9. Arcum meum ponam in nubibus, et recordabor foederis mei, quod pepigi tecum. In lucem*, quasi illuminatorem: *Supra 11. Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis: Io. 1. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ostendit etiam officii utilitatem contra infidelitatem, *Ut aperires: Ioan. 9. Ego in iudicium in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant.* Contra peccati servitutem, *Ut educeres: Zach. 9. Tu autem in sanguine tuo eduxisti vinctos de lacu.* Tertio ex missione contra divinae maiestatis singularitatem, quantum ad potentiam, *Ego Dominus: Psal. 67. Dominus nomen est illi: Exo. 6. Nomen meum Adonay. Gloriam*, qua Dominus dicor: *Luc. 2. Gloria in excelsis Deo.* Et quantum ad scientiam, *Quae prima fuerunt: Isa. 45. Ex tunc praedixi illud.* Haec etiam referuntur ad Darium. *Cantate Domino* etc. Hic invitat ad gratiarum actiones. Et primo indicit laudem: *Supra 24. Audivimus gloriam iusti.* Vel propter inclusionem maris, *Qui descendunt*, scilicet nautae, *Plenitudo eius*, scilicet maris, idest omne illud quod impletur, laudet Deum: *Psal. 106. Qui descendunt in mare navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo.* Vel propter conversationem in desertis, *Levet*, vocem suam in laudem Dei, *Desertam*, idest habitatores eius, maxime quantum ad Israelitas, *In domibus*, more aliarum nationum, qui primo erant vagi per desertum. Vel, *Eodem*, filius Ismaelis: *Supra 35. Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo.* Vel propter habitationem in montanis, *Laudate habitatores petrae*, illius civitatis in Palestina, quae in petris posita est. Vel cuiuslibet montis: *Isa. 55. Montes et omnes colles cantabunt Domino.* Invitat hos de quibus minus videtur, quod ad laudandum Deum convertantur. Secundo praedicit divinae laudis divulgationem, *Ponent Domino*

*gloriam*, in aliis, non solum in seipsis: *Inf. ult. Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, et ad Aphricam, ad gentes quae non noverunt me.* Mystice totum hoc de conversione gentium ad fidem. *Dominus sicut fortis* etc. Hic praedicit per Christi adventum futurum casum : et circa hoc quatuor ponit. Primo potentiam, *Dominus sicut fortis*, ad impugnandum Iudaeos per Romanos: *Exod. 15. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Zelum*, ultionis: *Prov. 6. Zelus et furor viri non parcet in die vindictae.* Secundo ponit iram, *Vociferabitur*, per tribulationes quas eis immittet, contra id, quod supra dictum est supra eodem, *Non clamabit.* Primo cum mansuetudine veniens. Et contemptoribus indignationem ostendit : *Iob 36. Tonabit voce magnitudinis suae, et non investigabitur, cum audita fuerit vox eius.* Tertio ponit iustitiam, quia iustum est ut cum diu expectaverit impoenitentes, omnes simul absorbeat, *Tacui, semper silui: Iob 3. Nonne dissimulavi, nonne silui, nonne quievi? Patiens fui : Isa. 30. Propterea expectat vos Deus, ut misereatur vestri. Sicut parturiens*, proferam dissimulatum dolorem, sicut mulier conceptum infantem. Vel sicut parturiens dolebo de tam gravi poena. Quarto ponit poenam quantum ad homines, *Desertos faciam montes*, maiores, *Colles*, mediocres, *Germen*, populares: *Ezech. 35. Montem Seyr desertum, et desolatum dabo, et auferam de eo euntem et redeuntem.* Et quantum ad subtractionem omnis doctrinae vel consolationis, *Ponam flumina: Psal. 106. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.* Potest etiam hoc referri ad destructionem hostium Iudaeorum per Darium et Cyrum. *Et educam* etc. Hic ponit reparationem bonorum quantum ad tria. Primo quantum ad reparationem visus, *Educam caecos*, scilicet gentiles, *In viam*, Christum, vel legis praeceptum: vel etiam Iudaeos secundum aliam expositionem: *Prov. 11. Ducam te per semitam aequitatis.* Secundo quantum ad illuminationem intellectus, *Ponam te: Lu. 1. Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Tertio quantum ad directionem affectus, *Prava*, scilicet: *Supra 40. Erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Nota super illo verbo, *Ponam flumina*, quia est multiplex aqua. Prima effusae lacrymae: *Hier. 10. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Secunda baptismalis munditiae: *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei.* Tertio spiritualis gratiae: *Io. 7. Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Quarta divinae sapientiae: *Eccl. 24. Ego sapientia effudi flumina.* Quinto internae laetitiae: *Prov. 5. Bibe aquam de cisterna tua, fluenta putei tui.* Nota super illo verbo, *Dedi te in foedus*, quia Christus dicitur datus in foedus primo conservandae salutis: *Gen. 9. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis mei.* Secundo explendae promissionis: *2. Cor. 1. Quotquot promissiones Dei sunt, omnes in illo sunt.* Tertio divinae dilectionis : *Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quarto cessaturae legis: *Ps. 36. Holocausta et pro peccato noluisti. Venumdatus*, in servum peccati pro dilectione temporalis boni, *4. Reg. 21. Venumdatus es ut faceres malum contra Deum. Haec verba* etc. Hic ostendit Iudaeorum perversitatem. Et primo ponit eos ingratos ad beneficia. Secundo duros ad praecepta, ibi, *Surdi audite* etc. Tertio obstinatos inter flagella, ibi, *Quis est in vobis* etc. Circa primum duo. Primo ostendit magnitudinem, *Haec verba*, scilicet praedicta beneficia, *Conversi sunt retrorsum*, a me : *Hier. 3. Tu dereliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti.* Secundo imprecatur eis confusionem, *Confundantur : Ps. 118. Confundantur omnes iniqua agentes. Surdi audite* etc. Hic ostendit eos duros ab obediendum ad praecepta. Et primo ostendit eorum duritiam, vocans eos surdos et caecos in mente. *Excaecavit eos malitia eorum Sap. 2.* quamvis habeant oculos et aures corporis apertas, *Qui apertas: Hier. 7. Audi populo stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, et aures, et non auditis: Supra 6, Excaeca cor eorum, ne intelligant, et aures eorum aggrava, et oculos eius claude, ne forte videat oculis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.* Secundo ostendit induratorum stultitiam propter hoc, quod in praeceptis eorum utilitatem Dominus intendebat. Unde ponit intentionem Domini, *Et Dominus voluit eum*, populum: et ipse populus, *Magnificaret legem*, Dei in corde suo, custodiendo ipsam, *Et ut Dominus extolleret*, populum: *1. Thes. 4. Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Secundo ostendit eorum animi conditionem, quia in seipsis peccabant, *Ipse autem direptus*, a daemonibus per diversa peccata, et ideo, *Vastatus*, ab hostibus aliis etiam occasionem peccandi praestabant : *Laqueus*, idest occasio ad peccandum, *Iuvenum*, insipientium : *Osee 3. Laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Thabor :* et quia peccata occultabant, *In domibus carcerum*, idest in secreto cordis: *In corde et corde locuti sunt, Psal. 11.* Tertio ponit poenam, *Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat*, bellorum opera, *Nec est qui dicat*, orationis instantia: *Eccl. ult. Circumdederunt me undique, et non erat qui adiuvaret.* Vel incipit ibi poenam, *In domibus carceris*, ut exponatur ad literam. *Quis est in vobis* etc. Hic ostendit eos incorrigibiles per flagella, quia etiam causam flagellorum non recognoscunt: et circa hoc tria facit. Primo inquirit recte sentientem, innuens paucitatem, *Futura*, quae praenuntiat de futuris suppliciis: *Osee ult. Quis sapiens, et intelliget ista, intelligens, et sciet hoc?* Secundo determinat veritatem quantum ad poenae actorem, *Qui sedebit: 1. Reg. 2. Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit.* Secundo quantum ad culpam, *Ipse est cui: Baruch 4. Iustitias ipsius nescierunt, neque ambulaverunt per viam mandatorum Dei.* Et quantum ad poenam, *Et effudit: Psal. 68. Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos.* Effusio abundantiam significat. Tertio excludit veritatis cognitionem, *Et combussit*, scilicet materiali igne per hostium vastationem, *Non cognovit*, se a Deo pro peccatis suis punitum: *Psal. 81. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

## a CAP. XLIII.

Et nunc haec dicit Dominus, creans te Iacob, et formans te Israel. Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus. Dedi propitiationem tuam Aegyptum, et Aethiopiam, et Saba per te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, ego dilexi te. Et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum. Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni da, et austro noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terrae. Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. Educ foras populum caecum, et oculos habentem, surdum, et aures ei sunt. Omnes gentes congregatae sunt simul, et collectae sunt tribus. Quis in vobis annuntiet istud, et quae prima sunt audire vos faciet? Dent testes eorum, et iustificentur, et audiant, et dicant: Vere vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi, ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. Ego annuntiavi, et salvavi, auditum feci, et non fuit in vobis alienus. Vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus. Et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat. Operabor, et quis avertet illud? Haec dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel. Propter vos emisi Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldaeos in navibus suis gloriantes. Ego Dominus sanctus vester, et creans Israel rex vester. Haec dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam, et equum, agmen, et robustum. Simul obdormierunt, nec resurgent, et contriti sunt quasi linum, et extincti sunt. Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, et in invio flumina. Et glorificabit me bestia agri, dracones, et struthiones, quia dedi in deserto aquas, et flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Non me invocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me. Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi praebui in thure. Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, et iudicemur simul: narra si quid habes, ut iustificeris. Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui praevaricati sunt in me. Et contaminavi principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, et Israel in blasphemiam.

## a CAP. XLIII.

Hic ostendit eis divinam dilectionem per remedia, quae eis inter angustias concessit: et dividitur in partes tres. In prima promittit futura remedia ad ostendendam dilectionem. In secunda commemorat praeterita beneficia ad confirmandam promissionem, ibi, *Haec dicit Dominus.* In tertia excludit merita ad tollendam praesumptionem, ibi, *Non me invocasti Iacob* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit in eos divinae dilectionis privilegium. Secundo ex promissis remediis excludit divinae potestatis consortium, ibi, *Omnes gentes* etc. In tertia ponit dilectionis significationem, ibi, *Haec dicit Dominus redemptor* etc. Circa primum promittit eis tria remedia. Primo in poenis sustentatione, excludens timorem ex divina praesentia, *Creans te*, quantum ad substantiae principium: *Deu. 32. Ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te: Faciens*, quantum ad formam quam dedit: *Gen. 1. Formavit Deus hominem de limo terrae: Redemit te*, a malis: *Osee 13. De manu mortis liberabo eos, et de morte redimam eos Et vocavi*, ad gratiam: *Osee 2. Vocabo non plebem meam plebem meam.* Ponit promissionem, *Cum transieris per aquas*, Aegyptias, flumina, Chaldaei, *Igne*, Graeci, *Flamma*, Romani: non enim ex toto sunt consumpti: *Psal. 63. Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Et assignat huius rationem, *Quia ego Dominus: Supra 12. Vere ipse Deus salvator noster.* Secundo promittit poenarum commutationem, ut scilicet alios loco ipsius puniat. Et ponit commutationem, *Dedi propitiationem*, idest ut propitientur, quasi poenis eos affligens, qui te ad precandum sui auxilii spe provocabant, *Saba*, civitas Aethiopiae: *Prov. 11. Iustus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo.* Et assignat rationem, scilicet ipsam dilectionem, *Ex quo honorabilis*, idest feci, et reputavi te honorabilem, *Pro te*, pro liberatione tua: *Hier. 31. Si filius mihi honorabilis Ephraim, si puer delicatus.* Tertio promittit eis a tribulationibus omnimodam liberationem: et circa hoc tria facit. Primo promittit liberationis beneficium, *Noli timere ab oriente*, quia undique dispersi erant: *Supra 11. Congregabit profugos Israel.* Secundo adducit liberationis meritum, *Et omnem qui invocat nomen*, adducam in gloriam meam, ut glorificet me, et ut ipse gloriosus appaream: *Ioel. 2. Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Tertio promulgat liberationis praeceptum, *Educ*, o Tyre, *Foras*, extra

terram captivitatis, *Populum*, scilicet Iudaeorum : *Hier. 5. Audi populo stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, et aures, et non auditis. Omnes gentes* etc. Hic excludit divinitatis consortium. Et primo ostendit aliorum deorum falsitatem per modum iudicii, ponens gentium ad idola consensum, *Congregatae sunt*, in unum errorem: *Ps. 13. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, petentes divinitatis significatum. *Quis ex vobis*, idest quis deorum vestrorum? Vel loquitur ad idola, et petit testimonium, *Dent testes, et iustificentur*, iuste dicantur dii, et testes. *Audiant*, ab eis futura, *Et dicant*, pro vobis, *Testimonium : Supra 41. Non est annuntians, neque praedicens, neque audiens sermones meos.* Secundo praedicat suae divinitatis veritatem. Et primo quantum ad scientiam. Secundo quantum ad potentiam, ibi, *Vos testes* etc. Circa primum duo facit. Primo dat testimonium, *Vere vos testes mei*, populus Iacob, vel Christus : *Act. 1. Eritis mihi testes in omni Iudaea, et Hierusalem:* ponens cognoscendi modum, *Ut sciatis*, quantum ad ea, quae per naturales rationes de Deo sciri possint, *Et credatis*, quantum ad ea, quae supra rationem sunt, *Et sic intelligetis*, quia, *Nisi credideritis, non intelligetis, supra 8.* secundum aliam literam ponens etiam testium dictum, quod ipse sit solus Deus, *Quia ego*, solum, *Sum*, Deus, *Formator: Deu. 32. Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Et quod sit solus Dominus, *Ego sum*, singulariter, *Ego sum*, et excellenter: *Act. 4. Salus non est in aliquo alio.* Secundo dat divinitatis significatum, *Ego annuntiavi, et non fuit*, a quo scire posset is: *Ps. 80. Israel si me audieris, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum.* Nota super illo verbo, *Cum ambulaveris in igne, non combureris*, quia Deus liberat sanctos suos ab igne multiplici. Primo carnalis tentationis: *Iob 30. Ignis est usque ad consummationem devorans.* Secundo temporalis tribulationis : *Ps. 16. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Tertio aeternae damnationis: *Mat. 25. Ite maledicti in ignem aeternum.* Quarto divinae indignationis : *Deu. 32. Ignis succensus est in furore meo.* Primo igne urunt lascivientes: *1. Cor. 7. Melius est nubere, quam uri.* Secundo impatientes : *Supra 13. Facies combustae, vultus eorum.* Tertio impoenitentes: *Psal. 105. Flamma combussit peccatores.* Quarto superbientes : *Ps. 17. Montium fundamenta comburet.* Item super illo, *Cum transieris per aquas, tecum ero*, quia Deus liberat ab aquis primo voluptatis : *Prov. 10. Aquae furtivae dulciores sunt*, in quibus suffocantur per luxuriam. Secundo cupiditatis : *Exod. 15. Submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus*, in quibus suffocantur per avaritiam. Tertio adversitatis: *Psal. 68. Intraverunt aquae usque ad animam meam*, in quibus suffocantur per impatientiam. Quarto mundanae potestatis: *Apoc. 17. Aquae super quas sedebat*, in quibus suffocantur per superbiam. *Vos testes* etc. Hic ostendit veritatem divinitatis quantum ad potentiam. Et primo dat testimonium, *Vos testes: Io. 8. Ego principium, qui et loquor vobis.* Secundo dat potentiae signum in puniendo, *Et non est qui de manu mea: Deut. 32. Non est qui de manu mea possit eruere.* Et in operando, *Operabor: Supra 14. Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? Haec dicit Dominus* etc. Hic ponit dilectionis signum, quia pro eis Babylones in navibus gloriantes propter multitudinem aquarum destruxit, *Emisi*, iram scilicet. *Haec dicit Dominus, qui dedit* etc. Hic commemorat beneficia praeterita, quando egressi sunt de Aegypto, in eorum gubernatione, *In mari*, rubro: *Exo. 14. In aquis torrentibus*, malo : *Nume. 21. In Iordane, Iosue 3.* et quantum ad hostium destructionem. *Qui eduxit quadrigam*, currus Pharaonis : *Exo. 15. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Quasi linum*, in momento succensum. Secundo promittit multo maiora : et circa hoc tria facit. Primo ostendit futurorum beneficiorum magnitudinem ex priorum comparatione, *Ne memineritis;* quasi dicat, Non sunt digna, ut in memoria habeantur, in comparatione futurorum: ea quae retro sunt obliviscantur ex horum novitate. *Ecce ego facio nova*, inaudita: *Apoc. 21. Ecce nova facio omnia.* Et eorum deteriorationem, *Ponam in deserto*, idest in terram Iudaeorum, quae fuit prius deserta, viam euntium ad festivitates. *Flumina*, consolationis: *Ps. 106. Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.* Et si exponantur haec ad literam, de liberatione de captivitate Babyloniae dicuntur maiora, quam liberare de Aegypto, non propter maiora miracula; sed quia Reges, de quorum potestate liberavit eos, potentiores Pharaone fuerunt : vel quia de loco magis distanti venerunt. Si autem referatur ad liberationem factam per Christum, constat, quod nihil ita admirabile praecesserat in saeculis praeteritis. Secundo ostendit beneficiorum utilitatem in gentibus, *Et glorificabit me bestia agri*, idest gentilis bestialiter vivens conversus ad Christum: vel videns, quomodo Iudaeos liberat: *Ps. 150. Bestiae, et universa pecora, serpentes, et volucres pennatae.* Et in Iudaeis, *Ut darem potum*, doctrinae, et consolationis. Tertio assignat rationem, *Populum*, scilicet mihi, in laudem meam: *Prov. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Non me invocasti* etc. Hic excludit merita Iudaeorum ad consequenda tanta beneficia: et circa hoc tria facit. Primo excludit meritum. Secundo dat responsioni locum, ibi, *Reduc me* etc. Tertio removet quendam respondendi modum, ibi, *Pater tuus* etc. Circa primum tria facit. Primo excludit meritum, *Non me invocasti*, ut haec omnia darem. Vel quia non toto corde Deo offerebantur, sed partim Deo, partim idolis. Vel quia Deo non offerebant. Vel quia spe temporalis retributionis faciebant. Vel quia post adventum Christi accepta non fuerunt: *Malac. 3. Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Ps. 49. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo?* Secundo ostendit ipsorum reatum, *Verumtamen servire*, quasi dicat, servilem me ostendistis, cum me offendentes non puniebam : *Supra 1. Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens :* loquitur more humano. Tertio ostendit datum gratis beneficium, *Ego sum: Ps. 24. Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo. Reduc me* etc. Hic responsioni dat locum, *Reduc;* quasi dicat, Recogita, quae tibi fecerim, *Narra si quid habes*, ad te excusandum, vel me accusandum, *Ut iustificeris*, idest ut videaris

iustus. *Pater tuus* etc. Hic removet quandam viam respondendi: possent enim allegare patrum innocentiam; sed contra hoc dicit, *Pater*, Abraham petens signum de promissione Dei, quasi dubitans, *Gen. 5. Interpretes*, Moyses, et Aaron ad aquas contradictionis, *Nu. 11. Contaminavi*, idest contaminari permisi, *Ad internecionem*, quia omnes in deserto mortui sunt excepto Caleb, et Iosue: *Ps. 43. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* Nota super illo verbo, *Reduc in memoriam*, quia reducere debemus Deum in memoriam primo quantum ad mirabilia quae fecit, ad venerandum: *Ps. 104. Mementote mirabilium eius, quae fecit.* Secundo quantum ad beneficia, quae dedit, ad regratiandum: *Eccl. ult. Memoratus sum misericordiae tuae et cooperationis tuae quae a saeculo sunt, quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiae, Domine Deus noster.* Tertio quantum ad tormenta, quae sustinuit, ad compatiendum: *Thren. 3. Recordare paupertatis meae, absinthii, et fellis.* Quarto quantum ad praecepta quae dedit, ad observandum: *Psal. 102. Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.*

## a CAP. XLIV.

Et nunc audi Iacob serve meus, et Israel quem elegi. Haec dicit Dominus faciens, et formans te, ab utero auxiliator tuus. Noli timere serve meus Iacob, et rectissime quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta praeterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum, et ille vocabit in nomine Iacob. Et hic scribet manu sua Domino, et in nomine Israel assimilabitur. Haec dicit Dominus rex Israel, et redemptor eius Dominus exercituum. Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet, et annunciet, et ordinem exponat mihi, ex quo constitui mihi populum antiquum, ventura, et quae futura sunt annunciet eis. Nolite timere, neque conturbemini. Ex nunc audire te feci, et annunciavi. Vos estis testes mei. Nunquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? Plastae idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? Ecce omnes participes eius confundentur, fabri enim sunt ex hominibus, convenient enim omnes, stabunt, et pavebunt, et confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est in prunis, et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suae. Esuriet, et deficiet, non bibet aquam, et lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina. Fecit illud in angularibus, et in circino tornavit illud, et fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, et quercum quae steterat inter ligna saltus. Plantavit pinum quam pluvia nutrivit, et facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis, et calefactus est, et succendit, et coxit panes, de reliquo autem operatus est Deum, et adoravit, fecit sculptile, et curvatus est ante illud. Medium eius combussit igni, et de medio eius carnes coxit. Comedit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit, Vah, calefactus sum, vidi focum. Reliquum autem eius Deum fecit, et sculptile sibi. Curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat, dicens, Libera me, quia Deus meus es tu. Nescierunt, neque intellexerunt. Obliti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant in corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt ut dicant, Medietatem eius combussi igni, et coxi super carbones eius panes, coxi carnes, et comedi, et de reliquo eius idolum faciam, ante truncum ligni procidam. Pars eius cinis est. Cor insipiens adorabit illud, et non liberabit animam suam, neque dicet, Forte mendacium est in dextera mea. Memento horum Iacob et Israel, quoniam servus meus es tu. Formavi te, servus meus es tu Israel, non obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me, quoniam redemi te. Laudate coeli, quoniam misericordiam fecit Dominus, iubilate extrema terrae. Resonate montes laudationem, saltus et omne lignum eius. Quoniam redemit Dominus Iacob, et Israel gloriabitur. Haec dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens. Suscitans verbum servi sui, et consilium nunciorum suorum complens. Qui dico Hierusalem habitaberis, et civitates Iudae aedificabimini, et deserta eius suscitabo. Qui dico profundo desolare, et flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem aedificaberis, et templo fundaberis.

## a CAP. XLIV.

Hic tertio confortat eos ex idolorum vilitate, ne forte crederent, quod per ea possent divinas promissiones impedire: et dividitur in duas. In prima excludit timorem. In secunda ostendit idolorum vilitatem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum tria. Primo excitat attentionem, *Audi Iacob quem elegi*, reprobato Esau: *Matth. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Secundo excludit timorem, *Haec dicit Dominus formans te: Infra 49. Haec dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi. Rectissime*, quod sonat hoc nomen Israel, quantum ad nominis significationem, sed quasi per ethimologiam dicitur vir videns, *Is*, vir, *Ra*, videns. *Hel*, Deum. Tertio ponit promissionem, *Effundam*. Et primo promittit divinum beneficium quantum ad temporalia, *Effundam aquas*, idest consolationes: *Ezec. 36. Effundam super vos aquam mundam.* Quantum ad spiritualia, *Effundam spiritum*, benedictionem, quantum ad bonorum multiplicationem: *Ioel. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Secundo ponit beneficii fructum quantum ad bona temporalia, *Et germinabunt*, idest multiplicabuntur ex abundantia prosperitatis, *Sicut arbor ad multitudinem aquae: Supra 35. Germinans germinabit, exultabit laetabanda, et laudans.* Ponit etiam effectum donorum spiritualium. *Iste dicet, Domini ego sum*, quia quilibet se Deo subiectum confitebitur, *Scribet*, cantica Domino, idest ad honorem Domini. Vel, *Deus, ego sum*, portans Scripturam quod pertinet ad cultum Dei. *Assimilabitur*, alienigena in colendo Deum: vel erit strenuus, sicut Iacob: *Hier. 3. Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. Haec dicit Dominus* etc. Hic ostendit idolorum vilitatem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit idolorum defectum. Secundo ex hoc revocat eos ad suum cultum, ibi, *Mementote* etc. Tertio promittit colentibus se liberationis beneficium, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo facit. Primo arguit contra idola ex divina operatione. Secundo ex idolorum formatione, ibi, *Quis formavit* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit suae deitatis singularitatem, *Ego sum: Apoc. 1. Ego sum alpha, et o, principium, et finis.* Secundo adhibet probationem, *Quis similis.* Et circa hoc tria. Primo ponit divinum actum in annunciando futura, et ordinem praeteritorum, *Non noverint*, praedestinando: *Eccl. 33. Domino Deo nostro omnia sunt agnita, antequam fiant.* Secundo assignat suae deitatis signum testibus confirmatum, *Noli timere;* quasi dicat, Ne solicitemini pro me, quasi deficiam probatione meae divinitatis. Tertio concludit idolorum defectum, *Nunquid est.* Et primo ponit quaestionem, *Absque me: Deuter. 32. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Secundo ostendit testium idoneitatem, *Plastes idoli*, idest factores eorum, *Nec sunt*, ullius potentiae. Vel quia intentionem suam non consequuntur, volentes suis manibus Deum fingere. Vel etiam quia idolum nihil est, *Amantissima*, idola quae sunt, vel magna et veneranda, vel ex pretiosiori materia. Tertio ostendit testimonii falsitatem, *Ipsi testes*, idolorum, *Quia non vident*, et tamen dicunt esse deos. *Quis formavit* etc. Hic ostendit, quod non sunt dii ex eorum formatione: et circa hoc duo facit. Primo proponit formationem ad excludendum divinitatem. Secundo formationis modum ad ostendendam vilitatem, *Faber ferrarius.* Circa primum duo facit. Primo proponit formationem intendens hanc rationem. Quod factum est ab homine, non est Deus etc. *Quis*, quasi dicat, nullus, *Ad nihil*, aliud, *Utile: Baruch ult. Ipsi qui ea faciunt, non sunt multi temporis.* Secundo praedicit operantium confusionem, *Ecce omnes principes eius*, idolorum cultores, cum venerint ad iudicium, *Stabunt*, quasi iudicandi, *Ex hominibus*, iddest de numero hominum: *Psal. 96. Confundantur omnes qui adorant sculptilia. Faber ferrarius lima* etc. Hic ostendit eorum vilitatem, ut non solum non sint dii, sed etiam quaedam vilia. Et primo proponit modum, quantum ad idola, quae fiebant de metallis, *In brachio suo*, idest fortes ictus percutiens, *Esuriet, et deficiet*, quasi diceret, Deus quem facit, non potest sibi succurrere, qui tamen factori suo maxime tenetur: *Supra 45. Confortabit faber ferrarius percutiens malleo.* Secundo quantum ad ea quae fiebant, *Artifex lignarius.* Et primo ponit idoli vilitatem, ponens causam efficientem instrumentis suis, *Normam*, regulam ad rectificandum ligna, *In runcina*, instrumentum recurvum ex latere ad curvandum ligna, *Angularibus*, idest in figura quadrangulata. Vel est instrumentum ad huiusmodi figuras faciendas, *Circino*, idest torno. Quantum ad causam formalem, *Et fecit imaginem.* Quantum ad materialem, *Succidit cedros*, quibus etiam ad viles usus utuntur: *Hier. 10. Lignum de saltu procidit, opus manuum artificis.* Secundo ostendit artificis caecitatem, *Nescierunt*, pars eius ligni de quo factum est idolum, *Cinis*, quia combustum, *Forte*, *in dextera mea*, idest in operatione: *Sap. 13. Non erubescet loqui cum illo, qui sine anima est.* Nota super illo verbo, *Effundam spiritum meum*, quia datur spiritus incipientibus primo in principium vivificationis: *Ezech. 37. Ingressus est in ea spiritus, et revixerunt.* Secundo in lavacro renovationis: *Tit. 3. Per lavacrum regenerationis, et renovationis, quem effudit in nos abunde.* Tertio in privilegium adoptionis: *Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Secundo datur proficientibus primo ad instruendum intellectum: *Io. 14. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Secundo ad reficiendum affectum: *Ecclesia. 24. Spiritus meus super mel dulcis.* Tertio ad adiuvandum actum: *Rom. 8. Spiritus adiuvat infirmitatem.* Tertio datur perfectis primo in beneficium libertatis: *1. Corinth. 3. Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Secundo in vinculum unitatis: *Ephe. 4. Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Tertio in pignus haereditatis: *Ephe. 1. Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. Memento horum* etc. Hic revocat eos ad suum cultum. Et primo assignat rationem proponens servitutis debitum, *Memento*, idest recogita vilitatem idolorum, *Servus: Hiere. 51. Non sicut haec pars Iacob, quia qui fecit omnia ipse est, et Israel sceptrum haereditatis eius, Dominus exercituum nomen illi.* Et quantum ad praescitum be-

neficium, vel promissum, *Delevi ut nubem*, ut nebulam, idest facile: *Sap. 2. Transiet vita vestra, tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur.* Secundo ponit revocationem, *Revertere: Hierem. 3. Revertere adversatrix Israel ad me, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis.* Secundo pro reversione invitat totam creaturam ad gratiarum actionem iubilatione extrema: *Psal. 68. Laudent illum coeli, et terra, mare, et omnia quae in eis sunt. Haec dicit Dominus* etc. Hic revertentibus ad se promittit liberationis beneficium: et circa hoc duo facit. Primo ostendit liberationis beneficium, quod eis contulit, *Redemptor*, a malis, *Et adformator*, in bonis: *Infra 49. Haec dicit Dominus formans me ex utero servum sibi.* Quantum ad creaturas, quas fecit, *Ego sum Dominus: Hierem. 10. Fecit terram in fortitudine.* Quantum ad sapientes quos infatuavit, quorum quidam profitebuntur se scire divina, *Irrita faciens: Hiere. 50. Gladius ad divinos eius, qui stulti sunt.* Quidam de rebus mundanis, *Convertens sapientes: 1. Cor. 1. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Etiam quantum ad promissorum impletionem, *Suscitans*, implens servi prophetae, vel Moysi, vel Christi. Secundo promittit liberationem populi quantum ad urbium reaedificationem, *Qui dico Hierusalem: Psalm. 69. Aedificabuntur civitates Iudae.* Secundo quantum ad hostium destructionem, *Qui dico profundo*, idest maris Babylonis. Unde *supra 21. Onus deserti maris.* Tertio quantum ad liberationis exaltationem, *Qui dico Cyro pastor*, pascens oves meas: *Ezech. 34. Et pascet eas ventus urens.* Quarto quantum ad templi reintegrationem, *Qui dico Hierusalem fundaberis*, quia eius tempore sola fundamenta facta sunt: *Hieremiae 30. Aedificabitur iterum Hierusalem.*

## a CAP. XLV.

Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciat ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam. Et aperiam coram eo ianuas, et portae non claudentur. Ego anteibo, et gloriosos terrae humiliabo. Portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter servum meum Iacob, et Israel electum meum. Et vocavi te nomine tuo, assimilavi te, et non cognovisti me. Ego Dominus, et non est amplius. Extra me non est Deus: accinxi te, et non cognovisti me, ut sciant hi qui ab ortu solis, et qui ob occidente, quoniam absque me non est Deus. Ego Dominus, et non est alter formans lucem, et creans malum. Ego Dominus faciens pacem, et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec. Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et iustitia oriatur simul. Ego Dominus creavi eum. Vae qui contradicit factori suo, testa de Samiis terrae. Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis, et opus tuum absque manibus est? Vae qui dicit patri, quid generas, et mulieri quid parturis? Haec dicit Dominus sanctus Israel plastes eius: Ventura interrogate me, super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, et hominem super eam creavi. Ego et manus meae tetenderunt caelos, et omni militiae eorum mandavi. Ego suscitavi eum ad iustitiam, et omnes vias eius dirigam. Ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. Haec dicit Dominus: Labor Aegypti, et negotiatio Aethiopiae, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tamen in te est Deus, et non Deus absque te. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Confusi sunt, et erubuerunt omnes simul, abierunt in confusione fabricatores errorum. Israel salvatus est in Domino salute aeterna. Non confundemini, et non erubescetis usque in saeculum saeculi, quia haec dicit Dominus creans caelos. Ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes eius. Non in vanum creavit eam: ut habitaretur, formavit eam. Ego Dominus, et non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco terrae tenebroso. Non dixit semini Iacob, frustra quaerit me. Ego Dominus loquens iustitiam, annuncians recta. Congregamini, et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex gentibus. Nescierunt qui levant signum sculpturae suae, et rogant Dominum non salvantem. Annuntiate, et venite, et consiliamini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc praedixit illud? Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus iustus, et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terrae, quia ego Deus, et non est alius. In memetipso iuravi, egredietur de ore meo iustitiae verbum, et non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet, Meae sunt iustitiae, et imperium. Ad eum venient, et confundentur omnes, qui repugnant ei. In Domino iustificabitur, et laudabitur omne semen Israel.

## a CAP XLV.

Postquam confortavit eos ad summam expectationem promissorum divinorum, in parte ista incipit prosequi divinas promissiones ad eorum consolationem: et dividitur in duas. In prima promittit liberationem a malis. In secunda promittit salvationem in bonis, *cap. 46. Haec dicit Dominus* etc. Prima in duas. In prima promittit eis liberationis beneficium. In secunda excludit omne liberationis impedimentum, *c. 50. Haec dicit Dominus: Qui est* etc. Prima in tres. In prima praesignat eis liberatorem. In secunda praedicit captivantium, et detinentium destructionem, *c. 46. Confractus est* etc. In tertia promittit etiam Iudaeorum liberationem, *c. 48. Audite haec* etc. Prima in duas. In prima praenunciat liberatorem. In secunda ostendit consequentem utilitatem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Prima in tres. In prima praedicit liberatoris potestatem. In secunda describit ipsius nativitatem, ibi, *Rorate caeli desuper* etc. In tertia refellit incredulorum contradictionem, *Vae qui contradicit* etc. Circa primum duo. Primo ponit fastigium ad quod exaltatus fuit contra tria, quae solent evadere manus regis. Vel propter multitudinem; et quantum ad hoc dicit, *Christo*, idest Regi, non propter unctionem, sed propter regiam dignitatem, quia apud eos reges ungebantur, *Apprehendi dexteram*, quasi auxiliator operum ipsius, *Gentes*, diversas: *Deut. 28. Dabit Dominus inimicos vestros in manus vestras.* Vel propter fortitudinem; et quantum ad hoc dicit, *Annunciabo*, parans victoriae tuae locum, immittendo terrorem tuum adversariis, *Gloriosos*, potentes supra alios, sicut Babylonios: *Portas aereas*, potentissimas civitates: *Ps. 106. Contruii portas aereas, et vectes ferreos confregit.* Vel propter absconsionem; et quantum ad hoc dicit, *Et dabo tibi thesauros*, diversorum regnorum, quorum civitates cepit: *Iob 12. Revelat profunda de tenebris, et abscondita producit in lucem.* Secundo ponit beneficii fructum. Et primo in ipso. Secundo in aliis, ibi, *Sciant qui ab oriente* etc. Circa primum duo. Primo ponit potestatis fructum a Deo requisitum in Cyro, scilicet suae cognitionis, *Ut scias quia ego: Rom. 8. Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt;* et populi liberationis, *Propter servum meum*, ut scilicet liberet eum de captivitate. Secundo ostendit istud beneficium ex parte ipsius Cyri ex parte frustratum, *Et vocavi*, praedicendo nomen tuum, *Assimilavi*, hoc in aliis sanctis meis, quorum nomina prius a Domino praedicta sunt: *Non cognovisti me*, esse tantum Deum verum permanens in idolis, *Accinxi*, fortitudine: *Prov. 1. Vocavi et renuistis accipere disciplinam. Ut sciant* etc. Hic ostendit fructum in aliis. Et primo ostendit quod in aliis quaerit suae cognitionis fructum, *Qui ab oriente*, idest habitantes per totum mundum. Quod completum fuit in hoc, quod Cyrus epistolis suis laudem Dei scripsit ubique. Vel quia omnes Deum collaudaverunt videntes Iudaeorum liberationem: *Psal. 82. Sciant quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus super omnem terram.* Secundo proponit suae divinitatis argumentum, quod cognosci potest in hoc, quod potest affligere, et liberare, *Ego, Dominus, Lucem*, diem in consolatione, *Malum*, poenae: *Amos 3. Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit: Eccl. 41. Omnia fecit Dominus duplicia, unum contra unum. Rorate coeli* etc. Hic describit nativitatem Cyri sub metaphora fructus arboris, ad cuius generationem requiritur humor terrae, et pluvia, et ros de coelo, ita in nativitate Cyri concurrit divina misericordia, intendens populum suum per eum liberare, et inferior natura, quae significatur in terra. Unde tria facit: describit enim ortum, *Rorate.* Nativitatis fructum, *Et iustitia oriatur.* Et primum nativitatis principium, *Ego Dominus ... pluant iustum*, neutraliter, vel masculine. Vel per caelum, et nubes prophetae et alii iusti, qui ipsum praenunciando, et lacrymis a Deo poscendo, quodammodo ipsum pluerunt: *Ps. 71. Descendet sicut pluvia in vellus.* Nota super illo verbo, *Israel electum meum*, quia sancti sunt electi primo per praedestinationem: *Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Secundo sunt formati per gratiae infusionem: *Gen. 1. Formavit Dominus hominem, et inspiravit in eo spiraculum vitae.* Tertio recti per dilectionem: *Can. 1. Recti diligunt te.* Quarto servi per debitum operationis: *Luc. 16. Servi inutiles sumus. Vae qui contradicit* etc. Hic excludit infidelium contradictionem. Et primo sub metaphora artificis lutum fingentis, quia sicut lutum non contradicit figulo, ita nec Iudaei deberent Deo contradicere, non credentes posse consurgere qui Babylonios superarent. *De Samiis*, vasis fictilibus, quia huius ars in Samo civitate inventa est: *Absque manibus*, quasi absque recta operatione manus, vel sicut lagenae manus habent: *Ro. 10. Nunquid dicet figmentum ei, qui fecit illud?* Sub metaphora patris generantis, *Veh qui dicit patri*, quia ego sum pater creans Cyrum, et sicut mater concipiens ipsum, in proposito. Et ideo non debetis in hoc mihi contradicere, sicut nec matri generanti: *Is. 66. Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero?* Vel loquitur contra illos divinos, qui ex ortu Cyri multa prenunciabant mala futura, dicentes melius esset si non nasceretur; vel contra illos de Iudaeis, qui dicebant: Ad quid generamus filios, ut in captivitate nascantur? *Haec dicit Dominus* etc. Hic ponit liberatoris utilitatem. Et primo quantum ad liberationem Iudaeorum. Secundo quantum ad conversionem gentium, ibi, *Quia haec dicit* etc. Circa primum tria. Primo ostendit suam ad praedicendum futura auctoritatem, *Ego*, scilicet Cyro, *Plastes*, factor, *Filios meos*, Iudaeos liberatos, vel alios quoscumque volo nascituros, et non idola. Secundo praedicit liberationem, ostendens suam potestatem, qui promittit, *Ego feci militiae eorum*, scilicet caelorum, *Mandavi*, praesignando suum officium, et naturam: *Supra 40. Qui educit in numero militiam eorum;* et exequentis directionem, *Ego suscitavi*, ad dignitatem, *Eum*, Cyrum, praeteritum pro futuro. *Ad iustitiam*, faciendam de Chaldaeis: *Prov. 3. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Et promittit liberationem, *Ipse*, idest Cyrus, aedificabit promittens, et dans expensas ad aedificium: *Isa. 52. Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. Haec dicit Dominus* etc. Hic pro-

mittit liberatorum exaltationem quantum ad tria. Primo quantum ad alienorum adhaesionem, *Labor Aegypti*, divitiae ipsorum, et ipsi quantum ad multos qui eos sequuti fuerunt. Vel loquitur de his, qui adhaeserunt. *Labor*, in idolis cessabit: *Negotiatio*, terrena. Et adhaerentium subiectionem, *Post te ambulabunt*, tibi subiecti, *Iunctis manibus*, idest vinculis manuum, quasi ita humiliati coram te sicut hi qui taliter etc. Vel vinculis praeceptorum Christi. Ponens etiam veritatis confessionem, *Tantum in te*, scilicet haec dicentes, *Absconditus*, non visibilis sicut dii vestri, *Salvator*, non imbecillis: *Psal. 17. Posuit tenebras latibulum suum.* Secundo ostendit eorum exaltationem quantum ad hostium confusionem. *Confusi sunt: Micheae ult. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua.* Tertio quantum ad Iudaeorum perpetuam salutem, *Israel salvatus est usque in saeculum.* Ubi sic canitur. Vel de spirituali Israel: *Soph. 3. Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. Quia haec dicit Dominus* etc. Hic ponit aliam utilitatem quantum ad conversionem gentium: et circa hoc tria facit. Primo inducit quinque rationes inducentes ad conversionem: quarum prima sumitur ex rerum creatione, *Ipse Deus: Psal. 145. Qui fecit caelum, et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.* Secundo ex hominum dilectione: quia dedit eis terram in habitaculum. *Caelum caeli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, non in vanum. Tertio ex veritatis praedicatae manifestatione, *Non in abscondito*, quasi ea quae ratio naturalis dictat facienda; vel de praedicatione fidei christianae: *Io. 18. Ego palam locutus sum mundo.* Quarto ex praeceptorum utilitate, *Non dixi: Psal. 118. In custodiendis illis retributio multa.* Quinto ex praeceptorum aequitate, *Ego Dominus: Isa. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum. Congregamini* etc. Hic secundo iniungit Iudaeis gentium vocationem, commemorans eorum salutem, *Congregamini*, quasi ad audiendum praeceptum meum, *Qui salvati*, liberati a captivitate gentium: *Isa. ult. Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare in Aphricam et Lidiam.* Ponens etiam vocandorum errorem, scilicet gentium, *Nescierunt: Baruch ult. Videbitis in Babylonia Deos aureos, et argenteos* etc. Iniungens suae laudis annunciationem, *Annunciate*, in qua iniungit officium. *Consiliamini*, qualiter debeatis alios convertere: *Psal. 96. Annunciate inter gentes gloriam eius. Quis auditum* etc. Hic ostendit, in quo docet eos suae divinitatis argumentum, ad alios convertendum, scilicet ex praecognitione futurorum. Et ponit rationem, et conclusionem, *Nunquid: Eccl. 34. Annuncians quae praeterierunt.* Tertio invitat gentes ad conversionem. Et primo ponitur invitatio, *Convertimini: Zach. 1. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos.* Secundo praedicit conversionem eorum, ponens signum adorationis, *In memetipso*, quia non habeo maiorem per quem iurem, *Non revertetur*, sine effectu: *Isa. 55. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. Curvabitur*, a Christianis, qui est modus adorandi redemptorem, secundum dictum *Phil. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.* Ponens etiam signum iurationis, *Iurabit*, quia unusquisque iurat in Deo suo: *Psal. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Ponens etiam signum verae confessionis, *Ergo in Domino*, idest in persona Domini, *Meae*, scilicet ecclesiae Dei. Vel, *Meae*, scilicet Dei: *Apoc. 1. Ipsi gloria in saecula. Iustitiae*, non legis Iudaeorum figurae. Tertio praedicit incredulorum confusionem, *Ad eum venient*, quasi iudicandi. Quarto credentium salutem, *In Domino iustificabitur omne semen*, non solum secundum carnem, sed secundum fidem: *Psal. 108. Qui insurgunt in me, confundantur.* Mystice. *Rorate caeli*, de Christi nativitate. In quo tria facit, scilicet nativitatis principium, nascentis ortum, nativitatis fructum. Principium est triplex. Primum caelum rorans quasi principium effectivum, scilicet quia trium personarum, propter quod pluraliter dicitur, *Caeli.* Pater Filium mittendo: *Gal. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Filius carnem assumendo: *Philip. 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Spiritus sanctus conceptionem faciendo: *Matth. 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Secundum principium est nubes pluens, quod est principium praeparativum, in quo accipitur annunciantis angeli officium: *Iob 37. Nubes spargunt lumen suum*, quae lustrant cuncta. Prophetarum vaticinium: *Psalm. 17. Tenebrosa aqua in nubibus aeris: Rom. 1. Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo.* Iustorum desiderium: *Psal. 103. Ponis nubem ascensum tuum: Malach. 3. Statim veniet ad templum sanctum dominator quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* Tertium principium est terra germinans, quod est principium conceptivum Beata Virgo, de qua *in Ps. 84. Terra nostra dabit fructum suum.* Cuius aperiatur affectus, ad inveniendum gratiae privilegium: *Luc. 1. Ne timeas Maria: Proverb. ult. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Intellectus ad credendum angeli verbum: *Luc. 1. Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi.* Uterus ad concipiendum Dei Filium: *Luc. 1. Ecce concipies in utero, et paries filium.* Sed ortus comparatur rori, pluviae, et germini. Quia Christus est ros ad refrigerandum: *Supra 18. Sicut nubes roris in die messis.* Pluvia ad foecundandum: *Psalm. 84. Descendet sicut pluvia in vellus.* Germen ad fructificandum: *Hierem. 23. Suscitabo David germen iustum.* Fructus est iustitia, quae cum illo oritur tripliciter, quam opere implevit: *Matth. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam*; quam sermone docuit: *Infra 62. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum:* quam pro munere dedit: *1. Corinth. 1. Factus est nobis sapientia, et sanctificatio, et iustitia.*

## a CAP. XLVI.

Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestiis, et iumentis. Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt, et contrita sunt simul. Non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit. Audite me domus Iacob, et omne residuum domus Israel. Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo. Ego feci, et ego feram, ego portabo, et salvabo. Cui assimilastis me, et adaequastis, et comparastis me, et fecistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis. Conducentes artificem, ut faciat Deum, et procidunt et adorant. Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo. Et stabit, ac de loco suo non movebitur. Sed et cum clamaverint ad eum, non audiet, de tribulatione non salvabit eos. Mementote istud, et confundamini, redite praevaricatores ad cor. Recordamini prioris saeculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuncians ab exordio novissimum, et ab initio quae necdum facta sunt dicens: Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Vocans ab oriente iustum, et de terra longinqua virum voluntatis meae. Et locutus sum, et adducam illud, creavi, et faciam illud. Audite me duro corde, qui longe estis a iustitia. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Syon salutem, et in Israel gloriam meam.

## A CAP. XLVI.

Hic praedicit destructionem hostium eos captivantium, scilicet Babyloniorum, quantum ad duo, in quibus gloriabantur. Primo quantum ad idolorum destructionem. Secundo quantum ad regni cessationem, *Infra 47. Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon* etc. Prima in duas. In prima praedicit idolis Babylonis destructionem, quantum ad fractionem statuarum, *Confractus est: Ezech. 6. Demoliar aras vestras, et succidam lucos.* Et quantum ad asportationem metallorum, quia Persae frusta auri, et argenti secum detulerunt. Ponens ex parte asportantium lassitudinis incommodum, *Bestiis*, et iumentis, scilicet equis, et camelis in quibus metalla gravia deferebant: vel cultoribus vestris, qui sunt bestiae, imagines bestiarum adorantes: *Hier. 16. Servietis diis alienis, ligno, et lapidi.* Ponens subventionis defectum ex parte idolorum, *Contabuerunt*, idest defecerunt, scilicet idola, *Portantem*, scilicet bestiam, vel colentem hominem se. Ponens etiam captivitatis opprobrium, *Et anima eorum*, scilicet idolorum metaphorice, idest numen eorum, vel gentilium, quia idola sicut animam suam amabant: *Osee 10. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus Regi ultori.* Secundo revocat Iudaeos ad suam venerationem, relictis idolis, *Audite me.* Et primo revocat eos ad suum cultum. Secundo revertentibus promittit liberationis beneficium, ibi, *Annuncians ab exordio* etc. Circa primum tria. Primo ostendit eis suam dilectionem ex affectuosa supportatione, *A meo utero*, idest ita supportavi in mea misericordia affectuose, in deserto, et in aliis locis in quibus contra me peccastis, sicut mater filium: *Prov. 30. Quid dilecte uteri mei? Iob 38. De cuius utero egressa est glacies, et de caelo gelu quis genuit? Heb. 1. Portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens.* Ex supportationis continuitate, *Usque ad senectam*, vestram, idest usque ad finem mundi: *Psal. 70. Usque ad senectam, et senium, Deus ne derelinquas me.* Ex supportationis ratione, *Ego feci:* dignum est, ut qui fecit conservet: *Deu. 32. Expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis.* Secundo ostendit idolorum vilitatem, ostendens operantium idola fatuitatem, et quantum ad intentionem, quia volunt aequare Deo facturam, *Cui assimilastis:* et quantum ad operationem, quia conducebant artifices ad faciendum Deum ex auro: quia sicut avari aurum in sacculis reposuerant, *Qui confertis: Hier. 10. Operibus manuum artificis universa haec.* Ostendens etiam operum, scilicet idolorum ipsorum, imbecillitatem, quia per se nec moveri, nec stare possunt, *Portant illum: Baruch ult. Videbitis in Babylone Deos aureos, et argenteos, et lapideos.* Ostendens etiam eorum vilitatem, *Sed cum clamaverint: Sap. 13. Pro vita quidem rogat mortuum, et in adiutorium inutile invocat.* Tertio concludit revocationem, *Mementote.* Istud praedictum de dilectione mea, et vilitate idolorum, *Prioris saeculi*, in quo multa beneficia vobis contuli: *Psal. 76. Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui. Annuncians ab exordio* etc. Hic promittit conversis ad ipsum liberationem a captivitate: et circa hoc duo facit. Primo promittit liberationem, ponens pronunciantis potestatem, *Annuncians novissimum*, quodcumque futurum in novissimis temporibus: *Eccl. 42. Annuncians, quae praeterierunt, et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum.* Ponit etiam praenunciationis firmitatem, dicens, *Stabit*, implebitur, *Voluntas*, huius placiti: *Eccle. 21. Consilium eius, sicut fons vitae: Ps. 113. Omnia quaecumque voluit, fecit Dominus.* Et ponit liberationis ordinem, *Vocans*, ab oriente, *Avem*, Cyrum, propter velocitatem victoriae: vel Christum: *Supra 41. Quis suscitavit ab oriente iustum?* Secundo ibi, *Audite me*, promittit liberationis propinquitatem, ponens primo eorum indignitatem, ne suis meritis ascribantur, *Duri corde*, ad bene operandum, *Longe*, propter multitudinem peccatorum: *Eccl. 3. Cor durum male habebit in novissimo.* Secundo praedicit propinquitatem, *Prope feci*, idest faciam, praeteritum pro futuro, *Iustitiam*, de Babylonia pro vobis per Cyrum; vel, *Iustitiam*, Christi: *Isa. 56. Iuxta est salus mea, ut veniat, et iustitia mea, ut reveletur.* Tertio ponit loci determinationem, *Dabo in Syon, gloriam*, beneficia, unde gloriosus apparebo. Vel Christum qui est gloria Patris: *Aggaei 2. Magna est gloria huius domus novissimae, plusquam primae.* Nota super illo verbo, *Onera vestra pondere gravi*, quia peccatum quemadmodum

onus fatigat primo propter solicitudinem in excogitando: *Prov. 4. Non enim dormiunt, nisi male fecerint.* Secundo propter laborem in exequendo: *Sap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis.* Tertio propter confusionem in recogitando: *Rom. 5. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quarto propter frustrationem in expectando: *Prov. 11. Expectatio solicitorum peribit.* Nota super illo verbo, *Redite praevaricatores ad cor*, quia debet homo redire ad cor primo, quasi ad iudicis solium, ut se discutiat: *Ps. 76. Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Secundo, quasi ad vitae principium, ut se custodiat: *Prov. 4. Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Tertio, quasi ad divinae locutionis auditorium, ut diligenter attendat: *Ose. 2. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Quarto, quasi ad divinorum eloquiorum thesaurum, ut ipsum conservet: *Ps. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Quinto, ad divinae pacis, et refectionis coenaculum, propter cuius oppositum de quibusdam dicitur *Ps. 27. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

## a CAP. XLVII.

Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra. Non est solium filiae Chaldaeorum: quia ultra non vocaberis mollis, et tenera. Tolle molam, et mole farinam, denuda turpitudinem tuam. Discooperi humerum, revela crura, transi flumina. Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum. Ultionem capiam, et non resistet mihi homo. Redemptor noster Dominus exercituum, nomen illius sanctus Israel. Sede tacens, et intra in tenebras filia Chaldaeorum, quia non vocaberis ultra Domina regnorum. Iratus sum super populum meum, contaminavi haereditatem meam, et dedi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggravasti iugum tuum valde, et dixisti: In sempiternum ero Domina. Non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. Et nunc audi haec delicata, et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo, Ego sum, et non est praeter me amplius. Non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas, et viduitas. Universa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti: Non est qui videat me. Sapientia tua, et scientia tua haec decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, et praeter me non est altera. Veniet super te malum, et nescies ortum eius, et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria, quam nescies. Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent, et salvent te augures caeli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos. Non liberabunt animam suam de manu flammae, non sunt prunae quibus calefiant, nec focus, ut sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi, in quibuscunque laboraveras. Negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt. Non est qui salvet te.

## a CAP. XLVII.

Hic praedicit regni Babylonis destructionem: et circa hoc tria facit. Primo comminatur deiectionis poenam. Secundo ostendit culpam, ibi, *Iratus sum* etc. Tertio aufert evasionis fiduciam, ibi, *Stent* etc. Circa primum tria. Primo praedicit eorum deiectionem quantum ad gloriam, quam amiserunt, *Descende*, de altitudine tuae potentiae, *Sede*, sicut vilis, et abiecta, *Virgo*, quia non ante vastata: vel propter teneritudinem deliciarum, *Solium*, dignitas regia mollis, sicut reginae solent esse: *Hester ult. Prae teneritudine corpus suum sustentans*; quasi dicat, non eris ulterius regina: *Luc. 1. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Secundo quantum ad ignominiam, quam incurrit, *Tolle molam*, quod erat opus ancillarum, quasi in collo eius per significati actum, *Denuda turpitudinem*, idest membra turpia, vel ad libidinem hostium, vel transiens pedibus tuis flumina: *Ose. 4. Gloriam eorum in ignominiam dabo.* Et ostendit huius ignominiae actorem, *Ultionem capiam*, quamvis potens, *Redemptor noster.* Vox populi de eius servitute liberati: *Supra 35. Dominus ultionem adducat retributionis.* Tertio quantum ad confusionis verecundiam, *Sede, tace*, sicut ille qui erubescit, non audet loqui, nec coram hominibus apparere: *2. Reg. 2. Impii in tenebris conticescent. Iratus sum.* Hic ponit eorum culpam, quae est causa talis poenae. Et ponit tres species. Primo Domini crudelitatem contra Iudaeos, ponens concessam potestatem, *Iratus sum*, propter peccata eorum volens eos punire, *Contaminavi*, a te contaminari permisi, *Haereditatem*, populum Israel: *Supra 19. Haereditas mea Israel: Hier. 12. Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam.* Et ponit potestatis abusionem, *Non posuisti super semen*, qui est etiam hostibus miserendus: *Thren. 4. Facies senum non erubuerunt.* Secundo cordis elationem, *Et dixisti*, ponendo superbam cogitationem, *In sempiternum: Apoc. 18. In corde suo dicit: Sedeo regina.* Ponens etiam superborum fatuitatem, qui non excogitabant futura, *Non posuisti haec*, quae tibi supervenient: *Eccl. 11. In die bonorum ne immemor sis malorum.* Et *Eccl. 7. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Et ponit spei frustrationem, *Nunc audi vidua*, per privationem regni, *Sterilis*, in amissione populi, qui munitus est, *Subito*, ex insperato, *Supra 50. Subito dum non speratur: Osee 9. Da eis*

*Domine vulvam sine liberis, et ubera arentia.* Tertio maleficiorum multitudinem, *Universam.* Et ponit tria. Primo maleficia quibus intendit, *Maleficiorum*, quia huiusmodi arte abundabant: *Deut. 18. Non sit in te qui divinos consulat.* Secundo errorem quem ex his incurrit, scilicet poenae immunitatem ab his, qui negabant divinam providentiam, *Et fiduciam*, ut secure peccantes, *Non est Deus qui videat me*, peccantem ut puniat: *Iob 24. Oculus adulteri observat caliginem.* Et ponit aeternitatem a divinis, qui hoc promittebant. *Sapientia tua*, quantum ad eos, qui de divinis se intromittebant, *Sciant*, quantum ad illos, qui de humanis: *Hierem. 10. Stultus factus est omnis homo a scientia sua.* Tertio ponit poenam, quam ex hoc promeruit, *Veniet super te.... ortum eius.* Loquitur more astrologorum, qui docent considerare ortus regnorum secundum ortum planetarum: *Thes. 5. Cum dixerint pax, et securitas, tunc superveniet eis repentinus interitus. Sta cum incantatoribus* etc. Hic excludit evasionis fiduciam: et circa hoc duo facit. Primo excludit spem de sapientibus, excludens eorum auxilium, quantum ad maleficos. *Sta cum incantatoribus. Ab adolescentia*, idest a quo condita fuit, artibus magicis plena fuit. Et quantum ad astrologos, *Stent*, contra hostes si possunt: his enim artibus etiam abundabant: *Hier. 10. A signis coeli nolite metuere, quae timent gentes.* Et comminatur sapientibus incendium, *Ecce facti sunt quasi*, scilicet sapientes vobiscum, *Non sunt prunae, quibus calefiant*, sed quibus tota civitas comburatur. Vel quia tempore frigoris combusta fuit civitas, ut simul frigore, et igne punirentur; vel non sunt in te divinae sapientiae: *Eccl. 21. Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis.* Secundo excludit spem de negotiationibus, *Negotiatio*, quibus etiam abundabant. Vel magi, qui sibi mendacia pro veritate vendebant: *Supra 13. Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustae vultus eorum.*

## a CAP XLVIII.

Audite haec domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Iuda existis, qui iuratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini, non in veritate, neque in iustitia. De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt. Dominus exercituum nomen eius. Priora ex tunc annunciavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci, ea repente operatus sum, et venerunt. Scivi enim, quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aerea. Praedixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt haec, et sculptilia mea, et conflatilia mandaverunt ista. Quae audisti, vide omnia. Vos autem non annunciastis. Audita tibi feci nova ex tunc, et conservata sunt, quae nescis. Nunc creata sunt, et non ex tunc, et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas, ecce ego cognovi ea. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua. Scio enim quia praevaricans praevaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te. Propter nomen meum longe faciam furorem meum, et laude mea infraenabo te ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam ut non blasphemet, et gloriam meam alteri non dabo. Audi me Iacob, et Israel quem ego voco. Ego ipse, ego primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est coelos. Ego vocabo eos, et stabunt simul. Congregamini omnes vos, et audite. Quis de eis annunciavit haec? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldaeis. Ego, ego locutus sum, et vocavi eum, adduxi eum, et directa est via eius. Accedite ad me, et audite hoc. Non a principio in abscondito locutus sum. Et tempore antequam fierent ibi eram, et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus eius. Haec dicit Dominus Deus redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset, sicut flumen pax tua, et iustitia tua, sicut gurgites maris. Et fuisset, quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui, ut lapilli eius. Non interisset, et non fuisset attritum nomen eius a facie mea. Egredimini de Babylone, fugite a Chaldaeis. In voce exultationis annunciate, auditum facite hoc, facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terrae. Dicite, Redemit Dominus servum suum Iacob. Non sitierunt in deserto, cum educeret eos. Aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquae. Non est pax impiis, dicit Dominus.

## a CAP XLVIII.

Hic promittit populi liberationem: et dividitur in duas. In prima promittit liberationem. In secunda exequitur liberationis ordinem, *Isa. 49. Audite insulae* etc. Prima in duas. In prima excitat attentionem, commemorans tria in quibus gloriabantur, scilicet dignitatem generis, quia ex sanctis patribus, *De aquis*, idest semine. Contra quod *Matt. 3. Ne velitis dicere, patrem habemus Abraam.* Privilegium divinae cognitionis, *Qui iuratis*, invocantes nomen eius, *Recordamini*, quantum ad cognitionem, plus non in veritate, *Cordis*, neque in iustitia operis, *Supra 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Cultu sacrae religionis, *De civitate sancta*, scilicet Hierusalem, in qua cultus sacrificiorum, *Vocati*, Hierusalem muri, *2. Mach. 5. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit Dominus.* Secundo promittit liberationem, *Priora ex tunc.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit Dei promittentis maiestatem ex praemiatione futurorum. Secundo ex creatione rerum, ibi, *Audi me Iacob* etc. Cir-

ca primum tria. Primo assignat praenunciationis quorundam futurorum rationem, ponens ipsam praenunciationem, *Priora*, quae scilicet iam praeterierunt, *Ex tunc*, quando adhuc erant futura, *Repente*, quantum ad alios, quibus non sunt praenunciata : *Eccl. 42. Annuntians quae praeterierunt, et quae superventura sunt revelans vestigia occultorum.* Ponens insuper huius rationem, quae sumitur ex eorum conditione, quam primo ponit, *Scivi enim*, ab aeterno: *Durus*, ad resipiscendum a malis, *Cervix*, idest cervicositas proprii sensus, *Nervus ferreus*, qui non potest flecti, *Frons tua*, propter inverecundiam : *Act. 7. Dura cervice, et incircumcisi cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis: Deut. 31. Ego scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam: Hier. 2. Frons meretricis facta est ei, noluit erubescere.* Et deinde ex hoc elicit rationem, *Praedixi*; quasi dicat, Quia pronus eras ad idolatriam, *Praedixi tibi*, ne beneficia mea idolis ascriberes: *Osee 2. Vadam post amatores meos qui dant panes mihi.* Ponens praenunciatorum manifestationem, *Quae audisti*, a me praedicta tibi, *Vide*, impleta : *Ps. 47. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.* Secundo assignat rationem absconsionis quorundam futurorum, ponens primo ipsam absconsionem: sicut dictum est, quaedam futura praedixi. Sed quaedam futura, *Conservata sunt*, idest in mea praescientia, *Quae nescis*, quia non tibi revelavi, *Nunc*, idest in tempore, *Creata sunt*, idest in effectum producta, *Et non ex tunc*, quando praescivi ea, *Et ante diem*, impletionis ipsorum, *Et non audisti*, nec a me, *Nec ab idolis : 4. Reg. 4. Dominus celans a me, et non indicavit mihi.* Assignavit etiam huius rationem, *Ne forte;* quasi dicat, Ideo non revelavi, ut sentires defectum tuum, et deorum tuorum in hoc, quod de futuris non potes sentire, vel praescire, nisi quae tibi revelabo. *Cognovi*, propria industria, *Nec audisti*, ab idolis, aperta a me: *Ps. 63. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Ponit etiam eorum condonationem, ex qua dicta ratio elicitur, *Scio enim ex ventre*, idest a tempore quando portabam te per desertum, sicut in ventre : *Exo. 32. Cerno, quod populus iste populus durae cervicis sit: Supra 34. Praevaricatorem ex utero vovavi te.* Tertio excludit quandam obiectionem, ibi, *Propter nomen:* posset enim aliquis quaerere, ex quo tam duri sunt, quare ergo eis bona promittis, et fecisti ? Et huius obiectionis primo ponit responsionem, commemorans tria beneficia eis exhibita, *Propter nomen meum*, non propter meritum tuum, *Longe faciam*, vel feci liberando a poenis: *Ezech. 36. Non propter vos faciam domus Israel, sed propter nomen meum, quod polluistis in gentibus ad quas intrastis. Et laude*, idest obligavi te ad caeremonias, et laudes meas ne sacrificia idolis offerens interires : *Ps. 40. In camo, et froeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Excoxi*, volens purgare per tribulationes, *Sed non quasi argentum*, quod purgatur, tu autem non correctus es: *Hier. 6. Frustra conflavit conflator, Elegi*, purgans scilicet te per paupertatem, puniens te spoliatione rerum: Gregorius: *Quos infirmitas rerum vulnerat, medicina paupertatis sanat :* et hoc paterne corrigendo. Primo ponit responsionis expositionem, *Propter me, ut non blasphemer*, ne dicat impotens salvare populum, quem elegi mihi, *Et gloriam*, ne scilicet idola me fortiora iudicentur, *Supra 42. Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Audi me* etc. Hic ostendit divinam maiestatem ex creatione rerum, proprium opus, *Vocabo*, imponens proprium nomen, *Stabunt*, parati ad obediendum: *Supra 40. Qui appendit molem terrae tribus digitis. Congregamini* etc. Hic praedicit ipsius prosperitatem. Et primo ostendit huius facti aliis absconsionem, *Quis de eis*, scilicet idolis, quasi dicat nullus, *Supra 41. Quis annunciabit ab exordio, ut sciamus.* Secundo ipse praedicit ipsius prosperitatem, *Dominus dilexit eum*, scilicet Cyrum, promovens ipsum in regnum, *In Babylonem*, capiens ipsam, *Brachium*, idest per virtutem meam interficiens eos. Tertio ostendit prosperitatis rationem ex divino auxilio, *Ego .... directa*, non simpliciter, sed ad hoc, quod Babylonem destrueret, alias non posset exponi de Cyro, sed tantum de Christo, nec de Hierusalem, quia ille idolatra fuit : *Ps. 106. Deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. Accedite ad me* etc. Hic promittit liberationem: et circa hoc tria facit. Primo excitat attentionem ponens divinam auctoritatem, *Non in abscondito*, sed tunc cum populus audiebat voces: *Exo. 20. A principio*, legis datae, *Ex tempore*, praeterito, *Antequam fierent*, quae praedicta sunt, *Ibi eram*, praesens, illis futuris per idem nunc aeternitatis manens in tota successione temporis. Vel in persona filii, *Ibi eram*, scilicet in tempore, secundum divinitatem. Ponens prophetae veritatem, quia, scilicet a Deo missus, *Et nunc me*, Isaiam, vel, *Me*, Christum hominem factum, *Deus*, pater. Unde tres personae designantur, *Meminit: Isa. 61. Spiritus Domini super me* etc. *Et spiritus eius evangelizare pauperibus misit me.* Secundo, ibi, *Haec dicit Dominus*, ponit captivitatis rationem, ostendens ex parte Dei paratum auxilium, *Docens*, contra ignorantiam, *Et gubernans te in via*, operum, contra infirmitatem operandi : *Ps. 31. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua ingredieris.* Ostendens etiam ex culpa Iudaeorum damnum, *Utinam attendisses mandata mea*, servans ea, *Sicut flumen*, abundans, *Sicut gurgites: Ps. 80. Si populus me audisset me, et Israel si in viis meis ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.* Tertio, ibi, *Egredimini* etc. praedicit liberationem : et circa hoc tria facit. Primo indicit eis a captivitate exitum, ita certus de liberatione, ac si esset praesens, *Egredimini: Apoc. 18. Egredimini de illa omnes, qui habitatis in illa.* Et inducit quod annuntient Dei beneficium, *Annunciate: Hier. 50. Vox fugientium, et eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuncient in Syon ultionem Dei nostri.* Secundo designat libertatis, et consolationis praestitum beneficium, *Non sitierunt*, idest ita in omnibus eis Dominus providit. Vel providebit, sicut quando egressi sunt de Aegypto: *Ps. 104. Percussit petram, et fluxerunt aquae.* Tertio aufert impiis pacis solatium, *Non est pax, 4. Reg. 9. Quid tibi, et paci respondit Iehu ?* Nota super illo verbo, *Elegi te in camino paupertatis*, quia paupertas confert multa pri-

mo peccatorum recognitionem. Secundo virtutum conservationem: *Eccl. 10. Pauper gloriatur per disciplinam, et timorem suum.* Tertio cordis quietem : *Tob. 5. Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* Quarto desiderii impletionem: *Psalm. 9. Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Quinto divinae dulcedinis participationem: *Psal. 65. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Sexto exaltationem: *1. Reg. 2. Suscitans de pulvere egenum.* Septimo coelestem haereditatem: *Matt. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

## a CAP XLIX.

Audite insulae , et attendite populi de longe. Dominus ab utero vocavit me , de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et posuit os meum, quasi gladium acutum : in umbra manus suae protexit me , et posuit me , sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me , et dixit mihi: Servus meus es tu Israel, quia in te glorificabor. Et ego dixi: In vacuum laboravi , sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. Et nunc, haec dicit Dominus formans me ex utero servum sibi , ut reducam Iacob ad eum, et Israel non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est , ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob , et foeces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium , ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Haec dicit Dominus redemptor Israel , sanctus eius ad contemptibilem animam , ad abominatam gentem, ad servum Dominorum. Reges videbunt , et consurgent principes , et adorabunt propter Dominum , quia fidelis est , et sanctum Israel elegit te. Haec dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te , et in die salutis auxiliatus sum tui. Et servavi te, et dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, et possideres haereditates dissipatas, ut diceres his , qui vincti sunt: Exite, et his qui sunt in tenebris , Revelamini. Super vias pascentur , et in omnibus planis pascuae eorum. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos aestus , et sol , quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et semitae meae exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone, et mari, et isti de terra Australi. Laudate coeli, et exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum , et pauperum suorum miserebitur. Et dixit Syon: Dereliquit me Dominus , et oblitus est mei. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, et non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit , ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exibunt. Leva in circuitu oculos tuos, et vide , omnes isti qui congregati sunt , venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Quia deserta tua, et solitudines tuae , et terra ruinae tuae , nunc angusta erunt prae habitatoribus, et longe fugabantur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis, filii sterilitatis tuae. Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos. Ego sterilis, et non patiens, transmigrata, et captiva, et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola, et isti ubi hic erant? Haec dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios suos in ulnis , et filias suas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui , et reginae nutrices tuae. Vultu in terra dimisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. Numquid tolletur a forti praeda , aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit. Quia haec dicit Dominus: Equidem et captivitas a forti tolletur , et quod ablatum fuerit a robusto , salvabitur. Eos vero qui iudicaverunt te , ego iudicabo, et filios tuos ego salvabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro , quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob.

## a CAP. XLIX.

In parte ista exequitur magis in speciali liberationis ordinem: et circa hoc duo facit. Primo populus confitetur accepta beneficia. Secundo accipit promissionem de futuris , ibi , *Ego dixi* etc. Circa primum quatuor beneficia confitetur. Primo privilegium divinae electionis. Et continuatur ad id , quod dixerat supra propheta populo , ut annunciaret. Unde statim subiungitur vox populi annunciantis , et dicentis, *Audite ab utero* , eligens me in ipsis patribus: *Ps. 21. De ventre matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me.* Secundo efficacia orationis , *Et posuit os meum*, orationem: *Quasi gladium*, penetrantem usque ad aures Dei, et viscera misericordiae: *Eph. ult. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Tertio auxilium divinae protectionis, *In umbra*, idest sub protectione potentiae suae , *Sicut sagittam electam* , sagittarius ad conservandum: *Ps. 16. Sub umbra alarum tuarum protege me : Psal. 26. Abscondit me in tabernaculo suo, protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Quarto gloria divinae virtutis, *Et dixit mihi, in te gloriabor*, idest per magnalia in te ostensa gloriosus apparebo: *Supra 43. Omnis qui invocat nomen*

*meum, in gloriam meam creavi eum.* Secundum alios haec est vox Cyri, cuius nomen praenuntiatum est ab Isaia, antequam nasceretur *supra 45.* cuius verba comminatoria quasi gladius erant, et protectus est ne avus suus eum interficeret, et servatus quasi electa sagitta ad tempus statutum, cui et annuntiatum est populum Israel Dei servum esse. Aliter exponitur de Christo, cuius nomen ab angelo praenuntiatum, verbum praedicationis gladius penetrans corda, protectus secundum infirmitatem carnis a potentia divinitatis, et electus inter omnes ad salutem generis humani implendam. Et dicitur Israel, quia ex populo Israel secundum carnem natus est. *Et ego dixi* etc. Hic Dominus promittit futura beneficia. Et primo promittit prophetae Isaiae exaltationem. Secundo populi liberationem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo ponitur prophetae allegatio proponentis laborem suum in praedicando, quamvis ex culpa audientium non sit fructus, et concludit, *Ergo iudicium meum,* pro me, *Cum Domino,* coram ipso, *Et opus meum,* quasi gratum ipsi: *Hier. 6. Frustra conflavit conflator.* Secundo ponit Dei responsionem, *Et nunc haec dicit Dominus.* Et primo significatur allegationis attestatio, *Et reducam;* quasi dicat, Ex hoc me ex ventre matris eligens, ut revocem populum suum ad ipsum. *Et congregabitur,* ad ipsum per meam praedicationem, *Et tamen glorificatus sum: Abac. 3. Dominus Deus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum.* Secundo ponitur ipsa responsio, *Et dixit;* quasi dicat, Intantum ministerium tuum honorificabo, ut non solum in Iudaeis, sed in omnibus gentibus per te salus mea annuntietur: *Ro. 3. An Iudaeorum tantum Deus? immo et gentium.* Hoc etiam plane de Christo exponitur, qui sua praedicatione et mortis consummatione non solum fructum in Iudaeis fecit, sed gentes etiam illuminavit, et salvavit. Similiter etiam de Cyro, sicut magis exorte, quia per beneficia secundum intentionem Domini populum ad Dei cultum revocavit, cui a Deo datum est dominium super multas gentes. Nota super illo verbo, *Audite,* quia verba Dei sunt audienda, quia sunt utilia primo ad intellectus illustrationem: *Prov. 6. Mandatum lucerna, et lex lux.* Secundo ad affectus dulcedinem: *Psal. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Tertio ad amoris accensionem: *Hier. 20. Factum est verbum Domini in corde meo sicut ignis: Ps. 9. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Quarto ad operis rectitudinem: *Ps. 34. Dirige me in veritate tua.* Quinto ad gloriae adeptionem: *Prov. 3. Custodi legem atque consilium.* Sexto ad aliorum instructionem: *1. ad Ti. 3. Omnis doctrina divinitus inspirata utilis est ad docendum. Haec dicit Dominus redemptor* etc. Hic promittit liberationem: et circa hoc duo facit. Primo promittit liberationem. Secundo excludit eorum dubitationem, ibi, *Et dixit Syon.* Circa primum tria. Primo ponit liberationem praecedentia, scilicet Iudaeorum veneratio, quae fuit causa liberationis, et commemorat pristinam despectionem, *Contemptibilem,* propter populi imbecillitatem, *Abominatam,* propter cultus singularitatem, *Servum,* propter subiectionem diversis gentibus: *Supra 18. Ad gentem divulsam mittam te:* et ponit ipsam venerationem, *Reges videbunt,* magnalia mea quae per te ostendam, *Et adorabunt,* sicut ad literam Nabuchodonosor Danielem, et Cyrus et alii principes eius honoraverunt Esdram. Aliud praeambulum est regis liberantis exaltatio, scilicet Cyri, *In tempore placito,* quando placuit mihi salvare populum meum, *Exaudivi,* exaltans te in regnum secundum desiderium tuum. Exaltationis fructum, *Et servavi in foedus,* implendum populi mei, *Revelamini,* idest illuminamini. Vel de Christo qui fuit in passione contemptus, et quasi servus iudicatus: *Isa. 53. Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum;* sed postmodum a regibus adoratus: *Ps. 71. Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. In tempore placito,* scilicet tempore gratiae: *2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Secundo ponit liberationem consequentia, promittens liberatis bonorum copiam, *Super vias pascentur,* idest ita abundanter consolationibus perfruentur, sicut oves in pascuis, quando etiam in via praeter solitum invenirentur: *Ezec. 39. Requiescent in herbis virentibus,* quantum ad malorum carentiam, et defectu, *Non esurient,* et nocumenti illati, *Aestus,* tribulationis, *Et sol,* tyranni faciens ipsam: *Ps. 120. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Et assignat utriusque causam, *Quia miserator... aquarum,* consolationum: *Ps. 21. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit.* Tertio promittit ipsam liberationem, ponens tria, scilicet aliorum praeparationem, *Et ponam omnes montes,* idest principes auxiliabuntur vobis ad revertendum: *Supra 40. Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur.* Ponens etiam captivorum reversionem, *Ecce illi de longe,* idest ab oriente, mari, occidente: *Hier. 31. Adducam eos ab aquilone.* Ponit etiam gratiarum actionem, *Laudate caeli: Ps. 68. Laudent illum caeli et terra, mare et omnia reptilia in eis. Et dixit Syon* etc. Hic excludit eorum dubitationem. Et primo illam quae oriebatur ex divina indignatione. Secundo illam quae ex eorum deiectione, ibi, *Et dices.* Tertio illam, quae oriebatur ex hostium potestate, ibi, *Numquid* etc. Circa primum duo. Primo ponit dubitationem, *Dereliquit,* sine auxilio, et ideo non possum sperare liberationem: *Baruch 4. Derelicta sum sola.* Secundo excludit eam per similitudinem matris, *Nunquid potest.* Tertio adhibet promissionem de civitatis instauratione. Et primo quantum ad reaedificationem murorum, ponens divinum propositum, *Ecce in manibus;* quasi dicat, Ita teneo te in memoria, sicut qui scribit aut facit aliud signum in manu sua, aut sit ei memoria alicuius rei: *Muri tui,* quasi iam video reaedificationem murorum tuorum: *Ps. 89. Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quae praeteriit:* et expletionis modum, *Venerunt structores,* idest reaedificatores, scilicet Zorobobel, et Iesus, et alii, iam in oculis meis, *Dissipantes,* Chaldaei: *Zach. 4. Manus Zorobobel fundaverunt domum istam, et manus eius perficient eam. et scietis quia* etc. Secundo quantum ad habitationem virorum: et circa hoc tria facit. Primo praedicit civium adunationem, *Leva in circuitu: Baruch 4. Circumspice Hierusalem ad orientem, et vide iucunditatem quae veniet tibi.* Secundo civitatis rehabitationem, ostendens quod habitabitur, *Vivo ego,* modus

iuramenti, *Velut ornamento*, sicut sponsa vestibus, sic urbs ornatur civibus: *Isa. 51. Indue te vestimento salutis*, ostendens quod habitatoribus implebitur, *Quia deserta*, quantum ad habitatores, *Solitudo*, quantum ad cultores, *Ruinae*, quantum ad muros destructos: *Zach. 2. Absque muro habitabitur.* Tertio etiam ostendit quod ab hostibus vacuabitur, *Longe.* Tertio praedicit habitatorum multitudinem, *Ad haec dicent filii sterilitatis*, idest qui nati sunt quando te sterilem credebas, vacuata habitatoribus: *Isa. 54. Dilata locum tentorii tui. Et dices in corde* etc. Hic excludit secundam dubitationem. Et primo ponit admirationem, *Et dices*, prae admiratione, *Sterilis*, quia non erant in me viri, qui filios generarent, *Destituta*, divino auxilio: *Isa. 56. Quis audivit umquam tale?* Secundo excludit dubitationem, ponens modum multitudinis habitatorum, *Haec dicit Dominus*, quantum ad quatuor. Primo quantum ad divinam inspirationem, *Ecce levabo manum*, quasi in signum, *Et ad populos exaltabo signum meum: Supra 11. Levabit signum in nationibus.* Secundo quantum ad honorificam reductionem, *Et afferent filios in ulnis*, in quo significatur auxilium, quod a gentibus habuerunt, *Reges nutritii*, providentes tibi in necessariis: *Baruch 6. Adducet Dominus illo.* Quarto assignat huius rationem, *Et scies quia ego: Psal. 50. In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Nunquid tolletur* etc. Hic excludit tertiam dubitationem. Et primo ponit ipsam, *A forti*, Nabuchodonosor. Secundo excludit eam, *Quia haec dicit Dominus.* Primo ponens liberationis beneficium, *Et captivitas*, scilicet Iudaeorum: *Iob 26. Conterebam molas iniqui.* Secundo liberationis modum, ponens hostium destructionem, *Eos*, scilicet Chaldaeos, *Iudicaverunt*, iniuste: *Soph. 3. Ego interficiam omnes qui afflixerunt te.* Et ponit poenae determinationem: *Et cibabo*; vel propter dissensionem, sicut *supra 10. Unusquisque carnem brachii sui vorabit.* Vel propter mortuorum multitudinem, quia unus cadebat super sanguinem alterius ac si vellet bibere. Vel propter famem. Tertio ponit liberationis fructum, *Et sciet omnis caro: Supra 40. Videbit omnis caro salutare Dei nostri.*

## a CAP. L.

Haec dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam. Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, et in seeleribus vestris dimisi matrem vestram, quia veni, et non erat vir, vocavi, et non erat qui audiret. Numquid abbreviata, et parvula facta est manus mea ut non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum. Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum. Computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. Induam caelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, et audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam, ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me. Quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis est adversarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus. Quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei: speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

## a CAP. L.

Hic incipit removere impedimenta liberationis. Et primo removet impedimenta. Secundo apponit remedia, *cap. 53. Quis credidit* etc. Circa primum removet tria impedimenta. Primo divinorum beneficiorum. Secundo abiectionem personarum, *cap. 51. Audite me.* Tertio copiam rerum, *c. 52. Consurge* etc. Circa primum tria. Primo excludit impedimentum. Secundo ponit seipsum in exemplum, *Dominus dedit* etc. Tertio concludit salubre consilium, ibi, *Quis ex vobis* etc. Circa primum duo. Primo excludit defectum divinorum beneficiorum ex parte divinae voluntatis. Secundo ex parte divinae potestatis, *Numquid abbreviata* etc. Circa primum tria. Primo excludit divinae voluntatis defectum, quasi non vellet ex seipso Deus benefacere, excludens duplicem modum alienationis, scilicet modum alienandi uxorem, qui erat per libellum repudii, sicut dicitur *Deut. 24. Quod quidem eis permissum est ad duritiam cordis ipsorum Matt. 19.* ibi, *Quis est hic* etc. Sed contra: *Hier. 3. Pro eo quod moechata esset Israel, dimisissem eam.* Et dicendum, quod Dominus quantum est in se, non repudiavit eos, sed ipsi per peccata sua Deum dimiserunt. Excludit etiam modum alienandi possessionem, *Aut quis est;* quasi dicat, Vos qui estis mea haereditas: *Supra 19. Haereditas mea Israel. Vendidi*, quoniam potius salvavi. Unde patet ex quo non alienavi vos a dominio meo, quod paratus sum benefacere quantum ex me est. Secundo ostendit humanae voluntatis peccatum: *Ps. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea: Rom. 7. Ego enim homo carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Tertio ponit argumentum, *Quia veni*, per inspirationem, *Vocavi*, per prophetas: *Prov. 1. Vocavi, et renuistis accipere disciplinam. Numquid abbreviata.* Hic excludit defectum ex parte divinae potestatis, excludens primo potestatis defectum, *Abbreviata*, ut etiam longinquos non subiicere mihi possim? *Parvu-*

*la*, contra potestates: *Isa. 59. Ecce non est abbreviata manus Domini.* Secundo ponit divinae potentiae signum, *Ecce.* Primo in aquis, *Increpatione*, idest iussione, *Faciam*, si voluero, sicut feci in exitu Israel de Aegypto: *Exod. 14. de mari rubro: Psal. 105. Increpuit mare rubrum, et exsiccatum est, ponam flumina, sicut Arnon, Nu. 21.* et Iordanem, *Ios. 4. Computrescent*, sicut *Exod. 7.* quando aquae versae sunt in sanguinem: *Psal. 105. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.* Secundo ostendit signa suae potentiae in caelis, *Induam caelos*, aereos, *Tenebris*, sicut in Aegypto factum est, ut habetur *Exod. 10. Ps. 140. Quis operit caelum nubibus. Dominus dedit* etc. Hic ponit seipsum in exemplum. Et primo quantum ad beneficii percepti gratiam: tum quantum ad eloquentiam, *Linguam eruditam sustentate*, confortationibus: *Iob 4. Vacillantes confirmaverunt manus tuae, et genua debilia roborasti*: tum etiam quantum ad sapientiam, *Erigit*, ad attendendum, *Mane*, a principio praedicationis meae, vel a principio aetatis. Vel quia tunc solitus erat orare: *Ps. 62. In matutinis meditabor in te. Aperuit*, ad intelligendum: *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Matt. 2. Magister vester unus est Christus.* Secundo ponit seipsum in exemplum quantum ad obedientiam, *Ego autem non contradico*, sed recipio et accepto ipsius inspirationem: *Retrorsum non abii*, a bono proposito: *Supra 45. Vae qui contradicit factori suo.* Ponit etiam obediendi conscientiam, quia obedientiam pro nullo periculo dimisit. *Corpus meum dedi*, idest exposui me ut talia paterer. Vel forte ad literam haec passus est, sed in Christo plene impletum est *Matth. 26. et 27. Hier. 12. Dedi dilectam in manus inimicorum.* Tertio ponit seipsum in exemplum quantum ad fiduciam, quam in Deo habebat. Primo ponens paratam defensionem, *Dominus Deus auxiliator: Hier. 20. Dominus mecum est, tamquam bellator fortis.* Secundo fiduciae securitatem, *Et posuit*, ut timore vel rubore moverer: *Ezech. 3. Ut adamantem et silicem dedi te.* Tertio assignat securitatis rationem ex potestate adiuvantis, *Iuxta est qui iustificat me*, scilicet Deus, *Quis contradicet*, verbis, *Stemus simul: Iob 18. Pone me Domine iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me. Adversarius*, factis, *Condemnet*, falsis iudiciis: *Rom. 8. Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Iterum ex infirmitate impugnantis, *Ecce omnes quasi vestimentum*, vetustate, in quo naturalis defectus, *Tinea*, in quo violentus: *Iob 32. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea;* ac si diceret, Ex omnibus his sicut ego post accepta beneficia Deo obedio, et in ipso confido, ita et vos. *Quis ex vobis* etc. Hic concludit ex exemplo suo salubre consilium. Et primo ponit consilium. Secundo ponit consilii contemptum, ibi, *Ecce omnes vos* etc. Consilium autem datur, ut in Deo confidant. Unde tria facit. Primo requirit confidentium idoneitatem, quae est ex timore et obedientia, *Servi*, Isaiae, vel cuiuscumque alterius: *Ps. 26. Quis est homo qui timet Dominum?* Secundo ostendit confidentiae necessitatem, *Qui ambulavit in tenebris*, erroris. Vel adversitatis: *Iob 11. Qui ambulat in nocte, offendit.* Tertio ponit ipsum consilium, *Sperent in nomine. Ecce omnes* etc. Hic ponit consilii contemptum, ponens tria. Primo culpam, *Accendentes*, peccatis vestris, *Ignem*, vobis merentes, *Accincti*, quasi ligati in peccatis vestris. Vel expediti ad peccandum: *Supra 1. Erit fortitudo vestra ut favilla stuppae.* Secundo ponit poenam, *Ambulate;* quasi dicat, Recipite poenam: *Ps. 82. In laboribus manuum suarum comprehensus est peccator.* Tertio ponit punientis potentiam, *De manu*, scilicet potentiae Dei, *Dormietis*, somno mortis. Nota super illo verbo, *Iniquitatibus venditi estis*, quia homo pro peccato vendit multa. Primo animi virtutem: *Thren. 1. Dederunt pretiosa quaeque pro vili.* Secundo caelestem haereditatem: *3. Re. 21. Propitius sit mihi Dominus, ne vendam haereditatem patrum meorum.* Tertio animae libertatem: *Eccl. 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam.* Quarto divini amoris honorem: *Osee 3. Diligit Dominus filios Israel, et ipsi respectant ad Deos alienos, et diligunt vinacia uvarum.* Item super illo verbo, *Ego autem non contradico*, nota, quod Deo contradicunt primo infideles divinae veritati: *Eccl. 1. Ne contradicas verbo veritatis.* Secundo impatientes divinae correctioni: *Iob 11. Quis contradixit ei, et pacem habuit.* Tertio impoenitentes divinae bonitati: *Osee 11. Populus meus pendebit ad reditum meum.* Nota super illo verbo, *In doloribus dormietis*, quia peccatores dolent in morte. Primo propter corporalium amissionem: *Iob 27. Dives cum dormierit, nihil secum afferet.* Secundo propter conscientiae contradictionem, *cap. 5. Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes.* Tertio propter futurae gloriae desperationem: *Thre. ult. Cecidit corona capitis nostri. Vae nobis quia peccavimus.* Quarto propter poenae timorem: *Psal. 47. Ibi dolores ut parturientis* etc.

## a CAP. LI.

Audite me, qui sequimini quod iustum est, et quaeritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua precisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae peperit vos. Quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Dominus Syon, et consolabitur omnes ruinas eius. Et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me populus meus, et tribus mea me audite. Quia lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos iudicabunt. Me insulae expectabunt, et brachium meum sustinebunt. Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum, quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores eius sicut haec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis, iustum, populus meus lex mea in corde

eorum. Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam sic devorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea in generationes generationum. Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam ut transirent liberati. Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Syon laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum. Gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris, qui tetendit coelos, et fundavit terram, et formidasti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum? ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad operiendum, et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis eius. Ego autem sum Dominus Deus tuus qui conturbo mare, et intumescunt fluctus eius, Dominus exercituum nomen meum, et in umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos, et fundes terram, et dicas ad Syon, Populus meus es tu. Elevare, elevare, consurge Hierusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae eius. Usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad foeces. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit, et non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis quos enutrivit. Duo sunt quae occurrerunt tibi. Quis contristabitur super te? Vastitas, et contritio, et fames, et gladius. Quis consolabitur te? Filii tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. Idcirco audi haec paupercula, et ebria, non a vino. Haec dicit dominator tuus Dominus, et Deus tuus, qui pugnavit pro populo suo. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meae. Non adiiciam, ut bibas illum ultra. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, et dixerunt animae tuae, Incurvare ut transeamus, et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.

## a CAP. LI.

Hic excludit secundum impedimentum, quod posset credi ex ipsa oppressione et humiliatione Iudaeorum: et dividitur in tres partes. In prima excluditur impedimentum deiectionis ex eorum paucitate. In secunda ex opprimentium potestate, ibi, *Audite me* etc. In tertia ex poenarum gravitate, ibi, *Ego sum qui conturbo* etc. Circa primum tria. Primo excitat attentionem, ponens eorum idoneitatem, *Qui sequimini*, bonis operibus, *Et quaeritis*, recta intentione: *Psal. 33. Divites eguerunt, et esurieruut, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Secundo excludit paucitatis timorem, ibi, *Quia unum* etc. Tertio ponit promissionis firmitatem, ibi, *Levate in caelum* etc. Circa primum tria. Primo ponit exemplum, *Attendite ad patrem*, scilicet Abraham, propter eius senectutem, *Excisi*, quasi violenter, non secundum cursum naturae, *Cavernam*, scilicet Saram, cui desierant fieri muliebria, *Gen. 18. Rom. 10. Non consideravit corpus suum, cum esset emortuum:* in quo ostenditur, quod Deus potens est foecundare, *Quia unum vocavi*, *Gen. 12.* Et concludit divinae consolationis beneficium, *Consolabitur*, quantum ad reaedificationem civitatum, *Omnes ruinas: Ezech. 14. Consolamini super malo, quod induxit in Hierusalem.* In omnibus quantum ad culturam agrorum, *Et ponet desertum*, idest terra vestra, quae prius erat deserta. Et quantum ad laetitiam hominum, *Gaudium: Supra 30. Canticum erit vobis.* Tertio executionis modum, *Attendite ad me.* Et primo ponit divinam intentionem, *Lex*, praeceptum Cyri de liberatione populi, *Iudicium*, de iustitia Domini promulgata, *In lucem*, consolationem: *Supra 9. Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* Secundo ponit iudicii propinquitatem, *Prope est iustus*, scilicet Cyrus, vel Christus, *Egressus*, iam in praescientia mea: *Supra 46. Prope feci iustitiam meam, et non elongabitur, et salus mea, et non morabitur.* Tertio ponit iudicii utilitatem, *Brachia*, potentes, *Mea*, virtute, Cyrus et Darius, *Insulae*, diversae gentes in me sperabunt, videntes populi liberationem: *Supra 42. Ponet in terra iudicium. Levate in coelum* etc. Hic ostendit divinae promissionis firmitatem, per comparationem ad creaturarum mutationem. Unde primo ponit creaturae mutabilitatem, *Languescent*, quantum ad figuram, et quantum ad substantiam. Et similiter dicendum de aliis: *Ps. 101. Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.* Secundo divinae promissionis firmitatem, *Salus*, quam promitto. Vel quia hoc ex me numquam deerit, quin sim paratus salvare, et iustitiam facere: *Luc. 21. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Audite me* etc. Hic excludit impedimentum, quod timeri poterat ex oppressione, quantum pertinet ad potestatem opprimentium: et circa hoc duo facit. Primo ponitur Domini confortatio. Secundo prophetae disceptatio, ibi, *Consurge* etc. Circa primum primo excitat attentionem, *Qui scitis iustum*, idest iustitiam, quae in iudiciis meis vobis revelavi: *Ps. 147. Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non mani-*

*festavit eis. In corde*, in cognitione : *Prov. 4. Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui.* Secundo excludit timorem , *Nolite timere* , timore , *Hominum* , qui vos contemptui habent , de sua potentia gloriantes : *Psal. 21. Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Tertio ostendit eorum fragilitatem, *Sicut enim vestimentum: Iob 18. Qui quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Quarto divini auxilii firmitatem, *Salus autem : Supra 45. Israel salvatus est in Domino salute aeterna.* Nota super illo verbo, *Ponet desertum eius quasi delicias*, quia sancti habent duplices delicias. Primas gloriae, quae consistunt primo in plena Dei visione : *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis afflues.* Secundo in perfecta dilectione. Tertio in copiosa refectione. Quarto in eminenti auctoritate. Secundas gratiae , quae consistunt primo in perceptione divini luminis : *Ps. 148. Nox illuminatio mea , in deliciis meis.* Secundo in proposito, vel solicitudine boni operis: *Eccl. 5. Non recordabor dierum.* Tertio in ornatu virtutum: *Cant. 7. Quam pulchra es, et quam decora in deliciis.* Quarto in quiete cordis : *Is. 58. Vocaberis sabbatum delicatum. Consurge* etc. Hic proponitur prophetae ad Deum disceptatio, qua conqueritur quod hostes populi, aliter quam divina fortitudine consummantur. Unde primo ponitur prophetae petitio. Secundo Domini responsio, ibi, *Ego ego* etc. Circa primum duo. Primo ponit suam petitionem, in qua invocat divinae potentiae brachium , *Et brachium Domini*, idest virtus Dei, *Consurge*, quasi a somno: *Ps. 43. Exurge quare dormis Domine, Induere*, sicut miles arma bellica ad hostes nostros impugnandum : *Ps. 92. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute: Iob 39. Si habes brachium sicut Deus ?* Allegat etiam divinae fortitudinis signum in occisione Pharaonis , *Numquid non tu percussisti draconem*, Pharaonem , *in divisione maris , Numquid.* Secundo annuntiat populo suae petitionis exauditionem, *Nunc*, sicut fuit in exitu de Aegypto, *Qui redempti*, de captivitate Babylonis. *Ego ego* etc. Hic ponitur Domini responsio ad populum colloquentis. Et primo promittit consolationem , *Consolabor : 2. Cor. 1. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri. Et inf. Et Deus totius consolationis , qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Secundo excludit hostium timorem, ponens eorum fragilitatem, *Quis es tu, quasi foenum: Supra 40. Omnis caro foenum , et omnis gloria eius , quasi flos agri.* Tertio Dei protegentis potestatem , *Et oblitus* etc. *Deut. 32. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui?* Quarto hostis insultationem , *Ubi est .... tribulantis*, Nabuchodonosor, vel Senacherib: *Iob 20. Si ascenderit in coelum superbia tua , inde detraham te.* Tertio ostendit consolationis ordinem, *Cito veniet*, scilicet Cyrus, *Ad aperiendum*, carcerem captivis, *Non interficiet*, vos , sicut alii reges Chaldaeorum: *Nec deficiet vobis*, panis sustentationis ipsius: *Supra 33. Panis ei datus est : Sup. 42. Dedi te in foedus populi mei. Ego autem* etc. Hic excludit impedimentum quod posset putari ex eorum deiectione, quantum pertinet ad poenarum magnitudinem. Et primo ponit Dei confortantis potestatem, *Ego sum qui conturbavi mare* , contra peccatores diversas tribulationes immittens : *Psalm. 10. Quoniam iustus Dominus , et iustitias dilexit.* Secundo prophetae concessam auctoritatem , *Posuisti verba*, o Isaias, *Coelos*, idest ut plantandos praedicas, maiores de populo, *Terram*, minores. Vel *Plantes*, tuis doctrinis. Tertio promittit a poenis liberationem, *Elevare.* Et circa hoc duo facit. Primo ponit praeteritam afflictionem. Secundo promittit liberationem, ibi, *Ecce tuli* etc. Circa primum tria. Primo ostendit poenae cumulum , *Usque ad fundum* , quasi ad ultimum poenarum perpessa, *Soporis*, idest mortis: *Psal. 74. Calix in manu Domini vini meri plenus misto.* Secundo excludit omne humanum remedium , scilicet defensionis, *Non est qui sustentet* , liberationis, *Non est qui apprehendat*, compassionis, *Duo*, in rebus, *Vastitas*, cuius effectus est fames in personis, *Contritio* , cuius ultimum est gladius occidens : *Hier. 15. Qui gladium ad gladium.* Et consolationis, *Quis consolabitur : Thren. 1. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eis.* Tertio ostendit huius rationem , *Fili tui profecti* , a terra sua , *In capite viarum* , quasi existentes in via , quando ducebantur in captivitatem, *Oryx*, animal immundum, idest mus aquaticus , vel animal multum dormiens , scilicet glis , vel quaedam avis quae est in Africa , vel Oryx onigis animal mundum simile capreo , de quo *Deut. 14. et 70.* All. Beta quae est quaedam herba cito solis ardore deficiens , vel genus olerum vilissimum. *Idcirco* etc. Hic promittit liberationem : et circa hoc duo facit. Primo eorum liberationem , *Inebriamini et non a vino* , sed amaritudine poenarum: *Thren. 3. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Qui pugnavit*, in exitu de Aegypto: *Exod. 14. Dominus enim pugnavit pro vobis.* Secundo hostium punitionem, et ponam illum, *Dixerunt animae tuae incurvare* , sub potestate nostra , adeo te vilem tractantes , sicut lutum quod conculcatur : *Psalm. 93. Populum tuum Domine humiliaverunt , et haereditatem tuam vexaverunt.*

## a CAP. LII.

Consurge consurge , induere fortitudine tua Syon : induere vestimentis gloriae tuae Hierusalem civitas sancta , quia non adiiciet ultra , ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede Hierusalem. Solve vincula colli tui captiva filia Syon , quia haec dicit Dominus: Gratis venumdati estis , et sine argento redimemini. Quia haec dicit Dominus Deus: In Aegyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis. Damnatores eius inique agunt, dicit Dominus , et iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa , quia ego ipse qui loquebar , ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicen-

tis. Syon regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum. Levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum convertit Dominus Syon. Gaudete, et laudate simul deserta Hierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Recedite recedite, exite inde, pollutum noli tangere. Exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Praecedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et levabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic ingloriosus erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum. Quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non audierunt, contemplati sunt.

## a CAP. LII.

Hic excludit tertium impedimentum liberationis, quod poterat dubitari, et ex inopia rerum promittens eis gratuitam liberationem: et dividitur in duas partes. Primo enim praedicit liberationem Iudaeorum a Babyloniis. Secundo liberationem gentium a peccatis, ibi, *Ecce intelliget* etc. Circa primum duo. Primo praedicit liberationem. Secundo liberationis ordinem, ibi, *Paravit Dominus* etc. Circa primum tria. Primo promittit liberationem gratuitam. Secundo assignat liberationis causam, ibi, *Quia haec dicit Dominus Deus* etc. Tertio indicit liberatis laetitiam, ibi, *Quam pulchri* etc. Promittitur autem eis liberatio tribus modis. Primo ab oppressione hostium, quantum ad bona quae recuperaverunt, *Consurge*, a debilitate, qua hostibus resistere non poteras. Et ideo dicit, *Induere fortitudine*, sicut armis militaribus, *Syon*, in qua erat arx ad defensionem civitatis, *Consurge*, a miseria quam incurristi, spoliantibus hostibus. Et ideo dicit, *Induere vestimentis gloriae tuae*. Gloria civitatis est frequentia civium, pulchritudo viarum, opulentia rerum: *Baruch 5. Exue te Hierusalem stola luctus, et vexationis tuae, et indue te decorem, et honorem, quae a Deo est tibi sempiternam gloriam.* Et quantum ad hostes quos evaserunt, *Quia non adiiciet ut transeat*, quasi vastans ac dominans, *Incircumcisus*, quantum ad hostes gentiles, *Immundus*, quantum ad proditores ex eodem populo: *Apocal. 20. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Secundo promittit liberationem a vilitate inhabitantium, quia derelicti sunt de pauperibus terrae, sicut dicitur *4. Reg. ult. et Hier. ult. Excutere de pulvere*, vilitatis, *Consurge*, resistens adversariis tuis, et tunc deinde, *Sede*, quieta: *1. Reg. 2. Suscitans de pulvere egenum.* Tertio promittit liberationem a detentione captivorum, praecedens liberationis beneficium, *Solve vincula*, i-dest exi de captivitate: *Levit. 16. Confregi catenas cervicum vestrarum, ut ambularetis erecti.* Et ostendit liberationis modum, *Quia haec dicit Dominus: Gratis venundati estis*; quasi dicat, Nulla beneficia vobis praestiterant, qui vos captivaverunt, *Redimemini*, a captivitate Babylonis per Cyrum: *Psal. 44. Vendidisti populum tuum sine pretio. Quia haec dicit* etc Hic assignat liberationis duas causas, scilicet calumniam populi, et blasphemiam Dei. Et primo allegat calumniam, *In Aegypto... in principio*, in patribus: *Gen. 46. et 47. Ut colonus*, et ita aliquod ius habebant opprimendi eos ex beneficiis impensis, *Et Assur*, sub quibus etiam Chaldaei includuntur, *Absque alla causa*, nulla beneficia eis praestans. Si ergo liberationem abegit, *Quid mihi est*, idest quid impedit quod modo non liberem Hierusalem? Secundo sententiam pronunciat, *Quia ablatus est*, de terra sua, *Dominatores*, qui sibi dominium usurpaverunt, scilicet Chaldaei, *Et*, quoniam, *Iugiter blasphematur*, quasi non possim populum meum liberare: *Ezech. 36. Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, propter hoc in die illa*, liberationis, *Qui loquebar*, promittens, *Adsum*, ad explendum: *Baruch 3. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est: Heb. 1. Multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio*, si exponatur mystice de adventu Christi. *Quam pulchri* etc. Hic indicit liberatis laetitiam. Et primo describit laetitiam, quantum ad receptionem nunciorum qui venientes de Chaldaea eam nunciaverunt, *Pulchri*, quia pulchrum et delectabile erat populo talia annunciantes audire, *Super montem*, ut multi audiant, *Praedicantis*, publice, *Pacem*, a Cyro restitutam, *Bonum*, subsidii promissi, *Salutem*, a captivitate, *Regnabit*, quia ultra tantum Deus in te regnabit, quia ipsum coles in templo reparato. Secundo describit laetitiam quantum ad inspectionem speculatorum, qui inde redeuntes videbant, ponens exultationis vocem, *Vox*, laetitiae resonabit: *Act. 4. Unanimiter elevaverunt vocem ad Deum.* Et laetitiae rationem, *Quia oculo*, quasi oculis suis videbunt captivos venientes: *Supra 33. Oculi tui videbunt Hierusalem praeceptorem tuum.* Tertio quantum ad adventum captivorum, *Gaudete: Supra 35. Laetabitur deserta, et exultabit solitudo.* Nota super illo verbo, *Induere vestimentis*, quia sancti habent vestimenta virtutum, de quibus gloriantur. Et ista primo sunt ad protegendum: *Isa. 61. Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me.* Secundo ad calefaciendum: *Prov. ult. Non timebit domui suae a frigoribus nivis, omnes enim domestici eius vestiti duplicibus.* Tertio ad ornandum: *Apoc. 3. Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae.* Haec vestimenta primo debent esse candida in honestate operis: *Eccl. 9. Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Secundo munda in rectitudine intentionis: *Supra 9. Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis.* Tertio odorifera per famae divulgationem: *Cantic. 4. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Item super illo verbo, *Solve vincula*, nota, quod sunt vincula a quibus solvit Deus. Primo mundae solicitudinis: *Iob 39. Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit?* Secundo

carnalis amoris: *Eccles. 7. Inveni amariorem morte mulierem, et vincula eius plena sunt dolo.* Tertio perversae actionis: *Psalm. 106. Eduxit eos de tenebris, et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.* Quarto pravae consuetudinis: *Supra 5. Vae qui trahitis iniquitatem, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Item sunt vincula a quibus Deus non solvit. Primo charitatis: *Osee 11. In funiculis charitatis traxi eos.* Secundo divinae legis: *Hier. 2. A saeculo confregisti iugum.* Tertio divinae instructionis: *Ecclesi. 6. Subiice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris in vinculis eius. Paravit Dominus* etc. Hic exequitur liberationis ordinem. Et primo ponit manifestum Dei auxilium, *Brachium*, scilicet virtutem suam, quam omnes in hoc facto advertere potuerunt: *Ps. 97. Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.* Secundo indicit captivis egressum, *Recedite*, scilicet de Babylone, *Pollutum*, nolite inter eos pollutos conversari: *Apocal. 18. Exite de illa populus meus.* Tertio docet egrediendi modum. Quantum ad puritatem, *Mundamini*, sacerdotes. Quantum ad securitatem, *In tumultu exibitis*, scilicet belli, sicut de Aegypto. Quantum ad ductorem, *Praecedet*, quasi dux, *Et congregabit*, quasi pastor: *Ezec. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et reducam vos in terram vestram. Ecce intelliget* etc. Hic praedicit liberationem gentium a servitute peccati per Filium Dei factam. Et primo describit liberatorem, quantum ad gratiae eminentiam, *Intelliget*, quantum ad sapientiae plenitudinem, *Servus*, secundum naturam assumptam, Christus: *Philip. 2. Formam servi accipiens: Prover. 4. Acceptus est regi minister intelligens. Exaltabitur*, quantum ad virtutum operationem: *Psal. 20. Exaltare Domine in virtute tua. Elevabitur*, quantum ad ascensionem: *Ps. 8. Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos: Ephes. 4. Qui descendit ipse est et qui ascendit. Et sublimis*, sedens ad dexteram Patris: *Supra 4. Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis.* Et quantum ad passionis ignominiam, *Sicut enim obstupuerunt*, exemplis, miraculis, et doctrinis: *Matth. 12. Stupebant omnes turbae super doctrina eius, et miraculis, quae faciebat. Inglorius erit*, in passione, *Et forma*, spiritus sui decor: *Psalm. 21. Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Secundo praedicit liberationem, quantum ad peccatorum remissionem, *Iste asperget*, aspersione sanguinis, et aqua baptismi. Quantum ad ipsius venerationem, *Super ipsum tacentes*, ad auscultandum, *Non praesumentes*, ad secreta ipsius tractandum: *Iob 39. Principes cessabant loqui.* Et quantum ad veritatis cognitionem, *Quia quibus*, scilicet gentibus, *Non erat*, per prophetas, *Videbunt*, corde, *Audierunt*, ipsum personaliter praedicantem: *Infra 65. Ecce ego ad gentes quae nesciebant me, et quae non invocabant nomen meum.*

## a CAP. LIII.

Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius, et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit, et saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus servos meos multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

## a CAP. LIII.

Hic incipit ponere remedia contra dicta impedimenta. Et primo contra peccatum promittit Christi passionem. Secundo contra depressionem promittit exaltationem, *c. 54. Lauda sterilis* etc. Tertio contra paupertatem gratuitam rerum fruitionem, ibi, *Omnes sitientes* etc. Circa primum duo. Primo ostendit altitudinem mysterii, quia nec auditui facile creditur: *Auditui*, de his, quae de Christo a te audivimus: *Abach. 2. Domine audivi auditum tuum, et timui.* Nec facile videtur. *Et brachium*, idest Filius Dei, Dei virtus: *Iob 39. Si habes brachium sicut Deus?* Secundo prosequitur ordinem facti. Et primo proponens similitudinem, quantum ad ipsius exaltationem, *Et ascendet*, ex ventre matris nascendo, ex morte resurgendo, de mundo in caelum ascendendo, et in fidem gentium,

*Sicut virgultum*, quod in altum crescit, et in altum multiplicatur : *Supra 11. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet.* Et quantum ad ipsius humanitatem, *Et sicut radix de terra sitienti*, idest de terra sine humore, quae prae siccitate indecora videtur, sic etiam ipse ortus est de matre absque virili humore: *Apoc. ult. Ego sum genus et radix David.* Secundo ponit similitudinis expositionem, ibi, *Non est* etc. Et primo quantum ad humiliationem. Secundo quantum ad exaltationem, ibi, *De angustia* etc. Circa primum duo. Primo describit Christi humilitatem. Secundo humiliati mansuetudinem, ibi, *Oblatus est* etc. Circa primum tria. Primo describit humilitatis officium. Secundo humiliati contemptum, ibi, *Et quasi absconditus* etc. Tertio humiliationis fructum, ibi, *Ipse autem vulneratus* etc. Circa primum duo. Primo ostenditur eius humilitas quantum ad absconsionem maiestatis, *Non est ei species*, quantum ad affluentiam interiorum bonorum, *Neque decor*, quantum ad affluentiam exteriorum : species enim proprie respicit pulchritudinem quantum ad commensurationem membrorum, sed decor quantum ad convenientiam coloris et aliorum circumadiacentium. Habebat siquidem speciem, *Quia speciosus forma prae filiis hominum*, sed latebat propter infirmitatem assumptam. Habebat decorem, quia *Fortitudo, et decor indumentum eius*, *Prov. ultim.* Sed latebat propter paupertatem servatam: unde *Cant. 2. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Et ideo nos qui tunc increduli, et postea conversi, in quorum persona loquitur, *Vidimus eum*, corporaliter, *Et non erat aspectus*, magnificus, secundum quod dicitur, quod species Priami digna est imperio. Secundo ostenditur eius humilitas quantum ad ostensionem infirmitatis, *Et desideravimus eum*, cum desiderio expectantes quasi magnum redemptorem: *Agg. 2. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus.* Et in dignitate contra quod, *Vidimus eum despectum*, inglorium, *Novissimum virorum*, propter turpissimum genus mortis: *Sap. 2 Morte turpissima condemnemus eum.* Magnum etiam in prosperitate, contra quod invenimus eum, *Virum dolorum*, quasi miserum et doloribus plenum: *Thren. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Magnum etiam in potestate, contra quod invenimus eum, *Scientem infirmitatem*, per experimentum: *2. Cor. ultim. Nam et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Et quasi absconditus* etc. Hic ostendit humiliati contemptum. Et primo quantum ad maiestatem absconsam in subtractione honoris, *Quasi asconditus*, latens maiestas sub infirmitate carnis, *Unde nec reputavimus eum*, debitum honorem non impendendo: *Supra 45. Vere tu es Deus absconditus.* Secundo quantum ad infirmitatem ostensam ponens infirmitatis signum, *Vere*, sicut verus homo, *Languores*, infirmitates, sicut famem, sitim, *Tulit*, sustinuit, *Dolores*, sensibiles in passione et tristitiam. Vel *languores;* peccata abstulit a nobis, vel loco nostri poenas sustinuit: *1. Petri 2. Peccata nostra pertulit super lignum.* Ponens etiam contemptum, *Et nos reputavimus eum quasi leprosum*, immundum, et peccatorem; et ideo, *Percussum a Deo*, pro peccatis suis, quantum ad poenas, *Et humiliatum*, quantum ad ignominias : *Iob 22. Propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas.* Item nota super illo verbo, *Brachium Domini cui revelatum est*, quia Christus est brachium primo ad flagellandum daemones: *Psal. 88. In brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.* Secundo ad supportandum debiles: *Supra 4. In brachio suo levabit agnos.* Tertio ad defendendum fideles : *Sap. 5. Dextera sua teget eos.* Item super illo verbo, *Virgultum*, quia Christus est virga primo ad percutiendum: *Num. 23. Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel* etc. Secundo ad sustentandum : *Psal. 22. Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Tertio ad dirigendum: *Psal. 44. Virga directionis, virga regni tui.* Item super illo verbo, *Radix de terra*, quia Christus est radix primo propter absconsionem: *Eccl. 1. Radix sapientiae cui revelata est.* Secundo propter nutrimenti ministrationem: *Hier. 17. Erit tamquam lignum, quod ad humorem mittit radices.* Tertio propter totius arboris sustentationem: *Rom. 11. Non tu radicem portas. Ipse autem vulneratus* etc. Hic ponit humiliationis, sive passionis fructum. Et primo assignat rationem moventem, *Ipse autem*, non sicut putavimus, *Sed vulneratus*, spinis, clavis, lancea, *Propter iniquitates nostras*, tollendas, *Attritus*, Flagellis, alapis. Vel *Vulneratus*, quantum ad id, quod dicit percussum, *Attritus*, quantum ad id, quod dixit humiliatum: *Thren. 4. Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* Secundo ostendit utilitatem consequentem in reconciliatione pacis, *Disciplina pacis*, idest ipse pro nobis disciplinam correctionis sustinuit: per quam pacem habemus accessum ad Deum: *Rom. 5. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in ira* etc. Et in restitutione perditae sanitatis, *Livore*, quem ex virgis habuit: *1. Pet. 2. Cuius livore sanati estis: Ps. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertio ostendit necessitatem imminentem ex parte nostra, quia omnes infirmi. Unde omnes medico indigent, et nullus alius sufficiens remedium praebere poterat: *Rom. 2. Non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Omnes nos, quasi oves : 1. Pet. 2. Eratis aliquando sicut oves non habentes pastorem. Oblatus est* etc. Hic ostendit patientis mansuetudinem. Et primo proponit ipsam mansuetudinem. Et primo quantum ad voluntariam sui oblationem, *Oblatus est*, Deo scilicet Patri pro nobis hostia, *Quoniam ipse voluit : Psalm. 53. Voluntarie sacrificabo tibi : Ioan. 10. Ego pono animam meam, et iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* Secundo quantum ad patientem passionem, *Et non aperuit os suum*, quasi contradicens, et contendens, unde etiam coram Herode nihil respondit, *Luc. 22.* Secundo ponit similitudinem, *Sicut ovis ad occisionem*, quia sine resistentia occisus, *Et quasi agnus*, sine contradictione iniuriam passus: *Hier. 12. Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam.* Item notandum super illo verbo, *Novissimum*, quia Christus fuit novissimus primo propter doloris acerbitatem: *Thre. 3. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Secundo propter mortis turpitudinem: *Sa-*

*pien. 2. Morte turpissima condemnemus eum.* Tertio propter impositi criminis magnitudinem : *Prov. 30. Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.* Item super illo verbo, *Virum dolorum*, quod Christus fuit plenus doloribus primo propter morbi acerbitatem : *Supra 1. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Secundo propter gratiarum effusionem : *Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* etc. Tertio propter nostram obligationem: *2. Cor. 5. In hoc Christus mortuus est, ut iustificati per gratiam ipsius* etc. *De angustia* etc. Posita humilitate passionis, hic incipit ponere exaltationis gloriam, quae est passionis praemium, sicut dicitur *Phil. 2. Propter quod Deus exaltavit illum.* Et primo quantum ad evasionem periculorum. Secundo quantum ad ultionem hostium, ibi, *Et dabit impios* etc. Tertio quantum ad iustificationem hominum, ibi, *Si posuerit* etc. Quarto quantum ad victoriam rebellium, ibi, *Ideo dispertiam* etc. Circa primum duo ponit. Primo ponit praemium, *De angustia*, passionis, *De iudicio*, iniusto, quo ab aliis iudicatus est, *Sublatus est*, in resurrectione: *Prov. 11. Iustus de angustia liberatus est.* Secundo ponit meritum, ponens patientis dignitatem, ut ex conditione poenae meritum passionis pensetur, *Generationem*, aeternam qua de patre sine matre, vel temporalem, qua de matre sine patre, *Quis*, quasi dicat, Nullus naturali ratione, etsi aliqualiter inspiratione divina : *Eccl. 43. Quis vidit eum, et enarrabit?* Ponens etiam illatam passionem, *Quia abscisus est*, per mortem a Iudaeis, *De terra viventium*, de hac vita: *Hier. 12. Venite, mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.* Ponens etiam ex parte Dei Patris passionis acceptionem, *Propter scelus percussi*, idest percuti permisi. *Et dabit impios* etc. Hic ponit secundum, scilicet vindictam persequentium. Et primo ponit praemium, *Et dabit impios*, Iudaeos in manus Romanorum, *Pro sepultura*, quia ipsum in sepulcro custodiri fecerunt. Secundo ponit meritum, quantum ad viae innocentiam, *Eo quod iniquitatem non feci*, quantum ad peccatum operis, *Neque dolus in ore*, quantum ad peccatum oris : *1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Et quantum ad mortis obedientiam, *Et Dominus*, pater, *Voluit.* Et ipse obediens fuit Patri usque ad mortem: *Philip. 2. Factus obediens usque ad mortem : 1. Cor. 1. Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Si posuerit* etc. Hic ponit tertium, scilicet quod per ipsum completa est hominum iustificatio. Et primo ponit praemium contra mortis dolorem, *Si posuerit*, propria voluntate: *Io. 10. Pono animam meam. Videbit semen longaevum*, usque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis eius : *Io. 12. Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et voluntas dirigetur*, implebitur, *In manu*, in opere eius: *1. Thessal. 4. Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Et contra doctrinae laborem, *Pro eo quod laboravit*, praedicando, et discurrendo, *Videbit*, gentes ad se conversas, *Et saturabitur*, quasi habens, quod intendit: *Ioan. 4. Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Secundo ponit meritum, quantum ad exercitium praedicationis, *In scientia*, idest doctrina: *Roman. 5. Iustificati gratis ex fide: Ioa. 6. Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.* Et quantum ad tormentum mortis, *Iniquitates*, idest poenas pro iniquitatibus: *Supra 45. Ego feci, ego feram. Ideo dispertiam* etc. Hic ponit quartum, scilicet victoriam de hostibus. Et primo ponit hostium subiectionem, *Ideo dispertiam*, quasi partem suam ei dabo, *Plurimos*, qui credent in ipsum, *Et spolia fortium*, idest captivatos a daemonibus, *Dividet*, discipulis suis, diversos diversis gentibus praeponens : *Osee 13. Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis: Psal. 67. Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia.* Secundo ponit subiectionis rationem quantum ad mortem, *Pro eo quod tradidit;* et quantum ad genus mortis, *Et cum sceleratis: Luc. 23. Et crucifixi sunt cum eo duo nequam: Ps. 97. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum.* Tertio subiectorum salvationem: non enim quasi tyrannus sibi subdit ad vexandum, sed ad salvandum, *Et ipse peccata multorum*, efficienter, quamvis omnium sufficienter, *Tulit*, abstulit, et, *Pro transgressoribus oravit*: *Lucae 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

## a CAP. LIV.

Lauda sterilis, quae non paris, decanta laudem: et hinni, quae non pariebas, quoniam multi filii desertae magis quam eius, quae habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad levam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit, et civitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiae tuae oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terrae vocabitur. Quia ut mulierem derelictam, et maerentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. Dixit redemptor tuus Dominus: Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas diluvii ultra supra terram, sic iuravi ut non irascar tibi, et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent ; misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Paupercula tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris. Et ponam iaspidem propugnacula tua,

et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis. Et in iustitia fundaberis. Recede procul a calumnia, quia non timebis: et a pavore, quia non appropinquabit tibi. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adiungetur tibi. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum, et ego creavi interfectorem ad disperdendum. Omne vas quod fictum est, contra te non dirigetur, et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis.

## a CAP. LIV.

Hic contra rerum deiectionem promittit exaltationis remedium. Et primo promittit multitudinem contra paucitatem. Secundo honoris restitutionem contra confusionem, ibi, *Noli timere* etc. Tertio prosperitatem contra pristinam adversitatem, ibi, *Paupercula* etc. Circa primum tria. Primo praedicit filiorum multitudinem indicens gratiarum actionis laudem, *O sterilis*, Hierusalem, *Quae non paris*, quia derelicta et deserta, *Lauda*, Deum pro concessis beneficiis. Laudantium iucunditatem, *Decanta laudem:* est enim canticum mentis exultatio in vocem prorupta ex iucunditatis magnitudine, *Hinni*, in modum equi prae magnitudine vocem ad exprimendum formare non potens: *Hiere. 31. Exulta in laetitia Iacob: Ps. 146. Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio.* Et promittens filiorum multitudinem, *Quoniam multi*, quasi magis multiplicabuntur filii tui, quamvis sis deserta, quam illarum civitatum, quae viros habent ad generandum: *1. Reg. 2. Donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios infirmata est.* Secundo exhortatur ad loci ampliationem sub metaphora tentorii, *Dilata*, locum, quantum ad solum quo extenditur, *Pelles*, quibus tegitur, *Funiculos*, quibus paxilli ligantur, *Clavos*, quibus tabulae coniunguntur, vel ipsos paxillos. Et haec leguntur fuisse in tabernaculo foederis, *Exod. 26.* et *36.* Ac prae multitudine hominum oportet maiorem habitationem quaerere, quam sit terra promissionis. Tertio praedicit exhortationis impletionem, *Ad dexteram enim*, quasi undique te dilatabis: quod impletum fuit tempore Machabaeorum, quando appositae fuerunt quaedam civitates de regione Samariae, et de aliis regno Iudaeorum: *Gen. 24. Possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Noli timere* etc. Hic promittit pristini honoris restitutionem contra confusionem, quam prius sustinuerant. Secundo promissionis firmitatem, *Sicut in diebus Noe.* Circa primum duo facit. Primo promittit pristinae confusionis oblivionem, *Non confunderis*, interius, *Non erubesces*, exterius, *Pudebit*, ex consideratione tuae turpitudinis, *Oblivisceris*, prae abundantia gloriae, *Adolescentiae*, quando peccasti in deserto, *Viduitatis*, quando fuisti a Deo separata in captivitate Babylonis: *Supra 45. Non confundemini, neque erubescetis: Sopho. In die illa non confunderis super omnibus adinventionibus tuis.* Secundo promittit pristini honoris restitutionem. Et primo ponit restitutionem quantum ad dominium, *Quia dominabitur.* Et quantum ad coniugium, *Mulierem derelictam: Hiere. 3. Si dimiserit vir uxorem suam, et aliam duxerit, et recedens duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra?* Secundo promittit honoris ampliationem, quantum ad honorum multitudinem, *Dixit Deus ... in modico,* passa es respectu eorum quae tibi miserando tribuam: *2. Cor. 4. Id enim quod in praesenti est momentaneum.* Et quantum ad Dei timorem, *In momento;* quasi dicat, Brevi tempore iram meam sensisti respectu eius quo tui miserabor. Haec autem omnia quae dicta sunt, mystice exponuntur de vocatione gentium, quia gentilitas prius sterilis, postmodum multos filios congregavit secundum Glossam. *Sicut in diebus* etc. Hic ostendit promissionis similitudinem, *Iuravi*, idest firmiter statui, si tamen in praeceptis meis permanseris: *Genesis 9. Statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos.* Secundo ex creaturarum stabilium operatione, *Montes enim*; quasi dicat, facilius est montes et colles immutari, quam verba mea cessare. Vel per montes et colles mundi potentes: *Psal. 45. Non timebimus dum turbabitur terra.* Nota super illo verbo, *Lauda sterilis*, quia est sterilitas primo perversae actionis: *Iob 15. Congregatio hypocritae sterilis.* Secundo sacrae contemplationis: *Gen. 29. Rachel erat sterilis.* Tertio temporalis tribulationis: *Supra 49. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis.* Item nota super illo verbo, *Dilata tentorium*, quia dilatandum est cor primo propter hospitis magnitudinem: *Hiere. 23. Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus.* Secundo propter munerum multitudinem: *Infra 60. Videbis, et affluens, et dilatabitur cor tuum.* Tertio propter viae expletionem: *Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri.* Item nota super illo verbo, *In miserationibus magnis*, quia misericordiae futurae magnae sunt primo, quia intrinsecae: *Ro. 8. Existimo, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Secundo, quia aeternae: *2. Cor. 4. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna.* Tertio, quia perfectae: *Luc. 1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quarto, quia in plures extensae: *Luc. 14. Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos.* Quinto, quia integrae: *Apoc. 20. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Paupercula* etc. Hic promittit prosperitatem contra adversitatem. Et commemorat adversitatem pristinam, *Paupercula*, Hierusalem spoliata bonis, *Tempestate*, adversitate: *Supra 18. Ad gentem convulsam et dilaceratam mittam te.* Secundo promittit prosperitatem futuram, et quantum ad affluentiam bonorum proponens metaphoram, *Ecce ego sternam*, quasi in pavimento lapides pretiosos, significans homines virtutibus eminentes, *Per ordinem*, unumquemque in ordine suo. Et explanans ipsum, quantum ad scientiae divinae doctrinam, *Universos doctos: Hier. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Quantum ad pacis abundantiam, *Multitudinem: Psal. 118. Pax multa diligentibus legem tuam.* Et quantum ad operum iustitiam, *Et in iusti-*

*tia: Supra 1. Syon in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitiam.* Secundo quantum ad carentiam malorum, promittens primo periculorum evasionem, *Recede*, idest recedes, quia calumniam non patieris: *Psal. 71. Humiliabit calumniatorem.* Secundo extraneorum occasionem, *Ecce accola*, quia multi adhaeserunt de gentibus exeuntibus de captivitate: *Infra 56. Non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino dicens, separatione dividet me Dominus a populo suo.* Tertio promittens hostium destructionem, *Ecce ego.* Et primo ostendit promittentis potestatem, proponens similitudinem, *Fabrum*, persecutorem qui sufflat in ignem tribulationis vasa contraria secundum voluntatem suam: *Iob 41. Halitus eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur.* Et exponens ipsam, *Ego creavi: 1. Reg. 2. Dominus mortificat, et vivificat.* Secundo ponit promissionem, *Omne vas*, idest omnem filium dissipabit quantum ad impugnantes verbis, *Sup. 49. Et erunt, quasi non sint.*

## a CAP. LV.

Haec est haereditas servorum Domini, et iustitia eorum apud me, dicit Dominus. Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me, audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordiam David fidelis. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, quae non cognoverunt te, ad te current propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. Quaerite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae: neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur ab ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud. Quia in laetitia egrediemini, et in pace deducemini: montes, et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliuncula ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. Et erit Dominus nominatus in signum aeternum, quod non auferetur.

## a CAP LV.

Hic adhibet tertium remedium, promittens eorum abundantiam contra pristinam penuriam: et dividitur in duas partes. In prima ponit promissionem. In secunda ostendit promissionis firmitatem, ibi, *Et quomodo descendit* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit eorum, quibus promittitur, conditionem, *Haec est haereditas*, idest haec quae sequuntur, debentur servis Domini qui ei filii sunt, quasi haereditario iure: *Et iustitia*, quasi iusta merces. Secundo proponit promissionem, promittens fructuum copiam in necessariis, *Omnes sitientes*, idest vos ex Iudaeis, qui prius prae inopia sitientes eratis, *Emite*, sine pretio, *Comedite*, panem, et alia necessaria: *Io. 17. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre eius fluent aquae vivae.* Et in deliciis, *Venite, emite*, quasi ac si emeretis accipite, *Absque argento*, idest minus, quam iusto pretio, *Vinum, et lac: Cant. 5. Bibi vinum meum cum lacte meo.* Et commemorans pristinam inopiam, *Quare appenditis;* quasi dicat, quare hactenus argentum dabatis, *Et panem emere non poteratis? Aggaei 1. Seminastis multum, et intulistis parum.* Haec autem mystice exponuntur de aqua divinae sapientiae, quae gratis sitientibus datur secundum glossam. Tertio indicit praeparationem ad consequendum dictam promissionem, *Audite audientes.* Et primo excitat attentionem. Secundo ponit exhortationem, *Quaerite Dominum.* Excitat autem attentionem triplici promissione. Primo promittens attendentibus bonorum copiosam fruitionem. *Comedite*, idest reficiam vos diversis bonis, si me audiatis, *In crassitudine*, quantum ad copiam: *Supra 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis.* Secundo promittens mortis evasionem, *Inclinate: Psal. 118. In aeternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Tertio promittens potestatem. Et primo ponit similitudinem, *Et feriam pactum sempiternum*, sicut David veras promissiones feci, ut in sempiternum semen suum permaneret, sic et vobiscum faciam. Secundo explicat ipsam, ostendens quid David fecerit, *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus: Psal. 17. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Et quid eis facturus sit, subdit, *Ecce gentes vocabis*, ad praeceptum tuum implendum, non tuis viribus. *Sed propter Dominum: Supra 49. Adorabunt propter Dominum, quia fidelis, et sanctum Israel qui elegit te. Quaerite Dominum* etc. Hic indicit eis praeparationem ad consequendam dictam promissionem. Et primo dat temporis congruitatem quaerendi divinum consilium, *Quaerite Dominum, dum inveniri potest*, antequam adversitas, vel mors veniat. Secundo docet quaerendi modum, *Derelinquat impius*, peccans in Deum, *Iniquus*, peccans in proximum: *Supra 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Tertio ponit reversionis fructum,

scilicet misericordiam, *Et revertatur, quoniam multus*, idest multiplicis misericordiae ad ignoscendum : *Ioel. 2. Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, et misericors est, patiens, et multae misericordiae, et praestabilis super malitia. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem* ? Quarto excludit misericordiae impedimentum, *Non enim cogitationes;* quasi dicat, vos impii, ego pius, vos ultionem cogitatis, ego misericordiam: *Ezech. 18. Nunquid viae meae non sunt aequae domus Israel, et non magis viae vestrae pravae sunt ? Ecce quomodo* etc. Hic ostendit promissionis firmitatem. Et primo ponit divini verbi efficaciam, *Ad me vacuum*, idest sine fructu: *Osee 6. Veniet, quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terrae.* Secundo ponit continentiam quantum ad laetam remissionem de Babylone, *Quia in laetitia: Psalm. 104. Eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia.* Quantum ad aliorum congratulationem, *Montes et colles*, potentes, et populares, laudantes in vobis Dominum: vel est hyperbole, *Terra vestra*, vestrae reversioni congratulans. Quantum ad bonorum multiplicatam restitutionem, *Pro saliuncula*, idest priora pauca erant respectu futurorum: *Aggaei 2. Erit gloria domus huius novissimae, plus quam primae. Saliuncula*, a saliendo dicta, quae cardus leoprinus dicitur. Tertio ponit consequentem Dei gloriam, *Et erit Deus nominatus*, undique, et semper gloriosus pro liberatione vestra, *In signum aeternum*, ad quem confugient, sicut ad signum salutis: *Supra 40. Ecce ego levabo ad gentes signum meum.* Item nota super illo verbo, *Omnes sitientes venite ad aquas*, quod divina doctrina primo dicitur aqua : et hoc primo quia infirmos sanat: *Eccl. 15. Aqua sapientiae potabit illum.* Secundo quia inquinatos mundificat : *Ezec. 36. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Tertio quia sitientes satiat: *Io. 4. Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Secundo dicitur vinum : et hoc primo quia pungit arguendo : *Sup. 1. Vinum tuum mixtum est aqua.* Secundo quia incendit exhortando: *Psal. 104. Eloquium Domini inflammavit eum.* Tertio quia inebriat consolando : *Infra ult. Inebriamini ab uberibus consolationis vestrae.* Tertio dicitur lac : et hoc primo propter pulchritudinem : *Gen. penult. Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Secundo propter dulcedinem: *Can. 2. Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Tertio propter sumendi facilitatem : *1. Petri 1. Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.*

## a CAP LVI.

Haec dicit Dominus: Custodite iudicium, et facite iustitiam, quia iuxta est salus mea ut veniat, et iustitia mea ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendet istud. Custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum. Et non dicat filius advenae qui adhaeret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo. Et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. Quia haec dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quae ego volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et filios advenae qui adhaerent Domino ut colant eum, et diligant nomen eius, ut sint ei in servos; omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, et tenentem foedus meum: Adducam eos in montem sanctum meum, et laetificabo eos in domo orationis meae. Holocausta eorum, et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel. Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. Omnes bestiae agri venite ad devorandum, universae bestiae saltus. Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia, et canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie sic et cras, et multo amplius.

## a CAP. LVI.

Hic postquam promiserat liberationem a malis, incipit promittere salutem in collatione bonorum : et dividitur in partes tres. In prima ponitur salutis praeparatio. In secunda salutis promissio, *cap. 60. Surge, illuminare* etc. In tertia salutis collatae multa discretio, *c. 63. Quis est iste* etc. Prima in duas. In prima ponitur praeparatio ex parte salutem suscipientis. In secunda ex parte ipsius salvantis, *c. 59. Ecce non est abbreviata* etc. Prima in duas. In prima dat praeparationis salubre consilium. In secunda excludit inane remedium, ibi, *Clama ne cesses.* Prima in duas. In prima ponit consilii recipientium diversitatem quantum ad constitutionem praemiorum. In secunda quantum ad evasionem periculorum, *c. 57. Iustus perit* etc. Prima in tres. In prima ponit consilium. In secunda in recipientibus consiliorum fructum, ibi, *Beatus vir qui facit* etc. In tertia in contemnentibus salu-

tis defectum, ibi, *Omnes bestiae* etc. Circa primum duo. Primo consulit debitam praeparationem, *Custodite iudicium*, vos praelati, quorum est iudicare, *Facite iustitiam*, vos subditi, idest omnem virtutem, secundum quod ad alterum conformatur praeceptis legis: *Mich. 6. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et solicitum ambulare cum Deo tuo.* Secundo promittit salutis propinquitatem, *Quia iuxta*, idest prope est, *Salus mea*, quia a me salvabimini post captivitatem, *Et iustitia mea*, quantum ad hostes de quibus vos vindicabo: *Supra 46. Prope feci iustitiam meam, et non elongabitur. Beatus vir* etc. Hic ponit fructum consilii in his, qui suscipiunt. Et primo ponit utilitatem, ponens impletionis fructum, *Beatus vir qui facit*, opere explens, *Apprehendit*, strenuus aggrediens: *Ps. 111. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Et implendi modum, quantum ad caeremonialia, *Custodiens sabbatum*: sabbati namque observatio erat moralis quantum ad hoc, quod quies in Deo ponatur, et quod aliquando divinis rebus vacetur ab aliis abstinendo, sed caeremonialis quantum ad temporis determinationem. Fuit autem determinatus eis dies septimus propter opus creationis, quo adhuc nullum dignius praecesserat; nobis dies primus, sive octavus propter mysterium resurrectionis, quo natura condita in melius reparatur: *Exo. 20. Memento ut diem sabbati sanctifices.* Et quantum ad moralia, *Custodiens manus*: *Ps. 25. Lavabo inter innocentes manus meas.* Secundo utilitatis universalitatem, *Et non dicat.* Et primo excludit quorundam, qui videbantur indigni, desperationem. Vel propter defectum generis, quia non erant de genere Israel, *Qui adhaeret*, servans praecepta eius, *Separatione*, non faciens me participem salutis eis promissae: *Ro. 10. Non enim est distinctio Iudaei, et Graeci: nam idem Dominus omnium.* Vel propter defectum virtutis generandi, *Et non dicat eunuchus, lignum aridum*, impotens ad generandum sicut lignum aridum ad germinandum: *Prov. 11. Iusti quasi virens folium germinabunt.* Secundo ponit promissionem, *Quia haec dicit Dominus.* Et primo ipsi specialiter quantum ad eunuchos, *Qui custodierint*, quantum ad cultum religionis, *Elegerint*, quantum ad obedientiam legis, *Tenuerint*, quantum ad observantiam promissionis abstinendi a malis, *Muris*, habitationem in muris civitatis meae, *Nomen melius*, quod servi mei, et sancti vocabuntur, *A filiis*, idest quasi multos filios generassent. Et quantum ad extraneos, *Et filios*, idest dabo privilegia in quibus Iudaei gloriantur, *Ut colant*, quantum ad spiritualem cultum, *Et diligant*, quasi filii, *Ut sint*, ei in servos, et glorientur in ipsius dominio. Et haec quidem fuerunt impleta in reversione populi de captivitate, plenius in conversione gentium ad fidem Christi, sicut exponit glossa. Secundo quantum ad omnes generaliter, *Omnem custodientem* etc. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit promissionem, qua promittit sacri loci restitutionem, *Sanctum*: *Supra 1. Venite, ascendamus ad montem Domini.* Et quantum ad sacrificiorum acceptationem, *Holocausta: Malac. 3. Placebit Deo sacrificium Iudae, et Hierusalem.* Secundo ponit expletionis ordinem. Et primo quantum ad templi venerationem, *Quia domus Io. 2. et Matt. 21. Domus mea domus orationis vocabitur.* Secundo quantum ad populi congregationem, *Ait Dominus*, Deus Israel, *Congregat*, gentes ei adhaerentes: *Ps. 146. Aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Nota super illo verbo, *Et dabo eis nomen melius*, quod sancti habent nomen primo ex praedestinatione: *Supra 49. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei.* Secundo ex divina adoptione: *1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Tertio ex gratiae infusione: *Apoc. 2. Tenes nomen meum, et non negasti fidem meam.* Quarto ex mentis renovatione: *Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Nota quod nomen Dei est diligendum primo quia magnum ad timendum: *Malac. 31. Magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Secundo quia sanctum ad venerandum: *Lu. 1. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* Tertio quia dulce ad meditandum: *Supra 26. Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae.* Quarto quia copiosum ad miserandum: *Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum.* Quinto quia efficax ad impetrandum: *Ioa. 15. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sexto quia virtuosum ad salvandum: *Act. 4. Non est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Septimo quia occultum ad sciendum: *Prover. 30. Quod est nomen eius, et quod est nomen filii eius si nosti? Omnes bestiae agri* etc. Hic comminatur contemnentibus salutis defectum. Et primo designat occisionis poenam, *Omnes bestiae ad devorandum*, eorum cadavera. Secundo ponit culpam. Et primo praelatorum, quantum ad defectum in regimine, et praevisionem periculorum, *Speculatores*: positi sunt enim praelati ad cavendum populo a periculis, sicut speculator ab hostibus. *Nescierunt*, pericula praevidere: *Matt. 15. Sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum.* In correptione vitiorum, *Universi canes... latrare*, contra vitia: *Ps. 57. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* In admonitione agendorum, *Videntes vana*, promittentes eis prospera, cum imminerent adversa. Et ita in peccatis nutrientes: *Ezech. 22. Prophetae eius liniebant eos absque temperamento.* In spoliatione rerum, *Et canes impudentissimi*, quasi sine aliquo pudoris fraeno subditos bonis suis spoliantes, et numquam satiantur: *Ps. 58. Famem patientur, ut canes.* Et quantum ad defectum in scientiae perfectione: *Ipsi pastores intelligentiam*, legis et prophetarum: *Prov. 1. Intelligens gubernacula possidebit: Psal. 81. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Secundo culpam subditorum, vel communiter omnium. Et primo quantum ad propriam voluntatem, quod pertinet ad superbiam, *Omnes in viam suam: Hiere. 16. Unusquisque ambulat in pravitate cordis sui mali, ut me non audiat.* Secundo quantum ad eorum cupiditatem, quod pertinet ad avaritiam, *Unusquisque... et erit*, idest si hodie laetamur in talibus, cras multo amplius: *Hier. 6. A minore usque ad maiorem omnes avaritiae student.* Tertio quantum ad voluptatem, quod pertinet ad carnis concupiscentiam, *Venite, et erit*, idest

si hodie laetamur in talibus, cras multo amplius: *Supra 22. Et ecce gaudium, et laetitia, occidere vitulos, et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum.*

## a CAP. LVII.

Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiae colliguntur , quia non est qui intelligit : a facie enim malitiae collectus est iustus. Veniat pax, requiescat in cubili suo , qui ambulavit in directione sua. Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri, et fornicariae. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, et eiecistis linguam? Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax? Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum; immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras? In partibus torrentis pars tua, haec est sors tua. Et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Numquid super his non indignabor? Super montem excelsum , et sublimem posuisti cubile tuum , et illuc ascendisti, ut immolares hostias. Et post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis foedus: dilexisti stratum eorum manu aperta. Et ornasti te regio unguento, et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul , et humiliata es usque ad inferos. In multitudine viae tuae laborasti, nec dixisti, Quiescam. Vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti. Pro quo solicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, et quasi non videns, et mei oblita es. Ego annuntiabo iustitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. Cum clamaveris, liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei , haereditabit terram, et possidebit montem sanctum meum, et dicam: Viam facite, praebete iter, declinate de semita , auferte offendicula de via populi mei : quia haec dicit excelsus, et sublimis habitans aeternitatem , et sanctum nomen eius in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, nec usque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. Propter iniquitatem avaritiae eius iratus sum , et percussi eum. Abscondi a te faciem meam, et indignatus sum. Et abiit vagus in via cordis sui. Vias eius vidi, et sanavi eum , et reduxi eum , et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus eius. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est , et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest , et redundant fluctus eius in conculcationem, et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

## a CAP. LVII.

Hic ostendit diversitatem obedientium divinis consiliis ab illis, qui non obediunt, quantum ad evasionem periculorum. Et primo assignat diversitatem. Secundo ponit utriusque partis confirmationem, ibi , *Qui autem fiduciam* etc. Circa primum duo. Primo promittit iustis a periculis quietem . Secundo aufert impiis evasionis spem, ibi , *Vos autem accedite* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit iustorum tribulationem, quia sine aliqua reputatione occiduntur, *Colliguntur* , a praesenti vita, et a terra sua captivi ac si non essent iusti, *A facie malitiae*, idest a praesentia malorum : *Abac. 1. Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio iustiorem se?* vel, *A facie malitiae*, idest ne in malitiam mutarentur: *Sap. 4. Raptus est, ne malitia immutaret cor eius.* Secundo promittit eis quietem, *Veniet pax in cubili*, idest in domo sua securus erit, vel quiete cordis sui: *Iob 3. Scies quoniam pacem habeat habitaculum tuum. Vos autem accedite* etc. Hic aufert iniustis evasionis spem. Et primo arguit ipsorum culpam. Secundo aufert evasionis fiduciam , ibi , *Ego autem annuntiabo* etc. Circa primum duo. Primo arguit peccati perversitatem. Secundo in peccato obstinationem , ibi , *In multitudine* etc. Circa primum duo. Primo arguit in eis blasphemiam,ponens peccati consuetudinem, inquantum in hoc patres suos imitabantur, *Filii auguratricis*, quae contra meum praeceptum auguriis intendebat, *Adulterae* , inquantum me derelicto adhaerebat alienis : *Osee 2. Iudicate matrem vestram iudicate.* Ponens etiam peccati speciem , *Super quem lusistis;* quasi dicat , super Deum blasphemantes ipsum. Secundo arguit in eis idolatriam. Et primo ponit consuetudinem, *Numquid non: Supra 1. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate , semini nequam , filiis sceleratis.* Secundo ponit peccati speciem, *Qui consolamini.* Aggravat autem in eis peccatum idolatriae ex tribus. Primo ex locorum diversitate. Secundo ex divini foederis violatione, quia, *Iuxta me.* Tertio ex peccandi aviditate, *Dilexisti stratum.* Diversitas autem locorum in quibus sacrificabant, ostenditur tripliciter. Primo quantum ad loca amaena. Secundo quantum ad loca sublimia , *Super montem.* Tertio quantum ad loca familiaria , *Et post ostium.* Circa primum quatuor. Primo describit locorum amaenitatem, vel ex umbris arborum, *Qui consolamini: Hier. Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Vel ex ubertate aquarum, *Immolantes parvulos*, idest filios tuos: *Ezec. 16. Tulisti filios tuos , et filias tuas, quas generasti mihi, et immolasti eis ad devorandum.* Secundo peccati dilectionem , *In partibus torrentis pars*, quasi dicat, hoc sortem tuam reputasti: *Sap. 20. Ubique relinquamus signa laetitiae nostrae, quoniam haec est pars nostra, et haec est sors nostra.* Tertio sacrificii oblationem , *Et ipsis effudistis libamen*, quantum ad humida, *Sacrificium*, quantum ad sicca : *Supra 1. Confundimini ab idolis ve-*

*stris.* Iustam Dei indignationem, *Nunquid: Hier. 5. Numquid non super his visitabo, dicit Dominus? Super montem.* Hic ponit loca sublimia, in quibus immolabant, *Cubile.* Loquitur ad similitudinem meretricis, quae se amatoribus prostituit: *4. Reg. 17. Fecerunt sibi statuas, et fornicati sunt in eis. Et post ostium* etc. Hic designat loca familiaria, quia iuxta introitum domorum idola ponebant, ut in magna memoria haberent: *Ezech. 8. Adduxit me in Hierusalem in visione iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum caeli* etc. *Quia iuxta me.* Hic aggravat peccatum ex divini foederis violatione, quo Deo quasi sponsa coniuncta erat. Et sibi loquitur sub similitudine adulterae, quae ampliat lectum, ut iuxta virum adulterum suscipiat, et cum eo facit pactum de contrahendo dimisso viro, in quo significatur, quod in templo idola coluit: *Ezec. 16. Facta es quasi mulier adultera, quae super virum suum inducit alienos. Dilexisti* etc. Hic aggravat peccatum ex peccandi solicitudine. Et primo quantum ad pronitatem peccandi, *Manu apta*, idest sine aliquo impedimento: *Hier. 3. Frons meretricis facta est ei, noluit erubescere.* Secundo quantum ad studium placendi, quia ornabat se, *Et ornasti te*, idest thymiama meum proponens in eorum cultum: *Prov. 7. Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo.* Tertio quantum ad solicitudinem invitandi, *Misisti legatos*, quia etiam a longinquis terris diversa idola congregabat, et sic, *Humiliata es usque ad inferos*, idest usque ad profundum peccatorum: *Ezec. 23. Insanivit in amatores suos. In multitudine* etc. Hic ostendit in peccatis obstinationem. Primo quia non revocabantur peccati labore, *In multitudine*, idest in multiplici cultu idolorum: *Sap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.* Secundo quia non revocabatur temporali prosperitate, *Vitam manus*, idest ad manum habebas unde posses vivere, et ideo non rogasti me, sed solicita pro divinis tuis idola, *Timuisti*, mei oblita: *Iob 21. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Tertio quia non es revocata divina expectatione, *Et mei non es... tacens*, dissimulans, expectans te ad misericordiam: *Sap. 11. Dissimulans peccata hominum propter poenitentiam: Supra 42. Tacui, semper silui, patiens fui. Ego autem annuntiabo iustitiam tuam*, quam facis, vel quam suscipere debes, *Opera*, idola, *Congregati*, ex diversis gentibus: *Deut. 32. Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Qui autem* etc. Hic confirmat diversitatem. Et primo quantum ad iustos. Secundo quantum ad iniustos, *Impii autem.* Evasionem autem bonorum a periculis confirmat ex tribus. Primo ex divina mansuetudine, promittens evasionem quantum ad patriae restitutionem, *Qui confidunt in idolis, opera eorum non proderunt eis. Qui autem... terram*, promissionis: *Ps. 36. Mansueti autem haereditabunt terram.* Et quantum ad viae expeditionem, *Et dicam*, scilicet principibus Medorum, *Viam facite*, liberando, *Praebete*, dando licentiam repatriandi, *Declinate*, ut nos non impediatis, *Auferte*, ut nec alii: *Hiere. 50. Tollite de via lapides. Et in sancto habitans: Ps. 21. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* Et quantum ad divinam pietatem, *Et cum contrito: Ps. 50. Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Et assignat rationem ex culpae purgatione, promittens remissionem, *Non enim in sempiternum: Psal. 102. Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Et subiungit rationem, ponens expletam in puniendo iustitiam, *Propter iniquitatem. Abscondi*, ut non adiuvarem: *Abiit vagus*, quasi ovis sine pastore: *Iob 22. Numquid timens arguet te, et veniet tecum in iudicium, et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas?* Promittens in salvando misericordiam, *Vias eius vidi*, oculo misericordiae, *Ipsi*, quantum ad principes, *Lugentibus*, quantum ad Iudaeos: aut quantum ad advenas adiutores: vel quantum ad terram et habitatores: *Psal. 103. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertio confirmat ex prophetarum praenuntiatione, *Creavi*, quasi ex nihilo eos restituens: *Labiorum*, prophetarum, qui haec praedixerunt, *Qui longe*, in captivitate dispersi sunt: *Eph. 20. Et veniens evangelizavit pacem his qui prope, et his qui longe. Impii autem* etc. Hic confirmat quod dixerat de malis per quandam similitudinem. Et primo ponit ipsam, *Fervens*, idest semper fluctuans, *Redundat*, ad littus, ubi lutum faciunt, et conculcantur. Et concludit propositum, *Non est pax*, ut scilicet salventur. Nota super illo verbo etc. *Iustus perit, et non est qui recogitet*, quia in passione Christi homo debet recogitare primo dilectionem ad reamandum: *Cant. 8. Pone me, ut signaculum super cor tuum.* Secundo amaritudinem ad compatiendum; *Thren. 3. Recordare paupertatis, et transgressionis meae, absinthii, et fellis.* Tertio fortitudinem ad fortiter patiendum: *Heb. 12. Recogitate eum qui talem pro nobis sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Quarto utilitatem ad gratias agendum: *Cant. 7. Ascendam in palmam, et accipiam fructus eius.*

## CAP. LVIII.

Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quaerunt, et scire vias meas volunt: quasi gens, quae iustitiam fecerit, et iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiae, et appropinquare Deo volunt. Quare ieiunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis, et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocabis ieiunium, et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: di-

mitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet, Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest: cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa liberabit. Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae. Et aedificabuntur in te deserta saeculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis. Et vocaberis aedificator sepium, avertens semitas in quietem. Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenietur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te haereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

## A CAP. LVIII.

Hic excludit inutile remedium, quo se praeparare ad salutem volebant. Et primo indicit denuntiationis officium, ponens denuntiandi modum, ut alte et sine timore deprimente, *Clama: Supra 40. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Syon.* Ut continue, *Ne cesses: Infra: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die et nocte non tacebunt.* Ut clare et aperte, *Quasi tuba: Osee 8. In gutture tuo sit tuba.* Et denuntiationis verbum, *Annuntia... scelera*, quantum ad maiora, *Peccata*, quantum ad communia: *Supra 16. His qui laetantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.* Secundo propheta excludit in persona Domini inutile remedium, *Me etenim.* Et circa hoc duo facit. Primo excludit remedium in quo confidebant. Secundo hortatur ad ea, in quibus deficiebant, ibi, *Nonne hoc est* etc. Circa primum duo. Primo ostendit confidentiae eorum praesumptionem, quantum ad tria in quibus confidebant, scilicet in sacrae scientiae inquisitione, *Me etenim quaerunt*, in Scripturis, *Vias*, praecepta et voluntates meas, *Quasi gens*, idest ac si essent parati ad faciendum. Iterum in oratione, *Rogant me iudicia*, idest ut iudicem pro eis contra adversarios, *Appropinquare*, ore: *Supra 29. Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me.* Iterum confidebant in ieiuniorum observatione, *Quare ieiunavimus, et non aspexit*, quasi gratum, *Humiliavimus*, quantum ad circumstantiam ieiunium, exteriori humiliatione, *Nescisti*, scientia approbationis: *Malac. 3. Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta eius?* Secundo ostendit bonorum dictorum reprobationem. Et primo reprobationis causam, quae est culpa voluptatis, *Ecce in die... voluntas*, in his quae carni placent: *Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas.* Item culpa crudelitatis, *Et omnes debitores*, ad literam, ut diu possent insistere causis agendis, vel ad eius consequutivum. Et cum culpa vanitatis, *Nolite ieiunare .. ut audiatur*, propter laudem hominum: *Matth. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum.* Vel, *Ut audiatur*, idest si vultis quod oratio vestra a Deo exaudiatur: *Ps. 101. Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.* Secundo ostendit bonorum insufficientiam, *Nunquid tale*, quia Deus non elegit per se poenam vestram, neque ad afflictionem carnis, quod tangit in hoc, quod dicit, *Per diem*, totam, *Affligere.* Neque quantum ad abiectionem exterioris humilitatis, quod tangit in hoc, quod dixit, *Quasi circulum*, scilicet caput ad pedes inclinare, vel circumducere, sicut monachi faciunt, non inquantum ordinatur ad virtutem mentis: *Matth. 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes: Ioel. 2. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Nonne hoc est* etc. Hic adhibet utile consilium. Et primo quantum ad studium pietatis in proximum. Secundo quantum ad cultum religionis in Deum, ibi, *Si averteris* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit pietatis consilium ut cedant calumniae, *Colligationes*, falsas causas, quibus astute pauperes obligabant sicut usurarii, *Fasciculos*, idem, *Deprimentes*, quantum ad poenas ad quas obligabant, *Qui confracti*, longa servitute, *Onus*, servitutis: *Matth. 23. Alligant onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.* Et ut intendant misericordiae, exhortans ad misericordiam quantum ad famelicos, *Frange*, idest si modicum habeas, quantum ad vagos, *Et egenos*, quantum ad nudos, *Cum videris.* Et ponit exhortatationis causam, *Et carnem*, quia scilicet est eiusdem speciei tecum: *Iob 5. Visitans speciem tuam non peccabis.* Secundo ostendit consilii fructum, *Tunc erumpet.* Et primo quantum ad efficaciam meritorum: tum quantum ad opera virtutum, *Quasi mane lumen tuum*, scilicet merita tua clare patebunt in primis, quae modo a Domino non aspecta conquereris: *Colliget*, de captivitate, vel in misericordiae protectione: *Psalm. 46. Educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tanquam meridiem*: tum quantum ad suffragia, *Tunc invocabis: Supra 30. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Secundo quantum ad consecutionem bonorum. Et primo resumit meritum, *Si abstuleris catenam*, qua pauperes opprimis, *Digitum extendere*, detrahendo et comminando: *Cum effuderis*, per compassionem, *Repleveris*, per necessariorum subventionem. Secundo promittit praemium, *Orietur in tenebris*, idest adversitas in lucem prosperitatis, ignorantia in lucem scientiae mutabuntur, quantum ad spiritualia, *Et requiem*, quantum ad mala temporalia. Multiplicationem vero bonorum interiorum spiritualium, *Implebit splendoribus*, scilicet virtutibus, vel consolationibus: *Et ossa tua*, quantum

ad corporalia. Et bonorum exteriorum, *Et eris quasi hortus*, propter prosperitatem, vel omnium bonorum indeficientiam: *Num. 22. Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Secundo quantum ad patriae reaedificationem, *Et aedificabuntur*, post reditum de captivitate: *Saeculorum*, idest civitates, scilicet desertae in pristinis saeculis, *Suscitabis*, superaedificando antiquis fundamentis: *Sup. 44. Qui dico Hierusalem, habitaberis, civitatibus Iudae, aedificamini.* Tertio quantum ad famae restitutionem, *Et vocaberis aedificator sepium*, idest impedimentorum peccati, *In quietem*, vel in gentes *Semitas*, scilicet peccati in quietem convertens: *Osee 2. Sepiam vias tuas spinis. Si averteris* etc. Hic ponit consilium quantum ad cultum religionis in observatione sabbati. Et primo ponit consilium, *Pedem*, ne opera prohibita facias, *Vocaberis sabbatum*, idest celebrans huius sabbatum, quantum ad exercitium bonorum operum: *Exo. 20. Memento ut diem sabbati sanctifices.* Alia litera habet, *Vocaveris*, et est sensus idem. Secundo ponit fructum, *Tunc delectaberis*, quantum ad bona spiritualia, *Sustollam*, reducendo in terram tuam, quae montuosa est, *Cibabo*, quantum ad fruitionem bonorum terrae: *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis affluet.* Nota super illo verbo, *Quasi tuba exalta*, quia praedicatio est tuba primo quia excitat ad vitae statum: *1. Corinth. 15. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* Secundo quia hortatur ad bellum: *1. Corin. 14. Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Tertio quia nuntiat viri incessum: *Supra 27. Clangetur in tubis.* Quarto quia vocat ad consilium: *Osee 8. In gutture tuo sit tuba.* Quinto quia invitat ad festum: *Psal. 80. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.* Item nota super illo, *Si abstuleris de medio tui catenam*, quia est multiplex catena. Primo pietatis: *Eph. ult. Pro quo legatione fungor in catena ista.* Secundo iniquitatis: *Sap. 17. Una enim tenebrarum catena omnes erant colligati.* Tertio paupertatis: *Iob 36. Simulatores, et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos.* Quarto servitutis: *Hier. 18. Catenas ligneas contrivisti, et facies pro eis catenas ferreas.* Quinto carceris: *Eccl. 4. De carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum.*

## CAP. LIX.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat; sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet vere, sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates. Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, et telas araneae texuerunt. Qui comederit de ovis eorum, morietur, et quod confotum est, erumpet in regulum. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum, cogitationes inutiles. Vastitas, et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum. Semitae eorum incurvatae sunt eis, omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est iudicium a nobis, et non apprehendet nos iustitia. Expectavimus lucem, et ecce tenebrae, splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut caeci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi ursi omnes, et quasi columbae meditantes gememus. Expectavimus iudicium, et non est, salutem, et elongata est a nobis. Multiplicatae sunt enim iniquitates nostrae coram te, et peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum, iniquitates nostras cognovimus. Peccare, et mentiri contra Dominum, et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri ut loqueremur calumniam, et transgressionem. Concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii, et conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit. Quia corruit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, praedae patuit. Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium. Et vidit Deus, quia non est vir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat. Et salvavit sibi brachium suum, et iustitia eius ipsa confirmavit eum. Indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius. Indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vindictam quasi retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet. Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, et qui ab ortu solis, gloriam eius. Cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit, et venerit Syon redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. Hoc faedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, et usque in sempiternum.

## a CAP. LIX.

Hic ponit praeparationem ad salutem percipiendam ex parte ipsius salvantis. Et primo ponit salutis necessitatem. Secundo praeparationem, ibi, *Et vidit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo in persona Domini necessitatem salutis ostendit, miseriam populi ostendens. In secunda respondet populus miseriam suam recognoscens, ibi, *Propter elongatum* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit miseriae causam. Secundo ipsam miseriam, ibi, *Vastitas, et contritio* etc. Circa primum duo. Primo excludit causam falsam, vel ex defectu virtutis Dei, vel ex defectu cognitionis ipsius, quia praeceps non audiret, *Neque aggravata: Sup. 50. Numquid abbreviata, et parvula facta est manus mea ut non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum?* Secundo astruit causam veram, scilicet ipsorum culpam. Primo tangens ipsam in generali, *Sed iniquitates*, quantum ad maiora, *Diviserunt*, quasi murus, vel nubes sint posita, *Peccata*, quantum ad communia: *Deut. 32. Ait, abscondam faciem meam ab eis.* Secundo prosequitur in speciali, *Manus enim vestrae.* Et tangit specialiter peccata in proximum: peccata enim in Deum tetigerat *sup. 57.* et peccata in seipsum *supra 56.* Tangit autem primo iustitiam, per quam alios opprimebant, quantum ad operationem, *Manus vestrae sanguine*, innocentium, quos occidistis, *Digiti*, quantum ad minores iniustitias; vel quantum ad diligentiam operationis: *Supra 1. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* Quantum ad locutionem, *Labia vestra locuta iniquitatem*, ut addatur iustitiae deformitas: *Iob 6. Non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Et quantum ad iustitiae omissionem, *Non est qui invocet*, quantum ad praelatos, quorum est iudicare: *Hier. 5. Quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium.* Secundo tangit astutiam per quam decipiebant. Et primo tangit ipsam, inquantum per astutiam intendebant sui promotionem, *Sed confidunt in nihilo*, in vanis consiliis, vel in idolis, *Et loquuntur*, vanitatem cordis, verbis exprimentes: *Amos 6. Qui laetamini in nihilo.* Et inquantum per ipsam intendebant aliorum oppressionem, *Conceperunt laborem*, idest cum labore excogitaverunt vias nocendi, vel aliis laborem induxerunt: *Pepererunt*, expletione operis: *Psalm. 12. Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Secundo adaptat quandam metaphoram. Et primo ponit ipsam, quantum ad ipsam astutiam. Et quantum ad aliorum depressionem, *Ova aspidum*, idest consilia venenosa, *Ruperunt*, in publico, opera scilicet producentes: *Deut. 34. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Et quantum ad suam promotionem, *Et telas*, idest cogitationes inutiles ad sui promotionem: *Osee 8. Quoniam in aranearum tela erit vitulus Samariae.* Ponit iterum metaphoram quantum ad effectum astutiae, quantum ad primum, *Qui comederit*, consentiens factis, *De ovis*, consiliis, *Confotum*, diu praeparatum solicite, *In regulum*, quasi a longinquis etiam interficiet, quodammodo volantem. Et quantum ad secundum, *Telae eorum*, idest sicut telae aranearum non valent ad vestimentum, ita eorum consilia ad nihil valent eis, nisi primo moveantur: *Supra 19. Confundentur qui operabantur linum, plectentes et texentes subtilia.* Secundo exponit. Et primo quantum ad operationem, *Opera eorum inutilia*, quantum ad unam partem, *Opus iniquitatis*, quantum ad aliam: *Supra 57. Opera eorum non proderunt eis.* Secundo quantum ad cogitationes, *Pedes eorum*, idest affectiones, quantum ad unam partem: *Prov. 1. Pedes eorum ad malum currunt: Cogitationes*, quantum ad aliam: *Michae. 2. Vae qui cogitatis inutile. Vastitas* etc. Hic ostendit eis eorum miseriam. Et primo ponit miseriae magnitudinem, *Vastitas*, quantum ad damnum rerum, *Et contritio*, quantum ad damnum personarum, *In viis eorum*, idest pro viis malis suis ab hostibus imminet eis. Secundo miseriae aequitatem, ut scilicet talia patiantur, qualia aliis faciunt, *Viam pacis*, qua alios in pace ponerent, *Non est iudicium*, rectum; et ideo, *Semitae eorum*, idest ea quae cogitaverunt, *Incurvatae*, idest curvae eis factae sunt, quia quod aliis praeparabant, ipsi patientur. *Omnis qui calcat*, persequendo, *Ignorat*, scientia experimenti: *Ps. 13. Contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt. Propter hoc elongatus est.* Hic populus confitetur. Et primo confitetur miseriam quantum ad hostium opprimentium iniustitiam, *Elongatum est iudicium*, quia Deus non iudicat nos de nostris adversariis: contrarium *supra 46. Prope feci iustitiam meam.* Quantum ad tribulationum angustiam, sub metaphora tenebrarum ponens ipsam tribulationis obscuritatem, *Expectavimus lucem*, divinam consolationem, *Tenebrae*, tribulationis. Et consiliorum difficultatem, *Palpavimus*, quasi nescientes quid facere: *Supra 42. Quis caecus nisi servus meus?* Et periculorum laesionem, *Impegimus meridie*, et his in quibus erat clara via ad evadendum, *In caliginosis*, in dubiis: *Iob 5. Per diem incurrent tenebras.* Confitentur etiam miserias, quantum ad cordis tristitiam, *Rugiemus*, quasi ursi propter crudelitatem, *Quasi columbae*, propter lasciviam: *Nahum 2. Gementes ut columbae.* Et quantum ad salutis absentiam, *Expectavimus iudicium*, pro vobis. Secundo confitetur culpam. Et primo culpae manifestationem, quantum ad Deum, *Multiplicatae... coram te*, in evidentia tua: *Heb. 4. Omnia nuda, et aperta sunt oculis eius.* Et quantum ad ipsum, *Et peccata nostra responderunt*, in poenis, *Nobiscum*, quia non satisfecimus, nec correximus. Secundo peccatorum diversitatem contra, *Deum peccare*, opere, *Mentiri*, locutione, *Aversi*, omissione. Et contra proximum locutione, *Ut loqueremur calumniam*, contra proximum. Et contra legem, *Transgressionem: Matt. 15. De corde exeunt cogitationes malae.* Et quantum ad operationem, *Conversum ... iudicium*, Dei ad salvandum nos, *In platea*, in publico iniustitias faciebant, *Qui recessit:* non enim solum faciebant mala, sed nolentes facere depraedabantur: *Sap. 2. Circumveniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Et videns Dominus* etc. Hic ponit salutis praeparationem ex parte salvantis. Et primo ponit praeparationis diem, loquens de Deo secundum humanum modum, ponens ipsius compassionem, *Et vidit Dominus*, oculo misericordiae, *Iudicium*, alicuius salvantis, *Vir*, salvans Iudaeos, *Aporiatus*, contristatus, vel angustiatus. Po-

nens etiam armorum assumptionem, *Et salvavit sibi brachium*, idest virtus, ut nihil contra patiatur, vel populum ad cultum suum : *Iustitia confirmavit*, ut ultionem constanter exequatur: *Indutus est iustitia*, sicut enim miles confirmatur armis, ita opus suum confirmatur iustitia, et proposito salvandi: *Sap. 5. Induet pro thorace iustitiam.* Ponens etiam vindictae executionem, *Insulis*, diversis gentibus, *Vicem*, pro malis quae Iudaeis fecerunt: *Dan. 6. Timeant, et paveant omnes Deum Daniel.* Secundo ponit salvationis, vel ultionis mysterium, *Cum venerit quasi fluvius*, propter magnitudinem virtutis et fortitudinis; vel Christus minister: *Psal. 45. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Tertio firmitatis pactum, *Hoc foedus meum*, spiritus prophetiae: *Seminis tui*, quantum ad alios prophetas, et apostolos in quibus eius spiritus, quasi haereditas, per successionem seminis vadens: *Ioel. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Nota super illo verbo, *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum*, quia peccatum dividit primo a proximo per dissensionem: *Luc. 11. Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Secundo a seipso per contrariam affectionem: *Osee 10. Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Tertio a Deo per aversionem: *Hiere. 2. Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas.* Quarto a sanctorum collegio per dissimilitudinem: *Supra 36. Separatione dividet me Dominus a populo suo.* Nota super illo verbo, *Semitae eorum incurvatae*, quod est curvitas primo culpae: *Supra 51. Incurvate, ut transeamus.* Secundo miseriae: *Ps. 37. Miser factus sum ego, et incurvatus sum.* Tertio tristitiae: *Baruch 2. Anima quae est tristis super magnitudinem mali, et incedit curva.* Quarto fraudulentiae : *Eccl. 12. Humiliatus vadat curvus, adiice animum tuum, et custodi te ab illo.* Quinto iustitiae: *Iob 9. Deus cui resistere nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem.* Nota super illo verbo, *Quasi fluvius violentus*, quod Christus est fluvius violentus primo propter aquarum multitudinem : *Ps. 64. Flumen Dei repletum est aquis.* Secundo propter amoris fervorem : *Dan. 7. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* Tertio propter cursus velocitatem: *Ps. 45. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Quarto propter originis altitudinem : *Apoc. 22. Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tamquam chrystallum, procedentem de sede Dei, et Agni.*

## a CAP. LX.

Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti qui congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quoniam conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha. Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi. Offerentur super placabili altari meo, et domum maiestatis meae glorificabo. Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? Me enim insulae expectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe. Argentum eorum, et aurum eorum cum eis nomini Dei tui, et sancto Israel, quia glorificavit te. Et aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. Et aperientur portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut auferatur a te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet, abies, et buxus, et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meae, et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Syon sancti Israel. Pro eo qui fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem, et generationem. Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. Et scies, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob. Pro aere afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis eius, et pro lapidibus ferrum. Et ponam visitationem tuam, pacem, et praepositos tuos, iustitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti in perpetuum haereditabunt terram, germen plantationis meae opus manus meae ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.

## a CAP. LX.

Hic ponit salutis promissionem. Et primo quantum ad prosperitatem. Secundo quantum ad iucunditatem, *cap. 61. Spiritus Domini* etc. Tertio quantum ad gloriae honorem, *cap. 62. Propter Syon* etc. Circa primum duo. Primo ponit consolationem in generali sub metaphora luminis, ponens ipsius luminis ortum, *Surge*, de pristina miseria, *Illuminare*, idest lumine consolationis eius resplende, *Gloria Domini*, beneficia, in quibus apparet gloriosus: *Baruch 2. Ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius.* Vel Hierusalem, ecclesia, lumen, Dei Filius ponens discretionis in percipiendo lumine iudicium. *Quia ecce tenebrae*, tribulationes, *Populos*, Babylonis et alios hostes. *Super te autem orietur*, quasi sol illuminans te: *Sapien. 17. Solis illis supposita erat gravis nox, et imago tenebrarum*, Vel *tenebrae*, infidelitatis, et peccatorum. *Populos*, infideles, *Orietur*, quasi sol iustitiae: vel ad literam eius, *Gloria*, miracula eius. Ponit etiam luminis effectum, *Et ambulabunt gentes*, ad cognitionem et devotionem Dei, videntes beneficia tibi a Deo data. *In splendore ortus tui*, quasi oriens, rutilans sicut stella. Vel, *In lumine*, idest in fide Christi. Secundo exequitur consolationem per partes. Et primo promittit multiplicem prosperitatem. Secundo iustitiae observationem, ibi, *Et ponam* etc. Circa primum duo. Primo ponit prosperitatis statum. Secundo restitutionis modum, quo scilicet in prosperitatem restaurabuntur, ibi, *Qui sunt isti* etc. Circa primum tria. Primo promittit prosperitatem quantum ad congregationem filiorum, qui primo in diversas partes pro captivitate dispersi erant, *Leva in circuitu... de latere*, de regionibus propinquis lateribus: *Baruch 5. Surge Hierusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem.* Vel referendum est ad congregationem diversarum gentium sub unitate ecclesiae. *Fili*, in fide fortiores, *Filiae*, debiliores, *De latere*, Christi in cruce aperto, unde sacramenta salutis emanaverunt. Vel lac, *Sugent*, rudioris doctrinae. Secundo quantum ad servitium populorum, *Tunc videbis, quando conversa*, serviens tibi in mercimoniis, *Multitudo maris*, scilicet negotiatores maris, *Fortitudo*, reges et principes tibi pacem ministrantes et munera. Vel de conversione gentium ad ecclesiam: *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis afflues.* Tertio quantum ad copiam divitiarum. Et primo quantum ad mercimonia ponens iumenta, *Inundatio*, idest abundantia ad similitudinem inundantis aquae, *Camelorum*, quibus mercimonia ferebantur. In quibus mystice divites ad fidem conversi, qui et onus divitiarum, proiecerunt gibbum peccati, *Dromedarii*, animal camelo minus, sed velocius: in quo gentes ad fidem velociter conversae. *Madian et Epha*, regiones ultra mare talibus abundantes. Ponit etiam pretiosa mercimonia, *Omnes de Saba*, civitas in extremis Aethiopiae. Quod etiam impletum est tempore Christi, *Matth. 2. Ps. 71. Reges Tharsis, et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.* Secundo quantum ad munda animalia, secundum quod cedebant in usum ciborum, *Omne pecus Cedar*, filius Ismaelis, unde terra nomen habet, pecoribus abundans, *Nabaioth*, alius filius, *Ministrabunt*, cedentes in usum tuum, venditi populo qui est in te. Et secundum quod cedebant in usum sacrificiorum, *Offerentur super placabili*, in quo ego placer. Per altare significatur fides, per arietes duces gregis, Apostoli et ecclesiarum praelati, per pecus simplices: *Agg. 2. Implebo domum istam gloria.* Nota super illo verbo, *Illuminare Hierusalem*, quia ecclesia illuminatur lumine primo sacrae doctrinae: *Prov. 6. Mandatum lucerna est, et lex lux.* Secundo spiritualis intelligentiae: *2. Cor. 4. Deus qui dixit lumen de tenebris splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in faciem Iesu Christi.* Tertio gratiae: *1. Pet. 1. Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.* Quarto gloriae: *Ps. 35. In lumine tuo videbimus lumen.* Quinto laetitiae: *Tob. 5. Quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video?* Sexto divinae substantiae: *1. Tim. ult. Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, Qui sunt isti* etc. Hic ostendit modum veniendi in dictam prosperitatem. Et primo quantum ad civitatis restaurationem. Secundo quantum ad populorum extraneorum subiectionem, ibi, *Et venient ad te* etc. Tertio quantum ad divitiarum multiplicationem, *Pro aere afferam aurum.* Circa primum duo ponit. Primo restaurationem civitatis, quantum ad adunationem habitatorum, ponens veniendi modum sub admiratione, *Ut nubes*, quia velociter sine impedimento, *Et quasi columbae ad fenestras*, idest ad foramina sua, propter idem. Vel referendum est ad gentes, quae ad fidem velociter conversae sunt: *Ps. 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?* Ponens etiam ad inveniendum auxilium, quod a gentibus habuerunt, *Me etenim insulae*, gentes diversae iuxta mare, et etiam remotae, *Expectabunt*, quasi subditae meae voluntatis arbitrio, *Principio*, loci in quo captivi detinentur; quia forte aliqui per mare redierunt, vel Dominus sic eos reducere poterat. Vel mystice, *Insulae*, diversae gentes, *Naves*, ecclesiae, *In principio*, fidei. Ponens etiam venientium thesaurum, quem secum detulerunt, *Argentum... nomini*, idest ad gloriam, et servitium nominis: *Ps. 104. Eduxit eos cum argento, et auro.* Mystice, *Argentum*, eloquentia, *Aurum*, sapientia conversorum ad fidem. Secundo ponit restaurationem civitatis, quantum ad aedificationem murorum, *Et aedificabunt.* Et primo quantum ad aedificia civitatis. Secundo quantum ad aedificium templi, *Gloria Libani.* Circa primum duo. Primo ponit civitatis reaedificationem, *Et aedificabunt*, praebendo auxilium, *Reges*, Cyrus et Darius praebendo impensas, et licentiam aedificandi. Mystice gentiles ecclesias Dei aedificant, et reges ecclesiae serviunt. Et adiungit rationem ex divina miseratione, *In indignatione percussi*, captivavi, *Misertus*, liberando. Mystice percussi per excaecationem Iudaeorum, vel tribulationibus, *Misertus*, per conversionem gentium. Vel in pace ecclesias restitutas: *Supra 54. In momento indignationis abscondi parumper faciem meam.* Secundo ostendit civitatis reaedificatae securitatem, *Et a-*

*perientur*, cessante timore hostium, et propter necessitatem venientium ad adorandum in Hierusalem; et hoc est, *Ut auferatur*. Mystice, *Portae*, ministri qui alios in fidem et ecclesiam introducunt, parati in prosperis et adversis ad recipiendum conversos ad fidem: *Apoc. 20. Portae eius non claudentur*. Et assignat rationem, *Gens enim*. Hoc non videtur impletum ad literam, nisi intelligatur illos Iudaeos fuisse qui eius dominium recognoscebant, et propterea a populo Dei venerabantur. Sed mystice sensus patet. *Gloria Libani* etc. Hic ponit reaedificationem aedificiorum templi, *Gloria Libani*, quae est, *Abies ... locum*, scilicet templum, *Pedum*, in quo adoror sicut reges, ad pedes. Mystice per locum ecclesia, per diversas arbores diversi fideles conversi ad fidem. *Et venient* etc. Hic ostendit modum consequendi dictam prosperitatem quantum ad subiectionem populorum. Et primo ponit ipsam subiectionem, *Et venient ad te*, quod impletum est temporibus Machabaeorum, qui multos de vicinis hostibus subiugaverunt. Mystice filii tyrannorum quondam ecclesiam persequentium ecclesiae famulantur: *Ps. 109. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*. Secundo ponit subiectionis rationem, *Pro eo quod fuisti*, iustum est ut post angustias consoleris, *In superbiam*, altitudinem, *Saeculorum*, per multa saecula: quod etiam mystice ecclesiae convenit: *Tob. 2. Post tempestatem tranquillum facit*. Tertio ponit subiectionis utilitatem, *Et suges*, idest pinguedo terrae ad te in mercimoniis deferetur, et oblationibus, *Mamilla*, defensione in auxilio, *Regum Tyri*. Per lac mystice simplicium doctrina, per reges apostoli: *Supra 49. Erunt reges nutritii tui. Et pro aere* etc. Hic ponit modum restaurationis quantum ad restaurationem divitiarum, quia multo maiora a regibus templo offerentur, quam per Nabuchodonosor ablata sint. Mystice qui prius erant viles in ecclesia, efficiuntur pretiosi: *Supra 55. Pro saliuncula ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. Et ponam* etc. Hic promittit iustitiae observationem. Et primo in praelatis. Secundo in subditis, *Et complebuntur*. Circa primum duo. Primo consolatur eos ex praelatorum rectitudine, tangens iustitiam praelatorum, *Visitationem*, visitatores, et correptores. Mystice de Christo et apostolis: *Hier. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina*. Ponens etiam iustitiae effectum quantum ad absentiam malitiae, *Non audietur iniquitas*, quia per aliquod tempus leges optime observabantur, *2. Mach. 3.* Vel, *Iniquitas*, dolorum. Mystice ad statum futurae beatitudinis: *Ps. 102. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*. Et quantum ad absentiam miseriae, *Vastitas*, quantum ad agros, *Contritio*, quantum ad homines ab hostibus sic collisos, *Portas*, quibus populus conveniebat ad iudicia. Hoc etiam mystice pertinet ad statum futurae beatitudinis, quando sol multo clarior futurus est quam sit modo, et luna, licet non sanctis, quia eorum splendore non egebunt: *Apoc. 21. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceat in ea, quia claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est Agnus*. Ponit etiam gubernantis aeternitatem, *Non occidet sol*, qui est Deus: *Ps. 100. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Et complebuntur*, hoc quantum ad statum subditorum. Et primo ponit tristitiae cessationem, *Et complebuntur luctus*, captivitas. Mystice in futura beatitudine: *Apoc. 20. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum*. Secundo ponit iustitiae observationem, *Populus autem*, ad glorificandum me: *Supra 43. Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, In perpetuum*, quamdiu in iustitia permanent. Sed mystice planum est de sanctis beatis. Tertio seminis multiplicationem, *Minimus*, idest ex uno tot per successionem nascentur, sicut ex Abraham una gens. Mystice unus de ecclesia unigeniti praeficietur in praelatum: *Sap. 3. Iudicabunt sancti nationes. In tempore eius*, idest Christi, vel praefinito tempore, *Subito*, quasi non praevisum, istud totum quod dictum est. Nota super illo verbo, *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae*, quia Apostoli dicuntur nubes primo propter terrae fertilitatem, scilicet ex pluvia: *Iob 37. Frumentum desiderat nubes*. Secundo propter luminis diffusionem: *Eod. Quae lustrant cuncta per circuitum*. Tertio propter divinae voluntatis impletionem: *Eodem: Quocumque voluntas gubernantis duxerit*. Item dicuntur *Columbae* primo propter cordis compunctionem: *Nahum 2. Gementes ut columbae*. Secundo propter vitae simplicitatem: *Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*. Tertio propter contemplationis altitudinem, vel velocitatem: *Ps. 54. Quis dabit mihi pennas columbae, et volabo, et requiescam?* Quarto propter conscientiae puritatem: *Cant. 5. Oculi tui sicut columbae: Cant. 4. Oculi tui columbarum*.

## a CAP. LXI.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis aperitionem, ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes. Ut ponerem fortitudinem lugentibus Syon, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris. Et vocabuntur in ea fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum. Et aedificabunt deserta a saeculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas et dissipatas, in generationem et generationem. Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra, et filii peregrinorum, agricolae et vinitores vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis. Pro confusione vestra duplici, et rubore laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocaustum. Et dabo opus eorum in veritate, et foedus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in

medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, et laudem coram universis gentibus.

## a CAP. LXI.

Hic promittit populo iucunditatem: et dividitur in duas partes. In prima gaudium promittit. In secunda populus promissionem suscipit, et gratias agit, ibi, *Gaudens gaudebo in Domino* etc. Circa primum duo. Primo officium ad annunciandum gaudium accipit. Secundo gaudii rationem, seu materiam praedicit, *Et vocabitur*. Circa primum duo. Primo tangitur prophetiae donum, *Spiritus Domini super me*, Isaia: *Unxerit*, replens munere prophetiae: *1. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Vel de Christo, de quo *supra 11. Requiescet super eum Spiritus Domini*. Et *Ps. 44. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis prae consortibus tuis*. Secundo tangitur prophetiae vel Christi actus, qui est duplex, scilicet bonis praedicere praemia, *Ad annunciandum: Iac. 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras:* et miseris conferre remedia. Quantum ad illos qui sunt pusillanimitate deiecti, *Ut mederer contritis corde*, consolando, vel peccata remittendo: sic de Christo *Ps. 116. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum*. Et quantum ad illos, qui erant in captivitate detenti, quibus annunciat liberationis beneficium, *Et praedicare captivis:* ad literam vel sub diabolo et propriis erroribus: *Supra 49. Ut diceres his qui vincti sunt: Exite*. Et liberationis tempus, *Et praedicarem annum placabilem*, quantum ad liberationem Iudaeorum, *Ultionis*, quantum ad Chaldaeos. Vel tempus gratiae, in quo de diabolo ultionem accepit, eius potestatem reprimens: *Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras*. Et quantum ad eos qui sunt tristitia absorpti, quibus annunciat gaudium, *Ut consolarer omnes*, generaliter, *Ut ponerem Syon*, specialiter: *Eccl. 48. Spiritu magno vidit ultima*. Et gaudii signum, dum signa tristitiae vertuntur in signa laetitiae, et haec est, *Et darem eis*, *Supra 28. In illa die erit Dominus corona gloriae. Et vocabuntur* etc. Hic praedicit gaudii materiam. Et primo quantum ad aedificiorum reparationem, ponens reaedificantium conditionem, *Vocabuntur in ea*, scilicet Hierusalem praecepto, et permissione Cyri, *Fortes iustitiae*, ad faciendum iustitiam constantes, non commoti comminationibus adversariorum: vel Apostoli. Et aedificiorum reputationem, *Et aedificabunt*, praedicti viri; vel Apostoli: *Supra 58. Et aedificabuntur in te deserta saeculorum*. Secundo quantum ad possessionum conservationem. *Et stabunt alieni*, hoc ad literam potuit impleri: vel aliqui advenae in his vilibus servitiis occuparentur, sicut de Gabaonitis. Vel mystice gentiles, vel praedicatores sancti ecclesiae, qui custodiunt et excolunt ipsam ecclesiam meritis et doctrinis. Nota super illo verbo, *Unxerit me*, quia Christum ungit Deus Pater primo oleo sacerdotalis dignitatis, quasi sacerdotem ad sacrificia offerendum: *Eccl. 45. Unxit eum oleo sancto*. Secundo regalis potestatis, quasi regem ad gubernandum: *2. Reg. 12. Ego te unxi regem, et principem populi mei*. Tertio immensae fortitudinis, quasi pugilem ad pugnandum: *2. Reg. 1. Quomodo abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, et Ionathae, quasi non sit unctus oleo?* Quarto eminentis iucunditatis, quasi liberalem ad miserendum: *Ps. 101. Iucundus homo qui miseretur, et commodat: Ps. 44. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*. Item Christum ungit servus devotus primo lacrymis compunctionis: *Matt. 6. Unge caput tuum, et faciem tuam lava*. Secundo unguento devotionis: *Luc. 7. Haec autem unguento unxit pedes meos*. Tertio oleo purae intentionis: *Eccl. 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat*. Quarto oleo laudis, et gratiarum actionis: *Gen. 29. Surgens Iacob mane sumpsit lapidem, et erexit in titulum, fundensque oleum desuper* etc. *Vos autem sacerdotes*. Hic praedicit materiam gaudii quantum ad hominum gloriam: et circa hoc tria facit. Primo ostendit gloriae perfectionem, quia gloriosi in spiritualibus, *Sacerdotes*, quasi vitam sanctam sacerdotio dignam ducentes: *Sap. 5. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Gloriosi*, etiam in temporalibus, *Fortitudinem*, idest reficiemini ac sustentabimini fortitudine Persarum, et Medorum: *Superbietis*, exaltabimini: *Supra 60. Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi*. Mystice Apostoli sacerdotes, quasi gentium magistri, et fortitudine martyrum delectati. Et assignat perfectionis rationem, *Pro confusione*, ex defectu spiritualium et temporalium confusionem habuistis. *Laudabunt*, vicini videntes, *Partem*, recompensationem duplicium bonorum a Deo eis factam: *Zach. 9. Hodie quoque annuncians, duplicia reddam tibi*. Mystice ecclesia praemia in bonis animae et corporis recipit pro duplici confusione, de gentium et Iudaeorum infidelitate. Secundo tangit gloriae durationem, *Laetitia sempiterna*. Verum est quamdiu in iustitia permanserit, sicut exponitur *Hierem. 18. Supra 51. Laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt*. Et assignat rationem, *Quia ego Dominus*. Et est sensus, per hoc quod Dominus diligit iustitiam, dabit vobis, ut sitis iusti, ut sic placeatis sibi, et faciet vobiscum pactum sempiternae laetitiae. *A die: Eccl. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium suum in conspectu patris sui. Foedus perpetuum: Hier. 31. Et feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum*. Tertio gloriae divulgationem, *Et scietur:* quod est referendum vel ad Iudaeos qui fuerunt famosi de cultu religionis, vel ad semen spirituale Apostolorum. *Gaudens gaudebo*. Hic populus promissionem suscipit, et gratias agit: et circa hoc duo facit. Pri-

mo exprimit in persona populi, vel ecclesiae cordis gaudium, *Gaudentes : Abac. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Secundo confitetur divinum beneficium. Et primo sub similitudine vestimentorum, inquantum divina beneficia protegunt, *Quia induit me.... salutis*, a miseriis: *Supra 52. Induere vestimentis iucunditatis tuae.* Secundo sub similitudine ornamentorum, inquantum ornant, *Quasi sponsum.* Mystice quantum ad perfectos in ecclesia vicem Christi agentes, *Sponsum*, quantum ad imperfectos. Tertio sub similitudine germinum, quantum ad fructum, *Sicut enim terra: Supra 59. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda, et laudans.*

## a CAP. LXII.

Propter Syon non tacebo, et propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, et cuncti reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriae in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata. Sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata. Quia complacuit Domino in te: et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Hierusalem laudem in terra. Iuravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suae. Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. Quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum, et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. Transite, transite per portas, praeparate viam populo. Planum facite iter, et eligite lapides, et elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terrae. Dicite filiae Syon: Ecce salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis quaesita civitas, et non derelicta.

## a CAP. LXII.

Hic promittit populo gloriae honorem. Et primo ponitur prophetae petitio. Secundo Domini promissio, *Iuravit Dominus.* Circa primum duo. Primo ipse petit. Secundo alios ad petendum inducit, ibi, *Qui reminiscimini* etc. Circa primum duo. Primo ipse petit ad hoc salvatoris ortum, *Propter Syon*, scilicet utilitatem, vel amorem, *Non tacebo*, a precibus apud Dominum, *Salvator*, Cyrus, *Ut splendor*, in gloria regni. Mystice, *Non tacebo*, a praedicatione Christi propter contradictionem. *Syon*, regis, *Hierusalem*, sacerdotum, *Salvator*, Christus. Secundo ostendit adventus fructum. Primo quantum ad civitatis gloriam, promittens ipsam gloriam in tribus. In dignitate regis, *Et videbunt*, admirantes et venerantes, *Iustum*, Christum, vel Cyrum: *Psal. 93. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.* In novitate nominis, *Et vocabitur*, more antiquorum, qui ex novis eventibus nova nomina imponebant: et hoc nomen postea exprimet. Mystice Ecclesia quae prius Synagoga. In munimine divinae protectionis, *Eris corona gloriae*, quia gloriabitur in te Deus tuus, sicut rex in corona, *In manu*, idest in protectione sua : *Sapient. 5. Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Mystice Ecclesia quasi corona filii Dei a Patre coronatur. Et excludit ignominiam, in quo etiam nomen novum exprimit, *Non vocaberis.* Secundo quantum ad habitantium laetitiam; et quantum ad pueros, *Habitabit iuvenis :* et quantum ad viros perfectos, *Et habitabunt:* et quantum ad coniugatos, *Et gaudebit.* Mystice, *Iuvenis cum virgine*, caste, sicut Maria cum Ioseph, *Sponsus*, Christus, *Sponsam*, ecclesiam. Tertio quantum ad aedificiorum diligentem custodiam, quae exprimitur *2. Esdr. 4. Una manu aedificabant, et alia pugnabant. Super ... non tacebunt.* Loquitur secundum similitudinem vigilum, qui custodiunt civitatem. Vel per metaphoram designat diligentiam principum, qui populum gubernaverunt : vel praedicatores in Ecclesia : *Apoc. 4. Requiem non habebant clamantia sanctus, sanctus. Qui reminiscimini* etc. Hic alios ad similem petitionem inducit, *Ne taceatis*, alta ratione, *Ei*, Deo : *1. Thess. 6. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Iuravit* etc. Hic Dominus promittit implere petitionem. Et primo quantum ad hostium propulsionem, *Si dedero*, superius non credatis mihi: *Prov. 28. Qui operatur terram, satiabitur panibus.* Secundo quantum ad captivorum liberationem. Quantum ad praeparationem viae, *Transite*, vos nuncii Cyri et Darii, *Lapides*, impedimenta: *Hiere. 50. Tollite de via lapides.* Vel vos custodes murorum praedicatores. Quantum ad concessionem laetitiae, *Elevate signum*, crucis: *Supra 11. Levavit signum in nationibus.* Et quantum ad retributionem iustitiae, *Dicite filiae*, plebi Iudaeorum, *Salvator*, Deus, vel Cyrus, *Merces*, ut vobis bona, et hostibus mala reddantur. Mystice de adventu Christi ad iudicium. Tertio ibi, *Et vocabunt*, ponit liberatorum honorem, qui in magna fama sanctitatis habebantur propter beneficia eis praestita. Mystice de ecclesia et populo Christiano. Nota super illo verbo, *Propter Syon non*

*tacebo*, quia sancti non tacent primo propter accensum desiderium: *Hier. 20. Et factum est in corde meo verbum Domini, quasi ignis exaestuans.* Secundo propter evidens verum: *Act. 5. Non enim possumus quae vidimus... non loqui.* Tertio propter iniunctum officium: *1. Corinth. 9. Necessitas mihi incumbit: Vae enim mihi est, si non evangelizavero.* Quarto propter expectatum praemium: *Gal. ult. Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Item nota super illo, *Donec egrediatur, ut splendor* etc. quia Christus splendet primo Patris imagine: *Heb. 1. Cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius.* Secundo sanctorum lumine: *Ps. 109. In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Tertio gloriae plenitudine: *Matt. 17. Resplenduit facies eius sicut sol.* Quarto doctrinae rectitudine: *Supra 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.*

## a CAP. LXIII.

Quis est iste qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator, quaesivi, et non fuit qui adiuvaret. Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quae reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domus Israel, quae largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: Veruntamen populus meus est, filii non negantes: et factus est eis salvator, in omni tribulatione eorum. Non est tribulatus, et angelus faciei eius salvavit eos. In dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus saeculi. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum sancti eius: et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. Et recordatus est dierum saeculi, Moysi, et populi sui. Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Moysem brachio maiestatis suae, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem; quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriae. Attende de caelo, et vide de tecto tuo, et gloriae tuae. Ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, tribus haereditatis tuae. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum hostes nostri, conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

## a CAP. LXIII.

Hic incipit tangere discretionem malorum a bonis in consecutione promissae salutis: et dividitur in partes tres. In prima introducit iudicem, quasi ad discernendum. In secunda proponit petitionem, ibi, *Miserationum* etc. In tertia iudex pronunciat sententialiter discretionem, *65. c. Quaesierunt me* etc. Circa primum duo. Primo movetur quaestio de persona iudicis. Secundo de qualitate habitus, ibi, *Quare ergo rubrum* etc. Circa primum duo. Primo ponit quaestionem. Secundo responsionem, ibi, *Ego qui loquor* etc. Sciendum autem, quod omnes sancti communiter haec exponunt de Christo. Et quaestio ista est angelorum, qui quidem ad plenum mysteria incarnationis Christi non intelligebant. Et ideo, quasi ignorantes quaesierunt, secundum quod ostendit Hieronymus. Cuius contrarium videtur dicere Augustinus *super Gen.* ubi dicit, quod angeli a principio creationis suae cognoverunt omnia, quae ipse erat facturus, sive rerum rationes seminales rebus indiderit, sive apud se tantum retinuerit ut fierent, quamvis rebus inesset ut fieri possent. Et sic videtur, quod huiusmodi mysteria cognoverunt. Ad quod respondet glossa *Eph. 3. Super illud, Mihi autem omnium sanctorum* etc. et dicit, quod maiores cognoverunt, sed minores, quorum est vox ista, ignoraverunt. Dionysius tamen aliter videtur dicere *7. c. caelest. Hier.* vult enim quod haec quaestio sit supremorum angelorum, qui a Deo immediate illuminationes recipiunt. Unde eis immediate respondetur a Deo, *Ego qui loquor*, quamvis ipsi propter reverentiam Christi a se invicem quaererent, sicut discipuli expectantes magistri responsionem. Quamvis autem supremi angeli sciverint huiusmodi mysteria quantum ad substantiam facti, tamen quantum ad particulares circumstantias non perfecte sciebant. Unde quia melius videntur a superiori et perfectiori intellectu, scilicet divino quam angelico, ideo super hoc magis illuminari quaerebant, ut perfectius intelligerent. Mirantur autem tria. Primo victoriosum adventum, *Qui venit*, in caelum, *De Edon*, mundo interpretatur enim san-

guineus vel terrenus, *De Bosrà*, inferno, prius munito custodia daemonum. *Bosra* quandoque est nomen proprium cuiusdam civitatis in terra Moab; quandoque nomen appellativum, et est idem, quod terra, vel urbs munita. Unde frequenter ponitur pro terra Idumaeae munita montibus. Hic autem pro Hierusalem, vel inferno. *Vestibus*, idest membris corporeis, *Tinctis*, sanguine passionis: *Supra 34. Ecce super Idumaeam descendet, et super populum interfectionis meae ad iudicium.* Secundo mirantur in ipso decorum aspectum, *Iste formosus*, a forma; et sic dicitur formosus propter figuram, idest debitam commensurationem membrorum, *In stola*, habitu humanitatis: *1. Pet. 1. In quem desiderant angeli prospicere.* Tertio cunctantur virtuosum incessum, *Gradiens*, in caelum non auxilio angelico, sed sua virtute, quod hactenus fuit inauditum: *Heb. 1. Portans omnia verbo virtutis suae. Ego* etc. Hic ponit responsionem, et ostendit se iudicem, *Qui loquor iustitiam*, idest qui habeo auctoritatem iudicium gentibus proferendi: *Supra 34. Ego Dominus loquens iustitiam*; et salvatorem, *Et propugnator*, contra daemones, *Ad salvandum*, genus humanum: *Exod. 15. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: Eod. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* Nota super illo verbo, *Iste formosus*, quia Christus est formosus primo, quia rutilans splendore divinitatis: *Heb 1. Cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius.* Secundo, quia figuratus conformitate unionis: *Psal. 44. Speciosus forma prae filiis hominum.* Tertio, quia distinctus diverso colore virtutis: *Cant. 5. Dilectus meus candidus, et rubicundus, inter ubera mea commorabitur.* Quarto, quia vestitus honestate conversationis: *Iob 40. Esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. Quare ergo rubrum* etc. Hic ponit secundam quaestionem de habitu. Et primo ponit quaestionem, *Quare ergo*, ac si diceret: Huius sanguinis insignia non iusti, sed iniqui deferre consueverunt, non salvatores, sed potius occisores, *Quasi calcantium.* Est enim vinum rubrum in partibus illis, quod tingit in modum sanguinis. Secundo ponit responsionem, *Torcular.* Et primo assignat ruboris rationem. Secundo prosequitur totum rei ordinem, ibi, *Dies ultionis* etc. Circa primum tria. Primo narrat singularem victoriam, *Torcular*, scilicet crucem, qua pondere passionis pressus, hostes, *Calcavi solus*, patiens et vincens, *Et de gentibus non est vir mecum*, in auxilium, quia eo relicto omnes fugerunt. Et dicit signanter, *Vir*, propter beatam Virginem, in qua fides nunquam defecit: *Can. 1. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Secundo tangit hostium vindictam, *Calcavi eos*, daemones, vel Iudaeos, *In furore*, ira accensa: *Ps. 90. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Tertio quasi concludit ruboris causam, *Et aspersus est sanguis*, meus, quia de corpore meo exiens, *Eorum*, quia eorum potestati concessus ad effundendum. Loquitur secundum similitudinem victoris, cuius vestes caede inquinantur: *Supra 10. Vestimentum mixtum sanguine. Inquinavi*, eorum reputatione. *Dies ultionis* etc. Hic prosequitur totum rei ordinem. Et primo ponit temporis congruitatem, *Ultionis*, tum ad daemones, *Retributionis*, quantum ad iustos, quorum merces usque tunc dilata erat: *Supra 34. Dies ultionis Domino.* Secundo proponit salutis necessitatem, *Circumspexi, et non erat auxiliator*, mihi in cruce: *Iob 19. Fratres mei elongaverunt a me, et noti mei recesserunt a me: Ps. 141. Considerabam, et videbam, et non erat qui cognosceret me.* Tertio salutis impletionem, *Et salvavit*, idest salutem resurrectionis fecit mihi, vel humani generis, *Brachium*, virtutis: *Ps. 97. Salvavit sibi dextera eius, et brachium sanctum eius.* Quarto vindictae expositionem, *Et conculcavi populos*, Iudaeos per Romanos, *Inebriavi*, replevi afflictione, *Eorum*, Iudaeorum et daemonum: *Supra 23. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.* Posset autem exponi totum ad literam, ut induceretur Dominus metaphorice, quasi veniens ad delendos diversos populos hostes Iudaeorum, et praecipue Idumaeos, secundum modum metaphoricum, qui habitus est: *Supra 59. Indutus est iustitia ut lorica. Miserationum Domini* etc. Hic propheta iudici qui iustitiam locuturus et impleturus venit, petitionem porrigit. Et primo inclinat ipsum ad pietatem, commemorans pristina beneficia, quae defecerunt. Secundo pericula quae incurrerunt, ibi, *Quare errare* etc. Circa primum duo. Primo proponit intentum, *Quae reddidit*, pro nostris meritis, tam in bonis quam in malis poenae, *Bonorum*, quae gratis dedit: *Eccl. 51. Memoratus sum misericordiae tuae Domine, et cooperationis tuae quae a saeculo sunt.* Secundo prosequitur propositum. Et primo commemorat beneficia, quantum ad evasionem periculorum, commemorans singularem electionem, *Et dixit*, scilicet Deus, *Veruntamen*, quamvis ipsi contra me essent, *Non negantes*, scilicet Abraham. Vel non negantes, quia saltem fidem meam tenent: *Exod. 15. Fortitudo mea Dominus, et laus mea Dominus.* Et quantum ad diligentem protectionem, *In omni tribulatione.* Et ipse est tribulatus tibi per compassionem. Vel, *Non est*, statim, sed distulit etiam nunc, ut quasi videret si corrigerentur. *Et angelus faciei*, idest faciem meam videns, *Salvavit*, quasi dux eorum per desertum: *Ps. 90. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Et quantum ad paternam dilectionem, *In dilectione redemit*, ab Aegypto, *Portavit*, in deserto, *Levavit*, idest exaltavit super alios in terra promissionis. Secundo tangit beneficia quantum ad remissionem culparum. Et primo ponit culpam, *Ipsi autem afflixerunt spiritum eius*, scilicet Dei. Vel, *Sancti*, Moysi, per diversa iurgia: *Ps. 105. Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius.* Secundo ponit poenam, *Et conversus est in inimicum*, scilicet Deus: *Thre. 2. Factus est Dominus velut inimicus.* Tertio ponit indulgentiam, *Et recordatus*, tandem, *Moysi*, qui pro eis oravit: *Exod. 32. Aut dimitte eis, aut dele me de libro in quo me scripsisti: Ps. 104. Memor fuit in saeculum testamenti eius, verbi quod mandavit in mille generationes.* Nota super illo verbo, *Torcular calcavi*, quia ex torculari crucis fluxit primo sanguis ad redimendum: *1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine Iesu Christi.* Secundo aqua ad emundandum: *Ps. 77. Eduxit aquam de petra: Ezec.*

*56. Effundam super vos aquam mundam.* Tertio oleum ad sanandum: *Iob 29. Petra fundebat mihi rivos olei.* Quarto mel ad solidandum: *Deut. 32. Ut sugeret mel de petra.* Quinto vinum ad confortandum: *Prov. 3. Vino torcularia redundabunt. Ubi est qui eduxit.* Hic plangit eadem beneficia eis subtracta. Et primo plangit beneficiorum defectum, *Ubi est qui eduxit*, Moyses, vel Deus, *Cum pastoribus*, Maria, et Aaron, *Ubi est... spiritum sancti sui*, Moysi, quod legitur *Nu. 11. Ad dexteram*, prospere, *Qui scidit*, ubi est spiritus: *Ps. 135. Qui divisit mare rubrum in divisiones.* Et *Ubi est qui eduxit, quasi equum*, scilicet sine impedimento, *Descendens*, inoffenso curru, *Eius*, populi: *Sap. 19. Et in mari rubro via sine impedimento.* Secundo inclinat iudicis affectum. Et primo petit audientiam, *Attende de caelo: 3. Reg. 8. Tu exaudies de caelo sancto tuo.* Secundo provocat ad misericordiam, *Ubi est zelus*, quo dilexisti nos: *Ps. 88. Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine.* Tertio proponit miserendi causam, *Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos*, adhuc vivus, quia nec nos tunc eramus. Vel etiam modo, nolens orare pro nobis, quia non invocamus ipsum. Vel secundum Augustinum, quia mortui, etiam sancti, nesciunt quid agatur erga vivos. Sed hoc intelligendum est quantum ad virtutem cognitionis humanae, non quantum ad irradiationem divini luminis: *Deut. 32. Ipse enim est pater tuus qui possedit, et fecit, et creavit te. Quare errare* etc. Hic proponit mala culpae, *Errare de viis*, mandatis, *Fecisti*, permittendo, non immittens gratiam, et non corrigens, *Indurasti*, permisisti: *Rom. 9. Cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Secundo proponit mala poenae. Et primo petit misericordiam, *Convertere*, de ira ad misericordiam, *Propter servos*, patres nostros: *Ps. 79. Convertere Domine usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos: Thren. ult. Convertere nos Domine ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio.* Secundo ponit miseriam quantum ad servitutem, *Quasi nihilum*, idest sine resistentia: *Supra 26. Domine Deus noster possederunt nos Domini absque te.* Quantum ad sanctorum profanationem, *Et hostes nostri*, quantum ad honoris pristini amissionem, *Facti sumus*, sine rege, sine templo, *In principio*, in Aegypto, vel etiam ante vocationem Abrahae: *Hier. 13. Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine.*

## a CAP. LXIV.

Utinam dirumperes caelos, et descenderes: a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. A saeculo non audierunt, neque auribus perceperunt. Oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te. Occurristi laetanti, et facienti iustitiam, in viis tuis recordabantur tui. Ecce tu iratus es, et peccavimus: in ipsis fuimus semper, et salvabimur. Et facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostrae. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostrae. Ecce, respice, populus tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta, Syon deserta facta est, Hierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostrae, et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?

## a CAP. LXIV.

Hic porrigit petitionem. Et primo petit iudicis praesentiam. Secundo petit misericordiam, ibi, *Ecce tu iratus* etc. Circa primum duo. Primo ponit petitionem. Secundo petitionis impletionem, ibi, *Descendisti* etc. Circa primum duo. Primo petit iudicis adventum, *Dirumperes.* Figurative loquitur, quasi super caelos habitanti, vel exinanires temetipsum deponens maiestatem, et carnem assumeres: *Ps. 143. Inclina caelos tuos, et descende.* Secundo ponit adventus effectum in creaturis sensibilibus, scilicet in montibus, *A facie tua montes;* quasi dicat, Non sustinentes praesentiam tuam si tibi placeret. Vel montes potentes et superbi: *Supra 34. Tabescent montes in fortitudine sua.* In aquis, *Aquae arderent*, quia totus igneus es, si velles: *Sap. 16. Quodam tempore aqua super virtutem ignis exardebat.* Vel per aquas populi: *Apoc. 16. Aquae multae, populi multi.* Secundo effectum in hominibus. Et primo in gentibus, *A facie tua: Psal. 64. Turbabuntur gentes, et timebunt.* Ad literam, *Commovebunt.* Vel referendum ad conversionem gentium post Christi adventum. Secundo in Iudaeis, *Cum feceris, non sustinebimus,* idest nos qui securi sumus videre et audire prae stupore, sicut territi fuerunt, *Exod. 20.* Vel *non sustinebimus*, adventum credentes etiam in visis miraculis. *Descendisti* etc. Hic ponit petitionis impletionem. Et primo quoad adventum, *Descendisti*, ad iudicandum nos, praeteritum pro futuro. Vel in uterum virginis. Vel melius secundum literalem sensum ponit effectus probationem; quasi dicat, Si modo descenderes, haec contingerent quae etiam contigerunt, quando descendisti, ut liberares populum tuum de Aegypto, *Exod. 4. Psal. 17. Inclinavit caelos, et descendit, et caligo sub pedibus eius.* Secundo quantum ad effectum. Primo in miraculis; *A facie tua montes defluxerunt*, scopuli. At non *Nu. 21.* Mystice Iudaei, vel daemones. Secundo in beneficiis. Et primo ponit beneficiorum magnitudinem, *A saeculo non audierunt*, quia nunquam similia visa sunt,

vel audita, qualia Deus Iudaeis fecit, et sanctis in gloria faciet: *1. Cor. 2. Oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Secundo quantum ad benefaciendi promptitudinem, *Occurristi laetanti*, in auxilium, dum adhuc erat in petendo vel veniendo ad te, *Laetanti*, in te. Mystice Symeoni, *Luc. 2. Ecce tu iratus* etc. Hic ponit misericordiam. Et primo ostendit petendi necessitatem. Secundo porrigit petitionem, ibi, *Et nunc Domine* etc. Circa primum duo. Primo ostendit necessitatem ex imminentia mali quantum ad culpam: tum ex malorum perpetratione, *Ecce tu iratus, et peccavimus*, praeposterus ordo, ideo iratus, quia peccavimus; et omnes, *Salvabimur*, tua misericordia: et quantum ad bonorum imperfectionem, *Et facti sumus... universae iustitiae*, quia aliis peccatis involuti: *Iob 9. Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fuerint velut mundissimae manus meae, tamen in sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea:* et quantum ad poenam, *Et cecidimus*, interfecti, vel a statu dignitatis, *Abstulerunt*, a terra nostra: *Iob 13. Contra folium quod a vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* Secundo ostendit necessitatem quantum ad effectum auxilii. Et primo humani, *Non est qui invocet, et teneat te*, precibus: *Cant. 3. Tenui eum, nec dimittam.* Secundo divini, *Abscondisti faciem tuam*, misericordiae tuae, *In manus*, idest in opere, iuxta illud, *Mors et vita in manu Domini, Prov. 18. Deut. 32. Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum. Et nunc Domine* etc. Hic ponit misericordiam: et circa hoc duo facit. Primo petit misericordiam, assignans rationem, *Pater noster es tu: Hierem. 8. Sicut lutum in manu figuli, sic nos in manu Dei: Iob 10. Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me.* Et porrigit petitionem. *Ne irascaris... satis*, idest nimis, vel secundum quod merita nostra exigunt: *Psal. 43. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae.* Secundo proponit miseriam, *Ecce*, Domine omnes nos sumus, *Sancti*, idest sanctuarii templi, scilicet Hierusalem: *Thren. 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia.* Et miratur patientiam, *Nunquid super: Abac. 1. Quare respicis super iniquitates nostras?* Nota super illo verbo, *Quae praeparasti diligentibus te*, quia Deus praeparat sanctis primo locum aeternae quietis: *Io. 14. Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Secundo regnum aeternae dignitatis: *Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Tertio mensam divinae refectionis: *Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam.* Quarto lucernam aeterni luminis: *Psal. 131. Paravi lucernam Christo meo.* Item nota super illo verbo, *Quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae*, quia opus iustitiae immundatur inquinamento primo mortalis maculae: *Eccl. 47. Dedisti maculam in gloria tua.* Secundo commissae negligentiae: *Hier. 48. Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter.* Tertio intentionis perversae: *Matt. 6. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te.* Quarto insurgentis superbiae: *Supra 57. Omnes eos auferet ventus.*

## a CAP. LXV.

Quaesierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quaesierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentes, quae non invocabant nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres: qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, et ius profanum in vasis eorum. Qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: Non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. Haec dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter servos meos ut non disperdam totum. Et educam de Iacob semen, et de Iuda possidentem montes meos. Et haereditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. Et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me. Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae mensam, et libatis super eam, numerabo vos in gladio, et omnes in caede corruetis: pro eo quod vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui elegistis. Propter hoc haec dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laetabuntur prae exultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis, et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis: et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen, quia oblivioni traditae sunt angustiae priores, et quia absconditae sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo caelos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis, et exultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo. Quia ecce ego creo Hierusalem exultationem, et populum eius gaudium, et exultabo in Hierusalem, et gaudebo in

populo meo: et non audietur in ea ultra vox fletus, et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Et aedificabunt domos, et habitabunt, et plantabunt vineas, et comedent fructus earum. Non aedificabunt, et alius habitabit, non plantabunt, et alius comedet: secundum enim dies ligni erunt dies populi mei, et opera manuum eorum inveterabunt. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam. Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis eius. Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

## a CAP LXV.

Hic iudex, scilicet Deus, dat sententiam de discretione malorum a bonis, in perceptione salutis promissae: et dividitur in partes duas. In prima pronuntiat sententiam discretionis. In secunda determinat modum executionis, *cap. 66. Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo promittit responsionem, ostendens respondendi opportunitatem, *Quaesierunt;* quasi dicat, Hactenus vos Iudaei non quaerebatis a me, sed ab idolis. Ex quo quaeritis, respondebo. Mystice de conversione gentium: *Ro. 10. Inventus sum a non quaerentibus.* Et ponit promissionem, *Dixi, ecce ego ad gentem,* Respondebo scilicet Iudaeis; vel ad gentes conversas convertar: *Can. 8. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* Secundo sententiat discretionem, *Expandi manus.* Et primo sententiat, discretionem malorum a bonis propter peccata transgressionis. Secundo propter peccata omissionis, *Et qui dereliquistis.* Prima in duas. In prima comminatur malis supplicia. In secunda promittit bonis praemia, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo arguit transgressionis culpam. Secundo comminatur poenam, *Isti fumus erunt.* Culpam ipsorum arguit ex tribus. Primo ex beneficiorum magnitudine, *Expandi,* dando multa beneficia, *Tota die,* toto tempore ex quo eos mihi assumpsi. Mystice in cruce: *Hier. 16. Unusquisque ambulat viam non bonam.* Secundo ex peccandi continuitate, *Populus... ante faciem,* quia omnia nuda et aperta sunt oculis eius, *Hebr. 4.* Vel quia in templo idolum ponebant: *Deut. 32. Ipsi me provocaverunt in eo qui non est Deus.* Tertio ex peccatorum diversitate, vel gravitate quantum ad quatuor. Primo quantum ad cultum idolorum, *Qui immolant,* idolis, *In hortis,* quia in locis voluptuosis idola colebant, *Super lateres,* super altaria ex lateribus constructa, ut ignem sacrificii sustinere possent: *Supra 1. Confundentur ab idolis suis.* Secundo quoad studium divinationum, *Qui ambulant in sepulcris,* ut habeant responsiones a mortuis, *Et delubris,* templis idolorum a diluendo dictis, quia putabant omnia ablui. Vel propter fontes qui ibi erant ad abluendas hostias. Et sacerdotes, *Dormiunt,* super pelles hostiarum ad divinandum: *Ezec. 6. Conterentur delubra vestra.* Tertio quantum ad immunditiam ciborum, *Qui comedunt... et ius profanum,* porcinum: *Isa. ult. Qui comedebant carnem suillam, et abominationem, et murem simul consumentur.* Quarto quantum ad contemptum iustorum, *Qui dicunt,* sive adorantibus idola: vel qui dicunt Deo, *Recede: Iob 21. Qui dicunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Isti fumus erunt* etc. Hic comminatur poenam. Et primo poenae diuturnitatem, *Fumus,* idest sicut fumus igne consumentur et incendentur ira mea: *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Secundo punitionis certitudinem: *Ecce scriptum est,* quia firmiter in memoria peccatum, et in praefinitione poena: *Non tacebo,* dissimulabo: *Hier. 17. Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino: Supra 42. Tacui, semper silui.* Tertio poenarum multitudinem, quia pro omnibus peccatis patrum, *Sed reddam: Exo. 20. Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios. Exprobraverunt,* adorando in excelsis. Et pro peccatis etiam idola iuventutis ipsorum, *Et remetiar,* quasi commensurabo poenam culpae: *Supra 40. Recepit de manu Domini duplicia. Haec dicit Dominus* etc. Hic promittit bonis praemia. Et primo quantum ad conservationem a malis, *Granum,* uva, *Benedictio,* idest placet Deo, ut pro benedictione reservetur, *Propter servos,* patres nostros, *Totum,* genus Iudaeorum: *Supra 17. Erit sicut congregans racemos in vindemia.* Secundo quantum ad promotionem in bonis. Et primo quantum ad seminis multiplicationem, *Et adducam de Iacob: Supra 50. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* Secundo quantum ad haereditatis paternae restitutionem, *Et haereditabunt: Ezec. 36. Haereditate possidebunt te, et eris haereditas eorum.* Tertio quantum ad pascuorum ubertatem, *Et erunt campestria... et vallis Achor,* ab illo lapidatus, *Iosu. 7. Oseae 2. Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem. Et vos dereliquistis.* Hic discernit malos a consolatione bonorum propter peccata omissionis. Et primo comminatur malis supplicia. Secundo bonis praemia, *Quia oblivioni.* Circa primum duo. Primo comminatur eis, quia Deum dereliquerunt, ponens culpam, *Et vos,* Iudaei, *Fortunae,* Deo Aegyptiorum, *Mensam.* Tangit ritum quo celebratur, quia in fine anni parabatur sibi mensa, omnibus cibis referta: *Deut. 32. Dereliquerunt Deum factorem suum, et recesserunt a Deo salutari suo.* Ponens etiam poenam, *Numerabo;* quasi dicat, Ut nullus remaneat, quin opprimatur: *Hier. 44. Cadent in gladio et fame.* Secundo quia revocati non obedierunt. Ponens culpam, *Pro eo quod vocavi: Prov. 1. Vocavi, et renuistis accipere disciplinam.* Et comminatur discretionis poenam. Primo in satietate corporis, *Propter hoc haec dicit Dominus: Psal. 33. Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Secundo in laetitia cordis, *Ecce servi mei laetabuntur.* Tertio in diversitate nominis. Et primo ponit qualem fructum ferat nomen impiorum, *Et dimittetis... in iuramentum,* ut confirment dicta sua, si non est ita, ita ut acci-

dat mihi sicut illis: *Hier. 44. In gladio, et fame morientur, et erunt in iusiurandum, et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium.* Et deinde ponit quale sit futurum nomen bonorum, *Et servos ... nomine,* scilicet nomine Iesus, est nomen, *Amen,* fideliter: *Supra 62. Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Quia oblivioni* etc. Hic promittit visa praemia. Et primo in generali quantum ad amotionem malorum, *Quia oblivioni,* non defectu cognitionis, sed successione bonorum: *Sup. 54. Confusionis adolescentiae tuae obliviscaris.* Et quantum ad restaurationem bonorum, *Ecce enim ego creo caelos novos,* nova de caelo auxilia, *Terram novam,* nova de terra beneficia. Vel ad diem iudicii, quando mundus ad gloriam sanctorum innovabitur: *Apoc. 21. Prima abierunt.* Secundo in speciali, *Quia ego creo Hierusalem.* Et primo quantum ad cordium iucunditatem, *Hierusalem,* terrestrem, sed magis caelestem, *Exultationem,* emphatice, ut tota gaudio sit absorpta: *Sup. 35. Gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus.* Secundo quantum ad vitae diuturnitatem, *Non erit amplius qui non impleat,* ante tempus non morieris, sed puer, *Morietur centum annorum,* idest quando pervenerit ad talem aetatem, *Et,* si sit, *Peccator,* quamvis tantum vixerit, maledictioni subiacebit: *Genes. 25. Mortuus est Abraham in senectute bona.* Mystice in caelesti Hierusalem omnes dies suos implebunt, quia nullus morietur, *Puer centum annorum,* idest qui usque ad aetatem senectutis pueriliter vixit, *Morietur,* morte aeterna: *Sap. 4. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata.* Tertio quantum ad bonorum prosperitatem: tum quantum ad securitatem possessionum, *Et aedificabunt: Amos ult. Plantabunt vineas, et aedificabunt domos.* Et assignat rationem, *Secundum enim dies,* idest quia diu vivent sicut diu durat lignum arboris: *Inveterabunt,* idest usque ad vetustatem in usum eorum remanebunt: *Psal. 1. Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum:* tum quantum ad pacem filiorum, *Neque generabunt in conturbatione,* quasi generantes filios in servitute hostium: *Eccl. 44. Cum semine ipsorum perseverant bona.* Quarto quantum ad precum exauditionem, *Eritque antequam clamet,* ore: *Supra 20. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Quinto quantum ad pacis tranquillitatem, *Lupus et agnus,* quia qui prius tyranni et malefactores, pacifice cum aliis morabuntur etc.

## a CAP. LXVI.

Haec dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quae est ista domus quam aedificabitis mihi, et quis iste locus requietionis meae? Omnia haec manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Haec omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. Unde et ego eligam illusiones eorum, et quae timebant adducam eis, quia vocavi, et non erat qui responderet, locutus sum, et non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, et quae nolui elegerunt. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius. Dixerunt fratres vestri odientes vos, et abiicientes propter nomen meum. Glorificetur Dominus, et videbimus in laetitia vestra; ipsi autem confundentur. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una, aut pariet gens simul, quia parturivit, et peperit Syon filios suos? Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus. Laetamini cum Hierusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis eius, ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem, gloriam gentium quam sugetis. Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Hierusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt. Et cognoscetur manus Domini servis eius, et indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus diiudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino. Qui sanctificabuntur, et mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, et abominationem et

murem, simul consumentur dicit Dominus. Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum: venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam, in Lydiam, tendentes sagittam in Italiam, et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Hierusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo, in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus: Quia sicut caeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

## a CAP. LXVI.

Hic determinat modum executionis dictae sententiae. Et primo specialiter quantum ad Iudaeos. Secundo universaliter quantum ad omnes, ibi, *Ego autem opera eorum et cogitationes* etc. Prima dividitur in duas. In prima excludit falsam confidentiam. In secunda proponit, et determinat datam scientiam, quantum ad modum executionis, ibi, *Audite verbum Domini* etc. Circa primum duo. Primo excludit falsam fiduciam a templi sanctitate, ostendens templum non esse Dei locum: tum ex Dei magnitudine, qui omnia implet. *Caelum sedes* dicitur, quia multum participat de bonitatibus ipsius, sicut sedes magnam partem sedentis habet, *Terra scabellum*, quia terra minimum participat de bonitatibus ipsius, sicut extrema pars ad scabellum pervenit. Vel per caelum sanctos, per terram terrenos: *13. Reg. 8. Si caelum et caeli caelorum non te capiunt: Hier. 23. Caelum, et terram ego impleo.* Tum ex quiete: quia in loco quiescit unumquodque cuius est locus. Deus autem non quiescit in aliquo, sed omnia in ipso sicut ab ipso facta. *Et quis est locus.* Et dat utile remedium, *Ad quem autem... pauperculum*, idest humilem qui se parum reputat, quantum ad praesentia, *Contritum*, de peccatis praeteritis, *Trementem*, quantum ad propositum de futuris faciendis: *Eccl. 15. Oculi eius ad timentes eum.* Secundo excludit confidentiam quam conceperant ex ritu sacrificiorum. Et primo ponit ipsorum reprobationem, *Qui immolat bovem*, ac si diceret: Ita sunt abominabilia ipsorum sacrificia, ac si aliquid contra legem facerent, quia eadem idolis offerebant, *Qui benedicat*, laudat et veneratur: *Supra 1. Ne offeratis ultra sacrificium frustra.* Secundo ostendit reprobationis rationem. Primo ponens culpam, *Haec omnia elegerunt*, scilicet sacrificia: ambulantes, *In viis suis*, malis: *Proverb. 2. Laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Secundo comminatur poenam, *Unde et ego: Prover. 3. Illusores ipse deludet: Iob 5. Timor quem timebam, evenit mihi, et quod verebar accidit.* Tertio arguit peccantium duritiam, *Quia vocavi: Proverb. 1. Vocavi, et renuistis. Audite verbum Domini* etc. Hic exequitur modum executionis dictae sententiae. Et primo quantum ad praemia bonorum. Secundo quantum ad supplicia malorum, ibi, *Et cognoscetur* etc. Prima in duas. Primo excitat attentionem, *Audite qui tremitis*, ex reverentia verborum ipsius: *Eccles. 2. Qui timetis Dominum, credite illi.* Secundo prosequitur promissionem. Et primo quantum ad vindictam de irrisoribus, ponens eorum irrisionem, *Dixerunt*, fratres vestri, *Glorificetur*, quasi dicat, nunquam apparebit: *Supra 5. Festinus velociter veniet, et non est deficiens, neque laborans in eo.* Et praedicens eorum confusionem, *Ipsi autem confundentur*, hoc modo, *Vox populi*, timentis, *Vox Domini*, quantum ad hostium tumultus: *Soph. 1. Vox diei Domini amara.* Secundo exequitur promissionem quantum ab bonorum abundantiam. Et primo ad populi readunationem ponens promissionem, *Antequam parturiret*, idest subito et simul filii Hierusalem congregabuntur ad ipsam, sicut si mulier subito filium pareret, non praecedente partu: *Supra 37. Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Mystice exponitur de partu B. Virginis, et de partu ecclesiae in conversione fidelium, et de parturitione aeternae generationis. Et inducit admirativam quaestionem, *Quis audivit undique tale* etc. Et primo ponit responsionem ex persona Domini, *Numquid ego... non pariam*, congregans Iudaeos, vel fideles convertens, vel Filium ab aeterno generans? Simile *Psalm. 93. Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?* Et haec argumenta tenent, si illud quod est perfectionis in creaturis, attribuatur Deo, semoto omni eo quod imperfectionis est. Secundo promittit congregatis immensam consolationem. Et primo invitat alios ad congratulationem, *Laetamini cum Hierusalem mea*, sicut in obiecto gaudii, ponens conditionem congratulantium. Quantum ad affectum, *Qui diligitis: Can. 5. Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.* Quantum ad effectus signum, *Qui lugetis: Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et congratulationis fructum. Quantum ad participationes laetitiae, vel pacis, *Ut sugatis: Can. 1. Meliora sunt ubera tua vino.* Quantum ad participationem gloriae, *Ut mulgeatis*, quasi mulgentes lac: *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis afflues.* Secundo promittit copiosam collationem pacis, *Quia haec dicit Dominus, declinabo inundantem.* Et vocatur redundantia, sicut fluvius descendens cum magno impetu venit, nec redundat. Et gloriae, *Et quasi torrentem.* Tertio promittit consolationis plenam perceptionem. Primo quantum ad gentium administrationem quam sugetis in *Gloriam gentium*, quia ipsi reges gentium consolabuntur, et sustentabunt vos; unde sequitur, *Ad ubera.* Mystice loquitur de Apostolis, qui in gloriam gentium velociter conversarum delectati sunt, et eas quasi ad ube-

ra blandis admonitionibus portaverunt. Secundo quantum ad divinam protectionem, *Quomodo sicut mater: Hebr. 12. Obliti estis consolationis, quae vobis tanquam filiis loquitur dicens, Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris.* Tertio quantum ad bonorum fruitionem, *Videbitis*, bona a Deo vobis data, *Ossa*, vos qui in adversitate sicut ossa arida eratis: *Ezech. 37. Ossa arida, audite verba Domini.* Vel videbitis divinam essentiam: *Eccl. 11. Dulce lumen et delectabile oculis solem videre. Ossa*, quasi herba germinabunt in resurrectionem. *Et cognoscetur* etc. Hic promittit malis supplicia. Et primo comminatur poenam, ponens iudicis indignationem, *Manus*, affligens impios in servis: vel, *Manus*, consolationis, *In servis*, per effectum: *Supra 28. Indignatio non est mihi.* Ponit etiam poenae magnitudinem, *Quia ecce Dominus in igne*, quo civitas comburenda erat, vel quo mundus purgandus: *Psal. 96. Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius. Quadrigae*, exercitus Chaldaeorum, in quo quasi venit Deus; vel angeli qui cum ipso ad iudicium venient. Ponit etiam punitorum multitudinem, *Multiplicabuntur: Supra 34. Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Secundo improperat culpam, *Qui sacrificabantur*, putantes se mundare ab immundis aquis, vel etiam sacrificiis idolorum: *In hortis*, in quibus idola colebant, vel voluptati se exercebant una cum mulieribus more pecudum coeuntes. Vel, *Postquam ianuam*, ad literam, *Murem*, glirem contra legem, *Levi. 11. Supra 65. Comedent carnem suillam, et ius profanum. Ego autem* etc. Hic prosequitur modum descriptionis quantum ad omnes communiter. Et primo inducit universale iudicium, *Opera et cogitationes*, pro utrisque iudicans, *Venio*, in die iudicii. Vel diversa regna hostium vestrorum, et in vobis malos destruens, *Venient*, Hierusalem post vestrum reditum, vel ad iudicium, vel ad fidem: *Ioel. 3. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidisti eos.* Secundo ponit citationem, *Et ponam in eis*, idest Iudaeis qui erunt cum Zorobobel et aliis ducibus: *Signum*, edictum Cyri, *Ad gentes*, ad quas dispersi erant Iudaei, *Lydiam ... tenentes sagittam*, quia sunt boni sagittarii, *Gloriam meam*, quae apparebit in vestra liberatione: *Supra 11. Levabit signum in nationibus.* Vel, *Signum*, crucis ponit in apostolis, ut omnes ad Deum convertant, quasi ad iudicium praeparantes. Tertio ponit iudicandorum praeparationem. Et primo quantum ad bonos. Secundo quantum ad malos, *Et egredientur, et videbunt.* Prima in duas. Primo quantum ad Iudaeos ponens honorificam reversionem, *Adducent in equis*, per quae significantur subsidia, quae a gentibus revertentes habuerunt: *Baruc. 5. Adducet hos Dominus ad te.* Vel significantur diversae conditiones eorum, qui convertuntur ad fidem, sicut exponit Glossa. Secundo reversionis exaltationem. Primo quantum ad dignitatem, *Et assumam*, quod ad literam impletum est in Iudaeis, et etiam in apostolis: *Supra 61. Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis.* Secundo quantum ad seminis conservationem, *Quia sicut coeli novi, sic stabit*, in perpetuum: *Hier. 31. Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet.* Vel sancti stabunt in aeternum innovati sicut coelum et terra. Tertio quantum ad gloriae durationem, *Et erit mensis*, quasi mensis mensi, et festum festo in vestra prosperitate succedet: *Supra 29. Additus est annus ad annum, et solemnitates evolutae sunt.* Mystice ecclesia post finem, et qui est spiritualis, post carnalem. Secundo quantum ad gentiles, *Et veniet omnis*, quia de diversis nationibus veniebant Ierusalem ad Dominum adorandum: *Psal. 65. Omnes gentes venient, et adorabunt coram te Domine.* Vel in die iudicii. *Et egredietur* etc. Hic ponit secundum iudicium quantum ad malos. Et primo poenae emanationem, *Et egredientur*, venientes Hierusalem: *Et videbunt*, in monumentis antiquis, et in campis ossa mortuorum patrum: *Supra 34. Interfecti eorum proiicientur, et de cadaveribus eorum ascendet foetor.* Vel sancti videbunt damnatos in damnationem cadentes. Secundo ponit poenae durationem, *Vermis eorum*, conscientiae, qua etiam mortui torquebuntur, Et *Ignis*, inferni: *Iudith 16. Dabit ignes, et vermes in carnes eorum.* Tertio de poenis delectationem quantum ad videntes, *Et erunt usque ad satietatem omni carni*, idest sanctis: *Psal. 57. Laetabitur iustus cum viderit vindictam.* A quibus poenis nos liberet, qui incipere et consummare dedit, Iesus Christus Dominus noster. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

FINIS.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN HIEREMIAM PROPHETAM EXPOSITIO

## PROOEMIUM

**Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Hieremias propheta Dei.**

*Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Hieremias propheta Dei, 2. Macha. ult.* Verba ista sunt Oniae summi sacerdotis ad Iudam Machabaeum, in visione Hieremiam commendantis. Ex quibus quatuor possunt accipi circa praesens opus quod prae manibus habetur, scilicet auctor, materia, modus, et utilitas. Circa auctorem tria designat praesens auctoritas, scilicet officium, affectum, et actum. In officio ostenditur prophetalis dignitas; unde dicit, *Hieremias propheta Domini.* In affectu fraterna charitas; unde dicit, *Hic est qui multum etc.* Dicitur autem propheta Dei ad differentiam aliorum, qui non sunt prophetae Dei: sunt enim quidam prophetae coeli, quidam prophetae diaboli, quidam prophetae Dei. Prophetae coeli sunt, qui ex figuris coeli in motibus siderum futura coniicere student: et de istis dicitur *Isa. 47. Stent, et salvent te augures coeli* etc. Et ad hunc modum prophetiae reducitur omnis divinatio, quae fit per aliquas causas vel signa in rebus naturalibus inventa. Prophetae diaboli sunt, qui ex revelatione daemonum aliqua futura cognoscunt: quod quidem, ut dicit Augustinus, ipsi daemones cognoscunt experientia longi temporis, vel perspicacitate naturae, vel revelatione supernorum spirituum: et de istis dicitur *infra 2. Prophetae prophetaverunt in Baal* etc. Prophetae autem Dei sunt, qui mediantibus angelis, ut dicit Dionysius, de futuris a Deo illuminationem accipiunt. Unde Cassiodorus dicit quod prophetia est divina inspiratio rerum eventus immobili veritate denuntians; et ideo dicitur *Luc. 1. Tu puer propheta Altissimi vocaberis* etc. Prima prophetia contemnenda est, quia vana: non enim habet immobilem veritatem: effectus enim recipiunt contingentiam a causis proximis, non necessitatem a causis primis. Et ideo dicitur *Hierem. 10. A signis coeli nolite metuere.* Secunda est fugienda omnino, quia deceptoria et perniciosa: *Zach. 13. Pseudoprophetas et spiritum immundum auferam de terra.* Tertia est sequenda et tenenda, quia illuminativa: *1. Petri 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.* Dicuntur autem isti sancti prophetae, prophetae Dei, propter tria. Primo quia a Deo inspirati: *Ioel. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.* E contrario de falsis prophetis, qui per spiritum suum loquuntur, dicitur *Ezech. 13. Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum* etc. Secundo, quia a Deo missi: *Matth. 23. Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes* etc. *Isa. 29. Et nunc mi-*

*sit me Dominus* etc. E contrario de falsis prophetis *infra 3. Non mittebam eos, et ipsi currebant* etc. Tertio quia Deum testificati : *Huic omnes prophetae testimonium perhibent* etc. *Isa. c. 44. Vos estis testes mei.* Affectus autem ostenditur fervens fraterna charitate: unde dicit, *Hic est fratrum amator.* Affectus autem prophetarum tripliciter variatur : quidam enim sunt amatores lucri: *Isa. 56. Dormientes et amantes somnia, et canes impudentissimi, nescierunt saturitatem* etc. Quidam amatores favoris humani, de quibus *Matt. 23. Amant primos recubitus in coenis.* Sed tertii sunt amatores populi, implentes illud Apostoli *ad Heb. ult. Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci.* Primi spoliabant divitiis : *Michaeae 3. Haec dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus, et praedicant pacem: Ezech. 13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, ut vivificarent animas quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Secundi decipiebant blanditiis: *Ezech. 22. Prophetae eius liniebant eos absque temperamento videntes vana, et divinantes ei mendacium.* Sed tertii instruebant veris doctrinis : *Infra 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* In actu autem ipsius ostenditur pia compassio eius ad populum suum, ibi, *Hic est qui multum.* Est oratio eius multa sive magna, tripliciter. Primo altitudine contemplationis: *Infra 18. Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.* In conspectu eius altare est per contemplationem praesto esse. Secundo fuit magna ex magnitudine compassionis: *Thren. 2. Conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum.* Tertio fuit magna assiduitate temporis, quia ante captionem et post: unde *Iacob. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua.* Et haec tria, scilicet prophetalis dignitas, fraternalis charitas, et compassionis pietas, necessaria sunt prophetae. Cum ergo propheta constituatur quasi medius inter Deum, et populum, sicut dicitur *Deuteron. 5. Ego sequester et medius fui inter Deum et vos;* oportet quod per donum prophetiae coniungatur Deo, sicut dicitur *Sapien. 7. Per nationes in animas sanctas se transferet, et per charitatis vinculum iungatur populo: Ephe. 4. Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et sic orando, causam populi referant ad Deum, et praedicando causam Dei ad populum. Ex his autem tribus statim apparent alia tria. Ex officio enim patet modus : procedit enim per similitudinem et figuras, qui proprius modus prophetarum est : *Num. 13. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, et per somnium loquar ad illum.* Ex affectu patet utilitas: sicut enim dicitur *Eccl. 6. Amicus fidelis medicamentum vitae, et immortalitatis* : est enim finis bene vivere, et ad immortalitatis gloriam pervenire. Sed materia apparet ex actu : est enim materia secundum sensum historicum captivitas populi, quae compassionis orationem excitabat; unde dicitur *Baru. 2. Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.*

# EIUSDEM DIVI THOMÆ

## IN PROLOGUM

## BEATI HIERONYMI EXPOSITIO

### PROLOGUS

S. HIERONYMI PRESBYTERI IN HIEREMIAM PROPHETAM

Hieremias Propheta cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebraeos Isaiae et Osee ex quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii de loco ei in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus tribus ab Hierosolymis distans millibus, sacerdos ex sacerdotibus, et in matris utero sanctificatus, virginitate sua Evangelicum virum Christi ecclesiae dedicans. Hic vaticinari exorsus est puer, et captivitatem urbis atque Iudaeae non solum spiritu, sed et oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus Israel Assyrii in Medos transtulerant, iam terras earum coloniae gentium possidebant. Unde in Iuda tantum, et in Beniamin prophetavit, et civitatis suae ruinas quadruplici planxit alphabeto, quod nos mensurae metri, versibusque reddidimus. Praeterea ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarii eius, qui apud Hebraeos nec legitur, nec habetur, praetermisimus, pro his omnibus maledicta ab aemulis praestolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior, quia vos cogitis. Caeterum ad compendium mali rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quam quotidie novi aliquid scriptitantem invidorum insaniam provocare.

Huic autem libro Hieremiae, qui librum de hebraeo in latinum transtulit, praemittit prooemium, in quo more rhetorico tria facit. Primo reddit attentos. Secundo dociles facit, ibi, *Hic vaticinari* etc. Tertio benevolos, ibi, *Quod non mensurae* etc. Reddit autem attentos dupliciter. Primo ex scripturae profunditate. Secundo ex scribentis auctoritate, ibi, *Sacerdos ex sacerdotibus.* Circa primum duo facit. Primo commendat profunditatem mysterii in quo aequat ipsum aliis prophetis, ibi, *Sed sensibus par.* Et causam ostendit unitatem spiritus inspirantis, ibi, *Quippe qui eodem spiritu prophetaverit: 1. Corin. 14. Spiritus est, qui loquitur mysteria: Iob 32. Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Secundo excusat ru-

sticitatem eloquii, ibi, *Porro* etc. Et ideo ipse dicit *infra 1. Nescio loqui, quia puer ego sum.* Auctoritatem autem scribentis ostendit ex tribus. Primo ex genere simul et dignitate, ibi, *Sacerdos ex sacerdotibus.* Unde suum erat dicere legem: *Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius.* Secundo ex privilegiata sanctitate, *Et in matris utero* etc. Unde dicitur *cap. 1. Antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Tertio ex carnis integritate, *Virginitate*, quae probatur ex hoc quod dicitur *infra 16. Non accipies uxorem in loco isto, et non erunt tibi filii. Hic vaticinari* etc. Hic reddit dociles determinans tempus, *Captivitatem urbis, non solum spiritu futuram, sed et oculis carnis*, praesentem, et determinans materiam, quia scilicet non decem tribubus, sed tantum duabus prophetavit, *Iam enim* etc. 4. enim *Reg. 17.* patet, quod decem tribus captivatae sunt a rege Assyriorum tempore Achaz regis Iuda, *Coloniae*, idest alienigenae ad incolendum terram adducti, *Planxit, in Threnis 1. Quod nos mensurae* etc. Hic reddit benevolos ex persona sua, tribus locis. Primo de bonis a se factis sine arrogantia dicens, *Quod nos mensurae*, singulis scilicet versibus, literas ordinatim praescribentes, quantum ad Threnos, per ordinem, quantum ad ipsum librum Hieremiae. Secundo crimen illatum diluit, excusans se de Baruch, quae praetermisit, *Librum autem* etc. Tertio ostendit quae sibi difficultates instent, ex contradictione aemulorum. Unde primo ponit eorum invidiam, *Pro his omnibus.* Secundo ponit assumpti laboris causam, *Et haec patior* etc. Caeterum, quasi dicat, nisi essent preces vestrae, poteram eorum rabiem nihil transferendo, evadere.

# INCIPIT EXPOSITIO

# D. THOMÆ AQUINATIS

# IN HIEREMIAM PROPHETAM

INCIPIT HIEREMIAS PROPHETA ,

a CAP. I.

Verba Hieremiae prophetae , filii Helchiae de sacerdotibus , qui fuerunt in Anathot , in terra Beniamin.

b Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Iosiae filii Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius. Et factum est in diebus Ioachim filii Iosiae regis Iuda, usque ad consummationem undecimi anni Sedechiae filii Iosiae regis Iuda, usque ad transmigrationem Hierusalem, in mense quinto.

c Et factum est verbum Domini ad me , dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te , et antequam exires de vulva , sanctificavi te , et prophetam in gentibus dedi te. Et dixi, A, a, a, Domine Deus. Ecce nescio loqui , quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, quia puer sum, quoniam ad omnia quae mittam te, ibis, et universa quaecumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te , dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum , et dixit ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes.

d Et factum est verbum Domini ad me , dicens: Quid tu vides Hieremia ? Et dixi: Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.

e Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens, Quid tu vides ? Et dixi: Ollam succensam ego video, et faciem eius a facie aquilonis. Et dixit Dominus ad me: Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait Dominus, et venient, et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem , et super omnes muros eius in circuitu , et super universas urbes Iuda. Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis , et adoraverunt opus manuum suarum. Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge , et loquere ad eos omnia , quae ego praecipio tibi. Ne formides a facie eorum , nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream , et in murum aereum super omnem terram , regibus Iuda, principibus eius, et sacerdotibus, et omni populo terrae, et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus , ut liberem te.

a CAP. I.

Iste liber more aliorum prophetarum in duas partes dividitur , scilicet in titulum, et tractatum , qui incipit , ibi , *Et factum est* etc. In titulo duo facit. Primo describit auctorem. Secundo prophetiae tempus, ibi, *Quod factum est.* Describitur autem auctor tripliciter. Primo ex nomine, *Verba Hieremiae* , supple haec sunt. Et interpretatur excelsus Domino, quod competit eminentiae contemplationis. Secundo ex genere prophetali , *Filii Helchiae.* Secundum regulam enim Hieronymi ubicunque prophetae pater in titulo ponitur, ipse etiam propheta fuit. Et sacerdotali, *De sacerdotibus*, quorum erat scire legem: *Aggaei 2. Interroga sacerdotem, et legem.* Tertio describitur ex

habitatione propria, *Qui fuerunt in Anathot.* Acceperunt enim Levitae in singulis tribubus aliquas villas, in quibus morarentur, sicut dicitur *Num. ul.* De istis verbis dicitur *Isa. 59. Verba mea non deficient.* Sciendum est autem, quod quidam prophetae intitulantur ab actu interiori; unde dicitur, *Visio Isaiae vel visio Abdiae.* Quidam ab actu exteriori, et isti intitulantur per verbum, sicut hic. Quidam a materia comminationis, et sic intitulantur per Onus, sicut Abacuch, et Nahum.

b Hic describit prophetiae tempus, quia sub tribus regibus prophetavit, de quibus habetur *4. Reg. 20.* et deinceps. Sed cum supra dixerit verba, quare hic singulariter dicit, *Verbum.* Ad quod dicendum, quod verba prophetalia sunt quidem multa in se, sed sunt unum in sua origine, quia a Verbo increato originantur. Sed cum illud Verbum sit aeternum, ut dicitur *Ioan. 1.* quomodo dicitur factum. Et dicendum, quod non dicitur factum simpliciter, sed ad aliquem, non quidem mutatione facta in Verbo, sed in eo, cui per Verbum fit revelatio: secundum quem modum dicitur Deus factus refugium nostrum. Item quaeritur, quare non fit mentio de aliis duobus regibus, Ioatham filio Iosiae, et de Ioachim filio Ioathim, qui et alio nomine Ieconias dictus est. Et dicendum, quod uterque istorum regnavit tantum tribus mensibus, ut dicitur *4. Reg. 24.* Et quia sacra Scriptura non curat minutias, computantur cum temporibus aliorum regum, *Mense quinto,* quo fuit destructa, licet mense quarto capta, ut dicitur *infra 39.*

c Hic incipit tractatus ipsius libri. Et primo iniungitur Hieremiae prophetandi officium. Secundo ponitur prophetae iam constituti vaticinium, ibi, *Et factum est c. 2.* Prima in duas. In prima iungit officium. In secunda ostendit executionis modum, ibi, *Tu ergo accinge.* Prima in duas. In prima constituitur in prophetali officio. In secunda designatur sibi prophetiae suae materia, ibi, *Et factum est verbum* etc. Prima in duas. In prima narratur prophetiae praeparatio. In secunda doni prophetalis collatio, ibi, *Et misit* etc. Prima in tres. In prima ponitur praeparatio ex parte Domini. In secunda ponitur contradictio prophetae, ibi, *Et dixi, A, a, a.* In tertia contradictionis repulsio, ibi, *Et dixit Dominus.* Circa primum tria. Primo ponitur prophetae praeparatio, *Factum est verbum,* vel exterius per subiectam creaturam, vel interius per inspirationem: *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Te formarem,* in ipsa enim natura formante Deus operatur formam, scilicet causa prima in secunda: *Iob 10. Pelle, et carnibus vestisti me. Novi,* notitia approbationis: *Isa. 49. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei.* Secundo ponitur privilegiata sanctificatio, *Et antequam: Ecc. 49. Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est propheta* etc. Tertio opponitur officii praeordinatio, *Et prophetam dedi,* scilicet in mea ordinatione: *Is. 44. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Circa sanctificationem in utero quatuor videantur. Primo tempus. Et videtur quod ante infusionem animae possit esse huiusmodi sanctificatio, per illud quod dicit glossa Ambrosii, *Lu. 1. Nondum inerat spiritus vitae, et iam inerat spiritus gratiae.* Praeterea hic dicitur, *Priusquam te formarem in utero novi,* et intelligitur de spirituali notitia, quae est approbationis. Ergo ante formationem gratiam habuit. E contra videtur, quod non antequam ex utero nascatur; quia dicit Augustinus, *Non potest renasci nisi iam natus.* Nullus autem habet gratiam nisi renatus, quia per gratiam fit quis filius Dei. Ergo nec gratiam sanctificationis. Ad hoc dicendum, quod sanctificatio, de qua loquimur, fit per gratiam, cuius subiectum est anima. Et ideo ante infusionem animae non potest esse; sed post infusionem ante nativitatem ex utero fit ex spirituali privilegio. Ad primum dicendum, quod spiritus vitae dicitur ibi aer exterius libere respiratus; vel dicitur inesse spiritus vitae, si de anima accipiatur, quando innotescit. Ad aliud dicendum, quod intelligitur de notitia approbationis, quae est secundum praedestinationem ad gratiam, et non dicitur secundum praesentem iustitiam. Ad aliud dicendum, quod nullus potest renasci, lege communi, regeneratione, quae est per sacramenta, antequam sit natus, quia nondum subiacere potest operationibus ministrorum ecclesiae, per quos huiusmodi gratia dispensatur. Sed Deus potentiam suam non alligavit sacramentis; et ideo ipse potest spirituali privilegio aliquem in utero sanctificare. Secundo quaeritur, quibus conveniat sanctificatio ista. Et videtur, quod Christo, de quo dicitur hic in glossa, quod antequam de vulva exiret, sanctificatus est in utero. Sed contra. Sanctificare est de non sancto fieri sanctum. Sed ipse nunquam fuit non sanctus. Ergo etc. Item videtur, quod conveniat rebus inanimatis per id quod dicitur *in Ps. 45. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* In contrarium est, quod huiusmodi non sunt susceptiva gratiae. Et dicendum ad primum, quod non sanctum dicitur dupliciter. Vel privative: et tunc requiritur existentia subiecti; et sic Christo non convenit; aut negative: et sic convenit Christo de non sancto fieri sanctum, quia antequam esset homo, non erat sanctus sanctitate creata. Ad aliud dicendum, quod sanctum dicitur uno modo cultui divino dicatum; et sic res animatae, et inanimatae sanctificari possunt. Aliquando autem sanctum dicitur firmum, vel mundum, vel a peccato, vel a carnali actu: et talis sanctificatio est per gratiam, et tantum in hominibus possibilis. Cum autem omnis sanctificatio ordinetur ad illam sanctissimam Filii Dei conceptionem, convenienter mater, in cuius utero celebrata est illa conceptio, sanctificata fuit, et Ioannes Baptista, qui adhuc clausus utero clausum in utero ostendit, et Hieremias, qui inter alios expressius modum illius sanctissimae conceptionis disseruit: *Infra 21. Creavit Dominus novum super terram, foemina circumdabit virum.* Quaeritur tertio de effectu sanctificationis. Et sciendum est, quod sanctificatio ordinatur contra immunditiam peccati originalis, in quo est considerare reatum carentiae divinae visionis ex carentia debitae iustitiae; et hunc totaliter amovit, quantum pertinet ad impedimentum personae, licet nondum esset solutum pretium, quo moveretur impedimentum naturae. Est enim considerare fomitem, qui est pronitas ad omne malum: et hic quidem manet, sicut habitus impeditus non inclinat

ad id, ad quod est, sed in aliis inclinabat ad veniale, quamvis non ad mortale. In Beata autem Virgine ad neutrum horum. Quarto quaeritur de comparatione gratiae sanctificationis ad gratiam sacramentalem. Et dicendum, quod simpliciter praevalet gratia sanctificatione, quia post gratiam sacramentalem manet inclinatio ad peccatum mortale. Sed secundum quid praevalet gratia sacramentalis, scilicet quoad impressionem characteris, et huiusmodi. *Et dixi.* Hic ponitur prophetae contradictio. Et primo ponit suum stuporem, *A*, propter defectum vitae, *A*, propter defectum scientiae, *A*, propter defectum eloquentiae: *Ezech. 4. Et dixi, A, A, A*, Secundo ponit stuporis rationem. Et allegat defectum eloquentiae, *Ecce nescio loqui: Exod. 4. Non sum eloquens ab heri, et nudiustertius.* Et aetatem pueritiae, *Quia puer ego sum.* Unde non convenit aetas mea praedicationis officio: *Iob 24. Sperabam, quod aetas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam: Ezechiel. 52. Loquere maior natu, decet enim te.* Quare autem hic recusavit officium praedicationis, ad quod Isaias se obtulit, *Isa. 6.* ostendit Gregorius in glossa illa: *Officium*, inquit, *praedicationis alii laudabiliter appetunt, ad quod alii laudabiliter coguntur* etc. *quia hic ex amore quo ferebatur in Deum, damna contemplationis timebat, et ille per dilectionem proximi salutem proximorum cupiebat: nec tamen ille ante purgationem se obtulit, nec iste pertinaciter recusavit. Et dixit Dominus.* Repellit hanc contradictionem. Et quia ille allegabat pueritiam, promittit tria contra tres defectus puerorum. Pueri enim sunt inconstantes: et contra hoc promittit constantiam, *Noli dicere*, te excusando, *Ad omnia*, exequendum: *Infra 10. Non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos: Prover. 3. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Item promittit eloquentiam contra hoc quod pueri sunt elingues, *Et universa: Sap. 10. Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.* Promittit audaciam contra timiditatem puerorum, *Ne timeas, ut eruam te:* non quod angustiis careas, sed quod omnia patienter feras: *Psal. 12. Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et misit Dominus.* Hic offert prophetiae donum per modum sacramenti. Unde primo ponitur actio, *Misit Dominus*, imaginaria visione, ut humana membra videns puer non expavesceret, per quam signatur liberalitas divinae bonitatis: *Psalm. 103. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Non autem purgatur ante ignito calculo, ut Isaias, quia propter pueritiam, et sanctificationis gratiam peccata nulla habebat. Secundo ponuntur verba, *Et dixi* etc. quae tria continent. Primo exprimit donum, *Ecce dedi: Psalm. 67. Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.* Secundo ostendit gradum, *Ecce constitui te super gentes*, diversas, quibus praedicavit, quasi mediator inter ipsas, et Deum: *Exo. 7. Ecce constitui te Deum Pharaonis: Psalm. 17. Constitues me in caput gentium.* Tertio ponit officium, *Ut evellas*, mala, quantum ad radicem, *Destruas*, quantum ad malae ordinationis machinationem, *Disperdas*, malorum adunationem, *Dissipes*, mali defensionem, *Aedifices*, bona, quantum ad ordinem, *Plantes*, quantum ad radicem: non enim indigent exteriori munimine quasi sepe: *Eccl. 49. Consecratus est propheta, evertere, eruere, et perdere, et iterum aedificare, et renovare.*

d Hic determinat materiam ad quam specialiter prophetandam constituitur, scilicet destructionem Hierusalem, et captivitatem populi. Et primo ostendit prophetiae certitudinem. Secundo ostendit ipsam captivitatem, ibi, *Et factum est, capit. 2.* Circa primum tria. Primo ponitur prophetae excitatio ad videndum. *Quid tu vides;* quasi dicat, Ex quo propheta es, tuum est videre: *1. Reg. 9. Qui nunc dicitur propheta, olim dicebatur videns.* Secundo ponitur visio, *Et dixi: Virgam*, quasi virgam in manu Domini paratam ad percutiendum, *Video*, imaginaria visione: *Threno. 1. Vigilavit iugum iniquitatum mearum in manu eius, convolutae sunt, et impositae collo meo.* Quidam intelligunt virgam vigilantem, virgam latronum ad attrahenda spolia de domibus per fenestas, dum ipsi vigilant aliis dormientibus; sed primum melius. Tertio ponitur expositio, *Et dixit ... bene;* quasi dicat, congruunt veritati. *Vigilabo*, solicitus ero: *Isa. 55. Verbum quod egredietur de ore meo.*

e Hic ponit ipsam destructionem civitatis. Et primo ponitur excitatio ad videndum, *Quid tu vides*, ut supra. Secundo visio, *Et dixi: Ollam succensam:* quod signat combustionem civitatis, *Et faciem*, fundum, *Aquilonis*, unde ignis accendebatur: *Eze. 24. Pone ollam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat aes eius, et confletur in medio eius inquinamentum eius, et consumatur rubigo eius.* Tertio ponitur expositio, *Et dixit Dominus.* Et primo exponitur in generali, *Ab aquilone*, idest a rege Babylonis, qui ad aquilonem erat respectu terrae sanctae, *Habitatores terrae*, Hierusalem, vel aliarum adiacentium, quae per ipsum vastatae sunt: *Infra 10. Ecce veniet commotio magna de terra aquilonis, ut ponat civitates Iuda solitudines, et habitacula draconum.* Secundo prosequitur totum rei ordinem. Et primo ponitur exercitus convocatio, *Quia ecce ego convocabo*, inspirando, *Regnorum*, subiectorum Nabuchodonosor: *Isa. 5. Levabit signum in nationibus procul.* Secundo ponitur civitatis obsidio, *Et venient ... solium*, tentorium. *In introitu portarum*, quasi usque ad muros obsidebunt: *Isa. 22. Equites ponent sedes suas in porta, et revelabitur operimentum Iudae.* Vel ponit ipsam captivitatem urbis. Et tangitur id quod habetur *infra 39. Ingressi sunt omnes principes Regis Babylonis, et sederunt in porta media.* Tertio ponitur habitantium punitio, *Et loquar iudicia*, non verbis, sed poenis: *Ezech. 16. Iudicabunt te iudiciis adulterarum, et effundentium sanguinem. Tu ergo accinge.* Hic docet exercendi modum. Et primo, ut prompte exequatur, *Accinge lumbos tuos*, quasi qui parat se ad velociter eundum: *Iob 40. Accinge sicut vir lumbos tuos.* Secundo, quod secure. Et circa hoc primo excludit timorem, *Ne formides: Ezechiel. 3. Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia Dominus exasperatus est: Isaiae 51. Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet, et oblitus est Domini factoris sui, qui tetendit coelos, et fundavit terram, et formidasti*

*tota die a facie furoris eius, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum? Ubi est nunc furor tribulantis* etc. Secundo promittit fortitudinem ad resistendum, *Ego quippe etc. in civitatem*, ad alios sustentandum, *In columnam: Isa. 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est, verbo, et ut in se non deficiat. Et in murum aereum: Ezechiel. 3. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam.* Tertio promittit hostium frustrationem, *Et bellabunt, et non praevalebunt*, non poterunt te a veritate avertere: *Infra 25. Dabo te populo huic in murum aeneum, fortem, et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus.* Circa praedicta sciendum primo, quod alicuius Deus potest habere notitiam approbationis, ut dictum est. Praevisionis: *Eccle. 23. Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic et post perfectum respicit omnia.* Praedestinationis: *Tim. 2. Novit Dominus qui sunt eius.* Gratiae infusionis: *Ioan. 10. Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.* Specialis familiaritatis: *Exo. 33. Et teipsum novi ex nomine.* Glorificationis: *Ecclesi. 44. Cognovit illum in benedictionibus suis, et dedit illi haereditatem.* Item notandum, quod aliquos tangit Dominus corripiendo: *Iob 19. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* A peccatis mundando: *Matth. 8. Et Iesus tetigit eum, dicens: Volo: mundare.* Gratiam infundendo: *Cantic. 5. Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius.* In gratia confortando: *Dan. 10. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum.* Fervorem excitando: *Psalm. 143. Tange montes, et fumigabunt.* Item notandum, quod anima peccatrix dicitur olla propter concupiscentiae fervorem: *Iob 40. Fervescere faciet quasi ollam profundum maris, et ponet quasi cum unguenta bulliunt.* Propter operis carnalitatem: *Mich. 3. Ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollae.* Propter maculae nigredinem: *Nahum 3. Facies omnium sicut nigredo ollae.* Item notandum, quod praedicta olla succenditur igne inordinati amoris: *Psal. 79. Incensa igne, et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Irae et contentionis: *Is. 50. Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis.* Aeternae damnationis: *Deuter. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Item notandum, quod diabolus dicitur aquilo propter tentationis impetum: *Eccles. 43. Vox tonitrui eius verberavit terram.* Tempestas aquilonis, et congregatio spiritus, quia impedit boni operis fructum: *Cant. 4. Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Quia siccat lacrymarum fluvium: *Prover. 25. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Item notandum, quod munitur ecclesia, vel anima divino auxilio: *Zac. Ego ero eis ignis in circuitu, et in gloria ero in medio eius.* Angelorum praesidio: *Isa. 33. Munimina saxorum sublimitas eius.* Sanctorum patrum exemplo: *Cant. 4. Turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis.* Fratrum subsidio: *Prov. 18. Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Sacramentorum remedio: *Cant. 8. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

## a CAP. II.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Vade, et clama in auribus Hierusalem, dicens: Haec dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et caritatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, in terra quae non seminatur. Sanctus Israel Domino, primitiae frugum eius. Omnes qui devorant eos, delinquent: mala venient super eos, dicit Dominus.

b Audite verbum Domini domus Iacob, et omnes cognationes domus Israel. Haec dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? Et non dixerunt: Ubi est Dominus qui ascendere nos fecit de terra Aegypti, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, et per terram in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo. Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius, et bona illius. Et ingressi contaminastis terram meam, et haereditatem meam posuistis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus, et tenentes legem nescierunt me, et pastores praevaricati sunt in me. Et prophetae prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt.

c Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim, et videte, et in Cedar mittite, et considerate vehementer, et videte si factum est huiusmodi. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii; populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite coeli super hoc, et portae eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.

d Numquid servus est Israel, aut vernaculus? Quare ergo factus est in praedam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem. Civitates eius exustae sunt, et non est qui habitet in eis. Filii quoque Mempheos, et Taphnes constupraverunt usque ad verticem. Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam. Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyrio-

rum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te, Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem eius apud te, dicit Dominus Deus exercituum.

e A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.

f Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? Si laveris te nitro, multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulavi? Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris. Cursor levis explicans vias suas, onager assuetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui. Nullus avertet eam. Omnes qui quaerunt eam, non deficient: in mensruis eius invenient eam. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Et dixisti: Desperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetae eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu, et lapidi, Tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, et non faciem, et in tempore afflictionis suae dicent, Surge, et libera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? Surgant, et liberent te in tempore afflictionis tuae: secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Iuda.

g Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator generatio vestra.

h Videte verbum Domini: Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te? Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae? Populus vero meus oblitus est mei, diebus innumeris.

i Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quaerendam dilectionem quae insuper, et malitias tuas docuisti vias tuas, et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, et innocentum? Non in fossis inveni eos, sed in omnibus quae supra memoravi. Et dixisti: Absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod non dixeris, non peccavi. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.

k Et ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris, et manus tuae erunt super caput tuum, quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habebis prosperum.

## a CAP. II.

Hic incipit vaticinium ipsius Hieremiae, iam in prophetali officio constituti: et dividitur in partes tres. In prima praedicit captivitatem futuram. In secunda plangit iam factam in Threnis. In tertia inducit iam captivatos ad poenam in libro Baruch. Prima in duas. In prima praedicit captivitatem per modum prophetiae. In secunda narrat eam per modum historiae, in *ca. 53. Filius unius anni.* Prima in duas. In prima prophetat ad populum Iudaeorum. In secunda ad diversos populos gentium, quia illis etiam propheta constitutus est, ut patet ex praecedenti parte. Et hoc *cap. 46. Quod factum est verbum* etc. Prima in duas. In prima ponitur prophetia ad populum captivandum ante captivitatem. In secunda ad reliquias captivitatis post captivitatem, *cap. 30. Anno 39.* etc. Prima in duas. In prima ponitur Hieremiae praedicatio. In secunda audientium contradictio, *cap. 34. Verbum quod factum est* etc. Prima in duas. Primo ponit comminationem. Secundo consolationem, *cap. 30. Hoc verbum, quod factum est* etc. Prima in duas. In prima ponit veram comminationem. Secundo excludit falsam consolationem, in *c. 27.* Comminatio ad populum universaliter. In secunda ad maiores specialiter, *20. cap. Et audivit Phassur* etc. Prima in duas. In prima ponit comminationem. In secunda propheta quasi compatiens interponit suam orationem, *cap. 11. Quod factum est verbum* etc. Prima in duas. In prima per iudicium convincit culpam. In secunda revocat ad poenitentiam, *cap. 3. Vulgo dicitur* etc. Prima in duas. In prima assignat tantae dignationis rationem, eo scilicet quod non statim post culpam vindictam inferat, sed iudicio contendat, ut revocet. In secunda prosequitur iudicii ordinem, ibi, *Audite verbum* etc. Circa primum duo. Primo sumit rationem ex Dei pietate, *Clama*, aperte pronuncia, *Hierusalem*, habitatorum ipsius. Et ponit tria, quae movent ad pietatem. Primum est puritas aetatis, *Adolescentiam tuam*, in qua sponsae vehementius amantur, quaesivit quando egrediebantur de Aegypto: *Ose. 2. Et canet ibi iuxta dies iuventutis suae, et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti.* Secundum est memoria pristini amoris et charitatis, qua scilicet desponsavi te mihi in legislatione: *Infra 21. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Tertium est obedientia operis, *Quando secuta* etc. quae fieri non potest. Unde nec difficultate itineris retrahebaris, quamvis quidem murmurantes dixerint *Nume. Adduxisti nos in locum illum pessimum, qui seri non potest* etc. Secundo sumit rationem ex populi dignitate. Unde primo ponit dignitatem populi, *Sanctus*, quasi dicatus ad cultum Domini, et Domino consecratus, *Primitiae*, quia te elegit Dominus de cunctis populis, quasi primitias de frugibus: *Deuter. 7.* et *32. Pars autem Domini populus eius Iacob, funiculus haereditatis eius: Osee 9. Quasi prima poma ficulneae in cacuminae eius, vidi patres eorum.* Se-

cundo excludit comminationem hostis, *Omnes qui devorant eos*, secundum legem, quae habetur *Levit. 22.* quod primitias solis sacerdotibus comedere licebat : *Psal. 13. Qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

b Hic prosequitur iudicii ordinem. Et primo ponit accusationem. Secundo repellit excusationem, ibi, *Ego te plantavi* etc. Prima in tres. Primo exaggerat culpas eorum ex beneficiorum ingratitudine. Secundo ex facti enormitate , ibi , *Propterea adhuc* etc. Tertio ex mentis obstinatione, ibi , *Numquid servus* etc. Circa primum tria. Primo purgat a se culpam, ne in ipsa videatur ingratitudinis causa , *Quid invenerunt* etc. mali scilicet, *Quia nihil elongaverunt*, longo tempore recesserunt, *Vanitatem*, idola, quae non prosunt cultoribus : *Mich. 6. Populе meus quid feci tibi , aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Secundo ponit beneficiorum abundantiam , praecipue tangens eductionem de Aegypto. Et tangit hoc beneficium tripliciter. Quantum ad locum unde eduxit, *Et non dixerunt: Ubi est*, quaerentes me toto desiderio, *Ascendere*, propter situm terrae: *Infra 11. Eduxit eos de terra Aegypti.* Quantum ad viam per quam duxit , *Qui transduxit per desertum*, imaginem mortis, quia ipso aspectu mortem comminatur : *Deute. 8. Ductor tuus fui in solitudine.* Et quantum ad terram in quam induxit, *Et induxi vos in terram Carmeli* , propter similitudinem sterilitatis , non quod mons iste sit in terra promissionis: *Num. 14. Terra quam circuimus valde bona est.* Tertio ponit ingratitudinis culpam. Et primo quoad omnes communiter , *Et ingressi contaminastis*, idolis: *Psalm. 105. Infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum.* Secundo quoad praelatos specialiter , *Sacerdotes* , quorum est ducere in Deum, *Tenentes*, doctores, *Pastores*, principes, quorum est ab idolatria revocare: *Is. 56. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.*

c Hic exaggerat culpam eorum ex facti enormitate. Et primo proponit quod intendit , scilicet iudicium , *Adhuc contendam* , super enormitate , sicut pro ingratitudine, *Cum filiis*, qui malitiam patrum imitantur: *Mich. 6. Iudicium Domini cum populo suo , et cum Israel diiudicabunt.* Secundo exequitur propositum , ostendens in iudicio peccati enormitatem. Et primo ex comparatione cultorum, *Transite*, per considerationem , *Cethim*, occidentales ultra Cyprum : vel civitas nominis. Cedar , ubi habitant Ismaelitae , *Si mutavit gens ;* quasi dicat , non mutavit , unde constat quod comparatione aliorum damnati sunt : *Ezech. 6. Contempsit iudicia mea, ut plus esset impia, quam gentes, et praecepta mea, ultra quam terrae, quae in circuitu eius sunt.* Secundo ex comparatione deorum prorumpens in stuporem , *Obstupescite;* quasi dicat, Si esset possibile , coeli obstupescerent. Vel angeli qui in coelis sunt , sicut civitas Regis sui. *Portae eius*, principaliores in angelis , qui sunt quasi principes, et iudices aliorum. Simile *Isa. 1. Audite coeli , et auribus percipe terra , quoniam Dominus locutus est.* Secundo subiungit stuporis rationem, *Duo enim*, contra duas partes praecepti: *Exo. 20. Ego sum Dominus Deus tuus , qui eduxi te de terra Aegypti : Non habebis deos alienos coram me* etc. Et iterum: *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis*, vobis: *Fontem aquae*, qui veram consolationem eis dare possunt: *Psal. 35. Apud te est fons vitae, Cisternas* , idola , quae salvare non possunt, *Foderunt* , quia ipsi esse fecerunt : *Psal. 113. Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.*

d Hic exaggerat culpam ex mentis obstinatione. Et primo, quia peccatum non recognoscebant. Secundo, quia multiplicabant, ibi, *A saeculo.* Circa primum tria. Primo sumit ex poenis culpae argumentum , excludens servilem conditionem , ne propter hoc videatur iuste in servitutem adducta, *Vernaculus*, qui nascitur in domo Domini; quasi dicat , non : *Io. 8. Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam.* Proponens poenarum diversitatem , quantum ad hominum captivitatem, *Quare ergo factus .... leones*, principes Chaldaeorum , *Vocem* , praecepta , vel belli. Quantum ad regionis vastationem , *Posuerunt : Isa. 1. Terra vestra deserta , civitates vestrae destructae sunt.* Quantum ad mulierum violationem, *Filii quoque* , civitates Aegypti , *Usque ad verticem* , contra naturam abutentes, nulli parcentes membro. Vel spiritualiter , per idolatriam usque ad firmos contaminantes: *Thren. ult. Mulieres in Syon humiliaverunt , et virgines in civitatibus Iuda* Et concludens veram rationem, *Nanquid ducebat*, prospere : non enim te dereliquit, sed tu ipsum : *Dan. 9. Quia recessimus a te, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per servos suos prophetas* etc. Secundo ponitur inutile remedium, quod contra huius poenas adhibebant. Ex quo patet , quod peccatum non recognoscebant sperantes in auxilio gentium, unde ponit auxilii inquisitionem. *Et nunc quid ;* quasi dicat, non sic deberes poenam vitare, sed Deum placando, *In via Aegypti*, mittens pro auxilio, *Aquam*, Nili, *Fluminis*, Euphratis, qui est Assyriorum : *Isa. 30. Ambulatis ut descendatis in Aegyptum , et os meum non interrogastis.* Contra praedictae culpae recognitionem , *Arguet* , malitia , quando pro ea poenas sustinebis : *Isa. 3. Agnitio vultus eorum respondebit eis, et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt.* Tertio adhibet utile consilium , ut peccatum recognoscant, *Scito ... malum* , inhonestum, *Amarum* , poenosum : *Sophon. 1. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.*

e Hic ostendit , quod peccatum obstinata mente multiplicabant. Et primo quantum ad diuturnitatem temporis, *A saeculo ;* quasi dicat , a principio legis datae : *Isa. 48. Transgressorem ex utero vocavi te : Iob 21. Quid est opus, ut serviamus ei, et quid nobis proderit, si oraverimus illum ?* Secundo quantum ad multitudinem operis, *In omni colle*, in locis altis, amoenis, idolis immolabant: *Isa. 65. Sacrificaverunt super montes , et super colles exprobraverunt mihi. Amoena enim , et excelsa semper idolis dedicantur.*

f Hic tollit excusationem. Et primo quam possunt habere, proponendo cultoris negligentiam. Contra quod, *Ego te elegi*, electum ex electis patribus: *Isa. 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei* etc. Secundo , quam possent habere negando culpam , ibi , *Si laveris.* Et primo convincit eos de culpa in Deum. Secundo de culpa in proximum, ibi, *Quid niteris* etc. Circa primum duo. Primo convincit de culpa, osten-

lens negandi possibilitatem, *Nitro*, quod calore sois condensatum, sicut sal sordes lavat, *Berith*, quaedam herba ad lavandum sordes, et est modus loquendi; quasi dicat, Tota aqua fluminis non faceret te mundam, idest nulla est tibi excusatio vel purgatio: *Prov. 30. Generatio, quae sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Quomodo dicis: Prov. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Et ponit culpae purgationem, proponens duas circumstantias. Primo locum, *Unde vias*, opera, *In convalle*, filiorum Enon, ubi idola colebant. Hic locus Syloe fontibus irrigatur, et ibi erat delubrum Baal, secundum Glossam: *Infra 31. Dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulasti.* Et proponit peccati modum quantum ad peccandi solicitudinem, *Cursor levis*, quasi expeditus ad peccandum: *Prover. 1. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem.* Quantum ad concupiscentiae fervorem, *Onager in desiderio*, scilicet coitus, *Attraxit ventum*, quo percipit odorem foeminae suae, *Amoris*, rei amatae: *Infra 14. Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones.* Quantum ad fortem adhaesionem, *Nullus avertet*, amovendo. Et quantum ad peccandi promptitudinem, *Omnes qui quaerunt*, quasi de meretrice loquitur, quae etiam tempore menstruorum amasiis se exhibet: *Ezech. 16. Divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti omnes fornicationes tuas.* Secundo convincit eos de mentis duritia. Et primo, quia non revocantur monitis. Secundo, quia non corriguntur flagellis, ibi, *Quid vultis.* Tertio, quia non flectuntur beneficiis, ibi, *Videte verbum.* Circa primum tria. Primo ponit admonitionem, *Prohibe;* quasi dicat, cessa a peccatis, pro quibus nudis pedibus, et sitiens duceris in captivitatem, sicut *Isa. 20. Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, sicut minabitur Rex Assyriorum captivitatem Aepypti, et cetera; nudam et discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.* Secundo ostendit populi rebellionem, *Et dixisti... alienos*, idola: *Infra 18. Dixerunt: Desperavimus, post cogitationes nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Tertio comminatur confusionem, et primo ponit confusionis similitudinem, *Quomodo confunditur... confusi sunt*, deprehensi in poenis, *Ligno*, idolo ligneo, *Pater*, Deus: *Psalm. 96. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis: Isa. 1. Confundentur ab idolis suis.* Secundo exponit confusionis ordinem. Primo ponens divini auxilii destitutionem, *Verterunt*, quasi inobedientes: *Zachar. 7. Averterunt scapulum recedentes etc. ne audirent legem etc. In tempore afflictionis: Ose. 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me. Venite, et revertamur ad Dominum* etc. Secundo ponit idolorum inutilitatem, *Ubi sunt dii: Deut. 32. Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Tertio idolorum multitudinem, secundum numerum: *Isa. 2. Repleta est terra eius equis, et innumerabiles quadrigae eius.*

g Hic ostendit duritiam, quia non corriguntur flagellis. Et primo miratur excusationem, *Quid vultis mecum: Iob 9. Si voluerit contendere cum eo.* Secundo ostendit eorum incorrigibilitatem, quantum ad flagella minorum, *Frustra percussi*, et maiorum, *Devoravit... vester*, ab hostibus, vestris meritis, in occisionem missus, *Prophetas vestros*, falsos scilicet Baal, et ariolos: et quantum ad omnes communiter, *Quasi leo*, vastat, sic, *Vastatur*, vel quasi leo vastatur, sic vastatur; contra leonem enim omnes insurgunt, sic et contra lupum: *Infra 6. Frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

h Hic ostendit duritiam, quia non flectuntur beneficiis. Et primo proponit beneficia quae pertinent ad vitae usum, *Videte*, intelligite, *Nunquid solitudo*, quinimmo sum vobis pro civitate, et terra uberrima, quia vos defendo, et fructus terrae tribuo: *Osee 6. Veniet nobis quasi imber temporaneus et serotinus terrae.* Secundo ea quae pertinent ad ornatum, *Nunquid obliviscetur: Isa. 61. Indumento iustitiae circumdedit me.*

i Hic convincit eos de culpa in proximum. Et primo probat culpam. Secundo comminatur confusionis poenam, ibi, *Et ab Aegypto* etc. Circa primum tria. Primo ponit proximorum occisionem admirans excusationem, *Ad quaerendam*, quasi per haec me possis placare, ponens occisionem spiritualem, *Quae insuper*, docuisti, malis exemplis: *Infra 13. Tu docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum.* Et ponens occisionem corporalem, *In alis*, idest in avibus. Loquitur ad similitudinem avis rapacis: *Pauperum*, quos idolis immolasti: *Zach. 5. Vidi, et ecce duae mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi.* Secundo culpae manifestationem, *Non in fossis*, quasi occulte a latronibus occisus, *In omnibus*, scilicet collibus, et locis amoenis: *Isa. 59. Corruit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivione, et qui recessit a malo, praedae patuit.* Et miratur excusationem, *Et dixisti: Iob 11. Dixisti, purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.* Tertio ostendit culpae iterationem praemittens excusationis admirationem, *Ecce ego... quam vilis, Vias*, peccata; *Thre. 1. Vide Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.*

k Hic comminatur eis confusionis poenam, *Et ab Aegypto*, de cuius auxilio speras, *Ab Assur*, quorum auxilium contra decem tribus, et Assyrios quaesisti: *4. Reg. 16. Manus tuae*, in signum doloris: *Isa. 60. Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam.* Notandum, quod peccatum dicitur inanitas, quia phantasticum in eligendo: *Psal. 39. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.* Quia transitorium in permanendo: *Psal. 77. Defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.* Quia fallax in expectando: *Eccl. 34. Vana spes, et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes.* Quia infructuosum in consequendo: *Isa. 49. In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi.* Item notandum, quod est fons aquae sacramentalis munditiae: *Ezech. 47. Postquam venerint illuc aquae istae, sanabuntur, et vivent omnia ad quae venerit torrens aquae reficientis doctrinae: Isa. 56. Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite.* Aquae refrigerantis gratiae: *Io. 4. Fiet in eo*

*fons aquae salientis in vitam aeternam.* Aquae nitentis gloriae : *Apoc. ult. Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni.*

## a CAP. III.

Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta erit, et contaminata mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi nunc prostrata sis. In viis sedebas expectans eos quasi latro insidians in solitudine, et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis. Quamobrem prohibitae sunt stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meae tu es. Nunquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem?

b Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti. Et dixit Dominus ad me in diebus Iosiae regis: Nunquid vidisti quae fecerit aversatrix Israel? Abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi.

c Et dixi, cum fecisset haec omnia: Ad me revertere, et non est reversa. Et vidit praevaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quod moechata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii, et non timuit praevaricatrix Iuda soror eius; sed abiit, et fornicata est etiam ipsa, et facilitate fornicationis suae contaminavit terram, et moechata est cum lapide, et ligno. Et in omnibus his non est reversa ad me praevaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. Et dixit Dominus ad me: Iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione praevaricatricis Iudae.

d Vade, et clama sermones istos contra aquilonem, et dices: Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. Veruntamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum praevaricata es. Et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. Convertimini filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester.

e Et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Syon. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina. Cumque multiplicati fueritis, et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra, Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Hierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, et venient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris.

f Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, haereditatem praeclaram, exercitum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.

g Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. Vox in viis audita est, ploratus, et ululatus filiorum Israel, quoniam iniquam fecerunt viam suam, et obliti sunt Domini Dei sui. Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster. Vere mendaces erant colles, et multitudo montium: vere in Domino Deo nostro salus Israel. Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filio eorum, et filias eorum. Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc, et non audivimus vocem Domini Dei nostri.

## a CAP. III.

Hic revocat eos ad poenitentiam. Et primo ponit revocationem. Secundo revocatorum obstinationem, *cap. 8. Et dices ad eos* etc. Prima in duas. In prima ponit revocationis monita. In secunda revocationis argumenta, *ca. 4. Si reverteris* etc. Prima in duas. In prima revocat populum. In secunda ponit responsionis fructum, ibi, *Sed quomodo si contemnat* etc. Prima in duas. In prima revocat a culpa. In secunda a poena, ibi, *Vade et clama* etc. In prima revocat monitis. In secunda exemplis, ibi, *Et dixit Dominus* etc. Circa primum duo facit. Primo revocat eos ex Dei clementia, ad quam probandam proponit vulgare proverbium, *Si dimiserit*, quod ortum habet *Deu. 23. Si dimiserit vir uxorem.* Et loquitur secundum permissionem factam de libello repudii propter duritiam cordis ipsorum, *Matth. 19.* et interdicebatur reditus, vel ut non proni essent ad dimittendum, vel ne dolo postmodum recipientes interficerent. Et ex hoc proverbio sumit divinae clementiae argumentum, *Tu autem... amatoribus*, idolis: *Isa. 65. Revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Secundo revocat eos ex eorum culpa. Primo proponens culpam, determinans locum, *Leva oculos in directum*, recta consideratione, vel undique, *Ubi nunc*, quia ubique,

*Prostrata*, sicut meretrix, idolatriae: *Ezech. 16. Fecisti postribulum in cunctis plateis.* Et peccandi desiderium, *In viis sedebas*, sicut meretrix expectans amasios, et, *Latro*, expectans quos spoliet: *Prov. 7. Et ecce occurrit mulier cum ornatu meretricio praeparata ad decipiendas animas: Osee 6. Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine, et quasi fauces virorum latronum.* Et determinans peccati effectum, *Et polluisti terram*: *Supra 2. Contaminastis terram meam, et haereditatem meam posuistis in abominationem.* Et deinde pro culpa ponit poenam, *Quamobrem... stillae pluviarum*, quarum virtute generatur pluvia, vel, *Stillae*: *Isa. 5. Mandabo nubibus ne pluant super vineam meam imbrem.* Et ostendit peccantium inverecundiam, *Frons: Infra 4. Quinimmo confusione non estis confusi.* Secundo comminatur poenitentiam. Et primo hortatur ad recognoscendum beneficia, *Ego;* quasi dicat, sufficit praeteritum tempus etc. *Pater*, per creationem, *Dux;* quasi dicat, Quando ducebas me per desertum, tamen virgo eram: *Prov. 2. Reliquit ducem pubertatis suae: Isa. 63. Spiritus Domini ductor eius fuit.* Secundo hortatur ut petant misericordiam, et dicant haec, *Nunquid irasceris: Psal. 84. Nunquid in perpetuum irasceris nobis, aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

b Hic ostendit eorum contemptum, quantum ad peccatum oris, *Ecce locuta*, quod exponitur pro verbis superbiae etc. Quantum ad peccatum operis, *Et fecisti*, cui respondet illud, *Implesti mala.* Quantum ad peccatum cordis, *Et posuisti*, cui illud, *Et ostendit*, quasi potentiam tuam in peccato iactasti. Verum hoc non est in hebraeo, *Et pro verbis* etc. nec in libris antiquis, sed videtur expositio Hieronymi: *Iob 24. Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam: Isa. 5. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

c Hic revocat eos exemplo decem tribuum: et circa hoc tria facit. Primo ponit exemplum ad culpam idolatriae, *Abiit sibimet*, sequens motus suos, non praecepta mea: et inobedientiae, *Et dixit: 4. Reg. 17. Fecerunt sibi statuas, et lucos in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum. Et adolebant ibi incensum super aras in morem gentium.* Et quantum ad poenam, quae eis innotuit, *Et vidit praevaricatrix soror*, quia ex eisdem partibus ortae, *Dedissem ei libellum.* Servat similitudinem meretricis, in qua foeditas invenitur. Sed contra *Isa. 50. Quis est hic libellus repudii?* Et dicendum, quod Deus non dimittit aliquem, quantum ad se pertinet, sed homo peccans ipsum dimittit: unde *ibidem: In iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Secundo ponit contemptum, *Et non timuit*, cum lapide, idest dolo lapideo, *4. Reg. 17. Sed nec ipse Iudas custodivit mandata Domini Dei sui, verumtamen erravit, et ambulavit in erroribus Israel quos operatus fuerat.* Tertio aggravat reatum, *Et dixit... Iustificavit*, comparative, quia decem tribus poenam aliarum non viderant, nec corrigebantur: *Ezec. 16. Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.*

d Hic revocat eos a poena captivitatis. Et primo revocat. Secundo ostendit revocationis causam, ibi, *Ego autem* etc. Circa primum duo. Primo ponit revocationem. Secundo revocatorum responsionem, ibi, *Et assumam* etc. Circa primum duo. Primo revocat illos de decem tribubus, vocans ad revertendum contra aquilonem, ubi captivi tenentur in terra Assyriorum: *Ps. 102. Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Et ad peccata recognoscendum, *Veruntamen scito... dispersisti*, quasi multis idolis: *Supra 2. Vide vias tuas in convalle, scito quod feceris.* Secundo illos de duobus tribubus, *Convertimini*, poenitendo revertentes ad me. Vel revertentes a captivitate: *Osee 2. Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabit me vir meus, et non vocabit ultra Baalim.*

e Hic ponit revocatorum responsionem. Et primo duarum tribuum, promittens eis restitutionem patriae, *Unum de civitate*, quia dispersi erant, vel quia non omnes reversi: *Ezech. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et reintegrationem iustitiae in emendatione praelatorum. Et dabo vobis scientiam*, quantum ad fidem, *Doctrinam*, quantum ad mores: *Isa. 1. Restituam iudices tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus.* Tertio quantum ad augmentationem gloriae, quam signat ex praeteritorum oblivione, *Cumque multiplicati... non dicent*, quasi pro nihilo computabunt illud in quo modo gloriamini, quia arca absconsa fuit, nec inventa, sicut dicitur *2. Mach. 1.* Ex futurorum promissione, *In tempore illo Hierusalem*, totam, quod completum fuit in fama sanctitatis in qua habebatur, sicut dicitur *1. Mach. 3. Ezec. 43. Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in aeternum.* Et quantum ad cultus ampliationem, *Et congregabuntur ... omnes gentes*, ex omnibus aliqui: undique enim veniebant orare in Hierusalem. Vel intelligitur de conversione gentium ad fidem Christi: *Psal. 65. Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine.* Secundo ponit conversionem decem tribuum, *In diebus illis*, quia et ex illis qui redierunt, duabus tribubus adiuncti sunt: quod notatur in hoc, quod dicit, *Venient simul: Infra 50. In diebus illis, et in tempore illo ait Dominus, venient filii Israel, ipsi et filii Iuda simul, ambulantes, et flentes properabunt, et Dominum Deum suum quaerent.* Quidam tamen exponunt totum hoc de ultimis temporibus.

f Hic assignat causam revocationis. Et primo ponit quaestionem, *Quomodo*, idest quid potest movere quod tot bona tibi conferam, cum in tot peccatis sis, *In filiis*, idest in multitudine filiorum, *Exercituum gentium*, idest ubi ab antiquo exercitus congregabantur sicut usque hodie, propter eius delicias: *Ps. 105. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Item *Psa. 15. Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi.* Secundo ponit responsionem, *Et dixi*, idest praevidens bona quae facies, haec tibi promitto: *Psal. 88. Ipse invocabit me, pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meae.*

g Hic ponit reversionis fructus. Et primo dicit necessitatem revocandi, quantum ad ipsorum culpam, *Amatorem*, non virum: *Osee 3. Vade, et dilige mu-*

*lierem dilectam ab amico et adulteram.* Quantum ad poenam, *Vox in viis: Infra 31. Vox in excelso audita est, lamentationis, luctus, et fletus, Rachel plorantis filios suos.* Secundo ponit conversionis utilitatem, *Convertimini*, ut supra, *Aversiones*, quibus a Deo aversi estis: *Psal. 102. Qui sanat omnes contritiones tuas: Isa. 48. Convertimini ad me, et salvi eritis.* Tertio ponit eorum reversionem. Et primo profitentur obedientiam, *Ecce venimus*, sicut tu praecepisti: *Osee 6. Venite, revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos, percutiet, et curabit nos.* Secundo confitentur Dei magnificentiam, confitentes ipsius divinitatem, *Tu enim es: Exod. 15. Iste Deus meus, et glorificabo eum.* Idolorum falsitatem, *Vere mendaces*, quia non conferebant idola quae ibi colebamus, auxilium quod sperabamus, nec habebant divinitatem, quam praetendebant: *Isa. 28. Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Et divini cultus utilitatem, *Vere in Domino: Psal. 61. In Deo salutare meum, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Tertio confitentur culpam, et poenam ipsorum, et patrum, *Confusio: Infra 17. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt fontem aquarum viventium Dominum.* Nota, quod Deus dicitur pater creatione: *Matt. 11. Confiteor tibi pater Domine caeli et terrae.* Adoptione: *Ro. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater.* Instructione: *Isa. 39. Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Correctione: *Prov. 3. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Nota, quod haereditas patriae caelestis est praeclara splendore divinae visionis: *Sap. 6. Clara est, et quae nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam.* Dulcedine divini amoris: *Psal. 22. Calix meus inebrians quam praeclarus est.* Familiaritate divinae allocutionis: *Sap. 8. Praeclaritas in communicatione sermonum ipsius.* Magnificentia operationis: *Eccle. 43. Illic praeclara opera, et mirabilia.* Magnitudine exultationis: *Mach. 8. Erit domus Iuda, et domus Israel, benedictio.* Solatio societatis: *Ezech. 30. Omnia ligna voluptatis, quae erant in paradiso Dei* etc.

## a CAP. IV.

Si reverteris ad me Israel, ait Dominus, ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et iurabis, vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in iustitia, et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.

b Haec enim dicit Dominus viro Iuda, et habitatori Hierusalem: Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Circumcidimini Domino, et auferte praeputia cordium vestrorum viri Iuda, et habitatores Hierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat. Omnia autem haec mala venient propter malitiam cogitationum vestrarum. Annunciate in Iuda, et in Hierusalem auditum facite: loquimini, et canite tuba in terra, clamate fortiter, et dicite: Congregamini, et ingrediamur civitates munitas, levate signum in Syon. Confortamini, nolite stare, quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam.

c Ascendit leo de cubili suo, et praedo gentium se levavit. Egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem. Civitates tuae vastabuntur, remanentes absque habitatore. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, et ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a vobis. Et erit in die illa, dicit Dominus, peribit cor regis, et cor principum, et obstupescent sacerdotes, et prophetae consternabuntur. Et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus. Ergo ne decepisti populum istum, et Hierusalem dicens, Pax erit vobis? Et ecce pervenit gladius usque ad animam.

d In tempore illo dicetur populo huic, et Hierusalem: Ventus urens in viis quae sunt in deserto, viae filiae populi mei non ad ventilandum, et ad purgandum. Spiritus plenus ex his veniet mihi. Et nunc ego, sed loquar iudicia mea cum eis.

e Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius. Velociores aquilis equi illius. Vae nobis, quoniam vastati sumus. Lava a malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?

f Vox enim annunciantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim. Dicite gentibus: Ecce auditum est in Hierusalem, custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Iuda vocem suam. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro, quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus. Viae tuae, et cogitationes tuae fecerunt haec tibi. Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.

g Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me. Non tacebo, quoniam vocem buccinae audivit anima mea, clamorem praelii. Contritio super contritionem vocata est, et vastata est omnis terra. Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meae. Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinae? Quia stultus populus meus me non cognovit. Fili insipientes sunt, et vecordes. Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.

h Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil, et caelos, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, et omnes colles conturbati sunt. Intuitus sum, et non erat homo, et omne volatile caeli recessit. Aspexi, et ecce Carmelus desertus, et omnes urbes eius destructae sunt a facie Domini, et a facie irae furoris eius. Haec enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam. Lugebit terra, et merebunt caeli desuper, eo quod locutus sum. Cogitavi, et non poenituit me, nec aversus sum ab eo.

i A voce equitis, et mittentis sagittam fugit omnis civitas. Ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes. Universae urbes derelictae sunt, et non habitat in eis homo. Tu autem vastata quid facies? Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris. Contempserunt te amatores tui, animam tuam quaerent. Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias, ut puerperae. Vox filiae Syon inter morientes, expandentesque manus suas. Vae mihi, quia vae fecit anima mea propter interfectos.

## a CAP IV.

Hic ponit argumenta reversionis. Et primo sumpta ex beneficiis, quae promittuntur revertentibus. Secundo ex poenis, quas comminatur contemnentibus, ibi, *Haec enim dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo docet revertendi modum, *Si reverteris*, ab idolis, *Ad me convertere*. Vel si reverti disponis, toto corde convertaris. Vel si reverteris a captivitate, convertere poenitendo: *Isaiae 21. Si quaeritis quaerite, convertimini, et venite.* Secundo ostendit conversionis fructum triplicem. Primo securitatis, *Si abstuleris offendicula*, idest idola in quibus et tu procedens offendis, et me ad iram provocas, *Non commoveberis*, vel a patria: *Ps. 124. Qui confidit in Domino sicut mons Syon, non commovebitur in aeternum qui habitat in Hierusalem.* Secundo fructum sanctitatis in ipsis, *Iurabis, vivit Dominus*, per Deum scilicet vivum, et non per idola mortua. *In veritate*, ex parte iurantis, ut vere et non simulate, vel ad deceptionem iurent, *In iudicio*, quantum ad causam pro qua iuratur, ut non temere, sed praecedente debita discussione iuretur, *In iustitia*, quantum ad rem de qua iuratur ut sit iusta et licita: *Is. 65. Qui iurat in terra, iurabit in Deo, amen.* Tertio ampliationem religionis in gentibus, *Et benedicent gentes*, Dominum, videntes beneficia ipsius in te: *Psal. 85. Benedicite gentes Deum nostrum.*

b Hic sumit argumentum reversionis a poenis. Et primo comminatur poenas si reverti voluerint. Secundo excludit falsa remedia, *cap. 5. Circuite vias* etc. Circa primum duo. Primo docet reversionis modum, quantum ad boni operis fructum, *Novale*, terra de novo culta, *Novate*, idest auferte spinas vitiorum, ut munda semina suscipiant arva munda: *Matth. 13. Aliud cecidit super spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud.* Et quantum ad divinae religionis cultum, *Circumcidimini*, ut scilicet de corde vestro ritum gentilium amoveatis: *Deut. 10. Circumcidite praeputium cordis vestri.* Secundo ostendit imminere periculum. Et primo in generali, *Ne forte* etc. *Isa. 1. Succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.* Secundo in speciali, *Annunciate* etc. Et circa hoc tria facit. Primo praedicit hostium adventum. Secundo obsidionis incommodum, ibi, *Vox annuntiantis.* Tertio destructionis damnum, ibi, *Ventrem meum doleo.* Circa primum duo. Primo describit praeparationem civium. Secundo adventum hostium, ibi, *Ascendit leo* etc. Circa primum tria. Primo ponitur annunciandi praeparationem iussio, *Annunciate*, ponens locum, *In Iuda*, idest in tribu illa, *Hierusalem*, quae est regni metropolis: modum, aperte, *Canite tuba*, ut omnes audiant, et constanter, *Fortiter: Isa. 58. Clama ne cesses. Exalta in fortitudine vocem tuam.* Secundo inducitur praeparatio, *Congregamini: Infra 6. Confortamini filii Beniamin in medio Hierusalem, et in Thecua clangite buccina.* Tertio assignatur ratio, *Quia malum: Supra 1. Ab aquilone pandetur omne malum.*

c Hic ponit adventum hostium. Et primo quantum ad exitum de terra sua. Secundo quantum ad viae progressum, ibi, *In tempore illo.* Tertio quantum ad viae terminum, ibi, *Ecce quasi nubes* etc. Circa primum duo. Primo describit hostium venientium conditionem. Quantum ad fortitudinem, *Leo*, scilicet Nabuchodonosor, *De cubili*, de Babylone: *Prov. 30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum: Infra 50. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam.* Quantum ad crudelitatem, *Praedo gentium*: *Nahum 2. Leo sufficienter cepit catulis suis, et necavit leaenis suis.* Quantum ad intentionem, *Ut ponat: Isa. 10. Ad conterendum erit cor eius, et ad intentionem gentium non paucarum.* Et quantum ad intentionis executionem, *Civitates tuae: Isa. 1. Terra vestra deserta, civitates vestrae destructae sunt.* Secundo ponit Iudaeorum stuporem. Et primo communiter omnium, *Super hoc accingite: Infra 6. Accingere cilicio, et conspergere cinere.* Secundo specialiter principum, *Et erit... peribit*, ut scilicet non possint conveniens consilium resistendi invenire: *Isa. 19. Cor Aegypti tabescet in medio eius.* Tertio specialiter stuporem suum, *Et dixi heu, dicens, pax: Supra 3. In tempore illo vocabunt Hierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem*, non attendens hoc in proximum tempus dici, illud in longe post futurum: *Infra 8. Expectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelae, et ecce formido.*

d Hic describit adventum ad viae progressum, *Dicetur*, adventus, *Ventus urens*, scilicet exercitus Chaldaeorum qui totam terram comburet, iam est, *In viis quae sunt in deserto*, quod est intra Chaldaeam, et Iudaeam: quasi dicat, Iam exercitus ad locum illum pervenit, non, *Ad ventilandum*, ut scilicet quidam captiventur, sicut quando purgatur granum a palea, sed omnes captivabimini: *Spiritus plenus*, idest indignatio perfecta super vos, *Ex his*, scilicet hostibus, *Mihi*, idest ad honorem meum: *Isa. 30. Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum* etc. Et comminatur per eos executurum se iudicium, *Et nunc ego*, quasi non possum me plus tenere, *Sed loquar* etc. vel, *Nunc ego*, consolatoria loquar: *Supra 1. Loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me* etc.

e Hic describit adventum quantum ad viae terminum: et circa hoc tria facit. Primo describit conditionem hostium quantum ad multitudinem, *Quasi nubes*, quae totam terram operit, *Ascendet*, propter situm terrae. Quantum ad impetuositatem, *Et quasi tempestas*, cum magno tumultu: *Isa. 5. Rotae eius quasi impetus tempestatis.* Et quantum ad velocita-

tem, *Velociores*. Secundo ponit adventus effectum, *Vae nobis*, ex persona populi: *Isa. 1. Sicut civitas, quae vastatur.* Tertio concludit poenitentiae consilium, *Lava a malitia: Isa. 1. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

f Hic praedicit obsidionem. Et primo obsidionis nuncium, *A Dan*, cuius terra primo occurrebat Chaldaeis venientibus Hierusalem, *De monte Ephraim*, quem postmodum inveniebant, *Idolum*, idest hostes, quos pro idolatria patiebantur, in quo designatur ordo nunciorum sibi succedentium. Et determinat quid nunciatum est, *Concitate gentes*, scilicet cives in medio Hierusalem, praeparantes vos ad resistendum; vel gentes in circuitu, ut ex vestris poenis territi corrigantur. *Ecce auditum*, frequenter per multos nuncios, et primum per prophetas, *Custodes*, scilicet hostes ad obsidendum, *Vocem*, ululatus exercitus: *Supra 2. Super eum rugierunt leones, dederunt vocem suam.* Secundo determinat obsidendi modum, *Quasi custodes*, sine aliqua resistentia undique obsidentes: *Luc. 19. Circumdabunt te, et coangustabunt te undique.* Tertio ponit obsidionis meritum, *Viae tuae*, idest actiones, *Os*, usque ad interiora ossa pervenit: *Iob 22. Propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas* etc.

g Hic praedicit terrae destructionem. Et primo praedicit ipsam destructionem. Secundo destructionis effectum, ibi, *Aspexi*. Circa primum tria. Primo propheta ostendit suam compassionem, *Ventrem*, quantum ad afflictionem affectus, *Sensus*, cordis, quantum ad perturbationem intellectus: *Non tacebo*, etiam exterius plorans: *Thren. 1. Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea.* Secundo prosequitur destructionis ordinem, ponens praelii congressionem, *Quoniam vocem: Sopho. 1. Dies tubae, et clangoris.* Regionis vastationem, *Contritio super contritionem*, quia vastatio super obsidionem, vel vastatio una super aliam: *Iob 6. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Ipsius urbis destructionem quantum ad domos, *Repente... tabernacula*, per quae significantur domus, *Pelles*, quibus tentoria cooperiebantur: *Infra 10. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt.* Et quantum ad civium fugam, *Usquequo fugientem*, Chaldaeorum exercitum: *Thren. 1. Abierunt absque fortitudine, ante faciem subsequentis.* Tertio assignat vastationis rationem, scilicet privationem debitae scientiae, *Quia stultus*, quantum ad cognitionem divinorum, *Insipientes*, quantum ad experientiam dulcedinis ipsorum, *Vecordes*, quia sine corde, quantum ad electionem agibilium: *Isa. 5. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Et quantum ad sagacitatem fraudulentiae, *Sapientes sunt;* contra quod *Rom. 16. Volo vos sapientes in bono, et simplices in malo.*

h Hic ostendit effectum destructionis. Et primo in regione. Secundo in gente, ibi, *A voce equitis* etc. Circa primum duo. Primo praedicit futuram desolationem communiter, quantum ad campestria, *Vacua*, habitatore, *Nihil*, privata fructibus, et aedificiis, *Non erat lux*, ut videbatur afflictis, quibus omnia videntur tenebrosa: *Isa. 6. Et terra relinquetur deserta, et longe faciet Dominus homines.* Et quantum ad montuosa, *Vidi montes... movebantur*, hyperbolice, quod si possibile foret, etiam montes in tanta tribulatione commoverentur. Vel per montes habitantes in montibus: *Psal. 45. Conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Et quantum ad animata, *Intuitus sum... volatile*, quod scilicet cum habitatore recedit: *Isa. 50. Veni, et non erat vir, vocavi, et non erat qui audiret.* Et specialiter quantum ad fertiles regiones, quae minus vacuari debebant, *Aspexi, et ecce Carmelus: Isa. 1. Terra vestra deserta, civitates vestrae destructae sunt.* Secundo confirmat per Domini sententiam. Et primo ponit misericordiae admixtionem, *Haec dicit Dominus, consummationem non faciam*, ut scilicet omnes moriantur, sicut dixerat de decem tribubus: *Isa. 9. Consummationem, et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae.* Secundo ponit sententiae damnationem, *Lugebit terra*; quasi dicat, sterilis erit, sicut florens dicitur ridere, vel quasi compassione, hyperbolice: *Isa. 24. Luxit, et defluxit terra, et infirmata est, defluxit orbis, et infirmata est altitudo populi terrae.* Tertio divinae sententiae firmitatem, *Cogitavi: Isa. 13. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et haec manus extenta super universas gentes. Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?*

i Hic ostendit effectum destructionis in plebe Iudaeorum. Primo ponit timorem, qui significatur ex desertione urbium, *Equitis*, scilicet Chaldaei: *Isa. 21. A facie gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis praelii.* Et quantum ad inhabitationem montium, *Ingressi sunt ardua: Hier. 48. Relinquite civitates, et habitate in petra habitatores Moab, et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Secundo ponit spei frustrationem ab idolis, *Tu autem vastata... cum vestieris*, ad similitudinem meretricis, quae parat se ut placeat amatoribus, ita ornabant aras idolorum, ut eis placerent, *Stibio*, idest unguento crocei coloris, quo mulieres supercilicia tingunt, sicut dicitur *4. Reg. 3. Quia Iezabel depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum* etc. *Prover. 5. Occurrit illi mulier in ornatu meretricio* etc. Et ab amicis, praecipue Aegyptiis, in quibus confidebant, *Contempserunt: Thren. 1. Omnes amici eius spreverunt eam.* Tertio ponit dolorem sicut in partu, *Vocem puerperae*, quae primo filium parit, et gravius dolet. Et sicut in morte filii, *Inter morientes: Psalm. 47. Ibi dolores, ut parturientis* etc. Notandum, quod multiplex est circumcisio, scilicet mentis, a pravis cogitationibus: *Lev. 26. Donec erubescat incircumcisa mens eorum.* Cordis, a pravis affectionibus: *Rom. 2. Circumcisio cordis in spiritu, non litera.* Oris, a pravis locutionibus: *Exod. 6. Incircumcisus labiis ego sum.* Auris, a detractionibus, et pravis verbis: *Infra 6. Incircumcisae aures eorum, et audire non possunt.* Carnis, significans circumcisionem a carnalibus concupiscentiis: *Genes. 17. Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit signum foederis inter me et vos.* Item notandum quod lavatur cor aqua baptismatis: *Ezech. 16. Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te.* Lacrymis compunctionis: *Psalm. 4. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo,*

Vino divini amoris : *Genes. 49. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum.* Lacte divini sermonis : *Cant. 5. Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae.* Ardore correctionis : *Isa. 4. Si abluerit Dominus sordem filiarum Syon, et sanguinem Hierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii, et in spiritu ardoris.* Sanguine dominicae passionis: *Apoc. 7. Laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni.*

## a CAP. V.

Circuite vias Hierusalem, et aspicite, et considerate, et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium, et quaerentem fidem, et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint et hoc falso iurabunt. Domine oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, et non doluerunt, attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam. Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.

b Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini, et iudicium Dei sui. Ibo ergo ad optimates, et loquar eis. Ipsi enim cognoverunt viam Domini, et iudicium Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.

c Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum. Omnis qui egressus fuerit ex eis, capietur, quia multae sunt praevaricationes eorum, confortatae sunt aversiones eorum.

d Super quo propitius tibi esse potero. Filii tui dereliquerunt me, et iurant in his, qui non sunt dii. Saturavi eos, et moechati sunt, et in domo meretrices luxuriabantur. Equi amatores in faeminas, et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea? Ascendite muros eius, et dissipate, consummationem autem nolite facere. Auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Praevaricatione enim praevaricata est in me domus Israel, et domus Iuda, ait Dominus. Negaverunt Dominum, et dixerunt: Non est ipse, neque veniet super nos malum, gladium, et famem non videbimus. Prophetae fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis. Haec ergo evenient illis. Haec dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos. Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulcrum patens, universi fortes. Et comedet segetes tuas, et panem tuum devorabit, filios tuos, et filias tuas, comedet gregem tuum, et armenta tua, et comedet vineam tuam, et ficum tuam, conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem. Quod si dixeritis, quare fecit Dominus Deus noster nobis haec omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, et servistis Deo alieno in terra vestra, sic servietis diis alienis in terra non vestra.

e Annuntiate haec domui Iacob, et auditum facite Iuda, dicentes: Audi populе stulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, et aures, et non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit. Et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans. Recesserunt, et abierunt, et non dixerunt in corde suo, metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuae messis custodientem nobis. Iniquitates nostrae declinaverunt haec, et peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis.

f Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, et laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenae dolo. Ideo magnificati sunt, et ditati, incrassati sunt, et impinguati, et praeterierunt sermones meos pessime. Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt.

g Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea?

h Stupor et mirabilia facta sunt in terra. Prophetae prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo eius?

## a CAP. V.

Hic excludit remedia, in quibus confidere poterant. Et primo hominum sanctitatem. Secundo regiae urbis fortitudinem, *c. 6. Confortamini.* Tertio divini cultus religionem, *c. 7. Verbum* etc. Circa primum duo. Primo ostendit eorum malitiam in generali. Secundo prosequitur vitia in speciali, ibi, *Super quo tibi propitius.* Circa primum duo. Primo ostendit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Idcirco percussi* etc. Circa primum duo. Primo ostendit malitiam praelatorum. Secundo subditorum, ibi, *Ego autem dixi* etc. Circa primum duo. Primo proponit Dominus universalem populi malitiam, quantum ad pravitatem actio-

nis, *Virum*, etiam unum, *Facientem iudicium*, idest iuste se habentem ad proximum suum, secundum regulam iusti iudicii, *Quaerentem fidem*, idest fideliter agere, *Propitius*, non tantum propter decem, sicut dixit Abraham de Sodomitis, *Gen. 18.* sed poterat dici, *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, *Psalm. 13.* Et quantum ad perversitatem actionis in his, si qua bona exterius videbantur. *Quia si etiam falso*, quia in corde Dominum non venerabantur, sicut ore ostendebant; vel quia ad literam periurabant: *Sup. 4. Iurabit, vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia: Isa. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Sed propheta confirmat Domini sententiam. Et primo ponit sententiae veritatem, *Domine fidem...* idest quo rectum est; quasi dicat, recte iudicasti: *Prove. 16. Omnes viae hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus: Abac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Secundo adiungit populi incorrigibilitatem, quia nec emendatur percussione, *Percussisti*, levibus flagellis, *Non doluerunt*, de peccatis suis, *Attrivisti*, morte et captivitate: *Supra 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: Aggaei 2. Percussi vos vento urente, et aerugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus.* Nec confusione, *Induraverunt;* quasi dicat, non immutantur verecundia: *Ezech. 3. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.*

b Hic ostendit malitiam praelatorum contra aestimationem prophetae. Et primo proponit populi ignorantiam, quasi in excusationem ipsorum, *Forsitan pauperes*, illi quos malos in plateis reperi, *Viam*, per quam incederent, *Iudicium*, quod timeant: *1. Cor. 8. Non in omnibus est scientia.* Secundo proponit praelatorum scientiam, quae auferebat opinionem culpae. Ibo ergo, *Viam*, per quam incedant, *Iudicium*, quo inter alios etiam iudicent: *Sap. 6. Ad vos reges sunt hi sermones, ut discatis sapientiam, ne excidatis.* Tertio proponit culpam, *Et ecce magis*, quam populus, quia audacius, minus timentes, *Simul*, cum populo: *Psal. 2. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum. Iugum legis*, vincula praeceptorum: *Psal. 2. Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.*

c Hic comminatur poenam. Et primo determinat poenam quantum ad interfectionem virorum, *Leo de silva*, quasi ferox, Nabuchodonosor propter ferocitatem in quo regnum Caldaeorum, quantum ad vastationem regionum, *Iupus ad vesperam*, idest propter velocitatem. Sunt enim hora vespertina lupi velociores vacuati cibo, et aspirant ad praedam nocturnam. Vel in lupo regnum Persarum, quantum ad obsidionem urbis, *Pardus vigilans*, idest Nabuchodonosor propter fraudulentiam. Vel regnum Graecorum propter varietatem regnorum, quae sibi subiecerat. De regno autem Romanorum tacet, quia adhuc in longum imminebat; vel etiam ipsum significat per hoc quod dicit, *Omnis qui egressus*, idest evaserit manus praecedentium, *Capietur: Thren. 3. Ursus insidians factus est mihi, leo in abscondito: Abac. 1. Leviores sunt pardis equi eorum, et velociores lupis vespertinis.* Secundo resumit causam, *Multae sunt*, quantum ad humerum, *Confortatae*, quantum ad usum, *Aversiones*, Deo: *Isa. 59. Multiplicatae sunt iniquitates nostrae coram te, et peccata nostra responderunt nobis.*

d Hic prosequitur peccata eorum in speciali. Et primo peccata subditorum. Secundo peccata praelatorum, ibi, *Quia inventi* etc. Circa primum duo. Primo ostendit populi culpam. Secundo peccantium stultitiam, ibi, *Annuntiate.* Circa primum tria. Primo arguit in populo culpam idolatriae, *Super quo*, idest quam rationabilem causam potero invenire vobis parcendi, *Iurant*, eis divinam reverentiam impendentes: *Deute. 32. Ipsi provocaverunt me in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provocabo eos in eo, qui non est populus.* Secundo arguit culpam luxuriae, ponens peccati perpetrationem, sive peccandi occasionem, *Saturavi*, affluentiam temporalium bonorum conferens. Unde glossa, *Sine cerere et baccho friget venus: amici enim sunt venter et genitalia. Moechati*, adulterati, *In domo meretricis*: ex ipso loco turpitudo peccati augetur: *Ezec. 16. Haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, et saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum eius, et manum egeno et pauperi non porrigebant. Et abstuli eas sicut vidisti.* Ponens etiam concupiscentiae fervorem, *Et qui amatores*, quando scilicet sunt in tempore luxuriae suae, *Emissarii*, quia ad hoc opus iumenta specialiter emittuntur, *Hinniebat*, quasi libidine insaniens: *Psalm. 37. Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus.* Ponens etiam poenae recompensationem: ubi comminatur vindictam, *Numquid super his*, corrigens peccata eorum poenis, *Anima*, affectus: *Sopho. 1. Visitabo super viros defixos in foecibus suis.* Et determinat poenam, quantum ad destructionem murorum, *Ascendite*, o Chaldaei. Et quantum ad destructionem hominum, *Auferte propagines*, idest filios qui ex his propagantur, sicut ex propagine vites: *Deutero. 28. Destruentur muri tui firmi atque sublimes in quibus habebas fiduciam, in omni terra tua.* Et resumit poenae causam, *Quia non sunt*, abalienati in ipso per peccatum: *Isa. 24. Praevaricantes praevaricati sunt, et praevaricatione transgressorum praevaricati sunt.* Tertio arguit in eis peccatum blasphemiae. Et primo ponit culpam quantum ad blasphemiam in Deum, *Negaverunt Dominum*, negantes providentiam ipsius super res inferiores, *Non est ipse*, cuius nutu omnia fiunt, *Neque veniet*, quamvis contra ipsum peccaverimus: *Thren. 3. Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non iubente.* Et *Ezech. 9. Dixerunt, Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt.* Et quantum ad blasphemiam in prophetas, *In ventum*, idest in vanum, *Responsum*, divinum: *Iob 6. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.* Secundo comminatur poenam contra blasphemiam in prophetas, *Haec ergo*, quae sequuntur, *In ignem*, idest dabo verbis tuis efficaciam, ut ipsa verba tua quasi ignis comburant: *Infra 23. Numquid non verba sunt quasi ignis ardens, dicit Dominus.* Et contra blasphemiam in Deum determinans hostium conditionem, quia potentem, *Ecce ego de longinquo*, scilicet Chaldaea, *Robustas*, viribus, *Antiquam*, quia ipsis praefuit Nembroth gigas: unde exercitata ab

antiquo in armis. Item ostendit gentem inexorabilem, *Gentem cuius ignorabis linguam.* Item armis munitam, *Pharetra*, quia prompte inde sagittas emittunt. Et quia ibi apparent sanguinolentae, sicut cadavera in sepulcris: *Infra 50. Ecce populus veniet ab Aquilone, et gens magna, et reges multi consurgent a finibus terrae* etc. Et ponit poenae inflictionem, *Etiam comedet: Deuter. 28. Adducet super te Dominus gentem de longinquo, et de extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis in impetu, cuius linguam intelligere non possis*; tamen cum misericordiae admixtione, *Verumtamen: Supra 4. Consummationem autem non faciam.* Secundo resumit poenae causam, *Quia si dixeritis: Infra 16. Eiiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos et patres vestri.*

e Hic ostendit populi peccantis stultitiam. Et primo proponit ipsam, *Audi populo oculos*, exteriores, *Non videtis*, corde: *Isaiae 6. Excaeca cor populi huius.* Secundo probat. Et primo ex comparatione insensibilium creaturarum, proponens earum obedientiam. *Me ergo: Arenam*, litus, *Commovebuntur*, fluctus scilicet, idest quamvis commoveantur: *Iob 38. Circumdedi illud terminis meis.* Et populi inobedientiam, *Populo autem: Ezech. 2. Noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est.* Secundo probat ingratitudinem beneficiorum, ponens ingratitudinem, *Recesserunt... temporaneam*, in principio post seminationem, *Serotinam*, tempore maturationis fructuum, Dominum scilicet, *Custodientem.* Et beneficiorum cessationem, *Iniquitates vestrae: Isa. 56. Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum.*

f Hic prosequitur culpam praelatorum, quae est frequenter causa culpae subditorum; et ideo dicit, *Quia inventi* etc. Et circa hoc duo facit. Primo arguit ipsorum culpam, quantum ad violationem iustitiae. Secundo quantum ad perversitatem doctrinae, ibi, *Stupor.* Circa primum duo. Primo ostendit eorum iniustitiam, quantum ad iniustam et fraudulentam oppressionem pauperum, ponens dolum, *Insidiantes: Psalm. 9. Insidiatur ut rapiat pauperem. Plenae dolo*, divitiis quas dolo conquisierunt. Et doli effectum in multiplicatione divitiarum, *Ideo magnificati*, in honoribus, *Ditati*, in divitiis: *Infra 17. Perdix fovit quae non peperit, fecit divitias, sed non in iudicio.* Et in multiplicatione peccatorum, *Et praeterierunt: Deuter. 32. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Secundo ostendit eorum iniustitiam, quantum ad iusti iudicii omissionem, *Causam viduae: Isa. 1. Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad eos.*

g Hic comminatur poenam: *Deut. 32. Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.*

h Hic arguit perversitatem doctrinae. Et primo ponit admirabilem culpam, *Stupor*, idest stupenda res, *Prophetae prophetabant mendacium*, quorum erat veritatem docere: *Ezechiel. 22. Prophetae eius liniebant eos absque temperamento videntes vana, et divinantes eis mendacium. Applaudebant*, consentientes mendaciis, quorum erat prophetas corrigere: *Infra 29. Dedit te Dominus sacerdotem pro Ioiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini* etc. Et nunc, quare non increpasti Hieremiam Anathotitem qui prophetat, vobis etc. *Et populus meus: Eccl. 10. Qualis rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Secundo innuit admirabilem poenam, *Quid igitur in novissimo*, scilicet captivitatis, vel mortis: *Isa. 27. In mensura contra mensuram, cum adiecta fuerit, iudicabit eam* etc. Notandum, quod est multiplex paupertas, scilicet terrenae possessionis: *Iacob. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Humilitatis: *Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Afflictionis: *Psalm. 21. Ego sum pauper et dolens, salus tua Domine suscepit me.* Cognitionis: *3. Nescis quia tu es pauper.* Imperfectionis: *Thren. 3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Item notandum, quod multiplex est visitatio, scilicet consolationis: *Lucae 1. Visitavit nos oriens ex alto.* Correptionis: *Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum.* Damnationis: *Infra 8. In tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus. Congregans congregabo eos, ait Dominus.* Item notandum, quod verbum Dei dicitur ignis, quia illuminat: *Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Quia inflammat: *Psal. 104. Eloquium Domini inflammavit eum.* Quia intima penetrat: *Infra 20. Et factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis aestuans, claususque in ossibus meis: Hebr. 4. Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Quia liquefacit: *Psa. 147. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea, flabit spiritus eius, et fluent aquae.* Quia consumit inobedientes: *Isa. 30 Labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans: Ioan. 15. Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

## a CAP. VI.

Confortamini filii Beniamin in medio Hierusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacaren levate vexillum: quia malum visum est ab aquilone, et contritio magna. Speciosae et delicatae assimilavi filiam Syon, Ad eam venient pastores et greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu, et pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt.

b Sanctificate super eam bellum: consurgite, et ascendamus in meridie. Vae nobis, uia declinavit dies, quia longiores factae sunt umbrae vesperi. Surgite, et ascendamus in nocte, et dissipemus domos eius, quia haec dicit Dominus exercituum: Caedite lignum eius, et fundite circa Hierusalem aggerem.

c Haec est civitas visitationis, omnis calumnia in medio eius. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Iniquitas et vastitas audietur in ea coram me semper, infirmitas et plaga.

d Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima

mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem. Haec dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent, quasi in vinea reliquias Israel. Converte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum.

e Cui loquar, et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum, et audire non possunt. Ecce verbum domi factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud.

f Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens. Effunde super parvulum foris, et super concilium iuvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum. Et transibunt domus eorum ad alteros, agri et uxores pariter, quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.

g A minore quippe usque ad maiorem omnes avaritiae student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax, et non erat pax. Confusi sunt, quia abominationes fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Quam ob rem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus.

h Haec dicit Dominus, State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt, Non ambulabimus. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubae. Et dixerunt, Non audiemus. Ideo audite gentes, et cognoscite congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra: Ecce ego adduco mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, et legem meam proiecerunt.

i Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et victimae vestrae non placuerunt mihi. Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, et ruent in eis patres et filii simul, vicinus et proximus peribunt.

k Haec dicit Dominus: Ecce populus venit de terra aquilonis, et gens magna consurget a finibus terrae. Sagittam et scutum arripiet, crudelis est, et non miserebitur. Vox eius quasi mare sonabit, et super equos ascendent, praeparati quasi vir ad praelium adversum te, filia Syon. Audivimus famam eius, dissolutae sunt manus nostrae. Tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. Nolite exire ad agros, et in vineam ne ambuletis, quoniam gladius inimici pavor in circuitu. Filia populi mei accingere cilicio, et conspergere cinere. Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos.

l Probatorem dedi te in populo meo robustum: et scies, et probabis viam eorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter. Aes et ferrum, universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum. Frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.

## a CAP. VI.

Hic excludit secundum remedium in quo confidere poterant, scilicet in fortitudine urbis regiae, cuius destructionem prophetat in hoc capite: et circa hoc facit duo. Primo ponitur civium praeparatio, scilicet ad resistendum, *Confortamini*, ut designet quomodo se invicem advenientibus hostibus exhortabuntur. Vel irrisorie dicit, *Filii Beniamin*, quia Hierusalem in sorte illius tribus erat quantum ad superiorem partem, sed quantum ad inferiorem in tribu Iuda: *Iosue 15. Ascenditque per convallem filii Enon ex latere Iebusei ad meridiem:* haec est Hierusalem, *Et in Theuca clangite Bethacaren*, loca munita prope Hierusalem: *Supra 4. Levate signum.* Secundo ponit ipsius civitatis destructionem, ibi, *Speciosae* etc. Et primo ponitur conditio hostium vastantium sub quibusdam metaphoris. Secundo describuntur aperte, et expresse, ibi, *Haec dicit Dominus.* Circa primum duo. Primo describit urbis obsidionem. Secundo congressionem, ibi, *Sanctificate.* Circa primum tria. Primo describitur civitatis pulchritudo, *Speciosae*, quantum ad decora aedificia, et multitudinem habitantium: *Delicatae*, quantum ad fertilitatem terrae: *Ezech. 16. Similam, et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis.* Secundo describitur obsidio, *Ad eam venient pastores*, metaphorice, principes Chaldaeorum quasi ubertate pascuorum illecti: *Infra 12. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam. Fixerunt*, ad obsidionem urbis. Tertio describitur exercitus debita ordinatio, *Pascet*, idest gubernabit, *Sub manu*, potestate: diversis enim turmis diversi principes erant.

b Hic ponitur congressio ad capiendum urbem: et circa hoc tria ponit. Primo congrediendi praeceptum, *Sanctificate*, idest formate, vel sanctum ostendite et iustum, quasi Dei voluntate assumptum. Et est vox principum ad milites: *Michaeae 3. Si quis non dederit in ore quippiam, sanctificant super eum praelium.* Secundo ponitur congredientium desiderium, quod ostendit in tribus. In mutua exhortatione, *Surgite*, vox militum ad invicem, *Ascendamus*, ad impugnandum, quamvis in monte sitam; et quia non retrahuntur temporis importunitate, neque calore diei, *In meridie*, neque horrore noctis, *In nocte.* Et quia conqueruntur de temporis brevitate, *Vae nobis*, dies in qua erat tempus aptum ad bellandum, *Longiores:* quanto enim sol magis appropinquat ad zenit capitis, tanto fit longior umbra in parte opposita: *Isa. 10. Confortamini, adhuc dies est, Ut in nocte stetur;* sed secundum glossam, *Vae nobis* dicitur ex persona populi timentis noctis insidias, quia etiam in meridie resistere vix valebat. Tertio ostendit egrediendi

modum, *Quia haec dicit Dominus*, quasi secure possumus pugnare, quia Domini praeceptum est, *Redite lignum*, ad faciendas machinas, *Fundite ... aggerem*, quem fecerant ad defensionem murorum suorum destruentes ipsum. Vel, *Fundite*, erigentes terram in acervum ad ponendas munitiones contra civitatem: *Abac. 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.*

c Hic ponit obsidionis causam ex culpa: et circa hoc tria. Primo ponit malitiae universalitatem, *Visitationis*, quasi correctione digna, *Omnis calumnia*, omnis calumniandi modus: *Psal. 54. Non defecit de plateis eius usura et dolus.* Secundo cordis obdurationem, *Sicut frigidam:* et ita conservat quasi illaesam a calore: *Supra 3. Foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* Tertio peccati continuitatem, *Iniquitas: Isa. 59. Vastitas et contritio in viis eorum, viam pacis nescierunt* etc. *Infirmitas*, quasi poena respondens praedictis duabus culpis.

d Hic ostendit destructionem: et circa hoc tria. Primo ponit consilium ad evitandam destructionem. Secundo ponit consilii contemptum, ibi, *Cui loquar* etc. Tertio comminatur destructionis iudicium, ibi, *Idcirco* etc. Circa primum duo. Primo ponit consilium, *Erudire*, scilicet flagellis praecedentibus castigata: *Isa. 28. Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Secundo ponit imminens periculum in amissione divini amoris, *Ne forte: Ezechi. 16. Auferetur zelus meus in vastatione regionis: Psal. 106. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in siti.* Et in captivitate gentis, *Haec dicit Dominus usque ad racemum*, inclusive, quia nec racemus relinquetur. Metaphorice per vineam Iudaeos: *Isa. 5. Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est.* Per racemos homines; per vindemiam captivitatem significans. O Chaldaee, *Convertere*, servat metaphoram, *Quasi vindemiator* collectos racemos in vase, quod cartallum dicitur, ponit, ut ad torcular portet, ita Iudaeos in carcere concludas, et in Babylonem ducas: *Abdi. Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Vel usque ad racemum exclusive, quia reliquias populi, scilicet rusticos et viles, ibi dimittent. *Convertere*, et significat reversionem ipsorum ad terram suam, quae ostenditur iuxta hoc per cartalli signum.

e Hic ostendit consilii dati contemptum. Et primo propheta quaerit idoneum consilii auditorem, *Cui loquar*, fructuosa verba Domini, *Contestabor*, adiurabo, in quo significat charitatem: *Isa. 28. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum.* Secundo ostendit inidoneitatem, quia audire noluerunt, *Ecce incircumcisae*, quasi gentilibus fabulis plenae: *Act. 7. Dura cervice, et incircumcisi cordibus, et auribus.* Et quia etiam audita contemnunt, *Ecce verbum: Infra 20. Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die.*

f Hic comminatur eis destructionis flagellum. Et primo ostendit illis iustitiae zelum, *Furore Domini*, igne scilicet zeli pro Domini iustitia: *Num. 5. Zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo.* Secundo dat hostibus destructionis praeceptum, *Effunde*, O Chaldaee, *Iram*, scilicet tuam abundanter, *Foris*, in plateis et agris: *Eccle. 56. Excita furorem, et effunde iram. Parvulum*, nulli parcatur aetati. Tertio ponit praecepti complementum, et quantum ad personas, et quantum ad possessiones, *Vir enim cum muliere*, uxore: *Thren. ult. Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.*

g Hic ponit causam destructionis. Primo avaritiam. Secundo inobedientiam, ibi, *Haec dicit Dominus: State* etc. Tertio sacrorum abusum, ibi, *Ut quid mihi thus* etc. Circa primum tria. Primo ponit culpam, ponens avaritiae studium in desiderando, *Omnes avaritiae: Isa. 59. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum.* Dolum in consequendo, *Et a propheta: Psal. 37. Dolos tota die meditabantur.* Et dolositatis modum, quia adulando, *Et curabant*, scilicet verbis excusando culpas, et excludendo poenas: *Ezech. 13. Prophetae Israel qui prophetant ad Hierusalem, et vident ei visionem pacis, et non est pax, ait Dominus.* Secundo ponit inverecundiam etiam inter poenas, *Confusi sunt*, poenis: *Confusione*, salubri, quae poenitentiam provocet: *Ecclesiast. 4. Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Tertio comminatur poenam, *Quam ob rem cadent*, ipsi prophetae, *Inter ruentes*, plebeos, *Corruent*, morte, vel captivitate, ipsis sociati in poenis, a quibus non sunt divisi in culpis.

h Hic ponitur ipsorum inobedientia. Et primo ponit culpam, scilicet inobedientiam praecepti de imitatione sanctorum, ponens praeceptum, *State super vias*, considerate diversas operationes bonorum et malorum, ut utrorumque progressum et exitum videatis: *Antiquis*, quae sanctorum vestigiis sunt tritae: *Thren. 3. Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum.* Vel, *Super vias*, prophetas. Praecepti fructum, *Et invenietis refrigerium: Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Et praecepti contemptum, *Et dixerunt* etc. Et etiam quantum ad inobedientiam praecepti de obedientia praelatorum, *Et constitui speculatores*, prophetas et principes; *Vocem tubae*, praedicationem ipsorum: *Ezec. 3. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et audiens de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Secundo comminatur poenam. Primo excitans audientiam, *Ideo audite congregatio*, omnium nationum: *Isa. 1. Audite coeli, et auribus percipe terra.* Secundo comminatur poenam, *Ecce ego: Isai. 5. Fructum adinventionum suarum comedet.*

i Hic ponit sacrorum abusum, inquantum peccatis polluti Deo sacrificia offerre praesumebant, quae propter hoc accepta non erant: et circa hoc duo. Primo ex hoc quod non sunt accepta designat ipsorum culpam. Et quantum ad ea quae offerebantur in altare thimiamatis. *Ut quid mihi thus de Saba*, regio ubi nascitur thus, *Calamum*, cinnamomum quod ponebatur in thimiamate cuius compositio habetur *Exod. 34. Longinqua*, scilicet India: *Isa. ultim. Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Et quantum ad altare holocaustorum, *Holocautomata: Isa. 1. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui.* Secundo

ponit poenam, *Propterea haec dicit Dominus: Isa. 3, Corruet populus vir ad virum, et unusquisque ad populum suum.*

k Hic describit aperte hostes venientes. Et primo describit hostium conditionem. Secundo populi incorrigibilitatem, ibi, *Probatorem* etc. Circa primum tria. Primo describit hostes gentem fortem multitudine, *Gens magna*, et armis, *Sagittam*, crudelem, *Crudelis est ... quasi mare*, et ut voce terreat, et intentione, *Et super equos: Infra 50. Ecce populus veniet ab Aquilone, gens magna, et reges multi consurgent a finibus terrae. Arcum et scutum apprehendent, crudeles sunt, et immisericordes.* Secundo ponit ex fama Iudaeorum timorem, *Audivimus famam ... dissolutae*, prae timore nihil facere possumus: *Psalm. 47. Ibi dolores ut parturientis.* Et timoris effectum, *Nolite exire: Deut. 32. Foris vastabunt eos gladius, et intus pavor.* Tertio hortatur ad poenitentiae dolorem, *Filia populi*, accingere: *Supra 4. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite et ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a vobis.*

l Hic ostendit populi incorrigibilitatem. Et primo inducit prophetae testimonium, *Probatorem*, ut quasi experimento discas eorum duritiam, dum eos flectere ad bonum non vales: *Proverbi. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Secundo ponit universale peccatum omnes isti principes, *Aes et ferrum;* quasi dicat, non solum sunt immundi, sed tecti sunt immunditia, sicut ferrum et aes est immunditia argenti. Vel ferrum propter duritiam, aes propter impatientiam, quia tremulum est: *Iob 40. Ossa eius velut fistulae aeris* etc. *Psa. 13. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* Tertio ponit incorrigibilitatis exemplum, *Defecit sufflatorium.* Argentum enim admixtum plumbo in fornace ponitur, et sufflante argentario foeces consumuntur, et argentum melioratur, sed plumbum minuitur. Isti autem positi in fornace tribulationis consumpti malis quasi plumbo, non sunt correcti. *Frustra*, verbum Dei conflavit, *Conflator*, Deus vel praedicator: *Ec. 2. In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Quarto concludit reprobationis argumentum, *Argentum reprobum: Thren. ult. Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.* Notandum, quod peccatum dicitur frigus, quia extinguit calorem dilectionis: *Matth. 24. Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Quia congelat humorem devotionis: *Eccle. 43. Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit chrystallus ab aqua.* Quia retardat motum bonae operationis: *Proverb. 20. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo egestate, et non dabitur illi.* Item nota quod quaedam sunt viae praeceptorum: *Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Actionum: *Thren. 3. Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum.* Virtutum: *Prover. 4. Viam sapientiae monstrabo tibi, et ducam te per semitas aequitatis.* Doctorum: *Viae eius viae pulchrae, et omnes semitae eius pacificae.* Ipse Christus: *Io. 14. Ego sum via, veritas, et vita.*

## a CAP. VII.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, dicens: Sta in porta domus Domini, et praedica ibi verbum Domini omnis Iuda qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Bonas facite vias vestras, et studia vestra: et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si benedixeritis vias vestras, et studia vestra: Si feceritis iudicium inter virum et proximum eius advenae, et pupillo, et viduae non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis, habitabo vobiscum in loco isto in terra quam dedi patribus vestris a saeculo usque in saeculum. Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; Furari, occidere, libare Baalim, et ire post Deos alienos quos ignoratis. Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis, liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Sylo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc, quia fecistis omnia opera haec, dicit Dominus, et locutus sum ad vos, mane consurgens, et loquens, et non audistis, et vocavi vos, et non respondistis, faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis, et patribus vestris, sicut feci Sylo, et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.

b Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Iuda, et in plateis Hierusalem? Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem ut faciant placentas reginae caeli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? Nonne semetipsos, in confusionem vultus sui. Ideo haec dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, et indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super iumenta, et super lignum regionis, et super fruges terrae, et succendetur, et non extinguetur.

c Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes. Quia non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum et victimarum. Sed hoc verbum praecepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluptatibus, et in pravitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum, et non in ante, a die qua ingressi sunt patres eorum de terra Aegypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens, et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, et peius operati sunt, quam patres eorum. Et loqueris ad omnia verba haec, et non audient te, et vocabis eos, et non respondebunt tibi. Et dices ad eos, Haec est gens quae non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, et ablata est de ore eorum.

d Tonde capillum tuum, et proiice, et sume in directum planctum, quia proiecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui, quia fecerunt filii Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum ut polluerent eam, et aedificaverunt excelsa Topheth, quae est in valle filii Ennom, ut incenderent filios suos, et filias suas igni, quae non recepi, nec cogitavi in corde meo. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis interfectionis, et sepelientur in Topheth, eo quod non sit locus. Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus coeli, et bestiis terrae, et non erit qui ambigat. Et requiescere faciam de urbibus Iuda, et de plateis Hierusalem vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi et vocem sponsae: in desolatione enim erit terra.

## a CAP. VII.

Hic excludit tertium remedium, in quo poterant confidere, scilicet de cultu divinae religionis. Et primo quantum ad templi sanctitatem. Secundo quantum ad orationis devotionem, ibi, *Tu ergo noli et caetera.* Tertio quantum ad sacrificiorum oblationem, ibi, *Haec dicit Dominus* et caet. Circa primum duo. Primo ponit quasi salubre consilium, ostendens veram fiduciam, *Sta in porta*, ut saltem religione loci cogantur audire; quasi dicat, alias audire contemnunt, *Bonas facite vias*, actiones, *Studia*, cogitationes, quibus deliberatis de agendis: *Isa. 40. Dirigite viam, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Et primo ponit fructum, *Et inhabitabo: Apoc. 20. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Et excludit spem vanam, *Nolite confidere ... mendacii*, inquantum scilicet dicebant se propter sanctitatem templi omnes poenas posse vitare, sine emendatione vitae. *Templum Domini*, sanctum, *Templum Domini*, pretiosum, *Templum Domini*, a cunctis veneratum: *2. Macha. 5. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum, Deus elegit.* Secundo exponit ipsum. Et primo quantum ad primam partem, ostendens quid sit bonas vias facere, resumens consilium, eos ordinando, et ad seipsos in actione, *Quoniam si benedixerit*, quasi in mente determinaveritis, vel direxeritis. Et in cogitatione, *Studia vestra.* Et ad proximum, quantum ad operationem boni, *Si feceritis.* Et in comparatione ad Deum, *Et post Deos*, resumit consilii fructum. *Habitabo vobiscum*, si volueritis et audieritis etc. *Psalm. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo* et caetera. *Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam* etc. Secundo exponit quantum ad secundam partem. Et primo ostendit falsam fiduciam, ponens defectum ex parte culpae, *Ecce vos... mendacii*, dum dicitis vos posse haec quae sequuntur impune committere. *Furari*, contra rem proximi, *Occidere*, contra personam, *Adulterari*, contra id quod est quasi res et quasi persona, *Iurare.* Hic ponit peccata contra Deum: *Isa. 28. Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Et ponit apparentiam ex parte insufficientis emendae, *Et venistis, et stetistis*, quasi per ingressum templi tantum, satisfacere credentes, decepti fortassis per orationem Salomonis quae habetur *Paralipom. 6. et 3. Reg. 8. Et ipse intelligit cum perfecta morum emendatione, domum domini ingrediendam, Eo quod fecimus*, idest ab eo. Secundo excludit eam. Primo argumento ostendens emendam insufficientem pro culpis, *Numquid*; quasi dicat, Si non purgati domum meam intratis, speluncam latronum eam facitis: *Matt. 22. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Et ostendit culpam patentem, *Ego ego*, singulariter, *Sum*, ubique omnia videns, *Vidi*, peccata vestra: *Proverb. 16. Omnes viae hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* Secundo excludit exemplo. Et primo ponit exemplum de Sylo, ubi prius tabernaculum positum fuit, *Ite ad locum: Psal. 77. Et repuli tabernaculum Sylo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.* Secundo adaptat ad propositum, assumens similem culpam, *Et nunc* etc. *Mane consurgens*, ad modum hominis soliciti, qui summo mane surgit ad explenda opera sua. Vel quia tempus illud congruum est ad contemplandum, et suscipiendum verba sapientiae, pro corpore iam quietato, *Vocavi: Prover. 1. Quia vocavi, et renuistis, invocavi, et non fuit, qui aspiceret* etc. Et concludit similem poenam quantum ad destructionem loci, *Faciam domui: Infra 26. Dabo domum istam sicut Sylo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.* Et quantum ad captivationem populi, *Proiiciam vos: Infra 23. Vos dispersistis gregem meum, et eiecistis eos, et non visitastis eos.*

b Hic excludit remedium orationis. Et primo profertur sententia, *Ut assumas*, etiam ab eis rogatus,

et non subsistas, quia oratio sanctorum quodammodo detinet et excludit Dei scientiam : *Sapien. 18. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suae scutum, orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit irae, et finem imposuit necessitati, ostendens, quoniam tuus est famulus: Isa. 64. Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te.* Sed contra *Iob 9. Deus cuius irae resistere nemo potest.* Respondetur, quod dictum est, virtutis robore, sed oratione et humilitate. *Quia non exaudiam*, more curialis Domini qui non vult faciem servi rogantis confundere: *4. Reg. 14. Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo* etc. Secundo ponit causam ex culpa. Primo proponens culpam, ostendens eam patentem, quia publice factam, *Nonne vides : Ezec. 16. Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes tuas*, et communem, quantum ad omnem sexum et aetatem, *Fili colligunt... regina coeli*, idest lunae, vel militiae et omnibus astris : *Infra 44. Et sacrificemus reginae coeli, et libemus ei libamina sicut* etc. Secundo ostendit peccantium stultitiam, quia non Deum, sed seipsos offenderunt, *Nunquid me: Iob 26. Si peccaveris, quid nocebis ei? Psalm. 12. Convertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Tertio comminatur poenam, *Ideo haec dicit Dominus: Supra 4. Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum.*

c Hic excludit sacrificiorum fiduciam. Et primo excludit sacrificiorum curam, ponens scientiam, *Holocautomata;* quasi dicat, sicut victimarum maior pars cedit in usus vestros, ita holocausta vobis ex toto comedite, quia carnium consumptione non delector : *Psalm. 49. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Et ponit causam, *Quia non sum locutus:* non enim Dominus hoc propter se volebat, sed ut propter hoc ab idolatria revocaret. Unde ante adorationem vituli, de quo *Exod. 33.* nulla praecepta de sacrificiis data sunt: *Psalm. 50. Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio.* Secundo arguit moralium inobedientiam. Et primo ostendit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Tonde capillum* et caet. Circa primum duo. Primo probat inobedientiam quasi per inductionem, ostendens eos inobedientes legi, ponendo legis praecepta. *Sed hoc verbum praecepi*, a principio quasi principaliter intentum, *Vocem eam*, de praeceptis moralibus : *Ezechiel. 36. Eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.* Et praecepti contemptum, *Et non audierunt... retrorsum*, semper peccata postea addentes : *Isa. 56. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum.* Ostendit etiam eos inobedientes praecedentibus prophetis, *Et misit ad eos: 4. Reg. 17. Testificatus est Dominus in Israel, et in Iuda per manum omnium prophetarum et videntium, dicens: Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite praecepta mea, et caeremonias iuxta omnem legem quam praecepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum prophetarum. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam, iuxta cervicem patrum suorum qui noluerunt obedire Domino Deo suo.* Praedicit etiam eos non obedituros sibi, *Et loqueris: Ezech. 3. Israel, nolunt audire te, quia nolunt audire me : omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde: Isa. 65. Vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quae nolui, elegistis.* Secundo infert confusionem, *Et dices ad eos : Supra 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Fides*, Domini : *Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vel fidelitas ad proximum: *Prov. 20. Verum fidelem quis inveniet?*

d Hic comminatur eis poenam. Et primo praesignat eam facto, *Tonde capillum*, simile *Ezech. 5. Tertiam partem pilorum igni combures in medio civitatis, iuxta completionem dierum obsidionis, et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu eius. Tertiam vero aliam disperges in ventum. Generationem furoris: Isa. 10. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi.* Secundo determinat verba. Et primo praesumit idolatriae culpam, aggravans eam ex loco sacro, quia fecerunt, *Offendicula*, idola, *In domo*, scilicet in templo et loco publico et aperto, *Et aedificaverunt quae non praecepi*, quasi dicat, non tam gravia praecepi eis. Unde patet, quod etiam a me recesserunt: *Psal. 105. Immolaverunt filios suos, et filias suas daemoniis, carnes filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam.* Secundo comminatur poenam. Et primo quantum ad interfectionem virorum. Secundo quantum ad effusionem cadaverum, ibi, *In tempore illo* et caetera *cap. 8.* Tertio quoad electionem remanentium, ibi, *Et eligent magis* etc. Circa primum tria. Primo ostendit interfectionis locum, *Ideo ecce dies*, ut peccaverunt, ibi puniantur: *Infra 19. Ecce dies venient, dicit Dominus, et non vocabitur amplius locus iste Topheth et vallis occisionis.* Secundo excludit sepulturae officium, *Et erit morticinum*, sepelientur tamen aliqui vel a reliquiis, vel ab hostibus non valentibus sustinere foetorem: *Psal. 78. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Tertio excludit universale gaudium, *Et requiescere : Thren. ult. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster:* quae omnia attestantur magnitudinem occisionis. Nota, quod Deus habitat nobiscum per fidei constantiam: *Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* etc. Per fraternam dilectionis concordiam: *Matth. 18. Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Per praeceptorum obedientiam: *Io. 18. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Per devotae contemplationis eminentiam : *Apocalyp. 3. Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi, intrabo ad eum, et caenabo cum illo, et ipse mecum.* Item nota, quod quoddam est templum historicum: *Psalm. 137. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Allegoricum, ipsa ecclesia: *1. Cor. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Tipicum, ipse iustus: *1. Cor. 6. Nesci-*

*tis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Anagogicum, ipse Deus: *Apoc. 20. Dominus Deus omnipotens templum illius est* et caet. Item nota, quod vocem Domini debemus audire, illum diligendo charitatis amore, quia bonum nostrum: *Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Ei serviendo cultus religione, quia Dominus: *Deut. 10. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies: Psalm. 2. Servite Domino in timore.* Post eum eundo praecepti observatione, quia pater: *Supra 3. Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* Illum quaerendo recta intentione, quia finis: *Sopho. 2. Quaerite Dominum omnes mansueti terrae, quia iudicium eius estis operati.* Eum adorando debito honore, quia factor noster est et Deus: *Matth. 5. Dominum Deum tuum adorabis.*

## a CAP. VIII.

In tempore illo, ait Dominus, eiicient ossa regis Iuda, et ossa principum eius, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Hierusalem de sepulcris suis: et expandent ea ad solem, et lunam, et omnem militiam coeli, quae dilexerunt, et quibus servierunt, et post quae ambulaverunt, et quae quaesierunt, et adoraverunt. Non colligentur, et non sepelienter in sterquilinium, super faciem terrae erunt.

b Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quae derelicta sunt, ad quae eieci eos, dicit Dominus exercituum.

c Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Numquid qui cadit non resurget, et qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Hierusalem, aversione contentiosa. Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est, loquitur. Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in praelium. Milvus in coelo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit iudicium Domini.

d Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est, stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti, et capti sunt. Verbum enim Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis.

e Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum haeredibus: quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Et sanabant contritiones filiae populi mei, et ad ignominiam dicentes, Pax, pax, cum non esset pax.

f Confusi sunt, quia abominationem fecerun t quinimmo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus.

g Congregans congregabo eos, ait Dominus: non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit, et dedi eis quae praetergressa sunt. Quare sedemus? Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi, quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. Expectavimus pacem, et non erat bonum, tempus medelae, et ecce formido. A Dan auditus est fremitus equorum eius, a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra. Et venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem eius, urbem et habitatores eius. Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos, ait Dominus. Dolor meus super dolorem, in me cor meum moerens. Ecce vox clamoris filiae populi mei, de terra longinqua. Nunquid Dominus non est in Syon, aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, et in vanitatibus alienis? Transiit messis, finita est aestas, et nos salvati non sumus. Super contritione filiae populi mei contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei?

## a CAP. VIII.

Hic comminatur cadaverum effossionem. Et primo ponit ipsam effossionem, *Eiicient ossa*, credentes aurum vel aliquid talium invenire: *Isa. 18. Tu autem proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus eum his, qui interfecti sunt gladio* etc. Secundo effossorum dispersionem, *Et expandent ea: 4. Reg. 17. Adoraverunt universam militiam coeli: Sapien. 2. Per quae peccat quis, per haec et torquetur.* Tertio eorundem utilitatem, *Non colligentur: Isa. 5. Facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum.*

b Hic ostendit oppressionem remanentium significatam ex ipsa mortis electione: quae quidem in se non est eligibilis, sed inquantum malorum terminus est: *Apocal. 9. In diebus illis quaerent homines mortem, et non invenient eam, et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.*

c Hic ostendit eorum obstinationem, et duritiam in peccatum, unde dividitur contra totum praecedens. Et primo ostendit obstinationem in peccata quae committuntur in Deum, vel in seipsum, et in proximum. Deinde de illis quae committuntur directe in proximum, *capit. 9. Quis dabit* etc. Circa primum duo. Primo arguit duritiam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Congregans congregabo* et caet. Circa primum qua-

tuor. Primo ostendit eorum duritiam quantum ad idolatriam. Secundo quantum ad superbiam, ibi, *Quomodo dicitis* et cact. Tertio quantum ad avaritiam, ibi, *Propterea dabo* etc. Quarto quantum ad inverecundiam, ibi, *Confusi sunt* etc. Circa primum ostendit eorum duritiam admirabilem ex tribus. Primo ex communi consuetudine, proponens consuetudinem, *Numquid qui cadit*, spiritualiter, vel etiam corporaliter, quantum ad conversionem peccati, *Qui aversus est*, quantum ad aversionem; quasi dicat, haec est consuetudo: *Psal. 40. Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat: Amos 5. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* Et concludit admirationem, *Quare ergo aversus*, quantum ad peccatum, *Contentiosa*, quasi contendentes contra Dominum, vel contemnentes ipsum: *Deuter. 31. Ego scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Apprehendunt*, quantum ad conversionem, *Mendacium*, dolum: *Isa. 28. Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Secundo peccatorum universalitatem, ostendens universalem negligentiam quantum ad bona agenda, *Attendi... loquitur*, et multo minus agit: *Ps. 13. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et universalem impoenitentiam de malis commissis, *Nullus est: Roman. 2. Tu autem secundum duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* Et irrefrenatam concupiscentiam, *Omnes conversi sunt: Eccl. 30. Equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet praeceps: Iob 25. Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est* etc. et *40. Absorbebit fluvium, et non mirabitur* etc. Tertio ex irrationabilium comparatione, ponens eorum cognitionem, *Milvus in coelo*, idest in aere, *Tempus*, aptum operibus suis, *Adventus*, quia transeunt in hyeme ad loca calida, et redeunt in vere, et hoc instinctu naturalis aestimationis: *Iob 12. Interroga iumenta, et docebunt te, et volatilia coeli, et indicabunt tibi.* Et ponit populi ignorantiam, *Populus iudicium*, sibi superventurae propitiationis: *Isaiae 1. Israel autem me non cognovit.*

d Hic ostendit eorum superbiam ex iactantia sapientiae: et circa hoc tria. Primo ponit iactantiam, *Sapientes nos sumus: Isaiae 5. Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Secundo ostendit iniustitiam, *Vere mendacium*, vel malo Scripturas exponendo, vel iniquas leges condendo: *Isaiae 10. Vae qui condunt leges iniquas, et scribentes iniustitiam scripserunt* etc. Tertio ponit poenam, *Confusi sunt*, praeteritum pro futuro: *Iob 12. Adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem;* et resumit causam, *Verbum Domini: Eccl. 1. Fons sapientiae verbum Dei in excelsis: Isaiae 5. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: Osee 4. Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam ne sacerdotio fungaris mihi.*

e Hic ostendit avaritiam. Et primo ponit poenam, *Haeredibus*, idest qui fortiter, et secure quasi haereditatem propriam tenent: *Deuter. 28. Uxorem accipies, et alius dormiet cum ea.* Secundo ponit culpam. Et primo avaritiae desiderium, quia, *A minimo... sequuntur*, quasi finem: *Isa. 1. Omne caput languidum, et omne cor moerens: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sānitas.* Secundo ponit dolum in consequendo, *A propheta.* Tertio doli modum, *Et sanabant: Ezec. 13. Vivificabant animas eorum, et violabant me ad populum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

f Hic ostendit inverecundiam. Et primo verecundiae causam, *Confusi sunt*, quasi dicat, Poenas patiuntur quibus confundi deberent: *Eccl. 4. Est confusio adducens peccatum.* Secundo ostendit inverecundiam, *A minimo: Supra 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Tertio poenam, *Idcirco*, ut *supra 6. Thren. 1. Cum caderet populus eius in manu* etc.

g Hic ponit poenam supra poenam praedictam simul. Et primo ponit Domini sententiam, quantum ad hominum afflictionem, *Congrebabo*, in Hierusalem obsidendo: *Inf. 12. Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis;* et quantum ad fructuum direptionem, *Non est uva*, vobis, sed hostibus qui vestra, vobis videntibus, comedunt. *Praetergressa*, ab eis in manus hostium: *Abac. 3. Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis.* Secundo ponit populi miseriam, *Quare sedemus.* Vel ponit eorum praeparationem, ponens mutuam exhortationem, *Quare sedemus*, in locis urbium quasi quieti, *Sileamus*, quasi stupentes; vel a tumultu belli: *Supra 4. Congregamini, et ingrediamur;* et exhortantium rationem, dum praevident poenam, *Quia Dominus Deus noster silere*, stupore: *Thren. 3. Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio.* Et confitentur culpam, *Peccavimus: Psalm. 43. Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus;* et recognoscunt expectationis stultitiam, *Et expectavimus*, secundum dicta pseudoprophetarum, *Bonum*, meritum pacis: *Proverb. 10. Expectatio iustorum laetitia, spes autem impiorum peribit.* Ponit etiam hostium persecutionem, et famam, *A Dan: Supra 4. Vox annunciantis.* Ponit etiam effectum famae, *A voce omnis terrae*, hyperbolice, vel methonimice: *Psa. 17. Commota est, et contremuit terra.* Et etiam inflictam per eos poenam, *Et venerunt* etc. plenitudinem scilicet fructus: *Psalm. 78. Comederunt Iacob, et locum eius desolaverunt.* Et excludit medicinam, *Quia ecce ego... serpentes*, Chaldaeos, *Quibus non est incantatio*, quia nullo modo placari poterunt: *Psalm. 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, et obturantis aures suas: Apoc. 9. Cruciatus eorum ut cruciatus scorpii, cum percutit hominem.* Tertio ponit compatientis misericordiam. Et primo super populi afflictionem ponens compassionem, *Dolor*, ex persona Domini, et est antropospatos. Vel ex persona prophetae: *Thren. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor similis sicut dolor meus.* Et populi afflictionem, *Ecce vox*, hostium, *De terra*, longinqua. Vel populi contra eosdem hostes, vel de terra captivitatis: *Supra: Vocem quasi parturientis audivi.* Et afflictionis rationem. Nunquid Dominus immo ipse Deus posset dare, et consilia, et auxilia, et responsa: unde nullam causam habetis alios Deos quaerendi: *4. Reg. 1. Nunquid non est Deus*

*in Israel , ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Secundo compassionem super diuturnitatem, ponens afflictionis diuturnitatem, *Transiit messis, salvati non sumus*, a famis periculo, quia fructum non recollegimus. Ex persona populi: sic *4. Reg. 6. Unde salvare te possum.* Tertio compassionem , *Super contritione.* Ex persona Domini , ut supra: *Isa. 63. Factus est eis salvator in omni tribulatione eorum.* Vel ex persona prophetae: *Thren. 2. Conturbata sunt viscera mea.* Quarto assignat diuturnitatis rationem , quia scilicet a peccato curari noluerunt, *Nunquid resina*, per quam medicina poenitentiae contra culpam, vel divinae sapientiae, *Medicus*, propheta, vel sacerdos, *In Galaad*, ubi vigebat medicinae studium: *Inf. 45. Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Aegypti. Quare igitur... obducta*, curata, *Cicatrix*, peccati: *Isa. 1. Vulnus, et livor, et plaga tumens , non est circumligata, nec curata medicamine , neque fota oleo.* Nota quod multiplex est silentium, scilicet stuporis : *Amos 8. In omni loco proiicietur silentium.* Securitatis : *Isa. 32. Eritque opus iustitiae pax , et cultus iustitiae silentium, et securitatis usque in sempiternum.* Longanimitatis: *Thren. 3. Bonum est praestolari cum silentio salutare Domini.* Et quietis cordis: *Eccles. 8, Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Item nota , quod fugienda est societas malorum, quia alliciunt verbis: *1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Trahunt exemplis: *Psalm. Cum viro innocente innocens eris , et cum perverso perverteris.* Afficiunt quantum ad famam: *Eccles. 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Involvunt quantum ad poenam: *Num. 16. Recedite a tabernaculis impiorum, et nolite tangere quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

## a CAP. IX.

Quis dabit capiti meo aquam , et oculis meis fontem lacrymarum , et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? Quis dabit me in solitudine diversorum viatorum, et dereliquam populum meum, et recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, et caetus praevaricatorum. Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis. Confortati sunt in terra , quia de malo ad malum regressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat , et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.

b Propterea haec dicit Dominus exercituum : Ecce ego conflabo, et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filiae populi mei? Sagitta vulnerans lingua eorum , dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur , et occulte ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? Aut in gente huiusmodi non ulciscetur anima mea?

c Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum , quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens , et non audierunt vocem possidentis : a volucre caeli usque ad pecora transmigraverunt , et recesserunt. Et dabo Hierusalem in acervos arenae , et cubilia draconum, et civitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator. Quis est vir sapiens qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet istud, quare perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat? Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis, et non audierunt vocem meam , et non ambulaverunt in ea , et abierunt post pravitatem cordis sui , et post Baalim, quod didicerunt a patribus suis.

d Idcirco haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo eis aquam fellis, et dispergam eos in gentibus quas non noverunt ipsi, et patres eorum, et mittam post eos gladium , donec consumantur. Haec dicit Dominus exercituum : Contemplamini, et vocate lamentatrices, ut veniant , et ad eas quae sapientes sunt mittite , et properent: festinent, et assumant super nos lamentum, Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebrae nostrae defluant aquis. Quia vox lamentationis audita est de Syon. Quomodo vastati sumus, et confusi vehementer? Quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt tabernacula nostra. Audite ergo mulieres verbum Domini , et assumant aures vestrae sermonem oris eius , et docete filias vestras lamentum , et unaquaeque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est domus vestras , disperdere parvulos deforis , iuvenes de plateis.

e Loquere: Haec dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis , quasi stercus super faciem regionis, et quasi foenum post tergum metentis, et non est, qui colligat.

f Haec dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua , et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis , sed in hoc glorietur qui gloriantur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et iudicium, et iustitiam in terra. Haec enim placent mihi , ait Dominus. Ecce dies venient, dicit Dominus, et visitabo super omnem , qui incircumcisum habet praeputium super Aegyptum, et super Iudam, et super Edom, et super filios Amon, et super Moab, et super omnes, qui attonsi sunt in comam habitantes in deserto, quia

omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

## a CAP. IX.

Hic ostendit obstinationem ipsorum in peccatis, quae sunt directe in proximum. Et primo ponitur ipsius compassio, quantum ad poenam, *Quis dabit*; quasi dicat, Tristitiae, et compassioni non sufficit humor, qui est materia lacrymarum, *Aquam*, quantum ad abundantiam, *Fontem*, quantum ad indeficientiam: *Thren. 3. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiae populi mei.* Et quantum ad culpam, *Quis dabit;* quasi dicat, Mallem in solitudine habitare, quam peccata ipsorum videre, *Diversorum viatorum*, idest, in qua quamvis nullus habitaret, diversi tamen transeunt. Vel in solitudine de diversis viatoribus, per quam scilicet vel nullus, vel rarus transit: *Infra 12. Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam.* Secundo describitur populi conditio, *Quia omnes.* Et primo quantum ad culpam. Secundo quantum ad poenam, ibi, *Propter hoc* etc. Circa primum duo. Primo ponit peccatum, quod est ex violatione alieni thori, *Adulteri sunt: Supra 5. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Ex transgressione pacti humani, vel divini, *Coetus praevaricatorum;* quasi dicat, ad hoc coniuraverunt: *Isa. 24. Praevaricantes praevaricati sunt, et praevaricatione transgressorum praevaricati sunt.* Ex locutione mendacii, *Extenderunt linguam suam quasi arcum*, ex quo sagitta dolosi verbi: *Osee 7. Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus.* Secundo exaggerat ipsum. Et primo ex augmento culparum, *Confortati... in terra*, idest in terrenis peccatis, vel in terrenis bonis privati coelestibus: *Psalm. 72. Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. De malo*, peccatum peccato addentes: *Osee 4. Maledictum, et mendacium, homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Secundo ex conditione peccantium, quia etiam inter coniunctos ad quos magis tenetur opera caritatis extendere. Et primo consuluit cautelam, *Unusquisque se a proximo*, qui coniungitur aliqua civili, vel spirituali communicatione: *Fratre*, qui coniungitur naturali foedere: *Michaeae 7. Nolite credere amico, nolite confidere in duce.* De secundo assignat causam ex parte fraudulentiae. Et primo ponit fraudis peccatum, *Quia omnis frater supplantans*, alienam rem iniuste surripiens: *Gen. 27. Supplantavit me en altera vice* etc. In modo faciendi, quia, *Omnis amicus: Isa. 32. Fraudulenti vasa pessima sunt.* Et in verbo, *Et vir fratrem: Iob 12. Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum:* futurum tempus vocat perseverantiam. Secundo assignat rationem, quia assueti ad mendacia, *Docuerunt*, per consuetudinem: et studiosi ad mala opera, *Laboraverunt: Prov. 4. Non enim dormiunt nisi malefecerint, et non capitur somnus ab eis nisi supplantaverint: Sap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Tertio inducit conclusionem, *Habitatio tua*, o Hieremia, vel o Hierusalem, *Doli*, idest dolosi populi: *Ezec. 2. Increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.*

b Hic ponitur conditio populi miseranda, quantum ad poenam. Et primo ponit sententiam. Secundo determinat poenam, ibi, *Super montem* etc. Circa primum duo. Primo ponit sententiam, *Conflabo*, sicut aurum in igne. Vel sic, ut saltem mundentur: *Eccl. 27. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis.* Secundo ostendit sententiae iustitiam. Primo excludens misericordiam, *Quid enim;* quasi dicat, non restat aliud nisi ut puniam omnibus aliis viis expertis: *Isa. 5. Quid est quod ultra debui facere vineae meae, et non fecerim.* Secundo proponit culpam, *Sagitta*, quae a longe percutit, et usque ad intima penetrat: *Prov. 26. Verba susurronis, quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima cordis*, et *25. Iaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium: Psalm. 63. Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum: Psa. 27. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Tertio concludit poenam, *Nunquid super*, ut *supra 5.*

c Hic determinat poenam in speciali. Et primo determinat poenam. Secundo excludit falsam evadendi fiduciam, ibi, *Haec dicit Dominus, non glorietur* etc. Circa primum tria. Primo ponit vastationem terrarum. Secundo afflictionem hominum, ibi, *Idcirco haec dicit Dominus* etc. Tertio abiectionem cadaverum, ibi, *Loquere, haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo determinat destructionem terrae, quantum ad possessiones designans combustionem, *Quoniam incensa: Ioel. 1. Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis. Eo quod non: Supra 4. Intuitus sum, et ecce non erat homo, et omne volatile caeli recessit. Possidentis*, quia iam non ibat illuc. Et quantum ad civitates, *Et dabo Hierusalem: Isaiae 17. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina.* Secundo assignat rationem. Et primo ponitur quaestio, *Quis est vir qui intelligat*, per se, *Ad quem verbum*, ut per revelationem cognoscat: *Isaiae 42. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat, et auscultet futura?* Secundo ponitur responsio, *Et dixit Dominus*, quantum ad aversionem, *Quia dereliquerunt*, quasi non assidui ad meditandum: *Non audierunt*, quasi prompti ad obediendum: *Non ambulaverunt*, quasi efficaces ad implendum: *1. Mach. 1. Multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori quam cibis coinquinari immundis, et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt.* Et quantum ad conversionem, *Noluerunt*, idest secuti sunt prava desideria sua, *Baalim*, pluralis, et masculini generis: *Eccles. 8. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.*

d Hic comminatur poenam quantum ad ipsos homines. Et primo determinat poenam quantum ad afflictionem, *Cibabo absinthio*, angustiis quas a Chaldaeis perpessi sunt, *Potum*, quia auxilium Aegyptiorum vertetur eis in amaritudinem, quo tribulationes se evadere credebant, sicut potu cibus facile tradu-

citur: *Thren. 3. Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio.* Et quantum ad captivitatem, *Dispergam*: et quantum ad occisionem, *Et mittam*, prius: *Ezec. 5. Tertiam partem disperges in ventum, et gladium nudabis post eos.* Secundo invitat ad planctus tristitiam, *Haec dicit Dominus.* Et primo invitat lamentatrices secundum consuetudinem Iudaeorum, ut ad fletum provocent, *Vocate lamentatrices*, qui mos tangitur: *Infra 21. Non concrepabunt ei, vae Domine, et vae inclyte: Luc. 22. Filiae Hierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete, et super filios vestros.* Secundo ponit praeceptum flendi. Primo ad populum indicens praesentem luctum, *Deducant: Thren. 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem, et non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Et praedicens futurum qui est quasi materia praesentis, *Quia vox audita est*, spiritu prophetiae. Vel ponit praeteritum pro futuro: *Infra 31. Vox in excelso audita est.* Et assignat causam, *Quomodo*, vox plangentium in Syon, *Vastati*, quantum ad vastationem regionis, *Confusi*, quantum ad servitutem, *Dereliquimus*, quantum ad captivitatem: *Supra 4. Vae nobis, quoniam vastati sumus.* Secundo ad ipsas lamentatrices indicens luctum, *Audite: Isa. 32. Mulieres opulentae surgite, et audite vocem meam* etc. Et determinans causam, quia, *Ascendit mors*, idest Chaldaeus mortem inferens: in quo designatur velocitas ipsorum, et fortitudo, qui non contenti intrare per ostia, per tecta, et fenestras conscendebant: *Ioel. 2. Domos conscendet per fenestras, intrabunt quasi fur.*

e Hic ponit poenam quantum ad ipsa cadavera, quae remanserunt inhumata, *Quasi foenum*, quod a mente tamquam vile quiddam negligitur: *Isa. 5. Facta stercus in medio sunt morticina eorum, quasi platearum.*

f Hic excludit evasionis falsam fiduciam, *Non glorietur*, quasi per hoc credens se liberari, *In sapientia*, quae praecipua est inter humana bona animae: *Fortitudine*, praecipua inter humana bona corporis: *Divitiis*, quae praecipua sunt in bonis exterioribus: *1. Reg. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.* Et ostendit veram fiduciam, *Sed in hoc, scire*, per cognitionem in intellectu, *Et nosse*, per experientiam dulcedinis in affectu: *Psal. 61. In Deo salutare meum: gloria mea, et spes mea in Deo est: 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et assignat causam, *Quia ego misericordiam*, ut vos liberem, *Iudicium*, ut hostes opprimam, *Iustitiam*, ut sit aequalitas, *Placent*, in vobis: *Mich. 6. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et solicitum ambulare cum Deo tuo.* Secundo excludit fiduciam legalium caeremoniarum, et circumcisionis specialiter, quae praecipua est, quae etiam ex patribus est, quia est imperfecta, ex carne tantum, et non in corde. Unde simul cum incircumcisis puniuntur, *Ecce dies venient: Act. 7. Dura cervice, et incircumcisis auribus, et cordibus* etc. Nota, quod homo non debet gloriari in sapientia, quia transitoria: *Isa. 29. Peribit sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentiam eius abscondetur.* Quia imperfecta: *Ezech. 8. Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit invenire rationem eorum, quae fiunt sub sole.* Quia nociva: *1. Cor. 8. Scientia inflat, caritas vero aedificat.* Quia laboriosa: *Eccl. 1. In multa sapientia multa indignatio, et qui addit scientiam, addit et laborem.* Item non debet gloriari in fortitudine, quia fragilis: *Iob 6. Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea aenea est.* Quia frequenter inutilis: *Eccl. 10. Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, secundum tempus, casumque in omnibus.* Quia non Domino acceptabilis: *Psal. 142. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Quia peccati occasio: *Sap. 2. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiae: quod enim infirmum est, inutile invenitur.* Item non debet gloriari in divitiis, quia transitoriae: *Iac. 15. Divitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt.* Quia insufficientes: *Prov. 36. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* Quia verbum Dei impedientes: *Mat. 6. Fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Quia nocivae: *Eccl. 2. Divitiae congregatae in malum Domini sui.*

## a CAP. X.

Audite verbum, quod locutus est Dominus super vos, domus Israel. Haec dicit Dominus: Iuxta vias gentium nolite discere: et a signis caeli nolite metuere, quae timent gentes, quia leges populorum vanae sunt: quia lignum de saltu praecidit opus manus artificis in ascia. Argento, et auro decoravit illud, clavis, et malleis compegit, ut non dissolvatur. In similitudinem palmae fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene.

b Non est similis tui Domine: magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus. Inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnum eorum, nullus est similis tui. Pariter insipientes, et fatui probabuntur.

c Doctrina vanitatis eorum lignum est. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophir, opus artificis, et manus aerarii, hyacinthus, et purpura indumentum eorum: opus artificum universa haec. Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione eius commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem eius.

d Sic ergo dicetis eis: Dii qui caelos, et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his, quae sub caelo sunt. Quia facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo, et elevat nebulas ab extremitatibus terrae: fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.

e Stultus factus est omnis homo a scientia sua,

confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est, quod conflavit, et non est spiritus in eis. Vana sunt, et opus risu dignum. In tempore visitationis suae peribunt. Non est his similis, pars Iacob. Qui enim formavit omnia ipse est, et Israel virga haereditatis eius, Dominus exercituum nomen illi.

f Congrega de terra confusionem tuam, quae habitas in obsidione, quia haec dicit Dominus: Ecce ego longe proiiciam habitatores terrae in hac vice, et tribulabo eos, ita ut non inveniantur. Vae mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane haec infirmitas mea est, et portabo illam. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt. Filii mei exierunt a me, et non subsistunt. Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas.

g Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est.

h Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra aquilonis, ut ponat civitates Iuda solitudinem, et habitacula draconum.

i Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Effunde indignationem tuam super gentes, quae non cognoverunt te, et super pronuncias, quae nomen tuum non invocaverunt, quia comederunt Iacob, et devoraverunt eum, consumpserunt illum, et decus eius dissipaverunt.

## a CAP. X.

Hic ostendit populi dignitatem, ut ex hoc appareat eorum culpa gravior, et poena iustior: et dividitur in tres partes. In prima ostendit eorum dignitatem ex divina maiestate. In secunda ex divino foedere, *cap. 11. Verbum quod factum* etc. In tertia ex dimissa adhaesione, vel protectione, *capit. 13. Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. In prima ostendit dignitatem eorum in comparatione ad alios populos, ex hoc ipso, quod verbum Domini colebant. In secunda comminatur poenam, quia cultum Dei repulerunt per idolatriam, ibi, *Congrega* etc. Circa primum duo. Primo ostendit differentiam deorum. Secundo ex hoc concluditur destructio cultorum, ibi, *Stultus* etc. Circa primum tria. Primo discernit Deum verum a falsis diis, quantum ad dominii maiestatem. Secundo quantum ad durationis aeternitatem, ibi, *Doctrina* etc. Tertio quantum ad divinitatis veritatem, ibi, *Si ergo dicetis* etc. Circa primum duo. Primo ostendit idolorum vanitatem, et infirmitatem. Secundo divinam maiestatem, ibi, *Non est similis* etc. Circa primum duo. Primo proponit praeceptum ut non flectantur ad idolatriam, neque gentium imitatione, *Iuxta vias*, neque caelestium magnitudine, *A signis caeli*, ita scilicet quod in eis divinitatem credatis, vel quod necessitatem habeant super ea, quae dependent ex libero arbitrio: *Deut. 4. Ne forte elevatis oculis ad caelum, videas solem, et lunam, et omnia astra caeli, et errore deceptus adores ea, et colas, quae creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, quae sub caelo sunt.* Secundo probat propositum, ponens idolorum vanitatem, *Leges populorum*, quibus ad idolatriam se obligant, *Vanae*, quia inutiles, et sine veritate divinae scientiae: *Sap. 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Et hanc vanitatem probat ex substantiae vilitate. Quantum ad materiam, quia lignum: *Isa. 44. Succidit cedros, tulit ilicem, et quercum, quae steterat inter ligna saltus.* Quantum ad causam efficientem principalem, *Opus manus*; et instrumentalem, *In ascia*: *Sap. 13. Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum* etc. *Isa. 44. Fecit illud in angularibus: et idcirco tornavit illud, et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo.* Quantum ad formam decoris, *Argento: Baruch. ult. Ligna eorum polita a fabro, ipsa etiam inaurata, et inargentata falsa sunt, et non possunt loqui;* et compositionis, *Clavis et malleis: Isa. 41. Confortavit faber aerarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens glutino bonum est, et confortavit eum clavis, ut non moveretur.* Probat etiam ex operis infirmitate, quia non habent operationem sensitivam, neque intellectivam, *In similitudinem palmae*, quae neque intelligit, quamvis decora sit, *Et non loquentur*, quantum ad actum rationis, *Portata*, scilicet ab aliis, *Incedere*, quantum ad operationem sensitivae animae: *Psal. 113. Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt. Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.* Tertio concludit intentum, *Nolite ergo timere:* quaedam enim colebantur, ut benefacerent, quaedam ne male: *Isa. 41. Bene quoque, aut male si potestis facite, et loquemur, et videamus simul.*

b Hic ostendit divinae dominationis maiestatem. Et primo ostendit singularem potentiam, *Magnus*, in seipso, *Et magnum nomen*, in hominum opinione. Et ex hoc concludit timorem, *Quis non timebit: Supra 5, Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis?* Secundo ostendit suam singularem scientiam. Et primo excludens sapientiae aequalitatem, *Tuum est enim: Apoc. 7. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.* Secundo ostendens eorum fatuitatem in comparatione ad divinam sapientiam, *Et in universis... pariter insipientes*, in divinis, *Fatui*, in humanis: *1. ad Cor. 3, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.*

c Hic ostendit differentiam quantum ad aeternitatem. Et primo ostendit idolorum inceptionem quoad eorum substantiam, quae de ligno facta sunt, *Eorum*, sapientum in gentibus, *Lignum*, idest idolum de ligno factum: ab hoc enim sapientia vana ipsorum cernitur. Et quantum ad argentea, *Argentum*, et quantum ad aurea, *Aurum... opus*, scilicet haec sunt, *Ar-*

*tifices*, et opus, *Manus*, quasi etiam viles opes: *Ps. 113. Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.* Et quantum ad eorum ornamenta, *Hyacinthus*: constat enim illud, quod actum est, incaepisse: *Baruc. ul Opertis autem illis veste purpurea extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus, qui est plurimus inter eos.* Secundo proponit aeternitatem adiungens veritatem, et maiestatem, quia, *Deus verus et sempiternus: Isa. 40. Deus creavit terminos terrae* etc. Et ex his concludit timorem, *Ab indignatione*; quasi dicat, etiam insensibilia insius iram sentiunt: *Non sustinebunt*, prae timoris magnitudine. *Jer. 17. Commota est, et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt.*

d Hic ostendit differentiam quantum ad divinitatis veritatem, quam primo excludit ab idolis, ostendens in eis non esse divinam operationem, *Eis*, cultoribus idolorum. Unde in Hebraeo Chaldaeo sermone scriptum est, *Pereant*, idest cultus eorum cesset: *Psal. 18. Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Secundò ostendit in Deo esse divinam operationem. Et primo quantum ad creationem essentialium partium mundi, *Qui facit terram* quantum ad infima, *Praeparat orbem*, quantum ad summa: *Prov. 2. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit caelos prudentia: Ps. 103. Extendens caelum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Secundo quantum ad passiones aeris, ut non solum priora a primis esse credantur, sicut quidam Philosophi dicunt, sed etiam omnium auctor quoque operans in omnibus. Et primo quantum ad ea, quae fiunt ex materia humida, sicut nubes, et pluviae, *Ad vocem*, ad praeceptum, *Ab extremitatibus*, propter abundantiam aquarum in circuitu terrae. Secundo quantum ad ea, quae fiunt ex materia humida, et sicca, *Fulgura*, immutat ordinem, quia post fulgura frequenter sequitur pluvia. Tertio quantum ad ea, quae fiunt ex sicca materia, *Et educit de thesauris*, de occultis causis, et locis in quibus generantur: *Ps. 134. Educens nubes ab extremis terrae, fulgura in pluviam fecit.*

e Hic concludit destructionem cultorum. Et primo ponit idolatrarum ignominiam, quantum ad stultitiam, *Stultus factus*, apparavit, *A scientia sua*, quia idolum finxit: *1. Cor. 1. Stultam Deus fecit sapientiam huius mundi.* Et quantum ad confusionis poenam, *Confusus est: Ps. 96. Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.* Et assignat causam ex idolorum falsitate, *Quoniam falsum est*, vanitate, *Vana*, et fictione in tempore: *Sap. 14. Quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur.* Secundo excludit Iudaeorum gloriam, *Non est his: Psal. 15. Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, quia felicitas cuiuslibet est sua pars: *Thren. 3. Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Virga haereditatis*, quasi sceptrum ipsius, quia haereditarium regnum ipsius est. Vel, *Virga*, quasi sors: *Deut. 32. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus haereditatis eius.*

f Hic comminatur eis poenam, quia hanc dignitatem non servaverunt. Et primo comminatur poenam. Secundo propheta petit misericordiam, *Scio* etc. Circa primum tria. Primo comminatur poenam. Secundo poenae causam, ibi, *Quia stulte* etc. Tertio poenae ordinem, ibi, *Vos* etc. Circa primum duo. Primo Dominus praesignat poenam obsidionis, *Congrega*, in urbe, *De terra*, de agris, *Confusionem*, idest fructus tuos, qui sunt confusione digni: *Sup. 8. Congregans congregabo eos, ait Dominus.* Et poenam captivitatis, *Quia haec dicit Dominus*, in hac vice; quasi dicat, ulterius non parcam, *Ita ut non inveniantur*, in urbe. Vel quia maior pars mortua est: *Thre. ul. Proiiciens repulisti nos.* Secundo populus ex hoc territus plangit futuram poenam, *Vae mihi: Infra 50.* mittit patientiam, *Ego autem pro peccatis.* Et propro peccatis mihi debita, *Et portabo*, patienter: *Mich. 7. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Secundo in spirituali quantum ad destructionem dominorum, *Tabernaculum*, quia domus ita facile sicut tentoria destructa sunt: *Funiculi*, quibus tentoria extenduntur: *Su. 4. Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meae.* Et quantum ad afflictionem habitatorum, *Filii mei: Ba. 5. Exierunt abs te pedibus ducti ab inimicis. Qui extendat*, quasi qui reaedificet.

g Hic assignat communem poenam per ordinem, quia peccata praelatorum sunt causa caecitatis ipsorum: *Sap. 3. Excaecavit eos malitia eorum.* Et haec causa destructionis populi: *Mat. 15. Si caecus caecò ducatum praestet, ambo in foveam cadunt: Ezec. 34. Dispersae sunt oves meae eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt.*

h Hic determinat ordinem poenae, praesignans hostem ab aquilone venientem: *Sap. 1. Ab aquilone pandetur omne malum super omnes cognationes terrae.*

i Hic petit misericordiam. Et primo ostendit petendi necessitatem, *Non est hominis via*, quantum ad electionem, *Ut ambulet*, quantum ad executionem, *Dirigat*, quantum ad ordinationem in finem, et ita nec in potestate nostra resistere, nec Chaldaei impugnare, sed totum dependet ex tua dispositione: *Ps. 36. Apud Dominum gressus hominis dirigetur, et viam eius volet: Pro. 16. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Secundo ponit petitionem qua petit populus misericordiam, *Corripe me in iudicio*, consuetae misericordiae, non condemnationis, de quo in *Ps. 142. Non intres in iudicio cum servo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et non in furore*, et secundum debitae vindictae mensuram, *Ne forte*: iustum enim esset, ut peccans in Deum ab ipso relinqueretur, et sic in nihilum tenderet. Et sic non facit contra praeceptum Domini: *Sup. 8. Tu ergo noli orare pro populo isto* etc. quia non petit, ut non puniantur, sed ne omnino deleantur: *Ps. 6. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et petit hostibus iram, *Effunde indignationem.* Et assignat causam, *Quia comederunt: Ps. 78. Effunde iram tuam in gentes, qui te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt, quia comederunt Iacob, et locum eius desolaverunt.* Nota, quod stultus est homo a scientia Dei, propter cordis elationem: *Ro. 1. Dicentes se esse sapientes, stulti fa-*

*cti sunt.* Propter inquirendi curiositatem : *Act. 26. Multae literae ad insaniam te deduxerunt.* Propter praescientiae incertitudinem: *Isa. 47. Haec scientia tua, et sapientia tua decepit te.* Propter operis perversitatem: *Sap. 12. Excoecavit enim eos malitia eorum.* Item nota , quod debet portari divina percussio patienter, propter affectum percutientis : *Prov. 1. Disciplinam Domini fili mi ne abiicias, nec deficias , cum ab eo corriperis.* Propter conscientiam criminis : *Mich. 4. Iram Domini portabo , quoniam peccavi ei.* Propter expectationem muneris : *Iac. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Propter [illegible] *Thren. 3. Quid murmuraverit homo vivens, vir pro peccatis suis?*

## a CAP. XI.

Verbum quod factum est a Domino ad Hieremiam, dicens : Audite verba pacti huius , et loquimini ad viros Iuda , et ad habitatores Hierusalem, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus Israel: Maledictus vir , qui non audierit verba pacti huius , quod praecepi patribus vestris , in die qua eduxi eos de terra Aegypti de fornace ferrea, dicens: Audite vocem meam, et facite omnia quae praecepi vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum, ut suscitem iuramentum, quod iuravi patribus vestris daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies haec. Et respondi , et dixi: Amen Domine. Et dixit Dominus ad me : Vociferare omnia verba haec in civitatibus Iuda, et foris Hierusalem, dicens: Audite verba pacti huius , et facite illa.

b Quia contestans contestatus sum patres vestros in die qua eduxi eos de terra Aegypti usque ad diem hanc. Mane consurgens contestatus sum, et dixi: Audite vocem meam, et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali. Et induxi super eos omnia verba pacti huius , quod praecepi ut facerent , et non fecerunt. Et dixit Dominus ad me : Inventa est coniuratio in viris Iuda, et in habitatoribus Hierusalem. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos , ut servirent eis. Irritum fecerunt domus Israel , et domus Iuda pactum meum , quod pepigi cum patribus eorum.

c Quamobrem haec dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. Et ibunt civitates Iuda , et habitatores Hierusalem, et clamabunt ad eos quibus libant , et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. Secundum numerum enim civitatum tuarum erant dii tui Iuda, et secundum numerum viarum tuarum. Hierusalem posuisti aras confusionis , aras ad libandum Baalim. Tu ergo noli orare pro populo hoc: et ne assumas pro eis laudem, et orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in tempore afflictionis eorum. Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ? Nunquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas , in quibus gloriata es ? Olivam uberem, pulchram, fructiferam , speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea , et combusta sunt fructeta eius. Et Dominus exercituum, qui plantavit te , locutus est super te malum pro malis domus Israel, et domus Iuda, quae fecerunt sibi ad irritandum me , libantes Baalim.

d Tu autem Domine demonstrasti mihi, et cognovi : tu ostendisti mihi studia eorum , et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius , et eradamus eum de terra viventium , et nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste , et probas renes , et corda , videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. Propterea haec dicit Dominus ad viros Anathoth , qui quaerunt animam tuam, et dicunt, Non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris. Propterea haec dicit Dominus exercituum : Ecce ego visitabo super eos. Iuvenes morientur in gladio , filii eorum et filiae eorum morientur in fame , et reliquiae non erunt ex eis. Inducam enim malum super viros Anathoth , annum visitationis eorum.

## a CAP. XI.

Hic ostendit populi dignitatem ex hoc quod cum Deo pacto initio foederati erant. Et primo ponit pacem , et transgredientibus comminatur poenam. Secundo disputat de punientis iustitia , *c. 12. Iustus quidem* etc. Circa primum duo. Primo proponit confoederationem. Secundo foederis transgressionem, ibi, *Quia contestans* etc. Circa primum duo. Primo inducitur propheta ad annuntiandum, *Audite* , tu et qui tecum sunt, boni sunt, et ita quasi privilegiati. *Dicens* etc. De hoc pacto *Exec. 16. Operui ignominiam tuam, et iuravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi.* Secundo inducitur populus ad observandum. Et primo proponit rationes duas , quarum primam sumit a poena transgredientium , *Maledictus vir : Deut. 27. Maledictus vir, qui non permanserit in sermonibus legis huius , nec eos opere perfecerit.* Et assignat iustitiam, *In die qua;* quasi dicat, iustum est puniri illos qui post tot beneficia ingrati sunt : *Fornace* , propter afflictionem, *Ferrea*, propter duram dominationem : *Deute. 4. Vos autem tulit Dominus , et eduxit de fornace ferrea Aegypti ut haberet populum haereditarium si-*

*cut est in praesenti die.* Et ponit pacti formam, *Dicens*, in quo aliquid petit, scilicet obedientiam, *Audite*, et aliquid promittit, scilicet divinae familiaritatis gloriam, *Et eritis* etc. *Supra 7. Hoc verbum praecepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus* etc. Secundam rationem sumit ex praemio observantium, *Ut suscitem*, quia iam quasi periit captivitate imminente: *Lacte*, propter abundantiam animalium, *Melle*, propter abundantiam terrae nascentium. Vel hiperbolice in his duobus abundantia omnium bonorum designatur: *Deut. 6. Multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, et melle manantem.* Secundo ponitur prophetae assensio, *Et respondi: Deut. 27. Et dicet omnis populus, Amen.* Tertio inducitur conclusio, ut scilicet observent, *Et dixit Dominus: Isa. 40. Exalta in fortitudine.*

b Hic ostendit quomodo pacem transgressi sunt. Et primo peccando in Deum. Secundo peccando in prophetam, ibi, *Tu autem Domine* etc. Circa primum duo. Primo proponit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Quamobrem* etc. Circa primum tria. Primo ostenditur diligens admonitio, tum ex iuratione, *Contestans*, quasi adiurans, tum ex temporis continuitate, *In die qua eduxi*, tum ex temporis opportunitate, *Mane consurgens*, quando homo magis paratus est ad intelligendum: *Supra 7. Et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens.* Secundo ponitur inobedientis populi transgressio, *Et non audierunt: Isa. 56. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum.* Tertio ponitur culpae aggravatio ex obstinatione, *Et induxi super eos:* quia nec per poenas, nec per beneficia, quae in pacto legis continebantur eis indicto, correcti sunt: *Prov. 1. Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo,* cum vobis id quod timebatis, advenerit etc. Ex coniuratione, *Inventa est coniuratio;* quasi dicat, omnes communiter peccant, ac si ad hoc coniurassent: est enim coniuratio consensus iuramento firmatus ad aliquid faciendum: *Isa. 8. Omnia quae loquitur populus iste.* Et ex consuetudine, *Reversi sunt: Ose. 7. Reversi sunt, ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus.* Quarto inducitur conclusio, *Irritum fecerunt: Ose. 6. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ipsi praevaricati sunt in me: Pro. 2. Reliquit ducem pubertatis suae, et pacti Dei sui oblita est.*

c Hic contra incorrigibilem culpam comminatur inevasibilem poenam. Et primo ponitur poena, *Ecce ego: Isa. 24. Qui explicuerit se de fovea, tenebitur laqueo.* Secundo exclusit evasionis remedia. Et primo quod non iuvabuntur orationibus propriis fusis ad Deum, *Clamabunt* etc. *Prov. 1. Invocabunt me, et non exaudiam.* Et fusis ad idola, *Et ibunt civitates: Isa. 45. Nescierunt qui levant signum sculpturae suae, et rogant Dominum non salvantem, et adigunt idolorum multitudinem. Secundum numerum: Eze. 16. Fecisti postribulum in cunctis plateis, ad omnem caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae: Sup. 2. Neque etiam orationibus alienis. Tu ergo* etc. Laudem, ut me quasi misericordem laudans ad misericordiam provoces: *1. Re. 16. Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? supra 7.* idem. Secundo, quod non iuvabuntur sacrificiorum oblationibus, assignans reprobationis rationem, *Quid est quod dilectus,* scilicet populus Iuda, *In domo*, in templo colens ibi idola: *Eze. 8. Fili hominis putas ne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel fecit hic, ut procul recedant a sanctuario meo?* Et ponit sacrificiorum reprobationem, *Nunquid carnes*, scilicet animalium immolatorum: *Heb. 10. Impossibile est sanguine hircorum, et taurorum auferri peccata.* Tertio ostendit quod iuvabuntur propriis viribus: et circa hoc duo. Primo commemorat pristinam gloriam, *Olivam uberem*, quantum ad abundantiam ramorum, in quo signatur multitudo populi, *Pulchram*, quantum ad virorem coloris, in quo prosperitas florens, et virtus animi virens, *Fructiferam*, quantum ad copiam fructuum, in quo abundantia bonorum operum, et magnorum, *Speciosam*, quantum ad compositionem partium, in quo designatur ordinatio debita populi: *Vocavit*, ut talis fama undique de se exiret: *Ose. 14. Erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani.* Secundo praedicit futuram poenam. Primo proponens ipsam poenam, *Ad vocem loquelae*, idest ad imperium Nabuchodonosor, *Vinea*, idest domus Israel, *Exarsit in ea ignis*, ad literam, *Fructeta*, scilicet homines, et ea, quae ad eos pertinebant. Vel, *Loquelae grandis*, quia ex tali vocatione grandia de te sensisti, et ideo poenam meruisti: *Isa. 27. In praelio gradiar super eam, succendam eam pariter.* Secundo punientis potentiam, *Dominus exercituum: 1. Re. 2. Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit* etc. Tertio ponit causam, *Pro malis: Deu. 32. Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.*

d Hic ostendit quomodo transgressi sunt peccando in ipsum prophetam. Et hoc quidem quod dicitur, ad literam convenit Hieremiae, qui in odium populi venit propter mala quae praedicebat. Sed persecutio Hieremiae figurabat passionem Christi, sicut dicit illa glossa. Videtur autem hoc superiori sententiae contraire, in qua quae dicta sunt, personae Christi aptamus, non Hieremiae etc. Sed omnes prophetae in typum Salvatoris pleraque gesserunt: et quod in praesenti Hieremia completum est, hoc in futurum de Domino prophetavit. Circa hoc ergo tria. Primo enim propheta proponit culpam adversariorum. Et primo communis culpae revelationem, *Demonstrasti*, interiori revelatione: *Ostendisti*, exterioribus signis, *Studia*, machinationes eorum contra me: *Isa. 8. In forti manu sua erudivit me, ne irem in via populi huius* etc. Et proponit revelationis necessitatem, quia per se cogitationem scire poterat, nec suspicari propter suam innocentiam, quae talia non merebatur, *Et ego quasi agnus, et non cognovi.* Christus etiam secundum hominem in via cognitionem illam accepit a Deo, qua omnia scivit per gratiam unionis, sicut alii accipiunt ea, quae sciunt per gratiam revelationis: *Isa. 53. Quasi agnus coram tondente se ob-*

*mutescet, et non aperiet os suum: 1. Cor. 9. Quis enim scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Psal. 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Mittamus lignum*, idest taxum, ut sic venenatus moriatur, *Eradamus*, ita quod nulla memoria ipsius remaneat, sicut in tabula rasa praecedentes Scripturae. Mystice, *Mittamus lignum*, idest corpus Christi in lignum crucis : vel lignum in panem, idest per lignum crucis scandalum doctrinae eius suscitemus, quae panis est: *Isa. 55. Quia abscisus est de terra.* Secundo propheta petit vindictam allegans auctoritatem, et potentiam per quam potest, *Tu autem Domine Sabaoth*, idest exercituum. Iustitiam per quam vult, *Qui iudicas iuste.* Scientiam per quam scit, *Et probas renes*, idest affectiones, *Corda*, idest cogitationes, *Ex eis*, ex persona Christi, qui scilicet obstinati sunt, pro aliis enim orat: *Luc. 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: Thren. 3. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me, iudica iudicium meum.* Et assignat causam, *Tibi enim revelavi*, non quasi nescienti, sed totam causam meam in te ponens: *Ps. 23. Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet.* Tertio Dominus comminatur poenam. Et primo resumit malitiam, *Propterea haec dicit Dominus, qui quaerunt animam*, ad interficiendum: *Psalm. 37. Vim faciebant qui quaerebant animam meam.* Et addit causam huius malitiae, *Et dicunt non prophetabis*, quasi sic solum mortem evadere poteris, si prophetare cesses : *Is. 30. Qui dicunt videntibus, nolite videre.* Secundo comminatur poenam. Primo praedicens visitationem, *Propterea haec dicit Dominus: Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Secundo poenae determinationem, *Iuvenes eorum: Infra 15. Qui ad gladium ad gladium, qui ad famem ad famem* etc. Tertio punientis potestatem, *Inducam enim*, ego scilicet qui possum: *Infra 17. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.* Mystice per viros Anathotth qui interpretatur obedientia, significantur viri Hierusalem, qui quondam Domino obedientes, Christum postea persecuti sunt. Nota quod sanctus dicitur oliva propter pinguedinem, in quo devotio: *Rom. 11. Socius radicis et pinguedinis olivae factus es.* Propter olei nitorem, in quo contemplatio: *Zach. 4. Isti sunt duo filii olivae, qui assistunt dominatori universae terrae : 3. Reg. 6. Fecit in oraculo duos Cherub de lignis olivarum decem, decem cubitorum altitudinis.* Propter foliorum virorem, in quo virtus mentis : *Gen. 8. Reversa est columba ad vesperam, portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo.* Propter fertilitatem, in quo abundantia bonorum operum: *Ps. 51. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi.* Propter pulchritudinem, in quo sanctorum gloria : *Ezec. 24. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum iuxta aquas : Ose. 14. Erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani.*

## a CAP. XII.

Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui praevaricantur, et inique agunt. Plantasti eos, et radicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum. Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis. Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur ? Propter malitiam habitantium in ea consumptum est animal, et volucre, quoniam dixerunt, non videbit novissima nostra. Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis ? Cum autem in terra pacis secura non fueris, quid facies in superbia Iordanis ? Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce. Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.

b Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam. Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, facta est mihi haereditas mea quasi leo in silva. Dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Nunquid avis discolor haereditas mea mihi ? Nunquid avis tincta per totum ?

c Venite, congregamini omnes bestiae terrae, properate ad devorandum. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam. Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. Super omnes vias deserti venerunt omnes vastatores terrae, quia gladius Domini devoravit ab extremo terrae usque ad extremum eius. Non est pax universae carni.

d Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt: haereditatem acceperunt, et non eis proderit. Confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini.

e Haec dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt haereditatem, quam distribui populo meo Israel. Ecce ego evellam eos de terra sua, et domum Iuda evellam de medio eorum, et cum evulsero eos convertar, et miserebor eorum, et reducam eos virum ad haereditatem suam, et virum in terram suam. Et erit si eruditi didicerint vias populi mei, ut iurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum iurare in Baal, aedificabuntur in medio populi mei. Quod si non audierunt, evellam gentem illam evulsione, et perditione, ait Dominus.

## a CAP. XII.

Hic propheta disputat de punientis iustitia. Et primo ponitur prophetae disputatio. Secundo Domini responsio, ibi, *Reliqui domum* etc. Circa primum tria. Primo captat benevolentiam ex persona iudicis, *Iustus quidem: Psalm. 118. Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Et ex honestate causae, *Veruntamen* etc. *Iob 13. Ad omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio.* Et sic uterque eorum tenet locum opponentis. Sed Abacuch tenet locum respondentis, *c. 2. Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem.* Secundo proponit causam quantum ad adversarios, proponens eorum prosperitatem, quantum ad temporalium abundantiam, *Quare via*, processus, *Impiorum*, per infidelitatem, *Qui praevaricantur*, contra legem agendo, *Et inique agunt*, contra proximum: *Iob 12. Abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum: Psalm. 27. Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Et quantum ad prosperitatis augmentum, *Plantasti*, in bonis temporalibus, et per similitudinem arboris, *Et radicem miserunt*, confirmatis prosperitatibus, *Proficiunt*, sicut arbor crescit per augmentum prosperitatis: *Et faciunt fructum*, implentes opere, quod mente disponunt: *Iob 20. Quare impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis?* Et proponit eorum iniquitatem, *Prope es tu ... a renibus*, affectibus, quae duo simul videntur adversari divinae: *Isa. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me:* in quo datur intelligi, quod imperfectis bonis imperfectam retributionem recipiunt. Ex parte autem sua dat intelligere iustitiam, *Et tu Domine nosti*, ab aeterno, *Vidisti*, quomodo recte ambulo coram te: et si enim haec loquar, non tamen in his scandalum patior: *Supra 1. Priusquam te formarem in utero, novi te.* Et dat intelligere correctionem, *Probasti*, a poenis probatus, inventus sum tecum ambulans: *Psalm. 16. Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Tertio ostendit poenam per modum imprecationis. Et primo imprecatur poenae inflictionem, *Congrega eos*; quasi dicat, quia iustus es, non potest esse, quod impios non punias. Ideo ergo ita eos in prosperitatibus exaltas, sicut qui impinguat gregem ad occisionem. Ergo ex quo impinguati sunt, et iniusti sunt, *Congrega eos*, in quo significatur, quod paschali tempore, quando ad festum convenerant in urbe, obsessi sunt. *Sanctifica eos.* Loquitur per similitudinem animalium, quae occidebantur ad immolandum: *Isa. 34. Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* Et excludit poenae dilationem, quia tempus est ut puniantur in propriis personis, non in possessionibus, neque in terrae nascentibus, *Usquequo lugebit: Psalm. 203. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in sanguinem a malitia inhabitantium in ea:* in animalibus, *Consumptum est animal: Ezech. 9. Dixerunt, dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt.* Secundo quasi exauditus, contra puniendos ponit insultationem. Et primo ex parte hostium, quantum ad potentiam, *Si cum peditibus*; quasi dicat, Si vicinae gentes quae pedites pugnant, tibi multum laborem fecerunt, quomodo poteris resistere Chaldaeis, et Aegyptiis qui equis potentes sunt? *Iob 6. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Et quantum ad captivitatis terram, *Cum autem*, idest etsi etiam in terra tua semper pacem habuisses, quid facies, quando eris trans Iordanem, cuius gurgites sunt tumentes, quia scilicet superbi sunt? *Eccl. 10. Qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.* Secundo quantum ad sanguine iunctos, commemorans pristinam iniuriam, *Nam et fratres*, scilicet Idumaei, *Et domus*, scilicet Moabitae, et Ammonitae: *Cantic. 1. Filii matris meae pugnaverunt contra me.* Et incidit cautelam, *Ne credas, cum locuti*, quasi nolentes tibi foederari ad resistendum Chaldaeis: *Infra 27. Fac tibi vincula, et chatenas, et pone eos in collo tuo, et mittes eas ad regem Edom, et ad regem Moab* etc. *Supra 10. Unusquisque a proximo suo se custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquetur.*

b Hic ponitur Domini responsio. Et primo ponit poenae comminationem. Secundo poenae consolationem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo comminatur poenam, quantum ad divini auxilii destitutionem, *Domum*, scilicet templum, ut non defendam, *Haereditatem*, populum Israel: *Isa. 19. Haereditas autem mea Israel: Supra 9. Derelinquam populum meum, et recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, caetus praevaricatorum* et caetera. Et quantum ad hostium oppressionem, *Dedi dilectam*, idest Iudaeos, quos quasi animam meam diligebam. Secundo ponit culpam. Primo significans culpae magnitudinem, *Facta est mihi haereditas*, scilicet populus, *Quasi leo*, ferox ad impugnandum me, *Vocem*, blasphemiae: *Psalm. 9. Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Secundo miratur animi instabilitatem, *Nunquid avis discolor*; quasi dicat, quandoque mihi, quandoque idolis adhaerens, *Tincta*, sordibus peccatorum, *Per totum*, quia omnes mali sunt: *3. Reg. 18. Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus ipse est Deus, sequimini eum* etc. Vel potest esse sensus, Nunquid eam ita charam teneo sicut huiusmodi aves pulchras, ut tandem non abiiciam, ut discoloritas ad decorem referatur: *Ezec. 16. Vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho.* Vel hoc quod dicit, *Reliqui domum* etc. possunt essa verba prophetae, qui ut annunciaret verbum Dei, mortis periculo se exposuit, et domum, et patriam reliquit, et ea a compatriotibus suis quasi leonibus, et variis dolositate, et plenis malitia, insidias perpessus fuit. Mystice sunt verba Christi, qui domum et patriam relinquere dicitur in mundum veniens, quia ad modum relinquentis se habuit, quando in infirmitate abscondit maiestatem. *Haereditatem*, caelestem patriam. Prosperantur impii propter haereditatis amissionem: *Genes. 25. Dedit Abraham Isaac filio suo cuncta quae possederat, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Propter imperfectam remunerationem: *Matth. 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quia non sunt digni divina correctione: *Ezech. 16. Requie-*

*scet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te : Osee 10. Non visitabo super filias vestras , cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras, cum adulteraverint : Hebraeorum 12. Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt: omnes ergo adulteri, et non filii estis.* Propter morbi desperationem: *Thren. 2. Magna est velut mare contritio tua. Quis medebitur tui? Infra 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Propter eorum deiectionem : *Psalm. 72. Veruntamen propter dolos posuisti eis , deiecisti eos dum allevarentur : Roman. 1. Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum , ut faciant ea quae non conveniunt* etc.

c Hic comminatur poenam in speciali, Et primo poenam captivitatis. Secundo poenam sterilitatis terrae, ibi, *Seminaverunt* etc. Circa primum tria. Primo determinat poenam , designans occisionis magnitudinem, *Ad devorandum*, cadaverum multitudinem: *Ezechiel. 39. Haec dicit Dominus Deus : Dic omni volucri , et universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite et properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnes, et bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis , et sanguinem principum terrae bibetis* etc. Hostium afflictionem quantum ad interfectos, *Pastores multi*, idest principes Chaldaeorum : *Supra 6. Ad eam venient pastores, et greges eorum; Vineam*, domum Israel: *Isa. 4. Vinea enim Domini, domus Israel est.* Vel , *Pastores* , principes populi, *Demoliti sunt*, per occisionem. Et quantum ad oppressos servitute, et captivitate, *Conculcaverunt: Isa. 5. Auferam sepem eius, et erit in direptionem.* Et terrae desolationem, *Dederunt portionem, luxitque super me*, quamvis tarde? *Osee 2. Et dicet, vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Secundo ponit poenae causam, *Desolatione... recogitet*, Dei mandata, et beneficia : *Isa. 5. Propter hoc captivus ductus est populus meus , quia non habuit scientiam.* Tertio ponit poenae mensuram, Primo ostendens multitudinem hostium, *Super omnes vias ;* quasi dicat , omnes vias implent, *Deserti*, quod est inter Hierusalem, et Babyloniam: *Supra 4. Ventus urens in viis, quae sunt in deserto viae filiae populi mei , non ad ventilandum , et ad purgandum* etc. Secundo multitudinem interfectorum, quia gladius vel pestilentiae, vel etiam Chaldaeorum: *Deut. 32. Gladius meus devorabit carnes.* Tertio consolationis defectum, *Non est pax;* quasi dicat, nullus immunis erit: *Isa. 57. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.*

d Hic comminatur poenam sterilitatis. Et primo seminis frustrationem, *Seminaverunt;* quasi dicat, semina corrumpentur: *Matth. 13. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo. Unde ergo habet zizania: Isa. 4. Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Secundo haereditatis amissionem, *Haereditatem*, non proderit, quia ab hostibus surripietur: *Thren. ult. Haereditas nostra versa est ad alienos.* Tertio concludit confusionem , *Confundemini* , scilicet propter defectum fructuum: *Isa. 24. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui laetabantur corde.*

e Hic ponit consolationem ex hostium poena : et circa hoc tria. Primo ponit eorum transmigrationem, *Qui tangunt haereditatem*, laedendo eam : *Zach. 2. Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei: Supra 1. Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes* etc. Secundo eorum eductionem, *Et cum evulsero*, tollam vos de gentibus, *Ezech. 16.* Tertio ponit eorum instructionem ex promissione bonorum, si benefecerint, *Et erit si eruditi ... aedificabuntur;* quasi dicat, Computabuntur inter populum meum , quod proprie ad conversionem , et comminutionem poenarum. *Quod si non audieritis ... perditione*, perpetua: *Isa. 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis.* Nota , quod praelati destruunt populum propter operis perversitatem: *Supra 10. Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est.* Propter doctrinae falsitatem : *Infra 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos , feceruntque vagari in montibus* etc. Propter timoris pusillanimitatem: *Zach. 11. O pastor et idolum derelinquens gregem* etc. Propter dominii austeritatem: *Ezech. 34. Cum austeritate imperabatis, et cum potentia, et dispersae sunt oves meae* etc. Propter curae remissionem: *Zach. 11. Suscitabo pastorem in terra qui derelictum non visitabit, dispersum non quaeret, et contritum non sanabit. Id quod stat non enutriet , et carnes pinguium comedet, ungulas eorum dissolvet.*

## a CAP. XIII.

Haec dicit Dominus ad me: Vade, et posside tibi lumbare lineum, et ponas illud super lumbos tuos , et in aquam non inferes illud. Et possedi lumbare iuxta verbum Domini, et posui circa lumbos meos. Et factus est sermo Domini ad me secundo, dicens: Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad Euphratem, et absconde ibi illud in foramine petrae. Et abii, et abscondi illud in Euphratem, sicut praeceperat mihi Dominus. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me , Surge et vade ad Euphratem, et tolle inde lumbare quod praecepi tibi, ut absconderes illud ibi. Et abii ad Euphratem, et fodi; et tuli lumbare de loco ubi absconderam illud, et ecce computruerat lumbare , ita ut nulli usui aptum esset.

b Et factum est verbum Domini ad me , dicens: Haec dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Iuda, et superbiam Hierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui, abierunt que post deos alienos , ut servirent eis , et adorarent eos, et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. Sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Iuda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem , et in gloriam, et non audierunt,

Dices ergo ad eos sermonem istum: Haec dicit Dominus Deus tuus Israel: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Nunquid ignoramus, quia omnis laguncula implebitur vino? Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terrae huius, et reges qui sedent de stirpe David super thronum eius, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Hierusalem ebrietate, et dispergam eos virum a fratre suo, et patres, et filios pariter, ait Dominus. Non parcam, et non concedam, neque miserebor, ut non dispergam eos. Audite, et auribus percipite, nolite elevari, quia Dominus locutus est. Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. Expectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiae. Plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. Dic regi, et dominatrici: Humiliamini, sedete in terra, quoniam descendet de capite vestro corona gloriae vestrae. Civitates austri clausae sunt, et non est qui aperiat. Translata est omnis Iuda transmigratione perfecta. Levate oculos vestros, et videte, qui venitis ab aquilone. Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Quod si dixeris in corde tuo, Quare venerunt mihi haec? Propter multitudinem iniquitatis tuae revelata sunt verecundiora tua, pollutae sunt plantae tuae. Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Et disseminabo eos quasi stipulam, quae vento raptatur in deserto. Haec sors tua parsque mensurae tuae a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio. Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua, adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuae. Super colles in agro, vidi abominationes tuas. Vae tibi Hierusalem. Non mundaberis post me. Usquequo adhuc.

## a CAP XIII.

Hic ostendit populi dignitatem ex divina adhaesione: et dividitur in duas partes. In prima ponit similitudinem. In secunda similitudinis adaptationem, ibi, *Et factum est verbum Domini* etc. Circa primum tria. Primo significatur populi assumptio ad divinam familiaritatem, ubi ponitur Domini iussio, *Vade*, ad literam, ad locum ubi talia venduntur, quamquam ipse Deus prior ad populum venit: *1. Io. 4. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Posside*, a me, scilicet ut proprio iure possideas, sicut Dominus haereditatem: *Isa. 19. Haereditas autem mea Israel: Tibi*, in usum tuum, sicut populus in gloriam Dei: *Isa. 43. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. Lumbare*, quod in lumbis adhaeret, in quibus concupiscentia amoris, sic est populus in amorem divinum assumptus: *Osee 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis. Lineum*, quod rude de terra tollitur, sed cultu humano decoratur, sic ille populus cultu divino: *Ezech. 16. Transiens autem per te vidi te conculcari in sanguine tuo* etc. *Et in aquam: Iob 38. Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, responde mihi: Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae* etc. Et quia per facta prophetarum, et non solum per verba divina mystice exprimuntur: unde dicitur *Osee: 12. In manibus prophetarum assimilatus sum.* Ponitur etiam praecepti impletio, *Possedi*, in quo notatur prophetae obedientia: *Genes. 6. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit* etc. Secundo significatur populi repulsio, *Et factus est... tolle*, a te, sic abiiciam populum a me. *Vade ad Euphratem*, per quem significatur potentia Assyriorum, et Chaldaeorum, per quos captivatus est populus: *Isa. 8. Adducet super eos Dominus aquas fluminis fortes, et multas, Regem Assyriorum, et omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes rivos eius, et fluet super universas ripas eius, et ibit per Iudam inundans, et transiens usque ad collum veniet. Absconde*, sic populus, quasi aquis absconsus absorbebitur: *Infra 51. Absorbuit me, quasi draco replevit ventrem suum teneritudine mea, et eiecit me. In foramine*, ne cum aqua defluat, in quo significatur, quod de populo reliquiae futurae essent, et non totus periret: *Supra 5. Consummationem autem non faciam.* Tertio significatur populi reductio; ubi primo significatur ipsa reductio, *Et factum est quod dies plurimos*, ad significandum, quod multis annis in captivitate erunt: *Infra 29. Cum caeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Tolle inde.* Sic ergo reducam populum: *Ezec. 16. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram.* Secundo significatur populi dispositio, *Et ecce computruerat*, sic populi potentia, et pulchritudo consumpta erat: *Ezech. 15. Nunquid utile erit ad opus? Etiam cum esset integrum non erat aptum ad opus, quanto magis cum illud ignis devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis.*

b Hic ponitur similitudinis adaptatio: et circa hoc

duo facit. Primo adaptat similitudinem, quantum ad poenam, *Sic putrescere*, ut omnis vigor et decor pertranseat: *Ioel. 1. Computrescent iumenta in stercore suo.* Et quantum ad poenae causam, scilicet inobedientiam, *Populum istum : Exo. 33. Dixit Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel, populus durae cervicis es* etc. *Et erunt sicut lumbare: Isa, 30. Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida.* Et quantum ad divinae familiaritatis gratiam, *Sicut enim adhaeret: Deuter. 10. En Domini Dei tui caelum est, et caelum caeli , terra et omnia quae in ea sunt, tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos , idest vos de cunctis gentibus , sicut hodie comprobatur.* Secundo prosequitur specialiter poenae ordinem, *Dices ergo.* Et circa hoc duo. Primo ostendit imminens periculum ponens exemplum, *Omnis lagunculu*, idest quilibet de populo, *Vino*, tribulationis: *Isa. 41. Triturabis montes , et comminues, et quasi pulverem tolles.* Exempli contemptum, *Et dicent: Iob 12. Quis enim haec quae nostis ignorat.* Et ipsius expositionem, *Et dices ad eos.* Quantum ad cordis caecitatem, *Ebrietates*, ut quid agant, ignorent : *Isa. 29. Fluctuamini, et vacillate, inebriamini, et non a vino* etc. Et quantum ad captivitatem, *Et dispergam* , ne se mutuo consolentur: *Osee 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.* Quantum ad sententiae severitatem, *Non parcam , et non concedam*, quasi ad movendum eos, quia obstinati : vel convincendum , quia aperte mali : *Prov. 6. Zelus et furor viri non parcet in die vindictae, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Secundo dat eis utile consilium ad evadendum, ut scilicet humilientur, *Audite.* Et primo ad totam plebem proponens consilium contra superbiae vitium, *Nolite elevari*, per superbiam, *Locutus est*, hoc consilium, vel poenas quas praedixi: *Psalm. 63. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus eum iniquitatem.* Et contra Dei praeceptum, quae sunt initia omnis peccati , *Date Domino ; Deut. 32. Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia.* Resumens imminens periculum caecitatis cordis, *Antequam tenebrae*, idest antequam superveniant vobis tribulationes, in quibus nesciatis quid facere: *Ioan. 12. Ambulate dum lucem habetis , ut non tenebrae vos comprehendant.* Captivitatis, *Antequam offendant*, ducti in captivitatem, *Ad montes caliginosos*, scilicet Babyloniae propter altitudinem, vel ex defectu visus, vel ex multitudine vaporum: *Isa. 13. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem* etc. Et sententiae severitatis , *Expectabitis lucem*, idest divinam consolationem , et non habetis : *Supra 8. Expectavimus pacem , et non erat bonum, tempus medelae, et ecce formido.* Et designans poenam, contra consilii contemptum , ponens prophetae compassionem, *Quod si non audieritis , in abscondito*, quasi ne offendantur victores: *Isa. 22. Recedite a me, amare flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me: Ezech. 24. Non plangetis, neque flebitis , sed tabescetis in iniquitatibus vestris.* Et compassionis rationem , *Plorans : Infra 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Secundo dat idem consilium ad regem, invitans ad humilitatem, *Dic regi*, Scilicet Ieconiae, *Et dominatrici*, scilicet matri eius, quia cum matre se tradidit Nabuchodonosor: *4. Reg. pen. Sedete in terra*, in signum humilitatis: *Isa. 47. Descende , sede in pulvere virgo filia Babylon , sede in terra.* Et assignat rationem ex regni amissione , *Quoniam de capite: Thren. ult. Cecidit corona capitis nostri.* Ex urbium ubsidione, *Civitates austri*, quia sors Iudae ad austrum erat: *Iosue 15. Qui aperiat*, obsidionem, solvens scilicet Aegyptius. Et ex populi captivitate, *Translata est: Thren. 1. Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes , nec invenit requiem.* Tertio ponit idem consilium ad regiam civitatem. Et primo inducit ad humilitatem. Secundo miratur obstinationem , ibi , *Vae tibi Hierusalem.* Inducit autem ad humilitatem ex quatuor. Primo ex hostium potestate, proponens hostium potentiam, *Levate* , per considerationem, *Qui*, contra fortes: *Supra 6. Ecce populus venit de terra aquilonis , gens magna consurget a finibus terrae* etc. *Ab aquilone.* Et excludens subditorum fiduciam, *Ubi est grex* , quasi multitudo populi quae tibi erat subiecta? quasi dicat, Civitas regalis, et sacerdotalis non poterit tibi prodesse: *Ezech. 34. Ecce ego ipse super pastores. Requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum , et non erit ultra eis in escam.* Et assignans causam , quare in manus hostium tradatur, tollens excusationem, *Quid dices*, ad excusationem tui: *Iob 9. Si voluerit contendere cum eo , non poterit respondere ei.* Et assignans rationem , *Tu enim docuisti* , dum eos in auxilium tuum vocans , conditiones tuas eos scire fecisti : *Supra 2. Insuper malitias tuas docuisti vias tuas.* Vel tangit ostensionem thesauri ab Ezechia factam nuntiis Regis Babylonis, *Isa. 39.* Secundo ex dolorum afflictione, comminans dolorem, *Nunquid non: Supra 4. Vocem quasi parturientis audivi, angustias, ut puerperae.* Et assignans rationem ex peccatorum multitudine, *Quod si dixeris... venerunt*, in poenam, *Verecundiora*, turpissima peccata, *Plantae*, affectiones: *Iob 22. Propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas.* Vel tangit hic, quod ducti sunt in captivitatem pedites , et etiam in transitu fluviorum oportebat eos membra turpia denudare, et nudi pedes. Et ideo plantae eorum polluebantur luto , et pulvere: *Isa. 47. Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela erura, transi flumina , revelabitur ignominia tua , et videbitur opprobrium tuum, Et expectantium*, obstinatione , *Si immutare ;* quasi dicat, Difficiliter potestis converti, *Aethiops* , propter naturalem infectionem peccati , *Pardus* , propter dolositatem, vel diversitatem peccatorum: *Cum didiceritis*, propter consuetudinem: *Prover. 23. Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam , etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Tertio inducit ad humilitatem ex futura captivatione, comminans captivitatis dispersionem, *Et disseminabo: Psalm. 82. Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* etc. *Disperge illos in virtute tua.* Et assignat rationem , *Haec sors tua tibi pro peccatis tuis*, debita, *In mendacio : Isa. 27. In mensura contra mensuram , cum*

*abiecta fuerit, iudicabit eam* etc. Quarto ex peccatorum revelatione. Et primo ponit comminationem, *Et nudavi*, turpitudinem peccatorum tuorum, *Contra faciem*, ut temetipsum recognosceres, *Et apparuit*, etiam aliis: *Ezech. 16. Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnes turpitudinem tuam* etc. Et assignat rationem, *Super colles*; quasi dicat, quia publice peccasti, publice punieris: *Supra 2. In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Ultimo admiratur obstinationem, *Vae tibi... usquequo post me*, venias, vel post me ambulare te iactas: *Psalm. 4. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Nota, quod vinum mystice aliud bonum, aliud malum: est enim bonum vinum sapientiae contemplationis: *Proverb. 9. Bibite vinum quod miscui vobis.* Divini amoris: *Cant. 8. Dabo tibi poculum ex vino conditum, et mustum malorum granatorum meorum.* Compunctionis: *Psalm. 59. Potasti nos vino compunctionis.* Est autem vinum malum fraudulentiae deceptionis: *Deut. 32. Fel draconum vinum eorum, venenum aspidum insanabile.* Carnalis delectationis: *Apoc. 18. De vino irae fornicationis eius biberunt omnes gentes, et reges terrae cum illa fornicati sunt.* Divinae indignationis: *Apoc. 14. Si quis adoraverit bestiam, et imaginem eius, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius.* Item notandum, quod Spiritus sanctus dicitur Auster propter calorem: *Iob 37. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?* Propter splendorem: *Abacuch 3. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharam. Operuit caelos gloria eius* etc. ropter volatus elevationem: *Iob 39. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* Propter pluviarum multiplicationem: *Psal. 125. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.* Propter arborum fructificationem: *Cant. 4. Veni Auster, perfla in hortum meum, et fluent aromata illius.*

## a CAP. XIV.

Quod factum est verbum Domini ad Hieremiam de sermonibus siccitatis. Luxit Iudaea, et portae eius corruerunt, et obscuratae sunt in terra, et clamor Hierusalem ascendit. Maiores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum. Non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua. Confusi sunt, et afflicti, et operuerunt capita sua propter vastitatem terrae, quia non venit pluvia in terram: confusi sunt agricolae, operuerunt capita sua. Nam et cerva in agro peperit, et reliquit, quia non erat herba. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.

b Si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt aversiones nostrae. Tibi peccavimus expectatio Israel, salvator noster in tempore tribulationis. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus et fortis, qui non potest salvare? Tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. Haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. Cum ieiunaverint, non exaudiam preces eorum: et si obtulerint holocautomata, et victimas, non suscipiam ea, quoniam gladio, et fame, et peste ego consumam eos.

c Et dixi, A, a, a, Domine Deus: Prophetae dicunt eis: Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus ad me: Falso prophetae vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, et divinationem fraudulentam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. Idcirco haec dicit Dominus de prophetis qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi dicentes: Gladius, et fames non erit in terra hac. In gladio et fame consumentur prophetae illi. Et populi quibus prophetant, erunt proiecti in viis Hierusalem prae fame et gladio, et non erit qui sepeliat eos, ipsi et uxores eorum, filii et filiae eorum; et effundam super eos malum suum. Et dices ad eos verbum istud: Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame. Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram quam ignorabant.

d Nunquid proiiciens abiecisti Iudam, aut Syon abominata est anima tua? Quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? Expectavimus pacem, et non est bonum, et tempus curationis, et ecce turbatio. Cognovimus Domine impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solii gloriae tuae: recordare, ne irritum facias foedus tuum nobiscum. Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? Aut caeli possunt dare imbres nisi tu volueris? Nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectavimus? Tu enim fecisti omnia haec.

## a CAP. XIV.

Hic incipit propheta interponere orationem suam pro eis ad Deum, ut in aliquo misericordiam consequantur, saltem post aliqua flagella ; et dividitur in duas partes. In prima ponitur quaedam disceptatio prophetae cum Domino, ad impetrandum post modum. In secunda ponitur finalis determinatio, *cap. 15. Et dixit Dominus ad me* etc. Circa primum duo. In prima ponitur populi afflictio, quae est orationis occasio. In secunda ponitur prophetae cum Deo disceptatio, ibi, *Si iniquitates*. Circa primum duo. Primo ponit prophetae titulum. Hoc est, *Verbum*, interioris revelationis, *Quod factum est... de sermonibus*, exterius annuntiandis, *Siccitatis*, quae imminente captivitate eis supervenit [illegible] sermonibus siccitatis, id-est de [illegible] sermonibus digna. Secundo prosequitur siccitatis incommodum. Et primo quantum ad afflictionem hominum, quantum ad potus penuriam, ponens tristitiam, *Luxit Iudaea*, afflicta siti: *Isa. 24. Luxit vindemia, et infirmata est vitis, et ingemuerunt omnes qui laetabantur corde. Portae*, iudices qui in portis sedebant corruerunt a pristina laetitia. *Obscuratae sunt*, idest involutae tenebris tribulationis : *Thre. 2. Defixae sunt in terra portae eius, perdidit et contrivit vectes eius.* Vel quia prae nimia siccitate muri dissolvebantur, et ita cadentibus portis propter aquae defectum reparari non poterant. *Clamor* conquestionis, et planctus: *Isa. 24. Clamor erit super viro in plateis, deserta est omnis laetitia, translatum est gaudium terrae.* Et assignat tristitiae causam, *Maiores: Isa. 41. Egeni, et pauperes quaerunt aquas, et non sunt, lingua eorum siti aruit.* Et quantum ad sterilitatem terrae, plagam in possessionibus, *Confusi... operuerunt*, in signum confusionis: *Supra 12. Confundemini a fructibus vestris propter iram furoris Domini.* Et in cultoribus, *Quia non venit: Ioel. 1. Confusi sunt agricolae, ululaverunt vinitores, super frumento et hordeo, quia periit messis agri, vinea confusa est, et ficus elanguit.* Secundo ponit afflictionem silvestrium animalium, quantum ad cervos, *Nam et cerva*, quae multum circa custodiam filiorum solicitatur : *Iob 39. Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?* Et quantum ad onagros, *Et onagri*, qui tamen sitim sustinent: *Psalm. 103. Expectabunt onagri in siti sua. In rupibus*, in quibus magis flat ventus, *Traxerunt*, in sitis refrigerium, *Quasi dracones*, qui propter sitim ventum trahunt : *Supra 2. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui.*

b Hic incipit orare ad Deum pro populo. Et primo inducit argumentum misericordiae ex divina conditione. Secundo ex prophetarum praenunciatione, ibi, *Et dixi, A, a, a.* Tertio ex pristina populi dilectione, ibi, *Nunquid proiiciens* etc. Circa primum duo. Primo ponitur prophetae oratio, in qua proponit tria, misericordiam confitens, *Si iniquitates nostrae responderunt*, in poenam : *Isa. 59. Multiplicatae sunt iniquitates nostrae coram te, et peccata nostra responderunt nobis.* Et enarrans clementiam, *Tibi peccavimus: Psal. 45. Adiutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.* Deinde proponit constantiam, *Quare quasi colonus*, ac si dicat : Indignum constantiae tuae est, ut vineam tuam relinquas, quasi colonus alienum agrum, *Quasi viator*, domum tuam, quasi viator nocturnum hospitium, *Quare futurus*, haereditatem tuam quasi homo vagus, et indeterminatae mansionis, proprium habitaculum: *Supra 12. Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam.* Proponit etiam potentiam, *Et ut vir;* quasi dicat, Indecens est potentiae tuae, ut non salves quos semel in protectionem suscepisti: *Num. 14. Dicent Aegyptii: Non poterat introducere populum in terram pro qua iuraverat, ideirco occidit eos in solitudine* etc. Et proponit ei debitam esse illorum curam, *Tu autem in nobis*, quasi in haereditate, *Et nomen tuum*, sicut sub nomine regis, subditi defenduntur: *2. Corinth. 6. Inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Et concludit, *Ne derelinquas nos*, ne tua constantia et potentia blasphemetur: *Psalm. 26. Ne derelinquas me Domine, neque despicias me Deus salutaris meus*. Secundo ponitur Domini responsio, *Haec dicit Dominus.* Et primo proponit culpam, *Qui dilexit movere pedes*, affectus propter inconstantiam in bono, et de malo in malum: *Prov. 7. Mulier vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* Vel mittens in Aegyptum pro auxilio: *Isa. 30. Aegyptus frustra, et vane auxiliabitur. Ideo clamavi super hoc, superbia tantum est, quiesce.* Secundo comminatur poenam, *Nunc recordabitur*, poenam inferens : *Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Tertio excludit remedia. Et primo orationum, *Et dixit Dominus: Supra 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, ne assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Secundo ieiunii, *Cum ieiunaverint: Isa. 56. Quare ieiunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti?* Tertio sacrificii, *Si obtulerint: Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra.*

c Hic sumit argumentum a prophetarum praenuntiatione. Et primo ponitur prophetae allegatio, *A, a, a*, pro triplici poena, quam immediate tetigerat, *Prophetae*, falsi, *Pacem veram*, diuturnam, et non simulatam ab hostibus: *Supra 4. Ergo ne decepisti populum istum et Hierusalem dicens, pax erat vobis? et ecce pervenit gladius usque ad animam.* Secundo ponitur Domini responsio, *Et dixit Dominus.* Et primo ostendit prophetarum falsitatem, quantum ad actionem quam assumunt, *Non misi*, ad exequendum, *Non praecepi*, iniungendo officium, *Neque locutus sum*, inspirando prophetiae donum : *Infra 23. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.* Et quantum ad pacem quam praedicabant, *Visionem mendacem...seductionem cordis*, idest verba excogitata ad seducendum: *Ezech. 13. Vident vana, et divinant mendacium dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.* Secundo comminatur poenam tam prophetis praedicantibus, quam populo credenti, *Ideo haec dicit Dominus: Isa. 9. Erunt qui beatificant populum istum seducentes, et qui beatificantur praecipitati.* Tertio annuntiatur populo prophetae compassio, *Et dices ad eos ..mei*, vel ve-

stri. Et sic indicitur planctus poenitentiae: *Thren. 2. Deduc quasi torrentem lacrymas.* Cuius ratio assignatur, *Quoniam contritione*, propter multitudinem occisorum, *Pessima*, propter incorrigibilitatem, *Vehementer*, propter continuitatem: *Isa. 30. Comminuam eos sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida.* Et assignat contritionis modum, quantum ad poenam occisionis, *Si egressus*, foris, *Et si introiero*, per considerationem : *Thren. 1. Foris interficiet eos gladius, et intus pavor, iuvenem simul et virginem, lactentem cum homine sene.* Quantum ad captivitatem, *Propheta quoque: Supra 9. Disperdam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi et patres eorum.*

d Hic sumit argumentum ex pristina populi dilectione : et circa hoc tria. Primo miratur dilecti populi repulsionem, admirans odium, *Nunquid proiiciens;* quasi dicat, mirum videtur: *Thren. ult. Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer, ut nulla sit sanitas: Isa. 14. Plaga insanabili subiicientem in furore gentes.* Secundo ponit recognitionem poenae, *Expectavimus: Supra 8. Expectavimus pacem, et non erat bonum, tempus medelae, et ecce formido.* Et culpae, *Cognovimus : Psal. 50. Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Tertio ponitur petitio, *Ne des nos: Psal. 43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt.* Quarto petitionis ratio ex templi sanctitate, *Solii gloriae*, scilicet propitiatorii, et archae, in quibus gloriosum te miraculis et revelationibus ostendisti : *Infra 17. Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae expectatio Israel.* Ex idolorum debilitate, *Nunquid ... aut caeli*, per se quasi causae primariae: *Iob 38. Quis est pluviae pater, aut quis genuit stillas roris?* Ex Dei potestate, *Nonne tu es...fecisti*, haec, pluvias et omnia huiusmodi: *Supra 10. Ad vocem tuam dat multitudinem aquarum in caelo, et elevat nebulas ab extremitatibus terrae.* Notandum quod quaedam est pax falsa: *Sapien. 14. In magno viventes in scientiae bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Quaedam fraudulenta : *Psal. 27. Qui loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum.* Quaedam transitoria : *1. Thess. ult. Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* et caet. Item notandum, quod mystice triplex est solium. Quoddam est solium gloriae, et hoc quadrupliciter, scilicet naturae sublimitate: *Isa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra maiestate eius.* Pacis tranquillitate : *Supra 5. Vocabunt Hierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem* etc. Scientiae profunditate : *Ezech. 10. Et vidi, et ecce in firmamento quod erat super caput Cherubin quasi lapis Zapphirus, et quasi species similitudinis solii apparuit super eam.* Durationis aeternitate : *Thren. ult. Tu autem Domine in aeternum permanebis, solium tuum in generationem, et generationem.* Aliud est solium clementiae praeparantis ad Dei obedientiam: *Isa. 22. Figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui, et suspendam super eum omnem gloriam patris sui.* Ad iustitiae sententiam: *Prover. 16. Iustitia firmatur solium regis.* Ad proximorum misericordiam: *Isa. 15. Et praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super eum in veritate in tabernaculo David.* Ad humilitatis gratiam: *Ezech. 43. Locus solii mei, et locus vestigiorum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in aeternum.* Quoddam vero est solium iustitiae praeparantis ad disceptandum: *Iob 23. Quis mihi tribuat ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius.* Ad malum corrigendum : *Prov. 20. Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Ad incorrigibiles condemnandum: *2. Reg. ult. Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris.* Ad bonos defendendum : *Isa. 9. Super solium David, et super regnum eius sedebit ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et iustitia, amodo et usque in sempiternum.*

## a CAP XV.

Et dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Eiice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint ad te: Quo egrediemur? Dices ad eos: Haec dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem, et qui ad gladium, ad gladium, et qui ad famem, ad famem, et qui ad captivitatem, ad captivitatem. Et visitabo super eos quatuor canes ad lacerandum, et volatilia coeli, et bestias terrae ad devorandum, et dissipandum, et dabo eos in fervorem universis regnis terrae, propter Manassem filius Ezechiae regis Iuda super omnibus, quae fecit in Hierusalem.

b Quis enim miserebitur tui Hierusalem? Aut quis contristabitur pro te ? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua ? Tu dereliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti: et extendam manum meam super te, et interficiam te : laboravi rogans. Et dispergam eos ventilabro in portis terrae: interfeci, et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi. Multiplicatae sunt mihi viduae eius super arenam maris : induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie : misi super civitates repente terrorem. Infirmata est quae peperit septem, defecit anima eius: occidit ei sol cum adhuc esset dies, confusa est, et recubuit. Et residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.

c Vae mihi mater mea. Quare genuisti me virum rixae, virum discordiae in universa terra? Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam. Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus. Si non reliquiae tuae in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, et in tempore tribulationis adversum inimicum. Nunquid foederabitur ferrum ferro ab aquilone, et aes. Divitias tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omni-

bus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis. Et adducam inimicos tuos de terra quam nescis, quia ignis succensus est in furore meo, et super vos ardebit.

d Tu scis Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his, qui persequuntur me. Noli in patientia tua suscipere me. Scito quoniam sustinui pro te opprobrium. Inventi sunt sermones tui, et comedi eos: et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in laetitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Dominus Deus exercituum. Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuae. Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.

e Propter hoc, haec dicit Dominus: Si converteris convertam te, et ante faciem meam stabis: et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. Et dabo te populo huic in murum aereum fortem; et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus. Et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.

## a CAP. XV.

Hic ponitur finalis et sententialis repulsio orationis prophetae pro populo. Et primo ponitur orationis repulsio. Secundo ostenditur populi obstinatio, quae est causa huius, *c. 17. Peccatum Iuda* etc. Circa primum duo. Primo interdicit prophetae, ne pro populo oret. Secundo praecipit ut eorum, quasi excommunicatorum, consortium vitet, *c. 16. Et factum est* etc. Circa primum duo. Primo ponitur repulsio orationis prophetae pro populo orantis. Secundo quasi desperans de salute populi, pro seipso orationem fundit, ibi, *Vae mihi mater* etc. Circa primum duo. Primo repellitur oratio. Secundo ponitur repulsionis ratio, ibi, *Quis enim miserebitur.* Circa primum duo. Primo ponitur repulsio orationis, *Si steterint Moyses, et Samuel*, qui efficaces fuerunt in orando, eo quod de populo soliciti et pro inimicis exoraverunt. De Moyse habetur *Exo. 22.* De Samuele *1. Reg. 12. Anima*, affectus, ac si dicat, non est ex defectu orantis quod oratio non exauditur, sed ex defectu populi pro quo oratur: *Ezech. 14. Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, et Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.* Et *infra: Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, non liberabunt filios, neque filias, sed ipsi soli liberabuntur.* Secundo repulsio gentis, pro qua orabatur. Et primo quantum ad terminum a quo, *Eiice*, ostende eiectos esse, *A facie*, ut me non videant, et mea praesentia non defendantur: *Gene. 4. Ecce eiicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar* etc. Secundo quantum ad terminum ad quem, ponens quadruplex periculum, *Quod si dixerint... ad mortem*, pestilentiae; quasi dicat, diversi his diversis poenis subiacebunt: *Ezech. 5. Tertia pars tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui. Et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo. Tertiam vero partem tui in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos.* Et excludit consolationis remedium, sepulturae contra mortuos, *Et visitabo quatuor*, species dictas, scilicet gladium etc. Et superaddam, *Canes: Supra 7. Erit morticinum populi huius in cibum volucribus coeli, et bestiis terrae, non erit qui abigat.* Et misericordiae, quantum ad captivos, *Et dabo eos in fervorem*, idest in fervens odium, *Propter Manassem*, qui multa mala fecit, *4. Reg. 21.* Unde *eodem 23. Veruntamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam, propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses.* Punitur autem populus pro peccatis Regis, tum quia malus pro peccatis populi regnare permittitur: *Iob 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi;* tum quia populus sequitur peccata Regis: *Ecclesiast. 10. Qualis rector civitatis, tales et inhabitantes in ea: Prover. 29. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros suos habet impios.*

b Hic assignatur repulsionis ratio. Et primo ponitur quaestio admirationis, et excluditur primo misericordia iudicis, *Quis miserebitur.* Secundo satisfactio alicuius compatientis, *Aut quis contristabitur.* Tertio oratio mediatoris alicuius, *Aut quis ibit*, ex quo Deus repulit, et in tot peccatis es: *Osee 1. Voca nomen eius absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Secundo assignat rationem repulsionis. Et primo ex ingratitudine, ponens culpam, *Tu dereliquisti: Isa. 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et poenam, *Et extendam: Isa. 9. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Secundo ex obstinatione. Et primo, quia non flectuntur precibus, ponens culpam, *Laboravi;* quasi dicat, toties rogavi, ut converteremini; quasi dicat, laborassem si possibile fuisset: *Isa. 43 Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem iniquitatibus tuis.* Et poenam, *Et dispergam... ventilabro*, exercitu Chaldaeorum quasi paleas de area, *In portis terrae*, idest usque ad extrema terrae: porta enim est extrema pars domus, vel civitatis: *Luc. 3. Cuius ventilabrum in manu eius: et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Secundo, quia non corriguntur flagellis. Et primo ponit duritiam, ponens flagella in generali, *Interfeci et perdidi*, captivando: *Supra 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Et in speciali quantum ad mulieres, quae sunt magis miserabiles, et flebiles in amissione virorum, *Multiplicatae super arenam*, hiperbolice; quasi dicat, innumerabiles: *Isa. 9. Pupillorum eius, et viduarum non miserebitur.* Et in amissione filiorum unigeniti, *Et induxi vastatorem*, interfectorem filii, *Meridie*, in quo potentia hostium, qui non ex insidiis, sed aperte pugnant, *Repente*, in quo impotentia ad resistendum, quia non precaverunt: *Isa. 30. Subito dum non speratur, veniet contritio eius* etc. Et etiam quan-

tum ad mortem plurium filiorum simul, ponens mortem prolis, *Infirmata*, filiis orbata, qui fortitudo sunt matris: *1. Reg. 2. Donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios, infirmata est.* Et tristitiam matris, *Defecit anima*, propter mentis stuporem: *Occidit ei sol*, laetitiae propter tristitiae dolorem, quae obscurum facit cor, *Confusa*, intus, *Erubuit*, extra, deficiente hoc, in quo gloriabantur: *Amos 8. Occidet sol meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Secundo comminatur poenam, *Et residuum*, scilicet a praedictis flagellis: *Deuter. 28. Radet te Dominus corruentem ante hostes tuos, et per unam viam egredieris contra eos, et per septem fugies, et dispergeris per omnia regna terrae.*

c Hic propheta quasi desperans de populo orat pro seipso. Et primo ponitur ipsius conquestio, proponens adversariorum discordiam, *Vae mihi*, idest imminet ex hoc, quod natus sum, *Rixae*, idest propter quem rixa fit, eo quod vitia, et mala praenuntio, *Discordiae*, aliis me impugnantibus, et aliis defendentibus. Hoc etiam in Christo completum est: *Iob 10. Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret.* Excludit discordiae causam, quae maxime solet ex contractibus oriri, *Non foeneravi...omnes maledicunt: Psal. 28. Maledicent illi, et tu benedices, qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus laetabitur.* Secundo ponitur Domini consolatio, *Dicit Dominus.* Et primo quantum ad salutem propriam in promotione sui, et suorum in bonis, *Si non reliquiae*, idest qui adhaerent tibi, non enim habuit filios, ut *infra 16.* in bonum erunt. Aposiopesis, supplendum non mihi credatur. Et quantum ad liberationem a malis, *Si non occurri*, paratus ad auxilium: *1. Cor. 1. Benedictus Deus, et pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Secundo quantum ad adversariorum afflictionem, comminans hostem implacabilem. Et primo excludit hostium concordiam, quia eum propheta concordare voluerunt, *Nunquid*, Iudaeorum populus, qui est, *Ferrum*, propter duritiam, *Et aes*, propter impatientiam, *Foederabitur...ferro ab aquilone*, idest a Chaldaeis; quasi dicat, non: *Supra 6. Aes et ferrum universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum.* Vel tu ferrum, dura praedicans illis, qui sunt ferrum, et aes, foederari non potes: *Ioan. 15. Nolite mirari si odit vos mundus, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit.* Secundo excludit confoederationis fiduciam, tum ex muneribus, *Divitias...gratis;* quasi dicat, nihil tibi proderunt, *In omnibus*, idest pro omnibus: *Nahu. 2. Diripite argentum, diripite aurum, et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus:* tum etiam ex precibus, *Et adducam;* quasi dicat, non poteritis eos rogare, quia non intelligent: *Isa. 5. Levabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terrae.* Tertio assignat causam, *Quia ignis: Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.*

d Hic ponitur prophetae petitio. Et primo ponitur ipsius oratio. Secundo Domini responsio, ibi, *Propter hoc dicit* etc. Circa primum tria. Primo ponit divinae consolationis solatium, proponens divinam cognitionem, *Tu scis*, quid patior, et quid feci, *Recordare*, per effectum misericordiae: *Thren. 3. Recordare paupertatis, et transgressionis meae, absynthii et fellis.* Petit consolationem, *Et visita me*, consolando: *Iob 10. Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Et excludit dilationem, *Noli in patientia: Eccle. 5. Altissimus enim est patiens redditor.* Secundo allegat meritum, proponens opprobrium quod pro Deo sustinuit patienter. Ponens illatam iniuriam, *Scito*, effectu te scire ostende, *Propter te*, dum mandatis tuis obediens dura populo nuntiabam: *Psalm. 21. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Et spiritualem patientis laetitiam, *Inventi sunt*, quasi opere expleti, *Et comedi*, delectatus in eis: *Psalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ponens etiam causam, *Quoniam invocatum*, dum scilicet dicor propheta Domini: *Supra 13. Nomen tuum invocatum est super nos.* Proponit etiam consortium quod vitavit prudenter, ponens solitudinem, *Non sedi... ludentium*, multo minus iniquorum, ne gravitatem cordis deponerem, et ut mandatis tuis vacarem: *Tob. 3. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me praebui.* Ponens interiorem exaltationem, *Et gloriatus... manus*, corrigentis: *2. Corinth. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Vel manus consolantis spiritualibus donis. Ponens etiam solitudinis rationem, *Solus sedebam;* quasi dicat, Tot amaritudinibus opprimebar, quod non vacabat mihi ludere: *Thren. 3. Replevit me amaritudine.* Tertio miratur inflicti doloris aculeum, ponens dolorem, *Quare factus est;* quasi dicat, Unde est quod post tantas partes, post tot merita, tribulatio non recidit? *Infra 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Secundum Iudaeos loquitur in persona Hierusalem. Et adiungit consolabor, quod cito transiturae sunt huiusmodi angustiae, sicut aquae infideles quae ex pluviis congregantur: *Psa. 68. Intraverunt aquae usque ad animam meam.* Vel hoc dicit propter dolum adversariorum.

e Hic ponitur Domini exaudientis responsio. Et primo promittit promotionem in beatis, quantum ad vitae rectitudinem, *Si converteris*, alios ad me a peccatis, *Convertam te*, ab angustiis, *Stabit*, per vitae rectitudinem, vel contemplationis eminentiam: *3. Reg. 18. Vivit Dominus in cuius conspectu sto: Iac. ultim. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, liberabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Et quantum ad praedicationis auctoritatem, *Et si separaveris*, distinguendo scilicet opera mala a bonis, *Os meum*, quia per te loquar: *Mat. 10. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Secundo quantum ad liberationem a malis. Et primo a malis culpae, *Et convertentur;* quasi dicat, ipsi imitabuntur te, et non tu eos: *2. Corinth. 4. Rogo vos, imitatores mei estote sicut et ego Christi.* Secundo a malis poenae. Et primo promittit fortitudinem, *Et dabo te: Supra 1. Dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aeneum supra omnem terram, regibus Iuda, et principibus eius,*

*et sacerdotibus, et populo terrae: et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Secundo promittit defensionem, *Et bellabunt: Ps. 21. Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Tertio promittit liberationem, *Et liberabo: Is. 43. Noli timere quia redemi te, et vocavi nomine tuo.* Notandum quod sancti gloriantur in bono virtutis. In tribulationum passione: *Rom. 5. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus.* In proximorum conversatione: *2. Corin. 7. Multa mihi fiducia est apud vos, multa gloriatio pro vobis.* In conscientiae puritate: *2. Cor. 1. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Item gloriantur sancti in Deo. In divina dilectione ostensa per passionem: *Gal. ult. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* In divina cognitione: *Supra 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me.* In divina imitatione: *Eccles. 25. Magna gloria est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

## a CAP. XVI.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii, et filiae in loco isto. Quia haec dicit Dominus super filios, et filias, qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quae genuerunt eos, et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac. Mortibus aegrotationum morientur: non plangentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt. Et gladio, et fame consumentur, et erit cadaver eorum in escam volatilibus caeli, et bestiis terrae. Haec enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos, quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam et miserationes. Et morientur grandes et parvi in terra ista: non sepelientur, neque plangentur, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: et non dabunt eis potum calicis ad consolandum, super patre suo, et matre. Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, et comedas, et bibas, quia haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi, et vocem sponsae.

b Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba haec, et dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? Quae nostra iniquitas, aut quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro? Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos, et servierunt eis, et adoraverunt eos, et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. Sed et vos peius operati estis, quam patres vestri. Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. Et eiiciam vos de terra hac in terra quam ignoratis vos, et patres vestri, et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Propterea ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, et de universis terris, ad quas eieci eos, et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos. Et post haec mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni colle, et de cavernis petrarum, quia oculi mei super omnes vias eorum. Non sunt absconditae a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab occultis meis. Et reddam primum duplices iniquitates, et peccata eorum, quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, et abominationibus suis impleverunt haereditatem meam. Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. Ad te gentes venient ab extremis terrae, et dicent, Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quae eis non profuit. Numquid faciet sibi homo deos? Et ipsi non sunt dii. Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, et virtutem meam, et scient quia nomen mihi Dominus.

## a CAP. XVI.

Hic interdicit Dominus prophetae damnati populi consortium. Et primo ponit sententiam. Secundo assignat causam, ibi, *Et cum annuntiaveris* etc. Circa primum duo. Primo interdicit sibi consortium matrimonialis coniugii, ponens iussionem, *Non accipies uxorem: 1. Corinth. 7. Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem.* Et assignans rationem, *Quia haec dicit*, ex universitate punitorum, quia nulli aetati, nulli parcetur sexui, *Super filios, et filias: Infra 51. Collidam in te virum et mulierem, et collidam in te senem et puerum, et collidam in te iuvenem et virginem.* Ex diversitate poenarum comminans mortem. Ex causa interiori, *Mortibus aegrotationum*, pestilentia scilicet, et diuturnis languoribus. Et adiungit congruam sepulturam, *Non plangentur: 1. Cor. 11. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi: Infra 52. Non plangentur, et non colligentur, neque sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae iacebunt.* Ex causa exteriori, *Et gladio*, ex insultu hostium, *Fame*, ex defectu necessariorum. Et adiungit congruam sepulturam, *Et erit cadaver: Supra 14. Erunt proiecti in viis prae fame, et gladio, et non erit qui sepeliat eos, ipsi uxores*

*eorum, filii et filiae eorum.* Secundo interdicit consortium socialis convivii, *Haec enim dicit Dominus.* Et primo interdicit convivium tristitiae, quod in consolatione pro mortuis fieri solet, ubi ponitur prohibitio, *Ne ingrediaris*, neque sicut plangens, neque sicut consolans. Secundo assignatur ratio ex ablatione pacis, *Quia abstuli pacem meam*, quam scilicet ad eos habebam, indignatus eis. Vel quam me auctore ad invicem, et ad alios habebant: *Is. 57. Non est pax impiis, dicit Dominus.* Ex comminatione mortis, *Morientur: Iob 3. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo.* Ex cessatione officiosi funeris, quia carebunt obsequio sepulturae, *Non sepelientur: Supra 8. Non colligentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt.* Planctum etiam familiae, *Neque plangentur, neque se incident*, vulnerantes, quod Iudaeis prohibitum est: *Deuteron. 14. Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuum.* Sed Iob tonso capite cadens in terram etc. *Iob 1. Non peccavit quia gentilis erat.* Carebunt etiam convivio parentelae, quod a consanguineis lugentibus fieri solet, *Et non frangent: Proverb. ult. Date siceram maerentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, obliviscantur egestatis suae, et doloris sui non recordentur amplius.* Secundo interdicit convivium laetitiae. Et primo ponitur prohibitio, *Et domum convivii*, neque propter societatem, neque propter comestionem: *1. Corinth. 5. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, idolis serviens, aut maledicus, ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.* Secundo ponitur ratio, *Quia haec dicit Dominus: Threnor. ult. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: Infra 25. idem.*

b Hic assignatur causa praedictae poenae. Et primo ponitur quaestio, *Quare locutus est: Prov. 30. Talis est via mulieris adulterae quae comedit, et tergens os suum dicit, Non sum operata malum.* Secundo ponitur Domini responsio, *Dices ad eos.* Et primo ponit culpam in transgressione patrum, *Quia dereliquerunt: Supra 2. Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas quae continere non valent aquas.* In imitatione filiorum, ne possent se excusare per id quod dicitur *Ezech. 18. Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. Sed et vos: Matth. 23 Implete mensuram patrum vestrorum.* Secundo comminatur poenam. Et primo ponit poenae comminationem, quantum ad captivitatem. *Et eiiciam vos:* et quantum ad servitutem, *Et servietis diis*, serviendo eorum cultoribus: *Threnor. 1. Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: Deuter. 28. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui.* Secundo promittit consolationem, ponens iuramentum quasi signum, *Propterea ecce dies;* quasi dicat, hoc maius beneficium reputabitis, quam quod liberati estis de Aegypto. Et illius quasi obliti, hoc semper in memoriam habebitis: *Isaiae 43. Non memineritis priorum, et antiqua ne intuemini: Infra 23. idem.* Et explicans beneficium, *Et reducam: Ezech. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et reducam vos in terram vestram.* Tertio ponit captivitatis conditionem, *Ecce ego.* Et primo describit captivitatem Babyloniorum, *Piscatores*, scilicet Chaldaeos, qui quasi in mari prosperitatis, et voluptatis viventes, eos ceperunt: *Abacuh 1. Facies homines quasi pisces maris, et quasi non habentia ducem.* Et Romanorum, *Et post haec mittam venatores*, scilicet Romanos, qui eos quasi bestias pro crudelitate homicidii venati sunt: *Threnor. 3. Venatione ceperunt me quasi avem.* Ponens cognitionem culpae, *Quia oculi mei: Proverb. 16. Omnes viae hominum patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus.* Et comminationem poenae, *Et reddam primum*, idest ante dictam consolationem, *Duplices*, scilicet quantum ad cultum idolorum, propter quod sequitur, *Quia contaminavarunt.* Et quantum ad perversitatem morum, *Et abominatio: Psal. 105. Interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum.* Tertio ponit captivitatis utilitatem, scilicet conversionem gentium, vel eorum, qui cum Iudaeis sub Zorobabel in Ierusalem reversi sunt; vel eorum, qui ad fidem Christi sunt conversi, quia caecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, *Rom. 11.* Circa quod tria facit. Primo ponitur prophetae exultatio, designata in confessione divinae laudis, *Domine fortitudo*, ad alios debellandum, *Robur*, ad perseverandum, *Refugium*, si deficiam: *Psal. 17. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Secundo ponitur gentium conversio, *Ad te gentes: Is. 42. Cantate Domino canticum novum, laus eius ab extremis terrae.* Peccati confusio, *Vere mendacium*, scilicet idolum, quod divinitatem, et auxilium mentitur: *Supra 3. Vere mendaces erat colles, et multitudo montium.* Et pristini erroris confutatio, *Nunquid faciet... et ipsi*, scilicet homines facientes: *Sapien. 15. Quomodo enim sibi similem homo poterit Deum fingere.* Tertio assignat conversionis bonum, *Idcirco*, idest ut gentes convertantur, *Eis*, Iudaeis, *Per vicem hanc;* quasi dicat, ulterius non parcam, *Manum*, correctionis. Vel, *Eis*, gentibus, *Manum*, Christum: *Ps. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Item *Psal. 143. Emitte manum tuam de alto* etc. Notandum, quod quaedam est manus divinae dispositionis: *Sap. 7. In manu eius, et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientiae disciplina.* Divinae liberalitatis: *Psal. 103. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Divinae protectionis: *Isa. 39. Sub tegumento manus suae protexit me.* Divinae correctionis: *Psal. 38. A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus.* Divinae liberationis: *Iob 5. Percutit, et manus eius sanabunt.* Divinae operationis: *Ecclesi. 36. Glorifica manum, et brachium dextrum.* Et divinae condemnationis: *Ad Hebr. 19. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

a CAP. XVII.

Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cordibus ararum eorum. Cum recordati fuerint filii eorum ararum suarum, et lucorum suorum, lignorumque frondentium in montibus excelsis, sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, et omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis. Et relinqueris sola ab haereditate tua quam dedi tibi: et servire faciam te inimicis tuis in terra quam ignoras. Quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in aeternum ardebit. Haec dicit Dominus: Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricae in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum.

b Perdix fovit, quae non peperit: fecit divitias, et non in iudicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens. Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae, expectatio Israel. Domine omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum. Sana me Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es.

c Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? Veniat. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego, paveant illi, et non pavcam ego. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos. Haec dicit Dominus ad me: Vade et sta in porta filiorum populi mei, per quam ingrediuntur reges Iuda, et egrediuntur, et in cunctis portis Hierusalem, et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda, et omnis Iuda, cunctique habitatores Hierusalem, qui ingredimini per portas istas.

d Haec dicit Dominus: Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Hierusalem, et nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis. Sanctificate diem sabbati, sicut praecepi patribus vestris. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam ne audirent me, et ne acciperent disciplinam. Et erit si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis huius in die sabbati, et si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus, ingredientur per portas civitatis huius, reges et principes sedentes super solium David, et ascendentes in curribus et equis, ipsi et principes eorum, viri Iuda et habitatores Hierusalem, et habitabitur civitas haec in sempiternum. Et venient de civitatibus Iuda in circuitu Hierusalem, et de terra Beniamin, et de campestribus, et de montuosis, et ab austro, portantes holocaustum, et victimam, et sacrificium, et thus, et inferent oblationem in domum Domini. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Hierusalem in die sabbati. Succendam ignem in portis eius, et devorabit domos Hierusalem, et non extinguetur.

a CAP. XVII.

Hic ostenditur explicite populi obstinatio, quae est reprobationis causa. Unde primo ostendit eorum obstinatam malitiam. Secundo consummatam poenam, *19. cap. Haec dicit Dominus* etc. In prima duo. In prima ponuntur obstinationis causae. Secundo probatur ipsa obstinatio per experimentum, *18. cap. Verbum quod factum est* etc. Prima in duas. In prima ponit causas obstinationis. In secunda revocat eos ad cultum pristinae religionis, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo tangit unam causam, scilicet affectum iniquitatis, ponens culpam, in qua ponit exemplum, *Peccatum Iuda*, duarum tribuum, *Scriptum est*, idest affectui eorum ita profunditus impressum, praecipue idolatriae, sicut scriptura, quae fit ferreo stylo, *In ungue*, idest in adamante, qui est lapis politus ad modum unguis: *Zachar. 7. Cor suum posuerunt, ut adamantem, ut non audirent legem, et verba, quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo sancto per manum prophetarum priorum.* Vel peccatum, idest sententia pro peccato. Et exponit peccati affectum, *Exaratum*, idest profundatum, *Super latitudinem*, idest super cor dilatatum in affectione peccati. Unde cor sic dilatatum est loco adamantis, et *Cornua*, ararum, idest idolorum sunt loco styli ferrei. Praeceperat enim Deus, ut ex altari procederent quatuor cornua, in quibus penderet craticula: *Exo. 27. Et simile fecerant in aris idolorum: Ose. 8. Multiplicavit sibi Ephraim altaria ad peccandum, factae*

*sunt ei arae in delictis.* Ponit etiam affectus signum in successione prolis, *Cum recordati*, in affectu retinentes, in diversitate loci, *Ararum*, quae in civitatibus construebantur: *Supra 2. Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Et adiungens poenam, scilicet bonorum direptionem, quae pertinent ad necessitatem vitae, *Fortitudinem*, idest bona, in quibus putabas te fortem esse, sicut arena, et castra: *Supr. 15. Divitias tuas, et thesauros in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, et terminis tuis*, idest cum malitia tua ita consummata fuerit, ut filii patres imitentur in omnibus locis idola colentes. *Tunc fortitudinem*, et bonorum, quae pertinent ad cultum idolatriae, *Excelsa tua*, in quibus idola colebant: *Ezech. 6. Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et deiiciam interfectos vestros ante idola vestra.* Comminatur etiam captivitatem, *Relinqueris*, o Hierusalem, *Ab haereditate*, a populo tibi subiecto. Vel, o gens a terra, dum in captivitatem ibis: *Thren. 1. Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.* Comminatur et servitutem, *Et servire: Deu. 28. Servies inimico tuo quem imminet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria, et ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.* Et tangens proximam poenae causam, scilicet divinam iram, quae est voluntas puniendi, *Quoniam ignem: Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Secundo tangit aliam causam, scilicet fiduciam impunitatis, *Maledictus.* Promittebant autem sibi impunitatem ex tribus. Primo ex potentia amicorum, scilicet Aegyptiorum: et hanc primo tollit. Secundo ex multitudine divitiarum: et hanc ibi, *Perdix fovit, quae non* etc. Tertio ex incredulitate divinarum comminationum: et hanc ibi, *Ecce ipsi dicunt* etc. Circa primum duo. Primo ponit discretionem eorum, qui confidunt in Domino, et in hominibus. Secundo inducit discretionis auctorem, ibi, *Praelium est* etc. Circa primum duo. Primo ponitur maledictio eorum qui confidunt in auxilio humano, ubi ponit maledictionem, *Maledictus*, quasi malo addictus, *Et ponit carnem brachium*, idest fortitudinem, in quo ponitur spei irrationabilitas, quia per carnem signatur humana fragilitas, *Et a Domino recedit*, in quo ostenditur ratio maledictionis. Licet enim confidere in homine sub Deo, non tamen ut relinquatur Deus. Et hoc dicitur propter Iudaeos, qui Deo contempto in Aegyptiis spem ponebant: *Isaiae 31. Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi sunt: et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt: Psal. 145. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Et ponit maledictionis similitudinem. Erit enim quasi myricae, *Quae viles habentur.* Simachus quasi lignum infructuosum in solitudine, *Non videbit*, quia ante liberationem de captivitate fere omnes mortui sunt, *Sed habitabit*, in qua ostenditur horror loci captivitatis, non quod in se malus esset, sed eis, qui in servitute opprimebantur, *In siccitate in deserto*, quod non colligitur, sed est sicci aeris, qui facit arbores infructuosas, *Salsuginis*, quantum ad siccitatem terrae ex adustione humoris a sole: *Psal. 105. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.* Secundo ponitur benedictio eorum, qui confidunt in divino auxilio. Et primo ponit benedictionem, *Benedictus vir... fiducia*, ut scilicet in quocumque confidit, confidendi ratio sit Deus: *Psalm. 2. Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui confidunt in eo: Isa. 30. Beati omnes qui expectant eum.* Secundo ponit similitudinem sumptam ex arbore. Primo quantum ad radicum firmitatem, *Et erit quasi lignum*, in quo figuratur firmitas divinae protectionis: *Psalm. 1. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Secundo quantum ad foliorum viriditatem, *Et erit folium*, in quo significatur prosperitas temporalis, et viror spiritualis: *Proverb. 11. Iusti quasi virens folium germinabunt.* Tertio quantum ad fructuum ubertatem, in quo significatur copia bonorum operum, *Nec aliquando desinet: Apocalyp. 21. Per menses singulos reddens fructum suum.* Et quia Iudaei possent dicere, non posse fieri discretionem praemiorum pro diversitate cogitationum; ideo consequenter inducit huius discretionis auctorem. Et primo ponit quaestionem, *Pravum est*, idest multis malitiis involutum: *Prov. 20. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud.* Secundo ponit responsionem. Et ponit duo, quae sufficientem faciunt discretionem iudicii, scilicet scientiam, *Ego Dominus... cor*, quantum ad cogitationes, *Renes*, quantum ad affectiones: *Roman. 8. Qui scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus*, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Et iustitiam, *Qui do unicuique... viam*, quantum ad cordis dispositionem, *Fructum*, quantum ad opus exterius: *Isa. 3. Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

b Hic tangit secundum, unde scilicet spes impunitatis proveniebat, scilicet divitiarum abundantiam. Et primo tangit fiduciam malorum, quae est in divitiis, sub similitudine perdicis, quae ova aliena furatur, et super ea incubat, et tandem a pullis deseritur. Tangens iniustam congregationem, *Perdix fovit.* Et exponit, *Fecit divitias: Abach. 2. Vae ei qui multiplicat non sua. Usquequo et aggravat contra se densum lutum.* Et ipsarum amissionem, *In dimidio*, quia in iuventute morietur. Vel quia adhuc ipso vivente eas amittet, diripientibus Chaldaeis. *In novissimo*, idest in divino iudicio; vel in morte, quando invenientur ei divitiae nihil profuisse, *Erit*, idest apparebit: *Psalm. 48. Et relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus illorum in aeternum: Iob 12. Ipse novit decipientem, et eum qui decipitur.* Secundo ponit spem iustorum, quae est in cultu divino, *Solium gloriae*, idest expectatio et fiducia populi Israel, est tempus et arca et propitiatorium, in quibus intelligitur cultus divinus, quod dicitur, *Solium gloriae altitudinis:* ibi enim gloria Domini in revelationibus apparebat a principio legis datae: *Locus sanctificationis*, idest in quo sanctificamur, vel quem sanctificasti coram nobis et pro nobis: *Supra 14. Solii gloriae recordare, ne irritum facias foedus tuum nobiscum.* Et adiungit poenam discedentium ab hac fiducia, ponens poenam,

*Domine omnes... in terra*, captivitatis, *Scribentur*, quasi cives perpetuo ibi manentes, vel cum illis qui terrena sapiunt, vel in terrenam corruptionem descenderunt, de quibus *Psal. 48. Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Et assignat causam, *Quia dereliquerunt: Supra 2. Me dereliquerunt.* Tertio porrigit petitionem suam ad eum, qui est sua expectatio: *Sana me*, a languoribus peccati, et angustiae quibus involvor, *Salvum me*, conservando in bonis: *Laus mea*, quem laudo, vel in quo laudor: *Psalm. 40. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.*

c Hoc est tertium, unde eis fiducia impunitatis proveniebat, quia divinis comminationibus non credebant: et circa hoc tria. Primo ponitur incredulorum insultatio, *Ubi est verbum;* quasi dicat, non veniet: *Isa. 5. Qui dicitis festinet, cito veniat opus eius, ut videamus, et appropriet, et veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud? Amos 5. Vae desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis?* Secundo ponitur prophetae excusatio, quantum ad constantiam mentis, *Et ego non sum turbatus*, propter eorum contradictionem, *Sequens*, implens quod mihi praecepisti, *Diem*, praesentem vitam, quin etiam paratus mori: vel prosperitatem, et gloriam praesentem: *2. Corinth. 4. Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer, vel ab humano die.* Et quantum ad veritatem praedicationis, *Tu scis... in conspectu tuo*, quamvis non eorum: *Iob 16. In caelo est testis meus.* Tertio ponitur ipsius petitio. Et primo petit salutem, *Non sis tu mihi;* quasi dicat, solum indignationem tuam timeo: *Iob 9. Auferat a me virgam suam, et pavor eius non me terreat: Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam.* Secundo petit incredulis afflictionem in corde ex confusione de culpa, *Confundantur: Psalm. 39. Confundantur, et revereantur, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.* Et timorem poenae, *Paveant: Proverb. 4. Pavor his qui operantur malum: Sapien. 17. Cum enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem.* Et in corpore, *Induc super eos... afflictionis*, in vita, *Contere*, per mortem, *Duplici*, gladio, et fame: vel anima, et corpore.

d Hic revocat eos ad cultum pristinae religionis, quantum ad mandatum de observatione sabbati, quod testimonium est, ut magis eorum obstinatio ostendatur: et circa hoc duo facit. Primo determinat praedicationis locum, *In porta*, ut quasi inviti cogantur audire: *2. Timo. ult. Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa. Filiorum*, ipsi enim sunt populus meus, sed filii populorum sunt, *Per quam ingrediuntur:* ipsa enim specialis porta erat iuxta domum regiam, per quam reges urbem ingrediebantur: *Supra 7. Sta in porta domus Domini, et praedica ibi verbum istud* etc. Secundo proponens praedicationis verbum, *Et dices ad eos.* Et circa hoc tria. Primo ponit praeceptum, petens auditum, *Audite: Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Promulgans praeceptum, *Haec dicit Dominus. Custodite*, a peccato, *Portare*, extra civitatem, *Pondera*, mercium, *Et opus*, servile, pertinens vel ad servitutem culpae, vel ad servitutem poenae, quia etiam ab illis quae peccata non erant, tenebantur abstinere; a quibus omnibus nos non tenemur abstinere, sed secundum praeceptum Ecclesiae ordinantis de hoc. *Sanctificate*, ut bonis operibus vacetis: *Exod. 20. Memento ut diem sabbati sanctifices: Nehemiae ult. Vidi in Iuda calcantes in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Hierusalem die sabbati. Et contestatus sum* etc. Et ponit praecepti contemptum, *Et non audierunt: Supra 7. Non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluptatibus, et pravitate cordis sui mali* etc. Secundo promittit obedientibus praemium, *Et erit si audieritis*, quantum ad tria, in quibus civitas gloriosa erat, scilicet in dignitate regni; et quantum ad hoc, *Ingredientur: Isa. 1. Restituam iudices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus.* In multitudine populi; et quantum ad hoc, *Et habitabitur: Isa. 62. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata.* Et quantum ad religionem templi, *Et venient de civitatibus... ab austro*, etiam ab Aegypto: *Isa. 60. Offerentur super placabili altari meo, et domum maiestatis meae glorificabo.* Tertio comminatur contemnentibus incendium, *Si autem non audieritis... in portis*, quia portas intrantes Chaldaei ignem miserunt in civitatem: *Isa. 1. Succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.* Nota quod sancti fructificant per sapientiae contemplationem: *Eccles. 6. Quasi is qui arat, et qui seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius.* Per caritatis fervorem: *Cant. 5. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Per laudis confessionem: *Heb. 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini eius.* Per meritoriam operationem: *Psal. 84. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Per proximorum conversionem: *Ioa. 15. Ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Item notandum, quod sequitur aliquis Christum per carnis integritatem: *Apoc. 18. Virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit.* Per cordis intentionem: *Philipp. 3. Sequor si quo modo comprehendam.* Per tribulationis passionem: *1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Per mandatorum observationem: *Iob 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiv, et non declinavi ex ea.* Per gloriae receptionem: *Eccles. 23. Magna gloria est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

a CAP. XVIII.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, dicens: Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto, in manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius, ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos domus Israel in manu mea.

b Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et regno, ut aedificem, et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei. Nunc ergo dic viro Iuda, et habitatori Hierusalem, dicens: Haec dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem. Revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras, et studia vestra.

c Qui dixerunt: Desperavimus. Post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. Ideo haec dicit Dominus: Interrogate gentes. Quis audivit talia horribilia, quae fecit nimis virgo Israel? Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut evelli possunt aquae erumpentes frigidae et defluentes? Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes et impingentes in viis suis, et in semitis saeculi, ut ambularent per eas in itinere non trito, ut fieret terra eorum in desolationem. Omnis qui praeterierit per eam, obstupescet, et movebit caput suum. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.

d Et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Hieremiam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta. Venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones eius. Attende Domine ad me, et audi vocem adversariorum meorum. Nunquid reddetur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae? Recordare, quod steterunt in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manu gladii. Fiant uxores eorum absque liberis, et viduae, et viri earum interficiantur morte: iuvenes eorum confodiantur gladio in praelio, audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente, quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem. Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

a CAP XVIII.

Hic ostendit obstinationem ipsius populi, quasi per experimentum. Et primo, quia contemnunt praedicationem. Secundo, quia persequuntur praedicatorem, ibi, *Et dixerunt* etc. Circa primum duo. Primo ponitur praedicatio revocans eos ad poenitentiam. Secundo ponitur contemnentium desperatio, ibi, *Qui dixerunt: Desperavimus* etc. Circa primum duo. Primo designat Dominus prophetae revelationis locum, *In domum figuli*, ut ex ipsius operis similitudine prophetia sumeretur: in quo significatur, quod descendenti in considerationem suae infirmitatis verba Domini revelantur: *Sap. 1. Cum simplicibus sermocinatio eius. Descendi*, accessi in inferiorem partem civitatis, ubi huiusmodi artifices morabantur. Secundo ponitur revelatum verbum. Et primo ponit similitudinem. Secundo ex similitudine sumit rationem, ibi, *Repente* etc. Circa primum duo. Primo ponitur factum figuli unde similitudo sumitur, ponens vasis destructionem, *Et ecce ipse: Ecclesiast. 38. Figulus sedens ad opus suum, et convertens pedibus suis rotam, quia in solicitudine positus est semper propter opus suum, et in numero est omnis operatio eius.* Et destructi vasis restaurationem, *Conversusque: Sapien. 19. Figulus mollem terram premens, laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, et de eodem luto fingit quae munda sunt in usum vasa, et similiter quae his sunt contraria.* Secundo ponit similitudinis adaptionem, *Et factum est.* Et primo ponitur quaestio, *Nunquid: Isa. 64. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Secundo responsio, *Ecce sicut lutum: Sapie. 7. In manu ipsius et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientiae disciplina.*

b Hic sumit rationem ex practica similitudine. Sed obiicitur contra id quod dicitur hic, illud quod habetur *Numeri 23. Non est Deus ut homo ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur.* Sed hoc non potest esse sine mendacio, quod aliquis dicat futurum quod non eveniat, neque sine mutatione, si poenitentiam agat. Ergo etc. Ad quod dicendum, quod est duplex prophetia secundum Hieronymum in glossa *super Matth. cap. 1.* scilicet praedestinationis, in his quae non dependent ex libero arbitrio, sed tantum ex Dei dispositione, quae immutabilis est; et ideo hanc necesse est omnibus modis evenire. Alia est praescientiae, de his etiam quae libero arbitrio non subiacent, sed procedunt a Deo, secundum quod Deus

praescit finaliter eventum uniuscuiusque rei. Et sic etiam sententia divina non mutatur, facta mutatione in homine, sed non in Deo. Et ideo poenitentia accipitur non secundum mutationem divinae dispositionis, sed divinae sententiae prolatae, secundum causas inferiores. Et ideo dicit, *Repente*, et subito loquens de Deo ad similitudinem hominis: dicitur enim aliquis repente loqui, quando sine praemeditatione loquitur; hoc autem convenit quando tantum ad praesens amissa futuri consideratione respicit. Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit divinae sententiae revocabilitatem, in malis ponens sententiae pronuntiationem, *Ut eradicem*, auferendo omnem firmitatem: *Supra 1. Constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes.* Et sententiae revocationem, *Si poenitentiam: Osee 11. Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est poenitudo mea.* Et in bonis, ponens sententiae promulgationem, *Et subito: Iob 22. Si reversus fueris ad omnipotentem, aedificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.* Et revocationem si fecerit malum: *Ezec. 18. Si averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem iuxta omnes abominationes quas operari solet impius. Nunquid vivet? Omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabitur, in praevaricatione qua praevaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.* Secundo inducit cognitionem. Et primo proponit excogitatam poenam, *Nunc ergo fingo*, sicut figulus, *Malum*, poenae: *Isa. 45. Ego Dominus faciens pacem, et creans malum.* Secundo concludit poenitentiam, *Revertatur... vias*, opera, *Studia*, cogitationes, *Dirigite*, recta facite: *Ezech. 33. Convertimini a viis vestris pessimis.*

c Hic ponitur contemnentium desperatio. Et primo ponitur desperatio, *Desperavimus: Supra 2. Dixisti, desperavi, nequaquam faciam, adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo.* Secundo ponitur desperantium condemnatio, *Ideo haec dicit.* Et primo arguit in his horribilem culpam in comparatione gentium, *Interroga gentes: Sup. 2. Transite ad insulas Cethim, et videte, et in Cedar mittite, et considerate vehementer, et videte si factum est huiusmodi, si mutavit gens deos suos: et certe ipsi non sunt dii: Ezech. 5. Contempsit iudicia mea ut plus esset impia quam gentes, et praecepta mea ultra quam terrae, quae in circuitu eius sunt.* Ex similitudine insensibilium quae ordinem sibi a Deo praefixum tenent, *Nunquid de petra.* Et notandum, quod Libanus est mons magnus, et habet in summitate magnam latitudinem, in qua sunt agri, et speluncae petrarum, in quas quia radius solis non pervenit, conservantur nives perpetuo: *Evelli*, ut non fluant de Libano, et aliis altis montibus; quasi dicat, non: *Eccl. 3. Didici quod omnia opera quae fecit Deus, perseverent in perpetuum. Non possumus eis quicquam addere, nec auferre quae fecit Dominus ut timeatur.* Et ex conditione operum, quia inutilia, *Frustra libantes*, scilicet idolis: *Rom. 6. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quia nociva, *Et impingentes*, idest offendentes: *Isa. 60. Impegimus in meridie quasi in tenebris in caliginosis quasi mortui.* Quia turpia, *In semitis saeculi*, scilicet idolatriae, post quas saeculum totum vadit: *Iob 22. Nunquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui; qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum, qui dicebant Deo, recede a nobis* etc. Et difficilia, *Ut ambularent non trito*, a sanctis patribus. Vel quia vana peccata excogitabant: *Sap. 6. Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus: Num. 20. Via trita gradiemur.* Secundo comminatur stupendam poenam. Primo quantum ad terrae desolationem, *Ut fieret*, ut consecutive: *Thren. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Secundo quantum ad gentis destructionem, *Sicut ventus*, qui omnes fruges desiccat, *Inimico*, Babylonico: *Supra 4. Ventus urens in viis quae sunt in deserto viae filiae populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum.* Tertio divini auxilii cessionem, *Dorsum*, ad modum hominis irati: *Deut. 32. Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: Psalm. 33. Ut quid Domine repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?*

d Hic ostenditur eorum obstinatio ex eo quod persequebantur praedicatores eorum in figuram persecutionis Christi. Et primo ponitur adversariorum persecutio, ponens persequendi consilium, *Venite: Sapien. 2. Dixerunt impii cogitantes apud se non recte.* Et *Infra: Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris* etc. Persecutionis argumentum, *Non enim peribit lex*, legis dispositio, *Sermo*, divinae revelationis, quasi falso hoc futurum praedixit. E contra *Eze. 7. Peribit lex a sacerdote, et consilium a senioribus.* Et persequendi modum, *Lingua*, detrahendo et accusando, *Non attendamus*, quasi timentes comminationes ipsius: *Psalm. 63. Exacuerunt ut gladium linguas suas, firmaverunt sibi sermonem nequam: Ecclesi. 28. Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuet ossa.* Secundo ponitur prophetae oratio. Et primo petit audientiam, *Attende ... ad me*, idest ad mea merita: *Thren. 3. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes adversum me.* Secundo proponit ingratitudinis culpam, ponens ingratitudinem, *Nunquid redditur;* quasi dicat, Non est consuetum, non est iustum: *Foveam*, deceptionem, ut tollerent vitam meam: *Psal. 108. Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Et ingratitudinis probationem, *Recordare: 2. Mich. ult. Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Hieremias propheta Dei.* Tertio imprecatur poenam. Et primo poenae inflictionem, quantum ad pueros, *Propterea da filios: Supra 15. Qui ad gladium ad gladium, et qui ad famem ad famem, et qui ad captivitatem ad captivitatem.* Quantum ad matrimonio utentes, *Fiant uxores: Ose. 9. Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia.* Et quantum ad viros bellicosos, *Iuvenes ... clamor*, planctus: *Isa. 15. Clamorem contritionis levabunt.* Secundo poenae occultationem ut praecavere non possint, *Adduces...latronem*, Nabuchodonosor, qui subito super eos veniat: *Abdi. 5. Si fures intrarent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Et assignat rationem, *Quia foderunt;* qua-

si dicat, Iustum est ut decipiantur qui me decipere voluerunt : *Psalm. 56. Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.* Et inducit probationem, *Tu autem : Thren. 3. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me, iudica iudicium meum.* Secundo excludit sententiae revocationem, excludens misericordiam, *Ne propitieris*, mundando a culpa: *Non deleatur*, liberando a poena: *Psalm. 108. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, et peccatum matris eius non deleatur.* Et imprecatur poenam, *Fiant corruentes... abutere*, idest in malum utere, vel contra consuetudinem clementiae tuae: *Isa. 3. Ruit Hierusalem, et Iudas concidit, quia lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius.* Notandum, quod est quidam sibilus bonus, divinae inspirationis: *Zach. 10. Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos.* Humilis confirmationis : *3. Reg. 19. Post ignem sibilus aurae tenuis.* Compassionis *infra 49. Omnis qui transibit per eam stupebit, et sibilabit super omnes plagas eius.* Item est sibilus malus, iniquae persuasionis: *Sapien. 17. Serpentum sibilatione commoti, tremebundi peribant.* Insultationis : *Thren. 2. Omnes transeuntes per viam sibilaverunt, et moverunt capita sua super filiam Hierusalem. Haeccine est urbs dicentes perfecti decoris, gaudium universae terrae ?* Et stuporis : *Infra 25. Ponam eos in stuporem, et sibilum in solitudines sempiternas.* Item super illud verbum, *Ut loquerer pro eis bonum*, nota, quod Christus loquitur pro nobis bonum, ad impetrandum veniam: *Luc. 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ad excusandum culpam : *1. Ioan. 2. Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : Ad Heb. 12. Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* Ad impetrandum gloriam: *Ioan. 17. Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.*

### a CAP. XIX.

Haec dicit Dominus: Vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi, et a senioribus sacerdotum, et egredere ad vallem filiorum Ennom, quae est iuxta introitum portae fictilis: et praedicabis ibi verba, quae ego loquor ad te, et dices: Audite verbum Domini reges Iuda, et habitatores Hierusalem: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis qui audierit illam, tinnient aures eius, eo quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum, et libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Iuda, et repleverunt locum istum sanguine innocentum. Et aedificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: quae non praecepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Propterea ecce dies venient, dicit Dominus, et non vocabitur amplius locus iste Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis occisionis. Et dissipabo consilium Iuda et Hierusalem in loco isto: et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quaerentium animas eorum: et dabo cadavera eorum escam volatilibus coeli et bestiis terrae, et ponam civitatem hanc in stuporem et in sibilum. Omnis qui praeterierit per eam, obstupescet, et sibilabit super universa plaga eius. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum : et unusquisque carnes amici sui comedet in obsidione et in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, et qui quaerunt animas eorum.

b Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari. Et in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus eius, et ponam civitatem istam sicut Topheth. Et erunt domus Hierusalem, et domus regum Iuda, sicut locus Topheth, immundae omnes domus in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiae coeli, et libaverunt libamina diis alienis.

c Venit autem Hieremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes eius universa mala quae locutus sum adversum eam, quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

### a CAP. XIX.

Hic comminatur consummatam poenam. Et primo designat praedicationis locum, *Ad vallem portae fictilis*, ubi figuli habitabant, *Et praedicabis ibi verba: Ezech. 3. Audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Secundo ponit praedicationis verbum. Et primo in loco a Deo praefinito. Secundo in templo, ibi, *Venit autem* etc. Circa primum duo. Primo praedicit eam verbo. Secundo praesignat eam facto, ibi, *Et conteres* etc. Circa primum primo comminatur poenam in generali, petens audientiam, *Dices: Audite: Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Praedicens poenam, *Haec dicit Dominus...tinnient*, quasi ex commotione cordis prae stupore, sicut ex commotione magni soni : *1. Reg. 3. Ecce ego faciam verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambae aures eius: 4. Reg. 21. Ecce ego inducam mala super Hierusalem, et Iudam, ut quicunque audierit, tinnient ambae aures eius.* Et assignans causam, culpam populi, *Eo quod dereliquerunt : Isa. 1. Dereliquerunt Dominum, bla-*

*sphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et culpam regis, quantum ad simplex homicidium, *Et reges Iuda: 4. Reg. 21. Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Hierusalem usque ad os.* Et quantum ad homicidium iunctum sacrilegio, *Et aedificaverunt: Psal. 105. Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam.* Secundo ponit poenam in speciali. Et primo quantum ad mala, quae passi sunt in urbis captione, ponens interfectionem hominum, *Propterea ecce dies venient*, ubi designat occisorum multitudinem, *Et non vocabitur: Supra 7.* idem. Consilii dissipationem, *Et dissipabo*, quo debellare Nabuchodonosor cogitaverat, *In loco isto*, quia ibi occisi sunt: *Iob 5. Apprehendit sapientes in astutia sua, et consilium pravorum dissipat.* Et occisionis speciem, *Et subvertam: Ezech. 21. Hic est gladius occisionis magnae, qui obstupescere eos fecit, et corde tabescere, et multiplicat ruinas.* Et ponens abiectionem cadaverum, *Et dabo cadavera: Psalm. 78. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Et ponens destructionem urbium, *Et ponam, Supra 18.* idem. Secundo poenam quam passi sunt in obsidione, *Et cibabo vos: Deute. 28. Comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus: Thren. 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione populi mei.*

b Hic designat praedictam poenam facto. Et primo ponit factum, *Conteres lagunculam: Isa. 10. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur.* Secundo facti significatum, *Et dices ad eos.* Primo quantum ad populi occisionem, *Sic conteram: Isa. 30. Comminuetur sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida.* Secundo quantum ad sepulturae locum, *Et in Topheth*, vel occisionis multitudinem, *Supra 7.* idem. Tertio quantum ad urbis destructionem, *Sic faciam*, sicut Topheth immundam, et sine domibus, *In quarum domatibus*, idest in summitatibus domorum, quae planae erant, et in eis idola colebant: *Isa. 22. Ascendisti et tu omnis in tecta, clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans.*

c Postquam dixerat praedicta in valle Topheth ad populum, revertitur ad templum, ut annuntiaret ea populo, qui ipsum sequi voluit. Et planum est: *Act. 7. Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri, ita et vos.*

## a CAP. XX.

Et audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Hieremiam prophetantem sermones istos. Et percussit Phassur Hieremiam prophetam, et misit eum in nervum, quod erat in porta Beniamin in superiori in domo Domini. Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Hieremiam de nervo, et dixit ad eum Hieremias: Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique. Quia haec dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem, te, et omnes amicos tuos, et corruent gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt: et omnem Iudam dabo in manu Regis Babylonis, et traducet eos in Babylonem, et percutiet eos gladio. Et dabo universam substantiam civitatis huius, et omnem laborem eius, omneque pretium, et cunctos thesauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eorum, et diripient eos, et tollent, et ducent in Babylonem. Tu autem Phassur, et omnes habitatores domus tuae ibitis in captivitatem, et in Babylonem venies, et ibi morieris: ibique sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.

b Seduxisti me, Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti. Factus sum in derisum tota die. Omnes subsannabant me, quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito. Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum, tota die. Et dixi: Non recordabor eius, neque loquar ultra in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens. Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu. Persequimini, et persequamur eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum, si quo modo decipiatur, et praevaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo. Dominus autem mecum est tanquàm bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent, et infirmi erunt, et confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Et tu Domine exercituum probator iusti, qui vides renes, et cor, videam quaeso ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam. Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum.

c Maledicta dies in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, et quasi gaudio laetificavit eum. Sit homo ille ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, et non poenituit eum. Audiat

clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano, quia non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, et vulva eius conceptus aeternus. Quare de vulva egressus sum ut viderem laborem, et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?

## a CAP. XX.

Finita comminatione contra populum, incipit comminatio contra principes. Et primo ponitur comminatio prophetae contra principes. Secundo conspiratio principum contra prophetam, *infra 26. cap. In principio regni* etc. Circa primum duo. Primo comminatur contra Principes Iudaici populi. Secundo contra illos et alios, *infra 35. cap. Verbum quod factum est* etc. Prima in duas. In prima comminatur contra principes in summo dignitatis gradu constitutos. In secunda contra omnes comminatur, *infra 23. cap. Vae pastoribus* etc. Circa primum duo. Primo ponitur comminatio contra summum sacerdotem. Secundo propter pericula quae ex hoc prophetae imminebant, ponitur ipsius conquestio, ibi, *Seduxisti me Domine* etc. Circa primum duo. Primo ponitur comminationis occasio ex prophetae persecutione, ubi ponitur persecutionis ratio, *Prophetantem sermones istos*, contra civitatem: hoc enim erat officium summi sacerdotis, ut scilicet falso prophetantes corriperet: *Infra 29. Dedit te Dominus sacerdotem pro Ioiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum surreptitium et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem* etc. Prophetae persecutio, *Et percussit in nervum*, in carcerem, genus tormenti ad detinendum captivos, *Beniamin*, quae ducebat in tribum Beniamin, erat enim civitas sita in confinio duarum tribuum, *Superiori*, quia forte plures erant portae ducentes in terra illa: *In Domo Domini*, unde in illa porta exercebatur iudicium de prophetis, et de ministris templi, et ibi claudebantur in carcere: *Thren. 3. Circumaedificavit adversum me ut non egrediar, aggravavit compedem meum.* Et prophetae liberatio, *Cumque simile: Act. 4. Factum est autem in crastinum* etc. *Psalm. 67. Qui educit vinctos in fortitudine.* Secundo ponitur comminatio. Et primo ponitur poenae designatio ex imitatione nominis, *Et dixit ad eum:* loquitur ad modum hominis timidi, qui undique circumspicit: *Proverb. 11. Pavor his qui operantur malum.* Secundo ponitur poenae comminatio, *Quia haec dicit Dominus.* Et primo quantum ad ipsius amicos, *Te, et omnes amicos: Psalm. 77. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Secundo quantum ad subditos, ponens captivitatem hominum, *Et omnem Iuda: Thren. 1. Migravit Iudas propter afflictionem et multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem.* Et direptionem bonorum, *Et dabo universum: Isa. 39. Auferentur omnia quae in domo tua sunt, et quae thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus.* Tertio quantum ad ipsius domesticos, *Tu autem Phassur...mendacium*, promittens prospera: *Isa. 22. Quasi pilam mittet te Dominus in terram latam et spatiosam. Ibi morieris* et caet. *Amos 7. Filii tui, et filiae tuae in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua.*

b Hic ponitur prophetae conquestio. Et primo plangit iniunctum officium. Secundo nativitatis ortum. Circa primum duo. Primo plangit iniunctum officium, propter consecutam irrisionem Secundo propter persecutionem, ibi, *Audivi enim* etc. Circa primum tria. Primo, quasi conquerendo notificat iniunctionis modum, *Seduxisti*, idest occasionem deceptionis ex verbis tuis accepi: credebam enim me prophetaturum contra gentes, et non contra Iudaeos, a quibus persecutionem patior. Non autem vult imponere crimen deceptionis in Deum, quia blasphemaret, *Invaluisti*, imponens officium mihi renitenti, ut *supra 1.* Et hoc praecipue, quia fructum praedicationis suae non vidit: *Isa. 49. In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi* Secundo proponit praedicationis eventum, ponens irrisionem, *Factus sum in derisum, subsannabant*, rugatione nasi, irrisionem propalantes: *Thren. 3. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Et assignat rationem, ponens praedicationis verbum, quo arguebat aperte culpas, et comminabatur poenas, *Quia iam olim... vastitatem*, quae tamen nondum venit: *Isa. 16. His qui laetantur super murum cocti lateris, loquimini plagas suas.* Et consequens opprobrium, *Et factus est, in opprobrium*, idest opprobrii causa: *Act. 26. Festus Paulo dixit, multae literae ad insaniam te deduxerunt.* Tertio resignat iniunctum officium, *Et dixi.* Et primo abiicit officium, *Non recordabor*, idest non cogitabo ulterius loqui ad populum: nolebat enim margaritas ante porcos spargere, *Matth 7. Nolite sanctum dare canibus.* Secundo officium abiectum resumit, *Et factus est, quasi ignis:* quanto enim magis quis exterius a verbis abstinet, magis intus fervorem amoris sentit: *Psalm. 38. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. In ossibus*, in intimis mentis, *Defeci*, a proposito, *Ferre non sustinens*, interius incendium. Hic conqueritur de officio assumpto ex eo, quod persecutiones sustinebat. Et primo ponitur adversariorum persecutio. Et primo persequentium multitudinem, *Multorum*, quibus resisti non potest, *Persequimini*, in quo notatur ipsorum coniuratio. Ponit etiam familiaritatem, *Ab omnibus pacifici*, in quo notatur imminens periculum: *Abdi. 7. Omnes viri foederis tui illuserunt tibi: invaluerunt contra te viri pacis tuae.* Secundo ponitur prophetae confortatio, ponens divinum auxilium, *Dominus autem mecum*, ad defendendum: *Isa. 50. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.* Et ipsius officium, *Et idcirco cadent, quia persequuntur: Isaiae 40. Deficient pueri, et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent. Confundentur*, quia opprobria dixerunt, *Quia non intellexerunt*, idest intelligere noluerunt, *Opprobrium*, aeternae damnationis, vel futurae captivitatis: *Psalm. 39. Confundantur et revereantur, qui quaerunt ani-*

*mam meam ut auferant eam.* Tertio ponitur petitio: ubi captat benevolentiam, commendans iustitiam, *Probator*, idest approbator, vel inquisitor, et discussor. Scientiam, *Qui vides renes*, quantum ad affectiones, *Et corda*, quantum ad cogitationes: *Supra 17. Ego Dominus scrutans cor, probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam* etc. Petit vindictam, *Videam quaeso*, assignat causam, *Tibi enim revelavi*, non hoc ignoranti, sed totam causam meam in te ponens: *Supra 11. Tibi enim revelavi causam meam.* Quarto ponitur gratiarum actio, *Cantate: Psalm. 71. Quia liberavit pauperem a potente, pauperem cui non erat adiutor.*

c Hic plangit nativitatis suae ortum. Sed obiicitur contra hoc quod hic dicitur. Sanctorum enim est gloriari in tribulationibus, ut dicitur *ad Roman. 5.* Ergo videtur quod Hieremias non debuerit pro tribulationibus in maledictionem prorumpere. Praeterea. Dies creatura Dei est. Maledicere autem creaturae Dei est peccatum. Ergo et caet. Praeterea dies transitorium quid est; et huic poenam maledictionis aptare stultum est. Ergo et caetera. Praeterea. Nullus debet innocenti maledicere. Sed ille homo in hoc quod Hieremiam non interfecit, innocens fuit. Ergo peccavit ipsi maledicendo. Ad primum dicendum, quod tribulationes in se consideratae malae sunt, inquantum contrariantur naturae bonae, ut dicit Augustinus: et sic eas abhorrere naturali odio, peccatum non est. Si tamen propter eas ratio a sua rectitudine deduceretur, hoc esset peccatum. Consideratae autem secundum quod promovent in bonum, sic sancti in ipsis gloriantur, sicut infirmus in sectione per quam sanatur. Ad secundum dicendum, et ad tertium, quod diei in sua natura consideratae non maledicit, quia hoc esset stultum, et peccatum; sed inquantum mala est, prout scilicet aliquid mali in ipsa accidit, sicut e contra dies festus agitur propter aliquod bonum, quod die illo accidit, et hoc significat illa maledictio. Gregorius tamen respiciens ad naturam ipsius diei dicit, quod ad literam non potest intelligi. Et similiter dicendum ad ultimum, quod non maledicit illis hominibus, nisi inquantum relationem habent ad suum actum. Unde per hoc dat intelligere horrorem suum, hiperbolice loquens, et taedium vitae suae propter angustias quas patiebatur. Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit maledictionem contra nativitatis tempus, *Maledicta dies: Iob 3. Pereat dies in qua dictum est, conceptus est homo.* Contra nativitatis nuncium, *Maledictus vir ... gaudium: Genes. 21. Gaudium fecit mihi Dominus, et quicunque audierit, corridebit mihi.* Et explicat maledictionis modum, *Sit homo ... civitates: Is. 25. Posuisti civitatem in tumultum, urbem fortem in ruinam.* Et contra vitae ministrum, qui scilicet vitam conservavit, *Audiat clamorem*, scilicet mortis, *Ut fieret ... sepulcrum*, quasi non commutatus esset inter homines, *Conceptus aeternus*, qui scilicet nunquam ad debitum partum pervenisset: *Iob 3. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?* Secundo ponitur maledictionis ratio, *Quare de vulva: Supra 15. Vae mihi mater mea, quare genuisti me virum rixae, virum discordiae in universa terra? 1. Mach. 2. Vae mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctae, et sedere illic cum datur in manibus inimicorum?* Nota super illud verbum, *Seduxisti me Domine* etc. *et invaluisti* etc. quia Dominus seducit trahendo persuasionibus: *1. Cor. ult. Cum essem astutus, dolo vos cepi.* Alliciendo consolationibus: *Apocaly. 10. Cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* Confortando promissionibus: *Supra 4. Ergone decepisti populum istum, et Hierusalem, dicens pax erit vobis? Et ecce pervenit gladius usque ad animam.* Invalescit autem Dominus corrigendo: *Isaiae 8. In forti manu sua erudivit me, ne irem in via populi huius.* A noxiis retrahendo: *Osee: Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.* Amore alligando: *Osee 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

## a CAP. XXI.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, quando misit ad eum Rex Sedecias Phassur filium Melchiae, et Sophoniam filium Maasiae sacerdotem dicens: Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor Rex Babylonis praeliatur adversum nos, si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, et recedat a nobis. Et dixit Hieremias ad eos: Sic dicetis Sedechiae: Haec dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego convertam vasa belli, quae in manibus vestris sunt, et quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, et Chaldaeos qui obsident in circuitu murorum, et congregabo ea in medio civitatis huius, et debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et indignatione, et in ira grandi, et percutiam habitatores civitatis huius.

b Homines et bestiae pestilentia magna morientur. Et post hoc ait Dominus: Dabo Sedeciam regem Iuda, et servos eius, et populum eius, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, et in manu quaerentium animam eorum, et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, neque parcet, neque miserebitur. Et ad populum hunc dices: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego do coram vobis viam vitae, et viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio et fame et peste; qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus. In manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni. Et domui regis Iuda: Audite verbum Domini, domus David. Haec dicit Dominus, iudicate mane iudicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat propter malitiam studiorum

vestrorum. Ecce ego ad te habitatricem vallis solidae atque campestris, ait Dominus, qui dicitis, Quis percutiet nos, et quis ingredietur domus nostras? Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, et succendam ignem in saltu eius, et devorabit omnia in circuitu eius.

## a CAP. XXI.

Hic ponitur comminatio contra reges, qui obtinent summum gradum in potestate saeculari. Et primo, secundum quod reges puniuntur per poenam populi. Secundo, secundum quod puniuntur in propria persona, *22. c. Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo ponitur regis interrogatio, vel petitio, *Interroga;* quasi dicat, quaeras divinum responsum, *Et ora pro nobis.* Hic Phassur non est idem qui supra, quia ex alio patre natus: *Isa. 37. Dies tribulationis, et correctionis blasphemiae dies haec, quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi:* et *infra: Leva ergo orationem pro reliquiis quae repertae sunt.* Secundo ponitur prophetae responsio, *Et dixit Hieremias.* Et primo comminatur poenam quantum ad tempus, ante civitatis captionem contra tria, in quibus confidebant, scilicet in armorum munitione, *Ecce convertam;* quasi dicat, Arma quae contra hostes assumpsistis, in vosipsos convertentur, quia contra vos invicem pugnabitis: *Psal. 12. Convertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Vel convertentur quasi sine fructu. Confidebant etiam in murorum fortitudine: contra quod dicit, *Et Chaldaeos;* quasi dicat, non impedientibus muris: *Thren. 4. Non crediderunt reges terrae, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, et inimici per portas Hierusalem.* Confidebant etiam in divina protectione: contra quod dicit, *Et debellabo...manu extenta,* idest potentia mea ad vindictam parata, *Forti*, cui resisti non potest, *Furore*, quantum ad pessimos, *Indignatione*, quantum ad minus peccantes, *In ira grandi*, contra mediocres.

b Hic tangit modum impugnationis: *Ezech. 20. In manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso, regnabo super vos, et adducam vos in desertum populorum, et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.* Et quantum ad tempus, post urbis captionem, *Et post hoc*, comminans poenam, *Dabo Sedeciam: Thren. 1. Dedit me Dominus in manu* etc. Et excludit misericordiam, *Et non flectetur precibus, vel muneribus, Neque parcet*, propter pristinam amicitiam, *Neque miserebitur*, ex compassione miseriae: *Prover. 6. Zelus et furor viri non parcet in die vindictae, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Et hoc quia pactum non servavit: *Ezech. 17. Qui dissolvit pactum, nunquid effugiet?* Secundo proponit eis salutis viam ad populum, *Et ad populum.* Et primo dat eis eligendi libertatem, *Ecce ego do: Eccles. 15. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ponit disiunctionem, *Qui habitat: Isa. 51. Egredimini de medio eius populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.* Et assignat rationem, *Posui enim: Supra 1. Ollam succensam ego video.* Et ad regem, *Et domui*, scilicet dices, ponens consilium, *Iudicate mane: Psal. 81. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Et ponit imminens periculum, *Ne forte: Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Tertio excludit falsam fiduciam, ponens confidentiae causam, *Ecce ego ad te*, idest arcem Hierusalem habitatricem vallis solidae atque campestris: erat enim Hierusalem in latere montis versus vallem Arnon. Ergo pars erat in valle. Vel dicitur despective, sicut *Isa. 22. Onus vallis visionis* etc. Et etiam ex monte habebat soliditatem, fortitudinem, et firmitatem. Et ex fructiferis vallibus habebat fertilitatem. Et superbam audaciam, *Qui dicitis: Abdiae: Qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram.* Et comminatur poenam, *Et visitabo, saltus*, infructuosum populum: *Ioel. 1. Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis.*

## a CAP. XXII.

Haec dicit Dominus: Descende in domum regis Iuda, et loqueris ibi verbum hoc, et dices: Audi verbum Domini rex Iuda, qui sedes super solium David, et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. Haec dicit Dominus: Facite iudicium, et iustitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris: et advenam et pupillum et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique, et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus huius reges sedentes de genere David super thronum eius, et ascendentes currus, et equos, ipsi et servi et populus eorum. Quod si non audieritis verba haec, in memetipso iuravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus haec, dicit Dominus super domum regis Iuda. Galaad tu mihi caput Libani. Si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles. Et sanctificabo super te interficientem virum, et arma eius, et succident electas cedros tuas, et praecipitabunt in ignem, et pertransibunt gentes multae per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi? Et respondebunt: Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, et adoraverint deos alienos, et servierint eis. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu. Plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suae. Quia haec dicit Dominus ad Sellum Iosiae regem Iuda, qui regnavit pro Iosia praedecessore suo, qui egressus est de loco isto: Non revertetur huc amplius, sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit amplius.

b Vae qui aedificat domum suam in iustitia, et caenacula sua non in iudicio. Amicum suum opprimet frustra, et mercedem non reddet ei. Qui dicit, Aedificabo mihi domum latam, et caenacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque synopide. Nunquid regnabis, quoniam confers te cedro? Pater tuus nunquid non comedit, et bibit, et fecit iudicium et iustitiam, tunc cum bene erat ei? Iudicavit causam pauperis, et egeni in bonum suum. Nunquid non ideo, quia cognovit me, dicit Dominus. Tui vero oculi, et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis. Propterea haec dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiae, regem Iuda: Non plangent eum, Vae frater et vae soror: non concrepabunt ei, Vae Domine et vae inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Hierusalem. Ascende Libanum, et clama, et in Basan da vocem tuam, et clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. Locutus sum ad te in abundantia tua, dixisti, Non audiam. Haec est via mea ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam. Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt. Et tunc confunderis, et erubesces ab omni malitia tua, quae sedes in Libano, et nidificas in cedris. Quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?

c Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu quaerentium animam tuam, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu Chaldaeorum. Et mittam te et matrem tuam quae genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. Et in terram ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, et non revertentur. Nunquid vas fictile atque contritum vir iste Iechonias? Nunquid vas absque omni voluptate? Quare abiecti sunt ipsi et semen eius, et proiecti sunt in terram quam ignoraverunt.

d Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: Haec dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda.

## a CAP. XXII.

Hic ponitur comminatio contra reges, secundum quod in persona propria puniuntur: et circa hoc tria facit. Primo enim ponitur annunciandi praeceptum, et designat praedicationis locum, *Descende*, quia templum ubi propheta stabat ad orandum, in eminentiori situ erat: *Act. 10. Descende, et vade cum his nihil dubitans, quia ego misi illos.* Secundo dat salutis consilium, petens auditum, *Audite: Psal. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Proponens consilium ut faciat bonum, servans iustitiam, *Haec dicit Dominus... iudicium*, executionem iustitiae, quod proprie regis et iudicis est: *Sap. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Et impediendo calumniam, *Et liberate: Psal. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Et ut vitet malum quantum ad iniustitiam, ablationem rerum, *Et advenam: Exod. 22. Advenam non contristabis, neque affliges eum.* Et quantum ad occisionem innocentum, *Et sanguinem innocentem: Exod. 23. Insontem, et iustum non occides, quia adversor impium.* Et ponit consilii fructum, proponens praemium servantibus, *Si enim facientes, Supra 17.* idem. Et poenam contemnentibus. *Quod si in memetipso*, quia maiorem non habeo: *Hebr. 6. Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iuravit per semetipsum in solitudine: Isa. 1. Desolabitur sicut in vastitate hostili, domus*, regia, vel templum. Tertio praedicit imminens periculum. Et primo in regiam urbem, tangens gloriam, *Quia haec dicit Dominus, Super solium*, scilicet Hierusalem: *Tu mihi caput*, idest tu fuisti mihi caput in toto regno, sicut Galaad caput in planitie, quae est in summitate Libani, ubi Laban invenit Iacob, *Gen. 31. Ps. 86. Diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob.* Praedicit futuram poenam, ponens poenae inflictionem, quantum ad desolationem urbium, *Si non proposuero;* quasi dicat, non credatur mihi, *Urbes*, tibi subditas: *Ioel. 2. Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti.* Et quantum ad occisionem hominum, ponens interficientem, *Et sanctificabo;* quasi dicat, ad meum praeceptum implendum deputabo. Simile *Isa. 13. Ego mandavi sanctificatis meis, et vocabo fortes meos in ira mea* etc. Et interfectionem, *Et succident cedros*, idest maiores de populo, ut servetur metaphora: *Zac. 11. Aperi Libane portas, et comedet ignis cedros tuos, ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt.* Ponens etiam poenae inflictae stuporem, *Et pertransibunt gentes*, ubi ponit interrogationem stupentium, *Quare fecit:* et responsionem audientium, *Et respondebunt: Deuter. 29. Et dicent omnes gentes, Quare sic fecit Dominus terrae huic? Quae est ira furoris eius immensa?* Et respondebunt: *Quia dereliquerunt pactum Domini quod pepigit cum patribus eorum* etc. Secundo ponitur comminatio contra regiam stirpem. Et primo contra Ioachim filium Iosiae, ibi, *Quia haec dicit* etc. Secundo contra Ioatham filium Iosiae, ibi, *Vae qui aedificat* etc. Tertio contra Iechoniam filium Ioachim, ibi, *Vivo ego* etc. Et de his habetur *5. Reg. 24.* Circa primum duo. Primo

ponitur comminatio, ubi interdicit luctum pro Iosia occiso, *Mortuum*, scilicet Iosiam: *Eccl. 22. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.* Et indicit planctum pro Ioatham a Pharaone captivato, *Plangite eum: Iob 29. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra inturbitur eum locus suus.* Fletus autem dicitur cum emissione lacrymarum, luctus addit quandam solemnitatem; sed planctus adhuc addit conquestionem per verba. Secundo ponitur comminationis confirmatio per sententiam divinam, *Quia haec dicit Dominus ad Selium*. Ioachim, quia omnes filii Iosiae dicti sunt Sellum, idest consummatio, eo quod in ipsis regnum finitum sit: *Isa. 22. Quasi pilam mittet te Dominus in terram latam et spatiosam.* Et secundum hoc tota prophetia istius capituli facta est temporibus Ioachim: et dicit captivitatem Ioatham quasi praeteritam, et praedicit aliorum captivitatem quasi futuram; sed Hieremias vult quod istud quod dictum est, exponatur de Sedecia, et quod hucusque prophetia facta sit temporibus Sedeciae a principio 2. *c.* et deinceps super Ioachim.

b Hic ponitur comminatio contra Ioachim. Et primo arguit culpam iniustae aedificationis, ponens iniustum aedificium, *Vae*, ei, *Qui aedificat*, scilicet Ioachim filio Iosiae, *Caenacula*, cameras, et proprie illas ad quas ascenditur scalis vel gradibus a caenando dictas: *Eccle. 21. Qui aedificat domum suam impensis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme, Amicum suum*, petens scilicet auxilium ad aedificandum: *Levitic. 19. Non remaneat merces mercenarii tui apud te usque mane.* Ponens etiam aedificii ornatum, *Qui dicit, aedificabo... laquearia*, quae cameris elevatis in solarium observatione succendunt, *Synopide*, colore rubeo dicto a Synope civitate Persarum. Secundo excludit falsam fiduciam, qua promittebat sibi prosperitatem, quam pater suus Iosias habuerat, ponens stultam comparationem, *Nunquid regnabis... te cedro*, patri tuo: *Psalm. 36. Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani.* Et ostendens eorum discretionem, proponens patris iustitiam, *Pater tuus comedit.* Et tamen propter abundantiam non deseruit iustitiam, et ideo prospere sibi successit: *Iob 29. Cumque sederem quasi ex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator.* Et proponens filii iniustitiam, *Tui vero oculi*, quantum ad cogitationem, *Et cor*, quantum ad affectionem cordis, *Ad avaritiam*, quantum ad iniustam rerum ablationem, *Calumniam*, falsam criminis impositionem, ut tali occasione opprimeret, *Ad cursum mali;* quasi dicat, quod corde conceperas, opere explebas: *Genes. 6. Cuncta cogitatio humani cordis intenta est ad malum omni tempore.* Tertio comminatur poenam, *Propter hoc dicit Dominus.* Et primo quantum ad ipsum regem, privatione planctus, *Non plangent*, consanguinei, *Non concrepabunt*, simul concordantes subditi: *Supra 16. Non plangetur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt.* Et privatione sepulturae, *Sepultura asini*, quia proiectus bestiis devorandus: *Isa. 14. Omnes reges gentium, universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autem proiectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta loci.* De illo autem Ioachim diversa in diversis inveniuntur: *4.* enim *Reg. 14.* dicitur, quod immisit Dominus latrunculos vicinarum gentium contra ipsum qui interfecerunt ipsum, et dormivit cum patribus suis: *2.* vero *Paralip. 36.* dicitur, quod ascendit contra eum Rex Babyloniae, et duxit eum in Babyloniam quasi captivum. Iosephus autem dicit, quod cum ingressus esset civitatem Nabuchodonosor vel Nabuzardam, fregit pactum, et interfecit multos iuvenes, cum quibus et Ioachim. Hic autem dicitur, quod fuit insepultus. Et ideo ad concordiam omnium horum sciendum est, quod ille Ioachim substitutus fuit a Pharaone Ioatham fratri suo, et regnavit post cum Rege Aegypti. Tandem octavo anno regni eius venit Nabuchodonosor contra eum, et tradidit se sibi: et factus est ei tributarius duobus annis, in decimo autem anno rebellavit. Unde Nabuchodonosor venit contra eum, et captivum ducebat in Babyloniam, cui in via confoederatus est, et reversus est in Hierusalem. Sed Nabuzardam congregatis latrunculis vicinarum gentium intravit Hierusalem, et frangens pactum, interfecit eum. Quo sepulto in sepulcris regiis a populo terrae, Nabuzardam indignatus fecit eum effodi, et proiici bestiis devorandum. Secundo contra principes ipsius ponens eorum contritionem, *Ascende Libanum*, montem templi, *In Basan*, quae subiacet monti Hierusalem: *Isa. 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Syon. Amatores*, principes et defensores, ponens etiam huius rationem ex inobedientia, *Locutus sum, in abundantia*, idest quando bonis a me traditis abundabas: *Supra 6. Audite vocem tubae. Et dixerunt, non audiemus.* Et ex antiqua consuetudine, *Haec est via*, scilicet inobedientia, *Ab adolescentia*, scilicet a tempore quo egressa es de Aegypto: *Isa. 48. Transgressorem ex ventre vocavi te: Supra 2. A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti non serviam.* Et ponit contritionis modum et ordinem, *Omnes pastores*, idest principes, *Ventus*, dispersionis in captivitatem, *Amatores, Aegyptii: Osee 12. Ephraim pascit ventum, et sequitur aestum.* Tertio comminatur contra ipsam civitatem regalem confusionem, *Et tu qui sedes*, in quo designatur superbia: *Roma. 6. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Et dolorem, *Quomodo congemuisti*, praeteritum pro futuro, *Parturientis: Psalm. 47. Ibi dolores ut parturientis.*

c Hic ponitur comminatio contra Iechoniam. Et primo comminatur captivitatem. Secundo sterilitatem, ibi, *Terra* etc. Circa primum duo. Primo ponitur captivitatis comminatio, quia comminatur dignitatis amissionem, et divini auxilii destitutionem, *Si fuerit*, quantumcumque in loco mutato sit, quamvis rex populi mei, *Evellam*, privando ipsum dignitate sua et auxilio meo: *Apocalyp. 2. Amovebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.* Comminatur etiam hostium servitutem, *Et dabo te: Thren. 1. Dedit me Dominus in manu de qua non potero effugere.* Comminatur etiam captivitatem, *Et mittam: Baruch 3. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena?* Secundo ponitur comminationis admiratio, *Nunquid*, quasi nullam soliditatem virtutis, vel potentiae habens, *Voluptate*, quia Dominus in ipso non delectatur: *Eccles. 21. Cor fatui*

*quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.*

d Hic comminatur sterilitatem, quia nec tenebit fructum praesentis prosperitatis, *Terra;* quasi dicat, Ex quo homines non audiunt, saltem insensibilia obediant. Vel est methonimia, continens pro contento: et dicit ad maiorem expressionem. Vel propter tres partes terrae: *Deut. 32. Audiat terra verba oris mei. Scribe,* quasi sententiam, quae scripto traditur ut in memoria conservetur: *Supra 17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino. Sterilem,* quia mente non concipiet ea quae sibi forent utilia, *Non prosperabitur,* in operibus suis. Erit etiam sterilis quantum ad fructum successionis in dignitate regali, *Nec enim erit vir,* qui sit purus homo: Christus enim de semine eius fuit Deus et homo, *Matth. 1.* Nec illo regnandi modo rex fuit, sed regnat aeternaliter ad dexteram Dei Patris, *Potestatem habeat,* quasi regiam, quia Zorobabel nepos eius rex populi non fuit: *Infra 56. Non erit ex eo qui sedeat super solium David* etc. Nota super illud, *Nolite fiere super mortuum,* quod non multum plorandum est super mortuum, propter planctus inutilitatem: *Ecclesiast. 38. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te.* Propter mortis comminationem: *2. Reg. 14. Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur.* Propter culpae immunitatem: *Sapien. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Propter laboris quietem: *Apocalyp. 14. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Propter gloriae consecutionem: *2. Corinth. 5. Scimus enim, quod si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed aeternam in caelis.* Item super illud, *Omnes pastores tuos pascet ventus,* nota quod pastores ecclesiae quandoque pascit ventus elationis: *Is. 57. Omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Ventus nimiae expectationis: *Eccles. 34. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.* Ventus captivitatis: *Ezech. 5. Tertiam partem disperges in ventum, et gladium nudabis post eos.* Et futurae damnationis: *Supra 17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico, dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.*

## a CAP XXIII.

Vae pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus. Ideo haec dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum, et eiecistis eos, et non visitastis eos:

b Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc, et convertam eos ad rura sua, et crescent, et multiplicabuntur, et suscitabo super eos pastores, et pascent eos. Non formidabunt ultra, et non pavebunt, et nullus quaeretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.

c Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra, Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed vivit Dominus qui eduxit, et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, et de cunctis terris ad quas eiecceram eos et illuc, et habitabunt in terra sua.

d Ad prophetas: Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea. Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum eius, quia adulteriis repleta est terra: quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti. Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis.

e Propheta namque et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim, et corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. Et in prophetis Samariae vidi fatuitatem, et prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israel. Et in prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii. Et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua. Facti sunt mihi omnes ut Sodoma, et habitatores eius quasi Gomorrha. Propterea haec dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle. A prophetis enim Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram.

f Haec dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, quae prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me, Locutus est Dominus, Pax erit vobis, et omnibus, qui ambulant in pravitate cordis sui dixerunt, Non veniet super vos malum. Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit et audivit sermonem eius? Quis consideravit verbum illius, et audivit? Ecce turbo dominicae indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui. In novissimis diebus intelligetis consilium eius. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et non fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et cogitationibus suis pessimis.

g Putas ne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus? Audivi quae dixerunt prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in cor prophetarum vaticinantium mendacium, prophetantium seductiones cordis sui? Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum, quae narrant unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. Propheta qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?

h Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea, unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus qui assumunt linguas suas, et aiunt, Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, dicit Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.

i Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta aut sacerdos dicens, quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus. Proiiciam quippe vos, dicit Dominus. Et propheta et sacerdos et populus qui dicit, Onus Domini, visitabo super virum illum, et super domum eius. Haec dicetis unusquisque ad proximum, et ad fratrem suum: Quid respondit Dominus, et quid locutus est Dominus. Et onus Domini ultra non memorabitur, quia onus erit unicuique sermo suus. Et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri. Haec dices ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus, et quid locutus est Dominus? Si autem onus Domini dixeritis, propter hoc haec dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum, Onus Domini, et misi ad vos dicens: Nolite dicere, Onus Domini, Propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem quam dedi vobis, et patribus vestris a facie mea, et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam aeternam, quae numquam oblivione delebitur.

## a CAP. XXIII.

Hic ponitur comminatio contra omnes principes in generali. Et primo ponitur comminatio contra malos principes. Secundo ponitur discretio bonorum a malis, ibi, *Ostendit mihi Dominus, c. 24.* Prima dividitur in duas. Primo ponitur comminatio contra praeeminentes in populo ex auctoritate regiminis, scilicet praelatos. Secundo contra praeeminentes in populo ex privilegio divinae revelationis, scilicet prophetas, ibi, *Ad prophetas* etc. Circa primum duo. Primo arguit culpam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Ecce ego* etc. Circa primum duo. Primo ponitur populi dispersio, *Dispergunt*, expellendo de terra sua, *Dilacerant*, occidendo vel spoliando: vel propter tyrannidem quam in eos exercebant: vel quia fuerunt occasio, ut populus haec ab hostibus pateretur, dum in peccatis viventes populum a peccatis non retrahebant: *Infra 50. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, fecerunt que vagari in montibus.* Secundo ponitur pastorum increpatio, *Ideo haec dicit Dominus...eiecistis*, occasionaliter, vel propter tyrannidem: *Ezec. 34. Cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.*

b Hic comminatur poenam. Et primo ponitur contra pastores comminatio, *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.* Secundo ponitur consolatio dispersi gregis, *Ego congregabo.* Ubi primo ponit congregationem: *Ezec. 34. Educam eas de populis, et congregabo eas de terris* etc. Et status prosperitatem, *Et crescere: Ge. 1. Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Secundo promittit eis praelatorum emendationem. Et primo promittit eis solicitos principes, ponens pastorum solicitudinem, *Et suscitabo*, quando iam in nihilum decideritis, *Pastores*, Esdram et alios secundum quosdam. Sed melius Apostolos: *Supra 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Et solicitudinis utilitatem, scilicet securitatem, *Non formidabunt*, quantum ad signa timoris exterius, *Et non pavebunt*, interius, *Et nullus quaeretur ex numero;* quasi dicat, Nullus de numero Ecclesiae timebit, vel deficiet ex negligentia Apostolorum. Vel refert ad numerum praedestinatorum: *Io. 17. Nemo ex eis periit nisi filius perditionis.* Ista tamen securitas non perficitur in vita ista, sed perficietur, quoniam perfecta caritas foras mittit timorem, *1. Io. 4.* Consummabitur autem in futuro. Secundo promittit eis optimum regem, ostendens temporis congruitatem. *Ecce*, propter certitudinem, *Dies*, gratiae: *2. Corin. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Venientis regis conditionem, quantum ad nobilitatem generis, *Et suscitabo: Infra 33. Germinare faciam David germen iustitiae, et faciet iudicium et iustitiam in terra.* Quantum ad auctoritatem dignitatis, *Et regnabit rex*, non solum super Iudaeos, sed etiam super omnes reges: *Luc. 1. Et regnabit in domo Iacob in aeternum: Dan. 7. Cuius regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei:* et obediens, quantum ad sapientiam cordis, *Et sapiens erit*, immo ipsa sapientia: *1. Cori. 1. Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et quantum ad

executionem iuris, *Et faciet iudicium*, in primo adventu contra diabolum, qui dicebatur princeps mundi: *Io. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur*, scilicet in tenebras exteriores. In secundo vero contra omnes puniendo per generalem sententiam: *Io. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Et iustitiam, quam docuit servandam: *Mat. 5. Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Et ad implendum auxilium gratiae. Unde ponit adventus utilitatem, quantum ad salutem a poenalitate, *In diebus illis salvabitur*, in primo adventu particulariter. In secundo adventu universaliter, quando omnis Israel salvus fiet, *Ro. 11. Isa. 10. Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo.* Et quantum ad securitatem, *Et Israel:* et hoc exponendum est, ut supra: *Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis iustitiae, et in requie opulenta.* Iuda dicit, quantum ad duas tribus Israel, quantum ad decem, ad significandum quod in fide Christi concordes erunt: *Osee 1. Et ponent sibimet caput unum* etc.

c Hic ostendit beneficii magnitudinem ex hoc quod ob hoc beneficium oblivioni tradetur pristinum beneficium. Et potest referri ad liberationem factam per Titum. Vel melius ad liberationem factam per Christum: *Isa. 43. Nec memineritis priorum, et antiqua ne intueamini* etc.

d Hic ponitur comminatio contra prophetas, sicut titulus ipse declarat. Et primo ponitur comminatio contra prophetas. Secundo contra prophetarum irrisiones, ibi, *Si igitur.* Circa primum duo. Primo ponit prophetarum deceptionem. Secundo ponit deceptionum diversitatem, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo ponit effectum deceptionis in populo. Secundo ponit decipientium prophetarum peccatum, ibi, *Propheta* etc. Circa primum duo. Primo ponitur prophetae compassio super futura contritione, quam designat per contritionem cordis, *Contritum*; per tremorem corporis, *Contremuerunt*, sicut solet turbatis accidere: per impedimentum cognitionis, *Factus sum ebrius*, qui non habet usum rationis; et hoc ex magnitudine stuporis: *Madidus a vino*, qui habet quidem rationis usum, sed impeditum propter multam potationem: *A facie Domini*, a praesentia revelationis ipsius, qui mihi se iratum contra Iudaeos dicit, *Verborum sanctorum eius*, quibus mihi culpam ipsorum notificavit, et poenam praedixit: *Psalm. 21. Dispersa sunt omnia ossa mea, factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei: Isa. 29. Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate, inebriamini, et non a vino, movemini, et non in ebrietate* etc. Secundo ponitur populi dissipatio. Et primo quantum ad culpae magnitudinem, *Adulteris*, idolatria scilicet et aliis peccatis, *Terra*, Iudaeorum: *Isaiae 1. Repleta est terra eius idolis* etc. Secundo quantum ad poenae inflictionem, quia *A facie maledictionis*, scilicet divinae, *Luxit*, sterilis facta: *Isai. 24. Luxit, et defluxit terra, et infirmata est* etc. Tertio quantum ad obstinationem, *Factus est*, quia ad malum parati sunt pro peccatis: *Prov. 1. Pedes eorum ad malum currunt. Dissimilis*, fortitudini sanctorum patrum, qui in servitio Dei seipsos exercebant: *Prov. 15. Cor stultorum dissimile erit.*

e Hic ponitur malitia prophetarum quasi causa malitiae populi. Et primo in generali ponens culpam, *Polluet*, diversis criminibus, *In domo mea*, scilicet templo vel populo: *Supra* enim: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et subiungens poenam, *Idcirco via... lubricum*, idest corruent in peccatis suis sicut in tali via: *Ps. 34. Fiat viae illorum sicut tenebrae et lubricum.* Et exponens ipsum, *Quia afferam mala poenae: Supra 11. Inducam super viros Anathoth annum visitationis eorum.* Secundo in speciali. Et primo ponit culpam quantum ad prophetas decem tribuum, *Et in prophetis Samariae fatuitatem*, quia excelsa idola colebant, sicut illi quos occidit Helias, *4. Reg. 19. Isa. 9. Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Et prophetarum duarum tribuum, *Et in prophetis Hierusalem... similitudinem*, quia indirecte populum ad idolatriam provocabant, cum mendaciter prospera idolatris promittebant: *Ezec. 13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt.* Secundo ponit iram divinam, *Facti sunt*, ut *Sodoma*, scilicet prophetae in tantas abominationes eos habeo: *Eius*, scilicet Hierusalem: *Isa. 1. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei vestri populus Gomorrhae.* Tertio comminatur poenam, *Propterea haec dicit Dominus, ecce ego: Supra 9. Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis.* Et assignat causam, quare specialiter prophetis comminatur, *A prophetis enim Hierusalem: Dan. 13. Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.*

f Hic ponit diversos modos deceptionis. Et primo exponit ipsos. Secundo summatim eos colligit, ibi, *Propterea ecce ego ad prophetas.* Circa primum duo. Primo ponit modum decipiendi per verba ficta, quando scilicet nihil videbant, sed fingebant se visionem a Domino accepisse. Secundo ponit modum decipiendi per somnia vana, dum somniis phantasticis quasi divinis revelationibus adhaerebant, ibi, *Putas ne* etc. Circa primum tria. Primo ponitur prohibitio ad populum ne tales pseudoprophetas audiant, eis obediendo et credendo, *Nolite audire: Deut. 13. Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetae illius, aut somniatoris* etc. Secundo inducitur pro causa prophetarum deceptio, quantum ad praesumptam auctoritatem, quia se nuncios Dei mentiebantur, *Visionem cordis: Ezech. 13. Vae prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident* etc. Quantum ad falsam promissionem, *Dicunt his qui blasphemant: Supra 6. Curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, et non erat pax.* Et quantum ad erroneam probationem, *Quis enim affuit*, qui enim *Isai. 40.* dicitur, *Quis consiliarius eius fuit*, volebant

debilitare comminationes propetarum, ne eis crederetur quasi divina consilia ignorantibus, perverse intelligentes, quia per verbum illud non excluditur cognitio divini consilii per revelationem, sed per humani ingenii comprehensionem. *Et vidit*, quasi praesens, *Consideravit*, quasi absens: *Matth. 22. Erratis nescientes Scripturas.* Secundo ostendit eorum falsitatem. Et primo quantum ad falsam promissionem, ponens poenam, *Ecce turbo*, dispergens captivatos tempore gravis afflictionis, *Impiorum*, quibus pacem promittebant. Unde constat eos non esse bonos prophetas: *Deu. 18. Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus: Ps. 96. Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Et excludit misericordiam, *Non revertentur: Isa. 55. Sic erit verbum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud.* Et inducit poenae effectum, *In novissimis*, quando poenas sustinueritis, *Intellige*, per experimentum: *Ps. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Secundo quantum ad praesumptam auctoritatem, *Non mittebam: Supra 14. Non misi eos, non praecepi eis, neque locutus sum ad eos.* Tertio quantum ad falsam probationem, *Si stetissent*, sicut veri prophetae, *Avertissem*, populum, vel ipsos prophetas: *Sup. 15. Si converteris, convertam te.*

g Hic ponit alium modum deceptionis per somnia: et circa hoc tria. Primo inducit probans divinum testimonium, ostendens testem idoneum, quia habet scientiam remotorum, *E vicino*, ut tantum quae in caelis sunt cognoscam, ubi sedes mea dicitur: vel etiam bona et non mala quae a me longinqua sunt: *Sap. 8. Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et quia habet scientiam occultorum, *Et si occultabitur vir in absconditis*, cogitationum, vel locorum: *Eccl. 16. Non dicas, a Deo abscondar, et ex summo, quis mei memorabitur?* Et probat utrunque, *Nunquid non caelum et terram*, et ita non est a mea cognitione remotum, *Impleo*, quasi interius penetrans, et ita non est mihi occultum: *Isa. ult. Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Audivi: Eccl. 34. Vana spes et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes.* Secundo increpat deceptionis vitium, quantum ad culpae continuitatem, *Usquequo istud: Psal. 4. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Et quantum ad intentionem operis vel operantis, *Qui volunt facere: Ezech. 13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt, mentientes populo meo* etc. Tertio inducit verae doctrinae praecepta, *Propheta qui habet somnium narret*; quasi dicat, quicunque gradus prophetalis visionis: *Rom. 12. Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* etc. Et ponit rationem, *Quid est paleis ad triticum;* quasi dicat, Verba mea sunt triticum ad reficiendum: *Supra 14. Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et laetitiam cordis mei: Psalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et, *Igni*, ad accendendum: *Ps. 118. Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et iterum *104. Eloquium Domini inflammavit eum. Malleus*, ad emolliendum dura corda: *Osee 6. Propter hoc dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei.* Et ideo non sunt miscenda spinis: *2. Cor. 6. Quae societas lucis ad tenebras, aut quae conventio Christi ad Belial?*

h Hic recolligit tres modos deceptionis. Et primus est ex Scripturae depravatione, *Qui furantur*, quasi ad alium sensum quam prophetae veri voluerint: *Ioan. 10. Qui non intrat per ostium in ovile, ille fur est et latro.* Secundus est ex verborum fictione, *Ad prophetas*, idest contra eos, *Assumunt*, fingentes verba: *Supra 9. Docuerunt linguas suas loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt.* Tertius est ex somniorum adhaesione, *Ecce ego. . miraculis*, ampullosis verbis: *Isa. 69. Videntes, et amantes somnia.*

i Hic comminatur contra prophetarum irrisiones. Sicut enim Isaiae temporibus irridebant, *Manda, remanda, expecta, reexpecta* etc. *Isa. 28.* ita modo verbum quod Isaias adinvenerat quasi ad designandum poenae gravitatem, scilicet onus Domini, irridebant. Unde circa hoc tria facit. Primo increpat irridentem populum, comminans poenam quantum ad interrogantes, *Interrogaverit*, irrisorie, *Vos estis onus.* Ut per quae quis peccat, per haec et torqueatur, *Sapien. 11. Isa. 1. Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens* etc. Et quantum ad colloquentes, *Et propheta: Psal. 89. Visitabo in virga iniquitates illorum, et in verberibus peccata eorum.* Secundo prohibet irrisiones verborum. Et primo ponitur praeceptum, in quo ostenditur modus loquendi, *Haec dicetis.* Et prohibetur irrisio, *Quia onus Domini, onus erit*, idest pro verbis suis gravi poenae obligatur: *Matth. 11. Ex verbis tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Et assignatur irrisionis ratio, *Et pervertisti*; quasi dicat, ideo prohibeo, quia in derisum vertistis: et concludit, *Haec dices: Ezech. 31. Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos.* Tertio comminatur poenam. Et primo poenam captivitatis, *Ecce ego.* Loquitur ad similitudinem eius, qui grave pondus in altum tollit, ut fortius cadere faciat: *Apoc. 18. Sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra non invenietur.* Secundo poenam confusionis, *Et dabo vos.* Et potest referri ad poenam successionis. Vel ad ignominiam qua in captivitate deserti sunt. Et ignominia dicitur peccatum, vel opprobrium non dignum nominari: *Supra 20. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.* Nota super illud, *Ecce dies veniunt* etc. quod tempus gratiae dicitur dies propter luminis apparitionem: *Rom. 13. Nox praecessit, dies autem appropinquavit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Propter solis calorem: *2. Reg. 11. Cras erit vobis salus.* Propter itineris securitatem: *Io. 11. Si quis ambulaverit in die, non offendet, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Propter vigilantiam et sobrietatem: *1. Thes. 5. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.*

## a CAP. XXIV.

Ostendit mihi Dominus, et ecce duo calathi pleni ficis positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor Rex Babylonis Iechoniam filium Ioachim regem Iuda, et principes eius, et fabrum, et inclusorem de Hierusalem, et adduxit eos in Babylonem. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis. Et calathus unus sicut habebat malas nimis, quae comedi non poterant, eo quod essent malae. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Hieremia? Et dixi: Ficus bonas valde, et malas, malas valde, quae comedi non possunt, eo quod sint malae. Et factum est verbum Domini ad me dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel: Sicut ficus hae bonae, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldaeorum in bonum, et ponam oculos meos super eos ad placandum. Et reducam eos in terram hanc, et aedificabo eos, et non destruam, et plantabo eos, et non evellam, et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus. Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo. Et sicut ficus pessimae quae comedi non possunt, eo quod sint malae, haec dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, et reliquos de Hierusalem, qui remanserunt in urbe hac, qui habitant in terra Aegypti. Et dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terrae, in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad quae eieci eos, et mittam in eis gladium, famem, et pestem, donec consumantur de terra, quam dedi eis, et patribus eorum.

## a CAP. XXIV.

Hic ponitur distinctio malorum principum a bonis, sub quadam similitudine. Et primo ponitur similitudinis ostensio, ponens visionem, *Ostendit*, imaginaria visione, vel argumentali, ut de ficubus quae ante templum vendebantur, prophetia sumeretur. Simile *supra 18.* de argumento figuli: *Nume. 12. Si quis fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Postquam transtulit... inclusorem*, argentarium, qui lapides argento, vel auro includit. Et hoc habetur secundum historiam *4. Reg. 25. Isa. 3. Ecce dominator Dominus exercituum auferet a Hierusalem, et ab Iuda validum, et fortem, omne robur panis, omne robur aquae* etc. Et visorum distinctionem, ponens bonas ficus, *Et unus calathus*, per quas boni significantur: *Osee 9. Quasi prima poma ficulneae in cacumine eius vidi patres eorum: Michaeae 7. Ficus praecoquas desideravit anima mea.* Et ponens malas, *Et calathus*, per quas significantur mali de populo: *Sup. 2. Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Secundo ponitur visionis expositio, ubi ponitur Domini interrogatio, quae est excitatio ad videndum, *Et dixit, Sup. 1.* idem. Et prophetae responsio, *Et dixi: ficus*, sic *Gen. 41.* de spicis, et vaccis in somnio Pharaonis. Tertio ponitur visionis expositio, *Et factum est verbum.* Et primo quantum ad bonos, adaptans similitudinem in promissione prosperitatis in generali, *Sicut ficus...cognoscam*, notitia approbationis: *1. Tim. 2. Novit Dominus qui sunt eius.* Et prosequitur in speciali, quantum ad bona corporis, ut reducat ad locum proprium, *Et ponam oculos: Eze. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et reducam vos in terram vestram.* Et ut restituat in prosperitatis statum, *Et reducam, et aedificabo*, in altum elevans, sicut fit in aedificatis. *Et non destruam*, ubi peccaverint, sicut *infra 42. Aedificabo vos, et non destruam, plantabo, et non evellam. Et plantabo*, in bonis confirmando: *31. Vigilabo super vos ut aedificem, et plantem, ait Dominus.* Et quantum ad bona, promittens Dei cognitionem, *Et dabo eis: Ezec. 36. Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.* Et obedientiae subiectionem, *Et erunt mihi: Apoc. 20. Ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Secundo quantum ad ficus malas, *Et sicut ficus.* Et primo comminatur eis afflictionem in terra sua. *Sic dabo Sedeciam: Supra 15. Dabo eis in fervorem universis regnis terrae, propter Manassem filium Ezechiae regis Iuda, super omnibus quae fecit in Hierusalem.* Secundo confusionem in terra captivitatis, *In opprobrium*, quantum ad peccatum culpae, *In parabolam*, in similitudinariam locutionem, vestra poena in exemplum recitabitur, *In proverbium*, quia ex his quae vobis acciderint, sumetur proverbium ad instructionem aliorum, *In maledictionem*, quantum ad imprecationem poenae poenitentialiter. Vel quia dicet quilibet alteri maledicens, sic faciat tibi Deus, sicut fecit illis: *Psal. 78. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.* Tertio poenam occisionis, *Et mittam: Supra 15. Qui ad mortem ad mortem, et qui ad gladium ad gladium, et qui ad famem ad famem* etc.

## a CAP. XXV.

Verbum quod factum est ad Hieremiam de omni populo Iudae in anno quarto Ioachim filii Iosiae regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis. Et locutus est Hieremias propheta ad omnem populum Iuda, et ad universos habitatores Hierusalem, dicens: A tertio decimo anno Iosiae filii Amon regis Iuda usque ad diem hanc ipse est tertius, et vigesimus annus, factum est verbum Domini ad me, et locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens, et non audistis. Et misit Dominus ad vos omnes servos prophetas consurgens diluculo, mittensque: et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis cum diceret, Revertimini unusquisque a

sua via mala, et a pessimis cogitationibus vestris, et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis, et patribus vestris, a saeculo, et usque in saeculum. Et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretisque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum.

b Propterea haec dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audistis verba mea: Ecce ego mittam, et assumam universas cognationes aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius, et super omnes nationes quae in circuitu illius sunt, et interficiam eos: et ponam eos in stuporem, et in solitudines sempiternas. Perdamque ex eis vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi, et vocem sponsae, vocem molae, et lumen lucernae. Et erit universa terra eius in solitudinem, et in stuporem, et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldaeorum, et ponam illam in solitudines sempiternas. Et adducam super terram illam omnia verba mea quae locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quaecumque prophetavit Hieremias adversum omnes gentes, quia servierunt eis, cum essent gentes multae, et reges magni. Et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum.

c Quia sic dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sume calicem vini furoris huius de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te, et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus, Hierusalem, et civitatibus Iuda, et regibus eius, et principibus eius: ut darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista: Pharaoni regi Aegypti, et servis eius, et principibus eius, et in omni populo eius, et universis generaliter cunctis regibus terrae Ausitidis, et cunctis regibus terrae Philisthiim, et Ascalonis, et Gazae, et Accaron, Azoti, et reliquiis Idumaeae, et Moab et filiis Ammon, et cunctis regibus Tyri, et universis regibus Sidonis, et regibus terrae insularum qui sunt trans mare, et Dedan, et Thema, et Buz, et universis qui attonsi sunt in comam, et cunctis regibus Arabiae, et cunctis regibus occidentis qui habitant in deserto, et cunctis regibus Zambri, et cunctis regibus Elam, et cunctis regibus Medorum: cunctis quoque regibus aquilonis de prope et de longe, unicuique contra fratrem suum, et in omnibus regnis terrae quae super faciem eius sunt. Et Rex Sesach bibet post eos.

d Et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Bibite, et inebriamini, et vomite, et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. Cum noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis. Quia ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? Non eritis immunes: gladium enim ego invoco super omnes habitatores terrae, dicit Dominus exercituum.

e Et tu prophetabis ad eos omnia verba haec, et dices ad illos: Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam. Rugiens rugiet super decorem suum. Celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terrae. Pervenit sonitus usque ad extrema terrae, quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipse cum omni carne. Impios tradidi gladio, dicit Dominus. Haec dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem, et turbo magnus egredietur a summitatibus terrae, et erunt interfecti Domini in die illa a summo terrae usque ad summum eius. Non plangetur, et non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terrae iacebunt.

f Ululate pastores, et clamate, et aspergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini, et dissipationes vestrae, et cadetis quasi vasa pretiosa. Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio ab optimatibus gregis. Vox clamoris pastorum et ululatus optimatum gregis, quia vastavit Dominus pascua eorum, et conticuerunt arva pacis a facie irae furoris Domini. Dereliquit quasi leo tabernaculum suum: facta est terra eorum in desolationem a facie irae columbae, et a facie irae furoris Domini.

## a CAP. XXV.

Hic ponitur comminatio universalis contra omnium gentium principes: et dividitur in duas partes. In prima ponitur comminatio. In secunda comminationis revelatio, ibi, *Quia sic dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo ponit prophetiae titulum, *Verbum quod factum est*. Ex quo colligitur, quod prophetia praecedentem visionem tempore praecedit. Secundo ponitur comminationis prophetia, ibi, *A tertio decimo* etc. Et primo assignat comminationis causam. Secundo comminatur poenam, ibi, *Propterea haec dicit* et caet. Causam autem assignat ex inobedientia, propter quam ipsi aliis gentibus in poena connumerati sunt, quam aggravat ex tribus. Primo ex parte ipsius prophetae praedicantis, quia in praedicatione continuus, *A tertio decimo anno Iosiae*, quousque ad finem vitae, et regni sui, cum regnaverit triginta unum annis, sunt septemdecim anni, quibus additis quatuor annis Ioachim, et tribus mensibus quibus regnavit Ioathan, invenitur annus praedicationis Hieremiae quo haec gesta sunt vigesimus tertius. *De nocte consurgens*, ad modum eius qui solicitus est ad explendum quodlibet opus: *Prov. 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum* et cae. Secundo ex parte ipsius mittentis, qui ex multitudine nuntiorum invenitur solicitus, *Et misit Dominus: Supra 7. Misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens, et non audierunt me* etc. Ad designandam autem divinam solicitudinem nominat diluculum, nominat et noctem, quia Deus luxit in tenebris. Hae sunt illae tenebrae, de quibus *Io. 3.* dicitur, quod Nicodemus venit ad Iesum nocte etc. Ex parte admonitionis, quae honesta in se, utilis quantum ad promissam veniam. Unde primo inducit poenam de malis praeteritis, ponens praeceptum, *Revertimini* etc. *Isa. 55. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Et promissum, *Et habitabitur: Isa. 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis.* Secundo inducit cautelam malis futuris, ponens praeceptum, *Nolite ire*, quantum ad idolatriam, *Neque me ad iracundiam*, quantum ad peccata moris: *Exod. 20. Non habebis deos alienos coram me* etc. Et praecepti contemptum, *Et non audistis: Deut. 32. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis* etc.

b Hic comminatur poenam. Et primo quam Babylonii inflixerunt, describens hostem, *Ecce ego mittam et assumam servum*, inquantum mysterium divinae voluntatis exercebant: *Sup. 6. Ecce populus venit de terra aquilonis, gens magna consurgit a finibus terrae.* Et describens poenam imminentem, quantum ad interfectionem hominum, *Et interficiam*, in solitudine sempiterna. Et quod numquam reparentur, sed quasi ad similitudinem sempiternarum solitudinum redigantur: *Supra 19. Ponam urbem hanc in stuporem, et in sibilum. Omnis qui praeterit per eam obstupescet, et sibilabit super universa plaga eius.* Et quantum ad cessationem humanorum officiorum, in gaudiis, *Perdamque*, et in vitae commodis, *Vocem molae: Supra 16. Auferam de loco isto in oculis vestris vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsae.* Et describens etiam poenam duriorem, *Et servient septuaginta annis:* tantum enim regnum Chaldaeorum duravit: *Isa. 57. Non in perpetuum irascar, quia spiritus a facie mea egredietur* etc. Secundo ponit poenam quam Chaldaei sustinuerunt, *Cumque impleti.* Et primo ponit comminationem, *Visitabo: Apoc. 4. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit, et qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Secundo comminationis certitudinem, *Et adducam, omnia quae locutus sum contra eam: Isa. 13. 21. 46. et 47. Prophetavit Hieremias: Infra 50. 51. Quia servierunt;* tamen ipsi in superbiam abusi sunt Dei beneficio. Tertio ostendit poenae aequitatem, *Et reddam eis: Psalm. 27. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eorum destrues illos, et non aedificabis eos.*

c Hic ponitur praedictae comminationis revelatio sub imaginaria visione. Et primo ponit visionem. Secundo exponit, ibi, *Et tu prophetabis* etc. Circa primum duo. Primo mittit eum ad propinandum. Secundo invitantur illi quibus propinabatur ad bibendum, ibi, *Et dices ad eos* etc. Circa primum duo. Primo Dominus porrigit poculum, secundum quod sibi videbatur visione imaginaria, *Sume calicem vini.* Videbatur sibi quod Dominus extensa manu calicem sibi porrigeret. Per vinum signatur divina indignatio, per calicem potestas tyrannorum, per quos haec indignatio in gentes diffundenda erat, *Propinabis*, non quasi poenam infligens, sed quasi denuntians: *Psal. 74. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto: Infra 51. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, et ideo commotae sunt.* Secundo ponit potationis effectum, *Et bibent*, sustinendo afflictionem, *Turbabuntur*, interius timore, et dolore, *Insanient*, exterius ad invicem pugnando more ebrii: *Isai. 24. Amara erit potio bibentibus illam.* Tertio propheta exequitur iniunctum officium, *Et accepi.* Et primo propinat Iudaeis, *Hierusalem: Ezech. 9. A sanctuario meo incipite: 1. Pe. 4. Tempus est ut iudicium incipiat a domo Dei.* Secundo amicis adventitiis, incipiens ab Aegyptiis de quibus confidebant, *Pharaoni*, *Ausitidis*, quae alio nomine dicitur terra Hus in confinio Idumaeae, et Arabiae, *Et reliquiis.* Hoc dicit pro Geth quae est quanta civitas Philistinorum, *Et omnibus regnis: Isa. 14. Hoc est consilium quod cogitavi super omnem terram, et haec est manus extenta super universas gentes.* Tertio ipsis Babyloniis, *Et rex Sesach*, idest Babyloniae, quae Hebraice dicitur Babel. Unde ad occultandum nomen transposuit vocales, et immutavit consonantes in eis coniunctas, secundum consuetudinem Hebraeorum, qui docent pueros primam literam cum ultima retrogradando dicere, et secundam cum penultima, et sic deinceps. Unde pro duplici Beth, quae est secunda litera apud Hebraeos, posuit Sin, bis, quae est penultima. Et pro Lamech posuit Caph, quae ei secundum primam comparationem coniungitur: *1. Corin. 15. Novissime inimica destruetur mors.*

d Hic invitatur ad bibendum: et circa hoc tria.

Primo ponitur invitatio, *Bibite*, sustinendo poenas, *Inebriamini*, prae abundantia quasi amittentes rationis usum, ut nesciatis quid faciatis, *Vomite*, divitias amittite, *Cadite*, in mortem et captivitatem. Et loquitur ad similitudinem ebrii: *Iob 20. Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus: Isa. 29. Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini, et non a vino, movemini, et non ab ebrietate* etc. Secundo ponitur coactio, *Cumque noluerint, bibentes bibetis*, idest velitis, nolitis: *Apoc. 14. Si quis adoraverit bestiam, et imaginem eius, et acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua, hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ipsius.* Tertio assignatur coactionis ratio Primo ex exemplo, *Quia ecce in civitate*, scilicet Hierusalem: *1. Pet. 4. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei evangelio? Inf. 49. Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.* Secundo ex Domini dicto, *Gladium*, qui est idem quod potio: *Ezech. 21. Eiiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum, et impium.*

e Hic ponitur expositio visionis. Et primo contra gentes. Secundo contra gentium principes, ibi, *Ululate* etc. Circa primum duo. Primo ponit comminationem, ponens divinam indignationem, *Dominus de excelso*, idest de altitudine sui iudicii, *Rugiet*, terribiliter quasi leo iratus: *Amos 3. Leo rugiet. Quis non timebit?* Poenae universalitatem, *Super decorem*, idest templum; quasi dicat, Incipiet a templo, et procedet ira ipsius in omnem terram, *Celeusma calcantium*, cantus vindemiatorum per quem signatur gaudium victorum in depopulatione terrarum, qui significatur per calcatores, quia effundunt sanguinem humanum sicut illi sanguinem uvae: unde *Isa. 63. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: Infra 48. Nequaquam calcator uvae solitum celeusma cantabit.* Et ponit poenae aequitatem, ponens iudicium, *Quia in Domino: Mich. 6. Iudicium Domini cum populo suo, et cum Israel diiudicabitur.* Et iudicii modum, *Impios tradidi: Isa. 1. Quia si me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.* Secundo ponit poenae praeceptum et ordinem, *Haec dicit Dominus.* Et primo ponit poenae processum, *Ecce egredietur*, quia una gens aliam impugnabit, et ipsa ab alia impugnabitur, et sic deinceps, *A summitatibus*, a maxime potentibus, sicut Chaldaeis, Graecis etc. *Ecc. 10. Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniustitias, et iniurias, et contumelias, ac diversos dolos: Infra 50. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet.* Secundo ponit tribulationis effectum, quia privabuntur vita, *Et erunt interfecti Domini*, idest a Domino: *Supra 12. Gladius Domini devorabit ab extremo terrae usque ad extremum eius.* Et carebunt sepultura, *Non plangetur, supra 16.* idem.

f Hic comminatur contra principes gentium. Et primo quantum ad personas, praesignans poenam, *Ululate*, quasi non valentes dolorem verbis exprimere, sed elevatione vocis: *Isa. 34. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum, et hircorum, et de sanguine medullatorum arietum* et caetera. *Optimates*, qui sunt divites, et principes in populo. Et excludit salutis viam, *Et peribit fuga: Thren. 1. Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Secundo quantum ad subiectas terras, *Vox clamoris.* Et primo ponit per similitudinem devastationem urbium, *Quia vastabit Dominus pascua eorum*, idest civitates, et villas, servans metaphoram gregis, *Conticuerunt;* quasi dicat, In nihilum redacti sunt ut de eis sermo non fiat, *Pacis*, quae tempore pacis praeclarae erant: *Ioel. 1. Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis.* Et quantum ad destructionem templi, *Dereliquit, tabernaculum*, templum, scilicet Deus, *Quasi leo*, quo custodiente nullus audebit accedere: *Supra 12. Reliqui domum meam.* Secundo ponit expositionem, *Quia facta est ... irae columbae*, scilicet Dei, qui sine commotione punit. Vel Hierusalem quae pro amissione Dei irascitur. Vel Nabuchodonosor propter superbiae stultitiam: *Osee 7. Ephraim quasi columba deducta non habens cor.* Vel quia habebat columbam in arvis. Vel quia sicut mansuetus praeceptum Domini executus est. Vel per antiphrasim, quia crudelis erat.

## a CAP. XXVI.

In principio regni Ioachim filii Iosiae regis Iuda factum est verbum istud a Domino, dicens:

b Haec dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Iuda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos. Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala, et poeniteat me mali quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum. Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea quam dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, et dirigens, et non audistis, dabo domum istam sicut Sylo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.

c Et audierunt sacerdotes et prophetae et omnis populus Hieremiam loquentem verba haec in domo Domini. Cumque complesset Hieremias loquens omnia, quae praeceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetae, et omnis populus dicens: Morte moriatur. Quare prophetavit in nomine Domini dicens, Sicut Sylo erit domus haec, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Hieremiam in domo Domini.

d Et audierunt principes Iuda verba haec, et

ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu portae domus Domini novae. Et locuti sunt sacerdotes, et prophetae ad principes, et ad omnem populum dicentes: Iudicium mortis est viro huic, quia prophetavit adversus civitatem istam sicut audistis auribus vestris. Et ait Hieremias ad omnes principes, et ad universum populum, dicens: Dominus misit me ut prophetarem ad domum istam, et ad civitatem hanc omnia verba quae audistis. Nunc ergo bonas facite vias vestras, et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri, et poenitebit Dominum mali quod locutus est adversum vos. Ego autem ecce in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum, et rectum est in oculis vestris. Veruntamen scitote, et cognoscite, quia si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec. Et dixerunt principes, et omnis populus ad sacerdotes, et ad prophetas: Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos.

e Surrexerunt ergo viri de senioribus terrae, et dixerunt ad omnem coetum populi loquentes: Michaeas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiae regis Iuda, et ait ad omnem populum Iudae, dicens: Haec dicit Dominus exercituum: Syon quasi ager arabitur, et Hierusalem in acervum lapidum erit, et mons domus Domini in excelsa sylvarum. Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Iuda, et omnis Iuda? Nunquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domini, et poenituit Dominum mali quod locutus fuerat adversum eos? Itaque non faciamus malum grande contra animas nostras. Erit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim, et prophetavit adversus civitatem istam, et adversus terram hanc iuxta omnia verba Hieremiae. Et audivit rex Ioachim, et omnes potentes, et principes eius verba haec, et quaesivit rex interficere eum. Et audivit Urias, et timuit, fugitque, et ingressus est Aegyptum. Et misit rex Ioachim viros in Aegyptum, Helnathan filium Achobor, et viros cum eo in Aegyptum. Et eduxerunt Uriam de Aegypto, et adduxerunt eum ad regem Ioachim, et percussit eum gladio, et proiecit cadaver eius in sepulcris vulgi ignobilis. Igitur manus Ahicham filii Saphan fuit cum Hieremia, ut non traderetur in manus populi, et interficerent eum.

## a CAP XXVI.

Hic ponitur conspiratio principum contra prophetam : et dividitur in tria. Primo ponit titulum. Secundo prophetiam, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Tertio epilogat, ibi, *In principio regni* etc. Titulus per se patet.

b Hic ponitur prophetia: et dividitur in tres partes. In prima ponitur persecutionis occasio. In secunda ponitur persecutio, ibi, *Et audierunt sacerdotes* et caetera. In tertia ponitur liberatio, ibi, *Et audierunt principes* et caetera. Occasio autem fuit ex praedicatione. Unde primo designat praedicationis locum, *Sta in atrio:. Supra 7. Sta in porta domus Domini, et praedica ibi. Universos* et caetera. Secundo quantum ad praedicationis fructum, *Noli subtrahere.* Quantum ad emendationem culpae, *Et convertatur*, et quantum ad remissionem poenae, *Et poeniteat: Supra 18. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo propter quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Tertio ponit praedicationis verbum, *Et dices: Supra 7. Faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi vobis, et patribus vestris, sicut feci Sylo, et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.*

c Hic ponitur persecutio: et circa hoc quatuor ponit. Primo praedicationis auditum, *Et audierunt : Ezec. 33. Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos.* Secundo iniquum consilium, *Cumque: Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum: Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.* Tertio suae nequitiae argumentum, quia prophetavit; quasi dicat, Videtur falsum dicere, cum Dominus locum istum elegerit *3. Reg. ul. Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Quarto populi concursum, *Et congregatus: Eccl. 10. Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea : Eod. 7. Non te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata.*

d Hic ponitur liberatio. Circa hoc duo. Primo ponitur principum iudicium pro liberatione Hieremiae. Secundo popularis furoris sedatio per verba seniorum, ibi, *Surrexerunt ergo* et caetera. Circa primum tria. Primo ponit principum provisionem, *Et ascenderunt in domum Domini*, seditionem comprimere, *Novae*, quia de novo facta erat ad tenendum iudicia sacerdotum, et eorum quae ad cultum religionis pertinebant : *Deut. 16. Iudices, et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent* etc. Secundo ponit partium disceptationem, quantum ad accusationem, *Et locuti sunt sacerdotes.* Et nituntur imponere, quasi crimen blasphemiae, ut occidatur. Similiter *Act. 6. Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem.* Et quantum ad defensionem, *Et ait Hieremias.* Respondet autem prudenter, quia excusat culpam, *Dominus misit me:* unde non sum culpandus de his quae dixi : *Eccl. 3.*

*Ne reverearis proximum tuum in casu suo, ne relineas verbum in tempore salutis: Isa. 48. Et nunc misit me Dominus, et spiritus eius.* Et mitigat iram, ostendens remedium, *Nunc ergo: Supra 18. Revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras, et studia vestra.* Respondet humiliter, quia confitetur potentiam, *Ego autem: Prov. 15. Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Respondet etiam constanter, quia prohibet iniuriam, *Veruntamen: Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et quia confirmat sententiam, *In veritate enim: Act. 2. Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate.* Tertio ponitur sententiae promulgatio, *Et dixerunt.* Et primo sententia promulgatur per principes., *Non est iudicium: Lu. 23. Ecce nihil dignum morte actum est ei.* Secundo sententia confirmatur per seniores, quorum est antiqua facta scire: *Iob 12. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.*

e Hic ponitur repressio furoris populi contra Hieremiam per verba seniorum. Et primo proponunt exemplum iusti ad imitandum circa factum Michaeae, ponentes ipsius praedicationem, *Michaeas*, unus de duodecim prophetis minoribus, *De Morasthi*, ad differentiam Michaeae fili Yela, de quo *3. Reg. ult. Syon: Michaeae 3. Audite principes Iacob, et duces domus Israel: Supra 9. Et dabo Hierusalem in acervos arenae, et cubilia draconum, et civitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator.* Et populi conversionem, *Numquid;* quasi dicat, non: *Supra 6. Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.* Et inducunt conclusionem, *Itaque non faciamus: Psal. 12. Convertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Secundo proponunt exemplum iniustitiae ad cavendum, ne malis mala adiungant, *Fuit quoque,* Et primo ponitur ipsius praedicatio, *Et prophetavit: 1. Cor. 15. Non enim est Deus dissensionis, sed pacis,* et ideo omnes idem dicebant. Secundo ponitur persecutio et fuga, *Et audivit, fugitque: Matt. 10. Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Tertio ipsius interfectio, *Et misit rex*, quia Aegyptiis foederatus erat. Ideo autem iste occisus est, et Hieremias liberatus, quia Deus aliquos permittit occidi de sanctis ad condemnationem malorum, et exemplum patientiae bonorum: *Iacobi ult. Exemplum accipite fratres exitus mali, et longanimitatis, et laboris, et patientiae, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.* Similiter *Act. 12. Iacobus occiditur, Petrus liberatur.* Tertio ponitur sententiae executio de liberatione Hieremiae, *Igitur manus.* Et planum est.

## a CAP. XXVII.

In principio regni Ioachim filii Iosiae regis Iuda factum est verbum istud ad Hieremiam a Domino, dicens: Haec dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula et catenas, et pones eas in collo tuo, et mittes eas ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad regem Sidonis in manu nuntiorum qui venerunt Hierusalem ad Sedeciam regem Iuda, et praecipies eis ut ad Dominos suos loquantur. Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Haec dicetis ad Dominos vestros: Ego feci terram et homines, et iumenta quae sunt super faciem terrae, in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento, et dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, servi mei. Insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi. Et servient ei omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius, donec veniat tempus terrae eius, et ipsius, et servient ei gentes multae, et reges magni. Gens autem, et regnum quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicunque non curvaverit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis, Non servietis regi Babylonis, quia mendacium prophetant vobis, ut longe faciant vos de terra vestra, et eiiciant vos, et pereatis. Porro gens quae subiecerit cervicem suam sub iugo regis Babylonis, et servierit ei, dimittam eam in terra sua, dicit Dominus, et colet eam, et habitabit in ea.

b Et ad Sedeciam regem Iuda locutus sum secundum omnia verba haec, dicens: Subiicite colla vestra sub iugo regis Babylonis, et servite ei, et populo eius, et vivetis. Quare moriemini tu, et populus tuus gladio et fame, et peste, sicut locutus est Dominus ad gentem quae servire noluerit regi Babylonis? Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis, Non servietis regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis. Quia non misit eos, ait Dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, ut eiiciant vos, et pereatis tam vos, quam prophetae, qui vaticinantur vobis.

c Et ad sacerdotes, et ad populum istum locutus sum, dicens: Haec dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis dicentes, Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito: mendacium enim prophetant vobis. Nolite ergo audire eos, sed servite re-

gi Babylonis, ut vivatis. Quare datur haec civitas in solitudinem? Et si prophetae sunt, et est verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum ut non veniant vasa, quae derelicta fuerant in domo Domini, et in domo regis Iuda, et in Hierusalem, in Babylonem. Quia haec dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad bases, et ad reliqua vasorum, quae remanserunt in civitate hac, quae contulit Nabuchodonosor rex Babylonis cum transferret Iechoniam filium Ioachim regem Iuda de Hierusalem in Babylonem, et omnes optimates Iuda, et Hierusalem. Quia haec dicit Dominus exercituum Deus Israel ad vasa quae derelicta sunt in domo Domini, et in domo regis Iuda et Hierusalem. In Babylonem transferentur, et ibi erunt usque ad diem visitationis suae, dicit Dominus. Et afferri faciam ea, et restitui in loco isto.

## a CAP. XXVII.

Hic praemisso claro titulo, excludit falsas consolationes prophetarum. Et primo in generali. Secundo descendendo ad quosdam speciales prophetas, *c. 28. Et factum est* et caetera. Circa primum duo. Primo excludit consolationes prophetarum gentilium. Secundo prophetarum Iudaeorum, ibi, *Et ad Sedeciam* etc. Circa primum duo. Primo praesignat prophetiam facto, *Fac tibi vincula*, in signum servitutis gentium, *In manu nuntiorum*, qui missi fuerant ad confoederandum se regi Hierusalem, vel ad residendum Nabuchodonosor: *Osee 12. Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum: Ezech. 3. Et tu filii hominis: Ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum* etc. Secundo exprimit eam verbo, *Et praecipies*. Inducit autem eos ad subdendum se regi Babylonis contra consilium prophetarum, tripliciter. Primo ex Nabuchodonosor potentia, quam ostendit duobus modis. Primo ex divina concessione, ponens rerum creationem, *Ego feci terram*, quantum ad opus creationis, et dispositionis, *Homines*, quantum ad opus ornatus, *Brachio*, quod dicit applicationem potentiae ad opus: *Isa. 42. Firmans terram, et quae germinant ex ea*. Et concludens concedendi auctoritatem, *Et dedi eam ei*, homini, vel cuicunque: *Daniel. 4. Dominatur excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dat illud*. Et ostendens concessionem factam a Deo Nabuchodonosor, quantum ad homines, *Et nunc itaque: Danie. 5. Deus altissimus regnum, et magnam gloriam, et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo*. Et propter magnificentiam quam dederat ei, universi populi tribus, et linguae tremebant, et metuebant eum etc. Et quantum ad bestias, *Insuper et bestias*, et est locutio hyperbolica. Vel per bestias significantur feroces homines, qui sub eo fuerunt. Vel quia subiectis hominibus, etiam bestiae eis subiectae illi subduntur: unde *Daniel. 4. Bestiae requiescebant sub umbra arboris*, per quam significabatur Nabuchodonosor. Alio modo ostendit potentiam eius ex gentium subiectione, *Et servient: Eccles. 5. Omnia tempus habent*. Tertio inducit eos ex rebellium poena, ponens poenam rebellium, *Gene.* Et ideo *Roman. 13. Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Et excludit consilium prophetarum, *Vos ergo nolite audire prophetas*, quos dicunt gentiles per fulgorem intelligentiae agentis in animas ipsorum etiam futura posse praescire, *Divinos*, qui in templis idolorum, *Somniando*, qui ex somniis, *Augures*, qui ex garritu avium, *Maleficos*, qui ex coniuratione daemonum futura praedicunt: *Supra 23. Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini* etc. Et assignat pro causa prophetarum mendacium, *Quia mendacium*; et imminens periculum, *Ut longe faciant*, et est ut consecutivum: *3. Reg. ult. Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum*. Tertio inducit eos ex obedientium gratia, quam a Domino consequentur, *Porro gens: Infra 40. Nolite timere servire Chaldaeis, habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis*.

b Quia illi nuntii possent dicere, quare talia suae genti intentae ad rebellionem non dixit, hic respondet se eis eadem dixisse. Et primo ponitur admonitio ipsius ad regem. Secundo ad sacerdotes, et ad plebem, ibi, *Et ad sacerdotes* etc. Circa primum duo. Primo ponit bonum consilium, ponens ipsum, *Subiicite colla: 1. Pet. 2. Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis*. Et proponens imminens periculum, *Quare moriemini: Supra 22. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste; qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua quasi spolium*. Secundo excludit falsum consilium prophetarum, *Nolite audire*, tribus de causis. Primo propter fallacem promissionem, *Quia mendacium: Ezech. 22. Prophetae eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes haec dicit Dominus, cum Dominus non sit locutus*. Secundo propter praesumptam auctoritatem, *Quoniam non misi: Supra 23. Non mittebam eos, et ipsi currebant. Non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant*. Tertio propter poenam imminentem, *Ut eiiciant vos*, occasionaliter: *Osee 6. Corrues tu hodie, et corruet etiam propheta tecum*.

c Hic ponitur admonitio ad sacerdotes, et ad plebem. Et primo excludit falsum consilium, *Nolite audire... ecce vasa*, quae asportata fuerunt in Babylonem cum Iechonia, *4. Reg. 24*. Et assignat causam, proponens prophetarum mendacium, *Mendacium*, servitutis fructum, *Ut vivatis*, rebellionis periculum, *Quare datur: Supra 21. Qui egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos qui obsident vos, vivet* etc. Secundo petit veritatis iudicium, *Et si prophetae*; quasi dicat, faciant quod minus est, scilicet quae remanserunt non asportari occurrendo Deo orationibus, ut credatur eis quod maius est, scilicet asportata reportari: *Ezech. 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praelio in die Domini*. Tertio proponit manifestum falsitatis argumentum per locum a maiori, quia quod

magis videtur non fiet, ut scilicet relicta vasa remaneant, nec ergo quod minus, ut scilicet asportata referantur, *Quia haec dicit Dominus ad columnas*, duas quae fecit Salomon in porticu, *Et ad bases*, earum, *Et ad mare*, vas in quo servabatur aqua ad ablutionem sacerdotum, quod erat positum supra duodecim bases, de quibus omnibus habetur *3. Reg.* 7. Et resumit, *Quia haec dicit Dominus*, propter vasa templi, quia non moverat nisi vasa quae erant in porticu : *1. Mach. 2. Vasa gloriae eius captiva adducta sunt.* Et promittitur in longum tempus futurum eorum reportationem, *Et afferri*, temporibus Cyri *2. Esdr. 2.* Cyrus rex protulit vasa sacra Domini, quae transtulit Nabuchodonosor de Hierusalem, et consecravit ea idolo suo. Et proferens ea Cyrus rex Persarum tradidit Mithridati, qui erat super thesauros ipsius; per hunc autem tradita sunt Salmanasaro, praesidi Iudaeae.

## a CAP. XXVIII.

Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciae regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo Domini, coram sacerdotibus, et omni populo, dicens: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contrivi iugum regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa Domini, quae tulit Nabuchodonosor Rex Babylonis de loco isto, et transtulit ea in Babylonem. Iechoniam filium Ioachim regem Iuda, et omnem transmigrationem Iudae, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus. Conteram enim iugum regis Babylonis.

b Et dixit Hieremias propheta ad Hananiam prophetam, in oculis sacerdotum, et in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini: Et ait Hieremias propheta: Amen. Sic faciat Dominus. Suscitet Dominus verba tua quae prophetasti, ut referantur vasa in domum Domini, et omnis transmigratio de Babylone ad locum istum. Verumtamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus tuis, et in auribus universi populi. Prophetae qui fuerunt ante me, et ante te ab initio, et prophetaverunt super terras multas, et super regna magna de praelio, et de afflictione, et de fame, propheta qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum eius, tunc scietur propheta, quem misit Dominus in veritate.

c Et tulit Hananias propheta catenam de collo Hieremiae prophetae, et confregit eam. Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Haec dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium. Et abiit Hieremias propheta in viam suam.

d Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Hieremiae prophetae, dicens: Vade, et dices Hananiae: Haec dicit Dominus: catenas ligneas contrivisti, et facies pro eis catenas ferreas. Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, et servient ei. Insuper et bestias terrae dedi ei. Et dixit Hieremias propheta ad Hananiam prophetam : Audi Hanania: Non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terrae. Hoc anno morieris. Adversum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.

## a CAP. XXVIII.

Hic descendit specialiter ad quosdam falsos prophetas. Et primo ad quendam, qui praedicebat relictis in Hierusalem. Secundo ad quosdam qui prophetabant captivitatem in Babylonia, *cap. 19. Et haec sunt verba* etc. Circa primum duo. Primo ponitur falsa consolatio falsi prophetae. Secundo falsitatis improbatio per Hieremiam, ibi, *Et factum est verbum* etc. Circa primum duo. Primo ponitur falsa consolatio, quam falsus propheta fecit verbo. Secundo quam fecit facto, ibi, *Et tulit* etc. Circa primum duo. Primo ponitur falsa consolatio. Secundo Hieremiae responsio, ibi, *Et dixit Hieremias* etc. Circa primum duo. Primo ponit falsae prophetiae titulum, in quo designatur tempus, *In anno quarto*, propheta, *Hananias propheta*, opinione: locus, *In domo Domini: Supra 23. In domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.* Secundo ponit falsum consolationis verbum, *Haec dicit Dominus.* Et primo promittit libertatem, *Contrivi*, destruxi Propter certitudinem dicit in praeterito, *Imperium*, quod conterendum quidem erat, sed non tunc: *Isa. 9. Computrescet iugum a facie olei.* Secundo praedicit impletionis propinquitatem, *Adhuc duo anni dierum*, ne credantur anni annorum, sicut illud *Ezech. 4. Diem pro anno dedi tibi.* Et primo quantum ad reportationem vasorum, *Ego referri faciam*, de quorum captione *Thren. 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius* etc. Secundo quantum ad liberationem principum suorum, *Et Iechoniam*, contra id quod *supra cap.* praecedenti dictum est: *Supra 22. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.*

b Hic ponitur Hieremiae responsio. Et primo demonstrat suum affectum, optans impleri quod dicebat, *Amen*, idest fiat: *Michaeae 2. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer.* Nec obstat quod sciebat Dominum contrarium velle, quia haec optatio sub conditione intelligenda est, scilicet si Deus vellet ; et quia in hoc suam voluntatem divinae conformat, quod vult quod Deus esse vult. Secundo, ne videatur falsitati consentire, proponit veritatis signum, *Veruntamen audi.* Et sumitur hoc signum *Deuter. 18. Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Domi-*

*nus non est locutus.* Sed ipse videtur a contrario sensu arguere. Et videtur quod non valeat, quia est destructio antecedentis. Et praeterea contrarium habetur *Deuter. 13. Si surrexerit in medio tui propheles, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetae illius, aut somniatoris* etc. Et dicendum, quod argumentum efficax est ad ostendendam eius falsitatem; et hoc ipse intendit.

c Hic confirmat prophetiam suam facto: et circa hoc tria. Primo ponit facti similitudinem, *Tulit et fregit*, in signum fractionis imperii Babyloniae. Secundo exponit similitudinem, *Et ait Hananias*: hoc longe post futurum erat: *Infra 30. Conteram iugum illius de collo tuo, et vincula eius disrumpam.* Tertio designatur Hieremiae humilitas, quia patienter, et libenter sustinuit et abiit: *Psalm. 37. Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

d Hic ponitur falsitatis improbatio. Et primo excludit falsam consolationem, facti similitudine, *Contrivisti*, tu Hananias, et tu Hieremias, *Facies*, in signum augmentationis poenae: *Iob 6 Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Et similitudinis expositionem, *Quia haec dicit*, ac si diceret: Iugum servitutis durius erit, quam praesignificatum sit: *Eccles. 28. Iugum illius iugum ferreum est, et vinculum illius vinculum aereum est.* Secundo ponitur comminatio contra ipsum prophetantem. Et primo ponitur culpae repressio, *Et dixit Hieremias: Non te misit: Isa. 24. Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Secundo ponitur poenae comminatio, *Idcirco emittam te*, idest tollam per mortem: *Psalm. 1. Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae.* Tertio ponitur prophetiae impletio, *Et mortuus est mense septimo.* Unde non supervixit, nisi duobus mensibus: *1. Thes. 5. Cum dixerint, Pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient.*

## a CAP. XXIX.

Et haec sunt verba libri, quem misit Hieremias propheta de Hierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, et ad sacerdotes, et ad prophetas, et ad omnem populum quem traduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem, postquam egressus est Iechonias rex, et domina, et eunuchi, et principes Iuda, et Hierusalem, et faber, et inclusor de Hierusalem, in manu Elasa filii Saphan, et Gamariae filii Helciae quos misit Sedecias rex Iuda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel, omni transmigrationi quam transtuli de Hierusalem in Babylonem. Aedificate domos, et habitate, et plantate hortos, et comedite fructum eorum. Accipite uxores, et generate filios, et filias vestras: date viris, et pariant filios et filias: et multiplicabimini ibi, et nolite esse pauci numero. et quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non vos seducant prophetae vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri, et ne attendatis ad somnia vestra, quae vos somniatis, quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo, et non misi eos, dicit Dominus. Quia haec dicit Dominus: Cum caeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitationes, quas cogito super vos, dicit Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. Et invocabitis me, et vivetis, et orabitis me, et ego exaudiam vos, quaeretis me, et invenietis. Cum quaesieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis, dicit Dominus. Et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis ad quae expuli vos, dicit Dominus: et reverti vos faciam de loco ad quem transmigrare vos feci, quia dixistis; Suscitabit nobis Dominus prophetas in Babylone. Quia haec dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, et ad omnem populum habitatorem urbis huius, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem:

b Haec dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem, et ponam eos quasi ficus malas, quae comedi non possunt, eo quod pessimae sint, et persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia. Et dabo eos in vexationem universis regnis terrae, in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eieci eos, eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quae misi ad eos per servos meos prophetas de nocte consurgens et mittens: et non audistis, dicit Dominus. Vos ergo audite verbum Domini omnis transmigratio, quam emisi de Hierusalem in Babylonem.

c Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliae et ad Sedeciam filium Maasiae, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in oculis vestris. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iudae, quae est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Acab, quos frixit rex Babylonis in igne.

d Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, et moechati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis,

e Ego sum iudex, et testis, dicit Dominus.

f Et ad Semeiam Nehelamiten dices: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eo quod misisti in nomine meo libros ad omnem populum qui est in Hierusalem, et ad Sophoniam filium Maasiae sacerdotem, et ad universos sacerdotes dicens. Dominus dedit te sacerdotem pro Ioiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem. Et nunc quare non increpasti Hieremiam Anathotiten, qui prophetat vobis? Quia super hoc misit in Babylonem ad nos dicens, Longum est, aedificate domos, et habitate, et plantate hortos, et comedite fructus eorum. Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Hieremiae prophetae.

g Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens: Mitte ad omnem transmigrationem, dicens: Haec dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten. Pro eo quod prophetavit vobis Semeias, et ego non misi eum, et fecit vos confidere in mendacio, idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, et super semen eius. Non erit ei vir sedens in populo huius, et non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus, quia praevaricationem locutus est adversus Dominum.

## a CAP. XXIX.

Hic excludit falsas consolationes prophetarum, qui consolabantur captivos in Babylonia. Et primo excludit falsas consolationes. Secundo invehit contra ipsos falsos consolatores, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo ponit prophetiae titulum, in quo tria assignat, scilicet prophetandi modum, quia per modum epistolae, *Verba libri*, idest epistolae: *Isa. 30. Ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud. Et erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum.* Prophetiae tempus, *Postquam egressus, 4. Reg. 24. Isa. 3. Ecce dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem validum, et fortem, omne robur panis, et omne robur aquae, et fortem, et virum bellatorem, et iudicem, et prophetam* etc. Et prophetiae nuntium, *In manu*, quos misit, ut pacem cum Chaldaeis faceret, territus ad mortem falsi consolatoris Hananiae, et comminationis Hieremiae: *Prover. 19. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Secundo ponit prophetiae verbum, *Haec dicit Dominus.* Et circa hoc duo. Primo dat eis consilium bonum, et salubre, ut intendant his, quae pertinent ad usum necessitatis, *Aedificate domos*, quod facere negligebant, credentes cito redire secundum promissa falsorum prophetarum: *Psalm. 106. Seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.* Item ut intendant his, quae pertinent ad successionem prolis: *Accipite uxores: Genes. 1. Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Et ut intendant his, quae pertinent ad tranquillitatem pacis, *Et quaerite pacem: Baruch 1. Orare pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Balthasar filii eius* etc. *1. Tim. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate* etc. Secundo excludit consilium falsum, et inutile, *Haec enim dicit Dominus.* Et primo excludit vanam fiduciam, quam ex prophetarum promissione conceperant. Secundo excludit stultam poenitentiam, ibi, *Quia haec dicit Dominus* etc. Circa primum tria. Primo excludit falsorum prophetarum dictum, qui in brevi liberationem promittebant, *Non vos seducant prophetae*, qui ex nomine Domini vobis loquuntur, *Et divini*, qui daemonum responsa aptant: *Ezec. 13. Vae prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Secundo dicit liberationis tempus quantum ad consolationem, *Quia haec dicit Dominus, visitabo*, consolans vos, *Et hostes affligens: Supra 25, Cum impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum* etc. Et quantum ad patriae restitutionem, *Et suscitabo*, implebo: *Eccl. 36. Suscita praedicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetae priores.* Tertio ponit liberationis modum. Primo promittens pristinae prosperitatis statum, quantum ad tranquillitatem pacis, *Ego enim scio*, quasi non alius: *1. Cor. 2. Quae sunt Dei nemo scit nisi Spiritus Dei: Is. 64. Oculus non vidit absque te, quae praeparasti expectantibus te. Cogitationes pacis*, quam vobis praeparo, *Finem*, captivitatis, *Patientiam*, laborum, ut facilius toleretis: *Ps. 27. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Et quantum ad exauditionem orationis, *Invocabitis*, ore, *Et ibitis*, mente, *Adorabitis*, corpore. Vel ibitis ad templum: *Isa. 30. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Alia litera habet, *Invocabitis me, et vivetis, et orabitis me, et ego exaudiam vos.* Et planus est sensus. Et quantum ad auxilium divinae protectionis, *Quaeretis*, desiderio, et precibus, *Et invenietis*, paratum ad auxilium; quasi dicat meipsum offeram: *Io. 14. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum: Isa. 53. Quaerite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* Secundo promittit proprium nativitatis locum, *Et reducam: Ezec. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, quia dixistis;* quasi dicat, non fuit necessarium vobis scribere, quia in falsis prophetis confiditis.

b Hic excludit falsam poenitentiam: possent enim propter longam captivitatem poenitere de hoc quod se tradiderant, videntes alios adhuc in Hierusalem remansisse; et ideo contra remanentes comminatur gravem poenam mortis, *Ecce mittam: Supra 21. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste; qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos qui obsident vos, vivet* etc. Et afflictionis, *Et ponam*, idest non invenient gratiam in me neque in illis a quibus captivi tenentur, sicut neque ficus malae placent colligentibus: *Supra 24. Sicut ficus pessimae quae comedi non possunt, eo quod sint ma-*

*lae, haec dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, et reliquos de Hierusalem qui remanserunt in urbe hac, et qui habitant in terra Aegypti* etc. Et assignat causam, *Eo quod non audierint*, scilicet ut se traderent Nabuchodonosor, et a peccatis cessarent: *Supra 11. Mane consurgens contestatus sum, et dixi: Audite vocem meam. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali* etc. Secundo inducit intentam conclusionem, *Vos ergo*, ne scilicet poenam patiamini, quia mihi in hoc obedistis: *Prov. 4. Audite filii disciplinam patris.*

c Hic invehit contra ipsos falsos prophetas. Et primo contra quosdam assertores falsitatis. Secundo contra quendam impugnatorem veritatis, ibi, *Et ad Semeiam* etc. Circa primum tria. Primo comminatur poenam. Secundo arguit culpam, ibi, *Pro eo quod fecerit* etc. Tertio arguit iudicii iustitiam, ibi, *Ego sum iudex* etc. Circa primum tria. Primo ponitur ipsorum depressio in culpa, *Tradam eos*, ut scilicet occasionem puniendi habeat, quos primo in potestate habebat: *Thren. 1. Dedit me Dominus in manu, de qua non potero effugere.* Secundo ponitur poenae inflictio, *Et percutiet: Infra 30. Insanabilis fractura, pessima plaga tua.* Tertio ponitur consequens maledictio, *Et assumetur ex eis.* Dicunt autem Hebraei, hos esse duos senes, de quibus habetur *Dan. 13.* Unde ex hoc loco volunt ostendere illud fabulosum esse: ibi enim dicuntur a populo occisi, hic autem a Nabuchodonosor. Et praeterea ibi dicuntur lapidati, hic igne occisi. Et dicendum ad primum, quod utrumque potest esse verum, quia Nabuchodonosor occidit auctoritate a Daniele convictos, et populus, executione sententiae. Ad secundum dicendum, quod quaelibet poena dicitur ignis propter afflictionem; et hoc praecipue propter similitudinem culpae adulterii: *Osee 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente: Iob 31. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.*

d Hic ponit culpam. Et primo adulterium, *Stultitiam*, idest rem stultam, *Et moechati sunt: Daniel. 12. Sic faciebatis filiabus Israel, et illae timentes loquebantur vobis: Supra 3. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Secundo mendacium, *Et locuti sunt:* dicebant enim proximam esse liberationem, et Christum de eis esse nasciturum, ut sic mulieres in adulterium deciperent: *Supra 23. Non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.*

e Hic ponit iudicii iustitiam, *Iudex*, ad infligendam poenam, *Testis*, ad convincendam culpam, quia divino nutu et miraculose deprehensi sunt: *Dan. 13. Suscitavit Dominus spiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel* etc.

f Hic invehitur contra impugnatorem veritatis, quia cum esset pseudopropheta, et populi vicinam liberationem promitteret, iratus contra Hieremiam propter epistolam, quam in Babylonem misit, scripsit in Hierusalem literas ad principem sacerdotum contra Hieremiam. Et circa hoc duo. Primo ponitur veritatis impugnatio. Secundo ponitur contra ipsum comminatio, ibi, *Et factum est verbum* etc. Circa primum duo. Primo ponit tenorem epistolae, *Pro eo, quod misisti.* Est defectuosa locutio, quasi patieris, quod postmodum quibusdam interpositis dicet. In qua epistola tria facit. Primo commemorat praedecessoris exemplum: *Dominus dedit te pro Ioiada qui interfecit falsos sacerdotes, tu tamen similiter facias de Hieremia falso propheta, Reg. 11.* Secundo commemorat officium, *Ut sis dux, et super omnem virum arreptitium*, qui a spiritu immundo arreptus prophetae actum usurpat: pertinebat enim ad sacerdotis officium discernere inter spiritus: *1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum* etc. Quaedam etiam accusat, scilicet epistolam Hieremiae, *Quia super hoc*, quia non est contentus nobis mala praedicere: *Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt: 3. Reg. ultim. Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michaeas filius Semla.* Secundo ostendit quomodo pervenit ad notitiam prophetae, *Legit ergo*, ut improperaret sibi: *Supra 20. Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die.*

g Hic ponitur contra ipsum comminatio. Et primo arguit culpam, *Pro eo, quod prophetavit: Isa. 28. Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Et dirigitur sermo ad captivos per quandam aliam epistolam. Secundo comminatur poenam, *Idcirco*, Et primo quantum ad filios, *Non erit;* quasi dicat, non relinquet in populo superstitem: *Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me* etc. Secundo quantum ad ipsum, *Et non videbit: Supra 17. Erit enim quasi miricae in deserto, et non videbit cum venerit bonum.* Tertio resumit causam, *Quia praevaricationem*, quia verbis suis praevaricatus est contra Dominum loquens, promittens prospera, Domino praedicente adversa: *Iob 39. Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit?*

## a CAP. XXX.

Hoc verbum, quod factum est ad Hieremiam a Domino, dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te in libro. Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israel, et Iuda, ait Dominus, et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam.

b Et haec verba, quae locutus est Dominus ad Israel, et ad Iudam: Quoniam haec dicit Dominus: Vocem terroris audivimus: formido, et non est pax. Interrogate, et videte si generat masculus. Quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, et conversae sunt universae facies in aeruginem? Vae quia magna dies illa, nec est similis eius, tempusque tribulationis Iacob, et ex seipso salvabitur. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, et vincula eius disrumpam: et non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domi-

no Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. Tu ergo ne timeas serve meus Iacob, ait Dominus, neque paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum. Et revertetur Iacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit quem formidet, quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te; te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, ut non tibi videaris innoxius.

c Quia haec dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum curationem tuam, utilitas non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quaerent: plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuae feci haec tibi. Propterea omnes qui comedunt te, devorabuntur, et universi hostes tui in captivitatem ducentur. Et omnes qui te vastant vastabuntur, cunctosque praedatores tuos dabo in praedam. Obducam enim cicatricem tibi, et a vuneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia eiectam vocaverunt te Syon: haec est, quae non habebat requirentem. Haec dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserebor: et aedificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxque ludentium: et multiplicabo eos, et non minuentur, et glorificabo eos, et non attenuabuntur. Et erunt filii eius, sicut a principio, et caetus eius coram me permanebit. Et visitabo adversum omnes qui tribulant eum, et erit dux eius ex eo, et princeps de medio eius producetur: et applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi, ait Dominus? Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.

d Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat, et compleat cogitationem cordis sui: in novissimo diorum intelligetis ea.

a CAP. XXX.

Post comminationem hic incipit consolationem ponere. Et primo ponit consolationem ad omnes communiter. Secundo specialiter ad civitatem regiam, scilicet Hierusalem, *cap. 33. Et factum est verbum* etc. Prima in duas. Primo consolatur eos verbo. Secundo designat consolationem facto, *capi. 32. Verbum, quod factum est* etc. Prima in duas. In prima consolatur eos ex evasione adversitatis. In secunda ex promissione prosperitatis, *In tempore* etc. Prima in duas. In prima promittit liberationem in generali. In secunda prosequitur promissionem in speciali, ibi, *Et haec verba* etc. Circa primum duo facit. Primo Dominus ponit ad prophetam prophetiae conservandae praeceptum, *Scribe tibi omnia*, quae praedicta sunt, et quae sequentur, quorum revelationem iam intus susceperat ut diu conservarentur, in quo significat non cito implenda: *Isa. 8. Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe, cito praedare: Abacuch 2. Scribe visum, et explana eum super tabulas. ut percurrat qui legerit eum.* Secundo promittit liberationis beneficium, *Ecce enim convertam*, idest revocabo de terra captivitatis, quantum ad terminum a quo, *Conversionem*, quia non omnes, sed tantum illos qui tali conversione erunt digni, *Israel*, decem tribus, quantum ad illos qui ad Ezechiam regem in Hierusalem venerunt: *Paral. 30. Nam cum eis captivati sunt, et eis redeuntibus redierunt.* Vel referendum est ad conversionem factam ad fidem Christi. *Et convertam*, quantum ad terminum ad quem: *Psal. 125. In convertendo Dominus captivitatem Syon, facti sumus sicut consolati.*

b Hic prosequitur liberationis partes. Et primo promittit eis liberationem ab hostium servitute. Secundo a multiplici destructione quam sustinuerunt, ibi, *Quia haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo proponit oppressionem pristinam, quam designat proponens hostium timorem, *Vocem terroris*, longe ante a prophetis praenunciatam, *Formido, et non est pax*, aliquo auxilium ferente: *Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus illius. Et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Timoris expressionem ex gestu corporis, quia ad similitudinem parturientium manus ad lumbos convertebant prae stupore, *Interrogate: Psal. 47. Ibi dolores, ut parturientis.* Et ex immutatione ruboris, *Et conversae sunt in aeruginem*, quae est color niger permixtus rubedini, contingens iratis et ex vento urente: *Isa. 13. Facies combustae vultus eorum: Ioelis 2. Omnes vultus redigentur in ollam.* Proponit etiam timoris, et anxietatis magnitudinem, *Vae quia magna*, magnitudine tribulationis dies, *Dies*, captionis Hierusalem: *Soph. 1. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis, et angustiae, dies calamitatis, et miseriae, dies tenebrarum, et caliginis, dies nebulae, et turbinis, dies tubae, et clangoris* etc. Secundo promittit salutem futuram. Et primo promittit liberationem, *Et ex ipso*, scilicet tempore quamvis malo: *Osee 1. Salvabo eos in Domino Deo suo.* Secundo salutis modum et ordinem, promittens liberationem a servitute, excludens hostium imperium, *Et erit illa ... iugum*, ipsum

Nabuchodonosor, *Et non dominabitur*, quod impletum est tempore Symonis, *1. Mach. in fine.* Vel referendum ad liberationem factam per Christum de potestate daemonum: *Isa. 9. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti.* Et promittens optatum imperium, *Sed servient*, idest alicui qui erit vobis sicut David, sicut Symoni, et Ionathae. Vel Zorobabel, qui fuit de stirpe David; vel Christo. David autem imperium erat eis maxime desideratum propter prosperitatem, et pacem, quam tempore ipsius habuerunt, et quia non oppresserat eos servitute, sicut Salomon: *Ezec. 3. David servus meus princeps eorum in perpetuum.* Providet etiam liberationem a captivitate, excludens timorem, *Tu ergo ne timeas: Isa. 43. Noli timere, quia ego tecum sum. Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te.* Et ponens liberationem quantum ad terminum a quo, *Quia ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in medio Hierusalem, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate, et in iustitia.* Et quantum ad terminum ad quem, *Et revertetur, et quiescet*, quantum ad pacis tranquillitatem, *Et in cunctis*, quantum ad rerum ubertatem: *Isa. 32. Sedebit populus meus in multitudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.* Tertio ostendit salutis auctorem. Et primo ponit salvatoris praesentiam, *Quoniam ego: Supra 20. Dominus mecum est tanquam bellator fortis. Idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt, et confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.* Secundo in hostes vindictam, *Faciam enim consummationem*, ad finem consumptionis perducet eos: *Isai. 10. Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae.* Tertio ad vos conservationis misericordiam, *Te autem*, ut scilicet non sint tuae reliquiae: *Supra 5. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.* Quarto infert moderatam poenam ad castigandum, *Castigabo te: Supra 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. In iudicio*, aequitate.

c Hic promittit liberationem a destructione et afflictione magna, quam sustinuerant: et circa hoc duo. Primo proponit praecedentem destructionem, ostendens ipsius magnitudinem, quia quasi haec erit castigationis quantitas, ut in virtute humana reparari non possit, *Fractura*, quae dicit interruptionem continuitatis, et significat destructionem hominum, vel civitatum, *Insanabilis*, quantum in se est, licet Deus salvare possit propter magnitudinem, *Pessima*, propter profunditatem: *Threnor. 2. Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Excludens etiam humani auxilii subventionem, sive per iudicium iustitiae iudicantis de iniuria illata, *Non est qui iudicet*, contra hostes, *Ad alligandum*, sicut qui curant plagas ligant emplastra super ipsas: *Isaiae 59. Vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium:* sive secundum affectum amicitiae subvenientis, *Utilitas non est tibi*, ab amicis scilicet, quia vere medicum offendisti: *Threnor. 1. Omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Ostendens etiam poenae aequitatem, assignans poenae causam, *Plaga enim inimici*, qui percutit ad mortem, quia est insanabilis, *Crudelis*, quia profunda, *Propter multitudinem*, unde oportuit esse magnam plagam, quae omnia apostemata comprehenderet, *Dura*, quantum ad obstinationem; et ideo oportuit eam esse vehementem, et profundam, quae usque ad intima penetraret: *Thren. 2. Factus est Dominus velut inimicus, praecipitavit Israel, praecipitavit omnia maenia eius, dissipavit munitiones eius, et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam.* Et excludit murmurantium querelam, *Quid clamas murmurando?* Non possunt sanari, nisi pulvere mordacissimo, quo putridas carnes, et insanabiles amputarem: *Threnor. 3. Quid murmurat homo vivens, vir pro peccatis suis?* Secundo promittit liberationem. Et primo promittit subventionis beneficium quantum ad vindictae iudicium, contra iniuriam illatam in personis, quia non est alius, qui liberet, *Qui comedunt*, occidendo. *Hostes*, captivantes te: *Supra 2. Omnes qui devorant eum, delinquunt, mala venient super eos, dicit Dominus.* Et contra iniuriam illatam in rebus, *Et qui te vastant*, quantum ad immobilia, *Praedatores*, quantum ad mobilia: *Isa. 33. Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis?* Et quantum ad curatoris amicabilem affectum, ponens curationem, *Obducam*, idest ita perfecte curabo, quod nec vestigium appareat praecedentis plagae: *Psalm. 146. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Haec sub Zorobabel, quando Assyrios, idest Ninivem, vastaverunt Babylonii, et Chaldaei, et ipsos Medi, et Persae. Et tunc obducta est cicatrix, et caetera. Et assignat rationem, *Quia ejectam vocaverunt*, scilicet hostes: *Prov. 24. Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam:* insultatio enim hostium est causa divinae miserationis. Secundo ostendit subveniendi modum, *Haec dicit Dominus.* Et primo quantum ad modum vindicandi, *Ecce turbo.* Circa primum primo promittit restaurationem aedificiorum omnium generaliter, *Convertam*, idest restituam ad statum pristinum, *Tabernaculorum*, domorum: *Isa. 61. Aedificabunt deserta populorum, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, et dissipatas in generatione, et generationem.* Et quantum ad principalia specialiter, *Et aedificabitur civitas*, idest Hierusalem: *Isa. 44. Qui dico Hierusalem habitaberis, et civitatibus Iuda aedificabimini, et deserta eius suscitabo.* Secundo promittit prosperitatem hominum quantum ad cordis iucunditatem, *Et egredietur: Isa. 51. Gaudium, et laetitia invenietur in ea, et gratiarum actio, et vox laudis.* Quantum ad populi multitudinem, *Multiplicabo eos, et non minuentur*, quantum in me est, et nisi ex culpa eorum proveniat: *Psal. 138. Dinumerabo eos, et super arenas multiplicabuntur.* Vel intelligendum de his, qui ad Christum convertuntur. Et quantum ad hominis exaltationem, *Et glorificabo*, vel corporaliter, vel spiritualiter quantum ad virtutis sanctitatem, *Et erunt filii eius sicut a principio*, idest similes sanctis patribus, *Coram me*, per vitae munditiam: *Et visitabo*, quia defendam eos,

et vindicabo: *Iob 29. Quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me?* Tertio quantum ad rectorum bonitatem, ponens primo ipsorum propinquitatem, quia ex eodem genere, *Et erit dux*, hoc refertur ad Zorobabel, vel ad Christum: *Osee 2. Dabo eis vinitores.* Secundo eorum sanctitatem, *Et applicabo eum, et accedet*, per iustitiam, *Quis enim iste est*, in quo ostenditur auctor applicandi, quia nullus applicatur nisi a Deo tractus: *Io. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Tertio tangit iustitiae utilitatem, *Et eritis mihi: Eccl. 10. Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.*

d Hic ponit modum vindictae. Et primo comminatur poenam, *Ecce turbo*, ut dispergat sicut commotio aeris pulverem per captivitatem, *Procella*, ut absorbeat per mortem, sicut fluctus maris, *Impiorum*, qui afflixerunt Iudaeos, et qui de malis non sunt emendati, *Conquiescet*, quasi poena permanens: *Isa. 30. Erit transitus virgae fundatus quam requiescere faciet Dominus super eum.* Secundo excludit misericordiam, *Non avertet: Isa. 3. In omnibus his non est aversus furor Domini, sed adhuc manus eius extenta.* Tertio promittit scientiam horum, *In novissimis*, quando scilicet omnia ista contigerint: *Psal. 9. Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

## a CAP XXXI.

In tempore illo dicit Dominus: Ero Deus universis cognationibus Israel, et ipsi erunt mihi in populum. Haec dicit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus, qui remanserat gladio. Vadet ad requiem suam Israel. Longe Dominus apparuit mihi. Et in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Rursumque aedificabo te, et aedificaberis virgo Israel. Adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariae. Plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt, quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Samariae in monte Ephraim: Surgite, et ascendamus in Syon ad Dominum Deum nostrum.

b Quia haec dicit Dominus: Exultate in laetitia Iacob, et hinnite contra caput gentium, personate, et canite, et dicite, Salva Domine populum tuum, reliquias Israel. Ecce ego adducam eos de terra aquilonis, et congregabo eos ab extremis terrae, inter quos erunt coecus, et claudus, et praegnans, et pariens simul, coetus magnus revertentium huc. In fletu venient, et in misericordia reducam eos. Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est.

c Audite verbum Domini gentes, et annuntiate in insulis quae procul sunt, et dicite: Qui dispergit Israel, congregabit eum, et custodiet eum sicut pastor gregem suum. Redimet enim Dominus Iacob, et liberabit eum de manu potentioris. Et venient, et laudabunt in monte Syon, et confluent ad bona Domini super frumento, et vino, et oleo, et foetu pecorum, et armentorum, eritque anima eorum quasi ortus irriguus, et ultra non esurient. Tunc laetabitur virgo in choro, iuvenes, et senes simul. Et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et laetificabo a dolore suo. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis adimplebitur, ait Dominus.

d Haec dicit Dominus: Vox in excelso audita est, lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. Haec dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Et revertentur de terra inimici, et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii tui ad terminos suos.

e Audiens audivi Ephraim transmigrantem. Castigasti me Domine, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus. Converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinuisti opprobrium adolescentiae meae.

f Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus, quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor eius, ait Dominus.

g Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines. Dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.

h Revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram: foemina circumdabit virum.

i Haec dicit Dominus Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda et urbibus eius, cum convertero captivitatem eorum. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae, mons sanctus. Et habitabunt in eo Iudas, et omnes civitates eius simul, agricolae, et minantes greges, quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi. Ideo quasi de somno suscitatus sum, et vidi, et somnus meus dulcis mihi.

k Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel, et domum Iuda semine hominum, et semine iumentorum. Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem, sic vigilabo super eos, ut aedificem, et plantem, ait Do-

minus. In diebus illis non dicent ultra, Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes eius. Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.

l Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, et sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. Haec dicit Dominus: Si mensurari poterunt coeli sursum, et investigari fundamenta terrae deorsum, et ego abiiciam universum semen Israel propter omnia quae fecerunt, dicit Dominus.

m Ecce dies venient, dicit Dominus, et aedificabitur civitas Domino a turre Hanameel usque ad portam anguli. Et exibit ultra normam mensurae in conspectu eius super collem Gareb, et circuibit Goatha, et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portae equorum orientalis. Sanctum Domini non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.

## a CAP. XXXI.

Hic consolatur eos ex promissione prosperitatis: et circa hoc duo facit. Primo promittit prosperitatem gentis. Secundo ampliationem civitatis, ibi, *Ecce dies veniunt* etc. Prima in tres. In prima consolatur decem tribus. In secunda duas, ibi, *Haec dicit Dominus* et caetera. In tertia utrasque, ibi, *Ecce dies veniunt* etc. Prima in tres. In prima ponitur destructi populi restauratio. In secunda restaurationis ordo, ibi, *Quia haec dicit Dominus*, *Exultate* et caeter. Circa primum tria. Primo promittit eis restaurationem ad religionis cultum, *In tempore illo*, vel post reditum de Babylone, *Universis*, quantum ad illos de decem tribubus, qui duabus adhaeserunt; vel quantum ad omnes, quia omnis Israel salvus fiet, postquam plenitudo gentium introierit, *ad Rom. 11. Apoc. 20. Ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Secundo promittit restaurationem ad nativitatis locum, promittens revocationis beneficium, *Populus a gladio*, Babylonis, *In deserto*, in terra captivitatis in qua a Deo deserti videbantur, per quam purgati ad terram suam redierunt, sicut per desertum ad terram promissionis quondam. *Invenit gratiam*, idest hanc misericordiam apud Deum, quod, *Vadet ad requiem*, idest ad terram suam, in qua pacifice requiescet: quod potest mystice exponi quantum ad pacem quam tempore Symonis Machabaei habuerunt, *1. Machab. 14. Isa. 22. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.* Determinans revocationis tempus, *Longe*, antequam futurum sit, *Apparuit*, revelans futuram liberationem: *Supra 28. Confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium: Abac. 2. Adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur.* Et ostendens revocantis affectum, *In caritate perpetua;* quasi dicat, non ad tempus, sed in perpetuum tibi bona largitus est, *Attraxi*, ad locum tuum, *Miserans*, misericordiam exterius beneficio complens: *Osee 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis: Supra 2. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, et caritatem desponsationis tuae.* Tertio promittit recordationem ad prosperitatis statum. Et primo promittit prosperitatem, quantum ad reparationem gentis, *Rursumque aedificabo*, secundum metaphoram, quia dicitur domus Israel: *Supra 24. Aedificabo eos, et non destruam, plantabo eos, et non evellam.* Quantum ad iucunditatem cordis, *Virgo Israel, ornaberis tympanis tuis*, idest ornata incedes ludens ad tactum tympani: *Isa. 30. Laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel.* Et quantum ad tranquillitatem pacis, *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariae*, propter tres civitates quae additae sunt Iudaeis: *1. Machab. 10. Plantabunt, donec tempus veniat;* quasi dicat, Propter timorem hostium non praeoccupabunt tempus vindemiae: *Isa. 65. Plantabunt vineas, et comedent fructus earum.* Secundo assignat prosperitatis rationem, *Quia ecce dies*, in quo significatur reversio ad cultum Dei, ad quem mutuo se exhortantur, *In Syon*, et non in Bethel ad vitulos

Hieroboam, *3. Reg. 12.* Et *Isa. 2. Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias, et ambulabimus in semitis eius.*

b Hic prosequitur operationis ordinem : et circa hoc duo. Primo inducit eos ad exultationem, *Exultate in laetitia: Psal. 80. Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.* Ad quam exultationem exprimendam inducit hostium insultationem, *Et hinnite*, insultantes, *Contra caput gentium*, idest regem Babyloniae, vel Assyriorum qui captivavit vos: *Abac. 2. Nunquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabunt lacerantes te, et eris in rapinam eis?* Et etiam divinam laudem, *Personate*, in psalteriis et huiusmodi. Secundo ponit liberationis ordinem, *Ecce ego*, describens reversionis terminum a quo, *De terra aquilonis*, et revertentium coetum, *Inter quos*; quasi dicat, Nullus vel aliqua corporis infirmitate a reditu impedietur, et hoc, quia securi venient: *Isa. 35. Erit saliens sicut cervus claudus.* Et etiam reversionis modum, *In fletu*, quidam propter laetitiam reversionis, et quidam videntes terrae vastitatem: *1. Esds. 3. Nec poterat quisquam cognoscere vocem clamoris laetantium, et vocem fletus populi, Et in misericordia*, a rubore mentis: *Isa. 54. In miserationibus magnis congregabo te. Per torrentes aquarum*, per quas navigantes scilicet vadunt et iuxta eos sunt viae bonae, in quo excluditur labor itineris et taedium: *Prov. 3. Ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget.* Tertio assignat rationem ex paterno affectu, quo ad eos movetur, *Quia factus sum pater.* Unde sicut pater, non possum dimittere, quin eorum miserear: inter omnes enim populos primogenitus Israel: *Exod. 4. Filius autem Ioseph data sunt primogenita*, sicut dicitur *1. Par. 5.* in quo Ephraim Manasse praelatus est, *Gen. 48.* unde relinquitur Ephraim primogenitum esse.

c Hic ponitur divulgatio liberationis. Et primo excitat gentes ad attentionem, *Audite*, ut omnes in ipso confidant qui taliter liberare potest: *Isa. 49. Auditae insulae, et attendite populi de longe.* Secundo praenuntiat populi liberationem, non impediente divina indignatione, quia, *Qui dispersit: Isa. 40. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit.* Nec impediente detinentium potestate, *Redemit*, quondam ab Aegyptiis, et, *Potentioris*, scilicet Chaldaei: *Psal. 71. Liberavit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adiutor.* Tertio promittit liberatis prosperitatem. Et primo quantum ad omnes promittit religionis debitam observantiam, *In monte Syon*, non in Bethel ad vitulos: *Isa. 51. Qui redempti sunt a Domino revertentur, et venient in Syon laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum.* Et temporalium bonorum affluentiam, ponens bonorum fertilitatem quantum ad terrae nascentia quae in cibum nostrum producuntur, et condiuntur quantum ad animalia, *Et confluent et laudabunt*, Deum, *Super frumento... vino: Gen. 27. Frumento, vino, et oleo stabilivi eum.* Et possidentium satietatem, *Eritque anima eorum quasi ortus irriguus*, qui pluviam non expectat. Hoc potest intelligi de bonis spiritualibus collatis per Christum, quod nunc ex parte, in futuro ex toto complebitur: *Apoc. 20. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus.* Et cordis laetitia, quantum ad signa laetitiae, *Laetabitur virgo: Supra 30. Egredietur de eis laus, voxque ludentium, et multiplicabo eos* etc. Et quantum ad cessationem tristitiae, *Convertam luctum: Tob. 3. Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis.* Secundo specialiter quantum ad sacerdotes, *Inebriabo*, idest abundanter satiabo, *Pinguedine*, abundantia oblationum, et sacrificiorum, *Et populus adimplebitur*, ut Deo offerre possit. Hoc autem spiritualiter intelligitur de pinguedine devotionis: *Psal. 62. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.*

d Hic ponitur flentium consolatio. Et primo inducit matris fletum, *Rachel*, quae fuit mater Ioseph, *Plorantis*, destructionem filiorum suorum. Figurative loquitur, sed hoc dicitur hiperbolice, in parentes mortuos tristitiam redundare de filiorum adversitate. Vel quia in Romana captivitate iuxta sepulcrum Rachelis Iudaei captivi ducti sunt, et venditi. Vel quia figurative dicitur plorare pueros iuxta se occisos, cum ipsa iuxta Bethleem sepulta sit, sicut habetur *Gen. 35. Lamentationis*, quae fit verbis dolorem exprimentibus, *Fletus*, quantum ad emissionem lacrymarum, *Luctus*, quantum ad quandam observantiam in expressione doloris, sicut fit in mutatione vestium, et huiusmodi: *Supra 3. Vox in viis audita, ploratus, et ululatus filiorum Israel, quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui.* Excludit consolationis remedium, *Et nolentis, quia non sunt*, reversi cum aliis, quia ad nihilum redacti sunt: *Osee 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.* Secundo impendit consolationis remedium, *Haec dicit Dominus. Vox*, quantum ad lamentationem, *Oculi*, quantum ad fletum: *Apoc. 20. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* etc. Tertio promittit liberationis beneficium. Et primo quantum ad terminum a quo, quia, *Merces*, in quo ostenditur per meritum sanctorum patrum eos liberatos, *Inimici*, Chaldaei: *Isa. 40. Ecce merces eius cum eo, et opus illius coram illo.* Secundo quantum ad terminum ad quem, *Et est spes novissimis*, ad significandum quod in novissimis temporibus revertentur ad veram fidem, et forte etiam ad terram suam mortuo Antichristo: *Prover. 10. Expectatio iustorum laetitia, spes autem impiorum peribit.*

e Hic ponitur poenitentium susceptio, cui praemittitur confessionis cognitio, *Audiens audivi*, idest misericorditer exaudivi: *Exo. 3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, et clamorem eius audivi.* Et subditur confessio, *Castigasti, quasi iuvenculus*, qui difficile corripitur, et multis verberibus: *Isa. 24. Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Secundo ponitur petitio, *Converte nos Domine ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio.* Tertio assignatur petitionis ratio ex poenitentia, quam inchoavit. Unde primo ponit poenam, *Posquam enim convertisti*, infundendo gratiam, *Postquam ostendisti*, flagellis peccata, *Percussi femur meum*, interiorem dolorem exteriori percussione designans ad modum

hominis dolentis. Vel percussi femur, voluptates carnales reprimendo: *Iob ult. Auditu auris audivi te. nunc autem oculus meus videt te.* Secundo ponit poenitentiam, quia ex poena quam sustinuit peccatum recognoscens, confusionem passus est, quae signum poenitentiae fuit. *Confusus sum*, interius, *Erubui*, exterius. *Quoniam sustinuisti opprobrium*, idest poenam et confusionem pro peccatis, *Adolescentiae meae.* Et nominat adolescentiam tempus ante conversionem; quasi dicat, quod ex ignorantia peccavit: *Iob 13. Scribis contra me amaritudinem, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae.*

f Hic suscipit poenitentem. Et primo ponitur divina miseratio. Secundo poenitentis instructio, ibi, *Statue tibi* etc. Tertio ipsius revocatio, ibi, *Revertere virgo* etc. Circa primum duo. Primo ponit misericordiae rationem ex parte populi, *Si filius honorabilis;* quasi dicat, Nunquid non filius honorabilis, propter ius primogenituraе: *Si puer delicatus*, propter teneritudinem aetatis, quia Ioseph quasi minimus filiorum Iacob, et Ephraim minor filiorum Ioseph. Et haec duo provocant patres magis ad miserandum: *Osee 11. Puer Israel et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum.* Ponit etiam rationem ex parte Dei, *Quia ex quo locutus sum;* quasi dicat, Non decet, ut verba Dei irritentur. *Recordabor*, verborum: *Nu. 23. Dixit, et non faciet? locutusque est, et non implebit?* Secundo ostendit miserationem, *Idcirco conturbata*, antropospatos, in quo interior compassio, *Miserans*, in quo exterior subventio: *Osee 11. Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est poenitudo mea.*

g Hic ponitur poenitentis instructio, *Statue tibi speculam*, ut consideres prospera, quae nuntiantur, vel viam per quam redeas, *Amaritudines*, solicitudinem de reditu, *Dirige*, considera viam per quam venisti ut per eam redeas. Vel melius, *Speculam*, contemplationis, *Amaritudines*, pro peccatis praeteritis, *In viam rectam*, idest in viam iustitiae, per quam patres tui ambulaverunt: *Apoc. 2. Memor esto unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac.*

h Hic ponitur revocatio ipsorum in terram suam. Et primo ponitur revocatio, *Revertere, usquequo deliciis dissolveris filia vaga?* Hoc dicitur quantum ad illos, qui absorpti deliciis Chaldaeorum, in terram promissionis reverti nolebant, qui recte propter mollitiem mulieres vocantur: *Supra 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Secundo ponitur revocationis ratio ex Christi incarnatione, quae omnes inducere debet ut a deliciis recedant, *Quia creavit*, quia sola divina virtute agente conceptio illa facta est. *Foemina*, propter fragilis sexus conditionem, *Circumdabit*, in utero suo, *Virum*, Christum ab initio conceptionis suae perfectum in scientia et gratia. Unde ad terram in qua novum hoc evenire debet, debetis properare: *Eph. 4. Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis: Zach. 6. Ecce vir, oriens nomen eius. Et subter eum orietur. Et aedificabit templum Domino.*

i Hic ponitur consolatio specialiter ad duas tribus. Et primo ponitur laeta annuntiatio, quia annuntiat religionis sanctitatem, *Adhuc dicent*, Dominum et templum ipsius laudantes, non idola, *Pulchritudo iustitiae, mons sanctus*, idest mons Syon: ex eo enim doctrina legis et iudicium in totum regnum diffundebatur propter sacerdotes et reges, qui ibi morabantur: *144. Psal. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis.* Vel mons, idest Christus: *Dan. 2. Lapis excisus de monte.* Promittit etiam pacis securitatem, *Et habitabunt: Isa. 62. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur.* Promittit etiam bonorum ubertatem, *Quia inebriavi*, abunde replevi, *Animam lapsam*, pristinis tribulationibus: *Psalm. 106. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.* Secundo ponitur annuntiantis exultatio, *Ideo quasi de somno*, divina scilicet revelatione, *Dulcis*, propter visam prosperitatem. Possunt etiam esse verba populi: et somnus significat praecedentem miseriam, *Dulcis*, inquantum misericordiam consequitur: *Psalm. 3. Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me: Eccle. 5. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat* etc.

k Hic consolatur communiter utrosque. Et primo ponitur promissio. Secundo promissionis confirmatio, ibi, *Haec dicit Dominus* etc. Circa primum duo. Primo promittit bona temporalia, quantum ad hominum, et iumentorum multiplicationem, *Seminabo*, quasi seminando multiplicabo: *Zach. 2. Absque muro habitabitur Hierusalem prae multitudine hominum, et iumentorum in medio eius.* Quantum ad destructorum reparationem, *Sicut vigilavi*, diligenter explevi, quae comminatus fueram, *Ut evellerem*, tollendo omne praesidium, in quo sicut in radice firmabantur, *Demolirer*, idest destruerem, quantum ad occisionem hominum, et desolationem civitatum, *Dissiparem*, sepem auxilii humani, et angelici auferendo, *Disperderem*, captivitatem in diversa loca, *Affligerem*, gravi onere servitutis captivatos: *Zach. 8. Sicut cogitavi ut affligerem vos cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, et non sum misertus, sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam domui Iuda, et Hierusalem.* Et quantum ad poenae immunitatem pro peccatis patrum, *In diebus illis: Ezech. 18. Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt?* Secundo promittit bona spiritualia, *Ecce dies.* Et primo promittit foederis innovationem, *Dies*, scilicet gratiae, *Foedus novum*, novum testamentum, hoc est evangelium, *Dominatus*, crudeliter, et potestative ulciscendo: *Isaiae 55. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fidelis.* Secundo ponit pacti tenorem, *Sed hoc erit pactum, legem*, evangelium, *In visceribus*, non in tabulis lapideis: *Ose. 2. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Tertio ponit pacti utilitatem. Primo quantum ad obedientiam, *Et ero eis: Ezech. 36.* idem. Secundo quantum ad sapientiam. *Et non docebit*, in quo excludit docendi necessitatem. Et hoc quidem impletur in praesenti tempore, quantum ad hoc quod non per prophetiae rationes, et humanas inventiones in divinam veritatem venimus, neque etiam per Iudai-

cas traditiones, sed in futuro ex toto complebitur: *Matth. 23. Nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester.* Et assignat rationem, *Omnes enim cognoscent me: Isa. 54. Ponam omnes filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis: Ioann. 15. Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Tertio quantum ad peccatorum munditiam, *Quia propitiabor: Psal. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

l Hic ponitur promissionis confirmatio. Et primo confirmat ex creaturarum immutabilitate, proponens promittentis potestatem, *Qui dat solem: Psalm. 135. Qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis;* quasi dicat, Qui haec fecit immobilia, etiam promissionem suam firmare potest. Et comparationem, *Si defecerint leges istae;* quasi dicat, Sicut non deficient usque ad finem mundi, ita nec semen Israel quantum ad illos, qui salvantur: *Isaiae ult. Sicut caeli novi, et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum.* Secundo ex creaturarum immensitate, *Haec dicit Dominus.* Et primo proponit mensurandi impossibilitatem, *Si mensurari*, humano ingenio: *Isa. 40. Quis mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit?* Secundo proponit promissionem, *Et ego abiiciam:* quasi dicat, sicut illud est impossibile, ita et istud. *Universum semen*, quia aliquos ex eis abiecit: *Thren. 3. Non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit filios hominum.*

m Hic promittitur urbis reparatio. Et primo promittitur reaedificatio, *Et aedificabitur: Isa. 44. Qui dico Hierusalem habitaberis, et civitatibus Iuda aedificabimini, et deserta eius suscitabo.* Secundo ponitur ampliatio, *A turrae Hanameel:* quam quidem dicebant esse in Anathoth, quod Hieronymus in glossa excludit. *Usque ad portam anguli*, ubi duo muri confungebantur, *Ultra normam pristinam super collem Gareb*, qui interpretatur scabies, ubi forte leprosi extra urbem morabantur, *Goatha*, interpretatur gens peccatrix, ubi morabantur illi, qui pro aliquo peccato immundi erant, *Vallem cadaverum*, ubi erant populi sepulcra, *Cineres*, ubi proiiciebantur cineres mundi, sicut de sacrificiis: vel immundi, sicut de domibus leprosorum et huiusmodi: *Mortis*, ubi malefactores occidebantur, *Usque ad angulum portae equorum orientalis:* non enim undique poterant equi ascendere propter montis asperitatem: *Isa. 54. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende.* Tertio ponitur duratio, *Sanctorum Domini*, idest sanctuarium, scilicet templum; vel tota civitas, quae Domino sanctificata erat: *Supra 3. Vocabunt Hierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Hierusalem: Isa. 33. Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur.* Iudaei exponunt hoc de aurea Hierusalem, quod Hieronymus improbat in glossa, et exponit de ecclesia, quae in se et perfectos, et imperfectos, et peccatores colligit, qui significantur per loca immunda extra civitatem. Potest etiam aliter dici, id impletum fuisse sub Esdra. Unde habetur *Nehemiae 3.* quia incoeperunt aedificare Hanameel. Et ad literam, forte aliquod spatium civitati addiderunt. Quod dicitur in perpetuum manere, intelligitur si non peccaverint: *Supra cap. 18. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono quod locutus sum, ut facerem ei.*

## a CAP. XXXII.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino in anno decimo Sedeciae regis Iuda, ipse est annus decimus octavus Nabuchodonosor. Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Hierusalem, et Hieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda, dicens: Quare vaticinaris dicens: Haec dicit Dominus, Ecce ego dabo civitatem istam in manu regis Babylonis, et capiet eam. Et Sedecias rex Iuda non effugiet de manu Chaldaeorum, sed tradetur in manus regis Babylonis, et loquetur os eius cum ore illius, et oculi eius oculos illius videbunt, et in Babylonem ducet Sedeciam, et ibi erit, donec visitem eum, ait Dominus. Si autem dimicaveritis adversum Chaldaeos, nihil prosperum habebitis. Et dixit Hieremias: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate ut emas. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, et ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Beniamin, quia tibi competit haereditas, et tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem, quod verbum Domini esset. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth. Et appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos, et scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes, et appendi argentum in statera, et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus.

b Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiae in oculis Hanameel patruelis mei, et in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, et in oculis omnium Iudaeorum, qui sedebant in atrio carceris. Et praecepi Baruch coram eis, dicens: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, et librum hunc qui apertus est, et pones illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis. Haec enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineae in terra ista.

c Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens: Heu, heu, heu, Domine Deus. Ecce tu fecisti coelum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne

verbum, qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinu filiorum eorum post eos. Fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum eius.

d Qui posuisti signa et portenta in terra Aegypti usque ad diem hanc, et in Israel, et in omnibus: et tibi fecisti nomen sicut est dies haec. Et eduxisti populum tuum Israel de terra Aegypti, in signis, et portentis, et in manu robusta, et in brachio extento, et in terrore magno, et dedisti eis terram hanc, quam iurasti patribus eorum, ut dares eis terram fluentem lacte, et melle, et ingressi sunt, et possederunt eam. Et non obedierunt voci tuae, et in lege tua non ambulaverunt. Omnia quae mandasti eis, ut facerent, non fecerunt, et evenerunt eis omnia mala haec. Ecce munitiones extructae sunt adversum civitatem, ut capiatur, et urbs data est in manus Chaldaeorum, et in manus regis Babylonis, qui praeliantur adversus eam a facie gladii, et famis, et pestilentiae, et quaecumque locutus es acciderunt, ut tu ipse cernis.

e Et tu dicis mihi Domine Deus: Eme agrum argento, et adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldaeorum?

f Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens: Ecce ego Dominus Deus universae carnis. Nunquid mihi difficile erit omne verbum? Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldaeorum, et in manus regis Babylonis, et capient eam: et venient Chaldaei praeliantes adversum urbem hanc, et succendent eam igni, et comburent eam: et domos, in quarum domatibus sacrificabant Baal, et libabant diis alienis libamina ad irritandum me. Erant enim filii Israel, et filii Iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua, filii Israel qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus, quia in furore, et in indignatione mea facta est mihi civitas haec, a die qua aedificaverunt eam usque ad diem istam, qua auferetur de conspect meo. Propter malitiam filiorum Israel, et filiorum Iuda, quam fecerunt, ad iracundiam me provocantes: ipsi, et reges eorum, et principes eorum, et sacerdotes, et prophetae eorum, viri Iuda, et habitatores Hierusalem. Et verterunt ad me terga, et non facies, cum docerem eos, et erudirem diluculo, et nollent audire ut acciperent disciplinam: et posuerunt idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam, et aedificaverunt excelsa Baal, quae sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos, et filias suas Moloch, quod non mandavi eis, nec ascendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc, et in peccatum deducerent Iudam. Et nunc propter ista, haec dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis, quod tradatur in manus Regis Babylonis in gladio, et in fame, et in peste. Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas eieci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi, et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis et filiis eorum post eos, et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me, et laetabor super eis cum bene eis fecero.

g Et plantabo eos in terra ista, in veritate, in toto corde meo, et in tota anima mea, quia haec dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande, sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos, et possidebuntur agri in terra ista de qua vos dicitis, quod deserta sit, eo quod non remanserit homo, et iumentum, et data sit in manus Chaldaeorum. Agri ementur pecunia, et scribentur in libro, et imprimetur signum, et testis adhibebitur in terra Beniamin, et in circuitu Hierusalem, in civitatibus Iuda, et in civitatibus montanis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quae ad austrum sunt, quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

## a CAP. XXXII.

Hic consolatur eos facto. Et primo designat prophetiae tempus, ex regis tempore,, *In anno... ipse est*, ut colligitur ex his quae dicta sunt *supra cap. 25.* quia quartus annus Ioachim erat primus Nabuchodonosor. Ex urbis obsidione, *Tunc exercitus : Isa. 9. Circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et iaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam.* Et prophetae carcerem, ponens carceris miseriam, *Et Hieremias carceris: Thren. 5. Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum.* Et assignat causam, *Quare vaticinaris*, quia praedicebat urbis captionem, *Ecce ego dabo regis captivitatem. Et Sedecias rex.* Et bellorum adversitatem, *Si autem dimicaveritis: Supra 21. Debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi, et perculiam habitatores civitatis huius.* Unde hoc capitulum secundum historiam est illi continuandum. Secundo ponitur propheticum factum, *Et dicit Hieremias.* Et primo ponitur emptio. Secundo

facti expositio, ibi, *Et dedi librum* etc. Tertio expositionis confirmatio, ibi, *Et oravi* etc. Circa primum tria. Primo ponitur venditoris invitatio ad emendum, ponens revelatum sibi invitationis verbum, *Ecce Hanameel... tibi enim competit.* Ne tribus commiscerentur, praeceperat Dominus ut possessiones venderentur illis, qui essent de eadem cognatione *Numer. 11.* quod praecipue in possessionibus Levitarum observabatur. Ponit etiam invitantis adventum, *Et venit ad me Hanameel... secundum verbum,* quod non potest in cassum ire: *Numer. 23. Dixit, et non faciet, locutus est, et non implebit?* Secundo ponitur emptio, *Intellexi,* prophetali spiritu, alias stultum videbatur tali tempore agrum emere; in quo etiam notatur prophetae obedientia: *Supra 17. Ego non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis.* Et ponitur pretii solutio, *Et appendi,* in statera ponderis, *Septem stateres,* idest siclos, quorum quilibet habet viginti obolos: *Ezech. 45. Argenteos,* idem quod stateres. Tertio ponitur emptionis confirmatio, *Scripsi... signavi,* sigillis venditoris, et testium, *Stipulationes,* quando uno interrogante, et alio respondente, roboratur contractus, *Rata,* idest ratificatio venditionis: *Isa. 8. Adhibui mihi testes fideles* etc.

b Hic ponitur emptionis expositio. Et primo tradit librum, *In oculis... qui sedebant,* qui venerant ad consolandum et consultandum, quia res ad omnes pertinebat: *Ezechiel. 12. Egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans.* Secundo iudicium diligens custodia, *Et praecepi .. qui apertus,* idest non sigillatus, ut quando mitterent, inspici posset: *Osee 12. In manibus prophetarum assimilatus sum.* Tertio assignatur in custodiam, *Et pones illos: Haec dicit Dominus.* Hoc est quod Hieremias supra dixit se intellexisse verbum Dei: *Zach. 8. Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et coelum dabit rorem suum* etc.

c Hic ponitur expositionis confirmatio: quia enim verbis prophetae non credebant, impetrat divinam super hoc revelationem, ut dubitationi eorum satisfaciat. Unde primo ponitur prophetae oratio. Secundo Domini responsio, ibi, *Et factum est* etc. Circa primum tria. Primo commendat divinam iustitiam. Secundo proponit iuste inflictam poenam, ibi, *Qui posuisti* etc. Tertio miratur praecepti praeteriti causam, ibi, *Et tu dicis* etc. Iustitia autem si adsit, facit hominem velle iusta. Unde ad executionem ipsius duo alia requiruntur, videlicet scire, et posse. Unde ad perfectam executionem iustitiae ostendit perfectionem scientiae, et potentiae. Et primo potentiae, ponens rerum creationem, *Ecce tu fecisti: Supra 23. Ego feci terram, et homines, et iumenta quae sunt super faciem terrae in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento, et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis.* Et commendat potentiae perfectionem, *Non erit tibi difficile,* ex quo tam magna fecisti: *Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et subiungit iustitiae executionem mixtam cum misericordia, *Qui facit misericordiam,* reddens bonis praemia, *In millibus,* idest usque in mille generationes, *In sinu filiorum,* saltem in unam generationem, ut misericordia poenae praeemineat: *Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Et prorumpit in potentiae commendationem, ex quo potentia in misericordiae iustitiam vertitur. *Fortissime,* inquantum omnia sustentat: *Heb. 1. Portans omnia verbo virtutis suae: Iob 9. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est. Magne,* inquantum virtutem eius multitudo creaturarum non exhaurit, quin infinita adhuc producere possit, *Potens,* ad omnia faciendum: *Sap. 2. Subest enim tibi cum volueris, posse. Dominus exercituum,* quantum ad gubernationem, et praecipue rationalium, coelestium, terrestrium, et infernorum: *Iob 25. Nunquid est numerus militum eius?* Secundo ostendit perfectionem scientiae. Primo communicans scientiae perfectionem, *Magnus consilio,* idest perfectus in sapientiae dispositione, *Et incomprehensibilis cogitatu,* humano: *Iob 36. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram: Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius.* Secundo ponit iustitiae executionem, *Eius oculi: Iob 34. Oculi eius super vias hominum, et omnes egressus eorum considerat.*

d Hic ponit poenam Iudaeis inflictam ex divina iustitia, quae ut ostendatur iusta, tria facit. Primo ponit beneficiorum exhibitionem in liberatione miraculosa, *Usque ad diem hanc,* tua signa complentur. Vel tua fortitudo in salutem Israel, et aliorum apparet: *Psalm. 77. Fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Thaneos.* Et in habitatione opulenta, *Et dedisti: Levit. 20. Possidete terram eorum quam dabo vobis in haereditatem, terram fluentem lacte, et melle.* Secundo ponit ingratitudinem, *Et ingressi sunt: Deut. 32. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo: Isai. 1. Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Tertio poenae inflictionem, *Et evenerunt: Abacuch 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.*

e Hic miratur divinam iussionem, *Et tu dicis mihi quod mirum est, cum non sit nunc tempus emendi: Ezechiel. 7. Qui emit non laetetur, et qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius.*

f Hic ponitur Domini responsio. Et primo proponit potentiam suam, *Numquid mihi difficile: Gene. 16. Quare risit Sara uxor tua dicens: Num vero paritura sum anus? Numquid Deo quicquam est difficile?* Secundo ostendit ex tali potentia iuste inflictam poenam, praedicens poenam, *Propterea haec dicit Dominus: Supra 19. Erunt domus Hierusalem, et domus regum Iuda sicut locus Tophet, immundae.* Et subiungit culpam, ostendens culpae continuitatem, *Erant enim facientes ab adolescentia,* quando exierunt de Aegypto: *Sup. 3. Peccavimus nos, et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc.* Ostendens etiam culpae universalitatem, *Quia in furore...aedificaverunt: 1. Par. 11. Propter malitiam: Psal. 1. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: Sup. 21. Posui faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus.* Ostendens etiam culpae gravitatem, quantum

ad divinum conceptum. *Et verlunt*, per inobedientiam ad modum contemnentium: *Zac. 7. Verterunt ad me scapulas recedentes, et aures suas aggravaverunt ne audirent* etc. Quantum ad sacrilegium in pollutione templi. *Et posuerunt idola: Supra 11. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et quantum ad sacrilegium iunctum homicidio: *Et aedificaverunt excelsa: Psalm. 105. Immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis.* Tertio promittit misericordiam. Et primo tangit desperationem, *Et nunc propter ista*, quia quantum ad omnia potens sum, sicut potenter punivi, ita potenter liberabo, *Dicitis*, desperando. *Quod tradatur: Supra 15. Qui ad gladium ad gladium, et qui ad famem ad famem, et qui ad captivitatem ad captivitatem.* Secundo ponit promissionem. *Ecce ego.* Et primo promittit revocationem. *Congregabo: Ezech. 36. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram.* Et promittit revocatis securitatem. *Et habitare: Supra 22. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter.* Secundo promittit reversis prosperitatem. Et primo quantum ad bona spiritualia. Secundo quantum ad temporalia, ibi. *Et plantabo* etc. Circa primum tria. Primo promittit sanctitatem, scilicet obedientiam ad Deum, *Et erunt mihi: Apocal. 20. Ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Et concordiam ad proximum, *Et dabo: Act. 4. Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Secundo sanctitatis firmitatem, *Et feriam eis, et non desinam*, quantum ad fructum sanctitatis quem tetigerat, *Timorem*, quantum ad sanctitatis donum: *Isa. 55. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.* Tertio sanctitatis acceptationem, *Et laetabor*, idest acceptabo bona eorum: *Psal. 105. Laetabitur Dominus in operibus suis.*

g Hic promittit bona temporalia. Et primo firmam patriae habitationem, *Et plantabo*, ut non facile evellantur, *In veritate*, sine simulatione. *Corde*, quantum ad cognitionem, *Anima*, quantum ad voluntatem: *Supra 24. Aedificabo eos, et non destruam, plantabo eos, et non evellam.* Et confirmat per similitudinem. *Quia haec dicit Dominus, sicut adduxi: Bar. 4. Qui adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum.* Secundo promittit liberam rerum possessionem, ponens possessionis plenitudinem, *Et possidebuntur agri: Isa. 54. Usque in aeternum possidebunt eam, in generatione et generationem habitabunt in ea.* Secundo contractuum libertatem. *Agri ementur pecunia: Ps. 125. In convertendo Dominus captivitatem Syon, facti sumus sicut consolati.*

## a CAP. XXXIII.

Et factum est verbum Domini ad Hieremiam secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens: Haec dicit Dominus, qui facturus est, et formaturus illud, et paraturus, Dominus nomen eius: Clama ad me, et exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia, et firma, quae nescis. Quia haec dicit Dominus Deus Israel ad domos urbis huius, et ad domos regis Iuda, quae destructae sunt, et ad munitiones, et ad gladium venientium ut dimicent cum Chaldaeis, et impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo, et in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac propter omnem malitiam eorum. Ecce ego obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos, et revelabo eis deprecationem pacis et veritatis. Et convertam conversionem Iuda, et conversionem Hierusalem, et aedificabo eos sicut a principio, et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me. Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terrae, quae audierint omnia bona quae ego facturus sum eis, et pavebunt, et turbabuntur in universis locis, et in omni pace quam ego faciam eis.

b Haec dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto, quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo, nec iumentum in civitatibus Iuda, et foris Hierusalem, quae desolatae sunt, absque homine, absque pecore, vox gaudii, et vox sponsae, et vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in aeternum misericordia eius, et portantium vota in domo Domini. Reducam enim conversionem terrae sicut a principio, dicit Dominus.

c Haec dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, et absque iumento, et in cunctis civitatibus eius habitaculum pastorum, et accubantium gregum in civitatibus montuosis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quae ad austrum sunt, et in terra Beniamin, et in circuitu Hierusalem, et in civitatibus Iuda adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.

d Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, et ad domum Iuda. In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen iustitiae, et faciet iudicium, et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Quia haec dicit Do-

minus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.

e Et de sacerdotibus, et de levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et caedat victimas omnibus diebus.

f Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens: Haec dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, et nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, et levitae, et sacerdotes ministri mei. Sicuti enumerari non possunt stellae caeli, et metiri arenae maris, sic multiplicabo semen David servi mei, et levitas ministros meos.

g Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens: Nunquid non vidisti quid populus haec locutus sit dicens, Duae cognationes, quas elegerat Dominus, abiectae sunt, et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis: Haec dicit Dominus: Si pactum meum inter diem, et noctem, et leges caelo et terrae non posui, equidem et semen Iacob, et David servi mei proiiciam, ut non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, et Iacob: reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.

## a CAP XXXIII.

Hic ponitur consolatio specialiter ad duas tribus: et praecipue quantum ad Hierusalem ubi erat sedes regni, et sacerdotii: et circa hoc duo. Primo ponit prophetiae titulum, in quo ponit prophetae carcerem, *Cum adhuc clausus*, a Sedecia. Secundo respectu praecedentis visionis secundo factae promittentis auctoritatem, *Haec dicit Dominus... facturus*, sicut artifex praeparando materiam, *Formaturus*, ducendo ad complementum formae, *Paraturus*, ordinando ad finem, *Dominus nomen eius*, quia ipse singulariter Dominus omnium est: *Psa. 82. Quoniam nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus super omnem terram.* Promissionis firmitatem, et magnitudinem, *Clama ad*, pro populo orans, *Et exaudiam te*, non ut mala non inferam, sed ut post mala illata liberem. Et sic non est contrarium ei quod *supra 7.* dictum est, *Tu ergo noli orare pro populo hoc, et non assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Quae nescis*, idest non posses humana coniecturatione suspicari: *Isa. 48. Audita tibi feci nova ex tunc, et conservata sunt quae nescis.* Secundo ponit prophetiae verbum. Et primo ponitur promissio quoad populum. Secundo quoad regnum, et sacerdotium, ibi, *Ecce dies* etc. Circa primum tria. Primo promittit inflictae plagae curationem. Secundo cordis iucunditatem, ibi, *Haec dicit Dominus adhuc* etc. Circa primum tria. Primo tangit vulnus inflictum, *Quia haec dicit Dominus*, quantum ad destructionem aedificiorum, *Ad domos: Thren. 2. Praecipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob, destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, et defecit in terra.* Et quantum ad occisionem hominum, *Et ad gladium venientium*, in auxilium in Hierusalem. Vel de Gentilibus: vel de regno duarum tribuum. *Et impleant*, occasionaliter, quia ex eis fiduciam assumentes, restiterunt hostibus, et interfecti sunt: *Abscondens faciem*, idest subtrahens protectionem: *Eze. 39. Scient gentes quoniam in iniquitatibus suis capta sit domus Israel, et quod dereliquerit me, et quod absconderim faciem meam ab eis.* Secundo promittit curationis beneficium in generali, *Ecce ego obducam: Supra 30. Obducam cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te.* Et in speciali, quantum ad orationis exauditionem, *Et revelabo*, implendo intentum, *Deprecationem*, qua a me pacem ad invicem, et veritatem religionis petiverunt: *Isa. 39. Fiat tantum pax, et veritas in diebus meis.* Quantum ad patriae restitutionem, *Et convertam: Supra 30. Convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserebor.* Quantum ad peccati remissionem secundum purgationem a culpa, *Et emundabo: Eze. 36. Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos.* Et secundum absolutionem a poena, *Et propitius: Psal. 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertio ponit liberationis fructum, quantum ad divinam gloriam, *Et erit mihi: Supra 32. Laetabor super eis, cum bene eis fecero: Isa. 43. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Quantum ad amicorum laetitiam, *Et in exultationem: Ps. 86. Fundatur exultatione universae terrae mons Syon, latera aquilonis civitas regis magni.* Quantum ad invidorum angustiam, *Et pavebunt: Isa. 26. Videant, et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret.*

b Hic promittit eis iucunditatem. Et primo temporalem, *Vox gaudii: Supra 25. Perdam ex eis vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi, et vocem sponsae, vocem molae, et lumen lucernae.* Secundo spiritualem expressam divinis laudibus, *Vox dicentium: Isa. 51. Gaudium, et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis: Tob. 13. Per omnes vicos eius alleluia cantabitur.* Et in oblationibus, *Et portantium: Isa. 19. Colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.* Tertio assignat rationem, *Reducam: Thren. ult. Innova dies nostros sicut a principio.*

c Hic promittit eis pacis tranquillitatem, quam significat per securam patriae habitationem, *Transibunt*; quasi dicat, Tanta securitate potientur, quod oves suas libere numerare poterunt: *Ezec. 34. In pascuis uberrimis pascam eos, et in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum.*

d Hic ponitur consolatio quantum ad regnum, et sacerdotium. Et primo promittitur utriusque restitutio. Secundo ponitur promissionis confirmatio, ibi, *Et factum est* etc. Circa primum duo. Primo promittit restaurationem regni. Secundo sacerdotii, ibi, *Et de sacerdotibus* etc. Circa primum tria. Primo designat temporis congruitatem, *Ecce dies veniunt*, scilicet gratiae, *Et suscitabo*, implebo, *Verbum bonum*, quod

promisi de regni restauratione: *Osee 1. Et congregabuntur filii Iuda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra*, quod implctum est in Christo. Secundo regni conditionem, quantum ad regiminis nobilitatem, *In diebus illis... germen iustitiae*, Christus, qui est ipsa iustitia: *Isa. 11. Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et faciet iudicium*, in primo adventu pro mundo: in secundo de mundo: *Iustitiam*, docens verbo, implens in se facto, et in aliis gratiae dono: *Psal. 118. Feci iudicium, et iustitiam.* Et quantum ad regiminis utilitatem, in populi salutem, *In diebus illis salvabitur Iuda*, quantum ad eos qui crediderunt in primo, et credent in secundo adventu: *Osee 1. Salvabo eos in Domino Deo suo.* In pacis securitate, *Et Israel: Isa. 23. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta.* Et in verae fidei confessione, *Et hoc est nomen, iustus: Psal. 118. Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Tertio ponit regni durationem, *Quia haec dicit Dominus... vir*, Christus, et membrum ipsius: *Dan. 7. Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.*

e Hic ponit restaurationem sacerdotii. Et sicut regnum restauratur in ipso Christo, et in membris eius, ita et sacerdotium: ipse enim sicut rex, ita et sacerdos est: *Psal. 109. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et membra sua reges et sacerdotes fecit: *Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: Eph. 5. Seipsum obtulit hostiam Deo in odorem suavitatis.* Et membra ipsius spirituales hostias Deo offerre facit: *Ezech. 44. Sacerdotes, et levitae filii Sadoch, qui custodierunt caeremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi, et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem, et sanguinem, ait Dominus Deus.*

f Hic ponitur promissionis confirmatio. Et primo ex creaturarum duratione, *Si irritum*; quasi dicat, Non potest esse irritum usque ad finem mundi: *Psal. 88. Ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronum eius, sicut dies caeli.* Secundo earum multitudinem, *Sicut enumerari non possunt stellae caeli*, nisi a solo Deo, ita et numerus electorum soli Deo est cognitus: *Gen. 22. Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam quae est in litore maris.*

g Hic repellit hostium irrisionem. Et primo ponitur insultatio, *Duae cognationes*, scilicet regalis, et sacerdotalis: vel decem, et duarum tribuum: *Psal. 70. Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Secundo ponitur improbatio, *Haec dicit Dominus: Rom. 11. Nunquid repulit Deus populum sum? Absit* etc.

## a CAP. XXXIV.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius, universaque regna terrae, quae erant sub potestate manus eius, et omnes populi bellabant contra Hierusalem, et contra omnes urbes eius, dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel: Vade, et loquere ad Sedeciam regem Iuda, et dices ad eum: Haec dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendet eam igni. Et tu non effugies de manu eius, sed comprehensione capieris, et in manu eius traderis, et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os eius cum ore tuo loquetur, et Babylonem introibis. Attamen audi verbum Domini Sedecia, rex Iuda: Haec dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris; et secundum combustiones patrum tuorum priorum, qui fuerunt ante, sic comburent te, et Vae Domine plangent te, quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus. Et locutus Hieremias propheta ad Sedeciam regem Iuda universa verba haec in Hierusalem, et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Hierusalem, et contra omnes civitates Iuda, quae erant, contra Azecha: haec enim supererant de civitatibus Iuda, urbes munitae.

b Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias foedus cum omni populo in Hierusalem, praedicans ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, hebraeum et hebraeam liberos, et nequaquam dominaretur eis, idest in Iudaeo et fratre suo. Audierunt ergo omnes principes, et universus populus, qui inierant pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, et ancillam suam liberos, et ultra non dominarentur eis. Audierunt igitur, et dimiserunt. Et conversi sunt deinceps, et retraxerunt servos et ancillas suas, quos dimiserunt liberos, et subiugaverant in famulos et famulas.

c Et factum est verbum ad Hieremiam a Domino dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi foedus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Aegypti de domo servitutis, dicens: Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum hebraeum, qui venditus est ei, et serviet tibi sex annis, et dimittes eum a te, liberum. Et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis ut praedicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum, et in istis pactum in conspectu meo, in domo in qua invoca-

tum est nomen meum, eam. Et reversi estis, et commaculastis nomen meum, et reduxistis unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi, et suae potestatis, et subiugastis eos ut sint vobis servi, et ancillae. Propter haec dicit Dominus: Vos non audistis me ut praedicaretis libertatem, unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo. Ecce ego praedico libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, et dabo vos in commotionem cunctis regnis terrae. Et dabo viros, qui praevaricantur foedus meum, et non observaverunt verba foederis quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones eius, principes Iuda, et principes Hierusalem, eunuchi, et sacerdotes, et omnis populus terrae, qui transierunt inter divisiones vituli. Et dabo eos in manus inimicorum suorum, et in manus quaerentium animas eorum, et erit morticinum eorum in escam volatilibus caeli, et bestiis terrae. Et Sedeciam regem Iuda, et principes eius dabo in manus inimicorum suorum, et in manus quaerentium animas eorum, et in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. Ecce ego praecipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et praeliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni. Et civitates Iuda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

## a CAP. XXXIV.

Quia Iudaei a Deo obstinati erant, quod nec terrebantur tristibus, nec flectebantur laetis, decenter eius comminationem, et consolationem, et tertio contradictionem audientium ostendit. Et primo in transgressione sententiae. Secundo in destructione scripturae, *c. 36. Et factum* etc. Tertio in persecutione prophetae, *c. 37. Et regnavit* etc. Circa primum duo. Primo convincuntur de transgressione, facto. Secundo, exemplo, *35. cap. Verbum* etc. Ostendit autem eos transgressores ex hoc quod etiam pactum, quod ipsi cum Deo fecerant de liberatione servorum secundum legem, non servaverunt. Dividitur autem in partes duas. Primo ponitur quoddam alleviamentum malorum post foederis pactionem. Secundo ponitur comminatio post pacti initi transgressionem, ibi, *Verbum quod factum est* etc. Circa primum duo. Primo ponit prophetiae titulum, in quo describit tempus, *Quando Nabuchodonosor: Supra 1. Ecce ego congregabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait Dominus, et venient, et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem* etc. Secundo ponit prophetale verbum, *Haec dicit Dominus.* Et facit tria. Primo ponit comminationem pro culpis praeteritis, quantum ad destructionem civitatis, *Ecce ego, et succendet: Ps. 73. Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Et quantum ad captivitatem regis, *Et tu non effugies: Thre. 2. Non fuit in diebus furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur.* Secundo ponit pro pacto inito remunerationem, *Attamen audi... non morieris*, hoc quidem non fuit impletum, quia in pacto non mansit, fuitque confusione mortuus, quando medicinam laxativam in convivio acceperat: *Abach. 2. Vae qui potum dat amico suo miscens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem eius.* Et tamen quantum ad hoc potest dici impletum, quod fuit hostili gladio interfectus: *Supra 22. Non plangent eum, Vae frater, et vae soror. Non concrepabunt ei, Vae Domine, et vae inclyte.* Tertio tangit imminentem tribulationem ut promissio sit acceptior, *Quia verbum hoc ego locutus sum: Abac. 1. Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.*

b Hic ponitur comminatio post pacti transgressionem. Et primo ponitur pacti transgressio. Secundo contra transgredientes comminatio, ibi, *Factum est verbum* etc. Circa primum tria. Primo ponitur pactio, *Postquam percussit rex Sedecias foedus*, et est postquam fregit, *Ut dimitteret unusquisque*, secundum legem: *Exo. 21. Si emeris servum hebraeum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* Et *Levit. 25.* prohibetur quod retineant de fratribus suis ut servos, neque opprimant per potentiam in servitute famulorum, sed quasi mercenarii et coloni erunt. Secundo ponitur pacti ad tempus reservatio, *Audierunt: Ps. 105. Cito fecerunt opera eius, et non sustinuerunt consilium eius.* Tertio ponitur pacti transgressio, *Et conversi sunt: Osee 7. Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus.*

c Hic comminatur contra transgredientes. Et primo ponit culpam patrum, ponens pactionem, *Ego percussi foedus: Supra 31. Non secundum pactum quod pepigi eum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt* etc. Et transgressionem, *Et non audierunt: Supra 11. Non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in pravitate cordis sui mali.* Et culpam filiorum, ponens pactionem, *Et conversi*, a transgressione patrum, *In domo*, in templo: *Isa. 64. Domus sanctificationis nostrae, et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te patres nostri* etc. *Et transgressi estis, et commaculastis nomen meum*, transgrediendo: *Exod. 20. Ne assumas nomen Dei tui in vanum: Ezech. 36. Non propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis.* Secundo comminatur poenam, *Propterea haec dicit Dominus.* Et circa hoc duo. Primo ponit comminationem, communiter quantum ad omnes, praedicens occisionem, *Ecce ego... libertatem*, ut libere occidamini: *Supra 15. Qui ad gladium ad gladium, qui ad famem ad famem, et qui ad captivitatem ad captivitatem.* Et reliquiarum servitutem, *Et dabo viros vitulum*, idest quod pactum per divisionem vituli firmaverunt sacrificando Deo. Unde inolevit iste usus loquendi, percutere, vel ferire foedus: *Threno. 1. Dedit me Dominus in manu de qua non potero effugere.* Praedicit etiam devorationem cadaverum, *Et erit morticinum: Ps. 78. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Et quantum ad principes specialiter, *Et Sedeciam: Deuter. 28. Ducet te*

*Dominus, et regem tuum quem constitues super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui. Qui recesserunt a vobis,* aut alienus habebatur, *Infra 38.* Secundo ponit expletionis ordinem, *Ecce ego : Supra 12. Dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis, posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me.*

## a CAP. XXXV.

Verbum quod factum est ad Hieremiam a Domino in diebus Ioachim filii Iosiae regis Iuda, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, et loquere eis, et introduces eos in domum Domini in unam exedram thesaurorum, et dabis eis bibere vinum. Et assumpsit Iechoniam filium Hieremiae filii Habsamae, et fratres eius, et omnes filios eius, et universam domum Rechabitarum, et introduxit eos in domum Domini ad Gazophilacium filiorum Hanan filii Iezedeliae hominis Dei, quod erat iuxta Gazophilacium principum super thesaurum Maasiae filii Sellum, qui erat custos vestibuli. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices ; et dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab pater noster praecepit nobis, dicens; Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum. Et domum non aedificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terrae, in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab patris nostri, in omnibus quae praecepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos et mulieres nostrae, et non aedificaremus domos ad habitandum, et vineam, et agrum, et sementem non habuimus. Sed habitavimus in tabernaculis, et obedientes fuimus iuxta omnia, quae praecepit nobis Ionadab pater noster. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis ad terram nostram, diximus; Venite, et ingrediamur in Hierusalem a facie exercitus Chaldaeorum, et a facie exercitus Syriae, et mansimus in Hierusalem.

b Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, dicens : Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vade, et dic viris Iuda, et habitatoribus Hierusalem: Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? Praevaluerunt sermones Ionadab filii Rechab, quos praecepit filiis suis ut non biberent vinum, et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt praecepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens, et loquens, et non obedistis mihi. Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque, et dicens : Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra, et nolite sequi deos alienos, neque colatis eos, et habitabitis in terra quam dedi vobis, et patribus vestris. Et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab praeceptum patris sui, quod praeceperat eis ; populus autem iste non obedivit mihi. Idcirco haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam, et super omnes habitatores Hierusalem universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos, et non audierunt: vocavi illos, et non responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Hieremias : Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo quod obedistis praecepto Ionadab patris vestri, et custodistis omnia mandata eius, et fecistis universa, quae praecepit vobis, propterea haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

## a CAP. XXXV.

Hic convincit eos de transgressione exemplo quorundam obedientium. Et primo ponitur obedientiae experimentum etc. Secundo ponitur inobedientium condemnatio, ibi, *Et factum est* etc. Circa primum tria. Primo ponitur experiendi iussio a Domino ad prophetam, Unde *Rechabitarum*, qui dediti erant studio Scripturae ; et ideo a vino abstinebant, de quibus *Paral. 2. Cognationes scribarum habitantium in Labes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes.* Hi sunt Cinei qui venerunt de calore patris domus Rechab, *Exedram*, quasi cameram extra principalem aedem, *Dabis*, probans eorum obedientiam: *Supra 6. Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis vias eorum. Et assumpsi ... ad Gazophilacium*, in quo divitiae templi conservabantur. Gaze, divitiae, Philaxae, conservatio in Graeco dicitur, *Maasiae*, qui tempore David hoc ministerium acceperat, *Paralip. 34. Vestibuli*, atrii : quia enim domus ante cameram principum ubi vestes custodiuntur, vestibulum dicitur, inolevit usus ut omne atrium vestibulum dicatur. *Calices*, ad aquam, *Bibite vinum*, ut experimentum sumat mysteriorum : *Prov. 9. Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Tertio ponitur obedientiae protestatio, *Qui responderunt.* Et primo inducitur paterna iussio de non bibendo vino, *Non bibetis : Ecclesi. 2. Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.* Et de paupertate, ne solicitudine temporalium sapientiae studium intermitterem, *Et domum: 2. Corint. 6. Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Secundo ponitur adimpletio, *Obedivimus ergo: Prov. 3. Fili mi ne obliviscaris legis meae, et praecepta mea cor tuum custodiat. In tabernaculis: Sapien. 11. In locis desertis fecerunt casas.* Tertio excusatur necessaria transgressio, *Cum autem ascendisset* etc.

b Hic ponitur inobedientium condemnatio. Et pri-

mo comparantur diversa merita, ubi ponitur inobedientiae admiratio, *Nunquid non recipietis disciplinam*, etiam flagellis, et exemplis: *Supra 2. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non susceperunt.* Ponitur etiam admirationis ratio, *Praevaluerunt;* quasi dicat, Maiorem efficaciam habuerunt sermones patris carnalis, quam patris spiritualis: *Hebraeor. 12. Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos, num multo magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus?* Et comparationis probatio, quia illis obedientibus, hi non obedierunt, *Ego autem: Supra 7. Locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis. Vocavi vos, et non respondistis mihi.* Secundo promittuntur diversa praemia. Et primo promittit inobedientibus poenam, *Idcirco: Prov. 1. Quia vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit* et caet. Secundo obedientibus misericordiam, *Domui autem Rechabitarum: 1. Reg. 15. Melior est obedientia, quam victimae, et auscultare, quam offerre adipem arietum.*

## a CAP. XXXVI.

Et factum est in anno quarto Ioachim filii Iosiae regis Iuda, factum est verbum hoc ad Hieremiam a Domino, dicens: Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba quae locutus sum tibi adversum Israel, et Iudam, et adversum omnes gentes a die qua locutus sum ad te, ex diebus Iosiae usque ad diem hanc, si forte audiente domo Iuda universa mala quae ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessima, et propitius ero iniquitati et peccato eorum. Vocavit ergo Hieremias Baruch filium Neriae, et scripsit Baruch ex ore Hieremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri.

b Et praecepit Hieremias Baruch dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. Ingredere ergo tu, et lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunii, insuper et audiente universo Iuda, qui veniunt de civitatibus suis. Leges eis, si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, et revertatur unusquisque a via sua pessima, quoniam magnus furor et indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriae iuxta omnia quae praeceperat ei Hieremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. Factum est autem in anno quinto Ioachim filii Iosiae Regis Iuda in mense nono, praedicaverunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Hierusalem, et universae multitudini, quae confluxerat de civitatibus Iuda in Hierusalem. Legitque Baruch ex volumine sermones Hieremiae in domo Domini in gazophilacio Gamariae filii Sapham scribae, in vestibulo superiori in introitu portae novae domus Domini, audiente omni populo.

c Cumque audisset Michaeas filius Gamariae filii Saphan omnes sermones Domini ex libro, descendit in domum regis ad gazophilacium scribae. Et ecce ibi omnes principes sedebant, Elisama scriba, et Dalaias filius Semiae, et Helnatham filius Achobor, et Gamarias filius Sapham, et Sedecias filius Hananiae, et universi principes. Et nunciavit eis Michaeas omnia verba, quae audivit legente Baruch ex volumine in auribus populi. Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Iudi filium Nathaniae filii Selemiae, filii Chusi, dicentes: Volumen ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, et veni. Tulit ergo Baruch filius Neriae volumen in manu sua, et venit ad eos. Et dixerunt ad eum: Sede, et lege haec in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum.

d Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, et dixerunt ad Baruch: Nunciare debemus regi omnes sermones istos. Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis, quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento. Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, et abscondere tu, et Hieremias, et nemo sciat ubi sitis. Et ingressi sunt ad regem in atrium. Porro volumen commendaverunt in gazophilacio Elisamae scribae, et nunciaverunt audiente rege omnes sermones. Misitque rex Iuda ut sumeret volumen, qui tollens illud de gazophilacio Elisamae scribae, legit audiente rege, et universis principibus, qui stabant circa regem.

e Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono, et posita erat arula coram eo plena prunis. Cumque legisset Iuda tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribae, et proiecit in ignem, qui erat super arulam donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua rex, et omnes servi eius, qui audierunt universos sermones istos. Veruntamen Helnathan, et Dalaias, et Gamarias contradixerunt Regi ne combureret librum, et non audivit eos.

f Et praecepit rex Hieremiel filio Amelech, et Saraiae filio Ezrihel, et Selemiae filio Abdehel ut comprehenderent Baruch scribam, et Hieremiam prophetam. Abscondit autem eos Dominus.

g Et factum est verbum Domini ad Hieremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen et sermones, quos scripserat Baruch ex ore Hieremiae, dicens: Rursum tolle volumen aliud, et

scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioachim rex Iuda. Et ad Ioachim regem Iuda dices: Haec dicit Dominus: Tu combussisti volumen istud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians, Festinans veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem, et iumentum? Propterea haec dicit Dominus Deus contra Ioachim regem Iuda: Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, et cadaver eius proiicietur ad aestum per diem, et ad gelu per noctem. Et visitabo contra eum, et contra semen eius, et contra servos eius iniquitates suas, et adducam super eos, et super habitatores Hierusalem, et super viros Iuda omne malum, quod locutus sum ad eos, et non audierunt. Hieremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch filio Neriae scribae, qui scripsit in eo ex ore Hieremiae omnes sermones libri, quem combusserat Ioachim rex Iuda igni, et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant.

## a CAP. XXXVI.

Hic primo ponitur Scripturae descriptio. Secundo Scripturae destructio, ibi, *Rex autem* etc. Tertio restauratio, ibi, *Et factum est* etc. Circa primum tria. Primo ponit scribendi praeceptum, *Tolle volumen: Abachu. 2. Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Secundo ponit Scripturae fructum, *Si forte: Ezechiel. 61. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet, et non morietur.* Tertio Scripturae ministrum, *Vocavit ergo: Apocalyp. 1. Quod vides, scribe in libro, et mitte septem ecclesiis, quae sunt in Asia.*

b Hic ponitur denunciatio ad plebem. Secundo ad principes, ibi, *Cumque audisset* etc. Tertio ad regem, ibi, *Et dixi* etc. Circa primum primo ponitur denuntiandi praeceptum, *Ego clausus: 2. Tim. 2. Labora sicut bonus miles Christi Iesu: Phil. 1. Ut plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Secundo ponitur denuntiandi modus, quantum ad locum, *In domo Domini*, qui est locus devotionis: *Isa. 56. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus.* Quantum ad tempus, *In die ieiunii*, quod est tempus contritionis: *Isa. 58. Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Quantum ad audientes, *Audiente populo.* Quantum ad advenas, *Insuper*, Denunciationis fructum ponens utilitatem, *Si forte cadat*, idest acceptetur. Et consequentia sanctitatem, *Et revertatur...quoniam magnus: 4. Reg. 22. Magna ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne quod scriptum est nobis.* Secundo ponitur praecepti complementum, quantum ad actum, *Et fecit Baruch: Hebr. ult. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis.* Quantum ad tempus, *Factum est: Ioel. 2. Sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera.* Quantum ad locum, *Legitque Baruch... portae novae*, quam fecerat Ioas: *Par. 27. In vestibulo superiori*, idest in superiori parte atrii, in quo sacerdotes immolabant: *2. Esdr. 9. Legerunt in volumine Domini Dei sui quater in die, et quater in nocte.*

c Hic ponitur denuntiatio ad principes. Et primo ponitur de Scriptura prophetiae facta significatio ad principes, *Et nunciavit: Apoc. ulti. Qui audit dicat, veni.* Secundo Scripturae petitio, *Miserunt itaque in manu*, mystice in operatione: *Eccles. 30. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Apportatio, *Tulit ergo.* Tertio ponitur Scripturae recitatio, *Et dixerunt: Actuum 20. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Et lectionis effectus, *Igitur cum audissent: Supra 12. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis ardens, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras.*

d Hic ponitur denuntiatio ad regem. Et primo ponitur denuntiationis praeparatio: exponitur enim denuntiandi propositum, *Nunciare debemus*, quia ipse potest peccata populi corrigere: *Prov. 20. Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Perscrutantur editionis modum. Unde primo ponitur quaestio, *Et interrogaverunt...quomodo*, ut ex modo scirent, utrum divino Spiritu edita Scriptura esset: *1. Ioann. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* Et ponitur responsio, *Dixit autem Baruch...quasi legens*, sine impedimento et praemeditatione: *Matth. 10. Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: Supra 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo* et caete. Et datum absconsionis consilium, *Abscondere*, timentes de pertinacia et crudelitate legis: *3. Reg. 18. Nunquid non indicatum est tibi Domino meo quid fecerim, cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? Et nunc tu dicis: Vade et dic Domino tuo, Adest Helias ut interficiat me?* Secundo ponitur denunciatio, *Et ingressi sunt: Sap. 6. Ad vos ergo o Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, nec excidatis.* Tertio ponitur Scripturae recitatio, *Misit itaque: Iob 29. Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator.*

e Hic ponitur Scripturae destructio: et circa hoc duo. Primo ponitur scripturae destructio. Secundo scribentium persecutio, ibi, *Et praecepit* etc. Circa primum tria. Primo ponitur dispositio ad destructionem, *Posita erat*, in domo lixe, habebat enim propter delicias domos ad hyemem speciales, et aesta-

tem: *Amos 3. Percutiam domum hyemalem cum domo aestiva, et periburt domus eburneae, et dissipabuntur aedes multae.* Secundo ponitur destructio, *Cumque legisset pagellam*, parvas paginas, *Scalpello*, cultello, quo parabat pennam: *Isa. 30. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie vestra sanctus Israel.* Et sic fecerunt, quod facere non debuerant. Omiserunt etiam quod facere debuerunt, *Et non timuerunt*, exemplo Iosiae: *4. Reg. 22. Cum audisset rex verba libri legis, scidit vestimenta sua* etc. Tertio ponitur principum contradictio, *Veruntamen*: simile *3. Reg. ult. Obtinuit sermo regis verba Ioab et principum eius* etc.

f Hic ponitur scribentium persecutio. Et primo ponitur iniquum praeceptum, *Ut comprehenderent.* Secundo ponitur divinum auxilium, *Abscondit*, et fecit quod inveniri non possent: *Psal. 33. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.*

g Hic ponitur Scripturae restauratio. Et primo ponitur restaurandi praeceptum, *Rursum tolle: Supra 1. Pugnabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Secundo destruenti comminatur interitum, ibi, *Et ad Ioachim* etc. Unde arguit culpam, *Tu combussisti: Prover. 29. Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur.* Et comminatur poenam, *Propterea haec dicit Dominus.* Regalis successionis terminationem, *Non erit: Supra 22. Non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda.* Cadaveris abiectionem, *Cadaver.* Et sepulturam asini: *Isa. 15. Tu autem proiectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt usque ad fundamenta laci.* Subditorum destructionem, quantum ad domesticos, *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Et quantum ad alios, *Et adducam: Isa. 45. Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, et faciens pacem, et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec.* Tertio ponit praecepti complementum, *Hieremias autem: Sap. Sapientia autem vincit malitiam.*

## a CAP. XXXVII.

Et regnavit rex Sedecias filius Iosiae pro Iechonia filio Ioachim, quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Iuda, et non obedivit ipse, et servi eius, et populus terrae verbis Domini, quae locutus est in manu Hieremiae prophetae. Et misit rex Sedecias Iuchal filium Selemiae, et Sephoniam filium Maasiae sacerdotem ad Hieremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum. Hieremias autem libere ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Aegypto, et audientes Chaldaei, qui obsidebant Hierusalem huiusmodi nuntium, recesserunt ab Hierusalem.

b Et factum est verbum Domini ad Hieremiam prophetam, dicens: Haec dicit Dominus, Deus Israel: Sic dicetis regi Iuda, qui misit vos ad me interrogandum. Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Aegyptum, et redient Chaldaei, et bellabunt contra civitatem hanc, et capient eam, et succendent igni. Haec dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes, Euntes abibunt, et recedent a nobis Chaldaei, quia non abibunt. Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldaeorum, qui praeliantur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent, et incendent civitatem hanc igni.

c Ergo cum recessisset exercitus Chaldaeorum ab Hierusalem propter exercitum Pharaonis, egressus est Hieremias de Hierusalem ut iret in terram Beniamin, et divideret ibi possessionem in conspectu civium.

d Cumque pervenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos portae per vices nomine Hierias filius Selemiae filii Hananiae.

e Et apprehendit Hieremiam prophetam dicens: Ad Chaldaeos profugis. Et respondit Hieremias: Falsum est, non fugio ad Chaldaeos. Et non audivit eum, sed comprehendit Hierias Hieremiam, et adduxit eum ad principes. Quamobrem irati principes contra Hieremiam, caesum eum miserunt in carcerem qui erat in domo Ionatham scribae: ipse enim praepositus erat super carcerem. Itaque ingressus est Hieremias in domum laci, et in ergastulum, et sedit ibi Hieremias diebus multis. Mittens autem Sedecias rex tulit eum, et interrogavit eum in domo sua abscondite, et dixit: Putas ne est sermo a Domino? Et dixit Hieremias: Est. Et ait: In manus regis Babylonis traderis. Et dixit Hieremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, et servis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris? Ubi sunt prophetae vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant, Non veniet rex Babylonis super vos, et super terram hanc? Nunc ergo audi obsecro, Domine mi Rex. Valeat deprecatio mea in conspectu tuo, et ne me remittas in domum Ionathae scribae, ne moriar ibi. Praecepit ergo Rex Sedecias ut traderetur Hieremias in vestibulum carceris, et daretur ei torta quotidie panis, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate. Et mansit Hieremias in vestibulo carceris.

## a CAP. XXXVII.

Hic ostenditur contradictio ex prophetae persecutione. Et primo ponitur persecutio ipsius propter falsam suspicionem. Secundo propter veram praedicationem, *cap. 38. Audivi* etc. Circa primum tria. Primo ponit suspicionis occasionem. Secundo ponit suspicionem, ibi, *Cumque* etc. Tertio persecutionem, ibi, *Et comprehendit* etc. Circa primum duo. Primo ponitur occasio sumpta ex prophetae verbo. Secundo occasio sumpta ex ipsius facto, ibi, *Cumque* etc. Circa primum duo. Primo ponitur consultatio. Secundo ponitur prophetae displicens illis responsio, ibi, *Et factum est* etc. Circa primum tria. Primo describit consultantium conditionem, *Constituit: 1. Reg. 24. Et non obedivit, ut tributum regi Babylonis solveret, et a peccatis cessaret: Matth. 22. Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo. Servi*, familiares, *Populus: Ecclesiast. 10. Secundum iudicem populi, sic et ministri eius: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Secundo ponitur consultatio, *Et misit rex... ora pro nobis*, ut indicet nobis, quid agere debeamus, et ab hostibus liberemur: *Is. 37. Leva ergo orationem pro reliquiis quae repertae sunt.* Tertio ponitur consultantis ratio: fiduciam enim sumpserant ex prophetae libertate, quem nondum affixerant, *Hieremias autem ambulabat in medio populi:* et ex obsidionis solutione, *Igitur exercitus:* exiverat enim rex Aegypti ut liberaret Iudaeos. Quo devicto, tamen exercitus rediit: *Isa. 36. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum* etc.

b Hic ponitur prophetae responsio. Et primo excludit Aegyptiorum auxilium, *Ecce exercitus: Isai. 30. Aegyptus frustra et vane auxiliabitur.* Secundo praedicit Chaldaeorum reditum, *Et redient Chaldaei. Nolite decipere*, falsa spe: *Thren. 1. Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me.* Tertio excludit impedimentum, *Sed si percusseritis: Deut. 32. Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia? Nonne ideo quia Dominus Deus tuus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?*

c Hic ponit occasionem sumptam ex facto, *Et divideret ibi possessionem*, quam emerat, idest distingueret ab aliis agris. Vel distribueret aliis ut ipse sine solicitudine remaneret: *2. Corint. 6. Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.*

d Hic ponitur falsa suspicio: *Psalm. 26. Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

e Hic ponitur persecutio in tribus. In captione: *Threnor. 3. Venatione ceperunt.* In flagellatione, *Caesum*, simile *Actuum 7. Hebraeor. 11. Ludibria et verbera experti.* Et in carceratione: *Itaque ingressus: Psal. 87. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Ergastulum*, et est proprie carcer in quo damnatur quis ad aliquod opus. Secundo ponitur liberatio, *Mittens.* Et circa hoc tria. Primo ponitur liberationis occasio, ponens regis interrogationem, *Putas ne est sermo*, scilicet praenuncians futura, tibi revelatus? *Isaiae 8. Nunquid non populus a Deo suo requirit visionem pro vivis ac mortuis?* Et ponit responsionem, *Et dixit Hieremias: 3. Regum 14. Ego autem missus sum ad te durus nuncius.* Secundo ponitur liberationis petitio, *Et dixit Hieremias ad regem*, ubi monstrat iniustam poenam, *Quid peccavi: Iob 6. Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* Excusat impositam culpam, *Ubi sunt prophetae vestri;* quasi dicat, Patet eorum falsitas, et mea veritas. Iam enim exercitus Chaldaeorum reversus erat, quem illi reversurum negaverant: *Supra 28. Propheta qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum eius, tunc scietur propheta quem misit Dominus in veritate.* Et petit misericordiam, *Nunc ergo: Prov. 15. Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem: Ecclesiast. 6. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundabit.* Tertio ponitur petitionis impetratio, *Praecepit ergo... pulmento*, quod addi noluit, *Vestibulo*, idest atrio.

## a CAP. XXXVIII.

Audivit autem Saphatias filius Mathan, et Gedelias filius Phassur, et Iuchal filius Selemiae, et Phassur filius Melchiae sermones, quos Hieremias loquebatur ad omnem populum, dicens: Haec dicit Dominus, quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, et fame, et peste; qui autem profugerit ad Chaldaeos, vivet, et erit anima eius sospes, et vivens. Haec dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas haec in manu exercitus regis Babylonis, et capiet eam. Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, et manus universi populi, loquens ad eos universa verba haec: siquidem homo iste non quaerit pacem populo huic, sed malum. Et dixit Rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est vobis quicquam negare. Tulerunt ergo Hieremiam, et proiecerunt eum in lacum Melchiae filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris, et submiserunt Hieremiam in funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum. Descendit itaque Hieremias in coenum. Audivit autem Abdemelech Aethiops, vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod mississent Hieremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Beniamin. Et egressus est Abdemelech de domo regis, et locutus est ad regem, dicens: Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quaecumque perpetrarunt contra Hieremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame: non sunt enim panes ultra in civitate. Praecepit itaque rex Abdemelech Aethiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, et leva Hieremiam prophetam de lacu, antequam moriatur. Assumptis ergo Abdemelech secum viris ingressus est domum regis, quae erat sub cellario, et tulit inde veteres pannos, et antiqua vestimenta, quae

computruerant, et submisit ea ad Hieremiam in lacum per funiculos. Dixitque Abdemelech Aethiops ad Hieremiam prophetam: Pone veteres pannos, et haec scissa, et putrida sub cubito manuum tuarum, et super funes. Fecit ergo Hieremias sic. Et extraxerunt Hieremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu. Mansit autem Hieremias in vestibulo carceris.

b Et misit rex Sedecias, et tulit ad se Hieremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini. Et dixit rex ad Hieremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. Dixit autem Hieremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, nunquid non interficies me? Et si consilium dedero tibi, non me audies. Iuravit ergo rex Sedecias Hieremiae clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, et si tradidero te in manus virorum istorum, qui quaerunt animam tuam. Et dixit Hieremias ad Sedeciam: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni, et salvus eris tu, et domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas haec in manus Chaldaeorum, et succendent eam igni, et tu non effugies de manu eorum. Et dixit rex Sedecias ad Hieremiam: Solicitus sum propter Iudaeos, qui transfugerunt ad Chaldaeos, ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi. Respondit autem Hieremias, et dixit ei: Non te tradent. Audi quaeso vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua. Quod si nolueris egredi, iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus. Ecce omnes mulieres, quae remanserunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis, et ipsi dicent, Seduxerunt te, et praevaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt te in coeno et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te. Et omnes uxores tuae, et filii tui educentur ad Chaldaeos, et non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris, et civitatem hanc comburet igni. Dixit ergo Sedecias ad Hieremiam: Nullus sciat verba haec, et non morieris. Si autem audierint principes, quia locutus sum tecum, et venerint ad te, et dixerint tibi, Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, et non te interficiemus: et quid locutus est tecum rex, dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, et ibi morerer. Venerunt ergo omnes principes ad Hieremiam, et interrogaverunt eum. Et locutus est eis iuxta omnia verba, quae praeceperat ei rex, et cessaverunt ab eo: nihil enim fuerat auditum.

c Mansit vero Hieremias in vestibulo carceris usque ad diem quo capta est Hierusalem: et factum est ut caperetur Hierusalem.

## a CAP. XXXVIII.

In parte ista ostenditur persecutio prophetae propter veram praedicationem: et dividitur in tres partes. Primo ponit praedicationem, *Loquebatur:* quamvis enim esset in carcere, multi tamen veniebant ad eum, in quo comminatur remanentibus mortem, *Quicunque.* Et promittebat fugientibus salutem, *Qui autem profugerit.* Urbis captionem, *Tradenda.* Et haec tria posuit supra 21. Unde videtur continuari secundum historiae ordinem ad illud. Secundo ponit persecutionem: ubi ponit principum impiam petitionem: petunt enim mortem, *Et dixerunt principes: Sapient. 2. Circumveniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris.* Accusant praedicationem, *De industria*, quod est contra officium prophetale: *Isa. 35. Confortate manus dissolutas, et debilia genua roborate.* Et pervertunt intentionem, *Si quidem homo: Galat. 4. Ergo inimicus factus sum, verum dicens vobis?* Nolebat autem Hieremias auferre cor resistendi, sed propter bonum et salutem populi ex iussu Domini illa dicebat. Ponit etiam stultam regis exauditionem, *Et dixit rex Sedecias.* Unde non excusatur, quamvis minus peccaverit: *Ioan. 19. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Ponit etiam solicitam executionem, *Tulerunt ergo... lacum*, cisternam sine aqua: *Psalm. 87. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.* Et designat prophetae intromissionem, *Et descendit: Psalm. 68. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Tertio ponitur liberatio. Hic duo ponit. Primo quod liberatur a carcere. Secundo quod liberatur a mortis timore, ibi, *Et misit Rex* etc. Circa primum quatuor. Primo describit petentem, *Abdemelech*, idest servus regis, significans, quod dicit propter humilitatem: *Rom. 1. Paulus servus Christi Iesu* etc. *Aethiops*, propter carnis mortificationem: *Psal. 67. Aethiopia praeveniet manus eius Deo: Cant. 1. Nigra sum, sed formosa. Vir*, propter animi virtutem, *Eunuchus*, propter castitatem: *Matth. 19. Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui erat: Philip. 3. Nostra conversatio in caelis est: Sapien. 3. Spado qui non est operatus per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.* Secundo ponit petitionem, designans petitionis locum, *Porro Rex. Beniamin*, quae scilicet ducebat in tribum Beniamin. Et ponit petitionem, *Et egressus est, non enim sunt;* quasi dicat, Ex quo inclusus est, panis defecit. Vel non erat necessarium includi, cum omnes obsessi, et in penuria simus: *Sapie. 11. Per quae quis peccat, per haec et torquetur.* Tertio ponitur impetratio, *Praecepit itaque rex.* Quarto ponitur executio, *Assumptis ergo...computruerant*, propter tribulationes, quas sustinuerunt: *Heb. ult. Mementote praepositorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* Vel quia ad li-

teram molliores sunt. *Per funiculos*, praeceptorum Dei : *Eccle. 4. Funiculus triplex difficile rumpitur. In vestibulo carceris*, idest in atrio: dicitur enim vestibulum domus ante cameram regis, ubi custodiuntur vestes. Unde omne atrium vestibulum dicitur.

b Hic liberatur a timore mortis, concessa sibi securitate a rege. Et primo ponitur securitatis pactio. Secundo pacti observatio, ibi, *Mansit ergo* etc. Circa primum duo. Primo ponitur mutua petitio : petit enim rex divinum responsum, vel consilium, *Interrogo: 3. Reg. ultim. Iterum atque iterum te adiuro, ut non loquaris mihi nisi quod verum est in nomine Domini.* Et propheta petit securitatis promissum, *Dixit autem : Luc. 22. Si vobis dixero, non credetis mihi* etc. Potest enim legi interrogative, vel remissive. Secundo ponitur mutua solutio. Primo enim rex dat securitatis promissum, *Iuravit, si occidero*, male mihi accidat: *Isa. 42. Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te.* Secundo propheta dat salutis consilium: et circa hoc quatuor facit. Primo ponitur salubris prophetae exhortatio, *Et dixit Hieremias.* Et datur regi optio eligendi bonum vel malum : *Ecclesiast. 15. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Secundo ponitur regis excusatio, *Et dixit rex, propter Iudaeos*, quorum bona destruxerat, propter hoc quod ad Chaldaeos confugerant : *Supra 10. Unusquisque a proximo suo se custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quoniam omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* Tertio ponitur responsionis exclusio, *Respondit Hieremias*, in qua excludit timorem, si consilium audiat, *Non te tradent: Isaiae 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis.* Ponit comminationem si audire contemnat, *Quia si nolueris.* Comminatur autem mulierum insultationem, *Ecce omnes mulieres dicent.* Insultando autem improperant stultum amicorum consilium. *Seduxerunt*, quantum in se fuit, *Et praevaluerunt*, quia eis credidisti, *Pacificativi*, qui pacem tibi promittebant: *Is. 4. Populo meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Consequens damnum, *Demerserunt te in coeno*, peccati, *In lubricum*, poenae : *Psalm. 34. Fiant viae illorum tenebrae, et lubricum.* Et eorum recessum, *Et recesserunt a te : Eccles. 6. Est amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis.* Comminatur etiam captionem familiae, *Et omnes uxores: Isaiae 39. De filiis tuis qui exibunt de utero, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Et personae propriae, *Et tu non effugies : Thren. 2. Non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, et relinqueretur.* Comminatur etiam urbis captionem, *Et civitatem: Amos 1. Succendam ignem in muro Rabaa, et devorabit aedes eius.* Quarto petitur a rege consilii dati occultatio, *Dixit ergo rex* etc. Et circa hoc tria facit. Primo petit occultari filium, *Nullus sciat: Tob. 12. Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, et confiteri honorificum est.* Secundo docet celandi modum, *Si autem audierint ut veritatem taceat, et falsum non dicat: Proverb. 10. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Tertio ponitur petitionis complementum, *Venerunt ergo: Proverb. 11. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana ; qui autem amicus est, celat amici commissum.*

c Hic ponitur petitionis observatio, *In vestibulo*, non missus in lacum secundum petitionem suam.

## a CAP. XXXIX.

Anno nono Sedeciae regis Iuda, mense decimo venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius ad Hierusalem, et obsidebant eam. Undecimo autem anno Sedeciae, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas, et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis. Cumque vidisset eos Sedecias rex Iuda, et omnes viri bellatores, fugerunt, et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam, quae erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti. Persecutus est autem eos exercitus Chaldaeorum, et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Ierichontinae, et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quae est in terra Emath, et locutus est ad eum iudicia. Et occidit rex Babylonis filios Sedeciae in Reblatha in oculis eius, et omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis. Oculos quoque Sedeciae eruit, et vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem. Domum quoque regis, et domum vulgi, succenderunt Chaldaei igni, et murum Hierusalem subverterunt. Et reliquias populi, quae remanserant in civitate, et profugos, qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.

b Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militiae in terra Iuda, et dedit eis vineas, et cisternas in die illa. Praeceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Hieremia Nabuzardan magistro militum, dicens: Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias, sed ut voluerit sic facies ei. Misit ergo Nabuzardan princeps militiae, et Nabusezbaz, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis, miserunt, et tulerunt Hieremiam de vestibulo carceris, et tradiderunt eum Godoliae filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, et habitaret in populo. Ad Hieremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens: Vade et dic Abdemelech Aethiopi, dicens: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum, et erunt in conspectu tuo in die illa, et liberabo te in die illa, ait Dominus. Et

traderis in manus virorum, quos tu formidas; sed eruens liberabo te, et gladio non cades, sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

## a CAP. XXXIX.

Hic ponitur instructio reliquiarum populi post ipsius populi captivitatem: et dividitur in tres partes. In prima ponitur captivatio. In secunda reliquiarum conservatio, *capit. 40. Sermo* etc. Tertio reliquiarum instructio, *ca. 42. Et accesserunt* etc. Circa primum duo. Primo ponitur populi captivatio. Secundo quorundam liberatio, ibi, *Et de plebe* etc. Circa primum tria. Primo ponit obsidionem, *Et obsidebant: Isa. 29. Circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et faciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam.* Secundo ponit captionem urbis, *Undecimo anno, mense quarto*, scilicet Iulio. Tamen combusta est mense quinto, septima die mensis, sicut habetur *2. Reg. ult. Quinta mensis.* Contra *2. Reg. ult.* dicitur, quod nona mensis. Et potuit esse quod quinta die caeperunt homines fugere prae fame, et nona civitas aperta est, custodibus ablatis. Et quia primo ceperunt antemurale, et tunc habebant urbem quasi captam, et postea ceperunt urbem, unde sequitur, *Sederunt in porta media*, idest medio duorum murorum; vel quae erat inter duas portas ex eadem parte civitatis: *Supra 1. Ponet unusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, et super muros eius in circuitu, et super universas urbes Iuda.* Ponit etiam captionem regis, designans fugam, *Cumque vidisset eos Sedecias, inter duos muros*, qui coniungebantur muro civitatis iuxta domum regis, et cingebant hortum regium, inter quos erat et via, et porta secundum aequi distantiam ab utroque: *Thren. 1. Facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Et subiungit captionem, *Et persecutus: Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli.* Tertio ponit captorum condemnationem. Et primo regis et principum, in occisionem, *Et captum*, regem, scilicet in sententiae pronunciationem, *Et locutus: Ezech. 16. Iudicabo te iudiciis adulterarum, et effundentium sanguinem.* Et executionem sententiae principum, *Et occidit: Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur.* Et oculorum caecitatem, *Oculos quoque, ut duceretur in Babylonem, 4. Reg 22. idem.* Secundo condemnationem urbis in destructionem, *Domum quoque: Thren. 2. Praecipitavit omnia maenia eius, dissipavit munitiones eius.* Tertio condemnationem plebis in transmigrationem, *Et reliquias: Baruch 4. Delicati mei ambulaverunt vias asperas, dueti sunt enim ut grex directus ab inimicis.*

b Hic ponit quorundam liberationem. Primo *Pauperum*, qui nihil, *Et cisternas*, quia terra penuriam in aquis patitur: *Supra 5. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.* Secundo liberationem iustorum. Primo prophetae, ponens iussionem, *Praeceperat;* et executionem, *Misit ergo in domum*, suam: *Prov. 11. Iustus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo: Prover. 10. Quod timet impius, veniet super eum, desiderium suum iustis dabitur:* et *cap. 16. Cum placuerint Domino viae hominis, etiam inimicos eius convertet ad pacem.* Secundo liberationem eunuchi, *Ad Hieremiam autem.* Et primo promittit liberationem ab hostium dominio, *Et non traderis: Sap. 10. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum.* Tertio ab occisionis gladio, *Et gladius: Psalm. 90. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit: Supra 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius: Eccles. 2. Crede Deo, et recuperabit te, et dirige viam tuam, et spera in illum.*

## a CAP. XL.

Sermo, qui factus est ad Hieremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiae de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Hierusalem et Iuda, et ducebantur in Babylonem. Tollens ergo princeps militiae Hieremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum, et adduxit, et fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem eius, et factus est vobis sermo hic. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quae sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni, et ponam oculos meos super te; si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside. Ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, et quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge. Et mecum noli venire, sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem praeposuit rex Babylonis civitatibus Iudae. Habita ergo cum eo in medio populi, vel quocunque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiae cibaria, et munuscula, et dimisit eum. Venit autem Hieremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphat, et habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.

b Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi et socii eorum, quod praefecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terrae, quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos, et de pauperibus terrae, qui non fuerant translati in Babylonem, venerunt ad Godoliam in Masphat et Hismael filius Nathaniae, et Iohanan filius Caree, et Ionatham et Sareas filius Thanheumet, et filii Ophi, qui erant de Nethophati, et Iechonias filius Maachari, ipsi et viri eorum. Et iuravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, et comitibus eorum dicens: Nolite timere servire Chaldaeis. Habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. Ecce ego habito in Masphat, ut respondeam

praecepto Chaldaeorum, qui mittuntur ad nos. Vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris, et manete in urbibus vestris, quas tenetis. Sed et omnes Iudaei, qui erant in Moab, et in finibus Ammon, et in Idumaea, et in universis regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Iudaea, et quod praeposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan, reversi sunt, inquam, omnes Iudaei de universis locis, ad quae profugerant, et venerunt in terram Iuda ad Godoliam in Masphat, et collegerunt vinum, et messem multam nimis.

c Iohanan autem alius Caree, et omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphat, et dixerunt ei: Scito quod Baalis rex filiorum Ammon misit Hismael filium Nathaniae percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. Iohanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphat, loquens: Ibo, et percutiam Hismael filium Nathaniae nullo sciente, ne interficiat animam tuam, et dissipentur omnes Iudaei qui congregati sunt ad te, et peribunt reliquiae Iuda. Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree, Noli facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Hismael.

## a CAP. XL.

Posita destructione urbis, et populi captivitate, ponit reliquiarum salutem. Et primo ponitur populi congregatio. Secundo congregati populi disturbatio, *cap. 41. Et factum* etc. Circa primum duo. Primo ponitur congregatio. Secundo quarundam insidiarum revelatio, quae pacem populi perturbabant, ibi, *Iohanan* etc. Circa primum tria. Primo ponitur congregatio populi quantum ad prophetam. Secundo quantum ad principes, ibi, *Cumque audissent* etc. Tertio quantum ad plebem, ibi, *Sed et omnes* etc. Circa primum quatuor. Primo ponitur liberationis pronunciatio, *Sermo qui factus.* Cum nullus sermo sequatur, intelligitur hoc, primum sermone revelatum quod postea opere narratur expertum: *Psalm. 68. Exaudivit pauperes, et vinctos suos non despexit.* Secundo ponitur prophetae liberatio, *Tollens ergo:* et assignat rationem, veritatem scilicet prophetae, *Locutus est,* per te: *Amos 3. Non est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Et excludit liberationem, *Nunc ergo: Psalm. 106. Eduxit eos de tenebris, et vincula eorum disrupit.* Tertio datur ei optio, utrum vadat in Babylonem, vel cum Godolia remaneat, vel quocumque placeat, pergat, *Si placet: Genes. 13. Ecce terra in conspectu tuo est* etc. *Prov. 4. Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Et ponitur provisio sibi facta, *Dedit ergo: Iudic. 14. De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.* Quarto ponitur prophetae electio, *Venit autem Hieremias.* Ideo non in Chaldaeam ivit, quia illi habebant ad consolationem Danielem et Ezechielem: *Isa. 61. Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, et ponerem consolationem lugentibus Syon.*

b Hic ponitur congregatio principum. Et primo ponitur eorum congregatio, *Cumque audissent: Eccles. 10. Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitabuntur per ferrum prudentium.* Secundo ponitur congregatorum assecuratio, *Et iuravit: 2. Petri 2. Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Tertio ostendit securitatis modum, *Ecce ego;* quasi dicat, Ego sustinebo totum onus, ut vos in pace sitis: *1. Corinth. 4. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: Ioan. 10. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis,* sed, *Omnes Iudaei* etc. Hic ponitur congregatio plebis: *Ps. 146. Dispersiones Israelis congregabit.*

c Hic ponitur insidiarum machinatio. Et primo facta a principibus communiter, *Scito quod Baalis,* qui adhuc Chaldaeis residebat, *Et non credidit,* credens dolosis verbis Hismaelis: *Proverbior. 13. Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.* Secundo facta a quodam specialiter, *Iohanam.* Et primo excogitatio, *Ibo: Proverb. 11. In bonis iustorum exaltabitur civitas, et in perditione impiorum erit laudatio.* Secundo ponitur repulsio, *Et ait Godolias: Supra 11. Et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes, Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium* etc.

## a CAP. XLI.

Et factum est in mense septimo, venit Hismael filius Nathaniae filii Elisama de semine regali, et optimates regis, et decem viri cum eo ad Godoliam filium Ahicam in Masphat, et comederunt ibi panes simul in Masphat. Surrexit autem Hismael filius Nathaniae, et decem viri, qui cum eo erant, et percusserunt Godoliam filium Ahicam, filii Saphan gladio, et interfecerunt eum, quem praefecerat rex Babylonis terrae. Omnes quoque Iudaeos qui erant cum Godolia in Masphat, et Chaldaeos, qui reperti sunt ibi, et viros bellatores, percussit Hismael.

b Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente, venerunt viri de Sychem, et de Sylo, et de Samaria octoginta viri rasi barba, et scissis vestibus, et squalentes: et munera, et thus habebant in manu ut offerrent in domo Domini. Egressus ergo Hismael filius Nathaniae in occursum eorum de Masphat, incedens, et plorans ibat. Cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Hismael filius Nathaniae circa medium laci, ipse

et viri, qui erant cum eo. Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, et hordei, et olei, et mellis. Et cessavit, et non interfecit eos cum fratribus suis.

c Lacus autem, in quem proiecerat Hismael omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel: ipsum replevit Hismael filius Nathaniae occisis.

d Et captivas duxit Hismael omnes reliquias populi, qui erant in Masphat, filias regis, et universum populum, qui remanserat in Masphat, quos commendaverat Nabuzardan princeps militiae Godoliae filio Ahicam. Et cepit eos Hismael filius Nathaniae, et abiit ut transiret ad filios Ammon. Audivit autem Iohanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum quod fecerat Hismael filius Nathaniae; et assumptis universis vivis profecti sunt, ut bellarent adversum Hismaelem filium Nathaniae, et invenerunt eum ad aquas multas, quae sunt in Gabaon. Cumque vidisset omnis populus qui erat cum Hismael, Iohanan filium Caree, et universos principes bellatorum, qui erant cum eo, laetati sunt. Et reversus est omnis populus, quem receperat Hismael in Masphat, reversusque abiit ad Iohanan filium Caree. Hismael autem filius Nathaniae fugit cum octo viris a facie Iohanan, et abiit ad filios Ammon. Tulit ergo Iohanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Hismael filio Nathaniae de Masphat, postquam percussit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad praelium, et mulieres, et pueros, et eunuchos, quos reduxerat de Gabaon. Et abierunt, et sederunt peregrinantes in Chamaam, quae est iuxta Bethleem, ut pergerent et introirent Aegyptum a facie Chaldaeorum: timebant enim eos, quia percusserat Hismael filius Nathaniae Godoliam filium Ahicam, quem praeposuerat rex Babylonis in terra Iuda.

a CAP. XLI.

Hic ponitur congregati populi disturbatio per nequitiam Hismaelis. Et primo ponitur quorundam fraudulenta occisio. Secundo cadaverum intumulatio, ibi, *Lacus autem* etc. Tertio aliorum violenta captivatio, ibi, *Et captivos* etc. Circa primum duo. Primo ponitur occisio ducis, et familiarium. Secundo occisio quorundam peregrinorum, ibi, *Secundo autem die* etc. Circa primum tria. Primo ponit simulatae pacis dolum, *De semine regali*, propter quod invidia movebatur ad eum, quem videbat Iudaeis praepositum, se a regno excluso: *Ecclesi. 6. Est amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis.* Secundo ponit patratum ducis homicidium, *Surrexerunt*, de mensa, *Decem viri*, et praevaluerunt, aliis nihil tale suspicantibus: *2. Reg. 3. Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.* Tertio ponit occisionem familiarium, *Omnes quoque... Iudaeos: Eccle. 10. Ab una scintilla augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis.*

b Hic ponit occisionem peregrinorum. Et primo describit eorum conditionem, quantum ad luctum, *Rasi barba: Thren. 1. Sacerdotes eius gementes.: Baruch 4. Adduxit mihi Deus luctum magnum* etc. Et quantum ad votum, *Munera*, habebant, *Thus*, quod in omni oblatione offerebatur: *Levi. 2. In domo Domini*, idest in loco templi: *Isa. 19. Colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.* Secundo ponit occisionem, praemittens dolum in tristitiae simulatione, *Egressus est plorans: Ecclesiastic. 12. Et si humiliatus vadat curvus, abiice animum tuum, et custodi te ab illo.* Et in fraudulento consilio, *Cum autem occurrisset*: *Prov. 26. Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum operatur ruinas:* et subiungit homicidium, *Qui cum venissent: Thren. 3. Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me: Osee 3. Sanguis sanguinem tetigit.* Tertio ponit quorundam liberationem propter promissionem divitiarum quas se habere dicebant, *Decem autem viri: Proverb. 13. Redemptio animae viri divitiae multae; qui autem pauper est, increpationem non sustinet.*

c Hic ponit cadaverum intumulationem, *Asa rex: 3. Reg. 16.* dicitur, quod Asa fecit construi Gabaa Beniamin in Masphat, de his quae praeparaverat Baasa ad aedificandum contra ipsum Rama, et forte fecit in munitionem loci cisternam aliquam: *Psalm. 87. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sine adiutorio inter mortuos liber.*

d Hic ponit captivationem. Et primo ponitur remanentium captivatio, *Reliquias*, quia quosdam interfecerat qui erant de Godoliae familia: *Isa. 5. Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* Secundo ponitur liberatio, praemittens liberantium praeparationem, *Audivit: Proverbi. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui traduntur ad interitum, liberare ne cesses.* Et subiungit captivorum liberationem, *Cumque vidisset: Proverbior. 11. In bonis iustorum exaltabitur civitas, et in perditione impiorum erit laudatio.* Et subdit captivantis evasionem, *Hismael autem... cum octo*, duobus inter-

fectis: *Isai. 33. Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis?* Tertio ponit eorum timorem: et circa hoc duo. Primo ponit timoris signum, scilicet propositum fugiendi, *Tulit ergo: Proverbio. 28. Fugit impius, nemine persequente.* Secundo ponit timoris incitativum, *Timebant enim: Sapien. 17. Semper enim praesumit saeva perturbata conscientia: Iob 15. Cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.*

## a CAP XLII.

Et accesserunt omnes principes bellatorum, et Iohanan filius Caree, et Iechonias filius Oziae, et reliquum vulgus a parvo usque ad magnum, dixeruntque ad Hieremiam prophetam: Cadat oratio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro universis reliquiis istis, quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur, et annunciet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, et verbum, quod faciamus. Dixit autem ad eos Hieremias propheta: Audivi. Ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra. Omne verbum quodcumque responderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quicquam. Et illi dixerunt ad Hieremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis, et fidei, si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus, sive bonum est, sive malum. Voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus, ut bene sit nobis, cum audierimus vocem Domini Dei nostri.

b Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Hieremiam: Vocavitque Iohanam filium Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, et universum populum a minimo usque ad magnum, et dixit ad eos: Haec dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu eius. Si quiescentes manseritis in terra hac, aedificabo vos, et non destruam, plantabo, et non evellam: iam enim placatus super malo, quod feci vobis. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis. Nolite metuere eum, dicit Dominus, quoniam vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, et eruam de manu eius. Et dabo vobis misericordias, et miserebor vestri, et habitare vos faciam in terra vestra. Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini Dei nostri dicentes: Nequaquam, sed ad terram Aegypti pergemus, ubi non videbimus bellum, et clangorem tubae non audiemus, et famem non sustinebimus, et ibi habitabimus. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiae Iuda. Haec dicit Dominus Deus exercituum, Deus Israel: Si posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Aegyptum, et intraveritis, ut ibi habitetis, gladius quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Aegypti, et fames, pro qua estis soliciti, adaerebit vobis in Aegypto, et ibi moriemini. Omnesque vivi, qui posuerint faciem suam, ut ingrediantur Aegyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, et fame, et peste. Nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos. Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sicut conflatus est furor meus, et indignatio mea super habitatores Hierusalem, sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Aegyptum. Et eritis in iusiurandum, et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium, et nequaquam ultra videbitis locum istum. Verbum Domini super vos reliquiae Iuda. Nolite intrare Aegyptum. Scientes scietis, quia obtestatus sum vobis hodie, quia decepistis animas vestras. Vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, et iuxta omnia quaecumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, et faciemus. Et annuntiavi vobis hodie, et non audistis vocem Domini Dei vestri super universis, pro quibus misit me ad vos. Nunc ergo scientes scietis, quia gladio, et fame, et peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare, ut habitaretis ibi.

## a CAP. XLII.

Hic incipit populi congregati instructio: et dividitur in partes duas. Primo ponitur populi instructio generalis. Secundo specialis: *Baruch c. 45. Verbum* etc. Circa primum duo. Primo ponitur prophetae instructio. Secundo populi contradictio, ibi, *Factum est autem* etc. Circa primum duo. Primo ponitur instructionis petitio. Secundo ponitur instructio, ibi, *Cum autem completi* etc. Circa primum duo. Primo petunt orationis suffragia, ubi ponitur petitio, *Cadat*, quasi dicant, locum habeat apud te: *Ecclesiast. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat*, in quo captant benevolentiam, *Et ora pro nobis*, ubi petunt beneficium: *Isa. 37. Leva orationem pro reliquiis quae repertae sunt. Quia derelicti*, in quo flectunt ad misericordiam: *Deuter. 28. Remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra caeli prae multitudine. Et annunciet*, in quo expetitur orationis fructus, *Dominus: Isai. 8. Nunquid non populus a Deo suo requiret visionem pro vivis ac mortuis. Viam*, quia non in Aegyptum ire decreveram: *Supra 10. Non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos: 2. Paralip. 20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Ponitur etiam prophetae promissio, *Dixit*. Promittit autem orationes, *Ecce ego*: *1. Re. 12. Absit a me peccatum hoc in Domino ut cessem orare pro vobis.* Et denunciationem, *Omne verbum*: *Act. 20. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Secundo promittunt obedientiam, quam tamen serva-

turi non erant, *Et illi dixerunt:* simile *Exod. 19. Cuncta quae locutus est nobis Dominus, faciemus.*

b Hic ponitur instructio: et circa hoc tria. Primo inducit revelantis auctoritatem, *Haec dicit Dominus*, quasi mediator inter vos, et Deum, deferens orationes vestras ad Deum, et responsum ipsius ad vos: *Deute. 5. Ego sequester, et medius fui inter Deum, et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba eius.* Secundo hortatur ad quietem dupliciter, excludendo mala divinae punitionis, ponens promissum, *Aedificabo*, bona conferendo, *Plantabo*, confirmando. Et excludens impedimentum, *Iam enim placatus: Exod. 32. Et placatus est Dominus ne faceret malum adversus populum suum: Psal. 102. Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Et excludit timorem hostilis persecutionis, faciens securitatem, *Nolite timere: Isai. 51. Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet?* Et promittit auxilii opem, *Quia nobis: Supra 20. Dominus mecum est tanquam bellator fortis. Idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt, et confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod nunquam delebitur: Isa. 50. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.*

EXPLICIT EXPOSITIO LITERALIS S. THOMÆ DE AQUINO ORDINIS PRAEDICATORUM SUPER HIEREMIAM, QUAM MORTE PRAEVENTUS COMPLERE NON POTUIT.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN THRENOS HIEREMIÆ EXPOSITIO

## PROOEMIUM

Ecce manus missa est ad me, in qua erat liber involutus. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, et foris, et scriptae erant in eo lamentationes, et carmen, et vae.

*Ecce manus missa est ad me, in qua erat liber involutus. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, et foris, et scriptae erant in eo lamentationes, et carmen, et vae, Ezech. 2. c.* Ex verbis istis quatuor possunt accipi circa praesens opus lamentationum Hieremiae, scilicet auctor, modus, utilitas, et materia. In auctore designatur benignitas; unde dicit, *Ecce manus missa est.* Haec manus sapientia Dei est, qua omnia facta sunt, sicut dicitur *in Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti.* Ipsa est quae intellectum aperit ad videndum: *Ezech. 40. Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Dei.* Ipsa est quae linguam expedit ad loquendum: *Hie. 1. Misit manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Ipsa est quae manum dirigit ad scribendum: *Dan. 5. Apparuerunt digiti quasi hominis scribentis:* qui sunt prophetae, et alii doctores in quibus sapientiae dona dividimus, ut totum, quod homo tradendo divinam sapientiam exterius agit ministerio, ipsa interius perficiat auctoritate: *Isa. 16. Omnia opera vestra operatus est in nobis: 1. Cor. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Haec quidem sapientia tam alta est, ut dum nos in infimo sumus, nihil ab ipsa possemus accipere, nisi nobis mitteretur. Et ideo benignitas auctoris designatur in missione manus: *Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei.* Mittitur quasi nobis praeposita tripliciter. In rerum creatione ex quibus perpenditur: *Ro. 2. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sap. 13. A magnitudine speciei, et creaturae poterit horum creator videri.* Mittitur etiam interna inspiratione: *Sap. 7. Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, et prophetas ipsa constituit.* Missa est eminentissime in incarnatione, quando coram oculis corporalibus invisibilis sapientia apparuit: *Sap. 7. Mitte illam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* In modo ostenditur difficultas: unde sequitur, *In qua erat liber involutus.* Est idem iste liber involutus ornatu verborum, unde et metrice descriptus, et rhetoricis est ornamentis coloratus: *Prover. 15. Lingua sapientum ornat scientiam.* Est etiam involutus profunditate mysteriorum: *2. Corin. 13. Spiritus enim loquitur mysteria;* et Apostolis dicitur in persona omnium qui sacras Scripturas ediderunt: *Vobis datum*

*est nosse mysterium regni Dei*, *Matth. 13.* Est etiam involutus varietate similitudinum, sicut et caeteri prophetarum libri: *Prover. 1. Anima advertet parabolam, et interpretationem, verba sapientum, et aenigmata eorum: Osee 12. Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum.* Et hoc signatum est per tria involumenta, quibus vasa sanctuarii involvebantur. *Num. 4.* Per velum enim quod diversis coloribus, et pulchra varietate erat distinctum, ut dicitur *Exo. 26.* significatur diversitas similitudinum. Per pelles, et pallium hyacinti coloris significantur coelestia mysteria, quibus quasi impregnatus est liber iste. Per pallium purpureum significatur ornatus verborum. Haec enim involutio Spiritus sancti explicatur a sacris expositoribus: quia sacrae Scripturae eodem spiritu sunt expositae, quo sunt editae, sicut dicit Augustinus. Et ideo sequitur, *Expandit illum coram me*, Deus enim aperit Scripturarum verba: unde dicitur *Luc. ultim. Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Revelat occulta mysteria: *Daniel. 2. Vere Deus noster Deus deorum, et Dominus regum, revelans mysteria.* Explicat similitudinem: *Psal. 17. Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt.* In multiplicitate etiam ostenditur utilitas: unde sequitur, *Qui erat scriptus intus, et foris.* Utrobique enim sapientiam scriptam continet, scilicet in cortice literalis sensus, in abditis sententialis intelligentiae, ut sit verum quod dicitur *Ioann. 10. Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* In materia ostenditur diversitas: unde sequitur, *Et erant scriptae in eo lamentationes, et carmen, et vae.* Deplorat Iosiae necem; et quantum ad hoc continet lamentationes: *2. Para. 35. Universos Iuda, et Hierusalem luxerunt eum, Hieremias maxime, cuius omnes cantores, et cantatrices usque in praesentem diem, Lamentationes super Iosiam replicant.* Deplorat populi conculcationem; et quantum ad hoc continet carmen: *Ezech. 32. Fili hominis cane carmen lugubre super multitudine.* Deplorat etiam Hierusalem, et totius civitatis vastationem; et quantum ad hoc continet, *Vae: Hier. 4. Vae nobis quia vastati sumus.* Vel possunt haec tria ad triplicem sensum referri, quo liber iste in glossis exponitur, ut vae referatur ad sensum typicum, tropologicum, vel moralem, quo deplorat peccati servitutem: *Infra ult. Cecidit corona capitis nostri, vae nobis quia peccavimus.* Carmen refertur ad sensum mysticum, quo deplorat ecclesiae viduitatem: *Psal. 30. Immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Lamentationes quantum ad sensum historicum, quo deplorat Iudaeorum captivitatem: *Hierem. 9. Vox lamentationis audita est de Syon, quomodo vastati sumus, et confusi vehementer.* Et ab hoc liber iste denominatur, unde alio nomine dicitur Threni, quod in graeco sonat lamentationem, quamvis a quibusdam dicantur Threni quasi Threni, quia quasi threnis versibus sub una litera procedit in principio libri, unde tribus ordinibus literarum variatur. Primo sub una litera tres clausulas usque ad tertium capitulum, ubi tribus clausulis singulis eandem literam proponit. In quarto capitulo duas clausulas sub eadem litera concludit. Notandum, quod in hebraeo in singulis literis per ordinem incipiunt distinctiones singulae, sicut vocantur, sicut apud nos illo hymno, *A solis ortus cardine.* Et secundum huiusmodi interpretationem literarum singulae litterae consonant sententiis clausularum, quibus praeponuntur.

# INCIPIUNT THRENI

IDEST

# LAMENTATIONES HIEREMIÆ

Huic autem operi praemittitur prooemium, in quo describitur tempus, *Postquam in captivitatem.* Auctor, *Sedit Hieremias*, more plangentis, quasi in terra: *Isa. 41. Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon.* Materia, *Planxit lamentatione: Herem. 9. Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt* etc. Auctoris affectus, *Amaro animo: infra 3. Replevit me amaritudinibus, et inebriavit me absinthio.*

## INCIPIUNT THRENI

IDEST LAMENTATIONES HIEREMIÆ

Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel, et Hierusalem deserta est, sedit Hieremias Propheta flens, et planxit lamentatione hac in Hierusalem, amaro animo suspirans, et eiulans, et dixit:

### a CAP. I.

### ALEPH.

Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.

### BETH.

b Plorans ploravit in nocte, et lacrymae eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.

### GHIMEL.

c Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

### DELETH.

d Viae Syon lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae, et ipsa oppressa amaritudine.

### HE.

e Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum eius. Parvuli eius ducti sunt in captivitate, ante faciem tribulantis.

### VAV.

f Et egressus est a filia Syon omnis decor eius. Facti sunt principes eius, velut arietes non inve-

nientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis

ZAIN.

g Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suae, et praevaricationis omnium desiderabilium suorum, quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, et non esset auxiliator. Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata eius.

HETH.

h Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH.

i Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

IOD.

k Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam.

CAPH.

l Omnis populus eius gemens, et quaerens panem: dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.

LAMED.

m O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die furoris sui.

MEM.

n De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die moerore confectam.

NUN.

o Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutae sunt, et impositae collo meo: infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

SAMECH.

p Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, vocavit adversum me tempus ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus virgini filiae Iuda.

AIN.

q Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

PHE.

r Expandit Syon manus suas, non est qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Iacob in circuitu eius hostes eius. Facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

SADE.

s Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi. Audite obsecro universi populi, et videte dolorem meum: virgines meae, et iuvenes mei abierunt in captivitatem.

COPH.

t Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt, quia quaesierunt cibum sibi, ut refocillarent animas suas.

RES.

u Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, et domi mors similis est.

SIN.

x Audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum: laetati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei.

THAU.

y Ingrediatur omne malum eorum coram te, et vindemia eos sicut vindemiasti me propter iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum moerens.

## a CAP. I.

Dividitur iste liber in partes duas. In prima propheta deplorat populi miseriam. In secunda oratione convertit se ad divinam misericordiam, *cap. 4. Recordare* etc. Prima dividitur in tres. In prima plangit miseriam servitutis. In secunda miseriam destructionis, *2. c. Quomodo obtexit.* In tertia miseriam obsidionis, *4. cap Quomodo obscuratum.* Prima in duas. In prima deplorat propheta gentis suae deiectionem. In secunda inducit plebis, vel civitatis conquestionem, ibi, *O vos omnes qui transitis.* Prima in duas. In prima plangit servitutem. In secunda prosequitur per partes servitutis magnitudinem, ibi, *Migravit Iudas* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit populi servitutem seu abiectionem quantum ad amissionem gloriae. Secundo quantum ad violationem amicitiae, ibi, *Plorans ploravit* etc. Ostendit autem gloriam suam ex tribus. Primo quia populosa civibus, *Quomodo sedet*, vilis et deiecta, *Sola*, desolata habitatoribus: *Baruch 4. Ego autem derelicta sum sola: exui me stola pacis. Plena*, quondam: *2. Paral.* scilicet. *Iuda et Israel innumerabiles: Isa. 22. Urbs frequens, civitas exultans.* Secundo, quia honorata principibus: erat enim civitas regalis, et sacerdotalis. *Facta est quasi vidua*, Regibus, vel sacerdotibus: *Isa. 48. Venient tibi duo haec simul in una die, sterilitas, et viduitas. Domina gentium*, quondam ei subditarum: *Ezech. 5. Ista est Hierusalem in medio gentium posita.* Tertio data tributis, *Princeps provinciarum*, quas tributarias fecerat: *2. Reg. 8. Factus est Moab et Syria David serviens sub tributo.* Vel in quas Salomon regnum suum diviserat, singulos praeponens: *3. Reg. 3. Iam est sub tributo Chaldaeorum: Proverb. 12. Manus fortium dominabitur; quae autem remissa est, tributis serviet.* Huic autem versui praeponitur litera, *Aleph*, quae interpretatur doctrina, ad ostendendum quod quia populus caruit doctrina Dei in observatione quam tenebat in cognitione, ideo captivatus est: *Isa. 6. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Sciendum est etiam, quod cum plerumque utatur coloribus et locis rhetoricis in hac lamentatione, est quartus locus conquestionis. Allegorice, *Civitas*, praesens Ecclesia, *Plena populo*, ex diversis gentibus congregata, *Domina gentium*, fidei obedientium, *Princeps provinciarum*, diversarum Ecclesiarum, quibus vivendi vitam decernit, *Facta est sola*, destituta angelorum custodia, vel auxilio, *Vidua*, subtracta sponsi praesentia, *Tributaria*, tyrannis exposita. Moraliter, *Civitas*, anima, *Plena populo*, bonarum affectionum, *Domina gentium*, vitiorum, *Princeps provinciarum*, sensuum, *Desolata*, bonorum suffragiis, *Vidua*, sponsi amplexibus, *Sub tributo*, vitiorum.

b Hic plangit violationem amicitiae. Et primo ostendit amicorum necessitatem, *Plorans*, quasi continue diversis adversitatibus pressa Hierusalem, *In nocte*, privatim propter timorem hostium; vel in adversitate, *In maxillis*, quia non erat qui abstergeret: *Psalm. 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Secundo auxilii subtractionem, *Non est qui consoletur eam*, auxilium contra hostes praebens, *Ex omnibus charis*, Aegyptiis et aliis ei foederatis: *Ecclesiast. 3. Vidi calumnias quae sub sole feruntur, et lacrymas innocentum, et consolatorem neminem.* Tertio affectus immutationem, *Omnes amici: Iob 19. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.* Huic praeponitur litera, *Beth*, quae interpretatur domus, quia domus Iacob plorans. Tertius decimus conquestionis locus. Allegorice, Ecclesia plorat adversitates, *In maxillis*, praelatis, *Ex omnibus charis*, angelis sanctis, *Spreverunt*, conformantes se divinae iustitiae. Moraliter anima plorat *In nocte*, peccata, *In maxillis*, conscientiae, in qua loquitur hominis operatio, *Ex omnibus charis*, privatis affectionibus, *Spreverunt*, affectus pravae delectationis.

c Hic prosequitur miseriam servitutis per partes, ut ostendat ipsius magnitudinem: et dividitur in duas partes. In prima plangit ipsam quantum ad hominum oppressionem. Secundo quantum ad bonorum direptionem, ibi, *Manum suam misit* etc. Prima in duas. In prima plangit oppressionis miseriam. In secunda ostendit miseriae rationem, ibi, *Peccatum peccavit* etc. Circa primum duo facit. Primo plangit eorum miseriam quantum ad praesentia quae sustinebant. Secundo quantum ad praeterita quae recogitabant, ibi, *Et recordata est* etc. Circa primum tria ponit. Primo miseriam servitutis quantum ad fugientes. Secundo quantum ad remanentes, ibi, *Viae Syon lugent* etc. Tertio quantum ad captivos, ibi, *Facti sunt hostes eius* etc. Circa primum tria ponit. Primo fugam, *Migravit*, fugiens ad terras vicinas, *Propter afflictionem*, in personis, *Et multitudinem servitutis*, in tributis, quam in terra sua a Chaldaeis patiebantur: *Isa. 16. Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum: Isa. 21. Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti, a facie enim gladiorum fugerunt a facie gladii imminentis.* Secundo plangit fugientium imminentem angustiam, *Habitavit inter gentes*, Moabitas, et Ismaelitas, *Nec invenit requiem*, quia ibi quoque angustiam passa est ab illis: *Deuter. 28. In gentibus quoque illis non quiescet, neque erit requies vestigio pedis tui.* Tertio praedicit angustias, superveniente hostium potentia, *Omnes persecutores*, Chaldaei, *Inter angustias*, quas ab illis ad quos fugerant patiebantur, sicut in Aegypto: *Hierem. 24. Gladius, quem vos formidatis, apprehendet vos in terra Aegypti, et fames, pro qua estis soliciti, adhaerebit vobis: Ezech. 6. Qui quaerunt eam, non deficient, in menstruis eius quaerent eam.* Huic versui praeponitur litera, *Ghimel*, quod interpretatur plenitudo, quia ex multitudine peccatorum passi sunt plenitudinem miseriae: *Matth. 23. Et vos implete mensuram patrum vestrorum: Luc. 6. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Decimus conquestionis locus. Allegorice, *Iudas*, Ecclesia quae Christo coniungitur, *Migravit*, de hostibus in hostes, apud quos requiem petit, *Et non invenit*, sed ab omnibus ad libitum opprimitur. Moraliter, *Iudas*, anima quae Deum confiteri debet, *Migravit*, ad vitia, vel daemones, *Requiem*, illudentibus vitiis, vel daemonibus, *Persecutores*, daemones, *Apprehenderunt*, in morte.

d Hic plangit miseriam remanentium. Primo quantum ad peregrinos a quibus frequentabatur, *Viae... lu-*

*gent*, luctum excitant, *Ad solemnitatem*, triplicem, Pascha, Pentecostes, Scenopegia : *Isa. 33. Dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum.* Secundo quantum ad personas quibus civitas ornabatur, scilicet principibus, *Omnes portae eius*, quia iudicia in portis fiebant: *Isai. 3. Moerebunt atque lugebunt portae eius, et desolata in terra sedebit.* Sacerdotibus, *Sacerdotes: Ioel. 2. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes.* Virginibus, *Virgines eius squalidae:* et deturpatae: *Iob 30. Squalentes calamitate et miseria, et manducabant herbas arborum: 1.Machab. 1. Et ingemuerunt principes.* Tertio quantum ad populum, quo replebatur, *Et ipsa*, plebs, vel civitas: *Ruth 1. Valde amaritudine me replevit omnipotens.* Huic praeponitur litera *Deleth*, idest tabularum, quia plangit destructionem templi, habentis tabulata cedrina et deaurata, ut dicitur *3. Regum 6.* Octavus locus conquestionis. Allegorice, *Viae*, ducentes ad caelum, *Syon*, prophetae et praedicatores, *Ad solemnitatem*, coelestis patriae, *Portae*, praelati Ecclesiae, introducentes, *Sacerdotes*, qui sacra ministrant, *Virgines*, quae in Ecclesia primum gradum obtinent: isti omnes pro peccatis concutiuntur, quibus concussis, et ipsa plebs subdita amaritudine repletur. Unde *Exod. 32. Moyses tabulas fregit.* Moraliter, *Viae*, sunt animae virtutes ad solemnitatem contemplationis, *Portae*, sensus, *Sacerdotes*, animae in sanctitate divinae religionis, *Virgines*, in puritate conscientiae, quibus concussis ipsa anima vitiorum amaritudine opprimitur.

e Hic plangit oppressionem quantum ad captivatos. Et primo plangit captivitatem minorum. Secundo maiorum, ibi, *Et egressa est* etc. Circa primum tria proponit. Primo hostium exaltationem in potentia, *Hostes*, scilicet Chaldaei, *In capite*, quasi principantes ipsis. Et quantum ad divitias, *Locupletati sunt: Deute. 28. Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.* Secundo assignat exaltationis rationem, *Quia Dominus locutus est*, quasi sententians contra ipsam, inspirans gentibus ad veniendum; vel praedicens per Moysen. Et hoc, *Propter multitudinem iniquitatum: Hierem. 28. Loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut destruam, et disperdam illud.* Tertio proponit captivitatem, *Parvuli eius*, idest parvuli de populo: *Isaiae 6. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Allegorice, *Hostes*, haeretici, deficiente scientia in Ecclesia, *Facti sunt in capite*, praevalentes in contentionibus, *Locupletati*, eloquentia, *Dominus locutus est*, permissive, *Parvuli*, incipientes, *In captivitate*, ab Ecclesia abducti. Moraliter, *Hostes*, daemones, *In capite*, intentionem corrumpentes, *Locupletati*, multiplicitate peccatorum, *Locutus*, permittens, *Parvuli*, motus et affectus tribulantis daemonis: *Psalm. 12. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* Huic praemittitur litera, *He*, idest ista sunt iudicia, quae Dominus per Moysen dixerat. Est octavus locus conquestionis. Hoc quod dicitur, *Propter multitudinem*, est prima pars assumptae conditionis generalis, quae dicitur concessio.

f Hic plangit maiorum captivationem: et circa hoc tria facit. Primo proponit ornamentorum amissionem, *A filia Syon*, idest Hierusalem, *Omnis decor*, quantum ad vasa quae ablata sunt, et thesauros, et principes, et sacerdotes cum Ioachim nepote Iosiae, *4. Reg. 24. Ezechiel. 19. Auferentur vasa decoris tui.* Secundo indigentiam victualium, *Facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua*, nec sibi, nec populo, quia defecit etiam panis in civitate, quando obsidebatur tempore Sedeciae, sicut dicitur *Hierem. 54. Isaiae 6. Nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit.* Tertio ponit captivitatem principum, *Et abierunt absque fortitudine*, non potentes resistere, *Ante faciem subsequentis*, fugientes, sicut legitur *Hierem. ult. Fugati sunt principes in campis Ierichontinis: Psalm. 37. Dereliquit me virtus mea.* Huic versui praeponitur litera, *Vau*, quae interpretatur, et, quasi etiam haec adiuncta sunt superioribus in vindictam nostram a Domino. Et est quintus conquestionis locus. Allegorice ab ecclesia, *Filia*, coelestis, *Syon*, a qua exemplata est, quandoque egressus est decor fidei, *Et principes*, praelati vadunt in diversos errores, *Ante faciem subsequentis*, diaboli; vel haeretici fidem pervertentis. *Non invenientes*, in Scripturis, *Pascua*, verbi Dei, et Domini Iesu Christi.

g Hic deplorat miseriam ex praeteritorum memoria. Et primo tangit memoriam praeteritorum, idest *Afflictionis*, praeteritae, quae memorata excitat taedium, *Praevaricationis*, idest peccatorum, quae excitant conscientiae remorsum, *Desiderabilium*, idest prosperitatum, quae causant et incendunt concupiscentiae desiderium: *Isaiae 28. Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animae meae.* Secundo proponit passionem praesentium malorum, *Cum caderet: Psalm. 21. Tribulatio proxima est, et non est qui adiuvet.* Tertio contemptum hostium, *Viderunt... sabbata*, et omnia quae ad cultum religionis pertinebant: *Machab. 1. Dies festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum.* Expositiones literarum, loci rhetorici, et sensus mystici sufficienter tanguntur in glossis.

h Hic ostendit causam tantae miseriae. Et primo proponit ipsum peccatum. Secundo peccati progressum, ibi, *Sordes eius* et caetera. Circa primum duo facit. Primo proponit peccatum, *Peccatum*, anthonomastice infidelitatis, et idolatriae: *Proverbior. 14. Miseros facit populos peccatum.* Secundo ponit peccati effectum. Primo instabilitatis miseriam, *Propterea instabilis*, idest non stetit in terra sua, sed captivata est, et fugit in alias regiones: *Isaiae 57. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Secundo confusionis ignominiam, *Omnes qui glorificabant*, benedicebant tempore prosperitatis, *Ignominiam*, adversitatis: *Iob 29. Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi.* Tertio cordis tristitiam, *Ipsa autem gemens, conversa est retrorsum*, a prosperitate, qua in Deo proficiebat : *Psalm. 69. Convertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.*

i Hic ponit peccati progressum. Et primo ponit culpam, *Sordes*, scilicet peccatorum, *In pedibus*, scilicet in affectibus, quasi ad progrediendum in peccato, *Finis*, scilicet mortis, vel iudicii divini : *Ecclesi. 8. Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Secundo ponit poenam, *Deposita est*, a statu dignitatis, *Vehementer*, idest in extremam miseriam :

*Psalm. 58. Disperde illos in virtute tua, et depone eos.* Tertio exposcit misericordiam, *Vide Domine*, scilicet misericordiae affectu : *Psal. 118. Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*

k Hic plangit servitutem quantum ad expoliationem bonorum, quam ab hostibus victoribus patiebantur. Et primo ponit bonorum expoliationem quantum ad ea quae hostes auferebant. Secundo quantum ad ea quae ipsimet destruebant, ibi, *Omnis populus eius* et caetera. Circa primum duo ponit. Primo bonorum direptionem, *Hostis*, Chaldaeus victor, *Desiderabilia*, scilicet thesauros domus Dei, et domus regiae, et omnium aliorum : *Isa. 64. Omnia desiderabilia vestra versa sunt in ruinas.* Secundo ponit istorum prophanationem, *Quia vidit*, scilicet plebs Iudaeorum: ac si diceret, Hoc ordine potuit fieri ut omnes auferentur, etiam quae in templo erant: *1. Machabaeor. 2. Sancta in manu extraneorum facta sunt.* Vel aliter, *Vidit*, scilicet Dominus, *Gentes*, Sacerdotes verbo, sed generaliter viventes, quando in templo idolum posuerunt, *De quibus praeceperas Levitic. 22.* quod *homo etiam de stirpe Aaron in quo est macula, non vescetur de sanctificatis Domino:* et sic quia contra haec fecerunt, ducti sunt in captivitatem, secundum quod culpa est causa poenae.

l Hic ponit spoliationem bonorum quantum ad ea, quae ipsimet distrahebant. Et primo ponit distrahendi necessitatem, scilicet ex defectu necessariorum, *Quaerens panem : Psalm. 37. Percussus sum sicut foenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Secundo ponit ipsam distractionem, *Dederunt pretiosa... ad refocillandum*, non ad satiandum, *Animam*, vilem vitam : sic legitur de Aegyptiis *Genes. 28.* Tertio provocat Deum ad pietatem, *Vide Domine: Hierem. 2. Quam vilis facta es minus iterans vias tuas?* Et hoc ultimum ponitur ex persona ipsius civitatis, vel plebis, quae quasi propheta proponente miseriam suam, audiens sustinere amplius non possit, sed in verba lamentationis singultans prorumpit.

m Hic ponitur conquestio ex parte ipsius civitatis et plebis. Et primo conqueritur ad adstantes de severitate iudicis. Secundo ad iudicem de crudelitate hostis, ibi, *Vide Domine* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit severitatem iudicis in generali. Secundo prosequitur in speciali, ibi, *Abstulit omnes, et caetera.* Circa primum tria facit. Primo proponit Dei indignationem, inquantum puniendo vindicavit. Secundo proponit disciplinae divinae severitatem, inquantum puniendo erudivit, ibi, *De excelso*, *et caetera.* Tertio proponit iustitiae rigorem, inquantum puniendo officium iudicis exercuit, ibi, *Vigilavit*, *et caetera.* Circa primum tria facit. Primo ponitur invocatio, *O vos omnes qui transitis per viam*, regionis huius desertae: *Hierem. 22. Pertransibunt gentes per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi?* Secundo proponitur doloris magnitudo, *Attendite:* dum enim suum considerat, nullum similem putat. Maximus etiam fuit, quia maxima amissa, spiritualia scilicet et temporalia: *Hierem. 8. Super contritione Hierusalem contritus.* Tertio ponitur Dei indignatio, quae est ratio doloris, quia, *Vindemiavit*, captivatis et interfectis habitatoribus, sicut vinea racemis : *Isa. 6. Vinea Domini exercituum, domus Israel est: Psalm. 79. Vindemiaverunt eam omnes, qui praetergrediuntur viam. Locutus est*, comminando per prophetas.

n Hic ponit severitatem disciplinae, inquantum quasi magister duris castigationibus erudivit. Et primo ponit severitatem in corrigendo commissa, *De excelso*, idest in alto consilio suo, *Igne*, afflictionis ; vel quo civitas et castrum ad literam combusta sunt, *In ossibus*, idest in potentibus, et munitionibus, et sic per gravia flagella, *Erudivit me: Isa. 28. Et tantummodo vexatio sola dabit intellectum.* Secundo ostendit severitatem in cavendo futura, *Expandit rete*, idest impedimentum quo a peccato retraxit : *Osee 12. Sepiam viam tuam spinis.* Tertio ostendit severitatem, subtrahendo consolationis beneficia, *Posuit me;* quasi dicat, nullam consolationem post flagella adhibuit, sicut solet magister pueris facere : *Bar. 4. Adduxit mihi Deus luctum magnum.*

o Hic ostendit rigorem iustitiae ipsius Dei, inquantum iudex est : et circa hoc tria facit. Primo ponit diligentem peccatorum considerationem, *Vigilavit*, quasi vigilanter consideravit, *Iugum*, afflictionis mihi pro peccatis meis manibus imponendum: *Hierem. 1. Quid tu vides Hieremia? Virgam vigilantem ego video.* Secundo ponit duram poenae afflictionem, scilicet iniquitates ad modum catenae indissolubili vinculo impositae, dum pro his poenam patior : *Psalm. 37. Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Tertio excludit evasionem, tum propter debilitatem, *Infirmata est*, tum propter hostis potestatem, *Dedit me Dominus in manu*, Chaldaeorum : *Psalm. 30. Infirmata est in paupertate virtus mea.*

p Hic prosequitur miseriam servitutis per partes. Et primo quantum ad primam captivitatem sub Ioachim nepote Iosiae, de qua *4. Regum penul.* Secundo de ultima, quae fuit sub Sedecia, de qua *4. Reg. ult.* et *Hierem. ult.* ibi, *Expandit Syon* et caete. Circa primum duo facit. Quia primo plangit hominum captivationem. Secundo consolationis subtractionem, ibi, *Idcirco ego plorans* et caetera. Circa primum tria facit. Primo ponit captivitatem eorum, qui erant eminentes dignitate, *Magnificos principes*, quorum est magna facere, quia aliis remanentibus ipsi captivati sunt: *Isa. 5. Auferet Dominus a Iuda et Hierusalem vanum et fortem*, qui erant eminentes in virtute, *Vocavit adversum me tempus*, aptum destructioni, ut contereret electos virtute praeeminentes: *Psalm. 32. Ego autem in die ultionis visitabo, et hoc peccatum eorum: Ecclesiast. 3. Omnia tempus habent.* Tertio eorum afflictionem, qui praeeminebant puritate, vel etiam pietate. *Torcular*, idest afflictionem, *Virgini*, ad literam; vel ipsi plebi, quae usque tunc quasi virgo fuerat, quae fuit etiam captivata : *Hierem. 35. Celeusma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terrae.* Hic debet praescribi litera secundum glossam; sed melius est quod in sequenti praescribatur, quia per tres vadit.

q Hic plangit consolationis subtractionem. Et primo ponit doloris planctum, *Plorans: Hiere. 9. Quis dabit capiti meo aquam?* Secundo doloris materiam,

*Quia longe, consolator*, Aegyptius, *Convertens*, a miseria quam patior, in pristinam prosperitatem: *Psal. 87. Longe fecisti notos meos a me.* Tertio ponit illius effectum, *Facti sunt filii:* ex defectu enim auxilii secuta est potestas adversarii, et captivitas populi: *Hierem. 50. Grex perditus factus est populus meus.*

r Hic plangit secundo captivitatem, quae facta est sub Sedecia, quando universaliter populus captivatus est: et circa hoc tria facit. Primo plangit obsidionem. Secundo captivitatem, ibi, *Justus Dominus* etc. Tertio famis consumptionem, ibi, *Vocavi amicos* et caete. Circa primum tria facit. Primo ponit defectum amicorum qui adiuvare debuerant, et prohibere obsidionem, *Expandit*, quasi petens auxilium ab Aegyptiis: *Infra ult. Aegypto dedimus manum, et Assyriis.* Vel a Deo: *Isaiae 1. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos.* Secundo ponit adventum hostium, *Mandavit*, iuste dispensando, *In circuitu*, per modum obsidionis, *Hostes*, Chaldaeos: *Isaiae 10. Contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia.* Tertio vilitatem obsessorum, *Facta est Hierusalem*, *Polluta*, ad quam nullus accedit ad defendendum: *Hierem. 2. Omnes qui quaerunt eam, non deficient.*

s Hic plangit captivitatem; et circa hoc tria facit. Primo confitetur iudicis iustitiam, *Justus Dominus: Daniel. 9. Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis*, quae facit. Secundo captat auditorum benevolentiam, provocans eos ad compassionem, *Audite obsecro*: *Hierem. 4. Audite civitates Syon.* Tertio plangit captivitatis miseriam, *Virgines meae et iuvenes mei*, qui potuerunt propter robur aetatis famis mortem evadere: *Hierem. 51. Implevit ventrem suum teneritudine mea, et eiecit.*

t Hic plangit consumptionem eorum, qui fame in obsidione mortui sunt. Et primo promittit amicorum deceptionem, *Amicos*, Aegyptios, quia non redemerunt sicut sperabant: *Isaiae 30. Aegyptus frustra et vane auxiliabitur, ideo clamavi super hoc.* Secundo ponit consumptionem ex hoc occasionatam, *Sacerdotes*, de quibus videtur magis indignum, *Consumpti fame: Isai. 5. Nobiles enim interierunt fame.* Tertio assignat consumptionis rationem, *Quia quaesierunt*, ad refocillandum, non ad satiandum, et non invenerunt. Vel assignat in hoc rationem culpam eorum, quia quaesierunt sibi, non populo: *Ezechiel. 34. Vae pastoribus Israel, quia pascebant semetipsos.*

u Hic incipit conqueri ipsi iudici: et circa hoc tria facit. Primo exponit propriam miseriam. Secundo accusat adversariorum culpam, ibi, *Audierunt quia*, et caetera. Tertio petit vindictam, ibi, *Ingrediatur omne malum*, et caetera. Circa primum tria facit. Primo excitat attentionem, *Vide Domine: Psalm. 30. Miserere mei Domine, quoniam tribulor.* Secundo proponit dolorem sub metaphora doloris interioris, et angustiae cordis, *Conturbatus*, quam exponit, *Quoniam amaritudine: Hiere. 4. Ventrem meum doleo: Ruth 1. Valde amaritudine me replevit omnipotens.* Tertio assignat doloris rationem, *Foris interficit: Deuterono. 32. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor.*

x Hic accusat aliorum culpam: et circa hoc tria facit. Primo accusat adiutoris defectum, *Audierunt*, scilicet Aegyptii, et alii, de quibus confidebant: *Hierem. 51. Vox in excelso audita est, lamentationis, fletus, et planctus.* Secundo accusat inimicorum gaudium, *Omnes inimici: Psalm. 22. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* Tertio quasi securus de divina iustitia praedicit eorum interitum, *Adduxisti*, hoc est adduces propter certitudinem, *Consolationis*, mihi, *Similes*, dolores et afflictiones: *Isa. 65. Ecce servi mei comedent, et vos esurietis.*

y Hic petit vindictam. Et primo reducit culpam in memoriam, *Ingrediatur omne malum*, peccatum: *Psalm. 108. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, et peccatum matris eius non deleatur.* Secundo petit poenam, *De vindemia: Supra eod. Vindemiavit me Dominus, ut locutus est in die furoris sui.* Tertio assignat causam, *Multi enim gemitus*, propter mala quae ab ipsis patior: *Hierem. 8. Dolor meus super dolores.*

## a CAP. II.

### ALEPH.

Quomodo obtexit caligine in furore Dominus filiam Syon, proiecit de coelo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

### BETH.

b Praecipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, et defecit in terram: polluit regnum, et principes eius.

### GHIMEL.

c Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel, avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: et succendit in Iacob quasi ignem flammae devorantis in gyro.

### DELETH.

d Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Syon: effudit quasi ignem indignationem suam.

### HE.

e Factus est Dominus velut inimicus, praecipitavit Israel: praecipitavit omnia moenia eius: dissipavit munitiones eius, et replevit in filia Iuda humiliatum, et humiliatam.

### VAU.

f Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Syon festivitatem, et sabbatum: et in opprobrium, et in indignationem furoris sui regem, et sacerdotem.

ZAIN.

g Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae: tradidit in manus inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni.

HETH.

h Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Syon, tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.

TETH.

i Defixae sunt in terra portae eius, perdidit, et contrivit vectes eius, regem eius, et principes eius in gentibus: non est lex, et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino.

IOD.

k Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Syon: consperserunt cinere capita sua, accinctae sunt ciliciis. Abiecerunt in terram capita sua virgines Hierusalem.

CAPH.

l Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi.

LAMED.

m Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum, et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.

MEM.

n Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Hierusalem? Cui exaequabo te, et consolabor te, virgo filia Syon? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

NUN.

o Prophetae tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, et electiones.

SAMECH.

p Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt capita sua super filiam Hierusalem. Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, et gaudium universae terrae?

PHE.

q Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, et fremuerunt dentibus suis, et dixerunt, Devorabimus. En ista est dies quam expectabamus: invenimus, vidimus.

AIN.

r Fecit Dominus, quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et laetificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum.

SADE.

s Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Syon. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

COPH.

t Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, defeceruntque fame in capite omnium compitorum.

RES.

u Vide Domine, et considera, quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmae? Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta?

SIN.

x Iacuerunt in terra foris, puer, et senex, virgines meae, et iuvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es.

THAU.

y Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, et non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

## a CAP. II.

Hic plangit destructionem civitatis, populi, et totius regionis : et dividitur in duas partes. In prima deplorat destructionem. In secunda excludit populi desperationem, *3. cap. Ego vir videns*, et caetera. Prima in duas. In prima plangit destructionis miseriam. In secunda convertit se ad impetrandam divinam misericordiam, ibi, *Clamavit cor eorum*, et caetera. Circa primum duo facit. Primo plangit in generali destructionem. Secundo in speciali, ibi, *Praecipitavit*, et caetera. Circa primum admiratur destructionem propter multiplicem gloriam quae praecesserat. Et primo quantum ad praerogativam divinae cognitionis, de qua *Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi;* et contra hoc dicit, *Quomodo obtexit caligine*, ignorantiae, vel tristitiae: *Isai. 59. Impegimus in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Secundo quantum ad potentiam regalis dignitatis : contra quod *1. Esdrae 4. Reges fortissimi fuerunt in Hierusalem qui dominati sunt omni regioni, quae trans flumen est;* contra quod dixit, *Proiecit de coelo*, hoc est de culmine dignitatis, et potestatis; vel de coelesti conversatione : *Apocalyp. 6. Stellae coeli ceciderunt de coelo.* Tertio quantum ad cultum divinae religionis: *Psalm. 147. Beatus populus cuius Dominus Deus eius ;* contra quod dicit, *Non est recordatus*, in bonum, *Scabelli*, templi in quo adorabatur sicut rex ad scabellum pedis : *Ezec. 43. Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in aeternum.*

b Hic prosequitur in speciali ea, quae circa destructionem acciderunt. Et primo plangit destructionis adiuncta. Secundo destructionem consequentia, ibi, *Cui comparabo* et caetera. Circa primum duo facit. Primo plangit destructionem aedificiorum communium. Secundo eminentium, ibi, *Et dissipavit quasi ortum* et caetera. Circa primum duo facit. Primo plangit destructionem aedificiorum, quae pertinent ad robur regis. Secundo eorum, quae pertinent ad usum populi, ibi, *Tetendit arcum suum* et caet. Circa primum duo facit. Primo plangit destructionem. Secundo resistentium impotentiam, ibi, *Confregit* et caetera. Circa primum tria facit. Primo plangit eorum destructionem, quae sunt ad decorem, *Omnia speciosa : Joel. 1. Ignis comedit speciosa deserti.* Secundo eorum quae pertinent ad fortitudinem, *Destruxit munitiones: Isaiae 25. Munimenta sublimium murorum tuorum concidere, et humiliabuntur, et detrahentur ad terram usque ad pulverem : Hierem. 33. Haec dicit Dominus ad domos urbis huius, et ad domos regis Iuda, quae destructae sunt.* Tertio concludit regni deturpationem, *Polluit regnum: Ezech. 28. Polluerunt decorem tuum: interficient, et detrahent te, et morieris in interitu occisorum in corde maris.*

c Hic ostendit resistendi impotentiam. Et primo excludit robur humanum, *Cornu*, idest potestatem : *Psalm. 74. Omnia cornua peccatorum confringam.* Secundo auxilium divinum, *Avertit*, quasi defensione, qua prius eos defendebat: *Psal. 73. Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam.* Tertio concludit terrae incendium, *Et succendit eum*, et non intellexit.

d Hic plangit destructionem eorum quae pertinent ad usum populi. Et primo eorum quae pertinent ad decorem. Secundo eorum quae pertinent ad defensionem, ibi, *Factus est Dominus* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit divinam indignationem, *Arcum*, idest iudicium, vel exercitum Chaldaeorum, ut quasi a longinquis feriet, *Firmavit*, ad percutiendum, *Dexteram*, ut feriat de prope: *Psalm. 7. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.* Secundo ponit poenae infictionem, *Occidit*, destruxit, *Omne quod pulchrum*, homines, aedificia, et alia huiusmodi : *Numer. 22. Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Tertio ostendit poenae magnitudinem, et quantum ad copiam sive numerum, *Effudit :* et quantum ad acerbitatem, *Quasi ignem:* vel quantum ad speciem, quia civitas combusta fuit : *Deut. 32. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima: Ps. 68. Effunde super eos iram tuam.*

e Hic plangit destructionem aedificiorum pertinentium ad defensionem: et circa hoc tria facit. Primo tangit Dei indignationem, *Velut inimicus*, quasi in pugna suum adiuvans inimicum: *Isa. 63. Conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos.* Secundo aedificiorum destructionem, *Praecipitavit omnia moenia: Psalm. 79. Destruxisti omnes sepes eius.* Tertio concludit populi humiliationem, *Et replevit*, idest multiplicavit: *Psal. 43. Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

f Hic plangit destructionem aedificiorum principalium. Et primo templi. Secundo domus regiae, ibi, *Cogitavit Dominus* etc. Prima in duas. In prima tangit destructionem ipsius templi. Secundo eorum quae erant in templo, ibi, *Repulit Dominus* etc. Circa primum tria facit. Primo tangit templi destructionem, *Tentorium*, quod in deserto factum, in Sylo positum fuerat, *Tabernaculum*, quod Salomon aedificaverat, *Quasi hortum*, qui facile destruitur: *Psal. 77. Repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus : Hier. Dabo domum istam sicut Sylo, et urbem hanc dabo in maledictionem.* Secundo festorum templi cessationem, *Oblivioni*, quasi non placent sicut ante: *Isa. 1. Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea.* Tertio ministrorum reprobationem, *Et in opprobrium*, scilicet dedit regem ad quem pertinebat templi defensio, *Et sacerdotem*, ad quem pertinebat administratio: *Iob 12. Ducit sacerdotes eorum inglorios, et optimates supplantat.*

g Hic tangit destructionem aedificiorum, quae in templo erant. Et primo altaris pertinentis ad religionem, *Altare*, holocaustorum, *Repulit*, tradens illud hostibus ad prophanandum, *Sanctificationi*, sacrificiis placationis, quae offerebantur : *Mach. 4. Viderunt sanctificationem desertam, altare prophanatum. Tradidit in manus: 1. Machab. 2. Sancta facta sunt extraneorum.* Tertio templi ab hominibus combustionem, *Vocem dederunt*, blasphemiae, vel tumultus bellici, *Sicut in die solemni*, consueverant sacerdotes laudantes Deum : *Isa. ult. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.*

h Hic tangit destructionem arcis Syon. Et primo ponit divinam deliberationem, *Cogitavit*, quasi cogi-

tans statuit, non statim implens, *Filiae Syon*, arcis, vel ipsam Hierusalem: *Isa. 14. Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram* etc. Secundo iustum iudicium, *Tetendit funiculum*, quasi ad metiendum iustitiam suam, ut poena culpae aequaretur. *Non avertit*, quia nihil dimisit de poena iusta: *Isa. 34. Extendetur super ipsam mensuram, ut redigatur in nihilum.* Tertio ostendit iustitiae effectum, *Luxitque antemurale*, idest destructum ad luctum provocavit, sicut *supra 1. Viae Syon lugent: Isa. 24. Luxit, et defluxit terra, et infirmata est, defluxit orbis.*

i Hic plangit destructionem hominum. Et primo eorum, quorum miseria est valde miserabilis secundum gradum dignitatis. Secundo quorum est miserabilis propter reverentiam conditionis, ibi, *Sederunt* etc. Tertio illorum, quorum est miserabilis propter defectum aetatis, ibi, *Defecerunt prae lacrymis* et caet. Circa primum duo. Primo quantum ad principes saeculares praemittit parabolam, vel metaphoram, *Defixae...in terra*, idest tribulationibus implicati, ut facile evelli non possint: *Psal. 68. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Portae*, reges, quorum erat potestas iudicii, quod in portis exercebatur: *Perdidit*, captivando, *Et contrivit*, in captivitatem redigendo, *Vectes*, principes, quibus confirmatur regnum, sicut vectibus portae, et exponit, *Regem* etc. *In gentibus*, inter gentes: *Psal. 106. Contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit: Isa. 3. Moerebunt atque lugebunt portae eius, et desolatae erunt.* Secundo quantum ad principes spirituales, scilicet sacerdotes, *Non est lex*, per sacerdotes edocenda: *Malac. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore eius;* et prophetas, *Et prophetae eius: Psalm. 73. Iam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.*

k Hic plangit destructionem eorum, qui sunt miserabiles propter reverentiam conditionis. Et primo eorum, *Sederunt in terra... conticuerunt*, quae sunt signa magnae tristitiae: *Iob 2. Sederunt cum eo in terra sex diebus, et nemo loquebatur ei verbum:* videbant enim dolorem esse vehementem. Secundo quantum ad virgines filiae Syon quae erant in arce, vel iuxta templum filiae sacerdotum. *Consperserunt*, in signum tristitiae, *Virgines Hierusalem*, quantum ad illas quae habitabant in civitate, *Accinctae*, abiecerunt in terram prae confusione et timore, *Virgines*, Iuda quantum ad illas, quae per regnum undique habitabant: *Isa. 3. Erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium.*

l Hic plangit illos, qui sunt miserabiles propter defectum aetatis. Et primo tangit eorum mortem. Secundo mortis ordinem, ibi, *Matribus suis* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit suam compassionem ex lacrymarum effusione, *Defecerunt*, quasi ultra non valentes flere: *Hiere. 9. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Et viscerum commotione, *Conturbata sunt;* quasi tantum doleo, sicut est dolor conturbationis viscerum; vel quia pervenit usque ad intima cordis: *Hierem. 31. Conturbata sunt viscera mea super eum.* Quantum ad iecoris effusionem, *Effusum est in terra iecur meum*, idest ita doleo ac si effusum esset; vel quia amor meus cuius sedes in epate est, ad terram proiectus est, illis quos amabam prostratis: *Osee 13. Rumpam interiora iecoris, et consumam eos.* Secundo compassionis misericordiam, *Super contritione oppidi*, idest Hierusalem, quia vilis facta est, vel cuiuscumque alterius: *Hierem. 51. Collidam in te senem, et puerum, iuvenem, et virginem.*

m Hic exponit ordinem mortis, ut magis misericordiam excitet. Et primo illorum petitionem a matribus, *Ubi est... quasi defecit. Date nobis ad comedendum: Infra 4. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Secundo petendi necessitatem, *Dum deficerent*, prae fame morerentur, *In plateis*, quasi omnibus videntibus, et non valentibus proferre remedium: *Hierem. 22. Omnis qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, peste, et fame.* Tertio amarissimam mortem, *Exhalaverunt: 4. Reg. 4. Posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est.*

n Hic ponuntur consequentia destructionem, quae scilicet solent provenire post peractum negotium. Et primo excludit plagae curationem. Secundo ponit videntium admirationem, ibi, *Planxerunt super te* etc. Tertio iudicis commendationem, qui talem vindictam intulit, ibi, *Fecit Dominus* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit plagam incurabilem. Secundo assignat causam, ibi, *Prophetae tui* etc. Circa primum duo facit. Primo ostendit, quod non potest leniri consolationibus ex comparatione aliorum: quod solet esse afflictis aliqualis consolatio. *Cui comparabo*, similitudo plus est quam comparatio: quaelibet enim distantia eiusdem rationis comparabilia sunt, dummodo in infinitum non distent: nec tamen similia, si eandem qualitatem participent: nec omnia aequalia, sed tantum illa, quorum unum in participatione qualitatis alterum non excedit. Excedit autem plagas aliorum, quia et temporalem, et spiritualem gloriam amisit, qua aliae gentes caruerunt. In hoc, *Consolabor;* quasi dicat, nihil alii peius, vel simile tibi passi sunt: *Supra 1. Adduxisti diem consolationis, et fient similes mei.* Secundo ostendit quod non potest sanari medicinis propter suam magnitudinem, *Magna velut mare*, quod latissimum est et inquietum: *Hier. 51. Insanabilis plaga tua.*

o Hic assignat causam incurabilitatis, quia scilicet medici suo tempore curare neglexerunt, scilicet prophetae. Et primo ostendit falsitatem prophetarum, quantum ad falsa quae praedicabant, *Viderunt*, videre se dicebant, *Falsa*, et stulta: quia stultum erat credere, quod Deus peccatores non puniret: *Ezech. 22. Prophetae eius liniebant eos absque temperamento: 1. Petr. 2. Fuerunt enim pseudoprophetae sicut et in nobis erunt magistri mendaces.* Et quantum ad ea quae reticebant, *Nec aperiebant: Isa. 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: annuntia populo meo scelera eorum.* Secundo exponit cuiusmodi falsa videbant, *Viderunt autem tibi assumptiones*, scilicet onera deprimentia, sicut onus assumptum in altum magis comprimit: *Mich. 1. Haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum. Eiectiones*, liberationes: *Hier. 28. Confringam iugum Nabuchodonosor Regis Babylonis post duos annos dierum.* Vel, *Assumptiones*, quod Deus vos ad se sumet, *Eiectiones*, quod adversarii eorum eiicientur.

p Hic ponit admirationem videntium. Et primo amicorum. Secundo inimicorum, ibi, *Aperuerunt super te* etc. Circa primum ponit compassionis amicorum admirationem expressam quatuor signis. Plausu manuum, *Plauserunt omnes transeuntes per viam*, terrae tuae videntes terrae vastitatem. Sibilo, *Sibilaverunt*. Motu capitis, *Et moverunt capita sua*. Verbo, *Haeccine est urbs perfecti*, quia in spiritualibus, et temporalibus: erat enim civitas regalis, et sacerdotalis, *Universae terrae*, quia conveniebant undique in solemnitatibus: *Psal. 47. Fundatur exultatione universae terrae, mons Syon, latera aquilonis, civitas regis magni: Isa. 22. Urbs frequens, civitas exultans: Hierem. 22. Pertransibunt gentes multae per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi?*

q Hic ponit insultationem hostium, *Aperuerunt*, accusando, *Inimici*, Idumaei, Moabitae et alii, *Sibilaverunt*, detrahendo, *Fremuerunt*, comminando, *Devorabimus*, insultando: *Psal. 21. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens: Hierem. 51. Comedit me, devorabit me Nabuchodonosor rex Babylonis: Psal. 34. Dixerunt euge euge animae nostrae, viderunt oculi nostri.*

r Hic ponit iudicis commendationem. Et primo ponitur constantia in proposito, *Fecit Dominus*, quae cogitavit: *Isa. 54. Hoc est consilium quod cogitavi.* Secundo ostenditur verax in verbo, *Complevit:* praeceperat enim destructionem populi, *A diebus antiquis*, *Deut. 28.* Vel etiam per priores prophetas: *Num. 23. Dixit, et non faciet, locutus est, et non implebit?* Tertio ostenditur iustus in facto, *Destruxit*, Iudaeam: *Et non pepercit*, quasi deserens rigorem iustitiae, *Cornu*, potestatem: *Psal. 88. Exaltasti dexteram deprimentium eum.*

s Hic convertit se ad petendam iudicis misericordiam per orationem. Et primo invitat ad orandum. Secundo ponit orationem, ibi, *Vide Domine* etc. Circa primum duo. Primo docet praeparare locum orationi per lacrymas. Secundo docet orandi modum, ibi, *Consurge, lauda.* Circa primum tria facit. Primo ponit planctus rationem, *Cor eorum*, scilicet hostium, *Clamavit*, blasphemans ad Dominum, idest contra eum, *Super muros*, quasi destructio civitatis esset occasio blasphemiae, quasi Deus non fuerit potens defendere: *Exo. 16. Non contra nos, sed contra Dominum est murmur vestrum.* Vel *cor eorum*, scilicet Iudaeorum, ut dolorem cordis in lacrymosam orationem prodire doceat: *Psal. 118. Clamavi in toto corde, exaudi me Domine.* Secundo invitat ad lacrymarum multitudinem, *Deduc quasi torrentem: Hier. 9. Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebrae nostrae defluant aquis.* Tertio invitat ad luctus continuitatem, *Per diem ac noctem*, idest in prosperis, et in adversis. Vel ad literam omni tempore, actu, vel habitu: *Hier. 15. Deducant oculi tui lacrymam per diem ac noctem.*

t Hic docet orandi modum: et circa hoc duo facit. Primo docet modum orandi, inquantum ad tempus, *Consurge*, de somno, *Lauda Deum*, per orationem, *In nocte*, quando magis vacat tempus, et propter temporis quietem, *In principio vigiliarum.* Vigiliae noctis distinguebantur secundum custodias illorum, qui civitatem custodiebant, sicut dicitur *Cant. 3. Invenerunt me vigiles qui custodiebant civitatem:* et erant quatuor. Prima vocatur conticinium, quando tegitur ignis. Secunda vocatur imtempestum circa mediam noctem, quia tempus illud non est opportunum ad aliquid faciendum: dicitur enim tempestum apud antiquos opportunum. Tertia galli cantus. Quarta dicitur ante lucanum. Dicit ergo, quod surgat, *In principio vigiliarum*, idest in prima vigilia, vel in principio cuiuslibet vigiliae: *Isa. 26. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te.* Et quantum ad devotionem cordis, *Effunde sicut aquam*, quasi liquefiat amore, et devotione, sicut aqua congelata: *Psalm. 4. Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam.* Et quantum ad devotionis signum, *Leva ad eum: 1. Tim. 2. Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione.* Secundo ponit materiam orationis, *Pro animabus*, idest pro separatione animarum a corporibus. Vel anima pro vita ipsa ponitur, *Compitorum*, idest quatuor viarum quae in unam concurrunt: *Supra 1. Cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi.*

u Hic ponit orationem. Et primo provocat ad misericordiam ex poenae crudelitate. Secundo ex ipsius universalitate, ibi, *Iacuerunt* etc. Tertio ex evadendi impossibilitate, ibi, *Vocasti quasi* etc. Circa primum duo ponit. Primo attentionem, *Quem vindemiaveris;* quasi dicat, nullum alium praeter me: vel quis sicut ego, quia ex patribus electus: *Supra 1. Vindemiavit me Dominus in ira furoris sui.* Secundo ponit poenae crudelitatem contra naturalem pietatem, *Ergo ne comedent;* quasi dicat, nunquid hoc sustinebis? Quod impletum legitur in obsidione Romanorum in Iosepho, et Egesippo, et *4. Reg. 5.* et 7. in obsidione Samariae: *Infra 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Et etiam contra religionis honestatem, *Si occiditur;* quasi dicat, nunquid sustinebis, vel quod occidatur? *Ezech. 9. A sanctuario meo incipite.*

x Hic ponit poenae universalitatem: et circa hoc tria facit. Primo ponit poenam omnibus communem, *Iacuerunt*, mortui, vel deiecti, *Foris*, idest in plateis, vel extra civitatem: *Hier. 51. Collidam in te senem, et puerum, iuvenem, et virginem.* Secundo punientis indignationem, *Interfecit*, tua auctoritate, quamvis Chaldaei ministerio: *Isa. 63. Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Tertio concludit miserationem, *Percussisti*, nec misertus es: *Deu. 32. Ego occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo: Iob 5. Percutit manus eius, et sanabit: in sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.*

y Hic proponit evadendi impossibilitatem: et circa hoc tria facit. Primo ponit obsidionem, *Quasi ad diem solemnem*, idest sicut ad solemnitates consueverunt Iudaei venire, ita nunc te inspirante venerunt ad obsidendum: *Isa. 29. Circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et iaciam contra te aggerem, munimenta ponam in obsidione tua.* Secundo evadendi impossibilitatem, *Non fuit qui effugeret: Isa. 41. Suscitavi ab aquilone, et veniet a solis ortu.* Tertio comprehensorum destructionem, quos educavi: *Baruch: 4. Nutrivi illos cum iucunditate.*

a CAP. III.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Aleph. Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. Aleph. Tantum in me vertit, et convertit in manum suam tota die.

ALEPH.

b Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. Beth. Aedificavit in gyro meo, et circumdedit me felle, et labore. Beth. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

BETH.

c Circumaedificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Ghimel. Sed et cum clamavero, et cum rogavero, exclusit orationem meam. Ghimel. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

GHIMEL.

d Ursus insidians factus es mihi, leo in abscondito. Deleth. Semitas meas subvertit, et confregit me, posuit me desolatam. Deleth. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam.

DELETH.

e Misit in renibus meis filias pharetrae suae. He. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. He. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.

HE.

f Confregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. Vau. Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum. Vau. Et dixi, Periit finis meus, et spes mea a Domino.

VAU.

g Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis. Zain. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Zain. Haec recolens in corde meo, in Deo sperabo.

ZAIN.

h Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Heth. Novi diluculo, multa est fides tua. Heth. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.

TETH.

i Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Teth. Bonum est praestolari cum silentio salutare Domini. Teth. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.

IOD.

k Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se. Iod. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Iod. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

CAPH.

l Quia non repellet in sempiternum Dominus. Caph. Quia si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Caph. Non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit filios hominum.

LAMECH.

m Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terrae. Lamech. Ut declinaret iudicium viri, in conspectu vultus Altissimi. Lamech. Ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit.

MEM.

n Quis est iste qui dixit, ut fieret, Domino non iubente? Mem. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala, nec bona? Mem. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?

NUN.

o Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum. Nun. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos. Nun. Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es.

SAMECH.

p Operuisti in furore, et percussisti, occidisti, nec pepercisti. Samech. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Samech. Eradicationem, et abiectionem posuisti me in medio populorum.

PHE.

q Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. Phe. Formido, et laqueus facta est nobis, vaticinatio, et contritio. Phe. Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiae populi mei.

AIN.

r Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. Ain. Donec respiceret, et videret Deus de coelis. Ain. Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae.

SADE.

s Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Sade. Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Sade. Inundaverunt aquae super caput meum: dixi, Perii.

COPH.

t Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo. Coph. Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. Coph. Appropinquasti in die, quando vocavi te: dixisti, Ne timeas.

RES.

u Iudicasti Domine causam animae meae, Redemptor vitae meae. Res. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me, iudica iudicium meum. Res. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.

SIN.

x Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes adversum me. Sin. Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. Sin. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.

THAU.

y Redde eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum. Thau. Dabis ei scutum cordis, laborem tuum. Thau. Persequeris in furore, et conteres eos sub coelis Domine.

a CAP. III.

Hic post multarum poenarum enumerationem excludit populi desperationem: et dividitur in partes tres. In prima ponit desperationem provocantia. In secunda accipiendae fiduciae argumenta, ibi, *Recordare paupertatis.* In tertia assumpta fiducia convertit se ad petendam misericordiam, ibi, *Scrutemur vias nostras.* Circa primum tria. Primo proponit afflictionem. In secunda assumit reprobationem, ibi, *Et repulsa.* Tertio concludit desperationem, ibi, *Et dixi... periit.* Circa primum duo. Primo ponit afflictionem, quam ex percussione manus sustinuerunt. Secundo affligendi modum, ibi, *Ursis insidians.* Circa primum tria. Primo ponitur divinae passionis flagellum. Secundo percussionis effectum, ibi, *Vetustam.* Tertio excludit evasionis remedium, ibi, *Circumaedificavit.* Circa primum tria. Primo ponit percutientis indignationem, *Ego vir videns paupertatem meam.* Loquitur Hieremias in persona sua, quia etiam cum aliis afflictus fuerat. Vel in persona populi, cuius miseriam suam reputat: *Apoc. 3. Nescis, quia caecus es, et pauper, et miser, et miserabilis.* Allegorice de Christo, et ecclesia. Moraliter de anima. Secundo ponit consolationis subtractionem, *Me minavit...in tenebras,* tribulationum, *Et non in lucem*, consolationis, quia post flagella non adhibuit consolationem solito more: *Iob 3. Circumdedit me Deus tenebris.* Tertio flagellorum conditionem, *Tantum in me.* More afflictorum loquitur, qui solum suas plagas considerant, *Vertit, et convertit*, percutiens, et iterum percutiens: *Isa. 8. In manu forti erudivit me.* Et in hoc capitulo tribus clausulis, singulis per ordinem praescribitur eadem litera, et aliis tribus singulis sequens.

b Hic ponit effectum divinae percussionis, sicut livor est effectus virgae: et circa hoc tria facit. Primo consumptionem virium in toto populo, quia, *Pellem*, in qua plebs quasi exterius, circumstans, *Carnem*, in qua delicati, et teneri, *Ossa*, in quibus fortes de populo bellatores, idest totum vetustate tabescit: *Baruch 3. Quid est Israel quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena.* Secundo obsidionem iam debilitatorum, *Aedificavit*, idest exercitum obsidentem, *Felle*, idest exercitu, qui mihi laborem, et fel intulit: *Iob 5. Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Tertio iam captorum incarcerationem, *In tenebrosis*, carcere, *Quasi mortuos*, illos qui morti adiudicati sunt: *Psalm. 142. Posuit me in obscuris, sicut mortuos saeculi.* Possunt etiam ex persona Hieremiae intelligi, qui prae multis angustiis, et in corpore consumptus, et in carcere reclusus est.

c Hic excludit evasionis remedium. Primo propter hostium obsidionem, *Circumaedificavit*, idest exercitum obsidentem, *Compedem*, idem significat quod obsidio, sicut eis, qui mittuntur in carcere, ut non possint effugere: *Psal. 87. Traditus sum, et non egrediebar: Iob 13. Posuisti in nervo pedem meum, observasti omnes semitas meas.* Secundo propter orationis exclusionem, *Sed et cum clamavero: Psal. 21. Clamabo per diem, et non exaudies.* Tertio propter consiliorum impeditionem, *Conclusit vias*, consilia eva-

dendi, *Lapidibus*, gravibus impedimentis: *Osee 2. Sepiam vias tuas spinis.*

d Hic ostendit affligendi modum. Et primo, quia insidiose. Secundo, quia aperte, ibi, *Tetendit*. Tertio, quia copiose, ibi, *Replevit me*. Circa primum duo facit. Primo ponit insidias hostium, *Factus est mihi*, Nabuchodonosor pugnans contra me ex insidiis, *Sicut ursus*, in quo crudelitas, et, *Leo*, in quo potestas eius designatur: *Osee 13. Ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum.* Secundo excludit insidias, vel consilia ipsorum, quibus insidias hostium repellerent, *Semitas meas: Supra 2. Posuit me desolatam, tota die moerore confectam.* Tertio hic ostendit, quod publice, et patenter ipsam afflixit: et circa hoc tria facit. Primo ponit propositionem, *Arcum*, iudicium, vel exercitum hostium quasi signum ad quod omnes publice sagittant: *Psalm. 7. Arcum suum tetendit: Iob 16. Confregit me, et posuit me quasi signum ad sagittam.*

e Hic secundo ponit poenae afflictionem, *In renibus*, in quo designatur luxuria populi, *Filias*, sagittas; vel poenas diversas de providentia eius exeuntes: *Iob 30. Pharetram suam aperuit, et afflixit me.* Tertio ponit puniti delusionem, *Factus sum*, hoc est impletum: *Hierem. 20. Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me;* sicut etiam populus ab aliis derisui habitus est. *Replevit me.* Hic ostendit, quod copiose. Et primo, quantum ad multitudinem poenarum, *Replevit amaritudinibus*, angustiis diversis, *Inebriavit*, abundanter intulit, *Hierem. 41.* Secundo, ibi, *Confregit*, quantum ad numerum punitorum.

f Hic prosequitur afflictiones, *Dentes*, bellatores, quibus defendebantur, sicut bestia dentibus, *Ad numerum*, ut ullus remaneret, *Cinere*, utilitate: *Iob 4. Dentes catulorum leonum contriti sunt: Psal. 142. Cinerem tanquam panem manducabam. Et repulsa.* Hic assumit reprobationem repulsae a misericordia diei: *Psal. 88. Tu autem repulisti, et despexisti. Oblitus sum*, per experientiam malorum: *Eccl. 11. Malitia unius horae oblivionem facit luxuriae magnae. Et dixi.* Hic concludit desperationem; quasi dicat, quia in angustiis sum, et Dominus repulit me, ut non adiuvet, *Dixi*, in corde meo ex persona desperantium, *Periit finis*, quasi non consequar quod expectabam: *Hierem. 2. Desperavi, nequaquam faciam: Malach. 3. Et dixistis: Vanus est qui servit Deo.*

g Hic ponit argumenta ad excludendam desperationem. Et primo ex divina misericordia. Secundo ex divina iustitia, ibi, *Et contereret sub pedibus*. Tertio ex divina potentia, ibi, *Quis est qui dixit*. Circa primum duo facit. Primo ostendit divinam misericordiam quantum ad collationem beneficiorum. Secundo quantum ad relaxationem poenarum, ibi, *Quia non repulit* et caet. Circa primum tria ponit. Primo praeteritorum beneficiorum memoriam. Secundo praesentium experientiam, ibi, *Misericordiae Domini* etc. Tertio quantum ad expectationem futurorum, ibi, *Bonus est Dominus* etc. Circa primum tria. Primo propheta inducit Deum ad considerationem malorum, quae sustinuerunt, dicens: Domine qui dissimulans oblitus nostri videris, *Recordare*, liberans, *Paupertatis*, quantum ad spoliationem bonorum, *Transgressionis*, culpae, quae est causa tantae miseriae, *Absinthii*, quantum ad amaritudinem, et afflictionem hominum: *Infra ult. Recordare Domine, quid acciderit nobis.* Secundo reducit seipsum in memoriam beneficiorum, quae receperunt, *Memoria memor ero*, scilicet beneficiorum, *Et tabescet*, deficiet ex admiratione, vel desiderio: *Psal. 41. Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam.* Tertio concludit fiduciam, *Haec*, scilicet beneficia: *Eccl. ult. Memoratus sum misericordiae tuae Domine.*

h Hic ponit experientiam divinae misericordiae in praesenti. Et primo ponitur ipsius recognitio, *Misericordiae Domini*, quasi non puniens ac si immisericors, quia citra condignum punivit, non ad nihilum redigens nos: *Hierem. 10. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, non in furore, ne forte ad nihilum redigas me.* Secundo ponitur huius a Domino approbatio, *Novi diluculo*, idest aperte ego Dominus, *Tua*, idest Hieremiae, qui inter supplicia recognoscis beneficia: *Matt. 15. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Tertio ponit intentam conclusionem, *Pars mea Dominus*, quia ipsum mihi aliis spretis in partem elegi: *Psalm. 22. Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei.*

i Hic ostendit divinam misericordiam ex expectatione futurorum. Et primo ponit expectationem. Secundo expectationis conditionem, ibi, *Sedebit* etc. Circa primum tria facit. Primo ponit expectationis fructum, *Bonus*, quasi propria bona diffundens: *Psal. 72. Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Secundo ponit expectandi modum, *Bonum est praestolari cum silentio*, patienter, sine murmure: *Isaiae 30. In silentio, et spe erit fortitudo vestra.* Tertio expectationis tempus, *Bonum est viro...iugum*, timoris Domini et amoris, *Adoleseentia*, ut fervens aetas deprimatur, et facilius ad bona assuescat: *Prov. 12. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

k Hic ponit expectantis conditionem. Et primo quantum ad altitudinem contemplationis, *Solitarius*, ut non impediatur, *Tacebit*, a tumultibus cogitationum, et desideriorum, quia per hoc, *Levavit se supra se*, et ad divina consideranda: *Osee 2. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Vel in hoc ostendit expectantis delectionem, quia manet ad expectandum, *Solitarius...tacebit*, quia abiectus, et, *Levavit*, superbiendo. Secundo quantum ad humilitatem locutionis, *Ponet in pulvere*, humiliter loquens: *Isa. 29. De humo audietur eloquium tuum.* Tertio quantum ad patientiam tribulationis, *Dabit percutienti se*, parabit dare: *Matth. 5. Si quis percusserit te in unam maxillam, praebe ei et alteram. Saturabitur*, delectabitur, quasi per hoc veniam sperans: *Rom. 5. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus nostris: Isa. 59. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.*

l Hic ostendit divinam misericordiam quantum ad relationem poenarum. Et primo ponit a poenis absolutionem, *Non repellet*, quia non semper puniet: *Ps. 94. Non repellet Dominus plebem suam: Is. 28. Non in perpetuum triturans triturabit illum, nec vexabit illum.* Secundo sumit ad hoc rationem ex divina pietate, *Quia abiecit, et miserebitur:* pii enim patris est,

postquam percusserit ad corrigendum, consolari: *To. 63. Si in correctione fuerit, ad misericordiam tuam pervenire licebit;* et ex hominum amore, *Non enim humiliavit*, idest deposuit ab amore suo: *Psalm. 35. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

m Hic sumit argumentum a divina iustitia. Et primo excludit ab ipsa tyrannicam oppressionem, *Dominus ignoravit*, practice, *Ut contereret*, quasi tyrannus, qui praeter iudicium opprimit vinctos afflictos: *Psa. 68. Exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.* Secundo excludit iudicis perversitatem, *Ut declinaret*, scilicet a rectitudine, *Dominus ignoravit: Iob 34. Vere Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet iudicium.* Tertio excludit in iudicio perversam intentionem, sicut est in illis, qui sub pallio iustitiae alios opprimere intendunt, *Ut perverteret in iudicio*, idest per iudicium, *Dominus ignoravit: Prov. 4. Vias quae a dextris sunt, novit Dominus.*

n Hic sumit argumenta a divina potentia, qua omnia gubernat, et providet. Et primo contra illos, qui derogant divinae providentiae infideliter blasphemando, *Ut fieret*, aliquid, etsi non omnia sine Dei providentia. In quo excluditur haeresis illorum, qui dicunt quod providentia Dei extendit se usque ad universalia, et incorporalia, sicut corpora coelestia, et etiam usque ad homines propter conformitatem naturae humanae ad Deum, ut dicit Rabbi Moyses; alia autem particularia non cognoscit Deus. *Ex ore Altissimi*, idest sententia, *Bona*, prospera, *Mala*, adversa: in quo excludit errorem illorum, qui dicunt omnia a casu fieri: et etiam qui dicunt a Deo non esse aliquam poenam, sicut dicit Tullius: *Ioa. 1. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: Isa. 45. Ego Dominus faciens bona, et creans mala.* Secundo loquitur contra eos, qui derogant per impatientiam murmurando, *Quid murmuravit*, idest quare, *Pro peccatis suis*, idest pro his, quae pro peccatis suis patitur? *Sap. 1. Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae.*

o Hic iam, assumpta fiducia, convertit se ad petendum divinam misericordiam: et circa hoc duo facit. Primo ponit praeparationem ad orationem. Secundo ponitur oratio, ibi, *Nos inique egimus.* Circa primum duo. Primo paratur locus orationi per vitae emendationem, *Scrutemur*, discutiendo peccata praeterita, *Et quaeramus*, Dominum, desiderio cordis, et petentes auxilium; quo accepto, *Revertamur*, bene operando: *Hier. 2. Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris.* Secundo paratur locus per devotionem, *Levemus corda: 1. Tim. 2. Volo viros orare in omni loco levantes manus suas. Nos inique.* Hic incipit oratio. Et primo captat benevolentiam. Secundo accusat culpam, ibi, *Vidisti Domine iniquitatem.* Tertio petit vindictam, ibi, *Reddes vicem* et caet. Circa primum tria. Primo captat benevolentiam ex persona sua, et populi conquerentis. Secundo ex persona adversarii, ibi, *Aperuerunt super nos* et caet. Tertio ex persona iudicis, ibi, *Invocavi nomen* et caet. Benevolentiam autem ex persona sua, et populi captat, proponendo sua incommoda. Unde circa primum duo facit. Primo ponit populi afflictionem. Secundo suam compassionem, ibi, *Oculus meus afflictus* etc. Circa primum duo. Primo confitetur culpam, ne sequens poena vergat in iudicis crudelitatem, *Inique*, peccando contra proximum, *Ad iracundiam*, peccando in Deum, *Inexorabilis*, quia non flexibilis ad orationes nostras: *Hierem. 7. Tu ergo noli orare pro populo isto, neque assumas orationem, et laudem, quia te non exaudiam: Ioann. 9. Peccatores Deus non exaudit; sed si quis cultor Dei est, hunc exaudit.* Secundo proponit peccatum.

p Primo tribulationibus diversis, et ad ultimum, *Occidisti: Proverb. 6. Quia zelus, et furor viri non parcet in die vindictae.* Secundo quantum ad peccantium orationis repulsionem, *Opposuisti nubem*, idest peccata nostra, apponens ea contra orationem nostram: *Isa. 59. Peccata vestra diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* Tertio quantum ad ipsorum dispersionem, *Eradicationem*, quasi eradicatos a firmitate protectionis tuae, et indignatione tua plenos: *Sap. 4. A nimietate ventorum eradicabuntur, confringentur rami inconsummati.*

q Hic captat benevolentiam ex parte adversarii, excitans contra ipsum indignationem ex malis, quae sibi intulit. Et primo ponitur praeparatio ad capiendum. Secundo ipsa captivatio, ibi, *Venatione* etc. Circa primum tria. Primo hostium praeparatio, *Aperuerunt*, quasi praeparati ad devorandum: *Psalm. 21. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens.* Secundo ponitur prophetarum deceptio, per quos contra hostes muniri debuerunt, *Formido*, causa formidinis ante captivitatem, *Et laqueus*, in captivitate, *Contritio*, post captivitatem, *Vaticinio*, falsorum prophetarum: *Isa. 24. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terrae.* Tertio ponitur sua compassio, *Divisiones*, quasi pro singulis miseriis plorans: *Psalm. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Sciendum tamen, quod isti tres versus secundum quosdam debent praeponi praecedentibus, ut Phe litera sit ante Ain, praeter solitum morem.

r Hic ponitur prophetae compassio. Et primo quantum ad exteriorem planctum, *Afflictus*, lacrymans, *Nec tacuit*, a lacrymis, *Requies*, a tribulationibus populo: *Hier. 9. Dederunt oculi mei lacrymas, quia vox lamentationis audita est de Syon.* Et planctus terminans, *Donec respiceret*, misericordiae oculo: *Psal. 142. Quoniam prospexit de excelso sancto suo.* Secundo quantum ad interioris doloris aculeum, *Oculus meus*, videns depraedationem terrae, *Depraedatus est animam meam*, spolians eam laetitia, vel plangens, totum dolorem cordis exterius traxit.

s Hic ponitur afflictio, in quam inciderunt. Et primo ponitur ipsa captio, *Venatione*, quasi insidiis, ingeniis, et viribus operantes, *Inimici*, scilicet Chaldaei, *Gratis*, quia scilicet nihil eos laeseram, nihil mihi profuerant: *Isa. 52. Assur absque ulla causa calumniatus est eum: Hier. 19. Post haec mittam venatores multos, et venabuntur eos.* Secundo ponitur captorum incarceratio, *Lapsa est in lacum*, carceris et captivitatis: *Psal. 87. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.* Tertio incarceratorum afflictio, *Inundaverunt*, multiplicatae sunt, *Aquae*, tribulationum, *Dixi*, desperans et impatiens:

*Ionae 2. Omnes gurgites tui super me transierunt.*

t Hic captat benevolentiam ex iudicis persona. Et primo ostendit eius misericordiam ad miseros. Secundo ostendit ipsius iustitiam, ibi, *Iudicasti Domine* etc. Circa primum tria ponit. Primo miserorum orationem, *Invocavi*, alias in angustiis existens, *De lacu novissimo*, de maximis tribulationibus, sicut in Aegypto, et in libro Iudicum frequenter: *Eccl. 51. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me.* Secundo ponit orationis misericordem exauditionem, *Vocem meam audisti*, ita et nunc, *Ne avertas: Ps. 6. Exaudivit orationem meam, Dominus orationem meam suscepit.* Tertio commemoratur post auditam orationem confortationem, *Appropinquasti in die*, confirmans me auxilio tuo, et ita nunc: *Iob 11. Pone me iuxta te: Isa. 11. Ne timeas servus meus, quia ego tecum sum, ne declines.*

u Hic commendat iudicem de iustitia, *Iudicasti*, in praeteritis temporibus, ita nunc fac: *Psa. 42. Iudica me Deus, et discerne causam meam. Vidisti.* Hic captata benevolentia iudicis, proponit accusationem contra adversarium. Et primo accusat iniquitatem operis, *Vidisti Domine;* quasi dicat, non possum negare tibi notum: *Supra 1. Intret omne malum coram te, et vindemia eos sicut vindemiasti me.* Secundo accusat furorem cordis, *Vidisti omnem furorem: Hier. 28. Venite, cogitemus contra Hieremiam cogitationes.* Tertio accusat peccatum oris, *Audisti opprobrium.*

x Hic accusat peccatum eius. Et primo quantum ad opprobriorum irrogationem, *Audisti opprobrium;* quasi dicat, non indiget probatione: *Dan. 9. Hierusalem, et populus tuus opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.* Secundo quantum ad comminationes, *Labia insurgentium: Psal. 37. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates.* Tertio quantum ad irrisionem, et insultationem, *Sessionem*, qua sedent in concilio ad me destruendum, *Resurrectionem*, exaltationem, *Psalmus eorum*, quia de me irrisoria cantica faciunt. Et possunt omnia haec intelligi in persona prophetae, vel in persona populi, ut prius dictum est: *Iob 30. Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum illis in proverbium: Psal. 68. In me psallebant qui bibebant vinum.*

y Hic petit vindictam de adversariis. Et propter securitatem exauditae orationis ponit magis praedicendo, quam orando. Unde duo facit. Primo praedicit iustam peccatorum retributionem, *Reddes vicem*, idest poenas: *Psal. 27. Secundum opera eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.* Secundo ponit poenae determinationem. Et primo quantum ad durationem, *Dabis eis*, laborem tuum, idest peccatum, in quo te laborare fecerunt: *Isa. 1. Laboravi sustinens. Scutum cordis*, idest pro peccato eorum retribues scutum cordis, scilicet duritiam, ut non penetrent sagittae gratiae tuae in gladio verbi tui: *Iob 40. Corpus illius quasi scuta fusilia.* Secundo quantum ad poenam corporis, *Persequeris*, diversis afflictionibus, et tandem, *Conteres*, per mortem, et aeternam damnationem, *Sub coelis*, qui in coelis esse voluerunt: *Hierem. 17. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos Domine Deus noster: Ps. 82. Ita persequeris in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.*

a CAP. IV.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.

A L E P H.

b Filii Syon inclyti, et amicti auro optimo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?

B E T H.

c Sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

G H I M E L.

d Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti: parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.

D E L E T H.

e Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

H E.

f Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus.

V A U.

g Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.

Z A I N.

h Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. Adhaesit cutis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum.

H E T H.

i Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terrae.

T E T H.

k Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiae populi mei.

CAPH.

l Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae: et succendit ignem in Syon, et devoravit fundamenta eius.

LAMED.

m Non crediderunt reges terrae, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, et inimicus per portas Hierusalem.

MEM.

n Propter peccata prophetarum eius, et iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.

NUN.

o Erraverunt caeci in plateis, polluti sunt sanguine: cumque non possent intrare, tenuerunt lacinias suas.

SAMECH.

p Recedite, polluti clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: Non addet ultra ut inhabitet in eis.

PHE.

q Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

AIN.

r Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quae salvare nos non poterat.

SADE.

s Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

COPH.

t Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis coeli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

RES.

u Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus.

SIN.

x Gaude et laetare filia Edom, qui habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.

THAU.

y Completa est iniquitas tua filia Syon, non addet ultra ut transmigret te: visitabit iniquitatem tuam filia Edom, discooperiet peccata tua.

a CAP. IV.

Hic principaliter plangit miseriam obsidionis: et dividitur in partes duas. In prima plangit populi miseriam. In secunda arguit insultantium laetitiam, ibi, *Gaude et laetare* etc. Circa primum duo. Primo plangit populi afflictionem. Secundo resistendi impotentiam, ibi, *Cum adhuc sustineremus* etc. Prima in duas. In prima plangit populi miseriam in generali. Secundo exequitur per partes, ibi, *Sed et lamiae* etc. Circa primum duo. In prima ponit metaphoram. In secunda exponit, ibi, *Filii Syon* etc. Fuerunt Iudaei eminentes in tribus. In subtilitate divinae cognitionis: *Ps. 147. Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis;* ideo dicit, *Aurum: Prov. 20. Est aurum et multitudo gemmarum vas* etc. et hoc *Obscuratum est*, infidelitatis ignominia: *Isa. 5. Captivus ductus est populus, quia non habuit scientiam.* Eminebant secundo in pulchritudine honestatis: *Eccles. 44. Pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis;* et ideo dicitur, *Color optimus*, quasi mutatus est in nigredinem peccati, et tristitiae: *2. Mach. 3. Facies et color immutatus est.* Tertio eminebant in cultu religionis; ideo dicitur, *Lapides sanctuarii dispersi per caput platearum*, diversarum gentium: *1. Mach. 4. Tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.*

b Hic exponit quod supra dixerat, *Inclyti*, quia ex genere sanctorum, *Auro primo*, scilicet sapientia: *Sap. 7. Omne aurum in comparatione illius arena est exigua. In vasa testea*, idest populum fragilem et vilem: *Is. 64. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum.*

c Hic prosequitur miseriam per partes. Et primo ponit afflictionem obsidionis quantum ad famem. Secundo civitatis captionem, et destructionem, ibi, *Complevit Dominus* etc. Tertio civium captorum irrisionem, ibi, *Recedite populi* etc. Circa primum quatuor. Primo tangit famem parvulorum. Secundo famem delicatorum, ibi, *Qui vescebantur* etc. Tertio famem Deo consecratorum, ibi, *Candidiores* etc. Quarto immensam famem ipsarum matrum, ibi, *Manus mulierum*

etc. Circa primum duo. Primo famem lactentium. Secundo parvulorum et adolescentum, ibi, *Parvuli petierunt.* Circa primum duo. Primo defectum lactis. Secundo defectus effectum, ibi, *Adhaesit* etc. Lamiae monstra quaedam habentia corpora foeminae , pedes equinos a laniando dicta, quia filios suos laniant. *Crudelis, quasi struthio*, de quo *Iob 39. Induratur ad filios suos quasi non sui, frustra laboravit nullo timore cogente.* Et comparantur his mulieres Hierusalem, non propter crudelitatem affectus, sed propter similitudinem actus, quia lac filiis non praebebant, quod erat ex defectu nutrimenti.

d Hic ponit effectum, scilicet sitim puerorum, *Adhaesit*, propter siccitatem, *Parvuli*, qui iam crescentes solido cibo uti poterant, nec lacte egebant: *Amos 8. Deficient virgines pulchrae, et adolescentes in siti : Supra 3. Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, et vinum ?*

e Hic ponit famem delicate nutritorum. Et primo ponit famis afflictionem. Secundo ponit comparationem, ibi, *Et maior effecta* etc. Fames autem ostenditur duobus signis, morte, *Interierunt*, et vilium comestione, *Qui nutriebantur*, ab ore subtractis cibariis, *Amplexati sunt stercora* , idest avide sumpserunt vilia cibaria: vel ad literam, *4. Reg. 7.* simile *Iob 6. Animae esurienti etiam amara dulcia esse videntur.*

f Hic exaggerat poenam in comparatione ad poenam Sodomorum, *Maior effecta est* , maior in poena ostensa, et maior fuit culpa propter ingratitudinem, et propter sanctorum prophanationem; et maior poena, quia diuturnior: *Eze. 16. Non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiae eius sicut fecisti tu , et filiae tuae: Matt. 11. Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi: Iob 9. Si flagellat, occidat semel, et de poenis innocentum non rideat.* Glossa: Moraliter de peccato simulationis, quod est maius peccatum peccato Sodomorum. Contrarium est quod dicitur *Isa. 3. super illud , Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt* in glossa, quod secunda tabula post naufragium est peccatum abscondere. Ad quod dicitur, quod abscondere peccata est conditio allevians. Peccatum vero simulationis vitium maius est, quando per huiusmodi quaeritur deceptio, et gloria apud alios. Et quidem maius dicitur non simpliciter , sed quantum ad effectum deceptionis ; vel quantum ad materiam , quia circa spiritualia peccatur, in quibus qui falsitatem facit , plus est accusandus quam qui violat numisma , ut dicit Philosophus.

g Hic describit famem consecratorum Deo, scilicet Nazaraeorum: de quorum consecratione legitur *Num. 6.* Et primo eorum pulchritudinem. Secundo ex fame consecutam turpitudinem, ibi, *Denigrata est* etc. Tertio ponit poenae comparationem, ibi, *Melius fuit* etc. Ad pulchritudinem autem corporalem hominis requiritur aspectus decens quoad hilaritatem vultus ; et quantum ad hoc, dicit, *Sapphiro pulchriores*, qui quidem coelestis coloris existens mentem laetificat. Requiritur etiam debitus color duplex , scilicet rubor ; et quantum ad hoc dicit, *Rubicundiores:* et candor; et quantum ad hoc dicit , *Candidiores.* Et quia , ut dicit Philosophus, albus color maxime receptivus est aliorum , oportet quod sit candor sine macula ; et quantum ad hoc dicit, *Nitidiores.* Et sunt locutiones hiperbolicae, nec tamen falsae , quia figuratae , quibus aliud dicitur, et aliud significatur. Et ad literam decori erant propter vitae munditiam, et abstinentiam, sicut legitur de Daniele, et sociis eius : *Dan. 1. Benedictio eius, qui apparuit in rubo.*

h Hic ponit turpitudinem ex fame sequentem, quantum ad colorum mutationem, *Denigrata est , et non agniti* , propter deturpationem; et ad desiccationem pinguedinis, *Adhaesit cutis: Nahum 2. Facies omnium sicut nigredo ollae, ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum: Iob 7. Cutis mea aruit.*

i Hic ponit comparationem, *Extabuerunt*, defecerunt diu afflicti: *Eccl. 34. Melior est mors, quam vita amara.*

k Hic ponit immensam famem matrum, quae prae nimietate famis filios suos comederunt: *Supra 2. Ergone comedent mulieres fructum suum , et parvulos suos?*

l Hic plangit captivitatem, et destructionem civitatis. Et primo ponit destructionem. Secundo facti admirationem, ibi, *Non crediderunt* etc. Tertio assignat destructionis rationem, ibi , *Propter peccata prophetarum. Complevit*, poenam inducens, *Effudit*, propter copiam, *Succendit ignem*, propter poenae determinationem, quia civitas combusta fuit, *Fundamenta*, quicquid forte. Vel quia usque ad fundamenta domus destructae sunt : *Deut. 34. Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

m Hic ostendit factum esse admirabile, quia prius erat incredibile, *Non crediderunt*, quando erant in ea reges potentes, et divina protectione munita, *Hostis*, apertus, violenter, *Inimicus*, latenter , fraudulenter : *Isa. 25. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam ? Ezec. 31. Subito dum non speratur, venit contritio eius.*

n Hic assignat rationem destructionis, ut admiratio cesset. Et primo praelatorum culpam , *Prophetarum, et sacerdotum*, qui populum gubernare debebant: *Dan. 2. Egressa est iniquitas a senioribus, qui videbantur regere populum.*

o Secundo ponit insufficientem emendam, quia abstinentes tantum ab ingressu templi se satisfacere credebant. *Erraverunt*, vagantes per plateas, *Caeci: excaecavit enim eos malitia eorum, Sap. 2. Intrare*, templum , *Lacinias suas* , vestes scissas ad modum ioculatorum a lacero laceras dicta, in quo ostenditur quod a voluptatibus non cessabant. Vel secundum aliam literam lascivias ; et planius est: *Isa. 59. Manus vestrae pollutae sunt sanguine, digiti vestri iniquitate.* Vel potest exponi de illis, qui excaecati corporaliter fuerunt ab hostibus capti , qui domos per se intrare non poterant , nisi ductoris fimbrias tenerent, et tenent se cum sequente.

p Hic ponit civium captorum irrisionem ab hostibus. Et primo improperat eis sanctorum prophanationem, *Clamaverunt*, scilicet hostes, *Eis*, scilicet Iudaeis, *Recedite*, in captivitate de loco sancto, *Nolite tangere*, sancta vos immundi : *Levit. 21. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron , non accedet offerre hostiam.* Secundo improperat eis Dei indignationem, quantum ad divini auxilii destitutionem , *Iurgati sunt*, hostes contra Iudaeos, *Et commoti*, utique isti obiurgando, et illi dolendo , *Ut inhabitet* , Deus

vos defendens : *Psal. 21. Dicentes Deus dereliquit eum ;* et quantum ad poenae inflictionem cum dicit,

q *Facies Domini*, praescientia, *Divisit* , in gentes dispersit : *Psal. 54. Divisi sunt ab ira vultus eius.* Tertio improperat eis seniorum irreverentiam, et sunt verba hostium cum Iudaeis, *Facies sacerdotum: Isa. 50. Tumultuabitur puer contra senem , et ignobilis contra nobilem.* Vel possunt esse verba prophetae de hostibus.

r Hic excludit evadendi facultatem, concludens quatuor per quae possent evadere. Primo auxilium amicorum, *Cum adhuc subsisteremus*, expectaremus, *auxilium nostrum vanum* , scilicet Aegyptiorum : *Isa. 31. Aegyptus frustra , et vane auxiliabitur.* Secundo excludit propriarum virium.

s *Lubricaverunt*, quasi prae debilitate non poteramus firmiter stare , ac si tenebrae lubricae : *Psal. 34. Fiant viae illorum tenebrae, et lubricum, et angelus Domini persequens eos: Hier. 24. Viae illorum erunt quasi lubricum in tenebris.* Et ideo, *Appropinquavit finis,* scilicet captivitatis, vel mortis ; et tandem, *Completi sunt: Ezec. 7. Finis venit , venit finis.* Tertio excludit fugae remedium.

t Tangit historiam hic, quae dicitur *Hier. ult.* quod Chaldaei comprehenderunt Sedeciam fugientem per viam solitudinis. Locutio hiperbolica: *Abach. 2. Volabunt quasi aquila festinans.* Quarto excludit protectionem regum.

u *Spiritus oris* , quo respiramus inter angustias , *Christus Dominus*, Iosias, *captus est*, Interfectus est ab Aegyptiis, *4. Re. 24. Pro peccatis nostris*, quia ipse iustus erat. Vel potest exponi de Sedecia secundum consequentiam historiae. Vel melius de Christo: *Isa. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. In umbra,* protectione. *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.*

x Hic comminatur insultantibus, et praecipue Idumaeis. Quibus primo comminatur. Et secundo Iudaeos consolatur, ibi, *Completa est* etc. Circa primum duo. Primo excludit laetitiam, *Gaude*, irrisorie : *2. Reg. 1. Nolite annuntiare in Geth , neque annuntietis in compitis Ascalonis. Filia Edom* , plebs Idumaeorum in terra Hus. Contra *Deut. 2. In possessionem Esau dedi montem Seir.* Praeterea. Hus fuit primogenitus Nachor, *Gen. 22.* Et dicendum, quod non est mentio de homine Hus, sed de terra Hus, quae alio nomine dicitur Ausitidis , ut dicit glossa Hieronymi *25. Cunctis regibus Ausitidis , quae est in confinio Idumaeorum et Arabum.* Secundo comminatur poenam, *Ad te quoque calix,* ira Dei, *Inebriaris*, miseria repleberis, *Nudaberis*, spoliaberis omnibus bonis: *Hier. 49. Ecce quibus non erat iudicium , ut biberent calicem, bibentes bibent.*

y Hic consolatur Iudaeos. Et primo ex eorum liberatione, *Completa*, poenis purgata, *Non addet*, pro peccatis praeteritis nisi peccata iteres: *Isa. 40. Completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius.* Secundo ex hostium punitione, *Visitabit* , quasi iudex , vel ipsas inquirens vindictas, *Discooperiet*, manifestans per poenas: *Hier. 49. Ego discooperui Esau , revelavi abscondita eius.*

## ORATIO HIEREMIÆ.

### a CAP. V.

Recordare Domine, quid acciderit nobis: intuere, et respice opprobrium nostrum. Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre , matres nostrae quasi viduae. Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus. Cervicibus nostris minabamur , lassis non dabatur requies. Aegypto dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane. Patres nostri peccaverunt, et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus. Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Mulieres in Syon humiliaverunt, et virgines in civitatibus Iuda. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. Adolescentibus impudice abusi sunt: et pueri in ligno corruerunt. Senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri , Vae nobis, quia peccavimus. Propterea moestum factum est in dolore cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Syon, quia disperiit: vulpes ambulaverunt in eo. Tu autem Domine in aeternum permanebis, solium tuum in generationem, et generationem. Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio. Sed proiiciens repulisti nos , iratus es contra nos vehementer.

### a CAP. V.

Hic propheta post multiplicia lamenta convertit se ad orationis remedium. Et primo exponit populi miseriam. Secundo petit misericordiam, ibi , *Tu autem Domine* etc. Prima in duas. Primo exponit miseriam populi quantum ad mala quae incurrerunt. Secundo quantum ad bona quae amiserunt, ibi, *Senes de portis* etc. Circa primum duo. Primo excitat attentionem, *Recordare*, attende ad miserias meas : *Supra 3. Recordare paupertatis, et transgressionis meae. Recordare;* quasi dicat, in notitia tene, *Intuere*, idest notitia recondita considerationem defige, *Respice*, cogitando, et discutiendo. Secundo , ibi , *Haereditas* etc. ponit afflictionem. Et primo in generali. Secundo descendendo ad spirituales personas, ibi, *Mulieres in Syon* etc. Circa primum duo. Primo excludit ea quibus contra miserias sustentabantur , scilicet proprias possessiones, quae in potestate hostium transierunt , *Hae-*

*reditas: Supra 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: Hier. 6. Non transibunt domus eorum ad alteros, et agri, et uxores;* et divinam protectionem, *Pupilli facti sumus*, quia destituti divina, quasi paterna consolatione, *Matres nostrae*, synagogae, *Quasi viduae*, quarum acus sponsus dicebatur: *Isa. 9. Pupillorum et viduarum eius non miserebitur, quia omnis hypocrita est et nequam.* Secundo, ibi, *Aquam nostram* etc. Prosequitur spirituales miserias, quas patiebantur. Et primo servitutem. Secundo afflictionem, ibi, *In animabus nostris* etc. Circa primum duo. Primo ponit populi servitutem. Secundo exaggerat ipsam, ibi, *Patres nostri* etc. Circa primum duo. Primo ponit servitutem quam patiebantur quantum ad bona ipsorum, *Aquam nostram*, hostibus tyrannice nos opprimentibus: *Deut. 2. Aquam emptam haurietis, et bibetis.* Secundo ponit servitutem quantum ad proprias personas. Et primo coactam, *Cervicibus minabamur*, quasi in percussionem cervicum persistere in via nolebamus: vel ligati cervicibus: *Deut. 8. In gentibus quoque illis non quiesces, nec erit requies tibi.* Secundo ponit servitutem personalem voluntariam, quia inopia compulsi se aliis in servos vendebant, vel simpliciter, vel ad tempus: et hoc est, *Aegypto dedimus manum*, quasi eis nos subiugantes: *1. Re. 2. Repleti prius pro panibus se locaverunt.* Vel, *Dedimus manum*, auxilium postulantes: *Hie. 1. Quid tibi in via Aegypti ut bibas aquam turbidam. Patres nostri.* Hic exaggerat servitutem. Et primo ex conditione servientium, quia pro peccatis aliorum punitur, *Et non sunt*, quia sunt mortui. *Portavimus*, poenam eorum sustinentes. Sed contra. *Ezech. 18. Quid est quod inter vos vertitis parabolam in proverbium, dicentes, Patres nostri comederunt uvas acerbas, et dentes filiorum obstupuerunt.* Solutio: *Exod. 20. Ego sum Deus zelotes* etc. *His qui oderunt me retribuam.* Secundo exaggerat ex conditione dominantium, *Servi dominati sunt*, sicut Moabitae, et Idumaei, et alii vicini, quorum prius dominati fuerant: *Prover. 30. Per tria mala movetur terra. Per servum cum regnaverit, per stultum cum saturatus fuerit* etc. *In animabus.* Hic ponit afflictionem famis; et ostendit primo penuriam, *In animabus*, idest in periculo animarum nostrarum, scilicet vitae nostrae, fugientes in deserto a facie gladii Babylonis, vel quod onerantes se, victualibus periculis se exponebant ut hostes insequentes in deserto effugerent; vel quia nimio labore ad conquirendum cibum corpus suum consumebant: *Isa. 21. Qui habitatis terram Austri cum panibus occurrite fugienti.* Secundo ponit famis officium, *Pellis nostra exusta*, fame desiccata, *Tempestatum*, quia obsessi et fugientes famem passi sunt diu: *Osee 5. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente: Iob 9. Pelli meae, consumptis carnibus, adhaesit os meum. Mulieres.* Hic descendit ad speciales personas. Et primo ad mulieres, *Humiliaverunt*, corrumpendo eas: *Deut. 28. Uxorem accipies, et alius dormiet cum ea: filiae tuae tradentur alteri populo, videntibus oculis tuis.* Secundo quantum ad principes, *Principes manu*, quasi in eculeo ad manifestandum divitias suas: *Deut. 28. Adducet super te gentem de longinquo, et de extremis finibus terrae in similitudinem aquilae cum impetu, et cuius intelligere linguam non possis, gentem procacissimam, quae non deferat seni, nec misereatur parvuli.* Tertio quantum ad iuvenes, *Adolescentibus: Ioel. 4. Posuerunt puerum in postribulo, et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent. Senes de portis.* Hic ponit miseriam quantum ad bona quae defecerunt. Et primo quantum ad officia personarum, *De portis defecerunt*, quasi ad exercendum iudicia in portis, *De choro*, quasi non choriezant, quod erat officium dominorum: *1. Mach. 2. Trucidati sunt senes eius in platea, et iuvenes eius ceciderunt gladio.* Secundo ad exercitium gaudiorum, *Defecit gaudium: Amos 4. Convertam festivitatem vestram in luctum, et omnia cantica vestra in planctum.* Tertio quantum ad gloriam dilatatum. Et primo quantum ad gloriam regni: *Iob 19. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.* Secundo quantum ad gloriam templi, ponens super hoc tristitiam, *Propterea moestum...contenebrati sunt*, prae multitudine lacrymarum: *Hier. 8. Dolor meus super dolorem.* Et tristitiae causam, *Propter montem Syon*, ubi templum, *Vulpes ambulaverunt*, quasi in locis desertis: *Mich. 3. Syon quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum. Tu autem Domine.* Hic convertit iam se ad petendum. Et primo confitetur ipsam maiestatem quantum ad aeternitatem substantiae, *In aeternum permanebis.* Et quantum ad durationem regalis gloriae, *Solium tuum: Psal. 100. Tu autem Domine in aeternum permanebis, memoriale tuum in generatione, et generationem.* Secundo miratur indignationem, *Quare in perpetuum: Isa. 49. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio ventris sui.* Tertio porrigit petitionem, *Converte nos Domine: Hierem. 31. Converte me Domine, et convertar, quia tu es Dominus Deus meus.* Sed contra. *Zach. 1. Convertimini ad me* etc. Et dicendum, quod utrumque est verum propter hoc quod ad opus meritorum exigitur liberi arbitri praeparatio, et gratiae infusio, *Innova dies nostros: Iob 29. Quis tribuat ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quando Deus custodiebat me.* Quarto ponit petendi necessitatem, *Sed proiiciens repulisti nos: Hierem. 14. Numquid proiiciens abiecisti Iudam, aut Syon abominata est anima tua. Quare ergo percussisti nos, ut nulla sit sanitas.*

FINIS.

FINIS.

*Napoli 26 Agosto 1857*

# CONSIGLIO GENERALE

DI

# PUBBLICA ISTRUZIONE

Vista la domanda del tipografo Paolo Brancaccio, con la quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata - *Expositio in Iob, in Psalmos Davidis, in Isaiam, Ieremiam, et Threnos.*

Visto il parere del Regio Revisore signor D. Giuseppe Canonico Garavini;

Si permette che la detta opera si stampi; ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser la impressione uniforme all'originale approvato.

*Il Consultore di Stato - Presidente provvisorio*
CAPOMAZZA

*Il Segretario Generale*
GIUSEPPE PIETROCOLA

---

*Napoli 11 Luglio 1857*

# COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

## PER LA REVISIONE

**Nihil obstat.**

DOMENICO GARGIULO

**Imprimatur.**

*Pel Deputato*
LEOPOLDO RUGGIERO - *Segretario*

ANGELICI DOCTORIS

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

# EXPOSITIO

## IN IOB

## ET IN PRIMAM DAVIDIS QUINQUAGENAM

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLVII.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN LIBRUM BEATI IOB EXPOSITIO

## PROLOGUS S. THOMAE

Sicut in rebus, quae naturaliter generantur, paulatim ex imperfecto ad perfectum pervenitur: sic accidit hominibus circa cognitionem veritatis: nam a principio parum quid de veritate attigerunt, posterius autem quasi pedetentim ad quandam pleniorem mensuram veritatis pervenerunt: ex quo contingit, multos propter imperfectam cognitionem circa veritatem errasse, inter quos aliqui extiterunt, qui divinam providentiam auferentes omnia fortunae, et casui attribuebant: et priorum quidem intantum ad hoc invaluit opinio, ut ponerent mundum casu factum esse, et ea, quae naturaliter generantur, casui attribuerent, sicut percipi potest ex opinionibus antiquorum naturalium, ponentium solum causam materialem. Posteriorum etiam quidam, ut Democritus et Empedocles, plurima casui attribuebant. Sed posteriorum philosophorum diligentia perspicacius intuens veritatem, evidentibus indiciis et rationibus ostendit, res naturales providentia regi: non enim tam certus cursus in motu caeli, et siderum, et in aliis naturae effectibus inveniretur, nisi haec omnia a quodam intellectu supereminente ordinata gubernarentur. Opinione igitur plurimorum firmata in hoc, quod res naturales non casu, sed providentia regerentur, propter ordinem qui manifeste apparet in eis, dubitatio mansit apud plurimos de actibus hominum, utrum res humanae casu procederent, an aliqua providentia vel ordine quodam superiori gubernarentur. Cui quidem dubitationi maxime fomentum ministravit, quod in eventibus humanis nullus certus ordo apparet: nec enim semper bonis bona eveniunt, aut malis mala, neque rursus semper bonis mala, aut malis bona; sed indifferenter bonis et malis bona et mala. Hoc igitur est, quod maxime corda hominum commoveat ad opinandum res humanas providentia divina non regi: sed quidam eas causaliter procedere dicunt, nisi quatenus providentia et consilio humano reguntur: quidam vero caelesti fato eorum eventus attribuunt. Haec autem opinio maxime humano generi nociva invenitur: divina enim providentia sublata, nulla apud homines Dei reverentia, aut timor cum veritate remanebit: ex quo quanta desidia circa virtutes, quanta pronitas ad vitia subsequeretur, satis quilibet perpendere potest: nihil enim est quod tantum revocet homines a malis, et ad bona inducat, quantum Dei timor, et amor: unde eorum qui divino spiritu sunt sapientiam consecuti, ad aliorum eruditionem primum, et praecipuum studium fuit, hanc opinionem a cordibus hominum amovere: et ideo, post datam legem, et prophetas in numero hagiographorum, idest librorum, per spiritum Dei sapienter ad eruditionem hominum conscriptorum, primus ponitur liber Iob, cuius tota intentio in hoc versatur, ut per probabiles rationes ostendatur, res humanas divina providentia regi. Procedtur autem in hoc libro ad propositum ostendendum ex suppositione,

quod res naturales ex divina providentia gubernentur. Id autem quod praecipue providentiam Dei circa res humanas impugnare videtur, est afflictio iustorum: nam quod malis interdum bona eveniant, etsi irrationabile primo aspectui videatur, et providentiae contrarium, tamen utrumque habere potest aliqualem excusationem ex miseratione divina; sed quod iusti sine causa affligantur, totaliter videtur subvertere providentiae fundamentum. Proponitur ergo ad quaestionem intentam, quasi quoddam thema, multiplex et gravis afflictio cuiusdam viri, in omni virtute perfecti, qui dicitur Iob. Fuerunt autem aliqui, quibus visum est, quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quaedam parabola conficta, ut esset quoddam thema ad providentiae disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis. Et quamvis ad intentionem libri non multum referat, utrum sic vel aliter fuerit; refert tamen quantum ad ipsam veritatem: videtur enim praedicta opinio auctoritati sacrae Scripturae obviare: dicitur enim *Ezech. 14.* ex persona Domini: *Si fuerint tres viri in medio eius, Noe, Daniel, et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Manifestum est autem, Noe, et Daniel homines in rerum natura fuisse: unde nec de tertio eis connumerato, scilicet de Iob, in dubium debet venire: dicitur etiam *Iacobi 5. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, et finem Domini vidistis.* Sic igitur credendum est, Iob hominem in rerum natura fuisse. Quo autem tempore fuerit, vel ex quibus parentibus originem duxerit, et quis etiam huius libri fuerit auctor, utrum scilicet ipse Iob hunc librum conscripserit, de se quasi de alio loquens, an alius de eo ista retulerit, non est praesentis intentionis discutere. Intendimus enim compendiose secundum nostram possibilitatem, de divino auxilio fiduciam habentes, librum istum, qui intitulatur beati Iob, secundum literalem sensum exponere; eius enim mysteria tam subtiliter, et discrete beatus Papa Gregorius nobis aperuit, ut his nihil ultra addendum videatur.

# EXPOSITIO D. THOMÆ AQUINATIS

# IN LIBRUM BEATI IOB

## CAPITIS PRIMI

### LECTIO PRIMA.

Vir erat in terra Hus nomine Iob, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo : natique sunt ei septem filii, et tres filiae; et fuit possessio eius septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, et quingentae asinae, ac familia multa nimis : eratque vir ille magnus inter omnes orientales. Et ibant filii eius, et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent, et biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos: dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

### LECTIO PRIMA.

Quia, sicut dictum est, intentio huius libri ordinatur ad ostendendum, qualiter res humanae providentia divina regantur ; praemittitur, quasi totius fundamentum disputationis, quaedam historia, in qua cuiusdam viri iusti multiplex afflictio recitatur : hoc enim est quod maxime videtur divinam providentiam a rebus humanis excludere. Huius igitur viri primo persona describitur: et quantum ad sexum dum dicitur, *Vir erat:* hic enim sexus ad perferendas molestias invenitur robustior : describitur etiam quantum ad patriam, cum dicitur, *In terra Hus*, quae est in partibus orientis: et quantum ad nomen, cum dicitur, *Nomine Iob.* Et videntur haec duo posita esse, ad firmandum hoc quod dicitur, non esse parabolam, sed rem gestam. Et ne aliquis adversitates, quae postmodum inducuntur, pro peccatis huius viri ei accidisse crederet, consequenter describitur eius virtus, per quam a peccatis demonstratur immunis. Sciendum quidem est hominem tripliciter peccare. Sunt enim quaedam peccata, quibus peccatur in proximum, sicut homicidia, adulteria, furta, et alia huiusmodi: quaedam, quibus peccatur in Deum, sicut periurium, sacrilegium, blasphemia, et huiusmodi: quaedam, quibus unusquisque in seipsum peccat, secundum illud Apostoli *1. Corinth. 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* In proximum autem quis peccat dupliciter, occulte per dolum, et manifeste per vim. Hic autem vir non circumvenit per dolum proximum; unde dicitur, *Et erat vir ille simplex*: simplicitas enim proprie dolositati opponitur. Nulli violentiam intulit: sequitur enim, *Et rectus:* rectitudo enim proprie ad iustitiam pertinet: quod in aequalitate consistit, secundum illud *Isa. 26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.* Quod autem in Deum non peccaverit, aperte ostendit per hoc quod sequitur, *Ac timens Deum*, in quo reverentia ad Deum designatur. Quod etiam in seipsum non peccaverit, ostendit in hoc, quod subditur: *Ac recedens a malo:* quia malum odio habuit propter seipsum, non solum propter nocumentum proximi, vel offensam Dei. Descripta ergo huius viri et persona, et virtute, eius prosperitas consequenter ostenditur, ut ex praecedenti prosperitate gravior sequens iudicetur adversitas. Similiter etiam ad ostendendum, quod ex pura Dei intentione iustis semper bona tribuuntur, non solum spiritualia, verum etiam temporalia. Sed quod aliquando iusti adversitatibus premantur, accidit propter aliquam specialem causam: unde sic a principio homo institutus fuit, ut nullis subiaceret perturbationibus, si in innocentia permansisset. Principium autem prosperitatis temporalis, post bonam consistentiam personae propriae, consistit in personis coniunctis, et praecipue in natis, qui sunt quodammodo aliquid parentum. Describitur igitur primo eius prosperitas, quantum ad foecunditatem prolis, cum dicitur, *Natique sunt ei septem filii, et tres filiae.* Consequenter numerosior multitudo marium, quam femi-

narum ponitur : quia parentes affectare solent magis filios, quam filias: tum quia id, quod perfectius est, desiderabilius est; mares autem comparantur ad feminas, sicut perfectum ad imperfectum: tum quia in auxilium rerum gerendarum solent esse parentibus magis potentes nati, quam natae. Deinde ostenditur prosperitas eius, quantum ad multitudinem divitiarum, et praecipue in animalibus, nam circa principium humani generis propter hominum paucitatem, agrorum possessio non ita pretiosa erat sicut animalium, et maxime in partibus orientis : in quibus etiam usque hodie sunt pauci habitatores, prae latitudine regionis. Inter animalia autem primo ponuntur ea, quae maxime deserviunt ad victum et vestitum personae, ut oves; unde dicitur, *Et fuit possessio eius septem millia ovium.* Secundo ponuntur ea, quae maxime deserviunt ad onera deferenda, scilicet cameli; et hoc est quod subditur, *Et tria millia camelorum.* Tertio ponuntur ea, quae deserviunt ad culturam agrorum; et hoc est quod subditur, *Quingenta quoque iuga boum.* Quarto ponuntur animalia, quibus homines ad vecturam utuntur; unde sequitur, *Et quingentae asinae*, ex quibus muli generantur, quibus antiqui maxime insidebant. Sub istis autem quatuor generibus animalium comprehenduntur omnia alia, quae ad eosdem usus deserviunt : puta sub ovibus omnia victui et vestitui necessaria : et sic de reliquis. Et quia homines multas divitias possidentes, ad eas gubernandas multitudine indigent famulorum, convenienter subditur, *Ac familia multa nimis.* Consequenter ponitur prosperitas eius, quantum ad honorem et famam, quae longe lateque diffundebatur; et hoc est quod dicitur, *Erat vir ille magnus inter omnes orientales*, idest honoratus et ramosus. Ad maiorem autem ipsius Iob commendationem consequenter disciplina domus eius describitur, quae immunis erat ab illis vitiis, quae opulentia generari solent plerumque, nam divitiarum abundantia discordiam parit : unde legitur *Gen. 13.* quod Abraham et Loth nequiverunt simul habitare, ad vitandum iurgium, quod ex rerum abundantia proveniebat. Frequenter etiam homines multa possidentes, dum ea quae possident, immoderate amant, eis tenacius utuntur; unde dicitur *Eccl. 6. Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines, vir, cui dedit Deus divitias, substantiam, et honorem, et nihil deest animae eius ex omnibus quae desiderat, nec tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eo.* Ab iis ergo malis immunis erat domus beati Iob : erat enim ibi concordia iucunda, et aequa frugalitas; quod significatur cum dicitur, *Et ibant filii eius, et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo.* Haec autem charitas et concordia non solum inter fratres erat, sed usque ad sorores extendebatur, quae frequenter despiciuntur a fratribus propter superbiam quam opulentia plurimum gignit; unde subditur, *Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis.* Similiter etiam designatur in hoc securitas, quae de castitate filiarum habebatur, alias enim non circumducendae erant, sed includendae, secundum illud *Eccl. 26. In filia non avertente se firma custodiam, ne inventa occasione utatur se.* Sicut autem in domo Iob frugalitas et concordia vigebat, sic in ipso Iob vigebat sancta solicitudo puritatis, quam frequenter divitiae obruunt, vel etiam minuunt, secundum illud *Deut. 32. Incrassatus est, dilatatus, et recalcitravit;* et postea sequitur, *Dereliquit Deum factorem suum* etc. Et quidem de sua puritate in tantum solicitus erat, quod ab iis quae inquinare poterant, totaliter procul erat; unde non solum dicitur, quod erat timens Deum, et recedens a malo, sed etiam circa filiorum puritatem maxime solicitus erat : permittebat siquidem eos convivia agere, eorum indulgens aetati. Quaedam enim in iuvenibus tolerantur, quae in personis gravibus reprehensibilia sunt. Et quia in conviviis vix aut nunquam homines immunditiam vitare possunt, quin vel per ineptam laetitiam, vel per inordinatam loquacitatem, aut etiam immoderatum usum cibi offendant, filiis quos a conviviis non arcebat, purificationis remedium exhibebat; unde dicitur, *Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob, et sanctificabat illos.* Dicuntur autem in orbem dies transire convivii, quia cum septem filii essent, et unusquisque in die sua convivium faceret, per omnes dies septimanae feriatim huiusmodi consumebant convivia; postmodum quasi circulariter, sive orbiculariter, sicut in diebus septimanae, ita in conviviis ad principium rediebatur. Notandum est, quod licet Iob filiis indulgeret ut convivia agerent, tamen ipse suam gravitatem conservans, eorum conviviis se non immiscebat; unde dicitur, quod *Mittebat ad eos*, non quod ipse ad eos iret. Modus autem sanctificationis, quo per internuncium sanctificabat eos, potest intelligi dupliciter, vel quia salubribus monitis eos instrui faciebat, ut si quid in conviviis deliquerant emendarent; vel etiam quia aliquem expiationis ritum habebant, quo huiusmodi delicta expiabantur, sicut et sacrificia etiam ante legem data fuerant, et primitiarum, et decimarum oblatio. In conviviis autem homines interdum non solum impuritatem contrahunt modis praedictis, sed etiam gravioribus peccatis immerguntur aliquando usque ad Dei contemptum, et propter lasciviam, ratione absorpta, et a reverentia divina abstracta, sicut *in Exodo* dicitur, *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*, idest fornicari, vel idolis immolare. Iob ergo non solum contra levia delicta, filiis sanctificando subveniebat, sed etiam contra graviora remedium studebat apponere, quo eis Deus placaretur; unde sequitur, *Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.* In quibus verbis ostenditur perfectio devotionis ipsius, et quantum ad tempus, quia diluculo consurgebat, secundum illud *Psal. 15. Mane astabo tibi etc.* et quantum ad modum oblationis, quia holocausta offerebat, quae totaliter comburebantur ad honorem Dei, nulla parte relicta in usum offerentis, vel eius pro quo offerebantur, sicut erat in hostiis pacificis, et pro peccato: dicitur enim holocaustum, quasi totum incensum; et quantum ad numerum, quia pro singulis filiis holocausta offerebat, singula enim peccata convenientibus satisfactionibus sunt expianda. Causam autem oblationis holocaustorum subiungit dicens, *Dicebat enim*, scilicet in corde suo Iob, non quidem de peccatis filiorum certus, sed dubitans: *Ne forte peccaverint filii mei*, scilicet opere, vel verbo: *Et benedixerint Deo in cordibus suis:* quod quidem dupliciter intelligi potest, uno modo ut totum intelligatur coniunctim : quamvis enim benedicere Deum sit bo-

num, tamen benedicere Deum de hoc, quod homo peccavit, significat voluntatem in peccatum quiescentem; et quantum ad hoc vituperatur, sicut *in Zach. 11.* dicitur contra quosdam, *Pasce pecora occisionis : quae qui possidebant occidebant, et non dolebant: et vendebant ea dicentes, Benedictus Deus, divites facti sumus.* Alio modo, ut intelligatur divisim a priori sensu: et sic per hoc quod dicitur, *Benedixerint*, intelligatur maledixerint. Crimen enim blasphemiae tam horribile est, ut pia ora ipsum nominare proprio nomine reformident; sed ipsum per contrarium significant: et convenienter pro peccato blasphemiae holocausta offeruntur: quia ea quae in Deum committuntur, honoratione divina sunt expurganda. Solet autem contingere, quod divinus cultus a quibusdam devote perficiatur, si rarus sit; cum autem frequens fuerit, in fastidium venit: quod est peccatum accidiae, cum aliquis scilicet tristatur de spirituali labore: cui quidem profecto Iob subiectus non erat : nam subditur, *Sic faciebat Iob cunctis diebus*, quasi perseverantem in divino cultu devotionem conservans.

## LECTIO II.

Quadam autem die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan, cui dixit Dominus, unde venis? qui respondens ait : Circuivi terram, et perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum : Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? Cui respondens Satan ait : Nunquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, universamque substantiam eius per circuitum? Operibus manuum eius benedixisti, et possessio eius crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam.

## LECTIO II.

Post prosperitatem beati Iob enumeratam, ponitur adversitas ipsius; et primo inducitur causa ipsius. Et ne quis putaret adversitates iustorum absque divina providentia procedere, ac per hoc aestimaret res humanas providentiae subiectas non esse, praemittitur quomodo Deus de rebus humanis curam habet, et eas dispensat. Hoc symbolice, et sub aenigmate proponitur secundum consuetudinem sacrae Scripturae, quae res spirituales sub figuris rerum corporalium describit: sicut patet *Isai. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*, et *in principio Ezech. et in plurib. aliis locis.* Et quamvis spiritualia sub figuris rerum corporalium proponantur; non tamen ea, quae circa spiritualia intenduntur per figuras sensibiles, ad mysticum pertinent sensum, sed literalem, quia sensus literalis est, qui primo per verba intenditur, sive proprie dicta, sive figurate. Sciendum est autem, quod divina providentia tali ordine res gubernat, quod inferiora per superiora dispensat: corpora enim generabilia et corruptibilia subduntur motui corporum coelestium : et similiter inferiores spiritus rationales mortalibus corporibus uniti, scilicet animae, per superiores spiritus incorporeos administrantur. Haec autem habet ecclesiastica traditio, quod inter incorporeos spiritus quidam sunt boni, qui puritatem in qua creati sunt, conservantes, divina gloria perfruuntur, a Dei voluntate nunquam recedentes : et hi quidem spiritus in Scripturis interdum dicuntur angeli, idest nuncii: quia divina hominibus annunciant: interdum autem filii Dei dicuntur, inquantum Deo per participationem gloriae similantur. Mali autem spiritus quidem sunt non per naturam, aut per creationem, cum uniuscuiusque naturae auctor sit Deus, nec summum bonum potest esse causa nisi bonorum, sed sunt mali propter propriam culpam. Huiusmodi autem spiritus in Scripturis daemones dicuntur, et eorum primus dicitur diabolus, quasi deorsum cadens, vel etiam Satan, idest adversarius. Utrique igitur spiritus homines ad aliqua agenda movent, boni quidem ad bona, mali autem ad mala. Et sicut homines moventur a Deo per spiritus supradictos; etiam ea quae per homines aguntur, dicuntur in Scripturis, eisdem spiritibus mediantibus, ad divinum examen referri. Ad ostendendum igitur quod tam bona, quam mala, quae homines agunt, divino iudicio subsunt, dicitur, *Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Sciendum vero est, quod angeli, qui hic filii Dei dicuntur, assistere dicuntur Domino dupliciter. Uno modo, inquantum Deus ab eis conspicitur, sicut scriptum est *in Daniele 7. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Alio modo, inquantum ipsi angeli, et eorum actus a Deo conspiciuntur: nam qui alicui Domino assistunt, et eum conspiciunt, et ab eo conspiciuntur. Primo igitur modo assistere non convenit angelis nisi bonis, qui divina visione perfruuntur: nec iis omnibus, sed illis tantum, qui inter eos superiores existunt, qui magis intime divina visione perfruuntur, et ad exteriora ministeria, secundum Dionysii sententiam, non exeunt: unde et a ministrantibus in praedicta auctoritate Danielis assistentes distinguuntur. Secundo autem modo assistere convenit non solum omnibus bonis angelis, sed etiam malis, et etiam hominibus: quia quaecunque per eos aguntur, divino conspectui et examini subduntur : et propter hoc dicitur, quod cum venirent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Et quamvis ea, quae per angelos bonos vel malos administrantur, continue divino conspectui et examini subiiciantur, et sic semper filii Dei assistant, et Satan inter eos assistere dicatur etc. dicitur tamen, *Quadam die*, secundum morem Scripturae, quae ea quae supra tempus sunt, interdum per tempus designat ex aliquibus quae dicuntur in tempore: sicut *in principio Gen.* dicitur Deus aliqua dixisse primo, vel secundo die, quamvis eius dicere sit aeternum propter hoc, quod ea quae ab ipso dicuntur, fiebant in tempore : ita et nunc quia factum, de quo nunc intenditur, determinato tempore extitit, dicuntur admi-

nistratores huiusmodi facti, quadam die coram Domino astitisse : quamvis coram ipso assistere nunquam desistant. Considerandum est etiam, quod ad Dei iudicium aliter referuntur ea, quae per bonos angelos aguntur, aliter ea quae per malos, nam boni angeli hoc intendunt, ut ea quae agunt, referant in Deum: et ideo dicitur, quod filii Dei venerunt, ut assisterent coram Domino, quasi primo motu et intentione omnia divino iudicio subdentes, mali vero angeli non intendunt ea quae agunt, referre in Deum, sed eis nolentibus hoc accidit, ut quidquid agunt, subdatur divino iudicio, vel divinae providentiae: et ideo non dicitur de Satan quod venerit, ut assisteret coram Domino, sed solum quod affuit inter eos. Dicitur autem, *Inter eos*, cum propter naturae parilitatem, tum ad insinuandum, quod mala non sunt ex principali intentione, sed superveniunt bonis quasi per accidens. Est autem differentia inter ea, quae per bonos angelos, et malos aguntur, nam boni angeli nil agunt nisi ad quod divino iussu et voluntate moventur: in omnibus enim voluntatem divinam sequuntur, mali vero sua voluntate discordant a Deo; unde ea, quae ipsi agunt, a Deo aliena existunt, quantum ad eorum intentionem. Et quia non consuevimus interrogare de iis quae nos facimus, sed de iis, quae absque nobis fiunt; ideo non dicitur quod Dominus aliquid quaesierit a filiis Dei, sed solum a Satan : et hoc est quod subditur, *Cui dicit Dominus, unde venis?* Et notandum est, quod non dicit ei Dominus, quod facis, aut ubi es? sed unde venis? quia ipsa facta, quae per daemones procurantur, interdum ex divina voluntate proveniunt, dum per eos vel puniuntur mali, vel exercentur boni ; sed daemonum intentio semper mala est, et a Deo aliena; et ideo a Satan quaerit, *Unde venis:* quia eius intentio, a qua procedit omnis ipsius actio, a Deo est aliena. Sciendum autem est, quod dicere dupliciter accipitur : nam quandoque refertur ad conceptum cordis, quandoque autem ad significationem, qua huiusmodi conceptus alteri exprimitur. Secundum igitur primum modum, dicere Dei est aeternum, et nil est aliud quod generare Filium, quod est Verbum ipsius. Secundo vero modo specialiter Deus aliqua dicit; diversimode tamen, secundum quod congruit eis, quibus dicit: nam hominibus corporeos sensus habentibus aliquando Deus locutus est aereo sono formato in aliqua subiecta creatura: sicut vox sonuit in baptismo, et in transfiguratione Christi, *Hic est Filius meus dilectus.* Aliquando autem per imaginariam visionem, sicut multoties legitur in prophetis. Aliquando autem intelligibili expressione : et hoc modo intelligendum est Dominum ad Satan dixisse, inquantum eum intelligere facit, quod ea quae ipse agit, a Deo conspiciuntur. Sicut ergo dicere Dei ad Satan, est ei notitiam praebere ; ita Satan respondere Deo, est non quidem alicuius rei notitiam tradere Deo, sed considerare omnia sua divino conspectui aperta esse; et secundum hunc modum dicitur, *Qui respondens ait, Circuivi terram, et perambulavi eam.* Per hoc igitur quod Dominus dicit ad Satan, *Unde venis ?* intentionem et acta diaboli Deus examinat ; per hoc autem quod Satan respondet, *Circuivi terram, et perambulavi eam,* quasi suorum actuum Deo rationem reddit ; ut ex utroque ostendatur, omnia quae per Satan fiunt, divinae providentiae subiecta esse. Per circuitionem autem Satan calliditas eius ostenditur, ad explorandum quod decipere possit, secundum illud *1. Petr. ult. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* Convenienter autem per circuitum calliditas designatur, sicut per rectum simplex et iustus : nam rectum est, cuius medium non exit ab extremis. Cum ergo actio iusti a suo principio, quod est Dei voluntas, et fine illi intento non discrepat, convenienter iustis adscribitur rectitudo: callidorum autem est aliud praetendere, ac aliud intendere : et sic id quod demonstrant de suo opere, exit ab extremis, dum nec principio concordant, nec fini : unde recte callidi circuire dicuntur, propter quod scriptum est, *In circuitu impii ambulant.* Sciendum autem est, quod etsi diabolus erga cunctos tam bonos quam malos calliditatis suae studio utatur, effectus tamen calliditatis suae in solis malis consequitur, qui recte terra nominantur. Cum enim homo compositus sit ex natura spirituali, et carne terrena, malum hominis in hoc consistit, quod derelictis spiritualibus, bonis ad quae secundum rationem mente ordinatur, terrenis bonis inhaeret, quae sibi competunt secundum carnem terrenam ; ideo mali, inquantum carnem terrenam sequuntur, recte terra dicuntur. Huiusmodi igitur terram non solum circuit Satan, sed etiam perambulat, quia in eis effectum suae malitiae complet. Per ambulationem enim complementum processus ipsius designatur, sicut e converso de viris iustis dicitur, quod in eis Deus perambulat: unde Apostolus *2. Cor. 6.* inducit, *Inhabitabo in illis, inambulabo inter eos.* Potest etiam ex hoc aliud intelligi. Triplex enim est status viventium: quidam enim sunt super terram, idest in caelo, ut angeli, et beati homines : quidam in terra, sicut homines in mortali carne viventes: quidam autem sub terra, ut daemones, et damnati omnes. Primos igitur Satan neque circuit, neque perambulat : quia in caelestibus civibus nulla malitia esse potest : sicut nec in caelestibus corporibus invenitur aliquod malum naturae. Illos autem qui sunt in inferno perambulat, sed non circuit, quia eos totaliter suae malitiae subiectos habet; nec oportet, ut ad eos decipiendos aliqua calliditate utatur. Eos autem qui sunt in terra, circuit, et perambulat, quia et calliditate eos decipere nititur, et quosdam eorum ad suam malitiam trahit, qui maxime per terram designantur, ut dictum est. Et quod per terram homines terreni designentur, satis aperte ostenditur per hoc quod Dominus Iob, quamvis in terra habitantem, a terra tamen segregare videtur, nam cum Satan dixisset, Circuivi terram, et perambulavi eam, subiungitur, *Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis etc.* Frustra enim quaesitum videretur, an Iob considerasset, qui terram circuisse et perambulasse se asserebat, nisi servum suum Iob praeter terram esse intelligeret : et maxime ostendit, in quo a terra segregetur, in hoc quod dicit, *Servum meum Iob.* Homo enim quasi medius constitutus est inter Deum et res terrenas : nam mente inhaeret Deo, carne autem rebus terrenis coniungitur. Omne autem medium duorum eo magis ab uno extremo recedit, quo magis alteri appropinquat. Homo igitur quanto magis Deo inhaeret, tanto remotior est a ter-

ra ; hoc autem est , servum Dei esse , quod mente Deo inhaerere , nam servus est , qui non sui causa est: ille autem, quia mente Deo inhaeret, seipsum in Deum ordinat ut servus amoris , non timoris. Et notandum est, quod affectiones terrenae aliquo modo a remotis imitantur spirituales affectus , quibus mens Deo coniungitur; sed ad eorum similitudinem nullo modo pervenire possunt. Nam et amor terrenus ab amore Dei deficit , et per consequens omnis affectio : nam cuiuslibet affectionis amor est principium. Unde convenienter postquam dixerat, *Nunquid considerasti servum meum Iob* , subdit , *Quod non sit similis ei in terra :* quia nihil in terrenis spiritualibus aequari potest ; quamvis et possit aliter intelligi. Nam in unoquoque sancto est aliqua virtutis praeeminentia, quantum ad aliquem spiritualem usum : propter quod de singulis confessoribus in Ecclesia canitur, *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi;* nisi quod in Christo omnia secundum perfectissimam excellentiam fuerunt: et secundum hunc modum intelligi potest, quod nullus in terra habitantium similis erat Iob, inquantum Iob praeeminebat quantum ad aliquem usum virtutis. In quo autem Iob fuerit servus Dei, et nullus ei similis in terra fuerit , ostendit, cum subdit: *Homo simplex, et rectus, ac timens Deum , et recedens a malo:* quae quia superius exposita sunt, ad praesens dimittantur. Considerandum autem, quod Dominus iustorum vitam non solum ad eorum bonum ordinat , sed etiam aliis eam conspicuam reddit, sed conspicientes eam, non similiter afficiuntur ad ipsam: nam boni eam pro exemplo habentes, ex ipsa proficiunt; mali vero si non corriguntur ex ea, ut eius exemplo boni fiant, ex sanctorum vita inespecta deficiunt , dum vel per invidiam torquentur , vel falsis iudiciis eam pervertere conantur, secundum illud Apostoli *2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo , et in iis qui salvi sunt, et iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis , in mortem, aliis autem odor vitae, in vitam.* Sic igitur Deus vitam sanctorum non solum ab electis considerari vult ad profectum salutis , sed etiam ab iniquis ad cumulum damnationis: quia ex vita sanctorum condemnabilis ostenditur perversitas impiorum, secundum illud quod dicitur *Sap. 4. Condemnat iustus mortuus vivos impios ;* et ideo Dominus ad Satan dicit: *Nunquid considerasti servum meum Iob* ? quasi diceret , terram quidem circuis , et perambulas , sed servum meum Iob solum considerare potes, et eius virtutem imitari. Solet autem perversorum hominum , quorum princeps est Satan, et eorum hic personam gerit, talis esse consuetudo, ut cum sanctorum vitam reprehendere non possunt, non ex recta intentione eos agere calumnientur, secundum illud *Eccl. 11. Bona in mala convertens insidiatur , et in electis imponit maculam ;* et hoc apparet ex hoc quod subditur : *Cui respondens Satan ait: Nunquid frustra Iob timet Deum?* quasi dicat, negare non possum quin bona faciat; sed hoc non agit recta intentione propter amorem et honestatem, sed propter temporalia, quae a te consecutus est; et ideo dicit: *Nunquid frustra Iob timet Deum?* Illud enim frustra facere dicimur, ex quo id quod intendimus, assequi non possumus. Iob autem tibi servit propter temporalia, quae a te assecutus est, unde non frustra, quod tibi serviendo, te timeat. Et quod temporalem prosperitatem consecutus sit , ostendit quantum ad duo , primo quantum ad immunitatem malorum , quia scilicet praeservatus erat a Deo ab omni adversitate: et hoc est quod dicit? *Nonne tu vallasti*, idest protexisti, sicut protegit vallum, aut murus: *Eum*, quantum ad suam personam : *Ac domum eius*, quantum ad eius prolem et familiam : *Universamque substantiam eius*, quantum ad possessiones eius, et addit; *Per circuitum*, ut perfecta immunitas ostendatur: quia illud quod per circuitum vallatur, ex nulla parte potest pati insultum. Secundo ostendit eius prosperitatem quantum ad multiplicationem bonorum : et hoc est quod dicitur, *Operibus manuum eius benedixisti.* Et quia cum Deus dicendo omnia faciat , benedicere Dei est bonitatem rei dare. Tunc ergo Deus alicuius operibus benedicit, quando ea ad bonum producit, ut finem debitum consequantur: et quia quaedam bona proveniunt homini absque suo opere et intentione, propter hoc addit , *Et possessio eius crevit in terra.* Sic igitur Satan calumniatur facta beati Iob, quasi ea ageret ex intentione prosperitatis terrenae: unde manifestum est, quod ea bona quae agimus, non referuntur ad prosperitatem terrenam quasi ad praemium : alias non esset perversa intentio, si quis propter prosperitatem temporalem Deo serviret: et similiter e converso, adversitas temporalis non est propria poena peccatorum; de quo fere in toto libro quaestio erit. Vult autem ostendere Satan per suum responsum , quod propter prosperitatem terrenam quam consecutus erat Iob, Deo servierat; per oppositum , si enim cessante prosperitate terrena , Iob Dominum timere desineret , manifestum fieret , quod propter prosperitatem terrenam qua fruebatur , Deum timebat ; et ideo subdit, *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet* , scilicet ea auferendo: *Nisi in faciem benedixerit tibi* , idest manifeste maledixerit; supple malum mihi accidat. Et notandum, quod ex magna adversitate etiam nec iustorum corda interdum commoventur ; sed simulate iusti ex modica adversitate turbantur, velut nullam virtutis radicem habentes. Vult ergo Satan per hoc innuere, quod Iob non vere iustus erat, sed simulate; et ideo dicit quod si paululum adversitate tangeretur, murmuraret contra Deum, quod est Deum blasphemare: quod signanter dicit, *Nisi in faciem benedixerit tibi* , ut significet , quia etiam in prosperitate in corde suo Deum quodammodo blasphemabat , dum eius amori temporalia proponebat. Sed prosperitate sublata, etiam in facie blasphemare , idest manifeste. Potest et aliter intelligi hoc quod dicit, *Nisi in faciem benedixerit*, ut benedictio proprie sumatur: et sit sensus, si tu paululum eum tangas , prosperitatem terrenam scilicet auferendo , hoc mihi accidat, nisi manifestum fiat , quod antea benedixerit tibi, non in vero corde , sed in facie, idest ad apparentiam hominum. Et quia sicut dictum est, Dominus sanctorum virtutem vult omnibus esse notam, et bonis, et malis ; placuit sibi , ut sicut bona facta eius omnes conspexerunt , ita et recta eius intentio omnibus fieret manifesta : et ideo voluit Iob prosperitate terrena privare, ut eo in Dei timore perseverante, manifestum fieret, quod ex recta intentione, et non propter temporalia Dominum timebat. Sed sciendum est, quod Deus malos punit, et per bonos angelos, et per

malos, sed bonis nunquam adversitatem inducit nisi per malos; ideo super beatum Iob adversitatem non nisi per Satan induci voluit; et propter hoc subditur: *Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quae habet, in manu tua sunt*, idest potentiae vel potestati tuae trado, *tantum in eum ne extendas manum tuam:* ex quo manifeste datur intelligi, quod iustis viris Satan non quantum vult, sed quantum permittitur, nocere potest. Considerandum etiam est, quod Dominus non praecepit Satan ut Iob offenderet, sed solum ei potestatem dedit, quia voluntas nocendi inest cuilibet malo ex se ipso, sed potestas non nisi a Deo. Patet igitur ex praedictis, hanc fuisse causam adversitatis beati Iob, ut eius virtus omnibus fieret manifesta: unde et de Tobia dicitur, quod ideo Dominus ei tentationem evenire permisit, ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob. Cavendum est autem, ne credatur Dominum ex verbis Satan inductum esse ad permittendum Iob affligi; sed aeterna dispositione hoc ordinavit, ad manifestandam scilicet virtutem Iob contra omnes calumnias impiorum: et ideo praemittitur calumnia, et subsequitur divina permissio.

## LECTIO III.

Egressusque est Satan a facie Domini. Cum autem quadam die filii et filiae eius comederent, et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob qui diceret: Boves arabant, et asinae pascebantur iuxta eos: et irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio; et evasi ego solus, ut nunciarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit de coelo, et tactas oves puerosque consumpsit; et effugi ego solus, ut nunciarem tibi. Sed adhuc illo loquente, venit alius, et dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos; necnon et pueros percusserunt gladio; et effugi ego solus, ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit, Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt; et effugi ego solus, ut nunciarem tibi.

## LECTIO III.

Posita causa adversitatis beati Iob, consequenter ostenditur qualiter ei huiusmodi adversitas supervenit. Et quia tota hic adversitas inducta est per Satan, ideo de ipso dicitur primo, *Egressus est a facie Domini;* quasi dicat, ad utendum potestate sibi permissa; et signanter dicitur, quod egressus est a facie Domini: nam Satan, secundum quod potestas ei permittitur nocendi alicui, coram facie Domini est, quia ex rationabili Dei voluntate hoc accidit; dum autem exequitur permissam sibi potestatem, a facie Domini exit: quia ab intentione permittentis recedit: quod quidem in proposito apparet: permissum enim fuit a Deo, ut posset nocere Iob, ad manifestandam eius virtutem; sed Satan non propter hoc eum afflixit, sed ut eum ad impatientiam, et blasphemiam provocaret. Similiter autem in hoc apparet manifeste verum esse quod supra diximus, Satan affuisse inter filios Dei coram eo assistentes; secundum quod assistere dicuntur Deo aliqui, prout divino scilicet iudicio et examini subduntur: non secundum quod assistere Deo dicuntur, qui Deum vident: unde et hic non dicitur quod Satan abiecerit a facie sua Deum, sed quod egressus est a facie Domini, quasi ab intentione providentiae eius recedens, ordinationem providentiae effugere non valens. Considerandum est autem, quod in adversitate enarranda ordo contrarius observatur ordini, quo fuerat prosperitas enarrata: nam in prosperitate enarrata, a maioribus ad minora processit, incipiens a persona ipsius Iob: et post hoc posuit prolem: deinde animalia, et primo oves, et deinceps alia; et hoc rationabiliter: quia perpetuitas quae in persona salvari non potest, quaeritur in prole, ad cuius sustentationem possessionibus indigetur. In adversitate autem proponitur e converso. Nam primo narratur amissio substantiae, secundo oppressio prolis, tertio afflictio propriae personae: et hoc ad adversitatis augmentum: nam ille, qui maiori adversitate oppressus est, minorem non sentit, sed post minorem sentitur maior: et ideo ut a singulis adversitatibus Iob propriam afflictionem sentiret, et sic magis ad impatientiam commoveretur, incepit Satan a minore adversitate Iob affligere, et paulatim processit ad maiora. Considerandum etiam est, quod ab iis quae subito superveniunt hominibus, alius magis commovetur, nam praecogitata adversa facilius tolerantur; et ideo ut Iob magis commoveretur in tempore maxime iucunditatis, quando minus de adversitate cogitari poterat, ei Satan adversitatem induxit, ut etiam ex ipsa praesenti iucunditate adversitas gravior appareret, nam propria iuxta se posita magis elucescunt: et ideo dicitur, *Cum autem quadam die filii et filiae comederent, et biberent vinum*, quod specialiter ponitur ad iucunditatis indicium, secundum illud *Eccle. 31. Vinum in iucunditate creatum est, non in ebrietate ab initio. In domo fratris sui primogeniti*, quod etiam ad maiorem solemnitatem ponitur: probabile enim est quod in domo primogeniti solemne convivium celebraretur. *Nuncius venit ad Iob qui diceret, Boves arabant*, ut ex memoria fructus damnum intolerabilius videretur: *Et asinae pascebantur iuxta eos:* quod etiam ponitur ad augmentum doloris, dum consideraret, quod eo tempore supervenerunt, quo plura simul possent rapere: *Et irruerunt Sabaei*, hostes a remotis venientes, a quibus non de facili recuperari possent, quae rapuissent: *Tulerunt omnia*, ne, si aliqua reliquissent, ea saltem sufficerent ad necessarium usum, et ad propaginem: *Et pueros percusserunt gladio*, quod viro iusto gravius fuit: *Et evasi ego solus, ut nunciarem tibi*, quasi dicat: Ideo hoc venit divina dispensatione, ut ego solus evaderem, ut posses habere nuncium tanti damni, quod Deus te dolore affligere intendit. Hac autem adversitate nunciata, statim altera nunciatur, ne, si aliquod intervallum fieret, intus ad cor suum rediret,

et se ad patientiam praepararet, et sequentia facilius sustineret : et propter hoc subditur : *Cumque adhuc loqueretur ille, venit alius, et dixit, Ignis Dei*, idest a Deo missus, *descendit de coelo*, ut eius menti imprimeret, quod non solum ab hominibus , sed etiam a Deo persecutionem pateretur, et sic facilius contra Deum provocaretur : *Et tactas oves puerosque consumpsit* , quasi divinitus hoc procreatum sit , ut statim ad tactum ignis omnia consummarentur : quod est contra naturalem virtutem ignis : *Et effugi ego solus, ut nunciarem tibi.* Sequitur: *Sed adhuc illo loquente, venit alius, et dixit , Chaldaei* , supple , qui erant feroces, et potentes : unde ad eorum potentiam ostendendam subditur, *Fecerunt tres turmas* , ut sic vindicta sperari non possit, nec recuperatio damni: de quo damno subditur : *Et invaserunt camelos* etc. Sequitur de oppressione prolis : *Adhuc loquebatur ille , et ecce alius intravit, et dixit, Filii tui, et filiae bibebant vinum in domo fratris sui* , ut ex hoc eius mens tristior foret, quo Iob poterat dubitare , eos in statu alicuius peccati fuisse morte praeventos , nam propterea ipse sanctificabat, et holocausta per singulos dies offerebat, quia timebat ne in conviviis aliquod peccatum incurrissent; et ne forte posset credi, quod poenituerint, et animae suae providerint , subditur, *Repente venit ventus vehemens , et irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus* , quod dicitur ad ostendendam vehementiam venti : et propter consuetudinem, totam domum subvertit simul: et ut per hoc ostendatur ex divina voluntate processisse : et sic facilius contra Deum moveretur , dum affligebatur ab eo, cui devota mente servierat : et ad maiorem doloris cumulum subditur damnum interemptae prolis, cum dicitur : *Quae corruens oppressit liberos tuos , et mortui sunt omnes* , ne saltem in aliquo evadente ex liberis, posteritatis spes remaneret, et hoc eo magis credebatur dolorosum , quo liberis omnibus interemptis, aliquis famulorum evadere potuit ad concitandum dolorem, nam sequitur: *Et evasi ego solus, ut nunciarem tibi.* Considerandum est, quod cum omnis praedicta adversitas sit per Satan inducta, necesse est confiteri, quod Deo permittente, daemones possunt turbationem aeris inducere, ventos concitare , et facere ut ignis de coelo cadat ; quamvis enim materia corporalis non obediat ad nutum angelis , nec bonis, neque malis, ad susceptionem formarum, sed soli creatori Deo, tamen ad motum localem natura corporea nata est spiritali naturae obedire, cuius indicium in homine apparet , nam ad solum imperium voluntatis moventur membra, ut affectum voluntate dispositum prosequantur. Quaecunque ergo solo motu locali fieri possunt, hoc per naturalem virtutem non solum spiritus boni, sed etiam mali facere possunt, nisi divinitus prohibeantur; venti autem, et pluviae, et aliae huiusmodi aeris perturbationes ex solo motu vaporum resolutorum ex terra et aqua fieri possunt. Unde ad huiusmodi procuranda naturalis virtus daemonis sufficit; sed interdum ab hoc divina virtute prohibentur, ut non liceat eis facere omne , quod naturaliter possunt. Non est autem contrarium quod dicitur *Hier. 1. Nunquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant? aut coeli possunt dare imbres nisi volueris.* Aliud est enim naturali cursu pluere, quod soli Deo convenit, qui causas naturales ad hoc ordinavit; aliud artificialiter uti aliquo ad pluviam, vel ventum, interdum quasi extraordinarie producendum.

## LECTIO IV.

Tunc surrexit Iob , et scidit vestimenta sua : et tonso capite, corruens in terram, adoravit, et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc ; Dominus dedit , Dominus abstulit , sicut Domino placuit , ita factum est, sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

## LECTIO IV.

Enumerata adversitate beati Iob , agit hic de patientia, quam in adversitate monstravit. Sciendum autem est, ad evidentiam eorum, quae hic dicuntur, quod circa corporalia bona, et circa animi passiones , antiquorum Philosophorum diversa opinio fuit. Nam Stoici dixerunt, bona exteriora nulla bona hominis esse , et quod pro eorum amissione nulla tristitia in animo sapientis poterat inesse. Peripateticorum vero sententia fuit, quod bona exteriora sunt quidem aliqua hominis bona, non quidem principalia, sed quasi instrumentaliter ordinata ad principale hominis bonum, quod est bonum mentis, et propter hoc sapientem in amissionibus exteriorum bonorum moderate contristari concedebant, ita scilicet quod per tristitiam ratio non absorbeatur, ut a rectitudine declinaret; et haec sententia verior est , et ecclesiasticae doctrinae concordat , ut patet per Augustinum *in li. de civ. Dei.* Hanc igitur sententiam Iob secutus, tristitiam quidem in adversitate monstravit, tamen sic moderatam, ut rationi subiecta esset ; et ideo dicitur, *Tunc surrexit Iob, et scidit vestimenta sua :* quod apud homines solet esse tristitiae indicium. Notandum vero est, quod dicit , *Tunc* , scilicet post mortem filiorum auditam , ut de eis magis quam de amissione rerum doluisse videatur : de amicis enim mortuis non dolere, duri , et non sensibilis cordis videtur, sed virtuosi est hunc dolorem moderatum habere, secundum illud Apostoli *Thess. 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus , ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent.* Unde haec in beato Iob fuit: unde et status mentis eius per actum exteriorem aperuit: quia enim ratio stetit, congruenter dicitur, quod Iob surrexit, quamvis homines dolentes magis soleant prosterni, quia tristitiam patiebatur, sed non penetrantem usque ad intima rationis : tristitiae signum ostendit quantum ad duo, scilicet quantum ad ea , quae sunt extra naturam corporis; unde dicitur, *Et scidit vestimenta sua:* et quantum ad ea quae de natura corporis procedunt ; unde dicitur, *Et tonso capite,* quod apud eos, qui comam nutriunt, solet esse doloris indicium: unde haec duo signa tristitiae convenienter praemissis adversitatibus respondent: nam scissio tunicae respondet amissioni rerum , tonsio capitis amissioni filiorum. Tunc autem mens recta stat, quando humiliter Deo subiicitur: unumquodque enim in tanto maiori nobilitatis altitudi-

ne consistit, quanto magis suae perfectioni substat: sicut aer dum subditur luci, et dum subditur materiali formae. Quod ergo mens beati Iob per tristitiam deiecta non erat, sed in sui rectitudine existens, manifestatur per hoc, quod Deo humiliter se subdidit: nam sequitur: *Corruens in terram adoravit*, ad humilitatis et devotionis indicium demostrandum: et non solum factis statum suae mentis declaravit, sed etiam verbis: rationabiliter enim demonstravit, etsi tristitiam pateretur, se tristitiae non debere succumbere, primo quidem ex conditione naturae; unde dicitur: *Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae*, quae est communis mater omnium: *Nudus revertar illuc*, idest in terram; et secundum hunc modum dicitur *Eccl. 2. Occupatio magna creata est hominibus, et iugum grave super filios Adam, a die exitus de utero matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium.* Potest et aliter intelligi, ut quod dicitur de utero matris meae, accipiatur ad literam, de utero mulieris, quae genuit eum; quod autem dicitur, *Nudus revertar illuc*, intelligitur quod haec dictio illuc facit simplicem relationem: non enim aliquis iterato in ventrem matris revertitur, sed revertitur in illum statum, quem habuit in utero matris, quantum ad aliquid, scilicet quantum ad hoc, quod est alienum esse a conversatione humana. Hoc ergo dicens, rationabiliter ostenditur quod propter amissionem rerum, et exteriorum bonorum, non debet homo tristitia absorberi: quia exteriora bona non sunt ei connaturalia, sed accidentaliter adveniunt: quod ex hoc patet, quod homo sine eis in hoc mundo venit, et sine eis recedit: unde accidentalibus bonis sublatis, si substantiale maneat, non debet homo tristitia obrui, etsi eum tristitia tangat. Secundo ostendit idem ex divina operatione, scilicet quod tristitiae homo non debet succumbere, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Ubi primo consideranda est vera eius sententia de providentia divina circa res humanas: in hoc enim quod dixit, *Dominus dedit*, confessus est prosperitatem mundanam hominibus advenire, non causaliter, nec ex fato stellarum, nec solo humano studio, sed ex dispositione, et dispensatione divina; in hoc vero quod dicit, *Dominus abstulit*, confitetur etiam adversitates in hominibus divinae providentiae iudicio provenire. Hic autem innuit quod non habet homo iustam querelam de Deo, si temporalibus bonis spolietur: quia qui gratis dedit, potuit vel usque ad finem, vel usque ad tempus largiri: unde cum ante finem homini temporalia aufert Deus, homo conqueri non potest. Tertio ostendit idem ex beneplacito divinae voluntatis dicens: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Est autem amicorum idem velle, et nolle: unde si ex beneplacito divinae providentiae procedit, quod aliquis bonis temporalibus spolietur, si Deum amat, debet voluntatem suam divinae voluntati conformare, ut hac consideratione tristitia non absorbeatur. Hic ergo tres rationes debito ordine ponuntur: nam in prima ratione ponitur, quod bona temporalia sunt homini extranea: in secunda, quod a Deo homini dantur, et auferuntur; in tertia, quod hoc accidit secundum beneplacitum divinae voluntatis: unde ex prima ratione concluditur, quod homo propter amissionem temporalium bonorum non debet tristitia absorberi: ex secunda, quod nec etiam potest conqueri: ex tertia, quod etiam debet gaudere: non enim esset placitum Deo, quod aliquis adversitatem pateretur, nisi propter aliud inde proveniens bonum: unde adversitas, licet ipsa ex se amara sit, et tristitiam generet, tamen ex consideratione utilitatis, propter quam Deo placet, debet esse iucunda: sicut et de Apostolis dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes* etc. Nam et de sumptione medicinae amarae aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis, licet sensu turbetur. Et quia gaudium est materia gratiarum actionis; ideo hanc tertiam rationem in gratiarum actionem concludit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Unde dicitur quidem nomen Domini ab hominibus benedicendum, inquantum de eius bonitate notitiam habent: quod scilicet omnia bene dispenset, et nihil agat iniuste. Sic ergo concluditur innocentia Iob, cum dicitur, *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*, ut scilicet per verba impatientiae motum exprimeret: *Neque stultum quidquam contra Deum locutus est c. 1.* ut supra de divina providentia blasphemaret: stultitia enim sapientiae opponitur, quae proprie est divinorum.

# CAPITIS SECUNDI

## LECTIO PRIMA.

Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad Satan; Unde venis, qui respondens ait; Circuivi terram, et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan; Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, et cuncta, quae habet homo, dabit pro anima sua, alioquin mitte manum tuam, et tange os eius, et carnem; et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan; Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva.

## LECTIO PRIMA.

Cum triplex sit hominis bonum, scilicet animae, corporis, et exteriorum rerum: hoc modo ad invicem ordinantur, ut corpus sit propter animam, res vero exteriores et propter corporis et propter animam. Sicut ergo est perversa intentio, si quis bona animae ordinet ad corporis salutem: et quidem quod Iob in actibus virtutum abundavit, quae sunt animae bona, sensibiliter cunctis poterat esse manifestum. Unde et Dominus ad Satan supra dixerat, *Nunquid considerasti servum meum Iob* etc. sed Satan calumniam inferebat, quasi Iob actibus virtutum intenderet propter temporalia bona; sicut et mali homines, quorum Satan princeps est, experimento sui iudicant de inten-

tione iustorum ; sed haec calumnia repulsa erat per hoc, quod post exteriorum bonorum amissionem, adhuc in virtute stabilis permanebat : ex quo sufficienter est ostensum, quod eius intentio non erat ad exteriora bona obligata. Restat ergo ostendere ad perfectam demonstrationem virtutis Iob, quod nec etiam ad salutem proprii corporis incurvata erat eius intentio: et ideo rursus inducit divinum iudicium, quo hoc manifestatur; hoc est quod dicitur, *Factum est autem cum quadam die venissent filii Dei, et assisterent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu eius, ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis?* Quibus verbis supra expositis diutius immorandum non est: nisi quod hoc notandum est, quod propter aliquod factum alia dies hic inducitur, sicut in principio *Gen.* secundum diversa rerum genera, quae creabantur, diversi dies describuntur. Quid autem Satan examinatus respondit, ostenditur consequenter cum dicitur: *Qui respondens ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.* Et hoc ut supra. Et rursus Dominus virtutem Iob ei quasi conspicuam proponit, ut supra; unde sequitur : *Et dixit Dominus ad Satan, Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non est illi similis in terra, vir simplex, et rectus, et timens Deum, ac recedens a malo?* Sed quia iam quaedam virtus beati Iob manifesta erat, quae prius manifesta non fuerat, scilicet constantia in adversis: et ideo nunc addit, *Et adhuc*, scilicet post amissionem temporalium bonorum : *Retinens innocentiam.* Ex quo ulterius Dominus ostendit suspicionem Satan fuisse calumniosam, et intentionem frustratam; unde sequitur: *Tu autem commovisti me adversus eum.* Non est intelligendum quod Deus ab aliquo provocetur ad volendum quod prius nolebat, sicut est apud homines consuetum : dicitur enim *Num. 23. Non est Deus ut homo ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur.* Sed loquitur hic Scriptura de eo figuraliter more humano : homines enim quando aliquod facere volunt propter aliquem, ab illo moveri dicuntur. Deus autem vult quidem facere sicut et facit hic, propter illud tamen absque omni mentis commotione, quia ab aeterno in mente habuit id quod factum est. Disposuerat ergo Dominus ab aeterno Iob temporaliter affligere ad demonstrandum virtutem eius, ut omnis malignorum excluderetur calumnia; unde signandum hic dicitur, *Tu autem commovisti me adversus eum;* quod autem dicitur, *Ut affligerem eum frustra*, intelligendum quantum ad intentionem Satan, non quantum ad intentionem Dei: expetierat enim Satan adversitatem Iob, intendens ex hoc eum in impatientiam et blasphemiam deducere, quod consecutus non erat. Deus autem hoc permisit, ad declarandam virtutem eius; quod et factum erat. Sic ergo frustra afflictus est Iob, quantum ad intentionem Satan, non quantum ad intentionem Dei. Repulsus autem Satan non quiescit, sed adhuc calumniam inserit, ostendere volens quod omnia bona, quae Iob fecerat, et etiam hoc ipsum, quod patienter adversa toleraverat, non pro amore Dei fecerat, sed pro sui corporis salute; unde sequitur : *Cui respondens Satan ait, pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo dabit pro anima sua.* Considerandum est autem, quod Iob afflictus fuerat, scilicet in amissione possessionum, et etiam in amissione natorum. Intendit igitur Satan dicere quod utramque afflictionem Iob patienter toleraverat propter corporis sui salutem, et quod hoc non erat magnae virtutis, sed erat humanum et apud homines consuetum : et hoc est quod dicitur, *Homo :* quasi quicunque etiam non virtuosus dabit de facili, *Pellem pro pelle*, idest carnem alienam pro carne sua : sustinet enim homo non virtuosus, ut quicunque alii, etiam quantumcunque coniuncti, potius corpore affligantur quam ipse : et similiter homo quicunque dabit cuncta exteriora, quae possidet, *Pro anima sua*, idest pro vita sua conservanda. Exteriora enim bona ad conservationem vitae quaeruntur ut sint in subsidium victus, et vestitus, et aliorum huiusmodi, quibus vita hominis commode conservetur. Et quia posset aliquis dicere ad Satan, unde potest probari, quod amissionem natorum et possessionum patienter tulerit, timens damnum pellis suae, et vitae suae? quasi huic quaestioni respondens subdidit, *Alioquin*, idest si simplici verbo non credatur, *Mitte manum tuam*, idest exerce virtutem tuam ; *et tange os eius et carnem*, idest affligas eum in corpore, non solum in superficie, quod significatur per tactum carnis, sed etiam in profundum, quod significatur per tactum ossis : ut scilicet tactus usque ad intima perveniat. *Et tunc videbis*, idest manifeste ab omnibus conspici poterit, *Quod in faciem benedicat tibi*, quod exponendum est ut supra. Voluit igitur Dominus ostendere, quod Iob Deo non servierat propter corporis salutem, sicut supra ostenderat, quod ei non servivit propter exteriora bona ; unde subditur: *Dixit ergo Dominus ad Satan, ecce in manu tua*, idest potestatem tibi trado eum in corpore affligendi: *Veruntamen animam illius serva*, idest vitam ne ei auferas. Non enim totaliter Deus servos suos voluntati Satan exponit, sed secundum mensuram convenientem, secundum illud Apostoli *1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis.*

## LECTIO II.

Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Iob labiis suis. Igitur audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldath Suites, et Sophar Naamathites: condixerant enim ut pariter venientes, visitarent eum, et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum; et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in coelum ; et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus : et nemo loquebatur ei verbum ; videbant enim dolorem esse vehementem.

## LECTIO II.

Accepta potestate Satan, ad eius executionem procedit; unde dicitur : *Egressus igitur Satan a facie Domini , percussit Iob :* percussit quidem eum turpi et abominabili ulcere, incurabili, et doloroso; unde dicitur, *Pessimo*, et ultra: *A planta pedis usque ad verticem eius.* Solent autem aegrotantium afflictiones remediis exterius adhibitis, et deliciis alleviari; sed Iob sic alleviatus non fuit : sequitur enim, *Qui testa saniem radebat.* In quo ostenditur , quod lenitiva medicamenta , et delicata ei non adhibebantur. *Sedens in sterquilinio.* Ex quo ostendit quod non recreabatur nec loci amoenitate, nec stragulorum mollitie, nec alicuius odoris oblectione , sed magis contrariis utebatur. Poterat autem hoc duplici ex causa contingere : vel quia percussus a Domino ipse etiam se magis sponte affligebat, et humiliabat, ut misericordiam facilius obtineret: vel quia cuncta, quae habebat , amiserat , unde non poterat sibi convenientia remedia exhibere: et hoc satis probabile est ex hoc, quod supra Dominus dixit. Solent etiam afflictiones hominum verbis consolatoriis relevari ; sed afflictio Iob verba exasperantia dicuntur, tanto magis provocantia, quanto a persona magis coniuncta proferuntur: sequitur enim, *Dixit autem illi uxor sua* , quam solam diabolus reliquerat ad occidendum, ut per eam viri iusti mentem pulsaret, qui per feminam primum hominem deiecerat. Haec autem primo in verba impatientiae irruit dicens, *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* quasi dicat, Saltem post tot flagella cognoscere debes, quod inutile tibi fuit simplicitatem servare: sicut etiam in quorundam persona dicitur *Malach. 3. Vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum erit nobis, quia custodivimus praecepta eius?* Secundo procedit ad verba perversae suggestionis dicens, *Benedic Deo*, idest maledic; quasi dicat, Ex quo tibi benedicenti Deo adversitas supervenit , maledic Deo, ut prosperitate potiaris. Ultimo prorumpit in verba desperationis dicens , *Et morere;* quasi dicat, Pro mortuo te habe: quia nihil tibi residuum est in simplicitate remanenti , nisi ut moriaris. Vel aliter , *Benedic Deo , et morere* , idest ex quo post tantam Dei reverentiam sic adversitate afflictus es , si adhuc Deo benedicas, nihil restat nisi ut mortem expectes. Sanctus autem vir, qui sua incommoda patienter tulerat, ait : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es :* recte eam stultitiae arguit, quia contra divinam sapientiam loquebatur. Quod autem stulte locuta fuerit , ostendit dicens : *Si bona suscepimus de manu Domini , mala quare non sustineamus?* In quo perfectam hominis sapientiam docet. Cum enim temporalia bona, et corporalia non sint amanda, nisi propter spiritalia, et aeterna; istis salvatis, quasi principalioribus, non debet homo deiici , si illis privetur ; nec elevari, si eis abundet. Docet ergo nos Iob tantam animi constantiam habere , ut bonis temporalibus, si nobis a Deo dentur, sic utamur , ut ex hoc in superbiam non elevemur, et contraria mala sic sustineamus, ut ex eis noster animus non deiiciatur, secundum illud Apostoli *ad Philip. ult. Scio humiliari, scio et abundare:* et post subdit: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Deinde concluditur perseverans in innocentia Iob, cum dicitur , *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.* Non solum per uxorem diabolus mentem beati Iob exasperare nitebatur, sed etiam per amicos ; qui quamvis ad solandum venirent, tamen ad verba increpationis processerunt, de quibus dicitur , *Igitur audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, Baldath Suites, et Sophar Naamathites.* Et quia inter hos fere versatur tota disputatio huius libri, considerandum est, quod hi tres in aliquo eiusdem opinionis erant cum Iob : unde amici eius dicuntur, et in aliquo ab eo differebant inter se invicem concordantes. Unde ergo invicem connumerantur, et a Iob discernuntur? conveniebant enim cum Iob, quod non solum res naturales, sed et etiam humanae divinae providentiae subiacerent ; sed differebant ab eo, quod putabant hominem pro bonis, quae agit, remunerari a Deo prosperitate temporali , quasi temporalia bona sint proemia virtutum, et temporalia mala sint propriae poenae peccatorum. Hanc autem opinionem quilibet eorum propriis modis defendere nititur, secundum quod sibi proprium ingenium suggerebat, propter quod dicuntur venisse singuli de loco suo. Iob autem huius opinionis non erat, sed credebat bona opera hominum ordinari ad remunerationem spiritalem futuram post hanc vitam , et similiter peccata futuris suppliciis esse punienda. Quod autem praedicti amici Iob ad consolandum venerint, ostenditur ex hoc quod sequitur , *Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.* In quo veros amicos se ostenderunt in tribulationibus sibi non deficientes : et primo quidem ipsa visitatio consolatoria erat: nam videre amicum, et eum convenire, delectabilissimum est. Consolantur etiam ipsum factis, compassionis suae ad eum signa ostendendo : pro quibus compassionis signis praemittitur provocamentum ad compassionem cum dicitur , *Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum :* erat enim immutata facies ex ulcere, et habitu, et reliquo cultu , et rerum amissione. Quod autem dicit , *Procul*, intelligendum est secundum eam mensuram , qua homo a remotis potest cognosci. Haec autem immutatio amici eos provocavit ad tristitiam et compassionem quam per signa ostenderunt: sequitur enim, *Et exclamantes*, scilicet prae magnitudine doloris, *ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum;* in signum humilitatis, et deiectionis, se ex deiectione amici deiectos reputantes. Addit autem, *In caelum*, ut quasi hac humiliatione caelestem misericordiam provocarent. Considerandum est autem, quod amicorum compassio consolatoria est: vel quia adversitas quasi onus quoddam levius fertur, quando a pluribus portatur; vel magis , quia omnis tristitia ex admixtione dilectionis alleviatur. Delectabilissimum autem est, experimentum sumere de amicitia alicuius, quod maxime sumitur ex compassione in adversis; et ideo consolationem affert. Non solum autem ex compassione ostensa consolabantur, sed etiam ei societatem exhibendo: sequitur enim, *Et sederunt in terra cum eo septem diebus, et septem noctibus.* Intelligendum tamen est, non continue, sed congruentibus horis indigebat in magna tristitia consolatione diuturna ; sed tertium , quod maxime est consolarium, scilicet verbum, non exhibebant: sequitur

enim, *Et nemo loquebatur ei verbum.* Taciturnitatis autem ostenditur causa, cum dicitur, *Videbant enim dolorem esse vehementem*, quae causa magis redditur secundum consolantium opinionem quam secundum statum afflicti: cum enim mens alicuius fuerit dolore absorpta, consolationis verba non recipit: unde et poeta dicit: Quis natus, nisi mentis inops, in funere nati flere vetat. Iob autem sic erat dispositus, ut prae tristitia consolationem recipere non posset; sed magis ipse secundum rationem consolatur seipsum, ut ex verbis eius supra inductis apparet.

## CAPITIS TERTII

### LECTIO PRIMA.

Post haec aperuit Iob os suum, et maledixit diei suo, et locutus est: Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est, Conceptus est homo: dies ille vertatur in tenebras; non requirat eum Deus desuper: et non illustretur lumine: obscurent eum tenebrae, et umbrae mortis: occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna: maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellae caliginе eius; expectet lucem, et non videat, nec surgentis aurorae, quia non conclusit ostium ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

### LECTIO PRIMA.

Sicut supra dictum est, circa passiones animae duplex fuit antiquorum opinio. Stoici enim dixerunt, tristitiam in sapientem non cadere. Peripatetici vero dixerunt, sapientem quidem tristari, sed in tristitiis secundum rationem moderate se habere: et haec opinio veritati concordat. Ratio enim contradictionem naturae auferre non potest; est autem naturale sensibili naturae, ut de convenientibus delectetur, et gaudeat, et de nocivis doleat, et tristetur. Haec igitur ratio auferri non potest; sed sic moderatur per iustitiam ratio quod a sua rectitudine non divertat: concordat enim haec opinio sacrae Scripturae, quae tristitiam in Christo ponit, in quo est omnis virtus, et sapientiae plenitudo. Sic igitur Iob ex praenarratis adversitatibus tristitiam quidem sensit: alias patientiae virtus in eo locum non haberet; sed propter tristitiam ratio a rectitudine non declinavit, quin post tristitiam dominaretur. Ad hoc igitur ostendendum dicitur, *Post haec aperuit Iob os suum.* Dicit autem *Post haec*, idest post septem taciturnitatis dies. Ex quo manifestum fit, quod verba, quae sequuntur, secundum rationem prolata sunt per tristitiam non perturbatam: si enim perturbatione mentis dicta fuissent, prius ea protulisset, quando vis tristitiae vehementior erat, tristitia enim quaelibet longitudine temporis mitigatur, et in principio magis sentitur: unde propter hoc tacuisse videtur, ne perturbata mente loqui videretur: quod etiam ostenditur per hoc quod dicitur: *Aperuit os suum:* cum enim aliquis loquitur ex impetu passionis, non ipse aperit os suum, sed passione agitur ad loquendum: non enim per passionem nostri actus domini sumus, sed per solam rationem; loquendo autem, tristitiam quam patiebatur, ostendit: consuetum enim est apud sapientes, ut ex ratione loquantur passionum motus, quos sentiunt, et Christus dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, et Apostolus dixit *Rom. 7. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Sicut etiam Boetius in principio de consolatione tristitiam aperuit, ut ostenderet quo modo eam ratione mitigaret: sic etiam Iob loquendo tristitiam suam aperuit; unde sequitur: *Et maledixit diei suo:* quod videtur contra illud Apostoli *Rom. 12. Benedicite, et nolite maledicere.* Sed sciendum est, quod maledicere multipliciter dicitur. Cum enim maledicere nihil aliud sit, quam malum dicere, toties dicitur maledicere, quoties contingit malum dicere. Contingit autem aliquem alicui maledicere, primo declarando malum, quod alicui debetur: et sic sententia iudicis aliquem iudicantis, est causa poenae eius, qui condemnatur. Per hunc modum intelligitur, quod Dominus dixit *Gen. 3. Maledicta sit terra in opere suo.* Secundo, imprecando malum, vel optando, sicut legitur in primo Regum, quod Philistaeus maledixit David in Diis eius. Tertio convenit aliquem dicere malum, simpliciter enunciando, vel in praesenti, vel in praeterito, vel in futuro, sive vere, sive false. Prohibet igitur Apostolus maledicere tali maledictione, qua quis imprecatur malum alicui, vel cum false diffamatur; non autem eo modo, quo iudex reum condemnat, vel aliquis verax malum alicuius rei ordinate demonstrat, vel demonstrando praesens, vel recitando praeteritum, vel permittendo futurum. Sic ergo intelligendum est Iob sic diei maledixisse, quia eum malum esse denunciat, non secundum suam naturam, quia a Deo creatus est, sed secundum illam Scripturae consuetudinem, qua tempus dicitur bonum, vel malum, sed secundum ea, quae in tempore aguntur, secundum illud Apostoli *Eph. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Maledixit igitur Iob diei suo, inquantum mala sibi in ipsa die accidisse commemorat; quod autem maledixerit, subditur: *Et locutus est: Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Sciendum est autem, quod licet esse, et vivere secundum se sit appetibile; tamen esse et vivere in miseria, est fugiendum secundum quod huiusmodi: licet interdum esse in miseria libenter sustineatur propter aliquem finem. Unde ista misera vita, quae non ordinatur ad aliquem finem bonum, nullo modo est eligenda: propter quod Dominus dicit *Matth. 26. Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Bonum autem quod ex aliqua miseria expectatur, sola ratio apprehendit. Vis autem sensitiva non percipit ipsum, sicut amaritudinem medicinae gustus percipit, sed sola ratio in fine sanitatis delectatur. Si quis ergo passionem sui gustus vellet exprimere, denunciaret medicinam esse malam, quamvis ratio iudicaret eam esse bonam propter finem. Sic igitur miseria, quam beatus Iob sustinebat, ratione quidem poterat videri quantum

ad aliquod utilis esse, sed inferior pars animae, quae ex illa tristitia afficiebatur, adversitatem totaliter repudiabat: unde et ipsum vivere sub tali adversitate odiosum ei erat. Quando autem est nobis aliquod odiosum, omnia abominamur, per quae in id devenimus. Et ideo Iob secundum inferiorem partem animae, cuius passionem nunc exprimere intendebat, et nativitatem et conceptionem suam, ex quibus in hanc vitam devenerat, odio habebat, et per consequens diem nativitatis, et noctem conceptionis; secundum illum loquendi modum, quo ex iis, quae in tempore aguntur, aliquid adscribere tempori bonum, vel malum consuevimus. Sic igitur Iob, quia secundum partem sensitivam vitam sub adversitate repudiabat, nunquam natum vel conceptum fuisse optabat: et hoc est quod dicit: *Pereat dies in qua natus sum;* ac si diceret, nunquam natus fuissem: *Et nox in qua dictum est*, idest vere dici potuit, *Conceptus est homo*, idest utinam nunquam conceptus fuissem: et congrue ordinat: quia, nativitate sublata, conceptio non auferetur: sed e converso.

Congruenter etiam nocti conceptionem adscribit, et nativitatem diei: quia secundum astrologos, nativitas diurna est laudabilior principaliori sidere existente super terram, idest sole: *Hierem. 20. Maledicta dies in qua natus sum: et dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.* Posita ergo maledictione diei nativitatis, et nocti conceptionis, prosequitur sigillatim de maledictione utriusque: et primo de maledictione diei nativitatis, dicens: *Dies illa vertatur in tenebras.* Considerandum est autem, quod, sicut Hieronymus dicit in prologo, a verbis Iob, in quibus ait, Pereat dies in qua natus sum, usque ad eum locum ubi ante finem voluminis scriptum est, idcirco ipse me reprehendo, exametri versus sunt, dactylo et spondaeo currentes: et sic patet, quod liber iste per modum poematis conscriptus est: unde per totum hunc librum figuris et coloribus utitur, quibus poetae uti consueverunt. Solent autem poetae, ut vehementius moveant, ad eandem sententiam diversa inducere: unde et hic Iob ad maledicendum diei suae secundum modum, quem diximus, ea inducit, quibus aliquis dies solet esse odiosus. Dignitas autem diei est claritas eius: hoc enim a nocte distinguitur. Hanc igitur dignitatem excludit, dicens: *Dies ille vertatur in tenebras:* quae quidem sententia, quantum ad superficiem literae, frivola videtur, et vana: dies enim nativitatis praeterierat, et etiam non erat; quod autem praeteriit, immutabile est. Quomodo ergo poterat dies, quae praeterierat, in tenebras verti? Sciendum est igitur, quod quaedam per modum optandi dicuntur ad exprimendum desiderium, quod de aliqua re habetur. Sic ergo dicitur: *Dies ille vertatur in tenebras;* ac si diceretur, Dies nativitatis meae debuisset esse tenebrosus, ut congrueret tenebris et miseriae, quam patior: quia enim aspectus luminis delectabilis est, secundum illud *Eccles. 11. Dulce lumen, et delectabile est videre solem;* consuetum est in Scripturis, ut per tenebras tristitia significetur, secundum illud *Eccles. 5. Comedet in tenebris, et in curis multis, et in aerumna, atque tristitia.* Est autem aliquis dies clarus tripliciter, primo quidem ex Dei sanctificatione, qui eum celebrem esse instituit, sicut habetur *Exodi duodecimo: Memento ut diem sabbati sanctifices.* Hanc ergo claritatem a praedicto die removet dicens: *Non requirat eum Dominus desuper;* quasi diceret: Non exigat Deus ab hominibus, ut hunc diem celebrem agant: dies enim aliqui exiguntur a Deo ad celebritatem, propter aliquod insigne beneficium in illa die hominibus collatum, sicut sabbatum in veteri lege, propter beneficium creationis: et dies paschae, propter beneficium liberationis ex Aegypto: et quod etiam manifestum est in diebus festorum, quae in novo testamento celebrantur. Vult ergo per hoc significare, quod sua nativitas non debet computari inter insignia Dei beneficia, cum magis ad miseriam natus esse videatur, quam ad laetitiam. Secundo aliquis dies clarus est ex hominum recordatione: solent enim homines aliquos dies celebres agere, in quibus aliqua magna et iucunda eis contigerunt: sicut Herodes, et Pharao diem nativitatis celebrabant. Hanc igitur claritatem a praedicto die removet dicens, *Et non sit in recordatione*, scilicet hominum: quia nihil iucundum in illa die accidit, sed magis triste, ut ex eventu apparet. Tertio dies clarus est ex corporali lumine: quae quidem claritas minuitur, primo ex subtractione radiorum solis illuminantium terram, ut patet quando sol est eclipsatus; et quantum ad hoc dicitur, *Nec illustretur lumine.* Secundo ex oppositione nubium, vel aliquorum huiusmodi occultantium radios solis; et quantum ad hoc dicit, *Obscurent eum tenebrae.* Tertio ex defectu propriae virtutis: cum enim aliquis moritur, vel visu privatur, quantum ad eum obscuritas diei aufertur; et quantum ad hoc dicit: *Et umbra mortis.* Modum autem obtenebrationis praemissae exponit dupliciter; primo quidem quantum ad ordinem: et hoc est, *Vel occupet eum caligo*: tunc enim dies caligine occupatur, quando diei prius splendenti subito et ex insperato tenebrae inducuntur: simile et in vita Iob apparet. Secundo quantum ad genus tenebrarum, in hoc quod dicit, *Et involvatur amaritudine.* Per hoc datur intelligi, quod totum, quod de obtenebratione dictum est, ad tenebras tristitiae est referendum: hunc enim morem observare videtur ut parabolicam locutionem ex aliquo subsequenti exponat. Per omnia igitur hic dicta, nil aliud dicere intendit, quam quod dies suae nativitatis non debet iudicari dies gaudii, sed maeroris, cum quidem per suam nativitatem ad vitam tantae adversitati subiectam devenerit. Post maledictionem igitur diei suae nativitatis, consequenter maledicit nocti suae conceptionis, secundum similem modum loquendi: et primo attribuit ei illud, unde nox magis horribilis redditur: cum enim nox propter tenebras secundum seipsam horrida sit, quanto magis tenebrae noctis augmentantur, tanto magis horrida redditur: quod contingit, cum aliqua magna tempestas in nocte oboritur; et quantum ad hoc dicit: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat;* quasi dicat, Congruum fuisset noctem illam tenebroso turbine possideri, ut vitae meae congrueret, quae tanto adversitatis turbine involvitur. Deinde removet ab ea illa, quae pertinere videntur ad bonum noctis; et primo quantum ad opinionem humanam: cum enim homines tempora distinguant secundum ea, quae aguntur in tempore, in nocte autem pauca, vel non multa fiant memoria digna; nox non notatur per seipsam in hominum memoriis, nisi ex die

coniuncta. Hoc ergo bonum a nocte praedicta removet dicens: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus;* quasi dicat: Nox illa non est memoria digna, cum nil insigne in ea acciderit, sed magis aliquod dolorosum. Inter noctes autem, quae in memoriis hominum aguntur, quaedam non solum memoriales sunt, sed etiam celebres, et festivae, in quibus scilicet homines ad aliqua festa agenda congregantur; et hoc removet dicens, *Sit nox illa solitaria.* Hoc modo autem hominum congregatio in aliqua nocte fit in laudem, et celebritatem illius noctis, propter aliquod celebre factum, quod in illa nocte recolitur: sicut apud fideles agitur in nocte dominicae resurrectionis: et ideo subdit, *Nec laude digna:* est enim aliqua nox digna laude propter aliquod magnum factum in illa nocte contingens. Ex hoc ergo nihil aliud intendit, quam significare, quod sua conceptio non fuit ad aliquod magnum, nec ad bonum ordinata, sed potius ad malum adversitatis, quam sentiebat: unde subdit, *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan:* quod quidem secundum litteram dupliciter potest exponi, uno modo secundum quod per Leviathan intelligitur aliquis magnus piscis, prout videtur congruere iis, quae in fine huius libri de eo dicuntur, scilicet, *An extrahere,* inquit, *poteris Leviathan hamo;* et secundum hoc intelligendum est, quod illi, qui huiusmodi magnos pisces piscantur, de nocte eos invadunt in tenebris; et ideo, quando dies incipit apparere, maledicunt diei: quia per hoc eorum opus, et intentio impeditur. Alio modo potest intelligi, ut per Leviathan significetur draco antiquus, scilicet diabolus, secundum illud *Isaiae 27. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi et forti super Leviathan serpentem tortuosum.* Illi ergo parati sunt suscitare Leviathan, qui student ad suggestiones diaboli implendas, operibus inquinatis vacando: qui etiam diei maledicunt: quia, ut dicitur *Ioan. 3. omnis qui male agit, odit lucem:* et *Iob 24.* dicitur: *Oculus adulteri observat caliginem:* et infra: *Si subito apparuerit aurora, arbitratur umbra mortis.* Secundum hoc igitur sicut per hoc quod dixerat, *Nec laude digna,* vult praedictam noctem esse odiosam bonis; ita per hoc quod subdit, *Maledicant ei* etc., vult eam esse odiosam malis, nam maledictionem et boni, et mali abhorrent. Deinde excludit a praedicta nocte quae videntur ad bonum noctis pertinere secundum veritatem: quorum unum est, quod nox decoratur aspectu stellarum; et hoc removet dicens, *Obtenebrentur stellae caligine eius;* aliud est, quod decoratur ex specie diei: et hoc removet dicens, *Expectet lucem, et non videat;* quasi dicat: Quamvis naturale sit ut in nocte lux expectetur, illa tamen nox diei habet tenebras infinitas, quae numquam divinae lucis successione terminentur: noctis quidem tenebrae plena luce diei totaliter excluduntur, aurora vero et crepusculo diminuuntur. Imprecatur autem praedictae nocti, non solum ut eius tenebrae non excludantur per diem, sed quod nec minuantur per auroram; unde sequitur, *Nec ortum surgentis aurorae.* Sed quia quod dixerat, impossibile videbatur, ut scilicet nocti non succederet dies, nec aurora, ostendit ex quo supra id dictum est, subdens, *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me:* vita enim hominis in ventre matris abscondita est, unde tenebris noctis comparatur. Cum autem per nativitatem in manifestum prodit, tunc clarae diei similitudinem habet. Ideo ergo dixit, quod nox illa diem, nec auroram succedentem haberet, ut ostenderet se desiderare quod suus conceptus numquam venisset ad partum, nec ad pueritiam, quae per auroram intelligitur: nec ad iuventutem, quae per plenam lucem diei significatur: dicit enim, *Quia non conclusit ostia* etc. Sed quia in nocte hoc agitur, ex ipsa enim conceptione potest praestari impedimentum, ne conceptus ad partum perveniat: et quia hoc videbatur mirabile, quod aliquis vitam abhorreret, dum omnibus desiderabile sit esse, et vivere; ostendit ex qua ratione id dixerit, cum subdidit, *Nec abstulit mala ab oculis meis;* quasi dicat: Non ipsam vitam propter se abhorreo, sed propter mala quae patior: et quanquam vita secundum se desiderabilis sit, non tamen vita miseriis subiecta. Unde considerandum est, quod omnia, quae supra figurative locutus est, hac finali clausula exposuisse videtur: idem etiam in aliis eius dictis advertendum est.

## LECTIO II.

Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solitudines; aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento; aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore, et quondam victi pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. Parvus, et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.

## LECTIO II.

Postquam diei nativitatis, et nocti conceptionis suae maledixerat, ut ostenderet initia suae vitae abhorrere; nunc ostendit se abhorrere suam conservationem in vita, ut ex his manifestius ostenderet, quod vita eius est ei onerosa. Est autem duplex status vitae; unus occultus, quo concepti vivunt in utero; alius manifestus, quo vivunt homines post nativitatem ex utero. Quantum ergo ad primum statum dicit, *Quare non in vulva mortuus sum?* quantum ad secundum, *Egressus ex utero non statim perii?* et de hoc secundo primo prosequitur. Sciendum est autem, quod exterior vita dupliciter perditur, quandoque quidem ex aliquo nocumento supervenienti, vel intrinseco, sicut est morbus: vel extrinseco, sicut est gladius, aut aliud huiusmodi: et ad hoc potest referri quod dixit, *Egressus ex utero non statim perii?* quandoque vero ex subtractione necessarii subsidii, quod quidem est vel extrinsecum, ut vehicula, fomenta, et alia huiusmodi adiumenta; et quantum ad hoc dicit, *Quare exceptus genibus?* vel intrinsecum, sicut est cibus: et quantum ad hoc dicit, *Aut lactatus uberibus?* his enim adminiculis indiget vita nati in sui primordio. Et quia cum

aliquis dicit quare hoc factum est? dat intelligi hoc inutiliter esse factum: ideo consequenter ostendit inutile fore sibi, se fuisse conservatum in vita, immo potius nocumentum: quod quidem ostendit primo quantum ad mala, quae nunc patitur, dicens: *Nunc enim dormiens silerem:* mortem quidem somnum dicit propter spem resurrectionis, de qua postmodum plenius loquitur. Per silentium autem intelligit quietem, quam non habet in adversitatibus, quas patiebatur; quasi dicat: Si statim post ortum mortuus fuissem, his malis, quae patior, non inquietarer. Secundo ostendit quantum ad bona, quae primo habuerat: posset enim aliquis dicere: si in vita conservatus non esses, non habuisses bona, quae dudum habuisti: unde quasi ad hoc respondens ostendit, quod nec propter illa bona vitae conservatio sibi fuisset optanda: nam etiam illi, qui in tota vita sua maximis prosperitatibus florent, hoc fine concluduntur, scilicet mortis. Hoc est ergo quod dicit: *Et somno meo*, idest morte: *Requiescerem*, a vitae inquietudinibus immunis essem, *Cum regibus, et consulibus terrae.* Sciendum est autem, quod eorum, qui in dignitatibus constituti sunt, qui maxime prosperari videntur, intentio est vel ad voluptatibus favendum: et quantum ad hoc dicit: *Qui aedificant sibi solitudines:* ad litteram, causa venationis, vel aliarum voluptatum solitarii esse volentes: vel ad divitias congregandum: et quantum ad hoc dicit: *Aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento;* quasi dicat: Si statim mortuus essem post ortum, vel non minus haberem, quam habeant illi post mortem, qui in multis prosperantur. Considerandum est autem, quod cum quiescere non sit nisi subsistentis; ex his verbis dat intelligere hominem secundum animam post mortem subsistere. Si autem aliquis obiiciat, quod huiusmodi reges, aut principes, de quibus loquitur, forte non quiescunt, sed sunt in profundo inferni, vel etiam quod ipsi Iob in hoc fuit utilis vita, quod sibi meritum acquisivit; advertendum est, quod ut supra diximus, Iob nunc loquitur ex persona sensualis partis exprimens eius affectum, qui non habet locum, nisi ad corporalia, et praesentia bona, vel mala. Sic ergo postquam ostendit sibi desiderandum non fuisse, quod post ortum conservetur, consequenter ostendit sibi desiderandum non fuisse, quod conservatus in utero perveniat ad ortum: vel explicans quod scilicet dixerat, *Quare non in vulva mortuus sum?* Considerandum est autem, quod in vulva aliqui moriuntur ante infusionem animae rationalis, quae sola immortalis est: et quantum ad hoc dicit: *Aut sicut abortivum absconditum:* ab huiusmodi enim abortivis factibus nihil perpetuum remanet. Aliqui vero moriuntur post infusionem animae rationalis: qui quidem post mortem subsistunt secundum animam, sed lucem huius mundi non vident: et quantum ad hoc dicit: *Vel*, supple sicut, *Qui concepti non viderunt lucem*, scilicet vitae praesentis. Et quod hoc fuisset sibi optandum, ostendit per hoc, quod non esset subiectus malis huius vitae; unde dicit, *Ibi*, scilicet in statu, quem habent, *Qui concepti non viderunt lucem: Impii cessaverunt a tumultu*, scilicet quem aliis inferebant, eos affligendo; quod refertur ad immunitatem a malo culpae, *Et ibi*, scilicet in statu mortuorum, *Fessi robore*, idest veri bellatores, qui bella gerendo fatigati sunt, *Requieverunt*, caruerunt huiusmodi labore: quia, ut dictum est, non loquitur nunc, nisi de quiete a malis praesentis vitae. Potest etiam intelligi et de fatigatione in quocunque labore, quem quis patitur sua fortitudine operando: et illi qui fuerunt, *Vincti*, erunt ibi, *Sine molestia*, idest sine priori angustia, *Pariter*, cum eis, qui eos vinctos detinebant: et ibi homines oppressi angariis vel servitutibus, *Non audierunt vocem exactoris*, secundum id quod dicitur *Isaiae 14. Quod cessavit exactor, quievit tributum.* Et quod hoc sit verum, ostendit per hoc, quod subdit, *Parvus et magnus ibi sunt*, supple pariter, quod parvitas et magnitudo est in hac vita secundum inaequalitatem prosperitatis terrenae, qua sublata, remanent secundum natura aequales. Quod ergo dicit, *Parvus, et magnus*, intelligendum est, idest illi qui fuerunt in hac vita differentes secundum magnitudinem terrenae prosperitatis. Sciendum tamen est, quod differentia magnitudinis, et parvitatis secundum spiritualia bona remanet etiam ibi; sed de his nunc non loquitur, ut iam dictum est, *Et ibi erit servus liber a domino suo.* Unde non habebit ibi locum exactor, vel aliquod huiusmodi.

## LECTIO III.

**Quare data est misero lux, et vita iis, qui in amaritudine animae sunt? qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum; gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum. Viro, cuius abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris. Antequam comedam, suspiro: et quasi inundantes aquae, sic rugitus meus, quia timor, quem timebam, evenit mihi, et quod verebar, accidit. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.**

## LECTIO III.

Postquam Iob vitam propriam detestatus fuerat multipliciter, nunc detestatur consequenter totius humani generis vitam, tam ad eos, qui in prosperitate sunt, quam ad eos qui sunt in adversitate, de quibus primo prosequitur a manifestiori incipiens. Sciendum est autem, quod in viventibus duo videntur esse praecipua, scilicet vivere, et cognoscere: et quidem ipsum cognoscere quamvis delectabilissimum sit, et nobilissimum; tamen cognoscere ea, quae hominem affligunt, poenosum est: et ideo dicit: *Quare data est misero lux;* quasi dicat, Ad quid prodest homini in miseriis constituto, quod lucem cognitionis habet, cum per eam consideret, quibus affligitur? vivere autem delectabile est propter animam: quod si anima in amaritudine sit, ipsum prorsus vivere redditur amarum; et ideo dicit: *Et vita iis, qui in amaritudine animae sunt*, resume, *Quare data.* Et quod inutile detur, ostendit hac ratione, quia contrarium eius desideratur a miseris; unde dicitur: *Qui expectant mortem, et non venit*, scilicet tam cito, sicut optant. Et ut ostendat, quod tales expectent mortem non horrentes, sed desiderantes eam, subiungit: *Quasi effodientes thesaurum;* quasi dicat, Magno desiderio attendunt, ut fodiant terram

pro sua sepultura: et quia desiderium, cum completur, gaudium parit, subiungit: *Gaudentque vehementer cum sepulcrum inveniunt*, idest cum vident se pervenire ad mortem, per quam sepulcrum inveniunt. Quidam autem hoc referunt ad eos, qui terram effodiunt, qui gaudent sepulcro invento: quia in sepulcris antiquis consueverunt thesauri inveniri. Sed prima expositio melior est. Et quia posset aliquis dicere quod vita etsi inutiliter detur miseris, utiliter tamen datur iis qui in prosperitate sunt, ad hoc removendum subdit: *Viro, cuius abscondita est via*, supple: *Quare data est lux, et vita:* viri enim via abscondita est, quia nescitur primo, si status praesentis prosperitatis duraverit: dicitur autem *Prover. 14. Risus dolore miscebit, et extrema gaudii luctus occupat:* et *Hiere. 10.* dicitur: *Non est in homine via eius: Eccles. 7. Quid necesse est homini maiora se quaerere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suae?* Quomodo autem sit via hominis abscondita, exponit subdens: *Et circumdedit eum Deus tenebris;* quod quidem multipliciter manifestum est, et quantum ad ea quae sunt ante, et post, secundum illud *Eccles.8.Multiplex hominis afflictio, quia ignorat praeterita, et ventura nullo scire potest nuncio;* et quantum ad ea, quae sunt iuxta, scilicet homines, secundum illud *1. Cor. 2. Quis scit,quae sunt hominis,nisi spiritus hominis qui in ipso est?* et quantum ad ea, quae sunt supra, secundum illud *1. Tim. ult. Lucem habitat inaccessibilem,* scilicet Deus, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* et *in Psal. 17.* dicitur: *Qui posuit tenebras latibulum suum:* et quantum ad ea, quae sunt infra: dicitur enim *Eccl. 1. Cunctae res difficiles: non potest homo eas explicare sermone.* Dicitur autem Deus hominem tenebris circumdedisse, quia Deus ei talem intellectum tribuit, quod praedicta cognoscere non possit. Ostenso ergo quod vita hominum difficilis est propter miseriam, et amaritudinem, haec quae convenienter dixerat, sibi adaptat, exprimens suam amaritudinem, cum dicit: *Antequam comedam, suspiro:* sicut enim gaudii risus signum est, ita suspirium amaritudinis animae. Ostendit ergo ex modo suspirii suae amaritudinis modum. Suspirium ergo eius tempestive incipiebat: dicit enim, *Antequam comedam, suspiro:* et continuum erat, et magnum; unde subdit: *Et quasi inundantes aquae, sic rugitus meus:* sicut enim suspirium moderatae tristitiae signum est, ita rugitus vehementis, et quae vix tolerari potest. Hic autem rugitus aquae comparatur: aqua enim de facili motu murmuris sonum facit; sic et homo in magna afflictione constitutus, ex levi memoria suae miseriae provocatur ad rugitum. Addit autem, *Inundantes aquae,* ut ostendat suae amaritudinis continuitatem: aqua enim inundans continue movetur, et sonitum facit; sed quia animae amaritudo ex miseria nascitur, post amaritudinem animae de sua miseria subiungit, dicens: *Quia timor, quem timebam, evenit mihi.* Et notandum est, quod miseria homini ad amaritudinem perveniens, in duobus consistere videtur, in damnis rerum vel personae, et in dehonorationibus. Quantum ergo ad personam dicit; *Timor quem timebam, evenit mihi,* idest ea quae timebam, evenerunt mihi: ubi magnitudo miseriae damnorum et poenarum exprimitur: quanto enim aliquis prudentior est, tanto in statu prosperitatis magis recogitat, quae in adversitatis tempore sibi accidere possunt, secundum illud *Eccles. 11. In die bonorum ne immemor sis malorum.* Magnam ergo miseriam Iob prudentissimus patiebatur, dum sibi, quae timuerat, evenerant. Quantum autem ad secundum, scilicet ad dehonorationes, dicit: *Et quod verebar, accidit:* est enim verecundia secundum Philosophum timor inhonorationis. Per hoc ergo ostendit, quod in magna gloria multa opprobria, et dehonorationes acciderant. Solet autem aliquis miseriam, et amaritudinem pati, sed ex propria culpa; sed hoc removet Iob, dicens; *Nonne dissimulavi?* Et sciendum est, quod aliquis offendit, unde poenam meretur a Deo dupliciter, uno modo quando ex iniuriis sibi illatis ultra modum provocatur ad vindictam, secundum quod dicitur *in Ps. 8. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Hoc autem a se removet dicens, *Nonne dissimulavi?* scilicet iniurias mihi factas. Alio modo, dum ipse alium primitus offendit vel verbis; et hoc removet dicens, *Nonne silui?* quasi dicat, Nulli contumeliosa aut iniuriosa verba protuli: vel factis; et hoc removet a se dicens; *Nonne quievi? Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, Isaiae 57.* Et quamvis innocens sim, tamen venit super me indignatio, idest poena a Deo: ira enim in Deo non accipitur pro commotione animi, sed pro punitione: in quo recognoscit adversitates huius mundi, non a casu, sed divino nutu provenire. Si quis ergo colligere velit, quae in hac deploratione Iob dicta sunt, sciendum est tria in eo contineri; primo enim ostendit sibi suam vitam esse odiosam; secundo magnitudinem miseriae, quam patiebatur, ibi, *Antequam comedam;* tertio ostendit suam innocentiam, cum dicit, *Nonne dissimulavi* etc.

## CAPITIS QUARTI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit: Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti: vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti; nunc autem venit super te plaga, et defecisti: tetigit te, et conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, et patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

### LECTIO PRIMA.

Amici Iob, qui ad consolandum eum venerant, cum prius propter doloris magnitudinem tacuissent, post locutionem Iob audaciam sumpserunt loquendi. Et primo loquitur Eliphaz Themanites, qui verba a Iob proposita non eo animo accepit, quo erant dicta: nam odium praesentis vitae, quod dixerat se pati, desperationi imputabat, magnitudinem amaritudinis impatientiae, innocentiae confessionem praesumptioni. Primo igitur arguit eius impatientiam; et incipit loqui ad

eum, quasi ad hominem impatientiae vitio subiacentem: qui ex verbis ab eo prolatis indignatur; unde dicit, *Si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies:* ubi satis impatientis, et irati consuetudinem exprimit, qui non patitur audire verba usque ad finem, sed statim in ipso verborum exordio provocatur. Addit autem, *Forsitan*, ne de temerario iudicio condemnetur; quamvis etiam in praesumptionibus in meliorem partem dicta vel facta interpretanda sint. Sed dum ipse Iob de impatientia arguit, se ipsum impatientiae, et fatuitatis reum ostendit, dicens, *Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* secundum illud *Eccl. 19. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti:* quamvis et iusti ex zelo divino interdum ea, quae concipiunt ad honorem Dei dicenda, tacere non possint, secundum illud *Hier. 20. Dixi, non recordabor eius*, scilicet sermonis divini, *nec loquar in nomine illius: et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans clausus in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens.* Ulterius autem procedit ad magis eius impatientiam ostendendam. Exaggerat autem eius impatientiam ex duobus, scilicet ex praecedenti doctrina, et ex praecedenti vita: ex praecedenti quidem doctrina, quia turpe est homini eum non servat id, ad quod alios inducit, secundum illud *Matth. 23. Dicunt enim, et non faciunt.* Iob autem antea multos ab impatientia retraxerat, et diversimode, secundum quod diversis congruebat. Sunt enim aliqui, qui in patientia deficiunt ex ignorantia, dum nesciunt adversis uti ad virtutem; et quantum ad hoc dicit, *Ecce docuisti multos.* Quidam vero primo quidem in adversis virtuose agunt, sed, adversitate durante, quasi recta actione fatigati deficiunt; et quantum ad hoc dicit, *Et manus lassas roborasti*, scilicet bonis inductionibus. Sunt etiam aliqui qui in adversis in dubitationem incidunt, scilicet an ex divino iudicio proveniant; et quantum ad hoc dicit, *Vacillantes confirmaverunt sermones tui.* Sunt etiam aliqui, qui parvam quidem adversitatem sustinent, sed sub magna adversitate, quasi sub magno pondere deficiunt; et quantum ad hos dicit, *Et genua trementia confortasti*, scilicet tuis sermonibus: tremunt enim genua homini magnum pondus portanti. Ad praedicta autem implenda exhortatur Dominus *Isaiae 35.* dicens: *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate.* Vult autem consequenter ostendere, quod ea quae docuerat, non implevit; unde subdit, *Nunc autem venit super te plaga, et defecisti*, a firmitate scilicet mentis, quam habere videbaris, et quam aliis suggerebas; et hoc referendum est ad adversitatem quam passus fuerat in exterioribus rebus: *Tetigit te, et conturbatus es*, idest quietem mentis, quam habuisse videbaris, amisisti: quod referendum est ad afflictionem corporis, quam sustinebat; unde supra Satan dixerat, *Mitte manum tuam, et tange os eius, et carnem.* Hic ergo Iob arguitur, quod praecedentem doctrinam subsequenti patientia non confirmaverit, contra id quod scriptum est *Prov. 19. Doctrina viri per patientiam noscitur.* Sed vita praeterita, quae in Iob videbatur, subsequentem impatientiam exaggerat: videtur enim non fuisse vera virtus, quae tam cito in tribulatione deficit: quia, sicut scriptum est *Eccl. 1. in igne probatur aurum, et argentum; homines vero recepti-biles in camino humiliationis.* Multiplici autem virtute aliquis in tribulationibus confirmatur, ne deficiat: primo quidem per reverentiam divinam, dum homines considerant mala, quae patiuntur, ex divina providentia provenisse, sicut et Iob supra dixerat: *Sicut Domino placuit, ita factum est:* et ad hoc excludendum dicit, *Ubi est timor tuus?* quo scilicet Deum revereri videbaris. Secundo aliqui conservantur in animi firmitate: quae quidem duos gradus habet: in quibusdam enim tanta est animi firmitas, ut eorum animus adversitatibus non nimium molestetur; et hoc ad fortitudinem pertinere videtur; unde dicit: *Ubi est fortitudo tua?* Nec accipitur hic fortitudo secundum quod conservat hominem, ne succumbat timori, sed ut non deiiciatur. Quidam vero gravem tristitiae passionem ex adversitate patiuntur, sed ab ea per rationem bene dispositam non abducuntur: et hoc videtur ad patientiam pertinere, ut talis sit differentia inter patientiam, et fortitudinem, qualem assignant philosophi inter continentiam, et castitatem: et ideo adiungit: *Patientia tua.* Tertio vero conservantur aliqui ex amore honestae actionis, et ex eo quod horrent turpiter agere: qui etsi interius conturbentur in adversitatibus, tamen nec verbo, nec facto in aliquod indecens prorumpunt: et propter hoc addit, *Et perfectio viarum tuarum?* per viam enim actiones intelliguntur, quibus quasi quibusdam viis pervenitur ad finem; vel per viam possunt intelligi excogitata consilia, quibus aliquis se evadere confidit, unde adversitates facilius tolerantur.

## LECTIO II.

Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt; quando potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt, eos flante Deo periisse, et spiritu irae eius esse consumptos. Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit, eo quod non haberet praedam, et catuli leonis dissipati sunt.

## LECTIO II.

Postquam Eliphaz arguerat Iob impatientiae, occasione arrepta ex eo, quod dixerat, *Antequam comedam, suspiro;* nunc intendit eum praesumptionis arguere, eo quod se dixerat innocentem. Ad ostendendum autem eum non esse innocentem, ex eius adversitate argumentum assumit dicens: *Recordare, obsecro te, quis unquam periit, aut quando recti deleti sunt?* Ubi considerandum est hanc fuisse opinionem Eliphaz, et aliorum duorum, ut supra dictum est, quod adversitates huius mundi non adveniunt alicui, nisi in poenam peccati, et e contrario prosperitates pro merito iustitiae: unde secundum eius opinionem inconveniens videbatur, quod aliquis innocens periret, aut quod aliquis rectus, idest iustus secundum virtutem, destrueretur per amissionem gloriae temporalis, quia credebant principium esse iustitiae: et hanc quidem opinionem intantum veram esse credebant, quod etiam Iob ab ea discordare non posset; existimabat tamen,

quod perturbata mente ipsius veritatem, quam aliquando cognoverat, quasi oblitus esset; unde dicit, *Recordare.* Posito ergo quod innocentibus et rectis adversitas non contingat; consequenter adiungit, quibus adversitas contingat dicens: *Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu irae eius esse consumptos.* In hoc autem quod dicit, *Vidi*, dat intelligere se ista per experimentum probasse. Per eos autem, qui operantur iniquitatem, intelligit eos, qui aliquam iniustitiam faciunt, et praecipue in nocumentum aliorum. Per eos autem, qui seminant dolores, et metunt eos, intelligit eos, qui per dolum aliis nocent: ii enim dolores seminant, dum calumnias praeparant, quibus alios dolentes reddant: qui dolores metunt, dum malitiam suam ad effectum perducunt; et hoc pro magno fructu habent: quam quidem metaphoram ulterius prosequitur quantum ad poenam: consueverunt enim segetes vento urente siccari, et consumi; unde dicitur *Malach. 3. Increpabo*, scilicet ventum, *et non corrumpet fructum terrae vestrae:* et hoc est, quod dicit quod *Flante Deo periit*, quasi ipsum divinum iudicium ad vindictam iniquitatis procedens, flatus quidam venti sit; ipsa autem Dei vindicta dicitur Spiritus, idest ventus irae eius. Non solum autem dicit, quod periit, sed quod consumuntur: quia non solum in propriis personis puniuntur, sed et eorum familia tota periit, ut nihil ex eis residuum videatur: in quo videbatur tangere Iob, qui et in suo corpore flagellatus erat, et filios, et familiam, et opes amiserat. Sed quia hoc videbatur esse contra opinionem Eliphaz, quod pro peccato parentis, filii, et familia puniretur, cum ipse intendat hanc opinionem defendere, quod adversitates in hoc mundo sunt poenae peccati, huic obiectioni respondens subiungit: *Rugitus leonis, et vox leaenae, et dentes catulorum leonis contriti sunt.* Ubi primo considerandum occurrit, quod homo caeteris animalibus praeeminet ratione. Cum ergo, ratione praetermissa, passiones brutales sequitur, efficitur similis bestiis; et illius bestiae nomen sibi competit, cuius passionem imitatur, utpote qui subiacet concupiscentiae passionibus, equo, vel mulo comparatur, secundum illud *Ps. 31. Nolite fieri sicut equus, et mulus, in quibus non est intellectus.* Propter ferocitatem autem, vel etiam leo, aut ursus nominatur, secundum illud *Prover. 28. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius.* Sic ergo et nunc hominem ferocem leoni comparat, dicens: *Rugitus leonis.* Rugitus est leonicae ferocitatis indicium. Contingit autem frequenter, quod ferocitas viro additur ex suggestione uxoris; et sic ea, quae vir ferociter agit, uxori imputantur in culpam, sicut patet de uxore Herodis, quae impulit eum ad decollationem Ioannis: propter quod dicitur: *Et vox leaenae.* Iis autem, quae tyrannus aliquis ferociter acquirit, eius filii interdum luxuriose utuntur; et sic in rapina patris delectantur; unde et ipsi a culpa immunes non sunt; propter quod subditur: *Et dentes catulorum leonum contriti sunt*, secundum illud *Naum: Et leo coepit sufficienter catulis suis:* et sic obiectioni praemissae respondisse videtur, quia cum pro peccato viri punitur uxor, et filii, non est iniustum, cum et ipsi culpae participes fuerint, quod totum dicebant, volens Iob et eius familiam de rapina culpabilem reddere. Videbatur tamen hoc, quod dixerat, ad Iob non pertinere, quia eius uxor punita non videbatur; et ideo ad hoc removendum subiungit, *Tigris periit eo quod non habebat praedam.* Ii enim, qui rapere consueverunt, in hoc ipso puniri se existimant, quod eis rapere non licet. Considerandum est autem, quod mulierem leaenae comparat propter ferocitatem irae, et tigridi propter promptitudinem, sive velocitatem ad iram: dicitur enim *Eccl. 25. Non est ira super iram mulieris:* et iterum, *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Et quia filii Iob totaliter perierant, subiungit, *Et catuli leonis dissipati sunt.*

## LECTIO III.

Porro ad me dictum est verbum absconditum, quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius. In horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt, et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum: imago coram oculis meis: et vocem quasi aurae lenis audivi: Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles; et in angelis suis reperit pravitatem; quanto magis ii, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? De mane usque ad vesperam succidentur; et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, et non in sapientia.

## LECTIO III.

Quia asserebat Eliphaz, quod adversitates in hoc mundo non adveniunt alicui, nisi propter eius peccata; volens ex hoc arguere Iob, et eius familiam fuisse peccatis subiectam, cuius contrarium videbatur ex iis quae maxime in Iob, et in eius familia apparuerunt, vult ostendere quod nec Iob, nec eius familia fuerit a peccato immunis. Et quia propter auctoritatem Iob, et famam ipsius eius verbum invalidum videbatur, recurrit ad maiorem auctoritatem, ostendens ea, quae propositurus est, se ex revelatione didicisse; et ad ostendendum altitudinem revelationis proponit eius obscuritatem: quanto enim aliqua sunt altiora, tanto humano aspectu sunt minus perceptibilia; unde et Apostolus dicit *2. Cor. 12. Quod raptus est in paradisum Dei, et vidit arcana verba, quae non licet homini loqui:* iuxta quem modum et Eliphaz vel vere, vel ficte loquitur dicens: *Porro ad me dictum est verbum absconditum.* Considerandum est autem quod aliqua veritas, quamvis propter sui altitudinem sit hominibus abscondita, revelatur tamen quibusdam manifeste, quibusdam vero occulte. Ad effugiendam ergo notam iactantiae, hanc veritatem abscondite dicit sibi esse revelatam; unde subdit: *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius.* Ubi triplex modus

occultationis invenitur qui solet in revelationibus contingere: quorum primus est, cum intelligibilis veritas alicui revelatur per imaginariam visionem, secundum quod dicitur *Nume. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum; at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo fidelis est: ore ad os loquar ei palam, et non per aenigma, et figuras videt Deum.* Moyses ergo hoc verbum absconditum per modum clarae vocis audivit, alii vero per modum susurri. Secundus modus occultationis est, quia in ipsa imaginaria visione proferuntur quandoque aliqua verba expresse continentia veritatem, sicut est illud *Isaiae 7. Ecce virgo concipiet:* quandoque vero sub quibusdam figuratis locutionibus, sicut est illud *Isa. 2. Egredietur virga de radice Iesse, et flos* etc. In hoc igitur quod Isaias audivit, *Ecce virgo concipiet*, percipit ipsum susurrum. In hoc autem, quod audivit, *Egredietur virga de radice Iesse* etc. percipit venas susurri. Nam figuratae locutiones sunt quasi quaedam venae, ab ipsa veritate per similitudinem derivatae. Tertius modus occultationis est, quod aliquando aliquis revelationem divinam frequentem et diuturnam habet, sicut dicitur de Moyse *Exo. 33. Quod locutus est Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Aliquando autem aliquis habet revelationem subitam, et transitoriam. Hunc ergo subitum revelationis modum significat in hoc, quod dicit, *Quasi furtive:* nam ea quasi furtive audimus, quae raptim, et quasi pertranseundo ad nos perveniunt. Sic ergo altitudinem visionis ostensam prosequitur de circumstantiis revelationis; et primo de tempore dicens, *In horrore visionis nocturnae, quando sopor solet occupare homines:* tempus enim nocturnum propter quietem magis est congruum revelationibus percipiendis: in die enim a tumultibus hominum, et occupationibus sensuum mens quendam strepitum patitur, ita ut susurrum verbi absconditi percipere nequeat. Secundo ex dispositione percipientis; unde subdit, *Pavor tenuit me:* homines enim ad insolita pavere consueverunt: unde quando alicui fiunt insolitae revelationes, in principio timorem patitur; et ad magnitudinem huius timoris ostendendam subiungit, *Et tremor:* est enim tremor corporis indicium magnitudinis timoris; et ad magnificandum huius tremorem subiungit, *Et omnia ossa mea perterrita sunt;* quasi dicat, Tremor non fuit superficialis, sed vehemens, et intimus, qui etiam ossa concuteret: simile est, quod habetur *Dan. 10. Visionem hanc grandem, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, et non habui in me quidquam virium.* Causam autem huius timoris consequenter ostendit dicens, *Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae.* Rationabile enim est, quod ad praesentiam maioris virtutis minor obfuscetur; manifestum est autem virtutem spiritus esse maiorem, quam carnis; unde non est mirum, si ad praesentiam spiritus pili carni inhorrescunt, qui ex subito timore procedit; et praesertim cum praesentia spiritus aliquo corporali indicio insolito sentitur: quae enim insolita sunt, admirationem, et timorem inducere solent. Et huic timori, quem se passum esse commemorat, temporis dispositionem convenire supra dixit, *In horrore visionis nocturnae:* quia enim in tempore noctis res visu discerni non possunt, quaecunque modica commotio perturbationem inducere solet, aestimantibus aliquid maius esse: iuxta quod dicitur *Sap. 17. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos ramos avium sonus suavis deficientes facit illos prae timore.* Tertio ponitur persona revelans, cum dicitur: *Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis.* Ubi tria ponit ad visionis certitudinem pertinentia. Sciendum est enim quod aliquando, propter nimiam commotionem fumositatum, et humorum, vel omnino non apparent somnia, vel perturbata, et instabilia, sicut et febricitantibus solet accidere, et huius somnia cum parum aut nihil spiritualitatis habeant, omnino absque significatione existunt. Cum autem humores, et fumositates resederint, apparent somnia quieta, et ordinata, quae cum sint magis spiritualia, in intellectiva parte etiam quendam vigorem habent, et huius somnia solent esse veriora; et ideo dicit, *Stetit quidam:* quod stabilitatem visionis ostendit. Item considerandum est, quod somnia, cum sunt quieta, plerumque sunt reliquiae praecedentium cogitationum: unde homo in somno frequentius videt illos, cum quibus consuevit conversari; et quia talia somnia causam habent ex nobis, et non ab aliqua superiori natura, non sunt magnae significationis; et ad hoc ergo removendum dicit, *Cuius non agnoscebam vultum.* Per quod ostendit huius visionem non traxisse originem ex prius visis, sed ex aliqua occultiori causa. Tertio considerandum est, quod huius visu, quae ex aliqua superiori causa oriuntur quandoque apparent dormientibus, quandoque autem vigilantibus, et veriora solent esse, et certiora, cum vigilantibus apparent, quam cum dormientibus, eo quod in vigilando est ratio magis libera. Et quia in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somnis frivolis, et consuetis; ideo ut ostendat hanc revelationem non dormienti, sed vigilanti factam esse, subiungit, *Imago coram oculis meis.* Per quod significat se hoc vidisse cum oculis per vigiliam apertis: quod etiam supra significavit, cum diceret, *Quando sopor solet occupare homines.* Ubi innuit, se sopore occupatum non fuisse. Deinde modum denunciationis sibi factae narrat, dicens, *Et vocem quasi aurae lenis audivi.* Ubi considerandum est, quod huiusmodi apparitiones aliquando fiunt a spiritu bono, aliquando a malo: utroque autem modo in principio timorem patitur homo per insolitam visionem; sed cum a bono spiritu apparitio procedit, timor in consolationem finitur, sicut patet de angelo confortante Danielem, *Dan. 10.* et de Gabriele confortante Zachariam, et Mariam; sed malus spiritus hominem perturbatum relinquit. Per hoc ergo quod dicit, *Vocem quasi aurae lenis audivi*, consolationem quandam sedantem pavorem praeteritum demonstrat, ut per hoc visio demonstretur esse a spiritu bono, non a malo, a quo frequenter visiones mendaces ostenduntur, secundum illud Scripturae *3. Reg. c. 22. Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Per hunc etiam modum *3. Reg. c. 19.* legitur de apparitione facta Heliae, qnod post commotionem tenuis aurae sibilus ubi Dominus auditus est. Sciendum tamen est, quod etiam in visionibus, quae a bono spiritu

procedunt, interdum commotiones magnae, et voces horribiles audiuntur, ut patet *Ezech. 1.* ubi dicitur: *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone;* et post multa subditur *: Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum:* et *Apoc. 1.* dicitur: *Audivi post me vocem magnam, tanquam tubae.* Sed hoc est ad significandum comminationes, aut aliqua gravia pericula, quae in huiusmodi revelationibus continentur; sed quia hoc ad consolandum ordinabatur, ideo inducitur loquentis vox similis aurae leni. Ultimo autem ponuntur verba, quae sibi asserit esse revelata, cum dicit, *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur ?* quae quidem verba inducit ad confirmandum suam opinionem, quam supra tetigerat; quasi dicat, Adversitates in hoc mundo non proveniunt alicui, nisi pro peccato. Ut ergo nullus posset se excusare, quia adversa patitur per hoc, quod se asserat a peccato immunem, inducit tres rationes: quarum prima sumitur ex comparatione ad Deum, et est ducens ad impossibile. Si enim homo absque culpa punitur a Deo, sequitur quod homo sit iustior Deo: cum enim opus iustitiae sit reddere unicuique quod suum est; si Deus homini innocenti, cui non debetur poena, inferat poenam, homo iustior videtur esse Deo. Homo autem qui a Deo patitur, nulli homini absque culpa poenam intulit: quod oportet dicere, si homo innocens puniatur: sequitur ergo, quod homo punitus a Deo sit iustior Deo: quod est, hominem comparatione Dei iustificari. Et quia forte alicui hoc non videretur inconveniens, ducit ad aliud apparentius inconveniens, dicens: *Aut factore suo purior erit vir?* Quaelibet enim res puritatem habet, secundum quod in sua conservat natura quod ex causis propriis habet. Puritas ergo uniuscuiusque effectus a sua causa dependet: unde suam causam in puritate superare non potest: unde nec vir potest esse purior suo factore, scilicet Deo. Secundam autem rationem ponit ex comparatione ad angelos, et est a maiori, cum dicit; *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem:* quae quidem sententia secundum doctrinam catholicae fidei plana est: tenet enim fides catholica, omnes angelos bonos fuisse creatos: quorum quidam per propriam culpam ceciderunt a statu rectitudinis; quidam vero ad maiorem gloriam pervenerunt. Quod autem angeli a statu rectitudinis ceciderunt, mirum videtur propter duo: quorum unum pertinet ad vitam contemplativam, aliud ad vitam activam ipsorum. Ex vita enim contemplativa videtur quod in angelis esse deberet stabilitas: manifestum est enim, quod causa mutabilitatis est potentia, causa immutabilitatis est actus, est enim de ratione potentiae, quod se habeat ad esse, et non esse; sed secundum quod aliquid magis perficitur ab actu, firmius fit in illo; id vero, quod secundum se actus est, omnino immutabile est. Sciendum est autem, quod sicut materia comparatur ad formam, ut potentia ad actum, ita voluntas ad bonum: id ergo, quod est ipsum bonum, scilicet Deus, omnino immutabile est. Caeterarum vero naturarum voluntates, quae non sunt ipsum bonum, comparantur ad ipsum, ut potentia ad actum: unde quanto magis inhaerent ei, tanto magis stabiliuntur in bono; et ideo cum angeli inter caeteras creaturas magis et propinquius Deo videantur inhaerere, utpote ipsum subtilius contemplantes, magis stabiles inter caeteras creaturas videntur, et tamen non fuerunt stabiles: unde multo minus inferiores creaturae, scilicet homines, quantuncumque Deo inhaerere videantur ipsum colendo, quod est ei servire, stabiles iudicari non possunt. Ex vita vero activa videtur, quod in angelis, vel nihil, vel minimum de pravitate esse possit: quanto enim quis propinquior est primae rectitudini, minus habet de obliquitate. Deus autem, in quo est primo rectitudo, sua providentia dirigens universa, inferiores creaturas per superiores disponit: unde in superioribus creaturis, quae dicuntur angeli, quasi a Deo missi ad alia dirigenda, minimum videtur esse, vel nihil de pravitate: unde cum in angelo inventa sit pravitas, credendum est quod in quovis hominum, quantumcunque bonus appareat, pravitas possit inveniri. Cavendum autem est, ne ex iis verbis aliquis in errorem incidat Origenis: qui etiam quoscunque spiritus creatos instabiles asserit, et posse ad pravitatem perduci: hoc enim aliqui per gratiam assecuti sunt, ut immobiliter Deo inhaereant, ipsum per essentiam videntes: et secundum hoc etiam aliquibus hominibus, quamvis sint inferioris naturae, quam angeli, per gratiam conceditur etiam in hac vita, quod sint a pravitate peccati immunes. Tertiam rationem ponit sumptam ex conditione humana, cui coniungitur conclusio praecedentis rationis: unde etiam posset ex duobus una ratio formari, et hoc cum dicit, *Quanto magis ii qui habitant domos.* Est autem humana conditio talis, quod ex terrena materia corpus eius compactum: quod designat, cum dicit, *Quanto magis ii, qui habitant domos luteas.* Corpus enim humanum lutum dicitur, quod ex terra et aqua gravioribus elementis abundantius constat: quod eius motus declarat: unde *Gen. 1.* dicitur, quod formavit Deus hominem de limo terrae. Hoc ergo luteum corpus domus animae dicitur, quia anima humana quantum ad aliquid est in corpore, sicut homo in domo, vel sicut nauta in navi, inquantum scilicet est motor corporis. Fuerunt autem aliqui, qui propter hoc dixerunt quod anima non unitur corpori nisi accidentaliter, sicut homo vestimento, aut nauta navi; sed ut hanc opinionem excluderet, subdit, *Qui terrenum habent fundamentum.* Per hoc datur intelligi quod anima humana unitur corpori etiam ut forma materiae: dicitur enim materia fundamentum formae, eo quod est prima pars in generatione, sicut fundamentum in constitutione domus. Utitur autem tali modo loquendi, ut id quod est animae, attribuat homini: non quod anima sit homo, ut quidam posuerant, dicentes hominem nihil aliud esse, quam animam indutam corpore; sed quia anima est principalior pars hominis: unumquodque autem consuevit appellari id, quod est in eo principalius. Haec autem duo, quae de hominis infirmitate dicit, videntur contraponi iis, quae super de angelorum excellentia dixerat: nam hoc quod dicit, *Qui habitant domos luteas,* videtur ponere contra id quod dixerat, *Qui serviunt ei*, quod est inhaerere ei, et etiam in ipso spiritaliter habitare. Quod vero dicit, *Qui terrenum habent fundamentum*, ei quod dixerat, *An angelis suis*; angeli enim incorporei sunt, secundum illud *Ps. 103. Qui facit angelos suos spiritus.* Praemissa autem hominis condemnatione, miserabilem eius eventum concludit,

dicens, *Consumentur velut a tinea:* et quidem potest hoc secundum superficiem literae de morte corporali intelligi, quod homo necessario patitur ex eo, quod terrenum habet fundamentum: et secundum hoc potest designari duplex mors, scilicet naturalis, in hoc quod dicit, *Consumentur velut a tinea:* sicut enim tinea vestimentum corrodit, quae ex vestimento nascitur; ita mors naturalis ex causis interioribus corporis exoritur: et mors violenta, in hoc quod subditur; *De mane usque ad vesperam succidentur:* succisio enim arboris ex causa exteriori procedit; et sic signanter dicit, *De mane usque ad vesperam*, quia mors naturalis potest per aliqua naturalia signa praecognosci; sed mors violenta omnino ignota est, utpote diversis casibus subiecta: unde non potest sciri si homo de mane perveniat usque ad vesperam. Sciendum tamen quod haec non est intentio literae: nam supra proposuit de defectu peccati cum diceret, *Et in angelis suis.* Unde ut conclusio praemissis respondeat, oportet hoc etiam ad peccatum referre: propter quod vitam iustitiae in homine consumitur dupliciter, uno modo ex interiori corruptione: quod significat, cum dicit, *Consumentur velut a tinea:* sicut enim vestimentum consumitur a tinea, quae ex eo nascitur; ita iustitia hominis consumitur iis, quae in homine sunt, sicut est corruptio fomitis malae cogitationis, et alia huiusmodi. Alio modo ex exteriori tentatione, quod videtur in hoc dici; *De mane usque ad vesperam succidentur.* Sed considerandum est, quod interior tentatio non subito hominem prosternit; sed paulatim, dum per negligentiam aliquis in seipso peccati initia reprimere non curat, secundum illud *Eccl. Qui minima negligit, paulatim defluit*, sic etiam vestimentum, quod non excutitur, a tinea consumi. Exterior attentatio hominem plerunque subito prosternit: sicut David ad aspectum mulieris in adulterium prorupit, et etiam multi in tormentis fidem negaverunt. Quocunque autem modo homo per peccatum ruit, dummodo peccatum suum recognoscat, et poeniteat, misericordiam consequetur. Sed quia nullus est, qui omnia peccata possit cognoscere, secundum illud *Ps. 18. Delicta quis intelligit?* sequitur quod plurimum homines peccata non cognoscentes, eis remedia non adhibent per quae liberentur: et hoc est quod subditur: *Et quia nullus intelligit*, scilicet lapsus peccatorum: *In aeternum peribunt*, scilicet plurimi; quasi dicat: A peccato nunquam liberantur. Sed quia aliqui sunt qui contra peccata remedia adhibent, licet ea non plene intelligant, sicut David, qui dicebat, *Ab occultis meis munda me Domine*, subiungit, *Qui autem reliqui fuerint*, scilicet de numero eorum qui in aeternum percunt: *Auferentur ex eis*, idest segregabuntur ex eorum consortio: *Morientur quidem:* quia quamvis homo peccati poeniteat, a mortis tamen necessitate non liberatur. Sed sapientia in eis non moritur: et hoc est quod dicit, *Et non in sapientia.* Vel hoc, quod dicit, *Morientur et non in sapientia*, non respondet ad immediate dictum, sed ad id quod supra dixerat, in aeternum peribunt; ut sit sensus, quod morientur sine sapientia. Vel hoc, quod dicitur, *Qui reliqui fuerint*, potest intelligi de filiis, qui relinquuntur ex parentibus pereuntibus: et propter peccata parentum quae imitantur et ipsi auferuntur sine sapientia morientes. Vult ergo ex omnibus istis Eliphaz ostendere quod cum conditio hominibus sit tam fragilis, de facili cadit in peccatum: et quidem dum homo non cognoscit, in perditionem vadit ipse, et filii eius. Et sic Iob licet se peccatorem non cognosceret, credendum erat quod propter peccata aliqua ipse, et filii eius perierint. Sic igitur postquam revelationem sibi factam exposuerat, quia posset Iob revelationi non credere, ideo subiungit quod sequitur.

# CAPITIS QUINTI

## LECTIO PRIMA.

Voca ergo, si est qui tibi respondeat: et ad aliquem sanctorum convertere. Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. Ego vidi stultum firma radice: et maledixi pulchrituni eius statim. Longe fient filii eius a salute, et conterentur in porta; et non erit qui eruat. Cuius messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias eius. Nihil in terra sine causa fit: et de humo non egredietur dolor. Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.

## LECTIO PRIMA.

Quasi dicat: Si mihi hoc esse revelatum non credis, tu ipse invoca Deum, si forte ipse ad hanc dubitationem respondere tibi voluerit. Et si per merita propria hoc a Deo obtinere non putas, *Ad aliquem sanctorum converterc*, ut eo mediante huius rei veritatem a Deo cognoscere possis. Et notandum est quod dicit, *Ad aliquem sanctorum*, quia non licet per immundos spiritus quocunque modo vel arte occulta perquirere, sed solum per Deum vel sanctos Dei, secundum illud *Isa. 8. Cum dixerint ad vos: Quaerite a phitonibus et a divinis, qui student in incantationibus suis, nunquid non populus a Deo suo requirat visionem pro vivis, aut mortuis. Virum stultum interficit iracundia.* Quia in revelatione, quam sibi factam esse commemorat Eliphaz, inter caetera hoc continetur quod homines, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea, vult hoc ostendere per hominum diversas conditiones: non est enim aliqua conditio hominum, cui non adsit pronitas ad aliquod peccatum. Sunt autem duae hominum conditiones. Quidam enim sunt magni, et elati animi, qui facile provocantur ad iram; quod ideo est, quia ira est appetitus vindictae, ex praecedenti offensa proveniens; quanto autem aliquis est magis elati anima, tanto ex leviori causa se putat offensum: et ideo facilius provocatur ad iram: et hoc est, quod dicit, *Virum stultum interficit iracundia.* Vocat autem eum qui est superbi et elati animi, stultum, quia per superbiam homo praecipue metas rationis excedit; sed humilitas viam sapientiae parat, secundum illud *Prover. 2. Ubi humilitas, ibi sapientia.* Simul cum hoc etiam stultitia

iracundiae competit: iracundus enim, ut docet Philosophus, utitur quidem ratione, dum pro offensa intentat vindictam, sed perverse, dum in vindicta modum rationis non servat; perversitas autem rationis stultitia est. Quidam vero sunt pusillanimes*, et hi proni sunt ad invidiam; unde subdit: *Et parvulum occidit invidia:* et hoc rationabiliter dicitur. Invidia enim nil aliud est, quam tristitia de prosperitate alicuius, inquantum prosperitas illius existimatur propriae prosperitatis impedimentum. Hoc autem ad parvitatem animae pertinet, quod aliquis non se existimet posse prosperari inter alios prosperantes. Sic ergo manifestum videtur quod homo cuiuscunque conditionis existat, pronus est ad aliquod peccatum: facile enim esset his similia de aliis punctis inducere. Sic ergo per omnia supradicta Eliphaz probare intendit quod adversitates in hoc mundo non adveniunt alicui, nisi pro peccato. Contra quod videntur esse duae obiectiones; quarum una est ex hoc quod multi iusti videntur adversitatibus subdi; sed hanc obiectionem solvere visus est per hoc, quod homines ostendit esse faciles ad peccandum. Secunda obiectio est, quod aliqui iniqui in hoc mundo prosperantur. Cui consequenter satisfacere intendit per hoc, quod prosperitas eorum in malum ipsorum redundat; unde dicit, *Ego vidi stultum*, idest hominem in divitiis superbientem: *Firma radice*, idest firmatum in prosperitate huius mundi, ut videbatur, sed eius prosperitatem non approbavi: quin immo, *Maledixi pulchritudini eius statim.* Ubi considerandum est, quod loquitur de homine sub metaphora arboris: cuius enim radix fuerit firma, pulchritudinem habet in ramis, et fructibus. Conparat ergo prosperitatem hominis in divitiis firmati pulchritudini arboris, quam maledicit, idest malam eandem pronunciat, et nocivam, secundum illud *Eccl. 5. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiae conservatae in malum domini sui.* Addidit autem, *Statim*, ut ostendat se de hac scientia nullatenus dubitare. Quod autem mala ex prosperitate stulti proveniant, ostendit primo quantum ad filios: frequenter enim contingit, quod quando aliquis dives et potens filios sine disciplina nutrit, quod proprium est stulti, filii eius in multa pericula incidunt: et quandoque quidem propter odia, quae in se concitant, absque iudicio perimuntur, vel etiam dum ipsi sibi non cavent inordinate delectamento utentes, vitam amittunt: et quantum ad hoc dicit, *Longe fient filii eius a salute:* quandoque vero dum calumnias, et iniurias aliis inferunt, coram iudicibus conveniuntur, et ibi condemnantur; et quantum ad hoc dicit, *Et conterentur in porta*, idest per sententias iudicum: nam iudices olim in portis sedere solebant. Et quia homines stulti in prosperitatibus nullum dubitant offendere, in adversitatibus non inveniunt adiutorem: ideo subdit, *Et non erit qui eruat.* Sed quia posset aliquis dicere, non curo quidquid accidat filiis meis, dummodo ego prosperitate fruar in hoc mundo: ideo secundo ponit mala provenientia ipsi stulto, et in rebus, et in persona, dicens, *Cuius messem famelicus comedet:* frequenter enim homines stulti divitiis abundantes, pauperes opprimunt; qui plerumque gravamina sustinere non valentes, quasi quadam necessitate ad requirenda bona divitum coguntur. Et quia tales homines deliciose viventes solent per vitae divitias animi vigorem amittere, et imbelles esse, de facili a pauperibus bellicosis destruuntur; unde sequitur, *Et ipsum rapiet armatus*, quasi absque omni resistentia: et ut quod dixerat de messe, generaliter intelligatur, subiungit, *Et bibent sitientes divitias eius*, idest homines cupidi. Remotis ergo praedictis obiectionibus, finaliter rationem inducit ad probandum principalem intentionem, scilicet quod adversitates in hoc mundo non proveniant alicui, nisi pro peccato: et est talis. Quaecunque fiunt in terra, ex propriis, et determinatis causis proveniunt. Si ergo adversitates huius mundi alicui accidunt, hoc habet determinatam causam, quae nulla videtur esse nisi peccatum. Hoc est ergo, quod dicit, *Nihil in terra sine causa fit:* videmus enim omnes effectus ex determinatis causis procedere: ex quo quasi concludens subdit, *Et de humo non orietur dolor;* et est metaphorica locutio: quaedam enim herbae sine semine producuntur: de quibus dicitur, quod eas humus sponte profert. Quicquid ergo sine causa propria videtur contingere, quasi sine semine, per quandam similitudinem metaphorice potest dici, quod oritur de huiusmodi. Dolor autem, idest adversitas, *Non orietur de huiusmodi*, idest non est sine causa. Quod autem dixerat, *Nihil in terra sine causa fit*, ex hoc praecipue redditur manifestum, quod omnia habent dispositionem naturalem, congruam propriae operationi. Ex quo apparet, quod dispositiones naturales rerum non sunt sine causa, sed propter determinatum finem: et ideo dicit, *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum:* manifestum est enim quod quia proprius motus, quem natura avis requirebat, est volatus; ideo oportuit avem habere ex sua natura instrumenta congrua ad volandum, et alas et pennas: homo vero, qui rationem habebat, per quam proprio labore posset sibi omnia necessaria adiuvamenta acquirere, naturaliter productus est absque omnibus adiuvamentis, quae natura aliis animalibus dedit, scilicet absque tegumento, absque armis et aliis huiusmodi, quae sibi proprio labore parare poterat ex industria rationis.

## LECTIO II.

Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum. Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Qui dat pluviam super faciem terrae, et irrigat aquis universa. Qui ponit humiles in sublime, et merentes erigit sospitate. Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod caeperant. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. Et erit egeno spes: iniquitas autem contrahet os suum.

## LECTIO II.

Quia Eliphaz proposuerat omnia, quae in terris sunt, determinatam causam habere, et hoc probaverat per hoc quod res naturales apparebant esse dispositae propter

finem; hoc autem, scilicet quod res naturales sunt propter finem, potissimum argumentum est ad ostendendum, mundum regi divina providentia, et non omnia agi fortuito : idcirco Eliphaz statim ex praemissis concludit de regimine divinae providentiae. Sciendum est autem, quod divina providentia sublata, orationis fructus tollitur, et cognitio Dei circa res humanas : quae tamen necesse est ponere ei, qui regimen providentiae concedit: et ideo Eliphaz concludens dicit: Ex quo omnia, quae in terra fiunt, sunt propter finem , necesse est concedere regimen providentiae. *Quamobrem ego deprecabor Dominum* , quasi oratione fructuosa existente, utpote Deo disponente res humanas. *Et ad Deum ponam eloquium meum* , utpote Deo cognoscente facta, et dicta, et cogitata humana: ad cuius confirmationem subiungit ea, quae maxime divinam providentiam ostendunt. Est autem sciendum, quod illi qui providentiam negant, omnia, quae apparent in rebus mundi, ex necessitate naturalium causarum provenire dicunt , utpote ex necessitate caloris , et frigoris , gravitatis, et levitatis, et aliorum huiusmodi; ideo ex his potissime providentia divina manifestatur: quorum ratio reddi non potest ex huiusmodi materialibus principiis : inter quae unum est determinata magnitudo corporis huius mundi: non enim potest assignari ratio ex aliquo principio naturali, quare sol, ac luna , aut terra sit tantae quantitatis, et non maioris: unde necesse est dicere, quod ista dispositio quantitatum sit ex ordinatione alicuius intellectus; et hoc designat in hoc, quod dicit, *Qui facit magna* , idest qui res interminata magnitudine disponit. Rursus si omnia ex necessitate principiorum naturalium provenirent, cum principia naturalia sint nobis nota , haberemus viam ad inquirendum omnia, quae in hoc mundo sunt. Sunt autem aliqua in hoc mundo, ad quorum cognitionem nulla inquisitione possumus pervenire, utpote substantiae spirituales quot sint, distantiae stellarum, et alia huiusmodi: unde manifestum est, non procedere omnia ex necessitate principiorum naturalium, sed ab aliquo superiori intellectu res esse institutas: propter hoc addit, *Et inscrutabilia.* Item quaedam sunt quae videmus, quorum rationem nullo modo possumus assignare, puta quod stellae disponuntur secundum talem figuram in hac parte caeli, et in alia secundum aliam: unde manifestum est hoc non provenire ex principiis naturalibus , sed ab aliquo superiori intellectu ; et propter hoc addit, *Et mirabilia :* sic enim differt inscrutabile, et mirabile, quod inscrutabile est, quod latet, et perquiri non potest; mirabile est, quod ipsum quidem apparet , sed causa eius perquiri non potest. Sciendum est etiam, quod aliqui posuerunt dispositionem rerum per quendam ordinem numeri a Deo procedere, utpote quod a primo uno simplici procedit tantum unus effectus primus, in quo iam aliquid compositionis, et pluralitatis habetur, et sic ex ipso procedunt duo, vel tria, quae sunt adhuc minus simplicia, et sic gradatim secundum eos progreditur tota rerum multitudo: secundum quam quidem positionem totius universi dispositio non est ex ordinatione intellectus divini , sed ex quadam necessitate naturae : unde ad hanc positionem removendam adiungit, *Absque numero*: vel quia absque necessitate ordinis numeralis res in se productae sunt ; vel quia a Deo immediate , et non ex ordine numeri productae sunt : quod praecipue apparet in primo coelo, in quo sunt plurimae stellae. Sic ergo Eliphaz ostendit productionem rerum esse a Deo, et non ex necessitate naturae. Consequenter ostendit, et rerum factarum cursum divina providentia gubernari , et primo in rebus naturalibus , ex hoc quod res naturales contemperatae esse videntur ad hominum, et aliorum animalium usum: licet naturalis coelorum ordo aliud requirere videatur : si quis enim in elementis gravitatem, et levitatem consideret, manifestum est naturaliter terram aquae subiacere , aeri vero aquas, aerem autem igni; inveniuntur autem aliquae partes terrae discoopertae ab aquis immediate aeri subiacere : aliter enim animalia respirantia in terra vivere non possent: et rursus ne terra ab aquis discooperta sua siccitate infructuosa , et inhabitabilis redderetur, dupliciter humectatur a Deo , primo quidem per pluviam , qua superficies terrae infunditur ; et quantum ad hoc dicit, *Qui dat pluviam super faciem terrae.* Alio modo quantum ad fontes, rivos, et flumina, quibus terra irrigatur: quorum principium sub terra est, sicut pluviae in alto : et quantum ad hoc dicit, *Et irrigat aquis universa.* Deinde cum dicit, *Qui ponit humiles in sublime* , operationem providentiae etiam in rebus humanis ostendit. Et quidem si res humanae currerent secundum quod earum dispositio videtur exigere , nullum videlicet vel parvum in eis providentiae divinae vestigium appareret ; sed rebus humanis alio modo currentibus , stulti qui superiores causas non considerant, hoc casui , et fortunae attribuunt, ex quorum persona Salomon *Eccl. 9.* dicit: *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bella, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam , sed temporis casum in omnibus.* Eliphaz autem in altiorem causam refert hoc, scilicet in providentiam Dei: et primo quantum ad oppressos, qui de infimo elevantur in altum: et quantum ad hoc dicit: *Qui ponit humiles*, idest deiectos: *In sublime* ; et qui de dolore transferuntur ad gaudium: et quantum ad hoc dicit , *Et merentes erigit sospitate.* Secundo quantum ad opprimentes ; quorum duplex est genus: quidam enim maxime alios opprimunt per potentiam ; et quantum ad hoc dicit , *Qui dissipat cogitationes malignorum , ne possint implere manus eorum quod ceperant* , quia scilicet in ipsa operis prosecutione impediuntur a Deo , ne unquam cogitationem possint perducere ad effectum. Quidam vero per astutiam aliquos decipiunt: et quantum ad hoc dicit: *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*, inquantum scilicet ea, quae astute cogitant , in contrarium propositi eorum cedit. *Et consilium pravorum dissipat*, dum scilicet ea, quae ab eis sapienter consiliata vident, aliquibus impedimentis superinductis ad effectum perducere non possunt. Quandoque vero stulte consiliata non solum impediuntur in opere,sed et eorum mens obscuratur, ne in consiliando possint discernere meliora : unde subdit , *Per diem incurrent tenebras*, scilicet in re manifesta omnino quod faciant nesciunt: *Et quasi in nocte sic palpabunt in meridie*, idest iis, quae nullo modo sunt dubia, sic dubitant, sicut in rebus obscuris. Et quod haec ex divina providentia praevideantur , subiungit utilitatem ex praemissis provenientem : dum enim malignorum astutia impeditur, pau-

péres ab eorum deceptionibus liberantur: et hoc est quod subdit: *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum.* Quia enim sunt astuti in malo, et blandis verbis, et fictis alios seducere solent: quae quidem verba in nocendo gladio comparantur, secundum illud *Ps. 56. Lingua eorum gladius acutus.* Cum vero operationes malorum potentum impediuntur a Deo, manifestum est etiam quod pauperes salvantur: unde sequitur, *Et de manu violenti pauperem.* Et ex hoc duo sequuntur; quorum unum est, quasi dicat homines qui ex se ipsis impotentes sunt, de divina potentia confidunt, tanquam Deo de rebus humanis curante: unde subdit: *Et eris egeno spes.* Aliud est quod homines potentes et ii qui se ipsos retrahunt, ne ex toto malignentur; unde sequitur; *Iniquitas autem contrahet os suum*, ne scilicet se ex toto effundat in perniciem aliorum.

## LECTIO III.

Beatus homo, qui corripitur a Domino, increpationem Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus eius sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. In fame erueret te de morte, et in bello de manu gladii. A flagello linguae absconderis, et non timebis calamitatem, cum venerit. In vastitate, et fame ridebis, et bestias terrae non formidabis. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum: et bestiae terrae pacificae erunt tibi. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam non peccabis. Et scies, quam multiplex erit semen tuum: et progenies tua quasi herba terrae. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Ecce hoc ut investigamus, ita est, quod auditum mente pertracta.

## LECTIO III.

Sicut supra dictum est, Eliphaz in superioribus beatum Iob et impatientiae arguebat, et praesumptionis, super hoc, quod se asseruerat innocentem; nunc autem ab eo desperationem nititur auferre: ex quo verba illa provenire credidit, quibus Iob vitam suam fuerat detestatus. Sciendum est autem, quod providentiam tam circa res naturales, quam circa res humanas esse asseruerat. Hoc accipit tanquam notum, quod omnes adversitates hominibus divino iudicio inducantur, sed quibusdam ad ultimam condemnationem, qui sunt incorrigibiles: quibusdam autem ad correctionem, qui per adversitates emendantur, quos asserit esse beatos dicens: *Beatus homo, qui corripitur a Domino:* si enim correptio ab homine salubris est; qui tamen perfecte scire non potest mensuram, et modum, secundum quod possit esse salubris correptio: nec est omnipotens ad mala, scilicet removenda, et ad bona tribuenda; multo magis reputari debet salubris et felix Dei omnipotentis et omnia scientis correptio; ex qua sententia ad propositum concludit dicens, *Increpationem Domini ne reprobes;* quasi dicat, Licet hanc adversitatem patiaris a Deo propter tua peccata, tamen debes existimare, quod hoc sit quasi quaedam Domini increpatio ad te corrigendum: unde non debes hanc adversitatem intantum reprobare, quod propter hoc vitam tuam habeas odiosam; et praedictorum causam subiungit dicens: *Quia ipse vulnerat*, scilicet graviori adversitate: *Et medetur*, auferendo mala, et restituendo bona: *Percutit*, idest leviori adversitate: *Et manus eius*, idest operationes ipsius: *Sanabunt*, idest [illegible] non enim Eliphaz eum, qui corripitur a Deo, beatum asserit [illegible] vitam quam non credebat, sed propter praesentem, in qua post correptionem homo ex supradictis a Deo obtinebat immunitatem a malis, et abundantiam bonorum: unde consequenter subiungit de immunitate a malis dicens: *In sex tribulationibus liberabit te: et in septima non tanget te malum.* Quia enim septenario dierum omne tempus agitur, solet septenario numero universitas designari, ut sit sensus, quod ei, qui a Domino corripitur, post emendationem nulla nocebit adversitas. Et quia secundum eius sententiam, quanto aliquis magis fuerit purgatus a culpa, tanto minus adversitatem patitur in hoc mundo; ideo dicit, *In septima non tanget te malum*, quasi ante emendationem homo ab adversitate non liberetur; cum autem incipit liberari, ab ea tangitur, sed non opprimitur, Deo liberante. Post perfectam autem liberationem omnino non tangitur: quod quidem verum est quantum ad mentem, quae dum finem suum in rebus mundanis constituit, adversitatibus mundanis opprimitur; cum autem ab eis animum suum revocans, amare Deum caeperit, tristatur quidem in adversitatibus, sed non opprimitur. quia spem suam non habet in mundo; cum autem totaliter mundum contempserit, tunc eum adversitates mundanae vix tangunt. Non est autem haec sententia vera quantum ad corpus, sicut Eliphaz eam intellexit; cum perfectissimi viri interdum gravissimas adversitates patiantur, secundum illud *Ps. 44. Propter te mortificamur tota die*, quod de Apostolis inducitur. Et quia septem tribulationes tetigerat, eas subsequenter enumerat. Est autem prima adversitas contra vitam corporalem eius, qui patitur sublationem necessariorum: et quantum ad hoc dicit, *In fame erueret te de morte;* quasi dicat, Patieris quidem famem, utpote increpatus a Domino; sed ex hoc non pervenies ad mortem, Deo te liberante: et haec est prima tribulatio. Quandoque aufertur vita corporis per violentiam alicuius inferentis nocumentum: et quantum ad hoc dicit, *Et in bello de manu*, idest potestate, *gladii;* quasi dicat, Superveniet tibi bellum, sed in potestate gladii non deduceris: et haec est secunda tribulatio. Aufertur autem et vita corporalis per mortem naturalem, sed haec inter tribulationes non computatur, cum natura hominis hoc requirat. Quandoque autem spirituale periculum est contra famam hominis, quae pertinet ad vitam civilem: et quantum ad hoc dicit, *A flagello linguae absconderis.* Dicitur autem flagellum linguae detractio graviter infamantis, a quo tunc homo absconditur, quando facta sua, de quibus possit infamari, latent detrahentem; et haec est tertia tribulatio. Quandoque autem est adversitas ex aliquo periculo genera-

li, quod quidem imminet vel personis, vel rebus: personis quidem, utpote quando alicui patriae exercitus hostium supervenit, per quem etiam contrahitur vel mors, vel captivatio: et quantum ad hoc dicit: *Et non timebis calamitatem cum venerit;* quasi dicat, In imminente calamitate ab hostibus tuae patriae tu non timebis: et haec est quarta tribulatio. Rebus autem imminet commune periculum vel per sterilitatem terrae, quod est tempore famis, vel per aliquam devastationem fructuum ab hostibus: et quantum ad haec duo dicit, *In fame et vastitate* [illegible], idest abundabis, quae erit tibi materia gaudii: et sic tangit quintam et sextam tribulationem. Quandoque autem est adversitas ab impugnatione brutorum animalium, sive in communi, sive in particulari; et quantum ad hoc dicit: *Bestias terrae non formidabis:* et haec videtur esse septima tribulatio, in qua non tangit malum. Post immunitatem autem a malis ponit abundantiam in bonis: et primo quantum ad fertilitatem terrarum dicens: *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum;* quasi dicat et etiam terrae lapidosae, et steriles tibi afferent fructum, secundum illud *Deuter. 32. Ut sugeret mel de petra* etc. Secundo quantum ad animalia bruta; et quantum ad hoc dicit, *Et bestiae terrae erunt tibi pacificae,* idest non te offendent. Possent et haec duo aliter exponi, ut scilicet per lapides intelligantur homines duri, et rudes: per bestias homines crudeles. Tertio quantum ad homines domesticos, cum dicit: *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum,* idest familia tua pacem habebit ad invicem. Quarto specificat quantum ad uxorem; et quantum ad hoc dicit: *Et visitans speciem tuam non peccabis;* quasi dicat, Habebis uxorem honestam, et pacificam, cum qua conversari poteris sine peccato. Quinto quantum ad filios; unde dicit: *Et scies, quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terrae,* idest habebis multos filios, et nepotes. Sexto quantum ad pacificam et quietam mortem; et quantum ad hoc dicit: *Ingredieris in abundantia sepulcrum;* quasi dicat in bona prosperitate, non spoliatus rebus tuis: *Sicut infertur acervus tritici in tempore suo:* quasi non praeventus intempestiva, et subita morte. Ultimo quidem approbat ea quae supra dixerat dicens: *Ecce hoc ut investigavimus ita est.* Et quia existimabat Iob ita esse tristitia absorptum, quod talia non multum cogitaret, tunc reddidit attentum dicens: *Quod auditum mente pertracta.*

# CAPITIS SEXTI

## LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob dixit, Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris haec gravior appareret: unde et verba mea dolore sunt plena. Quia sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum: et terrores Domini militant contra me. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante praesepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt. Quis det ut veniat petitio mea: et quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui coepit, ipse me conterat? solvat manum suam et succidat me? Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus Sancti? Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est.

## LECTIO PRIMA.

Sicut ex superioribus patet, Eliphaz in lamento Iob tria notaverat, desperationem quidem, quae videbatur apparere propter odium praesentis vitae: impatientiam autem sive immoderatam tristitiam propter suspiria, et gemitus, quos se pati dicebat: praesumptionem vero, quia se innocentem asseruerat: et circa haec tria totus superior Eliphaz sermo versatur, in quo ad ostendendum Iob peccato fuisse subiectum, et ideo adversa tolerasse, proposuit inter caetera fragilitatem conditionis humanae, ex qua nullus potest se praesumere immunem esse a peccato. Hinc ergo Iob sumit suae responsionis initium: certum est enim quod ex fragilitate conditionis humanae nullus homo est immunis a peccato, quantumcunque iustus appareat; sed tamen in viris iustis non sunt peccata gravia, et mortalia, sed sunt in eis peccata levia, et venialia, quae ex negligentia, et surrectione proveniunt. Si autem hoc esset verum, quod Eliphaz asserere nitebatur, quod propriae poenae peccatorum essent adversitates praesentis vitae, homines paterentur et propter gravia peccata graves, et propter levia leves: et sic viri iusti nunquam gravibus adversitatibus subiacerent; quod patet esse falsum. Hanc ergo rationem Iob contra disputationem Eliphaz proponit: unde dicitur, *Respondens autem Iob dixit: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui;* quasi dicat, Dicere non possum, in me nulla esse peccata; confido tamen in me non esse mortalia, sed venialia. Si ergo pro peccatis huiusmodi iram, idest poenam, a Deo merui, debuisset saltem in statera iustitiae appendi calamitas, et peccatum, ut secundum aequalitatem unum alteri responderet; sed adversitas apparet multo maior ipso peccato; et hoc est quod subdit; *Quasi arena maris,* idest incomparabiliter, *haec,* scilicet calamitas, *gravior appareret.* Si sententia Eliphaz esset vera, quod adversitates in hoc mundo infliguntur solum secundum peccata, pro gravibus peccatis haeretici graves poenas sustinerent; sed haec sua sententia non est vera, cum appareat multos sceleratos, quorum peccatis peccata Iob comparata, quasi nulla erant, quasdam leves adversitates sustinere. Ex hoc autem ulterius procedit ad excusandum se a tristitia, quam verbis expresserat dicens; *Unde et verba mea plena dolore sunt,* quasi concludendo infert, quia dolor ex adversitatis magnitudine causaba-

tur. Causam autem doloris subiungit duplicem : causatur enim dolor interdum ex iis , quae aliquis iam perpessus est; interdum vero ex iis, quae pati timet. Primo ergo assignat causam sui doloris ex iis , quae perpessus fuerat , dicens , *Quia sagittae Domini in me sunt :* in quo ostendit ex improviso se fuisse afflictum: nam sagitta ex remotis, et ex improviso venit ; et ut ostendat percussionis magnitudinem , subiungit, *Quarum indignatio ebibit spiritum meum* , idest me respirare non permisit , sed totaliter , quidquid in me virium, aut consolationis esse poterat, sustulit. Deinde ostendit causam doloris ex iis, quae pati timebat , dicens : *Et terrores Dei militant contra me :* solent enim afflicti ex spe melioris status consolari; sed cum post afflictionem aliquis iterum similia vel maiora timet, nulla videtur esse consolatio residua. Posset autem aliquis dicere , causam quidem doloris habes, sed ex ea in verba doloris prorumpere non deberes. Contra quae respondet Iob ex iis , quae in aliis animalibus invenimus : homo enim aliis animalibus similis est in natura sensitiva: unde ea, quae naturam sensitivam sequuntur, adsunt homini , sicut et aliis animalibus; quod autem naturale est, non potest totaliter vitari. Invenitur autem in aliis animalibus , quod afflictionem cordis ore exprimant ; et hoc significat dicens: *Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam : aut mugiet bos , cum ante praesepe plenum steterit ?* quasi dicat, non. Rugit autem onager, et mugit bos, cum necessario victu caruerint. In quo apparet, naturale esse animalibus, quod interiorem afflictionem exprimant voce. Rursus aliquis dicere posset, naturale esse , quod dolor conceptus voce exprimatur, sed ad sapientem non pertinere, quod ex quibusdam causis tristitiam corde concipiat, ut Stoici posuerunt. Sed hoc ostendit Iob esse contra naturam sensitivam: nam sensus non potest non refugere id , quod est nocivum , vel inconveniens ; et ideo dicit , *Aut poterit comedi insulsum , quod non est sale conditum ?* quasi dicat, non: quia videt, quod huiusmodi insipida non conveniunt ad delectationem gustus , et similiter ea , quae non sunt delectabilia , non potest cor hominis libenter acceptare, et multo minus illa , quae sunt amara et noxia ; unde subdit : *Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem ?* quasi dicat, non: et sicut hoc est impossibile in sensu exteriori , ita impossibile est quod ea , quae per sensus exteriores apprehenduntur , ut noxia , sine tristitia recipiantur. Sed quia sapiens, licet tristitiam patiatur, eius tamen ratio a tristitia non absorbetur, sicut Iob, qui licet tristitiam pateretur , tamen ei maxima inerat solicitudo, et timor, ut se contra tristitiam tueretur, ne per tristitiam duceretur in aliquod vitiosum : quod ut vitaret , praeoptabat mortem; et ad hoc exprimendum dicit : *Quae prius tangere nolebat anima mea , nunc prae angustia cibi mei sunt;* quasi dicat, Ea quae prius anima mea abhorrebat, nunc delectabiliter appetit; et quae sint ista, ostendit dicens, *Quis det ut veniat petitio mea.* Et ut hanc petitionem non ore teneat tantum, sed etiam ex intimo corde proponere ostendatur, subiungit: *Et quod expecto, tribuat mihi Deus.* Et quae sit ista petitio, ostendit subdens, *Et qui coepit*, scilicet me affligere, *Ipse me conterat*, super mortem: et hoc est quod subdit, *Solvat manum suam, et succidat me.* Manum Dei dicit potentiam divinam qua ipsum Deus affligerat ; quae quidem manus quodammodo ligata videtur divina voluntate, dum per misericordiam affligere desistit ; solvitur autem quodammodo , dum ad finem occisionis percussio divina perducitur. Et quia dixerat ea , quae prius tangere nolebat, nunc cibos suos esse, ostendit quomodo hoc sit intelligendum : quia scilicet mors , quae sibi fuerat horribilis, nunc effecta est dulcis; unde subdit: *Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore*, scilicet Deus , *Non parcat* , idest non retrahat manum suam , sed me ad mortem perducat. Et quare hoc optet, ostendit per id, quod subdit , *Ne contradicam sermonibus Sancti* , idest Dei , hoc est eius iudiciis sanctis, quibus me afflixit: timebat enim Iob, ne per afflictiones multas ad impatientiam deduceretur , ita quod ratio tristitiam reprimere non posset. Impatientiae autem ratio est , cum ratio alicuius adeo a tristitia deducitur, quod divinis iudiciis contradicat ; si vero aliquis tristitiam quidem patiatur secundum sensualem partem , si ratio divinae voluntati se conformet, non est impatientiae defectus ; et sic falso Eliphaz arguebat Iob, ubi dixerat , *Nunquid venit super te plaga, et defecisti?* licet enim tristaretur, non tamen defecerat. Deinde assignat rationem de propria fragilitate, quare timebat , ne ad hoc perduceretur , ut contradiceret sermonibus Sancti: huiusmodi enim timor ex duplici causa posset tolli, primo quidem , si tanta esset sibi rationis fortitudo , ut nullo modo superari posset, sicut est in illis , quorum est liberum arbitrium per gratiam confirmatum ; sed hanc fortitudinem in se non sentiebat : unde dicit , *Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam ?* scilicet tot tribulationes. Secundo si tribulationes , et tristitias aliquo brevi tempore tolerare oporteret; et ideo ad hoc removendum adiungit : *Aut quis finis meus ut patienter agam?* quasi dicat, Quis terminus tribulationibus meis positus est, ut usque ad illum expectans , possim praesumere me patientiam servaturum; et ad horum expositionem subiungit dicens, *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea:* fortitudo enim lapidis sine sensu est; fortitudo autem hominis est cum sensu eorum quae noxia sunt: propter quod subdit , *Nec caro mea aenea est*, idest sine sensu: quia quantumcunque ratio mortalis hominis fortis sit , necesse est quod ex parte carnis experiatur sensum doloris : et per hoc excluditur increpatio Eliphaz , qui tristitiae beatum Iob arguebat : etsi enim inesset beato Iob fortitudo mentis, aderat tamen ex parte carnis sensus doloris, quem tristitia sequebatur. Similiter etiam per hoc confutatur opinio Stoicorum dicentium sapientem non tristari, cuius opinionis Eliphaz fuisse videbatur. Beatus autem Iob hoc defendere intendit , quod sapiens tristatur quidem, sed ad hoc studet per rationem, ut ad inconveniens non deducatur : quod etiam Peripathetici posuerunt.

## LECTIO II.

Ecce non est auxilium mihi in me ; et necessarii quoque mei recesserunt a me. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini dere-

linquit. Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus. Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Tempore quo fuerunt dissipati, peribunt: et ut incaluerint, solventur de loco suo. Involutae sunt semitae gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, et peribunt. Considerate semitas Themam, itinera Saba: et expectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt. Nunc venistis, et modo videntes plagam meam, timetis. Nunquid dixi, Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi? vel liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? Docete me, et ego tacebo: et si quid forte ignoravi, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. Verumtamen quod coepistis, explete. Praebete aurem, et videte an mentiar. Respondete obsecro, absque contentione: et loquentes id, quod iustum est, iudicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

## LECTIO II.

Ostendebat Iob in praecedentibus se rationabiliter dolorem sensisse, et verba doloris protulisse, sed dolore non esse absorptum, propter ea, quae passus erat; sed quia interdum homo, licet aliqua adversa patiatur, ita se suo, et alieno auxilio, et solatio contra adversa tuetur, ut vel parvum, vel nullum inde dolorem concipiat, vult ostendere beatus Iob se huiusmodi remediis esse destitutum, ut ex hoc appareat evidentius, se rationabiliter verba doloris protulisse: et primo quidem ostendit se praedictis remediis destitutum esse ex parte sua, cum dicit, *Ecce non est auxilium mihi in me:* etsi enim bona eius aliqualiter direpta fuissent, posset hoc absque tristitia tolerare, si se posset adiuvare ad recuperandum bona amissa, et ad vindicandum iniuriam illatam; sed hoc non poterat, omnibus divitiis, filiis, et proprii corporis sanitate destitutus. Rursus multa per nos ipsos non possumus, quae possumus per amicos; et ideo Iob secundo ostendit se etiam auxilio amicorum destitutum esse, cum dicit: *Necessarii quoque mei*, idest familiares et domestici, *Recesserunt a me.* Et quod hoc non sine culpa illorum sit, ostendit subdens: *Qui tollit ab amico suo misericordiam*, scilicet in tempore miseriae, *Timorem Domini derelinquit*, idest reverentiam, quam debet habere ad Deum, et propter quem, et in quo proximus diligendus est. *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* ut dicitur *Ioan. Epist. 1. cap. 4.* Deinde ostendit se etiam a consanguineis esse derelictum, dicens, *Fratres mei*, idest consanguinei mei, *Praeterierunt me.* Loquitur ad similitudinem simul in via incedentium, ac si uno cadente in foveam, alii nihilominus praecedant, eo dimisso. Et quidem aliqualiter excusabiles essent, si postquam aliquo tempore auxilium tulissent, dimisissent, vel propter taedium, vel propter desperationem adiuvandi. Et ideo, ut inexcusabiles sint, ostendit, se statim, et subito ab eis esse desertum; quod significat cum subdit: *Sicut torrens, qui raptim transit in convallibus*, qui velocissime movetur. Et ne hoc se impune fecisse credant, subiungit: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix;* quasi dicat: Qui propter timorem minoris periculi a iustitia et misericordia discedit, in maiora pericula deducetur: unde et fratres Iob, qui cum praeterierunt, compati nolentes, ipsi tristitiam in propriis personis suis sustinebunt; et quod eorum pericula futura sint sine remedio, ostendit subdens: *Tempore quo fuerint dissipati*, idest tempore quo incurrent aliqua pericula: *Peribunt*, scilicet totaliter: *Et ut incaluerint, solventur de loco suo.* Loquitur sub metaphora nivis, de qua fecerat mentionem: quae cum multum firmata fuerit per congelationem, non statim a propria solis calefactione dissolvitur; sed cum non est congelata, statim ad radium solis dissolvitur, et fluit. Hoc est ergo quod dicit, *Ut incaluerint, solventur de loco suo*, idest statim ad primum impetum adversitatis, quasi cuiusdam caloris, tota eorum prosperitas dissolvetur; unde dicit: *Involutae sunt semitae gressuum eorum:* illud enim, quod involvitur, in se ipsum quadam tortuositate redit: illorum quidem semitae involutae sunt, qui in consanguineis, et amicis nihil nisi propriam utilitatem quaerunt: propter hoc in tempore prosperitatis amicitiam simulant, sed in tempore adversitatis derelinquunt. Sed homines qui fraudulenter propriam utilitatem quaerunt, plerumque a sua spe deficiunt; et ideo subdit: *Ambulabunt in vacuum:* tunc enim aliqui in vacuum ambulare dicuntur, quando a fine ambulationis deficiunt; et non solum eorum spes evacuabitur, sed etiam contrarium eis accidet; unde sequitur, *Et peribunt*, idest totaliter destruentur. Sic ergo cum Iob neque in seipso, nec in domesticis, nec in consanguineis auxilium haberet, non immerito doloris verba protulerat. Consequenter ostendit, quod nec in aliis amicis; unde dicit: *Considerate semitas Themam, itinera Saba:* in quibus regionibus maxime videbatur habuisse amicos. Nam et Eliphaz de Themam venerat: *Expectate paulisper considerantes*, scilicet, utrum per has vias veniant, ad auxilium mihi ferendum: et hoc non videbitis: *Quia confusi sunt*, scilicet venite ad me: *Quia speravi*, idest quia tempus erat, in quo ab eis auxilium sperare debebam: homines enim qui auxiliari nolunt, confunduntur visitare illos, a quibus existimant a se rationabiliter posse peti auxilium: venerunt quoque aliqui, qui scilicet non mihi dederunt auxilium, cum cognoscerent se debere; nec est mirum de aliis, cum etiam vos, qui sapientiores videmini, in hoc deficiatis; unde subdit, *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam, timetis:* ne forte scilicet, oporteat vos mihi auxilium ferre; sed non timeatis: quia in nullo auxilium vestrum requisivi, nec requiro a vobis ut subveniatis mihi in denariis. Hoc est quod dicit, *Nunquid dixi, afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi?* nec petii a vobis auxilium in bello contra hostes; et hoc est quod sub-

dit, *Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me:* nec petii a vobis auxilium doctrinae: et hoc est quod dicit, *Nunquid dixi, docete me,* scilicet in speculativis: *Et ego tacebo: et si quid forte ignoravi, instruite me,* scilicet in agendis. Nec solum vos mihi auxilium non praebetis, sed etiam quantum in vobis est, me verbis affligitis: et hoc est quod subdit, *Quare detraxistis sermonibus veritatis?* quos scilicet primo protuli in mea lamentatione, quam in Eliphaz reprehendere visus est, ut dictum est. Et ut haec detractio inexcusabilis ostendatur, excludit omnia illa, quibus aliquis reprehensor a detractione potest excusari. Quorum primum est, cum aliquis maioris auctoritatis alium pro culpa reprehendit; et hoc excludit dicens: *Cum in vobis nullus sit, qui possit arguere me.* Secundum est, cum aliquis contra aliquem verba dura profert ad eius utilitatem, et non ad ipsum exacerbandum; et hoc est quod subdit: *Ad increpandum tantum,* et non ad utilitatem, *Eloquia concinnatis,* idest studiose componitis, ut non videantur leviter esse dicta. Tertium est, cum aliquis verba, quae profert contra aliquem, efficacibus rationibus munit; et hoc removet dicens, *Et in ventum verba profertis;* quasi dicat, Verba vestra inania sunt, nullum robur rationis habentia. Quartum est, cum aliquis aliquem reprehendit eo tempore, et in illo statu, in quo praesumi potest, quod non fiat inde deterior, sed melior. Sed si aliquis eo tempore aliquem reprehendere velit, quo consternatus animo, et ad iram dispositus est, videtur non velle correctionem, sed subversionem; et ideo dicit, *Super pupillum irruitis, subvertere nitimini amicum vestrum.* Seipsum pupillum nominat, quia in tristitia positus, omni auxilio destitutus erat. Et ne quis putaret, quod hoc diceret, timens contendere cum eis, quasi de veritate suae sententiae, et iustitia suae causae non praesumeret, subiungit, *Veruntamen quod coepistis explete,* ut scilicet ex mutua disputatione veritas elucescat; unde subdit, *Praebete aurem,* idest auscultate: *Et videte,* idest considerate, *An mentiar:* hoc est enim primum impedimentum veritatis inveniendae per disputationem, cum aliquis ea, quae ab adversario dicuntur, audire non vult. Secundum impedimentum est, cum ad audita clamose et contumeliose respondet; et ad hoc removendum dicit, *Respondete obsecro absque contentione.* Est enim contentio, ut Ambrosius dicit, impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Tertium impedimentum est, cum aliquis in disputatione non intendit ad veritatem, sed ad victoriam et gloriam, ut accidit in disputationibus litigiosis, et sophisticis; et quantum ad hoc dicit, *Et loquentes id quod iustum est, iudicate,* ut scilicet concedatis ea, quae vobis videntur vera, et negetis quae videntur falsa; et si hoc feceritis: *Non invenietis in lingua mea iniquitatem,* scilicet aliquid contra iustitiam quae debetur proximo: *Nec in faucibus meis stultiti a personabit,* scilicet aliquid contra sapientiam, qua recte sentitur de Deo. Intendebat enim circa divina, et circa humana, et defendere, et probare veritatem.

# CAPITIS SEPTIMI

## LECTIO PRIMA.

Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies eius. Sicut cervus desiderat umbram: et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui; sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam, quando consurgam? et rursum expectabo vesperam: et replebor doloribus usque ad tenebras.

## LECTIO PRIMA.

Eliphaz in superioribus volens beatum Iob a desperatione removere, ei quandam terrenam beatitudinem repromiserat, si increpationem Domini non reprobaret. Unde beatus Iob postquam tristitiae suae rationabiles causas ostendit, vult ulterius ostendere, praedictam consolationem Eliphaz ex repromissione terrenae felicitatis esse incongruam. Et primo hoc ostendit ex conditione praesentis vitae; postmodum vero id ostendet ex sua propria conditione. Circa conditiones vero praesentis vitae diversa fuit hominum sententia: quidam enim posuerunt in hac vita ultimam felicitatem esse; et hanc sententiam videtur sequi Eliphaz: ibi enim est ultimus finis hominis, ubi expectat finalem retributionem pro bonis aut malis: unde si in hac vita homo remuneratur a Deo pro bene actis, et punitur pro malis, ut Eliphaz videbatur asserere, consequens videtur, quod in hac vita sit ultimus hominis finis. Hanc autem sententiam intendit Iob reprobare, et vult ostendere, quod praesens vita hominis non habet in se ultimum finem, sed comparatur ad ipsum, sicut motus ad quietem, et via ad terminum; et ideo comparat eam illis statibus hominum, qui tendunt ad aliquem finem, scilicet statui militum, quia militando ad victoriam tendunt; et hoc est quod dicit, *Militia est vita hominis super terram;* ac si dicat, Vita praesens, qua super terram vivimus, non est sicut status victoriae, sed sicut status militiae: comparat etiam eam statui mercenariorum: et hoc est quod subdit, *Et sicut mercenarii dies eius,* scilicet hominis super terram viventis. Comparat autem praesentem vitam his duobus statibus propter duo, quae imminent homini in praesenti vita, ut scilicet resistat impedimentis, et nocivis: et propter hoc comparatur militiae; et ut operetur utilia ad finem: et propter hoc comparavit mercenario. Ex utroque autem exemplo datur intelligi praesens vita divinae providentiae subdi: nam milites sub duce militant: et mercenarii a patrono operis mercedem expectant. Satis etiam in his duobus exemplis apparet falsitas sententiae, quam Eliphaz defendebat. Manifestum est enim, quod dux exercitus strenuis militibus non parcit periculis aut laboribus, secundum quod militiae ratio exigit; interdum eos, et maioribus laboribus, et maioribus periculis exponit, sed post victoriam adeptam magis strenuos plus honorat; sic et paterfamilias melioribus merce-

nariis maiores labores committit, sed in tempore mercedis eis maiora munera largitur. Unde nec divina providentia hoc habet, ut bonos magis ab adversitatibus, et vitae praesentis laboribus eximat, sed quod in fine eos magis remuneret. Quia ergo ex his Eliphaz sententia tota subruitur, ad eorum confirmationem Iob intendit, et eam efficaci ratione demonstrat. Manifestum est enim, quod quaelibet res adepto ultimo fine quiescit : unde necesse est, quod cum ipsa voluntas humana ultimum finem consecuta fuerit, in illo quiescat, et ulterius ad alia desideranda non moveatur : hoc autem contrarium in praesenti vita experimur, nam semper homo quasi non contentus praesentibus, futura desiderat. Unde manifestum est in hac vita ultimum finem non esse; sed hanc vitam ad alium finem ordinari, sicut ordinatur militia ad victoriam, et dies mercenarii ad mercedem. Sciendum est autem, quod in praesenti vita praesentia non sufficiunt, sed desiderium tendit in futura, propter duo, scilicet propter afflictiones praesentis vitae ; et propter hoc inducit exemplum animalis desiderantis umbram, dicens: *Sicut cervus*, ab aestu afflictus, *Desiderat umbram*, qua refrigeretur: et propter defectum perfecti boni, et finalis, quod hic non habetur: et ideo ponit exemplum de mercenario, dicens: *Et sicut mercenarius praestolatur finem operis sui:* perfectum enim bonum est hominis finis: *Sic et ego habui menses vacuos*, idest reputavi menses praeteritos mihi vacuos praeteriisse : utpote, in quibus perfectionem finalem adeptus non eram: *Et noctes*, deputatas quieti contra afflictiones, *laboriosas numeravi mihi*, idest reputavi ac si essent laboriosae, inquantum in eis retardabar a prosecutione finis. Quomodo autem habuerit menses vacuos, et noctes laboriosas, exponit subdens: *Si dormiero*, idest cum fuerit tempus dormiendi de nocte, *dico quando consurgam?* exoptans diem: *Et rursum*, facto die, *expectabo vesperam:* et sic semper in futurum per desiderium tendens : et hoc quidem est commune omni homini viventi super terram; sed plus et minus hoc sentiunt homines, secundum quod magis aut minus gaudiis aut tristitiis afficiuntur : nam qui in gaudio est, minus considerat futurum, plus autem, qui in tristitia; et ideo, ut hoc desiderium Iob in se esse vehemens ostendat, subiungit: *Et replebor doloribus usque ad tenebras:* propter quos dolores praesens tempus si est mihi taediosum, futurum magis desidero.

## LECTIO II.

Induta est caro mea putredine : et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona, nec aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, et non subsistam. Sicut consumitur nubes, et pertransit: sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.

## LECTIO II.

Ostenderat supra beatus Iob consolationem Eliphaz ex promissione felicitatis in vita aeterna fuisse ineptam, ex generali conditione vitae hominis super terram ; nunc autem intendit ostendere eandem consolationem ineptam esse ex sua propria conditione ; et proponit duo, quae impediunt ipsam expectare prosperitatem super terram : quorum primum est infirmitas corporis, quam patiebatur : homini enim gravi infirmitate detento nihil potest contingere, quod eum in hac vita faciat esse felicem ; et ideo dicit: *Induta est caro mea putredine;* quasi dicat, Undique corpus meum circumdatur vestimento ; et quia vulnera in principio curata ad sanitatem perveniunt, ostendit vulnera sua esse neglecta ; unde dicit, *Et sordibus pulveris :* non enim erant debito modo curata, quia ad litteram in sterquilinio iacebat, ut supra dictum est. Expectatur autem sanitas vulnerum, etiam si vulnera sint neglecta, quando natura est fortis ; sed in Iob etiam vigor naturae defecerat; unde dicit, *Cutis mea aruit, et contracta est*, quia humor naturalis iam consumptus est, vel propter senectutem, vel propter infirmitatem ; unde non videtur locus, ut in hac vita ulterius felicitatem expectem. Secundum est, quod plurimum tempus vitae suae iam praeterierat, unde modicum tempus restabat, nec in eo poterat magnam felicitatem expectare ; et propter hoc dicit, *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur:* vita enim hominis quantum ad aliquid similis est texturae : sicut enim ille qui texit telam, fila filis adiungit, ut ad perfectionem telae perveniatur, qua perfecta, eam succidit ; sic ad hoc ut vita hominis perficiatur, dies diebus adduntur ; cum autem fuerit perfecta, totaliter succidetur. Ideo autem ait, quod velocius transeunt dies hominis quam tela succidatur : quia in opere telae textor interdum quiescit ; sed tempus vitae hominis absque quiete continuo labitur. Sed posset aliquis dicere, quod licet plurimum temporis vitae eius transierit, adhuc tamen posset expectare reditum ad statum vitae praeteritae : posuerunt enim aliqui, quod post mortem, transactis plurimis annorum circulis, homo rediturus erat ad eandem vitae seriem, quam prius egerat, ut puta, quod Plato in futuris temporibus lecturus erit Athenis, et eadem acturus, quae prius egit; et sic homo, licet plurimum temporis vitae eius transierit, posset expectare restitutionem beatitudinis in vita terrena : et ideo ad hoc removendum subiungit Iob : *Et consumpti sunt absque ulla spe*, redeundi scilicet ad pristinos dies : et ad hoc probandum subiungit, *Ad dominum loquens*, ad quem, ab illo loco, *Militia est vita hominis super terram*, videtur direxisse sermonem, dicens: *Memento, quia ventus est vita mea*, idest vento similis : sicut enim ventus pertransit, et ultra non revertitur, ita vita hominis, cum pertransierit, non redit; et hoc est quod subdit : *Et non revertetur oculus meus, ut videat bona*, scilicet terrenae vitae, quae quondam habui, et nunc amisi. Et sicut cum vita mea praeterierit, ego non revertar, ut videam bona terrena, sic nec videbor ab oculo terreno; unde sequitur, *Nec aspiciet me visus hominis :* ponit enim hic duo, ut

significet quod non revertetur ad conversationem humanam, quae maxime consistit in videre, et videri: nam visus, cum sit subtilior sensuum, principatum tenet in vita sensibili. Sed quamvis post mortem ab hominis oculo dixerit non videndum, confitetur tamen se videndum esse ab oculo divino, in hoc quod subdit, *Oculi tui in me*, scilicet erunt. Deo enim mortui conspicui sunt, qui spiritualia intuetur: quia mortui secundum spiritum vivunt, non secundum carnem, quam visus hominis aspicere potest. Posset autem aliquis ex hoc intelligere, quod oculi Dei ita respiciant mortuum, non secundum statum praesentem, sed secundum quod respicit futura, quasi homo mortuus iterum rediturus sit ad vitam, quam dimisit; et ideo ad hoc excludendum subiungit, *Et non subsistam;* quasi dicat, Sic dico, quod oculi tui in me erunt post mortem, quod tamen ego postmodum iterato non subsistam in statu huius vitae terrenae: et hoc probat per simile, cum subdit, *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos, et non ascendet.* Dicuntur autem mortui ad inferos descendere, vel quia secundum animam ante Christi mortem omnes ad infernum descendebant, vel quia secundum carnem sub terra ponuntur: quantum enim ad praesens pertinet, nihil differt quomodocunque exponatur: nihil enim aliud vult dicere, nisi quod mortui non redeunt ad vitam praeteritam; et hoc probat in quadam simili probatione sufficienti. Sicut enim Philosophus docet *in secundo de Generatione,* tam in corporibus corruptibilibus, quam in corporibus incorruptibilibus, quidam circularis motus apparet; sed haec est differentia, quia in corporibus caelestibus secundum circulationem reiteratur idem numero, sicut idem sol numero, qui occidit, redit ad ortum: et hoc ideo, quia substantia non corrumpitur in tali mutatione, sed solus locus mutatur; in motu vero generabilium et corruptibilium non redit idem numero, sed idem specie: patet enim quod secundum circularem motum solis, nubium circulatio quaedam fit in dispositione aeris, nam in hyeme sunt nubes, et postmodum in aestate consumuntur, et iterum redeunte hyeme, redeunt nubes, non tamen eaedem numero, sed specie, quia illae nubes, quae prius fuerunt, omnino disparuerunt: et similiter est in hominibus: non enim homines per generationes redeunt, qui prius fuerunt secundum numerum, sed solum secundum speciem. Ex quo patet solutio rationis illorum, qui ponebant reditum ad eandem vitam, et ad eosdem actus: credebant enim, quod inferiora disponuntur secundum motum corporum caelestium: unde, cum redierit eadem constellatio post plurima temporum spatia, credebant quod redirent et eaedem res numero. Non est autem necesse quod redeant eaedem numero, ut dictum est, sed solum similes secundum speciem. Ponebant autem isti, quod homo mortuus post certa temporum spatia non solum rediret ad vitam, sed etiam ad easdem possessiones et domos, quas prius habebat; et ideo ad hoc excludendum subiungit, *Nec revertetur ultra ad domum suam.* Ponebant etiam quod eadem opera acturus erat, quae prius egit, et eadem officia, et dignitates habiturus; unde ad hoc etiam excludendum subiungit, *Nec cognoscet eum amplius locus eius*, idest non redibit ulterius ad locum suum; et accipitur hic locus pro statu personae, illo modo loquendi, quo dicere consuevimus, Iste habet magnum locum in ista civitate. Manifestum est autem ex his, quod Iob hic resurrectionem, quam fides asserit, non negat, sed reditum ad vitam carnalem, quam Iudaei ponunt, et alii quidam philosophi posuerunt. Nec hoc etiam contradicit narrationi Scripturae de hoc, quod aliqui sunt resuscitati ad vitam praesentem: quia aliud est quod miraculose agitur, aliud est, quod agitur secundum cursum naturalem, prout hic loquitur Iob. Considerandum est etiam, quia quod supra dixit, *Memento quia ventus est vita mea*, non ideo dixit, quasi in Deum oblivio cadat; sed loquitur ex hypothesi positionis adversariorum. Si enim Deus repromitteret homini, cuius vita iam quasi praeteriit, bona in hac vita terrena, videretur quasi oblitus, quia vita hominis ad modum venti sine reditu transit.

## LECTIO III.

Quapropter et ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae. Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Si dixero, Consolabitur me lectulus meus, et relevabor, loquens mecum in stratu meo; Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra iam vivam.

## LECTIO III.

Postquam ostendit Iob consolationem Eliphaz, promittentis prosperitatem terrenam, fuisse incongruam per rationes ostensivas; nunc idem ostendit, deducendo ad inconveniens: quia si illi consolationi inniteretur, quae ex spe terrenae prosperitatis sibi aliquando secundum Eliphaz danda erat, cum ista spes frivola sit et vana, ut ostensum est, sequeretur quod oporteret eum adhuc in tristitia remanere, et doloris verba proferre, et penitus desperare; et ideo quasi contra populum disputans concludit, *Quapropter*, scilicet vanum est expectare prosperitatem terrenam, ut ostensum est: et aliunde non habetis, unde me consolemini: ergo, *et ego* quasi consolatione destitutus, *Non parcam ori meo*, quin loquar verba lamentationis, prout mens suggeret; et hoc est quod subdit, *Loquar in tribulatione spiritus mei*, scilicet secundum quod tribulatio, quam patior, spiritum meum impellit ad loquendum: nec solum aderat ei tribulatio exterior, sed et tristitia interior exinde concepta; et ideo subdit, *Confabulabor cum amaritudine animae meae*, idest in amaritudine quasi fabulosa verba loquar, secundum quod amaritudo animae meae mihi ministrabit. Inter certa autem quae homines amaricati confabulari solent, praecipue solent inquirere de causis suae amaritudinis, quia vix est aliquis amaricatus, quin videatur sibi vel penitus iniuste, vel plus iusto afflictus esse; et ideo Iob ge-

rens personam hominis amaricati inquirit de causa afflictionis suae, dicens, *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Ubi notandum est, quia aliter providentia divina operatur circa creaturas rationales, et aliter circa irrationales: in creaturis enim rationalibus invenitur meritum, et demeritum propter liberum arbitrium, et propter hoc debentur eis poena et praemia; creaturae vero irrationales, cum non habeant liberum arbitrium, nec merentur, nec demerentur poenas, et praemia; sed operatur Deus circa eas ad earum ampliationem, vel restrictionem, secundum quod competit ad bonum universi. Ex qua quidem provisione, seu ratione contingit, quod Deus mare coercet, ne totam terrae superficiem occupet, ut sit locus animalibus ex terra nascentibus; sic etiam cete infra mare oceanum coercet, ne si in alia maria deduceretur, aliquibus posset esse etiam nocumento; et ideo inquirit Iob utrum similis causa sit suae afflictionis causa, propter quam coarctatur mare, aut cetus, ut scilicet afflictus sit non propter aliquid suum detrimentum, sed propter aliquam utilitatem exinde aliis provenientem. Dicit autem se carcere circumdatum, eo quod ita oppressus erat tribulatione, quod ex nulla parte patebat sibi vel liberatio, vel consolatio; et ideo consequenter ostendit se privatum esse illis remediis, quibus afflicti solent consolari; quorum unum est somnus, nam propter somnum tristitia mitigatur; et hoc notatur cum dicit: *Si dixero, consolabitur me lectulus meus*, scilicet tempore dormitionis; aliud remedium est, cum homines sapientes per deliberationem rationis se ipsos consolantur; et hoc remedium tangit cum dicit: *Relevabor*, scilicet ab oppositione tristitiae: *Loquens mecum*, per deliberationem rationis: *In stratu meo*: homines enim sapientes quando solitarii sunt, et a tumultibus hominum et negotiorum semoti, tunc magis secum loqui possunt secundum rationem aliquid cogitando; sed ista remedia eum iuvare non poterant, quia tempore quo his remediis uti debebat, aderant sibi alia impedimenta, quibus perturbabatur, scilicet somnia terribilia, et visiones horribiles; et hoc est quod subdit: *Terrebis me per somnia*, quae scilicet dormienti apparent: *Et per visiones*, quae scilicet apparent vigilantibus ab usu exteriorum sensuum alienato, *Horrore concuties*: solent enim nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationibus: unde quia Iob in die maerores cogitabat, similibus phantasmatibus perturbabatur in nocte. Infirmitas etiam corporis ad hoc operatur, ut perturbata phantasmata dormientibus appareant. Sic ergo undique consolatione exclusa, nullus modus mihi remanet tot angustias evadendi, nisi per mortem; et ideo praeelegi mortem quamtuncunque abiectam, ut vitem tantam miseriam; et hoc est quod dicit, *Quamobrem elegit suspendium anima mea.* Et ne putaretur haec electio ex aliqua infirma cogitatione provenire, aliis fortibus cogitationibus repugnantibus, subiungit, nil esse in se tam forte, quod mortem non desideret; et hoc est quod dicit, *Et mortem ossa mea:* solet enim per ossa in Scriptura id quod est in homine robustius designari; et quare hoc eligit, ostendit cum subdit, *Desperavi*, idest a spe quam mihi dedisti, ut iterum fruar prosperitate terrena; et quare desperaverat ostendit subdens, *Nequaquam ultra iam vivam*: in quo duo possunt intelligi, quae supra posuerat: scilicet quod maius tempus vitae suae iam praeterierat, et quod non erat reditus post mortem ad eandem vitam, ut scilicet viveret super terram. Hoc ergo inconveniens inferebat ipse Iob ex consolatione Eliphaz, quod scilicet desperatus mortem eligeret, et non haberet unde tristitiam reprimeret.

## LECTIO IV.

Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi. Quid faciam tibi o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam; et si mane me quaesieris, non subsistam.

## LECTIO IV.

Postquam ostendit Iob quod consolatio Eliphaz ex promissione felicitatis terrenae, inducebat eum ad desperationem et desiderium mortis, ostendit quid sibi sperandum relinquatur a Deo, ut scilicet tribulatio illata cesset; et hoc est quod dicit: *Parce mihi Domine;* quasi dicat, A spe prosperitatis terrenae decidi, hoc mihi sufficit ut parcas, idest flagellare desistas. Et quia ad parcendum inducere solet parvitas et miseria hominis, subiungit: *Nihil enim sunt dies mei*, quod videtur referri ad hominis parvitatem, et ad vitae brevitatem, et communiter quantum ad omnes, et specialiter quantum ad seipsum, cuius dies iam praeterierant. Utrumque autem consequenter prosequitur; et primo de parvitate dicens: *Quid est homo*, idest quam parvum quidem et infirmum secundum corpus: *Quia magnificas eum*, honore grandi inter ceteras creaturas: *Aut quid apponis erga eum cor tuum*, eum scilicet speciali cura custodiendo et protegendo. Ubi considerandum est, quod licet omnia subsint divinae providentiae; omnia tamen secundum statum suum ordine prosequenti a Deo aliter, et aliter disponuntur. Cum enim omnia particularia bona, quae sunt in universo, ordinari videantur ad commune bonum universi, sicut pars ad totum, et imperfectum ad perfectu, eo modo aliqua disponuntur secundum divinam providentiam, secundum quod habent ordinem ad universum. Sciendum est autem, quod secundum modum, quo aliqua participant perpetuitatem, essentialiter ad perfectionem universi spectant; secundum autem quod a perpetuitate deficiunt, accidentaliter pertinent ad perfectionem universi, et non per se; et ideo secundum quod aliqua perpetua sunt, propter se disponuntur a Deo; secundum autem quod corruptibilia sunt, propter aliud. Quae ergo perpetua sunt et specie et individuo, propter se gubernantur a Deo; quae autem sunt corruptibilia individuo, perpetua spe-

cie tantum, secundum speciem quidem propter se dispensantur a Deo; secundum autem individuum propter speciem tantum, sicut bonum et malum, quod accidit in brutis animalibus; utpote quod haec ovis occiditur ab hoc lupo, vel aliquod aliud huiusmodi, non dispensatur a Deo propter aliquod meritum, vel demeritum huius lupi, vel huius ovis, sed propter bonum specierum, quia divinitus unicuique speciei ordinatus est proprius cibus: et hoc est quod dicit: *Aut quid apponis erga eum cor tuum?* dum scilicet ei providet propter eius bonum. Non apponit autem in brutis erga singularia cor suum, sed erga bonum speciei, quod potest esse perpetuum. Quo modo autem apponat erga eum cor suum, ostendit, cum subdit, *Visitas eum diluculo*, idest a principio nativitatis, tua providentia administrans ei quae sunt necessaria ad vitam et magnificationem tam corporalem quam spiritualem: *Et subito probas illum*, per adversa, in quibus apparet qualiter te habeat ad virtutem: quia sicut habetur *Eccl. 27. vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis.* Dicitur autem Deus hominem probare, non ut ipse discat qualis est homo, sed ut alios eum cognoscere faciat, et ut ipsemet seipsum cognoscat. Haec autem verba non sunt intelligenda tanquam improbantis divinam circa homines solicitudinem; sed tanquam inquirentis, et admirantis: id enim quod de homine videtur exterius, parvum quidem est, fragile, et caducum. Unde mirum videtur, quod Deus tantam solicitudinem habeat de homine, nisi aliquid lateret, eo quod esset perpetuitatis capax: et per hanc inquisitionem et admirationem sententia Eliphaz excluditur: quia si non esset alia vita hominis, nisi quae est super terram, non videretur condignus homo tanta Dei solicitudine circa ipsum. Ipsa ergo solicitudo, quam Deus specialiter habet de homine, demonstrat aliam esse vitam hominis post corporis mortem. Deinde aliam rationem subiungit, ut sibi parcatur, sumptam ex brevitate vitae, eam sub interrogatione proponens, cum dicit, *Usquequo non parcis mihi?* quasi dicat: Tempus hominis breve est, et temporis vitae meae maior pars transiit. Quis ergo terminus expectatur, ut mihi parcas, si modo non parcis, ut saltem aliquid breve spatium habeam in quo quiescam? quod significat in hoc quod subdit: *Nec dimittis me, ut glutiam salivam meam*: homines enim dum verba proferunt, salivam glutire non possunt. Necessarium est ergo in loquendo aliquam modicam pausam fieri, ut saliva vel expuatur, vel glutiatur. Cui quidem horulae residuum tempus vitae suae comparat, ac si dicat, si parcere differas, non remanebit mihi a laboribus aliqua quies saltem illi pausae similis, qua loquentes salivam glutiunt: et hoc etiam non procedit ex suppositione sententiae Eliphaz, quasi non sit vita alia hominis, nisi quae est super terram: non restat quando Deus parcat, si in hac vita non parcit. Posset autem aliquis dicere, Iob indignum esse ut sibi parcatur a Deo, quia peccata sua merentur eum ulterius affligi, secundum sententiam Eliphaz, qui eum propter peccata flagellari putabat; et ideo subdit: *Peccavi;* quasi dicat: Esto quod peccaverim, et propter hoc merear flagellari, adhuc remanet ratio quare mihi parcere debeas; et subiungit adhuc tres rationes, quare parcere Deus debeat, sumptas ex hominis infirmitate. Quarum prima sumitur ex impotentia satisfaciendi: homo enim nihil condignum facere potest propriis viribus, ad recompensandum offensam, quam contra Deum commisit; et hoc est quod dicit: *Quid faciam tibi o custos hominum?* quasi dicat, Si tantam solicitudinem de hominibus habeas quasi custos eorum, ut de singulis eorum actibus rationem requiras, non suppetunt meae vires ad faciendum aliquid, propter quod peccata mea remittas: unde si hoc expetatur, nunquam mihi parceres; et ideo hoc non obstante, mihi parcere debes. Secunda ratio sumitur ex impotentia perseverandi: homo enim post corruptionem humanae naturae, perseverare non potest sine gratia Dei: unde et in sacra Scriptura consuetum est dici, quod Deus aliquem indurat, vel excaecat, ex hoc quod gratiam non largitur, per quam emolliatur et videat. Secundum ergo hunc modum hic loquitur dicens: *Quare posuisti me contrarium tibi?* idest quare mihi gratiam non dedisti, per quam in hoc perseverarem, ut mihi contrarius non esses propter peccatum? Quicunque enim peccat, quantum in se est, Deo contrarius est, dum scilicet divinis mandatis repugnat, sive quae sunt in lege scripta tradita, sive naturaliter indita hominis rationi. Sciendum est autem, quod hominis ratio fortior est inter omnes animae virtutes: cuius signum est, quod aliis imperat, et eis utitur ad suum finem. Contingit tamen quod ratio interdum ad modicum absorbetur per concupiscentiam, vel iram, aut alias inferiorum partium, et sic homo peccat; non tamen inferiores vires sic possunt rationem ligatam tenere, quin semper redeat ad suam naturam, qua in spiritualia bona homo tendit, sicut in proprium finem. Sic ergo pugna quaedam fit, etiam hominis ad seipsum, dum synderesis remurmurat rationi propter hoc, quod per concupiscentiam, vel iram absorpta, peccavit, ex quo ex peccato praeterito inferioribus viribus est addita pronitas; et ideo ad similes actus propter consuetudinem ratio non potest libere uti inferioribus viribus, ut eas scilicet ad superiora bona ordinet, et ab inferioribus retrahat; et sic homo, dum fit contrarius Deo per peccatum, fit etiam sibimetipsi gravis; et hoc est quod subdit: *Et factus sum mihimetipsi gravis.* In quo apparet, quod peccatum statim suam poenam habet, et sic post hanc poenam facilius videtur homini esse parcendum. Tertia ratio sumitur ex impotentia hominis ad purgandum peccatum: homo enim per seipsum in peccatum labitur, sed solius Dei est peccatum remittere; et ideo quaerit Iob, si poena mea cessare non debet, quamdiu peccatum manet, et tu solus peccatum auferre potes: *Cur non tollis peccatum meum*, quod in te Deum, vel in meipsum commisi? et adhuc subditur, *Et quare non aufers iniquitatem meam?* si qua est contra proximum commissa. Considerandum est autem, quod huiusmodi quaestiones Iob non facit, quasi temerarius divinorum iudiciorum inquisitor, sed ad felicitatem destruendam, quam adversarii asserere nitebantur, scilicet quod in hac vita tantum essent expectanda a Deo bona, vel mala pro factis humanis; quo quidem posito, tota ratio divinorum iudiciorum turbatur, quibus homines in hac vita punit propter peccata, vel peccata remittit secundum quod eos

praeordinat ad vitam futuram, vel praedestinando, vel reprobando. Si autem non esset vita futura, sed tantum praesens, non esset ratio, quare Deus differret parcere iis, quibus parcere intendit, aut eos iustificare, et remunerare; et ideo Iob, ut suam intentionem aperiat, subdit: *Ecce nunc in pulvere dormiam:* quia iam in promptu est finis vitae meae, cum moriar resolvendus in pulverem, et propter incertitudinem mortis tempus vitae non potest expectari: finitur etiam dies crastinus; et ideo subdit, *Et si mane me quaesieris, non subsistam:* quasi dicat, Non possum repromittere mihi tempus vitae usque in mane, ne dum longa vitae spatia, in quibus expectare possim, quod mihi parcas, si alia vita non erit. Considerandum est autem, quod Iob procedit more disputationis, cui a principio sufficit falsam opinionem repellere, et postmodum aperit quid ipse de veritate sentiat. Notandum est etiam, quod Iob in verbis praemissis tres rationes tetigit, quare aliquis in hac vita flagellatur a Deo. Prima est, ut cohibeatur eius malitia, ne aliis possit nocere; et hanc rationem tetigit, cum dixit, *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Secunda est, ut habeatur hominis experientia, ut scilicet virtus eius manifestetur; et hanc tetigit cum dixit, *Visitas eum diluculo, et subito probas illum.* Tertia est in poenam peccatorum; et hanc tetigit cum dicit, *Peccavi, quid faciam tibi o custos hominum?*

## CAPITIS OCTAVI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Baldath Suites, dixit: Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui? Nunquid Deus supplantat iudicium, aut omnipotens subvertit quod iustum est? etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suae, tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus; si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae, in tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.

### LECTIO PRIMA.

In superioribus beatus Iob dictis Eliphaz respondit, eius sententiam efficaciter et profunde evacuando, sed Baldath Suites in eandem sententiam cum Eliphaz concordans, profunditatem beati Iob non comprehenderat; et ideo contra responsionem beati Iob loquitur, sicut solent homines loqui contra sententias non intellectas. Homines autem non comprehendentes mentes loquentium, in duobus deficere solent: quorum unum est, quia nesciunt quando ille qui loquitur, ad finem propositi pervenerit. Aliud est, quod ordinationem sermonum loquentis capere non possunt, et hoc in verbis Baldath Suites manifeste apparet: dicit enim: *Respondens autem Baldath Suites dixit: Usquequo loqueris talia?* Videbatur enim ei quod nimis protraxisset sermonem, non considerans, nec intelligens ad quem finem Iob suum sermonem producere volebat. Similiter etiam ordinationem eorum, quae Iob dixerat, qualiter scilicet ad invicem compacta erant, non capiebat: et ideo subiungit, *Et spiritus multiplex sermonis oris tui?* reputabat enim quia Iob multa protulerat, quorum ordinem ipse non capiebat, quod essent verba dissuta, et quasi hominis sine ratione, ex impetu spiritus varia loquentis absque ordine rationis. Et quia, ut dictum est, Baldath intentionem Iob non comprehenderat, eius verba in alia intentione accipiens, ad inconveniens deducere conatur. Volens enim Iob superioribus excludere sententiam Eliphaz, ponentis quod adversitates in hoc mundo pro peccatis hominum contingebant, et quod peccatores flagellati a Deo si convertantur, ad statum prosperitatis reducentur, contra utramque locutus fuerat: nam contra primum, ut supra expositum est, dixerat, *Utinam appenderentur peccata mea;* contra secundum dixerat, *Desperavi, nequaquam ultra iam vivam*, et multa huiusmodi, ut ex superioribus patet. Hoc autem dicebat Iob, intendens quod paenae peccatorum et iustitiae praemium, non sunt expectanda a Deo in hac vita. Baldath autem qui aliam vitam nesciebat, sic accepit haec verba, ac si Iob intenderet dicere, quod Deus peccata non punit, nec benefacta remunerat; et ideo Baldath proponit dicens: *Nunquid Deus supplantat iudicium, et omnipotens subvertit quod iustum est?* quasi dicat, Hoc sequitur ex tuis verbis, si homines in hoc mundo absque peccato punit, aut ultra mensuram peccati, vel si ad se reversis bona reddit. Et notandum est, quod iustitia dupliciter corrumpitur, scilicet per astutiam alicuius sapientis, et per violentiam alicuius potentis. In Deo autem utrumque est, et perfecta sapientia, et omnipotentia. Nec tamen per sapientiam, quae nomine Dei intelligitur, quasi astute agens, supplantat iudicium, nec per omnipotentiam, quasi violenter subvertit quod iustum est. Duo autem erant, quae videbantur impedire Iob, ne pristina prosperitas ei restitui posset, etiam si converteretur ad Deum, ut Eliphaz dixerat: quorum unum erat, quia filii quos amiserat, mortui erant, nec expectari poterant quod resuscitarentur per suam conversionem ad vitam; et ideo Baldath dicit, *Etiam si filii tui peccaverunt, et dimisit eos in manu iniquitatis suae;* quasi dicat, Cum tu conversus fueris ad Deum, illa recuperabis, quae pro peccatis tuis amisisti. Filii autem tui morte oppressi sunt, non propter peccata tua, sed propter peccata eorum. Unde non est contra sententiam Eliphaz, qua dixerat, quod per conversionem redibis ad prosperitatem, si filii tui, te converso, non resuscitentur. Et notandum est, quod quia iste Baldath poenas praesentis vitae pro peccatis accidere credebat, ultima autem poenarum praesentium est mors; tunc homo videtur perfecte pro peccato punitus, quando usque ad mortem pro peccato perducitur; et ideo subiungit et dicit, *Et dimisit eos in manu iniquitatis suae*, quasi diceret, in potestate peccatorum suorum, ut absque aliquo retinaculo usque ad ultimam paenam pro peccatis deducerentur. Aliud autem est, quod reditum ad pristinam prosperitatem im-

pedire videbatur, quod plurimum tempus viae Iob iam transierat, et parum restabat, ut ipse supra dixerat; unde non videbatur quod in illo modico tempore sufficienter sibi pristinae prosperitates possent restitui, etiam si converteretur ad Deum ; et ideo Baldath ei promittit possessionum recompensationem fiendam ad tempus, ut scilicet multo maiora bona obtineat, quam prius habuit per hoc quod modico tempore ea esset habiturus: et ideo Baldath primo describit ei modum debitae conversionis, ad quam tria requiruntur. Quorum primum est, ut a peccato celeriter surgat; et hoc est quod dicit: *Tu tamen si diluculo*, idest tempestive, *Consurrexeris ad Deum*, relictis peccatis, secundum illud *Eccl. 5. Ne tardes converti ad Dominum.* Secundum est, ut homo pro peccatis satisfaciat ; et quantum ad hoc dicit: *Et omnipotentem fueris deprecatus:* inter satisfactionum enim opera, quasi praecipua videtur esse oratio. Tertium est ut homo perseveret, cavens sibi a recidivo peccati; et ideo dicit, *Si mundus et rectus incesseris*, scilicet cavens tibi ab immunditiis carnis, et ab iniustitiis quibus laeditur proximus. Sic autem perfecta conversione descripta, subiungit promissionem prosperitatis dicens: *Statim evigilabit ad te*, scilicet Deus; etenim quasi dormire videtur, cum iustos affligi permittit, evigilare autem quando eos defendit, secundum illud, *Exurge quare obdormis Domine ;* et effectum huius vigilationis subiungit dicens: *Et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae;* quasi dicat, Domus et familia tua tempore peccati tui, cum erat reproba, fuit perturbata: *Et tempore iustitiae tuae pacem habebit.* Et ne posset conqueri de temporis brevitate, repromittit excessum prosperitatis dicens, *intantum ut si priora tua fuerint parva*, scilicet comparatione sequentium, et hoc est quod subdit, *Et novissima tua multiplicentur nimis*, ita quod magnitudo prosperitatis recompenset tibi tempus quo in adversitate fuisti.

## LECTIO II.

Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam. Hesterni quippe sumus et ignoramus; quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. Ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua ? Cum adhuc sit in flore: Nec carpatur manu; ante omnes herbas crescit, sic viae omnium qui obliviscuntur Deum : et spes hypocritae peribit. Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia eius. Innititur super domum, et non stabit: fulciet eam, et non consurget. Humectus videtur, antequam veniet sol, et in ortu suo germen eius egredietur. Super acervum petrarum radices eius densabuntur, et inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum de loco suo, negabit eum, et dicet: non novi te. Haec est enim laetitia viae eius, et rursum de terra alii germinentur. Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, et labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione, et tabernaculum impiorum non subsistet.

## LECTIO II.

Baldath Suites in praecedentibus eandem sententiam cum Eliphaz Themanites defendens, posuerat homines pro peccato in praesenti vita divinitus punitos, post conversionem ad prosperitatis statum redituros: quod quidem placitum probare intendit dupliciter : primo quidem experimento; secundo ex similitudine. Experimentum enim in rebus particularibus maxime efficax est ad probandum, et tanto magis, quanto diutius est observatum, et infallibiliter inventum. Ea autem quae diuturnitatem temporis requirunt, per antiquorum memorias maxime probantur; et ideo ad propositi probationem recurrit ad antiquorum memorias, quantum ad antiquos cum dicit, *Interroga enim generationem pristinam.* Et quantum ad immediate praecedentes, cum dicit: *Et diligenter investiga patrum memoriam*, idest ea quae patres tui in memoria habent. Interrogatio autem generationis pristinae est considerare antiquorum gestorum scripta, et ea quae de antiquis per famam feruntur. Et quia de rebus antiquis multa fabulosa scribuntur, et narrantur, ne ex hoc aliquis se falli reputet, remittit ad patres, qui narrare possunt quae viderunt. Necessitatem autem huius interrogationis ostendit subdens, *Hesterni quippe sumus*, quasi heri nati. *Et ignoramus*, scilicet haec antiqua; et hoc quidem dicit ad ostendendam vitae nostrae brevitatem; unde subdit: *Quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram:* umbra enim cito transit, statim scilicet dum removetur obstaculum lucis, et dum corpus movetur a quo fit umbra, prior umbra transit, et alia succedit ; sic enim dies hominum sunt in continuo transitu, dum alii aliis succedunt. Quid autem ex praecedenti investigatione utilitatis sequetur, ostendit subdens: *Ipsi enim pristini*, scilicet patres interrogati, *Docebunt te*, scilicet veritatem super praemissis, vel verbis patrum, vel scriptis, et forma antiquorum. *Et de corde suo proferent eloquia :* quod subdit ad ostendendam huius doctrinae veritatem ; quasi dicat, non aliud docebunt quam quod corde senserunt, quia nulla inest eis causa decipiendi. Deinde inducit similitudinem ad propositi probationem ex rebus corporalibus sumptam, et ponit exemplum de duobus ex terra nascentibus, quorum unum ad sui conservationem exigit humorem in terra, scilicet scirpus, idest iuncus ; unde dicit: *Numquid potest scirpus absque humore vivere?* aliud autem requirit loca aquosa, ut sunt herbae latae, et in summitate acutae, quae non crescunt nisi in locis aquosis; unde subdit: *Aut crescere carectum sine aqua?* Dicitur enim carectum locus, in quo huiusmodi herbae crescunt, et quod scirpus humorem requirit, et carectum aquam, ostendit, quia per solam subtractionem humoris aut aquae, faciliter desiccantur, nulla alia causa desiccationis existente. Est autem duplex causa in aliis ex terra nascentibus desiccationis: una est naturalis, quae est propter antiquitatem ; altera autem est violenta, quae est quando evelluntur. Utraque autem causa cessante, scirpus, et carectum arescunt ex sola subtractione humoris, et aquae ; et

hoc est quod subdit, *Cum adhuc sit in flore*, idest cum adhuc sit in sua virtute, et suo vigore, per quod excluditur temporis antiquitas. *Nec carpatur manu*, per quod excluditur violentia. *Ante omnes herbas arescit*, idest prae omnibus aliis herbis facilius. Hoc autem aptat ad propositum. Ubi considerandum est, quod iste Baldath adhaesionem hominis ad Deum hoc modo intellexit esse causam prosperitatis mundanae, sicut humor est causa viriditatis herbae; et hoc ideo, quia bonum hominis existimabat esse prosperitatem terrenam. Bonum autem hominis manifestum est esse ex hoc, quod homo Deo inhaeret, et ideo credidit quod ex quo Deo non inhaeret, eius prosperitas terrena deficiat; et quidem verum est de felicitate spirituali, quae est verum hominis bonum, non autem de prosperitate terrena, quae inter minima bona computatur, utpote organice deserviens ad veram hominis felicitatem; et ideo subdit, *Sic viae omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit.* Ubi considerandum est, quod duobus supra positis duo hic correspondentia subdit: carectum enim manifestam aquam requirit ad sui viriditatem, et per eius subtractionem arescit? scirpus autem requirit aquam in terram occultatam, et per eius defectum siccatur; sic et aliqui sunt qui secundum eius sententiam pereunt per hoc, quod eis subtrahitur in manifesto adhaesio ad Deum, scilicet quia opera manifeste agunt Deo contraria, quos significat per eos, qui obliviscuntur Deum: qui enim manifeste mala agunt, nec formidant, omnino Dei reverentiam postponere videntur, ut etiam eum in memoria non habeant. Aliqui autem sunt, qui secundum eius sententiam pereunt propter subtractionem occultae adhaesionis ad Deum: et hi sunt hypocritae, qui exterius praetendunt ac si Deo inhaereant, sed cor eorum est ad terrena: et ideo de hypocrita loquens nominavit spem, sed de obliviscentibus Deum nominavit vias, idest operationes, quia eorum opera sunt aversa a Deo. Quomodo autem spes hypocritae pereat, ostendit cum subdit: *Non ei placebit vecordia sua.* Ubi considerandum est, quod hypocrita habet cor vanum, quod est negligens ad spiritualia, ad temporalia vero solicitum: et hoc quidem ei placet, quamdiu temporalibus ei succedit fruendum quod sperat; si autem ei temporalia subtrahuntur, tunc necesse est quod ei displiceat, quia circa Deum cor verum et firmum non habuit. Dicit ergo: *Non ei placebit vecordia sua*, idest adversitate veniente displicebit ei, quod ad Deum cor rectum non habuit, et solicitudo eius quam circa temporalia habuit, omnino deficiet: et hoc est quod subdit: *Et sicut tela aranearum fiducia eius*, idest ea, in quibus confidebat, de facili franguntur, sicut arenearum tela: confidebat enim non in divino auxilio, sed in fortitudine, idest in abundantia divitiarum, multitudine consanguineorum et aliis huiusmodi. Sed haec ei de facili deficient; unde sequitur, *Innitetur super domum suam*, idest fiduciam habebit stabilitatis in prosperitate domus suae, et tamen non stabit, quia cum defecerit ei divinum auxilium ruet. Contingit autem quod aliquis in futurum adversa prospiciens, aliqua adminicula sibi et domui suae contra adversa parat; sed et hoc ei non valebit: sequitur enim: *Fulciet eam*, aliquibus scilicet remediis contra adversa, sicut domui, quae minatur ad ruinam, fulcimenta aliqua adhibentur, et tamen non consurget, vel ipse, vel domus sua ad prosperitatis statum. Ad hanc sententiam autem quam de fragilitate fiduciae dixerat, praemissam similitudinem de seipso adaptat: ex duobus enim de seipso fiducia haberi videtur: primo quidem ex propria viriditate, quae tamen adveniente sole, et deficiente terrae humore, cito deficit; et quantum ad hoc dicit: *Humectus videtur*, scilicet scirpus, antequam veniat sol, qui eius viriditatem tollat, *Et in ortu suo germen eius egredietur:* cito enim crescere et proprium fructum facere videtur, et similiter hypocritae accidit, quia a principio sibi fortuna proficere videtur; sed veniente sole, idest tribulatione, cito prosperitas eius deficit. Secundo potest haberi fiducia de seipso ex aliis, scilicet vel ex multitudine aliorum scirporum ei cohaerentium, vel ex soliditate loci, in quo crescit, dum nascitur in loco lapidoso; et ideo consequenter dicit, *Super acervum petrarum radices eius*, scilicet scirpi, *densabuntur*, inquantum simul coniunguntur multorum scirporum radices; et hoc dicit quantum ad primum. Quantum ad secundum dicit, *Et inter lapides commorabitur:* ita aliquis hypocrita potest habere fiduciam de sua stabilitate non solum propter prosperitatem propriam, sed etiam propter multitudinem consanguineorum et domesticorum, aut etiam propter multitudinem regni, aut civitatis in qua habitat. Sed haec fiducia eius deficit ei, sicut et circa seipsum accidit. Sequitur enim, *Si absorbuerit eum*, scilicet scirpus, *Aliquis de loco suo*, locus eius, *Negabit et dicet*, *non novi te;* quasi dicat, scirpus de loco suo evellitur, quod nec vestigium eius in loco apparet, nec locus eius. Quandoque autem aliquis operatur ad hoc quod ille idem scirpus iterum renascatur; et tamen subiungit dicens, *Haec est enim laetitia viae eius, ut seorsum de terra alii germinentur;* quasi dicat, processus et vita scirporum in aliquo loco commorantium, non ad hoc naturali appetitu tendit, nec per hoc conservatur, quod idem numero scirpus qui ereptus est, renascatur, sed ad hoc, quod alii eiusdem speciei renascantur: ita etiam est cum aliquis per mortem, aut alio modo ab aliqua fortium societate separatur, statim quasi oblivioni traditur, secundum illud *Psalm. 50. Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde:* sed huius societas gaudet in iis, quae ei succedunt, secundum illud *Eccle. 4. Alius natus in regno inopia consumatur.* Haec autem ad hoc introducta sunt, ut ostendat, quod si aliqua prosperitas interdum malis eveniat, non tamen est infirma, de qua confidere possint, sed cito transit: unde pro nihilo reputandum. Ex omnibus autem supradictis ostendit consequenter quod intendit dicens, *Deus non proiiciat simplicem*, idest eum non elongabit, ut non sustentet, qui simplici corde ei adhaeret, *Nec porriget malignis*, idest non dabit eis auxilium, ut eorum prosperitas confirmetur. Et quia posset dicere Iob, quicquid tu dicas, et similitudinibus confirmare velis, tamen contrarium in me sum expertus, qui cum simplex essem, adversitatem patior, et maligni adversarii mei contra me praevaluerunt: ideo ad hoc excludendum subiungit, *Donec impleatur risu os tuum, et labia tua iubilo;* quasi dicat, Hoc quod dixi, intantum verum est, quod in re senties: si tamen fueris simplex, ita scilicet quod prosperitate, quae subseque-

tur, laetitia tua prorumpet in risum, et iubilum, quae solent ex magnitudine gaudii provenire, et e contrario, *Qui oderunt te, induentur confusione*, idest manifeste ac multipliciter confundentur, ut sic sit eius confusio quasi vestimentum. Et ne hoc alicui videatur impossibile propter prosperitatem praesentem qua videntur florere, subiungit, *Et tabernaculum impiorum non subsistet:* per tabernaculum enim, in quo plurimi orientalium habitare consueverunt, ibi suas divitias, et supellectiles habentes, potest intelligi omne illud, quod pertinet ad prosperitatem vitae praesentis. Considerandum est autem, quod ideo Baldath de hypocrita et simplici facit mentionem, quia existimabat Iob non vere sanctum, sed hypocritam fuisse, et quod propterea prosperitas eius firma non fuit; sed si simplex esse incoeperit, promitttit ei prosperitatem affuturam.

## CAPITIS NONI

### LECTIO PRIMA.

Et respondens Iob ait, Vere scio quod ita sit, et quod non iustificetur homo comparatus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, et fortis robore. Quis restitit ei, et pacem habuit. Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo: qui commovet terram de loco suo, et columnae eius concutiuntur: qui praecipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo.

### LECTIO PRIMA.

Beatus Iob in superiori responsione, qua verbis Eliphaz responderat, unum praetermisisse videbatur, quod Eliphaz de Dei iustitia proposuerat cum dixerat, *Nunquid homo comparatione Dei iustificabitur*, quinimmo quadam quasi comparatione, vel disputatione visus est ad Deum loqui, nam dixit, *Numquid mare sum ego, aut cetus* etc. Et iterum, *Usquequo non parcis mihi* etc. quod Baldath Suites replicans contra responsionem beati Iob a defensione divinae iustitiae incoepit dicens, *Nunquid Deus supplantat iudicium* etc. Et in hoc idem sermonem terminavit cum dixit Deus, *Non proiiciat simplicem* etc. Et ideo beatus Iob in hac responsione primo ostendit se divinae iustitiae contradicere nolle, nec contra Deum velle contendere, ut illi suspicabantur; et hoc est quod dicit, *Respondens Iob ait: Vere scio quod ita sit*, scilicet quod Deus non supplantat iudicium, et quod non proiiciet simplicem, ut Baldath proposuit. *Et scio quod non iustificetur homo comparatus Deo*, idest comparatus ei; et hoc dicit respondens ei quod supra Eliphaz dixerat, *Numquid homo comparatione Dei iustificabitur:* et unde hoc sciat, consequenter ostendit ex quodam signo. Cum enim aliquis comparatione alterius iustus est, libere, et secure potest cum eo contendere, quia per mutuam disceptationem iustitia et veritas manifestatur. Nulli autem homini tutum est cum Deo contendere: et ideo subdit: *Si voluerit contendere cum eo*, scilicet homo cum Deo, *non poterit respondere ei*, scilicet homo Deo, *unum pro mille*. Sciendum quidem est, quod maior numerus, qui apud nos proprium nomen habet, est millenarius: nam apud nos maiores numeri per replicationem inferiorum minorum nominantur, ut puta decem millia, centum millia: et hoc rationabiliter accidit. Nam secundum quosdam antiquos, species numerorum usque ad decem protenduntur, postmodum enim priores numeri repetuntur, quod quidem secundum nominationem maiorem est, quicquid sit secundum rei veritatem. Cubus autem ex denario consurgens millenarius est: decies enim decem decies mille sunt: millenarium ergo numerum apud nos pro quantocumque magis indeterminato numero sumpsit. Idem est ergo quod dicit quod non potest homo Deo respondere unum pro mille, ac si diceret, quod nulla determinata numeri mensura inveniri potest, secundum quam divina iustitia humanam excedet, cum haec sit finita, illa autem infinita. Quod autem homo in contendendo nulla proportione possit ad Deum accedere, ostendit consequenter cum dicit: *Sapiens corde est, et fortis robore*, scilicet Deus: duplex enim est contentio, una qua contenditur disputando, et haec est per sapientiam: alia qua contenditur pugnando, et haec est per fortitudinem: in utroque autem excedit Deus, quia et fortitudine, et sapientia omnem fortitudinem, et sapientiam excedit: et utrumque horum excessum ostendit consequenter; et primo excessum fortitudinis, quem quidem ostendere incipit, quantum ad homines, cum dicit: *Restitit ei, et pacem habuit;* quasi dicat, Nullus. Sciendum est siquidem, et quod aliter homo obtinet pacem a potentiori, et aliter a minus potente, vel ab aeque potente: manifestum est enim quod potentior a minus potente pacem acquirit contra eum pugnando, sicut cum rex potens contra aliquem rebellem in suo regno bellum movet, et victoriam obtinens pacem regni reformat. Similiter etiam ab aequipollente, cum aliquis pacem obtinet pugnando: licet enim superare non possit, tamen assiduitate pugnae eum fatigat, ut ad pacem reducatur; sed a magis potente numquam aliquis pacem obtinet resistendo, vel pugnando, sed ei se humiliter subdendo. Hoc est ergo evidens signum, quod fortitudo Dei omnem humanam fortitudinem excedit, quia nullus cum eo pacem habere potest resistendo, sed solum humiliter ei obediendo. Unde dicitur *Is. 26. Servabis pacem, quia in te speravimus.* Sed impii qui Deo resistunt, pacem habere non possunt, secundum quod dicit *Is. 48. Non est pax impiis, dicit Dominus;* et hoc est quod hic dicitur, *Quis restitit ei, et pacem habuit.* Demum ostendit quod fortitudo Dei omnem fortitudinem rerum naturalium excedit: et quidem ostendit tam in corporibus superioribus, quam in inferioribus: in inferioribus hoc quidem ostendit ex hoc quod ea quae maxime videntur esse stabilita, et firma in inferioribus corporibus, pro sua voluntate movet. Inter corpora ergo magna, ad quae post hominem transitum facit, maxime videntur esse firma et stabilia montes, quorum stabilitati Sanctorum stabilitas in Scripturis comparatur, secundum illud *Ps. 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion:* et tamen montes Deus

sua virtute movet ; et hoc est quod subditur : *Qui transtulit montes:* quod quidem etsi miraculose divina virtute fieri posset, cum hoc videatur firmitati fidei repromissum, secundum illud *Matth. 21. Si habueritis fidem, et non haesitaveritis, et si monti huic dixeritis, Tollere, et iactare in mare, fiet*, et *1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*; tamen congruentius videtur, ut hoc ad naturalem cursum rerum referatur. Hoc enim habet naturae ordo, ut omne quod naturaliter generatur, etiam determinato tempore corrumpatur. Unde cum generatio montium sit naturalis, necesse est quod quandoque montes naturaliter destruantur : et hanc quidem naturalem montium corruptionem translationem vocat, eo quod dissolutio montium et ruina, cum quadam translatione partium eius accidit. Nec est irrationale ea quae naturaliter contingunt, divinae virtuti attribui, cum natura agat propter finem. Omne autem quod ad finem certum ordinatur, vel seipsum dirigit in finem, vel ab alio dirigente in finem ordinatur, necesse est quod res naturalis, quae finis notitiam non habet ut se ipsum dirigere possit, ab aliquo superiori intelligente ordinetur in finem. Comparatur igitur tota naturae operatio ad intellectum dirigentem res naturales in finem, sicut comparatur motus ad sagittatorem: unde sicut motus sagittae convenienter sagittatori attribuitur, ita consequenter tota naturae operatio attribuitur naturae divinae: unde si per operationem naturae montes subruuntur, manifestum est quod a virtute divina montium stabilitas subruatur. Contingit autem quandoque apud homines, quod si aliquis rex sua virtute aliquam fortem civitatem expugnat, quod quanto citius et insensibilius fit, tanto magis virtus regis demonstratur. Hoc ergo quod montes transferuntur, maxime virtuti divinae attestatur, cum quasi subito et insensibiliter fiat, ita ut etiam ab iis qui circa montes habitant, per subversionem montis pereant, et sibi cavere non possint, cum huius subversio praecognosci non possit: et hoc est quod subditur: *Et nescierunt ii quos subvertit in furore suo ;* quasi dicat, Ideo subito Deus tantam rem operatur, quod etiam ii qui circa montes habitant, praecognoscere non possunt: quod manifeste evidens fit, quia si praecognoscerent, sibi caverent, ut non subverterentur. Addit autem, *In furore suo*, ad ostendendum quod Deus interdum naturales operationes moderatur secundum ordinem suae providentiae, prout necessarium est ad hominum peccata, quibus quidem peccantibus, metaphorice irasci dicitur, cum in eos vindictam exercet, quae apud nos solet esse irae effectus. Ex corporibus autem mixtis transit ad elementa, inter quae firmissimum et stabilissimum videtur esse terra, quae est immobilis, sicut centrum motus totius; et tamen quandoque secundum aliquas partes suas movetur naturaliter ex vapore incluso, ut philosophi tradunt: et hoc est quod subditur: *Qui commovet terram de loco suo:* non quidem totaliter secundum totum, sed secundum aliquas partes eius quae habitantur, sicut in terrae motu accidit: in quo quidem motu etiam montes concutiuntur, qui sunt quasi columnae super terram fundatae; unde sequitur: *Et columnae eius concutientur.* Possunt per columnas ad literam intelligi columnae, et quaecunque alia aedificia, quae videntur terrae adhaerere, quae in terrae motu conquassantur. Vel possunt intelligi per columnas inferiores partes terrae et intimae : eo quod sicut domus stabilita super columnas firmatur, ita stabilitas terrae ex centro procedit, ad quod omnes partes terrae naturaliter tendunt, et per consequens omnes inferiores partes terrae sunt superiorum partium substentatrices, et quasi columnae; et sic cum terraemotus ex profundis partibus terrae procedat, videtur quasi ex concussione columnarum terrae causari. Hoc habito, ultimo ad corpora caelestia procedit idem ostendendo, scilicet quae etiam virtuti divinae cedunt. Considerandum est autem, quod sicut de natura terrae est immobilitas et quies, ita de natura caeli est quod semper moveatur. Sicut ergo virtus terrae ostenditur superari a virtute divina per motum, qui in ea apparet, ita virtus caelestis corporis ostenditur a virtute divina superari per hoc quod motus eius impeditur, per quem fit solis et aliorum siderum ortus et occasus; et ideo subdit: *Qui praecipit soli, et non oritur :* quod quidem non dicitur propter hoc quod ortus solis impediatur secundum rei veritatem, cum motus caeli continuus sit; sed quia secundum apparentiam alicubi oriri non videtur, puta cum aer fuerit nubilosus in tantum, quod solis ortus habitantibus super terram in solita claritate apparere non possit. Huius autem nubilositas cum per operationem naturae fiet, convenienter divino praecepto attribuitur, a quo tota natura in sua operatione regulatur, sicut instrumentum ab agente, ut dictum est. Et quod sic intelligat solem oriri, scilicet inquantum solis ortus occultatur, maxime apparet ex hoc quod subditur: *Et stellas claudit quasi sub signaculo:* stellae enim quasi sub signaculo claudi videntur, cum nubibus caelum obtegitur ne stellae inspici possint.

## LECTIO II.

Qui extendit caelos solus, et graditur super fluctus maris: qui facit Arcturum, et Orionas, et Hyadas, et interiora Austri: qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus.

## LECTIO II.

Postquam beatus Iob ostendit robur divinae fortitudinis, hoc incipit ostendere profunditatem divinae sapientiae. Procedit autem e contrario ordine nunc et prius : nam primo quidem incipit ab ostensione divinae fortitudinis in rebus humanis, et processit usque a corpora caelestia ; hic autem incipit a corporibus caelestibus, et procedit usque ad res humanas, quasi circulum faciens; et hoc rationabiliter: nam sapientia factoris ostenditur in hoc quod opera stabilia facit ; et ideo in ostensione sapientiae incipit a creaturis magis stabilibus, utpote ab habentibus evidentius divinae sapientiae indicium. Robur autem alicuius fortitudinis ostenditur ex hoc quod potest aliqua a suo statu immutare: unde homines consueverunt examinare in elevatione vel proiectione lapidum, prostratione hominum, et huiusmodi fortitudinem suam: et propterea Iob cum ostendebat robur divinae fortitudinis, incepit ab iis in

quibus manifestius apparet mutatio. Sic ergo ad ostendendum divinam sapientiam a corporibus caelestibus incipit dicens : *Qui extendit caelos solus.* Sciendum autem est quod sapientia Dei in tribus praecipue commendabilis apparet: primo quidem in hoc quod aliqua magna suo intellectu et sapientia metiri potest ; et quantum ad hoc dicit: *Qui extendit caelos solus :* in extensione enim caelorum magnitudo quantitatis eorum exprimitur. Sic igitur Deus solus extendisse caelos dicitur , inquantum ipse solus tantam quantitatem sua sapientia mensuratam caelis dare potuit. Secundo Dei sapientia commendabilis apparet in hoc quod variabiles et quasi in incertum fluctantes in certum ordinem reducit, et sua gubernatione subditas esse facit: et quantum ad hoc subdit: *Et graditur super fluctus maris:* fluctus enim maris inordinatissimi esse videntur, utpote qui a ventis variis nunc hac , nunc illac circumferuntur; et tamen super eos Deus graditur , inquantum eos Deus suae gubernationi subdit. Tertio Dei sapientia commendabilis apparet ex eo quod Deus multa condidit secundum suae sapientiae rationem , quae mirabilia hominibus apparent , et eorum rationem investigare non possunt; et haec praecipue sunt quae in situ et dispositione stellarum apparent: quae tamen a Deo sapientissime et rationabiliter sunt instituta; et haec quidem enumerat incipiens a polo septentrionali, et procedens usque ad polum meridionalem; unde dicit : *Qui facit Arcturum.* Arcturus quidem est quaedam constellatio in caelo, quae vocatur *Ursa maior*, et habet septem stellas claras, quae numquam nobis occidunt , sed semper circumeunt polum septentrionalem. Sequitur: *Et Orionas.* Orion est quaedam constellatio multum evidens in caelo propter sui magnitudinem et claritatem stellarum, quae dicuntur esse in *Tauro et Gemini.* Sequitur: *Et Hyadas:* quae sunt quaedam stellae in pectore *Tauri*, ut dicitur, existentes: et sunt etiam multum notabiles visu. Sequitur: *Et interiora Austri.* Ubi considerandum est quod iis qui sub aequinoctiali habitant, si tamen aliqui ibi habitant , uterque polus conspicuus est , cum orizon eorum ad rectos angulos aequinoctialem secet: et sic oporteat , quod transeat per utrumque polum aequinoctialem. Unde uterque polus redditur conspicuus habitantibus sub aequinoctiali, ut dictum est: recedentibus autem ab aequinoctiali , et accedentibus versus polum septentrionalem, elevatur super orizontem poli septentrionalis, et deprimitur polus australis secundum modum elongationis ab aequinoctiali. Unde nobis qui in parte septentrionali sumus, polus australis numquam potest esse conspicuus : et similiter stellae ei vicinae occultae sunt nobis secundum quantitatem, qua elongantur ab aequinoctiali: et haec dicuntur hic interiora Austri, quia sunt nobis occulta, quasi sub orizonte abscondita et depressa. Et ne aliquis credat quod in praedictis solum divina sapientia manifestetur, ostendit consequenter, quod multa alia et similia innumerabilia nobis Deus facit dicens: *Qui magna facit*, in quibus scilicet commendabilis apparet Dei sapientia ex commendatione magnitudinis ; et hoc respondet ei quod dixerat: *Qui extendit caelos solus: Et inscrutabilia*, quae scilicet homines scrutari non possunt propter eorum instabilitatem ; quae tamen divina gubernatione ordinantur; et hoc respondet ei quod dixerat, *Et graditur super fluctus maris: Et mirabilia*, quorum scilicet rationes homines considerare non possunt, licet a Deo secundum rationem sint facta; et hoc respondet ei quod dixerat , *Qui facit Arcturum.* Quod autem addit , *Quorum non est numerus* , ad singula referendum est , ita tamen quod intelligatur divina opera innumerabilia esse hominibus; sunt tamen numerabilia Deo , qui facit omnia in numero , pondere et mensura.

## LECTIO III.

Si venerit a me, non videbo eum; si abierit , non intelligam. Si repente interrogat, quis respondebit ei? Vel quis potest dicere ei, Cur ita facis? Deus , cuius irae nemo resistere potest , et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego ut respondeam ei , et loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo; sed meum iudicem deprecabor. Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa. Non concedit requiescere spiritum meum , et implet me amaritudinibus. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est: si aequitas iudicii , nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, pravum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et taedebit me vitae meae.

## LECTIO III.

Beatus Iob volens ostendere suam intentionem non esse ut cum Deo contendat, per plura indicia profunditatem divinae sapientiae in rebus naturalibus ostendit; nunc autem vult ostendere profunditatem divinae sapientiae in rebus humanis. Considerandum est autem, quod ad rectorem humanarum rerum tria pertinere videntur. Primum est ut suis subiectis iustitiae praecepta et alia beneficia dispenset. Secundum est , ut actus subditorum examinet. Tertium est , ut quos culpabiles invenit, poenis subiiciens exterminet, vel purget. In his ergo tribus immensam profunditatem divinae sapientiae ostendit. Primo quidem quia tam profunde et subtiliter suis subditis providet sua beneficia, quod etiam eis incomprehensibile est qui recipiunt; et hoc est quod dicit : *Si venerit ad me , non videbo eum ; si abierit, non intelligam eum.* Ubi considerandum est quod in Scripturis Deus venire ad homines dicitur, quando ei sua beneficia largitur, sive intellectum eius illuminando , sive affectum inflammando, sive qualitercumque ei benefaciendo: unde dicitur *Isai. 35. Deus noster ipse veniet , et salvabit nos.* E contrario vero Deus ab homine recedere dicitur, quando ei sua beneficia, vel suam protectionem subtrahit, secundum illud *Ps. 9. Ut quid Domine recessisti longe , despicis in opportunitatibus , in tribulatione?* Contingit autem quandoque quod Deus aliquibus vel tribulationes, vel etiam aliquos spirituales defectus evenire permittit ,

ad procurandam eorum salutem, sicut dicitur *Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic ergo Deus ad hominem venit, eius procurando salutem; et tamen eum homo non videt, quia beneficium eius non percipit. E contrario vero multis Deus sua manifesta beneficia non subtrahit, quae tamen in eorum perniciem vergunt; et ideo dicitur, quod Deus sic recedit ab homine, quod homo eum non intelligit recedentem. Sic ergo apparet profunditas sapientiae divinae in dispensatione suorum beneficiorum. Ostenditur autem secundo divinae sapientiae profunditas in examinatione humanorum actuum, quia videlicet sic subtiliter et efficaciter examinat, ut eius examinatione nullus per quamcunque cavillationem subterfugere possit; et hoc est quod dicit: *Repente interrogat, quis respondebit ei?* Interrogat autem Deus hominem, quando eum ad considerandum suam conscientiam reducit, vel interius inspirando, vel exterius provocando beneficiis aut flagellis, secundum illud *Ps. 10. Dominus interrogat iustum et impium.* Sic autem homo sufficienter Deo respondet, quando in eo nihil invenitur, quod iuste a Deo reprehendi possit; quod nulli hominum in hac vita contingit, secundum illud *Prov. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum?* scilicet purum a peccato. Signanter autem dicit, *Si repente interroget:* quia si homini spatium respondendi datur, potest per poenitentiam delicta diluere. Contingit autem quandoque quod aliquis in examinando aliorum excessus, remissus invenitur, timens ne et sui excessus versa vice ab aliis examinentur. Sed hoc Deo formidandum non est, ut in sua examinatione molestetur, quia non habet superiorem, qui de eius factis iudicare possit; et ideo subdit: *Vel quis dicere ei potest, Cur ita facis?* quasi eum castigando. Tertio autem ostenditur divinae sapientiae profunditas in punitione delictorum: quia quocumque se vertat homo, nulla astutia, nulla potentia Dei vindictam declinare potest, secundum illud *Ps. 138. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* et hoc est quod dicit, *Deus cuius irae resistere nemo potest.* Ira enim secundum quod Deo attribuitur in Scripturis, non importat commotionem animi, sed vindictam. Huius autem probationem consequenter inducit dicens: *Et sub quo curvantur qui portant orbem.* Intelligendi autem sunt portare orbem caelestes spiritus, quorum ministerio tota corporalis creatura divinitus procuratur, ut dicit Augustinus *de Trinit.* Hi autem caelestes spiritus sub Deo curvantur, quia ei per omnia obediunt, secundum illud *Ps. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Sic igitur angelis Deo obedientibus, manifestum est quod totus cursus rerum corporalium, qui per angelos administratur, divinae subiacet voluntati, et sic ex nulla creatura potest homo habere auxilium ad effugiendam Dei vindictam, secundum illud *Ps. 138. Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades;* quin immo, ut dicitur *Sap. 5. pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Possunt etiam intelligi portare orbem reges et principes mundi, qui sub Deo curvantur, secundum illud *Prov. 8. Per me reges regnant.* Vel quia nec ipsi reges irae divinae resistere possunt, ut ex hoc a maiori idem de aliis concludi possit. Sic igitur ostensa multipliciter immensitate divinae potentiae, et profunditate divinae sapientiae, concludit propositum, quod scilicet suae intentionis non est cum Deo contendere; et hoc est quod dicit: *Quantus ergo sum ego,* idest quam potens quam sapiens, *qui respondeam ei,* scilicet Deo interroganti potentissimo et sapientissimo, *Et loquar verbis meis cum eo?* examinando facta eius et dicendo: *Cur ita facis?* ac si diceret, Non sufficiens sum ut contenderem cum Deo. Contentio enim in respondendo et obiiciendo consistit: contingit autem quandoque quod aliquis, etsi non sit multum potens, aut sapiens, tamen propter severitatem suae conscientiae non formidat contendere cum quovis iudice. Sed hanc etiam causam contendendi cum Deo se excludit dicens: *Qui etiam si habuero quippiam iustum, non respondebo ei,* scilicet Deo examinanti, quasi meam iustitiam defendendo: *Sed meum iudicem deprecabor,* quasi non petens iudicium, sed misericordiam. Signanter autem dicit, *Si habuero quippiam iustum,* ad designandum incertitudinem humanae iustitiae per hoc quod dicit, *Si habuero,* secundum illud Apostoli *1. ad Corint. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum:* et ad ostendendum quod iustitia hominis parva est et imperfecta ad divinum examen relata; propter quod dicit, *Quippiam,* secundum illud *Is. 64. Omnes iustitiae nostrae, quasi pannus menstruatae, sic sunt coram illo.* Quid autem ex sua deprecatione consequatur, ostendit cum subdit: *Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam.* Contingit enim quandoque quod Deus hominem exaudit non ad votum, sed ad profectum: sicut enim medicus non exaudit ad votum, sed ad profectum, infirmum postulantem amoveri medicinam amaram, si medicus eam non removeat, eo quod scit eam esse salutiferam; exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanitatem inducit, quam maxime infirmus desiderat; ita Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti, quia scit eas expedire ad finalem eius salutem: et sic licet Deus vere exaudiat, tamen homo in miseriis constitutus se exaudiri non credit: et quare non credat, ostendit subdens: *In turbine enim conteret me:* et more suo quod metaphorice dictum est, exponit subdens: *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.* Hoc etiam est conterere quod multiplicare vulnera et tribulationes: hoc est, *In turbine,* in terribili obscuritate; quod dicit, *Sine causa,* scilicet manifesta, et ab homine afflicto perceptibili. Si enim homo afflictus perciperet causam quare Deus eum affligit, et quod afflictiones sunt ei utiles ad salutem; manifestum est quod crederet se exauditum; sed quia hoc non intelligit, credit se non exauditum; et ideo non solum exterius affligitur, sed etiam interius: sicut infirmus, qui si nesciret se per medicinam amaram sanitàtem habiturum, non solum affligeretur in gustu, sed etiam in animo; et ideo subdit: *Non concedit requiescere spiritum meum.* Requiescit enim spiritus, licet carne afflicta, propter spem finis, secundum quod Dominus docet *Matth. 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines:* et postea subdit: *Gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Et sic dum affligor exterius et interius, non requiesco. *Implet me amaritudinibus,* scilicet intus et extra. Et est considerandum quod ab illo loco, *Et*

*cum invocantem*, evidenter proposuit, quod supra occulte dixerat: *Si venerit ad me, non videbo.* Hoc enim fere ubique in dictis Iob observandum est, quod obscure dicta, per aliqua consequentia exponuntur. Et quia supra breviter, et summarie dixerat Iob, *Quantus ego sum, qui respondeam ei;* hic consequenter diffusius explicat. Ubi etiam assignat causam, quare non respondet, sed iudicem deprecatur. Quod enim aliquis audacter iudici respondeat, potest ex duobus contingere. Primo quidem, si iudex sit debilis, qui subditos coercere non possit; sed hoc excludit dicens: *Si fortitudo quaeritur*, scilicet in Deo ad subditos coercendum: *Robustissimus est*, omne robur excedens. Secundo aliquis audacter respondet iudici, quia confidit de sua causa; quod aliquando contingit, quia habet multos excusatores; sed hoc excludit dicens: *Si aequitas iudicii*, scilicet requiritur, secundum quam aliquis habens pro se multos testes absolvitur: *Nemo pro me audet testimonium dicere.* Intellectus enim hominis hoc non capit, quod hominis iustitia sit maior quam veritas Dei redarguentis. Aliquando vero homo etsi non habeat aliquos testes pro se, confidit tamen de causa sua, innitens testimonio conscientiae suae; sed testimonium conscientiae non potest valere homini contra redargutionem divinam; et hoc ostendit per singulos gradus. Habet enim testimonium conscientiae tres gradus; quorum primus est, quando alicui conscientia sua testimonium reddit, quod sit iustus, secundum illud *Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;* sed hoc testimonium non valet contra divinam reprehensionem; unde dicit: *Si iustificare me voluero*, idest si voluero dicere me esse iustum, Dominus mihi obiiciet, quod sim impius: *Os meum condemnabit me*, idest condemnabilem me reddet propter blasphemiam. Secundus gradus est, quando aliquis etsi non praesumat se esse iustum, tamen non reprehendit eum conscientia de aliquo peccato, secundum illud *1. ad Cor. 4. Nihil mihi conscius sum:* sed nec hoc testimonium valet contra Deum; unde dicit, *Si innocentem ostendere*, idest si innocentem voluero me ostendere, et esse sine peccato: *Pravum me comprobabit*, inquantum mihi, vel aliis manifestabit peccata, quorum mihi non sum conscius: quia, ut dicitur *in Ps. 18. delicta quis intelligit.* Tertius gradus est, quando aliquis etsi sit sibi conscius de peccato, tamen praesumit, vel quia non habuit malam intentionem, aut quia non fecit illud ex malitia vel dolo, sed ex ignorantia, et infirmitate; sed nec hoc testimonium valet homini contra Deum, ideo dicit, *Etiam si simplex fuero*, idest sine dolo, vel duplicitate pravae intentionis, *Hoc ipsum ignorabit anima mea:* homo enim non potest ad liquidum motum sui affectus comprehendere: tum propter variationem eius, tum propter permixtionem et impetum multarum passionum, propter quod dicitur *Hiere. 17. Pravum est cor hominis, et inscrutabile, quis cognoscet illud*, et propter huius ignorantiam, quod homo seipsum non cognoscit nec statum suum, et redditur etiam iustis sua vita taediosa; et propter hoc subdit: *Et taedebit me vitae meae.*

## LECTIO IV.

Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit. Si flagellat, occidat semel: et non de poenis innocentium rideat. Terra data est in manus impii: vultum iudicium eius operit. Quod si non ille est, quis ergo est. Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Cum dixero, nequaquam ita loquar, commuto faciem meam, et dolore torqueor. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi? Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimae manus meae: tamen sordibus intingens me, et abominabuntur me vestimenta mea. Neque viro, qui similis mei est, respondebo, nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri. Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus. Auferat a me virgam suam, et pavor eius non me terreat. Loquar et non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.

## LECTIO IV.

Postquam beatus Iob ostendit, non esse suae intentionis ut cum Deo contendat, proponit illud, de quo cum adversariis eius disputatio ei erat. Dixerat enim Eliphaz quod poenae a Deo non nisi pro peccatis immittuntur, contra hoc, quod in superiori responsione Iob locutus fuerat: quia Baldath sententiam suam repetit dicens, *Unum est quod locutus sum, impium et innocentem ipse consumit;* quasi dicat, Non solum peccatoribus, sed etiam innocentibus mors a Deo immittitur; quae tamen est maxima poenarum praesentium: et sic non est verum quod dicis, quod solum pro peccatis propriis homo puniatur a Deo. Quod autem mors a Deo sit, dicitur *Deut. 32. Ego occidam, et ego vivere faciam.* Sed cum mors communiter omnibus immittatur a Deo, unum est quod durum videtur, scilicet quod innocentes praeter necessitatem communem multiplices adversitates sustinent in hac vita, cuius rei causam investigare intendit: et ideo subdit, *Si flagellat, occidat semel;* quasi dicat, Detur, quod flagellum mortis omnibus sit commune; videtur tamen rationabile, quod innocentibus qui ex propriis peccatis non sunt rei, propter mortem, quae debetur pro peccato communi, aliam poenam infligere non deberet. Si enim, ut vos dicitis, nulla alia causa est, quare iuste aliter poena alicui infligi possit, nisi peccatum; et manifestum est innocentes pati poenam in hoc mundo: videtur quod sine causa puniantur, ac si ipsae poenae propter se Deo placerent; ideo subdit: *Et de poenis innocentium non rideat:* de illis enim ridere solemus, quae nobis secundum se placent; si autem hoc est inconveniens, quod poenae innocentium Deo secundum se placeant, inveniuntur enim innocentes frequenter in terris puniri, videtur sequi aliud inconveniens, sci-

licet quod istae poenae ex divino iudicio non procedant, sed ex malitia alicuius iniqui domini, qui potestatem habet in terra, et punit innocentes; unde sequitur: *Terra data est in manus impii;* quasi dicat, Si ipsi Deo non placerent secundum se poenae innocentium, qui tamen puniuntur in terra, oportebit dicere, quod Deus regimen terrae alicui impio commiserit, ex cuius iniquitate iudicium in terra pervertitur, ut innocentes puniantur; et hoc est quod subdit: *Vultum iudicium eius operit*, idest rationem eorum obnubilat, vel cupiditate, aut odio, aut amore, ne veritatem iudicii in iudicando sequantur: *Quod si ille non est*, scilicet ipsius, cui tradita est terra, a quo scilicet causatur innocentium punitio, *Quis ergo est*, scilicet huius punitionis causa? non enim dici potest ut ostensum est, quod hoc sit a Deo, supposita vestra positione, quod non solum peccatum sit causa poenarum praesentium. Hoc autem quod dixit, *Terra data est in manus impii*, est quidem secundum aliquid verum, inquantum scilicet terreni homines sub potestate diaboli a Deo relinquuntur, secundum illud *Io. 8. Qui facit peccatum, servus est peccati;* simpliciter autem est falsum: non enim diabolo absolute terrae dominium est concessum, ut scilicet libere in terra facere possit quod velit, sed quicquid facere permittitur, ex divina dispensatione procedit, quae omnia ex rationabili causa dispensat: unde hoc ipsum, quod innocentes puniuntur, non dependet absolute ex malitia diabolica, sed ex sapientia Dei permittentis. Unde si peccatum non est causa punitionis innocentium, non sufficit hoc ad malitiam diaboli reducere; sed oportet ulterius aliquam rationabilem causam esse, propter quam Deus permittit: et ideo signanter dicit, *Quod si non est ille, quis ergo est?* quasi dicat, Si malitia diaboli non est sufficiens causa punitionis innocentium, oportet aliam causam investigare. Ad investigandum igitur rationem, quare innocentes puniantur in hoc mundo, primo proponit defectum, quem sustinuerat in amissione bonorum, ostendens mutabilitatem prosperitatis praesentis ex similitudine eorum, quae videntur velocissima in hoc mundo. Sed considerandum est, quod ad prosperitatem huius mundi aliqui diversimode se habent: quidam enim ipsam prosperitatem pro fine habent, nihil ultra ipsam sperantes, ad quod videbatur declinare illorum opinio, qui omnia praemia, et poenas in hac vita constituebant; tales autem non pertranseunt prosperitatem huius mundi, sed prosperitas huius mundi fugit ab eis, quando eam amittunt; quidam vero, de quorum numero fuit Iob, non in prosperitate huius mundi finem ponunt, sed ad alium finem tendunt; et tales prosperitatem huius mundi magis pertranseunt, quam pertranseantur ab ea. Tendentibus autem ad aliquem finem tria sunt necessaria. Primum est, ut in nullo alio cor suum figant, per quod retardari possint a fine, sed festinent ad finem consequendum: et ideo ponit exemplum de cursore, qui sic tendit ad finem sui cursus, quod in via moram non trahit; unde dicit: *Dies mei velociores facti sunt cursore:* in quibus verbis et instabilitatem praesentis fortunae, et intentionem suam in aliud tendentem demonstrat: *Fugerunt*, quasi in rebus huius mundi, requie cordis non inventa: unde sequitur, *Et non viderunt bonum*, scilicet in quod mea intentio ferebatur, quod est verum bonum? unde pro iustitia me remuneratum non reputo. Quod si prosperitatem praesentem remunerationem putant, ea subtracta, innocenter punitus sum. Secundo requiritur, quod tendens in aliquem finem acquirat sibi illa per quae possit ad finem pervenire, sicuti qui vult sanari, oportet quod acquirat medicinas, quibus sanetur; sic qui vult ad verum bonum pervenire, oportet quod acquirat virtutes, quibus illud consequi possit; unde subdit: *Pertransierunt quasi naves poma portantes:* in quo etiam duo demonstrat, et labilitatem praesentis fortunae, quia naves poma portantes ad vendendum festinant, ne per moram putrescant, et studium tendentis in finem; quasi dicat, Dies mei pertransierunt vacui; sed virtutes congregavi, cum quibus tendo ad finem consequendum. Tertium restat consecutio finis: unde dicit: *Sicut aquila volans ad escam:* in quo etiam duo praedicta designantur: nam aquila velocius volat, praecipue cum a fame impellitur: et escam habet pro fine qua reficitur. Quia ergo in his verbis, quasi innuerat se esse iustum, et innocentem, quod praesumptuosum ab adversariis reputabatur, incipit de sua innocentia conferre cum Deo, qui solus est conscientiae iudex; unde subdit, *Cum dixero*, scilicet in corde meo, *Nequaquam ita loquar*, ut scilicet sim iustus, et innocens, *Commuto faciem meam*, scilicet a fiducia, quam conceperam de mea innocentia, ad quandam solicitudinem investigandi peccata: *Et dolore torqueor*, in conscientiae propriae discussione recogitans, ne forte pro aliquo peccato sic puniar; et causam doloris subdit dicens, *Verebar omnia opera mea:* est enim alicui magna causa doloris, quando magnam solicitudinem habet de re aliqua, et tamen incidit in illud, quod vitare studebat. Ipse autem circa omnia opera sua magnam solicitudinem apponebat, timens ne in aliquo a iustitia declinaret; et hoc est quod dicit, *Verebar omnia opera mea:* et causa quare sic verebatur in omni opere suo, erat timor de severitate divini iudicii; unde subdit: *Sciens quod non parceres delinquenti*, nisi scilicet convertatur: quia, sicut *in Ps. 7.* dicitur, *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Si autem post tantum studium innocentiae, *Et sic impius sum*, ut tamen gravibus poenis a Deo puniri meruerim, quare frustra laboravi in tanta solicitudine innocentiae conservandae? frustra enim laborare dicitur qui suo labore tendit ad finem, ad quem non pertingit, sed quia puritas hominis quantacumque sit, ad divinum examen relata, deficiens invenitur; ideo consequenter ostendit quod cum se purum et innocentem dicit, se purum et innocentem intelligit, quasi hominem, non quasi in nullo penitus a rectitudine divinae iustitiae recedentem. Est autem sciendum, quod duplex est puritas, una quidem innocentis, altera poenitentis. Utraque autem imperfecta est in homine, si ad perfectam rectitudinem divinae regulae comparetur. Dicit ergo quantum ad puritatem poenitentis: *Si lotus fuero*, idest si a peccatis meis me purgare studuero: *Quasi aquis nivis*, quae valde ablutivae esse dicuntur. Quantum vero ad puritatem innocentis dicit, *Et fulserint velut mundissimae manus meae*, idest et in operibus meis, quae per manus designantur, nulla inveniatur immunditia, sed fulgeat in eis iustitiae claritas. Dicit autem, *Velut mundissimae*, ad insinuandum quod in

homine perfecta munditia esse non potest. Si, inquit, fuerint mundissimae: *Tamen sordibus intinges me*, idest sordibus intinctus demonstrabor, tuae iustitiae conparatus, et per tuam sapientiam convictus: semper enim in operibus humanis aliquis defectus invenitur, quandoque quidem ex ignorantia propter debilitatem rationis, quandoque autem ex negligentia propter infirmitatem carnis, quandoque autem aliqua infectio alicuius terrenae affectionis etiam in bonis operibus admiscetur, propter mobilitatem humani cordis, quod non firmum in eodem perseverat: unde semper aliquid in humanis operibus invenitur, quod deficit a puritate divinae iustitiae. Cum autem aliquis immundus est, et tamen exterius aliquam iustitiae ostensionem habet, signa iustitiae, quae de eo exterius apparent, ei non competunt; et ideo subdit: *Et abominabuntur me vestimenta mea:* per vestimenta enim exteriora opera designantur, quibus homo quasi contegitur, secundum illud *Matth. 7. Veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Tunc ergo vestimenta alicuius eum abominantur, quando exteriora hominis qui iustitiam praetendunt interioribus non concordant. Quare autem quantumcumque sit purus, non potest se defendere, quin a Deo convincatur impurus, consequenter ostendit ex duobus, in quibus Deus hominem excellit, videlicet ex iustitiae puritate, et ex maiestatis auctoritate. Quantum ergo ad primum dicit: *Neque enim viro, qui similis mei est respondebo;* quasi dicat, Si aliquis homo me impurum vellet convincere, possem ei resistere, si mihi obiiceret, quae ipse sentiret in homine servari non posse de perfecta iustitiae puritate, sed sic respondere non possum Deo in quo nullus defectus invenitur. Quantum ad secundum dicit: *Nec qui mecum in iudicio ex aequo possit audiri:* cum enim duo homines ad invicem contendunt, iudicem possunt habere, qui utriusque dicta examinet, sed hoc inter Deum et hominem esse non potest, duplici ratione. Una ratio est, quia oportet, quod in iudice sit altior sapientia, quae sit quasi regula ad quam examinentur dicta utriusque partis. Manifestum est autem, quod divina sapientia est prima regula, ad quam omnis veritas examinatur: et propter hoc subdit: *Non est qui utrumque valeat arguere;* quasi dicat, Non est alius superior Deo, ex cuius maiori sapientia corrigi possit. Alia ratio est, quia oportet, quod in iudice sit maior potestas qua possit utramque partem comprimere; et hoc excludit dicens: *Et ponere manum suam in ambobus*, idest coercere utrumque: hoc enim excluditur per immensitatem divinae potentiae, quam supra ostendit. Et quia, ut dictum est, intendit perscrutari, qua ratione innocentes puniantur in hoc mundo, consequenter ostendit, quid eum impedire possit ab hac perscrutatione, et qua intentione hoc perscrutari velit. Impediri autem posset ab hac perscrutatione ex duobus: primo quidem ex afflictione, quam patiebatur: homines enim, quorum mens occupata est tristitia, non possunt subtiliter perscrutari; et quantum ad hoc dicit: *Auferat a me virgam suam.* Secundo ex reverentia quam ad Deum habet: homines enim aliquando ex quadam reverentia, quam ad Deum habent, omittunt ea, quae Dei sunt, perscrutari; et quantum ad hoc dicit: *Et pavor eius non me terreat;* quasi dicat, Concedat spiritum meum requiescere ab afflictione quam patior, et non imputetur mihi ad irreverentiam, quod de divinis disputo, et sic potero perscrutari; unde sequitur: *Loquar, et non timebo eum*, idest ac si non timerem eum: *Neque enim possum mutuus respondere*, idest dum a reverentia eius revocor persecutione. Sciendum est autem, quod timor Dei aliquando timentes Deum a perscrutatione divinorum non revocat, quando scilicet perscrutantur divina, desiderio veritatis cognoscendae, non ut incomprehensibilia comprehendant, sed semper eo moderamine, ut intellectum suum divinae subiiciant veritati. Revocantur autem per timorem Dei, ne sic perscrutentur divina, quasi comprehendere volentes, et intellectum suum divina veritate non regulantes. Sic igitur per haec verba Iob intendit ostendere, quod eo moderamine de iis quae ad divinam providentiam pertinent, perscrutatur, ut intellectum suum divinae veritati subiiciat, non ut divinam veritatem impugnet: quod esset contra reverentiam divini timoris.

## CAPITIS DECIMI

### LECTIO PRIMA.

Taedet animam meam vitae meae, dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animae meae. Dicam Deo, Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me, opus manuum tuarum, et concilium impiorum adiuves? Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora? Ut quaeras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? Et scias, quia nihil impium fecerim: cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere. Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me? memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi: et visitatio tua custodivit spiritum meum. Licet haec celes in corde tuo: tamen scio quia universorum memineris.

### LECTIO PRIMA.

Postquam superius proposuit Iob, quod tam innocentes, quam impii in hoc saeculo tribulantur, et tetigit causam punitionis innocentium, quae posset existimari, scilicet quod terra quasi derelicta a Deo, sit exposita voluntati iniquae potestatis, innocentes pro libito punientis. Hoc autem remoto, quia manifestum inconveniens continet, inquisivit quis esset innocentium punitor, et qua de causa: et hanc quaestionem hic prosequi intendit. Prius tamen quam ad investigationem procedat, ostendit quo animo hic loquatur: loquitur enim in persona hominis afflicti secundum conceptiones quas

ei tristitia subministrat : unde primo ponit taedium quod patitur in hac vita : quod quidem taedium est propter tribulationes, quas patitur, quae intantum graves sunt, quod etiam ipsam vitam reddunt taediosam: licet enim vivere secundum se delectabile sit, tamen in angustiis vivere taediosum est; unde dicit: *Taedet animam meam vitae meae.* Sicut autem homo , cui delectabilis est sua vita, optat se vivere, ita cui taediosa est sua vita, optat se vita privari; et ideo subiungit: *Dimittam adversum me eloquium meum:* tunc enim homo adversum se loquitur, quando se vita privari exoptat; sed signanter dicit, *Dimittam:* multoties enim homo aliquos motus in corde patitur propter aliquam passionem vel tristitiae , vel concupiscentiae , vel irae , aut cuiuscunque alterius ; sed tamen ita ratione eius motus reprimit, quod ad verbum exterius non procedat. Quando autem ratio ostendere vult , quid interius patiatur , occultos motus in verba producit : et tunc hoc eloquium dimittere dicit , quasi prius retentum : et propter hoc subdit , *Loquar in amaritudine anime meae;* quasi dicat, Verba quae exterius proferam , interiorem amaritudinem ostendent , scilicet ut det intelligere se in persona hominis amaricati loqui ; sed ne rursus intelligatur quod ista eloqui dimissus sit per hoc , quod ratio a tristitia superatur , subiungit , *Dicam Deo , noli me condemnare !* cum enim ratio a passione vincitur, homo contra Deum murmurat; et quandoque usque ad blasphemiam procedit; sed dum inter tribulationes hominis ratio recta manet, Deo se subdit, et ab ipso remedium praestolatur. *Dicam Deo , noli me condemnare* : simul etiam in hoc ad solvendam quaestionem accedit : cum enim supra quaesivisset , quae esset causa innocentium poenae in hoc mundo, hic confitetur Deum esse auctorem punitionis huius, dum petit quod ab eo non condemnetur, secundum illud *1. Reg 2. Dominus mortificat , et vivificat :* ex quo Manichaeorum haeresis confutatur. Iis autem praemissis, supposito quod Dominus sit punitionis auctor , inquirit de causa suae punitionis , ad Deum loquens, *Indica mihi , cur me ita iudices?* idest facias me cognoscere causam, propter quam a te punior. Sciebat enim , quod rationis investigatio ad veritatis terminum pervenire non potest nisi divinitus doceatur. Scire autem causam suae punitionis necessarium est homini, vel ad correptionem, vel ut patientius flagella sustineat. Ad inquisitionem autem huius quaestionis procedit sub quadam disiunctione: necesse est enim, quod ipse qui punitur, vel sit innocens , vel peccator. Primo autem procedit , supponendo quod sit innocens. Et quia ad cognitionem divinorum per res humanas pervenimus, proponit duos modos , quibus in humano iudicio quandoque innocentes puniuntur: primus modus propter malitiam punientis ; ex qua contingit tripliciter poenas innocentibus irrogari , aliquando quidem dum per astutiam innocentibus calumnias ingerunt ; et quantum ad hoc dicit, *Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris.* Aliquando vero per potentiam opprimuntur; et quantum ad hoc subdit, *Et opprimas me opus manuum tuarum.* Aliquando vero ipsi quidem ex proprio motu innocentes non puniunt , sed quia inordinate aliquos impios diligunt , eos etiam in oppressione innocentium iuvant; unde subdit, *Et consilium impiorum adiuves?* Sed considerandum est , quod aliquando aliquid in diversis naturis unum et idem potest esse bonum, et malum , sicut iracundum esse cani quidem est bonum, homini autem malum. Nullus autem sanae mentis hoc in dubitationem deducit , quod Deus ex malitia aliquid operetur: non enim potest in summo bono aliquid mali esse ; sed potest contingere, quod aliquod malum est in homine , quod ad divinam pertinet bonitatem : sicut non misereri , secundum quod misericordia compassionem sonat , in homine quidem vituperatur; quod tamen bonitas divina ex sui perfectione requirit. Manifestum est autem , quod tria praedicta , calumniari , opprimere , et consilium impiorum adiuvare , in hominibus mala sunt: unde hoc in quaestionem inducit , utrum Deo possint esse bona , unde non quaerit Numquid calumniaris, et opprimis, sed, *Numquid bonum tibi videtur , si calumnieris et opprimas* , scilicet supponens pro firmo , quod Deus nunquam aliquid facit , nisi quod honum sibi videtur; et hoc vere est bonum. Item considerandum est, quod ea quae naturaliter sunt, non imputantur in culpam vel in malum; naturale autem est, quod unumquodque perdat suum contrarium: unde et Deus, qui est summe bonus , odit ea quae contra se fiunt , et ipsa disperdit , secundum illud *Ps. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem , perdes* etc. Si ergo homines non essent a Deo facti, sed a principio contrario, ut Manichaei fabulantur , bonum videretur, quod Deus homines opprimeret propter seipsum. Ad hoc igitur excludendum non simpliciter dicit , *Et opprimas me* , sed addit , *Opus manuum tuarum.* Item bonum videtur quod Deus iustorum voluntates adimpleat : qui autem innocentem calumniari , aut opprimere volunt , non sunt iusti , sed impii , et praecipue si non ignoranter , vel casu , sed ex consilio et deliberatione hoc velint: unde cum se innocentem supponat in prima parte quaestionis, sequitur impios esse , qui eum ex deliberato consilio opprimere vel calumniari volunt; et ideo signanter dicit, *Et consilium impiorum adiuves ?* Hac igitur causa remota , quia Deo hoc bonum videri non potest, cum ipse sit opus manuum Dei, et cum eius hostes qui ipsum oppresserant, impii probentur, procedit consequenter ad secundum modum , quo in humano iudicio quandoque innocentes affliguntur. Contingit enim quandoque quod quando aliquis innocens apud iudicem accusatur , iudex ad exquirendam veritatem eum tormentis subiicit, secundum iustitiam agens ; sed huius rei causa est defectus cognitionis humanae , qui est triplex. Unus quidem est, quia omnis cognitio hominis a sensu procedit. Et quia sensus corporis , et corporalium sunt, non potest iudex interiorem conscientiam accusati cognoscere. Ut ergo hoc excludat, ideo dicit, *Numquid oculi carnei tibi sunt?* ac si dicat, nunquid tu corporalibus sensibus cognoscis, ut sola corporalia videas , et interiora cognoscere non possis? Ponit autem oculos , quia visus inter alios sensus excedit. Secundus defectus est , quod homo per sensus corporeos nec etiam omnia corporalia conspicere potest: non enim potest cognoscere quae a remotis et in abseonditis fiunt; quod a Deo removet , dicens : *Aut sicut videt homo , ita et tu videbis ?* ut scilicet non possis , quae ubique fiunt etiam occulta cognoscere. Tertius de-

fectus humanae cognitionis est ex tempore, tum quia homo de die in diem plura cognoscit, tum etiam quia per temporis longitudinem obliviscitur ea, quae novit, ut sic oporteat eum iterato quasi addiscere ; hoc a Deo removet dicens, *Nunquid sicut dies hominis dies tui ?* ut scilicet de die in diem tua crescat cognitio? *Et anni tui sicut humana sunt tempora?* ut scilicet per cursum temporum aliquid tuae cognitioni decrescat: et subdit: *Ut quaeras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris?* idest ut per flagella inquiras , an ego peccaverim opere, et iniquus sim mente , sicut homines per tormenta peccata exquirunt ; et sic post inquisitionem huiusmodi in me peccata non invenies : *Et scias quod nihil impium fecerim* ; quasi hoc aliunde cognoscere non possis, nisi per flagella peccata mea exquiras, et hoc libere facias absque contradictione : *Cum sit nemo , qui de manu tua possit eruere :* aliquando enim ab hac inquisitione , quae est per tormenta , iudices deficiunt , dum ii , qui torqueri debent, ab eorum manibus eruuntur. Et quia supra dixerat, se esse opus manuum Dei; ut ex hoc ostenderet , quod bonum Deo videri non potest , ut eum opprimat propter se , quasi in oppressione eius delectetur, quod supposuerat , manifestat ; unde subdit, *Manus tuae fecerunt.* Et ne aliquis credat, secundum Manichaeorum haeresim, hominis animam a Deo factam , corpus vero contrario actore formatum , subiungit , *Et plasmaverunt me totum in circuitu. In circuitu* dicit , quia corpus videtur esse animae in circuitu , sicut vestimentum vestito : vel sicut domus habitatori. *Totum* dicit , ut ad singula corporis membra referatur. *Plasmaverunt* dicit, ut alludat ei , quod homo ex limo terrae dicitur esse formatus; per manus autem operatio divina intelligitur; unde dicitur pluraliter , *Manus tuae :* quia licet sit una divina virtus operans , multiplicatur tamen eius operatio in effectibus , tum propter diversitatem effectuum , tum etiam propter varietatem causarum mediarum , quibus mediantibus suos effectus producit. Subdit autem: *Et sic repente praecipitas me*, quia repentinum videtur esse , ut aliquis , qui aliquam rem produxit , eam absque causa manifesta corrumpat: qui enim facit aliquid, vult illud esse : ad hoc enim facit , ut sit ; qui autem ipsum corrumpit, vult illud non esse. Si aliquis igitur destruat quod prius fecit , videtur repentina eius mutatio voluntatis , nisi aliqua manifesta causa de novo oriatur, ex qua appareat , prius illud esse corrumpendum , quod prius fuit fiendum. Huiusmodi autem repentina mutatio voluntatis in Deum cadere non potest ; et ideo quasi admirative quaerit : *Et sic repente praecipitas me ?* quasi dicat, Hoc inconveniens videtur, si quem prius fecisti , sine causa nunc destruas. Vel quod dixit, *Fecerunt me* , potest referri ad constitutionem substantiae ; quod autem dixit , *Et plasmaverunt me totum in circuitu* , potest referri ad ea, quae substantiae adveniunt , sive sint bona animae , sive corporis , sive exterioris fortunae. Et quia in generali se factum et plasmatum a Deo posuerat , in speciali prosequitur de modo suae factionis ad similitudiuem alicuius, qui cum alicui vult reducere aliquid ad memoriam, particularitur cuncta ei edisserit , ut sic videlicet ei in memoriam reducat. Videtur autem Deus tunc benevolentiae , quam ad suam facturam habet , oblivisci, cum eam corruptioni exponit , et ad modum obliviscentis se habet; et secundum hunc modum dicitur *in Ps. 12. Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* et ideo dicit, *Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me.* Ubi considerandum est, quod duplicem hominis factionem commemorat: primo quidem eam quae pertinet ad primam institutionem naturae, alludens ei quod dicitur *Gen. 1. Deus hominem de limo terrae formavit;* et ideo dicit, *Quod sicut lutum feceris me.* Ubi etiam compositionem hominis ex primis elementis tangere videtur. Et quia etiam primo homini dictum est, *Pulvis es , et in pulverem reverteris* , consequenter subiungit: *Et in pulverem reduces me:* quod etiam naturali materiae competit : nam ea quae ex terra generantur , consequens est secundum naturae ordinem , ut resolvantur in terram. Sed de hoc aliquis mirari potest, cum maius videatur de terra formare hominem, quam hominem formatum retinere, ne in pulverem redigatur: unde est , quod Deus, qui hominem formavit , cum in pulverem redigi permittitur, utrum scilicet hoc sit solum ex necessitate materiae, ut homo nihil plus habeat aliis , quae ex terra formantur, vel hoc sit ex divina providentia aliquam hominis culpam puniente. Consequenter autem tangit factionem hominis quantum ad opus propagationis , secundum quod homo ab homine generatur. Ubi considerandum est , quod quia omnia naturae opera Deo attribuit , non excludit naturae operationem, sed eo modo quo principali agenti attribuuntur ea, quae per causas secundas aguntur , ut artifici ipsa operatio serrae , hoc enim ipsum quod natura operatur , a Deo habet, qui ad hoc eam instituit. In hac autem hominis generatione primo occurrit seminis resolutio ; et quantum ad hoc dicit, *Nonne sicut lac mulsisti me:* sicut enim semen est superfluum alimenti , ita et lac. Secundo autem concurrit compactio massae corporeae in utero mulieris ; et quantum ad hoc subdit , *Et sicut caseum me coagulasti :* ita enim se habet semen maris ad materiam , quam femina ministrat in generatione hominis , et aliorum animalium , sicut se habet coagulum in generatione casei. Tertio autem occurrit distinctio organorum , quorum quidem consistentia et robur est ex nervis et ossibus ; circumdatur autem exterius a pelle et carnibus : unde dicit , *Pelle et carnibus vestisti me , ossibus et nervis compegisti me.* Quartum autem est animatio foetus , et praecipue quantum ad animam rationalem , quae non infunditur nisi post organizationem ; simul autem cum anima rationali infunduntur homini divinitus quaedam seminaria virtutum, aliqua quidem communiter omnibus , aliqua vero specialiter aliquibus , secundum quod homines quidam sunt naturaliter dispositi ad unam virtutem , quidam ad aliam. Iob autem dicit infra *cap. 1. Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum ;* unde et hic dicit : *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Ultimum autem est conservatio vitae, tam in materno utero, quam post exitum ab utero: quae quidem conservatio est partim quidem per principia naturalia, partim autem per alia Dei beneficia naturae superaddita , sive pertineant ad animam , sive ad corpus , sive ad exteriora bona ; et quantum ad hoc subdit :

*Et visitatio tua custodivit spiritum meum :* sicut enim Deus ab aliquo recedere dicitur in Scripturis, quando Deus ab eo sua dona subtrahit, sic eum visitare dicitur, quando sua dona largitur. Ne autem ex hoc, quod Iob Deo dixerat, *Memento quaeso quod sicut lutum feceris me*, aliquis credere posset eum huius opinionis esse, quod oblivio in Deum cadere posset, excusat se ab hoc dicens, *Licet haec celes in corde tuo ; tamen scio quia universorum memineris.* Dicitur autem Deus per similitudinem hominis aliquid in corde celare, quando non ostendit per effectum quod habet in cognitione vel affectione. Sic itaque Deum praedicta in corde celare dicitur, quia in effectu non ostendit, quod cum sua factura recognoscat, quam sic repente praecipitare videtur.

## LECTIO II.

Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi : cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, vae mihi est: et si iustus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. Et propter superbiam quasi leaenam capies me ; reversusque mirabiliter me crucias. Instauras testes tuos contra me : et multiplicas iram tuam adversum me : et poenae militant in me.

## LECTIO II.

Superius inquisivit Iob causam suae punitionis, supposito quod innocens esset ; nunc autem procedit ad inquirendum si propter hoc puniatur, quod peccator est. Et quod propter peccatum non puniatur, primo ostendit, utens tali ratione. Si enim peccatum commisit, maxime hoc commisisse videtur tempore prosperitatis ; si autem peccatum est tota causa, quare aliqui puniantur adversitate quam sustinent in praesenti : posita causa, ponitur effectus: oporteret quod statim cum aliquis peccat, adversitas sequeretur. Manifestum autem erat, quod Iob tempore suae prosperitatis eundem modum vivendi servavit: unde si peccavit, hoc modo vivendo, diu ante peccaverat quam adversitatem pateretur. Oporteret ergo dicere, quod cum statim post peccatum adversitas secuta non sit, quod Deus pro tempore illo ei pepercit, quo adversitates non induxit. Inconveniens autem est dicere, quod peccatum quod Deus pepercit, iterum imputet ad poenam. Non ergo videtur, quod pro peccato prius ab eo commisso nunc puniatur : hoc est ergo quod dicit, *Si peccavi*, scilicet tempore prosperitatis meae : *Et ad horam pepercisti mihi*, quia scilicet non statim adversitatem induxisti : *Cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?* quasi dicat, Cur ex quo reputasti me aliquo tempore quasi purum, parcendo mihi iniquitatem meam; nunc iterum me punis, quasi non sim purus ? Aliam etiam rationem consequenter subiungit, quae talis est. Si peccatum est tota causa adversitatum praesentium, sequeretur, quod non tam iusti, quam peccatores convenienter adversitates in hoc mundo paterentur. Videmus autem et iustis et peccatoribus adversitates esse communes; et hoc est quod dicit: *Et si impius fuero, vae mihi est*, scilicet adversitates sustineo : *Et si iustus*, vel prius fui, vel modo factus sum, *Non propter hoc levabo caput*, quasi a miseria sublevatus ego dico existens, *Saturatus afflictione*, quantum ad dolores, *Et miseria*, quantum ad penuriam, et confusionem. In saturitate autem abundantiam afflictionis et miseriae designat : et hoc videtur dicere contra dictum Eliphaz et Baldath Suites. Dixerunt autem quod si converteretur, ab adversitate liberaretur : contra quod dicit, quod etiam si iustus effectus sit, non tamen propter hoc a miseria relevatur: quamvis pro praecedentibus peccatis, si qua fuerint, iam sufficienter punitus sit: quod per saturitatem afflictionis et miseriae designat. Et quia hoc ei ad superbiam Eliphaz imputaverat, quod se innocentem dicebat, subiungit, *Et propter superbiam, quasi leaenam capies me;* quasi dicat, Facis me reputari ab iis qui capiunt verba mea, quasi leaenam propter superbiam: et hoc ipsum quod sic malus reputabatur, erat ei poena super poenam; unde subdit, *Reversus mirabiliter me crucias ;* quasi dicat, Prius venisti affligens me per subtractionem rerum et corporis vulnera: et nunc iterato redisti, et crucias me per amicos : quod est miserabile, quia ab amicis magis consolationem deberet accipere. Vel hoc dicit, quod maxime homo affligitur cum ab amicis deridetur. Qualis autem sit iste cruciatus, ostendit subdens, *Instauras testes tuos contra me.* Eliphaz enim dum videbatur iustitiam Dei defendere, et similiter socii eius, in quo quasi testes Dei se demonstrabant, contra Iob loquebantur, eum de peccato arguentes: *Et sic multiplicas iram tuam*, idest effectum irae tuae, *Adversum me*, scilicet me multipliciter punis. *Et poenae militant in me*, quasi cum quadam auctoritate, et sine contradictione me impugnant : milites enim consueverunt cum auctoritate regia, et absque ulla contradictione aliquem, qui reputatur reus, invadere.

## LECTIO III.

Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi ? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

## LECTIO III.

Terminaverat Iob inquisitionem suam in hoc, quod sive iustus sive peccator esset, tribulationibus multiplicibus subiacebat: et ne aliquis posset credere, Deum in eius tribulationibus delectari, vult inquirere, an hoc verum esse possit. Inconveniens autem videtur quod aliquis effectum suum producat ad hoc, quod male se habeat, cum potius omne agens in suo effectu bonum intendat. Supponit autem, sicut ex praemissis patet, se esse opus Dei: et ideo ab eo quaerit, *Quare de vulva eduxisti me;* quasi dicat, Nun-

quid propter hoc me nasci fecisti, ut tribulationibus subdas? Et quia posset aliquis dicere, quod etiam sic in tribulationibus esse, melius est simpliciter, quam natum non esse : excludit hoc dicens, *Qui utinam consumptus essem*, scilicet in materno utero, *Ne oculus me videret*, ne confusionem paterer ex tantis malis, quae in me oculi hominum conspiciunt: et tamen si in materno utero consumptus essem, habuissem dignitatem essendi sine miseria, quae mihi existenti accidit: et hoc est quod dicit, *Fuissem*, quasi participans, idest participassem id, quod bonum est in esse, *Quasi non essem*, immunis forem a malis huius vitae, ac si nunquam fuissem : non est enim dignitas humani esse, ut in perpetuum conservetur, sed ut tandem homo moriatur, et transferatur ad tumulum, qui mortuo praeparatur ad hoc, quod aliqualiter eius memoria post mortem remaneat: et hoc etiam mihi non defuisset; unde sequitur, *Ex utero translatus ad tumulum*. Nullus autem qui in poenis alicuius delectatur, ita crudelis invenitur, qui vel non ad modicum ab affligendo cesset. Dato ergo, quod Deus causa nativitatis hominis non esset, tamen dies hominis breves sunt, et praecipue in comparatione ad aeternitatem Dei: et ista etiam brevitas, quando homo iam magnam partem vitae transiverit, cito finienda expectatur; et hoc est quod dicit, *Nunquid non paucitas dierum meorum*, quia omnes dies vitae meae pauci sunt, *Finietur brevi*, iam ipsius paucitatis magna parte transacta. Non est ergo magnum, si de caetero a percutiendo cesset: et hoc est quod concludit, *Dimitte ergo me;* etsi tibi durum videtur, quod vel ad horam absque afflictionibus sim, certum est quod etiam te cessante a percussione, non mihi remanet unde gaudeam, sed unde doleam; et hoc est quod subdit, *Ut plangam paululum dolorem meum*, scilicet quem ex praecedentibus percussionibus concepi. Hoc autem dicit, quia percuti se adhuc reputabat, dum amici eum obiurgabant, de quibus dixerat, *Instauras testes tuos contra me*. Et quia posset sibi responderi, immo potius hoc modico tempore affligendus es: quando hinc transibis, consolationem invenies : quod posset esse dupliciter, uno modo iterato reducendo ad hanc vitam; et hoc excludit cum dicit, *Antequam vadam*, scilicet per mortem, *Et non revertar*, ut iterum vivam: quod potest exponi dupliciter, uno modo ut dicat se non reverti ad similem modum vivendi, ut quidam fabulantur; vel melius dicendum quod more disputatoris loquitur secundum id, quod adversarii sentiunt, antequam veritas manifestetur. Infra autem Iob manifeste resurrectionis veritatem indicabit: et ideo in omnibus praecedentibus loquitur de resurrectione, supponendo opinionem eorum cum quibus disputabat, qui non credebant aliam vitam esse nisi istam; et in hac sola homines aut puniri, aut praemiari pro malis ac bonis, quae agunt. Alio modo posset post finem huius vitae consolationem expectare in ipso statu mortis; sed hoc excludit dicens, *Ad terram tenebrosam*, ad quam scilicet vadam post mortem: et potest hoc exponi dupliciter, uno modo de inferno, ad quem animae omnium hominum descendebant, etiam iustorum, ante mortem Christi; licet iusti ibi poenas sensibiles non paterentur, sed solum tenebras: alii vero et poenas, et tenebras. Sed quia Iob sic locutus fuerat, ac si dubium esset, utrum ipse esset iustus, ut rei veritas erat, vel peccator, sicut amici eius calumniabantur, describit infernum communiter et quantum ab bonos, et quantum ad malos. Accipiendo ergo infernum sic communiter dicitur *Terra tenebrosa*, inquantum caret claritate divinae visionis : dicitur *Operta mortis caligine*, quantum ad peccatum originale, quod est caligo, inducens ad mortem : dicitur *Terra miseriae*, quantum ad poenas, quas ibi reprobi patiuntur: *Terra tenebrarum*, quantum ad obscuritates peccatorum actualium quibus mali involvuntur: dicitur autem esse ibi, *Umbra mortis*, idest similitudo mortis: quia sic affliguntur, ac si semper morerentur : dicitur autem ibi, *Nullus ordo esse*, vel propter confusionem mentium, quam patiuntur damnati, vel propter hoc, quod ille ordo non ibi servatur, qui hic. Hic enim ignis ardet et lucet, quod ibi non est. *Sempiternus autem horror ibi inhabitat*, quia licet semper doleant de poenis praesentibus, semper tamen timent futuras. Sed quia illi, contra quos disputabat, immortalitatem animae non ponebant, ut sic post mortem remaneret, ipse adhuc loquitur secundum positiones eorum. Melius quantum ad sensum literae sic exponitur, ut totum referatur ad corpus, quod in terra sepelitur, et in terram convertitur. Dicit ergo, *Ad terram tenebrosam*, quantum ad ipsam proprietatem terrae, quae in se opaca est; sed licet in se sit opaca, tamen viventes qui super terram habitant, illustrantur lumine aeris operientis terram : sed isto lumine mortui non perfruuntur; unde subdit, *Opertam mortis caligine;* quasi dicat, Mors facit ut post mortem aliquis non perfruatur lumine, quo vivi utuntur. Contingit autem quandoque quod licet aliquis vivus lumine circumdante terram non perfruatur, tamen in aliquo occulto loco terrae existens, fruitur desideratis quoad appetitum, et considerat aliquas veritates quoad intellectum; sed hoc mortui carent; unde subdit, *Terram miseriae*, quantum ad carentiam omnium desiderabilium vel delectabilium: *Et tenebrarum*, inquantum deficit consideratio veritatum. Inter alia etiam in quibus vivi delectantur, praecipuum est societas humana cum debito ordine, quo quidam praesunt, et alii subsunt, et alii serviunt; sed hoc mortui privantur; unde subdit, *Ubi umbra mortis;* quasi dicat, Apud mortuos non sunt nisi horribilia secundum existimationem viventium; unde dicitur *Sap. 17. Personae apparentes tristes pavorem illis dederunt. Et nullus ordo*, quia absque doctrina honoris et dignitatis similiter est conditio mortuorum. *Sed sempiternus horror inhabitat*, quantum ad viventes, quibus horrori sunt mortui; quasi dicat, Nihil est in statu mortuorum nisi quod homines horrent; et hoc in sempiternum apud eos erit, si ad vitam non redeunt. Sic igitur Iob inquirendo causam suae tribulationis, ostendit hoc non esse ab aliquo impio, in cuius manu data sit terra; non esse a Deo calumniose opprimente; non esse a Deo culpam inquirente; non esse a Deo peccata puniente; non esse a Deo in poenis sibi complacente. Unde adhuc remanet sub dubio causa tribulationis eius : quae omnia prosequitur Iob, ut de necessitate inducat eos ad ponendum aliam vitam, in qua et iusti praemientur, et mali puniantur, ex quo per ea nunc posita non potest reddi causa tri-

bulationis iustorum, quos certum est aliquando in hoc mundo tribulari.

## CAPITIS UNDECIMI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Sophar Naamathithes dixit, Nunquid qui multa loquitur, non audiet, aut vir verbosus iustificabitur ? Tibi soli tacebunt homines, et cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis: Dixisti enim, Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi. Ut ostenderet tibi secreta sapientiae : et quod multiplex esset lex eius ; et intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Forsitan vestigia Dei comprehendes , et usque ad perfectum omnipotentem reperies ? Excelsior caelo est, et quid facies ? Profundior inferno , et unde cognosces? Longior terra mensura eius, et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? Vel quis dicere ei potest : Cur ita facis ?

### LECTIO PRIMA.

Superius Iob inter cetera mala , quae patiebatur , miserabiliter cruciari se dixerat ab amicis suis , qui contra eum insurgebant, quasi testes pro Deo, a quo verbo tactus Sophar respondit; unde dicit, *Respondens autem Sophar Naamathithes dixit: Nunquid qui multa loquitur non audiet?* quasi dicat, Tu multa locutus es inordinate, unde non est mirum si ab amicis tuis reprehensus es. Quod si homo qui loquitur multa, non reprehenderetur, sequeretur hoc inconveniens , quod homines ex hoc ipso, quod sunt loquaces , iusti reputarentur; unde sequitur, *Aut vir verbosus iustificabitur ?* idest iustus reputabitur ? Et quia posset dicere Iob , sibi debere deferri propter suam dignitatem, excludit hoc subdens : *Tibi soli tacebunt homines , et cum caeteros irriseris , a nullo confutaberis ?* Intellexerat enim Iob dixisse alios esse irrisores in hoc, quod testes Dei eos vocaverat , et in hoc quod supra dixerat, *Quare detraxistis sermonibus veritatis:* et ideo dicit non esse mirandum , si etiam alii contra ipsum loquantur. Sed forte posset dicere , quod non haberent quid dicerent contra eum , vel contra verba eius ; et ad hoc excludendum subdit , *Dixisti enim, purus est sermo meus.* Hoc accipit ab eo, quod supra dixerat, *Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia apparebit, et mundus sum in conspectu tuo.* Hoc Iob expresse non dixerat, sed ex verbis eius accipere volebat: quia disputaverat se non propter peccatum punitum. Vel ex eo quod dixerat , *Scias quia nihil impium fecerim :* vel ex eo quod supra dixit: *Nonne dissimulavi, nonne silui?* Considerandum est autem , quod cum peccatum sit obliquatio a lege Dei , non potest plene cognosci peccatum, vel quantitas eius, nisi lex Dei cognoscatur: rectum enim est index sui ipsius, et obliqui. Quod igitur Iob se diceret immunem a peccato,et non ita graviter peccasse sicut puniebatur, ex hoc reputabat Sophar accidere, quod Iob legem Dei non perfecte cognosceret; et ideo dicit, *Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi.* Hoc videtur in sugillationem Iob dicere, quia dixerat, *Indica mihi, cur me ita iudices?* et potest dicere, quod Deus simpliciter loquitur homini, cum eius cordi aliquid de sua sapientia inspirat , secundum illud *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Labia autem sua aperit, cum per aliquos effectus hominibus aliquid revelat : labiis enim formantur voces exterius, quibus interiores conceptus cordis exprimimus. Considerandum est autem, quod ab intellectu divinorum duplici ratione deficimus: primo quidem, quia cum invisibilia Dei cognoscere non possimus, nisi per ea, quae facta sunt, ea vero quae facta sunt, multum deficiunt a virtute factoris, oportet quod remaneant multa in factore consideranda quae nobis occultantur: et haec vocantur secreta sapientiae Dei, de quibus dixit, *Ut ostenderet tibi secreta sapientiae suae.* Secundo etiam , quia ipsum creaturarum ordinem ad plenum comprehendere non possumus, secundum quod a divina providentia dispensantur: aliter enim est in humano regimine, et aliter in divino: nam apud homines , quanto aliquis est superior in regendo, tanto eius ordinatio ad universaliora solum se extendit, particularia vero relinquit inferioribus rectoribus dispensanda : et sic lex superioris rectoris est universalis et simplex; sed Deus, quanto est superior in regendo , tanto eius ordinatio etiam usque ad minima se extendit : unde lex sui regiminis non solum est secreta, si respiciamus ad altitudinem rectoris, excedentem universam proportionem causarum, sed etiam est multiplex, universa, et singularia, et minima sub certo ordine dispensans; et ideo addidit, *Et quod multiplex sit lex eius :* et hoc quidem non solum in rebus naturalibus est considerare, prout divino subduntur regimini, sed etiam in rebus humanis. Leges enim humanae, quia non potuerunt earum latores ad omnia singularia respicere, ad universalia quaedam respiciunt, quae ut in pluribus accidunt. Qualiter autem universalia statuta humana sint factis singularibus applicanda, relinquitur prudentiae operantis: unde in multis homo potest deficere a rectitudine; in quibus tamen non contrariatur legi humanitus positae. Sed lex divina , secundum quod est in sapientia Dei, ad omnia particularia et minima se extendit: et sic non potest contingere, quod homo in aliquo a rectitudine discordet, et non contrarietur legi divinae. Quia igitur homo ad ipsam legem divinam, prout est in secreto sapientiae Dei inspiciendam , pertingere non potest, et per consequens nec eius multiplicitatem agnoscere, contingit quod aliquando non putet se contra legem Dei agere , cum tamen agat; vel parum delinquere , cum tamen multum delinquat; unde subdit, *Et intelligeres*, scilicet si essent tibi ostensa secreta sapientiae et multiplicitas legis Dei, *Quod multa minora exigaris ab eo*, scilicet in sufferendo poenas; *Quam mereatur iniquitas tua*, quam vel non cognoscis , vel existimas parvam: et in hoc videtur reprehendere, quod Iob supra dixerat , *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior in statera: Qua-*

*si arena maris haec gravior appareret.* Et quia proposuerat in divina sapientia esse aliquod secretum, quod nondum erat Iob ostensum; ne hoc posset negari, per consequentia confirmat dicens: *Forsitan vestigia Dei comprehendes.* Vestigia signa sunt per viam procedentis: opera autem Dei viae ipsius dicuntur, et productio creaturarum a Deo quidam processus Dei intelligitur in creaturas, prout scilicet divina bonitas ab eo in quo simpliciter, et summe existit, gradatim ad effectus derivata procedit, dum superiora inferioribus meliora inveniuntur. Vestigia ergo Dei sunt signa quaedam in creaturis inventa, ex quibus per eas Deus aliquatenus cognosci potest. Sed cum humana mens nec ipsas creaturas totaliter et perfecte cognoscere possit, multo minus et de ipso creatore perfectam notitiam habere potest: et ideo interrogando subdit, *Et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* quasi dicat, Si creaturas perfecte cognoscere non potes, multo minus nec creatorem; et signanter dicit, *Reperies*, quia per quandam inquisitionem ratio ab effectibus procedit ad causam, quam dum per effectus cognoscimus, eam dicimur invenire: nec est mirum, si creaturis non perfecte cognitis, adhuc creator non perfecte cognosceretur: tunc enim per effectus perfecte causa cognosci potest, quando effectus adaequantur causae virtuti; quod de Deo dici non potest; et ideo subdit, *Excelsior caelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura eius, et latior mari.* Haec sub metaphora dicuntur: non enim debet intelligi, quod Deus, qui incorporeus est, dimensionibus corporalibus distendatur; sed magnitudinem virtutis sub similitudine describit corporalis magnitudinis, quia quantumcunque corporea videntur esse magna altitudine, vel profunditate, vel longitudine, vel latitudine, deficiunt tamen a magnitudine virtutis Dei, quae maiora facere potest: et ideo signanter Deum omnipotentem prius nominavit. Ex hoc ergo ostendit, quod perfectio in creaturis inveniri non potest: quia dato, quod omnes creaturae perfecte cognoscerentur, ex eis cognosci non posset virtus eius aequaliter, quia medium sumi non potest ad cognoscendum virtutem Dei; sed excedit omnem creaturam: et hoc significat cum dicit; *Quid facies, et unde cognosces.* Non solum autem divina virtus excedit omnem creaturam in producendo, sed etiam in conservando: non enim creaturae conservatio est, nisi a Deo: nec est aliqua virtus in creatura, quae divinae voluntati resistere possit, si ipsam creaturam ulterius conservare non vellet; et ideo subdit, *Si subverterit omnia*, in nihilum redigendo, subtrahendo scilicet eis esse, *Vel in unum coarctaverit*, confusionem inducendo, scilicet per subtractionem ordinis, quo res distinguit: *Quis contradicet ei?* idest quae virtus creaturae poterit esse contraria, contra eius voluntatem conservans, vel se, vel alia in esse? Sed ne aliquis dicat, quod licet nihil posset conservari in esse, nisi per eum, tamen, quia quasi ex debito res in esse conservat; ideo ad hoc excludendum subdit: *Vel dicere ei poterit, Cur ita facis?* quasi ab eo exigens rationem de debito praetermisso.

## LECTIO II.

Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat? Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Tu autem firmasti cor tuum; et expandisti ad Deum manus tuas. Si iniquitatem, quae est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula: et eris stabilis, et non timebis. Miseriae quoque oblivisceris; et quasi aquarum quae praeterierunt, non recordaberis; et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer, et habebis fiduciam, proposita tibi spe: defossus securus dormies: requiesces, et non erit qui te exterreat. Et deprecabuntur faciem tuam plurimi. Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ad eis; et spes illorum abominatio animae.

## LECTIO II.

Postquam ostendit Sophar, quod in divina sapientia est aliquid secretum, quod homini incomprehensibile est, procedit ad aliud manifestandum, quod prius supposuerat, scilicet, quod Deus pro peccato ab homine exigat poenam, et quod Deus facta hominum cognoscat; unde dicit: *Recte dico quod exiguntur tibi a Deo minora, quam mereatur tua iniquitas: Ipse novit hominum vanitatem*, idest hominum facta vana. Vana autem dici consueverunt quae instabilia sunt, eo quod debitis finibus non stabiliuntur. Ex hoc igitur est vanitas hominis, quod cor eius in veritate non figitur, per quam solam potest stabiliri: et ex hoc quod a veritate recedit, iniquitatem operatur, dum videlicet appetit illud, quod apparet bonum, loco eius, quod est bonum; unde subdit, *Et videns*, scilicet Deus, *Iniquitatem*, ex vanitate hominum procedentem, *Nonne considerat?* scilicet ad puniendum: tunc enim iudex peccatum videns, inconsiderate pertransire videtur, quando dissimulat, et poenam apponere non curat; quod de Deo videtur non esse dicendum. Cum igitur ipse videat hominum vanitatem, pro iniquitate exigit poenam. Sicut autem ex vanitate contingit, quod homo ad iniquitatem declinat, ita ex eadem vanitate provenit, quod homo divino iudicio se subiectum esse non reputat; et ideo subdit, *Vir vanus in superbiam erigitur*, ut scilicet suo superiori se subditum esse non credat; et hoc est quod subdit: *Et tanquam pullum onagri, se liberum natum putat.* Onager asinus silvester est, cuius pullus a dominio hominis nascitur liber; pulli autem asinorum, qui ab hominibus possidentur, in servitutem hominum nascuntur. Homines igitur qui se divino iudicio subiectos esse non putant, reputant se quasi pullos onagri natos, licet videant alios homines eiusdem conditionis divino iudicio coerceri. Hoc in sugillationem beati Iob dicere videbatur, intelligens ex verbis eius, quod quasi de pari cum

Deo vellet contendere, quia dixerat: *Auferat a me virgam suam, et pavor eius non me terreat: loquar et non timebo eum;* et ideo subdit: *Tu autem firmasti cor tuum*, ut scilicet defenderes iniquitatem tuam: et tamen cum hac cordis obfirmatione, *Expandisti ad Deum manus tuas*, orando scilicet supra cum dixit, *Dicam Deo, noli me condemnare*; et ideo inutilis est oratio tua: talis enim oratio est, quando homo primo iniquitatem dimittit, et postea a Deo petit, ut a puniendo cesset; et hoc est quod subdit: *Si iniquitatem, quae est in manu tua, abstuleris a te*, ut scilicet desistas ab opere iniquo, quod adhuc prae manibus habes: *Et non manserit in tabernaculo tuo iniustitia*, ut scilicet quod iniuste accepta reposita habes, restituas, vel tuos familiares corrigas, pro quorum delictis interdum domini puniuntur propter negligentiam corrigendi: *Tunc levare poteris*, scilicet Domino orando: *Faciem tuam absque macula*, scilicet culpae: et sic cessabit condemnatio: primo quidem quantum ad futura; unde subdit: *Et eris stabilis*, ut scilicet ulterius per tribulationes non movearis: *Et non timebis*, futura pericula. Et quia aliquando licet homo non timeat de futuro, tamen affligitur pro iis, quae amisit, vel passus est, subiungit: *Miseriae quoque*, scilicet quam hactenus passus es, *Oblivisceris*, propter abundantiam bonorum supervenientium; et hoc exemplo confirmat cum subdit: *Et quasi aquarum quae praeterierunt, non recordaberis;* quasi dicat, Quia homo post tempestatem pluviae, cum serenitas advenerit, pluviarum praecedentium obliviscitur: vel propter hoc, quod aquae fluviorum citissime fluunt, et earum, postquam transeunt, nulla restat memoria. Sed quia contra promissionem prosperitatis in hac vita Iob supra duo proposuerat, scilicet devastationem proprii corporis, cum dixit, *Induta est caro mea putredine:* et praeteritionem dierum vitae suae, cum dixit, *Dies mei velocius transierunt cursore* etc. ideo ad utramque obiectionem excludendam subiungit: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam;* ac si dicat, licet tibi videatur, quod dies tui pertransierint, et vita tua sit in fine quasi ad vesperam, tamen tanta poterit supervenire prosperitas, quod quasi reducet te ad gaudium iuventutis tuae: sicut enim per vesperam intelligitur senectus, ita per meridiem iuventus. Fulgorem autem vocat claritatem terrenae prosperitatis. Contra hoc vero quod dixerat de consumptione proprii corporis, subiungit: *Et cum te consumptum putaveris*, scilicet propter infirmitatem, quam passus es: *Orieris ut lucifer*, idest ad pristinum decorem revertetur corpus tuum. Et quia iterum supra Iob dixerat quod dies sui consumpti erant absque ulla spe, ideo subiungit, *Et habebis fiduciam proposita tibi spe*, idest quia supra Iob improbaverat opinionem dicentium, quod homo post mortem transactis multis saeculis iterum rediret ad hunc modum vivendi, non huius rei sibi spem dicit esse propositam, sed secundum quod homo post mortem vivit in memoriis hominum: quod quidem ex duobus contingit, uno quidem modo ex tumulis, in quibus corpora mortuorum conduntur, ut conservetur memoria defunctorum: unde et monumenta dicuntur; et quantum ad hoc dicit, *Et defossus securus dormies;* quasi dicat, Nullus sepulcrum tuum violabit; nec etiam timendum erit, quod aliquis attentet; unde subdit, *Requiesces, et non erit qui te exterreat.* Alio modo mortui vivunt in memoriis hominum propter bona, quae fecerunt dum viverent, ex quibus eorum vita desideraretur; et quantum ad hoc subdit: *Deprecabuntur faciem tuam plurimi*, idest plurimi exoptabunt praesentiam tuam, vel reverentiam exhibebunt tumulo tuo memorantes beneficia tua. Et quia hoc promiserat, si Iob ab iniquitate vellet discedere, ostendit consequenter quod iniquis ista non dantur; et ideo subdit, *Oculi autem impiorum deficient*, quia videlicet bona quae exoptant, non obtinebunt: tunc enim oculi alicuius deficere dicuntur, quando aspicit ad aliquid apprehendendum, ad quod attingere non valet; et sic bona desiderata non adipiscuntur: ita etiam mala, quae patiuntur, vel timent, vitare non possunt; unde sequitur: *Et effugium peribit ab eis*, quia scilicet non poterunt fugere mala post mortem, vel non erunt in veneratione vel desiderio, sed in abominatione propter mala quae fecerunt: hoc est quod subditur, *Et spes eorum abominatio animae*, idest illud quod de eis potest sperari post mortem, est quidem abominabile.

## CAPITIS DUODECIMI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob dixit: Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia? Et mihi cor sicut et vobis: nec inferior vestri sum. Quis enim haec, quod nostis, ignorat? Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. Deridetur enim iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula praedonum; et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Nimirum interroga iumenta, et docebunt te: et volatilia caeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi: et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis.

### LECTIO PRIMA.

Sophar in verbis praecedentibus conatus fuerat ostendere, quod secreta sapientiae Dei homo comprehendere non potest, ad sugillandum Iob, qui quasi cum Deo disputationem requirere videbatur: et sicut ex verbis eius, et aliorum amicorum perpendi potest, circa tria tota eorum versabatur intentio. Primo enim studebant ad dicendum aliqua magnifica de Deo, extollentes eius sapientiam, et potentiam, et iustitiam: ut ex hoc eorum causa favorabilior appareret. Secundo huiusmodi magnifica de Deo assumpta ad falsa quaedam dogmata applicabant, utpote, quod propter iustitiam homines prosperarentur in hoc mundo, et propter peccata tribularentur, et quod post hanc vitam

non esset aliquid expectandum. Tertio ex huiusmodi assertionibus propter adversitatem, quam patiebatur Iob, arguebant eum quasi iniquum, et promittebant ei quaedam inania, si iniquitatem desereret; utpote, quod defossus securus dormiret: et quod ad vesperam orietur ei fulgor meridianus: quod Iob quasi irrisiones reputabat: et circa hoc tota Iob responsio versabatur. Primo ergo contra eos loquitur de hoc, quod se extollebant, quaedam magnalia de Deo proponentes, ac si soli ipsi ea scirent, et Iob ea ignoraret: et ideo dicitur, *Respondens autem Iob dixit: Ergo vos estis soli homines?* quod sequitur, si vos solos scire reputatis de magnitudine Dei, quae omnes homines cognoscunt; et cum in cognitione magnitudinis Dei consistat sapientia, sequitur, quod si hoc soli vos scitis, quod in vobis solum sit sapientia, et ita vobis cessantibus, sapientia cessat; et ideo subdit, *Et vobiscum morietur sapientia?* quasi dicat, Inconveniens est vel quod vos sitis homines, vel quod vos soli sitis sapientes; sed quia possent dicere: non soli nos scimus, sed tamen tu nescis, respondet subdens, *Et mihi est cor*, scilicet ad haec scienda; *Sicut et nobis: nec inferior vestri sum*, quantum scilicet ad hanc cognitionem. Et ne hoc arrogantiae posset adscribi, subiungit, *Quis enim haec quae nostis ignorat;* quasi dicat, non est magnum, si dico me scire ea quae scitis, quia non est magnum ea scire, cum quilibet ea sciat; sed quia haec me ignorare reputatis, ne contemptui habere videmini, quasi ignorem ea, quae omnes sciunt; unde subdit: *Qui deridetur ab amico*, scilicet sicut ego a vobis, scilicet, dum me insipientem reputatis: *Invocabit Deum et exaudiet eum:* quia ubi deest auxilium humanum, ibi maxime adest auxilium divinum, secundum illud *Psal. 26. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Et in hoc videtur quasi respondere ei, quod alias dixerat Sophar, tunc levare poteris faciem tuam; ac si dicat, non oportet aliud me amplius expectare ac fiducialiter orandum: quia ex hoc ipso, quod ab amicis derideor, datur mihi spes recurrendi ad Deum. Quare autem irrisus ab amico exaudiatur a Deo, ostendit subdens, *Deridetur enim iusti simplicitas.* Ubi ostendit, et qui sunt, qui derideant, et quare, et etiam a quibus, cum subdit, *Lampas contempta apud cogitationes divitum:* derideri enim deficientis est; derideri autem superabundantis. Qui autem in virtutibus superabundant, eos, qui in virtutibus deficiunt, non irrident, sed magis compatiuntur, et iuvant si possunt; sed illi, qui temporalibus abundant, maxime solent irridere eos, qui in temporalibus deficiunt; et praecipue quando studium non adhibent ad temporalia conquirenda. Studium autem iustorum non est ad temporalia conquirenda, sed ad rectitudinem sectandam, unde a fraudibus et dolis abstinent, quibus plerumque divitiae acquiruntur, et ex hoc simplices reputantur. Ergo ut plurimum deridentur iusti, causa autem irrisionis est simplicitas; sed non sic irridentur, quasi malum manifestum, sed quasi bonum occultum; et ideo haec simplicitas vocatur lampas propter claritatem iustitiae; sed contempta apud cogitationes divitum, scilicet qui finem suum in divitiis ponunt, qui enim summum bonum in divitiis ponit, oportet quod cogitet, quod in tantum sunt aliqua magna bona, inquantum magis prosunt ad divitias conquirendas. Unde oportet, quod eis sit contemptibilis iustorum simplicitas, per quam divitiarum multiplicitas impeditur; sed licet ipsa simplicitas iustorum in cognitionibus divitum contemnatur, tamen suo tempore a fine debito non fraudabitur; unde dicit, *Praeparata ad tempus statutum.* Non autem dicit hoc, quasi in aliquo tempore praesentis vitae, iustis pro sua simplicitate aliqua terrena prosperitas sit reddenda, sed indeterminatum relinquit quod sit istud tempus statutum, et ad quem finem iustorum simplicitas praeparetur: nondum enim ad hoc disputatio pervenit; sed in sequentibus ostendetur. Sic igitur Iob occulte insinuat, quare ab amicis irridetur, quos divites vocat, quia prosperitatem huius mundi finem hominis ponebant, quasi praemium iustitiae hominis. Ipse autem sua simplicitate non hoc praemium quaerebat, sed aliud in tempore statuto; et ideo fiduciam habebat, ut si invocaret Dominum, ab eo exaudiretur: quia divites iusti simplicitatem irridentes, non in hoc sistunt, sed usque ad contemptum Dei procedunt; unde subditur: *Abundant tabernacula praedonum.* Consequens autem est, quod ex quo finem suum in divitiis ponunt, quod omnes vias exquirant ad hunc finem ultimum consequendum, vel fraudando, vel quocunque alio modo, et sic efficiuntur praedones, dum praedantur, divitiis abundant; ex hac autem abundantia sequitur contemptus Dei; unde subditur, *Et audacter provocant Deum:* tunc enim aliquis aliquid audacter facit, quando credit hoc esse bonum, quod facit; cum enim conscientia eum remordet de malo, non sine timore homo perpetrat malum: quia, ut dicitur *Sapien. 17. cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem.* Qui autem finem ultimum in divitiis ponunt, ex hoc existimant bona omnia esse, per quae hunc finem consequuntur. Manifestum est autem, quod cum divitias acquirunt praedando, provocant Deum, contra eius iustitiam facientes: unde consequens est, quod homo in superbiam erigitur, reputans se per eas sibi sufficere, et ex hoc contemnit Deum audacter, in divitiis suis confidens, secundum illud *Deut. 22 Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* Sed quia dixerat, abundare praedonum tabernacula, qui provocant Deum, ne forte responderetur, quia talis abundantia non est a Deo, subiungit: *Cum ipse dederit omnia in manus eorum*, idest in potestatem eorum, quia potestas nocendi alicui non est nisi a Deo; voluntas autem malafaciendi non est nisi a seipso: et ideo in hoc quod praedantur, Deum provocant, sed abundantia consequens est eis a Deo; et hoc consequenter probat, cum subdit; *Nimirum interroga iumenta, et docebunt te: volatilia caeli, et indicabunt tibi: loquere terrae, et respondebit tibi: et narrabunt pisces maris.* Quod autem omnia ista interrogata respondeant, ostendit subdens: *Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit.* Hoc ergo ostenditur, quod omnia confitentur se a Deo esse facta. Tunc autem homo creaturas interrogat, quando eas diligenter considerat; sed tunc interrogatae respondent, cum per considerationem ipsarum homo percipit, quod tanta ordinatio, et convenientia, quae invenitur in dispositione par-

tium in ordine universi, nullo modo posset esse, nisi ab aliqua superiori sapientia dispensante. Si autem huiusmodi creaturae a Deo factae sunt, manifestum est, quod in Dei potestate sunt, sicut artificiata in potestate artificis; et ideo subdit: *In cuius manu*, idest potestate, *Est anima omnis viventis*, et non solum aliorum animalium: *Sed et spiritus universae carnis hominis*. Si autem in potestate eius sunt, manifestum est, quod nullus rerum abundantiam habere potest nisi ab ipso, secundum illud *Dan. 4. Dominatur excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit dabit illud*. Manifestum est igitur, quod et terram et animalia, de quibus supra dixerat, in quibus humanae divitiae consistunt, nullus homo habere potest, nisi Deus in manum eius dederit: et sic, si praedones abundant, *Deus dedit in manibus eorum*. Per hoc ergo confutatur illorum opinio, qui ponebant divitias a Deo dari pro merito iustitiae, cum etiam praedonibus a Deo dentur.

## LECTIO II.

Nonne auris verba diiudicat, et fauces comedentis saporem. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia et fortitudo: et ipse habet consilium et intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui aedificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram. Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem. Baltheum regum dissolvit, et praecingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat. Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevat. Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit. Qui immutat cor principum populi terrae, et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.

## LECTIO II.

Quia superius posuerat Iob ea, quae Sophar de excellentia divinae magnitudinis dixerat, esse omnibus manifesta; intendit hic ostendere quod hoc ad notitiam hominum pervenire potest per experimentum divine potentiae, et sapientiae, in rebus humanis. Unde primo manifestat, quomodo homines per experimentum a sensibus in rerum cognitionem deveniant; dicens, *Nonne auris verba diiudicat?* scilicet cum ea audit: *Et fauces comedentis saporem*, nonne diiudicant? quia experimentum sensus est. Convenienter per iudicium sensuum virtutem experimenti manifestat, et praecipue per auditum et gustum: quia auditus inter omnes sensus est disciplinabilior, unde plurimum ad scientias contemplativas valet; gustus autem est perceptivus ciborum, qui quidem sensus homini necessarii sunt ad vitam; unde per iudicium gustus experimentum significat, quod de rebus activae vitae habetur; et propter hoc ex iudicio duorum sensuum ostendit virtutem experimenti tam in speculativis, quam in operativis, cum subdit, *In antiquis est sapientia*, quae ad contemplationem pertinet, quia scilicet antiqui multa audierunt: *Et in multo tempore prudentia*, quae ad actionem pertinet: quia scilicet in multo tempore homines multa degustant utilia vel nociva. Sic igitur manifestata experimenti virtute, subiungit id quod homines de Deo experiri possunt, cum dicit: *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo: et ipse habet consilium, et intelligentiam*. Ubi quatuor Deo attribuit, quae se per ordinem habent: nam primum quidem est, occulta cognoscere; quod ad intelligentiam pertinet. Secundum autem est, ex iis quae homo intelligit, invenire in activis quidem vias commodas ad aliquem finem; quod ad consilium pertinet: sicut et in speculativis, per ea, quae homo intelligit, rationes deducit ad aliquas conclusiones cognoscendas. Tertium autem est, ut de iis quae homo adinvenit, rectum iudicium habeat; quod ad sapientiam pertinet. Quartum autem est, ut ea, quae aliquis iudicat esse facienda, potenter exequatur; et ad hoc pertinet fortitudo. Quia vero experimentum procedit a sensibilibus, quae licet sint priora secundum nos, sunt tamen simpliciter, et secundum naturam posteriora, ideo incoepit ostendere, quomodo homines experiri possunt fortitudinem divinam; et primo quidem in ipsis rebus humanis: videmus enim quod aliqui homines totaliter destruuntur vel per mortem, quantum ad esse naturae, vel per omnimodam abiectionem, quantum ad esse civile, cum non habeat multos manutentores. Unde cum adiuvari non possint ne ad destructionem perveniant, manifestum est, quod ab aliqua occulta causa, et divina, et excedente humanam virtutem hoc contingit, cum ei virtus humana resistere non possit; et hoc est quod dicit: *Si destruxerit, nemo est qui aedificet*. Item videmus aliquos homines in suis processibus impediri, etiam si non totaliter destruantur, licet habeant plurimos directores. Unde manifestum est, quod hoc etiam ab aliqua excellentiori virtute fit; unde subditur: *Et si incluserit hominem*, scilicet involvendo eum diversis difficultatibus: *Nullus est qui aperiat*, idest qui eum expedire possit: unde *in Eccles. 7.* dicitur: *Nemo potest corrigere eum, quem Deus despexerit*. Deinde ostendit, quomodo possint homines experiri divinam potentiam in rebus naturalibus, praecipue quantum ad pluvias et siccitates; unde dicit: *Et si continuerit aquas*, ne scilicet pluendo cadant: *Omnia siccabuntur*, scilicet quae e terra germinant: *Et si emiserit eas*, scilicet in magna abundantia: *Subvertent eam*, sicut in diluvio accidit. Et licet hoc ex aliquibus causis naturalibus proveniat, scilicet quod aliquando pluviae cessent usque ad omnimodam siccitatem, aliquando autem abundent usque ad terrae subversionem; non tamen hoc a divina potentia subtrahitur, quae ipsas naturales causas ad proprios ordinavit effectus. Sic igitur quasi ex praemissis concludens subdit: *Apud ipsum est fortitudo*. Deinde incipiens progredi ad se-

cundum membrum, adiungit: *Et sapientia*, scilicet est, quasi opponens, quod manifestare intendit. Est autem proprium sapientiae, ut per eam rectum iudicium habeatur de rebus: ille autem recte iudicat de rerum veritate, qui potest discernere, quo modo aliquis decipiatur a veritate declinans; ideo ad ostendendum quod in Deo sit sapientia, subdit, *Ipse novit decipientem, et eum qui decipitur*, idest discernit recto iudicio deceptiones, quibus aliquis praetermittit veritatem, deviando a recta veritatis cognitione; et hoc quidem supponit ab eo in quo communiter ipse, et amici conveniunt, hoc scilicet, quod res humanae divino iudicio subduntur, de quibus iudicare non posset nisi peccata cognosceret, inter quae magnum locum obtinent deceptiones, et fraudes. Deinde ostendit per ea quae in rebus humanis apparent, quod apud Deum sit consilium. Circa quod tamen considerandum est, quod sicut Deus scit et principia speculativarum scientiarum, et conclusiones, et ordines eorum ad invicem; non tamen per principia conclusionum cognitionem acquirit, sed omnia puro, et simplici aspectu cognoscit, ita et in operativis, et fines, et ea quae sunt ad finem novit, et quae viae ad fines aliquos consequendos expediant, non tamen vias ex finibus inquirit, sicut nos dum consiliamur. Sic igitur in Deo dicitur esse ratio, inquantum cognoscit ordinem principiorum ad sequentia; non tamen ei convenit investigare aliquid per modum rationis, ut ratio facit: sic apud ipsum dicitur esse consilium, non per modum inquisitionis, sed per modum simplicis, et absolutae cognitionis. Profunditas autem alicuius in consiliis ex duobus perpendi potest, primo quidem, quando subtilitate sui consilii adversarios, etiam si exercitati in consiliis videantur, ad hoc deducit eos, quod necesse sit eis, deficientibus omnibus viis eorum, ad finem inconvenientem pervenire: et quantum ad hoc dicit, *Adducit consiliarios in stultum finem*, impediendo scilicet, profunditate sui consilii, vias, quas inveniunt ad finem huiusmodi evitandum. Secundo autem ostenditur profunditas alicuius in consiliis, quando adversarios ad hoc deducere potest subtilitate sui consilii, ut ignorent quid eos oporteat agere: et quantum ad hoc subdit, *Et iudices in stuporem*, scilicet adducit. Dicit autem iudices, sapientes, qui de agendis rectum iudicium consueverunt habere; sicut etiam et in disputationibus speculativis accidit, quod aliquis efficax disputator haberetur, quia adversarium ad inconveniens deducere posset, vel propositum taliter firmare, quod in contrarium nihil dici possit; sic autem et Deus contra suos adversarios facit, quia et per vias, quas ipsi eligunt, eos ad perditionem ducit, et suam virtutem et opera sic firmat, ut ab adversariis commoveri non possit. Et quia hoc generaliter dixerat, consequenter per specialia exempla manifestat, ostendens, quomodo omnia, quae in rebus humanis excellere videntur, profunditate divini consilii in stultum finem, et stuporem adducuntur. In rebus autem humanis excellunt reges secundum potentiam; et quantum ad hoc dicit, *Baltheum*, idest cingulum militare: *Regum dissolvit*: in cingulo enim eorum potentia designatur, secundum illud *Psalmi 44. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Et praecingit fune renes eorum*, scilicet dum in captivitatem trahuntur, in quo maximus potentiae defectus denotatur. Sacerdotes autem excellunt quantum ad reverentiam, in qua habentur, de quibus subdit, *Ducit sacerdotes inglorios*. Primates autem, et consiliarii civitatis aut regni excellere videntur secundum prudentiam in consiliis: et de iis subdit: *Et optimates supplantat*, idest decipit. Philosophi autem excellunt in consideratione veritatis: et de iis dicit: *Commutans labium veracium*, idest eorum, qui ad veritatem loquendam student: aliquando enim Deus obnubilat eorum mentem per subtractionem suae gratiae, ut veritatem invenire non possint, et per consequens nec loqui, secundum illud *Roman. 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt:* excellunt etiam senes in directione iuvenum, et de his subdit, *Et doctrinam senum auferens:* vel quia senes infatuantur, vel quia totaliter de medio subtrahuntur, secundum illud *Isa. 3. Aufert Dominus iudicem, et prophetam, et ariolum, et senem.* Excellunt autem principes in auctoritate, quam habent aliis praecipiendi; et de his subdit, *Effundit despectionem super principes*, ut scilicet despiciantur ab iis, qui eis obedire debebant. Haec omnia pertinere videntur ad hoc, quod dixerat, *Adducit consiliarios in stultum finem.* Sed quod aliquando aliqui ex infimo statu promoveantur ad summum, pertinere videtur ad hoc quod dixerat: *Et iudices in stuporem:* et quantum ad subditos: *Et eos qui oppressi fuerant relevat*, ut hoc referatur ad impotentes, potentia maiorum oppressos, qui oppressoribus deiectis interdum ad statum potentiae elevantur. Quantum vero ad eos, qui nullius sunt gloriae, sed infimo statu latent, subdit, *Qui revelat profunda de tenebris*, scilicet homines in infimo statu positos: et propter hoc ignotos quasi in tenebris existentes, in gloriam adducit eos, aliqua revelando. Quantum vero ad eos, qui ignorantes reputantur stulti, subdit, *Et producit in lucem umbram mortis:* umbra enim mortis ignorantia esse videtur, vel stultitia, cum per cognitionem maxime viventia a non viventibus distinguantur. Producit ergo in lucem umbram mortis, quando vel ignorantibus sapientiam tribuit, vel eos qui sapientes non erant, sapientes esse demonstrat, quorum sapientia erat prius ignota; ut sic quod dictum est, *Eos qui oppressi fuerant relevat*, dicatur quasi in oppositum eius quod dixerat, *Baltheum regum dissolvit;* quod vero subditur, *Qui revelat profunda de tenebris*, contra id quod dixerat, *Ducit sacerdotes inglorios;* quod vero subdit, *Et producit in lucem umbram mortis*, contra omnia quae sequuntur. Sicut autem huiusmodi alterationem sublimitatis et deiectionis contra singulares personas a Deo fieri dixerat, hoc idem, et circa totam gentem ostendit subdens: *Qui multiplicat gentes*, scilicet ut numerositates hominum crescant: *Et perdit eas*, idest destruit, aut bellis, aut pestilentiis: *Et subversas*, vel ex his casibus, vel oppressione alicuius, vel aliquorum, qui inique praesident: *Instaurat restituit*, idest ad bonum statum reducit. Ostenso igitur quod in Deo sit fortitudo, sapientia, et consilium, ultimo ostendit quod in Deo sit intelligentia, quam diximus pertinere ad cognitionem occultorum, quae maxime videntur esse circa ea, quae in corde latent. Haec autem Deum cognoscere ostendit per hoc quod in cordibus hominum operatur: et sic occulta cordium, quasi suos effectus cognoscit. Dicit ergo: *Qui*

*immutat cor principum populi terrae*, quantum scilicet ad voluntatem: unde et *Prov. 21.* dicitur: *Cor regum in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* Et licet omnium hominum Deus inclinet voluntates, tamen specialis mentio fit de regibus et principibus, quia eorum voluntates maius pondus habent, utpote quorum voluntates multi sequuntur. Quantum vero ad intellectum subiungit, *Et decipit eos:* quod quidem dicitur, non quod in falsitatem eos inducat; sed quia lumen suum eis subtrahit, ne veritatem cognoscant, et eorum rationem obnubilat, ne mala quae proponunt insequenda, vias idoneas invenire possint; unde sequitur, *Ut frustra incedant per invium*, idest ut procedant per vias non convenientes, quibus ad finem suum pervenire non possint. Contingit autem aliquem errare in agendis dupliciter: uno modo per ignorantiam: et quantum ad hoc dicit, *Palpabunt in tenebris, et non in luce*, ut per tenebras ignorantia, per lucem cognitio designetur. Palpant autem aliqui per ignorantiam ad modum caecorum, dum non considerant, nisi quae praesentialiter tangendo sentiunt. Alio modo errant aliqui in agendis propter passiones, quibus eorum ratio ligatur circa particularia, ne universalem cognitionem applicent ad agendum: et quantum ad hoc subdit: *Et errare faciat quasi ebrios:* sic enim ligatur passione ratio, sicut quadam ebrietate.

# CAPITIS TRIGESIMI

## LECTIO PRIMA.

Ecce omnia haec vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula. Secundum scientiam vestram, et ego novi; nec inferior vestri sum. Sed tamen ad omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio: prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Audite ergo correctiones meas, et iudicium labiorum meorum attendite. Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, et pro Deo iudicare nitimini? Aut placebit ei, quem celare nihil potest; aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror eius irruet super vos. Memoria vestra comparabitur cineri: et redigentur in lutum cervices vestrae.

## LECTIO PRIMA.

Postquam ostenderat Iob quod per experimentum cognosci poterat divinae virtutis excellentia, quasi concludens subdit, *Ecce haec omnia vidit oculus meus et audivit;* quasi dicat, Effectus praedictos, quibus divina fortitudo, et sapientia, et consilium, et intellectus ostenditur, partim visu, partim auditu cognovi: nec in his sensibilibus effectibus mea cognitio requievit, sed ex eis ad intelligentiam veritatis ascendi: unde subdit: *Et intellexi singula,* quid scilicet singuli effectus demonstrant circa divina, vel eius sapientiam, vel intelligentiam, vel consilium, vel fortitudinem; unde eorum sanctiam excludens, qua magnifica de Deo proponendo, se Iob praeferre videbantur, subdit, *Secundum scientiam vestram et ego novi*, ea scilicet quae ad Dei magnificentiam pertinent: *Nec inferior vestri sum*, quasi vel minus, vel imperfectius ea cognoverim, vel a vobis modo addidicerim. Sed quia Sophar excellentiam divinam proposuerat, ad arguendum Iob de eo, quod cum Deo disputare moliretur, subiungit: *Sed tamen ad omnipotentem loquar;* quasi dicat, Quamvis intelligam ex diversis effectibus excellentiam divinae sapientiae, et virtutis non minus quam vos, tamen per hoc rationabiliter a meo proposito non mutor, quin Deum alloqui velim, motus cordis mei aperiendo ei, qui est cordium scrutator et iudex: et ab eo qui totius veritatis est doctor veritatem exquirendo; unde subdit, *Disputare cum Deo cupio:* non quidem ut eius iudicia improbare velim, sed ut vestros errores destruam, quibus suppositis sequeretur, quod essem iniustus apud Deum; unde subdit: *Prius vos ostendens fabricatores mendacii:* quia hoc mendacium adinvenerant, quod Iob iniquam vitam duxisset. In hoc autem mendacium devenerant propter hoc, quod circa fidem, qua Deus colitur, errabant, credentes quod in hac vita tantum fieret meritorum, et poenarum retributio; et ideo subdit: *Et cultores perversorum dogmatum:* quicumque enim a vera cognitione Dei declinat, non Deum, sed sua falsa dogmata colit. Non autem sic intelligendum est, quod dicit, *Prius vos ostendens*, quasi prius in ordine sequentis doctrinae destructurus sit prava eorum dogmata, et postmodum cum Deo disputaturus; sed quia dum cum Deo disputare intendit, hoc primum est in intentione sua, ut eorum dogmata destruat. Contingit autem quandoque, ut aliqui aliqua probabilia licet falsa proponant, sed dum ea verisimiliter defendere nesciunt, aut probare, in loquendo suam insipientiam manifestant, quod amicis Iob contingebat; et ideo subdit, *Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes:* quia per hoc ipsum quod vestra falsa dogmata inconvenienter defenditis et probatis, vos insipientes esse demonstrant. Quia ergo falsa dogmata proponitis, et ad eorum manifestationem inconvenientia media assumitis, ideo correctione indigetis; et hoc est quod concludit subdens: *Audite ergo correctiones meas*, qua vestrum processum corrigam: *Et iudicium labiorum meorum attendite*, quod vestra falsa dogmata condemnet. Primo autem intendit corrigere eorum inconvenientem processum; secundo ad eorum falsa dogmata destruenda procedit sub figura divinae dispositionis. Quare enim proponebant bonorum et malorum operum praemia et poenas in hac vita retribui, ad iustitiam Dei defendendam iam oportebat, quod quaedam mendacia assumerent: cum enim manifestum sit quosdam innocentes, et iustos in hac vita adversitatibus premi, necesse erat etiam iustis imponere crimina ad Dei iustitiam defendendam; et sic Iob, quem afflictum videbant, impietatis arguebant. Non autem convenienti medio utitur, qui veritatem per mendacia defendit; et ideo dicit: *Nunquid Deus indiget mendacio vestro;* quasi dicat, Nunquid necessarium est, quod ad defendendum di-

vinam iustitiam mendacia assumantur? Quod enim non potest, nisi per mendacia defendi, impossibile est esse verum. Cum autem aliquis contra manifestam veritatem mentiri nititur, cogitur aliquas dolosas et fraudulentas vias adinvenire, ut mendacium aliqua fraude possit colorare; sic et isti cum contra iustitiam Iob, quae omnibus manifesta erat, mentiri conarentur, quorundam dolis utebantur, ostendendo scilicet fragilitatem humanam, quae facile labitur in peccatum, et comparando eam ad divinam excellentiam, ut sic probabilius reputaretur Iob iniquum fuisse, quam Deum esse iniustum; et ideo subiungit, *Ut pro illo loquamini dolos*: quia quasi pro Deo dolos loquebantur, dum dolose impietatem ipsi Iob imponere nitebantur, ut Deum esse iustum defenderent. Possent autem dicere se non dolose contra Iob aliquid dicere, sed hoc tantum dicere, quod putabant. Ostendit ergo Iob, quod si hoc verum esset, quod a dolositate excusarentur, in aliud vitium labebantur, scilicet in acceptionem personarum, quae iustitiam iudicantis excludit: est enim personarum acceptio, si aliquis iustitiam alicuius, quae apparet, contemnit aut negat propter magnitudinem alterius, licet iustitiam eius cognoscat. Si igitur amici Iob eum esse iniquum iudicabant, videntes in eo iustitiam manifestam, hac sola divinae magnitudinis consideratione, licet intelligere non possent secundum sua dogmata qualiter Iob iuste puniretur a Deo, in suo iudicio quo Iob condemnabant, quasi Dei personam accipere videbantur; et ideo subdit, *Nunquid faciem eius accipitis, et pro eo iudicare nitimini?* quod signanter dicit, quia ille pro aliquo iudicare nititur, qui eius iustitiam non cognoscit; et tamen conatur qualescunque vias adinvenire ad hoc, quod eius causam iustam esse ostendat. Contingit tamen quandoque, quod aliquis alicuius causam fraudulenter defendens, ei placeat, etiam si sit iustus, quod esse potest dupliciter: uno modo quia ignorat suam causam esse iniustam, unde placet ei, quod ab aliquo defendatur; et hoc a Deo excludit dicens: *Aut placebit ei*, scilicet Deo, quod pro eo iniuste iudicare nitimini, cum hoc ei non possit esse ignotum, propter quod subdit, *Quem celare nihil potest*. Aliud quando ille, cuius causa per fraudem defenditur, fraudibus defendentis decipitur, ut eius defensionem reputet esse iustam; et hoc ideo excludit subdens: *Aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis*. Sic igitur manifestum est, quod divina bonitas et iustitia non indiget mendacio ad sui defensionem, quia veritas sine mendacio defendi potest; ex quo etiam patet, quod si positis eorum dogmatibus hoc inconveniens sequitur, scilicet quod iustitia Dei mendacio indigeat ad sui defensionem, manifestum est, dogmata proposita esse falsa. Sed ulterius considerandum est, quod ille qui ad ostendendam Dei iustitiam, vel bonitatem mendacio utitur, non solum rem agit, qua Deus non indiget, sed etiam hoc ipso contra Deum vadit: cum enim Deus veritas sit, omne autem mendacium veritati contrariatur, quicunque mendacio utitur ad Dei magnificentiam ostendendam, hoc ipso contra Deum agit; et hoc patet manifeste per Apostolum *1. ad Cor. 15.* ubi dicit: *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non resuscitavit, si mortui non resurgunt.* Dicere ergo quod Deus mortuum suscitavit, si verum non sit, contra Deum est; quamvis videatur divinae virtutis ostensivum, quia est contra Dei virtutem. Si igitur ad Deum defendendum mendacium assumunt, non solum praemium non acquirunt, quasi ei placentes, sed etiam poenam merentur, quasi contra Deum agentes: et ideo subdit, *Ipse vos arguet: quoniam in abscondito faciem eius accipitis;* et dicit, *In abscondito*, quia licet viderentur exterius causam Dei agere, quasi Dei iustitiam cognoscentes, tamen in conscientiis eorum hoc erat, quod nesciebant qua iustitia Iob punitus esset: et sic quantum ad corda eorum absconditam faciem Dei accipiebant, dum eius iustitiam falso defendere nitebantur. Quomodo autem eos arguet, ostendit subdens, *Statim ut se commoverit, turbabit vos;* quasi dicat, Vos quia modo adversitatem non patimini, tranquilla mente de Dei iustitia disputatis; sed si super vos veniat tribulatio, quam commotionem Dei nominat, eo modo quo punitio in Scriptura ira Dei nominatur, mens vestra conturbabitur, et praecipue cum in veritate solidata non sit. Et quia non alia bona vel mala reputabant, nisi hoc tempore, dum a peccatis cavebant, ne mala eius supervenirent, propter solum praesentium timorem malorum, Deo servire velle videbantur; et ideo subdit, *Et terror eius irruet super vos;* quasi dicat, Illud propter quod tantum Deum timetis, vobis superveniet, scilicet adversitas praesens, secundum illud quod dicitur *Prov. 10. Quod timet impius, veniet super eum.* Et quia ipsi vane Iob promiserant, quod etiam post mortem in memoria hominum remaneret, ipse contrarium eis promittit, quasi eos irridens, dicens: *Memoria vestra comparabitur cineri:* sicut enim cinis post consumptionem lignorum ad modicum durat, ita fama hominis post mortem cito pertransit, unde expectare famam post mortem vanum videtur. Promiserant etiam ei immunitatem, et reverentiam quandam habendam ad eius sepulcrum post mortem; sed hoc etiam pro nihilo ducens, contrarium eis promittit dicens: *Et redigentur in lutum cervices vestrae:* per cervices eorum potentiam, et dignitatem designans: quas dicit esse redigendas in lutum, idest in rem contemptibilem et infirmam.

## LECTIO II.

Tacete paulisper, ut loquar quaecunque mihi mens suggesserit. Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus? Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, et ipse erit salvator meus. Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Audite sermonem meum, et aenigmata percipite auribus vestris. Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar. Quis est qui iudicetur mecum? Veniat. Quare tacens consumor? Duo tantum ne facias mihi: et tunc a facie tua non abscondar. Manum tuam longe fac a me, et formitudo tua non me terreat. Voca me, et ego respondebo tibi; aut certe loquar, et tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates, et peccata: scelera mea, et delicta ostende mihi. Cur faciem

tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

## LECTIO II.

Postquam Iob correxerat amicorum processum, qui mendaciis divinam iustitiam nitebantur defendere; nunc procedit ad eorum falsa dogmata destruenda sub figura divinae disputationis. Et primo petit audientiam, quasi grandia dicturus, dicens, *Tacete paulisper, ut loquar quaecunque mihi mens suggesserit.* Hoc addit ne forte dicerent, tu inania loqueris, ideo non es audiendus; sed paulisper audire quidquid aliquis loquatur, non est durum: licet hoc addat ad designandum, quod non componendo mendacia, vel adinveniendo dolos locuturus sit, sed illud quod habet in mente. Duo autem imposuerant Iob eius amici, scilicet impatientiam, et iactantiam; quorum utrumque a se excludit, ne videatur in sequenti disputatione vel ex ira, vel ex superbia locuturus. Considerandum est autem, quod impatientia contingit ex tristitiae superabundantia non moderatae per rationem; superabundans autem tristitia desperationem inducit; ex desperatione autem contingit, quod homo salutem et corporis et animae parvipendit. Ut ergo a se impatientiam excludat, dicit: *Quare lacero carnes meas dentibus meis?* quasi dicat, Nulla est ratio quare de corporis salute desperem per impatientiam ad modum eorum, qui desperantes de corporali vita, fame oppressi carnes suas comedunt: et iterum: *Quare animam meam porto in manibus meis?* idest nulla est ratio, quare salutem animae meae parvipendam: illud enim quod in manibus portatur, de facili amittitur: unde videtur quod eius amissio non multum timeatur, quae enim aliquis amittere timet, diligenter abscondit. Et rationem quare nec per impatientiam carnem lacerare debeat, nec animam in manibus portare, subdit dicens: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo;* quasi dicat: Non credatis quod propter mala temporalia, quae patior, de Deo sperare cessaverim: si enim spes mea esset de Deo propter bona temporalia tantum, cogerer desperare, sicut supra dixerat, *Desperavi* etc. Sed quia spes mea de Deo est propter bona spiritualia, quae manent post mortem, etiam si me usque ad occisionem afflixerit, spes quam de ipso habeo non cessabit; sed quia inordinata spes in praesumptionem degenerat, propter hoc subdit, *Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam;* quasi dicat: Non sic spero in ipso, quasi ab ipso liberandus, etsi in peccatis perseveravero, sed quia me liberabit si peccata mea reprehendero; et hoc est quod subditur: *Et ipse erit salvator meus*, scilicet si peccata mea mihi displicuerint. Quare autem salvet eos, qui in conspectu eius suas vias arguunt, ostendit subdens: *Non enim veniet in conspectu omnis hypocrita*, idest simulator, qui cum sit iniquus, se tamen iustum profitetur, et vias suas non arguit coram Deo; unde non veniet in conspectu eius, ut videat ipsum Deum, in quo ultima salus hominis consistit, sicut infra magis exponet; veniet tamen in conspectu eius, quasi ab eo iudicandus. Sic igitur non solum impatientiam a se exclusit, sed etiam praesumptionem innocentiae, dum profitetur quod vias suas arguit coram Deo, ut sic omnis amicorum calumnia cesset. Deinde ingressurus disputationem, primo reddit auditores attentos; secundo modum suae disputationis determinat, ibi, *Quis est* etc. Primo suam disputationem ingreditur: *Duo tantum ne facias* etc. Reddit autem auditores attentos dupliciter: uno quidem modo per occultationem dicendorum: cum enim ea, quae dicenda sunt, difficilia profitemur, auditores attentiores redduntur; unde dicit: *Audite sermonem meum, et aenigmata percipite auribus vestris.* Aenigma dicitur sermo obscurus, qui aliud praetendit in superficie, et aliud interius significat; unde subdit: *Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar:* quod non dicit de iustitia vitae, cum supra dixerat, *Vias meas in conspectu eius arguam;* sed de veritate doctrinae, de qua quasi in iudicio contendebatur. Ille autem in iudicio invenitur iustus, pro quo sententia fertur; unde cum aliquis in disputando verum dicere demonstratur, quasi in iudicio iustus invenitur. Postquam ergo auditores reddidit attentos, modum disputationis suae determinat: vult enim disputare quasi cum aliquo contendens: et hoc est quod subdit: *Quis est qui iudicetur mecum?* idest cum quo de veritate disputem, *Veniat*, idest ad disputandum accedat. Causam autem quare de veritate disputare intendat, subdit dicens, *Quare tacens consumor?* homo enim per decursum praesentis vitae paulatim consumitur, et praecipue cum est infirmitati subiectus, sicut erat Iob. Tacens autem consumitur, qui sic praesentem vitam decurrit, quod tamen suae sapientiae per doctrinam nullum vestigium relinquit. Ne ergo Iob hoc pateretur, disposuit non tacere de veritate, ut consumptus corpore post mortem viveret in sua doctrina. Vel potest hoc ad aliam intentionem referri: cum enim aliquis dolorem, quem in corde patitur, exterius exprimit, quodammodo eius animus mitigatur; sed tacendo interius magis a dolore angustiatur, et quodammodo sua taciturnitate consumitur. Quia ergo disputatorem petierat dicens: *Quis est qui iudicetur mecum?* et supra dixerat, *Disputare cum Deo cupio;* ex nunc loquitur quasi Deum habens praesentem, et cum eo disputans. Videbatur autem disputatio hominis ad Deum esse indebita propter excellentiam qua Deus hominem excellit. Sed considerandum est, quod veritas ex diversitate personarum non variatur; unde cum aliquis veritatem loquitur, vinci non potest, cum quocunque disputet; certus autem erat Iob, quod veritatem loquebatur sibi a Deo per donum fidei et sapientiae inspiratum: unde de veritate non diffidens, petebat se divina fortitudine non premi, neque per mala praesentialiter illata, neque per timorem inferendorum: et hoc est quod dicit: *Duo tantum ne facias mihi; et tunc a facie tua non abscondar*, idest non timebo tecum disputare: timentes enim se abscondere solent a facie eorum, quos timent. Quae autem sint ista duo, ostendit subdens, *Manum tuam longe fac*

*a me*, idest non me percutias per flagella praesentia: *Et formido tua non me terreat*, quantum ad flagella futura: his enim duobus modis potest impediri homo ne etiam veritatem, quam certissime novit, disputando defendere possit, dum vel molestatur in corpore, vel solicitatur in anima timore, aut aliqua alia passione. Est autem disputatio inter duas personas, scilicet opponentem, et respondentem. Ingrediens ergo disputationem cum Deo, dat ei optionem utramlibet personam eligendi, vel opponentis, vel respondentis; unde dicit, *Voca me, et ego respondebo tibi;* quasi dicat, obiicias, et respondebo. *Aut certe loquar*, obiiciendo: *Et tu responde mihi.* Hoc autem dicit aenigmatice, ostendendo paratum se esse ad utrumque, sive ad defendendum veritatem quam profitetur, sive ad impugnandum quod contra veritatem diceretur. Primo autem Deo dat personam opponentis. Secundo respondet Iob ad illa quae sibi possent responderi, ibi, *Cur faciem tuam abscondis?* Ad primum ergo dicit, *Quantas habeo iniquitates, scelera mea, atque delicta ostende mihi.* Ubi considerandum est, quod amici Iob, quasi causam Dei agentes, contra Iob disputare videbantur, secundum illud quod supra dixit, *Numquid faciem eius accipitis, et pro Deo iudicare nitimini?* Amici autem Iob hoc contra ipsum opponebant, quod pro peccatis suis punitus erat. Hoc igitur sibi a Deo obiiciendum expetit dicens, *Quantas habeo iniquitates, et peccata: scelera mea atque delicta ostende mihi;* quasi dicat: Si est quod pro peccatis meis me affligis, ut amici mei pro te loqui conantes calumniantur, peto, ut mihi ostendas pro quibus peccatis tam graviter me affligis; unde non dicit, quas habeo iniquitates, sed quantas; quasi si non est alia ratio adversitatum praesentium quam peccata hominum, ut amici Iob opinabantur, necesse est maxima peccata esse, quae maximis afflictionibus puniuntur. Peccatorum autem quaedam sunt commissa, quae contra praecepta legis negativa fiunt: quaedam omissa, quibus praecepta affirmativa negliguntur. Committitur autem aliquod contra praeceptum legis tripliciter: uno modo quia est in nocumentum proximi, ut furtum, homicidium et huiusmodi, quae proprie iniquitates dicuntur: quia aequitati iustitiae, quae est ad alterum, contrariantur. Alio modo, secundum quod homo peccat in seipso per deordinationem sui actus, ut appareat in peccatis praecipue gulae, et luxuriae: et haec dicuntur peccata, quasi deordinationes quaedam hominis. Tertio modo committuntur aliqua directe contra Deum, ut blasphemiae, sacrilegium, et huiusmodi, et haec propter sui gravitatem scelera dicuntur; omissiones autem proprie denominantur delicta. Deinde quasi tacente eo, cui partes opponentis dederat, ipse partes obiicientis assumit, et inquirit de causis suae punitionis. Et primo, quia posset aliquis dicere, quod Deus eum punivit quasi inimicum; et hanc causam excludit, dicens: *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* Iniquum enim videtur, quod aliquis alium sibi inimicum arbitretur absque causa. Causa autem inimicitiae conveniens esse non potest, nisi offensa. Tunc igitur manifestum est, quod Deus hominem inimicum sibi arbitratur, quando eius peccata manifestantur. Petiverat autem Iob sibi ostendi sua peccata, nec erant ei ostensa. Non ergo apparebat ratio, quare Deus sibi inimicaretur: hoc est quod insinuat dicens, *Cur faciem tuam abscondis?* quasi latenter, et ex ratione occulta eum odio habens: facies enim hominis odientis aperta est, quando rationem sui odii non occultat. Secundo, quia posset aliquis dicere, quod Deus eum punivit, ut in ipso ostenderet suam potentiam: hanc etiam causam excludit dicens, *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam:* non enim conveniens est, quod aliquis fortissimus suam potentiam velit ostendere in re debilissima. Comparatur autem humana conditio folio quod vento rapitur, quia et in seipso homo fragilis est, et infirmus, sicut folium quod de facili cadit, et nihilominus decursu temporis, et varietate fortunae ducitur ut folium vento; unde videtur inconvenienter dici quod Deus ad hoc solum aliquem hominem puniat, quod in eo suam potentiam ostendat. Tertio ergo posset dicere, quod Deus punivit eum propter peccata, quae in sua iuventute commisit: et hoc etiam excludit dicens, *Et stipulam siccam persequeris? scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae:* homo enim in iuventute comparatur herbae virenti, sed in senectute comparatur quasi stipulae siccae. Idem ergo videtur hominem punire in senectute pro peccatis adolescentiae, ac si aliquis pro defectu herbae virentis desaeviret in stipulam. Sed considerandum est, quod in hac inquisitione ab hac sententia non recedit, quod adversitates hominum ex divino iudicio inferuntur, ad quod significandum dicit, *Scribis contra me amaritudines*, ac si amaritudines, idest adversitates hominum, ex Scriptura divinae sententiae procedant. Quarto quia posset aliquis dicere, quod licet Iob gravia peccata non commiserit, tamen aliqua peccata commisit, sine quibus praesens vita non agitur, et pro his sic punitus est; hoc etiam excludit dicens, *Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti, qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.* Ubi considerandum est quod illi, qui ponuntur in carceris nervo, sic ligantur quod a nervo divertere non possunt; sicut autem pes hominis constringitur nervo, ita processus hominis constringitur lege divinae iustitiae, a qua divertere non licet: et hoc est quo dicit, *Posuisti in nervo pedem meum.* Ad divinam autem iustitiam pertinet, ut facta hominum discutiat, non solum quid unusquisque faciat, sed etiam quo animo, vel quo fine; et ideo dicit, *Observasti omnes semitas meas*, quantum ad facta: *Et vestigia pedum meorum considerasti*, quantum ad effectum facientis, vel etiam quantum ad quascunque circumstantias operis. Irrationabile autem videtur, quod Deus tantam diligentiam de actibus hominum habeat, si totaliter esse desinunt per corporis mortem, quae quidem quandoque est naturalis, quandoque autem violenta: unde de utraque subiungit dicens: *Qui quasi putredo consumendus sum*, quantum ad mortem naturalem: *Et sicut vestimentum quod comeditur a tinea*, quantum ad mortem violentam, ac si dicat, si, sicut amici mei suspicantur, non est alia vita, nisi praesens, quam homo amittit vel per modum putredinis, vel per modum succisionis, irrationabile videretur, quod Deus tanta districtione de actibus ho-

minum curam haberet, ut etiam pro minimis peccatis et negligentiis hominem puniret. Et quia hoc, quod ultimo dictum est, magnam vim praestat ad inquisitionem veritatis, circa hanc potentiam manifestandam magis insistit; et quod de se singulariter dixerat, generaliter ad totum humanum genus reducit, ubi primo exponit fragilitatem humanae conditionis, et quantum ad originem cum dicit.

## CAPITIS DECIMIQUARTI

### LECTIO PRIMA.

Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es.

### LECTIO PRIMA.

*Homo natus de muliere*, quasi de re fragili, et quantum ad durationem cum dicit, *Brevi vivens tempore:* et quantum ad conditionem, cum dicit, *Repletur multis miseriis*, ubi quasi exponere videtur quod supra dixerat, *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* Secundo excludit ea de quibus homines gloriari possent: quorum primum est corporis pulchritudo, qua pollet homo in iuventute; sed ista gloria nulla est, quia cito transit ad modum floris; unde dicit: *Qui quasi flos egreditur et conteritur*, scilicet de facili. Secundum est fama, quae diu non durat; unde dicit: *Et fugit velut umbra:* umbrae enim transeuntis nullum vestigium, aut memoria manet. Tertium est potestas et virtus, qua aliquis se et sua conservare conatur; et contra hoc dicit: *Et nunquam in eodem statu permanet.* Et possunt haec tria ad tria superiora referri: homo enim natus de muliere quasi flos egreditur, et cito conteritur; sic autem brevi vivit tempore, ut velut umbra fugiat, cuius non restat vestigium. Sic autem multis repletur miseriis, ut si interdum prosperitate et gaudio potiatur, nunquam tamen in eodem statu permaneat. Tertio autem admiratur diligentiam divinae providentiae circa hominem: mirabile enim videtur, quod de re tam fragili et despecta Deus tantam curam habeat. Quamvis autem omnia divinae providentiae subsint, specialiter tamen solicitudo divina circa hominem apparet in tribus. Primo quidem quantum ad hoc, quod ei leges et praecepta vivendi dedit: et hoc tangit cum dicitur, *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos;* eo modo loquendi, quo aliquis dicitur super aliquem oculos suos aperire, cum eum dirigit, et vias eius considerat. Secundo quantum ad hoc, quod Deus hominem pro bonis praemiat, et pro malis punit; et hoc tangit cum dicit, *Et adducere eum tecum in iudicium.* Tertio quantum ad hoc quod Deus eum virtutibus ornat, quibus contra foeditates peccati se mundum conservat; et hoc tangit cum dicit, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine:* semen quidem hominis immundum est, non secundum naturam, sed secundum concupiscentiae infectionem; de hoc tamen immundo semine homo conceptus interdum mundus invenitur per virtutem: sicuti autem de frigido facere calidum est eius quod per se calidum est, ita de immundo facere mundum est eius, qui per se mundus est; et ideo subdit: *Nonne tu, qui solus es*, scilicet vere et per te ipsum mundus: puritas enim et munditia in solo Deo perfecte invenitur, in quo nec impuritas, nec defectus aliquis esse potest: unde quicquid quocunque modo mundum vel purum est, a Deo munditiam et puritatem habet.

### LECTIO II.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, et sicut mercenarii dies eius.

### LECTIO II.

Admiratus fuerat Iob de dignatione divina circa homines, cum tamen homo sit tam fragilis, et miserae conditionis, considerato statu vitae praesentis; sed et haec admiratio cessat, si consideretur, quod post hanc vitam homini alia vita reservatur, in qua in aeternum permaneat. Et ideo ad hoc ostendendum ex nunc conatur. Praemittit ergo quasi supponens, quod ostendere intendit, et brevitatem praesentis vitae, cum dicit, *Breves dies hominis sunt: numerus mensium eius apud te est:* sic apud nos numerum illorum esse dicimus, quorum numerus a nobis stabilitur; et iterum praemittit immutabilitatem divinae determinationis, cum dicit, *Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt:* divina enim dispositio non fallitur: unde hominem, vel diutius vel minus vivere quam divina dispositio habet, est impossibile; licet hunc hominem nunc, vel prius mori, sit contingens, si in se consideretur. Sunt autem et termini humanae vitae praestituti ex aliquibus corporalibus causis, puta ex complexione, vel ex aliquo huiusmodi, ultra quos vita hominis protendi non potest. Quamvis autem possit deficere ex aliqua accidentali causa; sed terminos praestitutos secundum divinam providentiam, sub qua omnia cadunt, nec in plus, nec in minus vita hominis potest praeterire. Praemittit etiam alterius vitae expectationem, cum dicit, *Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, et sicut mercenarii dies eius.* Ubi considerandum est, quod sicut sol est causa diei, ita Deus est auctor vitae; recedente autem sole, dies finitur, et nox venit. Per recessum ergo Dei intelligit terminationem vitae praesentis, quae est homini a Deo; vita autem praesens multis turbationibus repletur: secundum hanc enim dictum est de homine, quod repletur multis miseriis. Et quia quies finis laboris esse videtur, ideo quietem mortem vocat.

Dicit ergo, *Recede paululum ab eo, ut quiescat*, idest subtrahe virtutem tuam, qua hominem vivificas, ut moriatur ; sed mors hominis non est in perpetuum, sed iterum reparabitur ad vitam immortalem. Status ergo mortis humanae , quantocunque tempore resurrectio differatur , brevis est in comparatione ad statum futurae immortalitatis : unde signanter dicit , *Paulum* ? ab aliis enim rebus , quae non rediturae intereunt , non paululum , sed in aeternum Deus recedit ; sed ab hominibus , qui sic intereunt ut resurgant , per modicum tempus. Dictum est autem supra , quod vita hominis super terram est sicut dies mercenarii desiderantis tempus mercedis; tempus autem retributionis hominis non est in hac vita , ut amici Iob opinabantur, sed in illa vita, ad quam homo resurgendo reparatur. Dicit ergo , *Ut quiescat ?* idest , ut moriatur ; non tamen in perpetuum , sed *Donec veniat optata dies eius , sicut mercenarii.* Dies mercenarii est optata , in qua mercedem recipit; ubi primo Iob suam intentionem aperuit : non enim sic negat adversitates praesentes , quasi Deus hominum actus non remuneret , vel puniat ; sed quia tempus retributionis proprie est in alia vita.

## LECTIO III.

Lignum habet spem : si praecisum fuerit, sursum virescit , et rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius , et in pulvere , et mortuus fuerit truncus illius , ad odorem aquae germinabit , et faciet comam , quasi cum primum plantatum est. Homo vero cum mortuus fuerit , et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est? Quomodo si recedant aquae de mari , et fluvius vacue factus arescat ; sic homo cum dormierit non resurget. Donec atteratur caelum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.

## LECTIO III.

Posita sententia sua, hic Iob ad eius manifestationem procedit; et primo ostendit quod homo secundum ea, quae apparent in hac vita, est peioris conditionis quibusdam etiam infimis creaturis , quae post interitum reparantur, ut praecipue apparet in lignis. Dupliciter autem vita arboris deficit, sicut et vita hominis, scilicet per violentiam, et per naturam. Quantum ergo ad violentum defectum arboris dicit , *Lignum , si praecisum fuerit, habet spem*, idest naturalem aptitudinem ut iterum reparetur: *Quia rursum virescit* , ipsum in seipso, si plantetur: *Et rami eius pullulant.* In quo ostenditur perfectam vitam recuperare , sicut et prius. Quantum autem ad defectum naturalem arboris subdit, *Si senuerit in terra radix eius*, cum non possit attrahere alimentum propter defectum virtutis naturalis, et sic consequenter, *In pulvere mortuus fuerit truncus illius* , idest per putredinem in pulverem sit redactus, secundum aliquam partem: *Ad odorem aquae germinabit*, idest veniente pluvia, idest putredine ligni habente vim sensitivam : *Et faciet comam* , scilicet frondium : *Quasi cum primo plantatum est.* Hoc autem in homine non invenitur secundum decursum praesentis vitae; unde subdit: *Homo vero , cum mortuus fuerit , et nudatus , atque consumptus , ubi quaeso est?* et ponit tria, quae gradatim homo amittit. Primo enim anima separatur a corpore; et ad hoc pertinet quod dicit, *Cum mortuus fuerit.* Secundo vero tegumenta, et ornatus corporis, quae interdum post mortem hominis remanent, sed postea etiam his nudatur: et ad hoc pertinet, quod dicit, *Et nudatus.* Ad ultimum vero etiam ipsa compago corporis solvitur : et ad hoc pertinet, quod dicit, *Atque consumptus:* quae cum peracta fuerint, nihil sensibiliter apparet de homine remanens. Unde apud illos, qui nihil nisi sensibilia et corporalia esse credunt, videtur totaliter ad nihilum redactus. Horum igitur dubitationem exprimens dicit: *Ubi quaeso est?* Sciendum est autem, quod ea quae non totaliter pereunt , reparari posse videntur , sicut de ligno praeciso , vel senescente est dictum; sed ea quorum nihil remanet , impossibile videtur iterum reparari: sicut si totaliter aqua maris , aut fluminis desiccaretur. Homo autem, sicut iam dictum est, videtur sic per mortem consumi , ut nihil eius remaneat. Unde secundum hanc rationem appareret, quod impossibile sit ipsum iterum reparari ad vitam; et hoc est quod subdit, *Quomodo, si recedat aqua de mari, et fluvius vacue factus arescat , sic homo cum dormierit*, idest cum mortuus fuerit, *non resurget a morte.* Eiusdem autem impossibilitatis esse videtur , ut incorruptibilia corrumpantur, et ut totaliter corrupta iterum reparentur. Caelum autem incorruptibile est; et ideo subdit: *Donec atteratur caelum , non evigilabit* , quasi reviviscens: *Nec assurget de somno suo*, ad opera vitae peragenda; quasi dicat, Sicut impossibile est caelum atteri , idest corrumpi , ita impossibile est hominem mortuum resurgere. Et hoc quidem dicitur, ut dictum est, supposito quod de homine nil remaneat post mortem, secundum hoc quod dictum est, *Ubi quaeso est?* Vel potest hoc referri ad opinionem illorum, qui ponebant totum universum corporale istud corrumpendum , et iterum reparandum; in qua quidem reparatione ponebant eosdem homines redituros, ut sit sensus durante isto mundo, homo a morte non resurget. Fides autem catholica non ponit substantiam mundi perituram , sed huius mundi statum, qui nunc est, secundum illud *1. Corinth.7. Praeterit enim figura huius mundi.* Huius ergo mundi immutatio secundum figuram potest hic intelligi per caeli attritionem : resurrectio enim mortuorum communis in fine mundi expectatur, secundum illud *Ioan. 11. Scio, quia resurget in resurrectione , in novissimo die etc.*

## LECTIO IV.

Quis mihi hoc tribuat , ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putas ne mortuus homo rursum vivet ? Cunctis diebus , quibus nunc milito , expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me , et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce pec-

catis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea; sed curasti iniquitatem meam.

## LECTIO IV.

Postquam Iob ostenderat quid ex iis, quae sensibiliter apparent, de resurrectione hominis convinci possit; hic suam sententiam circa resurrectionem ponit. Esset autem valde horrendum et miserabile, si homo per mortem sic deficeret, quod nunquam esset reparandus ad vitam, quia unumquodque naturaliter esse desiderat: unde Iob suum desiderium ostendit de resurrectione futura, dicens: *Quis mihi hoc tribuat, ut* etiam post mortem, *In inferno protegas me?* idest sub speciali cura, qua homines protegis, me contineas; *Donec pertranseat furor tuus*, idest tempore mortis: quia, sicut supra dictum est, mors hominis accidit per subtractionem divinae operationis conservantis vitam, unde dixerat: *Recede paululum ab eo:* videtur enim Deus homini esse iratus, quando beneficium vitae ei subtrahit, et praecipue cum credamus mortem ex peccato primi hominis provenisse. Quomodo autem se protegi velit etiam in inferno, exponit subdens: *Et constituas mihi tempus in quo recorderis mei:* videtur enim Deus hominis esse oblitus, quando ei subtrahit beneficium vitae. Tunc ergo eius recordatur, cum ipsum ad vitam reducit. Constituere ergo tempus, in quo Deus hominis mortui recordetur, nil est aliud, quam constituere tempus resurrectionis: et satis convenienter hic nominat protectionem: cum enim artifex, dissoluto artificio ex eadem materia non intendit iterum aedificium reparare, utpote domum, vel aliquid huiusmodi, de materia dissoluti aedificii, nullam curam habere videtur, sed quando ex ea intendit aedificium reparare, diligenter custodit ne pereat. Hanc ergo custodiam protectionem vocat. Postquam igitur desiderium suum de resurgendo expressit, quia desideria quandoque sunt etiam impossibilium, consequenter sub quaestione ponit, utrum videlicet quandoque futurum sit, quod ipse desideravit; unde subdit, *Putas ne mortuus homo rursum vivat?* et super hoc quod ipse sentiat, ostendit dicens: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Ubi considerandum est, quod supra vitam hominis super terram militiae comparaverat, et diebus mercenarii, quia tam milites quam mercenarii aliquid post statum praesentem expectant: et ideo sicut supra resurrectionis statum per diem optatam mercenarii expressit, ita et nunc sub similitudine militis idem ostendit. Et notandum est, quod optatum finem non expectat in aliqua parte temporis huius vitae, quia cunctos dies huius vitae statui militiae deputat dicens: *Cunctis diebus quibus nunc milito.* Iterum notandum est, quod homo non expectat aliam vitam huic similem, quia tunc et illa esset militia, sed expectat vitam in qua non militet, sed triumphet, et regnet; et ideo dicit, *Expecto donec veniat immutatio mea;* quasi dicat, In hac tota vita milito, mutabilitati, laboribus, et angustiis subiectus, sed expecto immutari in statum alterius vitae, quae sit sine labore et angustia; et de hac immutatione dicit Apostolus *1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabitur.* Et ne aliquis crederet, quod naturali virtute homo in statum alterius vitae immutaretur, hoc excludit subdens, *Vocabis me, Et ego respondebo tibi;* quasi dicat, Futura immutatio ex virtute tuae vocis, sive ex tuo imperio procedet, secundum illud *Io. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent:* vocare enim ad imperium pertinet, sed respondere ad obedientiam, qua creatura creatori obedit. Sed quia mortui ad imperium Dei non solum resurgent ad vitam, sed in quendam altiorem statum mutabuntur, et hoc virtute divina; propter hoc subdit, *Operi manuum tuarum porriges dexteram;* quasi dicat, Homo resurgens non erit opus naturae, sed opus tuae virtutis; cui quidem operi adiutricem dexteram tuam porriges, dum per auxilium tuae gratiae in gloriam novitatis exaltabitur. Vel quod dicit, *Vocabis me, et ego respondebo tibi,* potest referri ad corporis reparationem; quod autem subdit, *Operi manuum tuarum porriges dexteram,* ad animam quae naturaliter appetit uniri suo corpori; cui Deus adiutricem dexteram porriget, dum quod sua virtute consequi non potest, virtute divina consequetur. Posita ergo sententia sua de resurrectione mortuorum futura, redit ad id, quod supra admiratus fuerat, quod Deus tam solicite opera hominum considerat, cum dixit, *Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti;* unde subdit, *Tu quidem gressus meos dinumerasti;* quasi dicat, Tam non est mirum si facta hominum sic diligenter examinas, ex quo eum ad aliam vitam reservas. Considerandum est autem, quod circa humanos actus divina providentia secundum duo attenditur: primo quidem secundum hoc, quod ea examinat et discutit; quod quidem significatur in hoc, quod dicit, *Tu quidem gressus meos dinumerasti:* dinumeramus enim ea, de quibus diligentiam habemus. Et ne videretur alicui esse magnae severitatis, quod Deus hominis fragilis facta tanta diligentia examinaret, innuit consequenter eius pronitatem ad parcendum, cum dicit, *Sed parce peccatis meis;* quasi dicat, Licet dinumeres, tamen hanc spem retineo, quod parcas. Secundo vero secundum hoc quod facta hominum bona vel mala in sua memoria conservat, ad retribuendum pro eis bona vel mala; unde subdit, *Signasti quasi in sacculo delicta mea:* ea enim quae signantur in sacculo, diligenter conservamus. Et ne ista signatio divinam misericordiam excluderet, subdit, *Sed curasti iniquitatem meam;* quasi dicat, Sic pro peccatis reservas paenam, quod tamen per poenitentiam delicta curas.

## LECTIO V.

Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur, et homines ergo similiter perdes? Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret. Immutabis faciem eius, et emittes eum. Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget. Attamen caro eius, dum vivet, dolebit, et anima illius super semetipsos lugebit.

## LECTIO V.

Postquam Iob suam sententiam de futura resurrectione proposuerat, hic probabilibus rationibus eam innuit. Et prima ratio sumitur ex comparatione hominis ad inferiores creaturas, quae totaliter consumuntus absque spe reparationis. Omnia enim quae generantur, corruptioni subiecta sunt: unde et montes, licet videantur firmissimi, tamen ex certis causis post aliqua temporum curricula dissolvuntur ; et hoc est quod dicit, *Mons cadens defluit*. Saxa etiam licet videantur fortissima, tamen vel per violentiam, vel aliqua naturali causa exciduntur; et hoc est quod sequitur, *Et saxum transfertur de loco suo*. Lapides etiam licet videantur durissimi, aquis tamen excavantur; et hoc est quod subditur, *Lapides excavant aquae*. Terra autem licet videatur stabilissima, tamen a sua dispositione paulatim immutatur: et hoc est quod subdit, *Et alluvione paulatim terra consumitur*. Inconveniens autem esset, si esset eadem ratio corruptionis hominis, et rerum praedictarum: et ideo concludit quasi inconveniens, *Et homines ergo similiter perdes?* quasi dicat, Non est conveniens, quod similiter corrumpantur homines, sicut aliae creaturae corporales: nam praedictae creaturae totaliter corrumpuntur, unde non reparantur eaedem numero; homo vero licet corrumpatur secundum corpus, remanet tamen incorruptibilis secundum animam, quae totum genus corporalium transcendit, ut sic remaneat spes reparationis. Deinde inducit ad idem rationes sumptas ex proprietatibus hominis. In duobus autem excellit homo omnes inferiores creaturas, quorum unum est virtus operativa : est enim dominus sui actus per liberum arbitrium, quod nulli alii corporali creaturae competit; et secundum hoc homo est potentior qualibet creatura corporali, unde et aliis utitur propter seipsum. Aliud autem in quo excellit, est cognitio intellectiva, quae cum sit in mente, aliquod tamen eius indicium apparet in corpore, et praecipue in facie, quam habet homo valde diversam ab aliis animalibus: ex his duobus apparet, quod homo non sic corrumpitur sicut alia animalia, ut in perpetuum non sit. Quantum ad primum horum dicit, *Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret;* quasi dicat, Non est conveniens, quod tantum robur homini praestitum ad modicum tempus sit, quod postea in perpetuum non esset: stultum enim videretur, si aliquis faceret fortissimum instrumentum, ut ad modicam horam eo uteretur, et postea ipsum omnino proiiceret. Virtus autem cuiuscumque creaturae corporeae est determinata ad finitos effectus; sed virtus liberi arbitrii se habet ad infinitas actiones: unde hoc ipsum attestatur virtuti animae, ad hoc quod in infinitum duret. Quantum ad hoc, scilicet ad intellectum, dicit, *Immutabis faciem eius, et emittes eum;* quasi dicat, Non est conveniens, quod tu faciem eius mutaveris, idest diversificaveris ab aliis animalibus, et tamen emittas eum a statu vitae in perpetuum non rediturum, sicut alia animalia. Per faciem autem intellectiva cognitio accipi solet, propter hoc, quod est proprium rationalis creaturae. Intellectualis autem cognitio non potest convenire, nisi substantiae incorruptibili, ut a philosophis probatur. Posset autem aliquis dicere, quod licet homo post mortem ad vitam non redeat, tamen non in perpetuum pertransit, inquantum quodammodo vivit in suis filiis: quod etiam verba Baldath sonant, cum supra dixit, *Haec est laetitia viae eius, ut rursum de terra alii germinentur.* Sed hanc responsionem excludit Iob subdens, *Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget;* quasi dicat, Homo per intellectum capit aeternum bonum, unde et naturaliter ipsum desiderat. Bonum autem, quod est in successione filiorum, non potest satiare appetitum intellectualem, si homo totaliter per mortem consumatur, ut in perpetuum non sit: quia appetitus intellectualis non quiescit nisi in bono intellecto; bonum autem quod est in successione filiorum, non intelligit homo neque dum vivit, neque post mortem, si totaliter desinat esse per mortem. Non ergo ad aeternitatem huius boni tendit appetitus intellectivus hominis, sed ad bonum vel malum quod in seipso habet; unde subdit, *Attamen caro eius, dum vivet, dolebit, et anima ipsius super semetipso lugebit.* Ubi duplicem dolorem distinguit, unum quidem carnis in apprehensione sensus ; alium autem animae ex apprehensione intellectus vel imaginationis, qui proprie dicitur tristitia ; et hic luctus nominatur.

# CAPITIS DECIMIQUINTI

## LECTIO PRIMA.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit, Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum? Arguis verbis eum, qui non est aequalis tibi, et loqueris quod tibi non expedit. Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Deo. Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. Condemnabit te os tuum, et non ego: et labia tua respondebunt tibi. Nunquid primus homo tu natus es, et ante omnes colles formatus ? Nunquid consilium Dei audisti, et inferior te erit eius sapientia ? Quid nosti quod ignoremus ? quid intelligis quod nesciamus? Et senes et antiqui sunt in nobis multo vetustiores, quam patres tui. Nunquid grande est ut consoletur te Deus ? sed verba tua prava hoc prohibent. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans attonitos habes oculos ? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones?

## LECTIO PRIMA.

Auditis verbis Iob Eliphaz, non ad profunditatem sententiarum ei respondet, sed nititur ad calumniose reprehendendum aliqua verba a Iob prolata, secundum superficiem ipsorum verborum ea considerans, et non secundum profunditatem intellectus eorum : et primo quidem reprehendit hoc quod Iob dixerat in principio

suae locutionis: *Et mihi est cor sicut et vobis, nec inferior vestri sum:* in quo quidem de duobus eum notat; primo quidem de inani gloria, quia seipsum commendat; et hoc est quod dicit: *Nunquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens?* in ventum enim loqui videtur, qui ad gloriam captandam verba componit: secundo autem de iracundia, propter hoc, quod obiurgando loqui incoeperat, cum dixerat, *Ergo vos estis soli homines* etc. et ideo subdit, *Et implebit ardore stomachum suum?* idest iracundia animum. Deinde reprehendit eum de hoc quod dixerat, *Disputare cum Deo cupio:* et iterum, *Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar* etc. in quo quidem eum notat multipliciter. Primo quidem de superbia, quia contra maiorem contendit; et hoc est quod dicit: *Arguis eum verbis, qui non est aequalis tui.* Secundo de stultitia, quia Eliphaz talem disputationem nocivam reputabat; unde subdit, *Et loqueris quod tibi non expedit*, disputando scilicet cum Deo. Et quare non expediat cum eo disputare, ostendit, per hoc quod huiusmodi disputatio duo valde necessaria excludere videtur; quorum primum est timor Dei: qui enim timet aliquem, non praesumit cum eo contendere: unde etiam et Iob supra dixerat, *Formido tua non me terreat;* et ideo Eliphaz hic subdit: *Quantum in te est, evacuasti timorem*, quia scilicet conatus es a te timorem Dei excludere. Secundum est oratio ad Deum: non enim est eiusdem contendere cum aliquo, et eum rogare; et ideo subdit, *Et tulisti*, idest abstulisti: *Preces coram Domino*, contra id quod supra Eliphaz dixerat, *Quamobrem ego deprecabor Dominum.* Disputaverat autem Iob cum Deo, non ex superbia, sed ex fiducia veritatis; sed Eliphaz temerarie iudicavit hoc ex iniquitate procedere; unde subdit: *Docuit enim iniquitas tua os tuum;* et hoc ex effectu apparet, quia blasphemas; unde sequitur: *Et imitaris linguam blasphemantium:* blasphemans enim est qui Dei iustitiam negat; sed lingua blasphemantis immutari videtur, qui cum Deo disputat de eius iustitia: disputare enim de aliquo videtur esse dubitantis de illo; dubitans autem est propinquus neganti. Volens ergo Eliphaz contra disputationem loqui, primo dicit, quod Iob tam manifeste male locutus est, quod non indiget alio reprehensore, sed ipsa verba eius indicant eius malitiam; et hoc est quod dicit: *Et condemnabit te os tuum, et non ego: et labia tua respondebunt tibi;* quasi dicat, Non indigent verba tua alio respondente, sed ipsa se interimunt. Ostendit tamen multipliciter disputationem praedictam non fuisse convenientem: primo quidem, per comparationem eius ad omnes creaturas: si enim aliqua creatura cum Deo contendere posset, hoc praecipue competeret primae et excellentissimae creaturae, quod non conveniebat Iob; unde dicit, *Nunquid primus homo tu natus es, et ante omnes colles formatus?* ut ex hoc scilicet competat tibi pro toto humano genere, vel pro tota creatura disputare cum Deo? Secundum per comparationem ad Deum: ille enim potest cum aliquo de factis eius disputare convenienter, qui cognoscit rationem, quam ille, cum quo disputat, operatur: quam cognoscere potest dupliciter: uno modo, ut ab eo addiscens, alio modo, ut per superiorem sapientiam de factis alterius iudicans; sed neutrum competit Iob in comparatione hominis ad Deum; et hoc est quod dicit, *Nunquid consilium Dei audisti?* quantum ad primum: *Et inferior te erit eius sapientia*, quantum ad secundum, ut sic cum Deo disputare possis? Tertio per comparationem ad alios homines, quibus non magis sciens apparet, ut ex fiducia maioris scientiae cum Deo disputare praesumat; unde dicit, *Quid nosti?* scilicet per fidem, vel revelationem: *Quod ignorem? Quid intelligis*, scilicet per fidem et revelationem naturali cognitione, *Quod nesciamus?* Sed quia posset se Iob iactare de scientia accepta ab aliis, subdit, *Et senes*, scilicet dignitate scientiae et vitae: *Et antiqui*, tempore: *Sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui*, idest quam magistri a quibus scientiam accepisti: vel ad litteram, quam tui progenitores. Per maiorem autem vetustatem maiorem sapientiam vult intelligi, quia per experimentum longi temporis aliquis sapientior redditur. Quarto ex parte ipsius Iob ostendit disputationem eius cum Deo non fuisse convenientem: et primo quidem, quia fuit nociva, explicans quae supra dixerat, *Loqueris*, quod tibi non expedit; unde dicit: *Nunquid grande est, ut consoletur te Deus;* quasi dicat, Facile est Deo, ut te ad statum prosperitatis reducat, quia ipse vulnerat, et medetur, ut supra dixerat: *Sed verba tua prava hoc prohibent*, quibus iram Dei magis contra te provocas. Secundo ostendit quod sint vana et superba, exponens quod supra dixerat, *Nunquid sapiens respondebit;* quasi dicat, in ventum loqueris; unde subdit: *Quid te elevat cor tuum?* scilicet per superbiam, ut intantum de divina sapientia praesumas: et signum superbiae ostendit subdens: *Et quasi magna cogitans attonitos habes oculos?* cum enim aliquis aliqua magna et mirabilia considerat, in stuporem adducitur: et inde contingit, quod oculos attonitos habeat. Tertio ostendit, quod disputatio eius fuit praesumptuosa et impia, exponens quod supra dixerat, *Arguis eum verbis, qui non est aequalis tibi;* unde subdit: *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiusmodi sermones?*

## LECTIO II.

Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, et caeli non sunt mundi in conspectu eius. Quanto magis abominabilis, et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi. Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos. Quibus solis data est terra; et non transivit alienus per eos. Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium. Cum se moverit ad quaerendum panem, novit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui praeparatur ad praelium. Teten-

dit enim adversus Deum manum suam, et contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo, et de lateribus eius a ruina dependet.

## LECTIO II.

Postquam Eliphaz reprehenderat Iob de hoc, quod Deum ad disputandum provocaverat, quod videbatur ad praesumptionem sapientiae pertinere; nunc reprehendit eum de praesumptione iustitiae super hoc, quod dixerat, *Si fuero iudicatus, scio quod iustus inveniar:* quod quidem Eliphaz impugnat, primo quidem ex fragilitate conditionis humanae, per quam homo difficulter vitat peccatum; unde dicit: *Quid est homo ut immaculatus sit.* Et etiam difficulter operatur bonum; unde subdit: *Ut iustus appareat natus de muliere?* quia, ut dicitur *in Prov. in abundanti iustitia virtus maxima est:* quae non videtur competere ei qui ex infirma re originem habet. Secundo impugnat idem ex comparatione sublimium creaturarum; unde subdit: *Ecce inter sanctos eius,* idest angelos: *Nemo immutabilis,* scilicet per naturam propriam, sed solum dono divinae gratiae, quin possit in peccatum deflecti: *Et caeli,* qui tenent supremum locum puritatis inter corpora: *Non sunt mundi in conspectu,* idest per comparationem ad ipsum, quia sunt materiales, et corporales, et mutabiles. Tertio impugnat idem ex propria conditione ipsius Iob, quasi a minori concludens: *Quanto magis abominabilis,* per peccatum: *Et inutilis,* per defectum iustitiae: *Homo qui bibit quasi aquam iniquitatem,* idest qui pro nihilo et absque aliqua observatione iniquitatem committit: qui enim bibit vinum, cum aliqua observatione bibit, ne inebrietur; quod in potu aquae non observatur. In hoc ergo ipsum Iob notat, quod de facili ad iniquitatem declinaret, sicut aliquis de facili et in promptu habet quod aquam bibat. *Ostendam tibi, audi me etc.* Postquam Eliphaz reprehenderat Iob, quod Deum ad disputationem provocaret, et quod de sua iustitia praesumebat, tunc reprehendit eum de verbis, quae disputando dixerat, et praecipue de illis, *Arbitraris me inimicum tuum, contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: et posuisti in nervo pedem meum.* Et primo excitat attentionem, dicens, *Ostendam tibi,* scilicet illud quod a Deo quaerebas. *Audi me* attente. Unde autem ostendere possit, manifestat subdens, *Quod vidi,* scilicet ex proprio intellectu inveniens: *Narrabo tibi.* Et iterum non erubescam dicere quod ab aliis audivi, eos in auctoritatem inducens: *Quia sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos,* a quibus scilicet sapientiam perceperunt: hoc enim insipientium est et superborum, ut quae ab aliis acceperunt, sibi adscribant. Et quare non sint abscondendi, ex eorum dignitate ostendit, cum subdit, *Quibus solis data est terra.* Et potest hoc indifferenter et sub eodem sensu referri, vel ad sapientes, vel ad patres sapientum, quos vult intelligi etiam sapientes: sapientibus enim solis terra data esse dicitur, quia bonorum terrenorum ipsi sunt domini, utentes eis ad suum bonum; insipientes autem utuntur eis ad suum damnum, secundum illud *Sapien. 14. Creaturae factae sunt in muscipulam pedibus insipientium:* et iterum ad eorundem dignitatem ostendendam subdit: *Et non transibit alienus per eos:* quia videlicet ii, qui sunt a sapientia alieni, consortio sapientum annumerari non possunt, vel quia sapientes ab extraneis non suppeditantur: per illos enim alienus transire dicitur, qui ab aliquo alieno vincuntur, et subiiciuntur. Postquam auditorem attentum reddiderat, iam contra verba Iob disputantis respondere conatur, ex quibus duo intelligit: primo quidem, quod Iob in angustia et timore vivebat, quasi Deo eum persequente, et insidias ei ponente, quia dixerat, *Arbitraris me inimicum tuum: et observasti omnes semitas meas.* Secundo quia de sua consumptione credebat eum dubitare, quia dixerat, *Scribis contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae.* Primo ergo loquitur contra primum, et secundo contra secundum ibi, *Habitabit in civitatibus desolatis.* Ostendit ergo primo ex qua radice praedicta suspicio in corde Iob oriatur, quia ex eius impietate et voluntate nocendi; unde dicit, *Cunctis diebus suis impius superbit,* idest extollitur contra Deum, et in nocumentum hominum. Dies autem suos dicit, non dies vitae eius, sed dies potestatis vel prosperitatis. Sed quia voluntas nocendi est homini a seipso, potestas autem a Deo, non potest scire quanto tempore ei detur potestas implendi suam impiam voluntatem; unde subditur: *Et numerus annorum incertus est tyrannidi eius:* et ex ista incertitudine sequitur suspicio et timor; quam consequenter describit dicens: *Sonitus terroris semper in auribus istius:* quia scilicet ad quemlibet rumorem timet aliquid contra se parari, quasi de nullo confidens, propter quod subdit: *Et cum pax sit, ille insidias suspicatur,* idest cum nullus contra eum aliquid moliatur, ipse tamen de omnibus formidat per suam impiam voluntatem, qua paratus esset omnibus nocere. Cum autem aliquis de aliquibus suis inimicis timet, sperare potest liberationem, etiam si ad horam succumbat, per adiutorium amicorum; sed ille qui de nullo confidit, sed de omnibus timet, non potest sperare, quod post oppressionem relevetur: et ideo subdit: *Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem,* idest de statu adversitatis ad statum prosperitatis: *Circumspectans undique gladium,* idest ex omni parte inimicos sibi imminere videns: et hoc specialiter dicit propter hoc, quod Iob dixerat, *Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea:* per quod intellexit Eliphaz Iob desperare de sua liberatione. Contingit autem quandoque quod aliquis tyrannus, etsi ab omnibus extraneis timeat, habet tamen alios familiares et domesticos, cum quibus secure conversatur; sed quando est superabundans malitia eius, etiam a domesticis suis timet, cum quibus vivit; unde sequitur: *Cum se moverit ad quaerendum panem, novit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies,* idest mortis; quasi dicat, Non solum insidias suspicatur in actibus exterioribus, in quibus necesse habet cum extraneis conversari, sed etiam in actibus domesticis comedendo, et bibendo et huiusmodi, a domesticis suis mortem sibi parari credens: et cum ipse sic timeat de omnibus, non quiescit, sed contra eos, quos timet, semper aliquid machinatur, et sic crescit ei timoris

occasio; unde subdit, *Terrebit eum tribulatio*, scilicet ab aliis sibi imminens: *Et angustia vallabit eum*, scilicet per mortis timorem ex omni parte: *Sicut regem qui praeparatur ad praelium.* Rex enim qui praeparatur ad praelium, sic angustiatur timore, ne perdat, quod tamen molitur inimicos destruere. Quo autem merito in tantam miseriam timoris impius et tyrannus deveniat, ostendit subdens, *Tetendit enim adversus Deum manum suam*, contra Deum agendo: *Et contra omnipotentem roboratus est*, idest potentia sibi data usus est contra Deum. Et quomodo contra Deum egerit, ostendit subdens: *Cucurrit adversus eum erecto collo*, idest superbiendo: per superbiam enim maxime homo Deo resistit, cui per humilitatem subiici debet, secundum illud *Eccl. 10. Initium superbiae hominis apostatare a Deo.* Et sicut ille qui Deum diligit, in via eius currere dicitur propter promptitudinem voluntatis ad serviendum ei, ita et superbus propter praesumptionem spiritus contra Deum currere dicitur. Superbia autem ex abundantia temporalium rerum oriri solet; et ideo sequitur, *Et pingui cervice armatus est*, scilicet contra Deum superbiendo. Pinguedo enim ex abundantia humorum creatur, unde abundantiam temporalium significat. Sicut autem humilitas principium est sapientiae, ita superbia sapientiae est impedimentum; unde sequitur: *Operuit faciem eius crassitudo:* per operimentum enim faciei impedimentum cognitionis designatur; nec solum opulentia, quae est superbiae causa, in ipso invenitur, sed etiam ad collaterales eius derivatur; unde sequitur: *Et de lateribus eius a ruina dependet:* per quae omnia significare intendit, quod Iob ex opulentia in superbiam incidit, per quam contra Deum se erexit, et tyrannidem in homines exercuit; et ideo in hanc suspicionem devenit, ut Deum sibi adversarium, et insidiatorem suspicaretur.

## LECTIO III.

Habitabit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae. Non ditabitur, nec perseverabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suam, nec recedet de tenebris. Ramos eius arefaciet flamma, et auferetur spiritu oris eius. Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Antequam dies eius impleantur, peribit, et manus eius arescent. Laedetur quasi vinea in primo flore botrus eius, et quasi oliva proiiciens florem suum. Congregatio enim hypocritae sterilis: et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus eius praeparat dolos.

## LECTIO III.

Postquam ostendit Eliphaz angustias timoris, quam impius patitur, etiam in statu prosperitatis existens; nunc loquitur de amaritudinibus, quibus in adversitatem deiectus consumitur propter hoc, quod Iob dixerat, *Scribis contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiae meae.* Inter alias amaritudines primam ponit, quod efficitur fugitivus. Est autem fugitivorum consuetudo, quod loca occulta et inhabitata quaerunt; et ideo dicit: *Habitabit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quae in tumulos sunt redactae:* huiusmodi enim loca consueverunt esse fugitivorum receptacula. Secundam, quod suis divitiis spoliatur; unde dicit, *Non ditabitur*, ut scilicet de novo divitias acquirat: *Nec perseverabit substantia eius*, ut divitias prius acquisitas retinere possit. Tertiam ponit impossibilitatem recuperandi dicens: *Nec mittet in terram radicem suam:* arbor enim si extirpetur, et iterum plantetur, convalescit, si in terram mittat radicem; sed si in terram radicem mittere non possit, non potest iterum convalescere: et quasi hoc exponens subdit, *Non recedet de tenebris*, idest de statu adversitatis: et rationem redeundi ad lucem assignat subdens, *Ramos eius arefaciet flamma:* arbor enim, si extirpata fuerit ramis virentibus, adhuc remanet spes reparationis, quia possunt inseri vel plantari; sed si rami comburantur, nulla spes ultra remanet recuperationis. Rami autem hominis sunt filii, et aliae personae coniunctae, per quas homo interdum a statu adversitatis resurgat; sed filii Iob occisi erant, et eius familia perierat, et ipsemet infirmitate oppressus erat: quod innuit subdens: *Et auferetur spiritu oris sui*, idest superbia verborum suorum. Et ne posset aliquo modo recuperationem sperare, nec etiam a Deo, quem superbia verborum offendit; unde subdit: *Non credetur frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit*, idest quod aliquo auxilio liberandus sit de tribulatione. Quartam amaritudinem ponit abbreviationem vitae; unde subdit: *Antequam dies eius impleantur, peribit*, idest morietur, antequam perficiatur tempus aetatis eius: *Et manus eius arescent*, idest eius filii et propinqui deficient; et subdit exemplum dicens, *Laedetur, quasi vinea, botrus eius*, in primo flore, quae quidem laesio ex frigore solet accidere, unde significat exteriorem persecutionem: *Et quasi oliva proiiciens florem suum:* quod solet accidere ex aliqua interiori causa: unde signat meritum adversitatis ex parte ipsius qui patitur; unde de hoc subdit: *Congregatio enim hypocritae sterilis*, idest illa, quae congregantur ab hypocrita, infructuosa redduntur: *Et ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt:* fit enim interdum ex divino iudicio, ut ea, quae male acquisita sunt, de facili consumantur; et hoc dicit notans Iob de impietate, et hypocrisi, quasi propter huiusmodi peccata ei adversitas acciderit. Et addit tertium punctum, scilicet dolositatem; unde sequitur: *Concepit dolorem*, idest praeexcogitavit in corde suo, qualiter alii dolores inferret: eius quidem conceptus partus est nocumentum iniuste illatum; unde sequitur: *Et peperit iniquitatem.* Adiungit consequenter modum, quo perficiat dicens, *Et uterus eius praeparat dolos:* hypocritarum enim est, non manifeste, sed dolose aliis nocumentum inferre. Per uterum autem cor intelligitur, in quo fiunt conceptus spirituales, sicut in utero conceptus corporales.

# CAPITIS DECIMISEXTI

## LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob dixit : Audivi frequenter talia , consolatores onerosi vos omnes estis. Nunquid habebunt finem verba ventosa ? aut aliquid tibi molestum est si loqueris ? Poteram et ego similia vestri loqui , atque utinam esset anima vestra pro anima mea. Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo , et moverem labia mea quasi parcens vobis. Sed quid agam ? Si locutus fuero , non quiescit dolor meus ; et si tacuero , non recedet a me. Nunc autem oppressit me dolor meus , et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. Rugae meae testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi. Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt poenis meis. Conclusit me Deus apud iniquum , et manibus impiorum me tradidit. Ego ille quondam opulentus , repente contritus sum : tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit me lanceis suis , convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea. Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas. Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit a fletu , et palpebrae meae caligaverunt. Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces. Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in caelo testis meus , et conscius meus in excelsis.

## LECTIO PRIMA.

Eliphaz in sua responsione durius contra Iob locutus fuerat , unde Iob in principio sui sermonis eum arguit de inconvenienti consolatione : primo quidem quia frequenter eadem repetebat tam ipse quam amici eius; unde dicit, *Audivi frequenter talia;* quasi dicat, Vestra locutio circa idem versatur: diversis enim verbis ad idem intendebant, scilicet ad arguendum Iob, quod pro peccatis suis in adversitates inciderat ; et ideo subdit, *Consolatores onerosi vos estis:* consolatoris enim officium est ea dicere, quibus dolor mitigetur. Onerosus ergo consolator est , qui ea loquitur , quae magis animum exasperant; possent tamen haec excusamen habere, quando ad utilitatem aliquam verba exasperantia proferrentur, et veritatem continerent, aut etiam breviter et pertranseundo dicerentur. Sed si aliquis verba exasperantia contra contristatum, falso, inutiliter et prolixe prosequatur, onerosus consolator videtur; unde subdit : *Nunquid habebunt finem verba ventosa?* in hoc enim quod dicit, *Nunquid habebunt finem*, ostendit quod prolixe immorabantur circa verba exasperantia; in hoc vero quod dicit, *Verba ventosa*, ostendit quod inutilia et falsa erant , soliditatem non habentia. Ostendit autem consequenter quod non erat paritas ex utraque parte in hac disputatione, quia amici Iob absque molestia loquebantur; unde dicit , *Aut aliquid molestum tibi est, si loquaris ;* quasi dicat , Ideo ea prolixe loqueris in meam calumniam , quia ex hoc nullo modo molestiam sentis: Iob autem molestabatur. Et ne aliquis crederet , quod haec disputatio esset facilior amicis Iob propter eminentem scientiam, Iob autem molesta propter scientiae defectum, hoc excludit ostendens, quod si adversitate non deprimeretur , et esset in statu amicorum suorum, similia loqui posset; unde dicit: *Poteram et ego similia vobis loqui*, scilicet si adversitate non gravarer : et huiusmodi rei experiendae sibi facultatem desiderat dicens , *Atque utinam esset anima vestra pro anima mea* , ut scilicet vos adversitatem pateremini quam ego patior: quod quidem dicit, non affectu odii, aut livore vindictae , sed ut a crudelitate , qua utebantur suis verbis Iob exasperantes , revocarentur, dum sentirent sibi esse aspera verba similia, si eis dicerentur; unde subdit , *Consolarer et ego vos sermonibus*, scilicet similibus quibus vos me consolamini: *Et moverem caput meum super vos*, in signum compassionis, vel in signum reprobationis , sicut vos me arguitis: *Et etiam roborarem vos ore meo*, ne per impatientiam deficeretis: *Et moverem labia*, scilicet ad loquendum : *Quasi parcens vobis*, idest simulans me ex misericordia quam ad vos haberem loqui , sicut vos contra me facitis Sic igitur leve esset mihi loqui, sicut et vobis, si in statu vestro essem, sed nunc impedior dolore, qui non tollitur neque locutione, nec taciturnitate; unde subdit : *Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus; et si tacuero, non recedet a me.* Est autem duplex dolor: unus quidem interior, qui tristitia nominatur proveniens ex apprehensione alicuius mali inhaerentis ; alius autem est dolor exterior, qui est dolor secundum sensum, puta ex divisione continui proveniens , vel ex aliquo huiusmodi. Primus quidem igitur horum dolorum collocutione tolli potest, non autem secundus; et ideo consequenter ostendit, quod intelligit de hoc secundo dolore, qui verbis non tollitur dicens, *Nunc autem oppressit me dolor meus*, idest impedivit me, ne faciliter et libere uti possim ratiocinatione, sicut antea solebam: nam cum est dolor vehemens in sensu, oportet quod intentio animae revocetur, vel impediatur ab intellectualium consideratione. Et quod de dolore corporali intelligat, ostendit subdens, *Et in nihilum redacti sunt omnes artus mei :* omnia enim membra eius vulnerata erant, sicut supra dictum est, quod Satan percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem, et non solum dissipationes membrorum dolorem sensibilem mihi ingerunt , sed etiam sunt in argumentum contra me. Amici enim Iob videntes eum sic ulceratum, ex hoc argumentabantur, quod gravi-

ter peccasset, putantes hoc ei in poenam peccati accidisse; et hoc est quod sequitur : *Rugae meae testimonium dicunt contra me:* ex infirmitatibus enim corrugatur corpus propter humidi consumptionem sicut ex senectute. Quomodo autem rugae contra ipsum testimonium perhibeant, ostendit subdens, *Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi:* falsum enim dixerat Eliphaz, quod propter peccatum in hanc infirmitatem incurrisset. Vel potest dici, quod Iob intellexit per Spiritum sanctum suam adversitatem a diabolo procuratam Deo permittente: unde quicquid passus est, vel in damnis suis, et filiorum, vel in proprii corporis ulcere, vel etiam in molestatione uxoris et amicorum, totum hoc diabolo attribuit, quasi instiganti. Ipsum ergo vocat falsiloquum contra suam faciem suscitatum, quia intelligebat instigante diabolo amicos suos contradicentes ei: et secundum hunc secundum sensum planius est quod sequitur: *Collegit furorem suum in me:* videtur enim diabolus totum furorem suum contra Iob collegisse, dum omni modo nocendi ipsum impugnavit: et non solum in praeterito me afflixit, sed in futurum mihi comminatur; et hoc est quod sequitur : *Et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis :* et loquitur per similitudinem bestiae, quae huiusmodi comminando, dentes contra ipsum parat. Hoc autem dicit propter hoc, quia Eliphaz usque ad mortem ei sub persona impii mala imminere praenunciaverat ; intelligebat autem huiusmodi comminationes per os Eliphaz a diabolo esse procuratas; et ideo dicebat, quod dentibus contra eum infremuerat. Non solum autem Eliphaz verbis comminationis contra eum usus fuerat, mala praenunciando, sed etiam de factis eius male iudicaverat, eum impium, et hypocritam nominans; et ideo subdit : *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est :* placidis enim oculis aliquem aliquis intuetur, quando facta eius benigne interpretatur; sed quando bona interpretatur in malum, tunc terribilibus oculis intuetur; et ideo subdit : *Aperuerunt super me ora sua*, scilicet amici mei ab hoste meo instigati; et hoc exponit subdens : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam:* ille enim dicitur aliquem in faciem percutere, quando ei improperium in facie dicit ; amici autem Iob multa improperia contra eum dixerant, peccata exprobrantes. Et quia iusti homines videntes peccata puniri, de iustitia laetantur, secundum illud *Psal. 57. Laetabitur iustus cum viderit vindictam ;* amici Iob se iustos reputantes, Iob autem peccatorem, de poenis gaudebant quodammodo, quasi divinae iustitiae congratulantes; et ideo sequitur, *Satiati sunt poenis meis.* Et ne aliquis crederet quod Iob opinaretur huiusmodi poenas sibi a Deo inflictas non esse, quia dixerant ab hoste se esse afflictum, ad hoc excludendum subdit, *Conclusit me Deus apud iniquum,* idest diabolum, concedendo me scilicet potestati ipsius : *Et manibus impiorum me tradidit*, quantum ad eos qui instinctu diaboli eum vel factis, vel verbis afflixerant ; intellexit enim Iob afflictiones suas sibi per diabolum non quidem per se, sed permittente Deo irrogatas : et huius signum evidens ostendit quadrupliciter : primo quidem quia a maxima prosperitate non paulatim decidit, sicut consuetum est in rebus humanis, sed subito totaliter corruit, quod non videtur posse subito casu accidere, sed ex sola divina ordinatione ; et hoc est quod dicit : *Ego ille opulentus quondam repente contritus sum :* et in hoc quod dicit, *Opulentus*, designat divitiarum abundantiam; in hoc autem quod dicit, *Ille*, designatur claritas famae eius, qua ab hominibus demonstrabatur. Secundum autem signum est, quod totaliter corruit: ad quod sciendum subdit, *Tenuit cervicem meam, confregit me:* et loquitur ad similitudinem alicuius fortissimi viri, qui alicuius debilis cervice apprehensa, eam confringeret; et sic totaliter eum de vita auferret : sic enim Iob videbatur totaliter prosperitatis statum amisisse. Tertium signum est, quod non una adversitate, sed multis simul concurrentibus oppressus fuit, ut supra narratum est; et quantum ad hoc subdit: *Posuit me sibi quasi in signum:* quod ponitur diversis sagittis feriendum; et ideo subdit: *Circumdedit me lanceis suis.* Ubi tripliciter multitudinem suarum adversitatum describit : primo namque ostendit se exterius vulneratum in rebus possessis ; et ad hoc pertinet quod dicit : *Circumdedit me lanceis suis :* res enim exteriores circa nos sunt quasi extrinsecae. Tunc ergo homo lanceis adversitatis circumdatur, quando in rebus exterioribus damnificatur. Secundo autem dicit se percussum interius, quantum ad corporalem afflictionem; et hoc est quod subdit, *Convulneravit lumbos meos;* quasi dicat, Non solum in circuitu lanceatus sum, sed vulnera pervenerunt usque ad interiora, in quibus delectabatur, quae per lumbos significantur, in quibus est delectatio, vel etiam generationis origo : unde etiam per lumbos filii oppressi possunt assignari : et insuper ostendit multiplicitatem percussionis ex acerbitate vulneris, cum subdit, *Non pepercit;* quasi retrahens manum suam a percussione, ne gravius offenderet, sed gravissime laesit; et hoc est quod subdit, *Et effudit in terra viscera mea*, quia scilicet omnes filios suos, et filias una ruina oppressit. Tertio ostendit multitudinem percussionis ex iis quae in propria persona est passus ; unde subdit, *Et concidit me*, in propria scilicet persona : *Ulcere.* Ulcus proprium posuit super vulnus mortis filiorum : quarum signum est, quod eius tribulatio ex divina providentia processerit, cui resisti non potuit, nec remedium adhiberi, secundum illud quod supra dictum est, *Deus cuius irae nullus resistere potest;* et hoc est quod subdit, *Irruit in me quasi gigas*, cui propter magnitudinem potestatis homo debilis resistere non potest. Et possunt haec omnia intelligi vel de Deo, qui conclusit, vel melius de iniquo, scilicet diabolo, apud quem conclusit. Haec omnia commemoravit Iob de magnitudine suae adversitatis, ad ostendendum quod non de pari poterat cum eis contendere, qui ab huiusmodi adversitatibus immunes erant. Verum Eliphaz eum de superbia notaverat, dicens: *Quid te elevat cor tuum* etc. quae tanto fuisset detestabilior, quanto per graves adversitates emendari non potuisset, secundum quod contra quosdam *in Psal. 3. 4.* dicitur : *Dissipati sunt, nec compuncti.* Et ideo consequenter descripta sua adversitate ostendit se humiliatum ; primo quidem quantum ad exteriorem habitum, cum dicit, *Saccum consui super cutem meam :* talis enim habitus est humilitatis signum, ut legitur de Ninivitis *Ionae 3.* Similiter etiam cinis adhibetur ad reco-

gnoscendum propriam fragilitatem; unde Abraham dixit *Gen. 18. Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis;* unde subdit, *Et operui cinere carnem meam:* legitur enim supra quod in sterquilinio sedebat in signum humilitatis. Secundo ostendit suam humilitatem per multitudinem fletus, cuius duo signa ponit; primo quidem tumorem faciei, cum dicit, *Facies mea intumuit a fletu:* ascendente enim multa lacymarum materia ad caput, facies plorantium intumescit. Secundo vero impedimentum visus; et hoc est quod subdit, *Et palpebrae meae caligaverunt*, scilicet a fletu. Ad literam propter discursum humorum visus oculorum impeditur. Ex iis autem quae de gravitate suae adversitatis praemisit, et de magnitudine suae humilitatis, posset aliquis suspicari, quod ipse quasi recognoscens gravitatem suorum peccatorum se poenitendo humiliaverit, reputans se pro suis peccatis afflictum, quod Eliphaz innuere volebat, dicens, *Ecce inter sanctos nemo inimitabilis* etc. et ideo ad hoc removendum dicit: *Haec passus sum absque iniquitate manus meae*, per quod excludit a se peccatum operum. Subdit autem, *Cum haberem mundas ad Deum preces*, ut excludat a se peccatum indevotionis, et omissionis, per quod videtur respondere ei quod supra c. 11. dixerat Sophar: *Iniquitatem quae est in manu tu abstuleris, Levare poteris manum tuam absque macula.* Sed ad excludendam innocentiam Iob, Eliphaz iam bis usus fuerat argumento supraposito ex fragilitate terrenae naturae: nam supra dixerat, *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, quanto magis ii qui habitant domos luteas?* et postea supra decimoquinto idem repetierat dicens, *Caeli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis, et inutilis homo;* et ideo ad hoc excludendum subdit, *Terra ne operias sanguinem meum*, et intelligit per sanguinem sui corporis afflictionem. Hic autem sanguis operiretur, si pro culpa fuisset effusus: sic enim non haberet gloriam; operiretur autem a terra si occasione terrenae fragilitatis praesumptio de praecedenti culpa praesumeretur; si autem sanguis eius absque culpa fuit effusus, iustam querelam habuit contra effundentem, sicut *Gen. 4.* dicitur: *Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Hic autem clamor lateret, si iusta conquestio sua videretur, quasi eius qui pro culpa fuerit punitus; et ideo subdit: *Neque inveniat in te locum latendi clamor meus*, ut scilicet ex terrenae conversationis fragilitate videar iniuste conqueri, quasi simul culpa punitus. Verum est autem quod difficile est hominem terrena conversatione absque iniquitate peccati mortalis uti. Non est autem impossibile Deo adiuvante, qui etiam interioris puritatis est testis; et ideo subdit, *Ecce enim in caelo testis meus;* quasi dicat, Ideo terra non potest operire sanguinem, quod maius est testimonium caeli quam praesumptio de fragilitate terrae. Est autem hic testis caeli idoneus, quia etiam conscientiae secreta rimatur; unde subdit, *Et conscius meus in excelsis;* quasi dicat, Ideo in infimo terrae non potest locum latendi clamor meus invenire, quia conscientia mea nota est in excelso.

## LECTIO II.

Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus. Atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo. Ecce enim breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar ambulo.

## LECTIO II.

Postquam Iob descripsit magnitudinem suae adversitatis, et suam humilitatem, et innocentiam, procedit ulterius ad improbandam vanam consolationem, quam amici eius frequenter ei iterabant, scilicet de spe temporalis prosperitatis recuperandae; unde et Eliphaz supra dixerat: *Nunquid grande est ut consoletur te Deus* etc. unde huiusmodi consolationis veritatem ostendere intendens, praemittit, *Verbosi amici mei;* quasi dicat, Verba inania mihi promittunt: non enim in temporalibus recuperandis est consolatio mea, sed in Dei fruitione adipiscenda; et hoc est quod subdit, *Ad Deum stillat oculus meus*, idest lacrymatur pro Dei desiderio, secundum illud *Ps. 41. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* et ad exponendum quod dixerat, subdit, *Atque utinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo.* Iudicatur enim vir, cum unus alteri praesentialiter adest, et invicem sibi suas rationes depromunt. Desiderat ergo Deo praesens existere, et rationes divinorum operum, et iudiciorum cognoscere, in quo felicitas humana consistit; in cuius spe erat eius consolatio, non in vanis amicorum verbis, quibus recuperationem temporalis prosperitatis promittebant: et ideo ad ostendendam vanitatem huiusmodi promissionis, subiungit, *Ecce enim breves anni transeunt;* quasi dicat, Homo brevi vivit tempore, ut *supra 14.* dictum est; temporis autem vitae Iob iam transierat magna pars, unde breves anni restabant, in quibus si esset prosperitas, non magnam consolationem afferret propter temporis brevitatem. Fuerunt autem aliqui, qui credebant hominem post mortem iterato ad praesentis vitae cursum redire, et sic videri posset, quod in spe terrenae prosperitatis recuperandae, saltem in illa futura vita, posset Iob consolationem habere; et ideo ad hoc excludendum subdit, *Et semitam per quam non revertar ambulo:* homo enim in hac mortali vita per aetatis processum tendit ad mortem, nec in hoc processu iteratio potest esse, ut scilicet iterato homo sit puer, et aetates huius vitae perambulet.

# CAPITIS DECIMISEPTIMI

## LECTIO PRIMA.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me. Cor eorum longe fecisti a

disciplina, propterea non exaltabuntur. Praedam pollicetur sociis, et oculi filiorum eius deficient. Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis. Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Stupebunt iusti super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur. Et tenebit iustus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.

## LECTIO PRIMA.

Ostenderat superius Iob multiplicitatem suae afflictionis, et mentis humilitatem, innocentiam, et vitae irrevertibilis brevitatem, ex qua verbositas amicorum eius coniungebatur; et ideo in hoc capitulo intendit inanimare praemissa, et finaliter eorum ignorantiam concludere. Primo autem incipit manifestare quod dixerat de processu vitae humanae, et praemittit causam brevitatis vitae, cum dicit, *Spiritus meus attenuabitur:* vita enim corporis est per vitales spiritus, quia corde ad omnia membra diffunduntur, qui quamdiu in corpore durant, corpus vivit; sed quando virtus caloris naturalis incipit debilitari in corde, huiusmodi spiritus minuitur, quam quidem diminutionem, et debilitatem per spiritus attenuationem designat; et huiusmodi occasione causae subiungit effectum dicens: *Dies mei breviabuntur*, debilitas enim vitalis spiritus abbreviat dies vitae. Et ne aliquis crederet, quod attenuatus spiritus iterum roborandus esset secundum speciem huius vitae mortalis, ad hoc excludendum subdit, *Et solum mihi superest sepulcrum;* quasi dicat, Finitis huius brevibus vitae diebus, nihil de praesenti vita mihi relinquitur nisi sepulcrum, et ea quae sepulcro conveniunt. Deinde alio modo consolationem eorum vanam ostendit: consolabantur enim eum dicentes, huiusmodi adversitates propter peccata ei provenisse, de quibus si poeniteret, ad prosperitatem rediret; sed ipse hoc excludens dicit: *Non peccavi:* quia scilicet non habebat conscientiam remordentem de aliquo gravi peccato, propter quod tantas adversitates incurrisset: unde et *Io. 27.* dicit: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea:* et ideo non est contra id quod dicitur *1. Io. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, et per hoc exprimit quod supra dixerat de sua innocentia: *Haec passus sum absque iniquitate manus meae.* Subdit autem: *Et in amaritudinibus moratur oculus meus.* Pluraliter autem dicit *amaritudinibus* propter multiplices adversitates, quas supra enumeravit. Dicit autem, *Moratur*, quia quamvis inter amaritudines se humiliaverit, saccum consuens super cutem suam, adhuc tamen amaritudines perseverant. Attribuit autem amaritudines oculo propter fletum, de quo supra dixerat, *Facies mea intumuit a fletu:* et iterum: *Ad Deum stillat oculus meus:* quia sic oculus eius flebat inter amaritudines, quod ad solum divinum auxilium intendebat; et ideo hic subditur, *Et libera me:* intelligebat enim se ab eo solo liberari posse, qui eum apud iniquum concluserat. Non autem sic se liberari ab adversitate petebat, sicut qui post adversitatem prosperitatem terrenam assequuntur; sed petit ut ad celsitudinem spiritalem perducatur; unde subdit, *Et pone me iuxta te:* quia enim Deus est ipsa essentia bonitatis, necesse est, ut qui iuxta Deum ponitur, a malo liberetur. Ponitur autem homo iuxta Deum, inquantum ei mente appropinquat per cognitionem, vel amorem; sed hoc quidem imperfecte contingit in statu viae, in quo homo impugnationes patitur, et qui est iuxta Deum positus, ab eis non superatur. Perfecte autem homo iuxta Deum mente ponitur, iuxta statum ultimae felicitatis, in quo impugnationes iam pati non potest: et hoc est, quod desiderare se ostendit, dicens: *Et cuiusvis manus pugnet contra me:* quia scilicet quantumcunque aliqui me velint impugnare, si iuxta te perfecte positus fuero, nullius impugnatio me molestabit. Hoc est ergo in quo Iob inter amaritudines consolationem habebat, sperans se iuxta Deum ponendum, ubi impugnationes timere non posset. Hanc autem spiritalem consolationem ipsius Iob amici eius verbosi non intelligebant; et ideo subdit: *Cor eorum longe fecisti a disciplina*, scilicet tua spiritali, per quam doces spiritalia bona, contemptis temporalibus, sperare: quia solis temporalibus, et infimis rebus ad spiritalem altitudinem pervenire non possunt, nisi iuxta Deum ponantur: et hoc est quod subdit, *Propterea non exaltabuntur:* et ex hoc quod longe facti sunt a disciplina spiritali, procedit, quod sola temporalia Eliphaz Iob in consolationem promittebat; et hoc est quod subdit, *Praedam pollicetur sociis*, idest temporalium adeptionem, quae uni advenire non possunt, nisi alio amittente, unde temporalium acquisitio depraedationi assimilatur. Non est autem hoc universaliter verum, ut post poenitentiam homines temporalem prosperitatem recuperent, quia nec boni semper temporali prosperitate florent; unde subdit, *Et oculi filiorum eius deficient.* Filios eius dicit illos, qui eius promissioni credentes, ex bonis, quae agunt, temporalia sperant; sed dum ea non assequuntur, oculi eorum deficiunt, quasi a spe sua decidentes. Sicut autem bene agentibus temporalia Eliphaz promittebat, ita etiam omnes adversitates temporales propter peccata eius, quae patitur, asserebat provenire. Et quia Iob multas adversitates passus erat, cum in exemplum apud vulgus ponebat: et hoc est quod subdit, *Posuit me quasi proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis:* quia scilicet ad suam sententiam asserendam de causa adversitatum, Iob in exemplum ponebat, ac si esset pro peccato punitus. Pertinet autem ad iustorum zelum, ut videntes per falsam doctrinam rectitudinem divinorum iudiciorum perverti, indignentur: et ideo Iob consequenter magnitudinem sui zeli ostendit dupliciter. Primo quidem, per quandam mentis turbationem: ira enim per vitium oculum caecat, sed ira per zelum oculum turbat, ut Gregorius dicit; et ideo subdit: *Caligavit ad indignationem oculus meus*, scilicet rationis, cuius acies est per iram zeli turbata. Secundo per hoc, quod ira per zelum etiam in corpore ex dolore quandam commotionem facit: unde dicitur *1. Machab. 2.* quod *Matathias videns Iudaeum idolis sacrificantem doluit, et contremuerunt renes eius;* et ideo hic subditur, *Et membra mea quasi in nihilum sunt redacta*, inquantum scilicet per dolorem corpus hominis tabescere videtur. Posset autem aliquis credere, quod ista oculi caligatio contra iustitiam esset, et indignatio contra innocentiam; et ideo ad hoc ex-

cludendum subdit, *Stupebunt iusti super hoc;* quasi dicat, Etiam ad iustos pertinet, ut videntes malorum doctrinam obstupescant: et hunc stuporem super caligationem dixit; sequitur autem, *Et innocens contra hypocritam suscitabitur;* quasi dicat, Non est contra innocentiam si aliquis contra hypocritam perversorem verae doctrinae, per zelum iustitiae indignatus, concitetur. Et quia, ut dictum est, ira per zelum animum turbat, sed non caecat; sic vir iustus stupet vel caligat ex zelo, quo tamen a iustitia non recedit; et hoc est quod subdit, *Et tenebit iustus viam suam*, quia scilicet non deseret eam propter iram zeli: talis enim ira non praecedit rationem, sed sequitur: et ideo non potest hominem a iustitia separare; utilis tamen est ira per zelum, quia facit hominem cum maiore animi fortitudine insurgere contra mala: et hoc est quod subdit, *Et mundis manibus addet fortitudinem*, concitatus scilicet per zelum; unde et dicitur *3. Eth.* quod ira fortitudinem iuvat.

## LECTIO II.

Igitur omnes vos convertimini, et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem. Dies mei transierunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem; et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum: Putredini dixi, pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc praestolatio mea, et patientiam meam quis considerat? In profundissimum infernum descendent omnia mea, putas ne saltem ibi erit requies mihi?

## LECTIO II.

Postquam Iob proposuerat ea, ex quibus sententia Eliphaz confutatur, hic colligit praemissa, et ordinat ea ad propositum ostendendum; et primo excitat attentionem dicens: *Igitur*, scilicet ex quo praedicta sunt vera, *Vos omnes qui*, scilicet contra me convenistis, et patres vestri: *Convertimini*, a vestris erroribus, *et venite*, ad veritatem considerandam, qua perfecta, patebit quantum a vera sapientia longe sitis: et hoc est quod subdit, *Et non inveniam, in vobis ullum sapientem*: et hoc subdit ad reprimendam iactantiam Eliphaz, qui *supra 15.* dixerat, *Quid nosti quod ignoremus* etc. et iterum, *Sapientes confitentur* etc. In hoc autem praecipue eorum insipientiam ostendere intendit, quod ei consolationem temporalis prosperitatis promittebant: contra quod primo proponit tempus vitae suae, iam in magna parte esse elapsum; et hoc est quod subdit: *Dies mei transierunt.* Deinde proponit mala quae patitur, cum subdit, *Cogitationes meae dissipatae sunt*, quasi impeditae a quieta contemplatione sapientiae, propter acerbitatem corporalis doloris: et hoc est quod subdit, *Torquentes cor meum:* quia videlicet eius cogitationes a suavi consideratione veritatis erant deductae in amaritudinem, qua cor torquebatur. Hoc autem tormentum cordis nec nox interrumpebat, quae est tempus deputatum humanae quieti; unde subdit, *Noctem verterunt in diem:* quia videlicet propter praedictas cogitationes noctem ducebat insomnem, sicut et diem. Est autem gravius pati somni defectum in nocte quam in die, quia in die relevatur animus hominis ex hominum societate, et lucis aspectu; et ideo dum nox ei esset insomnis, desiderabat eam cito finiri; et hoc est quod subdit, *Et rursum post tenebras spero lucem*, idest spero quod lux diei post tenebras noctis rursus adveniat. Sed quia Eliphaz eum inducebat, ut omnia adversa patienter toleraret sub expectatione futuri; ideo consequenter ostendit, quid sibi in futurum de temporalibus rebus residuum videatur; unde dicit, *Si sustinuero*, idest patienter portavero huiusmodi dolores, nihil mihi restat nisi habitatio sepulcri: et hoc est quod dicit, *Infernus domus mea est.* Vocat autem infernum sepulcrum, secundum opinionem eorum, contra quos disputabat, qui non credebant animam hominis remanere post mortem, sed solum corpus in sepulcro, quod vocabant infernum, quia intra terram situatus; homo autem in sepulcro iacens, tenebras patitur, tum propter defectum sensus, tum etiam propter defectum exterioris lucis; et ideo subdit: *Et in tenebris stravi lectulum meum.* Sicut autem homo nascens a parentibus originem sumit, ex qua cum eis affinitatem contrahit, ita post mortem in sepulcro iacens, in putredinem et vermes resolvitur, quae ex eius corpore generantur: et ideo subdit: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, vermibus;* quasi dicat, Cum nulla alia re temporali remanebit mihi affinitas in sepulcro, nisi cum putredine et vermibus. Ex his ergo, quasi ad inconveniens reducens, concludit dicens, *Ubi est ergo nunc praestolatio mea;* quasi dicat, Si propter expectationem temporalis prosperitatis consolarer, vana esset expectatio mea, et iterum ad maius inconveniens deducit, subdens: *Et patientiam meam quis considerat;* quasi dicat, Si sustinuero per patientiam, nihilominus non restat mihi nisi sepulcrum, et eius tenebrae, putredines, et vermes. Si ergo propter temporalia bona promerenda a Deo patientiam haberem, sequeretur quod Deus patientiam non consideraret, quod est abnegare providentiam divinam. Et ne forte aliquis diceret quod etiam in sepulcro prosperitas sibi daretur a Deo, ideo hoc quasi irridens subdit, *In profundissimum infernum descendent omnia mea*, idest quicquid meum est, ad sepulcrum deducetur, quod mihi solum superest. *Putas ne saltem ibi erit requies mihi?* idest nunquid ibi etiam debeo expectare prosperitatem terrenam: manifestum est enim hoc ridiculosum esse.

# CAPITIS DECIMIOCTAVI

## LECTIO PRIMA.

Respondens autem Baldath Suites dixit, Usque ad quem finem verba iactabis? intellige prius, et sic loquamur. Quare reputati sumus ut iumenta, et sorduimus coram te? Quid perdis animam tuam in furore tuo? Numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? Non-

ne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: et lucerna, quae super eum est, extinguetur. Arctabuntur gressus virtutis eius, et praecipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo: et exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica eius, et decipula illius super semitam. Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes eius.

## LECTIO PRIMA.

Quia praemissa verba beati Iob Baldath Suites comprehendere intellectu non potuit, putavit, ut quae ipse non intelligebat, etiam a dicente inaniter proferrentur; unde in principio suae responsionis dicit, *Usque ad quem finem verba iactabis?* Ubi de tribus videtur eum arguere; primo quidem de inefficacia locutionis, ac si praemissa verba Iob ad nihil confirmandum efficaciam haberent; quod significatur in hoc, quod dicitur: *Usque ad quem finem?* Secundo arguit eum de vana multiplicatione verborum, ac si praemissis verbis Iob pondus sententiarum deesset: quod significatur in hoc quod dicit, *Verba.* Tertio notat de inordinata connexione verborum; quod significatur in hoc, quod dicit, *Iactabis:* ille enim dicitur iactare verba, qui ea inordinate spargit; quamvis et possit hoc tertium ad iactantiam elationis referri. Haec autem tria proveniunt in locutione alicuius ex defectu intellectus; cum eo autem qui deficit in intellectu, inutilis est locutio; et ideo subdit: *Intellige prius, et sic loquamur;* quasi dicat, Ex hoc quod inefficaciter, leviter, et etiam inordinate loqueris, patet quod deficis in intellectu: unde prius insiste ut intelligas, et postea poterimus conferre ad invicem. Deinde arguit eum de praesumptione, quia eos non reputaverat sapientes, cum dixerat, *Non inveniam in vobis ullum sapientem:* et ideo ad hoc respondens subdit: *Quare reputati sumus ut iumenta, et sorduimus coram te?* homo enim qui sapientia caret, similis iumentis videtur, et sordibus, quia in sapientia honor hominis et ornatus consistit. Consequenter reprehendit eum de iracundia, quia dixerat: *Caligavit ad indignationem oculus meus*, quia prave intellexerat, credens quod esset talis indignatio, quae ei lumen sapientiae abstulisset, non attendens id quod postea dixerat, *Et tenebit iustus viam suam:* et ideo subdit, *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* ille enim in furore animam perdit, qui et propter furorem a sapientia et iustitia excidit, quae sunt praecipua animae bona. His ergo praemissis, quibus personam Iob notavit de defectu intellectus de praesumptione, et de furore, accedit consequenter ad principale propositum, de quo controversia vertebatur, scilicet quod adversitates praesentis vitae erant poenae praedictorum peccatorum, contra quod Iob dixit, *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.* Sed quia Baldath ad assertionem suae sententiae rationibus uti non poterat, voluit suam sententiam adstruere, quasi ex communi opinione firmissimam; ideo comparavit etiam rebus quae amoveri non possunt, scilicet terrae et rupibus; unde dicit, *Nunquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo?* quasi dicat, Haec sententia, quod adversitates accidunt pro peccatis, firma est sicut terra et rupes. Nunquid ergo poterit removeri propter tuas disputationes, ut innocens conproberis? Deinde prosequitur diffusius suam sententiam enarrans per singula mala, quae peccatoribus proveniunt, inter quae primo ponit cessationem prosperorum successuum, quos comparat luci: quia sicut qui ambulat in luce, non offendit, ut dicitur *Ioa. 11.* unde videntur in luce ambulare, quibus prospere omnia succedunt ad votum. De huiusmodi ergo lucis, idest prosperitatis amissione dicit, *Nonne lux impii extinguetur*, idest prosperitas cessabit. Sicut autem lux corporalis ex flamma ignis procedit, ita etiam claritas prosperitatis ex hominis affectu, dum sibi provenit, quod optat; et ideo subdit: *Nec splendebit flamma ignis eius:* per ignem enim ardor amoris significari solet, secundum illud *Cant. 8. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Est autem considerandum quod prosperitas successus humani ex duplici causa prodit; quandoque quidem ex humana providentia, puta, cum homo prudenter et caute singula quaeque disponit: et quantum ad hoc de cessatione prosperitatis dicit: *Lux obtenebrescit in tabernaculo ipsius:* quia scilicet tam ipse quam sui familiares prudentia in consiliis careant; quandoque vero prosperitas humani successus ex causa superiori procedit, scilicet ex divina providentia; et quantum ad hoc, cessationem prosperitatis describens, dicit, *Et lucerna quae super ipsum est, extinguetur:* non quidem ut in se non luceat, sed ut impium non illustret. Et bene providentiam hominis dixit lucem quasi ab alio mutuatam; providentiam vero Dei lucernam quasi per se lucentem. Praemisit autem de luce humanae providentiae, quia per hoc, quod homo lucem rationem dimittit, videtur mereri, ut luce divinae providentiae non protegatur. Consequenter post cessationem prosperitatis subiungit de adversitate: circa quam primo ponit impedimenta operationis et conatus. Ex duobus autem homo nititur ad effectum suae operationis pervenire. Uno modo per propriam fortitudinem; et contra hoc dicit: *Arctabuntur gressus virtutis eius:* quia videlicet conatus fortitudinis eius amplos processus habere non potuit. Alio modo conatur homo ad aliquid obtinendum per sapientiam; et quantum ad hoc dicit: *Et praecipitabit eum consilium suum*, dum scilicet id quod excogitavit tanquam utile, fiet ei damnosum. Horum autem impedimentorum causam ex ipso eius peccato dicit procedere, cum subdit, *Immisit enim in rete pedes suos:* sicut enim ille, qui sponte ponit pedem in rete, se praeparat captioni; ita ille qui se sponte ingerit ad peccandum, ad hoc se disponit, ut processus eius impediantur, secundum illud *Prov. 5. Iniquitates suas capiunt impium:* et sicut in rete sunt diversae maculae, ita etiam in peccato sunt multae diversitates, quibus homines diversimode illaqueantur; et ideo subdit: *Et in maculis eius ambulatur*, dum scilicet procedit de uno genere peccati in aliud, vel de uno modo peccandi in alium, quia ipse sponte ingerit se periculis, et non desistit, sed semper procedit ulterius, ideo quandoque impedimentum sentiet; unde subdit:

*Tenebitur planta illius laqueo*, idest processus voluntatis et operationis eius aliquo contrario impedietur. Huiusmodi autem nocumenta ex triplici causa proveniunt in peccato procedentibus; primo quidem ex parte ipsius peccantis, qui quanto plus peccat, tanto plus auget sibi desiderium peccandi ; et quantum ad hoc subdit , *Et exardescet contra eum sitis :* quia videlicet quandoque homo peccator ex ratione desiderat aliquid sibi esse nocivum, sed fervens desiderium peccandi compellit eum contra suam sententiam agere. Secunda causa nocumenti eius quandoque est ex ipsis rebus in quibus peccat , sicut dicitur *Eccl. 5. Divitiae conservatae in malum domini sui.* Huiusmodi autem nocumenta proveniunt ex rebus iam adeptis ; et quantum ad hoc dicit : *Abscondita est in terra pedica eius :* quia videlicet in ipsis terrenis rebus latet aliquod periculum , unde pedes peccatoris capiantur. Quandoque autem huiusmodi nocumenta proveniunt , dum homo est in via acquirendi; et quantum ad hoc dicit : *Et decipula eius super semitam :* quia videlicet antequam adipiscatur peccator quod quaerit , in ipsa via latent eius pericula. Tertio causantur huiusmodi nocumenta ex parte aliorum hominum, quorum insidiae, et impugnationes formidantur; unde subdit , *Undique terrebunt eum formidines:* quia , ut dicitur *Sap. 17. cum sit timida nequitia , dat testimonium condemnata.* Cum autem homo ab omnibus sibi cavet, necesse est, quod in multis actus eius impediantur; unde subdit: *Et involvent pedes eius*, ut scilicet non possit quoquam libere procedere.

## LECTIO II.

Attenuetur fame robur eius, et inedia invadat costas illius. Devoret pulchritudinem cutis eius , et consumet brachia illius primogenita mors. Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius , et calcet super eum quasi rex interitus. Habitent in tabernaculo illius socii eius, qui non est; aspergatur in tabernaculo eius sulphur. Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius. Memoria illius pereat de terra , et non celebretur nomen eius in plateis. Expellet eum de luce in tenebras , et de orbe transferet eum. Non erit semen eius , neque progenies in populo suo, nec ullae reliquiae in regionibus eius. In die eius stupebunt novissimi, et primos invadet horror. Haec sunt ergo tabernacula iniqui , et iste locus eius , qui ignorat Deum.

## LECTIO II.

Praemiserat Baldath poenas peccatorum ad exteriores adversitates pertinentes; hic autem incipit prosequi poenas pertinentes ad personas eorum. Est autem considerandum, quod ipsa peccata exterioribus adversitatibus implicant; et ideo adversitates exteriores prosecutus est, pronunciando quasi cum quadam certitudine. Poenae autem corporales non videntur directe causari ex ipsis peccatis, nisi forte ex aliquibus , sicut praecipue ex gula , et luxuria , quibus aliquis in proprium corpus peccat : et ideo corporales poenas non prosequitur denunciando , sed magis imprecando. Praemittit autem poenas corporales praecedentes mortem: et quia per nutrimentum conservatur vita, primo imprecatur ei nutrimenti subtractionem , ex qua primitus homo incipit debilitari; et quantum ad hoc dicit , *Attenuetur fame robur eius.* Deinde autem deficiente nutrimento, etiam subtrahitur vita ; et quantum ad hoc subdit , *Et inedia invadat costas eius.* Per quod significatur debilitatio vitalium operationum, quarum principium est cor, quod sub costis continetur. Corporis autem bona, quae per famem attenuari incipiunt , per mortem totaliter consumuntur. Bona autem praecipua corporis videntur esse pulchritudo , et fortitudo ; et ideo subdit , *Devoret pulchritudinem cutis eius:* quia scilicet pulchritudo in exteriori apparentia consideratur: *Et consumat brachia illius*, in quibus praecipue attenditur fortitudo: *Primogenita mors*, idest tempestiva, naturalis aetatis finem praeveniens. Mortuus autem homo a domo sua exportatur; et quantum ad hoc subditur , *Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius:* quia scilicet spem suam non in Deo posuit, sed in opulentia et glória domus suae , de qua post mortem eiicitur. Eiectus autem de domo sua sepulcro includitur, ubi totaliter exterminatur a morte: et quantum ad hoc subdit, *Et calcet super eum, quasi rex interitus*, scilicet mors: quasi regis plena potestate eum in pulverem conterit. Eo autem egresso de domo eius mortuo, remanent domestici, cum quibus in vita societatem habuit; et quantum ad hoc subdit, *Habitent in tabernaculo eius socii illius, qui non est*, idest mortui, qui iam esse desiit in rebus humanis. Domestici autem, patrono mortuo, luctum agunt, et aliqua signa tristitiae demonstrant , vel quantum ad nigras et sordidas vestes , vel quantum etiam ad aliquos foetidos odores; et quantum ad hoc dicit , *Aspergatur in tabernaculo illius sulphur.* Per quod intelliguntur omnia quae possunt esse signa tristitiae , sicut et boni odores assumuntur in signum laetitiae. Homine autem mortuo , frequenter omnia quae fuerunt eius, depereunt: quod consequenter ostendit, primo incipiens a terrenis reditibus , quorum quaedam eo mortuo, remanent adhuc seminata; et quantum ad hoc dicit, *Deorsum radices eius siccentur*, ut scilicet si quid seminavit, vel plantavit, destruatur, ut fructum non ferat. Quaedam vero iam producta sunt ad fructum; et quantum ad hoc subdit, *Sursum autem atteratur messis eius;* et posset hoc referri ad quaecunque negotia inchoata, vel etiam pene perfecta. Deinde procedit ad famam, quae de homine remanet post mortem: ex qua quidem desiderat se in memoria hominum vivere, et gloriam habere post mortem; unde quantum ad deletionem peccatoris de memoriis hominum subdit , *Memoria illius pereat de terra.* Quantum autem ad cessationem celebris famae ipsius subdit, *Et non celebretur nomen eius in plateis:* quod signanter dicit, quia non est celebritas nominis nisi apud multitudinem , quae in plateis solet inveniri: et sic cessante memoria et nominis celebritate , claritas gloriae eius commutabitur in tenebras perpetuae oblivionis; et hoc est quod subdit, *Expellet eum de luce in tenebras* , idest de gloria mundana in oblivionem. Cessante autem fama eius, et corpore consumpto per

mortem, etiam nihil ipsius remanebit, quia Baldath et socii eius opinabantur, quod anima non remaneret post mortem. *Et de orbe transferet eum*, ut scilicet nihil eius in mundo remaneat. Sed quia parentes etiam in filiis vivunt; ideo ad hoc excludendum subdit, *Non erit semen eius*, quod filii eius morientur: *Neque progenies in populo suo:* quia nec nepotes, aut pronepotes remanebunt: nec etiam aliquae ad ipsum pertinentes; unde subdit, *Nec ullae reliquiae in regionibus eius*, idest nec consanguinei, nec domestici, per quos de ipso memoria habeatur. Quis autem effectus ex hoc sequatur in cordibus aliorum auditorum, ostendit cum subdit, *In die eius*, quae scilicet est dies perditionis ipsius: *Stupebunt novissimi*, idest minores de populo prae nimia admiratione, non volentes considerare, quomodo tanta gloria peccatoris subito in nihilum sit redacta, et quantum ad maiores subdit: *Et primos invadet horror*, timentes scilicet ne eis eveniat simile: et videtur hoc induxisse ad reddendum ei quod Iob *supra 14.* dixerat, *Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget: attamen caro eius dum vivet dolebit.* Ex quo videbatur Iob comminationes amicorum, vel promissiones de eventibus futuris contingentibus post mortem, confutasse; sed aliud hic Baldath respondet, quod huiusmodi infortunia, quae post mortem accidunt, etsi mortuus non cognoscit, infliguntur tamen a Deo huiusmodi poenae propter correctionem aliorum. Et quia praemiserat quasdam poenas peccatoris ad viam praesentis vitae pertinentes, quasdam vero ad finem viae, scilicet ad mortem, vel ad ea quae post mortem eveniunt; ideo quasi epilogando subdit, *Haec ergo sunt tabernacula iniqui*, idest processus eius in via praesentis vitae: tabernaculis enim viatores utuntur. Quantum ad ultimum finem, qui est quasi terminus motus, subdit. *Et iste locus eius qui ignorat Deum*, vel per infidelitatem, vel per inobedientiam.

## CAPITIS DECIMINONI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob dixit, Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus. En decies confudistis me, et non erubescitis opprimentes me. Nempe etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis. Saltem nunc intelligite, quia Deus non aequo iudicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet, vociferabor, et non est qui iudicet. Semitam meam circumsepsit, et transire non possum: et in calle meo tenebras posuit. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Destruxit me undique, et pereo, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam. Iratus est contra me furor eius, et sic me habuit quasi hostem suum. Simul venerunt latrones eius, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant, obliti sunt mei. Inquilini domus meae, et ancillae meae sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi, et non respondit, ore proprio deprecabar illum. Halitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant: et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, et quem maxime diligebam, adversatus est me. Pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?

### LECTIO PRIMA.

Baldath in praemissis verbis ad duo attendisse videtur: primo quidem ad confutandum Iob de insipientia et superbia et furore, per quod eum affligere intendebat, similiter et alii amici sui; et ideo dicit, *Usquequo affligitis animam meam.* Secundo ad confirmandum suam scientiam, quod adversitates praesentis vitae pro peccatis proveniant, quod quidem prolixe prosecutus fuerat, enumerando diversas adversitates absque alia probatione inducta; et quantum ad hoc subdit, *Et atteritis me sermonibus*, idest verbis fatigatis, non probationibus convincitis. Est autem tolerabile si semel aliquis contra amicum suum loquatur; sed si homo multiplicet huiusmodi verba, videtur esse malitiae confirmatae; unde subdit: *En decies confudistis me:* et ipsi loquendo, et me cum quadam indignatione audiendo. Ante hanc autem responsionem quinquies Iob invenitur locutus, si incipiamus ab hoc quod dixit, *Pereat dies in qua natus sum:* et quinquies ei respondisse amici sui inveniuntur, saltem autem prae confusione, etsi non propter amicitiam, debuissent ab afflicti afflictione cessare; unde subdit: *Et non erubescitis opprimentes me*, scilicet tam opprobriis quam prolixitate verborum me gravantes. Inter caetera autem opprobria videtur eum Baldath de ignorantia notasse, cum dixit, *Intellige prius, et sic loquamur:* quae quidem ignorantia toleranda ab amicis esset, et propter eam excusandus; non autem erat ei improperanda, maxime tempore adversitatis; et ideo subdit: *Nempe si ignoravi, mecum erit ignorantia mea;* quasi dicat, Nihil vos, sed me solum gravat: unde ad vos non pertinebat inter adversa mihi ignorantiam improperare; et ideo subdit: *At vos contra me erigimini*, scilicet scientiam vestram ostendentes: *Et arguitis me opprobriis meis*, idest quae ad me solum pertinent, et alios non gravant. Quibus praemissis ad confutationem amicorum pertinentibus, accedit ad principale propositum prosequendum, intendens ostendere falsum esse quod dicebant, quod praesentes adversitates semper propter peccata praeterita proveniunt, ex qua suppositione statim a principio ad inconveniens ducit dicens: *Saltem nunc intelligite, quia Deus non*

*aequo iudicio afflixerat me;* quasi dicat, Si adversitates non adveniunt nisi pro peccatis, non est aequum Dei iudicium, quo me non graviter peccantem tam graviter afflixit. Dicit autem, *Saltem nunc*, quia hactenus non ita particulariter enumeravit suas adversitates, sicut nunc. Non solum autem se dicit adversitatibus afflictum, sed et eis conclusum, ut viam evadendi invenire non possit; unde sequitur, *Et flagellis suis me cinxerit:* quia scilicet ipsa flagella remediorum viam subtraxerunt: et hoc secundum primo quidem per auxilium humanum; et hoc dupliciter: uno modo in ipso facto, puta cum aliquis ab aliquo violenter opprimitur, et ab illo succursum habet; et ad hoc excludendum dicit, *Ecce clamabo, vim patiens, et nemo exaudiet;* quasi dicat, Si clamarem contra eos, qui me violenter opprimunt, nullus exaudiret ut auxilium ferret. Alio modo post factum, puta cum aliquis iniuriam passus, conqueritur iudici, qui eum sententialiter restituit et vindicat; et hoc excludens subdit, *Vociferabor, et non est qui iudicet*, idest si vociferarer conquerendo, non adesset iudex, qui me suo iudicio liberaret. Secundo invenitur in adversitatibus remedium ab ipso homine, qui adversitates evadit; et hoc dupliciter: uno modo per potentiam; et hoc excludit dicens: *Semitam meam circumsepsit, et transire non possum;* quasi dicat, Tot impedimenta processibus meis apposuit, ut ea amovere non possim. Alio modo per prudentiam; et ad hoc excludendum subdit, *Et in calle meo tenebras posuit*, ut scilicet non videam qualiter sit procedendum. Deinde exclusis remediis, subiungit adversitates, incipiens ab exterioribus bonis, quae perdidit, inter quae primo ponit iacturam honoris et gloriae, cum dicit, *Spoliavit me gloria mea:* quia cum prius in honore et reverentia haberetur, postea etiam iuniores tempore eum irridebant, ut dicitur *infra 30.* Secundo ponit dispendium dignitatis; unde subdit, *Et abstulit coronam de capite meo:* quia ante sedebat quasi rex circumstante exercitu, ut *infra 29.* nunc sedens in sterquilinio, testa saniem radebat, ut dictum est *supra 2.* Tertio ponit damnum exteriorum rerum cum dixit, *Destruxit me undique*, scilicet devastatis omnibus exterioribus bonis, et adversitate durante, quia non est spes recuperandi; unde subdit, *Et quasi avulsae arbori abstulit spem meam:* arbor enim quandiu radicibus terrae inhaeret, habet spem, etiam si praecisi fuerint rami eius, ut rursum virescat; sed si evellantur eius radices de terra, necesse est ut siccetur et pereat etiam ipse, quasi avulsis radicibus, nullam habebat spem prosperitatem temporalem recuperandi. Radix autem spei est duplex: una quidem ex parte divini auxilii; alia vero ex parte auxilii humani: radix autem spei, quae est ex divino auxilio, videbatur esse avulsa propter hoc quod Deus ei graviter videbatur iratus secundum illorum opinionem, qui divinam punitionem in solis adversitatibus huius vitae ponebant; unde dicit, *Iratus est contra me furor eius;* quod dicit ad designandum vehementiam irae, nam furor est ira accensa. Solet autem furor, quo vehementior est, eo citius transire; et sic potest in futurum remanere spes de irato. Sed si ira in odium transeat, iam non videbitur spes ulla restare; et ad hoc signandum subdit, *Et sic me habuit quasi hostem suum;* ab inimico autem non speratur remedium. Divinae autem irae et odii signum ponit, cum subditur, *Simul venerunt latrones eius:* latrones nominat Sabaeos, et Chaldaeos et daemones, qui eius bona vastaverant simul, quasi ex condicto; quos nominat Dei latrones, quasi hoc ex ordinatione divina contigerit, sicut et amici Iob dicebant. Praedicti autem latrones depraedati sunt Iob publice, absque aliqua reverentia vel metu; unde subdit, *Et fecerunt sibi viam per me;* quasi dicat, Ita me sunt depraedati, sicut hostis, qui invenitur in via: infestaverunt etiam universaliter et perseveranter; et quantum ad hoc subdit, *Et obsederunt*, scilicet perseveranter: *In gyro*, universaliter quantum ad omnia: *Tabernaculum meum*, idest bona domus meae. Deinde ostendit avulsam esse radicem spei, quae est ex humano auxilio, ostendens, quod nihil auxilii poterat expectare ab illis, de quibus magis videbatur; et enumerat primo illos, qui non sunt habitatione domus separati, incipiens a fratribus dicens: *Fratres meos longe fecit a me*, ut scilicet auxilium mihi ferre vel non velint, vel non possint. Deinde ponit familiares amicos cum subdit, *Et noti mei quasi alieni recesserunt me*, mihi scilicet auxilium non ferentes. Quantum autem ad consanguineos, vel quacumque alia necessitudine coniunctos subdit, *Dereliquerunt me propinqui mei*, auxilium non ferentes. Quantum vero ad illos, cum quibus aliquando fuerat conversatus, subdit, *Et qui noverant*, scilicet olim quasi familiarem amicum, nunc in tribulatione obliti sunt mei, scilicet de me non curantes. Post hoc accedit ad enumerandum domesticos dicens: *Inquilini domus meae*, qui scilicet mihi servire consueverunt, *et ancillae, sicut alieni habuerunt me*, de meis scilicet afflictionibus non curantes: *Et quasi peregrinus fui in oculis eorum*, me scilicet penitus contemnentes. Deinde de inobedientia servorum subdit, *Servum meum vocavi, et non respondebit mihi.* Addit autem et superbum contemptum: *Ore proprio deprecabor illum*, idest oportebat me ad eum agere non imperio, sed precibus propter hoc quod me contemnebat. Deinde enumerat personas maxime coniunctas, scilicet uxorem, et filios. Solet autem uxoribus maxime delectabilis fieri praesentia viri, nisi forte ex aliqua gravi corruptione horribilis reddatur; et ad hoc signandum subdit, *Halitum meum exhorruit uxor mea*, scilicet propter foetorem ulcerum, ex quibus ei horribilis reddebar. Filii autem ex solo nutu parentis solent eius voluntatem implere; ex magno autem contemptu parentis provenit, quod patrem, cui oportet a filio reverentiam exhiberi, oporteat suppliciter filium deprecari: et ad hoc ostendendum subdit, *Et orabam filios uteri mei.* Sed hoc videtur contra id, quod dictum est supra primo, quod filii eius et filiae oppressi sunt per domus ruinam. Sed potest dici quod aliqui parvuli remanserant, qui non interfuerant illi convivio: vel forte aliqui filii filiorum, qui mortem propriorum parentum peccatis propriis, imputantes peccatis Iob, ipsum contemnebant. Postquam ergo se despectum dixit a domesticis, et a forinsecis, ostendit consequenter se despectum esse et a sapientibus. Est autem stultorum proprium, ut eos despiciant, quos in miseriis vident, quia sola bona terrena honoranda putant; et ideo dicit, *Stulti quoque despexerunt me*, scilicet corde praesentem: *Et cum ab eis recessissem,*

*detrahebant mihi*, scilicet ore pronunciantes, quae in praesentia dicere verebantur. Deinde etiam se a sapientibus despectum dicit, quos aliquando familiares habuerat; unde dicit, *Abominati sunt me quondam consiliarii mei*, quos scilicet propter eorum sapientiam ad meum consilium admittebam: *Et quem maxime diligebam, aversatus est me.* Et forte dicit propter aliquem eorum, qui praesentes aderant, qui ei gravius adversabatur. Sic igitur praemissis adversitatibus quae pertinent ad exteriora, subiungit de proprii corporis consumptione dicens: *Pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum:* quia scilicet propter gravitatem aegritudinis carnes eius consumptae erant, ita quod cutis eius ossibus adhaererent. Sed quia labia sunt carnea, quae dentibus sicut ossibus adhaerent; ideo ad haec excipienda subdit, *Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*, scilicet per quod videtur occulte innuere, quod omnibus aliis officiis membrorum cessantibus solum ei remanserat locutionis officium. Enumeratis ergo adversitatibus suis eos ad compassionem invitat, geminans nunc petitionem propter multitudinem miseriarum dicens, *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*, ex quo ab aliis sum derelictus. Causa autem miserendi est miseria, quae tanto gravior est, quanto a fortiori inducitur: ideo subdit, *Quia manus Domini tetigit me*: intelligebat enim se a Deo percussum. Non videtur autem decens, ut homini afflicto afflictionem addatis: et ideo subdit, *Quare persequimini me sicut Deus;* quasi dicat, Sufficit mihi persecutio, quae est a Deo, vestrum autem esset magis consolationem adhibere. Qualiter autem persequerentur ostendit, *Et carnibus meis saturamini*, quod proprie ad detractores pertinet: qui carnibus humanis vesci dicuntur, inquantum iniquitatibus aliorum delectantur: caro enim est infirmior pars animalis.

## LECTIO II.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo. Quare ergo nunc dicitis, Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum? Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultio iniquitatum gladius est; et scitote esse iudicium.

## LECTIO II.

Dixerat superius Iob, spem suam esse ablatam, quasi arboris avulsae; quod quidem dixit, referens ad spem temporalis prosperitatis recuperandae, ad quam eum amici eius multipliciter incitabant, hanc autem spem sibi habendam non esse, supra multipliciter ostendit ad diversa inconvenientia deducendo; nunc autem manifeste suam intentionem aperit, ostendens se praedicta non dixisse, quasi de Deo desperans; sed quia altiorem spem de eo gerebat, non quasi relatam ad praesentia bona, sed ad futura. Et quia grandia et mira et certa dicturus erat, praeostendit desiderium suum ad hoc, quod sententia quam dicturus erat, in fine posterorum perpetuetur. Transmittimus autem sensus et verba nostra in posteros per scripturae officium: et ideo dicit: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei?* scilicet quos dicturus sum de spe, quam in Deo firmavi, ne oblivione deleantur. Solent autem ea, quae atramento scribuntur, per longinquitatem temporis deleri: et ideo quando volumus aliquam scripturam in longinquum servari, non solum per modum scripturae eam describimus, sed per aliquam impressionem sive in pelle, sive in metallo, sive in lapide. Et quia illud quod sperabat, non erat in proximo futurum, sed in fine temporum reservatur implendum, ideo subdit, *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo*, quasi in impressione aliqua, facta in pelle, aut si hoc parum est, impressione facta fortiori, *In lamina plumbi:* vel si et hoc parvum videtur, *Celte sculpantur stylo ferreo in silice.* Qui sint autem hi sermones, quos tanta diligentia velit conservari, ostendit subdens: *Scio enim quod Redemptor meus vivit.* Signanter hoc per modum causae assignat: ea enim quae pro certo non habemus, non curamus mandare memoriae; et ideo signanter dicit, *Scio enim*, quia scilicet per certitudinem fidei. Est autem haec spes de gloria resurrectionis futurae, circa quam primo assignat causam, cum dicit, *Redemptor meus vivit.* Ubi considerandum, quod homo qui immortalis constitutus fuerat a Deo, mortem per peccatum incurrit, secundum illud *Rom. 5. Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors:* a quo quidem peccato per Christum redimendum erat genus humanum; quod Iob per spiritum fidei praevidebat. Redemit autem nos Christus de peccato per mortem pro nobis moriendo: non autem sic mortuus est, quod eum mors absorberet: quia etsi mortuus sit secundum humanitatem, mori tamen non potuit secundum divinitatem. Ex vita autem divinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo, secundum illud *2. ad Cor. ult. Nam et si crucifixus est ex infirmitate naturali, sed vivit ex virtute Dei.* Vita autem Christi resurgentis ad omnes homines diffundetur in resurrectione communi: unde et ibidem subdit Apostolus, *Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivimus cum eo, ex virtute Dei in nobis;* unde et Dominus dixit *Ioan. 5. Quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent: sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Est ergo primordialis causa resurrectionis humanae vita Filii Dei, quae non sumit initium ex Maria, sicut Ebionitae dixerunt, sed semper fuit, secundum Apostolum *Hebrae ult. Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula:* et ideo signanter non dicit, *Redemptor* vivet, sed *vivit*, et ex hac causa futuram resurrectionem pronunciat, tempus ipsis determinans, cum subdit, *Et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Ubi considerandum est, quod quidam ponentes motum caeli, et hunc statum mundi in aeternum duraturum, posuerunt, quod circa revolutiones annorum, redeuntibus stellis ad situs eosdem, homines mortui reparentur ad vitam; cum autem dies ex motu caeli cau-

setur, si motus caeli in aeternum durabit, nullus erit novissimus dies : et ideo ad praedictum errorem tollendum signanter dicit: *In novissimo die*, et concordat sententiae Domini, qui dicit *Ioan. 6. Ego resuscitabo eum in novissimo die.* Fuerunt alii, qui dixerunt, quod homines resurgent resumendo non terrena, sed quaedam caelestia corpora; sed ad hoc excludendum subdit, *Et rursum circumdabor pelle mea:* quod signanter dicit, quia supra dixerat, solam pellem circa ossa remansisse ; ex ipso autem modo loquendi rationem resurrectionis assignat, ne scilicet anima a proprio indumento semper remaneat denudata. Rursus fuerunt alii, qui dixerunt animam idem corpus, quod deposuerat, resumpturam, sed secundum conditionem eandem, ut scilicet indigeat cibis, et potibus, et alia opera carnalia huius vitae exerceat; sed hoc excludit subdens, *Et in carne mea videbo Deum.* Manifestum est enim, quod caro hominis secundum statum vitae praesentis corruptibilis est. *Corpus autem quod corrumpitur, aggravat animam*, ut dicitur *Sap. 9.* Et ideo nullus in hac mortali carne vivens potest videre Deum; sed caro quam anima in resurrectione resumet, eadem quidem erit per substantiam, neque corruptionem habebit ex divino munere, secundum illud Apostoli *ad Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem ;* et ideo illa caro huius conditionis erit, quod in nullo animam impediat, quin Deum possit videre, sed erit ei omnino subiecta: quod ignorans Porphirius dixit, quod anima, ad hoc quod fiat beata, omne corpus fugiendum est, quasi anima sit Deum visura, non homo; et ad hoc excludendum subdit: *Quem visurus sum ego ipse;* quasi dicat, Non solum anima mea Deum videbit, *Sed ego ipse*, qui ex anima et corpore subsisto. Et ut ostendat, quod illius visionis etiam suo modo erit particeps corpus, subiungit: *Et oculi mei conspecturi sunt:* non quia oculi corporis divinam essentiam sint visuri, sed quia oculi corporis videbunt Deum hominem factum, videbunt etiam gloriam Dei in creatura refulgentem, secundum Augustinum *in fine de civitate Dei.* Et ut idem numero, non solum specie reparandus homo credatur ad Deum videndum, subiungit, *Et non alius*, scilicet numero, scilicet ne credatur talem se vitae reparationem expectare, qualem describit Aristoteles *in 2. de generatione*, dicens quod quorumcumque substantia est corruptibilis, reiterantur eadem specie, non eadem numero. His ergo praemissis de causa resurrectionis, tempore, et modo, et gloria resurgentis, et identitate eiusdem subiungit, *Reposita est haec spes mea in sinu meo*, ad ostendendum, quod hanc spem non solum habebat in verbis, sed in corde absconditam; non dubiam, sed firmissimam ; non quasi vilem, sed quasi pretiosam: quod enim in sinu absconditur, in occulto habetur, et firmiter conservatur, et carum reputatur. Sic ergo ostensa altitudine spei suae, quam habebat de Deo, excludit eorum calumnias, quas contra eum quaerebant, quod Dei spem et amorem abiecisset, quia in temporalibus spem non ponebat; unde subdit: *Quare ergo nunc dicitis, persequamur eum ?* scilicet tanquam de Deo desperantem, vel Deum non timentem: *Et radicem verbi inveniamus contra eum*, improbando dicta mea, quasi providentiam Dei negaverim, quam non nego, sed assero, dicens, praemia et poenas a Deo praeparari hominibus etiam post hanc vitam; et ideo subdit, *Fugite ergo a facie gladii*, idest divinae ultionis in futura vita nobis reservatae, quamvis temporali prosperitate floreatis: *Quoniam ultor iniquitatum gladius est*, idest ultio, quam ipse proprie inducet post mortem: *Et scitote esse iudicium*, non solum in hac vita, sed post hanc vitam in resurrectione bonorum et malorum.

# CAPITIS VIGESIMI

## LECTIO PRIMA.

Respondens autem Sophar Naamathites dixit, Idcirco cogitationes meae variae succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. Doctrinam, qua me arguis, audiam, et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi. Hoc scio a principio, ex quo est positus homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti. Si ascenderit usque ad caelum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant dicent, ubi est? Velut somnium avolans non invenietur : transiet sicut visio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus. Filii eius atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua. Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo.

## LECTIO PRIMA.

Sophar audita sententia Iob de spe futurae vitae, acquievisse videtur : unde et post hanc secundam eius responsionem tertio nihil contradixit ; sed tamen adhuc erat aliquid in corde eius, quod a priori sententia eum non permittebat omnino recedere : putabat enim, quod etsi in futura vita fierent retributiones, et punitiones pro meritis, ut Iob dixerat, nihilominus tamen adhuc ei videbatur, quod prosperitates et adversitates huius vitae hominibus dispensarentur a Deo pro merito virtutum vel peccatorum: et ideo quasi in parte convictus, et in parte adhuc primam sententiam tenens, dicit : *Idcirco*, scilicet propter verba quae dicis de spe futurae vitae: *Cogitationes meae variae succedunt sibi.* Et ut non intelligantur huiusmodi variae cogitationes ad eandem sententiam pertinere, sicut cum aliquis eandem conclusionem per varias rationes excogitat, subdit: *Et mens in diversa rapitur*, scilicet violentia rationum, quae induci possunt pro utraque sententia, nunc ad unum, nunc ad aliud ducor, quasi non sufficiens ad contrarias rationes solvendas; videbatur enim ei, quod sententiam Iob de spe futurae vitae repudiare non deberet ; et ideo subdit, *Doctrinam, qua me arguis*,

*audiam*, credendo scilicet quod dixisti de resurrectione futura, sed tamen adhuc totaliter primam sententiam non dimitto : et hoc est quod subdit, *Et spiritus intelligentiae meae respondebit mihi ;* quasi dicat, Adhuc intellectus meus habet, quid pro sententia sua respondeat. Hoc autem videbatur ei certissimum et experimento probatum, quod mali etsi aliqua prosperitate gaudeant, tamen illa sit brevis, et cito in hac vita etiam finiatur vel per festinam mortem, vel per aliquam subsequentem adversitatem : et hoc est quod subdit, *Hoc scio a principio, ex quo est positus homo super terram ;* quasi dicat, a principio humani generis : *Quod laus impiorum brevis sit :* laudantur enim quandoque ad modicum, propter aliqua bonitatis signa, quae in eis apparent ; sed illa statim obnubilantur ex iniquis operibus, quae in eis apparent ; ideo gaudium quod habent de favore, quem capiunt ex sua simulatione in brevi pertransit : et hoc est quod subdit, *Et gaudium hypocritae ad instar puncti*, quasi in momento pertransiet : quia ex fructibus suis cognoscitur, ut dicitur *Matt.* 7. Contingit tamen quandoque, quod ex illo favore, quem brevi tempore ex sua simulatione captavit, ad aliquem alium statum sublimatus est : unde consequenter ostendit, quod nec ei stabile erit, dicens, *Si ascenderit usque in caelum superbia eius*, idest propter altum statum, quem adeptus est, in tantam ascendat superbiam, quod non reputet se caducum, quasi terrenum, sed immobilem, quasi caelestem : *Et eius caput nubes tetigerit*, ut scilicet ultra communem statum hominum promoveatur. *Quasi sterquilinium in fine perdetur*, vel propter festinam mortem, ex qua redderetur humanum cadaver vile, et abominabile quasi stercus, secundum illud *Hier. 9. Cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis ;* vel per hoc, quod eius malitia detegetur, et ab omnibus reputabitur vilis, secundum illud *Eccl. 9. Omnis mulier quae est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Eius autem superbia deiecta, stupor in cordibus hominum orietur de tam subita deiectione, et reverentia, quae habebatur ad ipsum, cessabit ; unde subdit, *Et qui eum viderant, dicent Ubi est?* vel admirantes, vel contemnentes. Et ut ostendat eius deiectionem irreparabilem esse, subdit : *Et velut somnium avolans non invenietur:* sicut enim avis faciliter avolando aufertur ab oculis hominum, ita etiam somnia de facili auferuntur a cognitione humana. Et quia eorum nullum manet vestigium vel debile, neque aliquod testimonium per quod, si perdetur, possit requiri; ideo irreparabiliter transit eius cognitio : et similiter dat intelligere, quod casus impiorum sit irrecuperabilis, et huiusmodi irrecuperabilitatis causam ostendit multiplicem, primo quidem ex parte ipsius peccatoris, qui perit ; unde dicit, *Transibit sicut visio nocturna*; quae quidem est visio phantasmatis non permanentis; et ideo postquam desierit, ad eam reditus haberi non potest. Visio autem diurna est alicuius rei permanentis; quam si aliquis videre desierit, ad eam videndam rursus recurrere potest: et similiter quandiu peccator manet, si adversitas ei adveniat, potest reparatio sperari, sed quando ipse ex hac vita transierit, nulla ulterius reparatio speratur. Secundo autem ex parte aliorum hominum ostendit causam esse irreparabilem, cum subdit : *Oculus, qui eum viderat, non videbit :* ea enim, quae ab oculis recedunt, de facili etiam a memoria transeunt : unde mortui qui subtrahuntur humanis aspectibus, de facili oblivioni traduntur: ut sic nec in memoriis hominum gloriam habeant, nec amici eius amplius auxilium praestare curant. Tertio ostendit causam irrecuperabilitatis eius, quia non potest redire ad priorem statum; unde subdit, *Nec ultra intuebitur eum locus eius:* non enim potest homo redire post mortem ad eundem modum vivendi, et non solum ipse deiicietur in propria persona transiens, et oculis hominum subtractus, proprio loco nunquam restituendus, sed etiam filii pro peccato eius punientur; unde sequitur, *Filii eius atterentur egestate*, iusto scilicet Dei iudicio : ut quia pro divitiis filiorum peccavit, in hoc etiam spe sua frustretur, filiis eius pauperibus effectis. Deinde, quasi acquiescens iam sententiae Iob, subiungit etiam de poenis futurae vitae dicens, *Et manus illius reddant ei dolorem suum*, idest pro operibus peccatorum quae fecit, dolorem patietur in poenis. Et quod ista retributio doloris sit intelligenda post mortem, apparet per hoc quod subdit, *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient;* quasi dicat, Etiam post mortem quando carnes eius in pulverem resolvuntur, solis ossibus in sepulcro remanentibus, poenam patietur pro peccatis, non solum quae in senectute, sed etiam quae in adolescentia commisit, quae est magis praeceps ad peccandum. Et causam etiam quare post mortem puniatur pro peccatis, ostendit, *Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua:* et loquitur ad similitudinem hominis dulcem cibum comedentis, qui non cito illum absorbet, sed diu tenet in ore, ut diutius delectetur; unde hanc similitudinem exponens, subdit, *Parcet illi*, scilicet malo vel peccato, quod est ei dulce, nolens illud destruere : quod quidem destrueretur deserendo ; unde sequitur, *Et non derelinquet illud.* Quare autem non relinquitur, ostendit subdens, *Et celabit in gutture suo*, idest nulli manifestabit, et propter hoc nullus ei peccatum occultum dissuadebit, nec aliquod remedium adhibebit: quod adhibetur peccata sua confitentibus. Haec est ergo causa, quare peccata alicuius puniuntur post mortem, quia ea in vita relinquere noluit.

## LECTIO II.

Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum surget, et occidet eum lingua viperae. Non videat rivos fluminis, torrentes mellis, et butyri. Luet, qui fecit omnia, nec tamen consumetur : iuxta multitudinem adinventionum suarum, et sic sustinebit. Quoniam confringens nudavit pauperis domum, rapuit, et non aedificavit eam. Nec est satiatus venter eius ; et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit. Non remansit de cibo eius, et propterea nihil permanebit de bonis eius. Cum satiatus fuerit arc-

tabitur ; aestuabit , et omnis dolor irruet super eum. Utinam impleatur venter eius, ut emittat in eum iram furoris sui , et pluat super illum bellum suum. Fugiet arma ferrea , et irruet in arcum aereum. Eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua, vadent et venient super eum horribiles. Omnes tenebrae absconditae sunt in occultis eius: devorabit eum ignis qui non succenditur; affligetur relictus in tabernaculo suo. Revelabunt caeli iniquitatem eius , et terra consurget adversus eum. Apertum erit germen domus illius , detrahetur in die furoris Dei. Haec est pars hominis impii a Deo; et haereditas verborum eius a Domino.

## LECTIO II.

Quia dixerat , quod ossa impii replenda sunt vitiis adolescentiae eius , ut scilicet pro eis puniatur post mortem; nunc de poenis eius prosequitur latius: et primo ostendit quod bona , quae in hoc mundo habuit, ei vertentur in mala : et utitur similitudine comedentis, cui cibus quandoque in malum convertitur; et hoc duobus modis , uno modo , quando cibus indigestus interius manet, et convertitur in humores venenosos; et quantum ad hoc dicit : *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus ;* quasi dicat , Sicut quandoque cibus comestus convertitur in humores venenosos, ita et bona , quae in hoc mundo habuit perseveranter usque ad mortem, convertuntur in amaritudinem mortis. Secundo cibus comestus, si digeri non potest , per vomitum extra eiicitur cum abominatione et dolore: ita quandoque etiam contingit, quod homines peccatores bona temporalia quae in hoc mundo acquirunt , quia eis bene non utuntur , quasi indigesta divino iudicio cum dolore amittunt ; unde subdit , *Divitias quas devoravit* , idest rapaciter acquisivit: *Evomet*, idest cum abominatione perdet: *Et de ventre eius* , idest de eius dominio : *Extrahet eas Deus :* quia scilicet divino iudicio per quandam violentiam ei auferentur : nec solum bona, quae habuit, ei vertentur in malum , sed etiam ab inimicis mala patietur et facto et verbo : et ideo duo exempla ponit, primum quidem de aspide, quae mordendo interficit; unde dicit, *Caput aspidis surget*, scilicet contra eum ad eum mordendum, per quod significatur aliquis malefactorum princeps , vel etiam diabolus eum invadens. Secundum exemplum ponit de vipera , quae lingua sua venena diffundit ; unde sequitur, *Et occidet eum lingua viperae :* per quam intelligitur quodcumque nocumentum proveniens ex lingua hominis , quasi venenum ex lingua viperae. Deinde subiungit poenam ex privatione bonorum, *Non videat rivos fluminis, torrentes mellis, et butyri.* Mel autem et butyrum in hoc conveniunt , quod utrumque suave est ad edendum; sed mel officio apum ex floribus colligitur, butyrum autem ministerio hominum ex lacte domesticorum sumitur ; unde per mel potest significari quodcumque bonum delectabile , proveniens absque industria hominum; per butyrum autem designatur aliquod bonum delectans ex studio humano proveniens ; torrens autem subito et ex insperato superveniens in flumine abundantiam designat propter aquarum multitudinem ; in rivulis autem distributio bonorum designatur: non enim omnes omnia habent neque temporalia , neque spiritualia bona , sed quidam haec , quidam illa. Datur ergo intelligi quod bonis secundum Sophar sententiam suavitas bonorum proveniat abundanter et ex insperato , tum ex humano ministerio , tum ex providentia divina sine humana industria, secundum tamen quandam ordinatam distributionem : qua quidem distributione privandum asserit peccatorem. Et quia quandoque ex multitudine poenarum homo deficit, ut ulterius poenas sustinere non possit, subiungit quod peccator quamvis in hac vita multipliciter puniatur, tamen ulterius reservatur ad poenas futurae vitae; unde sequitur: *Luet, quae fecit omnia*, idest pro singulis peccatis suis poenam patietur: *Nec tamen consumetur* , scilicet secundum animam , quae futuris poenis reservatur. Consequenter ostendit convenientiam poenarum ad culpas, cum subdit: *Iuxta multitudinem adinventionum suarum*, idest peccatorum, quae solicite excogitat: *Sic et sustinebit*, scilicet quia poena per quandam convenientiam culpae respondebit. Et post hoc manifestat quantum ad culpam rapacitatis , in qua duo per ordinem ponit , quorum primum est violenta depraedatio: quod significat subdens : *Quoniam confringens nudavit pauperes ;* in confractione quidem violentiam significans , in nudatione rapinam. Secundo ponit restitutionis negligentiam; et quantum ad hoc subdit: *Domum rapuit , et non aedificavit eam;* quasi dicat , Ea quae de domo rapuit , vel quae in domo confringendo destruxit , recompensare neglexit. Huic autem culpae convenientem poenam subiungit, dicens, *Nec est satiatus venter eius;* quasi dicat, Quia nudavit domum pauperis, eum de bonis suis satiari non sinens , ideo appetitus eius non est satiatus, nec de bonis quae iure possidet, neque de iis, quae iniuste acquisivit : quia , sicut dicitur *Eccl. 5. avarus non implebitur pecunia: et qui amat divitias , fructum non capiet ab eis:* et quantum ad hoc subdit, *Et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit* , quia vel ipse subtrahetur eis , vel illa subtrahuntur ei; et hoc conveniens est, ut quia ea quae rapuit , sponte restituere noluit , ea invitus amittat. Deinde manifestat idem in culpa voracitatis, quam ponit subdens, *Non remansit de cibo eius*, quia scilicet quidquid habuit , in suos usus convertit, nec in aliorum necessitatem reservans , subiungit convenientem poenam dicens, *Propterea nihil permanebit de bonis eius*, scilicet ei, quia omnia possidet; et hoc est conveniens poena quantum ad hoc quod de bonis suis aliis noluit reservare , unde iustum est , ut ei nihil reservetur. Quantum vero ad hoc quod superflua in suos usus consumpsit , subiungit aliam convenientem poenam dicens, *Cum satiatus fuerit arctabitur*, et loquitur ad similitudinem hominis qui nimis comedit , cuius viscera arctantur ex nimio cibo compressa; per quod significatur , quod homo qui superflua sibi acquisivit , arctationem quandam patietur , non valens omnia acquisita recte disponere, sicut patet *Luc. 12.* de divite cuius ager uberes fructus protulit, quod voluit horrea sua destruere , ut faceret ampliora. Ex arctatione viscerum sequitur inordinatus calor, et an-

xietas ; unde subdit ; *Et aestuabit :* et similiter illi, qui multa sibi immoderate congregant, multa solicitudine affliguntur. Demum ex superfluo cibo ad omnia membra solet dolor pervenire ; unde subdit : *Et omnis dolor irruet in eum :* similiter etiam iis qui superflua congregaverunt , multiplex dolor exoritur , dum in pluribus dispendia patiuntur. Considerans ergo Sophar , quod saturitas impii est ei nociva , quasi ex zelo iustitiae , optat ei saturitatem bonorum temporalium , ut poenam patiatur ; unde sequitur, *Utinam impleatur venter eius,* scilicet abundantia temporalium bonorum: *Ut emittam in eum* , scilicet Deus : *Iram furoris sui* , idest vindictam sine misericordia; et modum irae ostendit, subdens: *Et pluat super eum bellum suum ;* et in hoc quod dicit , *Pluat* , designat malorum abundantiam ; et in hoc quod dicit , *Super illum,* idest super viros peccatores, designat impotentiam resistendi ; in hoc autem quod dicit , *Bellum suum* , ostendit quod mala non inferuntur ei ad correctionem per modum disciplinae qua pater castigat filium , sed per modum exterminii , quo hostes perduntur ; unde subdit , *Fugiet arma ferrea* , idest poenas praesentis vitae impatienter eas sustinendo, quae ad modum gladii ferrei feriunt de propinquo: *Et irruet in arcum aereum,* idest in poenas futurae vitae, quae quasi feriunt a remotis ad modum arcus aerei, qui est infrangibilis, ut futurarum poenarum interminabilitas designetur. Exponit autem consequenter huius arcus processum dicens, *Eductus, et egrediens de vagina sua* , supple est arcus ille: quamdiu enim arcus est in vagina, non percutit, et similiter ultio futurae damnationis quamdiu est in Dei praesentia, quasi in quadam vagina non damnat, sed educitur de hac vagina per malitiam provocantem Deum , et tunc egreditur per dispositionem divinam, et eius effectum ostendit , subdens : *Et fulgurans in amaritudine sua:* sicut enim fulgur de supernis , et subito , et cum violentia et claritate venit, ita illa ultio infertur peccatori a Deo ex improviso, cum tanta violentia quod resisti non poterit , et cum tanta claritate iustitiae , quod excusationi locus non erit ; et ex hoc peccator replebitur amaritudine. Deinde poenas ultionis explicat per partes ; et primo quantum ad hoc quod sub potestate daemonum tradetur: et quantum ad hoc subdit , *Vadent , et venient super eum horribiles* , idest liberam potestatem accipient super eum daemones. Deinde ponit poenam damni, cum subdit, *Omnes tenebrae absconditae sunt in oculis eius* , quia scilicet perfectas tenebras exteriores et interiores patietur , elongatus a claritate Dei; quod quidem in occulto dicit esse: quia sicut sanctorum claritas in hac vita nobis occulta est , ita et tenebrositas impiorum. Deinde ponit poenam sensus cum dicit , *Devorabit eum* : non quidem consumendo , sed sua afflictione absorbendo : *Ignis* , scilicet gehennae : *Qui non succenditur* , scilicet humano studio , sed divina virtute, secundum illud *Isa.* 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* In his autem poenis nullum auxilium sibi aderit ; unde subdit : *Affligetur relictus in tabernaculo suo,* ex hoc , quod relinquitur sine auxilio in loco poenarum sibi deputato. Positis ergo poenis, quas in seipso patietur, subiungit poenas quae pertinent ad ipsum , secundum quod post mortem remanet in hac vita ; et primo quidem quantum ad hoc quod remanet in memoriis hominum , dicens : *Revelabunt caeli iniquitatem eius* , idest caelesti virtute fiet , quod iniquitas eius reveletur post mortem, quae latebat in vita: *Et terra consurget adversus eum :* quia manifesta eius iniquitate, homines terreni etiam contra mortuum turbabuntur, qui forte vivum reverebantur. Deinde ponit poenam eius, quantum ad hoc , quod remanet in filiis, cum dicit, *Apertum erit germen domus illius* , idest filii eius expositi erunt tribulationibus ; et hoc germen , *Detrahetur* , scilicet de hac vita: *In die furoris Domini* , idest in die vindictae divinae. Quamvis possit et hoc ad finale iudicium referri , in quo sancti revelabunt iniquitatem peccatoris, et totus mundus pugnabit contra insensatos. *Et germina,* idest opera peccati manifestabuntur , et tandem impius detrahetur in infernum. Deinde epilogando subdit: *Haec est pars impii a Deo,* idest quam sibi acquisivit pravis verbis et operibus : *Et haereditas verborum eius a Domino* , idest quam sibi acquisivit pravis sermonibus. Considerandum, quod inter praemissa praesentibus poenis futuras commiscuit.

## CAPITIS VIGESIMIPRIMI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob dixit : Audite quaeso sermones meos , et agite poenitentiam. Sustinete me, ut et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete. Nunquid contra hominem disputatio mea est , ut merito non debeam contristari? Attendite me, et obstupescite, et superponite digitum ori vestro. Et ego quando recordatus fuero pertimesco, et concutit carnem meam tremor. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securae sunt et pacatae; et non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, et non abortivit, vacca peperit, et non est privata faetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum et citharam , et gaudet ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos , et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo , Recede a nobis: et scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens , ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? Veruntamen , quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me. Quoties lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui. Erunt sicut paleae ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit. Deus servabit filiis illius dolorem patris: et cum reddiderit , tunc sciet. Videbunt oculi eius interfectionem suam , et de furore omnipotentis

libet. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? et si numerus mensium eius dimidietur?

## LECTIO PRIMA.

Quia Sophar in praemissis verbis quantum ad aliquid iam sententiae Iob consenserat, ut poneret peccata puniri post mortem, quamvis adhuc in hoc suam sententiam retineret, quod etiam in vita ista peccata temporaliter puniuntur, erectus fuit Iob in specie convertendi eos totaliter ad veram sententiam; et ideo primo humiliter inducit eos ad attentionem, cum dicit, *Audite, quaeso, sermones meos.* Et quia hactenus cum quadam irrisione eius verba audierant, subdit, *Et agite poenitentiam*, scilicet de hoc, quod verba mea irrisistis, vel quia veritati condixistis. Et quia omnes bis locuti estis: *Sustinete me, ut et ego loquar*, respondebo scilicet ad ea quae ultimo proposita sunt. Et ne antequam audirent, iudicium condemnationis proferant, subdit, *Et post mea, si videbitur, verba ridete;* quasi dicat, Si iudicatis meam hanc sententiam derisibilem esse, prius tamen meam responsionem audiatis: quae si vobis non satisfaciat, postea poteritis iustius ridere. Et ne videantur eius verba despicienda fore, ostendit, quod de magnis locuturus est, scilicet de divinis iudiciis, non de humanis; unde subdit, *Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari;* quasi dicat, Si ad hoc tenderet meae disputationis intentio, ut inquirerem, an aliquis homo iuste vel iniuste me afflixerit, qualitercumque accidisset, merito tristitia carerem, sed disputatio mea tendit ad inquirendum quomodo hoc iusto Dei iudicio acciderit. Et quia de magna re est ista disputatio, ideo audienda est attente; unde dicit, *Attendite me.* Est autem audienda non leviter, et cum irrisione, sed magis graviter, et cum stupore; unde subdit, *Et obstupescite.* Est autem audienda silenter et sine mussitatione; unde subdit, *Et superponite digitum ori vestro.* Et ne videatur hoc iactanter dicere, quasi ad deferendum honorem suae auctoritati, ostendit se etiam in altitudine huius quaestionis stupere; unde subdit, *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco*, ne scilicet in tanta quaestione in aliquo a veritate deficiam, aut irreverenter de divinis iudiciis loquar. Timor autem iste non sistit in mente, sed pervenit usque ad carnem; unde subdit, *Et concutit carnem meam tremor:* ex vehementi enim passione etiam caro immutatur, quibus praemissis sufficientibus ad attentionem excitandam, procedit ad quaestionem. Et quia Sophar dixerat, quod prosperitates malorum, si quae sint, brevi tempore finiuntur, et bona in malum eius vertuntur; ideo improbat, dicens: *Quare ergo impii vivunt*, scilicet diu; quasi dicat, Si impius velut avis volans, et velut visio nocturna cito transit; unde est, quod multi impii habent vitae diuturnitatem. Item, si hypocritae gaudium est ad instar puncti, et eius ascensus cito deiicietur: *Quare sublevati sunt*, idest in honoribus promoti. Item si divitias quas devoravit, evomit: *Quare sublevati sunt confortatique divitiis*, idest quare eorum divitiae sunt eis confirmatae? contra hoc etiam quod dixerat, *Filii eius atterentur egestate*, dicit, *Semen eorum permanet coram eis*, idest filii, eis videntibus, perseverent: et idem subiungit de aliis personis coniunctis, dicens, *Propinquorum turba, et nepotum in conspectu eorum:* per quod duplicem prosperitatem designat, quia nec eorum propinqui subtrahuntur per mortem; quod significat in hoc, quod dicit, *Coram eis, et in conspectu eorum.* Deinde prosequitur per partes praemissam prosperitatem impiorum: primo quidem, quantum ad ipsos, praemittens immunitatem a malo, cum dicit: *Domus eorum*, idest familiae eorum cum necessariis rebus: *Securae sunt*, scilicet ab insultu hostium: *Et pacatae*, idest carentes interna dissensione, et etiam immunes sunt a divino flagello: et quantum ad hoc subdit, *Et non est virga Dei supra illos:* quia scilicet pro peccatis suis non corriguntur in hac vita; et subiungit de multiplicatione bonorum: quia scilicet bona eorum non sunt sterilia, nec fructu suo privantur: et hoc manifestat in specie bovum, qui apud antiquos acceptissimi erant, propter agriculturam; unde dicit, *Bos eorum et vacca concepit*, secundum quod tollitur sterilitas. Est autem conceptio primum in fructificatione animalium. Secundum est formatio faetus concepti in ventre, et productio ad perfectum, quod impeditur per abortum; et quantum ad hoc dicit, *Et non abortivit.* Tertium autem est partus; et quantum ad hoc dicit, *Vacca peperit*, idem significans nomine bovis et vaccae: et utitur utroque, vel propter ornatum sermonis, vel necessitatem metri. Quartum autem est educatio prolis: et quantum ad hoc subdit, *Et non est privata fastu suo*, morte scilicet praeoccupante. Consequenter autem subdit de prosperitate, quantum ad filios; circa quod primo ponit prolis multitudinem, cum dicit, *Egrediuntur*, scilicet in plateis ambulantes, non praeventi morte, *Quasi greges parvuli eorum*, scilicet in multitudine et mutua concordia. Secundo ponit eorum incolumitatem, cum subdit, *Et infantes eorum exultant lusibus;* quasi dicat, gemunt infirmitatibus. Tertio ponit eorum disciplinam, qua apud antiquos liberi instruebantur in musicis; unde dicit, *Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi*, quasi instructi: ad quod ipsi convenienter musica utantur, et alios audiendo prudenter iudicent. Sed ne aliquis dicat, quod haec eorum prosperitas modicum durat ad instar puncti, contra hoc subdit: *Ducunt in bonis dies suos;* quasi dicat, Omnes dies vitae suae in prosperitate peragunt. Necesse est autem ex communi conditione quod finaliter sentiant mortem, sed tamen hanc patiuntur absque praecedenti angustia; unde subdit, *Et in puncto ad inferna descendunt*, idest in mortem: omnes enim antiqui ante Redemptoris adventum, de quo supra locutus fuerat, ad inferna descendebant; sed quidam adversitatibus pressi in via, non subito, sed per multas amaritudines ad inferna descendebant, sicut Iacob dixit *Gen. 37. Descendam ad filium meum, lugens in infernum.* Sed illi qui prosperitate vigent usque ad mortem, quasi in puncto usque ad inferna descendunt. Posset autem responderi, quod impii inter multa mala quae faciunt, meruerunt a Deo prosperitatem terrenam eum amando, vel cognoscendo, vel ei quibuscunque operibus serviendo, vel saltem bona temporalia ab ipso petendo; sed hoc excludit subdens, *Qui dixerunt Deo*, scilicet ex corde proposito, quasi ex certa malitia peccante: *Recede a nobis:* quod pertinet ad defectum a-

moris: *Scientiam viarum tuarum nolumus:* quod pertinet ad defectum cognitionis per ignorantiam affectatam. Viae autem domini dicuntur praecepta et iudicia eius, quibus ab ipso disponimur : *Quis est omnipotens , ut serviamus ei ?* quod pertinet ad defectum bonorum operum provenientem ex Dei contemptu. *Et quid nobis prodest si adoraverimus eum?* quod pertinet ad contemptum petitionis propter defectum spei. Sic ergo evidentissime confutavit eorum sententiam , ostendens quod prosperitas temporalis non semper est praemium virtutis: nec adversitas temporalis est poena peccati, quia impii frequenter prosperantur in hac vita, nihil boni merentes a Deo. Et cum hic nullas graves adversitates patiuntur, posset aliquis obiicere, si malis prospera eveniunt, et adversitatibus carent; ergo nulla est ratio a malitia declinandi; unde *Eccl. 9.* dicitur: *Eadem cunctis eveniunt:* unde et corda filiorum hominum implentur malitia. Sed huic obiectioni respondet dicens , *Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.* Circa quod sciendum est , quod in manu hominis, idest in potestate ipsius sunt quaedam bona , scilicet voluntaria virtutum opera, quorum est dominus per liberum arbitrium, gratia Dei iuvante: et ideo huiusmodi bona semper possunt retinere virtuosi quamdiu volunt : propter hoc consilium sectandi huiusmodi bona est acceptandum. Sed bona temporalis prosperitatis non sunt in potestate habentium, ut possint ea acquirere , vel retinere cum velint. Et ideo abiiciendum est eorum consilium, quo Deum, et iustitiam contemnunt , ut prospere vivant , quia per hoc non possunt assequi, quod intendunt , sed quandoque adversitatibus premuntur. Est autem considerandum ulterius, quod adversitas impii gravior est quam iusti, qui si adversitatem patitur temporalem , remanet ei fulcimentum virtutis, et consolatio in Deo; unde non totaliter dissipantur, sed malis, amissis temporalibus bonis , quae sola sibi quaesierunt , nullum remanet fulcimentum ; unde subditur : *Quoties lucerna*, idest prosperitas, *impiorum extinguetur* , idest finitur: *Et supervenient eis*, divino iudicio, *inundatio*, idest gravis tempestas adversitatis: *Et quoties Deus dividit*, idest sub certa mensura distribuit: *Dolores*, idest afflictiones aliquas: *Furoris sui*, idest ex eius furore provenientes: *Erunt*, impii , *sicut paleae ante faciem venti* , quae scilicet propter levitatem resistere non possunt vento: *Et sicut favilla*, quae scilicet remanet ligno combusto: *Quam turbo dispergit*, quia scilicet non habet humorem ut simul se teneat. Etiam impii, adveniente adversitate resistere non possunt, quia carent fulcimento divinae spei , et per diversas cogitationes disperguntur carentes humore virtutis. Et post hoc subdit de adversitate quantum ad filios , cum dicit : *Deus servabit filiis illius dolorem patris*, quia peccata patris pertingunt usque ad filios imitatores paternae malitiae : nec differtur hoc usque post mortem patris, sed vivente et cognoscente patre hoc erit; unde subdit, *Et cum reddiderit* , scilicet Deus poenam filiis: *Tunc sciet*, scilicet pater; unde subdit, *Videbunt oculi eius interfectionem suam*, idest filiorum suorum, vel quamcunque adversitatem, et in hoc ipso: *De furore omnipotentis bibet* , quia hoc ipsum pertinet ad poenam patris, quod filii, eo vivente, puniuntur, non autem si punirentur post eius mortem; unde subdit: *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se?* idest non affligeretur a futuris infortuniis posterorum , et maxime cum peccator post mortem hoc ignoret, sicut *supra 14.* dictum est, *Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget, aut quid pertinet ad eum.* Si numerus mensium eius dividitur, non potest de hoc dolere in vita, quia haec ignorabat futura.

## LECTIO II.

Nunquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat? Iste moritur robustus et sanus, dives et felix. Viscera eius plena sunt adipe , et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animae suae absque ullis opibus. Et tamen simul in pulvere dormient , et vermes operient eos. Certe novi cogitationes vestras , et sententias contra me iniquas. Dicit enim: Ubi est domus principis ? et ubi tabernacula impiorum ? Interrogate quemlibet de viatoribus , et haec eadem intelligere cognoscetis. Quia in diem perditionis servatur malus , et ad diem furoris ducetur. Quis arguet coram eo vias eius? et quae fecit quis reddet illi? Ipse ad sepulcra in congerie mortuorum vigilabit. Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

## LECTIO II.

Quia supra Iob proposuerat , quod impiis in hac vita , quandoque prospera , quandoque adversa adveniunt, quod facit homines dubitare; ideo ad huiusmodi dubitationis solutionem accedens praemittit , quod hoc non provenit ex defectu divinae scientiae , quasi eum lateat malitia eorum , quibus prospere succedit; ideo dicit : *Nunquid Deum docebit quispiam scientiam*; quasi dicat, Nihil indiget, ut ab aliquo instruatur de meritis hominum, ut sciat quibus prospera, et quibus adversa reddat. Quod autem subdit , *Qui excelsos iudicat*, potest dupliciter intelligi ; uno modo , ut sit sensus , quod Deus non indiget instructione alicuius ad hoc , quod possit excelsos iudicare , idest eos, qui prosperantur in hoc mundo , sicut in rebus humanis indigent iudices instrui per testes de meritis iudicandorum. Alio modo potest intelligi, ut inducatur quasi probatio praecedentis; quod enim Deus omnia sciat, et quod ob hoc ab aliis instrui non indigeat ; patet per hoc quod ipse habet iudicium super quemcunque excelsum. Nullus autem iudicat, quae ignorat; unde non potest esse, quod alicuius, quantumcunque excelsi , scientia lateat ipsum. Praemissa igitur sufficientia divinae scientiae, subdit dubitationis materiam, quae potest accidere super diversa humanarum rerum dispositione , in qua quidam prosperantur usque ad mortem, quidam vero in miseria moriuntur. Consistit autem temporalis prosperitas , primo quidem in potestate ; et quantum ad hoc subdit , *Iste moritur ro-*

*bustus*. Secundo in corporis sanitate ; et quantum ad hoc subdit , *Et sanus*. Tertio in exteriorum rerum opulentia ; et quantum ad hoc subdit , *Dives*. Quarto in consiliorum et operum prospero successu ; et quantum ad hoc subdit, *Felix*: dicitur enim felix apud quosdam, cui omnia succedunt ad votum. Ut autem non solum divitias sufficientes, sed etiam superabundantes significet , subdit, *Viscera eius plena sunt adipe:* adeps enim propter superabundantiam nutrimenti generatur. Et ut rursus ostendat eius potentiam multiplicibus auxiliis suffultam , subdit , *Et medullis ossa illius irrigantur :* per ossa enim fortitudo designatur , quorum robur nutrimento medullarum sustentatur. Subiungit autem de aliorum adversitate dicens: *Alius vero moritur in amaritudine animae suae*, quod scilicet pertinet ad interiores dolores, quos homines concipiunt vel de corporalibus nocumentis, vel etiam ex infortunatis eventibus. Addit autem , *Absque ullis opibus*, ad designandum exteriorum rerum defectum. Sed tamen, cum sic diversificentur in vita cum aequalitate meritorum , non potest dici , quod saltem in iis quae sunt post mortem diversa, ad corpus pertinentia, eorum sors commutetur: aequaliter enim eorum corpora disponuntur post mortem; unde subdit , *Et tamen simul in pulvere dormient*, idest aequaliter in terra sepelientur: *Et vermes operient eos*, idest aequaliter eorum corpora putrescent. Unde patet, quod non potest assignari ratio differentiae, quae est inter homines, secundum prosperitatem et adversitatem in iis, quae sunt aequalis meriti vel demeriti, ex diversa corporum dispositione post mortem. Erat autem opinio amicorum Iob, quod ratio praedictae diversitatis esset ex diversitate meritorum : quod est contra id, quod experimento apparet de hoc, quod impiorum quidam prosperantur , quidam adversa patiuntur: unde quasi iam improbatam eorum opinionem vituperando commemorat, cum subdit, *Certe novi cogitationes vestras*, quibus scilicet Iob temerarie condemnabant ; *Et sententias ?* scilicet exterioribus verbis prolatas : *Contra me iniquas* , quia scilicet iniquae impietatis me arguitis ex adversis quae patior; unde subdit: *Dicitis enim, ubi est domus principis, et ubi sunt tabernacula impiorum ?* quasi dicat , Tu simul cum familia tua ex altitudine tanti principatus cecidisti , sicut solent deficere tabernacula impiorum. Sic igitur per ea, quae supra dixerat ostensa iniquitate sui, et ipsorum, accedit ad determinandum veritatem: et praemittit hoc, quod dicturus est, non esse novum , sed apud multos divulgatum : subdit enim , *Interrogate quemlibet de viatoribus;* quasi dicat , Non oportet me cum magno studio testimonium quaerere, quia haberi poterit a quibuscunque transeuntibus per viam. Vel viatores dicit eos, qui hac vita utuntur, non ut termino, sed ut via: *Et haec eadem illum intelligere cognoscetis*, quae scilicet dicturus sum vobis, unde inexcusabiles estis, quia a veritate receditis quam omnes communiter tenent : quam quidem veritatem exponit subdens , *Quia in diem perditionis servatur malus ;* quasi dicat, Quod in hac vita non punitur malus, sed prosperatur, hoc ideo est, quia reservatur eius punitio in aliud tempus , quando gravius punietur ; unde subdit, *Ad diem furoris ducitur:* quia enim furor est ira accensa, nomine furoris acrior vindicta significatur. Quare autem ad diem perditionis furoris servetur, ostendit subdens, *Quis arguet coram eo viam eius, et quae fecit, quis reddet illi ?* Ubi duas rationes assignare videtur , quarum prima est , quia in tantum est sapientiae imperceptibilis, ut nec per poenas erudiretur ut suam cognosceret culpam, sed inter flagella murmuraret, quasi punitus iniuste: et hoc est quod dicit , *Quis arguet coram eo*, idest ut ipse recognoscat: *Viam eius?* scilicet iniquam. Alia ratio est, quia poenae huius vitae non sunt sufficientes ad tantarum culparum punitionem: quia si acerbae sunt , cito interimunt: et hoc est quod dicit, *Et quae fecit , quis reddet illi ?* scilicet in hac vita : et ideo quasi concludit, quod dies perditionis et furoris non est in hac vita, sed post mortem : subdit enim ipse , *Ad sepulcrum deiicietur* , idest mortuus secundum animam vivet : et hoc est quod subdit , *Et in congerie mortuorum vigilabit:* quia scilicet licet videatur dormire per corporis mortem, vigilabit tamen per animae vitam. Et ne videatur post mortem transire ad gaudium, subdit: *Dulcis fuit glareis Cocyti*: quia enim testimonium viatorum invocavit , veritatem de poenis malorum post mortem proponit sub fabula, quae vulgariter ferebatur, quia scilicet in inferno inter alios esset quidam fluvius nomine Cocytus, qui interpretatur luctus , quo animae malorum perducuntur : et sicut alii fluvii trahunt glareas , ita ille fluvius quodammodo involvebat animas impiorum. Dicitur ergo impiis dulcis fuisse glareis Cocyti: quia eius conversatio acceptabilis fuit malis : et ideo inter malos qui sunt in luctu locum habebit. Effectum autem huius fluvii quantum ad homines subdit, *Et post se omnem hominem trahit* , quasi scilicet omnes homines cum quodam luctu moriuntur : quod enim est post mortem , est quasi postremum huius fluvii , cuius anterius est quod in hac vita agitur; et ideo subdit, *Et ante se innumerabiles* , quia scilicet etiam plurimos in hac vita praeoccupat luctus. Sic igitur Iob per ordinem suam sententiam explicavit, primo quidem *supra 19.* ostendens spem iustorum tendere in remunerationem futurae vitae; hic autem exprimit, poenam reservari malis post mortem ; et ideo ex utraque parte confutata adversariorum sententia subdit: *Quomodo ergo consolamini me frustra?* scilicet promittendo temporalem prosperitatem: *Cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati*, in hoc quod dicitis , hominibus deputari praemium et poenas in hac vita, quod supra multipliciter est improbatum.

## CAPITIS VIGESIMISECUNDI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit , Nunquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae ? Quid prodest Deo , si iustus fueris ? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? Nunquid timens arguet te, et veniet tecum in iudicium. Et non propter malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas? Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa , et

nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem, fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas terram. Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti. Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita. Et putabas te tenebris non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressurum iri. An cogitas quod Deus excelsior caelo sit, et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, et circa cardines caeli perambulat.

## LECTIO PRIMA.

Finitis sermonibus beati Iob Eliphaz eius verba, non ea intentione, qua dicebantur, accepit; primo namque quod Iob dixerat ad ostendendum altitudinem materiae, *Nunquid contra hominem disputatio mea?* Eliphaz sic accepit dictum, ac si contentiose cum Deo disputare intenderet; unde eum praesumptionis arguit ex triplici consideratione: primo namque aliquis provocatur ad disputandum, vel contendendum cum aliquo, quando videt eum comparabilem sibi in scientia veritatis, ut ex mutua collocutione aliquod occultum indagetur. Est autem valde praesumptuosum, quod homo suam scientiam divinae audeat comparare; unde dicit, *Nunquid Deo comparari potest homo, etiam cum perfectae fuerit scientiae?* quasi dicat, non, eo quod Dei scientia sit infinita. Secundo provocatur aliquis ad disputandum vel ratiocinandum cum aliquo propter aliqua, quae ab eo accepit, ut fiat collatio datorum et acceptorum. Est autem praesumptuosum, quod homo putet bona quae facit, esse Deo utilia; unde et *Psal. 15.* dicitur, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* unde subdit, *Quid prodest Deo, si iustus fueris*, scilicet recta opera faciendo: *Aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* scilicet a peccatis abstinendo. Tertio provocatur aliquis ad hoc, quod iudicio contendat cum aliquo, propter timorem superioris potestatis, eum in iudicium vocantis, quod nefas est de Deo cogitare; unde subdit: *Nunquid timens*, scilicet aliquem iudicem: *Arguet te*, scilicet accusando? *Et veniet tecum ad iudicium*, quasi de pari citatus. Deinde quia Iob dixerat, iniquas esse eorum sententias, qui dicebant domum eius periisse, sicut tabernacula impiorum, intendit ostendere suam sententiam rectam esse, cum subdit: *Et non propter malitiam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas;* quasi dicat, Deus arguit poenas infligendo, non propter timorem, sed propter amorem iustitiae, ut puniat tua peccata; unde malitia potest referri ad peccata, quibus alios laesit; iniquitas autem ad peccata, quibus iustitiae opera praetermisit: unde malitiam dicit plurimam; sed iniquitates infinitas, quia in pluribus peccat homo omittendo, quam committendo: unde subiungit primo de nocumentis proximo illatis, quae quandoque per calumniam inferuntur sub praetextu iustitiae; unde subdit: *Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa*, scilicet necessaria, quia de fratribus tuis sine pignore confidere poteras. Quandoque autem inferuntur nocumenta sine aliquo colore iustitiae; et quantum ad hoc subdit: *Et nudos spoliasti vestibus:* quod potest intelligi dupliciter, uno modo, quia spoliando nudos reliquisti, nihil ei reservans; alio modo, quia cum essent nudi, idest non sufficienter vestiti, illud modicum quod habebant, eis subtraxisti. Subiungit autem de omissione bonorum operum dicens: *Aquam lasso non dedisti*, qui scilicet ea indigebat propter sitim ex labore viae exortam; quasi dicat, Laborantibus et afflictis opem et solatium non tulisti: *Et esurienti subtraxisti panem;* quasi dicat, Indigenti non subvenisti: et haec quidem dicta sunt quantum ad peccata, quae commisit, sicut privata persona; subiungit autem de peccatis pertinentibus ad principatum ipsius, inter quae primo ponit quod principatum non per iustitiam, sed per violentiam obtinuit; unde dicit: *In fortitudine brachii tui possidebas terram*, idest per potentiam tuam dominium terrae acquisivisti. Secundo ponit quod subditos non gubernabat per iustitiam, sed per potentiam, secundum illud *Sap. 2. Sit fortitudo nostra lex iniustitiae;* unde subdit: *Et potentissimus obtinebas eam*, quia scilicet per excellentiam potestatis subditis utebaris ad nutum. Tertio ponit iniqua iudicia, quia scilicet infimis personis iustitiam non reddebat; unde subdit, *Viduas dimisisti vacuas*, scilicet dum non fecisti eis iustitiam de adversariis, secundum illud *Psa. 1. Causa viduae non ingreditur ad eos:* et iterum, quod amplius est, infimas personas opprimebat; unde subdit: *Et lacertos pupillorum comminuisti;* quasi dicat, Si quod iurium in eis erat, annullasti, contra illud, quod dicit in praeiudicare pupillo, et humili, et pro his culpis subdit sibi poenas provenisse; unde subdit: *Propterea circumdatus es laqueis*, idest adversitatibus undique te opprimentibus, ut evasioni locus non pateat, postquam in eos incidisti, neque etiam ante potueras, quia subito tibi supervenerant; unde subdit: *Exturbat te fortitudo subitanea*, quia scilicet mala ei subito supervenerant, ex quibus poterat etiam alia timere. Causam autem quare subito ei supervenerunt, ostendit subdens: *Et putabas te tenebras non visurum*, idest non perventurum ad has turbationes in quibus nescio quid facias, quod refertur ad laqueos, Deinde quantum ad fortitudinem conturbantem subdit: *Et impetu aquarum inundantium non oppressurum iri;* quasi dicat, Putabas quod nunquam ad hoc pervenires, quod opprimereris violentia et multitudine adversitatum in te supervenientium, secundum illud *1. ad Thessa. 5. Cum dixerint, Pax et securitas, repentinus eis superveniet interitus.* Quod autem pro peccatis non putet aliquis se poenas passurum, ad hoc pertinet, quod non credit Deum de rebus humanis providentiam habere, ad quod forte voluit retorquere, quod Iob dixerat, *Nunquid Deum docebit quisquam scientiam.* Ad defectum scientiae divinae prave interpretatus est, et ideo videtur ei consequenter imponere quod Dei providentiam neget. Est autem considerandum, quod aliqui negant Deum habere cognitionem, et providentiam rerum humanarum propter altitudinem suae substantiae, cui proportionari dicunt suam scientiam, ita ut nihil sciat nisi seipsum, putantes

quod scientia eius vilesceret, si se ad inferiora extenderet; unde subdit: *An cogitas quod Deus excelsior caelo sit*, idest tota universitate creaturarum: *Et super stellarum verticem sublimetur?* idest super altissimam creaturarum; et huius cogitationis conclusionem subdit, *Et dicis, quid enim novit Deus*, scilicet de istis inferioribus rebus; non tamen quod huiusmodi homines rerum cognitionem Deo totaliter subtrahunt, sed dicunt quod eas cognoscit in universali, cognoscendo naturam entis, vel universales causas; unde subdit: *Et quasi per caliginem iudicat:* cognoscere enim aliquid solum in universali, est cognoscere imperfecte; et ideo huiusmodi cognitionem vocat quasi caliginosam, sicut contingit de eo quod a remotis videtur quasi caliginose, quia percipitur esse homo, sed non quis homo sit: et adhibet similitudinem de iis, quae apud homines contingunt, apud quos, qui in aliquo loco latet, sicut non videtur ab iis, qui extra locum sunt, ita nec eos videt; unde dicit: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat;* quasi dicat, Sicut ipse latet nos, quasi nubibus occultatus, inquantum ea quae supra nubes sunt plene cognoscere non valemus, ita e contrario nec ipse ea quae ad nos pertinent quasi sub nubibus existentia, ipse non videt, sicut *Ezec.* 9. ex persona quorundam dicitur, *Dereliquit Dominus terram, Dominus non videt:* putabat enim quod quia in terris sunt, multis defectis et inordinationibus subiacent, divina providentia non reguntur, sed solum caelestia quorum ordo indeficiens perseverat; unde sequitur, *Et circa cardines caeli perambulat.* Dicitur autem cardo in quo volvitur ostium: unde per hoc designat per Dei providentiam caelum moveri, ex cuius motu sicut ex quodam ostio, providentia divina usque ad haec inferiora descendat: sicut enim dicunt quod Deus cognoscit humana, sed in universali, ita dicunt quod gubernat humana, sed per universales causas, quas per se gubernat; et forte ad hoc referre voluit, quod supra dixerat Iob, *Qui excelsos iudicat.*

## LECTIO II.

Nunquid semitam saeculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum. Qui dicebant Deo, Recede a nobis, et quasi nihil possit facere omnipotens, aestimabant eum. Cum ille implesset domos eorum bonis, quorum sententia procul sit a me. Videbunt iusti et laetabuntur: et innocens subsannabit eos. Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devoravit ignis? Acquiesce igitur, et habeto pacem, et per haec habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones eius in corde tuo. Si reversus fueris ad omnipotentem aedificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. Eritque omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi. Tunc super omnipotentem deliciis affluues, et elevabis ad Deum faciem tuam. Rogabis eum, et exaudiet te: et vota tua reddes. Decernes rem et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria; et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

## LECTIO II.

Quia Eliphaz in verbis praemissis imposuisse videtur Iob, quod non crederet Deum habere providentiam de rebus humanis; nunc consequenter videtur ei imponere huius infidelitatis effectum: solent enim illi, qui Deum res humanas curare non credunt, contempto Dei timore, in omnibus sequi propriam voluntatem; unde dicit, *Nunquid semitam saeculorum custodire cupis?* idest processum eorum quod nil credunt nisi ista temporalia, que videntur, et ex hoc procedunt ad iniustitiae opera; unde subdit: *Quam calcaverunt viri iniqui.* Illi autem calcare aliquam viam dicuntur qui frequenter et sine aliqua dubitatione ex proposito viam terunt, sic illi, qui non credunt divinam providentiam, frequenter et secure et ex proposito iniustitiae opera agunt, quod non contingit illis, qui in divinam providentiam credunt; quamvis quandoque ex infirmitate ad iniustitiam declinent; et ne hoc impune fecisse videantur, subdit: *Qui sublati sunt ante tempus suum*, idest qui mortui sunt, nondum completo naturali spatio vitae; et causam assignat subdens, *Et fluvius subvertit fundamentum eorum.* Est autem uniuscuiusque hominis fundamentum id, cui principaliter spes eius innititur. Tales autem non in Deo spem suam ponunt, sed in solis temporalibus rebus, quae corrumpuntur ipso cursu mutabilitatis rerum, quem fluvium nominat. Quae autem sit praedicta semita, exponit subdens, *Qui dicebant Deo, recede a nobis*, scilicet contemnentes ipsum, et spiritalia bona eius quantum ad effectum, sed quantum ad intellectum incredulitatem eorum describit, subdens: *Et quasi nihil possit facere omnipotens, existimabant eum*, quia scilicet si ad eum non pertinet cura rerum humanarum, nec bene nec male homini facere potest: quod contrariatur omnipotentis rationi; et ad exaggerandum culpam, subiicit de eorum ingratitudine, dicens, *Cum ille implesset domos eorum bonis*, scilicet temporalibus, quae a Deo dantur hominibus; et ad eorum assertionem improbandam subdit, *Quorum sententia fit procul a me.* Et ne videretur quod simul cum impiis etiam iusti subverterentur, hoc excludit subdens, *Videbunt iusti, et laetabuntur;* per quod dat intelligi, quod ipsi non subvertentur. Sed in laetitia erunt, ne videretur, quod ex hoc ipso a iustitia deficerent, quod de subversione aliorum gauderent subdit: *Et innocens subsannabit eos;* quasi dicat, Salva innocentia, eos poterunt subsannare de hoc, quod contra suam opinionem subvertuntur: in hoc enim iusti congaudent divinae iustitiae; et videtur hoc proprie respondere ad id quod Iob dixerat, *Post mea, si videbitur, verba ridete*, quasi conquerens, sed rideri ab eis. Et ne aliquis dubitaret fundamentum impiorum a fluvio esse subver-

sum, hoc quasi manifestum sub interrogatione proponit dicens, *Nonne succisa est erectio eorum:* videbantur enim per prosperitatem terrenam, vel per propriam elationem ad modum arboris erigi in sublime. Sed sicut arboris erectio per successionem subito impeditur, ita etiam eorum elevatio per subtractionem subito cessat. Contingit autem quandoque quod arbor succisa in altius quidem crescere non potest, sed tamen adhuc eius remanet longitudo; si tamen ignis apponitur, nullum vestigium praeteritae altitudinis restat, ita etiam mortuo vel deiecto homine peccatore per ignem adversitatis, etiam filii eius pereant, et divitiae diripiantur, nil residuum videbitur de altitudine praeterita remanere; unde sequitur, *Et reliquias eorum devoravit ignis*, idest arbor tribulationis, secundum illud *Iacob. 1. Exortus est sol cum ardore, et arefecit faenum.* Dicuntur autem reliquiae hominis vel filii, vel quaecumque aliae res eius post eum remanentes. Quia igitur huiusmodi subversionem impiis accidere dixerat ex hoc, quod contra Deum nitebantur, ut similia Iob evitare posset, subdit, *Acquiesce ergo ei, et habeto pacem;* quasi dicat, propter hoc perturbatus es quia contra eum contendere voluisti; et *per hoc*, scilicet per pacem, quia ei reconciliaberis: *Habebis fructus optimos;* quasi dicat, Quicquid optimum esse potest, quasi fructum huius pacis prosequeris. Qualiter autem ei acquiescere debeat, ostendit subdens, *Suscipe ex ore illius legem;* quasi dicat, Non existimes quod res humanae divina providentia non regantur, quinimmo secundum legem regiminis eius tuam vitam disponas. Et quia quidam legem divini regiminis profitentur, sed tamen eam opere non sequuntur; ideo subdit, *Et pone sermones eius in corde tuo*, ut scilicet mandata eius mediteris, et ea servare disponas. Qualiter autem per hoc fructus optimos habiturus sit, ostendit subdens, *Si reversus fuerit ad omnipotentem*, scilicet ut eius omnipotentiam credas, et ei te subiicias: *Aedificaberis;* quasi dicat, Domus tuae prosperitas, quae destructa est, reparabitur. Quomodo autem ad Deum perfecte reverti debeat, ostendit subdens, *Et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo:* et est subintelligendum, ut scilicet littera sic legatur, si longe facias iniquitatem a tabernaculo tuo: *Dabit*, scilicet Deus, *Pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos:* ut hoc quod dicit, *Longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo*, sit expositivum eius quod dixerat, *Si reversus fueris ad omnipotentem;* et non dicit, si longe feceris iniquitatem a te, sed a tabernaculo tuo, volens innuere, quod adversitas ei acciderat non solum pro peccato suae personae, sed etiam pro peccato suae familiae; quod sic dicit, *Dabit pro terra silicem*, refertur ad hoc, quod dixit, *Aedificaberis*, ut scilicet detur intelligi, quod restauratio sit futura, sed ad aliquid maius, ut scilicet pro amissis maiora reddat: silex enim pretiosior est quam gleba terrae, et aurum quam silex. Quae sint autem ista bona quae ei restituenda promittit, enumerat consequenter, primo ponens securitatem ex Dei protectione, cum subdit, *Eritque omnipotens contra hostes tuos*, ne scilicet iterato possint surripere, quae tibi restituentur a Deo. Secundo ponit divitiarum abundantiam, cum dicit, *Et argentum coacervabitur tibi?* nomine enim argenti omnes divitiae significantur, quia ex argento pecunia fieri solet. Et ne videatur solum corporalia bona promittere, subiungit de spiritualibus bonis, inter quae primum ponit, ut homo Deum diligat, et delectetur in eo; unde sequitur: *Tunc super omnipotentem deliciis affluues*, idest quando pacem cum eo habebis, in ea delectaberis. Et quia unusquisque libenter despicit id, in quo delectatur, subdit: *Et elevabis ad Deum faciem tuam*, idest mentem tuam ut ipsum frequenter contempleris, idest fiduciam accipies recurrendi ad ipsum; unde subdit, *Rogabis eum*; et hoc non sine fructu: sequitur enim, *Exaudiet te.* Solent autem exaudiri a Deo vota implentes, quae postulando promiserunt; unde subdit: *Et vota tua reddes*, quasi in signum exauditionis. Deinde promittit prosperum propositi successum cum dicit, *Decernes rem*, idest ordinabis per tuam providentiam, qualiter aliquid sit futurum: *Et veniet tibi*, idest dispositio tua non frustrabitur. Et ne dubites, quid sit decernendum, hoc etiam tibi manifestatur; unde subdit, *Et in viis tuis splendebit lumen*, idest clare apparebit tibi per quas vias procedere debeas. Rationem autem harum promissionum ostendit subdens, *Qui enim humiliatus fuerit*, scilicet Deo se subiiciendo per affectum: *Erit in gloria*, quam scilicet consequetur a Deo: *Et qui inclinaverit oculos suos*, ne scilicet per intellectum aliquid superbum contra Deum sentiat: *Ipse salvabitur*, a malis scilicet liberatus, et in bonis stabilitus. Non solum autem requiritur ad salutem interior humilitatis affectus et intellectus, sed etiam exterior puritas operum; unde subdit: *Salvabitur innocens?* Et quo merito salvetur, ostendit subdens: *Salvabitur autem in munditia manuum suarum*, innocentia operum suorum. Et est considerandum, quod hoc Eliphaz non solum promittit Iob, si convertatur, bona temporalia, quae possunt esse bonis et malis communia, sicut supra fecerat; sed etiam bona spiritualia, quae sunt propria bonorum; sed tamen solum in hac vita.

## CAPITIS VIGESIMITERTII

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob ait: Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum. Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius? Ponam coram eo iudicium, et os meum replebo increpationibus. Ut sciam verba, quae mihi respondeat, et intelligam, quid loquatur mihi. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae mole me premat. Proponat aequitatem contra me, et perveniet ad victoriam iudicium meum. Si ad orientem iero, non apparet; si ad occidentem, non intelligam eum. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum, si me vertam ad dexteram, non videbo illum. Ipse vero scit viam meam, et probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius cu-

stodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris eius. Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem eius; et anima eius quodcumque voluit, hoc fecit. Cumque expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia praesto sunt ei. Et idcirco a facie eius turbatus sum, et considerans eum, timore solicitor. Deus mollivit cor meum, et omnipotens conturbavit me. Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

## LECTIO PRIMA.

Eliphaz in verbis praemissis duo contra Iob proposuisse videtur: primo quidem, quod propter malitiam suam plurimam fuerit punitus; secundo quod de Dei providentia dubitaverit, vel etiam negaverit. Solent autem homines, cum eis falso aliqua crimina imponuntur, ex hoc contristari; unde quia Iob hoc in se non recognoscebat, dicit, *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus;* quasi dicat, Sicut supra me contristatis opprobriis vestris, ita etiam nunc, ut cogar cum amaritudine loqui. Cum autem alicui afflicto de novo afflictio additur, priores afflictiones ad memoriam revocantur, ex quibus praesens gemitus aggravatur; unde subdit: *Et manus*, idest potestas, *Plagae meae*, idest adversitatis, quam olim sum passus, *Aggravata est super gemitum meum*, idest facit praesentem gemitum graviorem. Incipit autem primo respondere ad hoc, quod dixerat propter malitiam suam eum punitum; recognoscebat autem se Iob punitum divino iudicio; unde *supra n. 16.* dixerat, *Conclusit me Deus apud iniquum.* Unde inquirere causam, quare quis punitus sit, est inquirere rationem divini iudicii, quam quidem nullus cognoscere potest, nisi ipse Deus. Ex quo patet praesumptuose Eliphaz asseruisse eum propter malitiam fuisse punitum; unde super hoc non vult cum Eliphaz contendere, sed disputationem suam vertit ad Dominum, qui solus sui iudicii rationem novit; reputaret autem se divino iudicio praegravatum, si propter malitiam plurimam esset punitus. Solent autem, qui ab aliquo iudice sunt gravati, primo quidem ad iudicem accedere, quod facere non possunt, nisi locum eius inveniant: quod etiam non possunt, nisi prius eum cognoscant: nullus enim potest quaerere id, quod omnino ignorat; unde dicit, *Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius:* sciebat enim quod Deus eius cognitionem excederet: et ideo non poterat perfecte de se invenire viam, per quam usque ad solium eius perveniret, idest usque ad plenam cognitionem iudiciorum ipsius. Solet autem gravatus a iudice, cum ad eum pervenerit, causae suae iustitiam demonstrare; unde subdit, *Ponam coram eo iudicium;* quasi dicat, Proponam ei, qualiter debeat esse iustum iudicium causae meae. *Et os meum replebo increpationibus*, idest conquestionibus: non quidem, ut credam divinum iudicium esse iniustum, sed per modum quaerentis: sicut solent disputantes contra dicta aliorum obiicere, ut plenius veritatem intelligant; unde subdit, *Ut sciam verba quae mihi respondeat:* quod pertinet ad veritatem responsionis cognoscendam: *Et intelligam quid loquatur mihi:* quod pertinet ad verborum intelligentiam: non enim potest homo scire, an verum sit quod ei dicitur, nisi intelligat quid ei dicatur. Frequenter autem supra quasi ad divinum iudicium sustinendum, proposuerant divinam fortitudinem, et magnitudinem: sicut Sophar *supra 11. Excelsior caelo est, et quid facies etc.* quae ibi sequuntur: et ideo hanc responsionem excludit subdens, *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suae me mole premat;* quasi dicat, Non sufficit mihi ista responsio, ut solum contra me allegetur Dei potentia et magnitudo: quia sicut ipse est fortissimus et maximus, ita est etiam iustissimus et aequitatis amator; unde subdit, *Proponat aequitatem contra me*, idest assignetur ratio ad aequitatem pertinens: et ita apparebit, quod non propter malitiam sim punitus; unde subdit, *Et perveniet ad victoriam iudicium meum:* quo scilicet contra vos contendo, asserens me non pro peccatis punitum. Et ne quis credat ex eo quod dicit, *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius*, quod crederet eum corporali loco concludi, aut per creaturas sufficienter posse cognosci, subiungit, *Si ad orientem iero, non apparet.* Ubi considerandum est, quod secundum Aristotelem in caelo distinguuntur sex positionis differentiae, scilicet sursum et deorsum: dextrorsum et sinistrorsum: ante et retro: principium enim motus totius firmamenti manifeste apparet in oriente. Est autem in quolibet animali principium motus a dextro. Si ergo imaginemur motum firmamenti, sicut motus unius animalis, oportebit ponere dextrum caeli in oriente, sinistrum vero in septentrione, anterius vero in superiori hemispherio, posterius vero in posteriori hemispherio, idest velut si imaginemur unum hominem, qui sua dextera moveret caelum ab oriente versus superius hemispherium, consequens esset, quod caput teneretur versus meridiem, et postea versus septentrionem: et pars anterior hominis esset versus hemispherium, posterius vero hominis, idest deorsum, versus inferius. Quidam tamen non respicientes ad dispositionem humani corporis, sed magis ad ordinem motus caeli, posuerunt superius caeli esse partem orientalem, eo quod ibi incipit motus; dextrum autem caeli in parte meridionali, versus quam partem, quoad nos procedunt motus planetarum; unde per oppositum inferius caeli intelligitur occidens; sinistrum autem caeli intelligitur pars septentrionalis: et hoc modo videntur hic procedere verba Iob, nam dextrum et sinistrum dividit contra orientem et occidentem. Potest ergo simpliciter intelligi, quod in nulla parte caeli Deus localiter concluditur: ut sit sensus, *Si ad orientem iero, non apparet*, quasi tibi vicinior existens, ac si ibi localiter existeret: *Si ad occidentem, non intelligam illum*, quasi propinquiorem, et ibi conclusum: *Si ad sinistram*, idest versus septentrionalem partem: *Quid agam? non apprehendam eum*, qui scilicet non est ibi corporaliter situatus: *Si me vertam ad dextram*, idest versus partem meridionalem: *Non videbo illum*, quasi ibi existentem. Vel possunt haec verba induci non ad excludendum a Deo localem situm, sed ad o-

stendendum, quod non potest sufficienter per inferiores effectus inveniri. Inter omnes autem effectus in rebus corporalibus apparentes universalior est et maior motus firmamenti: et quamvis manifeste appareat huius motus principium in oriente; tamen huius motus principium non sufficienter demonstrat infinitatem divinae virtutis; unde dicit: *Si ad orientem iero*, scilicet progressu meae considerationis, quasi considerans principium motus firmamenti: *Non apparet*, scilicet sufficienter per hanc considerationem. Secundus autem effectus divinae virtutis in rebus corporalibus est motus planetarum, qui est ex adverso motus firmamenti; unde principium est in occidente, ex quo etiam non sufficienter potest considerari virtus divina; unde subdit, *Si ad occidentem*, scilicet iero, considerans principium motus planetarum, *Non intelligam illum*: et valde signanter loquitur: hic enim motus magis intelligitur ex diversitate situs planetarum, quam appareat oculis, ex parte autem septentrionali non videtur esse principium nobis nisi tenebrarum, quia versus illam partem sol nunquam accedit. Tenebrae autem impediunt actionem, secundum illud *Io. 9. Venit nox, quando nemo potest operari;* unde subdit, *Si ad sinistram*, scilicet per considerationem: *Perrexero, quid agam*, idest non invenio ibi nisi defectum actionis. Unde nullum vestigium dabitur ad eum cognoscendum; unde subdit, *Non apprehendam eum*, etiam qualitercumque. Ex parte vero meridionali est nobis principium luminis propter corpora luminarium ex illa parte nobis apparentium; unde subdit, *Si me vertam*, idest per considerationem: *Ad dexteram*, idest ad partem meridionalem caeli: *Non videbo illum;* quasi dicat, inveniam ibi lumen corporale, per quod tamen ipse videri non potest. Et quamvis ipse sic me lateat, eum tamen non latet, quae circa me aguntur; unde subdit, *Ipse vero scit viam meam*, idest totum processum vitae meae, quod videtur Iob dicere contra id quod Eliphaz supra induxerat ex persona impiorum, quasi imponendo illud Iob: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat.* Et quia posset aliquis dicere, si scit viam tuam, ergo propter peccata tua te punivit, ipse respondet, *Et probabit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Ubi primo manifeste exponit causam suae adversitatis, quae fuit ei inducta ut ex ea adprobatus hominibus appareret, sicut aurum adprobatur, quod potest ignem sustinere, et sicut aurum non fit verum aurum ex igne, sed eius veritas hominibus manifestatur, ita Iob per adversitatem probatus est, non ut eius virtus appareret coram Deo, sed ut hominibus manifestaretur. Dicit autem, *Probabit*, de futuro, quasi exhibens se per patientiam et ad futuram examinationem. Quod autem non sit punitus pro peccato praecedenti, probat per rectitudinem vitae suae. Ubi considerandum est, quod unumquodque ostenditur rectum per hoc, quod suae regulae conformatur. Est autem duplex regula humanae vitae, prima quidem est lex naturalis a Deo mentibus hominum impressa, per quam naturaliter homo intelligit, quid est bonum ex similitudine divinae bonitatis. In quo primo attendendum est, quod homo secundum suum posse imitatur in suis affectionibus et operibus divinae bonitatis operationem, secundum illud *Matth. 5. Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est*, et *Eph. 5. Estote imitatores Dei sicut filii carissimi;* unde dicit, *Vestigia eius*, idest aliqua, licet ex parva parte similitudinem bonitatis divinae operantis: *Secutus est*, scilicet per imitationem: *Pes meus*, idest affectus meus, quo ad operandum procedimus. Secundo requiritur, quod aliquis tota mente solicitudinem adhibeat ad dominum imitandum: unde subdit, *Viam eius custodivi*, quasi solicitus, ne ab ea recedam. Tertio requiritur, quod homo in ea perseveret, et totaliter in ea maneat, non ex parte; unde subdit, *Et non declinavi ex ea*, idest ex nulla parte recessi. Secunda autem regula humanae vitae est lex exterior, divinitus tradita, contra quam homo peccat dupliciter: uno quidem modo per contemptum: et contra hoc dicit, *A mandatis labiorum eius non recessi:* fuerunt enim Noe aliqua praecepta divinitus data, et forte aliquibus aliis sanctis viris, in quorum labiis Deus loquebatur. Secundo aliquis peccat contra legem Dei per ignorantiam, vel oblivionem: et contra hoc subdit, *Et in sinu meo*, idest in occulto cordis mei: *Abscondi verba eius*, secundum illud *Ps. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Et ne aliquis diceret hanc probationem, quam induxit ex rectitudine suae vitae non esse convenientem, ostendit consequenter quod de divinis iudiciis certissima et demonstrativa probatio induci non potest, propter incomprehensibilitatem divinae voluntatis. Subdit, *Ipse enim solus est*, quasi non habeat aliquam creaturam similem vel aequalem, quae eum comprehendere possit, et per consequens nec eius voluntatem; unde subdit, *Et nemo advertere potest*, idest per certitudinem cognoscere: *Cogitationes eius*, idest dispositiones iudiciorum ipsius. Et sicut non potest comprehendi eius dispositio, ita neque ei potest ab ulla creatura resisti; unde sequitur: *Et anima eius*, idest voluntas eius: *Quodcunque voluit hoc fecit*, quasi nullo resistere valente. Contingit autem quandoque maxime in aliquo sapiente, qui voluntatem suam moderatur secundum suam virtutem, ultra quam facere non potest; sed hoc ideo excludit, cum subdit, *Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia praesto sunt ei;* quasi dicat, quod mihi ultra adversitatem non inducat, non est quia ultra non possit, sed quia ultra non vult. *Et idcirco*, quia scilicet scio, quod ultra facere potest, et non possum, adverte, utrum ultra facere velit. *Turbatus sum*, idest turbatione timoris; unde subdit, *Et considerans eum*, idest potentiam eius: *Timore solicitor*, ne scilicet adhuc me probaturus sit adversitate graviori. Causam autem huius solicitudinis formidolosae assignat per hoc, quod est expertus in se divinam percussionem; unde subdit, *Deus mollivit cor meum*, quasi liquefaciens ipsum firmitate securitatis sublata: *Et omnipotens conturbavit me*, idest per omnipotentiam suam perturbationem tristitiae de praesentibus malis et timorem de futuris induxit. Quare autem timeat in futurum, cum non sit sibi conscius de culpa, ostendit subdens, *Non enim perii*, idest adversitatem passus sum: *Propter imminentes tenebras*, idest errores vel peccata, quae quidem imminere dicuntur, quando in mente hominis confirmantur, puta cum quis ex malitia peccat. Contingit autem quandoque, quod malitia in homine non firmatur, sed ex aliqua subita passione, puta concupiscentiae vel irae, ad peccandum

impellitur: et hoc a se excludit subdens, *Nec faciem meam operuit caligo:* quasi enim caligat oculus rationis, quando propter passionem iudicium eius in opere particulari decipitur.

## CAPITIS VIGESIMIQUARTI

### LECTIO PRIMA.

Ab omnipotente non sunt abscondita tempora : qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos. Asinum pupillorum abegerunt , et abstulerunt pro pignore bovem viduae. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terrae. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad praedam praeparant panem liberis. Agrum non suum demetunt, et vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes , quibus non est operimentum in frigore. Quos imbres montium rigant: et non habentes velamen amplexantur lapides. Vim fecerunt depraedantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. Inter acervos eorum meridiati sunt , qui calcatis torcularibus sitiunt. De civitatibus fecerunt viros gemere , et anima vulneratorum clamavit : et Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini , nescierunt vias eius, nec reversi sunt per semitas illius. Mane primo consurgit homicida , interficit egenum et pauperem: per noctem vero erit quasi fur. Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus, et operiret vultum suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis : et sic in tenebris quasi in luce ambulant. Levis est super faciem aqua : maledicta sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius. Obliviscatur eius misericordia: dulcedo illius vermes; non sit in recordatione , sed conteratur sicut lignum infructuosum. Pavit enim sterilem, et quae non parit : et viduae bene non fecit. Detraxit fortes in fortitudine sua : et cum steterit, non credet vitae suae. Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbia: oculi autem eius sunt in viis illius. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur , et sicut summitates spicarum conterentur. Quod si non est ita , quis me potest arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea ?

### LECTIO PRIMA.

In praecedenti capitulo Iob se non esse propter malitiam punitum dixit, ut Eliphaz asseverat; nunc autem vult manifestare, quod non existimat Deum non habere curam rerum humanarum , sicut Eliphaz ei imponebat. Est autem considerandum, quod aliqui ponebant Deum humanarum rerum notitiam, et curam non habere propter differentiam eius a nobis: credebant enim, quod sicut propter huiusmodi distantiam nos eum cognoscere non valemus, ita nec ipse nos ; sed hoc ipse primo excludit dicens , *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora ;* quasi dicat , Quamvis omnipotens sit extra temporum mutabilitatem, ipse tamen temporum cursum cognoscit. Isti vero, qui sunt in tempore , ita eum cognoscunt , quod tamen modum aeternitatis eius comprehendere non valent; unde subdit, *Qui autem noverunt eum* , idest homines temporales, eius notitiam qualemcunque habentes, vel naturali cognitione, vel per fidem, vel aliqua maiori sapientiae illûstratione: *Ignorant dies illius*, idest comprehendere non valent modum aeternitatis eius. Et quia dixerat, temporalium cursum Deo ignotum non esse. consequenter ostendit, qualiter temporalia iudicat , praemittens diversas hominum culpas , quorum quidam fraudulenter aliis inferunt nocumenta ; unde dicit : *Alii*, scilicet inter homines : *Terminos transtulerunt*, furtive, scilicet mutantes possessionum confinia , et similia fecerunt in animalibus quae gregatim pascuntur; unde subdit, *Diripuerunt*, scilicet furtive *: Greges*, scilicet alienos : *Et paverunt eos* , ut sic videantur esse eorum: et eorum culpam aggregat vel exaggerat ex conditione personarum quibus inferunt nocumenta. Consueverunt enim homines misereri pupillorum propter defectum aetatis, et carentiam sustentationis parentum: et contra hoc dicit, *Asinum pupillorum abegerunt*, idest aberrare fecerunt, ut eum raperent , non miserantes pupillum. Similiter etiam viduarum consueverunt homines misereri propter fragilitatem sexus , et quia destitutae sunt virorum solatio; sed contra hoc subdit , *Et abstulerunt pro pignore bovem viduae*, quasi sub quodam colore iustitiae eam gaudentes. Consueverunt etiam homines misereri pauperum, qui divitiarum sustentatione carent; et contra hoc subdit, *Subverterunt pauperum viam*, idest abstulerunt eis facultatem sibi necessaria procurandi , eos multipliciter molestando. Solent etiam homines desistere a nocumento eorum qui aliis nocere non consueverunt, sed inter alios suaviter conversantur; et contra hoc subdit, *Et oppresserunt pariter mansuetos terrae*, qui scilicet nec provocari, nec provocare alios noverant. Sunt etiam quidam qui non fraudulenter, ut praedicti , sed per manifestam violentiam aliis nocent , qui ad mala facienda prorumpunt, quasi nulla disciplina legis contineantur, de quibus subdit : *Alii quasi onagri in deserto*, idest asini silvestres, qui hominum servituti non subsunt: *Egrediuntur ad opus suum*, idest ad latrocinium, cui quasi proprio operi solicite intendunt; unde subdit, *Vigilantesque ad praedam* , scilicet diripiendam : *Praeparant panem liberis*, scilicet suis ex praeda direpta. Deinde genus praedae determinat , subdens , *Agrum*

*non suum demetunt*, scilicet per violentiam messes alienas colligentes: *Et vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant:* quia scilicet prius aliquem opprimunt ad hoc, quod eius bona liberius rapiant: nec solum exteriora bona per violentiam abstrahunt, sed etiam ea, quae iam sunt ad usum corporis fovendi assumpta; unde subdit, *Nudos dimittunt homines*, idest nihil eis relinquunt, *Indumenta tollentes*. Et ut magis exaggeret huiusmodi rapinae culpam, subiungit afflictiones, quas ex nuditate patiuntur; unde dicit, *Quibus non est operimentum in frigore:* esset enim aliqualiter tolerabile, si aliunde possent nuditati subvenire: nec solum indumenta sunt necessaria ad calefaciendum contra frigus, sed etiam ad tegumentum contra pluviam. Unde oportet a latronibus denudatos non solum frigore affligi, sed etiam pluvia perfundi? et hoc est quod subdit: *Quos imbres montium rigant:* solent enim homines ad loca montana quasi ad tentoria confugere pro timore latronum vel hostium, ubi propter aeris frigiditatem, et frequentiores et graviores sunt pluviae, maxime nudis hominibus. Est autem qualecumque nuditatis remedium, si ille qui vestimentorum operimentum non habet, saltem operimento domus non careat; sed contra hoc subdit, *Non habentes velamen*, scilicet vestimenti, nec domus, *Amplexantur lapides*, idest abscondunt se in cavernis lapidum quae inveniuntur in locis montanis. Ulterius autem exaggerat eorum culpam ex conditione miserabilium personarum, quas gravant; unde subdit, *Vim fecerunt depraedantes pupillos*, qui scilicet magis erant sustentandi: *Et vulgum pauperem spoliaverunt*, cui scilicet magis erat subveniendum. Esset autem utrumque tolerabile, si saltem habentibus sufficientia subtrahere vellent: et ideo ad maiorem aggregationem iniquitatum eorum subdit, *Nudis*, idest non habentibus vestimenta: *Et incedentibus absque vestitu*, idest prae nimia necessitate etiam ad publicum sine vestibus nudis procedentibus, quod pertinet ad magnam inopiam vestitus. Et ut ostendat etiam in victu eos inopiam pati, subdit, *Et esurientibus*. His autem nihil magis auferre possunt; sed et id modicum quod habent, eis surripere non verentur; unde subdit: *Tulerunt spicas;* quasi dicat, Non tulerunt eis messem quam non habent, sed aliquas paucas spicas quas sibi collegerant: et si forte in aliquo abundare videantur, illud subtrahunt non pensantes quantam penuriam in aliis patiuntur; unde subdit, *Inter acervos frugum*, scilicet eorum, *Meridiati sunt*, idest in meridie quieverunt, quasi lascivientes de bonis eorum: *Qui calcatis torcularibus sitiunt*, idest, qui statim post vindemiam modicum habent de vino. Nec solum homines spoliant in rebus exterioribus, sed etiam laedunt in personis; unde subdit, *De civitatibus fecerunt viros gemere*: quia scilicet quibusdam laesis, multi ex civibus conturbantur, et ipsi qui laesi sunt, conqueruntur; unde subdit, *Et animae vulneratorum clamabunt. Et Deus*, a quo scilicet non sunt abscondita quae in tempore aguntur: *Inultum abire non patitur:* quod scilicet non esset, si de rebus humanis providentiam non haberet. Causam autem quare Deus hoc inultum abire non patitur, ostendit per hoc, quod non per ignorantiam, sed per malitiam peccant, ex qua sapientiam odiunt ipsorum peccata arguentem; unde subdit, *Ipsi fuerunt rebelles lumini*, scilicet ex proposito agentes contra id, quod eis lumen rationis dictat. Sicut autem sapientia praeoccupat eos, qui eam concupiscunt, ita fugit ab eis, qui ei renituntur; unde subdit, *Nescierunt vias eius*, idest habentes sensum per malitiam depravatum, non potuerunt sapientiae processus cognoscere. Vel nescierunt, idest non adprobaverunt, nec experiri voluerunt sapientiae mandata; et impoenitentiam eorum demonstrat subdens, *Nec reversi sunt per semitas illius:* illi quidem per semitam sapientiae revertuntur, qui etsi sapientiae peccando rebellent, tamen poenitendo ad sapientiam revertuntur. In signum autem quod spirituali lumini sapientiae divinae repugnent, inducit, quod et lumen exterius detestantur, tenebras amantes, secundum quod *Io. 3.* dicitur, *Omnis qui male agit, odit lucem:* unde et hoc subditur, *Mane primo*, ad hoc scilicet existentibus tenebris: *Consurgit homicida, et interficit egenum et pauperem:* quia scilicet illa hora nondum communiter homines vadunt per viam, sed aliqui pauperes necessitate ducti praeoccupant tempus operis, quibus latrones insidiantur in via. Ad hoc autem quod de dominis aliquid furtive surripiant, profundioribus indigent tenebris; unde subdit, *Per noctem erit quasi fur*, scilicet spolians domos, quia ei primo mane facere tutum non esset, quia tunc homines evigilare incipiunt. Idem autem in adultero ostendit, subdens, *Oculus adulteri*, qui scilicet insidiatur alieno thoro: *Observat caliginem*, ut scilicet deprehendi non possit; unde subdit dicens: *Non videbit me oculus*, idest in hoc proposito observat caliginem, nec cuiusquam oculo videatur. Et quia non sufficit ei occultatio noctis, adhuc alias occultandi artes assumit; unde subdit, *Et operiet vultum suum*, qualicumque mutatione habitus. Et sicut ad incipiendum opus observat caliginem, ita etiam opus exequitur in tenebris; unde subdit, *Perfodiunt in tenebris domos*, scilicet qualicumque fraude vel violentia obstacula auferentes: *Sicut in die condixerant sibi*, scilicet adulter et adultera: *Et ignoraverunt lucem*, idest obiecerunt in tota executione nefarii operis: *Si subito*, quasi ex impraemeditato, quia tempus eis breve videtur, dum carnali delectationi vacant: *Apparuerit aurora*, quae est diurnae lucis principium: *Arbitrantur umbram mortis*, idest existimant eam odiosam, sicut umbram mortis, dum se vident suas lascivias ulterius non posse protrahere. Solent autem homines dupliciter a suis operibus impediri: uno modo, quando non prospiciunt rei eventum; alio quando habent in suo proposito debile fulcimentum, sed adulteri qui ex concupiscentia ducuntur, e contrario, primo quidem inconsiderate se periculis ingerunt, quamvis ignorent quid sequatur: et ad hoc significandum dicit, *Et sic in tenebris*, idest in dubiis et obscuris: *Quasi in luce*, scilicet in manifestis: *Ambulant*, idest procedunt. Secundo ex re modica et fragili magnam fiduciam capiunt; unde subdit, *Levis est*, scilicet adulter: *Super faciem aquae;* quasi dicat, adeo leviter movetur, ut videatur ei quod per aliqua mollia, sicut est aqua, possit pertransire ad suum propositum prosequendum: vel ad literam, quod dicit, *Sic in tenebris, quasi in luce ambulant*, potest referri ad hoc, quod uterque, scilicet adulter et adultera, sua opera in tenebris agere amant; quod vero subdit, *Le-*

*vis erit super faciem aquae*, refertur spiritualiter ad adulterum, cui propter impetum concupiscentiae videtur quod etiam super aquam, et super quamcunque difficultatem vel adversitatem, leviter pertransire possit, ad hoc, quod perveniat ad fruitionem rei concupitae. Enarratis ergo diversis generibus peccatorum, subiungit de poena: et primo quidem quantum ad poenam praesentis vitae, cum subdit, *Maledicta sit pars eius in terra:* illud enim unicuique pars esse videtur, quod quasi potissimum bonum desiderat; peccator autem in rebus terrenis quasi in sua parte ultimum finem constituit, secundum illud *Sapient. Haec est pars nostra, et haec est sors*: quae quidem maledicta est, quia bona huius mundi, quibus male utitur, ei vertuntur in malum: et hoc manifestat subdens, *Nec ambulet per viam vinearum*: solent enim viae vinearum umbrosae esse, et per consequens temperatae vineae etiam contemperatum locum requirunt: nam in locis nimis frigidis destruuntur per glaciem, et in locis nimis calidis aduruntur per calorem. Impius ergo per viam vinearum non ambulat, quia rebus huius mundi moderate non utitur, sed quandoque declinat ad unum extremum, quandoque ad aliud; et quantum ad hoc subdit, *Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium:* quasi a contrario vitio in contrarium transeat, quod in medio virtutis non manet: et ista poena consequitur omnes malos, quia inordinatus animus sibi ipsi est poena, ut Augustinus dicit *in 1. Conf.* Deinde ponit poenam, quae erit post mortem, cum subdit: *Et usque ad infernos peccatum illius*; quasi dicat, Non solum in terra pars eius maledicitur, dum inordinate utitur rebus mundi, sed etiam per hoc in inferno poenas patietur: ad quas poenas referri potest, quod dixerat, *Ab aquis nivium etc.* quia in inferno nulla erit temperies. Et ne crederet aliquis poenas illas per Dei misericordiam finiendas, subdit: *Obliviscatur eius*, scilicet peccatoris in inferno damnati: *Misericordia*, scilicet Dei, ut nunquam exinde liberetur. Qualis autem sit illa poena, ostendit subdens, *Dulcedo illius vermis*, idest delectatio peccati convertetur in vermem, idest conscientiae remorsum, de qua dicitur *Isa. ult. Verbis eorum non morietur.* Unde et huius poenae interminabilitatem subdit: *Non sit in recordatione*, idest ita totaliter relinquatur a Deo sine remedio liberationis, ac si eius esset oblitus: et ponit similitudinem cum subdit, *Sed conteratur quasi lignum infructuosum:* arbor enim quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur, ut dicitur *Matth. 3.* Lignum autem fructuosum praeciditur, ut purgetur, secundum illud *Io. 15. Omnem palmitem, qui non fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Impii ergo puniuntur ad exterminium, iusti autem ad profectum. Quare autem infructuoso ligno comparetur, manifestat ex duobus: primo quidem, quia bona sua in res inutiles consumpsit; unde dicit, *Pavit enim sterilem, et qui non parit:* et loquitur de illo, qui bona sua in res inutiles consumpsit, ad similitudinem eius, qui uxorem sterilem inutiliter nutrit. Secundo, quia indigentibus non subvenit, quod ei esse poterat fructuosum; unde subdit, *Et viduae bene non fecit*, per viduam homines indigentes significat. Nec solum fuit infructuosus, sed etiam fuit nocivus, sicut lignum proferens fructus venenosos; unde subdit, *Detraxit fortes in fortitudine sua*, idest potestate sua usus est, non ad subveniendum oppressis, sed magis ad opprimendum fortes: et hoc, quia quod aliis nocet, etiam in suum nocumentum redundat, quasi scilicet in se securam vitam agere non potest, timens etiam laedi ab eis quos laeserat; unde subdit, *Et cum steterit*, idest cum nihil adversum passus fuerit: *Non credet vitae suae*, idest non erit de vita sua securus, secundum illud quod Eliphaz supra dixerat *15. Sonitus terroris semper in auribus eius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Causam autem, quare absque misericordia sit puniendus, assignat ex hoc, quia misericordia noluit uti dum potuit; unde subdit: *Dedit ei Deus locum poenitentiae*, scilicet differens poenam: et haec est ratio quare permissus est in prosperitate aliquis diu vivere, sed hoc quod Deus exhibuit ei in bonum, ipse pervertit in malum; unde subditur: *Et ille abutitur eo in superbiam*, non attribuens divinae misericordiae, quod post peccatum non statim punitur, sed ex hoc sumit peccati audaciam usque ad Dei contemptum. Et quamvis peccator tenebras quaerat ad peccandum, non tamen potest facere quin videatur: unde subdit, *Oculi enim*, scilicet Dei: *Sunt in viis eius*, idest considerant processus eius, quamvis in tenebris ambulent; et inde est, *Quod elevati sunt ad modicum*, idest ad aliquam terrenam sublimitatem et caducam, Deo dante eis locum poenitentiae: *Et non subsistent*, scilicet finaliter, quia abutuntur Dei misericordia in superbiam; et adhibet huius rei similitudinem. Omnia enim quae in tempore generantur, determinato tempore crescunt, et postea incipiunt deiici, et tandem totaliter destruuntur; et ita contingit de impiis: unde subdit, *Et humiliabuntur sicut omnia*, quae scilicet in tempore crescunt: *Et auferentur*, scilicet totaliter, quando ad summum pervenerint: et adhibet similitudinem, subdens: *Et sicut summitates spicarum conterentur.* Non enim conteruntur fruges, quamdiu sunt in herba, et crescunt; sed quando iam ad perfectam maturitatem pervenerunt, secundum mensuram a Deo praevisam. Hoc autem induxit ad ostendendum, quod hoc, quod impii statim non puniuntur, sed prosperam vitam agunt, non contingit ex defectu divinae providentiae, sed ex hoc, quod differt Deus poenam in congruum tempus; et sic patet falsum esse, quod Eliphaz ei calumniose imposuerat de negatione providentiae divinae; unde subdit, *Quod si non est ita*, sicut praedixi de punitione malorum: sicut vos opinamini credentes semper homines in hac vita puniri pro peccatis: *Quis me potest arguere esse mentitum?* quasi scilicet divinam providentiam denegem: *Et ponere ante Deum verba mea*, idest verba mea in accusationem vertere coram Deo, ac si sint contra eius providentiam.

## CAPITIS VIGESIMIQUINTI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Baldath Suites, dixit, Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Nunquid est numerus militum eius ? et super quem non surget lumen illius ? Numquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus, natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu eius. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?

### LECTIO PRIMA.

Iob in sua responsione duas calumnias, quas in Eliphaz iniecerat, in praecedenti sua responsione iam repulit, ostendens se, neque pro peccatis punitum, neque divinae providentiae negatorem. Ostenderat autem valde expresse, quod divinae providentiae non repugnabat, si impii in hoc mundo prosperantur, quia servatur eorum poena in aliud tempus: et ideo contra hoc ulterius resistere non potuerunt; sed alterum, scilicet quod non fuerit pro peccatis punitus, non tam evidenter ostenderat, quin potius debilitatem suae ostensionis significavit, cum dixit, *Nemo advertere potest cogitationes eius;* et ideo contra hoc ulterius Baldath resistere nititur redarguens Iob, quod se asserebat non pro peccatis suis punitum: et quasi immemor verborum Iob, quibus dixerat, non sibi sufficere, si contra eum ex Dei fortitudine contendatur, a divina potestate disputationis suae sumit exordium, et proponit magnitudinem divinae potestatis dupliciter: primo quidem quantum ad hoc quod potentiam exercet in superiores creaturas, in summa pace eas conservans; unde dicit, *Potestas et terror*, idest ex qua timeri debet, *Apud eum est*, scilicet Deum: *Qui facit concordiam in sublimioribus suis:* in inferioribus enim creaturis discordia multiplex invenitur, tam in creaturis rationalibus, ut patet per contrarios motus humanarum voluntatum, quam in creaturis corporalibus, ut ex earum contrarietate apparet, per quam generationi et corruptioni subduntur; sed in superioribus corporibus nulla contrarietas reperitur, unde et incorruptibilia sunt; sic et superiores intellectuales substantiae etiam in summa concordia vivunt. Haec autem summa concordia superiorum creaturarum ex potestate divina procedit, quae superiores creaturas in perfecta suae unitatis participatione constituit, quasi sibi propinquiores; et ideo signanter dicit, *In sublimioribus suis*, idest sibi magis conformibus. Secundo commendat divinam potestatem ex iis, quae operatur in inferioribus creaturis, in quibus operatur per ministerium superiorum creaturarum, quarum multitudo homini est ignota; unde subdit, *Nunquid est numerus militum eius?* milites quidem Dei vocat omnes caelestes virtutes, quae divinum nutum sequuntur, sicut milites obediunt duci. Harum autem caelestium virtutum numerus ignotus est homini; et simile est, quod habetur *Isaiae 40. Qui educit in numero militiam eorum.* Et ne aliquis crederet quod caelestes virtutes non se haberent sicut milites parentes alieno imperio, sed sicut duces et principes ex suo arbitrio cuncta agentes, sicut aestimaverunt multorum deorum cultores, subiungit, *Et super quem non surgit lumen eius;* quasi dicat, Omnes caelestes virtutes per illuminationem divinam diriguntur, sicut homines per hoc, quod super eos surgit lux solis. Proposita ergo potestate divina accedit ad propositum dicens: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo?* quasi dicat, Ex quo Deus tam magnus est, et in iustitia praecellens, ut etiam in sublimibus concordiam faciat, quae est iustitiae effectus, secundum illud *Isa. 32. Opus iustitiae pax*, omnis iustitia hominis divinae iustitiae comparata quasi nihil reputabitur: nec solum Deo homo comparatus non potest iustus videri, sed quod plus est, ei comparatus, apparet iniustus: sicut in comparatione ad res pulcherrimas, quae quamvis pulchritudinem habeant, videntur immundae; unde subdit, *Aut apparere mundus natus de muliere?* quod signanter dicit, quia ex hoc ipso, quod homo de muliere per concupiscentiam carnis nascitur, maculam contrahit. Hoc autem quod dixerat, consequenter per simile confirmat, cum subdit, *Ecce etiam luna non splendet, et stellae non sunt mundae in conspectu eius.* Ubi considerandum est quod de sole mentionem non facit, quia non apparet sensibiliter, quod ad praesentiam maioris luminis lumen eius obtenebretur, sed luna et stellae etiam ad praesentiam corporalis solis obfuscantur: unde multo magis earum claritas quasi obscuritas quaedam est immensitati divini luminis comparata; et ex hoc concludit propositum subdens, *Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* scilicet non potest reputari splendens splendore iustitiae, si divinae iustitiae comparetur: neque mundus per innocentiam, si comparetur puritati divinae. Singulariter autem hominum putredinem comparat quasi ex materia existente putrefactioni vicina: et filium hominis vermi, quia vermis ex putredine generatur. Hoc autem inducit ad ostendendum, quod homo non potest, quantumcunque iustus et innocens, iustitiam et innocentiam suam proponere, quasi nihil reputatam in comparatione ad Deum, cum agitur de divino iudicio.

## CAPITIS VIGESIMISEXTI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob, dixit, Cuius auditor es ? nunquid imbecillis, et sustentas brachium eius qui non est fortis? Cui dedisti consilium? forsitan illi qui non habet sapientiam ? et prudentiam tuam ostendisti plurimam? Quem docere voluisti? nonne eum qui fecit spiramentum? Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis. Nudus est infernus coram illo; et nullum est operimentum perditioni. Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erum-

pant pariter deorsum. Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux, et tenebrae. Columnae caeli contremiscunt, et pavent ad nutum eius. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia eius percussit superbum. Spiritus eius ornavit caelos, et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus. Ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius: et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

## LECTIO PRIMA.

Baldath in verbis praemissis Iob convincere voluit ex consideratione divinae potestatis omnibus tremendae, respectu cuius nullus potest iustitiam aut innocentiam praetendere, ut se asserat absque peccato punitum: unde Iob triplicem responsionem subiungit: quarum prima specialiter est contra Baldath, qui Iob terrere conatus fuerat ex consideratione divinae potestatis. Solent autem homines non ratione contra aliquem condemnatum utentes, sed iudicis potentiam et sapientiam allegantes hoc facere in iudicis favorem; adhibetur autem favor alicui personae dupliciter: uno modo propter defectum potentiae illius, cui favetur; alio modo propter defectum sapientiae. Quantum ergo ad primum dicit, *Cuius adiutor es, nunquid imbecillis?* quasi dicat, Haec quae locutus es, non secundum viam rationis, sed quasi in Dei favorem, nunquid ad hoc dixisti, ut ferres auxilium quasi infirmo? Adiuvare autem videtur aliquem, qui eius operationem defendit; unde subdit, *Et sustentas brachium eius, qui non est fortis?* quasi dicat, Nunquid vis tu iis verbis defendere operationem, qua punitus sum ab eo, ac si non esset fortis ad se defendendum. Deinde quantum ad favorem, qui alicui adhibetur propter defectum sapientiae, considerandum est, quod hic favor est duplex: unus quidem ex hoc, quod consilium datur alicui circa res agendas; et quantum ad hoc dicit, *Cui dedisti consilium?* Videtur aliquis alicui consilium dare, quando eius causam sine ratione defendit; non autem consilio Deus indiget, qui est in sapientia perfectus; unde subdit, *Forsitan illi qui non habet sapientiam?* quasi dicat, Nunquid dubitas Deum sapientiam non habere, ut tam stulte pro eo loquaris; qui autem sapienti consilium dat, videtur hoc facere ad suam sapientiam ostendendam; unde subdit, *Et prudentiam tuam ostendisti plurimam?* quasi dicat, Nunquid per hoc voluisti tuae prudentiae abundantiam ostentare? Alius autem modus favoris contra defectum sapientiae est, ut quis instruat ignorantem circa scibilia; et quantum ad hoc subdit, *Quem docere voluisti:* visus es enim Deum docere, inquantum eius potentiam contra me allegasti; sed ipse doceri non indiget, qui est totius humanae scientiae causa; unde subdit, *Nonne eum qui fecit spiramentum?* idest qui creavit humanam animam, per quam homo et intelligit, et spirat: una enim et eadem anima est, quae per intellectum scientiam percipit, et per alias vires corpus vivificat. Deinde ne videatur in aliquo potentiae Dei derogare, commendat ipsum multo diffusius quam Baldath, enumerans multos effectus divinae potentiae: et incipit ab iis quae potenter fecit in genere humano circa diluvium: legitur enim *Gen. 6.* quod gigantes erant super terram in diebus illis: et postea subditur, *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Finis universae carnis venit coram me*; et postea subdit, *Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, et interficiam omnem carnem.* Hunc ergo effectum divinae potentiae ostendit subdens, *Ecce gigantes*, scilicet antiqui: *Gemunt*, scilicet in poenis inferni: *Sub aquis*, idest qui fuerunt submersi aquis diluvii. Et quia non soli ipsi perierunt, sed multi alii cum eis: et ideo etiam postea subiungit, *Et qui habitant cum eis*, scilicet similiter gemunt, scilicet a virtute potestatis ipsius. Et ne aliquis crederet, quod divina providentia se extenderet solum ad iudicandos homines in hac vita, non autem post mortem, sicut amici Iob sentire videbantur; ad hoc excludendum subdit, *Nudus est infernus coram illo;* quasi dicat, Ea quae in inferno aguntur conspicua sunt oculis eius, et secundum eius iudicium aguntur: unde ad huiusmodi expositionem subdit, *Et nullum est operimentum perditioni*, idest iis qui sunt perditi in inferno, ut possint ab oculis Dei occultari, sicut occultantur a nobis. Deinde enumerat effectus divinae providentiae in rebus naturalibus, et incipit ab extremis, scilicet a caelo et terra, in quorum utroque aliquid apparet ex divina potentia institutum, quod humanas vires excedit; secundum autem id, quod sensibiliter apparet, videtur caelum extensum esse super terram, sicut quoddam tabernaculum; terram autem esse sub caelo, sicut tabernaculi pavimentum. Quicumque autem tabernaculum erigit, aliquid supponit quo tabernaculum sustentatur; sed hoc in caelo non apparet: non enim videtur aliquid caelum sustentans, nisi virtus divina; unde dicit, *Qui extendit aquilonem super vacuum:* per aquilonem intelligit superius hemispherium quoad nos: nobis enim aquilonaris polus supra orientem elevatur; australis vero sub orizonte deprimitur; unde dicit, *Aquilonem extendit super vacuum*, quod de superiori hemispherio caeli nihil nobis apparet, nisi spatium aere plenum, quod vulgares homines reputant vacuum: loquitur enim secundum existimationem vulgarium hominum, prout est mos in sacra Scriptura; sic etiam, qui pavimentum facit, super aliquod ipsum firmat; terra autem quae est quasi caeli fundamentum, non apparet super aliquod firmata, quod eam possit sustentare, sed sola Dei potentia sustinetur; unde subdit, *Et appendit terram super nihilum.* Haec autem non ita dicuntur, quasi caelum sit ponderosum, ut indigeat sustentamento, ne cadat, aut terra possit descendere nisi usque ad centrum; sed ipsas naturales virtutes, quibus in suis locis corpora naturaliter continentur, ex divina potestate processisse significat: sicut enim motus violentus est a potestate humana, ita inclinatio naturalis est ex virtute divina, qui est naturae principium. Deinde enumerat effectus divinae potentiae in spatio medio, quod est inter caelum et terram: et primo in aere, in quo hoc admirabile videtur, quod aqua in aere suspendatur, vaporaliter elevata, et non

tota simul cadit, sed guttatim, ut apparet in pluviis; unde dicit, *Qui ligat aquas in nubibus suis*, idest eius virtute causatis: *Ut non erumpant*, scilicet aquae pluviarum, *Pariter deorsum*, sed guttatim secundum quod expedit ad temperiem terrae, quasi divina virtute illud quod remanet in nubibus esset ligatum, ut non a principio cadat: fit enim divina virtute, ut vapores non simul condensentur, ut oporteat simul eos in aquam conversos pariter cadere, pluviis ex nubibus deorsum cadentibus, remanent quaedam vaporum reliquiae ex quibus nebulae generantur, per quas nobis tegitur caelum, quod est quasi solium Dei, secundum illud *Isa. ult. Caelum mihi sedes est:* et quantum ad hoc subdit, *Qui tenet vultum solii sui*, idest qui tenet quasi occultatam faciem caeli, quod est solium eius: et hoc per nebulas, quibus prohibemur caelum videre; unde subdit, *Et expandit super illud nebulam suam*, idest eius virtutem productam. Deinde ostendit effectum divinae potentiae in aquis, cum subdit: *Terminum circumdedit aquis:* aquae enim secundum elementorum naturalem ordinem undique terram operire deberent; sed quod aliqua pars terrae remaneat discooperta ab aquis, hoc factum est divina virtute, quae usque ad certum terminum terram fecit operiri ab aquis; et hoc praecipue videtur ad oceanum pertinere, qui undique terram circumdat; et propter hoc subdit: *Usque dum finiantur lux et tenebrae:* sumit enim lucem diei, et tenebras noctis, sole accedente, vel recedente ab hemispherio superiori, quod supponitur nostrae terrae habitabili, quae quasi undique oceano concluditur. Vel potest intelligi, quod terminus aquarum intransmutabilis permanebit, manente hoc statu mundi, in quo est successio lucis et tenebrarum. Sic ergo enumeratis effectibus divinae potentiae in corporalibus creaturis, ostendit eius effectum in creaturis spiritalibus, quas vocat columnas caeli, quia scilicet eorum officio administratur motus caelorum; unde dicit, *Columnae caeli*, scilicet angeli: *Contremiscunt, et pavent ad nutum eius*, idest obediunt ei ad nutum: et loquitur ad similitudinem alicuius ad nutum obedientis Domino propter timorem et tremorem ipsius, ut timor referatur ad animam, tremor ad corpus. Non est autem putandum, quod inferatur angelis timor poenalis, sed eorum reverentia ad Deum hic timor notatur; et sic pavor refertur ad affectum, tremor autem ad exteriorem effectum. Et quia in angelis aliqui sunt, qui a debita Dei reverentia discesserunt, de quibus *supra 4.* dictum est, *In angelis suis reperit pravitatem*; ideo consequenter de distinctione bonorum et malorum angelorum subiungit. Creditur autem simul cum distinctione creaturae corporalis etiam creaturae spiritualis distinctionem fuisse; et ideo ad insinuandam distinctionem creaturae spiritualis praemittit de creatura corporali, dicens, *In fortitudine illius repente maria congregata sunt*, secundum illud *Gen. 2. Congregentur aquae, quae sunt super terram, in locum unum, et appareat arida.* Et sicut creaturae corporales sunt distinctae divina virtute, ita etiam creaturae spirituales; unde subdit, *Et prudentia eius percussit superbum.* Per virtutem prudentiae ipsius diabolus superbiens de sua gloria privatus est; et sic eo percusso, bonis angelis sunt spiritualia dona augmentata; unde subdit, *Spiritus eius ornavit caelos*, idest caelestes spiritus ornamentis scilicet spiritualium donorum. Non erat autem conveniens, ut percussus per privationem gloriae, cum ornatis per Spiritum sanctum remaneret; unde subdit, *Et obstetricante manu eius, eductus est*, idest a societate bonorum angelorum: *Coluber tortuosus*, idest diabolus, qui colubro comparatur propter malignitatis venenum, et tortuosus dicitur propter calliditatem. Signanter autem dicit eum eductum obstetricante manu Dei: sicut enim obstetrix educit infantem, quandoque mortuum, ut mater non laedatur, ita Deus sic eduxit diabolum de medio angelorum, ut bonorum angelorum societas in nullo detrimentum sit passa. Et ne aliquis crederet hos effectus, licet sint magni, divinam potentiam adaequare, subdit, *Ecce haec ex parte sunt dicta viarum eius*, idest operum eius, quibus et nos in Dei cognitionem ascendimus, et Deus nobis se quodammodo communicat. Et ne videantur haec, et si non totam divinam potentiam adaequare, tamen magna ex parte ad eius aequalitatem accedere, subiungit, *Et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* quasi dicat, Omnium quae nunc dicta sunt de effectibus divinae potentiae, minor est comparatio ad divinam potentiam, quam unius parvi sermonis, quasi silenter stillantis ad maximi tonitrui sonum.

## CAPITIS VIGESIMISEPTIMI

### LECTIO PRIMA.

Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam, et dixit: Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum: et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit a me, ut iustos vos esse iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sit ut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus. Quae est enim spes hypocritae, si avare rapiat, et non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia? Aut poterit in omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore? Docebo vos per manum Dei, quae omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis; et quid sine causa vana loquimini? Haec est pars hominis impii apud Deum, et haereditas violentorum quam ab omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt: et nepotes eius non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduae illius non plorabunt. Si comportaverit quasi terra argentum, et sicut

lutum praeparaverit vestimenta. Praeparabit quidem, sed iustus vestietur illis, et argentum innocens dividet. Aedificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. Dives cum dormierit nihil secum afferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Apprehendet eum quasi aqua inopia; nocte opprimet eum tempestas. Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. Et mittet super eum, et non parcet; et de manu eius fugiens, fugiet. Stringet super eum manus suas: et sibilabit super illum intuens locum eius.

## LECTIO PRIMA.

In praemissis verbis Iob confutaverat dicta Baldath, qui contra eum divinam potestatem allegaverat, quasi Iob eius magnitudinem ignoraret; finita autem sua responsione intelligitur expectare, ut tertius amicorum, scilicet Sophar, more solito, suo ordine responderet. Sed quia ille, quasi convictus, tunc tacuit, Iob iterato sermonem assumit, et per aliam rationem ostendit non esse contra divinam providentiam si mali in hoc mundo prosperantur, et boni adversitates patiuntur; unde dicitur, *Addidit quoque Iob*, postquam scilicet ei nullus respondebat, *Assumens parabolam suam* : quia scilicet per similitudines loquebatur ad modum parabolas inducentium. Antequam autem propositum ostendat, se in amicorum sententiam nunquam transiturum esse denunciat: et ad huius firmitatem iuramentum praemittit; unde subdit, *Et ait, Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum*, supposita scilicet vestra sententia, qua asseritis ad iustitiam divini iudicii pertinere, ut adversitates praesentes non nisi peccatoribus inducat: et ideo ad exponendum in quo iudicium suum dixerit, subdit, *Et omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam*, idest qui absque culpa praecedente mihi adversitates exteriores induxit, ex quibus amaritudinem in anima patior, nec tamen ab eius reverentia et amore discedo, patet ex hoc quod per ipsum iuro. Inducit autem praedictum iuramentum ad hoc quod subditur, *Quia donec superest halitus in me*, idest donec habebo vitam, quae per respirationem conservatur. Et ut ostendat se vitae beneficium a Deo recognoscere, subdit, *Et spiritus Dei in naribus meis:* respiratio enim praecipue fit per nares: nam respiratio quod fit per os, non est adeo congrua, ut Aristoteles dicit *in lib. de hist. anim.* Respiratio ergo hominis, quae principaliter in naribus posita est, hic spiritus Dei dicitur, quia hoc habet homo, ut vivendo possit respirare: et huic beneficio ipse non vult esse ingratus peccando; unde subdit, *Non loquentur labia mea iniquitatem*, ut scilicet dicam, omnes qui adversitatem patiuntur esse iniquos. *Nec lingua mea meditabitur mendacium*, ut scilicet dicam hoc pertinere ad divinam iustitiam, ut iustorum merita praesenti prosperitate remuneret, et iniquorum peccata temporali adversitate condemnet. Et quia amici Iob ista asserebant, subiungit, *Absit a me ut iustos vos esse iudicem :* non enim poterat iustos eos iudicare, nisi eorum iniustam sententiam approbaret, per quod a sua iustitia recederet; unde subdit, *Donec deficiam*, scilicet per mortem : *Non recedam*, idest propono non recedere : *Ab innocentia mea*, a qua scilicet recederem, si sanctos adversitatem in hoc mundo patientes vobiscum impios iudicarem. Et sicut ab innocentia ad nocendum transferri non propono, ita nec iustitiae viam deserere; unde subdit, *Iustificationem meam*, quae scilicet pertinet ad iustitiae executionem, *Quam coepi tenere*, scilicet non approbando hominem in prosperitate, quam habet, nec condemnando pro adversitate, quam patitur in hac vita: *Non deseram*, scilicet declinando in vestram sententiam. Solent autem qui semel peccaverunt, proniores esse ad iterato peccandum; qui vero peccatorum sunt inexperti, difficilius ad peccata prolabuntur; unde subdit, *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea;* quasi dicat, Ideo confido quod non recedam ab innocentia, nec iustitiam deseram, quia hoc per experientiam didici: non enim habeo conscientiam remordentem de aliquo gravi quod commiserim in tota vita mea. Vel aliter potest continuari: quia enim dixerat se non recessurum ab innocentia sua, nec iustificationem, quam tenere coeperat, deserturum, posset aliquis dicere, quod ipse ante hoc neque innocentiam, neque iustitiam habuerat; sed ipse hoc excludit dicens, *Nec enim reprehendit me cor meum* etc. Declinarem autem ab innocentia, et desererem iustitiam, si vobis faverem qui iniustitiam et impietatem sustinetis; unde subdit, *Sit ut impius inimicus meus*, inquantum scilicet contra veritatem divini iudicii loquitur : *Adversarius meus quasi iniquus*, inquantum scilicet iniquam sententiam profert, mihi adversando, dum dicit me impium esse, quia graviter sum afflictus. His igitur praemissis pertinentibus ad amicorum suorum confutationem, et suae sententiae firmitatem, accedit ad principale propositum, ut scilicet ostendat non esse contrarium divinae providentiae, si mali in hoc mundo temporaliter prosperentur, et iusti temporaliter affligantur: et supra quidem hoc manifestaverat ex futuris praemiis et flagellis, quae reservantur bonis et malis post hanc vitam; nunc autem hic ostendit ex debilitate bonorum temporalium, quae mali possident in hac vita, et magnitudine bonorum spiritualium, quae bonis conceduntur. Asserit ergo primo inutile esse peccatoribus, si in hac vita bona temporalia consequantur absque animae bonis; unde dicit, *Quae est enim spes hypocritae, si avare rapiat*, si iniuste divitias congreget : *Et non liberet Deus animam eius*, scilicet a peccato per gratiae dona, idest quid boni potest ex hoc consequi : et loquitur de hypocrita, scilicet simulatore, loco omnium peccatorum, quia simulata aequitas est duplex iniquitas, et hypocritae tanquam falsarii virtutis, videntur maxime esse abominabiles apud Dominum, sicut *infra 36.* dicitur: *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Ostendit autem consequenter eos duplici spe privari: quarum una est quam habent iusti de Deo, quod in tempore necessitatis eorum orationem exaudiat; sed hoc ab impiis excludit dicens : *Nunquid Deus audiet clamorem eius, cum venerit super illum angustia?* quasi dicat, non: et ratio huius assignatur *Prov. 1.* ex ore sapientiae dicentis: *Vocavi, et renuistis :* et post pauca subdit : *Tunc*, scilicet

quando venit super eos angustia , *invocabunt me , et non exaudiam:* et *Prov. 28.* dicitur: *Qui declinat aurem suam ne audiat legem , oratio eius fiet execrabilis.* Secunda autem spes iustorum est , quod non deficit eis temporalis consolatio in tempore tribulationis , fruuntur delectatione divina , et delectantur in laude ipsius; sed hoc ab impiis excludit subdens, *Aut poterit in omnipotente delectari ?* quem scilicet non diligere in operibus comprobatur: *Et invocare Deum omni tempore ?* ex magna enim delectatione Dei provenit , quod semper sit in aliquorum ore laus Dei. Et quia ostenderat parum valere bona temporalia , quae impii possident , sine spe iustorum , quam sancti habent , ostendit consequenter temporalia bona , quae interdum impii possident , fragilia esse : et ad assertionem eorum quae dicturus est, duo praemittit: primo quidem quod ea, quae dicturus est, sapientiae divinae conveniunt ; unde dicit , *Docebo vos per manum Dei*, idest per virtutem ipsius: *Quae Omnipotens habeat* , scilicet in sua sapientia quasi certum. *Nec abscondam* , quae scilicet , Deo instruente me , didici. Secundo ostendit , quod ea quae dicturus est, tam sunt manifesta, ut etiam ipsi ea ignorare non possint; unde subdit, *Ecce vos omnes noscitis*, scilicet vera esse quae dicturus sum : et ideo mirum est , quod tam irrationabiliter contra veritatem manifestam loquimini; et hoc est quod subdit, *Et ut quid sine causa vana loquimini ?* idest ea quae rationis fulcimentum non habent : solent enim homines hebetes cum cognoscant praemissa , non advertere quid ex eis sequatur. Est autem considerandum , quod cum Deus sit creator omnium et gubernator , omnes ab eo suscipiunt aliquid , quasi haereditatem suam a patre : mali autem homines quasi suam partem , et suam haereditatem a Deo accipiunt bona temporalia huius mundi : unde ex eorum persona dicitur : *Haec pars vestra, et haec est sors;* e converso autem boni percipiunt quasi suam partem , et haereditatem spiritalia bona , secundum illud *Ps. 15. Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi.* Describens ergo, quam fragillis sit et caduca pars impiorum, quam in rebus temporalibus accipiunt, dicit: *Haec est pars impii apud Deum*, idest tale est, quod eis in sortem venit, dum bonis spiritalia, et eis temporalia distribuuntur: *Et haereditas violentorum*, idest iniuste acquirentium temporalia bona: *Quam ab omnipotente suscipiant*, eo scilicet permittente, et facultatem praebente, sicut *supra 22.* dictum est, *Cum ille implevisset domos eorum bonis.* Ostendit autem , hanc partem sive haereditatem esse caducam: primo quidem , quantum ad hoc, quod frequenter circa impiorum prolem accidit, quod tamen inter temporalia bona potissimum reputatur. Contingit autem quandoque quod impiorum filii, qui in hoc mundo prosperati sunt, occiduntur; unde dicit, *Si multiplicati fuerint filii eius*, quod scilicet ad magnam prosperitatem computabatur : *In gladio erunt* , idest occidentur. Et quamvis raro contingat, quod divitum filii ad magnam paupertatem deveniant , tamen hoc circa nepotes et posteros frequenter contingit; unde subdit , *Et nepotes eius non saturabuntur pane*, scilicet propter inopiam. Quantum autem ad alios familiares eius subdit, *Qui reliqui fuerunt ex eo* , scilicet domestici et amici: *Sepelientur in interitu*, idest absque solemnitate quasi occisi: unde et quantum ad uxores subdit , *Et viduae illius non plorabunt*, quod scilicet fieri solet in solemnibus sepulturis. Sicut ergo fragilis est et caduca eorum felicitas, quantum ad filios et amicos, ita etiam quantum ad divitias possessas , inter quas quaedam sunt divitiae artificiales, scilicet pecunia, quae est adinventa quasi mensura commutationis rerum , ut Philosophus dicit : et quantum ad hoc subdit, *Si cum portaverit quasi terram argentum*, idest si tantam copiam pecuniae acquirat, quanta habetur terra. Aliae vero sunt divitiae naturales , quae scilicet hominum naturali necessitati subveniunt, sicut panis, et vinum, et vestimenta, et alia huiusmodi; et quantum ad hoc subdit, *Et sicut lutum praeparaverit vestimenta* , ut scilicet tantam eorum copiam habeat, quantam et luti. *Praeparavit quidem*, idest habuit solicitudinem in praeparando, alius tamen habebit fructum , et quandoque bonus, qui circa hoc non solicitatur; unde subdit, *Sed iustus vestietur illis* , scilicet vestimentis ad suam necessitatem: *Et argentum innocens dividet*, idest distribuet , et dabit pauperibus. Non reservabit coacervatum, quod contra innocentiam esset. Pertinet etiam ad prosperitatem terrenam spatiositas domorum; sed etiam hoc ostendit esse caducum propter duo : primo quidem, quia quandoque sibi domum aedificat per violentiam in loco alieno, a quo depellitur; unde subdit, *Aedificavit sicut tinea domum suam*, quae scilicet corrodendo vestem alienam praeparat sibi locum, a quo, excussa veste, deiicitur. Alio modo, quia etsi in solo proprio domum aedificet, non tamen est sibi datum , ut diu illius possessionis curam et dominium habeat , sed ad modicum temporis ; unde subdit, *Et sicut custos*, scilicet vineae, *Fecit umbraculum*, quod scilicet deiicitur finito tempore custodiae eius. Quomodo autem acquisita bona amittat, ostendit subdens: *Dives cum dormierit* , idest cum mortuus fuerit : *Nihil ex his quae possidet secum auferet* , scilicet in alia vita : *Aperiet oculos suos* , scilicet in resurrectione: *Et nihil inveniet:* quia scilicet non revertetur ad temporalia bona possidenda. Quandoque et in hac vita subito ea perdit, ad modum, quo pluvia subito homini supervenit; unde subdit, *Apprehendet eum quasi aqua*, scilicet pluvialis: *Inopia*, idest subito superveniet ei. Et quamvis pluvia in die aliqualiter praevideri possit, in nocte tamen omnino praeoccupat hominem; unde subdit , *Nocte opprimet eum tempestas*, scilicet adversitatis, idest omnino ex improviso. Ultimo autem ostendit fragilitatem mundanae prosperitatis, quantum ad ipsam personam hominis, quae quandoque perit per aliquam febrem, vel per aliquam persecutionem ; et quantum ad hoc subdit , *Tollet eum ventus urens*, idest occidet eum: *Et auferet* , scilicet a societate viventium : et hoc fiet subito , et ex improviso; unde sequitur, *Velut turbo rapies eum de loco suo* , idest violenter et absque mora. Quandoque vero non ab interiori infirmitate, sed ab exteriori persecutione occiditur; unde subdit , *Et mittet* , scilicet Deus: *Super eum*, aliquem persecutorem , qui potentior eo sit, cui non possit resistere: *Et non parcet* , ipse scilicet persecutor, unde ipse impius , *De manu eius*, idest de potestate eius *Fugiens fugiet* , vel per mortem, vel postquam occiderit, non habet amplius

quid faciat. Eo autem mortuo, amicis eius remanet stupor et luctus; unde subdit, *Stringet super illum manus suas*, quasi prae stupore: *Et sibilabit super illùm*, quasi compatiens ei: *Intuens locum eius*, idest considerans eius pristinam dignitatem.

## CAPITIS VIGESIMIOCTAVI

### LECTIO PRIMA.

Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, et lapis solutus calore in aes vertitur. Tempus posuit tenebris: et universorum finem ipse considerat: lapidem quoque caliginis et umbram mortis. Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis et invios. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est. Locus sapphiri lapides eius, et glebae illius aurum. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leaena. Ad silicem extendit manum suam: subvertit a radicibus montes. In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit oculus eius. Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem.

### LECTIO PRIMA.

Supra Iob ostenderat quam fragilis et caduca sit pars impiorum, quam a Deo recipiunt; nunc autem ostendere intendit e contrario dignitatem spiritalis boni, quod homines iusti a Deo percipiunt etiam in hoc mundo; quod quidem spiritale bonum sub sapientia comprehendit. Et ideo intendit praeferre sapientiam omnibus rebus, et quantum ad originem, et quantum ad pretiositatem. Et incipit primo ostendere, quod omnia, quae in rebus corporalibus pretiosa videntur, habent in certis locis originem; et incipit a metallis, quae apud homines pretiosa habentur. Est autem considerandum, quod metalla generantur ex vaporibus humidis resolutis a terra per virtutem solis, et aliarum stellarum, et in terra retentorum; unde et metalla ductibilia et liquabilia sunt, sicut e contrario lapides et alia huiusmodi quae non molliuntur, neque funduntur, generantur ex sicca exhalatione intra terram retenta. Diversificantur autem metallorum species secundum maiorem vel minorem puritatem vaporis resoluti, et secundum differentiam caloris digerentis, inter quae aurum videtur purissimum, et post hoc argentum, et sub hoc aes, infimum autem ferrum: et secundum maiorem vel minorem puritatem, metalla ut plurimum habent diversas origines. Quia ergo aurum est purissimum, invenitur ut plurimum generatum in sua puritate inter arenas fluminum propter multitudinem evaporationis et caliditatem arenae. Argentum autem invenitur ut plurimum in quibusdam venis terrae, vel etiam lapidum; aes autem invenitur ut incorporatum lapidibus; ferrum autem quasi in terra faeculenta, nondum perfectam digestionem habente, ut sit perventum usque ad generationem lapidis. Enumerans ergo diversa metallorum loca dicit: *Habet argentum venarum suarum principia*, scilicet in aliquibus determinatis locis, ex quibus tales vapores resolvuntur, qui sunt apti ad generationem argenti: et sic dum miscentur terrae, vel lapidi praedicti vapores, efficiuntur ibi venae argenteae. Quantum autem ad aurum subdit, *Et auro locus est in quo conflatur*: quia scilicet, ex multis arenis colliguntur quaedam granula auri, quae in unum ligantur; quod quidem non fit in omni loco, sed in aliquo loco determinato, in quo concurrit debita proportio virtutis activae ad materiam proportionatam tali speciei. Deinde quantum ad ferrum subdit, *Ferrum de terra tollitur*, scilicet, quia in terra quasi indigesta invenitur. Deinde quantum ad aes dicit, *Et lapis*, cui scilicet vapor proportionatur, naturae eius permiscetur: *Solutus calore*, scilicet ignis vehementis: *In aes vertitur*, dum scilicet id quod est ibi de natura aeris, per calorem ignis eliquatur. Deinde prosequitur de aliis rebus, quae habent determinatum tempus et locum ex dispositione divina, unde divinae cognitioni subiacent, pluraque ipsorum, quae ab hominibus sunt occulta. Occultantur autem a nobis et sol, et alia multa per tenebras noctis, sed hoc fit per dispositionem divinam; unde dicit, *Tempus posuit tenebris*. Occultantur etiam quaedam a nobis per eorum corruptionem, dum resolvuntur in sua principia, quae Deo sunt nota, nobis autem occulta; unde subdit: *Et universorum finem ipse considerat*, idest terminum resolutionis rerum. Inveniuntur etiam quaedam ab hominibus occulta propter locum invium, sicut quandoque sunt quidam montes inaccessibiles, in quibus sunt quaedam invisa hominibus: et quantum ad hoc subdit, *Lapidem quoque caliginis*, idest aliquam rupem alicuius excelsi montis, quae quasi semper caligine nebularum obtegitur: *Et umbram mortis*, idest aliquem locum umbrosum inter convalles montium, ad quae vitalis calor solis nunquam pertingit: *Dividet torrens a populo peregrinante:* solent enim in radicibus quorundam montium defluere innumerabiles torrentes, ita quod ex una parte torrentis est via per quam peregrini transeunt, et ad aliam partem ripae non patet accessus. Contingit autem quandoque quod in huiusmodi inaccessibilibus locis, aliqui rari homines habitant, ad quos etiam pauperes qui omnia circumeunt, accedere non possunt propter accessus difficultatem; unde subdit, *Et torrens dividit a populo peregrinante eos*, scilicet homines. *Quos*, in locis inaccessibilibus habitantes: *Oblitus est pes egentis hominis*, ut scilicet ad eos non accedat, *Et invios*, idest propter hoc quod ad eos via non patet. Sunt etiam quaedam loca non propter situm, sed propter aliqua accidentia inaccessibilia, puta quia per aliquam alterationem subvertuntur, ut legitur *Gen. 19.* de Sodoma et Gomorra; unde subdit: *Terra de qua oriebatur panis in loco suo*, idest quasi in proprio et convenienti loco: *Igni subversa est*, scilicet subversionis eius causa ex superabundantia caloris procedit. Calore autem superabundante, sequitur quod resolutiones tam siccae quam humidae ad magnam digestionem perveniant, ut exinde generentur aliqua pretiosa, puta lapides, vel metalla; unde quantum ad

lapides pretiosos, qui generantur ab exhalatione sicca, subdit, *Locus sapphiri lapides eius*, scilicet terrae subversae igni. Quantum autem ad pretiosa metalla quae generantur ex vaporatione humida, subdit, *Et glebae illius aurum*. Huiusmodi autem loca sic subversa propter corruptionem aeris ex abundantia sulphuris, non solum homines vitant, sed etiam animalia bruta; unde primo quantum ad aves, de quibus minus videtur, dicit, *Semitam*, scilicet illius terrae: *Ignoravit avis*, quia scilicet super eam volare non audet, propter aeris corruptionem, nec etiam appropinquare; unde subdit, *Nec intuitus est*, scilicet eam: *Oculus vulturis:* qui tamen valde a remotis solet videre. Vel potest aliter exponi. *Terra illa ignoravit*, idest non exposita ad semitam avis; quasi scilicet nec avis per eam transit: *Nec intuitus est*, scilicet aliquis in terra illa oculos vulturis. Deinde quantum ad homines dicit, *Non calcaverunt eam filii institorum*, idest mercatorum, qui tamen difficilia loca solent adire ad lucrandum. Deinde quantum ad quadrupedia subdit, *Nec pertransibit per eam leaena*, quae silvestria loca inhabitat. Haec autem quamvis hominibus sint occulta, Deum tamen non latent, qui et in montibus, et in fluminibus suam virtutem exercet; unde subdit: *Ad silicem*, idest ad montes lapidosos: *Extendit manum*, idest potestatem suam: et hoc in duobus effectibus manifestat: primo per hoc quod montes quandoque funditus diruunt; et hoc est quod subdit, *Subvertit a radicibus montes*. Secundum autem est quod inter medium montium pertranseunt aquae, quasi divina virtute esset eis via excisa a Deo in petris; unde subdit, *In petris rivos excidit*, idest meatus rivorum. Et sicut potentia sua se extendit ad omnia magnifica facienda, ita eius sapientia se extendit ad omnia pretiosa cognoscenda; unde subdit, *Et omne pretiosum vidit oculus eius:* si enim ipse montes potest subvertere, si potest petras excidere, et similem potestatem exercere in totam terram, conveniens est, quod pretiosa videat quae ibi latent, quamvis oculus hominis ea videre non possit: et non solum ea quae latent in terris oculus eius videt, sed *Profunda quoque fluviorum scrutatus est*, idest ea quae in profundis fluviorum latent, ita perfecte cognoscit, sicut si ea scrutaretur: et hoc signum est, quia, *Abscondita produxit in lucem*, ad manifestationem hominum.

## LECTIO II.

Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiae? Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit, non est in me: et mare loquitur, non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiae coloribus: nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel sapphiro. Non adaequabitur ei aurum vel vitrum; nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa et eminentia non commemorabuntur comparatione eius; trahitur autem sapientia de occultis. Non adaequabitur ei topazius de Aetiopia; nec tincturae mundissimae componentur. Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium; volucres quoque caeli latet. Perditio et mors dixerunt, Auribus nostris audivimus famam eius. Deus intelligit viam eius, et ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quae sub caelo sunt, respicit. Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus: Tunc vidit illam, et enarravit, et praeparavit, et investigavit. Et dixit homini, Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia.

## LECTIO II.

Quia ostenderat omnia pretiosa, quae in corporalibus inveniuntur, determinatis locis contineri, quae si ignota sint hominibus, sunt tamen cognita Deo; ad ostendendum eminentiam sapientiae primo inducit, quod determinato loco non continetur; unde dicit, *Sapientia vero ubi invenitur?* quasi dicat, Nullo corporeo loco concluditur, quia non est aliquid corporale. Ea vero quae sunt in corporibus pretiosa, non solum ipsa, sed et eorum principia locis corporalibus concluduntur. Sed hoc de sapientia Dei non potest dici; unde subdit, *Et quis est locus intelligentiae:* intellectus enim est principium scientiae, et sapientiae. Sicut autem sapientia non concluditur loco, ita etiam nec intelligentia, quae est principium eius. Secundo ostendit dignitatem sapientiae, eo quod pretio aestimari non potest; unde subdit, *Nescit homo pretium eius*, idest nihil quod homo cognoscat, est sufficiens sapientiae pretium. Utrumque autem praemissorum per consequentia manifestat: et primo quidem quod dixerat, sapientiam in loco determinato non inveniri. Inveniuntur autem quae apud homines pretiosa reputantur, partim quidem apud homines deliciosos, qui pretiosa lapidum, et metallorum congregare nituntur; sed in talibus non invenitur sapientia; unde subdit, *Nec invenitur in terra suaviter viventium*, idest deliciosorum, quia ipsi maxime a sapientiae perceptione impediuntur, cor habentes deliciis occupatum. Partim autem inveniuntur huiusmodi pretiosa corporalia in aliquibus profunditatibus obscuris; sed non est ita de sapientia; unde subdit, *Abyssus dicit, non est in me*, quod scilicet ea quae in absconditis profundorum latent, maxime sapientiae humanae sunt abscondita. Partim autem inveniuntur in mari: tum quia ibi generantur, sicut margaritae in conchis marinis: sive quia ibi depereunt in navibus ibi submersis; sed non est ita de sapientia, tum etiam quia per mare solent huiusmodi pretiosa de loco ad locum portari; unde subdit, *Et mare loquitur, Non est mecum*. Quinimmo ea quae sunt in mari, maxime latent sapientiam humanam. Deinde manifestat id quod dixerat de hoc quod sapientia pretio aestimari non potest, et enumerat ea quae sunt apud homines pretiosissima, dicens: *Non dabitur aurum obrizum*, idest purissimum: *Pro ea*, quia nullo auro potest pretium sapientiae aestimari. Post aurum autem inter caetera pretiosius reputatur

argentum, de quo subdit, *Nec appendetur argentum in commutatione eius.* Sunt etiam praeter metalla pretiosissimi lapides diversorum colorum, qui maxime inveniuntur in India, de quibus subditur, *Non conferetur*, idest non comparabitur sapientiae: *Tinctis Indiae coloribus*, idest lapidibus pretiosis, diversis coloribus naturaliter in India tinctis. Et subiungit de quibusdam pretiosis lapidibus, qui etiam in aliis terris inveniuntur; unde subdit, *Nec lapidi sardonico pretiosissimo*, qui scilicet est compositus ex duobus lapidibus, scilicet ex Sardio, qui est rubei coloris, accendens animum ad gaudium, et acuens ingenium, et Onichino, qui ab eo ligatur, quasi habentes quasdam noxias virtutes, scilicet excitandi tristitias, et timores; cuius nocumentum refrenatur per Sardium: unde proprietatem habere dicitur, quod luxuriam depellat, hominem castum et pudicum reddens: unde et pretiosissimus nominatur. Subdit autem, *Et sapphiro*, qui est caelestis coloris, qui etiam pretiosus est propter multas virtutes quas habet: nec refert quod aliqui alii lapides pretiosiores sunt, quia pretia lapidum non sunt eadem, nec in omnibus locis, nec in omnibus temporibus. Subdit autem de iis qui hanc habent pretiositatem ex pulchritudine, dicens, *Non adaequabitur ei aurum*, quod habet pulchritudinem ex splendore, vel vitrum, quod habet pulchritudinem ex perspicuitate, quamvis non sit praecellens pretii aestimatione. Subdit autem de iis quae habent pulchritudinem ex artificio, cum dicit, *Non commutabuntur pro ea vasa auri excelsa*, scilicet quantitate: *Et eminentia*, scilicet in comparatione. Et sicut non possunt pro sapientia commutari, ita etiam omnia praedicta nihil reputantur in comparatione ad sapientiam; unde subdit, *Nec commemorabuntur in comparatione eius*, idest non est dignum, quod vel memoria de his habeatur, cum fit de excellentia sapientiae mentio. Et quia dixerat quaedam corporalia esse occulta, et ob hoc pretiosa reputantur, consequenter ostendit quod haec etiam pretiositas sapientiae deest, cum subdit, *Trahitur autem sapientia de occultis:* est enim humanae sapientiae origo occulta dupliciter. Uno modo ex parte intellectualis luminis, quod derivatur ad nos ab occultissima omni causa, scilicet a Deo. Alio modo ex parte rerum cognitarum, quare occultas proprietates et essentias sapientia inquirit, et ex his in divinorum cognitionem ascendit, quae maxime sapientiae appropriatur; unde concludit quod neque ratione pretiositatis, neque ratione occultationis aliquid potest ei comparari, neque in lapidibus pretiosis; unde subdit, *Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia*, qui sic vocatur a loco primaevae suae inventionis: vel quia in colore auri similitudinem praetendit. Quantum autem ad pretiosas vestes subdit, *Nec tincturae mundissimae*, idest cuiuscumque panni serici vel lanei: *Componentur*, idest comparabuntur sapientiae. Quia ergo sapientiam incomparabilem dixerat, et occultam habere originem, inquirit, unde sit eius principium, cum subdit, *Unde ergo sapientia venit*, et unde derivatur, *Et quis est locus intelligentiae?* a quo principio homines lumen intellectus participant. Ostendit autem hoc principium excedere omnem cognitionem humanam; unde subdit, *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, quia fons sapientiae est Verbum Dei in excelsis, ut dicitur *Eccl. 1.* Fuerunt aliqui auguriorum sectatores, qui traderent quasdam aves augurales, quendam affectum sapientiae participare supra homines, inquantum scilicet ex eis ad homines pervenire credebant cognitionem futurorum; sed quod sapientia hanc coniecturam excedat, ostendit subdens, *Volucres quoque caeli latet.* Per quod potest intelligi quod origo sapientiae excedit caelestia corpora, a quibus huiusmodi aves moventur. Sunt etiam aliqui, qui a mortuis futurorum cognitionem exquirerent; sed nec hoc attingit ad sapientiae originem; unde subdit, *Perditio et mors dixerunt, auribus nostris audivimus famam eius.* Et recte famam sapientiae morti et perditioni attribuit, quia perditio et mors important recessum et elongationem a bonis, quae sapientiam consequuntur. Possunt tamen tria praedicta secundum metaphoram ad tria rationalis creaturae pertinere, ut quod dicit, *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, referatur ad homines; quod vero subdit, *Volucres caeli latet*, referatur ad angelos; quod vero additur, *Perditio et mors dixerunt, audivimus famam eius*, referatur ad daemones, qui a Deo damnabiliter elongati, a remotis quasi ex sola fama divinae sapientiae notitiam habent. Ut ergo ostendat sapientiae radicem, subdit, *Deus intelligit viam eius*, idest totum sapientiae processum, dum et ipse est et origo sapientiae, et locus intelligentiae. Et quia ipse seipsum perfecte novit, ideo subdit, *Et ipse novit locum illius*, idest seipsum, in quo plene sapientia invenitur sicut in prima origine. Derivatur autem sapientia ab ipso in omnes creaturas, quae per Dei sapientiam fiunt, sicut ars derivatur a mente artificis in opera eius: unde dicitur *Eccl. 1.* quod *Deus effudit sapientiam super omnia opera sua:* unde et ipsa universitas creaturarum est quasi quidam sapientiae secundarius locus. Et ideo ad ostendendum quod Deus cognoscit sapientiae locum, subiungit, quod ipse cognoscit universitatem creaturarum. Primo quidem hoc ostendit quantum ad extremas creaturas super quibus aliae continentur; unde subdit: *Ipse enim fines mundi intuetur*, idest excellentiores creaturas, in quibus ordo creaturarum terminatur ab inferioribus ascendendo, sicut sunt caelestia corpora, et caelestes spiritus. Deinde hoc ostendit quantum ad alias creaturas sub eis contentas, sicut sunt elementa; unde subdit, *Et omnia quae sub caelo sunt respicit.* Et ne aliquis crederet, quod notitiam rei habeat a rebus acceptam, sicut nos habemus, ostendit consequenter quod cognoscit res sine omni causa: unde subdit, quantum ad quasdam creaturas, scilicet ventos et pluvias, *Qui fecit ventis pondus*, idest dedit eis inclinationem motus, ut scilicet quandoque moveantur ad hanc partem, quandoque ad illam. Deinde loquitur de pluviis: et primo quidem secundum quod sunt vaporabiliter elevatae in nubibus; unde subdit, *Et aquas*, scilicet vaporales: *Appendit*, idest appensas tenet in aere: *Et hoc in mensura*, ne scilicet, si superexcederent, aut si plus debito diminuerentur, omnia siccarentur. Secundo quantum ad ipsam generationem pluviarum, cum dicit, *Quando ponebat pluviis legem*, ut scilicet certis temporibus et locis descenderent. Tertio quantum ad effectum, praecipue in mari: quod maxime ex immutatione aeris commovetur; unde subdit, *Et viam*, sci-

licet ponebat: *Procellis*, scilicet marinis: *Sonantibus*, scilicet ex magna commotione: quia et huiusmodi procellae certis temporibus, et secundum certam quantitatem consurgunt. Quia vero ex ipsis creaturis sapientiam non acquirit sicut nos, sed potius ex sua sapientia creaturas produxit, ideo subiungit, *Tunc*, scilicet quando creaturas faciebat, *Vidit illam*, idest sapientiam: *In seipso*, inquantum per actualem suae sapientiae considerationem res in esse produxit. Ab ipso autem sapientia derivata est, primo quidem ad angelos, qui facti sunt participes sapientiae divinae; et quantum ad hoc dicit, *Et enarravit*, sapientiam suam eis manifestando. Secundo vero ad universitatem creaturarum, eam per suam sapientiam disponendo; et ad hoc pertinet quod subdit: *Et praeparavit*, scilicet in sapientia sua orbem terrarum. Tertio quantum ad homines, qui non per simplicem apprehensionem percipiunt sapientiam veritatis, sicut angeli, quibus enarratur, sed per inquisitionem rationis ad eam perveniunt; unde subdit, *Et investigavit*, idest homines eam investigare fecit; et hoc est quod subdit: *Et dixit homini*, scilicet per interiorem inspirationem illuminando ipsum, et sapientiam communicando: *Ecce timor Domini*, quem scilicet principaliter tibi do: *Ipse est sapientia*, quia per timorem Domini homo Deo inhaeret, in quo est vera sapientia hominis, sicut in altissima omni causa; *Recedere a malo*, idest a peccato, quo homo amittit Deum: *Est intelligentia:* quia scilicet intelligentia praecipue ad hoc homini est necessaria, ut per intelligentiam discernat mala a bonis: quibus evitatis, per executionem bonorum operum ad sapientiae divinae participationem perveniat. Sic ergo, quia timor Domini est sapientia, et recedere a malo est intelligentia, consequens est, quod iusti, qui Deum timent, et recedunt a malo, habeant sapientiam et intelligentiam, quae praeferuntur omnibus bonis terrenis, quae mali homines possident: et sic manifestum est, quod in hoc salvatur ratio providentiae divinae, quod iustis dantur bona spiritalia, tanquam meliora; malis autem bona temporalia, tanquam caduca.

## CAPITIS VIGESIMINONI

### LECTIO PRIMA.

Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam, et dixit: Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secrete Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei. Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei. Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhaerebat. Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum. Iustitia indutus sum; et vestivi me sicut vestimento, et diademate iudicio meo. Oculis fui caeco, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam praedam. Dicembamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, expectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum. Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Si quando respondebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus, cumque sederem quasi ex circumstante exercitu, eram tamen maerentium consolator.

### LECTIO PRIMA.

Quia Iob in praemissis verbis in universali ostenderat rationibus, ex qua evidenter apparet, non esse contra divinam iustitiam, quod mali prosperantur, et boni interdum in hoc mundo temporali prosperitate carent, quibus conceduntur maiora, scilicet spiritalia bona, manifestat hoc in seipso, quasi in exemplo, intendens eorum confutare sententiam etiam quantum ad hoc, quod asserebant, eum pro peccato adversitates passum. Et primo commemorat prosperitatem praeteritam qua virtuose utebatur, et deinde magnitudinem adversitatis in quam inciderat, et ad ultimum multipliciter suam innocentiam demonstrat. Datur autem intelligi, quod sicut postquam satisfecerat verbis Baldath, Sophar tacente, processerit ad suum propositum ostendendum, ita etiam manifestato proposito, expectavit si aliquis aliorum loqueretur. Omnibus autem tacentibus, ipse iterato sermonem resumpsit; unde dicit, *Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam*, quia scilicet metaphorice locuturus erat: *Et dixit*, *Quis mihi tribuat*, quod ponitur ad desiderium designandum, magis quam ad petitionem formandum, *Ut sim iuxta menses pristinos*, idest ut in prosperitate vivam sicut olim. Et quia hanc prosperitatem non fortunae, neque suis viribus, sed divino attribuebat auxilio, subdit: *Secundum dies quibus Deus custodiebat me*, protegendo scilicet contra adversa, et etiam promovendo dirigebat ad bona, in quibusdam quidem procedendo ad bonos effectus etiam supra meam intentionem; et hoc est quod dicit: *Quando splendebat lucerna eius*, scilicet providentia ipsius, *Super caput meum*, idest mentem meam, dirigens in multa bona, ad quae mens mea non attingebat; in quibus-

dam vero dirigebatur a Deo, quasi ab eo instructus de iis quae erant agenda; unde subdit, *Et ad lumen eius*, idest ad instructionem ipsius: *Ambulabam*, idest procedebam: *In tenebris*, idest in dubiis. Et ut non attribuatur hoc merito institiae praecedentis, subiungit, *Sicut fui in diebus adolescentiae meae*, quando scilicet adhuc non potueram tantam prosperitatem promereri. Deinde seriatim exponit bona status praeteriti, et incipit quasi a principio a familiaritate divina, quam in oratione et contemplatione percipiebat: unde dicit, *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*, idest Dei praesentiam sentiebam, dum secreto in tabernaculo meo orabam et meditabar, quod pertinet ad contemplationem. Quantum vero ad actionem subdit, *Quando erat omnipotens mecum*, quasi scilicet mihi cooperans ad bene agendum. Deinde describit prosperitatem suam ex parte prolis, cum subdit, *In circuitu meo pueri mei:* adolescentis enim patris filios pueros esse oportet. Ulterius autem procedit ad affluentiam rerum, quae pertinent ad usum vitae, cum subdit. *Quando lavabam pedes meos butyro:* apud antiquos enim divitiae praecipue in pecudibus erant; a quibus propter hoc secundum Augustinum Pecunia nominatur: inter fructus autem pecudum pretiosius videtur esse butyrum, quod est lactis pinguedo, cuius affluentiam parabolice designat per pedum lotionem, puta si aliquis diceret, tantum sibi abundare aliquem pretiosum liquorem, usque ad pedum lotionem: et sicut butyrum videtur esse pretiosius inter fructus animalium, ita etiam oleum inter fructus terrarum. Solent autem olivae optimum oleum habentes in locis lapidosis et arenosis esse; unde subdit, *Et petra fundebat mihi rivos olei*: per quod abundantiam designat et fructus bonitatem. Deinde exponit magnitudinem pristinae gloriae, cum subdit, *Quando procedebam ad portam civitatis:* per quod dat intelligere, se habuisse auctoritatem iudicandi, quia apud antiquos iudicia exercebantur in portis: et ut ostenderet se non fuisse quasi unum ex pedaneis iudicibus, subdit, *Et in platea parabat cathedram mihi*, ut per hoc ostendatur singularis dignitatis fuisse. Ostendit autem consequenter autoritatem sui iudicii; primo quidem per signum acceptum ex parte iuvenum, cum dicit, *Videbant me iuvenes*, qui scilicet solent esse ad peccata proclives: *Et abscondebantur*, quasi scilicet meum iudicium formidantes. Secundo quantum ad senes, cum subdit, *Et senes assurgentes stabant*, quia scilicet meo iudicio subiecti: habebant enim auctoritatem non solum ad iudicandum iuvenes, sed etiam senes. Tertio quantum ad civitatum rectores, qui eius iudicio reverentiam exhibebant, primo quidem quantum ad hoc quod verba inchoata dimittebant, dum ille loqui volebat; unde dicit, *Principes cessabant loqui*. Secundo quia eo loquente, ipsum interrumpere non audebant; unde subdit, *Et digitum superponebant ori suo* Tertio quantum ad duces bellorum, qui solent audaciores esse et promptiores ad loquendum, qui tamen coram eo presumptuose et tumultuose loqui non audebant; unde subdit, *Vocem suam cohibebant duces*, scilicet plane et humiliter loquendo: et quandoque intantum stupebant, quod loqui penitus non auderent; unde subdit, *Et lingua eorum gutturi suo adhaerebat*, quasi loqui non valerent. Et quia solent homines tam rigidae auctoritatis a populo potius timeri, quam amari, ostendit se populo amabilem fuisse, quia ad magnanimum pertinet, ut apud magnos auctoritatem servet, et tamen minoribus condescendat; unde subdit, *Auris audiens*, scilicet ab aliis recitari, scilicet gloriam, vel mea iudicia non odiebat, nec invidebat. *Sed beatificabat me*, idest beatum me reputabat, et beatitudinem mihi optabat, et hoc pertinet ad absentes. Quantum autem ad praesentes subdit: *Et oculus videns*, scilicet meam gloriam et iudicia: *Testimonium*, scilicet de virtute: *Reddebat mihi*, scilicet apud alios: et hoc propter opera misericordiae quae exercebam: et hoc primo ostendit quantum ad pauperes; unde subdit, *Eo quod liberassem*, scilicet de manu opprimentis: *Pauperem vociferantem*, idest conquerentem. Secundo quantum ad pupillos; unde subdit: *Et pupillum cui non erat auditor*, scilicet amisso patre. Tertio quantum ad homines in periculis existentes; unde subdit: *Benedictio perituri super me veniebat*, idest ille qui in periculis erat, per me adiutus, mihi benedicebat. Quarto quantum ad viduas; unde subdit, *Et cor viduae consolatus sum*, quae scilicet solatium viri amiserat. Non autem sic in iudicio aliquibus miserendum, quod iustitia relinquatur; unde subdit, *Iustitia indutus sum*, idest undique in processibus meis iustitia apparuit: vestimento enim homo undique circumdatur. Et ut ostendat se non esse coactum, sed voluntate fecisse iustitiam, subdit, *Et vestivi me*, quasi propria sponte iustitiam. *Sicut vestimento*, scilicet undique protegens et ornans. Sicut autem in concertatione bellorum victoribus datur corona, ita etiam et iudex, cum per iudicium suum iustitiae victoriam tribuit, coronam meretur; unde subdit, *Et diademate iudicio meo*: ac si dicat, indutus sum iudicio meo sicut diademate. Et ut ostendat, qualiter simul cum iustitia potuerit misericordiam conservare, subdit, *Oculus fui caeco*, idest instruxi simplices, qualiter in negotiis suis procederent, ne per ignorantiam detrimentum paterentur. Et quia non solum ignorantibus dabat consilium, sed etiam impotentibus praebebat auxilium, subdit, *Et pes claudo*, idest illi, qui non poterat procedere in suo negotio, auxilium dedi ut posset procedere: tuebatur etiam illos qui tutela carebant; unde subdit, *Pater eram pauperum*, scilicet eos protegendo et fovendo. Contingit autem quandoque, quod simplices et impotentes, et pauperes aliqui per fraudulentiam calumniose laudantur, sed contra hoc adhibebat diligentem solicitudinem, ut calumniosos processus malignorum excluderet; unde subdit, *Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam*, ne scilicet aliquid fraudis ibi lateret. Quidam vero per violentiam pauperes opprimunt, eos quodammodo per rapinam deglutientes; quorum violentiam Iob per suam potentiam destruebat: unde subdit, *Conterebam molas iniqui*, idest destruebam violentiae rapacitatem, ne scilicet posset ulterius rapere: *Et de dentibus illius auferebam praedam*, quia scilicet eos restituere cogebam totum id quod iam acceperant per rapinam. Ex praemissis autem bonis operibus confidebat quod eius prosperitas perduraret: cuius continuationem primo describit, quantum ad propriam personam; unde subdit, *Dicebamque, In nidulo meo*

*moriar*, idest sperabam propter praecedentia merita, quod inquiete domus meae moriturus essem, non exui a domo, non etiam domo mea perturbata, nec tamen credebat tempestina morte praeoccupari; unde subdit, *Et sicut palma*, quae scilicet diutissime vivit, *Multiplicabo dies*, scilicet per vitae longitudinem. Secundo describit continuitatem prosperitatis, quantum ad divitias, quarum augmentum describit, subdens, *Radix mea aperta est secus aquas*: arbores enim quae secus aquas radices habent, solent abundare fructibus. Unde per hoc designat temporalium fructuum multiplicationem. Contingit autem quandoque quod fructus alicuius hominis multiplicantur, sed propter aliqua impedimenta supervenientia eos colligere non possunt; unde ad hoc excludendum subdit, *Et ros morabitur in missione mea*. Contingit enim in terris quod propter vehementiam aestus, messores in agris consistere non possunt ad metendum; sed nubes roris eis refrigerium praestat, ut ad metendum non impediantur, secundum illud *Isa. 18. Sicut nubes roris in diebus messis*. Tertio describit processus continuitatem, quantum ad gloriam, cum subdit, *Gloria mea semper innovabitur*, scilicet per bona opera, quae multiplicare proponebat. Quarto quantum ad continuationem potentiae subdit, *Et arcus meus in manu mea instaurabitur:* per arcum enim potentia designatur, talibus enim armis maxime orientales utuntur ad bella. Sic igitur in praemissis describit et severitatem, et misericordiam, quam exhibebat in iudicando; nunc autem tertio ostendit quomodo etiam sapientia utebatur; et primo quidem in iudiciis: et quantum ad hoc dicit, *Qui me audiebant*, scilicet meo iudicio subiecti: *Expectabant sententiam meam*, scilicet credentes etiam se aliquid sapientissimum audire. Quantum vero ad consilia subdit, *Et intenti tacebant ad consilium meum*, scilicet expectantes ipsum, et avide audientes: et postquam consilium dederam, erant eo contenti; unde subdit, *Verbis meis addere nil audebant*, propter scilicet magnam sapientiam, quam in me existimabant: et non solum firmum tenebant meum consilium, sed etiam in eo consolabantur, percipientes illud esse efficax ad suum propositum consequendum; unde subdit, *Super illos stillabat eloquium meum*, idest ad modum stillarum eos refrigerabat. Quia igitur iam dixerat qualis erat in consiliis et in iudiciis, consequenter ostendit qualis erat in communi hominum conversatione. Et primo ostendit, quod erat gratiosus: quia cum erat absens, eius praesentia desiderabatur; unde dicit, *Expectabant me sicut pluviam*, per quam scilicet homines refrigerantur; quando autem erat praesens, ex eius aspectu et sermonibus consolabantur; unde subdit, *Et os suum*, idest suum animum aperiebant, scilicet versus me, ut consolationem reciperent; et hoc est, quod subdit, *Quasi ad imbrem serotinum*, qui scilicet refrigerium praestat post aestum diei. Secundo ostendit, quod erat in conversatione moderatus, neque enim dissolvebatur gaudio; unde dicit, *Si quando ridebam ad eos*, scilicet aliquam magnam laetitiam ostendens: *Non credebant*, scilicet me esse risibus deditum. Similiter etiam non erat per tristitiam depressus; unde subdit, *Et lux vultus mei non cadebat in terram:* solent enim homines maerore depressi oculos ad terram demersos habere. Tertio ostendit, quod non erat immoderatus circa honores, quia scilicet neque eos cupiebat; unde subdit, *Si voluissem ire ad eos*, quod tamen non de facili faciebat: *Sedebam primus*, scilicet apud eos in honore existens, neque tamen erat in honoribus fastuosus; unde subdit, *Cumque sederem, quasi rex circumstante exercitu*, omnibus scilicet me hinc inde admirantibus: *Eram tamen moerentium consolator*, quasi non despiciens eos.

## CAPITIS TRIGESIMI

### LECTIO PRIMA.

Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni. Egestate, et fame steriles, qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria. Et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terrae, vel super glaream. Qui inter huiuscemodi laetabantur, et esse sub sentibus delicias computabant. Filii stultorum, et ignobilium, et in terra penitus non parentes. Nunc autem in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium. Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur: pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et fraenum posuit in os meum. Ad dexteram orientis calamitatis meae illico surrexerunt, pedes meos subverterunt, oppresserunt quasi fluctibus semitis suis. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et praevaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. Quasi rupto muro, et aperta ianua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt. Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum: et quasi capitio tunicae succinxerunt me. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillae et cineri. Clamo ad te, et non exaudis me: sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem: et in duritia manus tuae adversaris mihi. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide. Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: et si corruerint, ipse salvabis. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Expe-

ctabam bona, et venerunt mihi mala: praestolabar lucem, et eruperunt tenebrae. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie; praevenerunt me dies afflictionis. Moerens incedebam, sine furore consurgens in turba clamabam. Frater fui draconum, et socius struthionum. Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt prae caumate. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.

## LECTIO PRIMA.

Postquam enumeraverat multa ad prosperitatem pertinentia, quae in tempore praecedenti habuerat; hic enumerat adversitates, quas non patiebatur: et primo quidem contra gloriam et reverentiam pristinam, ostendit se in praesenti contemptui haberi: tanto autem aliquis gravatur super alicuius contemptum, quanto fuerit persona contemnentis abiectior: unde et ostendit eos, a quibus contemnebatur, esse abiectos multipliciter: primo quidem ex tempore; unde dicit, *Nunc autem derident me iuniores tempore*, contra id quod supra dixerat, *Videbant me iuvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant*. Secundo ex ignobilitate, cum subdit, *Quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei*, idest non reputabam eos dignos, ut eos assumerem ad ministeria domus meae, quantumcunque infima, puta ad custodiam canum; quod per oppositum respondet ei, quod supra dixerat, *Principes cessabant loqui*. Tertio quantum ad modicitatem potentiae; unde subdit, *Quorum*, scilicet deridentium, vel etiam patrum ipsorum: *Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo*, idest omnem eorum potentiam quasi nihilum parvipendebam; et hoc per oppositum respondet ei, quod supra dixerat, *Vocem suam cohibebant duces*. Quarto quantum ad inhonestatem; unde subdit, *Et vita ipsa putabantur indigni*, scilicet propter multitudinem gravium peccatorum: et hoc per oppositum respondet ei, quod supra dixerat, *Auris audiens beatificabat me* etc. Quinto quantum ad paupertatem; unde subdit, *Egestate*, scilicet quantum ad rerum defectum, *Et fame*, quantum ad afflictionem inde consequentem: *Steriles*, idest fructificare non valentes, contra id quod supra de se dixerat, *Petra fundebat mihi rivos olei*. Sexto quantum ad gravem vitam quam ducebant; unde subdit, *Qui rodebant in solitudine*, idest grossis cibis utebantur, quos in desertis quaerebant, puta glandibus, aut aliis huiusmodi, eo quod fructus agrorum non habebant prae egestate; et huiusmodi victus effectus ostendit, subdens, *Squalentes*, idest deturpati: *Calamitate*, quantum ad afflictionem proprii corporis: *Et miseria*, quantum ad adversitates exteriores. Exponit autem consequenter quid rodebant, cum subdit, *Et mandebant herbas*, scilicet agrestes, et crudas, *et arborum cortices, et radix iuniperorum erat cibus eorum*, in quibus grossitiem et vilitatem cibi ipsorum demonstrat. Ostendit autem consequenter, quod nec in huiusmodi tam vilibus cibis abundabant, ostendens quod huiusmodi cibos acquirebant etiam laboriose; quod signat, cum dicit, *Qui de convallibus ista rapientes*, idest cum magna difficultate accipientes propter ascensum et descensum, et in parva quantitate: quod signat, cum dicit, *Cum singula reperissent;* et cum quadam contentione: quod signat, cum dicit, *Ad ea cum clamore currebant*, ut scilicet unus alium praeveniret; et omnia ista per oppositum respondent ei, quod supra dixerat, *Lavabam pedes meos butyro*. Septimo ostendit eorum abiectionem ex parte habitationis, quia scilicet domos non habebant ad manendum: quod signat subdens, *In desertis habitabant torrentium*, idest in alveis torrentium desiccatis: in quibus se protegebant a calore: *Et in cavernis terrae*, scilicet propter umbram: *Vel super glaream*, scilicet propter refrigerium aquae vicinae, vel propter mollitiem arenae; et hoc etiam eis iucundum videbatur, quando talia loca invenire poterant ad manendum; unde subdit, *Qui inter huiusmodi delectabantur*, quasi etiam talium locorum copiam non habentes: et si aliquando contingeret, quod commodiora loca invenirent, hoc quasi deliciosum reputabant; unde subdit: *Et esse sub sentibus*, idest sub umbra parvorum arborum: *Delicias computabant*, quia scilicet talis locus erat commodior ad manendum, quam praemissa. Hoc autem videtur respondere per oppositum ad id quod supra dixerat, *In nidulo meo moriar*. Enumeratis autem per singula miseriis eorum, quasi epilogando colligit quod dictum est, subdens: *Filii stultorum*, scilicet mente, *Et ignobilium*, scilicet genere, *Et in terra penitus non parentes*, idest nulla dignitate vel gloria conspicui. Consequenter exponit, quid ab eis patiebatur; et primo quidem ostendit, quod ab eis irridebatur ore, et in ludis; quod signat, cum dicit, *Nunc in eorum canticum versus sum*, quia scilicet de eo faciebant irrisorias cantilenas: et quantum ad hoc subdit: *Et factus sum eis in proverbium*, quia scilicet in communi quasi proverbiis utebantur infortuniis Iob, inducentes eum in exemplum culpae et miseriae. Secundo ostendit, quomodo contemnebant corde suo; unde subdit, *Abominabantur me*, scilicet quasi vilem et immundum. Tertio ostendit quomodo contemnebant eum facto: primo quidem, inquantum eius praesentiam horrebant; unde subdit, *Et longe fugiunt a me*, contra id quod supra dixerat, *Expectabant me sicut pluviam*. Secundo vero, inquantum ei iniurias irrogabant; unde subdit, *Et faciem meam conspuere non verentur*, scilicet in signum contumeliae et despectus. Ne putaretur propter aliquam culpam commissam in despectum venisse, ostendit causam praedicti contemptus ex parte divinae percussionis, ostendens primo quidem se divinitus afflictum, cum dicit, *Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me;* de pharetra sagittae extrahuntur, quibus aliqui utuntur ad percutiendum. Per sagittas autem intelliguntur divina flagella, secundum quod *supra 6.* dixerat, *Sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum*. Pharetra ergo Dei est divina dispositio, ex qua hominibus adversitates proveniunt; quam apertam esse dicit propter abundantiam adversitatum, ex quibus non solum exterius, sed etiam interius se afflictum dicit. Secundo asserit se impeditum a Deo, ne saltem verbo suas iniurias repellere possit; unde subdit: *Et fraenum posuit in os meum*, quia scilicet per flagella divina sibi auferebatur fiducia respondendi, cum alii ex ipsis flagellis argumenta sumerent contra eum. Ostendit au-

tem consequenter huiusmodi adversitates esse sibi a Deo immissas ex eo quod praeter consuetum modum humanarum adversitatum advenerint : quod quidem primo ostenditur ex loco, unde adversitates adveniunt: solent enim et praecipue in terris illis impugnationes insurgere a parte septentrionali, in qua habitant barbarae nationes, et homines magis feroces et bellicosi, secundum illud *Hier. 1. Ab aquilone pandetur omne malum ;* sed impugnatores beati Iob provenerunt ex parte meridiei, ubi solent homines minus bellicosi et feroces habitare. Dictum est enim supra , quod eius adversitas incepit a Sabaeis qui tulerunt boves et asinas, et pueros occiderunt; unde dicit, *Ad dexteram orientis* , idest ex parte meridiei , quae est dextrum respectu orientis : si quis enim se ad orientem convertat, meridies erit ei ad dextrum: *Calamitates meae illico surrexerunt*, idest statim a principio Sabaeis irruentibus. Secundo ostendit suas adversitates esse praeter communem modum , quantum ad multiplicitatem impugnationis: impugnatus enim fuit etiam quantum ad amissionem bonorum, ex quibus homo habet facultatem operandi, quae per pedes significatur; unde subdit: *Pedes meos subverterunt* , idest omnes facultates meas destruxerunt: et hoc fecerunt faciliter; unde subdit: *Et oppresserunt*, scilicet pedes meos, *Semitis suis*, quasi in suo transitu sine aliqua difficultate; et exemplum addit, cum dicit, *Quasi fluctibus:* fluctus enim maris subito cooperiunt terram sive navem, et totaliter eam absorbent; subversis autem pedibus, et facultatibus, per consequens sequitur, quod eius processus fuerint impediti; unde sequitur, *Dissipaverunt itinera mea*, idest omnes processus operum meorum. Ulterius etiam me in persona persecuti sunt et dolose : quod signat , cum subdit , *Insidiati sunt mihi, et praevaluerunt.* In hoc quod addit, *Et praevaluerunt*, idest sine contradictione , quia non fuit qui eos impediret in hoc facto; unde subdit, *Et non fuit qui ferret auxilium*, scilicet mihi, dum ab eis opprimerer : nec etiam qui eos impediret ne ad me accederent; unde subdit, *Quasi rupto muro et aperta ianua irruerunt super me*, idest, ac si nullum obstaculum fuisset: neque ex ipsa substantia negotii, quod significatur per murum, neque ex solicitudine humana, quod significatur per ianuam. Ad me autem tam libere intrantes, non sunt miserti; unde subdit, *Et ad meas miserias devoluti sunt* , idest totaliter ad hoc intenderunt, ut me miserum redderent. Tertio ostendit huiusmodi adversitates esse a Deo immissas ex effectu earum, quia scilicet per eas totaliter erat destitutus; unde subdit, *Redactus sum in nihilum*, quod dixit, quia nihil ei de pristina prosperitate remanserat: quae quidem in duobus consistebat, uno quidem modo in exterioribus rebus, quae per violentiam amiserat; unde subdit, *Abstulit quasi ventus*, scilicet per violentiam, *Desiderium meum* , idest omne desiderabile quod in rebus exterioribus habebam. Alio modo consistebat eius prosperitas in salute propriae personae: et quantum ad hoc subdit, *Et velut nubes*, idest subito et totaliter, *Pertransiit salus mea*, scilicet meae personae. Ablatis autem desiderabilibus bonis eius anima in tristitia remanebat; unde subdit, *Nunc autem in memetipso marcescit* , scilicet per tristitiam , *Anima mea :* non enim poterat non tristari, filiis , et rebus amissis; recedente autem salute corporali, consequens erat , ut etiam corporalem dolorem sentiret , qui in die nec dabat ei requiem; unde subdit, *Et possident me dies afflictionis*, idest corporalis doloris: quo etiam in nocte aggravabatur; unde subdit , *Nocte os meum perforatur doloribus;* quasi dicat, ita in nocte increscunt dolores mei, quod videtur mihi, quod perveniant usque ad ossium perforationem. Causam autem doloris ex vulneribus putrefactis fuisse ostendit; unde subdit, *Et qui me comedunt* , scilicet vermes ex putredine vulnerum generati, *Non dormiunt* , quia scilicet nullam requiem ei dabant. Et ut eorum multitudinem ostendat, subdit, *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum;* quasi dicat, Tanta est vermium multitudo, quod non solum carnem comedunt, sed etiam vestimenta corrodunt. Et ut ostendat eos non in una tantum parte corporis esse, sed quasi per totum corpus usque ad caput diffundi, subdit, *Et quasi capitio tunicae succinxerunt me;* quasi dicat, Prae multitudine non continentur sub velamine ligaturae vestimenti, sed prorumpunt in apertum, et circumdant collum. Ex huiusmodi autem poena ostendit se abominabilem hominibus factum; unde subdit, *Comparatus sum luto*, ut scilicet mihi prae multitudine putredinis et vermium nullus appropinquare velit, sicut nec luto: *Et assimilatus sum favillae et cineri* , idest deiectus et contemptui habitus. Solent autem, qui ab hominibus despiciuntur, auxilium habere a Deo; sed ipse a Deo relinquebatur in temporali adversitate ; unde subdit , *Clamabo ad te* , scilicet continue petens liberari ab hac adversitate, *et non exaudies me*, scilicet tam cito: *Sto*, idest persevero in orando, *et non respicis me*, scilicet ab adversitate liberando; et ita si considerarem tantum temporalem statum, reputarem te crudelem, et durum hostem; unde subdit, *Mutatus es mihi in crudelem* , secundum scilicet, quod videtur ex exterioribus flagellis, dum nec mihi deprecanti parcis: *Et in duritia manus tuae adversaris mihi* , scilicet graviter me affligendo. Et secundum quod ex exterioribus apparet , videtur quod in malum meum mihi pristinam prosperitatem concesseris; unde subdit, *Elevasti me* , scilicet in tempore prosperitatis, *Et quasi super ventum ponens*, idest in altissimo statu instabili tantum ad modum venti, *Elisisti me valide*, idest graviter me laesisti, quasi de alto in terram proiiciens. Et ne videretur hoc ex desperatione deduxisse, subdit, *Scio quod morti tradas me;* quasi dicat, Non patior hoc quasi inexcogitata, sed scio, quod adhuc ad ulteriorem defectum deducat, scilicet usque ad mortem. Hoc autem dicit se scire propter conditionem mortalis vitae; unde subdit, *Ubi constituta est domus omni viventi*, quia videlicet ad mortem omnes homines tendunt, sicut homo ad suam domum: nec tamen homo per mortem totaliter consumitur , quia remanet anima immortalis; unde subdit , *Veruntamen non ad consumptionem eorum*, scilicet hominum viventium: *Emittis manum tuam*, ut scilicet per tuam potentiam eos in nihilum redigas : *Et si corruerint* , scilicet per mortem: *Ipse salvabis* , animas scilicet beatificando ; et hoc de tua beniguitate spero , quantumcumque in temporalibus adversus mihi crudelis , et durus videaris. His igitur praemissis de pristina prosperitate , et subsecuta adversitate, quasi sub quodam compendio praemis-

sa recolligit, dicens : *Flebam quondam*, scilicet prosperitatis tempore : *Super eo qui afflictus erat*, secundum Apostolum *Rom. 12. Flere cum flentibus;* et compatiebar defectum patientibus, quod ostendit subdens : *Et compatiebatur anima mea pauperi*, scilicet non solum in affectu, sed etiam in effectu, ut supra dixi ; et pro his misericordiae operibus, *Expectabam bona*, supra prospera huius mundi secundum opinionem amicorum suorum: *Et venerunt mihi mala*, id-est adversa : per quod patet eorum sententiam esse falsam : *Praestolabar lucem*, idest consolationem vel consilium quo a malis eriperer: *Et eruperunt tenebrae*, idest amaritudinum, et desolationum. Exponit autem consequenter mala supervenientia : et incipit ab inferioribus malis, cum dicit, *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie :* quod potest referri ad infirmitatem inferiorum viscerum procedentem ex inordinati caloris fervore. Et ut huiusmodi inquietudinem nimis tempestivam ostenderet, subdit: *Praevenerunt me dies afflictionis* : omnes enim homines senectutis tempore affliguntur propter invalitudinem, sed ipse in iuventute fuit praeventus afflictionibus. Deinde quantum ad exteriora subdit, *Moerens incedebam*, idest cum inter homines ambulabam, propter miseriam et tristitiam procedebam, sed licet tristitia sit causa irae; hoc tamen in me non fuit ; unde subdit, *Sine furore consurgens in turba clamavi*, exponens scilicet meas miserias, quae scilicet partim erant ex defectu amicorum, de quibus subdit, *Frater fui draconum*, idest illi, qui me debebant ut fratrem diligere, mordebant me, ut dracones : *Et socius struthionum*, qui scilicet solent oblivisci proprii faetus : ita et ipsi obliti sunt mei, ut mihi non subvenirent. Partim autem erat ei adversitas ex infirmitate corporali ; unde primo quantum ad exteriora dicit: *Cutis mea denigrata est super me*, scilicet propter interiorem corruptionem humorum, et vermium. Deinde quantum ad interiora subdit : *Et ossa mea aruerunt prae caumate*, idest tanta est vis inordinati caloris in me, quod quasi medullae ossium aruerunt. Partim autem consistebat eius adversitas in exterioribus tristitiae signis, in quae commutata erant signa gaudii : quae quidem sunt vel musica instrumenta ; et quantum ad hoc dicit, *Versa est in luctum cithara mea;* quasi dicat, Succedit mihi luctus citharae, qua ad iucunditatem utebar : vel sunt humanae vocis cantica ; unde subdit : *Et organum meum*, quo scilicet utebar ad gaudium: *In vocem flentium*, scilicet versum est.

## CAPITIS TRIGESIMIPRIMI

### LECTIO PRIMA.

Pepigi faedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et haereditatem omnipotens de excelsis ? Nunquid non perditio est iniqua, et alienatio operantibus iniustitiam? Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat ? Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolos pes meus. Appendat me in statera iusta, et sciat Deus simplicitatem meam. Si declinavit gressus meus de via, et si secutus est oculus meus cor meum, et si in manibus meis adhaesit macula. Seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum. Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. Si contempsi subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est : et formavit me in vulva unus ? Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Si despexi praetereuntem eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem. Humerus meus a iunctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus eius ferre non potui.

### LECTIO PRIMA.

Postquam Iob narraverat pristinam prosperitatem, et subsequentem adversitatem ; hic consequenter innocentiam suam ostendit, ne credatur propter peccata in adversitates incidisse. Incipit autem innocentiam suam ostendere per immunitatem a peccato luxuriae, quod plures involvit, quod quidem peccatum in lubrico positum est. Et nisi aliqua principia vitet, vix in posterioribus possit pedem retrahere. Primum autem in hoc peccato est aspectus oculorum quo mulier pulchra aspicitur, et praecipue virgo, secundum autem est cogitatio, tertium delectatio, quartum consensus, quintum opus. Voluit igitur Iob principia huius peccati excludere, ut eo non involveretur; unde dicit, *Pepigi faedus*, idest in corde meo firmavi, sicut pacta firmantur, *Cum oculis meis*, ex quorum scilicet aspectu pervenitur in concupiscentiam mulierum ; et ita ab inspiciendis mulieribus abstinere; *Ut ne cogitarem de virgine*, idest ut nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitatione: videbatur enim esse difficile si in primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem et consensum. Deinde ostendit, quare tam solicite hoc peccatum vitaverit ; et primo quidem rationem assignat ex hoc quod per peccatum luxuriae homo maxime videtur a Deo discedere; accedit autem homo ad Deum per spirituales actus, qui maxime

impediuntur per delectationem veneream ; unde subdit, *Quam enim partem haberet Deus desuper in me;* quasi dicat, Intantum in me Deus partem habet, inquantum ad superiora mea mens rapitur; si vero per luxuriam mens mea ad carnalem delectationem eiiciatur, nullam partem in me Deus desuper habebit. Contingit autem quandoque quod etiam luxuriosi ad horam aliquid de Deo spiritualiter cogitant, sed mox per delectationis concupiscentiam ad ima vocantur; unde pars diei in eis firma esse non potest quasi haereditas ; unde subdit, *Et haereditatem*, idest firmam possessionem : *In me*, scilicet ad inferiora prolapso: *Habere non poterit Omnipotens de excelsis ?* idest qui in excelsis habitat. Unde oportet, quod haereditas eius sit in iis, qui sublimia petunt, scilicet spiritualia, non autem in iis, qui ad carnalia descendunt. Secundo ostendit causam, quare luxuriae peccatum vitaverit ex damno quod homini infert, quod est duplex ; unum quidem corporale, dum scilicet homo propter peccatum luxuriae incurrit periculum personae, et rerum ; unde subdit, *Nunquid non perditio est iniqua;* quasi dicat, Iniquus qui hoc peccato involvitur, in perditionem vadit. Aliud vero damnum est impedimentum a bonis operibus; unde subdit, *Et alienatio operantibus iniquitatem?* quia enim vehemens delectatio magis animum ad se trahit, inde est quod homines luxuriae dediti a bonis operibus discedunt, et etiam a bonis praedicationibus. Tertio assignat causam, quam considerat ex parte divinae providentiae, quae omnia facta hominum prospicit : et sic nullus potest a poena esse immunis ; unde subdit, *Nonne ipse considerat vias meas*, idest processum meorum operum ad remunerandum. Nec solum totalem processum ipse cognoscit, sed et singulas partes illius processus ; unde subdit : *Et cunctos gressus meos dinumerat?* idest omnia etiam modica, quae in actibus meis reprehensibilia videntur, suo iudicio examinat ; et ita non transirem de eis impunitus. Secundo se a vitio dolositatis, utens in hoc et in omnibus subsequentibus quodam iuramento, quod fit per execrationem, dum scilicet homo, si non est verum quod dicitur, obligat se ad poenam ; unde dicit, *Si ambulavi*, idest si processi, *In vanitate*, idest in aliqua falsitate : dicuntur enim vana illa, quae soliditatem non habent ; soliditas autem in anima maxima est per veritatem. Quomodo autem ambuletur in vanitate, ostendit subdens: *Et festinavit in dolo pes meus*, idest affectus meus, et quaecumque alia virtus animae est motionis principium. Signanter autem dicit, *Festinavit in dolo:* quia tunc homo festinare dicitur, quando per aliquas vias dolosas intendit velociter obtinere, quod per viam veritatis cum magna difficultate obtineretur. Quod autem aliquis absque dolo ambulet, considerari potest ex inspectione rectitudinis iustitiae, a qua dolosus declinat; unde subdit, *Appendat me in statera iusta*, scilicet Deus, ut ex eius iustitia discernatur an ego in dolo processerim. Cum autem dolus praecipue in intentione cordis consistat, ille solus potest de dolo iudicare, cui patet cordis intentio, scilicet Deus; unde subdit, *Et sciat Deus simplicitatem meam*, quae scilicet duplicitati dolositatis opponitur. Dicit autem, *Sciat Deus*, non quasi de novo cognosciturus, sed quasi alios de novo scire facturus ; vel quia in ratione suae iustitiae hoc ab aeterno cognovit. Et quia universaliter a se dolum excluserat, descendit ad quaedam spiritalia peccata, quibus aliquis dolose rebus alienis insidiatur, quod quidem contingit in furto, et in adulterio: in furto enim aliquis dolose insidiatur rebus possessis a proximo ; et hoc excludit a se dicens, *Si declinavit gressus meus de via*, scilicet iustitiae contemnendo ipsam: ex quo sequitur, quod homo res proximi insidioso oculo videat ad rapiendum ; unde subdit, *Si secutus est oculus meus*, ad rapiendum scilicet, *Cor meum*, idest desiderium meum; quasi dicat, Si ad hoc habendum oculus meus intendit, quod cor desideravit. Tertio autem contingit, quod homo contempta iustitia et intentione directa ad acquirendum, quod cor concupiscit, adhibet manum ad rapiendum aliena ; unde sequitur, *Et manibus meis adhaesit macula*, scilicet per ablationem rei alienae. Iustum est autem, ut si quis bona aliena rapiat, et bona eius ab aliis diripiantur ; unde subdit : *Seram, et alius comedat;* quasi dicat, Si bona aliena rapui, bona mea ab aliis rapiantur, quod est execrationis iuramentum. Solent autem homines aliena rapere, ut filiis suis divitias congregent, secundum illud *Naum 2. Leo coepit sufficienter catulis suis ;* et ideo iustum est ut homini, qui aliena rapit, non solum sua diripiantur, sed etiam filii moriantur ; unde subdit, *Et progenies mea eradicetur*, cui scilicet videretur rapina fuisse conservata. In adulterio vero homo uxori proximi dolose insidiatur, in quibus insidiis quaedam cordis deceptio praecedit, dum scilicet ratio per concupiscentiam obtenebratur ; unde subdit, *Si deceptum est cor meum super mulierem*, scilicet alienam concupiscendam. Ex quo autem cor a concupiscentia mulieris vincitur, consequens est ut mulierem concupitam quibuscunque dolis habere conetur ; unde subdit : *Et si ad ostium vicini mei insidiatus sum*, ut scilicet eius uxore abuterer. Iuste autem puniri videtur, qui alienam uxorem adulterio polluit, quod etiam eius uxor ab aliis polluatur ; unde subdit, *Scortum alterius sit uxor mea*, ut scilicet aliis se venalem exhibeat. Ex quo sequitur, quod alii ea abutantur ; unde subdit, *Et super illam incurventur alii*, scilicet adulterium committendo. Quare autem hoc peccatum vitaverit, ostendit subdens, *Hoc enim nefas est :* quia scilicet est contra statutum Dei, qui virum et mulierem in matrimonio coniunxit : et si consideretur humana iustitia, *Est iniquitas maxima:* quia scilicet quanto est maius bonum quod surripitur, tanto est iniustitia maior : si quis enim furaretur bovem, maior est iniquitas quam si furaretur ovem; unde et maiori poena punitur, ut habetur *Exo. 22.* Ille autem, qui adulterium committit, maxime quid ei subtrahit, scilicet uxorem, quae est una caro cum ipsa, et prolem certam, et per consequens totam patrimonii successionem, quae propter adulterium quandoque ad extraneum pervenit ; unde subdit, *Ignis est*, scilicet adulterium, *usque ad consumptionem devorans*, quia scilicet defraudat hominem in toto patrimonio, ut dictum est : *Et omnia eradicans genimina*, dum scilicet filiorum successionem facit incertam ; unde dicitur *Eccl. 23. Mulier omnis relinquens virum suum peccabit, statuens haereditatem ex alieno matrimonio.*

Sic ergo postquam expurgavit se de iniustitia, quantum ad hoc quod aliis iniuriam non fecit, nec in rebus surripiendis, nec persona coniuncta abutenda, excusat se consequenter in eo quod iniustitiam non incurrit per iustitiae defectum; unde subdit, *Si contempsi iudicium subire cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me;* quasi dicat, Si minoribus meis iustitiam reddere contempsi, haec et illa gravia mihi accidant. Quare autem cum servis suis iudicium subire non contempserit, ostendit subdens, *Cum surrexerit ad iudicandum Deus*, idest cum apparuerit iudicaturus ipse, cuius iudicium modo despicitur, non haberem ad cuius consilium vel auxilium resurgerem: nec etiam possem Deo rationabiliter in iudicio respondere; unde subdit, *Et cum quaesierit*, idest cum facta mea examinaverit: *Quid respondebo illi?* idest quam rationem reddere potero quare cum servis meis iudicium subire noluerim? quasi dicat, nullum; et hoc ostendit consequenter ex hoc quod naturaliter est eadem conditio omnium hominum; unde subdit, *Nunquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est?* quasi dicat, Eandem animam cum servis meis habeo a Deo creatam, corpus etiam meum eadem divina virtute formatum est; unde subdit: *Et formavit me in vulva unus*, scilicet Deus, qui et illum formavit; et ideo manifestum est, quod cura est Deo, qualiter illum tractem. Postquam igitur ostendit se non fuisse luxuriosum, neque iniustum, consequenter ostendit se non fuisse immisericordem: quod quidem primo ostendit ex hoc, quod beneficia miseris non subtraxit; solent autem quidam pauperi eleemosinam petenti, statim a principio negare, quod petitur; quod a se excludit, dicens, *Si negavi pauperibus quod volebant.* Quidam vero non negant, sed tamen dare differunt; quod a se excludit dicens: *Et oculos viduae expectare feci.* Alii vero non negant, nec dare differunt quae petuntur, sed nihil ex proprio victu dant; sed hoc a se excludit ostendens, quod nec modicis solus voluit uti quin aliis communicaret; unde subdit, *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea*, et subintelligitur, haec, vel illa gravia mihi accidant. Est autem considerandum quod valde signanter loquitur: pauperes enim non solum petere, sed etiam instare solent; unde beneficium misericordiae non subtrahitur eis, nisi per omnimodam negationem; viduae autem petunt quidem, sed instare verentur; et ideo nisi cito eis subveniatur, misericordiae beneficio privantur; pupilli autem nec petere audent: unde oportet, quod etiam eis non petentibus misericordia impendatur. Quare autem tam misericors fuerit, ostendit ex duobus: primo quidem ex antiqua consuetudine quam a pueritia inchoavit; unde subdit, *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio:* quanto enim magis crescebat in annis, tanto magis in misericordiae operibus exercebatur. Secundo quia naturalem inclinationem habebat ad misericordiam, sicut diversi homines ad diversas virtutes quasdam naturales inclinationes habere solent; unde subdit, *Et de utero matris meae egressa est mecum*, quia scilicet ex primis generantibus sic dispositus fui, ut essem ad miserendum promptus. Solet autem esse duplex misericordiae impedimentum; quorum primum est contemptus miseri, quem non reputat miseratione dignum. Consueverunt autem despici, qui vilibus induuntur, et honorari, qui utuntur vestibus pretiosis; unde dicitur *Eccle. 19. Quod amictus corporis enunciat de homine;* sed hoc misericordiae impedimentum a se excludit subdens, *Si despexi praetereuntem*, idest quemcunque extraneum per viam transeuntem: *Et pauperem, eo quod non habuerit indumentum*, scilicet novum: *Eo quod esset absque operimento*, subaudi haec, vel alia mihi accidant. Nec solum non despexi vestimentis carentem, sed etiam de vestimentis providi ei; unde subdit, *Si non benedixerint mihi latera eius*, quae scilicet discooperta operui, et sic fuerunt occasio quod mihi benedixerunt; et rationem huius exponit subdens, *Et de velleribus ovium mearum calefactus est*, scilicet per vestitimenta sibi exhibita, et est subaudiendum idem quod est supra. Aliud autem impedimentum misericordiae est fiducia propriae potestatis, ex qua homini videtur, quod impune possit alios gravare, et maxime inferiores personas; et hoc a se excludit dicens, *Si levavi super pupillum manum meam*, ut scilicet eum opprimerem: *Et cum viderem me in porta*, idest in loco iudicii: *Superiorem*, idest magis potentem. Iustum est autem, ut homo membris privetur, quibus ad iniustitiam utitur; et ideo subiungit amissionem, quasi poenam, non solum manus, sed etiam brachii, in quo radicatur manus, et humeri, cui brachium colligatur; unde subdit, *Humerus meus a iunctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur*, si scilicet manu mea sum abusus ad pauperum oppressionem. Ostendit autem consequenter, quare, licet esset superior, super pupillos manum non levaret, quia scilicet etsi non dimitteret propter hominem, dimitteret tamen propter Deum, cuius scilicet iudicia timebat; unde subdit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum:* et loquitur ad similitudinem in mari navigantium, qui intumescentibus fluctibus super altitudinem navis, timent ne ab eis submergantur, similiter timebat comminationes divinas, quasi fluctus intumescentes: et etiam auctoritati divinae cedebat, ex qua prohibetur pupillorum oppressio; unde subdit, *Et pondus eius*, idest auctoritatem Dei protegentis pupillos: *Ferre non potui*, quin scilicet in me inclinarem.

## LECTIO II.

Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi, fiducia mea. Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare. Et laetatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, et exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius, ut saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo

peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, et librum scribat ipse qui iudicat. Ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronunciabo illum, et quasi principi offeram eum. Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci eius deflent. Si fructus eius comedi absque pecunia, et animam agricolarum eius afflixi. Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina,

## LECTIO II.

Postquam Iob excusavit se de iustitia, et de immisericordia, hic consequenter excusat se de inordinato affectu ad divitias: quod quidem contingit dupliciter: uno modo per hoc, quod homo nimis de divitiis confidit: et hoc excludit dicens, *Si putavi aurum robur meum*, ut in divitiis principaliter virtutem meam reputarem: *Et si obrizo*, idest, si auro purissimo, *dixi fiducia mea*, scilicet tu es, contra id quod Apostolus dicit *1. ad Timoth. ult. Divitibus huius saeculi praecipe, non sperare in incerto divitiarum.* Secundo deordinatur hominis affectus circa divitias per hoc, quod nimis de divitiis gaudet; et ideo quantum ad divitias iam habitas subdit: *Si laetatus sum*, scilicet inordinate: *Super multis divitiis meis*, quas sicut propria possidebam. Quantum autem ad acquisitionem divitiarum subdit, *Et quia plurima reperit manus mea:* solent enim homines de iis quae de novo acquirunt, magis gaudere. Deinde excusat se a peccato superstitionis, quod est contra Deum: colebant autem antiquitus idolatrae stellas caeli, et praecipua luminaria, propter maximam eorum claritatem; et hoc a se excludit dicens, *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare*, propter quae scilicet ab idolatris coluntur; *Et laetatum est in abscondito cor meum*, quasi interiori cultu eis devotus existens: et quantum ad exteriorem cultum subdit: *Et osculatus sum manum meam ore meo*, quasi in eorum reverentiam. Et quare hoc vitaverit, ostendit subdens, *Quae est iniquitas maxima:* si enim iniquum est, ut illud, quod est uni homini debitum, alteri exhibeatur, maxime videtur esse iniquum, ut cultus Deo debitus exhibeatur. Et quia impossibile est, quod homo simul Deo et creaturae exhibeat latriam, ideo subdit: *Et negatio contra Deum altissimum:* si enim quibusdam creaturis nomen Dei per participationem attribuatur, soli tamen Deo altissimo latriae cultus debetur, qui vocatur altissimus, etiam si aliis talis cultus exhibeatur. His igitur praemissis quae pertinent ad communem iustitiam, subiungit quaedam quae pertinent ad perfectionem virtutis, inter quae primo odium inimicorum excludit, quod maxime manifestatur, quando aliquis gaudet de totali ruina eius: et hoc excludit a se dicens, *Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat;* vel de aliquo malo ei superveniente: quod a se excludit subdens, *Et si exultavi, quod invenisset eum malum*, idest ex insperato ei supervenisset. Et quare hoc vitaverit, ostendit subdens, *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius:* naturaliter enim homo desiderat ea, de quibus gaudet, et desiderium interius explicat verbis. Consequens igitur est, ut si aliquis de malis gaudeat, quod ea desideret, et per consequens, quod maledicendo ei malum imprecetur. Deinde perfectionem suae virtutis ostendit quantum ad superabundantiam bonorum, quae aliis exhibuit; et primo quidem quantum ad domesticos suos dicit, *Si non dixerint viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius ut saturemur:* cum enim aliquid est delectabile ad usum comestionis, desiderant homines eius carnibus saturari. Per hoc ergo dat intelligere, quod eius conversatio tam fuit suis domesticis grata, quod eius carnali praesentia saturari. Quantum autem ad extraneos subdit, *Foris non remansit peregrinus*, quia scilicet in domo mea reciperetur, ut scilicet ei non esset difficilis ingressus. Ulterius ad ostendendam suae virtutis perfectionem, quantum ad exclusionem timoris indebiti. Solent autem homines propter confusionis timorem interdum contra iustitiam suam culpam occultare, vel eam negando; quod a se excludit, dicens, *Si abscondi quasi homo*, idest sicut homines, solent facere, *Peccatum meum*, illud scilicet indebite negando, vel excusando, vel etiam astutiis aliquibus palliando; unde subdit, *Et celavi in sinu meo*, idest per aliquam occultam simulationem: *Iniquitatem meam*, cum scilicet eam confiteri vererer. Consequenter autem excludit a se inordinatum timorem corporalium periculorum, qui quidem maxime solent procedere ex multitudine contra hominem insurgente, secundum illud *Eccl. 26. A tribus timuit cor meum: zelaturam civitatis, et collectionem populi etc.* unde dicit: *Si expavi ad multitudinem nimiam.* Additur autem ad hunc timorem, si homo despiciatur a propinquis, a quibus iuvari debuerit; unde subdit, *Et despectio propinquorum terruit me.* Solent autem homines impavidi in contrarium incidere per praesumptionem, et quandoque quidem saltem verbis loquuntur contra fortiores; et hoc a se excludit dicens, *Et non magis tacui:* quandoque autem ulterius procedunt, ut praesumptuose multitudinem adversariorum invadant; sed hoc excludit dicens, *Nec egressus sum ostium.* Et quia multa et magna de se dixerat, super his divinum testimonium invocat; unde subdit, *Quis mihi tribuat adiutorem*, qui scilicet mecum interpellet ad Deum. Et ad quid adiuvari velit, ostendit subdens, *Ut desiderium meum audiat omnipotens:* et quod sit desiderium, exponit subdens: *Et librum scribas*, scilicet meae accusationis vel commendationis super praemissis, *Ipse qui iudicat*, scilicet omnes actus humanos, scilicet interiores et exteriores; et si quidem per huius libri testimonium, idest per certam veritatis manifestationem ego culpabilis appaream, volo portare poenam; unde subdit, *Ut in humero meo portem illum.* Si vero manifestata veritate commendabilis appaream, exinde coronam praemii accipiam; unde subdit: *Et circumdem illum quasi coronam mihi*: per quod dat intelligere suum desiderium esse, ut qui iniuste condemnabatur ab amicis, iusto Dei iudicio re-

servetur. Praedicto autem libro divini testimonii se non contradicturum promittit ; unde subdit , *Per singulos gradus meos* , idest processus operum meorum: *Pronunciabo illum* , idest confitebor veritatem divini testimonii, nec recusabo subire sententiam secundum testimonium divinum ; unde subdit, *Et quasi principi offeram illum* , scilicet gratanter ferens, ut secundum divinum testimonium cum eo agatur. Deinde excludit a se vitium superfluae cupiditatis, etiam in rebus acquirendis ex propriis possessionibus; quod quidem dupliciter manifestatur, uno modo per hoc, quod homo per nimium cultum superfluos fructus a suis possessionibus extrahere nititur ; et ad hoc excludendum metaphorice subdit : *Si adversum me terra mea clamat :* quasi non permiserim eam quiescere ; sed nimis eam coluerim ; unde subdit : *Et cum ipsa sulci eius deflent :* et loquitur per similitudinem hominis , qui nimis angariaretur. Alio modo manifestatur superflua cupiditas per hoc, quod homo operariis suis pretium denegat laboris ; unde subdit , *Si fructus eius comedi absque pecunia*, scilicet soluta operariis : *Et animam agricolarum eius afflixi*, scilicet nimis cogendo ad laborandum , vel mercedem subtrahendo. Est autem debitum , ut qui superflua et inconsueta cupit , etiam debita, et consueta perdat; unde subdit, *Pro frumento* , quod scilicet seminatur ad victum hominis: *Oriatur mihi tribulus* , qui scilicet non solum est inutilis , sed et pungitivus : *Pro hordeo*, quod scilicet seminatur in cibum iumentorum , *Spina* , quae scilicet etiam iumenta pungendo laedit. Quibus praemissis , subditur epilogus , cum dicitur , *Finita sunt verba Iob*, quae scilicet adduxit ad suae sententiae assertionem , nihilque post hoc proposuit.

## CAPITIS TRIGESIMISECUNDI

### LECTIO PRIMA.

Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quod iustus sibi videretur. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzithes , de cognatione Ram. Iratus est autem adversum Iob , eo quod iustum se esse diceret coram Deo. Porro adversum amicos eius indignatus est, eo quod non invenisset responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob. Igitur Eliu expectavit Iob loquentem, eo quod seniores essent quod loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent , iratus est vehementer. Respondensque Eliu filius Barachel Buzithes, dixit: Iunior sum tempore, vos autem antiquiores; idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam. Sperabam enim, quod aetas prolixior loqueretur , et annorum multitudo doceret sapientiam. Sed ut video, spiritus est in hominibus: et inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longaevi sapientes: nec senes intelligunt iudicium. Ideo dicam, audite me: ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus vestris : et donec putabam vos aliquid dicere , considerabam. Sed ut video, non est qui possit arguere Iob, et respondere ex vobis sermonibus eius. Ne forte dicatis, invenimus sapientiam; Deus proiecit eum, non homo. Nihil locutus est mihi; et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. Extimuerunt , nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquium. Quoniam igitur expectavi, et non sunt locuti: steterunt nec responderunt ultra. Respondebo et ego partem meam , et ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo , quod lagunculas novas disrumpit. Loquar et respirabo paululum , aperiam labia mea, et respondebo. Non accipiam personam viri , et Deum homini non aequabo. Nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus.

### LECTIO PRIMA.

Finita disputatione Iob, et trium amicorum eius , subditur disputatio Eliu contra Iob, qui quidem quibusdam acutioribus rationibus contra Iob utitur, quam priores, et magis ad veritatem accedit : unde et Iob ei non respondet. Licet tamen in aliquo a veritate deviet, et verba Iob sinistre interpretetur, ut infra patebit. Praemittitur autem causa ex qua motus fuit ad loquendum, scilicet ex indignatione contra Iob, et contra amicos eius. Praemittit ergo trium amicorum silentium, cum dicit , *Omiserunt autem tres viri isti* , scilicet de quibus supra habitum est: *Respondere Iob.* Ubi notandum est, quod eos viros non nominaret, si non fuisset res gesta, sed parabola conficta. Causam autem silentii ostendit subdens , *Eo quod iustus sibi videretur :* multa enim dixerat Iob , quae ad suae iustitiae ostensionem pertinebant, quibus praedictis tres viri contradicere non valebant. Ex utroque horum, scilicet ex silentio amicorum, et ex hoc, quod Iob sibi iustus videbatur, commotus fuit Eliu, qui astabat, ad iram; et ideo subditur: *Et iratus* , scilicet in corde , *Indignatusque*, scilicet ostendendo irae signa exterius: *Est Eliu* , in quo describitur ex nomine , *Filius Barachel*, in quo describitur ex origine: *Buzithes*, in quo describitur ex patria: *De cognatione Ram*, in quo describitur ex genere; quae tota descriptio ad hoc valet, ut ostendatur ad rem gestam pertinere. Causam irae explicat consequenter ; et primo quidem contra Iob, cum dicit , *Iratus est adversus Iob eo quod iustum se esse diceret coram Deo* , idest secundum divinum testimonium, quod maxime accipi potest ex eo quod dixerat *supra 30. Ipse scit viam meam;* et post subdit , *Vestigia eius consecutus est pes meus.* Quantum autem ad amicos subdit : *Porro adversus tres amicos eius indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem*, qua scilicet responderent verbis eius, quibus se iustum asserebat, sed tantummodo condemnassent Iob, dicentes scilicet eum esse ini-

quum. Ostendit autem consequenter causam quare Eliu prius in nullo responderat Iob, cum subdit: *Igitur Eliu expectavit Iob loquentem*, idest in nullo contradicens eius se monitionibus, *Eo quod seniores essent loquebantur*, eis, scilicet quasi sapientioribus, quod aetas senectutis requirebat. Sed quia non videbatur ei, quod alicui deberet reverentiam exhibere in praeiudicium veritatis, iratus contra tres seniores, ipse iunior respondere incepit; unde dicitur, *Cum autem vidisset, quod tres respondere non potuissent*, scilicet rationibus Iob: *Iratus est vehementer*, quasi existimans quod per illorum ignaviam veritas deperiret: et ideo loco illorum voluit veritatem ut credebat defendere; et hoc est quod subdit: *Respondensque Eliu filius Barachel Buzithes*, scilicet sermonibus et rationibus Iob. In hac autem sua responsione primo excusat pristinum silentium ex sua aetate; unde sequitur, *Dixit, iunior sum tempore;* tum etiam ex illorum antiquitate; unde subdit: *Eos autem antiquiores.* Iuvenes autem debent reverentiam deferre senioribus; unde sequitur, *Demisso capite*, scilicet in signum reverentiae: *Veritus sum indicare vobis meam sententiam*, ne scilicet praesumptuosus viderer impediendo meis sermonibus sapientiorum verba. Probabile autem videtur, quod senes sapientius loquantur propter duo: primo quidem quia iuvenes ex fervore animi frequenter multa et inordinate proponunt; senes autem propter gravitatem aetatis maturius loquuntur; unde subdit: *Sperabam enim quod aetas prolixior loqueretur*, scilicet gravius et efficacius. Secundo vero quia senes per experientiam longi temporis multa cognoscere potuerunt, et per consequens sapientius loqui; unde sequitur, *Et annorum multitudo*, propter quam scilicet experimentum accipi potest: *Doceret sapientiam*, scilicet experimento acceptam. Consequenter excusat se, quare nunc loqui incipiat, quia scilicet expertus est, quod aetas non est sufficiens sapientiae causa, sed magis inspiratio divina; unde subdit, *Sed ut video*, idest per effectum considero, *Spiritus Dei est in hominibus*, inquantum scilicet in eis operatur; et hoc est quod subdit: *Et inspiratio omnipotentis*, quae scilicet hominibus inspirat Spiritum sanctum, qui est spiritus sapientiae et intellectus, *Dat intelligentiam*, scilicet veritatis, quae est sapientiae principium iis, quibus inspirat. Quod autem haec inspiratio sit sapientiae praecipua causa, ostendit per hoc quod aetas non perficit sapientiam, sed causat; unde subdit, *Non sunt longaevi sapientes*, quantum scilicet ad cognitionem divinae veritatis, *Nec senes intelligunt iudicium*, quantum scilicet ad ordinationem humanorum actuum. Et quia licet non esset senex, considerabat tamen se inspiratum a Deo, ideo loqui audebat; unde subdit, *Ideo dicam.* In hac autem sua locutione primo inducit eos ad audiendum ex auctoritate Dei, cuius inspiratione loquebatur; unde dicit, *Audite me*, ut scilicet eius sermonem non interrumpant. Audientibus autem praemittit scientiae documenta; unde subdit, *Ostendam vobis etiam ego*, scilicet quamvis sim iuvenis: *Scientiam meam*, scilicet ex qua respondeo rationibus Iob. Iustum autem erat quod ipsi eum audirent, quia etiam ipse eos audierat; unde subdit, *Expectavi enim*, scilicet diu, *Sermones vestros*, quos scilicet contra Iob protulistis. Et quia reputabat se posse discernere, quid ab eis bene dictum esset, et quid non bene, subdit, *Audivi prudentiam vestram*; quasi dicat, Audiendo diu cogitavi, et diiudicavi quid in verbis vestris ad prudentiam pertineret; non autem parum, sed diu expectaverat. Terminum autem expectationis suae determinat ex duobus: primo quidem ex illorum voluntate; unde subdit: *Donec disceptaretis in sermonibus vestris*, idest donec placuit vobis contra Iob disceptare. Secundo ex spe, quam de eorum sapienti doctrina habebat; unde subdit: *Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam.* Non est autem amplius audiendus, de quo non speratur, quod aliquid utile sit dicturus. Videbatur autem, quod verba eorum quibus contra Iob utebantur, efficacia non erant; primo quidem quia eum rationibus vincere non poterant; unde subdit: *Sed ut video, non est qui possit arguere Iob*, scilicet eum convincendo rationibus. Secundo, quia non poterant eius rationibus obviare: unde subditur, *Et respondere*, scilicet sufficienter: *Ex vobis*, idest ex vestro sensu. *Vel non est qui possit ex vobis*, ex vestro sensu. Vel *Non est qui possit ex vobis*, idest ex vestro numero: *Sermonibus eius*, de quibus scilicet contra vos utitur. Praecipue autem eorum rationes contra Iob fundabantur in hoc, quod adversitates Iob attribuebant divino iudicio, quod errare non potest: quam quidem responsionem esse insufficientem consequenter ostendit dicens, *Ne forte dicatis, invenimus sapientiam*, idest istud sufficit ad sapientem responsionem: *Deus proiecit eum*, in adversitates, qui errare non potest: *Et non homo*, qui potest decipi et decipere. Ipse autem intendebat efficacius respondere; unde subdit: *Nihil locutus est mihi.* Ex quo vult ostendere, quod non loquitur quasi provocatus: *Et ego non secundum sermones vestros respondebo illi*, idest non sequar vias vestras in respondendo; sed alias efficaciores ad respondendum vias inveniam. Intendit autem se de futura responsione excusare, non solum apud ipsos, sed etiam apud alios: et ideo ad alios convertit sermonem suum dicens: *Extimuerunt*, scilicet ulterius loqui, ne manifestius convincerentur: *Nec responderunt ultra*, scilicet rationibus Iob. Et ut ostendat hoc fuisse propter eorum ignaviam, non propter efficaciam rationum Iob, ideo subdit, *Abstuleruntque a se eloquium*, scilicet negligenter tacendo. Quando autem homo efficaci ratione convincitur, non ipse a se aufert eloquium, sed potius ei ab alio aufertur. Quia ergo illi defecerant, dicit se velle eorum defectum supplere; unde subdit, *Quoniam igitur expectavi*, scilicet diu, ut eis deferrem: *Et non sunt locuti*, scilicet respondentes sufficienter sermonibus Iob: *Sed steterunt*, idest cessaverunt et siluerunt, scilicet non resistentes: *Nec responderunt ultra*, scilicet pro testimonio veritatis aliquid dicentes: *Respondebo et ego partem meam*, quia scilicet defensio veritatis pertinet ad omnes: et unusquisque debet ibi ponere, quasi pro parte sua, quod potest. Non solum autem zelo veritatis defendendae, sed etiam ex inani gloria movebatur; unde subdit, *Et ostendam scientiam meam:* quaerit enim inanis gloriae cupidus, ut si quid in se excellens est, manifestet: et ideo consequenter ostendit maximam sibi facultatem animi esse ad respondendum, cum subdit, *Plenus sum enim sermonibus*, quasi abundanter occurrit mihi, quod respondeam.

Et quia facultas non sufficit ad agendum, nisi homo ab aliquo incitetur, ideo subdit, *Et coarctat me spiritus uteri mei.* Uterus est locus conceptionis: unde per uterum hic metaphorice signatur intellectus, intelligibilia diversa concipiens. Spiritus vero uteri est voluntas, impellens hominem ad manifestandum conceptiones cordis per sermonem. Est autem homini molestum, cum non implet quod desiderat; et ideo anxietatem, quam patiebatur tacendo, exponit, per similitudinem subdens, *Est venter meus*, idest mens mea: *Quasi mustum*, scilicet quod servet: *Absque spiraculo quod lagunculas novas disrumpit:* nisi enim vapor musti ferventis ex parte aliqua evaporet, multiplicatur vapor interius quandoque usque ad vasis confractionem: et ita etiam se musto propter iuventutem comparat; et ideo ex magno desiderio loquendi periculum sibi existimat imminere, nisi loquatur; unde subdit, *Loquar, et respirabo paulum*, quia scilicet per verba evaporabo interiorem fervorem, ut ab anxietate desiderii quiescam. Quid autem loqui velit, ostendit subdens, *Aperiam labia mea, et respondebo*, scilicet verbis Iob. Quem autem modum in respondendo observare debeat, ostendit subdens, *Non accipiam personam viri:* ille enim in respondendo personam hominis accipit, qui veritatem relinquit, ut homini placeat, vel deferat. Quare autem hoc ipse facere nolit, ostendit subdens: *Et Deum homini non aequabo.* Talis enim sibi videbatur esse disputatio praesens, ut si homini deferret, excellentiae divinae reverentiam debitam non servaret: quod quidem quare facere timeat, ostendit subdens, *Nescio enim quamdiu subsistam*, scilicet in hac mortali vita, ut possim mihi diuturna spatia temporis ad poenitendum repromittere: *Et si post modicum tollat me factor meus,* per mortem assumat ad suum iudicium. Ex quo patet, quod Eliu in hoc concordat cum Iob, quod retributio peccatorum esset post mortem, alias enim frustra videretur timuisse Deum offendere, propter vicinitatem mortis.

## CAPITIS TRIGESIMITERTII

### LECTIO PRIMA.

Audi igitur Iob eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum: loquatur lingua mea in faucibus meis. Simplici corde meo sermones mei, et sententiam labia mea puram loquantur. Spiritus Dei fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me. Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste. Ecce et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. Veruntamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis. Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi. Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus: et non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas. Hoc est ergo, in quo non es iustificatus.

### LECTIO PRIMA.

Dictum est supra, quod Eliu indignatus fuit contra Iob, et contra amicos eius; postquam autem locutus fuerat contra ignaviam amicorum Iob, nunc contra ipsum Iob incipit loqui: et ideo primo eum ad attentionem excitat dicens, *Audi igitur Iob eloquia mea*, quia scilicet ego iam respondere intendo. Et ut significet singula se cum pondere dicturum, subdit, *Et omnes sermones meos*, quasi nihil sit in vanum dicturus. Et ne Iob quaereret, quare prius locutus non fuerit, subdit, *Ecce aperui os meum;* quasi dicat, Prius dum tacui, os meum clauseram propter reverentiam seniorum, nunc quia ipsi deficiunt, necessitas cogit me loqui; unde subdit, *Loquatur lingua mea in faucibus meis;* quasi dicat, Non sequar verba aliorum, sed proprios conceptus enunciabo. Et quia Iob in praecedentibus contra amicos suos dixerat, quod eum verbis affligebant et confundebant; ideo hoc a se excludit subdens, *Simplici corde meo sermones mei*, scilicet sunt; quasi dicat, Non loquar ad calumniandum vel ridendum, sed simplici animo ad veritatem manifestandam. Et quia praedictis tribus viris Iob imposuerat, quod essent fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum, hoc a se excludit dicens, *Et sententiam labia mea puram loquentur*, idest absque admixtione alicuius falsitatis, vel erroris. Unde autem fiduciam veritatis manifestandae acceperit, ostendit subdens, *Spiritus Dei fecit me:* et ideo non est mirum si suam facturam movet et perficit; et hoc est quod subdit, *Et spiraculum omnipotentis vivificavit me*, scilicet ad opera vitae movet et perficit, inter quae praecipuum est intelligentia veritatis. Et ne videatur hoc induxisse quasi praeiudicium afferre intendens Iob, ne contra divinitus loquentem responderet, subdit, *Si potes, responde mihi*, quantum scilicet ad ea, quae contra te dicam: *Et adversus faciem meam consiste*, ut scilicet tu etiam contra me obiicias, si quid dixero, quod tibi non placet. Et ne Iob dedignaretur cum eo disputare propter suam famosam sapientiam, et illius iuventutem, ad hoc excludendum subdit, *Ecce et me sicut et te fecit Deus:* et ita ex parte factoris uterque nostrum eandem spem veritatis inquirendae potest habere; ex parte vero materiae utrique adiacet idem impedimentum; unde subdit, *Et de eodem luto ego quoque formatus sum*, ex cuius scilicet grossitie lumen intelligentiae obtenebratur. Videbat autem Eliu sibi posse responderi, hoc quasi ad miraculum pertinere, si iuveni tanta sapientia et facundia praeberetur, quod contra sapientissimum senem sufficeret disputare; et ideo, quasi inuens hoc miraculose se esse assecutum, subdit, *Verumtamen miraculum meum non te terreat*, scilicet ut respondere non audeas miraculose scientiam adepto: *Et eloquentia mea non sit tibi gravis;* ut scilicet ex ea obstupescas. His igitur praemissis quasi proaemialiter, subiungit ea, in quibus Iob reprehendere intendit; unde subiungit, *Dixisti ergo in auribus meis;* quasi dicat, Excusare te non potes cum dixeris: *Et*

*vocem verborum audivi*, scilicet per solicitudinem attentionis. Primo ergo in verbis Iob notaverat, quod se immunem esse dixerat a peccato; unde dixit, *Mundus sum ego*, scilicet ab immunditiis carnis, *Et absque delicto*, scilicet peccato omissionis, *Immaculatus*, idest gravibus peccatis quae sunt contra Deum, puta idolatria, vel aliquid huiusmodi, *Et non est iniquitas in me*, ut scilicet proximos laeserim. Secundo notat in verbis eius quod Deo iniquitatem iudicii imposuerit: iniquitas autem iudicii solet ex odio iudicantis procedere. Quantum ad hoc commemorat Iob dixisse, *Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi*, supra quidem *13.* Iob dixerat interrogative, *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?* hoc autem quod dicitur hic, *Querelas in me reperit*, non invenitur dixisse: unde haec est additio Eliu, prave interpretantis verba Iob. Iudicis enim odium iustum esse videtur, si certificatus de malitia alicuius, odio eum habeat ad puniendum; sed si ex levibus querelis iudex provocetur ad odium alicuius, erit odium iniustum: et taliter interpretabatur quod Iob dixerat se a Deo inimicum reputatum esse. Secundo ad iniquitatem iudicis pertinere videtur, si alicui facultatem iustae defensionis auferat: et quantum ad hoc subdit, *Posuit in nervo pedes meos*, idest compedivit, quasi impediendo me a meis operibus. Tertio pertinet ad iniquitatem iudicii, ut quaelibet levia ad condemnationem congreget alicuius: et quantum ad hoc subdit, *Custodivit omnes semitas meas*, quasi in singulis operibus eum observans. Hoc autem Iob non dixerat ad ostendendum perversitatem divini iudicii, sed quasi figuraliter loquens, ut *supra 13.* ostensum est. Unde et ibi praemittitur, *Aenigmata percipite auribus vestris.* Et quia hoc secundum excludit, primum subdit, *Hoc est ergo in quo non es iustificatus;* quasi dicat, Non potes te iustum dicere, quia hoc ipsum ad iniustitiam tuam pertinet, quod Deo iniustitiam imponis.

## LECTIO II.

Respondebo tibi, quia maior sit Deus homine. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo: Tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina, aut avertat hominem ab iis quae fecit, et liberet eum de superbia. Eruens animam eius a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animae illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro eius, et ossa quae recta fuerant nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima eius, et vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis aequitatem. Miserebitur eius, et dicit, Libera eum, ut non descendat in corruptionem; inveni in quo ei propitier. Consumpta est caro eius a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiae suae. Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit, et videbit faciem eius in iubilo, et reddet homini iustitiam suam. Respiciet homines, et dicet; peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. Ecce haec omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet lucem viventium. Attende Iob, et audi me, et tace, dum ego loquor. Si autem habes quid loquaris, responde mihi: loquere, volo enim te apparere iustum. Quod si non habes, audi me: tace, et docebo te sapientiam.

## LECTIO II.

Proposuerat supra Eliu ea, de quibus contra Iob disputare intendebat; verum quia Iob antequam praemissa verba diceret, praemiserat *supra 13. Disputare cum Deo cupio:* videtur autem inconveniens eum qui anhelat ad disputandum cum superiore, revocare ad hoc, quod cum inferiore disputet. Antequam super praemissis cum Iob disputationem Eliu incipiat, de hoc ipso eum redarguit, quo cum Deo disputare cupiebat. Et primo quidem quia hoc ipsum magna praesumptio videtur quod aliquis maiorem se provocet ad disputandum; unde dicit, *Respondebo tibi*, idest tuo desiderio, quod disputare cum Deo cupis, *Quod maior sit Deus homine:* unde praesumptuosum est, quod homo cupiat disputare cum Deo. Et in hoc quidem iuste argueretur Iob, si cum Deo disputare voluisset ad contradicendum quasi de pari. Iob autem cum Deo disputare volebat quasi ad addiscendum, sicut discipulus cum magistro: unde *supra 15.* dixit, *Os meum replebo increpationibus, ut sciam verba quae mihi respondeat:* quod tamen Eliu interpretabatur, quasi haec Iob contentiose contra Deum dixerit conquerendo, quod ei non responderet; unde subdit, *Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi;* quod quidem ex praedictis verbis Iob colligere voluit: et ex hoc quod etiam *supra 19.* dixerit: *Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet: vociferabor, et non est qui iudicet:* quae quidem verba, et si qua similia superius dicta sunt, non per modum contentionis dicebantur, sed quia desiderabat rationes divinae sapientiae cognoscere. Ad repellendum autem praedicta verba Iob, quae interpretabatur Eliu, ac si essent contentiose dicta, consequenter ostendit Eliu, non esse necessarium, quod Deus homini ad singula verba respondeat, si unicuique sufficienter loquitur ad eius instructionem; unde subdit, *Semel loquitur Deus*, scilicet homini sufficienter ad eius instructionem: unde deinceps non oportet, quod ad singulas hominis interrogationes respondeat; unde subdit, *Et secundo idipsum non repetit:* quia quod sufficienter factum est, iterare superfluum esset. Quomodo autem loquatur Deus homini, ostendit subdens, *Per somnium in visione nocturna.* Potest autem et alius esse sensus, ut per hoc quod dixit, *Semel loqui-*

*tur Deus*, scilicet homini, referatur ad mentis instructionem, quae est per lumen rationis naturalis, secundum illud *Ps. 4. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* et quasi respondens subdit, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, per quod scilicet discernere possumus bonum a malo. Et quia naturalis ratio immobiliter in homine manet, ut non sit necesse eam iterare, ideo subdit, *Et secundo idipsum non repetit:* et deinde ostendit aliquando modum quo Deus homini loquitur per imaginariam visionem in apparitionibus somniorum; unde subdit, *Per somnium in visione nocturna:* quod quidem potest referri ad propheticam revelationem, secundum illud *Num. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum.* Vel potest referri etiam ad communia somnia, quae credebat Eliu divinitus procurari; modum autem et ordinem somniorum consequenter exponit. Primo quidem tangens naturalem causam, cum dicit, *Quando irruit sopor super homines*, quod quidem fit debilitatis exterioribus sensibus per vapores descendentes ad principium somniandi. Secundo ponit dispositionem ex parte voluntatis humanae, cum subdit, *Et dormiunt in lectulo*, quia scilicet homines maxime ordinata et significativa somnia vident, quando quiete dormiunt: unde infirmis propter inquietudinem apparent distorta somnia: unde signanter dicitur *Dan. 2. Somnium tuum et visiones capitis tui in cubiculo tuo huiuscemodi fuerunt. Tu rex coepisti cogitare in stratu tuo* etc. Tertio ponit operationem divinam circa dormientem, quae quidem attenditur primo quantum ad hoc, quod debilitatis exterioribus sensibus per soporem in homine in lectulo quiescente, datur divinitus facultas quaedam percipiendi divinam instructionem, quod eius anima circa exteriora non occupatur; unde subdit, *Tunc aperit aures virorum:* et satis convenienter vim perceptivam divinae instructionis in somniis vocat aures, quia de huiusmodi instructione loquitur sicut de quadam locutione, eo quod non fit per inspectionem ipsarum rerum, sed per signa quaedam sicut et locutio. Data autem facultate audiendi, consequens est ut doceat; unde subdit, *Et erudiens eos instruit disciplinam:* et sumitur hic disciplina pro instructione eorum, quae homini occurrunt agenda, vel vitanda, non pro cognitione scientiarum speculativarum, quae non consueverunt in somno revelari; unde subdit, *Ut avertat hominem ab iis quae fecit:* frequenter enim homo in somniis corripitur de peccatis commissis. Et quia principium peccatorum est superbia, qua Dei praecepta contemnuntur, subdit, *Et liberet eum de superbia.* Per hoc autem quod homo liberatur a culpa, consequens est ut evadat poenam: quod quidem consequenter ostendit, quantum ad duplicem poenam: primo quidem quantum ad spiritualem poenam animae; unde subdit, *Eruens animam eius de corruptione*, quae scilicet est per deordinationem potentiarum animae. Secundo vero quantum ad poenam corporalem; unde subdit, *Et vitam illius*, scilicet corporalem: *Ut non transeat in gladium*, puniendus scilicet pro suo peccato. Vel potest utrumque referri ad mortem corporalem, quae quandoque accidit per interiorem corruptionem: sicut cum aliquis ex aegritudine moritur, quam Deus immittit pro peccato; quandoque vero accidit ex violentia gladii. Deinde subiungit modum divinae locutionis, quod scilicet corrigit hominem per aegritudinem corporalem, in qua primo notat dolorem sensibilem; unde dicit, *Increpat quoque*, scilicet hominem de peccatis praeteritis: *Per dolorem*, scilicet corporalem ex aegritudine provenientem; unde subdit, *In lectulo*, secundum illud *Ps. 40. Super lectulum doloris eius.* Secundo tangit debilitatem infirmorum, cum dicit, *Et omnia ossa illius marcescere facit*, idest fortitudinem eius annihilat, quae in ossibus consistit. Tertio ponit amissionem appetitus, cum subdit, *Abominabilis ei sit in vita sua*, idest dum adhuc vivit, scilicet propter infirmitatem, *Panis*, qui scilicet est cibus communis: *Et animae illius cibus ante desiderabilis:* quod defertur ad alios cibos, qui diversimode a diversis desiderantur. Quarto ponit maciem ex hoc provenientem, cum subdit, *Tabescet caro illius*, idest deficiet: et sic per consequens, *Ossa quae recta fuerant*, scilicet carne, *Nudabuntur*, idest manifestabuntur sola cute contecta. Quinto ponit mortis periculum et timorem; unde subdit, *Appropinquabit corruptioni anima eius*, idest vita ipsius quae est per animam; unde subdit, *Et vita illius mortiferis*, idest causis inducentibus mortem. Notandum est autem quod hoc proposuit ad respondendum conquestioni Iob, quod Deus non ad singula ei non respondebat: voluit enim ei per praedicta probare, quod tripliciter ei Deus sit locutus: primo quidem per naturalem rationem, sicut ad omnes homines. Secundo arguendo per somnia: dixerat enim supra, *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.* Tertio per infirmitatem: dixerat enim supra, *Nunc in memetipso marcescit anima mea.* Item considerandum est, quod Eliu, sicut et tres alii, credebat omnes infirmitates pro peccato homini advenire, non tamen principaliter ad puniendum, sicut sonabant verba illorum trium, sed magis ad redarguendum. Et quia Iob non solum videbatur conquestus fuisse, quod Deus ei non loqueretur, sed etiam quod ipse accedere non posset ad colloquendum Deo, et ad ponendum iudicium suum coram ipso, ut patet *supra 23.* ideo huic quaestioni satisfacit: quia etsi homini non pateat manifeste accessus ad Deum, sunt angeli medii inter Deum et homines, qui iustitiam Deo proponunt, non quasi cum instruentes, sed sicut suis desideriis hostes adiuvantes: et sic nihil deperit homini quod ipse per seipsum usque ad solium Dei non potest accedere, ut ei iustitiam suae causae proponat; unde ad hoc ostendendum subdit, *Si fuerit pro eo*, idest pro homine afflicto: *Angelus loquens*, idest intercedens. Et ne timeretur quod unus angelus non sufficeret ad interpellandum pro omnibus, subdit, *Unus de millibus*, secundum illud quod *supra 25* dictum est: *Numquid est numerus militum eius, ut enunciet hominis aequitatem*, scilicet Deo; *Hominis*, scilicet afflicti: *Et dicet*, idest angelo imperabit: *Libera eum*, ut scilicet sicut ipse est allegator iustitiae hominis apud Deum, ita et ipse sit executor divinae misericordiae apud homines. Et a quo liberandus sit, subdit, *Ut non descendat in corruptionem*, idest in mortem. Et ut hanc liberationem Deo esse gratam ostendat, subdit ex persona Dei dictum: *Inveni in quo ei propitier*, idest

apparet in homine aliquid aequitatis, ex quo ei misereri possum quem quaerebam. Et quia primo *supra* 7. quasi reparari non posset dixerat, *Induta est caro mea putredine*, ad hoc excludendum subdit, *Consumpta est caro eius a suppliciis ;* quasi dicat, hoc meae potestati non praeiudicat; unde subdit, *Revertatur ad dies adolescentiae suae*, idest recuperet vigorem sicut in adolescentia. Sic igitur positis Dei verbis liberantis Eliu utens suis verbis describit modum liberationis humanae, dicens: *Deprecabitur Deum;* quasi dicat, Non sufficit quod angelus pro eo loquatur; sed ad hoc quod liberetur, oportet quod ipse etiam pro se oret. Vel aliter potest continuari : quia enim supra ostenderat quod homo non potest conqueri de hoc, quod iudicium suum coram Deo ponere non possit, quia angelus pro eo efficaciter proponit, nunc ostendit quod etiam ipse pro se proponere potest orando. Et ut ostendat etiam hoc esse efficax sicut et primum, subdit, *Et placabilis erit ei*, scilicet Deus homini, secundum illud *Ioel. 2. Benignus et misericors est, et placabilis super malitia:* et ex hoc sequitur in homine fiducia cogitandi de Deo cum quadam spiritali laetitia ; unde subdit, *Et videbit*, scilicet homo: *Faciem eius*, idest considerabit bonitatem ipsius in praesenti quidem vita imperfecte, in futura autem perfecte: *In iubilo*, idest in quodam inexplicabili gaudio; et sic, *Reddet*, scilicet Deus : *Homini iustitiam suam*, idest remunerabit eum pro meritis, remoto impedimento peccati. Sed hoc esse non potest, nisi homo humiliter suum peccatum recognoscat et confiteatur; unde subdit, *Respiciet homines*, quasi ultro se offerens ad confessionem peccati; unde subdit, *Et dicet peccavi*. Et ut non credatur hoc ex humilitate dicere, subdit, *Et vere deliqui*, quod inducit contra Iob : quia supra dixerat *17. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus:* et in sua confessione non murmurabit de poenae gravitate; unde subdit, *Et ut eram dignus non recepi;* quasi dicat, graviorem poenam merui; et hoc videtur dicere contra hoc quod *supra 6.* dixerat, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui:* et fructum humilitatis ostendit subdens, *Liberavit animam suam*, confitendo peccatum, *Ne pergeret in interitum*, idest in mortem corporalem scilicet, vel spiritalem, ut ulterius bona consequeretur; unde subdit, *Sed vivens videret lucem*, scilicet vel corporalem, vel spiritalem sapientiae. Et quia Deus non statim hominem finaliter damnat, sed multoties monet, ideo subdit, *Ecce haec omnia*, scilicet quae pertinent ad instructionem per somnia et increpationem, per dolores et sanationem, *Operatur Deus tribus vicibus*, idest multoties, quamdiu viderit expedire; sed utitur numero ternario, ut congruat humanae consuetudini, per quam solent homines ter moneri vel citari ; et hoc non facit uni tantum, sed omnibus indigentibus; unde subdit, *Per singulos*, quos scilicet viderit instruendos et increpandos: et assignat utilitatem, subdens, *Ut revocet animas eorum a corruptione*, quod pertinet ad liberationem a malo : *Et illuminet lucem viventium*, quod pertinet ad consecutionem bonorum. Et potest utrumque exponi corporaliter, vel spiritualiter. Quod autem dicitur hic de tribus vicibus, referendum est ad duos secundos modos locutionis : nam de primo dictum est, quod secundo id ipsum non repetit. Induxit autem hoc ad ostendendum rationem, quare aliquando peccatores sustinentur in prosperitate, et non statim condemnantur. Et quia videbatur ei, quod efficaciter locutus esset, inducit Iob ad tacite audiendum ea quae restant; unde subdit, *Attende Iob*, scilicet corde; *Et audi me*, scilicet auribus : *Et tace dum ego loquor*, scilicet ne me impedias. Et ne videatur ei auferre facultatem respondendi, subdit, *Si autem habes, quid loquaris, responde mihi.* Et quasi desiderans eius responsionem subdit : *Loquere* : et causam desiderii subdit dicens, *Volo enim te apparere iustum.* quod dicit ad ostendendum, quod non intendebat ad eius confessionem. Et quia non credebat eum iustum, subdit, *Quod si non habes*, quid scilicet pro tua iustitia dicas: *Audi me, tace, et docebo te sapientiam*, quam scilicet ignoras.

## CAPITIS TRIGESIMIQUARTI

### LECTIO PRIMA.

Pronuncians itaque Eliu etiam haec locutus est: Audite sapientes verba mea, et eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, et guttur escas gustu diiudicat. Iudicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius. Quia dixit Iob iustus sum, et Deus subvertit iudicium meum. In iudicando enim me mendacium est violenta sagitta mea absque ullo peccato. Quis est vir ut est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam: Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis ? Dixit enim, Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Ideo viri cordati, audite me: absit a Deo impietas, et ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et iuxta vias singulorum restituet eis. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet iudicium. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, et flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul ; et homo in cinerem revertetur. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei. Nunquid qui non amat iudicium sanari potest? Et quomodo tu eum qui iustus est intantum condemnas ? Qui dicit regi apostata ; qui vocat duces impios. Qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem, opus enim manuum eius sunt universi. Subito morientur ; et in media nocte turbabuntur populi, et pertransibunt, et auferent violentum absque manu. Oculi enim eius super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebrae, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium,

## LECTIO PRIMA.

Postquam Eliu reprehendit Iob de hoc, quod cum Deo disputare cupiebat, accedit ad disputandum contra illa duo, quae supra praemiserat. Et primo disputat contra id, quod sicut ibi videbatur, Iob dixerat divinum iudicium esse iniustum. Et quia haec materia est valde difficilis et sublimis, non est contentus in hac disputatione ad solum Iob verba dirigere, praecipue quia putabat in hac materia eum esse erroneum; sed invocat sapientes ad hanc rem diiudicandam. Hominum autem quidam sapientiam per seipsos considerant: et quantum ad hoc dicit, *Audite sapientes verba mea.* Quidam vero de iis, quae ad sapientiam pertinent, instruuntur: et quantum ad hoc subdit, *Et eruditi*, scilicet ab aliis, *Auscultate me.* Quare autem alios ad sapientiam invitat, seu ad audientiam, ostendit subdens, *Auris enim verba probat;* quasi dicat, Vos invito ad hoc quod verba mea audientes, ea diiudicetis; et inducit similitudinem, cum subdit, *Et escas guttur gustu diiudicat;* quasi dicat, Sicut gustus habet diiudicare de esca, ita auditus de verbis. Ad quid autem hoc pertineat, exponit subdens, *Iudicium eligamus nobis;* quasi dicat, Ex communi consensu iudicemus, quid verius sit; et hoc est quod subdit, *Et inter nos videamus quid sit melius*, utrum scilicet id quod Iob dixit, aut id, quod ego sum contra eum dicturus: unde consequenter proponit verbum Iob, subdens, *Quia dixit Iob, iustus sum*, hoc idem dixerat supra 27. *Iustificationem meam quam coepi tenere, non deseram:* et ulterius suam iustitiam manifestaverat quantum ad multa, *supra 31* subdit autem secundo, *Deus subvertit iudicium meum:* hoc idem accipit ex hoc, quod Iob *supra 27* dixerat, *Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum.* Et ad idem pertinere videtur, quod *supra 19* dixerat, *Deus non aequo iudicio afflixit me*: quae quidem verba Eliu in peius interpretatus est. Iob enim suum iudicium ablatum esse dixerat: quia poenas sibi irrogatas esse existimabat, non ex iudicio punientis culpam, sed ex providentia probantis iustitiam: unde *supra 23* dixerat, *Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Non autem quicumque non utitur iudicio, subvertit iudicium, sed solum ille qui iudicium profert iniustum. Sic ergo interpretatus est, quod Iob dixerat, *Deus abstulit iudicium*, ac si dixisset, Deus subvertit iudicium meum, iniuste iudicando; unde subdit, *In iudicando enim me est mendacium*, idest falsitas iudicii: quod quidem Iob nunquam dixerat. Sed Eliu hanc esse eius intentionem in verbis praemissis credidit, ut diceret se esse iniuste punitum. Ideo autem hanc opinionem Eliu conceperat, quia non videbat qualiter aliquis absque peccato posset affligi, nisi iniuste. Et quia Iob sine peccato se esse dicebat, existimabat quod Iob sentiret se a Deo percussum per violentiam contra iustitiam; unde subdit: *Et violenta est sagitta mea absque peccato;* quasi dixisset Iob, cum sim absque omni peccato, sagitta qua Deus me vulneravit, idest adversitas immissa, violenta fuit et iusta: et videtur alludere verbis Iob, quibus supra dixerat, *Sagittae Domini in me sunt.* Postquam ergo hanc perversitatem Eliu imposuerat ipsi Iob, eum super hoc vituperare incipit, dicens: *Quis est vir, ut est Iob*, quasi nullus, qui vir videatur esse ita perversus, ut ipse: nam maxima perversitas esse videtur, ut aliquis Deum irrideat, eius iudiciis detrahendo; unde subdit, *Qui bibit subsannationem*, idest divinorum irrisionem, et reprobationem: *Quasi aquam*, quae scilicet et faciliter, et cum refrigerio bibitur, ac si ei imponeret, quod hoc in contumeliam Dei prorumperet, et esset tribulationis refrigerium, et absque obstaculo conscientiae contradicentis hoc ageret. Solet autem hoc proprium esse in peccatis perseverare volentium, ut divina contemnant iudicia; unde subdit, *Qui graditur*, idest consentit: *Cum operantibus iniquitatem*, qui scilicet iudicia divina despiciunt. Homines autem contra pietatem divinae religionis agentes, non solum despiciunt divina iudicia, sed etiam ea negant, vel asserunt iniusta: quorum participem Iob esse credebat; unde subdit, *Et ambulat cum viris impiis*, qui scilicet pietatem divinae religionis abiiciunt. Quare autem eum cum eis consentire dicat, ostendit subdens, *Dixit enim, non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo*, idest si eum secutus fuerit per viam iustitiae. Hoc autem Iob non dixerat, sed verbis eius Eliu abutens, hoc ei imponit: dixerat enim *supra Iob 23. Vestigia eius secutus est pes meus*, et postea *supra 30* dixerat, *Mutatus es mihi in crudelem: et in duritia manus tuae adversaris mihi.* Ex quibus verbis credebat Iob hoc sentire, quod Deo displiceret, quamvis eum fuerat secutus. Sed Iob praedicta verba retulerat ad exteriorem persecutionem, non ad interiorem reprobationem. Quia ergo Eliu verbis Iob abutens, ei imponere nitebatur quod ipse non sentiebat, nec in suis verbis intellexerat, manifestum est, quod tota sequens disputatio contra Iob non erat: quia tamen Eliu existimabat Iob tantae perversitatis esse, ut Dei iudicium reputaret iniustum, dedignatur eum super hoc ad disputationem provocare: sed alios sapientes advocat ad iudicandum; unde subdit, *Ideo viri cordati*, idest intelligentes: *Audite me:* sicut enim cor est principium vitae corporalis, ita intellectus est principium totius intellectualis vitae: unde et *supra 12.* cor pro intellectu posuerat dicens, *Et mihi est cor, sicut et vobis.* In sua autem disputatione Eliu opponit primo quod probare intendit, quod scilicet in divino iudicio iniustitia esse non possit: ipse enim est Deus, cui debetur pietatis cultus: et per suam omnipotentiam omnibus dominatur, leges iustitiae statuens homini: et ideo contra divinitatem eius esset, si impietati faveret; et ideo dicit, *Absit ab eo impietas:* esset enim contra dominium omnipotentiae eius, si ad iniustitiam declinaret; unde subdit, *Et ab omnipotente iniquitas*, scilicet absit. Remota autem divina iniustitia, ostendit modum divinae iustitiae subdens, *Opus enim hominis reddet ei*, idest retribuet ei bonum vel malum pro suis operibus. Et quia eorum qui bene operantur, quidam aliis melius faciunt, et eorum qui male operantur, quidam aliis magis peccant; ideo subdit, *Et iuxta vias singulorum restituet eis*, scilicet melius meliori, et peiori peius. Quod autem in Deo non sit iniustitia, probat primo quidem ex hoc, quod si ipse iniustus esset, nusquam iustitia reperiretur: quia ad ipsam pertinet universale iudicium omnium; unde subdit, *Quem constituit alium super terram;* qua-

si dicat. Nunquid credendum est, quod aliquis sit constitutus a Deo, qui iuste iudicet omnem terram, si apud ipsum sit iniquitas? Ideo autem dicit credendum non esse quod alius terram iudicet, quia idem est factor mundi et gubernator: unde sicut alii nulli commisit, quod faceret mundum, ita nullum alium praeposuit gubernationi mundi; et hoc est quod subdit, *Aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* idest totius mundi gubernatorem; quasi dicat, nullum: quia sicut ipse per seipsum orbem fabricatus est, ita etiam per seipsum orbem gubernat et iudicat. Habet quidem et gubernationis suae executores tanquam ministros, sed ipse est omnium ordinator. Nullo autem modo possibile est quod universalis mundi gubernatio sit iniusta. Secundo ostendit, quod apud Deum non sit violentia et iniquitas per experimentum: tanta est enim eius potentia, qua res conservat in esse, ut si violentia uti vellet contra iustitiam, omnes homines subito posset extinguere; unde subdit, *Si direxerit*, scilicet Deus: *Ad eum*, scilicet ad hominem conterendum: *Cor suum*, idest voluntatem suam: *Spiritum illius*, idest animam eius: *Et flatum*, idest corporalem vitam ex anima subsecutam: *Ad se trahet*, idest ad eum, scilicet sua virtute a corpore separans, secundum illud *Eccl. ult. Et spiritus revertatur ad Dominum qui dedit illum.* Ablato autem spiritu divinitus homini dato, consequens est, ut carnalis vita deficiat; unde subdit, *Deficiet omnis caro similiter*, idest species carnis cessabit, et ulterius in sua componentia resolvetur; unde subdit, *Et homo in cinerem revertetur*, secundum illud *Ps. 103. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.* Pulverem autem, in quem caro resolvitur, cinerem nominat, vel quia apud antiquos corpora mortuorum igne combusta resolvebantur in cinerem, vel quia ea in quae corpus mortuum resolvitur, sunt quaedam reliquiae naturalis caloris, qui in humano corpore vigebat. Quia ergo tam facile est Deo, si velit, in cinerem redigere totum genus humanum, ex ipsa hominum conservatione apparet, quod ad eos violentia iniusta non utitur. Quia ergo Eliu putavit praedictas rationes esse sufficientes, ad earum considerationem Iob invitat, cum subdit, *Si ergo habes intellectum*, ut scilicet vim mearum rationum percipere possis: *Audi quod dicitur*, scilicet interioribus auribus: *Et*, interiori attentione, *ausculta vocem eloquii mei*, ut scilicet iustitiam divini iudicii cognoscas: ad quod etiam eum inducit ex proprio periculo vel utilitate cum subdit, *Nunquid qui non amat iudicium sanari potest?* quasi dicat, tu qui sanari indiges, quasi multis infirmitatibus oppressus, hoc consequi non potes, nisi ames divinum iudicium. Improbat autem eius sententiam, quam esse putabat de iniustitia divini iudicii per multa evidentia iudicia divinae iustitiae; unde subdit, *Et quo modo tu eum*, scilicet Deum, *qui iustus est*, ut scilicet per multa apparet, *intantum condemnas*, ut scilicet eum dicas iudicii subversorem. Ad condemnationem autem divinae iustitiae primo assumit, quod potentum personas Deus non accipit, sed eos arguit, et punit pro suis peccatis. Inter potestates autem humanas praecellit regia dignitas; et quantum ad hoc primo dicit, *Qui*, scilicet Deus? *Dicit regi apostata*, idest non veretur regem arguere de apostasia propriae professionis, qua profitetur, se iustitiam servaturum. Secundum autem locum tenent duces exercituum, de quibus subdit, *Qui vocat duces impios;* quasi dicat, non timet eos de crudelitate arguere. Tertio loco ponit rectores civitatum, cum subdit: *Qui non accipit personas principum*, quin scilicet eos arguat, et iudicet pro peccatis. Quarto autem loco tangit eos, qui non habent legitimam, sed usurpatam potestatem, scilicet tyrannos; et quantum ad id subdit: *Nec cognovit*, idest approbavit: *Tyrannum*, scilicet ei deferendo: *Cum disceptaret*, scilicet tyrannus; *Contra pauperem*, quasi dicat, non favit potentibus contra impotentes: quod ad eius iustitiam pertinet. Et quare eis non deferat, subdit, *Opus enim manuum eius sunt universi*, scilicet tam magni quam parvi; et ideo parvos non despicit, sed amat, sicut sua opera, nec potentes timet, cum sint suae potestati subiecti. Et ne crederet aliquis quod potentes Deus solum argueret, non autem eos ulterius puniret, subdit de eorum duplici poena: primo quidem de morte ex improviso eis supervenient; unde subditur: *Subito morientur*, secundum illud *Isa. 30. Subito, dum non speratur, veniet contritio eius:* si enim consueto modo ei mors expectata superveniret, non imputaretur hoc divino iudicio, sed inferioribus causis. Secundo ponit poenam rebellionis subditorum, per quam potestatem amittunt; unde subdit, *Et in media nocte turbabuntur populi*, idest populi regibus et principibus subiecti subito turbantur ex aliqua occulta machinatione ad hoc quod principes suos deserant; unde subdit, *Et pertransibunt*, scilicet dominium commutantes: *Et auferent*, idest deponent a dominio, vel etiam occident: *Violentum*, idest eum, qui spreta iustitia, violentiam subditis inferebat: *Absque manu*, scilicet armatorum. Cum enim aliquis princeps ab extraneis auferitur, requiritur, quod habeant manum armatam contra ipsum; sed quando subditi, in quibus erat tota eius potentia, subito eum deserunt, videtur auferri sine manu: quamvis et hoc possit referri ad poenam populorum subditorum; sed primum melius est; quia nunc agitur de iustitia quam Deus exercet in magnos, postea autem dicetur de iustitia quam exercet in populos. Ut autem huiusmodi poenae ex divino iudicio provenire credantur, subdit, *Oculi enim eius*, idest prospectus divinae providentiae est super vias hominum, idest super opera eorum. Et ut exprimat Deus singulariter omnia particularia opera humanorum cognoscere, subdit, *Et omnes gressus eorum*, idest omnes processus operationum humanarum: *Considerat*, scilicet distincte, non solum in generali. Posset autem aliquis credere, quod quia Deus lux est, impii autem in tenebris sunt, quod occultentur a Deo; sed hoc excludit subdens, *Non sunt tenebrae*, scilicet ignorantiae: *Et non est umbra mortis*, idest obscuritas culpae ducens ad mortem: *Ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem;* quasi dicat, sicut ipsi cognoscere Deum nolunt, ita Deus eos non cognoscit. Dicitur tamen eos ignorare, reprobando. Et quia dixerat, principes pro suis peccatis subito mori et auferri, quod videtur esse irremediabilis poena, huius rationem ostendit consequenter ex hoc quod ex quo Deus hominem iudicat pro suis peccatis subito mori, et finaliter condemnandum, non datur homini facultas ut ulterius

in iudicio decertet cum Deo: et hoc est quod subdit: *Neque enim ultra*, scilicet postquam Deus iudicat eum condemnandum: *In hominis potestate est, ut veniat ad eum in iudicium;* quasi dicat, Deus sit propter eum suum iudicium retractaturus, et hoc praecipue videbatur dicere contra Iob, qui postquam condemnatus erat ad poenam, *supra 23.* dixerat: *Veniam usque ad solium eius, ponam coram eo iudicium.*

## LECTIO II.

Conteret multos innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias eius intelligere noluerunt. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum; et super gentes, et super omnes homines. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim coepisti loqui, et non ego: quod si quid nosti melius, loquere. Viri intelligentes loquantur mihi: et vir sapiens audiat me. Iob autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. Pater mi, probetur Iob usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis. Qui addidit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur, et tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum.

## LECTIO II.

Duo sunt propter quae homines maxime solent a iustitia declinare: quorum primum est, quia deferunt magnatibus; secundum est, quia deferunt multitudini contra iustitiam. Ostenderat autem supra perfectionem divinae iustitiae ex eo, quod magnatibus non defert. Unde nunc consequenter ad commendationem divinae iustitiae addit, quod nec etiam multitudini peccantium defert; unde dicit, *Conteret multos*, scilicet peccatores, eos occidendo, vel aliter puniendo. Et ne credatur usque ad aliquam certam quantitatem multitudinis procedere divinam iustitiam, et non ultra, subdit, *Et innumerabiles;* quasi dicat, Certo numero comprehendi non possunt illi, quos propter peccata Dei iustitia conterit; sed ne ex hoc deperire credatur humani generis status, subdit, *Et stare faciet alios pro eis*: quia scilicet quibusdam morientibus, alii succedunt: et quibusdam a prosperitate decedentibus, alii sublevantur: ut sic quodammodo uniformitas in genere humano appareat. Solet autem contingere quod quando sunt multi puniendi, non possunt iudices singulorum causas sufficienter perscrutari; sed ne hoc de Deo credatur, subdit, *Novit enim opera eorum*, quid scilicet unusquisque mereatur; et ideo singulis secundum sua opera retribuit; unde subdit, *Idcirco inducet noctem*, idest subitam et inopinatam adversitatem: *Et conterentur*, scilicet ex improviso. Quare autem in nocte opprimantur, ostendit ex hoc, quod cum ipsi possent videre illud quod eis expediebat, hoc contempserunt: et ideo iustum est ut non detur eis facultas providendi supervenientia mala ad cavendum; et hoc est quod subdit, *Quasi impios*, idest pietatis notitiam respuentes: *Percussit eos*, scilicet existentes: *In hoc videntium*, idest in statu in quo videre poterant, tum per naturalem rationem, tum per sacram doctrinam, quid esset faciendum, et quid esset vitandum; sed hoc ipsi respuerunt; unde subdit, *Qui quasi de industria recesserunt ab eo*, scilicet Deo, peccantes ex certa malitia: unde ponit consequenter in eis ignorantiam affectatam, cum subdit, *Et omnes vias eius*, idest mandata Dei: *Intelligere noluerunt:* et sic patet, quod propter ignorantiam non excusantur, sed magis damnabiles redduntur. Effectum autem huius malitiae affectatae ostendit subdens, *Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni;* quasi dicat, Intantum ostendunt se viarum Dei ignaros, ut pauperes opprimerent, quos Deus exaudit: unde sicut non exhorrent pauperum oppressionem, ita non timent Dei indignationem; unde subdit, *Et audiret vocem pauperum;* quasi dicat, Parvipendunt, quod Deus voluntatem suam adhibet ad pauperes exaudiendum. Et quia multitudinis contritionem attribuerat iudicio divino, posset aliquis credere hoc provenire non ex divino iudicio, quod aliqua multitudo conteratur, et alia prosperetur, sed per alicuius potentis principis aut gubernationem aut impugnationem; ideo ad hoc excludendum subdit, *Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet?* quasi dicat, Ideo dico, quod ipse est qui conterit multos et innumerabiles, quia si ipse vellet eis pacem temporalis prosperitatis concedere, nullus posset multitudinem condemnare; et e contrario, si ipse condemnare intendit, nullus est qui possit pacem praebere; unde subdit, *Ex quo absconderit*, scilicet faciem suam, subtrahendo scilicet suae consolationis praesentiam: *Quis est qui contempletur eum?* idest qui possit in eum consolationem invenire, quasi eius pulchritudinem videndo? Est autem et alia poena multitudinis praeter contritionem, qua scilicet affligitur tyrannorum dominio: et quantum ad hanc poenam subdit, *Et super gentes, et super omnes homines;* quasi dicat, Non solum in una gente iudicium suum exercet per contritionem, vel tyrannorum oppressionem, sed etiam in omnes homines: et subdit de tyrannorum oppressione, *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, qui scilicet ex eius regimine affligitur: in quo etiam videtur respondere quaestioni quam Iob proposuerat *supra 21. Quare impii vivunt, et confortati sunt, sublimatique divitiis:* hoc enim esse asserit, non propter eorum merita, sicut ibidem Iob probaverat, sed propter aliorum demerita, qui ex eorum prosperitate puniuntur. Sic ergo manifestata iustitia Dei ex iudiciis, quae exercet in principes, et in multitudinem, dat locum respondendi; unde subdit, *Quia ergo ego locutus sum ad Deum*, idest ea quae ad Dei honorem spectant: *Te quoque non prohibebo,*

dans scilicet tibi locum respondendi. Et ad quid debeat sua responsio tendere, ostendit subdens, *Si erravi*, scilicet sicut aliis amicis tuis imposuisti, scilicet quod essent cultores perversorum dogmatum: *Tu doce me*, scilicet veritatem tuam, ut possim ab hoc errore liberari. Potest autem aliquis in loquendo deficere, non solum errando contra veritatem doctrinae, sed etiam in particulari iudicio, deficiendo contra veritatem iustitiae; unde subdit, *Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam*, ostendens scilicet correctioni se paratum. Et quia existimabat, quod Iob contra eum graviter turbaretur, consequenter ostendit eius turbationem esse iniustam subdens, *Nunquid a te Deus expetit eam*; quasi dicat, Etiam dato quod sim iniquitatem locutus, tu pro ea Deo non debes respondere: unde non debes graviter per hoc turbari; unde subdit, *Quia displicui tibi?* scilicet per inordinatam animi turbationem. Ostendit autem consequenter secundo, quod non debet inde graviter turbari, quia ipse Iob verba incoeperat dicens: *Pereat dies* etc. ex quibus tota disputatio habuit ortum; unde dicit, *Tu enim coepisti loqui, et non ego.* Tertio ostendit eum non debere graviter turbari, quia ipse etiam habet facultatem dicendi quod sibi placuerit; unde subdit, *Quod si quid nosti melius*, scilicet quam ego dixerim: *Loquere*, scilicet ostendendo errorem, vel iniquitatem meam. Et ne videretur hoc dixisse quasi dubitans de sua iustitia et veritate suorum verborum, intendit asserere consequenter Iob in sapientia et intellectu deficere, et propter hoc reputabat eum indignum sua disputatione, cuius una pars pertinet ad opponentem, in qua maxime requiritur acumen intellectus ad inveniendum rationabiles vias ad propositum ostendendum; unde subdit, *Viri intelligentes loquantur mihi*, scilicet mihi obiicientes. Altera vero pars disputationis pertinet ad respondentem, in quo maxime requiritur sapientia, ut bene iudicet de auditis; unde subdit, *Et vir sapiens audiat me*, scilicet opponentem, scilicet paratum ad respondendum. Horum autem defectum in Iob ex eius verbis collegerat; unde subdit, *Iob autem stulte*, idest contra sapientiam, *Locutus est*, quantum scilicet ad hoc quod reputabat eum aliquid dixisse contra rectitudinem divini iudicii: *Et verba illius non sonant disciplinam*, quae scilicet pertinet ad ordinatam intelligentiam: et hoc videtur retulisse ad hoc, quod Iob se iustum asserebat. Et quia Iob istos defectus in se non recognoscebat, convertit Eliu verba sua ad Deum, postulans ut Iob suos defectus recognosceret; unde subdit, *Pater mi*, idest o Deus, quem patrem reputo propter reverentiam, quam ad te habeo, iustitiam tuam ubique defendens: *Probetur Iob*, idest ostendatur sibi per flagella suus defectus: *Usque ad finem*, idest quousque recognoscat se iniustum. Vel, *Usque ad finem*, idest usque ad mortem: et huiusmodi petitionis iustitiam ostendit subdens, *Ne desinas ab homine iniquitatis;* quasi dicat, Iniquitas sua hoc meretur, ut flagella non cessent: et ad maiorem exaggerationem subdit, *Qui super peccata sua*, scilicet praeterita, pro quibus flagellatus est: *Addit blasphemiam*, ut scilicet se iustum, Deum vero asserat iniustum; pro quo exoptat ei, primo quidem poenam in praesenti: unde subdit, *Inter nos interim constringatur*, scilicet adversitatibus. Secundo autem innuit poenam futuram; unde subdit, *Et tunc*, scilicet iam temporaliter afflictus: *Ad iudicium*, scilicet futurae ultionis: *Provocet sermonibus suis Deum*, quibus scilicet contra eum blasphemat.

## CAPITIS TRIGESIMIQUINTI

### LECTIO PRIMA.

Igitur Eliu haec rursum locutus est. Nunquid aequa videtur tibi tua cogitatio, ut diceres, iustior sum Deo? Dixisti enim, Non tibi placet quod rectum est; vel quid tibi proderit si ego peccavero? Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. Suspice caelum et intuere, et contemplare aethera quod altior te sit. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, et filium hominis adiuvabit iustitia tua. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et eiulabunt propter vim brachii tyrannorum. Et non dixit, ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Qui docet nos super iumenta terrae, et super volucres caeli erudit nos. Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum. Non ergo frustra audiet Deus, et omnipotens causas singulorum intuebitur. Etiam cum dixeris, non considerat; iudicare coram illo, et expecta eum. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. Ergo Iob frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.

### LECTIO PRIMA.

Postquam Eliu improbaverat verba Iob, quantum ad hoc quod sicut ipse existimabat, imposuerat iniquitatem divino iudicio; hic intendit improbare verba eius quantum ad hoc, quod dixerat se esse iustum; unde dicitur, *Igitur Eliu haec rursum locutus est*, interrupto scilicet sermone, expectans si Iob responderet: quo non respondente, iterato sermonem assumpsit dicens: *Nunquid aequa videtur tibi tua cogitatio, ut diceres, iustior Deo sum?* hoc quidem nunquam Iob dixerat, nec Eliu ei imponit quod haec verba protulisset, sed quod verba quae protulit, ex hac cogitatione provenirent; unde signanter fecit de cogitatione mentionem. Ex quibus autem verbis hanc cogitationem habuisset, Eliu ostendit subdens: *Dixisti enim, non tibi placet quod bonum est:* alia litera habet, *quod rectum est.* Vel *quid tibi prodest si ego peccavero?* Haec duo verba in praemissis Iob verbis nunquam inveniuntur; sed primum horum, scilicet quod Deo non placeat quod bonum est, videtur accipere ab eo quod Iob *supra 10.* dixerat, *Si impius fuero, vae mihi est; si iustus, non levabo caput:* quod Iob dixerat ad signandum quod temporalibus poenis iusti pariter

et iniusti affliguntur, sed Eliu hoc interpretabatur esse dictum, quasi Deo hominis iustitia non placeret: hoc vero quod secundo proponit, *Quid tibi prodest, si ego peccavero*, nunquam legitur Iob dixisse; sed hoc accipere voluit Eliu, ex hoc quod idem Iob dixerat: *Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?* quod Iob dixerat ad ostendendum, quod prosperitas temporalis non semper innocentiam comitatur, alioquin ipse prosperitatis tempore innocens fuerat. Dimissis igitur sibi peccatis, non erat ratio quare post peccatorum remissionem iterato a Deo peccatis mundaretur, sed Eliu ad hanc sententiam haec verba retorsit, quasi Iob putaverit, peccatum suum, aut poenam peccati Deum induxisse propter suam utilitatem. Ex his autem duobus, scilicet quod Deo non placeret quod bonum est, et quod id se utile sibi reputaret peccatum, sequi videretur, quod Iob iustior Deo esset, cum de se supra dixerit, quod displicuerint ei mala, et placuerint bona. Concludit autem ex praemissis, propter eorum absurditatem se compelli ad respondendum; unde dicit, *Itaque ego respondendo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum*, qui scilicet talia dicentem convincere non potuerunt: et incipit ab eo, quod ultimo dictum est, ostendens quod Deus non potest iuvari, nec laedi ex operibus nostris bonis vel malis, et hoc propter eius sublimitatem: quam primo proponit dicens: *Suspice*, idest sursum inspice, *Caelum*, quod scilicet est sedes Dei: *Et intuere*, scilicet visu: *Et contemplare*, scilicet mente, *Aethera*, idest totum superius corpus: ex cuius non solum altitudine, sed etiam magnitudine, motu, et ornatu coniicere potest, hoc scilicet, *Quod altior te sit*, intantum scilicet quod opera tua ei nec proficere, nec nocere possunt; unde subdit, *Si peccaveris*, scilicet vel in te, vel in Deum: *Quid ei nocebis?* quasi dicat, In nullo ex hoc detrimentum patietur. Quantum autem ad peccata quae committuntur in proximum, subdit, *Et multiplicatae fuerint iniquitates tuae*, quibus scilicet iniuste proximos laedis: *Quid faciet contra Deum?* quasi dicat, in nullo ex hoc laedetur. Quantum ad bona quae in proximum fiunt, subdit, *Porro si iuste egeris*, scilicet ius suum proximis reddens: *Quid donabis ei?* quasi dicat, Quid ex hoc lucrabitur? Quantum autem ad opera divini cultus subdit, *Aut quid de manu tua accipiet?* scilicet in sacrificiis et oblationibus; quasi dicat, nihil, secundum illud *Ps. 49. Non accipiam de domo tua vitulos.* Et quia posset aliquis credere, quod ad eum non pertineret, utrum homo ageret iuste vel iniuste, ad hoc excludendum subdit: *Homini, qui similis tui est nocebit impietas tua*, qui scilicet susceptibilis est nocumenti: *Et filium hominis adiuvabit iustitia tua*, qui scilicet auxilio iustitiae indiget: propter hoc prohibetur a Deo impietas, et iustitia mandatur, quia Deo est de hominibus cura, quia per hoc vel iuvantur, vel laeduntur. Et ex hac fide contingit, quod oppressi clamant ad Deum contra oppressores, quorum quidam dolose opprimuntur per calumniam; unde subdit quantum ad hos, *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt*, scilicet ad Deum illi, qui ab eis oppressi sunt. Quidam vero opprimuntur manifeste per violentiam; et quantum ad hos subdit, *Et iurabunt propter vim brachii tyrannorum*, idest clamabunt ad Deum propter violentiam et potentiam tyrannorum. Ex quo datur intelligi, quod non solum Deo non placet quod aliquis peccat, sed ei displicet et punit, alioquin frustra clamarent oppressi. Deinde convertit se ad improbandum aliud verbum quod praemiserat, *Non tibi placet quod rectum est*, quod divinae sapientiae repugnaret: quod primo quidem apparet in rerum creatione: *Et non dixit*, scilicet Iob sentiens quod Deo bona non placerent: *Ubi est Deus qui fecit me?* non enim Deus fecit res nisi propter bonum; unde dicitur *Gen. 1. Vidit Deus quod bonum* etc. unde manifestum est, quod placet Deo bonum. Secundo inducit beneficium humanae instructionis, quo aliqui instruuntur ad bonum ex revelatione; unde subdit, *Qui docet*, scilicet per revelationem: *Carmina*, humanae instructionis dogmata, quae ab antiquis multoties carminibus comprehendebantur: *In nocte*, idest ad literam, in somnio nocturno, vel in quiete contemplationis, sed obscuritate visionis. Non autem erudiret homines ad bonum familiariter, nisi bonum ei placeret. Tertio inducit infusionem naturalis luminis, quo bonum a malo discernimus per rationem in qua excedimus bruta; unde subdit, *Qui docet nos super iumenta terrae*, quae scilicet ratione carent. Et quia antiqui avium garritus et motus observabant, quasi divinitus instructarum, ac si rationem haberent; ideo ad hoc excludendum subdit, *Super volucres caeli erudit nos*, quae etiam rationem non habent. Et quia odit malum, et placet ei bonum, ideo oppressos clamantes audit, oppressores non audit; unde subdit, *Illi clamabunt*, scilicet oppressores et tyranni, quasi petentes a Deo desideriorum suorum impletionem: *Et non exaudiet*, scilicet Deus; et hoc propter superbiam malorum, scilicet hominum, secundum illud *Ps. 102. Respexit in orationem humilium.* Et ne crederet aliquis, Deum indifferenter omnes exaudire, subdit: *Non ergo frustra*, idest sine ratione: *Exaudiet Deus:* quia scilicet iustissima ratione hos exaudit, et non illos; unde subdit, *Et omnipotens singulorum causas intuebitur*, ut scilicet dignos exaudiat, non indignos. Maxime autem videtur quod Deus singulorum causas non videat ex hoc, quod quandoque impii prosperantur; sed ad hoc excludendum subdit, *Etiam cum dixeris*, idest corde tuo cogitaveris: *Non considerat*, idest Deus facta hominum; *Iudicare coram illo*, idest praeparare, ut iudicium eius suscipias: *Et expecta eum*, scilicet in futurum iudicantem, etsi hic non puniat: tardat enim ut in futuro gravius condemnet; unde subdit, *Nunc enim*, idest in praesenti vita, *Non infert furorem suum*, idest magnitudinem poenae: *Nec ulciscitur scelus valde*, idest non punit in praesenti, secundum quod exigit gravitas culpae: quia poenae praesentis vitae sunt ad correctionem: et ideo illos, quos correctione indignos iudicat, futurae damnationi reservat: et haec est alia ratio, quare impii in hoc mundo prosperantur: in quo concordat cum opinione Iob. Sed quia eius verba prave intellexerat, ideo ea reprehendit, concludens ex dictis Iob, *Ergo frustra Iob*, idest sine causa et ratione: *Aperuit os suum*, quasi prolixitatem sermonis in eo reprehendens: *Absque scientia verba multiplicat*, in quo arguit in ipso ignorantiam, et loquacitatem inutilem.

*

# CAPITIS TRIGESIMISEXTI

## LECTIO PRIMA.

Addens quoque Eliu haec locutus est: Sustine me paululum, et indicabo tibi: adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar. Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo iustum. Vere enim absque mendacio sermones mei: et perfecta scientia probabitur tibi. Deus potentes non abiicit, cum et ipse sit potens: sed non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit. Non aufert a iusto oculos suos: et reges in solio collocat in perpetuum; et illi eriguntur. Et si fuerint in cathenis, et vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerint. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat; et loquetur ut revertantur ab iniquitate. Si audierint, et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia. Simulatores, et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. Eripiet de angustia sua pauperem, et revelabit in tribulatione aurem eius. Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non habente fundamentum subter se ; requies autem mensae tuae erit plena pinguedine. Causa tua quasi impii iudicata est , causam, iudiciumque recipies. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas, nec multitudo donorum inclinet te. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. Cave ne declines ad iniquitatem : hanc enim coepisti sequi post miseriam.

## LECTIO PRIMA.

Praemiserat Eliu supra duo in verbis Iob , contra quae disputare intendebat , primo quia dixit se esse iustum, et quod Deo imposuerat iniquitatem iudicii, prout Eliu verba Iob interpretatus fuerat ; et contra haec duo , Eliu in superioribus etiam disputaverat ; nunc iterato per aliam viam contra eadem disputare intendit; unde dicitur, *Addens quoque Eliu* , scilicet subsequentes rationes ad praemissas: *Haec locutus est*, scilicet quae sequuntur : inter quae primo eum ad attentionem excitat: *Sustine me paulum:* quia scilicet breviter sub una responsione contra duo praemissa disputare intendit; unde subdit, *Et indicabo tibi*, scilicet veritatem rei, de qua agitur. Et ne videatur superfluus, quia scilicet hoc iam supra ostendisse videbatur, quod volebat, subdit, *Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar;* quasi dicat, Adhuc mihi aliae supersunt rationes, quibus aequitatem divinae iustitiae defendam. Et quia contra utrumque praemissorum iterato intendit rationes inducere, subdit, *Repetam scientiam meam a principio;* quasi dicat, Contra totum id quod est a principio dictum, iterato secundum meam sententiam rationes adducam; et quod huiusmodi rei sit debitor, subdit: *Et operatorem meum*, idest Dei , qui me fecit: *Probabo iustum*, excludens scilicet iniquitatem ab eius iudicio , quam tu Iob ei imponere videris, ut te asseras iustum. Et ne aliquis diceret , quod ea quae dicturus erat, non ex vera scientia, sed ex falsa opinione procedebant, subdit: *Vere enim absque mendacio sermones mei ;* quasi dicat, Non sum dicturus nisi vera quae rectae scientiae conveniunt: unde subdit , *Et perfecta scientia probabitur ibi* , idest probationes sequentes tibi concludent ex iis, quae videntur pertinere ad perfectam scientiam. His igitur quasi prooemialiter praemissis , incipit disputare super praemissis verbis , quae Iob imponebat : et primo contra hoc, quod Iob dixerat, se esse iustum, ad quod excludendum hoc modo procedit. Iam prosperitatis tempore magnae potestatis erat. Contingit autem quandoque, quod aliqui aliquos potentes persequuntur, vel propter invidiam , vel propter timorem , quo timent ne ab eis per potentiam opprimantur, quod quidem proprie est impotentum, qui et potentioribus invident , et de eorum oppressionibus timent; sed hoc de Deo dici non potest, qui est in potentia excellens; unde subdit , *Deus potentes non abiicit, cum ipse sit potens.* Ex quo datur intelligi , quod Deus nihil in homine odit , in quo ei assimilatur : quia cum Deus sit ipsa essentia bonitatis , non potest esse quod aliquid similetur ei nisi in bono. Ex quo patet quod Deus non persequitur aliquos , quia sunt potentes , sed quia in eis quandoque invenitur iniquitas, et pro hac puniuntur a Deo ; unde subdit , *Sed non salvat impios* , idest damnat eos. Et causam damnationis ostendit subdens , *Et iudicium pauperibus tribuit* , idest iudicium facit de potentibus iniquis , pauperibus qui ab eis sunt oppressi. Non autem propter potentiam desistit a subventione iustorum; unde subdit : *Non aufert iusto* , scilicet homine etiam potente : *Oculos suos,* idest prospectum suae benignitatis , et misericordiae, secundum illud *Ps. 33. Oculi Domini super iustos.* Et quod a potentibus , si sunt iusti, non auferat suam misericordiam, manifestat per beneficia, quae potentibus confert: primo quidem stabiliendo potestatem eorum ; unde subdit : *Et reges in solio collocat in perpetuum* , scilicet, si fuerint iusti. Secundo, quia eos promovet in maius; unde subdit *: Et illic* , scilicet in solio collocati : *Eriguntur* , idest ad maiora exaltantur , dum scilicet Deus eis et potentiam , et divitias auget. Tertio per hoc quod etiam si puniti fuerint propter peccata, miseretur eorum , si poenitere voluerint; unde subdit, *Et si fuerint*, scilicet reges: *In cathenis*, idest in carcere positi: *Et vinciantur*, idest ligentur: *Funibus paupertatis*, idest si in carcere positi paupertatem patiantur , quae est quoddam vinculum, quo homines ligantur, ne opera sua possint implere , et insuper multis miseriis astringantur, et tamen eis sic in miseriis constitutis, primo quidem Deus hoc beneficium confert, quod eos recognoscere facit pristina peccata pro quibus puniti sunt; unde subdit , *Indicabit eis opera eorum* , idest

faciet, ut cognoscant ea quae fecerunt, esse iniusta ; unde subdit, *Et scelera eorum ;* quasi dicat, Faciet cognoscere, quod opera quae fecerant, erant scelerata; et quantum ad hoc, quid peccaverint, ostendit subdens, *Quia violenti fuerunt:* hoc enim est peccatum proprium potentum, ut subditis violentiam inferant, utentes sua potentia quasi lege iustitiae : nec solum facit eos peccata sua praeterita cognoscere, sed etiam ostendit eis, quod pro suis peccatis puniuntur ; unde subdit, *Revelabit quoque aurem eorum*, idest faciet ut intelligant, quod eis Deus puniendo loquitur, quod scilicet propter peccata sua puniuntur; unde subdit, *Ut corripiat;* quasi dicat, Hic faciet eos recognoscere, quod Deus eos punivit ad correctionem: et ulterius persuadebit eis, quod poeniteant; unde subdit, *Et loquitur*, scilicet interius, vel per exteriorem admonitionem: *Ut revertantur ab iniquitate*, poenitendo scilicet a pristinis peccatis. Et huiusmodi poenitentiae fructum ostendit subdens, *Si audierint*, scilicet corde proponentes: *Et observaverint*, opere implentes, reducentur ad statum pristinum: et ita, *Complebunt dies suos in bono*, scilicet virtutis, vel prosperitatis terrenae: *Et annos suos in gloria*, scilicet terrena. *Si autem non audierint*, idest si non obediverint interiori inspirationi ut poeniteant : *Transibunt per gladium*, idest de carcere reducentur ad occisionem gladii: *Et consumentur*, idest destruentur: *In stultitia*, idest propter suam stultitiam. Unde considerandum est, quod Eliu in hoc dicitur cum amicis Iob convenire, quod possint adversitates praesentes esse poenae peccatorum, et quod per poenitentiam quis redit ad pristinam prosperitatem. Haec autem, etsi aliquando contingant, non tamen semper, secundum opinionem Iob, Sed quia quandoque contingit, quod aliqui adversitates patiuntur, quorum peccata non apparent, ne per hoc praedicta eius sententia elidatur, interpretatur eos simulatores esse, quantum ad hoc, quod praetendunt iustitiam, quam non habent, et callidos, inquantum scilicet astutiis quibusdam utuntur ad hoc, quod sub colore iustitiae iniustitiam faciant: et ex hoc ipso gravius peccant; unde subdit, *Simulatores et callidi provocant iram Dei*, quia scilicet hos Deus magis detestatur. Tales etiam non de facili poenitent in poenis ; ideo ab adversitate non liberantur etiam inter flagella, quia existimant se iustos, sicut ab aliis laudantur; unde subdit: *Neque clamabunt*, scilicet ad Deum misericordiam petentes : *Cum vincti fuerunt*, scilicet cathenis, et funibus paupertatis : in quo dat intelligere, quod existimaverat Iob simulatorem et callidum fuisse, et ideo inter poenas peccatum suum non recognoscat: et quia tales non poenitent in poenis, ideo ab adversitate non liberantur; unde subdit, *Morietur in tempestate anima eorum*, quia scilicet usque ad mortem diversas angustias patietur: *Et vita eorum*, scilicet deficiet: *Inter effaeminatos*, quibus scilicet non est virtus, ut se de manu opprimentium liberent. Recte autem simulatores effaeminatis comparat, quia ex parvitate animi contingit, quod homines sint simulatores : est enim proprium magnanimi esse manifestum, ut dicitur *in 4. Ethicorum*. Et quia dixerat, quod Deus potentibus in tribulatione constitutis subvenit, ne videatur Deum dicere acceptorem personarum, ostendit quod etiam idem beneficium pauperibus confert; unde subdit, *Eripiet pauperem de angustia*, scilicet eum ab adversitate liberando: et ordinem liberationis ostendit subdens, *Et revelabit in tribulatione aurem eius*, idest faciet eum intelligere, quod pro peccatis suis punitur, et ad sapientiam eum inducit, sicut et supra de potentibus dicit. Ea autem quae supra communiter de potentibus dixerat, applicat ad personam Iob: et primo quidem, quia dixerat, quod Deus in tribulatione salutem affert et pauperibus, et potentibus, concludit quod etiam Iob huiusmodi salutem sperare potest a Deo, cum subdit: *Ideo salvabit te de ore angusto latissime*, idest de tribulatione, quae est sicut quoddam foramen angustum, per quod homo in quandam latitudinem diversarum miseriarum intrat: unum enim malum fit homini causa diversorum malorum, et horum malorum multiplicatio procedere potest usque ad infinitum, ut nunquam sit pervenire ad statum quietis; et hoc est quod subdit, *Et non habente fundamentum*, scilicet in quo homo possit quiescere, *Subter se*, idest cum descenderit in profundum malorum: quod praecipue pertinere videtur ad poenas, quae sunt post mortem, quae in perpetuum durant sine quiete. Non solum autem promittit ei liberationem a malis, si peccatum recognoscere et poenitere voluerit, sed etiam abundantiam bonorum ; unde subdit : *Requies autem mensae tuae erit plena pinguedine;* quasi dicat, Cum saturitate et quiete comedere poteris abundanter de bonis, quae tibi divinitus restituentur. Et quia ostenderat, quod Deus potentes non abiicit, sed iniquos ; Iob autem videbatur a Deo deiectus per multiplices adversitates, subdit, *Causa tua quasi impii iudicata est;* quasi dicat, Non es punitus quia potens eras, sed quia impius: et contra hoc recompensationem promittit, si poenituerit, cum subdit, *Causam iudiciumque recipies*, idest causa et iudicium restituetur tibi, ut possis aliorum causas discutere, et de eis iudicare : et quasi iam hoc factum esset, monet eum, qualiter in statu illo se debeat habere. Contingit autem quandoque quod iudices a iustitia declinant propter iram; et quantum ad hoc dicit, *Non te ergo superet ira*, ut aliquem opprimas iniuste, quando scilicet causam et iudicium recipies. Quandoque vero iudices a iustitia declinant propter cupiditatem munerum; et quantum ad hoc subdit, *Nec multitudo donorum inclinet te*, in illo scilicet statu futurae auctoritatis. Contingit etiam quandoque quod aliquis ex sola superbia aliis iustitiam facere contemnat ; et quantum ad hoc subdit, *Depone magnitudinem tuam*, idest superbiam animi tui : *Absque tribulatione*, idest antequam tibi tribulatio immittatur a Deo ad tuam humiliationem. Quandoque vero contingit, quod iudices a iustitia declinent deferentes aliquibus potentibus propter timorem; et quantum ad hoc subdit, *Et omnes robustos fortitudine*, scilicet tua deponas: vel quantumcunque robustos in sua fortitudine, tu non dubites deponere propter iustitiam. Quandoque autem contingit, quod aliqui iudices a iustitia deficiant, parcentes propter suam quietem; unde subdit, *Nec protrahas noctem*, idest ne velis nimis dormire ut expeditioni iustitiae non intendas. Vel *Ne protrahas noctem*, idest non permittas diu latere iustitiam causae, sed festina, ut veritas manifestetur: et causam ostendit subdens, *Ut ascendant populi pro eis*,

scilicet robustis; quasi dicat, non ita protrahas iudicium, quousque totus populus concitetur ex violentiis robustorum, et pro eorum iniuriis ad te inquirendum accedant. Vel aliter, *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis;* quasi dicat, Ne differas iudicium contra robustos exercere, ne forte per suam potentiam inveniant multos fautores, qui pro eorum defensione consurgant, ut sic tuum iudicium impediatur. Omnia autem ista ad hoc tendunt ut in statu futurae prosperitatis iniustitiam vitet; unde subdit, *Cave ne declines ad iniquitatem,* scilicet per aliquem praedictorum modorum, vel aliquos alios. Posset autem Iob dicere, hanc admonitionem esse superfluam, quia ipse solebat iustitiam diligenter exequi, sicut dixerat *supra 29.* et ideo Eliu subiungit, *Hanc enim,* scilicet iniquitatem, *Caepisti sequi post miseriam,* scilicet in hoc quod te reputas Deo iustiorem. Et ideo cavendum est tibi, ne a iustitia declines, si te contingat ad statum prosperitatis redire.

## LECTIO II.

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius, aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem? Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum: unusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inaestimabile. Qui aufert stillas pluviae, et effundit imbres ad instar gurgitum. Qui de nubibus fluunt, quae praetexunt cuncta desuper. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hoc enim iudicat populos, et dat escas multis mortalibus.

## LECTIO II.

Postquam Eliu improbaverat verba Iob, quantum ad hoc quod se iustum dicebat; hic nititur improbare verba eius quantum ad hoc quod credebat eum locutum esse contra iustitiam divini iudicii. Unde primo proponit sublimitatem divinae prosperitatis cum dicit, *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua*, idest habet potestatem caeteris sublimiorem. Non est autem rationi consonum, ut maior potestas a minori de iniustitia condemnetur. Secundo proponit eius auctoritatem, cum subdit, *Et nullus ei similis in legislatoribus*: quia scilicet legum conditores per eius sapientiam iusta decernunt, ut dicitur *Prov. 8.* unde nullis legibus potest ipse de iniustitia condemnari, quin potius sua sapientia est regula et mensura omnium legum. Tertio proponit incomprehensibilitatem operum eius, cum subdit, *Quis poterit scrutari vias eius*, idest sufficienter investigare rationes operum ipsius: et ex hoc concludit quod non potest de iniustitia condemnari; unde subdit, *Aut quis audet ei dicere, Operatus es iniquitatem?* ad hoc enim quod aliquis de iniquitate condemnetur, requiritur quod sit subiectus superiori potestati, et quod legibus alienis astringatur, et quod eius opera cognoscantur, quae in Deo locum non habent, ut dictum est. Consequenter manifestare incipit quod vias Dei, idest opera eius, homo perscrutari non possit, dicens, *Memento quod ignoras opus eius, de quo cecinerunt viri*, idest sapientes; quos viros nominat, propter animi virtutem. Dicit autem, *Cecinerunt*, propter antiquam sapientum consuetudinem, qui metrice divina et prophetica describebant. Quantumcunque autem homines aliqui sint sapientes, non possunt pertingere ad cognoscendam et enarrandam scientiam eius; sed tota hominis cognitio et sermo est de Deo per opera eius, quae tamen neque Iob, neque aliquis alius homo perfecte cognoscere potest; et ideo subdit, *Omnes homines vident eum*, scilicet per sua opera: nullus enim adeo in sapientia deficit, quin aliqua divinorum ope percipiat: et rursus nullus est adeo sapiens, cuius cognitio non multum vincatur ab excellentia claritatis divinae; unde subdit, *Unusquisque intuetur procul*, idest cognitio hominis longe distat a perfecta comprehensione divinae essentiae: tum quia non potest homo nisi per opera cognoscere, quae in infinitum distant ab excellentia essentiae eius, tum quia etiam opera eius perfecte homo non cognoscit: et ex hoc concludit, quod Deus per suam excellentiam hominis cognitionem excedit, iuxta illud *Psal. 139. Mirabilis scientia tua:* unde subdit, *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*: quod enim a nobis perfecte Deus cognosci non possit, non contingit propter defectum ipsius, sicut contingit de motu et tempore, sed propter eius excellentiam. Posset autem aliquis dicere, quod quamvis de Deo non possumus cognoscere de Deo an est, quod pertinet ad eius durationem, sed quod hoc etiam excedat hominis cognitionem ostendit subdens, *Numerus annorum eius inaestimabilis*, quia videlicet aeternitas durationis ipsius humano intellectu comprehendi non potest. Ostendit autem consequenter magnitudinem operum Dei, quae humanam rationem excedunt, enumerans diversas aeris transmutationes, qui quandoque per siccitatem disponitur: et quantum ad hoc dicit, *Qui aufert pluviae stillas*, scilicet impediendo ne pluat: quandoque vero in aere abundant pluviae, quarum magnitudinem describit dicens: *Et effundit imbres ad instar gurgitum*, qui scilicet fluunt in terram; et huiusmodi abundantia pluviae admirabilis apparet, si consideretur pluviarum origo, ut scilicet tanta aqua prorumpat de nubibus, quae soliditatem non habent: et quantum ad hoc subdit, *Qui*, scilicet gurgites: *De nubibus fluunt:* non tamen ita quod actu tanta pluvia in nubibus existat, sed quia ipsi vapores nubium successive in pluvias condensantur. Est autem et aliud in pluviis mirabile, quod longo spatio terrarum super effunduntur; unde subdit: *Quae praetexunt cuncta desuper*, scilicet loca in regione in qua pluit, ut nulla pars illius terrae remaneat non compluta. Consequenter de ipsis nubibus loquitur, dicens: *Si voluerit nubes extendere quasi tentorium suum*, quia scilicet per nubes occultatur caelum, quod est sedes Dei, sicut sedes alicuius hominis occultatur tentorio. De nubibus autem procedunt fulgura propter collisionem venti; unde subdit, *Et fulgurare lumine suo*

*desuper.* Nubes autem quandoque contegunt caelum usque ad horizontem alicuius regionis, infra quem extremitates maris claudi videntur; et ideo dicit, *Cardines quoque maris operiet tentorio nubium.* Dicit autem, *Si voluerit*, ut ostendat divinam voluntatem principium esse naturalium operum. Est autem proprium voluntatis ut propter finem operetur: et ideo finem horum operum ostendit subdens, *Per haec enim iudicat populos*, quantum scilicet ad aliquos qui per hoc puniuntur: *Et dat escas multis mortalibus*, quantum ad hoc scilicet quod pluviae sunt utiles, ad terrae foecunditatem, per quam hominibus cibaria parantur.

In manibus abscondit lucem, et praecipit ei ut rursus adveniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, et ad eam possit ascendere.

## NEC NON CAPITIS TRIGESIMISEPTIMI

### LECTIO PRIMA.

Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. Audiet auditionem in terrore vocis eius, et sonum de ore illius procedentem. Subter omnes caelos ipse considerat, et lumen illius super terminos terrae. Post eum rugiet sonitus: tonabit voce magnitudinis suae, et non investigabitur, cum audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia. Qui praecipit nivi ut descendat in terram, et hyemis pluviis, et imbri fortitudinis suae. Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. Ingredietur bestia latibulum suum, in antro suo morabitur. Ab interioribus egredietur tempestas, et ab arcturo frigus. Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissime funduntur aquae. Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum. Quae lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod praecipit illis super faciem orbis terrarum: Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocunque loco misericordiae suae eas iusserit inveniri.

### LECTIO PRIMA.

Prosecutus est Eliu supra de mutatione aeris quae fit secundum siccitatem, et pluviam, et nubium superinductionem, ex quibus Deus lumine suo fulgurat; nunc autem de ipso lumine, quod a nubibus quandoque occultatur, et quandoque reseratur: et de tonitruo, quod ex nubibus oritur, latius prosequitur: et incipit a lumine dicens, *In manibus abscondit lucem*, idest per opera virtutis suae facit ut quandoque lux solis et stellarum nubibus occultetur; sed quia haec occultatio non est perpetua, sed ad tempus, subdit, *Et praecipit ei ut rursus adveniat*, videlicet descendentibus nubibus. Vel possunt haec verba referri ad obtenebrationem, et illuminationem aeris per solis occasum et reditum. Est autem considerandum, quod sensibilia sunt quaedam intelligibilium signa, unde per effectus sensibiles ad cognitionem intelligibilium devenimus. Inter omnes autem sensibiles effectus spiritalior est lux: unde et efficacior est ad producendum intelligibilium cognitionem, inquantum scilicet visus, cuius cognitio per lucem perficitur, plurimum intellectualem cognitionem iuvat: Quia igitur ista lux sensibilis ex potestate Dei hominibus occultatur et communicatur; datur per hoc intelligi, quod apud ipsum sit quaedam excellentior lux, scilicet spiritalis, quam Deus in praemium virtutis hominibus reservet; unde subdit: *Annunciat de ea*, scilicet luce spiritali per corporalia signata, *Amico suo*, scilicet virtuoso, quem Deus amat: *Quod possessio eius sit*, idest quod illa lux spiritalis sit thesaurus, quem Deus amicis suis reservat in proemium, et quod ad eam possit ascendere, scilicet per opera virtutum ipsam promerendo, et ad ipsam possidendam se praeparando; quamvis etiam hoc posset exponi de luce corporali. Posuerunt enim Platonici, quod animae hominum derivabantur ab animabus stellarum; unde quando animae humanae suam dignitatem servant secundum rationem vivendo, revertuntur ad claritatem stellarum, unde defluxerunt: unde in somnio Scipionis legitur, quod civitatum electores, et servatores hinc profecti, scilicet a caelo, huc revertuntur. In quo etiam dat intelligere, quod non ponebat ultimam remunerationem virtutis in temporalibus bonis, sed in bonis spiritalibus post hanc vitam. Hoc autem est inter omnia maxime admirandum, quod homo terrenus corruptibilis ad spiritalium, et caelestium possessionem promoveatur; et ideo subdit, *Super hoc*, scilicet quod homo possit ascendere ad lucem possidendam: *Expavit cor meum*, timore scilicet admirationis et stuporis: *Et motum est de loco suo*, ut scilicet non solum desideret et concupiscat quae videntur ei connaturalia secundum sensibilem vitam, sed etiam ad spiritalia et caelestia transferatur. Post visum autem, qui est cognoscitivus lucis corporalis, maxime deservit intellectui auditus, inquantum est perceptivus vocum, quibus intellectuales conceptiones exprimuntur. Sicut autem per visionem lucis corporalis homo reducitur in cognitionem et expectationem cuiusdam altioris lucis, ita etiam et per auditum corporalium sonorum divina virtute formatorum, homo manuducitur ad audiendam spiritalem Dei doctrinam; unde subdit, *Audiet*, scilicet homo a Deo, *Auditionem*, scilicet spiritalis doctrinae, *In terrore vocis eius*, idest signo tonitrui: quod quasi terribilis vox Dei est. Auditionem autem praedictam exponit, subdens, *Et sonum de ore illius procedentem:* sonus enim tonitrui corporalis est quasi manu eius, idest potestate formatus; sed sonus ex ore eius procedens est doctrina sapientiae eius, secundum illud *Eccl. 24. Ego ex ore altissimi prodii.* Et ne aliquis crederet, Deum non habere aliam superiorem lucem quam sit lux corporalis caeli, hoc excludit subdens, *Super omnes caelos ipse considerat;* quasi dicat, Eius visio non est infra caelum, sed supra caelum. Mihi autem videtur nisi in aliquo lumi-

ne, quia omne quod manifestatur, lumen est, ut dicitur *ad Ephes. 5.* unde necesse est, quod lux Dei sit excellentior ista luce corporali, quae primo invenitur in caelis; unde subdit, *Et lumen illius*, scilicet intelligibile est: *Super terminos terrae,* idest super omnem corpoream creaturam, et sicut lux corporea caeli est infra ipsum, ita etiam et tonus tonitrui corporalis est inferior ipso; unde subdit, *Post eum,* idest sub ipso: *Rugiet sonitus,* scilicet tonitrui corporalis: habet autem aliam vocem spiritualem, scilicet sapientiae doctrinam, quae est homini incomprehensibilis, de qua subdit, *Tonabit vocem magnitudinis suae,* idest quae docet magnitudinem eius: et hanc vocem non omnes audiunt sicut tonitruum corporale: et illi qui aliqualiter audiunt, eam comprehendere non possunt; unde subdit: *Et non investigabitur*, scilicet perfecte: *Cum audita fuerit,* idest percepta spiritualiter ab aliquo homine, *Vox eius*, idest sapientiae doctrina. Huius autem vox non solum ordinatur ad doctrinam hominum, qui eam audiunt, sed etiam ad perfectionem naturalium operum, quae ex praecepto divinae sapientiae fiunt. Inde secundo repetit: *Tonabit Deus in voce sua,* idest in imperio sapientiae suae: *Mirabiliter*, idest mirabiles effectus producendo: et hoc est quod subdit, *Qui facit magna*, scilicet secundum eorum veram rationem, *Et inscrutabilia*, scilicet rationi humanae. Et horum enumerationem incipiens subdit, *Qui praecipit nivi,* scilicet voce sapientiae suae, *Ut descendat super terram*, quia scilicet ex eius imperio nives generantur, et etiam pluviae, et imbres; unde subdit, *Et pluviis hyemis,* quae scilicet in hyeme abundant, *Et imbribus fortitudinis suae,* qui scilicet ex aliqua vehementiori causa generantur, et cum impetu venti. Et quia omnia quae in rebus inferioribus fiunt, ad homines quodammodo ordinantur; ideo subdit, *Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua*: diversis enim hominum operibus diversae dispositiones aeris congruunt: aliud enim est opus noctis, et aliud diei, et rursum aliud opus exercet homo tempore serenitatis, et aliud tempore pluvioso. Quod autem opus cuilibet tempori congruat, discernit homo secundum rationem sibi divinitus datam: et hoc est signum quod Deus posuit in manu, idest in operativa virtute omnium hominum, ut sciant congrue distribuere sua opera diversis temporibus: et ista providentia usque ad animalia bruta protenditur, quae scilicet quodam naturali instinctu diversis temporibus diversa operantur; unde subdit, *Ingredietur bestia latibulum suum*, scilicet tempore pluvioso, *Et in antro suo morabitur*, scilicet tempore congruo. Deinde ostendit effectus diversorum ventorum. Circa quod considerandum est, quod meridionales venti pluvias et tempestates producunt; venti autem septentrionales causant frigus in aere; meridionales autem venti oriuntur nobis ex parte, quae est versus polum antarcticum, qui occultatur a nobis, utpote depressus sub nostro horizonte secundum quantitatem, qua polus arcticus super horizontem elevatur, ideo dicit, *Ab interioribus egreditur tempestas;* quasi dicat, Tempestas apud nos causatur per ventum procedentem a parte caeli, quae quidem semper deprimitur sub nostro horizonte, qui quidem ventus dicitur auster; et quantum ad aquilonem subdit, *Et ab Arcturo frigus:* arctos enim in graeco dicitur pars septentrionalis: unde Arcturus vocatur constellatio Ursae, quae semper elevatur supra horizontem, et ex illa parte procedit aquilo, qui causat frigus, propter remotionem solis ab illa plaga caeli. Et ut hoc attribuatur divinae sapientiae, subdit, *Flante Deo concrescit gelu;* quasi dicat, Ventus aquilo, qui causat gelu, oritur Deo flante, idest producente ventum australem, *Latissime*, idest abundantissime, *Funduntur aquae,* scilicet pluviarum, quae causantur ex austro. Et ut huiusmodi etiam effectus ad utilitatem hominum referri ostendat, subdit, *Frumentum desiderat nubes;* quasi dicat, Nubes ordinantur ad frumentum sicut ad quendam finem, propter quem sunt utiles. Quaelibet autem res desiderat suum finem, et pro tanto dicit, quod nubes desiderant frumentum, quia videlicet ex nubibus utilitas frumento provenit, vel ratione pluviae ex nube descendentis, quae irrigando terram, foecundet eam ad productionem frumenti, vel etiam quantum ad hoc, quod utile est frumento, quod aliquando nubibus obumbretur, ne desiccetur continuis solis ardoribus. Subiungit autem aliam utilitatem nubium, cum dicit, *Et nubes spargunt lumen suum:* quod potest referri vel ad lumen coruscationum secundum id, quod supra in praecedenti capitulo praedixerat, *Si voluerit extendere nubes, et fulgurare lumino suo;* vel magis potest referri ad lumen, quod resplendet in aere ex radio solis reverberantis ad nubes quodammodo contemperati per ipsas: unde claritas solis apparet in aere ante ortum solis ad nubes quae sunt in loco sublimiori, ad quem citius accedunt radii solares, et tardius eas deserunt. Posita autem utilitate nubium, describit eorum motum dicens, *Quae lustrant cuncta per circuitum:* non enim nubes super unam tantum partem terrae resident, ex qua vapores sunt elevati, sed ventorum impulsu ad diversas partes trasferuntur. Solent autem venti, ut plurimum gyrum quendam facere sequentes motum solis: unde et in mane fiunt venti orientales, postea meridionales, et tandem versus vesperas occidentales, unde ex consequenti nubes circuitu quodam moventur. Et ut ostendat hoc ex providentia divina procedere, subdit, *Quocumque eas voluntas gubernantis*, scilicet Dei, *Duxerit*, quia scilicet non semper ad omnem partem terrae nubes perveniunt, sed quandoque ad hanc, quandoque ad illam secundum Dei dispositionem. Procedunt autem ex nubibus diversi effectus, puta pluviae, nives, grandines, tonitrua, et similia; et sicut ex divina dispositione dependet, ad quam partem terrae nubes perveniant, ita etiam ex ea pendet, quis effectus ex nubibus consequatur; unde subdit, *Ad omne quod praeceperit illis super faciem terrae;* quasi dicat, Ex praecepto divino dependet quis effectus sequatur ex nubibus super terram. Et quia dixerat, *Quocumque eas voluntas gubernantis duxerit*, hic exponit subdens, *Sive in una tribu*, quia scilicet contingit quandoque quod in uno territorio nubes apparent, et in alio non apparent, secundum illud *Amos 4. Plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui;* et hoc dupliciter contingit, quia quandoque nubes apparent in eadem regione, ex qua vapores generantur, quod contingit quando ex impulsu venti ad loca remota vapores non transferuntur; et quantum ad hoc subdit, *Sive in terra sua*, scilicet nubium,

unde sunt exortae ; quandoque vero transferuntur ad aliam regionem; et quantum ad hoc subdit, *Sive in quocumque loco misericordiae suae eas iusserit inveniri:* ex magna enim misericordia Dei procedit, quod nubes et pluvias alicui regioni provideat temporibus optimis, et praecipue in terris calidis, ubi sunt pluviae rariores.

## LECTIO II.

Ausculta haec Iob, sta, et considera mirabilia Dei. Nunquid scis quando praecipit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium eius? Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias? Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro? tu forsitan cum eo fabricatus es caelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt. Ostende nobis quod dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris. Quis narrabit ei quae loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabit. At nunc non vident lucem, subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas. Ab aquilone aurum venit, et a Deo formidolosa laudatio. Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, et iudicio, et iustitia, et enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.

## LECTIO II.

Postquam Eliu multa mirabilia operum divinorum narraverat ; hic invehitur contra Iob qui Deum de iniustitia arguere videbatur, cum tamen eius opera comprehendere non posset ; et ideo dicit, *Ausculta enim Iob,* quae scilicet a me dicuntur de magnitudine divinorum operum: *Sta,* scilicet per mentis rectitudinem, *Et considera,* scilicet per te ipsum, *Mirabilia Dei,* quae scilicet in eius operibus manifestantur, inter quae mirabilia a pluviis incipit, quas quidem sensibiliter homines percipiunt; sed tamen earum primam originem, secundum quod a Deo sunt institutae, scientia comprehendere non potest ; unde subdit, *Numquid scis quando Deus praecipit pluviis,* quae scilicet ex divina ordinatione super terram cadunt: et post eorum aer, qui prius erat tenebrosus ex densitate nubium, eis rarescentibus redditur clarus ; unde subdit, *Ut ostenderent,* scilicet pluviae cadentes, *Lucem nubium eius,* in lucem solis per nubes rarefactas splendentem, quae per nubes condensatas occultabatur; de quarum motu subdit, *Numquid nosti semitas nubium,* quomodo scilicet et ex qua causa ad diversas partes propellantur flatu ventorum. Nubium autem cognitio est principium cognoscendi omnes aeris permutationes, puta ventos, pluvias, nives, grandines, tonitrua et caetera huiusmodi ; et ideo subdit, *Magnas et perfectas scientias,* magnas quidem propter hoc quod huiusmodi impressiones in sublimi corpore fiunt; perfectas autem, quia per nubium scientiam comprehendit omnem notitiam praedictarum impressionum, et effectuum, qui ex eis consequitur ex his inferioribus. Et quia nubes a ventis impelluntur, consequenter de effectu venti subiungit, dicens, *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?* ventus enim auster, quia procedit ex regionibus calidis, aerem calefacit : ex cuius calore vestimenta hominis magis calefacere eum possunt: et signanter facit mentionem de effectu austri, quia ipse quasi ab imo veniens, vapores congregando condensat in nubes, et eas movet; aquilo vero, quasi ab alto veniens, magis eas dispergit. Et quia ad omnes huiusmodi effectus virtus caelestium corporum operatur, ideo ulterius procedit usque ad caelestia corpora; unde subdit, *Tu fortitan cum eo fabricatus es caelos,* in quo metaphorice causalitatem Dei super caelestia corpora exprimit : nam sicut artifex est causa fabricae, ita Deus est causa caelestium corporum, aliter tamen et aliter: nam artifex fabricam constituit ex materia praeiacente, caelestia autem corpora ex materia praeiacenti fieri non potuerunt, sed simul in eorum productione fuit materia cum forma producta. Et ut distingueret superiores caelos a caelis qui dicuntur aerei, subiungit, *Qui solidissimi quasi aere fusi sunt.* Sciendum est autem, quod apud nos quaedam corpora sunt, quae cedunt tangenti, et a transeuntibus dividi possunt, sicut aer, et aqua, et huiusmodi: quaedam vero sunt, quae non cedunt tangenti, nec pertransiri possunt, sicut corpora lapidum, et metallorum; et ideo ut ostendat superiores caelos non esse divisibiles aut pertransibiles ad modum aeris et aquae, comparat eos aeri, praecipue inter cetera metalla, quia eo ut plurimum homines ad talia opera utebantur. Et ne forte praesumptuose Iob diceret se Dei opera perfecte cognoscere, irrisorie subdit dicens, *Ostende nobis quid dicamus illi;* quasi dicat, Si tu es ita sapiens, quod omnia Dei opera cognoscas, et quod super his etiam possis disputare cum eo, doceas nos ut possimus ei respondere: et necessitatem ostendit, subdens, *Nos quidem involvimur tenebris;* quasi dicat, multum indigeremus, quod praedicta nobis ostenderes, quia nos ea penitus ignoramus. Et quia ipse multa de effectibus divinis locutus fuerat, ne hoc ei ad praesumptionem imputaretur, quasi ipse aestimaret se praedicta perfecte cognoscere, ad hoc excludendum subdit, *Quis narrabit ei quae loquor;* quasi dicat, Haec quae de effectibus eius locutus sum, nullus sufficienter narrare potest, prout convenit ei, secundum excellentiam scilicet suae virtutis: et si quis in tantam praesumptionem erigeretur, ut sufficienter de eo loqui se aestimaret, ex hoc ipso sibi periculum imminet; unde subdit, *Etiam si locutus fuerit homo,* quasi volens divinos effectus comprehendere : *Devorabitur quasi absorptus,* a magnitudine materiae, de qua loquitur, secundum illud *Pro. 25. Qui perscrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Vel potest aliter intelligi, ut sit sensus, non solum homo non potest sufficienter, et convenienter enarrare divinos effectus, sed etiam si ipse Deus eos locutus fuerit homini, scilicet revelando, homo devorabitur, quasi tantam rem capere non valens ; unde dicitur *Ioan. 16. Multa habeo vobis dicere, quae non potestis portare modo:* et *Deu. 5.* dicitur, *Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis?* Sed ne aliquis crederet, quod cognitio veritatis divinae in perpetuum esset homini subtrahenda, ad hoc excluden-

dum subdit, *At nunc*, idest in praesenti tempore : *Non vident*, scilicet homines : *Lucem*, idest claritatem divinae cognitionis. Amico tamen Dei annunciatur, quod ad eam quandoque possit ascendere, ut supra dictum est; et ad hoc similitudinem inducit, dicens, *Subito aer cogetur in nubes*, propter congregationem vaporum ab austro, et ex hoc redditur aer tenebrosus; sed huius tenebrae postmodum transeunt nubibus fugatis ; unde subdit, *Et ventus transiens*, scilicet aquilo: *Fugabit eas;* quasi dicat, Per hunc modum, licet tunc tenebris involvatur, tamen superveniente morte, quae est quasi quidam transitus venti, praedictae tenebrae fugabuntur. Contingit autem quandoque, quod in aliquo loco tenebroso aliquid frigidum invenitur: sicut pars septentrionalis tenebrosa dicitur propter elongationem eius a sole ; et tamen in septentrionalibus regionibus multum auri invenitur, quod est inter caetera metalla frigidius: et hoc ideo, quia calore propter circumstans aeris frigus recurrente ad interiora viscera terrae, efficacius ibi operatur ad auri generationem ; et hoc est quod subdit, *Ab aquilone aurum veniet;* quasi dicat, in regione aquilonari aurum magis abundat ; et sicut in tenebris septentrionis invenitur fulgor auri, ita etiam inter tenebras ignorantiae huiusmodi vitae invenitur aliqua licet obscura refulgentia divinae cognitionis; unde subdit, *Et a Deo formidolosa laudatio :* si enim nihil divinae lucis in nobis fulgeret, nullatenus eum laudare possumus: rursus si fulgeret nobis divina veritas manifeste, sicut in meridie, eum secure laudaremus; sed quia in terra cum quadam obscuritate nobis aliquid de divina luce fulget, cum formidine ipsum laudamus : sicut cum formidine homo facit illud, quod scit se perfecte facere non posse; unde subdit, *Digne eum invenire non possumus*, ut scilicet per nostram inventionem perveniamus ad eum cognoscendum sicuti est: quod quidem ex eius excellentia contingit; unde subdit, *Magnus fortitudine*, quia scilicet eius virtus in infinitum excedit omnes effectus suos, unde ex eis digne inveniri non potest. Et ne credatur propter virtutis magnitudinem, sola violentia uti in hominum gubernatione, subdit, *Et iudicio*, scilicet magnus est, quia scilicet incomprehensibilia sunt iudicia eius: nec hoc propter iustitiae defectum, sed propter excellentem iustitiam; unde subdit, *Et iustitia*, scilicet magnus est, et propter suam magnitudinem, nec mente cogitare, nec ore sufficienter de eo loqui possumus ; unde subdit, *Et narrari non potest*, scilicet digne ab homine. Et haec est causa, quare est eius laudatio formidolosa ; unde subdit, *Ideo timebunt eum viri*, scilicet quantumcunque fortes propter fortitudinis magnitudinem *: Et non audebunt contemplari*, scilicet praesumentes ad plenum cognoscere : *Omnes qui sibi videntur esse sapientes.* Et hoc signanter dicit, quia sapientia hominis, quantacumque ei, vel aliis videatur, divinae sapientiae comparata, quasi nihil est. Est autem considerandum ex praemissis Eliu verbis, quod partim cum Iob conveniebat, partim cum amicis eius: in hoc enim conveniebat cum Iob, quod credebat remunerationem bonorum futuram post hanc vitam, et punitionem malorum ; cum amicis autem Iob conveniebat in hoc, quod credebat omnes adversitates praesentis vitae pro peccatis provenire: de quibus si quis poeniteat, ad prosperitatem redibit. Conveniebat etiam cum amicis Iob, quantum ad personam ipsius Iob, quia putabat eum pro peccato punitum, et quod iustitia, quae in eo primitus fundabatur, seu videbatur, fuerit simulata. Prave etiam verba Iob accipiebat, sicut et alii. Circa prosperitatem autem malorum in hoc mundo solus tangit hanc causam, quod prosperantur pro peccatis aliorum. Similiter etiam solus manifeste tangere videtur, angelos esse medios inter Deum et homines. Iob autem verbis eius non respondet ; primo quidem, quia in principalibus dogmatibus cum eo concordabat, in quibus amici eius errabant, quos supra xiii. vocaverat perversorum dogmatum cultores. Quid autem de sua persona sentiret Eliu, non tantum cura erat ei, quod propter hoc cum Eliu vellet contendere, praesertim quod puritatem conscientiae suae non aliter quam supra poterat probare, scilicet divino testimonio. Secundo, quia ex iuvenili quadam praesumptione more contentiosorum Iob imponebat verba, quae non dixerat, vel quae aliter dixerat ; quam ipse acceperit; et ideo ut se a contentionibus separaret, decrevit magis esse silendum, et divino iudicio committendum.

## CAPITIS TRIGESIMIOCTAVI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis ? Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et responde mihi. Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius si nosti? vel quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases illius solidatae sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius ? cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei? Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia. Et dixi, usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Nunquid post ortum tuum praecepisti diluculo, et ostendisti aurorae locum suum ?

### LECTIO PRIMA.

Praemissa disputatione Iob, et amicorum eius de providentia divina, dum Eliu sibi vices determinantis assumpserat, in quibusdam redarguens Iob, in quibusdam autem amicos ipsius. Sed quia humana sapientia non sufficit ad veritatem divinae providentiae comprehendendam, necessarium fuit ut praedicta disputatio divina auctoritate terminaretur. Sed quia Iob circa divinam providentiam recte sentiebat, in modo autem loquendi excesserat in tantum, quod malorum

cordibus exinde scandalum proveniret, dum putabant eum Deo debitam reverentiam non exhibere, ideo Dominus tanquam quaestionis determinator, et amicos Iob redarguit ex hoc, quod non recte sentiebant, et ipsum Iob de inordinato modo loquendi, et Eliu de inconvenienti determinatione; unde dicitur: *Respondens autem Dominus Iob*, quia scilicet propter eum ista responsio fiebat, quamvis non fuerit ipse immediate ante locutus. Modum autem respondendi ostendit subdens, *De turbine*: quod quidem potest ad literam intelligi, ut dicatur formatam esse vocem Dei miraculose in aere cum quadam aeris turbatione, sicut in monte Synai factum legitur *Exo. 10.* Vel sicut ad Christum vox facta est, quando quidam dixerunt, Tonitruum factum esse, ut legitur *Ioa. 10.* Vel potest intelligi ut sit metaphorice dictum, ut haec responsio dicta sit inspiratio interior divinitus facta ipsi Iob: et sic dicitur Dominus ei de turbine respondisse, tum propter turbationem quam adhuc patiebatur, tum etiam propter turbinis obscuritatem: quia scilicet divinam inspirationem in hac vita non possumus clare percipere, sed cum quadam obumbratione sensibilium similitudinum, ut Dionysius dicit *1. cap. cael. Hier.* et hoc etiam significavit Dominus supra, si de turbine corporali vocem suam sensibiliter fecit audiri. Determinata autem disputatione quasi per sententiam iudicii, nihil ultra restat dicendum, nisi determinationis sententia reprobetur: et ideo Dominus primo improbavit determinationem disputationis, quam Eliu fecerat; improbat autem, quia veras sententias quas proposuerat, involverat multis falsis, et frivolis verbis; unde sequitur, *Dixit, quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* sententias quidem Eliu dixerat arguendo Iob de hoc, quod dixerat se velle disputare cum Deo: et de hoc, quod intantum se iustum dixerat, quod quasi videbatur iustitiae divini iudicii derogare. Sed istas sententias involverat multis praesumptuosis, et etiam falsis sermonibus, ut ex supradictis patet: quia hic dicuntur sermones imperiti, quia omnis inordinatio ex defectu rationis procedere videtur. Sic ergo exclusa determinatione Eliu, Dominus ipse incipit determinare disputationem: et primo excitat Iob ad attendendum, cum dicit: *Accinge sicut vir lumbos tuos:* quod metaphorice dicitur. Homines enim solent lumbos praecingere ad hoc quod sint prompti ad iter, vel ad quamlibet actionem; unde volebat eum Dominus esse promptum ad considerandum quae ei dicebantur, semotis quibuslibet impedimentis: unde signanter de praecinctione lumborum facit mentionem, quia per lumbos voluptas carnalis intelligitur, quae praecipue impedit spiritalem auditum, secundum illud *Isa. 28. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Primo autem incipit in sua determinatione Iob arguere de hoc, quod praesumptuose videbatur esse locutus, dum Deum ad disputandum provocaret. Et quia *13. supra* videtur Deo dedisse duorum optionem cum dixit, *Voca me, et ego respondebo tibi, aut certe loquar, et tu responde mihi*, quia Iob iam satis locutus fuerat, Deus quasi alteram partem elegit, cum subdit, *Interrogabo te, responde mihi:* quae quidem interrogatio Dei non est ut addiscat, sed ut hominem de sua ignorantia convincat. Interrogat autem ipsum de suis effectibus qui humanis sensibus praesto sunt, quos cum homo ignorare ostenditur, multo magis convincitur, sublimiorum scientiam non habere. Inter alios autem sensibiles effectus incipit interrogare de principalibus partibus mundi, inter quas terra est nobis notior, utpote propinquior: de qua interrogare incipiens, dicit, *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?* Recte fundamento terram comparat, quia sicut fundamentum est infima aedificii pars, ita etiam terra est infimum corpus, quod subiacet omnibus. Et quia terra est praecipue materia humani corporis, materia autem tempore praecedit id, quod ex ea fit, et multo magis ratio artificis quae materiam condidit; ideo signanter dicit: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae;* ac si dicat, Cognoscere rationem fundationis terrae non potes, quia cum terra fundata est, nondum eras in rerum natura. Est autem considerandum quod quidam antiquorum situm terrae et aliorum elementorum non attribuebant alicui rationi ordinanti, sed necessitati materiae, secundum quod gravia levibus succedunt; ut autem haec opinio excludatur, Dominus consequenter comparat fundationem terrae fundationi aedificii, quae fit secundum aedificatoris rationes: et similiter fundatio terrae est facta secundum providentiam divinam, quam humana intelligentia comprehendere non valet; et hoc signat cum subdit, *Indica mihi si habes intelligentiam;* quasi dicat, Ideo bonorum rationem indicare non potes, quia ad haec capienda intelligentia tua non sufficit. Est autem considerandum quod artifex in aedificii fundatione quatuor disponit: primo quidem, quantum debeat esse fundamentum, et similiter divina ratione dispositum est, quod tanta debeat esse quantitas terrae, non maior, vel minor: et quantum ad hoc subdit, *Quis posuit mensuras eius*, scilicet secundum omnes dimensiones; et signanter dicit, *Posuit:* non enim species terrae ex necessitate talem quantitatem requirit, sed haec quantitas est terrae imposita ex sola ratione divina, quam homo recognoscere non potest; et ideo subdit, *Si nosti*, quia scilicet haec homo nec noscere, nec indicare potest. Secundo artifex per suam rationem disponit determinatum situm fundamenti, quem comprehendit per extensionem lineae mensuralis; unde subdit, *Vel quis tetendit super eam lineam*, per quam scilicet significatur ratio divinae dispositionis, designans determinatum situm terrae in partibus universi. Tertio excogitata quantitate fundamenti, et ubi collocandum sit, disponit artifex in quo possit fundamentum firmiter collocari; et quantum ad hoc subdit, *Super quo bases illius*, scilicet terrae: *Solidatae sunt*, quia firmata est super centrum mundi. Quarto autem praedictis tribus excogitatis, artifex iam incipit iacere lapides in fundamentum: et primo lapidem angularem, ad quem diversi parietes congregantur; et quantum ad hoc subdit, *Aut quis demisit*, idest deorsum misit, *Lapidem angularem eius*, per quem scilicet significatur ipsum centrum terrae, cui diversae partes terrae connectuntur. Solet autem homo fundamentum aedificii collocare propter necessitatem habitationis; sed ut ostendatur Deus non ex indigentia fundamenta terrae fecisse, subiungit, *Cum me laudarent singula astra matutina;* quasi dicat, Quamvis adesset mihi

habitatio caeli, eius astra me laudant, terram tamen fundavi non ex indigentia famulantium, qui eam inhabitarent, sed ex sola voluntate. Non autem hic dicitur quasi caelum prius sit factum quam terra, praesertim cum in Genesi legatur, in principio Deum creasse caelum et terram; astra autem, de quibus hic fit mentio, leguntur facta fuisse quarta die; sed hoc dicitur ad ostendendum, quod ordine naturae caelum, vel astra priora sunt terra, sicut incorruptibile incorruptibili, et movens moto. Dicit autem, *Astra matutina*, idest de novo condita, sicut apud nos astra matutina dicuntur, quae in principio diei solent apparere: quod autem dicuntur astra matutina Deum laudare, potest uno modo intelligi materialiter, inquantum scilicet propter sui claritatem et nobilitatem erant materia divinae laudis, et si non hominibus qui adhuc non erant, saltem angelis, qui iam erant, secundum illos, qui dicunt corpora caelestia animata, astra in suae institutionis initio Deum laudabant, non laude vocali, sed mentali; quod etiam potest referri ad angelos, quorum ministerio caelestia corpora moventur, ut subditur, *Et iubilarent omnes filii Dei*, referatur ad angelos supremae Hierarchiae, quos Dionysius dicit esse collocatos in vestibulo deitatis: et ideo signanter illis tamquam inferioribus laudem, istis autem tamquam superioribus attribuit iubilationem, quae excellentiam quandam laudis importat. Praemisso igitur de fundatione terrae, subiungit consequenter de aquis, quae immediate superponuntur terrae. Videtur autem naturalis ordo elementorum requirere, ut aqua ex omni parte circumdaret terram, sicut aer ex omni parte circumdat terram, et aquam; sed divina dispositione factum est propter generationem hominum, animalium, et plantarum, ut aliqua pars terrae discooperta remaneret ab aquis. Deo sua virtute aquas maris sub certis limitibus retinente; unde subdit, *Quis conclusit ostiis mare?* idest certis terminis. Fuerunt aliqui, qui putaverunt per actionem solis aliquam partem terrae exsiccatam esse; sed Dominus ostendit, a principio ita fuisse dispositum ut mare non undique terram operiret. Describit autem productionem maris sub similitudine nativitatis rei viventis, scilicet pueri, quia aqua est res maxime formabilis in res vivas: unde et omnia semina generativa humida sunt: puer autem primo de utero matris progreditur; et hoc significat, cum dicit, *Quando erumpebat, quasi de vulva procedens*. Virtus autem in productione maris verbo erumpendi, quia scilicet proprium est aquae quasi continue moveri. Dicitur autem quasi de vulva procedere, non quod ortum habuit ex alia materia corporali, sed quia ex occulto divinae providentiae procedebat, quasi ex utero quodam. Secundo autem puer natus induitur; et quantum ad hoc subdit, *Cum poneret nubem vestimentum eius:* quia enim nubes ex vaporibus resolutis ex aqua generantur, consequens est, ut in locis maritimis huiusmodi nubes magis multiplicentur. Tertio autem puer natus quibusdam fasciis involvitur; et quantum ad hoc subdit, *Et caliginem illud quasi pannis infantiae obvolverem*. Et possunt per caliginem designari vapores non elevati, nec condensati in nubes, sed super maris superficiem aerem obscurantes: et forte alludit ei quod dicitur *Gen. 1.* quod tenebrae erant super faciem abyssi. His igitur positis, quae pertinent ad novam maris productionem, explicat eius conclusionem, ac si dicat, quando in aere de novo factum est: *Tunc circumdedi illud terminis meis:* et videtur tria ponere pertinentia ad conclusionem maris; quorum primum signatur, cum dicit, *Terminis meis*, idest a me positis; secundum signatur, cum dicit, *Et posui vectem;* tertium est, cum dicit, *Et ostia*. Haec autem tria pertinent ad imperium divinae virtutis: unde quasi exponens praedicta, subdit, *Et dixi*, *Hucusque venies*, quod pertinet ad rationem terminorum; nam terminus est ultimus motus: *Et non procedes amplius*, quod scilicet pertinet ad vectem per quem processus alicuius impeditur: *Et hic confringes tumentes fluctus tuos*, quod pertinet ad ostia, quae ad hoc ponuntur quod aliquis non passim egrediatur aut ingrediatur; sed secundum certam regulam, ita etiam mare non passim transgreditur litus, sed secundum quandam mensuram fluctuum intumescentium. Post terrram autem, et aquas ulterius procedit ad aerem, qui secundum aspectum caelo continuatur. Prima autem dispositio communis ad totum corpus, quod superiacet aquae et terrae, est variatio noctis et diei, quae fiunt secundum motum diurnum, qui est primus motus; et ideo consequenter dicit, *Nunquid post ortum tuum praecepisti diluculo;* quasi dicat, Nunquid ex praecepto tuo alternantur nox, et dies super terram, diluculum enim est quoddam confinium diei, et noctis: et signanter dicit, *Nunquid post ortum tuum*, sicut et supra quando de terra loquebatur, dixerat, *Ubi eras*, quia sicut terra est principaliter materiale principium hominis, ita etiam supremum caelum, quod suo motu variat diem et noctem, est principale principium humani corporis inter causas corporales. Est autem considerandum, quod claritas diluculi, sive aurorae diversificantur secundum diversas partes elevationis signorum, quae sol perambulat: quia quando est in signo velocis ascensionis, in quo scilicet cito oritur, parum durat aurora; quando autem est in signo tardae ascensionis, amplius durat, et est determinata mensura loci, ex quo sole ibi existente incipit claritas diluculi apparere: et hoc est quod subdit, *Ostendisti aurorae locum suum;* quasi dicat, Nunquid tu dispensasti loca in caelo, ex quibus aurora illucescat? quasi dicat, non: et ex his omnibus datur intelligi, quod tua ratio deficit a comprehensione divinorum operum: unde patet quod tu non es idoneus ad disputandum cum Deo.

## LECTIO II.

Nunquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea? Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. Auferetur ab impiis lux sua, et brachium celsum confringetur. Nunquid ingressus es profundum maris, et in novissimis abyssi deambulasti? Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Nunquid considerasti latitudinem terrae? indica mihi si nosti omnia. In qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit. Ut ducas unumquod-

que ad terminos suos, et intelligas semitas eius. Sciebas tunc, quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quae praeparavi in tempus hostis, in die pugnae et belli? Per quam viam spargitur lux: dividitur aestus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam, et desolatam, et produceret herbas virentes? Quis est pluviae pater, vel quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies? et gelu de caelo quis genuit? In similitudinem lapidis quae durantur, et superficies abyssi constringitur. Numquid coniungere valebis micantes stellas pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare? Nunquid producis luciferum in tempore suo, et hesperum super fines terrae consurgere facis? Numquid nosti ordinem caeli, et pones rationem eius in terra? Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, adsumus?

## LECTIO II.

Postquam Dominus connumeravit principales partes creaturae corporalis, scilicet terram, mare, et caelum; hic incipit prosequi mirabilia divinorum operum, quae in dispositione praedictarum trium partium mundi apparent; et incipit a terra, in qua praecipue admirandum apparet, quod accidit circa terrae motum, de quo metaphorice loquitur ad similitudinem hominis, qui tenens corpus aliquod, concutit ipsum; unde dicit, *Nunquid tenuisti*, idest virtute tua comprehendisti: *Concutiens extrema terrae:* quod non est sic intelligendum, quod tota terra simul concutiatur in terrae motu, sed quia aliquae extremitates terrae concutiuntur. Omnia vero quae accidunt in corporali creatura, in utilitatem hominum redundant; terrae motus autem et alia huiusmodi utilia sunt per hoc, quod homines territi a peccatis desistant; unde subdit, *Et excussisti impios ab ea:* et loquitur ad similitudinem hominis, qui concutit vestimentum, ut ex eo excutiat pulverem seu tineam; ita etiam Deus videtur concutere terram, ut excutiat peccatores ex ea, quandoque quidem per mortem, quandoque autem per emendationem vitae. Solet autem in terrae motu contingere, quod aliqua aperta recluduntur, sicut parietes vel aliquid huiusmodi: et quantum ad hoc subdit, *Restituetur ut lutum signaculum*: lutum enim quando dividitur, de facili ad eandem dispositionem reintegratur; ita etiam aliquod signaculum, puta in pariete vel in quocunque aliquo huiusmodi quod videbatur immutatum per apertionem parietis, quandoque divina virtute restituitur in pristinum statum. Contingit etiam quandoque quod turres, et arbores, et alia huiusmodi per terrae motum concutiantur, et non cadunt; et quantum ad hoc subdit: *Et stabit sicut vestimentum*, quod scilicet si concutiatur, pristinam integritatem non perdit. Contingit autem quandoque e contrario, quod homines, vel absorpti terra, vel etiam oppressi parietibus per motum terrae cadentibus, moriuntur; et quantum ad hoc subdit, *Aufertur ab impiis lux sua*, per mortem. Contingit etiam quandoque quod munitiones, et turres fortissimae per terrae motum deiiciuntur; et quantum ad hoc subdit, *Et brachium excelsum confringetur*, idest aliqua fortissima munitio, vel aliquis potens amicus, in quo homo confidit sicut in suo brachio. His igitur praemissis de terrae motu, et de effectibus eius, procedit ad dispositionem medii elementi, scilicet maris, in quo hominibus videntur occulta et mirabilia; primo quidem ea, quae sunt in profundo maris, puta piscium dispositiones in mari viventium; et quantum ad hoc dicit, *Nunquid ingressus es profundum maris?* ut scilicet cognosceres animalia, quae in eo latent. Aliud autem quod in mari videtur occultum et admirandum, est dispositio terrae sub aquis maris existentis; et quantum ad hoc subdit, *Et in novissimis abyssi deambulasti*, idest in infimis eius partibus. Post dispositionem autem terrae et maris procedit ad dispositionem caeli, sub quo etiam continetur aer: et in hoc latius immoratur, propter multa mirabilia, quae in eo apparent. Et primo incipit a dispositione lucis et tenebrarum, quae communiter respicit totum superius corpus. Est autem considerandum quod corpora caelestia per lucem suam agunt in ista inferiora, eo quod lux est quasi qualitas activa caelestium corporum, sicut calor, et frigus elementorum: et ideo effectus caelestium corporum in istis inferioribus coniungit cum consideratione lucis et tenebrarum. Inter alios autem effectus caelestium corporum in istis inferioribus, communior est generatio et corruptio: et ab hoc incipit dicens, *Nunquid apertae sunt tibi portae mortis?* mors enim est corruptio corporis viventis, et sic proprie ad hominem pertinet, cui praesens sermo dirigitur. Portae autem mortis sunt causae corruptionis quantum ad virtutes caelestium corporum, per quas primo proceditur ad talem effectum. Est autem difficillimum cognoscere, quis sit periodus vitae et permanentiae cuiuslibet rei: et ideo portae mortis nobis apertae non sunt, quia non possumus in corporibus caelestibus cognoscere propriam causam corruptionis cuiuscumque rei: morti autem competit ratio tenebrarum: tum quia per mortem homo privatur corporali visu, cuius cognitio est per lumen: tum etiam quia post mortem homo in oblivionem quasi in tenebras quasdam vadit; et ideo subdit: *Et ostia tenebrosa viditi:* ut intelligatur idem appellare ostia tenebrosa propter proprietatem mortis, quod prius appellaverat portas mortis. Vel hoc quod dicit, *Ostia tenebrosa*, potest referri ad alium effectum caelestium corporum, qui est obtenebratio aeris: ut sic hoc quod dixit de portis mortis, referatur ad sola viventia corpora; quod autem dixit de ostiis tenebrosis, ad corpora perspicua. Subdit autem de diversitate caloris, et frigoris circa terram dicens, *Nunquid considerasti latitudinem terrae.* Ubi considerandum est, quod longitudo terrae secundum astrologos attenditur secundum progressum ab oriente in occidentem, latitudo autem eius attenditur a meridie in septentrionem, eo quod in alia qualibet re

maior dimensio vocatur longitudo, minor autem dimensio vocatur latitudo. Est autem experimento probatum, quod dimensio terrae a nobis habitatae maior est ab oriente usque ad occidentem, quam a meridie usque in septentrionem: unde latitudo terrae accipitur secundum progressum a meridie usque in septentrionem, in quo quidem progressu est diversitas caloris et frigoris: quia quanto magis appropinquatur a meridie in nostrum habitabile, tanto locus calidior est propter solis propinquitatem; unde quod de latitudine terrae dicitur, potest referri ad diversitatem locorum calidorum et frigidorum. His ergo praemissis, quae pertinent ad effectus caelestis lucis in haec inferiora, facit mentionem de ipsa luce, cum subdit, *Indica mihi si nosti omnia*, ut scilicet sis idoneus ad disputandum cum Deo, qui omnia novit: *In qua via lux habitat.* Ubi considerandum est, quod lux in luminaribus mundi invenitur, quae propter hoc luminaria dicuntur, quia sunt luminis vasa; sed quia via ad motum refertur, quomodo de via, in qua lux habitat, refertur ad luminarium motum? Excedit autem humanam cognitionem qualiter luminaria moveantur: quod ostenditur ex diversis opinionibus hominum circa motus eorum: dum quidam asserunt ea moveri per excentros et epiciclos; quidam autem per motum diversarum spherarum; et sicut lux ex motu luminarium causatur, prout in superiori hemisphaerio moventur, ita etiam tenebrae procedunt ex motu eorum, prout moventur in hemisphaerio inferiori: quod etiam habet eandem difficultatem; unde subdit, *Et tenebrarum quis locus sit.* Non potest autem perfecte mensurari motus alicuius corporis nisi via, per quam ambulat cognoscatur, quia magnitudo mensuratur motu, et motus magnitudine, ut dicit Philosophus *in 4. Phy.* et ideo quia per certitudinem via motus luminarium cognosci non potest ab homine, consequens est, quod nec mensura motuum eorum perfecte sciri possit; unde subdit, *Ut ducas unumquodque*, scilicet lucem, et tenebras: *Ad terminos suos*, ostendendo scilicet rationem apertionis et occultationis uniuscuiusque luminarium quantum ad principium et finem, et etiam quantum ad medium; ad quod pertinet quod subdit, *Et intelligas semitas domus eius*, scilicet lucis: quando enim in meridie circa summum caeli movetur, tunc quasi perambulat semitas domus suae; termini autem eius sunt apud ortum et occasum. Secundum autem motum caelestium corporum mensurantur durationes inferiorum corporum, et tempora generationis, et corruptionis, ut Dionysius dicit *4. ca. de div. nomin.* et ideo, ignoratis illis causis, consequens est, ut hi effectus ignorentur; et ideo subdit, *Sciebas tunc quod nasciturus esses;* quasi dicat, Nunquid praecognoscere potuisti per considerationem motus caeli tempus tuae nativitatis? et tu quidem hoc non potuisti, quia antequam nascereris non eras: sed nec alius homo hoc praecognoscere potuit propter debilitatem cognitionis humanae: loquitur enim Dominus ad Iob in persona omnium hominum, et sicut non potuisti praecognoscere tempus nativitatis tuae, ita non potes praecognoscere terminum vitae; unde subdit: *Et numerum dierum tuorum noveras;* quasi dicat, Cognoscere hoc non poteras ex computatione caelestium motuum, quorum terminum et certam mensuram ignoras. His autem praepositis quae pertinent ad immutationem lucis et tenebrarum, procedit ad diversas immutationes aeris, secundum quod aer variatur per tempestatem et serenitatem: et incipit a nive et grandine, dicens: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* thesauros nivis et grandinis vocat vapores sursum elevatos, ex quibus nives et grandines generantur; sed quia grandines grossioris substantiae sunt, et in loco multo magis propinquo nobis generantur, frigore ad interiora nubis expulso a circumstante calore, ideo circa grandines facit mentionem de visu, quia magis visui subiici possunt; circa nives autem de ingressu, quia magis propter eorum tenuitatem possunt penetrari. Huiusmodi autem quandoque Deus utitur ad hominum correctionem, sicut *supra 36.* habitum est, per hoc iudicat populos; unde subdit, *Quae praeparavi in tempus hostis*, idest in tempus, quo est ultio sumenda de hostibus, contra quos Deus utitur his quasi bellicis armis; unde subdit, *In diem pugnae*, idest actualis conflictus: *Et belli*, idest guerrae, in qua fit praeparatio ad pugnam. Finita autem tempestate nivis et grandinis subsequitur serenitas, in qua claritas et calor aeris praeparantur; unde subdit, *Per quam viam spargitur lux*, quod pertinet ad claritatem: *Dividitur aestus super terram.* quod pertinet ad calorem. Ubi considerandum est, quod supra, ubi de luce loquebatur, quantum ad ipsa luminaria in quibus habitat, fecit mentionem solum de via eius: quia scilicet lux per motum luminarium viam suam peragit, sive sit tempestas, sive serenitas; sed ad nos ex ea non pervenit claritas et calor, nisi cessante tempestate. Non autem sensibiliter diversificatur claritatis intensio in diversis terris, cum aer fuerit serenus, sensibiliter autem diversificatur intensio caloris: et ideo lucem spargi dixit, quasi indifferenter effusam; aestum autem dividi, quasi pro diversitate locorum diversimode distributum. Consequenter autem procedit ad effectus quosdam ventorum in aere, ex quibus dum pluvia impellitur, causatur imber; unde dicit, *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* est enim vehementia imbris cursus ex forti impulsu ventorum, quos divina virtus producit. Similiter autem dum ex ventis nubes impelluntur, causatur sonus tonitrui, propter quod non auditur huiusmodi sonus in uno loco, scilicet quasi alicuius corporis transeuntis; unde subdit, *Et viam sonantis tonitrui.* Subdit autem rationem quare pluviae et nubes a ventis impellantur, cum dicit, *Ut plueret super terram absque homine in deserto*, quod scilicet habitari non potest propter terrae ariditatem; vapores autem pluviosi elevantur maxime ex locis humidis: unde si nubes et pluviae non impellerentur a ventis, sequeretur, quod nunquam in locis siccis plueret. Contingit autem quandoque quod aliqua loca humana industria irrigantur, idest cessantibus pluviis; sed hoc ibi accidere non potest; unde subdit, *Ubi nullus mortalium commoratur;* et sic illi terrae per humanam industriam provideri non potest: et propter hoc Deus ordinavit ut ventis impellerentur nubes et pluviae, ut etiam in locis desertis plueret; unde subdit, *Ut impleret*, scilicet pluviis: *Inviam*, idest terram, per quam nec transire potest homo: *Et desolatam*, idest destitutam humana procuratione, et sic sola procuratione divina produceret herbas virentes,

scilicet ad decorem terrae, et ad pastum animalium silvestrium, qui etiam divina providentia procurantur. Consequenter autem facit mentionem de pluviis absque vento, cum dicit, *Quis est pluviae pater*, idest efficiens causa non ex necessitate, sed ex ordine providentiae, quae convenit patri: a Deo enim movetur sol et alia caelestia corpora, quae sunt proxima causa efficiens generationis pluviarum; ros autem ex eadem causa generatur, ex qua et pluvia: nec differt nisi secundum multitudinem et paucitatem materiae; unde dicit, *Vel quis genuit stillas roris*. Signanter stillas nominat, ad designandum parvitatem guttarum. Est autem considerandum, quod sicut pluviae congelatae fiunt nives; ita ros congelatus est pruina; unde subdit, *De cuius utero est glacies*. Ubi notandum, quod glaciei causa est frigus, quae est qualitas faeminina; pluviarum autem et roris causa est calor resolvens, et non permittens congelari vaporem; calor autem est qualitas masculina: et ideo signanter circa generationem pluviae et roris usus est nomine patris; circa generationem autem glaciei usus est nomine uteri, qui pertinet ad matrem. Ex frigore autem duplex glacies causatur: una quidem in aere, quod pertinet ad pluviam de caelo cadentem; unde subdit, *Et gelu de caelo quis genuit?* quod adhuc attribuit patri, quia non apparet tanta vis frigoris in pruina, sicut in ulteriori glacie; alia vero est glacies quae generatur in inferioribus aquis, in qua maior vis frigoris apparet; unde subdit, *In similitudinem lapidis aquae durantur*, scilicet per vehemens frigus in glaciem condensatae: et hoc quandoque intantum procedit, quod in frigidissimis terris etiam maria congelantur; et hoc est quod subdit: *Et superficies abyssi constringitur*, scilicet aqua, quae est in eius superficie per frigus condensata. Non autem frigus aeris irrumpere potest usque ad maris profundum. His ergo enarratis de variis mutationibus aeris, procedit ulterius ad immutabiles immutationes caelestium corporum, circa quae primo in stellis fixis consideratur immobilitas figurae: quia quaelibet earum conservat situm suum, ita quod una alteri non appropinquat magis vel minus: et hoc praecipue apparet in stellis vicinis, quae nunquam coniunguntur; unde subdit, *Nunquid coniungere valebis micantes stellas pleiades:* stellae pleiades dicuntur quaedam stellae, quae lucent in capite Tauri; quarum sex apparent valde propinquae, septima autem est obscurior. Secundo consideratur in caelestibus corporibus uniformitas primi motus, quo revolvitur totum caelum, et omnes stellae in eo, semel in die et nocte super polos mundi; hic autem motus sensibilius percipitur ex stellis propinquis polo septentrionali, quae sunt nobis perpetuae apparentiae propter elevationem poli super nostrum horizontem: inter quas stellas vocatur maxime constellatio Arcturi, qui est Ursa maior, cuius stellae manifeste apparent uniformiter moveri in gyro circa polum mundi: et quantum ad hoc subdit, *Aut gyrum Arcturi poteris dissipare*, ut scilicet non circumeat polum. Tertio admirabilis apparet in caelestibus corporibus motus Planetarum: in quo cum fit omnino uniformis quaedam planetarum varietas, ad sensum videtur: et hoc maxime deprehendi potest in stella Veneris, quae quandoque oritur ante solem, et tunc vocatur lucifer; quandoque autem occidit post solem, et tunc vocatur hesperus. Manifestum est autem, quod stellae quae semper sunt tardioris motus quam sol, incipiunt primo apparere in mane ante ortum solis, eo quod sol proprio suo motu, quo movetur ab occidente in orientem, deserit eas, sicut patet in Saturno, Iove, et Marte. Luna autem quae habet velociorem motum quam sol, semper incipit apparere in sero, quasi deserens solem, praecedens ipsum versus orientem. Venus autem et Mercurius quandoque incipiunt apparere de mane, quandoque autem de sero; de Mercurio, quia raro videtur, et est parvae quantitatis, non ita est manifestum; in Venere autem clarius apparet: unde manifestum est quod quandoque habet velociorem motum quam sol, quandoque tardiorem. Ex quo manifeste apparet varietas in motu planetarum; et ad hoc designandum subdit: *Nunquid produces luciferum*, idest Venerem mane apparentem: *In tempore suo*, idest in determinato tempore, quia haec diversitas semper in eo contingit. *Et hesperum*, idest eandem Venerem sero apparentem: *Super filios terrae consurgere facis*. Et notandum est, quod per hoc quod dicit, *Consurgere et producere facis*, designatur nova apparitio stellae. Quarto autem admirabilis videtur in caelestibus corporibus ordo, situs, et motus ipsorum; unde dicit, *Numquid nosti ordinem caeli*, qui scilicet ab homine comprehendi non potest. Quintum autem admirabile est dispositio inferiorum corporum secundum superiora: et quantum ad hoc subdit, *Et pones rationem eius in terra*, ut scilicet cognoscas effectus proprios singularum causarum caelestium corporum. Praedicti autem effectus divinae virtutis maxime quidem sunt, non tamen in eis apprehenditur a multitudine vulgata illa magnitudo virtutis divinae, sicut in tonitruo et fulgure, et ideo istos effectus ultimo ponit: unde quantum ad tonitruum dicit, *Nunquid elevabis in nebula vocem tuam:* tonitruum enim generatur in nube, cuius sonitus videtur quasi vox Dei. Post tonitruum autem ut plurimum pluviae magnae subsequuntur propter condensationem nubium ex commotione ventorum, ex quibus tonitruum causatur; unde subdit: *Et impetus aquarum operiet te:* videtur enim multitudo pluviae quasi Deum operire, in quantum nobis occultatur caelum, quod dicitur sedes Dei. Consequenter subiungit de fulgure, dicens: *Nunquid mittes fulgura*, idest nunquid per tuam virtutem erit motus eorum: *Et ibunt*, quasi scilicet obediant tuo imperio. Solent autem motus fulgurum repercuti ab uno loco in alium: et hoc designat subdens: *Et revertentia dicent tibi, adsumus*, quasi in sua reversione parata esse, ut iterum obediant divino imperio, ut ad alium locum vadant, seu mittantur. Haec autem omnia inducuntur ad ostendendum, quod homo non potest attingere neque ad sapientiam, neque ad virtutem divinam.

## LECTIO III.

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam? Quis enarrabit caelorum rationem, et concentum caeli quis dormire faciet? Quando fundabatur pulvis in terra, et glebae conpingebantur. Nunquid capies leaenae

praedam, et animam catulorum eius implebis, quando cubant in antris, et in specubus insidiantur? Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?

### LECTIO III.

Postquam Dominus commemoravit mirabilia suorum effectuum, quantum ad principales partes mundi, quae sunt terra, mare, caelum, et quantum ad dispositiones eorum; nunc accedit ad diversas proprietates animalium, inter quas praepollet cognitio, quae quidem perfectius in homine quam in ceteris animalibus invenitur; et ideo ab homine incipiens dicit: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* per viscera hominis intelliguntur intimae vires animae ipsius, scilicet intellectus, et ratio, quibus Deus sapientiam indidit, et inquantum lumen rationis homini dedit, et inquantum quaedam seminaria sapientiae et scientiae naturaliter indidit rationi ipsius cognitionem primorum principiorum. In aliis autem animalibus multa indicia apparent naturalis cuiusdam prudentiae, sed praecipue hoc manifestatur in gallo, quasi in animali noto et domestico; unde subdit: *Aut quis dedit gallo intelligentiam.* Intelligentia hic sumitur pro naturali quadam aestimatione, secundum quam ad motum intelligentis operatur, quia ipsa eius naturalis aestimatio ab intellectu divino ei datur. In hoc autem videtur gallus quandam intelligentiae similitudinem habere, quod determinatis horis in cantum prorumpit, ac si cognosceret proportiones caelestium motuum; unde subdit: *Quis enarravit*, scilicet gallo: *Caelorum rationem*, idest proportionem caelestium motuum, ut possit ex hoc determinatas horas cognoscere, seu discernere ad cantandum? Solent autem vigiles quodam cantu, aut alicuius instrumenti sono, propinquitatem diei declarare, et certarum horarum noctis. Non autem potest dici, quod aliquis sonitus caeli determinatis temporibus audiatur, et aliis temporibus sileat, ut ex hoc gallus discernat ad cantandum; unde subdit: *Et concentum caeli quis dormire faciet?* quasi dicat, Concentus caeli non silet sicut vigilis dormientis, ut ex eius auditu vel silentio possit gallus instrui ad cantandum. Considerandum autem est hic, quod ex motu caelorum Pythagorici posuerunt sonitum harmonizatum provenire propter convenientissimam proportionem caelestium motuum: et quia ponebant caelestia corpora animata, ideo talis consonantia sonorum poset concentus caeli vocari; sed Aristoteles probat *in 2. de caelo*, quod ex motu caelestium corporum nullus sonitus procedit: et ideo hic concentum accipere possumus metaphorice positum, pro sola convenientia caelestium motuum, qui nunquam requiescunt. Huius autem inspiratio sapientiae vel intelligentiae aut etiam concentus caeli ab initio fundationis terrae fuit; unde subdit: *Quando fundabatur pulvis in terra*, quod refertur ad situm terrae quae in imo ponitur sicut in fundamento: *Et glebae compingebantur*, quod refertur ad humorem continentem in unum partes terrae, ne scilicet terra propter sui siccitatem in pulverem resolvatur. Deinde accedit ad aliam proprietatem animalium, quae attenditur secundum acquisitionem nutrimenti, circa quam admirabile aliquid apparet in leaena: cum enim leo multo cibo indigeat, mirabile videtur, quomodo in aliqua regione tantum potest de praeda animalium capere, quod sibi sufficiat et filiis suis; unde subdit: *Nunquid capies leaenae praedam*, idest nunquid tantam abundantiam praedae ei parabis, ut habeat sufficienter sibi et filiis suis? unde subdit: *Et animam catulorum eius implebis.* Hoc autem non videtur multum difficile, quando per diversa loca discurrunt, sed quando in eodem loco manent: vel propter necessitatem nutritionis filiorum, ad quod pertinet quod dicit, *Quando cubant in antris*, vel qui, *In specubus insidiatur*, scilicet animalibus aliis capiendis. Apparet etiam aliquid mirabile in avibus circa corvum: dicitur enim quod corvus pullos ex ovis eductos non pascit, donec suos deprehendens plumis nigrescere viderit: unde septem diebus eis cibos non ministrat, sed a Deo sustentatur per naturalem virtutem eis inditam; unde subdit, *Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes*, idest huc et illuc prospicientes: *Eo quod non habeant cibos?* quasi a parentibus derelicti. Hoc autem non est intelligendum, quasi pulli corvorum Deum cognoscant; sed hoc dicitur, quia quaelibet res naturalis suo desiderio in hoc ipso, quod aliquod bonum appetit, quasi intendit aliquid a Deo inquirere, qui est auctor bonorum omnium.

## CAPITIS TRIGESIMINONI

### LECTIO PRIMA.

Nunquid nosti tempus partus. Ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum? Incurvantur ad foetum, et pariunt, et rugitus emittunt. Separantur filii earum, et pergunt ad pastum, egrediuntur, et non revertuntur ad eas. Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuae suae, et virentia quaeque perquirit. Nunquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad praesepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, et derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi, quod sementem reddat tibi, et arcam tuam congreget? Penna struthionis similis est pennis herodii, et accipitris. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore cogente. Privavit enim eum Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas

erigit, deridet equum et ascensorem eius. Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius terror. Terram ungula fodit, exultat, audacter in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit, vah; procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum. In petris manet, in praeruptis silicibus commoratur, atque in inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, et de longe oculi eius perspiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem: et ubicumque cadaver fuerit, statim adest. Et adiecit Dominus, qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit, utique qui arguit Deum, debet et respondere ei. Respondens autem Iob Domino, dixit; Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam.

## LECTIO PRIMA.

Commemoraverat Dominus in praecedentibus id quod pertinet ad vim cognitivam, loquens de sapientia hominis, et intelligentia galli: commemoraverat etiam de praeda leonum, et esca corvorum, quae pertinent ad vim nutritivam; nunc autem commemorat quaedam pertinentia ad vim generativam; et incipit agere de partu ibicum et cervarum, in quibus aliquid occultum esse videtur. Ibices enim sunt quaedam animalia parva corpore, quae in locis petrosis habitant, in quibus et pariunt: unde ad huiusmodi loca de facili non patet hominibus accessus, propter quod dicit, *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris;* quasi dicat, hoc hominibus est ignotum propter asperitatem locorum, in quibus pariunt. Cervae autem, ut dicitur, eligunt loca occulta in quibus pariant, ubi lupi accedere non solent: et ideo ad ostendendum occultationem partus ipsarum, subdit, *Vel parturientes cervas observasti?* quod dicitur ad divinae providentiae commendationem: mulieres enim cum pariunt, indigent obstetricum obsequio; sed animalibus, quorum partus homines latet, Deus sua providentia exhibet auxilium, quod est eis necessarium ad pariendum, inquantum scilicet dat eis industriam naturalem, ut cognoscant ea, quae sunt in talibus cognoscenda, quorum primum est, quod sciant spatium temporis, quo foetus in utero perficitur: et quantum ad hoc dicit, *Dinumerasti menses conceptus earum*, ut scilicet eis indicares, quando se debent praeparare ad partum: unde subdit, *Et scisti tempus partus earum?* ut scilicet eis indicares quando parere deberent: in his enim solent mulieres puerperae ab aliis instrui; sed animalia, quae etiam sunt longe a conversatione humana, per naturalem industriam eis divinitus inditam hoc cognoscunt, et determinato tempore se praeparant ad partum, eo modo quo facilius possit partus emitti; unde subdit, *Incurvantur ad foetum*, scilicet emittendum, *Et pariunt*, scilicet per seipsa instruente natura: et tamen partus non est eis delectabilis, sed poenosus; unde subdit, *Et rugitus emittunt*, scilicet propter dolorem quem pariendo patiuntur. Et sicut matres naturali industria se praeparant ad partum, ita etiam et filii naturali industria divinitus indita sibi necessaria conquirunt; unde subdit, *Separantur filii earum:* quod dicit ad differentiam foetus humani: nam puer mox natus non potest se movere ut discedat a matre, quod tamen in praedictis animalibus contingit: statim enim postquam nascuntur, moventur, et primus eorum motus est ad escam quaerendam; unde subdit, *Et pergunt ad pastum:* sed tamen in principio indigent pasci lacte matris, unde sic a matre separantur, quod tamen ad eam redeant; postmodum vero, cum perfecta fuerint haec animalia, totaliter a matre separantur; unde subdit, *Egrediuntur, et non revertuntur ad eas*, quia scilicet ulterius ab eis lactari non indigent. His autem praemissis ad speciales quasdam animalium proprietates pertinentes, scilicet ad cognitionem, escam, et partum, commemorat ea quae pertinent ad totam conversationem vitae, circa quam primo mirabile apparet, quod quaedam animalia dum sunt domestica, sustentari non possunt absque hominis cura: inveniuntur tamen aliqua ad illud genus pertinentia, quae sunt silvestria, et absque hominum providentia gubernantur: et hoc maxime mirabile apparet in asino, qui cum est domesticus, totaliter videtur humanae servituti deputatus: a qua tamen servitute asini silvestres, qui onagri dicuntur, liberi esse apparent; unde dicit: *Quis dimisit onagrum*, idest asinum silvestrem: *Liberum*, idest ab hominum servitute: quod quidem dicitur, secundum id quod consuetum est apprehendi ab hominibus quasi naturale: unde quia consueti sunt homines non videre asinos nisi servituti subiectos, videtur eis quod sint naturaliter servi: et ideo si inveniantur aliquando liberi, videtur eis quod sint a servitute dimissi. E contrario autem se habet, nam prius fuerunt huiusmodi animalia homini non subiecta per modum quo nunc sunt, postmodum autem humano artificio sunt domita, et hominum servitiis deputata. Signa autem servitutis asinorum sunt vincula quibus ligantur, sicut chamus, vel aliquid huiusmodi; et quantum ad hoc subdit, *Et vincula eius quis solvit?* onagri enim vinculis carent. Apparet etiam in asinis domesticis, quod pereant si remaneant absque habitaculis ab hominibus praeparatis; sed onagri habent sibi per divinam providentiam habitaculum praeparatum; unde subdit, *Cui dedi in solitudine*, scilicet ad quam homo non accedit: *Domum*, puta aliquod antrum vel cavernam quamcunque: *Et tabernacula eius*, puta, sub herbis aut arboribus; *In terra salsuginis*, idest in aliqua terra inhabitata propter siccitatem et solis exustionem, ex qua humor eius quasi in saporem salis convertitur. Et quamvis huiusmodi habitatio videatur incultior et horridior propter solitudinem, tamen eam

praefert quantumcumque nobili civitati; unde subdit, *Contemnit multitudinem civitatis*, scilicet in comparationem ad habitationem deserti : et assignat duplicem rationem, quarum prima est, quod ibi non exiguntur ab eo laboriosa opera ; unde subdit, *Clamorem exactoris non audit*, idest domini exigentis ab eo portationem onerum, vel aliquid huiusmodi. Alia ratio est, quia ibi liberius evagatur ad pastum quaerendum ; unde subdit, *Circumspicit montes pascuae suae*, quia scilicet patet ei liber aditus ad diversa loca pro pascuis quaerendis: et ipsa etiam pascua pro suo libitu accipit; unde subdit, *Et virentia quaeque perquirit*. Asinis autem domesticis non dantur omnia pascua, sed interdum viliora, melioribus pascuis nobilioribus animalibus reservatis. Sicut autem asinus servit homini ad onera deferenda, loco cuius in silvestribus invenitur onager ; ita etiam servit homini inter domestica animalia bos ad arandum propter sui fortitudinem, cui comparat inter silvestria rhinocerotem, idest unicornium, quod est animal quadrupes, valde forte et ferum, habens unum cornu in media fronte. Hoc autem animal propter sui ferocitatem non de facili potest domari, sicut bos domatur; unde subdit: *Nunquid volet rhinoceros*, idest unicornis: *Servire tibi*, ut scilicet domesticatus sponte tibi obediat. Animalia autem domestica cibum libenter ab hominibus capiunt: ad quod excludendum subdit: *Aut morabitur ad praesepe tuum*, ut scilicet paratus sit comedere, quod a te ei offertur. Boves autem domesticati ad hoc nutriuntur, ut in ministerio arationis applicentur : et ad hoc excludendum subdit, *Nunquid alligabis loro tuo rhinocerota*, idest unicornium, *Ad arandum*, sicut scilicet aratur in bobus. Utuntur etiam homines bobus ad aliud ministerium, ut scilicet trahentes quoddam rastrum terram aratam complanent, glebas comminuendo; unde subdit, *Aut confringet glebas vallium*, quae scilicet solent diligentius excoli propter maiorem faecunditatem : *Post te*, idest postquam terram araveris: vel, *Post te*, idest ut te praecedente, ille sequatur glebas confringens. Dimittuntur etiam quaedam animalia fortia ad agrorum custodiam contra latrones, vel animalia quae possent segetes devastare, sicut custodiuntur agri per aliquos canes feroces ; sed hoc per unicornem fieri non potest, quia non domesticatur ; unde subdit, *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, et derelinques ei labores tuos*, idest fructus agrorum ad custodiendum. Sic ergo non potes eo uti sicut bove ad arandum, neque sicut cane ad custodiendum : similiter non potes eo uti sicut forti agricola ad fructus terrae procurandos; unde subdit: *Nunquid credes ei, quod reddet sementem tibi, et arcam tuam congreget*, sicut scilicet facit operarius, qui semen a domino serit, et multiplicatum reddit, segetes congregando in horreum, et post trituram in horreum domini reportando. His igitur positis, in quibus quaedam animalia silvestria a domesticis diversificantur, subdit quasdam proprietates quorundam animalium, in quibus videntur ab omnibus aliis animalibus quaedam proprietates diversae ; et hoc praecipue apparet in struthione, quae est avis quaedam appropinquans ad genus bestiarum, unde licet habeat pennas ad modum animalium alte volantium, non tamen se potest in altum elevare ; unde dicit, *Penna struthionis similis est pennis herodii*, idest nobilissimi falconis, qui grifalcus dicitur, *Et accipitris*, qui est avis nota, et ambo sunt aves boni volatus. Est autem et alia proprietas struthionis, diversa ab aliis avibus, quod scilicet sua ova non fovet, sed fodiens in arena, ea dimittit, et operit sabulo; unde subdit, *Qui derelinquit in terra ova sua*. Habet autem hanc naturalem industriam, quod observat tempus calidum, scilicet quando incipiunt stellae apparere, quae dicuntur Vergiliae, scilicet in mense Iulii, et tunc parit ova; et sic ex calore temporis et loci, quia scilicet non moratur nisi in locis calidis, ova vivificantur, et ex eis pulli nascuntur; unde subdit, *Tu forsitan in pulvere calefacies ea;* quasi dicat, non ; sed hoc agitur providentia divina, per quam etiam in pulvere conservantur illaesa : struthio enim est naturaliter animal obliviosum, et nullam curam adhibet de conservatione ovorum ; unde subdit, *Obliviscitur quod pes*, scilicet hominis transeuntis, *Per viam conculcet ea*, scilicet ova: *Aut bestia agri conterat*, vel casu transeundo, vel propter appetitum cibi : et sicut non habet curam de conservatione ovorum, ita non habet curam de nutritione pullorum; unde subdit, *Duratur ad filios suos quasi non sint sui*, quia scilicet nullam curam habet de nutritione eorum, et ita quantum in se est, perdit fructum generationis; unde subdit, *Frustra laboravit*, scilicet concipiendo et conceptum portando, ex quo filios non nutrit. Contingit etiam quandoque quod etiam alia animalia faetus suos deserunt propter timorem, sed struthio hoc facit, *Nullo timore cogente*. Facit tamen hoc etsi non propter timorem, tamen propter defectum naturalis industriae, quam circa haec et alia animalia habent; unde subdit, *Privavit enim Deus eam*, scilicet faeminam struthionis, *Sapientia*, scilicet ad ordinate nutriendum et gubernandum faetum, *Nec dedit illi intelligentiam*, per quam scilicet solicitudinem habeat de pullis suis. Sapientiam autem et intelligentiam nominat industriam naturalem. Et quia supra dixerat quod habet pennas similes pennis herodii et accipitris, consequenter ostendit ad quid ei huiusmodi pennae prosint, dicens, *Cum tempus fuerit*, idest cum aliqua necessitas velocitatis motus sibi immineat : *In altum alas erigit*, ita tamen quod per alas corpus eius sursum elevari non potest, sed per eas iuvatur ad velociter currendum; unde subdit, *Deridet equum*, quia scilicet velocius currit, quam equus hominem deferens: *Et ascensorem eius*, scilicet equi, quia scilicet velocius curreret quam homo si suis pedibus iret. Sicut autem struthio habet quasdam proprietates a pluribus animalibus diversas, quibus ab aliis animalibus differt, ita equus habet quasdam proprietates ad nobilitatem pertinentes, in quibus ab aliis animalibus differt. Primo autem equi fortitudinem commemorat, cum dicit, *Nunquid praebebis equo fortitudinem*, scilicet non solum corporis, prout est potens ad onus ferendum, sed etiam animi, prout audacter ad pericula vadit. Aliam autem proprietatem eius commemorat, quod scilicet ex exteriori ornatu ad libidinem provocatur: dicitur enim de equis quod iubarum decore ad coitum concitantur, et iubis abscissis eorum libido extinguitur; ad quod significandum subdit, *Aut circumdabis collo eius hinni-*

*tum:* solent enim equi hinnire propter libidinem, secundum illud *Hier. 5. Equi amatores in faeminas et emissarii facti sunt; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Ergo hinnitus collo equi a Deo circumdantur, quando iubae ei dantur a Deo, ex qua consideratione ad libidinem provocantur. Est autem alia equi proprietas, quod velociter salit, contra morem multorum quadrupedum; unde subdit, *Nunquid suscitabis eum,* scilicet elevando in altum, *Quasi locustas,* quae scilicet saliendo moventur. Alia vero proprietas equi est audacia ipsius in bellis, quam diffusius describit, quia est nobilis et admiranda; et primo manifestatur eius audacia, quando adhuc odoratu bellum percipit a remotis; unde sequitur, *Gloria narium eius terror,* idest bellum quod est aliis ad terrorem, naribus ab equo perceptum est ei ad gloriam, idest ad quandam animi magnitudinem; et hoc signum statim in eo apparet, de quo subditur, *Terram ungula fodit,* quasi praeparans se ad pugnandum. Ex hoc autem quod bellum percipit, interius gaudet; unde subdit, *Exultat,* scilicet percepta opportunitate pugnandi: et hoc per effectum ostendit cum subdit, *Audacter in occursum pergit armatis:* nec in ipso praelio existens terrore deiicitur; unde subdit: *Contemnit pavorem:* et quod est amplius, etiam vulnerum dolore non pellitur; unde subdit, *Nec cedit gladio.* Solent autem plura animalium ex solo strepitu terreri, sed hoc equo non accidit; unde subdit: *Super ipsum sonabit pharetra,* scilicet plena sagittis, cum concutitur ad motum militis equo insidentis, similiter etiam ex asta et clypeo militis sonus aliquis procedit; unde subdit, *Vibrabit hasta,* idest hasta dum vibratur, sonum emittit, similiter clypeus, dum movetur et ad arma colliditur, sonum facit; unde subdit: *Et clypeus,* scilicet sonat; sed tamen ad hunc sonitum equus non stupescit; unde subdit, *Fervens,* scilicet interius per audaciam: *Et fremens,* scilicet hinnitu, quem fremitum nominat, qui est proprie leonum, propter equi audaciam, et non solum voce interiorem fervorem animi demonstrat, sed etiam exteriori actu; unde subdit, *Sorbet terram,* idest videtur eam sorbere pedibus fodiendo: et non solum non obstupescit sonitu pharetrae, hastae, et clypei; sed nec etiam sono tubae qua utuntur in bellis; unde subdit, *Nec reputat tubae sonare clangorem,* ut scilicet propter hoc obstupescat. Gaudere dicitur ad sonum buccinae; unde subdit: *Ubi audierit buccinam, dicit vah,* idest emittit exultationis vocem: nam vah est interiectio exultantis. Et quia haec quae praedicta sunt, pertinent ad equi audaciam, subiungit de perspicacitate, dicens, *Procul odoratur bellum,* idest cum hostes adhuc procul sunt, odoratu percipit bellum imminere. Et quia videtur sentire belli praeparationem, cum scilicet duces suis exhortationibus animant milites: et quantum ad hoc subdit: *Exhortationem ducum,* scilicet percipit: *Et ululatum,* idest confusum clamorem et strepitum: *Exercitus,* scilicet praeparantis se ad bellum. His autem praemissis de animalibus, quae gradiuntur in terra, accedit ad animalia quae volant in aere; et primo commemorat naturalem industriam accipitris, qui tempore mutationis pennarum expandit alas suas ad austrum, qui est ventus calidus, ut apertis poris veteres pennae decidant, et novae renascantur; unde dicit: *Nunquid per sapientiam tuam pulmescit accipiter?* scilicet quando pennae eius renovantur: *Expandens alas suas ad austrum,* ut scilicet facilius pennas mutet. Ultimo autem loquitur de aquila, quae caeteris avibus altius volat; unde dicit, *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila?* scilicet sicut ad meum: facit enim hoc aquila naturali instinctu. Omnis autem naturalis cursus rerum est quaedam motio creaturae ad praeceptum Dei, secundum illud *Ps. 48. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius;* et sicut aquila habet motum in altum, ita etiam in altis conversatur: quod pertinet ad nobilitatem suae naturae: et ideo dicitur, *Et in arduis ponit nidum suum,* ut pulli eius statim nati consuescant in altis morari; et ideo subdit, *In petris manet,* quasi gaudens aeris puritate: eo quod in petrosis locis non sit multa vaporum resolutio? *Et in praeruptis silicibus commoratur,* ad quas scilicet noxiis bestiis non patet accessus: *Atque inaccessis,* scilicet homini, *Rupibus,* per quod scilicet eius securitati providetur. Habet autem aquila visum valde acutum, ut possit ex longinquo videre necessarium cibum; unde subdit, *Inde,* scilicet de locis altis, *Contemplatur escam,* scilicet non propinquam, sed etiam remotam; unde subdit: *Et oculi eius de longe prospiciunt.* Est autem et aquila potens in praeda, sicut et leo inter quadrupedia; et ad hoc designandum subdit, *Pulli eius lambunt sanguinem,* scilicet animalium viventium, quae aquila ad nidum defert. Pascitur autem aquila non solum animalibus vivis, sicut falcones et accipitres, sed etiam cadaveribus animalium mortuorum; unde subdit; *Et ubicumque cadaver fuerit, statim adest,* per quod etiam velocitatem volatus eius designat. Haec autem omnia inducta sunt ad ostendendum magnitudinem divinae sapientiae, et virtutis, per quam tam mirabiles effectus producuntur: unde datur intelligi, quod Iob auditis tot mirabilibus divinorum effectuum, stupens siluit; sed Dominus eum excitat ad considerandum, quod homo non est idoneus ad disputandum cum Deo; unde subditur, *Adiecit Dominus,* scilicet super verba praemissa: *Et locutus est ad Iob,* scilicet eo tacente: *Nunquid qui contendit cum Deo,* idest qui offert se disputandum cum eo: *Tam facile conquiescit?* scilicet quasi sit superatus, sicut tu qui taces: *Utique qui arguit Deum,* quasi de eius iudiciis disputans, *Debet et respondere illi:* iustum est enim ut qui alium ad disputandum provocat, etiam ipse paratus sit respondere. Et ne videretur Iob, licet convictus, in sua sententia obstinatus permanere, in verba humilitatis prorumpit; unde sequitur, *Respondens autem Iob Domino, dixit, qui leviter locutus sum, respondere quid possum?* Vel considerandum est, quod Iob coram Deo et sua conscientia loquens, non de falsitate locutionis, aut de superba intentione se accusat, quia ex puritate animi fuerat locutus, sed a levitate sermonis, quia etiam si non ex superbia animi locutus fuerat, verba tamen eius arrogantiam sapere videbantur, unde amici eius occasionem scandali sumpserant. Oportet autem vitare non solum mala, sed etiam ea, quae habent speciem mali, secundum Apostolum *1. ad Thessal. 5. Ab omni specie mala abstinete vos;* et ideo subdit: *Manum meam ponam super os meum,* ut scilicet ad similia verba de caetero non prorumpam: et

de his quae dixi poeniteo ; unde subdit : *Unum locutus sum ; quod utinam non dixissem*, quod dixi me velle disputare cum Deo: *Et alterum*, scilicet quod meam iustitiam praetuli, dum de divinis iudiciis ageretur. Tertium autem quod ei Eliu imposuerat, ut scilicet diceret iudicium Dei esse iniustum non recognoscit : quia hoc non pertinet ad levitatem locutionis, sed ad blasphemiam. Sic autem de leviter dictis poenitet, quod emendationem proponit ; unde subdit : *Quibus ultra non addam*, ut scilicet alia verba levia proferam. Est autem considerandum quod praedicta locutio Domini ad Iob non fuit per exteriorem sonum prolata, sed interius inspirata. Iob tripliciter in hoc libro invenitur fuisse locutus. Primo quidem quasi repraesentans affectum sensualitatis in prima quaestione, cum dixit, *Pereat dies*. Secundo exprimens deliberationem rationis humanae dum contra amicos disputaret. Tertio inspirationem divinam dum ex persona Domini verba induxit. Et quia humana ratio dirigi debet secundum inspirationem divinam, post verba Domini, quae secundum rationem humanam dixerat, reprehendit.

## CAPITIS QUADRIGESIMI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et indica mihi. Nunquid irritum facies iudicium meum, et condemnabis me ut iustificeris ? Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas : Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, et confunde eos: et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. Et ego confitebor, quod salvare te possit dextera tua.

### LECTIO PRIMA.

In praecedentibus Dominus per commemorationem mirabilium, quae apparent in eius effectibus, demonstravit suam sapientiam et virtutem, ut ex hoc manifestum sit, quod nullus homo nec sapientia, nec potestate potest cum Deo contendere ; nunc autem ulterius procedit ad arguendum Iob de hoc, quod suam iustitiam commemoraverat, per quod aliquibus sonare videbatur in derogationem divini iudicii. Praemittitur etiam modus divinae locutionis, cum dixit, *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit :* et excitatio attentionis, cum subdit, *Accinge sicut vir lumbos tuos:* et petitio responsionis, cum subdit, *Interrogabo te. et indica mihi :* quae quia supra exposita sunt, hic iterare non oportet expositionem eorum. Est autem considerandum quod Iob suam iustitiam commemorando, non intendebat imponere iniquitatem divino iudicio, sicut tres amici eius, et Eliu perverse intelligebant, sed intendebat ostendere, quod non erat punitus in ultionem peccatorum, sicut ei imponebant, sed ad probationem, sicut *supra 23.* dixerat, *Probavit me quasi aurum quod per ignem transit.* Verumtamen hoc ipsum reprehensibile videbatur quod sic suam iustitiam commendabat, quod aliis videbatur hoc redundare in derogationem divinae iustitiae ; unde subdit : *Nunquid irritum facies iudicium meum;* quasi dicat, Nunquid hoc tibi videtur ut commendando tuam iustitiam facias ab hominibus reputari, idest falsum esse iudicium meum ? Falsitas autem iudicii est condemnatio iudicantis, qui iniquum iudicium profert, vel ex ignorantia, vel ex malitia; unde subdit, *Et condemnabis me ut iustificeris;* quasi dicat, Nunquid intantum vis te ostendere iustum quod ego apud alios condemnabilis videar ? Est autem notandum, quod si fuerint duo aequales, si oporteat alteri culpam imponi, non est reprehensibile, si alter eorum a culpa imposita se expurget, quamvis alter culpabilis in aliorum opinione remaneat, quia homo plus se, quam alium naturaliter diligit; sed ubi est tanta distantia, quanta est Dei et hominis, potius homo debet pati culpam iniuste in se referri, quam quod iniuste referatur in Deum ; et ideo Dominus ad arguendum Iob proponit excellentiam Dei super homines : quae quidem excellentia ex eius effectibus manifestatur. Sed quia nunc agitur de comparatione iustitiae, quae proprie attenditur respectu irrationabilium rerum, ideo ad ostendendam divinam excellentiam accipit effectus, quos Deus operatur in rationabilibus creaturis, qui quidem effectus secundum duo considerari possunt : uno modo secundum virtutis suae operationem ; et quantum ad hoc dicit, *Si habes brachium sicut Deus :* per brachium enim potentia divinae virtutis exprimitur, quo quidem brachio utitur et ad sustentationem bonorum, secundum illud *Isa. 40. In brachio suo congregabit agnos :* et ad punitionem malorum, secundum illud *Luc. 1. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis suo.* Alio modo operatur Deus in rationabilibus creaturis per suae sapientiae doctrinam, quam propter eius excellentiam tonitruum nominat: et quantum ad hoc subdit, *Et si voce simili tonas.* Hoc autem tonitruo utitur Deus ad instructionem bonorum, secundum illud *supra 26. Cum vix parvam stillam sermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* et ad terribilem increpationem malorum, secundum illud *Psal. 76. Vox tonitrui tui in rota ;* et postea sequitur : *Commota est, et contremuit terra.* Et in huiusmodi effectibus excellentiam divinam demonstrat quantum ad tria : primo quidem ad decorem cum dicit, *Circumda tibi decorem;* quasi dicat, Si tam potens es in effectibus sicut Deus, attribuas tibi eius decorem ; unde signanter dicit, *Circumda tibi*: Deus enim non habet circumdatum decorem, quasi superadditum eius essentiae, sed ipsa essentia eius est decor, per quem intelligitur ipsa claritas suae virtutis, et puritas suae simplicitatis, et perfectio essentiae eius. Sed homo non potest habere decorem nisi circumdatum, quasi participando ipsum a Deo, ut superadditum suae essentiae. Secundo tangit divinam altitudinem cum subdit, *Et in sublime eri-*

*gere.* Attenditur autem divina sublimitas non loco, quia Deus loco non comprehenditur, sed perfectione, et virtute, quia quidquid de eo dicitur, convenit ei in summo. Huiusmodi autem sublimitas essentialiter Deo esse convenit ; unde ad eam non erigitur, sed in ea immobiliter manet. Homo autem secundum suam naturam est infimae conditionis ; unde ad illam sublimitatem divinam pervenire non posset, nisi se erigeret supra se sublevando; ideo signanter dicit, *In sublime erigere.* Tertio tangit eius gloriam cum subdit, *Et esto gloriosus* : gloria quidem importat notitiam de bonitate alicuius : unde Ambrosius dicit, quod gloria est clara cum laude notitia. Bonitas autem Dei infinita est, cuius notitia perfecta non est nisi apud Deum ; et ideo gloria in solo Deo est, inquantum seipsum cognoscit : ad quam gloriam homo pervenire non potest nisi participando cognitionem divinam, secundum illud *Hier. 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me ;* et ideo signanter dicit. *Esto gloriosus*, quia homo essentialiter hanc gloriam non habet. His igitur positis, quae pertinent ad excellentiam divinae potestatis et naturae, procedit ulterius ad commemorandum divinos effectus in rationabilibus creaturis, et quantum ad bonos, et quantum ad malos. Sed sciendum est, quod effectus quos Deus operatur in sublimatione iustorum, magis attribuuntur misericordiae ; effectus autem quos operatur in punitionem malorum, proprie attribuuntur iustitiae; et ideo quia nunc agitur de iustitia, primo breviter tangit effectum divinae operationis quantum ad bonos, cum dicit, *Et speciosis induere vestibus:* omnes enim boni tam angeli quam homines, speciosi sunt ex participatione divinae essentiae, sapientiae, et iustitiae. Et sicut homo ornatur ex specioso vestimento; ita omnis decor sanctorum angelorum, et hominum, redundat in ornatum Dei, inquantum ex hoc Dei bonitas commendatur per modum quo dicitur *Isa. 49. His omnibus velut ornamento vestieris.* Est autem considerandum, quod hoc ad misericordiam Dei pertinet, quod sanctos suos facit speciosos; sed quod eorum decore ad suam gloriam utitur, hoc ad iustitiam pertinet, de qua nunc loquitur ; ideo non dicit speciosas fac vestes, sed speciosis induere vestibus. Deinde diffusius prosequitur effectus divinae iustitiae, quos exercet in malos; et primo hoc sequitur quantum ad homines. Sciendum est autem quod omnis malitia hominum a superbia initium habet, secundum illud *Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia.* Inter cuncta etiam vitia Deus maxime superbiam detestatur: unde dicitur *Iac. 4.* quod *Deus superbis resistit.* Et hoc ideo quia superbi quasi Deo rebellant, dum ei humiliter subdi non volunt ; et ex hoc in omnia peccata incidunt, divinis praeceptis contemptis, unde et terreni principes maxime detestantur rebelles. Et ideo Dominus specialiter commemorat effectum suae potentiae, quem contra superbos exercet. Est autem duplex genus superborum: quidam enim ex bonis quae habent, se super alios efferunt, sicut ille qui dicebat *Luc. 18. Non sum sicut caeteri hominum;* et hi proprie superbi dicunt, ut ipsum nomen sonat. Est autem propria superborum poena discordia, quia dum quilibet alii superesse nititur, et subiici recusat, ad invicem concordare non possunt; unde dicitur *Proverb. 13. Inter superbos semper iurgia sunt ;* et ad hoc designandum dicit, *Disperge superbos in furore tuo ;* quasi dicat, Exerce officium Dei, quod est dispergere, ut in unum convenire non possint. Per furorem autem Dei intelligitur gravis vindicta. Aliud autem genus superborum est, qui sibi arrogant id quod supra ipsos est; et hi proprie arrogantes dicuntur : unde dicitur *Hier. 48. Arrogantiam, et altitudinem cordis ipsius ego scio, ait Dominus, et quod non sit iuxta eum virtus eius.* Horum autem poena propria est deiectio: cum enim volunt se erigere supra posse, consequens est, ut per infirmitatem corruant, secundum illud *Psal. 72. Deiecisti eos dum allevarentur* : unde subdit, *Respiciens omnem arrogantem humilia*, idest deiicias ex prospectu tuae providentiae. Communis autem utrorumque prima poena est confusio: quia cum non possunt consequi altitudinem quam praetendebant, confunduntur apparente defectu eorum; unde subdit, *Respice cunctos superbos, et confunde eos.* Consequenter autem ponit omnes poenas eorum ; unde *supra 22.* dictum est, *Si ascenderit usque in caelum superbia eius, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Secunda autem poena eorum est eorum destructio, quam designat subdens, *Et contere impios in loco suo.* Superbos impios nominat: quia, sicut *Eccles. 10.* dicitur, *initium superbiae hominis est apostatare a Deo*, quod repugnat divino cultui, qui pertinet ad pietatem. Conveniens autem poena est superborum, quod conterantur : quod enim conteritur, quadam violentia fortioris corporis in minimas partes resolvitur. Iustum est autem, ut superbi, qui se inordinate magnos existimant, fortiori virtute, scilicet divina, ad minimum deducantur. Signanter etiam addit, *In loco suo*, ut ostendatur, quod id, in quo confidunt, eos liberare non potest : unumquodque enim in suo loco conservatur, unde multitudo divitiarum, vel status dignitatis, vel si quid aliud eiusmodi est, in quo homo confidat, locus eius dici potest, quibus non obstantibus, superbus a Deo conteritur, ut quasi in loco suo videatur contritus. Tertia poena est, quod postquam sunt ad minimum redacti, claritas famae eorum cessat: iustum est enim ut qui gloriae pompam quaerebant, ab hominum memoriis deleantur, secundum illud *Pro. 10. Nomen impiorum putrescet;* unde sequitur, *Abscondes eos in pulvere*, idest facies eos obscuros propter statum vilitatis ad quem deducentur. Quod autem addit, *Simul*, potest ad duo referri, videlicet ad hoc, quod omnes superbi talem finem simul patiuntur, et ad hoc quod non successive superbi depereunt, sed simul, idest subito deiiciuntur. Quarta autem poena eorum est, ut non solum ipsi ab aliis non cognoscantur, sed etiam bona de quibus superbierunt, agnoscere non sinantur; unde subdit, *Et facies eorum*, per quas scilicet virtutes eorum cognoscitivae significantur, eo quod visus hominis in facie ponitur: *Demerge in foveam*, idest in profundum inferni : et loquitur de damnatione mortis secundae, per similitudinem mortis primae, per quam homines in corporalem pulverem rediguntur in foveam demersi. Haec autem Dominus praemiserat quasi propria opera sua. Eius autem proprium est, ut non egeat auxilio alieno, quod homini convenire non potest, sicut nec potest praedicta opera exercere ; unde subdit, *Et ego confitebor, quod solvere te*

*potest dextera tua;* quasi dicat, Praedicta opera facere potes quae sunt Dei solius, potes rationabiliter tibi attribuere, quod divino auxilio non egeas ad salutem; sed sicut illud non potes, ita nec hoc, unde non debes de tua iustitia gloriari.

## LECTIO II.

Ecce Behemoth quem feci tecum, foenum quasi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, et virtus illius in umbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum: nervi testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulae aeris, cartilago illius quasi laminae ferreae. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt, omnes bestiae agri ludent ibi. Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt umbrae umbram eius, circumdabunt eum salices torrentis. Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur: habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. In oculis eius quasi hamo capiet eum, et insudibus perforabit nares eius.

## LECTIO II.

Supra Dominus narraverat effectus virtutis suae, quos in malis hominibus operatur; nunc autem accedit ad describendum malitiam diaboli. Manifestum est autem ex praemissis, quod apud Iob, et amicos eius eadem erat opinio de daemonibus, quam nunc Ecclesia catholica tenet, ut scilicet ex angelica dignitate per peccatum corruerint: unde *supra 4.* dictum est, *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles:* et sicut homo per peccatum decidit a ratione dignitatis, et contra rationem agens irrationabilibus comparatur, ita etiam diabolus per peccatum avertens se a supremis et intelligibilibus bonis, dum principatum super inferiora et terrena appetiit, animalibus brutis comparatur, in quorum effigie daemones frequenter apparent hominibus, Deo providente ut tales figuras corporum sinantur assumere, per quas eorum conditio designetur. Est autem considerandum, quod sicut angeli in sua dignitate remanentes, excellentiam quandam habent super hominum dignitatem, unde et in fulgentiori quadam claritate apparent hominibus; ita etiam daemones excellentiam quandam, et principatum in malitia supra homines habent, et ideo sub figura quorundam excellentium et quasi monstruosorum animalium describuntur. Inter omnia autem terrestria animalia excellit elephas magnitudine et virtute, inter animalia vero aquatica excellit cetus: et ideo Dominus describit diabolum sub figura elephantis et ceti, ut hoc nomen Behemoth, quod significat animal, referatur ad elephantem, qui inter caetera animalia terrestria, quae communius animalia dicuntur, quemdam principatum tenet propter magnitudinem corporis; nomen autem Leviathan, quod significat additamentum eorum, referatur ad cete grandia, quae habent magnitudinis additamentum supra omne animalium genus. Posset autem forte alicui videri, quod Dominus ad literam intenderet exprimere proprietates elephantis et ceti propter magnitudinem, qua caetera animalia superant, sed quod proprietates horum animalium in figuram alterius describantur, manifestum est ex hoc, quod proprietatibus positis ad figuram pertinentibus, subditur veritas: nam praemissis proprietatibus Behemoth, idest elephantis, quasi exponendo veritatem, subdit, *Ipse est principium viarum Dei.* Praemissis autem proprietatibus Leviathan, idest ceti, subdit, *Rex super omnes filios superbiae.* Et quasi satis convenienter in hac disputatione Domini, in descriptione diaboli terminatur disputatio Iob, quae est de adversitate ipsius: quia etiam supra commemoratur Satan fuisse principium adversitatis ipsius, et hic dum amici Iob causam adversitatis eius ad ipsum Iob referre niterentur, putantes ipsum propter peccata sua a Deo esse punitum, Dominus postquam Iob redarguerat de inordinata locutione, quasi finalem determinationem disputationi adhibens, agit de malitia Satan, quae fuit principium adversitatis Iob, et est principium damnationis humanae, secundum illud *Sap. 1. Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum.* Primo ergo incipiens describere Satan sub figura Behemoth, assignat convenientiam eius ad hominem, dicens, *Ecce Behemoth quem feci tecum:* et si quidem hoc referatur ad tempus inchoationis utriusque quantum ad figuram, veritas apparet: nam sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta; si referatur ad diabolum, de quo figuraliter sive metaphorice haec dicuntur, non videtur simul diabolus factus cum homine: nam homo factus legitur die sexto; Satan autem inter angelos factus creditur in principio, quo creavit Deus caelum et terram. Sed si illa dierum enumeratio non designat temporis successionem, sed diversa genera rerum productarum, secundum sententiam Augustini, nulla repugnantia invenitur; si autem secundum aliorum expositionem angelorum creatio duratione praecessit hominis productionem, potest dupliciter hoc verbum intelligi: uno modo, ut sit sensus, *Quem feci tecum,* idest quem feci sicut et te; et hoc dicit ad excludendum errorem eorum, qui considerantes malitiam diaboli, aestimaverunt eum non esse Dei boni creaturam; alio modo, ut sit sensus, *Quem feci tecum,* idest similitudinem tecum habentem, quantum ad naturam intellectualem, ut huius etiam similitudinis aliquod vestigium in elephante apparet: dicit enim Aristoteles *in 8. de animalibus,* quod maxime domesticabile animalium silvestrium est elephas: ad multa enim eruditur et intelligit, quoniam etiam adorare reges docentur: quod non ideo dicitur, quia habeat intellectum, sed propter bonitatem naturalis aestimativae. Descripta igitur convenientia Behemoth cum homine, describit proprietates ipsius. Et ut hoc primo ad figuram referamus, tria videtur circa Behemoth describere, primo quidem cibum ipsius, cum dicit, *Foenum quasi bos comedet:* ad literam enim non est animal comedens carnes, sed herbas, et alia huiusmodi ad modum bovis. Et quia herbae nascuntur in terra, per hoc signatur quod Satan pascitur, idest delectatur in terrenorum dominio: unde et iactanter de se dicit *Luc. 4. Mihi tradita sunt regna orbis terrae, et cui voluero, do illa.* Secundo describit coitum eius: in cibo enim, et coitu

praecipue delectationes animalium consistunt. Describit autem coitum elephantis primo quidem quantum ad principium libidinis, ex qua animalia conmoventur ad coitum, cum dicit, *Fortitudo eius in lumbis eius:* nam ex lumbis, sive ex renibus semen ad membra genitalia derivatur. Secundo describit figurum coitus: nam sicut Philosophus dicit *in 5. animalium*, *Patitur coitum femella elephantis concidens, et masculus ascendit;* et hoc significat subdens, *Et virtus illius in umbilico ventris eius*, scilicet quia umbilicum supponit in coitu dorso femellae, et oportet quod sit in umbilico magna virtus ne frangatur propter collisionem corporum tam magnorum. Animalia autem in quibus talis figura coitus non invenitur, dum coeunt, caudam inter tibias posteriores stringunt; unde subdit, *Stringit caudam suam quasi cedrum*, quod dicitur propter magnitudinem eius. Tertio describit organa coitui deservientia, cum subdit, *Nervi testiculorum eius perplexi sunt*, idest revolutiones quasdam habent, ut Philosophus describit *in 3. animalium de testiculis animalium gressibilium et generantium.* Haec autem ad diabolum literaliter referri non possunt, quasi ipsi ad modum animalium corporaliter coeant, quasi ipso coitu delectati: etsi enim, ut Augustinus dicit *in 15. de civit. Dei, quidam incubi saepe dicuntur extitisse mulieribus improbis, et earum appetiisse ac peregisse concubitum;* non tamen hoc agunt quasi coitu delectati, sed delectantur in hoc quod omnes homines ad peccata talia inducunt, ad quae maxime sunt proni: unde Augustinus dicit *in 2. de civit. Dei: Quis non intelligat, quantum moliantur maligni spiritus exemplo suo auctoritatem praebere sceleribus?* et propter hoc, ut ipse in eodem libro alibi dicit, *Huiusmodi spiritus luxuriae obscenitatibus delectantur;* quae quidem eorum delectatio metaphorice in verbis praemissis exprimitur, quod propter concupiscentiam carnis, secundum hoc vitium maxime possunt homines superare; ideo dicit, *Fortitudo eius in lumbis eius*, ut hoc referatur ad viros: *Et virtus illius in umbilico ventris eius*, ut hoc referatur ad mulieres. *Stringit caudam suam, sicut cedrum:* quia quos in hoc peccatum deiicit, dulcedine voluptatis finaliter ligatos tenet: *Nervi testiculorum eius perplexi sunt*, quia si aliquis in hoc vitium deiectus evadere nititur, diversis occasionibus iterato irretitur. Tertio describit motum elephantis, de quibus dicitur, quod habent inflexibiles pedes, tibias, et crura propter pondus corporis sustentandum; et habent ossa solida sine iuncturis; et ad hoc designandum dicit, *Ossa eius velut fistulae aeris*, quia flecti non possunt, sicut nec fistulae aeris: et hoc refertur ad exteriora organa motus, quae sunt tibiae, et crura; interiora autem organa motus sunt cartilagines quaedam, et nervi, quae etiam in elephantibus non facile flectuntur: et quantum ad hoc subdit, *Cartilago illius quasi laminae ferreae*, quae scilicet incurvari et extendi non possunt: et per hoc significatur obstinatio diaboli, qui a proposito suae malitiae retrahi non potest, et crudelitas eius per quam ab exteriori hominum nocumento non cessat. Haec autem quae figuraliter dicta sunt, exponit Dominus subdens, *Ipse*, scilicet Satan, de quo praedicta metaphorice dicta sunt, *Est principium viarum Dei*, idest operum eius: et si quidem hoc referatur ad opera creationis, hoc ea ratione dicitur, quia Satan inter primas creaturas est conditus: vel etiam, quia secundum quosdam fuit excellentior inter caeteras creaturas. Sed convenientius proposito videtur, ut per vias Dei intelligamus opera providentiae eius. Considerandum est autem, quod Deo unum solum proprium est opus suae bonitati conveniens, scilicet benefacere et misereri; quod autem puniat, et adversitates inducat, hoc contingit propter malitiam creaturae rationalis; quae primo est in diabolo inventa, et per eius suggestionem est ad homines derivata; et ideo signanter dicit, quod ipse principium viarum Dei est, idest quod Deus diversis viis utatur, scilicet benefaciendo et puniendo: et ne credatur sic esse principium viarum Dei, quod per se ipsum sit potens ad nocendum, hoc excludit subdens, *Qui fecit eum*, scilicet Deus, *Gladium eius applicabit*, idest noxiam operationem ipsius. Voluntas autem nocendi inest diabolo a seipso, propter quod dicitur, *Gladius eius*; sed effectus nocendi non habet nisi ex voluntate vel permissione divina. Et quia dixerat, quod foenum sicut bos comedet, ostendit, unde foenum accipiat ad edendum; unde subdit, *Huic montes herbas ferunt:* per quod intelligitur, quod sublimes in hoc saeculo et superbi afferunt diabolo suae delectationis seu refectionis materiam: et quomodo hoc sit, ostendit subdens, *Omnes bestiae agri ibi ludent:* sicut enim ad literam in montibus silvestria anima congregantur ad securitatem et otium; ita sub quadam sublimium vitiorum protectione homines bestialiter saevientes securi requiescunt: quod signatur *Dan. 4.* ubi dicitur quod subtus arborem, per quam significatur regia dignitas, habitabant animalia et bestiae. Deinde describit mansionem ipsius. Ubi considerandum est, quod sicut Aristoteles dicit *in 5. animalium*, Elephantes in solitudinibus manent: et maxime quia circa fluvios solent esse arundineta, et salices, et loca umbrosa; ideo ad designandum elephantis mansionem dicit, *Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus.* Et quia hoc animal non qualemcumque umbram habitat, sed condensam, subdit, *Protegunt umbrae umbram eius*, ut scilicet inferior umbra per superiorem umbram ab aestu defendatur. Et causam facientem umbram designat subdens, *Circumdant eum salices torrentis:* nam salices densiorem umbram faciunt, et frigidiorem, quam arundines. Inhabitat autem ad literam hoc animal umbrosa loca, quia est animal melancholicum, et siccae complexionis, et habitat in terris calidis: unde contra calorem, et siccitatem aestus quaerit refrigerium humiditatis et umbrae. Per quod designatur, quod gladius diaboli non solum effectum habet in montibus, scilicet in superbis, qui ei et ipsi herbas ferunt, et bestias agri ludentes sustinent, sed etiam in hominibus, qui in otio quasi in umbra vivunt, quam ipsi multiplici studio continuare procurant, ut sic umbrae protegant umbras, et qui in deliciis quasi in locis humentibus nutriuntur: propter eandem autem causam, propter quam hoc animal humentia, et umbrosa loca quaerit, etiam multum de aqua potat; unde Aristoteles dicit *in 8. de animalibus*, quod iam quidam elephas bibit aquae Metretas macedonicas *14.* pro semel, et iterum alia octo. Et ideo ad describendum magnitudinem potus eius subdit, *Et absorbebit fluvium, et non mirabitur:* quia scilicet con-

suevit multum bibere, et postquam multum bibit, expectat alium multum potum; unde subdit, *Habet fiduciam quod fluvius Iordanis influat in os eius*, qui scilicet fluvius notus est in terra illa, ubi haec dicebantur. At haec quidem hyperbolice dicuntur, secundum quod referuntur ad elephantem ; secundum autem quod referuntur ad diabolum, in cuius figura haec dicuntur, significatur eius praesumptio, qua se confidit de facili sibi incorporare per consensum omnes homines instabiles, etiam si habeant aliquam Dei cognitionem: ad quod significandum inducitur specialiter de Iordane, qui est fluvius in terra, in qua vera Dei cognitio habebatur: in his enim tribus generibus hominum maxime diabolus habet effectum , scilicet in superbis , voluptuosis, et instabilibus, sive curis saeculi deditis , qui possunt per fluvium designari. Aliqui tamen sunt qui a diabolo non superati sunt, sed potius contra ipsum victoriam obtinent : quod quidem principaliter convenit Christo , de quo dicitur *Apoc. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda.* Consequenter autem convenit aliis per gratiam Christi , secundum illud *1. ad Cor. 15. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum:* et hanc quidem victoriam describit Dominus sub similitudine venationis elephantis, dicens, *In oculis eius quasi hamo capiet eum* , scilicet venator , per quem Christus et sui significantur : dicitur enim esse unus modus venationis elephantis, quia fit fovea subterranea in via elephantis, in quam incidit ignoranter, ad quam veniens unus venator percutit et pungit ipsum; alter autem venator veniens percutit primum venatorem , et amovet eum ne percutiat ipsum elephantem, et dat ei comedere hordeum, quod cum ter vel quater fecerit, diligit se liberantem, et deinceps ei obediens mansuescit, et sic capiuntur per cibum ei oblatum, sicut pisces hamo. Est autem alius modus venationis elephantum , ut Aristoteles dicit *in 8. de animalibus,* ubi dicit, quod venatores domesticos elephantes equitant. Et persequuntur elephantes silvestres, et pungunt eos cum quibusdam instrumentis : et ad hoc potest pertinere quod subdit, *Et insudibus perforabit nares eius* , in quibus scilicet habent carnem magis sensibilem, et ideo magis ibi punguntur a venatoribus. Per hoc autem mystice designatur quod Christus diabolum superavit , ostendens ei naturam infirmam, ut sic quasi hamo ab eo caperetur, et postmodum virtutem suam in eum exercuit , secundum illud *Coloss. 2. Expolians principatus, et potestates , traduxit confidenter.*

## LECTIO III.

An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius ? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum ? Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? Concident eum amici, divident illum negotiatores? Nunquid implebis sagenas eius, et gurgustium piscium capite illius? pones super eum manum tuam: memento belli , nec ultra addas loqui. Ecce spes eius frustrabitur eum, et videntibus cunctis praecipitabitur.

## LECTIO III.

Postquam Dominus descripsit proprietates diaboli in similitudine elephantis , qui est maximum animalium terrestrium , describit ipsum sub similitudine Leviathan, idest ceti, quod est maximum animalium marinorum, et, sicut Plinius dicit , est magnitudinis quatuor iugerum: et Isidorus dicit , quod habet corpora aequalia montibus, ad quod refertur nomen Leviathan, quod interpretatur additamentum eorum, et, ut Isidorus dicit , hoc animal dicitur balena a Βαλειν quod est emittere, quia altius caeteris animalibus emittit aquas: et potest dici , quod sicut diabolus comparatur elephanti , qui vivit in terris propter effectus manifestos, quos operatur in terrenis et corporalibus creaturis, ita comparatur ceto, vel balenae in fluctibus maris degenti, propter effectus quos operatur in fluctuatione interiorum motuum. Et quia supra victoriam hominis contra diabolum expresserat sub figura venationis elephantis, ne credatur , quod homo sua virtute possit diabolum superare, hic incipit excludere sub figura animalis Leviathan, de quo primo ostendit quod non potest superari per modum quo capiuntur pisces ; unde dicit , *An extrahere poteris* , scilicet de aquis , *Leviathan hamo* , quod fieri non potest duplici ratione: primo quidem, quia tantae est magnitudinis, quod nulla hominis virtute aut instrumento sursum elevari possit; et ad hoc significandum dixit , *An extrahere poteris.* Secundo quia tantae est fortitudinis, quod hamo retineri non possit; et ad hoc significandum subdit . *Et fune ligabis linguam eius :* pisces enim qui capiuntur hamo, per funem cui hamus appenditur, retinentur ; per quod significatur , quod nullus homo potest diabolum neque a malitia sua extrahere , neque etiam eum ligare , ut in sua malitia non procedat. Secundo ostendit, quod non potest superari ab homine per modum , quo quaedam animalia terrestria magna superantur: retinetur enim bubalus ab homine per annulum ferreum qui naribus eius imponitur, per quem homo ducit ipsum quo vult; et ad hoc excludendum subdit , *Nunquid pones circulum in naribus eius ?* subiicit sibi etiam equum , aut asinum, vel camelum imponendo fraenum vel chamum in ore eius; et ad hoc excludendum subdit, *Aut armilla perforabis maxillam eius ?* Praedictorum enim animalium quasi perforantur maxillae, *Armilla* , idest ferro, quod ponitur in ore ipsorum. Sicut autem circulo naribus imposito ducitur bubalus , ita etiam fraeno , vel chamo maxillis equi imposito regitur gressus equi, ut hominem convenienter ferat. Per hoc ergo datur intelligi, quod nullus potest diabolum ducere quo vult , nec eum dirigere , ut suae voluntati deserviat. Tertio ostendit, quod Leviathan superari non potest per modum quo homo subiicitur homini: quod quidem fit dupliciter; uno modo per simplex verbum, puta cum aliquis in tantum alteri humiliatur , quod eum rogat: et hoc tangit, cum dicit, *Nunquid multi-*

*plicabit ad te preces?* vel etiam cum addit blanditiarum verba: et ad hoc pertinet quod subdit, *Aut loquetur tibi mollia*, idest blanda verba ad te placandum, secundum illud *Prov. 15. Responsio mollis frangit iram.* Alio modo accedente aliqua obligatione, quae fit vel per aliquod particulare pactum: ad quod pertinet quod dicit, *Nunquid feriet tecum pactum?* vel per servitutem perpetuam: ad quod pertinet quod dicit, *Et accipies eum servum sempiternum:* et ista quatuor quandoque per ordinem se habent: nam quandoque aliquis primo quidem propter timorem preces porrigit victori; secundo blanditur: tertio ad pactum suscipitur: quarto per pactum servituti perpetuae subiugatur. Per quae omnia datur intelligi, quod diabolus non timet hominem, ut ei quasi superiori aut fortiori preces ex timore, aut blanditias, aut pactum, aut servitutem exhibeat; et si huiusmodi silenter facit, facit ad hominum deceptiones, ut potius eos sibi subiiciat, quam eis subiiciatur. Quinto ostendit, quod non potest superari, quomodo aves ab homine superantur. Circa quod considerandum est, quod aves primo quidem aliqua deceptione capiuntur per rètia, vel per viscum, vel per aliquid huiusmodi; et hoc excludens subdit, *Nunquid illudes ei sicut avibus*, ut scilicet decipiendo ipsum in tuam redigas potestatem. Secundo postquam iam captae fuerint, ligantur ne avolare possint, et exhibentur pueris et ancillis ad ludum; et hoc significatur cum subdit, *Aut ligabis eum ancillis tuis.* Per quod datur intelligi, quod homo non potest sua industria decipiendo diabolum superare, nec eum aliis decipiendum exponere. Sic igitur ostenso, quod non potest subiici per modum quo alia animalia subiiciuntur, ostendit consequenter quod homo non potest uti eo, etiam si subiiceretur, per modum quo utitur aliis animalibus magnis, quando sunt in potestatem hominis redacta. Et primo hoc ostendit assumens modum quo homines utuntur animalibus terrestribus captis, puta cervis, et apris, et aliis huiusmodi, quorum carnes dividuntur dupliciter: uno modo gratis distribuendo amicis; et hoc excludit subdens, *Concident eum amici?* et hoc interrogative legatur. Alio modo, vendendo diversis; et quantum ad hoc subdit, *Dividentillum negotiatores?* quasi dicat, Non tanta est enim huius animalis magnitudo, quod si quandoque capiatur, toti regioni sufficiat: unde nec particulariter dividitur inter amicos, nec venditur in macello ad modum aliorum animalium. Per quod designatur quod homo non potest auxilium daemonis vel alteri gratis communicare, vel etiam vendere. Secundo ostendit, quod non potest homo uti Leviathan ad modum quo utitur piscibus captis, quorum maioribus piscatores implent maximas sagenas: et quantum ad hoc dicit, *Nunquid implebis sagenas pelle eius.* Et forte signanter dicit pelle, ad exprimendum modum quo maximi ceti capiuntur, qui longissimis culmis, quos habent quando dormiunt, in rupibus pendent ad saxa, ut dicitur: et tunc piscator appropinquans, quantum potest de pelle, solvit a lardo iuxta caudam, est enim animal valde pingue: propter pinguedinem talem incisuram non sentit: et sic immissis funibus quos ligat ad saxa vel arbores, excitat cetum lapidibus fundae, qui volens recedere pellem dimittit. Minoribus autem piscibus implent quaedam alia minora instrumenta: et quantum ad hoc subdit, *Et gurgustium piscium capite illius:* dicitur enim gurgustium quoddam instrumentum de viminibus factum, quod piscatores in gurgite ponunt ad capiendum pisces. Est autem tanta magnitudo ceti, quod nec etiam una pars eius, puta caput, potest in gurgustio quantumcunque magno contineri: dicitur enim habere tam magnum caput, quod ab ipso quadraginta lagenae sanguinis effluant: et hoc ponitur ad figuraliter ostendendum, quod diabolus virtute humana includi non potest, sicut quidam nigromantici se eum posse includere opinantur; sed hoc totum provenit ex eius astutia, qua utitur ad homines decipiendos. Et si quis recte consideret, omnia praemissa pertinere videntur ad praesumptionem nigromanticorum confutandam, qui nituntur cum daemonibus pactum inire, aut etiam sibi subiicere, vel qualitercumque constringere. Ostenso ergo, quod homo nullo modo sua virtute diabolum superare potest, quasi ex omnibus praemissis concludit subdens, *Pone manum tuam super eum*, subaudi si potes; quasi dicat, Nullo modo potes tua virtute manum tuam ponere super eum, ut eum tibi subiicias. Sed quamvis non possit ab homine superari, superatur tamen divina virtute; unde subdit, *Memento belli*, quo scilicet contra eum pugno: *Nec ultra addas loqui*, scilicet contra me, dum scilicet vides eum mea virtute superari, quem tua virtute superare non potes. Et de superatione qua superatur a Deo, subditur, *Ecce spes eius frustrabitur eum:* quod quidem si referatur ad cetum, manifestum est: dum enim cetus persequitur pisces, sperans eorum capturam, impingit ad aliquod littus, unde propter parvitatem aquae se eruere non potest, frustratus spe sua, quam habebat de piscium captura: et sic super aquam apparens praecipitatur in mortem: et hoc est quod subditur, *Et videntibus cunctis praecipitabitur*, quia undique homines eum videntes concurrunt ad eum occidendum. Per quod significatur, quod spes diaboli, quam habet de subversione sanctorum, frustrabitur: et ipse cum omnibus suis sequacibus, sanctis videntibus, in die iudicii praecipitabitur in infernum.

## CAPITIS QUADRIGESIMIPRIMI

### LECTIO PRIMA.

Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo? Et quis antè dedit mihi, ut reddam ei? omnia quae sub caelo sunt, mea sunt. Non parcam ei verbis potentibus, et ad deprecandum compositis. Quis revelabit faciem indumenti eius, et in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, conpactum squamis se prementibus. Una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabunt.

## LECTIO PRIMA.

Postquam Dominus enumeraverat virtutem Leviathan, quantum ad hoc quod non potest superari ab homine, sed solum a Deo; nunc enarrat potestatem ipsius, quantum ad hoc quod ipse potest contra alios agere. Et quia non est potestas nisi a Deo, ut dicitur *Rom. 13.* posset aliquis ad crudelitatem Deo adscribere, quod tam noxiae creaturae tantam potentiam dedit: et ideo ad hoc excludendum dicit, *Non quasi crudelis suscitabo eum*, idest altum esse permittam per potentiam sibi datam: et videtur hic responderi ad id quod *supra Iob 30.* dixerat, *Mutatus es mihi in crudelem.* Quod autem hoc sibi ad crudelitatem adscribi non debeat, ostendit triplici ratione: primo propter potestatem ipsius Dei, cum dixit, *Quis enim potest resistere vultui meo?* idest providentiae meae; quasi dicat, Quantumcumque Leviathan iste sit potens, non tamen potest providentiae meae resistere: ut potentia sua utatur, nisi quantum mihi placuerit, et mea voluntas non ad perniciem, sed ad salutem hominum tendit. Secundo ostendit idem ex largitate bonitatis ipsius, qua gratis omnibus bona sua distribuit; unde subdit, *Et quis ante dedit mihi, ut reddam ei;* quasi dicat, Nullus. Ex quo patet, quod omnia quae feci, diligo, quibus bona mea gratis communico, unde non habeo contra ipsa quae feci, crudelitatis animum: et ad idem pertinet quod subdit, *Omnia quae sub caelo sunt, mea sunt*, quia scilicet sunt a me creata, conservata, et gubernata; nullus autem rebus suis adversatur. Tertio ostendit se non esse crudelem permittendo Satan in sua potentia exaltari, per hoc quod in nullo ei defert: videtur enim ad crudelitatem quandam pertinere, quod aliquis dum vult alicui tyranno favere, patienter tolerat afflictiones multorum. Duplici autem ratione homo alicui potenti favet: uno modo timens comminationes ipsius; sed hoc Dominus a se excludit dicens, *Non parcam ei*, idest in nullo ei deferam, quin ei resistam, secundum quod oportet: *Verbis potentibus*, idest propter aliqua comminationis verba, quae eius praeferant potestatem. Alio modo favet aliquis alicui potenti, quasi allectus ab eo blanditiis; et ad hoc excludendum subdit, *Et ad deprecandum compositis*, scilicet quasi dicat, quamvis potenter vel deprecatorie loqueretur, tamen in nullo ei defero, quia non est convenientia lucis ad tenebras, ut dicitur *2. ad Cor. 6.* His igitur praemissis ad removendum opinionem suae crudelitatis, accedit ad describendum virtutem Leviathan; et primo describit figuram eius a capite incipiens. Dicitur autem quod super oculos ceti sunt quaedam additamenta cornea in figura magnae falcis, et sunt ducenta quinquaginta super unum oculum, et totidem super alterum, et utitur eis cetus pro opertorio oculi tempore magnae tempestatis; et ad hoc exprimendum dicit, *Quis revelabit faciem indumenti eius?* idest quis homo potest accedere ita prope cetum, ut a praedictis operculis possit faciem eius detegere? Per quod datur intelligi quod astutias diaboli nullus homo sufficit aperire. Dicitur etiam quod in gutture habet quandam pellem in modum membranae, et haec multis meatibus perforata, ne scilicet quicquam corpulentum magnum ingredi ventrem eius possit, quia scilicet per hoc impediretur eius digestio, scilicet si aliquod magnum animal integrum absorberet; et ad hoc designandum subdit, *Et in medium oris eius quis intrabit?* ut scilicet perscrutetur strictos illos meatus, quibus parvi pisces in eius ventrem descendunt. Per quod designatur, quod intentionem daemonis, qua ad homines spiritualiter absorbendos utitur, nullus homo potest cognoscere. Dicitur etiam de ceto, quod habet aperturam oris dentatam valde longis et magnis dentibus, et praecipue duo dentes sunt aliis longiores, ad modum dentium elephantis, vel apri. Ergo ad designandum hos duos dentes extremos maximos dicit, *Portas vultus eius quis aperiet?* videntur enim illi duo dentes maximi, quasi duae portae, quibus os ceti aperiatur: per quod designatur, quod nullus homo potest os diaboli aperire ad extrahendum de potestate eius peccatores quos absorbet, quasi duabus portis, scilicet violentia et astutia. Quantum ad alios dentes ceti subdit, *Per girum dentium eius formido*, quia scilicet in circuitu oris habent dentes tam magnos, ut aspicientibus terrorem incutere possint: per quod significatur terror, quem daemon hic hominibus incutit, ut per hoc eos impellat ad peccandum; et potest dici quod dentes eius sunt caeteri daemones, vel etiam mali homines, qui potentia sua alios terrendo ad malum inducunt. His igitur praemissis de dispositione capitis Leviathan, procedit ad dispositionem corporis eius, quod describit ad modum piscium habentium squamas; unde secundum magnitudinem sui corporis debet habere maximas squamas ad modum scutorum; unde dicit, *Corpus eius quasi scuta fusilia*, quae quidem sunt continua: nam scuta lignea per colligationem adunantur. Comparatur autem diabolus ad homines malos, sicut caput ad corpus: unde peccatores qui alios in malitia defendunt, sunt quasi scuta corporis diaboli. Ostendit autem consequenter quod squamae eius non solum sunt magnae, sed etiam compressae ad modum piscium multas squamas habentium: et hoc est quod subdit, *Compactum squamis sese prementibus*: per quod designatur multitudo malorum: et perversa eorum concordia in malo ostenditur consequenter cum subditur, *Una uni coniungitur*, quia scilicet sicut in corpore alicuius piscis non quaelibet squama coniungitur cuilibet, sed una uni per ordinem, ita etiam in multitudine malorum non omnes omnibus socialiter concordant, sed quidam quibusdam. Quamdiu autem piscis est vivus et fortis, et squamae eius sunt in suo vigore, ita et ad invicem et cuti corporis stricte adhaerent, quod nec aer potest inter eas transire; quando vero piscis fuerit vel mortuus, vel infirmus, aut ex aliqua occasione eius squamae desiccantur, tunc paulatim praedicta coniunctio squamarum remittitur, ita quod ipsae squamae incurvantur, et potest etiam aliquid grossius inter eas transire. Ad ostendendum ergo vigorem squamarum Leviathan subdit, *Et ne spiraculum quidem incedit per eas*, idest per intermedium squamarum: per quod designatur, quod ad consensum malitiae non disiunguntur per aliquam spiritalem persuasionem, aut per inspirationem internam; et ideo ad ostendendum obstinatum eorum consensum in malitia, subdit, *Una alteri adhaerebit*, per mutuum favorem et consensum:

*Et tenentes se nequaquam separabuntur*, propter obstinatum scilicet consensum eorum in malum : sicut nec squamae Leviathan humana virtute possunt ab invicem disiungi.

## LECTIO II.

Sternutatio eius splendor ignis, et oculi eius, ut palpebrae diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tedae ignis accensae. De naribus eius procedit fumus sicut ollae succensae atque ferventis. Halitus eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, et faciem eius praecedit egestas. Membra carnium eius cohaerentia sibi: mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. Cor eius indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta neque thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum aes. Non fugabit eum vir sagittarius; in stipulam versi sunt ei lapides fundae. Quasi stipulam aestimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radii solis: et sternet sibi aurum quasi lutum. Fervescere faciet quasi olla profundum maris, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. Post eum lucebit semita, aestimabit abyssum quasi senescentem. Non est super terram potestas, quae comparetur ei qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt. Ipse est rex super universos filios superbiae.

## LECTIO II.

Postquam descripsit Dominus dispositionem Leviathan, hic describit operationem fortitudinis eius : et sicut prius descripserat dispositionem capitis quam corporis, ita etiam, et prius incipit enumerare operationes ad caput pertinentes. Prima autem et principalior pars capitis est cerebrum, ex cuius commotione sternutatio animalis causatur; et ideo sternutationem Leviathan describens dicit, *Sternutatio eius splendor ignis*, quia scilicet ex sternutatione Leviathan tanta fit aquarum commotio, quod causatur quidam candor aquarum commotarum ad modum splendoris ignis: vel etiam potest referri ad hoc, quod fortiter commoto capite vel oculis, videtur nobis, quod emittatur quidam splendor ignis; unde cum multo maior sit commotio capitis Leviathan ex eius sternutatione, multo magis talis splendor procedit. Significatur autem per hoc quod per commotionem capitis diaboli, idest per tentationem ipsius, emittatur splendor ignis, scilicet irae, aut concupiscentiae, aut etiam inanis gloriae. Inter alias autem partes capitis sunt praecipue oculi ; unde subdit, *Et oculi eius, ut palpebrae diluculi*: oculus enim ratione suae levitatis lucidus est. Habet autem cetus maximos oculos secundum magnitudinem capitis et corporis totius; et ideo inspectione ipsorum apparet quaedam claritas diffusa, sicut est claritas diluculi : per quam designatur temporalis prosperitas, quam diabolus homini repromittit. Tertio autem describit operationem sive effectum oris eius, cum dicit, *De ore eius lampades procedunt sicut tedae ignis accensae*. Ubi considerandum est, quod teda est quoddam lignum, quod accensum suavem odorem emittit. Dicitur autem de ceto, quod quando multum esurit, vaporem odoriferum ad modum odoris ambrae ex ore suo emittit, in quo pisces delectati os eius ingrediuntur, et sic ab ipso devorantur. Huiusmodi vapores ergo missi ab ore ceti lampades dicuntur propter magnitudinem caloris, qui ex interioribus eius egreditur. Tedae autem accensae comparatur propter redolentiam, ut dictum est. Per hoc autem designatur quod diabolus ad concupiscentiam peccati homines incendit per ostentationem alicuius boni, quasi per redolentiam quandam. Quarto ponitur operatio narium eius : hoc enim animal habet pulmonem, et respirat sicut delphinus: et ad hoc designandum subdit, *De naribus eius*, quae scilicet sunt praecipua instrumenta respirandi, *Procedit*, scilicet per respirationem, *Fumus*, idest aer per respirationem adustus ex multitudine caloris, qui est necessarius huic animali ad tantam molem movendam; et ideo signanter subdit, *Sicut ollae succensae, atque ferventis :* aer enim qui respirando emittitur, in pulmone continebatur: in quo calefiat per calorem cordis, qui pulmoni coniungitur, sicut aqua in olla calescit, et fervet per hoc, quod apponitur igni. Et quia animal respirat non solum per nares, sed etiam per os, ideo quinto subdit operationem oris dicens, *Halitus eius*, idest exhalatio de ore procedens, *Prunas ardere facit*, idest tam calidus et vehemens, quod sufficeret ad prunas accendendas: loquitur enim ad similitudinem eorum, qui sufflando prunas accendunt: unde subdit, *Et flamma de ore eius egreditur*, quia scilicet tam calidus et ignitus est vapor de ore eius egrediens, quod merito potest flammae comparari. Per haec autem omnia designatur, quod diabolus sua occulta vel manifesta suggestione perversae cupiditatis ignem in homine accendit. His igitur praemissis quae pertinent ad virtutem capitis Leviathan, accedit ad narrandum ea, quae pertinent ad virtutem aliorum membrorum ipsius. Est autem considerandum, quod sicut Aristoteles dicit *in 2. an.* nullus piscis habet collum nisi illi qui generant animalia, sicut delphini ; et ex horum genere sunt etiam ceti ; et ideo incipit describere fortitudinem colli eius, cum dicit, *In collo eius morabitur fortitudo;* quae quidem necessaria est tanto animali ad pondus capitis eius portandum. Et quia per collum caput coniungitur corpori, possunt per collum Leviathan designari illi, per quos diabolus in alios malitiam suam exercet, qui ut plurimum sunt potentes, quos alii reverentur, aut etiam timent. Est autem manifestum quod hoc animal, cum sit magni corporis, multo indiget cibo: et ideo cum in aliqua parte maris fuerit cetus, absorbet multitudinem piscium ibi existentium, ut quasi mare in conspectu eius remaneat piscibus vacuum; et hoc est quod subdit, *Et faciem eius praecedet egestas*, quia scilicet attrahit ad se pisces, ut supra dictum est, et mare remanet piscibus vacuum ante eum : per quod signi-

ficatur, quod egestas virtutum in hominibus causatur ante faciem diaboli, idest per suggestionem ipsius. Consequenter autem ostendit fortitudinem eius quantum ad alias partes corporis, cum dicit, *Membra carnium eius cohaerent sibi*, scilicet propter earum spissitudinem : per quod designatur consensus membrorum diaboli in malum. His igitur praemissis de fortitudine Leviathan ad agendum, consequenter agit de fortitudine eius ad resistendum: quamvis autem possit resistere virtuti humanae agenti, tamen virtuti actionis divinae usquequaque resistere non potest : et ideo primo ostendit, quod Deus contra ipsum agat, cum dicit, *Mittet contra eum fulmina.* Manifestum est enim, quod frequenter in mari fulmina cadunt, quibus quandoque etiam naves periclitantur; unde etiam probabile est, quod quandoque ceti fulmine feriantur : et hoc opus praecipue attribuitur Deo propter magnitudinem et terrorem huius effectus ; unde *supra 38.* Dominus dixit, *Nunquid mittes fulmina, et ibunt* etc. Subdit autem, *Et ad locum animalium non ferentur ;* quod potest ad duas intentiones referri: primo quidem ad designandum magnitudinem corporis eius : solet enim fulgur aliquem locum percutiens per quandam percussionem ad alia loca reflecti, propinqua tamen ; sed corpus Leviathan tam magnum est, ut fulmen in ipsum percutiens, extra corpus eius non reflectatur. Alio modo potest referri ad infallibilitatem divinae operationis. Sicut ergo sagittarius sapiens directe sagittas emittit, ita quod non percutit nisi ad signum, ita cum Deus contra Leviathan, sive quamcunque aliam creaturam fulgura quasi sagittas quasdam emittere vult, non ad alium locum pergunt, nisi quo ipse emittit, secundum illud *Sap. 5. Ibunt directe emissiones fulgurum.* Per quod designatur quod divina flagella quae Deus immittit contra diabolum et membra eius, ita emittit, quod contra alios non feruntur: nam si quandoque boni per temporales adversitates flagellantur a Deo, hoc tamen cedit in glorificationem sanctorum, et in maiorem damnationem diaboli et impiorum. Secundo ostendit qualiter se habeat Laviathan ad ea quae Deus contra ipsum agit, cum dicit, *Cor eius indurabitur quasi lapis :* durum autem significat potentiam naturalem, ut scilicet aliquid non facile corrumpatur ab exteriori actione agente. Per hoc ergo virtus naturalis designatur, quae est in corde ceti, ut non de facili corrumpatur ab exteriori actione inferente aliquod nocumentum: et ad istam duritiam designandam sufficiebat exemplum lapidis quantum ad leves percussiones, non autem quantum ad graves : lapis enim etsi non confringitur manu, confringitur tamen malleo ferreo. Et ideo ad designandam virtutem ceti etiam contra gravia nocumenta, subdit, *Et stringetur quasi malleatoris incus*, qui scilicet ex percussione malleorum non constringitur, sed magis solidari videtur. Per hoc ergo significatur obstinatio diaboli, et membrorum eius, quia nulla percussione divina a sua malitia emolliuntur. Tertio ostenditur finalis effectus divinae percussionis : quantumcunque enim flagellis divinis resistere videatur, oportet tamen quod finaliter ab eis superetur ; unde, *Cum sublatus fuerit*, scilicet virtute divina de loco suo, *Timebunt angeli*, admirando divinam virtutem, in qua admiratione multi effectus divinae virtutis eis innotescunt : et ideo subdit, *Et territi purgabuntur* : ut enim Dionysius dicit *5. cap. de div. nom. angeli purgari dicuntur non ab immunditia, sed a nescientia.* Sed quia omnis creatura corporalis modicum quid est in comparatione sanctorum angelorum, ideo videtur principaliter hoc esse dictum ad significandum, quod caelestes angeli multum admirentur de occisione alicuius corporalis ceti: nisi forte per angelos sanctos homines intelligamus. Sed melius est ut principaliter referatur ad spiritualem Leviathan, scilicet diabolum, qui sublatus fuit virtute divina, quando de caelo cecidit per peccatum: et tunc angeli admirantes divinam maiestatem sunt purgati per separationem ab eius societate. Similiter etiam in die iudicii, quando diabolus cum omnibus membris suis detrudetur in infernum, angeli et omnes sancti admirabuntur divinam potestatem, et erunt de caetero purgati per totalem separationem a malis : et hoc significatur *Apoc. 12.* ubi postquam proiectus est diabolus, auditur magna vox in caelo dicens: *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri.* Sic igitur ostenso qualiter se habeat ad impugnationem Dei, ostendit qualiter se habeat ad impugnationem hominis : impugnat autem homo de propinquo, et a remotis : et de propinquo quidem munitus gladio et hasta ad percussionem, et thorace ad sui munitionem ; et quantum ad hoc dicit, *Cum apprehenderit eum*, scilicet Leviathan: *Gladius*, scilicet hominis: *Subsistere non poterit*, scilicet gladius hominis, qui frangitur propter duritiem corporis eius: *Neque hasta*, scilicet subsistere poterit: *Neque thorax*, quo scilicet munitur pectus, *Subsistere poterit contra Leviathan :* et huius rationem assignat subdens, *Reputabit enim ferrum quasi paleas ?* quia scilicet sicut homo non potest laedi a paleis, et de facili eas frangit, ita Leviathan non potest laedi a ferro gladii vel hastae, sed de facili ea frangit. *Et similiter reputabit eas*, scilicet thoracis; *Quasi signum putridum*, quod scilicet resistere non potest percussioni. Per hoc autem significatur, quod nulla virtus humana efficax est ad diabolum laedendum, vel ad resistendum ei ; sed omnis virtus humana pro nihilo a diabolo reputatur. Impugnat etiam homo a remotis per sagittas et lapides fundae : sed nec ista contra cetum valent; unde subdit, *Non fugabit eum vir sagittarius*, scilicet emissione sagittarum quas non timet, utpote ab eis laedi non valens. Sicut autem sagittae de longinquo emissae laedunt interius vulnerando, ita lapides fundae exterius atterendo; sed cetus sicut non potest perforari sagittis, ita non potest conteri lapidibus in eum proiectis ; unde subdit, *In stipulam versi sunt ei lapides fundae*, quia scilicet sicut stipula propter suam levitatem nullum conterere potest, ita nec cetus potest a lapidibus fundae aliquod nocumentum pati. Per hoc autem significatur, quod sicut diabolus non potest laedi virtute humana quasi quadam percussione propinqua ; ita etiam non potest laedi hominis astutia quasi quadam percussione a longinquo. Sicut autem per lapides fundae aliquis atteritur a remotis, ita etiam per malleum aliquid atteritur de propinquo : sed nec sic etiam cetus ab homine laedi potest; unde subdit, *Quasi stipulam aestimabit malleum* : quod etiam referri potest ad eandem significa-

tionem cum praemissis, nisi quod mallei est gravior percussura quam lapidum fundae: unde potest significari quod quantumcunque intendatur hominis fortitudo et conatus, a diabolo contemnitur. Solent autem homines aliquos superare non solum percutiendo, sed etiam percussione comminando; sed nec cetus, nec diabolus aliquam hominis comminationem timent; unde subditur, *Et deridebit vibrantem hastam:* vibratio enim hastae videtur esse quaedam comminatio percussurae: sicut autem homo quandoque alium superat comminando, ita etiam promissis alliciendo. Maxime autem solent aliqua dona promissa allicere hominem propter pulcritudinem vel propter pretiositatem. Nihil autem videtur esse pulchrius in corporalibus rebus quam radii solares, ad quorum pulchritudinem Leviathan vel corporaliter, vel spiritualiter intellectus, non allicitur: et ad hoc significandum subditur, *Sub ipso erunt radii solis:* quia scilicet non appretiatur eos tamquam aliquid magnum, et per consequens datur intelligi quod nihil aliud praeclarum in rebus humanis appretiatur. Aurum autem reputatur valde pretiosum inter res, quae in usum hominis veniunt; et quantum ad hoc subdit, *Et sternet sibi aurum quasi lutum*, idest quasi vile aliquid contemnet ipsum: et sic patet quod ab homine allici non potest. Sic ergo ostenso, quod non potest superari ab homine, consequenter ostendit quod non potest superari neque a mari, neque ab aliquo pisce maris: et hoc propter fortes operationes quas in mari exercet. Dicit autem Plinius, quod quaedam belluae sunt in mari orientali tantae magnitudinis, ut ab imo vertant maria, et faciant tempestates in mari: quae quidem belluae ad naturam ceti pertinere videntur: et ad hoc significandum subdit, *Fervere facit quasi ollam profundum maris*: sicut enim quando olla fervet, aqua fervens in ea commovetur, ita ex violentia huius piscis fluctus maris commoventur: et incipit haec commotio a profundo, et pervenit usque ad aquae superficiem; unde subdit, *Et ponet quasi cum unguenta bulliunt*, quae scilicet faciunt maiorem spumam et commotionem in superficie quam simplex aqua, in qua non tantum de aere continetur. Per hoc autem significatur turbatio quam diabolus concitat in hoc mundo: et sicut facit magnum effectum quando movetur in profundo maris, ita etiam facit magnum effectum quando movetur in superficie: et ad hoc significandum subdit: *Post eum lucebit semita:* sicut enim quando navis movetur per mare ad longum spatium, vestigium navis transeuntis relinquitur propter commotionem et spumam generatam in aqua, ita etiam contingit ex motu istius piscis prae sua magnitudine. Per hoc autem significatur, quod effectus perturbationis quam diabolus in mundo concitat, non statim aboletur, sed diutius durat. Ex hoc autem quod tam fortes operationes cetus in mari operatur, in nullo timet maris profunditatem; unde subdit, *Aestimabit abyssum*, idest profundum maris, *Quasi senescentem*, idest quasi finem habentem, *Et quasi impotentem*, ad absorbendum ipsum: nam quod senescit, et debile est, et fini propinquum. Ex hoc autem significatur quod diabolus damnationem inferni non tantum aestimat, ut propter eam desinat contra Deum niti, ac si eius damnatio esset terminanda: et sicut Leviathan non potest superari ab homine, nec a mari, neque ab aliqua creatura maris, ita etiam non potest superari a quacumque alia creatura terrestri; unde subdit, *Non est potestas super terram, quae ei comparetur*: non enim est in terra aliquod animal tam magnum, sicut cetus maris: unde et Plinius dicit, quod in mari sunt maiora animalia terrestribus: et causa evidens est humoris luxuria et superfluitas. Per hoc autem significatur, quod nulla virtus corporalis potest aequari potestati daemonis, quae est potestas spiritalis naturae. Quia igitur multa praemiserat de proprietatibus Leviathan in figura diaboli, consequenter praedictam metaphoram exponit: et sicut dictum est, omnes praedictae proprietates ad duo pertinere videntur: quorum unum est, quod ipse ab alio laedi non potest; et quantum ad hoc exponens subdit, *Qui factus est, ut nullum timeret.* idest hoc habet diabolus ex conditione suae naturae, in qua factus est a Deo, ut neque hominem timeat, neque aliquam creaturam corporalem. Aliud autem est, quod Leviathan habet facultatem ad magnas et fortes operationes exercendas; et hoc exponens subdit, *Omne sublime videt*, idest intentio diaboli est ad quaecumque sublimia aggredienda. Et quia haec videntur ad superbiam pertinere, ostendit contra, quod diabolus non solum in se superbus est, et homines in superbia excedit, sed est aliis superbiendi initium; unde subdit, *Ipse est rex super universos filios superbiae*, idest super eos, qui superbiae subiiciuntur, qui omnes sequuntur eius ducatum. Ubi considerandum est, quod Dominus operationem suam, quam exercet in malos, contra superbos manifestare incoepit: et in superbis narrationem terminat, ut ostendat hoc praecipue Iob fuisse timendum, ne diabolus qui eum expetierat ad tentandum, praecipue eum ad superbiam inducere conaretur, ut sic transferretur in regnum ipsius: et ideo tacere debebat affectum, et verba quae superbiam saperent.

## CAPITIS QUADRIGESIMISECUNDI

### LECTIO PRIMA.

Respondens autem Iob Domino dixit: Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, et quae ultra modum excedunt scientiam meam. Audi, et ego loquar: interrogabo te, et responde mihi. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere. Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem. Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Iob, et offerte holocaustum pro vobis. Iob autem servus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stul-

titia : neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldath Suites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos , et suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Iob , cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quaecumque fuerant Iob duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui , et universae sorores suae, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo eius. Et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum; et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. Dominus autem benedixit novissimis Iob magis quam principio eius. Et facti sunt ei quatuordecim millia ovium , et sex millia camelorum, et mille iuga boum, et mille asinae : et fuerunt ei septem filii et tres filiae. Et vocavit nomen unius Diem , et nomen secundae Cassiam, et nomen tertiae Cornustibii. Non sunt autem inventae mulieres speciosae , sicut filiae Iob in universa terra. Deditque eis pater suus haereditatem inter fratres earum. Vixit autem Iob post flagella haec, centum quadraginta annis ; et vidit filios suos, et filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem ; et mortuus est senex, et plenus dierum.

## LECTIO PRIMA.

Postquam Dominus redarguit Iob de incauta locutione , quae superbiam sapere videbatur , quia scilicet intantum se iustum asserebat, quod hoc quibusdam videbatur in derogationem cedere divini iudicii, ideo Iob humiliter convictum se reputans respondet, primo quidem confitendo divinam excellentiam quantum ad potentiam ; unde subdit , *Respondens autem Iob Domino dixit* , *Scio quia omnia potes:* et etiam quantum ad scientiam; unde subdit, *Et nulla te latet cogitatio:* per quorum primum confitebatur, quod Deus poterat adversitatem removere a diabolo inductam, quam Dominus sub figura Behemoth et Leviathan descripserat; per secundum autem recognoscit se interius fuisse aliqua cogitatione superba pulsatum, quod Deum non latuisse recognoscit ; et ideo consequenter invehitur contra eos, qui divinam providentiam negant, dicens , *Quis est iste qui celat consilium absque scientia ?* idest quis est tam temerarius et stultus qui dicit humanum consilium posse celari a Deo absque hoc, quod Deus illud cognoscat? Ex consideratione autem divinae excellentiae procedit ad considerationem propriae culpae cum subdit : *Ideo insipienter locutus sum* , idest debitam reverentiam non exhibens divinae excellentiae in meis verbis: *Et quae ultra modum excedunt scientiam meam*, scilicet culpam confitendo , idest discutiendo divina iudicia. Et quia insipienter locutus sum , de caetero loquar sapienter; unde subdit, *Audi et ego loquar,* meam scilicet culpam confitendo. Et quia locutus sum quae excedunt scientiam meam, de caetero de ea non audeo loqui, sed solum de his interrogare ; unde subdit, *Interrogabo te*, scilicet petendo, orando, pulsando : *Et responde mihi* , scilicet interius instruendo. Quare autem sic mutatus sit, ostendit subdens, *Audivi auris audivi te,* scilicet olim cum insipienter loquerer ; *Nunc autem oculus meus videt te,* idest plenius te cognosco quam prius , sicut id quod videtur oculis, certius cognoscitur, quam quod aure auditur: profecerat enim tum ex percussione, tum ex revelatione divina : quanto autem aliquis magis Dei iustitiam considerat, tanto plenius culpam suam recognoscit; unde subdit , *Idcirco ipse me reprehendo* , propriam scilicet culpam considerando. Et quia non sufficit culpam confiteri , nisi sequatur satisfactio ; ideo subdit, *Et ago poenitentiam in favilla et cinere* , in signum scilicet fragilitatis naturae corporeae : convenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis. Quia ergo superius Dominus redarguerat Eliu et etiam Iob, nunc tertio redarguit amicos eius, inter quos praecipuus erat Eliphaz: quod patet ex hoc quod primo loqui incoeperat; unde dicitur, *Postquam autem locutus est Dominus verba haec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos* , scilicet Baldath et Sophar. Ubi considerandum est, quod Eliu ex imperitia peccaverat, Iob autem ex levitate; et sic neuter eorum graviter peccaverat; unde nec Dominus dicitur iratus fuisse contra eos , sed contra tres amicos Iob graviter dicitur fuisse iratus , quia graviter peccaverant perversa dogmata asserendo, ut supra habitum est ; unde subdit : *Quoniam non locuti estis coram me rectum*, idest fidelia dogmata : *Sicut servus meus Iob*, qui scilicet a veritate fidei non recessit. Pro gravibus autem peccatis expiandis antiqui consueverunt sacrificia offerre; unde subdit , *Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes*, quia scilicet ipsi erant duces populorum. Septenarius autem est numerus universitatis; unde septenarius sacrificiorum competit ad gravium delictorum expiationem. Sed quia infideles per fideles Deo reconciliari debent, subdit, *Et ite ad servum Iob* , ut scilicet eo mediante reconciliemini mihi : *Et offerte pro vobis holocaustum* , ut scilicet vos satisfaciatis, qui peccastis ; sed vestra satisfactio indiget fidelis viri patrocinio; unde subdit, *Iob autem servus meus orabit pro vobis*, qui scilicet dignus est exaudiri propter suam fidem ; unde subdit , *Faciem eius*, idest deprecantis, *Suscipiam*, scilicet exaudiendo eius orationem: *Ut non imputetur vobis stultitia*, scilicet infidelis dogmatis : et hoc exponit subdens , *Neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Iob.* Accepta autem spe veniae impleverunt quod eis fuerat mandatum; unde sequitur, *Abierunt ergo Eliphaz Themanites , et Baldath Suites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos:* et ita per obedientiam et humilitatem suam digni facti sunt ut pro eis oratio Iob exaudiretur; unde sequitur: *Et suscepit Dominus faciem Iob,* rogantis scilicet pro amicis suis. Nec solum humilitas amicorum efficaciam praestitit eius orationi, sed etiam humilitas propria; unde subdit, *Dominus quoque conversus est*, scilicet a furore in clementiam, *Ad poenitentiam*

*Iob cum oraret pro amicis suis:* dignum enim erat ut qui pro levi suo peccato humiliter poenitebat, etiam aliis graviter peccantibus veniam impetraret. Plus autem prodest unicuique sua poenitentia quam aliis: unde si oratio et poenitentia Iob meruit amotionem indignationis divinae ab amicis, multo decentius fuit ut etiam ipse ab adversitate liberaretur. Et quamvis Iob spem suam non referret ad prosperitatem temporalem recuperandam, sed ad consequendam futuram felicitatem, Dominus tamen ex abundanti etiam prosperitatem temporalem ei restituit, secundum illud *Matth. 6. Primum quaerite regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis;* et hoc quidem tempori erat congruum, propter statum veteris testamenti, in quo temporalia bona promittebantur, ut sic per prosperitatem, quam recuperaverat, aliis daretur exemplum ut converterentur ad Deum. Erat etiam congruum personae ipsius Iob, cuius apud aliquos opinio erat laesa propter multiplices adversitates quae supervenerant ei: et ideo ut ei famam restitueret, ad statum maioris prosperitatis eum reduxit; ideo sequitur, *Et addidit quoque Dominus omnia quae fuerant Iob duplicia.* Inter adversitates autem Iob quasi praecipua erat, quod fuerat ab amicis suis desertus: et ideo huiusmodi adversitatis primo remedium ponitur, cum dicitur, *Venerunt ad eum omnes fratres sui, et universae sorores suae, et cuncti qui noverant eum prius:* in quo designatur pristinae amicitiae recordatio: *Et comederunt cum eo panem in domo eius:* in quo designatur reditus ad antiquam familiaritatem: *Et moverunt super eum caput*, scilicet compatiendo afflictioni ipsius. Et quia non solum oportet afflictis compati, sed etiam eorum afflictioni remedium praebere, primo quidem praebuerunt remedium eius interiori dolori per consolatoria verba; unde subdit, *Et consolati sunt eum super omne malum quod intulerat Dominus super eum.* Secundo autem adhibuerunt subventionis remedium contra exteriorem inopiam. Et quia amiserat et animalia in campis, et supellectilia in subversione domus; ideo in utroque ei subveniunt: sequitur enim, *Et dederunt ei unusquisque ovem unam;* quantum ad animalia: *Et inaurem auream unam*, quantum ad supellectilia. Hoc autem modicum fuisset ad reparationem ipsius, sed Dominus manum suam adhibuit ut ex eis in maiora proficeret; unde sequitur, *Dominus autem benedixit novissimis Iob*, scilicet multiplicando ea: *Magis quam eius principio*, idest quam primae eius prosperitati. Est enim potens facere plus quam intelligimus, aut petamus, ut dicitur *Eph. 3.* Desideraverat autem Iob *supra 29.* ut esset iuxta menses pristinos; sed Dominus ei maiora restituit et in duplo, ut supra dictum est; unde sequitur, *Et facti sunt ei quatuordecim millia ovium:* supra enim dictum est, quod fuit possessio septem millia ovium. *Et sex millia camelorum:* nam primo habuerat tria millia camelorum, ut supra dictum est: fuerant etiam ei quingenta iuga boum; unde hic duplum ponitur, cum dicitur, *Et mille iuga boum*: supra etiam dictum est quod habuerat quingentas asinas; sed hic duplum ponitur, cum sequitur, *Et mille asinae.* Amiserat autem non solum possessiones, sed etiam filios, qui ei restituuntur, sed non in duplum: sequitur enim, *Et fuerunt ei septem filii, et tres filiae:* cuius ratio duplex potest esse, una pertinens ad futuram vitam, quia scilicet filii quos habuerat, non totaliter ei perierant, sed reservabantur in futura vita, cum eo victuri; alia ratio potest esse quantum ad vitam praesentem: nam si duplicatis caeteris rebus, etiam numerus filiorum esset duplicatus, non videretur fortuna domus augmentata fuisse, quia eandem quantitatem in bonis eius unusquisque filiorum habuisset quam prius: et ideo decentius fuit ut proles ei augeretur non numero, sed magis in valore; quod occulte insinuatur in filiabus, quae pulcherrimae fuisse leguntur, quarum pulchritudini etiam nomina convenerunt: sequitur enim: *Et vocavit nomen unius Diem*, scilicet propter claritatem eius: *Et nomen secundae Cassiam*, quae est species aromatica propter suavitatem ipsius: *Et nomen tertiae Cornustibii:* est autem stibium, quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum, secundum illud *4. Reg. 9. Depinxit oculos stibio, et ornavit caput suum:* quod quidem stibium in cornu a mulieribus conservatur, ut habeant ipsum paratum, cum opus fuerit. Unde vocavit eam Cornustibii ad designandam abundantem pulchritudinem oculorum: unde et de pulchritudine earum subditur, *Non sunt autem inventae mulieres speciosae sicut filiae Iob in universa terra:* propter quod etiam datur intelligi quod filii eius erant in virtute praecellentes: sequitur enim, *Deditque eis pater suus haereditatem inter fratres earum*, scilicet ad designandam convenientiam virtutis in utrisque. Quia Iob etiam in proprio corpore fuerat flagellatus, additur ei ad prosperitatis augmentum longitudo dierum; unde sequitur, *Vixit autem Iob post flagella haec centum quadraginta annis.* Et ut intelligatur toto hoc tempore in prosperitate vixisse, subdit, *Et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem:* et ista prosperitas datur intelligi durasse usque ad mortem; unde sequitur, *Et mortuus est senex*, quod pertinet ad diuturnitatem vitae: *Et plenus dierum*, quod pertinet ad vitae prosperitatem. Unde supra ad significandum suam adversitatem, dixit, *Sicut et ego habui menses vacuos.* Unde et per plenitudinem dierum designatur abundantia ipsius, et quantum ad bona fortunae, et quantum ad bona gratiae, quibus perductus est ad futuram gloriam, quae durat per omnia saecula saeculorum, Amen.

FINIS.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN PSALMOS DAVIDIS EXPOSITIO

## PROOEMIUM.

In omni opere suo dedit confessionem sancto, et excelso in verbo gloriae: *Eccles. 47.* Verba haec etc.

*In omni opere suo dedit confessionem sancto, et excelso in verbo gloriae, Eccle. 47.* Verba haec dicuntur de David ad literam; et satis convenienter assumuntur ad ostendendum causam huius operis. In quibus ostenditur quadruplex causa huius, scilicet materia, modus, seu forma, finis, et agens: materia est universalis, quia cum singuli libri canonicae Scripturae speciales materias habeant, hic liber generalem habet totius Theologiae: et hoc est quod dicit Dionysius *3. lib. caelest. hierar. Divinarum odarum, idest psalmorum sacram Scripturam intendere, est, sacras et divinas operationes universas decantare.* Unde signatur materia in hoc quod dicit, *In omni opere*, quia de omni opere Dei tractat. Est autem quadruplex opus Dei, scilicet Creationis: *Ge. 1. cap. Requievit Deus die septimo ab omni opere* etc. Gubernationis: *Iob 5. Pater meus usque modo operatur* etc. Reparationis: *Ioan. 4. Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Glorificationis: *Eccl. 42. Gloria Domini plenum est opus eius.* Et de his omnibus complete in hac doctrina tractatur. Primo de opere creationis: *Psal. 8. Videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum.* Secundo gubernationis: quia omnes historiae veteris testamenti tanguntur in hoc libro: *Psal. 77. Aperiam in parabolis os meum* etc. Tertio reparationis, quantum ad caput, scilicet Christum, et quantum ad omnes effectus gratiae, *Psal. 3. Ego dormivi et somnum* etc. Omnia enim quae ad fidem incarnationis pertinent, sic dilucide traduntur in hoc opere, ut fere videatur evangelium, et non prophetia. Quarto est opus glorificationis: *Psal. 149. Exultabunt sancti in gloria* etc. Et haec est ratio, quare magis frequentatur psalterium in ecclesia, quia continet totam Scripturam. Vel secundum glossam ad dandam nobis spem divinae misericordiae: quia cum peccasset David, tamen per poenitentiam est reparatus. Materia ergo universalis est, quia omne opus. Et quia hoc ad Christum spectat *Colos. 1. In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare*; ideo materia huius libri est Christus, et membra eius. Modus seu forma in sacra Scriptura multiplex invenitur. Narrativus: *Eccles. 42. Nonne Deus fecit sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua?* Et hoc in historialibus libris invenitur. Admonitorius, et exhortatorius, et praeceptivus: Ad Titum *2. Haec loquere et exhortare. Argue cum omni imperio, Tim. 2. Hoc commoneo, testificans coram Deo* etc. Hic modus invenitur in lege, prophetis, et libris Salomonis. Disputativus: et hoc in Iob et in Apostolo: *Iob 13. Disputare cum Deo cupio.* Deprecativus

vel laudativus : et hoc invenitur in isto libro: quia quicquid in aliis libris praedictis modis dicitur, hic ponitur per modum laudis et orationis infra: *Confitebor tibi Domine etc. narrabo* etc. Et ideo dicit, *Dedit confessionem*, quia per modum confitendi loquitur. Et hinc sumitur ratio tituli qui est, incipit liber hymnorum, sen soliloquiorum prophetae David de Christo. Hymnus est laus Dei cum cantico, Canticum autem exultatio mentis de aeternis habita, prorumpens in vocem. Docet ergo laudare Deum cum exultatione. Soliloquium est collocutio hominis cum Deo singulariter, vel secum tantum, quia hoc convenit laudanti, et oranti. Huius Scripturae finis est oratio, quae est elevatio mentis in Deum. Damascenus *lib. 3. Oratio est ascensus intellectus in Deum: Psal. 148. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sed quatuor modis anima elevatur in Deum, scilicet ad admirandum celsitudinem potestatis ipsius : *Isa. 4. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec: Psal. 103. Quam mirabilia sunt opera tua Domine:* et haec est elevatio fidei. Secundo elevatur mens ad tendendum in excellentiam aeternae beatitudinis : *Iob 2. Levare poteris faciem tuam absque macula, eris stabilis et non timebis: miseriae quoquae oblivisceris, et quasi fulgor meridianus consurget tibi:* et haec est elevatio spei. Tertio elevatur mens ad inhaerendum divinae bonitati et sanctitati : *Isa. 51. Elevare, consurge Hierusalem* etc. et haec est elevatio caritatis. Quarto elevatur mens ad imitandum divinam iustitiam in opere: *Thren. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in coelos:* et haec est elevatio iustitiae. Et iste quadruplex modus insinuatur, cum dicit, *Sancto et excelso:* quia duo ultimi modi elevationis pertinent ad hoc quod dicit, *Sancto*, duo primi ad hoc quod dicit, *Excelso.* Et quod hoc sit finis Scripturae huius, habetur in Psalmo. Proinde, *Excelso: Psal. 112. A solis ortu :* et post, *Excelsus super omnes* etc. Secundo de *Sancto: Psal. 95. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est.* Ideo Gregorius *1. Hom.* dicit *super Ezech.* quod vox psalmodiae, si cum intentione cordis agitur, omnipotenti Deo per eam ad cor iter paratur, ut intentae animae aut prophetiae mysteria, aut gratiam compunctionis infundat. Finis ergo est, ut anima coniungatur Deo, sicut sancto et excelso. Auctor autem huius operis significatur, ibi, *In verbo gloriae.* Notandum autem, quod aliud est in sacra Scriptura, et aliud in aliis scientiis : nam aliae scientiae sunt per rationem humanam editae, haec autem Scriptura per instinctum inspirationis divinae : *2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt* etc. Et ideo lingua hominis se habet in Scriptura sacra, sicut lingua pueri dicentis verba quae alius ministrat : *Psal. 44. Lingua mea calamus* etc. 2. *Reg. 23. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.* Et ideo dicit, *In verbo Domini, vel gloriae*, quae per revelationem dicuntur : unde *3. Regum 20. Percute me in sermone Domini*, idest in revelatione divina. Et potest dici haec Scriptura verbum gloriae quatuor modis: quia quadrupliciter se habet ad gloriam, scilicet quantum ad causam a qua fluit, quia a verbo glorioso Dei haec doctrina emanavit : *2. Pe. 1. Voce delapsa huiuscemodi a magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus* etc. Quantum ad continentiam, quia in isto libro gloria Dei continetur quam annunciat: *Ps. 96. Annunciate inter gentes gloriam eius.* Quantum ad modum emanationis : gloria enim idem est quod claritas: et revelatio huius prophetiae gloriosa fuit, quia aperta. Triplex est enim modus prophetiae. Per sensibiles res : *Dan. 5. Apparuerunt digiti, quasi hominis scribentis etc. rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Per similitudines imaginarias, sicut patet de somnio Pharaonis et interpretatione facta per Ioseph, *Genes. 41. Isa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* etc. Per ipsius veritatis manifestationem. Et talis modus prophetiae convenit Danieli, qui solius Spiritus sancti instinctu sine omni exteriori adminiculo suam edidit prophetiam. Alii namque prophetae, sicut dicit Augustinus, per quasdam rerum imagines atque verborum tegumenta, scilicet per somnia et visiones, facta et dicta prophetaverunt: sed iste, unde doctus fuit de veritate. Unde *2. Reg. 23.* cum diceret David, *Spiritus Domini locutus est* etc. Statim addidit, *Sicut lux aurorae oriente sole mane absque nubibus rutilat.* Sol est Spiritus sanctus illuminans cor-

da prophetarum, qui quandoque sub nubibus apparet, quandoque per duos modos praedictos prophetis illucet, quandoque sine nubibus, sicut hic. Et ad hoc adduci potest quod dicitur *2. Reg. 6. Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est.* Et quia per eam nos invitat ad gloriam, *Psal. 115. Gloria haec est omnibus sanctis eius*, bene praemittitur, *Quam gloriosus* etc. Patet ergo materia huius operis, quia de omni opere Domini. Modus, quia deprecativus et laudativus. Finis, quia ut elevati coniungamur excelso et sancto. Auctor, quia ipse Spiritus sanctus hoc revelans. Sed antequam ad literam veniamus circa hunc librum, tria in generali consideranda sunt. Primo de translatione huius operis. Secundo de modo exponendi. Tertio de eius distinctione. Translationes sunt tres. Una a principio ecclesiae terrenae tempore Apostolorum, et haec vitiata erat tempore Hieronymi propter scriptores. Unde ad preces Damasi Papae Hieronymus psalterium correxit, et hoc legitur in Italia. Sed quia haec translatio discordabat a Graeco, transtulit rursus Hieronymus ad preces Paulae de Graeco in Latinum, et hoc Damasus Papa fecit cantari in Francia, et concordat de verbo ad verbum cum Graeco. Post quidam Sophronius aliquando disputans cum Iudaeis cum dicerent Iudaei aliqua non sic se habere, sicut ex secunda translatione psalterii introduxerat, dictus Sophronius rogavit Hieronymum, ut psalterium de Hebraeo in Latinum transferret. Cuius petitioni annuit Hieronymus, quae translatio concordat omnino cum Hebraeo, sed non cantatur in aliqua ecclesia, habetur tamen a multis. Circa modum exponendi sciendum est, quod tam in psalterio quam in aliis prophetiis exponendis evitare debemus unum errorem damnatum in quinta synodo. Theodorus enim Mopsuestenus dixit, quod in sacra Scriptura et prophetiis nihil expresse dicitur de Christo, sed de quibusdam aliis rebus, sed adaptaverunt Christo: sicut illud *Psalm. 21. Diviserunt sibi vestimenta mea* etc. non de Christo, sed ad literam dicitur de David. Hic autem modus damnatus est in illo concilio: et qui asserit sic exponendas Scripturas, haereticus est. Beatus ergo Hieronymus *super Ezech.* tradidit nobis unam regulam quam servabimus in Psalmis, scilicet quod sic sunt exponendi de rebus gestis, ut figurantes aliquid de Christo vel ecclesia. Ut enim dicitur *1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis.* Prophetiae autem aliquando dicuntur de rebus quae tunc temporis erant, sed non principaliter dicuntur de eis, sed inquantum figura sunt futurorum: et ideo Spiritus sanctus ordinavit quod quando talia dicuntur, inserantur quaedam quae excedunt conditionem illius rei gestae, ut animus elevetur ad figuratum. Sicut in Daniele multa dicuntur de Antioco in figuram Antichristi: unde ibi quaedam leguntur quae non sunt in eo completa, implebuntur autem in Antichristo, sicut etiam aliqua de regno David et Salomonis leguntur, quae non erant implenda in talium hominum regno, sed impleta fuere in regno Christi, in cuius figura dicta sunt, sicut *Psal. 71. Deus iudicium* etc. qui est secundum titulum de regno David, et Salomonis, et aliqua ponit in eo quod excedit facultatem ipsius, scilicet, *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna:* et iterum, *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos* etc. Exponitur ergo psalmus iste de regno Salomonis, inquantum est figura regni Christi, in quo omnia complebuntur ibi dicta. Dictio eius in prima est, quod sunt centum quinquaginta psalmi et competit mysterio, quia componitur numerus iste ex 70 et 80. Per 7 a quo denominatur 70 significatur decursus huius temporis quod peragitur septem diebus; per 8 vero a quo denominatur 80 status futurae vitae. Octava enim secundum glossam est resurgentium, et significat quod in hoc libro tractantur ea quae pertinent ad decursum praesentis vitae, et ad gloriam futurae. Item per septem significatur vetus testamentum. Patres namque veteris testamenti septenario serviebant: observabant enim septimum diem, septimam septimanam, septimum mensem, et septimum annum septimae decadis, qui dicitur Iubilaeus. Per octo vero significatur novum testamentum: celebramus enim diem octavum, scilicet diem Dominicum propter solemnitatem dominicae resurrectionis, et in hoc libro complentur mysteria veteris et novi testamenti. Secunda distinctio est secundum quosdam, qui dicebant quod psalterium dividitur in quin-

que libros, per quinque psalmorum distinctiones, quae fiunt per fiat fiat: et hoc in Graeco, ubi Hebraeus habet amen, amen. Et in hoc notatur finis libri cuiuslibet secundum eos, et hoc est primo *in psalm. 40. Beatus qui intelligit.* Item *in 71. Deus iudicium tuum.* Item *in 88. Misericordias Domini.* Item *in 107* scilicet in secundo. *Confitemini:* et sunt quinque libri. Sed haec distinctio non est apud Hebraeos, sed pro uno libro habetur *Act. 1. Sicut scriptum est in libro psalmorum 68. Fiat commoratio* etc. Quod autem dicit, *fiat, fiat,* vel amen, amen, non refertur ad finem libri, quia in aliis libris multoties hoc ponitur, nec est finis libri. Tertia distinctio est, quia psalmi distinguuntur in tres quinquagenas: et haec distinctio comprehendit triplicem statum populi fidelis, scilicet statum poenitentiae: et ad hunc ordinatur prima quinquagena, quae finitur in *Miserere mei Deus,* qui est psalmus poenitentiae. Secunda iustitiae, et haec consistit in iudicio, et finitur in *Psal. 100. Misericordiam et iudicium.* Tertia laudem gloriae concludit aeternae; et ideo finitur, *Omnis spiritus laudat Dominum.* Sed circa ordinem psalmorum sciendum est, quod psalmi quidam tangunt historias, sed non sunt ordinati secundum ordinem historiae. Nam *Diligam te Domine,* pertinet ad historiam Saulis, sed *Domine quid multiplicati sunt,* ad historiam pertinet Absalonis; et haec est posterior: unde aliquid aliud significant praeter historiam tantum. Prima ergo quinquagena pertinet ad statum poenitentiae, et ideo figuraliter tractatur in ea de tribulationibus et impugnationibus David, et liberatione eius. Et ut divisio fiat secundum literam, David in regno suo existens contra duplicem impugnationem vel persecutionem orat. Primo contra eam quae fuit contra totum populum Dei: et hoc in quinta decade: *Psal. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Universaliter autem iustus in persona sua dupliciter affligitur: quandoque a temporaliter persequentibus, quandoque ab aliquibus iniuste viventibus: *2. Pet. 2. Animam iusti iniquis operibus cruciabant: Ps. 118. Defectio tenuit me* etc. Et ideo primo ponit psalmos pertinentes ad primam persecutionem David, secundum quod significat aliquid contra Christum et ecclesiam. Secundo ad secundam tribulationem pertinentes, in quarta decade: *Ps. 31. Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Item David in regno suo existens duplicem tribulationem passus est, quia a specialibus personis, et a toto populo. Primo ergo ponuntur psalmi contra personam. Secundo psalmi, in quibus orat contra secundam, et hoc in tertia decade, scilicet *Deus Deus.* A specialibus autem personis duabus persecutionem passus est, scilicet ab Absalone, et a Saule. Et per hoc significatur persecutio quam sancti patiuntur, vel a domesticis, vel ab extraneis: sic Christus passus est a Iuda, et a Iudaeis. Primo ergo ponuntur psalmi contra primum. Secundo contra secundum, et hoc in secunda decade: *Psal. 2. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.* Primo ergo agendum est de prima decade, qua praemittitur psalmus iste, scilicet *Beatus vir* etc.

# INCIPIT EXPOSITIO EIUSDEM

## IN PRIMUM PSALMUM DAVIDIS

### a PSAL. I.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit. Sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.

b Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet.

c Et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur. Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae. Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.

### a PSAL. I.

Hic Psalmus distinguitur contra totum opus: non enim habet titulum, sed est quasi titulus totius operis. Sed et David psalmos composuit per modum orantis, qui non servat unum modum, sed secundum diversas affectiones et motus orantis se habet. Hic ergo primus psalmus exprimit affectum hominis elevantis oculos ad totum statum mundi, et considerantis quomodo quidam proficiunt, quidam deficiunt. Et inter beatos Christus fuit primus; inter malos Adam. Sed notandum quod in uno omnes conveniunt, et in duobus differunt. Conveniunt in beatitudine, quam omnes quaerunt; differunt autem in processu ad beatitudinem, et in eventu huius, quia quidam perveniunt, et quidam non. Dividitur ergo psalmus iste in partes duas. In prima describitur processus omnium ad beatitudinem. In secunda eventus, ibi, *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus.* Circa primum duo facit. Primo tangitur processus. Secundo bonorum, ibi, *Sed in lege Domini voluntas eius etc.* In processu malorum tria consideranda sunt. Primo deliberatio de peccato, et hoc in cogitatione. Secundo consensus et executio. Tertio introductio aliorum ad simile; et hoc est pessimum. Et ideo primo ponit consilium malorum, ibi, *Beatus vir etc.* Dicit autem *qui non abiit*, quia quandiu homo deliberat, est in eundo. Secundo ponit consensum et executionem dicens, *Et in via peccatorum*, idest in operatione: *Prover. 4. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi currunt. Non stetit*, scilicet consentiendo et operando. Dicit autem *impiorum*, quia impietas est peccatum contra Deum, et *peccatorum* contra proximum. *Et in cathedra*, ecce tertium, idest inducere alios ad peccandum. In cathedra ergo quasi magister, et alios docens peccare, et ideo dicit *pestilentiae*, quia pestilentia est morbus infectivus: *Pro. 29. Homines pestilentes dissipant civitatem.* Qui ergo sic vadit, non est beatus, sed qui contrario modo. Beatitudo autem hominis in Deo est: *Ps. 143. Beatus populus cuius est Dominus Deus eius* etc. Est ergo processus rectus ad beatitudinem primo, ut subdamus nos Deo, et hoc dupliciter. Primo per voluntatem obediendo mandatis eius; et ideo dicit, *Sed in lege Domini:* et hoc specialiter pertinet ad Christum: *Ioa. 8. Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Convenit similiter et cuilibet iusto, et dicit *in lege* per dilectionem, non sub lege per timorem: *1. Tim. 1. Iusto non est lex posita.* Secundo per intellectum iugiter meditando; et ideo dicit, *In lege eius meditabitur die, ac nocte,* idest continue vel certis horis diei et noctis, vel in prosperis et adversis.

b Describitur in hac parte felicitatis eventus: et primo ponit diversitatem eius; secundo assignat rationem, ibi, *Quoniam novit Dominus etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit eventum bonorum. Secundo malorum, ibi, *Non sic impii etc.* Circa e-

ventum bonorum utitur similitudine : et primo proponit eam; secundo adaptat, ibi, *Et omnia quaecunque faciet etc.* Similitudo namque sumitur a ligno, in quo tria considerantur, scilicet plantatio , fructificatio , et conservatio. Ad plantationem vero necessaria est terra humectata ab aquis , alias aresceret ; et ideo dicit : *Quod plantatum est secus decursus aquarum,* idest iuxta fluenta gratiarum *: Ioa. 7. cap. Qui credit in me , flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Et qui iuxta hanc aquam radices habuerit, fructificabit bona opera faciendo : et hoc est quod sequitur, *Quod fructum suum dabit: Gal. 5. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium , pax , patientia, longanimitas, bonitas, benignitas etc. In tempore suo,* scilicet modo quando est tempus operandi : *Gal. ult. Dum tempus habemus , operemur bonum ad omnes ;* sed nec arescit, immo conservatur. Quaedam arbores conservantur in substantia , sed non in foliis : quaedam etiam in foliis conservantur , sic et iusti : unde ait, *Et folium eius non defluet,* idest nec in minimis operibus et exterioribus deseruntur a Deo: *Prov. 11. Iusti autem quasi virens folium germinabunt.* Deinde cum dicit, *Et omnia*

c Adaptat similitudinem , quia beati in omnibus prosperabuntur , et hoc quando consequentur finem intentum , quantum ad omnia quae desiderant , quia iusti perveniunt ad beatitudinem : *Ps. 116. O Domine salvum me fac , o Domine bene prosperare , etc.* Eventus malorum contrarius est , quod describitur , ibi, *Non sic etc.* Et circa hoc duo facit. Primo ponit similitudinem. Secundo adaptat , ibi , *Non resurgent.* Sed nota quod hic praemittit *non sic* et *non sic* bis , propter maiorem certitudinem : *Gen. 41. Quod secundo vidisti , indicium firmitatis est.* Vel *non sic* faciunt in processu , ideo *non sic* recipiunt in eventu , *Luc. 16. Recepisti bona in vita tua , et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Comparantur vero proprie pulveri, qui tria habet contra ea quae de viro iusto sunt dicta , quia non adhaeret terrae pulvis , sed est in superficie. Lignum vero plantatum est radicitus. Item lignum in se compactum est. Item humidum est. Sed pulvis in se divisus, siccus, et aridus est, per quem signatur, quia boni adunati sunt charitate sicut lignum: *Ps. 117. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Mali veri divisi: *Prov. 13. Inter superbos semper iurgia sunt.* Item boni inhaerent radicitus spiritualibus , et bonis divinis , sed mali in exterioribus bonis sustentantur. Item sunt sine aqua gratiae : *Gen. 3. Pulvis es etc.* Et ideo omnis malitia eorum defluet , sicut defluit folium de vinea et de ficu, *Isa. 34.* De bonis vero dicitur hic quod folium eius non defluet : *Luc. 21. Capillus de capite vestro non peribit.* Sed de istis malis dicitur quod totaliter proiicientur *a facie*, idest bonis superficialibus , quos ventus , idest tribulatio *proiiciet a facie terrae: Iob 4. Vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse , et spiritu oris eius esse consumptos.* Deinde adaptat similitudinem, ibi, *Non resurgent*, quia sicut pulvis sunt. Sed contra *2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Item 1. *Cor. 15. Omnes quidem resurgemus.* Ad quod dicendum, quod dupliciter hoc potest legi. Resurgere enim proprie in iudicio dicitur homo, quando causa sua sublevatur per sententiam iudicis. Isti ergo non resurgunt , quia sententia pro eis in iudicio non fertur, sed potius contra: unde alia litera habet *non stabilientur.* Boni vero sic: quia licet afflicti sint ex peccato primi parentis, tamen habebunt sententiam pro se. *Neque peccatores* congregabuntur *in consilio iustorum.* Quia boni congregabuntur in vitam aeternam , ad quae mali non admittentur. Vel dicendum , quod hoc intelligitur de reparatione iustitiae ad quam reparantur proprio iudicio : *1. Cor. 11. Si nosmetipsos iudicaremus , non utique iudicaremur.* Et quantum ad hoc dicit , *Non resurgent in iudicio,* scilicet proprio, de quo dicitur *Eph. 5. Exurge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Quidam vero reparantur consilio bonorum, et isto modo etiam mali non resurgunt a peccato. Vel *impii*, idest infideles, non resurgunt in iudicio discussionis, et examinationis, quia secundum Gregorium quidam condemnabuntur, et non iudicabuntur, ut infideles: quidam non iudicabuntur, nec condemnabuntur, scilicet apostoli et viri perfecti : quidam iudicabuntur, et condemnabuntur, scilicet mali fideles. Sic ergo fideles non resurgent in iudicio discussionis, ut examinentur: *Ioa. 3. Qui non credit, iam iudicatus est.* Peccatores vero non resurgent in consilio iustorum, ut scilicet iudicentur, et non condemnentur. Deinde ratio redditur quare huiusmodi non resurgent in iudicio: *Quoniam novit etc.* Et proprie loquitur, quia quando aliquis scit quod perditum est, reparatur; quando vero nescit, non reparatur. Iusti autem per mortem dissolvuntur, sed tamen Deus novit eos: *2. Tim.2. Cognovit Deus qui sunt eius,* novit scilicet notitia approbationis , et ideo reparantur ; sed quia non novit viam impiorum notitia probationis, ideo *iter impiorum peribit: Ps. 118. Erravi sicut ovis quae periit : quaere servum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus : Psal. 34. Fiant viae illorum tenebrae et lubricum etc.*

## a PSAL. II.

Quare fremuerunt gentes , et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.

b Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.

c Qui habitat in caelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

d Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Syon montem sanctum eius , praedicans praeceptum eius.

e Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

f Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

g Reges eos in virga ferrea , et tanquam vas figuli confringes eos.

h Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

i Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.

k Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

## a PSAL. II.

Praemisso psalmo, in quo quasi universaliter descripsit statum et processum humani generis, in hoc procedit ad materiam propriam, scilicet tribulationes suas signantes tribulationes Christi: et circa hoc tria facit. Primo implorat divinum auxilium contra tribulationes imminentes orando. Secundo gratias agit exauditus, et hoc in octavo psalmo: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra?* Tertio ostendit fiduciam inde conceptam, et hoc in decimo psalmo, *In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer.* In tribulationibus autem potest homo duo petere. Primo petit, ut liberetur. Secundo, ut hostes deprimantur; et hoc facit in septimo psalmo, *Domine Deus meus in te.* Circa primum duo facit. Primo implorat auxilium contra tribulantes. Secundo contra decipere molientes, et hoc in quinto psalmo, *Verba mea.* Circa primum tria facit. Primo commemorat machinationes insurgentium contra ipsum. Secundo implorat auxilium contra iam insurgentes, et hoc in tertio psalmo, *Domine quid multiplicati.* Tertio confidens se exauditum invitat alios ad confidendum de Deo, et hoc in quarto psalmo, *Cum invocarem.* Sed attendendum est, quod totus iste psalmus nihil continet de oratione, sed de malitia insurgentium. Circa quem psalmum in generali sciendum est, quod de eo fuit duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod idem est cum primo psalmo, et haec fuit Gamalielis. Et propter hoc dicebant, quod sicut ille psalmus, *Beatus vir qui etc.* ita iste quasi pars ipsius finit: *Beati omnes qui confidunt in eo*, ut sit quasi circularis. Sed contra hoc sunt duo. Primo quia sic non essent centum quinquaginta psalmi. Sed ad hoc respondetur, quia addunt unum qui invenitur in pluribus psalteriis: et incipit, *Pusillus eram* etc. Et secundo, quia in hebraeo psalmi secundum ordinem literarum ordinantur ut quotus sit psalmus statim occurrat: nam in primo est Aleph, ad designandum quod sit primus: in secundo est Beth, ut designetur quod sit secundus in tertio est Gimel, et sic est in aliis. Quia ergo Beth, quae litera est secunda in ordine alphabeti, ponitur in principio huius psalmi, patet quod est secundus psalmus, et hoc tenet Augustinus. Dicendum est ergo, quod psalmus iste in ordine psalmorum est secundus, sed primus in titulo: et hic est titulus eius. Psalmus proprie dicitur a psalterio, quod est quoddam instrumentum decachordum, quod manu tangitur: unde dicitur a psallere, quod est manu tangere, et habet tactum a superiori: unde psalmus proprie dicitur canticum, quod David cantabat, vel cantari faciebat ad psalterium. Mystice autem per decachordum psalterium signatur lex Dei, quae in decem praeceptis consistit, et oportet quod tangatur manu, idest bona operatione, et a superiori, quia praecepta sunt implenda propter spem aeternorum, alias tangeretur ex inferiori. Est ergo psalmus David, quia ab eo compositus, et de regno eius in figura regni Christi agit. Per David enim Christus convenienter significatur, quia David dicitur manu fortis, et Christus Dei virtus, *1. Cor. 1.* Dicitur etiam David aspectu desiderabilis, et Christus splendor gloriae, *Heb. 1. Ipse est in quem desiderant angeli prospicere, 1. Pet. 1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Psalmus iste dividitur in duas partes. In prima narratur machinatio molientium contra regnum David, et Christi. In secunda ponitur eorum repressio, ibi, *Qui habitat in caelis irridebit eos.* Circa primum tria facit. Primo narrat machinantium rebellionem. Secundo contra quem machinatur. Tertio propositum machinantium. Secundum ibi, *Adversus Dominum.* Tertium ibi, *Dirumpamus vincula eorum.* Primo ergo historialiter sciendum, quod quando populus molitur rebellionem, primo surgit murmur in populo, post accedit auxilium magnatum ad perficiendum. Primo ergo ponit conatum populi murmurantis. Secundo auxilium magnatum, ibi, *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum.* In populo autem sunt quidam minus habentes de ratione, qui sunt impetuosi: quidam plus, qui cauti dicuntur. Primi non moventur sensu ad rebellandum, sed magis impetu; et ideo dicit de his, *Fremuerunt*, quod est bestiarum: *Prov. 19. Sicut fremitus leonis ita et regis ira.* Secundi moventur consilio: et ideo de his dicit, *Meditati sunt inania. Quia vanae sunt cogitationes hominum, Psal. 93.* Populus est multitudo hominum iuris consensu sociata. Et ideo Iudaei dicuntur populus, quia cum lege et sub lege Dei sunt. Alii dicuntur gentes, quia non sunt sub lege Dei. Vel ad literam. In regno David erant gentes subiugatae, et Iudaei fideles, et utrique moliebantur contra eum, ideo dicit, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania.* Non interrogat, sed increpat, sicut ibi *Sap. 5. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis?* Item minores nihil per se facere possent, nisi haberent auxilium maiorum: unde ponit quosdam praebentes auxilium: primo per potentiam adiuvando: et quantum ad hoc dicit, *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius;* quasi dicat, illi *fremuerunt*, sed alii *astiterunt*, idest affuerunt huic malitiae. Item quidam praebuerunt auxilium per sapientiam consulendo; et quantum ad hoc dicit, *Convenerunt in unum*, scilicet ad consiliandum. Litera Hieronymi habet *tractabant pariter: Hier. 5. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, et iudicium Dei sui* etc. Deinde cum dicit, *Adversus Dominum, et adversus Christum eius etc.* ponit patientes rebellionem. Ostendit enim contra quos fuit rebellio, quia contra Dominum, et contra regem eius: Reges enim dicuntur Christi, idest uncti: *Psal. 5. Nolite tangere Christos meos.* Qui ergo rebellat regi instituto per Deum, rebellat etiam Deo: *Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et ideo dicit, *Adversus Dominum, et adversus Christum eius: Rom. 8. Non te abiecerunt, sed me.* Mystice haec dicta sunt sub similitudine David de

Christo: *Act. 4. Domine tu dixisti per os patris nostri pueri tui David, quare fremuerunt gentes* etc. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti* etc. Et secundum hoc intelligendum est, quod gentes, scilicet milites, convenerunt contra Christum: *Et populi*, scilicet Iudaei, *meditati sunt inania*, credentes eum occidere totaliter, scilicet quod non resurgeret: *Et reges terrae*, scilicet Herodes Ascalonita prior qui occidit infantes: et posterius Herodes Anthippas eiusdem filius qui Pilato consensit: *Et principes*, idest Pilatus, ut ponatur plurale pro singulari per synecdochem. Vel principes sacerdotum *convenerunt in unum*, idest unam pravam voluntatem, adversus Dominum et adversus Christum eius

b Consequenter ponit propositum machinantium: unde dicit, *Dirumpamus vincula eorum* etc. Quod proprie dicitur, nam regis dominium dicitur iugum: *3. Reg. 12.* dicitur ad Roboam, quod alleviaret de iugo quod imposuerat eis Salomon. Sicut enim boves iunguntur iugo ad opus, ita homines ad dominium regni. Iugum autem removeri non potest, nisi solvantur vincula. Vincula autem sunt in regno illis quibus firmatur potestas regia in regno, sicut milites, castra, et arma. Primo ergo oportet ista dissolvere, et tunc removere iugum. Spiritualiter in Christo est iugum lex charitatis: *Matth. 11. Iugum meum suave est* etc. Vincula sunt virtutes, spes, fides, charitas: *Ephes. 4. Soliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis: Eccl. 6. Vincula illius alligatura salutaris.* Quod ergo conscientia hominis non sit sub iugo legis Christi, non potest esse nisi prius rumpantur haec vincula: quod faciunt qui dicunt Deo, *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* etc. *Iob 12. Hier. 2. A saeculo confregisti iugum, dirupisti vincula, et dixisti, non serviam.* Vel hoc dicitur in persona David a Christo ad suos servos: Glossa quasi ipsi ita moliuntur: sed o mei *dirumpamus* etc. sed non facit ad propositum. Deinde cum dicit, *Qui*

c Ponitur oppressio molientium in regnum David. Et circa hoc duo facit. Primo ostenditur quomodo opprimuntur a Domino. Secundo quomodo a Christo eius, ibi, *Ego autem constitutus* etc. Contra hos, scilicet Dominum et contra Christum eius moliti sunt, ut dictum est. Circa primum nota quatuor, scilicet irrisionem, subsannationem, iratam locutionem, et conturbationem. Nam sicut aliquis puer nullius virtutis et potestatis, si pugnat contra gigantem, irrideatur a gigante, ita si aliquis nullius potestatis moliri vult contra eum qui habitat in caelis, irridetur ab eo: *Iob 35. Suspice caelum et intuere et contemplare aethera, quod altius te sit. Si peccaveris quid ei nocebit?* Et si perseveret impotens, tunc ille qui est potentior reprehendit et subsannat. Irrisio namque fit bucca secundum Hieronymum in glossa, sed subsannatio rugato naso, atque contracto, ex quadam scilicet levi indignatione: *Prov. 1. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit.* Si autem nullo modo desistat, procedit ad vindictam; et ideo dicit, *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, idest proferet sententiam vindictae contra eos: nam in Deum non cadit ira, sed quod est creaturae, aliquando attribuitur creatori per antropopatos, quod est humana propassio: *Ps. 6. Domine ne in ira tua* etc. Ultimo autem sententia executioni mandatur; et ideo dicit, *Et in furore tuo conturbabis eos.* In corde et in anima in aeterna poena, hoc est sua virtute punies eos: *Iob 17. Cum se moverit ad quaerendum panem, novit; quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies: terebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum.* Haec quatuor erunt in iudicio. Quia irridebit statuens eos a sinistris: *Matth. 25. Subsannabit dicens: Esurivi* etc. Improperando: *Loquetur in ira.* Sententiando: *Ite maledicti in ignem aeternum* etc. Conturbabit, sententiam exequendo: *Ibunt hi in supplicium aeternum* etc. Sequitur consequenter ostendere, quomodo comprimantur a Christo eius, cum dicit, *Ego autem.*

d Insurrexerunt autem contra Christum David, populus, gentes, et principes. Primo ergo ostendit, quomodo Christus se habeat ad populum. Secundo quomodo ad gentes, ibi, *Dominus dixit ad me.* Tertio quomodo ad reges, ibi, *Et nunc reges intelligite* etc. Dicit ergo, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius etc.* Sciendum est autem, quod constitutus est rex a Deo in Hierusalem, et sua praedicatione reduxit populum; quasi dicat, Illi sic faciunt, sed intentum suum habere non possunt, quia sum constitutus, idest stabilitus rex super Syon, idest super populum Indaeorum, qui erat in Hierusalem, cuius arx est Syon: *Ab eo*, scilicet a Deo: *Ps. 117. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo: Iob 17. Pone me Domine iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me. Sum autem constitutus rex super Syon montem sanctum eius*, non propter me, sed ut regam populum secundum legem Dei; et ideo dicit, *Praedicans praeceptum eius.* Mystice autem constitutus est rex, secundum illud *Hier. 23. Regnabit rex, et sapiens erit etc. Syon*, idest ecclesiam Iudaeorum, quae dicitur mons sanctus, quia prius recepit radios solis: *Matt. 14. Non sum missus nisi ad oves* etc. *2. Re. 19. An ignoro me hodie regem factum super Israel? Praedicans praeceptum*, idest evangelium. Vel illud speciale praeceptum de quo dicitur *Ioa. 13. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem:* et eiusdem *15. Hoc est praeceptum meum* etc. Hoc autem praeceptum personaliter praedicavit Iudaeis, in persona scilicet propria: *Matth. 4. Circuibat Iesus totam Galilaeam docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni: Ro. 5. Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei* etc. Deinde cum dicit, *Dominus*

e Ex eadem historia ostenditur, quomodo se habet ad gentes; et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod Christo convenit habere potestatem super gentes. Secundo ponit usum potestatis, *Reges eos.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quo iure potestas sibi competit super gentes. Secundo ponit acceptionem ipsius potestatis, ibi, *Dabo tibi gentes.* Dicit ergo, *Dominus dixit ad me*, hoc non usquequaque completur de David; et ideo intelligitur de Christo cui competit dominium super gentes duplici iure, scilicet haereditario, et meritorio. Primo ergo ponit ius. Secundo meritum, ibi, *Postula* etc. Est autem Christus rex universorum, sicut dicitur *Hebr. 1.* et hoc competit ei, quia filius: *Gal. 4. Si filius, et haeres per Deum:* et ideo agit de aeterna

generatione Christi, in qua tria notantur. Primo modus generationis. Secundo proprietas filiationis. Tertio aeternitas filii generati. Modus ostenditur in hoc quod dicit, *Dominus dixit*, quia scilicet processit per modum intellectus. Uniuscuiusque generatio est per modum eius. Modus divinae naturae non est carnalis, sed intellectualis, immo est ipsum intelligere. Secundo generatio est processio secundum originem quae invenitur in re intelligibili, quae est secundum conceptionem verbi procedens ab intellectu : et hoc est dicere verbum in corde; et ideo dicit, *Dominus dixit*, quasi dicendo me generavit. Unde Filius est verbum quod Pater dixit, idest gignendo produxit. Proprietas vero ostenditur in hoc, quod dicit, *Filius meus*, non adoptivus, sicut illi, de quibus dicitur *Io. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. sed proprietate naturae. Unde *Filius meus es tu* naturalis, singularis, consubstantialis: *Mat. 17. Hic est Filius meus dilectus.* Aeternitas ponitur in hoc, quod subiungit, *Ego hodie genui te*, idest aeternaliter : non enim est nova, sed aeterna generatio; et ideo dicit, *Hodie genui te:* quia hodie praesentiam signat, et quod aeternum est, semper est. Dicit etiam *genui te*, et non genero, ad designandum generationis perfectionem: cum enim generatio sit sine motu, simul est generari et generatum esse. Dicit etiam *Hodie*, ut designet praesentialitatem cum claritate quae conveniunt Christo, qui et lucem inhabitat inaccessibilem, *1. Tim. 6.* Et qui vere est in quo nihil est praeteritum, vel futurum, vel obscurum, sed clarum.

f Supra positum est privilegium aeternae generationis, ex quo Christo competit dominium gentium iure haereditario; hic ostendit, quomodo acquisivit per suum meritum. Ubi considerandum est, quod sicut in naturalibus formae infunduntur secundum dispositionem materiae, ita Deus gratuita dona largitur: *Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle et perficere* etc. et ideo vult ut recipiamus dona petendo et orando: hoc exemplum voluit ostendere per Christum, quia voluit quod peteret, quod sibi iure haereditario competebat. Haec autem postulatio pro gentibus vocandis potest intelligi dupliciter. Primo per orationem, quia pro eis oravit : *Io. 17. Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Item per passionem: *Hebr. 9. Ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem recipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis:* quae quidem postulatio non fuit vacua, quia in omnibus *exauditus est pro sua reverentia, Heb. 5.* Unde subditur concessio, cum subditur, *Et dabo tibi gentes.* Ubi notandum est, quod ad Christum nullus venit nisi dono Patris: *Io. 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Datio autem gentilium est pure donum: nam Iudaei quasi redditi sunt, quia ante dati erant : *Ro. 15. Dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis etc.* et ideo dicit, *Dabo tibi gentes*, ut scilicet subiiciantur tibi, et sint tua haereditas: *Phil. 2. Ut in nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum: Ps. 115. Haereditas mea praeclara est mihi.* Item non habet eas sicut ministri habent, ut Petrus, vel Paulus, sed sicut dominus: *Heb. 5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quae dicenda erant, Christus vero tanquam filius in domo sua, quae domus sumus nos;* et ideo dicit, *Possessionem tuam: Isa. 49. Ut possideres haereditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt exite, et his qui sunt in tenebris, revelamini. Terminos terrae.* quia per totum mundum aedificata est ecclesia. Sed postmodum per Nicolaum haereticum, et Mahumetum ad infidelitatem redierunt. Vel expectatur fundanda: *Isa. 49. Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et faeces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae: Heb. 1. Quem constituit haeredem universorum* etc. Deinde cum dicit, *Reges*

g Ponitur executio potestatis : et secundum historiam posset exponi, quia erat constitutus rex Iudaeorum, ideo et dominabatur gentibus aliquibus quas subiugaverat in figura universalis dominii Christi. Sed quia aliter reguntur cives, nam cives reguntur regimine misericordiae, aliter hostes subiugati, scilicet regimine severae iustitiae; ideo dicit, *In virga ferrea.* Sed melius est ut referatur ad dominium spirituale Christi: necesse est enim quod qui regit, habeat virgam: *Virga directionis virga regni tui.* Ad hoc enim necessarii sunt reges, ut virgam habeant disciplinae qua puniant delinquentes. Et quia Christus constitutus est rex a Deo ad populum regendum, ideo dicit, *Reges eos in virga ferrea.* Et addit, *Ferrea*, ad designandum inflexibilem iustitiae disciplinam. Virga namque qua regebantur Iudaei, non fuit ferrea, quia frequenter excusserunt se adorando idola. Sed haec est virga ferrea qua regit gentes, quia non recedent amplius a dominio Christi, quando plenitudo gentium intraverit: *Apoc. 12. Mulier peperit masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et tanquam vas figuli confringes eos*, exponitur per illud *Hier. 18. Descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conversusque fecit illud vas alterum.* Et post, *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Quando enim vas figuli est recens, frangitur de facili a mala forma, et restituitur in bonam. Iudaei conversi erant, unde non erant confringendi : eadem enim est fides eorum et nostra. Gentiles autem erant idolatrae: et ideo erant confringendi, ut aliam formam acciperent, idest aliam fidem veram. Vel aliter: *In virga ferrea*, bonos scilicet, *Et tanquam vas figuli*, malos qui finaliter conterendi sunt: *Luc. 2. Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum: Isa. 30. Subito dum non speratur, veniet contritio eius, et comminuentur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida* etc. ut sic, *qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc, Apoc. ult.* Deinde cum dicit, *Et nunc*

h Ostenditur quomodo se habeat ad reges. Reprimit autem eos admnonendo et attrahendo ad servitutem Dei. Circa hoc ergo duo facit. Primo ponit admonitionem. Secundo assignat admonitionis rationem, ibi, *Ne quando irascatur.* Monet autem ad tria. Ad doctrinae veritatem, ad obsequii humilitatem, ad correctionis susceptionem. Secundum, ibi. *Servite.* Tertium, ibi, *Apprehendite.* Veritas autem dupliciter cognosci potest ab aliquo: vel per inventiones, et tales

dicuntur bene intelligentes ; vel per eruditionem , et tales dicuntur bene docibiles. Item egentium duplex est gradus. Quibusdam enim committitur universalis gubernatio , qui dicuntur reges. Quibusdam aliquod speciale iudicium, et hi dicuntur iudices. Primos ergo exhortatur ad intelligendum : nam *intelligens gubernacula possidebit, Prov. 1.* Secundos ad erudiendum, ut scilicet ab aliis formam iudicii accipiant ; et ideo dicit , *Intelligite et erudimini: Sap. 6. Audite reges, et intelligite, discite iudices finium terrae.* Deinde cum dicit , *Servite*

i Post intellectum convenienter ponit servitutem , quae servitus Dei, quae est latria, est professio fidei, Et ideo primo oportet quod credat , et postea confiteatur et serviat : *Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam , ore autem etc.* Dicit autem *Domino :* qui enim servit homini, sufficit ut exterius subiiciatur ei obediendo ; sed qui servit Deo, oportet quod interius secundum animam subiiciatur ei, bonum affectum habendo: *Psal. 61. Nunc Deo subiecta erit anima mea etc.* Dicit autem *In timore* , qui sanctus permanet , nec sinit peccare , ut *Qui stare se existimat , videat ne cadat , Ro. 10.* Et notandum secundum Augustinum, quod rex servit Deo inquantum homo , in se iuste vivendo , sed inquantum rex leges ferendo contra ea , quae sunt contra Dei iustitiam : unde in hoc psalmo praefiguratur status ecclesiae : nam a principio reges terrae faciebant leges contra Christum et christianos, sed postea condiderunt leges pro Christo. Et primum ostenditur cum dixit, *Astisterunt;* secundum ibi , *Servite Domino.* Ne autem haec servitus miseria videatur, addidit, *Et exultate ei cum tremore.* Quia timor Domini non est miseriae , sed gaudii : propter quod *Lev. 10. Respondit Aaron ad Moysen , Quomodo possunt placere Deo mente lugubri?* Sed ne ista laetitia praesumptionem haberet, vel negligentiam, ideo subiungit, *Cum tremore*, qui est metus subitaneus: *Phil. 2. Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Consequenter monet ad susceptionem cum subdit, *Apprehendite*, ut nemo vivat ut libet , sed ut decet. Et ideo dicit *disciplinam,* praecepta et bonos mores, vel adversa quasi praesidium et munimentum: *Ps. 17. Et disciplina tua etc.* Et ponitur ratio admonitionis. *Ne quando irascatur:* et est duplex ratio ad evitandam poenam, et ad consequendam gloriam, ibi, *Beati omnes qui confidunt in eo.* Dicit autem *Neque* propter patientiam Dei, quia in hoc saeculo diu sustinet: *Ps. 1. Nunquid irascetur per singulos dies?* dicens: *Nisi conversi fueritis;* quasi dicat, Servetis admonitionem ne veniat tempus punitionis. *Ne pereatis de via iusta,* scilicet iustitiae et societatis bonorum, quod est valde poenosum his, qui dulcedinem iustitiae gustaverunt. Litera Hieronymi habet *Pereatis de via*, non est ibi *iusta.* Quando enim homo in mundo est , est sicut in via : nam si cadit , potest resurgere. Nec dicitur perire , quod reparari potest , etiam quod non cadit de via , sed in via. Sed si *perit de via, irreparabilis est, Iob 4.* Et quia nullus intelligit , in aeternum peribunt. Et ideo dicit *Cum*

k Ponitur alia ratio , quae est ad consequendam gloriam; quasi dicat, *Apprehendite disciplinam*, quia *cum exarserit* etc. *Beati erunt omnes qui confidunt in eo.* Bene dicit *Cum exarserit:* modo enim non ardet cum castigat , ut pater ; sed in futuro absorbebit et ardebit , quando puniet poena aeterna: *Isaiae 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, et gravis ad portandum: labia eius quasi ignis devorans.* Dicit autem *in brevi*, quia non singula peccata separatim , sed simul omnia discutiet. Unde illud iudicium in brevi fiet , nec durabit per mille annos , ut Lactantius dixit : *1. Cor. 16. In momento , in ictu oculi , in novissima tuba :* et tunc omnes boni in immortalitatis gloriam immutabuntur : unde , *Beati qui confidunt;* quasi dicat, Vindicta non modo attinget confidentes , sed beati erunt , quia ad regnum pervenient : quae beatitudo , vel gloria maior apparebit ex poena malorum: *Hier. 17. Beatus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius etc.*

*Cum fugeret a facie Absalon filii eius.*

## a PSAL. DAVID III.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me ? multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animae meae , non est salus ipsi in Deo eius.

b Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea , et exaltans caput meum.

c Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. Ego dormivi et soporatus sum , et exurrexi , quia Dominus suscepit me.

d Non timebo millia populi circumdantis me , exurge Domine, salvum me fac Deus meus. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

e Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

## a PSAL. III.

Superior Psalmus ostendit conatum adversariorum, hic contra eorum conatum implorat auxilium divinum. Et est hic psalmus editus per modum orationis. In quo psalmo possumus ponere fundamentum historiae, et postea ponere sensum allegoricum , et ulterius moralem. Sensus historicus patet per titulum qui est, *Cum fugeret a facie Absalon filii sui.* Ut *2. Re. 5.* habetur Absalon filius David persequens patrem suum quaerebat eum occidere : cui David cessit cum suis exiens de Hierusalem nudis plantis. Intellexit hoc sibi contingere propter peccatum homicidii et adulterii, sicut Nathan propheta ei praedixerat: *2. Re. 12. Non recedet gladius de domo tua in sempiternum, eo quod despexeris me.* Dum autem Absalon persequeretur David, conversus est contra eum exercitus David; Absalon autem impetu muli ductus est sub ramosam quercum , ubi circumnectentibus ramis collum eius , ibique capite intercepto pendens a Ioab principe militiae David , interfectus est. Quo mortuo David restituto in regnum in pace regnavit. Contra istam ergo persecutionem est iste psalmus, *Domine quid etc.* Per hanc tamen praefigurabatur persecutio quam Christus passus est a filio suo luda: *Ioa. 13. Filioli adhuc mo-*

*dicum vobiscum sum.* Et iterum *Mat. 9. Nunquid possunt filii sponsi lugere etc.* A quo luda Christus fugit, quando illo discedente cum caeteris apostolis in montem Oliveti secessit imminente passione. Et sicut David pacem exhibuit iniquo filio, quando praecepit populo eunti ad bellum, *Servate puerum Absalon*, et eo interempto dixit, *Quis mihi det, ut moriar pro te fili mi Absalon* etc. ita Christus Iudae proditori, ut patet in convivio et in osculo, propter quod bene Absalon pax patris dicitur. Abba enim hebraice, latine pater interpretatur. Salon vero pax. Et ipse Iudas cum prolatione pacis prodidit Christum. Et sicut Absalon, ita et Iudas suspensus interiit. Quo mortuo Christus in pace regnavit, quia in gloria resurrexit. Et potest ad omnes tribulationes ecclesiae referri. Potest et moraliter contra tribulationes, quas quis ab inimicis sive temporalibus sive spiritualibus patitur. Et ideo exprimitur affectus hominis implorantis. Circa hoc ergo duo facit. Primo praemittit adversariorum conatum, sive exponit Deo suum tormentum. Secundo confitetur adesse sibi divinum auxilium, *Tu autem Domine etc.* Persecutionem autem ponit, quantum ad nocentium numerum, *Multiplicati sunt*, scilicet gentes, populi, reges, et principes. Et non solum hi extranei, sed etiam filius: *Ps. 36. Multiplicatae sunt super caput meum etc.* Et quantum ad nocendum, motivum, quia sine causa. Unde *Quid 2. Re. 10. et 26. Quid feci, aut quod est in manu mea malum?* Et quantum ad multiplex tormentum, quia vexant multipliciter tribulando. Unde *Tribulant.* Tribulus est erba pungitiva: *Ge. 3. Spinas et tribulos germinabit tibi.* Illi igitur tribulant, qui pungunt. Christum autem punxerunt colaphizando, flagellando, conspuendo, et illudendo, et mortem intentando. Et hoc est quod dicit, *Multi insurgunt*, scilicet factis. Absalon enim voluit occidere David, ut patet in consilio Chusi, *2. Reg. 17.* Similiter et Iudas tradidit Christum ad mortem. Item tribulant verbis detrahendo, sive falsa proponendo: unde *Multi dicunt etc.* Contra illud quod dicitur *Ps. 36. Salus autem iustorum a Domino.* Si enim hoc considerarent impii, non de facili insurgerent contra iustos; sed quia hoc non credunt, vel quia contemnunt Dei potentiam vel hominis iustitiam, ideo dicunt ore, et opere, *Non est salus illi etc.* idest in eo quem colit, et sibi Deum facit. Hoc dicunt etiam persecutores de Christo: si enim resurrecturum sperarent, nec Iudas traderet, nec illi occiderent. Et est sensus. Non salvabit eum, nec est filius Dei: unde dicebant *Matth. 17. Si filius Dei es, descende de cruce:* et infra, *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei? Tu.* Haec est pars secunda. Ubi ostendit sibi a Deo paratum auxilium. Et circa hoc duo facit. Primo ostendit sibi specialiter adesse divinum auxilium. Secundo generaliter omnibus, ibi, *Domini est salus.* Et circa primum tria proponit. Primo auxilium divinum. Secundo auxilii experimentum, ibi, *Voce mea.* Tertio securitatis conceptum, ibi, *Non timebo.* Dicit ergo, *Tu autem Domine;* quasi dicat, Isti insurgunt ad bellandum, sed tu suscipis ad protegendum. Et hoc est melius per literam Hieronymi quae dicit, *Clypeus meus circa me*, quasi defendens me sicut clypeus. Item non solum servans in vita contra delere volentes, sed etiam in gloria contra infamantes; unde ait *Gloria mea: 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur: Hier. 9. In hoc glorietur qui gloriatur scire, et nosse me.* Et non solum contra infamantes mihi assistis, sed etiam praevalere me facis contra opprimentes; unde subiungit *Exaltans caput meum: Psal. 26. Et nunc exaltavi caput meum super inimicos meos.* Haec possunt referri ad Christum, qui conceptus fuit secundum humanam naturam in incarnatione, quoniam *Verbum caro factum est, Ioan. 1. Isa. 42. Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea: Ps. 40. Beatus quem elegisti et assumpsisti.* Item gloriosus fuit in resurrectione: *Io. 16. Clarifica me tu Pater.* Item exaltatus in ascensione: *Phi. 2. Propter quod et Deus* etc. Deinde cum dicit, *Voce*

c Ostendit experimentum auxilii. Et ponit tria, scilicet orationem, *Voce mea.* Secundo exauditionem, *Et exaudivit me.* Tertio ostendit in quo est exauditus, ubi ait, *Ego dormivi etc.* Circa primum duo tangit quae debent esse in oratione: nam debet esse attenta. Et ideo dicit, *Voce mea*, scilicet cordis quae sonat Deo, qua Moyses tacens ore, clamabat corde ad Dominum: *Exo. 14. Dixit Dominus, Quid clamas ad me* etc. Hac etiam voce clamans Susanna est exaudita: *Dan. 13. Quae flens suspexit in caelum, erat enim cor eius habens fiduciam in Domino* etc. *1. Reg. 1. Porro Anna loquebatur in corde suo* etc. *1. Cor. 15. Orabo spiritu, orabo et mente.* Et ideo dicit *Mea.* Vox enim quando non procedit ex corde, non est mea. Item debet esse recta: tunc enim est recta, quando tendit ubi debet: et ideo dicit, *Ad Dominum*, ubi est auxilium: *2. Paral. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residium, ut oculos nostros dirigamus ad te: Ps. 102. Auxilium meum a Domino.* Item debet esse devota. Unde addidit *Clamavi*: clamosa namque dicitur oratio, propter magnitudinem affectus: *Ps. 10. Clamor meus ad te veniat etc. Heb. 5. Cum clamore valido et lacrymis etc.* Deinde ponitur exauditio cum dicit, *Et exaudivit de monte*, idest de sublimitate divinae maiestatis, quae inaccessibilis est: *Ps. 23. Quis ascendet in montem Domini*, idest ad omnipotentiam suam, vel de altitudine iustitiae suae, quia incomprehensibilis est: *Ps. 17. Iudicia tua abyssus multa:* vel *in monte sancto*, idest de me qui eram mons sanctus, de quo *Is. 2. Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini* etc. Sequitur, *Ego dormivi.* Ubi ostendit in quo sit exauditus. Quia *surrexi.* Est autem differentia inter mortuum et dormientem, quia mortuus non resurgit: *Iob 14. Putasne mortuus homo rursum vivet;* dormiens vero resurgit: *Ps. 40. Nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Sic ergo quando tribulatio est tanta ut homo non redeat ad statum priorem, dicitur mors. Sed quando tribulatus, vel tentatus cadit in peccatum et resurgit, dicitur dormire. Sic David quasi dormivit, quia liberatus est a filio et peccato. Dicitur autem dormire, quasi parum; soporari vero, quasi multum: unde alia litera dicit, *Somnum cepi*, idest profunde dormivi. Sic Christus dicitur dormivisse, quia sponte se passioni obtulit: et quia soporatus est, mors subsecuta est. Unde a dormitione transivit ad somnum. Iste sopor signatur

in sopore Adam : *Gen. 2. Immisit Dominus soporem in Adam* etc. quia de latere Christi in cruce mortui formata est ecclesia. Ait ergo, *Et exurrexi*, propria scilicet virtute: *Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et hoc est, quia *Dominus suscepit me.* Alia litera, *Sustentavit.* Habuit enim virtutem divinitatis, quod surgeret: *Ps. 25. Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Deinde cum dicit, *Non timebo*

d Ponitur fiducia securitatis, quasi dicat ex quo sum exauditus, *Non timebo* etc. *infra Ps. 26. Si consistant adversum me castra* etc. In quo signatur, quod Christi ecclesia non potest omnino deprimi. Christo etiam post resurrectionem multitudo populi, quae crucifixum circumstetit, nihil nocere potuit : nam *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, Romanor. 6.* Et unde habeat istam fiduciam, ostendit cum dicit, *Exurge*, scilicet manifesta virtutem tuam faciendo me resurgere a morte: et hoc est, *Salvum me fac* etc. *Quoniam pater* etc. Supra duo dixerat. Quod tribulant eum : *Ps. 3. Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me,* et contra hos dicit, *Quoniam tu percussisti*, item infamabant, *Non est salus illi* etc. et contra hos, *Dentes peccatorum*, idest maledica verba in irritum deduxisti : *Iob 19. Conterebam molas iniqui* etc. Litera Hieronymi habet, *Percussit molas. Et dentes;* quasi dicat, Ita fortiter percussisti quod dentes contriti sunt. Maxilla fuit Absalon, dentes vero adhaerentes sibi. Unde destructo Absalone, alii sunt contriti. Ultimo cum dicit *Domini*

e Ostendit auxilium divinum esse toti populo. Et primo quantum ad conservationem a malo; et ideo dicit, *Domini est salus.* Et ideo oratio dirigi debet ad Deum. Secundo quantum ad multiplicationem bonorum; et ideo dicit : *Super populum tuum benedictio tua*, idest super populum, quidem te, et in te sperat, et non in alio. *Benedictio tua.* Benedictio Domini semper importat multiplicationem bonorum : *Prov. 10. Benedictio Domini divites facit.* Potest autem aliter legi psalmus iste secundum glossam, ut scilicet loquatur hoc totus Christus, idest ecclesia, et caput eius inter procellas persecutionum constituta. Vel moraliter potest legi psalmus iste in persona uniuscuiusque fidelis, qui a vitiis et cupiditatibus impugnatur. Et secundum hoc per David accipitur quilibet fidelis, per Absalon vitia carnalis concupiscentiae, sicut patet in glossa.

*Victori in psalmis canticum David.*

## a PSAL. IV.

Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae: in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam.

b Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium.

c Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

d Irascimini et nolite peccare : quae dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino.

e Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.

f Dedisti laetitiam in corde meo. A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.

g In pace in idipsum, dormiam, et requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe, constituisti me.

## a PSAL. IV.

In praecedenti psalmo David imploravit auxilium Dei contra tribulationes orando, et sentiens se exauditum hortatur alios ut in Deo confidant. Et exprimit psalmus iste affectus hominis qui expertus divinam misericordiam et beneficia et iustitiam, hortatur alios ut non desperent. Titulus eius est in finem psalmi cantici David. In hoc titulo duo consideranda sunt pro toto libro, scilicet quod dicit psalmus cantici. Secundo quod dicit, in finem. Quoad primum ergo nota, quod David sicut legitur *2. Reg. 6.* faciebat psalmum metrice, et cantabat ante arcam cum psalterio. Ergo psalmus dicitur quod cantatur ad psalterium, sed non absque psalterio. In quibusdam autem psalmis describitur psalmus David, ubi intelligitur quod est factus ad psalterium. In aliquibus praescribitur canticum David, quia cantabatur sine instrumento In aliquibus psalmus cantici David, vel e converso : eo quod ille psalmus cantabatur simul voce humana, et ad psalterium. Sed in aliquibus incipiebat unus, vel multi voce humana sine instrumento, et unus respondebat cum psalterio ; et hi intitulantur canticum psalmi. In aliquibus vero unus cantabat psalmum cum psalterio, et alii respondebant sine psalterio, et hi intitulantur psalmus cantici. Et haec est differentia literalis: sed mystice, et secundum glossam psalmus significat bonam operationem ; canticum vero exultationem mentis de aeternis. Quando vero simul utrumque ponitur in uno psalmo, significat quod de utroque agitur. Quod vero dicit in finem, si consideretur hoc quantum ad rem per psalmum figuratam, manifestum est quia in finem intelligitur, idest in Christum: *Ro. 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Sed si consideretur in finem secundum figuram, datur intelligi, quod cantabatur pro consumptione operis negotii, sicut hic psalmus pro consummata liberatione David a persecutione Absalonis factus fuit, quasi pro victoria. Alii dicunt victori scilicet David in psalmis, quia omnes in psalmis faciendis vincebat, sed hoc verum non videtur. Dividitur autem psalmus iste in duas partas : nam primo incipit a gratiarum actione pro receptis beneficiis ; unde ait, *Cum invocarem etc.* Secundo finitur in exhortatione aliorum ut convertantur ad Deum, ibi, *Filii hominum etc.* Circa primum duo facit. Primo enim agit gratias de praeteritis. Secundo orat pro futuris, ibi, *Miserere mei etc.* Circa primum duo facit. Primo agit gratias quod est exauditus. Secundo ostendit qualiter est exauditus, ibi, *In tribulatio-*

*ne etc.* Sed notandum quod hic est duplex litera: una dicit *exaudivit*, alia habet *exaudisti;* et huic concordat Hieronymus dicens *exaudisti;* in hoc tamen non est vis. Dicit ergo *Cum invocarem exaudisti etc.* ubi quatuor consideranda sunt. Primo ponit orationem et exauditionem: unde dicit *exaudisti*, sed non *exaudivit*, non clamantem; unde dicit *Cum invocarem;* quod est implorare auxilium in necessitate : *Ps. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Item requiritur , quod sit iustus , quia si audit peccatores est ex misericordia , non ex iustitia ; et ideo dicit *Iustitiae meae:* ibi glossa, idest dator iustitae, vel iustificationis meae , *Ps. 33. Oculi Domini super iustos.* Aliud quod est primum, quod iustitiam suam homo attribuat Deo, et non sibi; et ideo dicit *Deus.* Contra quod *Ro. 10. Ignorantes Dei iustitiam, et suam volentes statuere etc.* Primo ergo debet bonum suum attribuere Deo. Secundo habere iustitiam. Tertio clamare. Quarto exaudiri. Modus autem exauditionis describitur cum dicit, *In tribulatione.* Dicit *exaudivit* et *dilatasti* vel forte metrice factus est psalmus ubi oportuit mutari constructionem propter metrum : vel quia per modum orantis , ubi ex diversis affectibus mutat homo loquendi modum. Dicit autem, *In tribulatione dilatasti mihi* , quia plus dilatasti quam liberasti ; quasi dicat, Non solum liberasti , sed in ipsa tribulatione cordis latitudinem tribuisti: *Psal. 17. Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea.* Vel latitudinem animi ad patienter sustinendum, vel latitudinem potestatis de qua dicitur, *Dilatet Deus Iaphet.* Deinde cum dicit, *Miserere mei* , removendo scilicet quicquid remansit miseriae praeteritae: *Et exaudi me,* orantem pro futuris bonis. Deinde cum dicit *Filii etc.*

b Convertit se ad aliorum exhortationem : et circa hoc duo facit. Primo redarguit peccatores. Secundo exhortatur eos ad emendam , ibi , *Et scitote etc.* Circa primum duo facit. Primo commemorat conditionem. Secundo arguit culpam, ibi , *Ut quid diligitis*: condonationem commemorat dicens, *Filii hominum:* quod dupliciter potest intelligi. Primo in malo , sic. *Filii hominum* , quasi homines secundum naturam inferiorem corruptibiles et proni ad peccandum : *Gen. 6. Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum quia caro est.* Et iterum *8. ca. Sensus et cognitio hominum in malum proni sunt ab adolescentia sua. Filii ergo hominum;* quasi dicat ostenditis vos esse filios hominum, idest peccatorum , scilicet Evae et Adae: *usquesquo gravi: Isa. 1. Vae genti peccatrici , populo gravi iniquitate* etc. Secundo in bono : quia homo inquantum homo , est imago Dei : unde *Filii hominum,* non bestiarum: *Psal. 48. Homo cum in honore esset non intellexit.* Et o *gravi corde* , idest quia debetis habere cor grave et stabile , *usquequo* non convertimini ad Deum ; et hoc est quod Hyeronymus habet , *Filii viri , usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem , quaerentes mendacium;* et sic convenienter arguit culpam , *Ut quid diligitis etc.* In peccato namque sunt duo consideranda, scilicet voluntas inhaerens rei , et intentio inordinata. Primo ergo tangit inordinatum amorem cum dicit , *Ut quid diligitis etc.* idest aliquid vanum , non solidum : temporalia quippe vana sunt, quia non continent solidum, sed pertransiens bonum : *Eccl. 1. Vanitas vanitatum , et omnia vanitas. Ut quid ergo diligitis etc.* quasi dicat, ut quid diligitis temporalia. Secundo tangit pravam intentionem cum dicit, *Et quaeritis mendacium,* idest quare amatis divitias , ut habeatis sufficientiam ? Nam *Eccl. 5. Avarus non implebitur pecunia : Hier. 5. Aspexi terram , etc.* vel mendacium, idest idolum: *1. Cor. 8. Idolum nihil est.* Usquequo ergo diligitis, et quaeritis hoc, et non convertimini ad Deum ? Secundo cum dicit , *Et scitote*

c Hortatur peccatores ad emendam : et circa hoc tria facit. Primo commemorat beneficia sibi exhibita. Secundo hortatur ut ad Deum redeant , ibi, *Irascimini etc.* Tertio ostendit praeeminentiam sui ad illos in bonis , ibi, *Dedisti laetitiam etc.* Dicit ergo, *Et scitote etc.* Sed notandum est , quod hic in graeco est Dyapsalma , in Hebraeo vero est Sela , quod Hieronymus transtulit feliciter, vel semper. Dyapsalma ergo divisio psalmi est : quia quando cantabant , fiebant aliqua intervalla in psalmo, ut ostenderetur quod sequentia ad aliam materiam pertinebant secundum Augustinum. Sed contra hoc est, quia secundum hoc Dyapsalma nunquam inveniretur in fine psalmi , sed in psalterio Hieronymi Sela invenitur in fine Psalmi. Et ideo sumptum est ex Sela Dyasalon, idest pacifice. Et concordat cum Hieronymo qui interpetratus est feliciter. Sic ergo melius pacifice , quasi semper, et hoc Sela importat. Beneficium autem quod commemorat est duplex : unum de praeterito, et aliud de futuro, ibi, *Dominus exaudiet.* Quantum ad primum dico, *Et scitote etc.* et cum si principium sententiae continuatur cordi prophetae , sicut illud in *principio Ezech. Et factum est in trigesimo anno etc.* Nam sela quod interpretatum est Dyapsalma , ponitur hic quod notat interruptionem, vel continuatur ad praecedentia; quasi dicat, Nolite diligere vanitatem, *et scitote* quare? *Quoniam mirificavit Dominus etc.* Ecce quot bona mihi fecit , quia scilicet *mirificavit etc.* idest mirabilem reddidit. Potest etiam aliter continuari secundum glossam; quasi dicat, quia vana *scitote,* et scitote quid sequamini. *Quoniam mirificavit Dominus etc.* idest Christum per figuram principaliter intellectum , qui est sanctus sanctorum , de quo *Dan. 9. Hunc Deus ostendit mirabilem suscitando , et ad dexteram eius eum collocando.* Quilibet etiam iustus mirabilis est , quia maiora sunt opera iustitiae , quam miracula exteriora : *Ps. 67. Mirabilis Deus in sanctis suis.* Sed Christus est maxime mirabilis : *Isa. 9. Et vocabitur nomen eius admirabiliis.* Quantum ad secundum dicit, *Dominus exaudiet : Isa. 65. Antequam clament , ego exaudiam , etc.* Deinde cum dicit *Irascimini*

d Exhortatur eos ad emendationem vitae: et circa hoc tria facit. Primo exhortatur ut recedant a malo. Secundo ut tendant in bonum, ibi, *Sacrificate sacrificium.* Tertio movet quaestionem, ibi, *Multi dicunt* etc. Circa primum considerandum est , quod peccatum in nobis ut plurimum ex tribus consurgit, scilicet ex corruptione irascibilis, rationalis, et concupiscibilis. Primo ergo prohibet peccatum quod consurgit ex primo; unde dicit *Irascimini* etc. Hoc autem intelligitur tribus modis. Primo de ira inordinata; quasi dicat, Permittitur nobis quod motus irae undiae surgat in nobis, non tamen perducatis iracundiam ad actum peccati: *Ephes.*

*4. Sol non occidat super iracundiam vestram.* Secundo sic, *Irascimini*, idest contra vestra peccata: *Isa. 65. Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi* etc. *Et nolite peccare*, scilicet iterum; quasi dicat, Sic irascimini contra peccata praeterita ut non committatis alia. Tertio de ira per zelum sic exponitur. *Irascimini* contra vitia aliorum; et tamen *nolite peccare*, eos inordinate corrigendo, quia debet ira dirigi per rationem. Secundo prohibet vitium rationalis, scilicet simulationem, dicens, *Quae dicitis in cordibus vestris*, supple sint in vobis; quasi dicat, Non aliud sitis in corde, et aliud praetendatis extra. Tertio prohibet quod surgit ex cuncupiscibili. *Compungimini*, scilicet de peccatis quae fecistis: *In cubilibus vestris: Ro. 13. Non in cubilibus et impudicitiis* etc. Vel dicendum, quod tangit duplex peccatum, scilicet irae, sicut dictum est, *Irascimini* de ira per zelum. Secundo concupiscentiae, *Compungimini quae dicitis in cordibus vestris*, idest de occultis, vel in occultis. Et hoc magis sonat litera Hieronymi, qui dicit, *Loquimini et tacete*, idest non publicetis inordinate exequendo. Vel de ira per vitium, quem prohibet non procedere ad opus, quod peius est. Vel de ira contra peccata. Consequenter hortatur eos ut faciant bonum. Et primo dirigit eos circa principium boni, quia *Sacrificate sacrificium iustitiae;* quasi dicat scilicet *Compungimini: Levit. 4.* mandatur quod offerant sacrificium pro peccatis. Sed Dominus de huiusmodi non multum curat: *Ps. 50. Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi:* unde et vos, *Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino, multi dicunt quis ostendit* etc. idest satisfactionis et poenitentiae: *Ro. 12. Exhibeatis corpora vestra Deo, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* etc. quasi dicat, Sitis sperantes in Domino, qui dedit vobis haec operari. Deinde cum dicit *Multi*

e Movet quaestionem quam dicunt. *Multi*, idest stulti. *Dicunt autem, Quis ostendit nobis bona;* quasi dicat, Quomodo scire possumus quae sunt haec sacrificia Deo acceptabilia? Hanc autem quaestionem solvit cum dicit, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;* quasi dicat, Ratio naturalis indita nobis docet discernere bonum a malo; et ideo dicit, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* etc. Vultus Dei est id per quod Deus cognoscitur; sicut homo cognoscitur per vultum suum, hoc est veritas Dei. Ab hac veritate Dei refulget similitudo lucis suae in animabus nostris. Et hoc est quasi lumem, et est signatum super nos, quia est superior in nobis, et est quasi quoddam signum super facies nostras, et hoc lumine cognoscere possumus bonum: *Ps. 98. In lumine vultus tui ambulabunt* etc. Super hoc autem signamur signo Spiritus: *Eph. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis.* Et iterum signo crucis, cuius signaculum nobis impressum est in baptismo, et quotidie debemus imprimere: *Cant. 8. Pone me ut signaculum super cor tuum.* Deinde cum dicit *Dedisti*

f Ponit praeeminentiam eius ad illos peccatores in bonis, quasi dicerent ei, Tu nos exhortaris ad beneficia tua, sed nos habemus omnia, ideo comparat temporalia spiritualibus. Et primo ponit spiritualia. Secundo temporalia, ibi, *A fructu* etc. Tertio praeeminentiam spiritualium, ibi, *In pace* etc. Dicit ergo, Verum est quod omnes habent lumen vultus desuper se, sed, o Domine sanctis et mihi *dedisti laetitiam*, scilicet spiritualem, *in corde meo*, ut scilicet de te gaudeam: *Rom. 14. Non est regnum Dei esca et potus; sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto:* et hoc est beneficium spirituale. Mali autem habent abundantiam temporalium, et ideo dicit, *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt,* idest dilatati. Et per omnia ista temporalia intelliguntur omnia alia, quia omnia referuntur ad necessitatem vivendi: et sic frumentum pro cibo, et vinum pro potu, oleum vero pro condimento accipitur. Alia litera habet, *A tempore frumenti:* ubi duplex bonorum istorum defectus innuitur, quia temporalia dicuntur a tempore: *Sap. 2. Umbrae enim transitus est tempus nostrum.* Et quia unum non sufficit, oportet quod sint multa; ideo dicit *Multiplicati sunt.* Deinde cum dicit *in pace*

g Ponit praeeminentiam spiritualium; quasi dicat, Quid inter haec excedit? Certe laetitia cordis. Et hoc patet duplici ratione. Primo, quia hoc bonum erit aeternum, illud vero temporale. Secundo, quia est unum et simplex, illud est multiplex. Secundum ponit ibi, *Quoniam tu, singulariter* etc. Dicit ergo, *In pace* etc. quasi dicat, alii in tempore, sed ego non, immo *in idipsum.* Nota ergo, quod etiam in praesenti vita dicitur iustus stare in bono, propter quatuor. Primo, quia non impeditur exterius: et ideo dicit, *In pace: Isai. 33. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* etc. Secundo ex immutatione rerum habitarum, quia hoc semper idem manet; unde *in idipsum: Psal. 121. Hierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum.* Tertio, quia sine sollicitudine; unde *dormiam: Cant. 2. Ego dormio* etc. Quarto ex quiete a labore conquirendi; unde dicit, *Et requiescam.* Et hoc potest esse etiam hic in praesenti vita secundum inchoationem, quia sancti omnia ista habent hic aliqualiter in Deo; sed haec omnia perfecte erunt in patria. Et hoc ideo habeo dicit David, quia unum habeo in quo sunt omnia haec: et hoc est quod ait, *Quoniam tu Domine* etc. quasi dicat, uno modo in quadam spe singulari; *Constituisti me*, scilicet vita aeterna, de qua infra dicitur *26. Unam petii a Domino* etc. Et hoc respondet contra id quod dicit, *Multiplicati sunt*, ut *Quoniam tu Domine* etc. quasi dicat in te singulariter spero. Et hoc magis sonat litera Hieronymi, quae dicit, *Quia tu Domine sapientialiter securum habitare me fecisti: Ps. 117. Bonum est confidere, vel sperare in Domino* etc.

*In finem, pro ea quae consequitur haereditatem.*

## a PSAL. V.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. Intende voci orationis meae, rex meus, et Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine.

b Mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquita-

tem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

c Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

d Ego autem in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

e Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

f Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.

g Iudica illos Deus. Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine.

h Et laetentur omnes qui sperant in te: in aeternum exultabunt, et habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

i Quoniam tu benedices iusto. Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.

## a PSAL. V.

Supra Psalmista orationem proposuit contra persequentes manifeste; hic contra dolosos orat, ne decipiatur. Et circa hoc duo facit. Primo ponit petitionem contra dolosos, ne decipiatur. Secundo, ut lapsus reparetur, ibi, *Domine ne in furore* etc. Hic psalmus habet titulum, in quo est aliquid novi, qui talis est, *In finem pro ea, quae consequitur haereditatem.* Ubi tangitur figura, et mysterium. Figura quidem intelligi potest dupliciter. Primo, secundum quod glossa exponit, et habetur in historia Genesis *21.* quod Sara videns ludentem Ismaelem cum Isaac filio suo turbata est, et dixit ad Abraham, *Eiice ancillam hanc, et filium eius: non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac.* Intellexit quidem Sara ludum illum persecutionem esse contra Isaac; Abraham autem dure accepit, quod dixerat Sara de filio suo Ismaele; sed dixit ei Deus: *Non tibi videatur asperum super puero, et ancilla tua: omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen,* etc. quasi dicat, Isaac tibi haeres erit tuus, non Ismael. Unde *infra 27.* dicitur: *Dedit Abraham cuncta, quae possederat filio suo Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera* etc. Potest ergo hic psalmus referri ad hoc, quod populus Iudaeorum secundum figuram consequebatur haereditatem promissam Abrahae, cuius erat caput David, et Rex. Secundum mysterium vero populus Christianus: *Gal. 4. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* Ergo Psalmus iste tendit in finem, idest in Christum quem laudat pro ea, scilicet pro ecclesia, quae consequitur haereditatem, reprobata Synagoga. Alio modo secundum litèram Hieronymi titulus est, *Victori pro haeredibus canticum David:* et sic potest intelligi, quod iste Psalmus factus est pro victoria quam David habuit ad literam. Et sciendum, quod David fugiens haereditatem amisit per Absalonem, sicut habetur *2. Reg. 16.* Unde sicut praecedens psalmus fuit pro liberatione, et victoria contra Absalonem, ita hunc fecit pro recuperatione haereditatis: quia David reverso in Hierusalem adhuc malitiose insurrexerant sibi et quidam alii contra eum. Unde *2. Reg. 20* mandavit David Amasae, quod usque in diem tertium convocaret omnes viros Iuda, ut persequeretur Siba filium Bochri: quia magis afflicturus est nos filius Bochri quam Absalon. Pertransiverat enim omnes tribus Israel usque Abelam, omnesque electi congregati erant ad eum: quo decapitato regnavit David super omnem Israelem. In hoc ergo psalmo secundum literam tria considerantur. Primo petit exaudiri. Secundo ostendit fiduciam suae exauditionis, ibi, *Mane exaudies.* Tertio proponit petitionem, ibi, *Domine deduc me.* Circa primum duo facit. Primo petit exaudiri. Secundo signat rationem exauditionis, ibi, *Rex meus.* Notandum, quod qui vult petere aliquid ab aliquo, sic procedit. Primo desiderat quod vult petere. Secundo meditatur verba proponenda. Tertio proponit ea apud exaudientem. Et e converso auditor. Primo percipit verba auditu. Secundo intellectu capit sensum verborum. Tertio inclinatur ad implendum desiderium petentis. Loquitur ergo David ad Deum, secundum similitudinem hanc. Et primo petit primum, scilicet ut audiat verba eius exteriori auditu, cum dicit, *Verba mea auribus percipe Domine.* Secundo petit sensum, scilicet intellectum verborum, cum dicit, *Intellige clamorem meum*, non exteriorem, sed interiorem affectum: *Ps. 17. Clamor meus in conspectu eius:* Hieronymus: *Intellige murmur meum, quod cogitavi proponendum:* et consonat illi translationi quae dicit *Meditationem.* Tertio petit tertium, scilicet exauditionem, *Intende voci orationis meae*, idest velis exaudire orationem meam: *Psal. 69. Deus in adiutorium meum intende.*

Sed nunquid Deus haec seorsum facit, audit, intendit, exaudit.

Dicendum, quod metaphorice loquitur, scilicet ut omnia haec approbet, verba exteriora, meditationem interiorem, et quae proponit. Secundo ponit rationem exauditionis, cum dicit, *Rex meus.* Et est hoc principium versus secundum graecum. Ponitur autem triplex ratio exauditionis, duplex scilicet ex parte Dei. Quarum una est *Rex meus?* Regis enim est gubernare. Ex quo ergo ad Deum pertinet, pertinet ad eum necessaria providere: *Hiere. 10. Quis non timebit te o rex gentium?* Alia ratio est, quia *Deus:* Deus enim finis est voluntatum nostrarum et conservator: *Ps. 27. In Deo speravit cor meum, et adiutus sum* etc. Et ideo dicit *Deus meus: Isa. 8. Nunquid non populus a Deo suo requiretur visionem pro vivis et mortuis etc.* Tertia ratio sumitur ex parte orantis cum dicit, *Quoniam ad te orabo Domine;* quasi dicat, Conveniens est, quia promisisti orantibus exauditionem: *Matt. 7. Omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.* Nec refertur quod dicit Hieronymus, *Deprecor*, et hic dicitur, *Orabo:* quia hoc designat continuationem orationis sine intermissione, quasi dicat, ita *Orabo*, quod tamen semper deprecor: *Luc. 18. Oportet semper orare, et non deficere.*

b Haec est secunda pars psalmi. Ubi primo ostendit

fiduciam se habere de exauditione. Secundo fiduciae rationem, ibi, *Mane astabo etc. Dicit ergo. Exaudies vocem meam mane* secundum literam, idest celeriter, quasi dicat tempestive. Hoc enim sperare debemus de Deo quod cito exaudiet: *Isa. 30. Ad vocem clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi.* Idem *penul. Adhuc illis loquentibus ego audiam.* Ratio fiduciae ponitur cum dicit, *Mane astabo etc.* Nota quod mane quadrupliciter dicitur, scilicet naturalis diei: *Gen. 1. Factus est vespere et mane dies unus.* Item vitae humanae, et sic iuventus dicitur mane: *Psal. 89. Mane floreat et transeat.* Item diei gratiae in prima conversione hominis ad Deum, quia tunc incipit habere lumen gratiae: *Ps. 89. Repleti sumus mane misericordia tua.* Item aeternitatis: *Ps. 29. Ad vesperam*, scilicet in vita praesenti, *demorabitur fletus, et ad matutinum*, scilicet aeternitatis, *laetitia.* Duplex ergo ratio assignatur confidentiae. Primo, quia mane astat, idest Deo adhaeret, et ad Deum se praeparat; Hieronymus habet, *Praeparabor: Eccl. 18. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Mane* ergo diei, idest in matutinis, *Astabo tibi*, idest tibi intendam. Et hoc, quia tunc est homo liber a solicitudinibus, et magis habet cor liberum ad cogitandum de Deo: *Psal. 52. In matutinis Domine meditabor in te: Isaiae 26. Sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te, et exaudies vocem meam* etc. Quia devotos audit. *Mane* scilicet gratiae, propulsis tenebris culpae, *Astabo*, et *Contemplabor*, ut habet litera Hieronymi. *2. Reg. 23. Sicut lux aurorae mane absque nubibus rutilat oriente sole* etc. *Exaudies vocem meam*, scilicet liberando a culpa et poena. Vel *mane* scilicet in die aeternitatis: *Iob 38. Ubi eras cum me laudarent astra matutina* etc. Et tunc homo totaliter exauditur. Vel *mane*, idest a iuventute: *Astabo tibi: Thren. 3. Bonum est viro cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua: Eccl. ult. Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae* etc. *Exaudies vocem meam*, quia *Prov. 8. Diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Secunda ratio fiduciae est, quod videt; unde dicit, *Et videbo:* et exponit hoc primo quomodo astet, cum dicit: *Ego autem in multitudine.* Primo dicit quid videt, scilicet qui sunt illi qui impediuntur ab exauditione, et quae sunt huiusmodi impedimenta: et isti sunt mali; unde dicit *Videbo*, scilicet *Quoniam Deus* etc. Ubi notanda sunt duo. Primo quod mali excluduntur ab istis. Secundo, quod inducuntur in mala poenae, ibi, *Odisti omnes* etc. Circa primum loquitur de Deo sicut de aliquo homine qui diligit aliquos, seu odit. Ubi triplex gradus potest esse, quia alicui peccatori placet peccatum, alicui placet persona peccantis, alicui neutrum: sed tamen libenter et sine indignatione videt eum. Hoc autem non est in Deo, quia Deo non placet peccatum, nec respicit ad familiaritatem peccatoris. Item dedignatur eum videre: et ideo dicit quantum ad primum, *Videbo quoniam tu non es Deus volens iniquitatem*, idest non placet tibi. Quantum ad secundum dicit, *Neque habitabit iuxta te malignus*, idest non habes eum in familiaritate tua: *Ps. 200. Non habitabit in medio domus meae* etc. Item *ibidem 15. Odivi ecclesiam malignantium.* Quantum ad tertium dicit, *Neque permanebunt iniusti*, idest peccatores: *Ante oculos tuos*, scilicet approbationis: *Abacuch 1. Mundi sunt oculi tui, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

c Hic ostendit quomodo inducuntur ad poenam, et ponit triplicem ordinem. Triplex enim gradus est, quo modo aliquis odit aliquem. Primo habet eum odio, volendo ei malum in corde. Secundo hoc exequitur inferendo poenam. Tertio si quando punivit, tamen reconciliat eum sibi. Sed Deus primo odit; unde dicit, *Odisti omnes* etc. *Sap. 14. Similiter est odio Deo impius et impietas eius.*

Sed contra *Sap. 2. Diligis omnia quae sunt* etc.

Respondeo, quod Deus fecit, non odit; sed quod non fecit, scilicet peccatum. Sed si nos pertinaciter insistamus, peccatorem odit inquantum non revocat, et per poenas ordinat. Secundo infert poenam; et ideo dicit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium: Sap. 1. Os quod mentitur occidit animam.* Nota quod triplex est mendacium, scilicet perniciosum, quod fit in nocumentum alterius sive spiritualis sive temporalis rei, puta in doctrina: et hoc est gravissimum. Iocosum, quod dicitur ad delectandum. Officiosum, quo quis loquitur ad proficiendum sive temporaliter sive spiritualiter. Et secundum Augustinum, *Nullum mendacium officiosum est sine peccato:* quia si mentiris ut liberes aliquem, hoc non est bonum: quia Apostolus dicit *Rom. 3. Non sunt facienda mala ut veniant bona.* Praeterea omne malum posset fieri propter bonum; potest tamen officiosum esse aliquando veniale. Sed iocosum semper veniale. Perniciosum vero semper est mortale: et de isto hic intelligitur. Tertio Deus sic odit sicut poenas inferens qui non reconciliatur; unde subdit: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Illa abominamur quae in cognitione nostra non patimur. Viri sanguinum dicuntur illi quorum affectus est ad effundendum sanguinem: *Prov. 1. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem: 2. Reg. 16. Egredere vir sanguinum.* Dolosus est qui in dolo loquitur. Sed advertendum, quod ordinate procedit psalmista: quia primo homo simpliciter operatur malum cogitando; et hos Deus odit. Sed quando addunt malitiam exequendo, provocant Deum ad puniendum. Sed quando perdurant, tunc Deus abominatur: *Prov. 17. Abominatio est Deo vita impii* etc. Consequenter cum dicit, *Odisti*

d Ostendit, quomodo astat Domino: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo accedit ad Deum. Secundo, quam orationem porrigit, ibi, *Adorabo.* Dicet ergo aliquis sibi. Tu dicis quod *non habitabit iuxta te malignus.* Sed nunquid non tu es peccator? Quomodo ergo astabis? Et ideo dicit. Non secundum merita, sed *in multitudine misericordiae tuae introibo*, idest appropinquabo tibi, *In domum tuam.* Vel ad literam dicitur templum, vel congregatio fidelium: *1. Tim. 5. Quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei: Dan. 9. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam* etc. Sed tu cum sis peccator, idest vir sanguinum, quomodo appropinquas vel adoras? Certe, *In timore tuo: Eccl. 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari;* ideo dicit, *In timore tuo*, scilicet cum reverentia.

e Supra petiit orationem exaudiri; hic proponit eam. Et primo orat pro se. Secundo pro aliis. Circa primum duo facit. Primo proponit orationem. Secundo ponit eius orationem, ibi, *Quoniam non est.* Circa primum duo petit, scilicet deduci et dirigi: et hoc ideo, quia homo in mundo est sicut in via: *Isa. 30. Haec est via : ambulabitis in ea.* Qui autem vadunt per viam, indigent duobus : quia si via non sit secura , indigent ducatu, vel dirigente, si sit dubia. In mundo undique sunt hostes : *Psal. 141. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Item ignota est via : *Iob 3. Viro cuius abscondita est via* etc. Et ideo primo petit , *Domine deduc me in iustitia tua* , secundum iustitiam tuam , vel ut ambulem in tua iustitia: et hoc, *Propter inimicos meos: Ps. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Domine vivificabis me in aequitate tua, Dirige in conspectu tuo viam meam.* Alia translatio habet, *Dirige in conspectu meo viam meam*: prima concordat cum Hieronymo: secunda cum graeco; sed tamen idem est sensus; quasi dicat, Domine sum in via occulta : *Prov. 14. Est via quae videtur homini recta , novissima autem deducit ad mortem :* et ideo, *Dirige me in conspectu tuo*, idest secundum tuam providentiam, quia tibi nihil est occultum. Vel *in conspectu tuo*, ut tibi semper placeam. Vel *in conspectu meo viam tuam*, ut scilicet semper sit in corde meo , ut te semper sequi possim. Deinde cum subiungit , *Quoniam*

f Assignat rationem petitionis , et describit inimicos, et periculum imminens. Primo ex defectu boni. Secundo ex abundantia mali , ibi , quia *Cor eorum* etc. Defectus quidem est , quia si servarent pacem , possem eis pacificari et secure incedere. Sed *non est in ore eorum veritas* , quia aliud habent in ore , et aliud in corde: *Osee 4. Non est veritas:* et ideo non possum secure incedere. Item ex abundantia mali. Et primo quantum ad meditationem cum dicit , *Cor eorum vanum est*, idest vana meditantur , ad quam attingere non possunt, scilicet decipere pauperes qui custodiuntur a te : *Eccl. 2. Multae insidiae sunt dolosis.* Secundo ex aviditate : quia , *Sepulcrum patens est guttur eorum* , guttur servit ad gustum et locutionem. Uno modo potest legi , ut exponatur secundum quod ordinatur ad locutionem; quasi dicat, *Guttur eorum est sepulcrum patens :* nam sicut sepulcrum est locus mortuorum , et de eo egreditur foetor, ita locutiones eorum mortificant alios, vel spiritualiter, vel corporaliter: *1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Item foetida sunt eloquia talium, quia turpia loquuntur: *Eccl. 2. Eructant praecordia foetentium.* Alio modo ut exponatur quantum ad comestionem et aviditatem: et hoc possumus accipere vel ad literam, et sic sunt , *Sepulcrum patens*, quia sunt veraces. Et propter hoc ut impleant voracitatem suam, adulantur, et inique agunt. Vel figuraliter : et sicut sepulcrum quantum est de se paratum est ad suscipiendum mortuos , sic isti semper sunt parati ad decipiendum : *Hiere. 5. Pharetra eius quasi sepulcrum patens.* Tertio quantum ad eorum oppressionem, *Linguis suis* etc. quasi dicat, Per verba blanda ducunt ad mortem : *Ro. 16. Per dulces sermones, et blande seducunt corda innocentium: Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum* etc. Haec potest esse oratio iusti et ecclesiae. Consequenter cum dicit , *Iudica*

g Orat pro aliis. Et primo contra malos. Secundo pro bonis , ibi, *Et laetentur.* Circa primum tria facit. Primo petit eorum iudicium. Secundo determinat iudicii modum, ibi, *Decidant* etc. Tertio assignat iudicii causam, ibi, *Quoniam irritaverunt.* Dicit ergo, *Iudica illos*, ex quo sunt mali. Sed advertendum, quod duplex est iudicium , scilicet discretionis quo etiam boni iudicantur: *Psalm. 42. Iudica me Deus, et discerne causam meam* etc. Secundo condemnationis : *Io. 3. Qui non credit, iam iudicatus est.* Hic loquitur de iudicio condemnationis, quo mali iudicabuntur in extremo iudicio : unde Hieronymus habet , *Condemna eos Deus.*

Sed contra *Matth. 5. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Respondeo. Dicendum, quod prophetae in sua prophetia non loquebantur voluntate propria : *2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto* etc. Et ideo quae proferebant, dicebant secundum intellectum divinae iustitiae : et ideo haec erant magis praedictiones futurorum, quam orationes eorum: unde *Iudica* , idest scio quod iudicabis. Modus iustitiae duplex ponitur. Primo, ut deficiant ab intento. Secundo , ut removeantur a loco. Per primum impediuntur mala quae intendunt: et ideo dicit , *Decidant a cogitationibus suis*, idest consiliis : *Iob 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum* , etc. Vel *decidant* , idest puniantur propter cogitationes suas: *Rom. 2. Cogitationum accusantium* etc. Sed per secundum expelluntur a societate bonorum ; unde sequitur *secundum multitudinem* etc. Hoc erit tunc quando *Matth. 25.* dicetur: *Ite maledicti etc. Iob 18. Expellet eum de luce in tenebras* etc. Et dicit *secundum multitudinem impietatum*, quia secundum eas erit modus condemnativus: *Deut. 25. Pro mensura delicti erit et plagarum modus.* Causa ponitur, *quoniam irritaverunt*, idest ad iram provocaverunt. Hoc in Deo non iram, sed voluntatem puniendi ostendit. Alia litera *amaricaverunt te*, qui dulcis es, in te pertinaciter peccando. Peccatores primo peccant, post aggravant peccatum suum ex pertinacia, et Deus tunc non parcit , sed irritatur , idest inducitur ad vindictam : *Rom. 2. An ignoras quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam: Deut. 32. Ipsi me provocaverunt in eo , qui non est Deus* etc. Consequenter cum dicit , *Iudica*

h Ponit petitionem. Et primo ponit eam. Secundo subdit expositionem, *In aeternum.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit quid petit, quia laetitiam; unde dicit *laetentur*: hoc est enim finis bonorum omnium: *Ps. 67. Iusti epulentur et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.* Secundo, quibus petit, quia sperantibus : unde , *Qui sperant in te.* Consequenter cum dicit *in aeternum exultabunt*, exponit primo, et dicit, *Laetentur.* Secundo, cum dicit *Sperent* ibi, *Quoniam tu benedixisti iusto.* Laetitia namque sanctorum in patria est sempiterna: et ideo dicit, *In aeternum;* et secura; unde addit, *Et habitabis in eis:* plena, propter quod subdit, *Et gloriabuntur* etc. Sempiterna quidem est , non temporalis: *Isa. 51. Laetitia sempiterna su-*

*per capita eorum* etc. Secura absque perturbatione: *Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae;* et ideo dicit, *Et habitabis in eis*, sicut protector : unde Hieronymus habet, *Et proteges eos : Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Est etiam plena: et hoc patet ex quatuor. Primo ex gloria inde concepta; unde, *gloriabuntur*, quia non gloriatur de re nisi habeat eam excellenter. Sancti vero excellentissime Deum habent, ideo dicit, *gloriabuntur.* Secundo ex materia: quia gloriantur de re plenissima, et de omni bono: *Ioan. 16. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo; petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum: Io. 15. Ut gaudium meum in vobis sit* etc. Et ideo dicit *in te.* Tertio ex societate : quia solus homo non potest bene gaudere de aliquo, sed quando amicos habet secum participes illius boni: et ideo dicit, *omnes: Ps. 86. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.* Quarto ex perfectione, *Qui diligunt:* hoc enim proprium est amicorum gaudere de bono amici, nec facile homo dimittit quod diligit. Consequenter cum dicit, *Et laetentur*

i Ostendit quare sperant. Quia primo de dono gratiae. Secundo ex misericordia praedestinationis etc. Ex dono namque gratiae; unde ait, *Quoniam tu benedixisti iusto*, dando scilicet ei specialem gratiam: *Ephes. 1. Benedixit nos omni benedictione spirituali in caelestibus.* Et misericordia praedestinationis: *Ephe. 1. Praedestinati sumus secundum propositum voluntatis eius, qui operatur omnia in omnibus:* et hoc est quod ait, *Scuto bonae voluntatis*, scilicet aeterna voluntate misericordiae suae, quae ab aeterno disposuit salvare : *Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* Quod autem ait, *Ut scuto*, innuit quod ipsa voluntas Dei bona est, sicut scutum contra omnia mala : *2. Reg, 23. Dominus scutum et robur meum* etc. Vel est hic ut scutum protegens, in patria vero ut scutum coronans. Consuetudo namque fuit Romanis antiquitus uti scutis rotundis, et in illis habebant spem victoriae ; et quando triumphabant, illomet scuto utebantur ut corona. Et inde sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite : quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum ad instar Romanorum gerunt in capite pro corona. Dicit ergo, *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos;* quasi dicat, Pro scuto coronationis nostrae habemus bonam voluntatem tuam, quae nos hic defendit, et ibi coronat.

### *In finem in carminibus pro octava.*

## a PSAL. DAVID VI.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

b Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo? Convertere Domine, et eripe animam meam ; salvum me fac propter misericordiam suam.

c Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi ?

d Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.

e Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

f Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.

g Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

## a PSAL. VI.

In praecedenti Psalmo petiit David ut deduceretur in via iustitiae propter inimicos; hic autem ut lapsus reparetur. Et videtur hic psalmus exprimere affectus hominis, qui pro peccatis castigatus, et in manibus inimicorum datus, poenitentia peracta liberationem obtinuit: et ideo hic est primus Psalmus septem poenitentialium. Qui septem sunt propter septem dona sancti Spiritus, per quem quis poenitet: et omnes incipiunt a luctu, et terminantur in laetitiam: quia per planctum poenitentiae pervenitur ad regnum gloriae: *Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Titulus talis est, *In finem Psalmi David pro octava*, Hieronymus transtulit, *Victori in Psalmis super octava canticum David.* De isto titulo restat videre, quid sibi velit hoc quod dicitur pro octava. Nam caetera exposita sunt. Sciendum ergo, quod tituli ab Esdra facti sunt partim secundum ea quae tunc agebantur, et partim secundum ea quae contigerunt. Habetur enim in historia *Levit. 23.* quod in mense septimo Iudaei faciebant festum tabernaculorum septem diebus, et octavus dies inter omnes erat celeberrimus: erat enim dies coetus atque collectae, quae fiebant pro necessariis ad cultum divinum et pauperibus. Et forte David fecit hunc psalmum in ista solemnitate, et dicebatur in octavo die. Pertinet autem festum istud ad mysterium, quia per octo signatur resurrectio, quando colligentur omnes a quatuor ventis a summo terrae usque ad summum caeli, *Matt. 13.* Vel dicitur octava propter quorundam falsam opinionem qui dicebant quod post septem millia annorum futura esset resurrectio, Domino ad iudicium veniente. Sed nulli hoc tempus notum existit: *Act. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta* etc. *De die autem illa et hora nemo scit; neque angeli caelorum nisi Pater solus.* Unde alia ratio est, quare per octavam designatur resurrectio: quia in praesenti saeculo duplex vita est. Una qua vacat homo rebus corporalibus, alia spiritualibus. Prima vita significatur per quaternarium, quia est numerus corporum : ut etiam dicit Plato, quia per ipsum significantur dimensiones. In solidis namque primus numerus corporalis est pyramis, ut tradit Boetius in arithmetica sua. Cum igitur pyramis illa sit prima, quae triangula basis in altitudinem se tollit, sequitur quod quaternarius sit primus nu-

merus solidus ; ut v. g. posito triangulo super tres angulos erigantur lineae, et ad unum medium punctum vertices iungantur fit pyramis : cuius basis est unum triangulum ; latera vero triangula. Secunda vero vita , quae spiritualis est , significatur per ternarium : nam in planis figuris ternarius primus numerus superficialis existit. Et idem Boetius in eodem libro dicit. Est enim primo superficies triangularis omni prorsus crassitudine carens. Septenario quod ex huiusmodi quaternario et ternario constituitur, succedit octava, resurrectio corporum scilicet et animarum. In glossa tamen ratio assignatur, ut dicatur quod ad corpus pertinet quaternarius , quia constat ex quatuor elementis, et quatuor afficitur qualitatibus, scilicet sicca, et humida , calida , et frigida ; et quatuor temporibus administratur, Vere , Æstate , Autumno, et Hyeme. Ad animam vero pertinet ternarius propter tres vires animae, scilicet rationabilem, irascibilem, et concupiscibilem. Peracta vero utraque vita, scilicet corporali et spirituali , quasi septenario numero transacto, veniet dies iudicii, et suis unicuique pro meritis ius reddetur. Vel ideo per octavam significatur resurrectio , quia octava aetate erit. Nam prima aetas currit ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum ? Sexta a Christo usque ad finem mundi , currunt simul sexta et septima aetas , scilicet quiescentium et laborantium, et post has erit octava aetas resurgentium. Dividitur autem Psalmus iste in tres partes. Primo enim ponitur poenitentia. Secundo poenitentiae fletus , ibi , *Laboravi* etc. Tertio utriusque fructus , ibi, *Discedite.* Sed homo existens in peccato tria incomoda patitur, a quibus petit liberari. Primum est perversitas actus. Secundum est vulneratio naturae et debilitas. Tertium reatus poenae imminens. Primo ergo petit liberari a primo: et ideo dicit, *Domine ne in furore* etc. Secundo contra secundum; et ideo addidit orans, *Miserere mei* etc. Tertio contra tertium; et ideo subiungit, *Sed tu Domine* etc. Dicit ergo , *Domine ne in furore tuo.* A malis actibus liberat aliquis aliquem arguendo verbis, et corripiendo poenis: et utrumque facit Deus. Sed argutio quandoque fit ad emendationem ; et hoc est *In misericordia: Ps. 140. Corripiet me iustus* etc. Quandoque ad condemnationem; et hoc est irae; et ideo dicit, *Domine arguas me*, sed *non in furore,* quia hoc est vindictae , et hoc fiet in iudicio , quando dicet *Matth. 25. Discedite a me maledicti etc. Esurivi enim* etc. *Isa. 3. Ardens furor eius , et gravis ad portandum* etc. Modo autem arguit, sed non in furore : quia ad emendandum arguit, et non ad condemnandum : et hoc petit iste cum dicit, *Neque in ira tua corripias me;* quasi dicat, Corripe me , sed non in ira vel in furore , sed per flagella temporalia. Augustinus : *Hic ure, hic seca , hic non parcas, ut in aeternum parcas: Hier. 10. Corripe me , veruntamen in iudicio.* Deinde cum dicit , *Miserere*

b Petit liberari a secundo , scilicet a vulneratione naturae et debilitate. Et primo in generali infirmitatem exponit. Secundo in speciali , ibi , *Sana* etc. Dicit ergo, *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Peccatum est spiritualis infirmitas : nam infirmitas corporalis ex solutione debitae proportionis humorum accidit : sic quando affectiones animae non sunt proportionatae , est ibi spiritualis aegritudo ; et ideo dicit *infirmus sum:* Glossa, *Infirmus sum natura et vitio , adeo quod iustitiam tuam sustinere nequeo: Ps. 115. Servus tuus ego sum, et filius ancillae tuae: Sap. 9. Homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii, et legum.* Deinde cum dicit *sana* , etc. exponit in speciali quomodo sit infirmus: et hoc dupliciter. Primo quia amisit suam fortitudinem. Secundo quia perdidit suam discretionem , ibi , *Et anima mea turbata est* etc. Dicit ergo, *Sana me Domine: Hiere. 17. Sana me Domine , et sanabor* etc. Quia si homo est liber a peccato , aptus est ad retinendum gratiam et virtutes, quae sunt fortitudo hominis; et ideo *sana me Domine*, et hoc oro, quia *ossa mea*, idest fortitudo mea, animae scilicet meae virtus et fortitudo , *turbata est.* Item turbatur discretio , inquantum peccatori videtur recte agere cum peccat; et ideo dicit, *Et anima mea turbata est valde* : quia perversum habet iudicium de agendis , ut scilicet quod bonum est iudicet esse malum , et e converso. Deinde cum dicit , *Sed tu Domine* , orat contra reatum damnationis. Ubi tria facit. Primo enim ostendit periculum imminere. Secundo petit auxilium gratiae, ibi, *Convertere.* Tertio exponit periculum imminens , ibi , *Quoniam non est in morte* etc. Dicit ergo *infirmus sum*, non possum per me surgere. *Sed tu Domine* qui potes: *usquequo* non exaudies? *Ps. 12. Usquequo Domine oblivisceris me in finem.* In hoc videbatur periculosum sibi , quod non convertebatur : *Eccl. 5. Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius , et in tempore vindictae disperdet te: Abacuch 1. Usquequo clamabo , et non exaudies , vociferabor ad te verum patrem, et non sanabis etc.* quasi dicat, Quandiu ero in peccato , et non dabis auxilium ut resurgam ? et ideo petit auxilium , dicens, *Convertere* etc. Et tangit tria, scilicet conversionem, ereptionem, et salvationem. Oculus hominis non illuminatur a sole nisi habeat directam oppositionem ad illum; ita anima si debet recipere lumen divinum , debet habere directum aspectum ad Deum: et huiusmodi directus aspectus semper est paratus a Deo , sed homo avertit se , et oportet quod Deus convertat inquantum prius convertitur ad nos, convertendo nos ad se; et ideo dicit, *Convertere: Thren. 4. Converte nos Domine , et convertemur ad te* etc. Si aliquis compeditus traheretur ad suspendium ac videret aliquem de quo confideret, rogaret attente ac diceret, eripe me. Hoc modo orat iste dicens, *Eripe animam meam;* quasi dicat , Eripe me tractum per peccatum , ductum ad mortem : *Prov. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem : Ps. 68. Eripe me de luto ut non infigar* , etc. *Colos. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Item *Salvum me fac.* Postquam liberaveris me a malis, perduc ad salutem: *Ps. 62. In ipso salutare meum:* et hoc non per merita mea , sed *propter misericordiam tuam: ad Titum 3. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Deinde cum dicit , *Quoniam*

c Ostendit periculum imminens. Et primo pericu-

lum praesentis mortis, scilicet naturalis. Secundo damnationis aeternae a qua non est reditus; unde *Quoniam non est in morte*, idest post mortem: *qui memor sit tui*, scilicet cogitando bonitatem tuam, si de ea non fuit memor in vita. Et hoc ideo, quia anima rationalis non habet flexibilitatem arbitrii post mortem: *Eccl. 11. Sive ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Secundum periculum est, quia in inferno est obstinatio, et non est ibi confessio, ista scilicet de qua dicit Apostolus *Rom. 16. Ore autem fit confessio ad salutem:* et ideo dicit, *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Vel aliter *in morte*, scilicet peccati: *qui memor sit tui;* quasi dicat, Te deprecor, eripe animam meam ne consentiam: quia in peccato meo non ero memor tui: *Daniel. 13. Declinaverunt oculos suos ut non viderent caelum: nec recordaretur iudiciorum iustorum. In inferno autem*, idest in profundo pectotorum, *quis confitebitur tibi: Prov. 8. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnet.* Deinde cum dicit, *Laboravi*

d Ponit gemitum poenitentis: ubi tria videtur tangere. Primo tristitiam cordis. Secundo defectum rationis, ibi, *Turbatus est.* Tertio infirmitatem virtutis, ibi, *Inveteravi.* Tristitia cordis tripliciter indicatur. Primo per gemitum et suspiria. Secundo per corporis inquietudinem. Tertio per lacrymas. Quantum ad primum dicit, *Laboravi in gemitu meo*, scilicet suspirando: *Thren. 1. Multi gemitus mei, et cor meum maerens* etc. *Ps. 37. Rugiebam a gemitu cordis mei.* Dicit autem, *Laboravi*, quia labor est pugnare contra se, et tamen labor iste bonum fructum habet: *Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Quantum ad secundum dicit, *Lavabo:* ubi duo ponit, scilicet lectum et stratum; et haec duo licet pro eodem accipiantur, tamen proprietatem sequimur. Stratum dicuntur panni, qui sternuntur in lecto. Lectum illud quod subtus ponitur, et dicitur lectus ab eligendo, scilicet stramina et similia, unde fit lectus. Per hoc ergo quod dicit *lavabo per singulas noctes lectum meum*, dat intelligere quod qualibet nocte surgebat, et appodiatus iuxta lectum plorabat. Litera Hieronymi est, *Natare faciam lectum meum*, et est parabolica locutio. Vel *natare faciam*, idest ad modum natantis faciam habere ex inquietudine mea in eo. Dicit autem, *lacrymis stratum meum rigabo*, quia etiam in lecto iacens plorando perfundebat pannos lecti, quasi irriguum lacrymarum. Moraliter lectus in quo homo quiescit, est conscientia, hanc lavat homo per lacrymas in poenitentia: *Hiere. 4. Lava a malitia cor tuum.* Per stratum vero designantur peccata, quae supersternuntur conscientiae, quae quidem abluenda sunt lacrymis: quia lacrymae lavant delictum, quod pudor est confiteri, Glossa: *Thren. 2. Defecerunt prae lacrymis oculi mei etc. Per singulas* ait *noctes*, idest per singula peccata. De singulis enim peccatis debet homo poenitendo plorare. Datur autem hic intelligi quod poenitens habeat vices interpolatas: quia inter bona quae faciebat aliquando peccabat, et de singulis plorabat: unde non dicit per unam, sed per singulas noctes. Dicit autem *rigabo* per inundantiam lacrymarum: *Hier. 9. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis* etc. *Thren. 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem, ne taceant pupillae oculi tui.* Consequenter cum dicit, *Turbatus*

e Ponit defectum rationis. Tristitia enim est causa irae; et ideo tristis irascitur de facili. Ira autem semper turbat oculum rationis. Turbati autem minus praevident; et ideo dicit, *Turbatus est oculus meus*, idest ratio mea, sed a furore aliorum: irascebatur enim David et turbabatur, quando videbat insurrexisse contra se Absalon filium suum, et consiliarios eius. Vel a furore suo, quia turbabatur contra peccata propria. Recognoscebat enim in statu persecutionis illius, quod propter peccata sua iuste affligeretur, et haec ira non caecat, sed turbat. Alia vero ira excaecat. Vel a furore tuo Domine Deus quo me punis, quasi provocatus a me, quia te turbavi: *Isa. 38. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum: Iob 16. Facies mea intumuit a fletu et planctu* etc. Tertio ostendit infirmitatem virtutis, cum ait *inveteravi* etc. Quando aliquis in iuventute victoriosus fuit et fortis, si postmodum patiatur non solum ab extraneo, sed etiam a suis, reputatur senescere. Ita David qui in iuventute sua vicerat omnes, modo autem fugiebat filium suum, dicit *inveteravi*, scilicet aliorum reputatione: *Inter omnes inimicos meos*, manifestos scilicet et occultos: *Hebr. 8. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Vel peccator inveterascit, recedens a novitate Christi, de qua dicit Apostolus *Rom. 9. In novitate vitae ambulemus, ut serviamus in novitate spiritus, Rom. 7.* Glossa, Serviamus operibus novi hominis, idest Christi, quae non nostris viribus vel lege attingimus, sed gratia Spiritus sancti. *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, Rom. 6. Ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Per quam servitutem ruducitur quis in vetustatem peccati, membrum factus veteris hominis: propter quod monet Apostolus et suadet *Rom. 12. Reformamini in novitate sensus vestri, vel mentis vestrae.* Reformamini dicit glossa, quia in Adam fuistis deformati in novitate etc. Novum hominem, scilicet Christum; videlicet, imitantes hanc vetustatem et deformitatis miseriam, propheta sub interrogatione deplorat dicens *Baruch 3. Quid est Israel quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena* etc. Et consonat ei quod hic dicitur, *Inveteravi inter omnes inimicos meos*: vel daemones, vel omnia peccata quibus omnibus consensi; et sic hoc quod dicit, *inveteravi*, secundum hunc sensum est materia gemitus; quasi dicat, ideo *lavabo* etc. quia *inveteravi* veterem hominem imitatus, vitiis omnibus me subiiciens; et tunc hoc quod dictum est *Turbatus est*, etc. refertur ad statum poenitentis. Vel potest referri ad materiam iustitiae, et hoc quantum ad statum peccati; quasi dicat, ideo *inveteravi*, idest peccavi, quia *oculus meus*, idest caro mea, *turbata est a furore*, idest ab impetu passionis: *Ps. 57. Supercecidit ignis*, scilicet concupiscentiae secundum glossam Augustini: *Et non viderunt solem*, scilicet iustitiae: *Daniel. 13. Concupiscentia subvertit cor tuum.* Item idem: *Exarserunt in concupiscentiam eius etc. ut neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Ab impetu ergo passionis dicit David in eo forte turbatum oculum rationis ut non videret caelum, et hoc fuit concupi-

scentiae, *2. Reg. 11.* quam ad se vocatam cognovit. Et postmodum cognito quod esset gravida, ad crimen adulterii addidit crimen homicidii. Unde Uriam virum Bersabeae proditorie iussit occidi, pro quibus peccatis gravissimis iusto Dei iudicio passus est a filio persecutionem. *Discedite.*

f Haec est tertia pars principalis, in qua fructus poenitentiae ponitur: unde hic se exauditum ostendit, et exinde gratulatur: et circa hoc tria facit. Primo enim repellit a se inimicos. Secundo confitetur se esse exauditum, ibi, *Quoniam exaudisti.* Tertio praenunciat inimicorum eventum, ibi *Erubescant.* Dicit ergo, *Discedite, etc.* Detur quod aliquis propter peccatum afflictus fuerit, post datam indulgentiam insultare potest inimicis, vel inducentibus ad peccatum, vel persequentibus corporaliter. Ad literam Hieronymus dicit, *Discedite a me*, inducentibus me ad peccatum: quia societatem vestram nolo: *2. Cor. 6. Propter quod separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos.* Vel *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*, idest vos operarii iniqui persequendo me iniuste. *Discedite*, inquam, *a me quia Dominus mecum est tamquam bellator fortis, Hiere. 29.* Unde *Ps. 7. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et per hoc signatur futura persecutio, et separatio malorum a bonis: *Matth. 13. Separabunt malos de medio iustorum.* Item eiusdem *23. Separabunt eos ab invicem, sicut pastor segregat* etc. Et *infra eod. cap. Discedite a me maledicti* etc. Consequenter cum dicit *quoniam exaudivit*, praenuntiat se exauditum. Ubi advertendum est, quod superius tria praemisit, scilicet orationem, cum dixit, *Miserere.* Secundo deprecationem, ut liberaretur, *Convertere.* Tertio luctum, *Laboravi* etc. Et haec tria dicit exaudita ordine retrogrado. Et primo gemitum, dicens, *Exaudivit Dominus* etc. Gemitus sanctorum vocem habet apud Deum: *Eccl. 35. Non despiciet vocem pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas?* A maxilla enim ascendunt usque ad caelum, et Dominus exauditor declarabitur in illis. Et *Genes. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Propterea dicebat illa sancta domina Iudith *8. Indulgentiam eius cum lacrymis postulemus.* Secundo deprecationem: est namque deprecatio proprie secundum glossam Cassiodori, pro removendis malis: *Luc. 1. Exaudita est deprecatio tua.* Dicit ibi glossa, qua rogasti pro liberatione plebis. Ut ergo ostendat se liberatum a malis pro quibus rogaverat dicens, *Convertere* etc. subiungit hic, *Exaudivit Dominus deprecationem meam.* Tertio orationem, ut scilicet intret in conspectu eius: et hoc est quod subinfert, *Dominus orationem meam suscepit.* Et nota, quod ponit hic ter *Dominus*, ut ostendat se exauditum a tota Trinitate: *Ps. 66. Benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus.* Consequenter cum dicit, *Erubescant*

g Ponit inimicorum eventus; ac si diceretur, Tu dicis inimicis tuis, *Discedite.* Sed quid erit eis discedentibus a te? Certe *Erubescant* etc. Haec verba possunt exponi in bono et in malo. Si in bono, tunc dicta sunt per modum orationis. Ubi petit quatuor pro eis, scilicet erubescentiam de peccatis: quia hoc est principium emendationis vitae: *Eccl. 4. Est confusio adducens gloriam.* Unde *Erubescant.* Secundo dolorem de peccatis, *Conturbentur: Ps. 59. Commovisti terram et conturbasti eam* etc. Debet enim poenitens habere vehementiam doloris, plus quam habuerit delectationem in peccato. Tertio conversionem ad Deum: unde *Convertantur: Isa. 31. Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel.* Et quarto erubescentiam, *Erubescant et conturbentur vehementer.* Est autem erubescentia principium et finis emendationis. Sed aliter posset reddi ratio: quia scilicet a principio erubescit quis oculos hominum, et hoc dolet, et vitat mala, in fine vero erubescit oculum rationis suae et oculum Dei: *1. Rom. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* De secundo *Luc. 18. Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad caelum levare.* Hoc autem fieri debet *valde velociter*, ut non tardetur: *Eccl. 5. Ne tardes converti ad Dominum* etc. Si autem accipiantur in malo, tunc per modum praenunciationis intelligenda sunt; quasi dicat, *Erubescant*, prae detectione peccati eorum coram omnibus: *Isa. 1. Erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluens foliis* etc. *Et conturbentur*, timore et tristitia mirabili: *Sap. 5. Turbabuntur timore horribili* etc. Et ideo dicit, *Vehementer eos inimici mei, convertantur*, recognoscendo culpam propriam et gloriam sanctorum: *Sap. 5. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii: nos insensati* etc. *Et erubescant*, quia erit eis haec recognitio ad confusionem: et hoc, *valde velociter: Isa. 30. Subito dum non speratur, veniet contritio eius*, etc. *Iob 21. In puncto ad inferna descendunt: Thess. 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax et securitas* etc.

*In finem Psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Gemini.*

## a PSAL. DAVID VII.

Domine Deus meus in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Domine Deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala.

b Decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

c Exurge Domine in ira tua: et exaltare in finibus inimicorum meorum. Et exurge Domine Deus meus in praecepto quod mandasti: et synagoga populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere.

d Dominus iudicat populos. Iudica me Domine secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges iustum.

e Scrutans corda, et renes Deus. Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

f Deus iudex iustus, fortis, et patiens, nunquid irascetur per singulos dies?

g Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis; sagittas suas ardentibus effecit.

h Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

i Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor eius in caput eius; et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

k Confitebor Domino secundum iustitiam eius, et psallam nomini Domini altissimi.

## a PSAL. VII.

Supra praemissi sunt Psalmi pro liberatione ab hostibus; hic ponitur Psalmus in quo petit vindictam de eis; et praeponitur titulus talis, *In finem quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Gemini.* Historia habetur *2. Reg. 17.* quod David fugit a facie filii sui, et Achitophel sapientissimus adhaesit Absaloni. Chusi vero adhaesit David: quem remisit ut sciret consilia Achitophel, et ea sibi significaret. Cum autem Achitophel consilium dedisset Absaloni nocivum valde patri suo David, scilicet ut statim eum invaderet antequam tutaretur alicubi, Chusi secreto significavit David, ut de campestribus fugeret ubi erat, et transiret Iordanem ad loca munitissima. Isto ergo nuncio Chusi audito David, hoc canticum cecinit Domino, et ideo dicitur hic, *Quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Gemini.* Dicitur autem filius Gemini, quia forte de tribu Beniamin erat: vel ex aliquo descenderat qui habebat hoc nomen. Hieronymus non habet, *In finem:* nec pro victoria, sed pro ignoratione, vel ignorantibus, *Super verbis Aethiopis*, tamen nescitur an fuerit Aethiops. Mystice autem hic Psalmus potest esse ecclesiae, et contra persecutores. Et dicitur pro verbis Chusi, qui interpretatur silentium, sed Gemini dextera; quasi dicat, Occulto divinae providentiae iudicio factum est ut Achitophel, qui fratris ruina interpretatur, scilicet Iudas Scariothis in ruinam, idest in mortem fratris sui Christi videlicet, qui non confunditur eos vocare fratres, *Heb. 2.* consilio et auxilio conspiravit. Sed quod ille ad perniciem unius hominis fecit, Christus ad salutem omnium inflexit, ut dicit Augustinus in glossa. Hic autem Psalmus habet tres partes. Primo ponitur oratio. Secundo exauditio, ibi, *Dominus iudicat.* Tertio gratiarum actio, *Confitebor Domino.* Circa primum duo facit Primo orat ut liberaretur ab hostibus. Secundo, ut hostes deprimantur, *Exurge Domine in ira tua.* Circa primum duo facit. Primo petit misericordiam. Secundo allegat suam innocentiam, *Dominus Deus meus si feci istud.* Circa primum tria facit. Primo praemittit orantis affectionem. Secundo proponit petitionem, *Salvum me fac.* Tertio petitionis rationem, *Ne quando rapiat.* Affectus orantis est ut speret in Domino: *Eccl. 2. Quia nullus speravit in Domino, et confusus est:* et ideo dicit, *In te speravi.* Petitio est duplex: petit enim salvari et liberari secundum Dionysium. Liberari est removeri a malo; salvari conservari in bonis. Sic ergo petit quod salvetur a corruptione hostium, et liberetur ab eis. Et potest intelligi de corporalibus hostibus, et de spiritualibus; quasi dicat, Salvum me fac ab hostibus, et a tentationibus: *Psal. 21. Salva me ex ore leonis.* Idem, ibidem, *Libera animam meam a malignitate eorum.* Ponit petitionis rationem, cum dicit, *Nequando rapiat*, etc. quasi dicat, Nisi subvenias mihi, devorabit me Absalon, sicut leo: *2. Reg. 15. Surgite fugiamus: neque erit nobis refugium a facie Absalonis.* Et supra dicit in plurali, *Ab omnibus persequentibus*, hic in singulari, *Ne quando rapiat ut leo*, quia omnes sub uno capite comprehenduntur: spirituales sub uno diabolo; corporales sub Absalone. De primo *1. Petri 5. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens* etc. *Psal. 9. Insidiatur in abscondito, quasi leo* etc. *Rapiat* quasi subito, *Et velociter: Ioa. 10. Lupus rapit*: quia diabolus insidiose facit. Et hoc faciet, *dum non est qui redimat* etc. Redimitur quis, dum liberatur a malo: et hoc refertur ad liberationem a poena: *Osee 13. De morte redimam eos. Neque qui salvum faciat*, per liberationem a culpa: *Matt. 1. Ipse salvum faciet populum suum a peccatis.* Hieronymus: *Ne forte rapiat ut leo animam meam, et laceret: et non sit qui eripiat.* Deinde allegat suam innocentiam, *Domine Deus meus si feci istud.* Et hoc potest intelligi dupliciter: vel per modum iuramenti, sic sciendum est quod duplex est iuramentum, scilicet per contestationem, sicut *ad Rom. 1. Testis est mihi Deus cui servio in spiritu meo* etc. et per execrationem, ut cum dicitur, *Si ita feci, sic contingat mihi: Iob 31. Si gavisus sum ad ruinam illius qui me oderat* etc. *2. Cor. 1. Ego testem Deum invoco in animam meam;* quasi dicat, Si non sum innocens rapiat me. Vel potest intelligi per modum praenuntiationis; quasi dicat, Si ego sum in istis defectibus, haec erit poena mea, *Decidam* etc. Et secundum hoc excludit primo a se culpam, *Si feci istud*, etc. Secundo determinat sibi poenam, *Decidam* etc. Excludit autem a se culpam, primo in generali, cum dicit, *Domine Deus meus si feci istud.* Quid *istud?* Peccatum scilicet superbiae secundum glossam, quod est quasi universale peccatum: *Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia.* Vel aliter, *istud*, quia quando quis patitur tribulationem aliquam ex culpa sua, dicitur ei, Tu fecisti tibi istud: quasi dicat, Tu es in causa ut hoc fiat. Et sic dicit, *Si feci istud*, ego huic persecutioni causam dedi: *2. Reg. 8. Faciebat David iudicium et iustitiam cum populo suo: Mich. 7. Iram Domini portabo: quia peccavi ei* etc. Secundo, cum dicit, *Si est iniquitas* etc. excludit culpam in speciali: ubi tria facit: nam primo dicit quod nulli fecit iniuriam; et ideo dicit, *Si est iniquitas: Iob 41. Si iniquitatem quae est in manu* etc. *1. Reg. 24. Animadverte et vide, quod non est in manu mea malum, neque iniquitas.* Unde cum homo nulli facit iniuriam, iniustum videtur, quod affligatur. Secundo quidem remisit offensam; et ideo dicit, *Si reddidi* etc. Et hoc *1. Reg. 24. Pepercit tibi oculus meus. Dixit enim: Non*

*extendam manum meam in dominum meum: quia Christus Domini est: Levit. 19. Ne quaeras ultionem: nec memor eris iniuriae civium tuorum.* Tertio, quod inimicis benefecit: quod est tertium bonum. Unde litera Hieronymi habet, *Dimisit hostes meos vacuos: Rom. 12. Noli vinci a malo, sed vince* etc. *Prov. 25. Si esurierit inimicus tuus* etc. *Matth. 5. Benefacite eis qui oderunt vos: 4. Reg. 9. Regi Samariae mandavit Helisaeus ut apponeret cibos exercitui regis Syriae, qui venerat ad capiendum eum. Appositaque est eis ciborum magna praeparatio.* Consequenter cum dicit, *Decidam*

b Determinat sibi poenam quae sequitur; quasi dicat, Si ista non sunt vera quae dico, fiant mihi ista. Et primo ponit detrimentum pecuniae. Secundo personae. Tertio gloriae. Dicit ergo quantum ad primum. Hoc malum accidat mihi, scilicet quod *Decidam merito*, idest iuste *ab inimicis*, idest auferantur mihi bona: *Iob 31. Si adhaesit membris meis macula, seram, et alius comedat.* Quoad personam tria ponit quae homo patitur in se. Primo persecutionem. Secundo captivitatem. Tertio mortem. Quantum ad primum dicit, *Persequatur.* Quantum ad secundum, *Comprehendat.* Quantum ad tertium, *Et conculcet*, vel occidendo, vel totaliter me prosternat. Quantum ad gloriam subiungit, *Et gloriam meam* etc. Ac si diceret, Quicquid sit illud in quo glorior, redigatur in pulverem et dispergatur. Mystice inimicus diabolus persequens tentando: *Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores etc. Comprehendat*, per consensum peccati: *Thren. 1. Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias. Conculcet*, per consuetudinem et contemptum: *Isa. 61. Incurvare ut transeamus.* Gloria hominis duplex est, naturalis scilicet et spiritualis. De prima *1. Cor. 11. Vir non debet*, idest mens, *velare caput suum: quia gloria et imago Dei* est. De secunda *2. Cor. 1. Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Gloriam ergo hominis deducit diabolus in pulverem, quia imago Dei deturpatur, quia maculatur: *1. Tim. 4. Cauteriatam habentes conscientiam: Ps. 72. Domine in civitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

c Supra proposuit orationem pro se, petens liberari et salvari; hic petit contra inimicos: ubi duo facit. Primo petit eorum punitionem. Secundo punitionis fructum, ibi, *Et exaltare.* Legamus primo literam secundum historiam, sicut potuit competere David. *Exurge.* Duobus generibus hominum dicitur, dormienti, et iacenti. Deus autem quando peccata non punit, dormire videtur, quasi non haberet prudentiae vigilantiam: *Ps. 43. Exurge, quare obdormis Domine.* Item quando non punit, videtur impotens iacere; sed tunc surgere videtur, quando potestatem manifestat adversarios puniendo: *Isa. 26. Exaltetur manus tua, ut non videant, videant et confundantur zelantes populi, et ignis haereditatem tuam devoret. In ira* dicit, idest in punitione, quae est irae effectus. Fructum autem punitionis ponit triplicem. Unum ex parte Dei, ut Deus exaltetur, non in se, sed in opinione hominum, quia per hoc reputatur altus; et ideo dicit, *Exaltare;* quasi dicat, Deprime inimicos meos, et in hoc altus apparebis: *Eccl. 37. Sicut in conspectu illorum magnificatus est in nobis, ita in conspectu nostro* etc. Et dicit, *In finibus*, ut totaliter deprimat, et nihil remaneat invadendo fines eorum. Hieronymus habet, *Elevare indignans super hostes;* quasi dicat, Irascere, et in hoc *elevare.* Alius fructus est ex parte David: nam *1. Reg. 13.* legitur: *Invenit Dominus virum secundum cor suum, cui praecepit ut esset dux super populum suum:* et ipse David de se dicit *2. Reg. 6. Praecepit mihi Dominus, ut sim dux.* Hoc ergo praeceptum videbatur evacuari David depresso: et ideo dicit, *Exurge in praecepto quod mandasti,* scilicet sim dux in regno: et ideo Hieronymus habet, *Exurge ad me in iudicium quod mandasti.* Alius fructus est ex parte populi. In veteri lege ordinabatur per homines de aliis principibus populi; sed de summo principe solum dispensabatur per Deum: *Num. 17. Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem* etc. *Deut. 17. Cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris, constituam super me regem sicut habent omnes per circuitum nationes, illum constitues principem quem Dominus tuus elegerit.* Ergo Dominus in magno principatu debebat sequi divinam ordinationem: et ideo subdit: *Et Synagoga populorum circumdabit te*, idest sequitur tuam ordinationem, ut revertatur in me: *Et propter hoc in altum regredere*, idest apparebit magnificentia tua; quasi dicat, Non solum propter vindictam, sed ut homines revertantur ad me; sed prout refertur ad Christum, petit incarnationis mysterium: in quo duplex est fructus. Primus depressio daemonum, et conversio hominum, *Exurge Domine.* Quantum ad primum dicit, *Exurge*, idest appare in mundo per incarnationem, et hoc *in ira tua*, idest ut punias daemones: *Io. 12. Nunc iudicium est mundi* etc. *Marc. 1. Quid nobis et tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos. Et exaltare in finibus inimicorum,* auferendo eorum possessionem: *Luc. 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Si autem fortior illo supervenerit, et vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet:* et *Matth. 12. Quomodo potest quisquam intrare domum fortis, et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum eius diripiet?* vel contra Iudaeos, ut sit petitio ecclesiae gentium contra eos. Et dicit, *Exaltare in finibus inimicorum,* alia non mutantur. Illud quod exaltatum homini apparet, ex hoc occultatur: ut puta quando nimis in altum exaltatur. Sicut ergo quod latet in profundo si exaltetur apparet: *Iob 28. Profunda fluvii scrutatus est, et abscondita producit in lucem.* Sic ait, *Exaltare*, idest manifestare: et sicut quod nimis exaltatur occultatur; unde *Act. 1. Elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum,* sic *exaltare*, ut efficiaris Iudaeis occultus: ut te non cognoscant, et sic crucifigant, et redimantur. Quantum ad secundum enim dicit, *Exurge Domine Deus in praecepto,* pro conversione hominum. Ubi primo ponitur motivum conversionis. Secundo perfectio. Tertio punitio. Dicit ergo, *In praecepto,* scilicet mansuetudinis et humilitatis: *Quod mandasti: Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Exurge* ergo in hoc *praecepto*, idest appare humilis altus existens; quasi dicat, Ita humi-

litatem accipias ut altitudinem non deseras, vel *exurge* a mortuis, et sic *synagoga populorum circumdabit te*, congregatio scilicet beatorum qui remunerabuntur, et malorum qui punientur: *Cant. 11. Oleum effusum nomen tuum etc. Isa. 2. Praeparabitur mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Et *6. ca. Leva oculos tuos in circuitu : omnes isti qui congregati sunt venerunt tibi :* et *propter hanc in altum regredere* , scilicet ut hanc synagogam perficias, credentium scilicet congregationem: *Ephes. 4. Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* etc. *Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos.* Vel *in altum,* absconderis ab oculis Iudaeorum, etc. *Synagoga populorum circumdabit te,* contemnendo et persequendo: in quo maxime punientur.

d Secunda pars est istius Psalmi, in qua agitur de exauditione petitionis. Et quia exauditio petitionis fit iudicio Dei , ideo introducitur divinum iudicium. Et primo praemittit ipsum. Secundo agit de dilatione eius, *Deus iudex iustus fortis et patiens, nunquid irascetur per singulos dies.* Circa primum tria facit. Praemittitur enim primo iudicium. Secundo eius modum, *Iudica me Domine* etc. Tertio iudicis idoneitatem , *Scrutans corda et renes Deus.* Dicit ergo, Habeo inimicos persequentes: et peto divino auxilio liberari. Et de hoc confido. Quia *Dominus iudicat populos: Iudicat enim orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua, Ps. 96. Isa. 3. Stat ad iudicandum Dominus , et stat ad iudicandos populos.* Et nota quod postquam dixit, *Propter hanc in altum,* subiungit de iudicio: quia post ascensionem revertetur ad iudicandum : *Act. 1. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, ita veniet ad iudicandum.* Modus iudicii ponitur in forma orationis: quia orando ostendit quid fiet in iudicio, dicens, *Iudica me.* Et primo ponit bonorum retributionem. Secundo malorum punitionem, *Consumetur.* In iudicio duo retribuuntur: quia bonis bona, et malis mala. Qui ergo bonus est, et qui caret malis, habebit abundantiam bonorum, et sublationem malorum : *Prov. 1. Qui me audierit abundantia perfruetur , timore malorum sublato* etc. Et ideo quantum ad primum dicit, *Iudica me secundum iustitiam meam,* scilicet quam dedisti mihi, secundum quod sum iustus: et haec iustitia est, ut mihi retribuantur bona : *Matth. 5. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: quam* etc. Quantum ad secundum dicit , *Secundum innocentiam meam* , et haec iustitia est ut nihil mali patiatur : *Iob 22. Salvabitur innocens: salvabitur autem munditia manuum suarum.* Et nota , quod petit hoc iudicium secundum iustitiam. Supra dicit in poenitentiali Psalmo secundum misericordiam, nullum meritum commemorans; nunc autem quia iam iustificatus fecerat aliqua bona, quibus debebatur praemium , petit iudicari secundum iustitiam. Quod ait, *Super me,* designat quia iustitia hominis et innocentia non sunt ab homine, sed a Deo. Contra hoc quod petit, ut sibi sint bona, et mali nihil patiatur, videtur aliquando bonum esse , et utile opprimi a malis , et etiam ultra boni habent mala in mundo isto, et mali bona: *Luc. 16. Recordare quia recepisti bona in vita tua* etc. Et ratio huius assignatur. *Consumetur* , idest ad finem deveniet : *Nequitia peccatorum : Apoc. ult. Qui in sordibus est , sordescat adhuc.* Nota quod quandoque Deus differt poenam ut praedestinati convertantur: *Isa. 30. Propterea expectat vos Deus, ut misereatur vestri.* Unde tunc , *Consumetur nequitia peccatorum,* idest deficiet. Quandoque ut mali malitiam suam amplius manifestent , et iudicia Dei appareant iusta: et tunc, *Consumetur,* idest perficietur, *Nequitia peccatorum,* ut iustior appareat vindicta , propter quod dicit *Gene. 15. Scito praenoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum,* etc. *usque necdum completae sunt iniquitates Amorraeorum* etc. *Act. 7. Et non dedit ei haereditatem in ea nec passum pedis* etc. usque dixit Dominus. Sic ait, *Consumetur ;* quasi dicat, Faciant quicquid possunt, quia tandem, *Consumetur nequitia ipsorum peccatorum.* Sed nunquid mali gravabunt bonos ? Non : quia *Deus diriget iustos.* Unde, *Diriget iustum, Prover. 2. Simplicitas iustorum diriget eos.* Deinde cum addit , *Scrutans*

e Ostendit iudicis idoneitatem. Et primo ponit idoneitatem iudicis. Secundo confidentiam de eo conceptam, ibi, *Iustum adiutorium meum.* Duo autem requiruntur ad idoneitatem iudicis , scilicet ut sit sapiens, et ut sit iustus. Haec autem sunt in Deo : et ideo iudex est idoneus : *Prov. 20. Rex qui sedet in solio iudicii , dissipat omne malum intuitu suo.* Est enim sapientissimus omnia cognoscens, etiam interiora: *Heb. 4. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* Est etiam iustissimus : *Hiere. 2. Tu autem Domine Sabaoth , qui iudicas iuste* etc. Et ideo dicit , *Scrutans corda* , Hieronymus habet sic , *Probator cordis et renum, Deus iustus,* et post sequitur alius versus: *Clypeus meus in Deo.* Ubi litera nostra habet , *Iustum adiutorium* etc. Dicit ergo, *Scrutans.* Tria sunt in homine: unum apparens, scilicet exterius opus: et duo quae latent, scilicet intentio, et delectatio. Haec duo nobis latent, sed Deo patent. Et quia Deo sunt nota, licet nobis occulta, ideo dicit, *Scrutans corda,* quia novit intentionem: *Et renes,* idest delectationem, utrum scilicet delecteris in laude Dei vel hominum. Sed quia scrutari est inquirere , inquirere autem est ignorantis, hoc a Deo removet. Et ut ostendat quod Deus evidenter scit, cum dixit, *Consumetur* etc. convenienter dixit , *Scrutans :* quia in tribulatione maxime apparet conditio hominum. Deinde subinfertur, *Iustum adiutorium meum a Domino* etc. Ubi ponitur fiducia concepta de iudice, a quo adiutorium est sperandum. Est enim duplex adiutorium Dei, scilicet misericordiae, et aliud iustitiae. Adiutorium quo liberatur a malis et peccatis, est misericordiae : et non est iustum, quia non ex meritis. Sed quando quis iustificatur, Deus perficit: et hoc est iustitiae, quia respondet aliqualiter merito. De primo dicitur *Psal. 45. Adiutor in opportunitatibus* etc. De secundo *Ps. 45. Adiuvabit eam Deus* etc. Sed quaere: Quia, *Salvos facit* etc. *Prov. 2. Custodiet rectorum salutem. Rectos corde,* idest qui intentione tendunt in Deum.

Sed quaerit Cassiodorus. Quare non dicit, Qui salvos facit rectos renibus , sed *rectos corde.*

Respondeo. Rectitudo pertinet in ordine ad finem, et ad hoc est intentio: et ideo oportet quod intentio sit recta. In renibus autem est delectatio sensibilis.

f Supra praemisit divinum iudicium; hic autem agit de dilatione futuri eventus, scilicet poenae. Et pri-

mo ostendit causam dilationis. Secundo praeparationem ad vindictam, *Nisi conversi* etc. Proponit autem tres causas, quare Deus potest putari non punire peccatores. Una est eo quod non sit iustus, ut auferatur providentia humanorum actuum: *Ezech. 9. Iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde: et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione. Dicunt enim: Dereliquit Dominus terrae, et Dominus non videt: Iob 22. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat:* et hanc excludit a Deo, qui iudex est et iustus: *Is. 32. Ecce in iustitia regnabit rex, et princeps in iudicio petitur.* Alia causa est, quia non est potens; sed hoc excludit, quia *Deus fortis, Iob 9. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est.* Quae ergo causa; *Patiens?* quia et ideo dicit, *Numquid irascetur* etc. idest non quolibet die puniet, sed expectat aliquando et dissimulat: *Sap. 12. Dissimulans peccata hominum propter poenitentiam: Isa. 30. Expectat vos Deus, ut misereatur vestri* etc. et 28. *Non in perpetuum triturans triturabit.* Hieronymus habet, *Comminans tota die*, scilicet per sacram Scripturam. Deinde cum dicit, *Nisi*

g Ostendit quod Dominus parat se ad poenam inferendam, etsi differat ex causa: et ponitur haec praeparatio. Primo ex parte Dei punientis. Secundo ex parte hominis puniti sive recipientis, ibi, *Ecce parturiit.* Praeparatio ex parte Dei describitur secundum praeparationem hominis contra meritum vel peccatum: quia, *Odio sunt Deo impius et impietas eius, Sap. 4.* Et sicut homo praeparat se gladio contra hostes qui sunt prope, sed arcu contra remotos, ita divina vindicta contra eos qui videntur sibi adhaerere, et possunt videre causam punitionis, dicitur gladius quasi contra propinquos, sed arcus contra remotos: et ideo non statim te punit, sed praeparat se ut convertaris. *Et nisi conversi fueritis, gladium suum etc.* idest vindictam suam: *Iob 19. Fugite a facie gladii.* Ultor enim iniquitatis est gladius etc. *Zach. 9. Exibit ut fulgur iaculum eius. Vibrabit* ad terrendum, et ad propinquos ut fortius percutiat: quia nisi per comminationes homo convertatur, fortiter percutit. Maximus Valerius: *Lento gradu ad vindictam sui procedit divina ira: tarditatem supplicii gravitate compensat.* Hieronymus habet, *Gladium suum acuet*, idest praeparabit maiorem damnationem: *Deut. 32. Si acuero ut fulgur gladium meum* etc. *Matth. 10. Non enim veni mittere pacem in terram, sed gladium* etc. Secundum glossam, *Gladius Dei Christus est.* Vibratio ergo est comminatio gehennae in quo percutientur impii, sicut eo vindicante: *Isa. 27. In die illa visitabit Deus in gladio suo duro* etc. Praeparat et se arcu, quasi ad remotos; unde *arcum suum* etc. Et primo agit de praeparatione arcus. Secundo sagittarum, *Et in eo paravit.* Qui parat arcum primo tendit. Secundo ordinat in manu. Quantum ad primum dicit, *Arcum suum,* idest divinam vindictam, quasi ex inopinato punientem. Quantum ad secundum dicit, *Et paravit illum: Isa. 30. Praeparata est enim ab heri Tophet a rege: praeparata profunda et dilatata,* scilicet ad puniendum. Secundo agit de praeparatione sagittarum, *Et in eo etc.* Et primo quantum ad ipsas sagittas. Secundo, quomodo in eis aliquis magis nocivum ponit, puta ignem vel venenum. Dicit ergo, *Et in eo,* scilicet arcu, *praeparavit vasa,* idest instrumenta mortis, scilicet occidentia: *Ezech. 9. Unusquisque habet vas interitus in manu sua: Ardentibus effecit*, quia ibi aliquid combustivum, per quod intelligitur poena ignis aeterni; sed dicitur quod in hebraeo est, *sagittas suas persequentibus me effecit.* Per hunc arcum secundum Augustinum in glossa intelligitur sacra Scriptura: *Iob 29. Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Hic tenditur, quando duritia veteris testamenti est emollita per novum. Praeparatur, quando exponitur. *Et in eo paravit vasa mortis.* Vasa mortis possunt dupliciter accipi, scilicet in bono, vel in malo. Hi sunt haeretici, qui ex sacra Scriptura mortem simplicibus parant: et sic paravit, idest parari permisit: *Ps. 106. Errare fecit eos* etc. *Effecit*, idest extra fecit, hoc est in apparentia posuit: *Sagittas* penetrabiles sententias: *Ps. 119. Sagittae potentis acutae etc.* Vel in bono *Vasa mortis* Apostolus inobedientibus: *2. Cor. 2. Aliis sumus odor mortis in mortem.* Et hos effecit aptos ad comburendum igne charitatis: *Eccl. 48. Surrexit Helias quasi ignis, et verbum* etc. Deinde cum dicit, *Ecce*

h Agit de praeparatione ex parte hominis puniendi. Ubi duo proponit. Progressum scilicet in peccatum, quo paratur, scilicet ad punitionem. Et secundo incursum poenae, *Lacum* etc. In progressu peccati tria occurrunt. Malum propositum, conatus, et effectus. Et sic inimici David primo conceperant; sed tunc temporis erant in conatu, et post effecerunt. Propositum autem est sicut conceptio; conatus sicut parturitio; effectus sicut partus. Et ideo dicit, *Ecce parturiit*, idest nititur efficere, *Iniustitiam*, contra proximum: *Concepit dolorem*, quia *Hiere. 9. Ut inique agerent laboraverunt: Isa. 59. Conceperunt iniquitatem: Iac. 1. Concupiscentia cum conceperit parit peccatum. Peperit* autem *iniquitatem* conceptam, quia abstulerant Hierusalem Absalon, et Achitophel cum suis conplicibus. *Lacum*

i Agit de poena. Et primo ponit metaphoram. Secundo exponit eam, ibi, *Convertetur.* Venatores ponunt ingenia, ut capiant lupos in foveis. Ipsi etiam inimici, ut capiant homines, exercent ingenia sua: et hoc fit per proditionem; et ideo est sicut fovea. Apud Hebraeos fovea dicitur lacus: *Zach. 9. Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Lacum* ergo, idest foveam profundam, *aperuit*, idest excogitavit fraudem, *fodit*, profunde cogitando: et hoc explendo, *Incidit*, etc. quia cogitabat occidere, et fuit occisus: *Ps. 56. Foderunt ante faciem meam foveam* etc. Et hoc exponit, quomodo meam, quia *convertetur* etc. Quia conceperunt dolorem, *dolor convertetur in caput eius*, scilicet iniquitas quam peperit, descendit in verticem: *Isa. 24. Gravabit eum iniquitas sua* etc. *Confitebor*

k Haec est tertia pars, ubi ponit gratiarum actionem *secundum iustitiam eius*, quia praecessit meritum: *Ps. 95. Confessio et magnificentia opus eius. Et psallam* cum Psalterio: *Ps. 80. Sumite psalmum, et date tympanum etc.*

*In finem pro torcularibus.*

## a PSAL. VIII.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra? Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos.

b Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, et ultorem.

c Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, et stellas, quae tu fundasti.

d Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum?

e Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius; oves et boves universas, insuper et pecora campi. Volucres caeli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

## a PSAL. VIII.

Supra posuit Psalmum in quo David orabat pro sua persecutione; hic ponit Psalmum ad gratiarum actionem: et primo praemittitur Psalmus pro beneficiis collatis toti humano generi. Secundo alius pro beneficiis collatis sibi pro destructione inimicorum, vel pro bonis concessis. Tertio pro malis sublatis, ibi, *Confitebor*: nam hic exprimit affectionem hominis considerantis beneficia Dei concessa humano generi, et gratias agentis. Titulus. *In finem Psalmi David pro torcularibus.* Quia aliud est supra expositum, exponam hic solum ultimum. Ubi considerandum est, quod *Deut. 16.* dicitur, *Septem diebus facies festum tabernaculorum, quando de area et torculari colliges fruges tuos* etc. Sciendum enim est, quod David specialem devotionem habebat in festis celebrandis: et aliquid faciebat speciale ad laudem Dei. Festum autem tabernaculorum praecipuum erat. Et hoc fiebat in vindemiis in commemorationem divini beneficii, quando eduxit de Aegypto filios Israel in tabernaculis, et induxit in terram promissionis ubi sunt fructus: et ideo oportebat quod haberent fructus pulcherrimos, quo tempore erant torcularia; et ideo dicitur *pro torcularibus*, hoc ad literam. Sed specialiter torcular est ecclesia: *Isa. 5. Plantavit vineam electam, torcular extruxit in ea: Matth. 21. Plantavit vineam, et fodit in ea torcular.* Dicit ergo *pro torcularibus*, idest ecclesiis orbis: et dicitur ecclesia torcular, quia sicut in torculari separatur vinum a vinatiis, sic in ecclesia boni separantur a malis opere ministrorum: etsi non loco semper, affectu tamen. Eadem ratione dicitur et area: quia separatio fit grani a paleis. Item a verbis literaliter positis separatur sensus spiritualis. Item torcularia sunt martyria, in quibus fit separatio animarum a corporibus, dum corpora eorum qui pro Christi nomine afflictione et persecutione calcantur, quassatim remanent in terra, animae vero ad requiem in caelestibus emanant. Psalmus iste dividitur in duas partes. Primo enim Psalmista admiratur divinam excellentiam. Secundo eius clementiam, ibi, *Quid est homo.* Circa primum duo facit. Primo ostendit maiestatem Dei esse admirabilem. Secundo esse manifestam, ibi, *Ex ore infantium.* Circa primum duo facit: quia primo ponit eum mirabilem. Secundo rationem dicti manifestat, ibi, *Quoniam elevata* etc. Dicit ergo *Domine* omnium: *Hester 13. Dominus omnium tu es;* sed specialiter *Dominus noster*, qui te colimus, tibi adhaeremus. Hieronymus habet, *Dominator noster: Iudic. 8. Non dominabor vestri, nec filius meus, sed dominabitur super vos Dominus. Quam admirabile est nomen tuum* etc. scilicet divinitatis: *Psal 92. Mirabiles elationes maris etc. Genes. 32. Cur quaeris nomen meum quod est mirabile?* Item Christi incarnati: *Isa. 9. Vocabit nomen eius admirabilis.* Sed numquid solum in Iudaea, ut dicunt Iudaei, vel in Africa, ut Donatistae? non; sed *in universa terra*: *Malach. 1. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Ratio admirationis subiungitur, *Quoniam elevata est magnificentia tua*, quia in caelis apparet magnitudo tua. Admiratio est quando aliquis videt effectum, et ignorat causam. Dupliciter est ergo aliqua causa admirabilis: vel quia ignota totaliter, vel quia non producit effectum manifestantem causam perfecte. Primum non est in Deo: quia producit effectum: *Ro. 1. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt etc.* Producit dico effectum, non tamen manifestantem perfecte causam: et ideo remanet admirabilis: et hoc est quod dicit, *Magnificentia tua*, idest laus vel virtus tua, quae potest facere magna: *Est elevata super caelos*, improportionaliter excedens factionem caelorum. Unde excludit errorem dicentium, quod Deus sit forma caeli: esset enim secundum hoc proportionatus caelis Item dicentium quod agit ex necessitate naturae: quia non extenderet se supra caelos: tamen potest in infinitum maius facere: vel *super caelos*, idest Scripturas, quia plus est quam in Scripturis commendetur: *Eccl. 43. Glorificantes Deum quamtumcumque potestis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius:* vel *magnificentia tua*, idest filius tuus Deus homo: *Elevata est*, in ascensionem: *Super caelos: Ephes. 4. Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes caelos* etc. Deinde cum dicit, *Ex ore*

b Ostendit quod est maxime manifesta. Et primo ostendit manifestationem. Secundo eius rationem, ibi, *Quoniam videbo:* quod sit manifesta, probat: quia illud est manifestum quod est omnibus inditum, quantumcumque simplicibus, quasi quadam naturali cognitione. Duplex namque est genus hominum, qui consequitur naturalem et rectum instinctum, sicut sunt simplices, vel sapientes. Quod sapientes cognoscant Deum, hoc non est magnum, sed quod simplices sic. Sunt autem quidam qui naturalem instinctum pervertunt: et isti cognitionem Dei repellunt: *Ps. 81. Nescierunt*, idest nescire voluerunt, *neque intellexerunt* etc. *Iob 22. Dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Deus autem facit ut per illos, idest per simplices, qui sequuntur natura-

lem instinctum, confundantur qui pervertunt naturalem instinctum. Per infantes designantur simplices: *1. Pet. 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo* etc. Dicit ergo, *Admirabile* quidem *est nomen tuum*, ita tamen quod *ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*, qui interius instigas ad hoc: et hoc *propter inimicos tuos*, qui adversantur scientiae et cognitioni tuae: *Phil. 3. Inimicos crucis Christi* etc. *Ut destruas inimicum et ultorem*, quemcunque persecutorem. Vel Pharaonem qui velit ulcisci contra confitentem nomen tuum: *2. Cor. 10. Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Vel tyrannum qui armis impugnat nomen sanctum tuum: *1. Pet. 2. Ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam;* hoc fecit Christus: nam *Matt. 21.* de pueris Hebraeorum respondit Christus, quod ex eorum verbis perfecta sit laus, qui Spiritus sancti instinctu laudabant: quod tamen videbatur pueriliter agi. Hic locum habet quando simplices recognoscunt Deum, et alii pervertunt studia cognitionis naturalis, ne cognoscant ipsum Deum. Item hoc in Apostolis qui sine literis et idiotae: *Act. 4. Simplices sicut columbae: Matt. 10. Et sicut oves in medio luporum;* et destruxerunt omnes inimicos Christi: *1. Cor. 1. Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundantur sapientes, et infirma* etc. Consequenter huius manifestationis rationem subnectit dicens, *Quoniam.*

c Tullius dicit *in lib. de natura deorum*, et fuit dictum etiam ab Aristotele, quamvis in eius libris quae apud nos habentur non inveniatur, quod si aliquis homo intraret palatium, quod videret bene dispositum, nullus est ita amens, qui licet non videret quomodo factum fuerit, quin percipiat quod fabricatum sit ab aliquo. Nos intramus mundum, nec videmus quando factus sit; sed ex hoc ipso quod est ita bene ordinatus, debemus percipere quod est factus ab aliquo. Et hoc specialiter ostendit ordo corporum caelestium. Fuerunt quidam errantes qui causas rerum attribuunt necessitati materiae: unde dicunt facta omnia propter calidum et frigidum, siccum et humidum, ut elementa quae sic convenerunt: hoc autem si apparentiam posset habere in aliis, nullo tamen modo in caelestibus corporibus: quia non possunt attribui necessitati materiae, quod tantum distet hoc ab illo, et tanto tempore compleant cursum suum. Hoc autem nonnisi in causam intellectivam oportet reducere. Et ideo Scriptura quando vult manifestare Dei potentiam, reducit nos in considerationem caelorum: *Is. 40. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec;* ideo dicit, *Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum.* Dicit autem, *Opera digitorum*, propter tria: quia quae cum digitis facimus, attente et distincte facimus. Et quae de corporibus caelestibus considerandа sunt, non reducuntur nisi in causam intelligibilem; et ideo dicit, *Opera digitorum tuorum: Ps. 135. Qui fecit caelos in intellectu*: vel respondet ad id quod dicit *Elevata.* Quando quis facit elevari quod grave est, supponit humerum; sed quando facit elevari quod est leve, supponit digitum; et ideo dicit, *Opera digitorum*, quasi leve sit ei facere caelos: *Isa. 40. Quis appendet tribus digitis molem terrae, et caelos palma ponderabit?* vel quae digitis facimus subtilia opera sunt. Ut ostendat ergo quod haec subtiliora sunt aliis, dicit *Opera digitorum* etc. Lunam vero nominat, et non solem propter Gentiles, qui credebant eum summum Deum: et ideo ponit specialiter, *Lunam et stellas*, in quibus non est manifesta ratio erroris: *Eccl. 43. Species caeli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* Mystice apostolos vel Scripturas *opera digitorum.* Tres digiti tres personae; quasi dicat, Opera totius trinitatis vel Spiritus sancti. *Lunam*, ecclesia: *stellas*, doctores. Et haec Deus fundavit. *Quid*

d Supra Psalmista admiratus est divinae maiestatis excellentiam; et nunc commemorat duo beneficia divinitus collata hominibus. Secundo ex hoc psalmum terminat in laudem, ibi, *Domine Dominus noster* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit clementiam Dei ad homines, per comparationem ad ea quae sunt supra homines. Secundo per comparationem ad primum hominem, ibi, *Gloria et honore.* Tertio per comparationem eorum, quae sunt sub homine, *Et constituisti.* Supra hominem duplex est natura, divina scilicet, et angelica. Primo ergo ponit beneficia per comparationem ad Deum. Secundo per comparationem ad angelos, ibi, *Minuisti.* Primo exponatur secundum quod competit quantum ad beneficia naturalia. Secundo quantum ad gratuita. Et secundum primum modum et circa eum duo facit. Primo ponit specialem curam hominis a Deo. Secundo familiaritatem specialem, *Aut filius hominis.* Mirabile est quod quis magnus alicui parvo speciali familiaritate coniungatur: et ideo primo Psalmista commemorat parvitatem hominis ex conditione *quid est homo*, tam parva res: *Iob 14. Homo natus de muliere:* et *25. Homo putredo, et filius hominis vermis.* Secundo quantum ad originem: quia etiam vilis: *Iob 24. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* et *10. Nonne sicut lac* etc. Et ideo dicit, *Aut filius hominis.* Sed isti sic parvo, sic vili, dicit quod duo facit: scilicet quod memoratus est eius, et quod visitat eum. Primum pertinet ad curam. Secundum ad familiaritatem specialem. Et est talis modus loquendi: sicut si aliquis artifex fecisset magna, et inter aliqua unum minimum, scilicet acum, et quando fecit acum ostendit se habere eius scientiam. Sed quod in dispositione operum curaret de acu, esset valde mirabile; et ideo dicit, *Quid est homo*, quod inter magnas creaturas recordaris eius? *Eccl. 16. Ne dicas, a Deo abscondar* etc. *et quae est anima* etc. Quia propter parvitatem Deus non obliviscitur tui. Sed quod magnum est hoc? Deus enim habet curam de omnibus: *Sap. 12. Nec est enim alius quam tu, cui cura est de omnibus.* Dicendum, quod de homine habet specialem curam, scilicet quod in iudicio remunerentur actus eius: *Iob 14. Dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos* etc. Item non curam solum habet de homine, sed familiaritatem habet cum eo; et hoc est quod dicit, *Quoniam visitas eum.* Sola natura rationalis est capax Dei, cognoscendo, et amando. Inquantum ergo Deus nobis praesens efficitur per amorem vel cognitionem, visitat nos: *Iob 10. Visitatio tua custodivit* etc. Sic ergo magna clementia Dei est in comparatione hominis ad Deum; sed sequitur de homine hoc in conparatione ad angelos, quibus homo invenitur propinquus. *Minuisti*

e In angelis invenitur imago Dei per simplicem in-

tuitum veritatis, absque inquisitione; in homine vero per discursum: et ideo in homine aliquantulum. Inde est quod homines dicuntur angeli : *Malac. 2. Legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* Est et homo corruptibilis, sed modicum; quia aliquando homo in patria omnia sine discursu cognoscet; et erit secundum corpus incorruptibilis: *1. Cor. 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Consequenter ostendit clementiam Dei ad hominem, per comparationem ad ipsum hominem, cum dicit, *Gloria et honore* etc. Coronari est regum. Deus fecit hominem quasi regem inferiorum, et est gloria, scilicet claritas divinae imaginis : et haec est quaedam corona hominis: *1. Cor. 11. Vir imago est et gloria Dei: Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Sed iste honoratur, qui non subiicitur alicui. Homo enim nulli creaturae natura corporali subiicitur, quantum ad animam, nec in ingressu, nec in progressu: non in ingressu, quia a creatura non producitur, et libere agit: nec perit cum corpore; et in hoc honor hominis consistit; et ideo dicitur *Sap. 2. Nec iudicaverunt hominem animarum sanctarum etc.* usque fecit illum: *Ps. 48. Homo cum in honore esset non intellexit* etc. Consequenter cum dicit, *Constituisti*, ponit clementiam Dei ad hominem per comparationem ad ea, quae sunt sub homine, quia voluit habere hominem dominium super ista inferiora : et circa hoc tria facit. Primo proponit dominium. Secundo facultatem dominandi. Tertio numerum subditorum. Secundum, ibi, *Omnia subiecisti.* Tertium, ibi, *Oves et boves.* Dicit ergo, Ex quo homo est rex, dedisti ei dominium *super opera manum tuarum : Gen. 1. Ut praesit piscibus maris, et volucribus caeli, et bestiis universae terrae, et reptili quod movetur in terra.* Hoc habet per rationem, quia excedit omnia animalia ; et ideo statim cum dixit, *Gloria et honore*, subdidit, *Constituisti*, idest dedisti dominium. Sed nota quod dicit, quod homo habet auctoritatem super opera manuum, non digitorum, quia non sunt subtilia ut caeli, qui sunt opera digitorum. Homo non potest sibi ea subiicere; et ideo secundo ostendit facultatem dominandi. *Omnia*, inquit, *subiecisti*, ut praeesset et dominaretur ad nutum. Hoc signatur *Gen. 2.* ubi Deus adduxit omnia animalia ad Adam. Et haec subiectio plenarie fuit ante peccatum; sed aliqua nunc resistunt in poenam peccati. Tertio cum dicit, *Oves et boves* etc. enumerat subiecta : et ponit animalia ut etiam plantae intelligantur. In animalibus autem quaedam subiiciuntur secundum totum genus suum, scilicet animalia mansueta et domestica secundum suam naturam, scilicet oves et boves: et hoc in feminino dicit, *Universas*, quia armenta fiunt praecipue de vaccis et ovibus. Alia sunt quae non subiiciuntur secundum totum genus : et horum quaedam sunt gressibilia : et quantum ad hoc dicit, *Insuper et pecora campi* etc. scilicet apri, cervi, et huiusmodi: quaedam volatilia, scilicet aves: et quaedam natatilia sicut pisces. Possunt et hoc ad beneficia gratiae referri: et tunc in his omnia mysteria Christi numerantur. Primo incarnationis, *Quid est homo?* Duo tangit, scilicet causam incarnationis, et ipsam incarnationem: et dicit, *Quid est homo?* Videbatur enim Deus oblitus hominis, quando expulit eum de paradiso : huiusmodi recordatur quando reducitur illud *Psalm. 79. Memento nostri Domine.* Et sic sequitur incarnatio: quia visitat, et ideo dicit, *Aut filius hominis* etc. Quia licet totum genus humanum visitaverit, specialiter tamen illum hominem assumptum in unitate hypostasis: *Hebr. 1. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae.* Secundum est passionis. *Minuisti* propter passionem, *Heb. 2. Eum autem qui modico quam angeli minoratus est* etc. In hebraeo habetur, *Et minues eum parum a Deo*, quia coniunctus est Deo in unitate personae; sed minutus propter passibilitatem assumptam. Tertium est beneficium resurrectionis in honore exhibito Apostolis, qui numeratur per passionem: *Phil. 1. In nomine Iesu omne genuflectatur* etc. *Ioa. 5. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Quartum mysterium est ascensionis, *Constituisti eum super* etc. *Eph. 1. Constituens eum ad dexteram suam, supra omnem principatum et potestatem* etc. Quintum mysterium est adventus ad iudicium, *Omnia subiecisti* etc. idest constituisti eum iudicem super omnia: *Hebr. 2. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei : tunc omnia subiicientur sub pedibus eius*, idest humanitate eius, quia caput Christi Deus, *2. Cor. 11.* Et sunt pedes humanitas, *Io. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere.* Et hi in iudicio quidam boni: et horum quidam subditi sunt signati per *oves: 2. Reg. ult. Isti qui sunt oves quid fecerunt?* Quidam praelati, et hi signati sunt per *boves: Pro. 14. Ubi plurimae segetes, ibi manifesta fortitudo bovis.* Quidam mali : et horum sunt tria genera: *Io. 1. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitae.* Et primo ponit luxuriosos : et hi sunt *oves et boves et pecora campi*, quia bestialibus delectantur : *Ioel. 1. Putruerunt iumenta in stercore suo, et demoliti sunt horrea campi.* Dicit hoc, quia vadunt per amplam viam, *Matt. 7.* Secundo superbos, *Volucres: Matt. 14. Aves caeli comederunt illud: Deut. 32. Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Tertio cupidos, *Qui perambulant semitas maris*, ad literam; vel mundi: *Ps. 11. In circuitu impii ambulant: Iob 1. Circuivi terram, et perambulavi eam:* sicut Deus est mirabilis ex eminentia maiestatis, ita ostenditur ex elementia ; et ideo concludit admirationem, *Domine Dominus noster* etc. Tamen sciendum est, quod iste psalmus est circularis, quia eundem versum habet in principio et in fine. Quidam sunt semicirculares, quia non repetunt totum versum, sed partem ; sicut *Benedic anima mea Domino*, finis, *In omni loco dominationis eius.*

*In finem pro occultis filii.*

## a PSAL. DAVID IX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

b Laetabor et exultabo in te; psallam nomini tuo altissime.

c In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

d Quoniam fecisti iudicium meum et causam

meam; sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.

e Increpasti gentes, et periit impius; nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi.

f Inimici defecerunt frameae in finem, et civitates eorum destruxisti.

g Periit memoria eorum cum sonitu; et Dominus in aeternum permanet. Paravit in iudicio thronum suum, et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate: iudicabit populos in iustitia. Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

h Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine. Psallite Domino, qui habitat in Syon; annuntiate inter gentes studia eius. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem pauperum.

i Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis.

k Ut annuntiem omnes laudationes tuas, in portis filiae Syon.

l Exultabo in salutari tuo; infixae sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens; in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

m Convertantur peccatores in infernum; omnes gentes quae obliviscuntur Deum. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

n Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo. Constitue Domine legislatorem super eos; ut sciant gentes quoniam homines sunt.

o Ut quid Domine recessisti longe? despicis in opportunitatibus in tribulatione? Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

p Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem irae suae non quaeret.

q Non est Deus in conspectu eius: inquinatae sunt viae illius in omni tempore.

r Auferuntur iudicia tua a facie eius; omnium inimicorum suorum dominabitur. Dixit enim in corde suo, Non movebor a generatione in generationem sine malo.

s Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor.

t Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

u Insidiatur ut rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum.

x In laqueo suo humiliavit eum; inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum. Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus; avertit faciem suam ne videat in finem.

y Exurge Domine Deus, et exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret.

z Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras; ut tradas eos in manus tuas.

et Tibi enim derelictus est pauper: orfano tu eris adiutor.

o Contere brachium peccatoris et maligni: quaeretur peccatum illius, et non invenietur. Dominus regnabit in aeternum et in saeculum saeculi, peribitis gentes de terra illius.

℣ Desiderium pauperum exaudivit Dominus; praeparationem cordis eorum audivit auris tua. Iudicare pupillo et humili; ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

## a PSAL. IX.

Supra in Psalmo gratias egit pro beneficiis toti humano generi collatis; in isto autem psalmo specialiter gratias agit pro beneficio sibi collato in destructione inimicorum: et hoc patet ex titulo secundum Hieronymum qui talis est, *Victori pro morte filii canticum David* etc. Et tangit historiam *2. Reg. 18. et 19.* quod mortuo Absalone recuperavit regnum: et pro isto beneficio fecit istum psalmum. Sed in nostra litera titulus occultior est. *In finem pro occultis filii psalmus David.* Occulta filii, mors filii, scilicet quia per eam occultatur ab oculis omnium. Secundum mysterium refertur ad Christum, qui dicitur filius antonomastice, qui est filius naturalis Dei Patris, *Ioa. 8. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Item filius David principaliter repromissus: *Luc. 8. Miserere mei fili David.* Pro occultis filii, idest Christi quae occulta sunt. Duplex est filii Dei adventus. Primus fuit occultus, quantum ad divinitatem et eius gloriam, quae latebat in infirmitate carnis: *Isa. 45. Vere tu es Deus absconditus.* Secundus erit manifestus: *Luc. 23. Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate.* Item est duplex Christi iudicium. Unum occultum; et hoc est in dispositione mundi, secundum quod permittit bonos persecutionem pati a malis: *Ps. 25. Iudicia tua abyssus multa.* Item aliud est manifestum in fine: *1. Cor. 4. Quousque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Agitur enim de occulto iudicio, secundum quod boni afflictionem patiuntur a malis: *Iob 30. Expectabam bona, et ecce mala, praestolabar lucem, et eruperunt tenebrae;* et totum in idem redit: quia gratias agit de liberatione ab inimicis. Dividitur autem iste psalmus in duas partes. Primo ponit gratiarum actionem. Secundo materiam gratiarum actionum, ibi, *In convertendo.* Gratias agit tripliciter, corde, ore, et opere. Ore dupliciter, laudando, et praedicando. Laudando, quia dicit, *Confitebor.* Est autem triplex confessio, scilicet fidei:

*Rom. 10. Confessio fit ad salutem: Psal. 31. Dixi confitebor* etc. Peccatorum : *Iac. ult. Confitemini alterutrum peccata vestra.* Laudis: *12. Coram omnibus viventibus confitemini ei* etc. Et de hac confessione agitur hic. O Domine confitebor tibi, idest gratias agam, idest laudabo te : *Psal. 68. Laudabo nomen Dei mei* etc. Haec in corde : quia *1. Re. 16. Homines vident quae apparent, Deus autem intuetur cor.* Contra quod *Isa. 39.* et *Mar. 7. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Sed dicit, *In toto,* quia Deus est maior corde nostro , *Iob 3.* Et ideo quantumcunque laudemus secundum posse nostrum , minus est ipso : *Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Qui ergo non totum cor dat Deo, sed aliquid aliud vult habere simul cum ipso , perdit eum : *Isa. 28. Angustatum est stratum , ita ut aliter decidat: et pallium breve est , et utrumque operire non potest.* Ille ergo toto corde laudat eum , qui nihil acceptat contra Deum , sed totum in eum actu vel habitu refert : *To. 12. Opera Dei revelare et confiteri,* scilicet annunciando, *honorificum est. Narrabo,* praedicando et annunciando aliis, quia Deus dat beneficia aliis communicanda : et hoc bene fit aliis annunciando : *Luc. 8. Vade et annuncia quanta fecerit tibi Deus;* et ideo dicit, *Narrabo mirabilia tua.* Sed rationem habet quod dicit, *Mirabilia,* quia opera Dei mirabilia sunt : *Psal. 67. Tu es Deus , qui facis mirabilia.* Sed quid est quod dicit, *Omnia?* Hoc videtur impossibile: *Iob. 5. Qui facit magna, et inscrutabilia , et absque numero.* Quomodo ergo dicit , *Omnia.* Dicendum, quod omnia secundum genus, vel omnia quaecumque narrat, omnia sunt mirabilia: vel omnia, quia intentio narrantis non debet resistere in aliquo, sed procedere quantum potest. Hylarius *in li. de Trin. Qui pie infinita prosequitur , etsi nunquam perveniet, proficiet in prodeundo : Eccl. 43. Glorificantes Deum quantum potestis, supervalebit adhuc, et admirabilis maiestas eius :* et 42. *Nonne fecit Deus sanctos suos enarrare mirabilia. Laetabor*

b Hic gratias agit quantum ad cor. Aliqui narrant aliis bona sua, et gaudent de se , sicut peccatores : *Luc. 18.* de Pharisaeo qui dicebat , *Gratias tibi ago, quia non sum* etc. Sed hic gaudet in Deo semper: *Eccl. 51. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. Laetabor ,* interius in corde, *et exultabo in te ,* exiliens ad exteriorem laetitiam: *Abac. 3. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo. Psallam.* Hic gratias agit quantum ad opus: psallere enim est opus manuale, et per hoc intelligitur bona operatio : quia omnia opera nostra ad gloriam Dei terminari debent: *Matt. 5. Sic luceat lux vestra* etc. *Psal. 145. Psallam Deo meo, quamdiu fuero.* Sed addit, *Nomini tuo altissime ;* quasi dicat, Deus non proficit ex hoc quod, *Confitebor,* et *Psallam* tibi , quia nomen tuum altissimum est, sed nobis proficit : *Psal. 34. Oratio mea in sinu meo convertetur: Iob 35. Si iuste egeris, quid donabis ei , aut quid de manu tua accipiet ? Eccl. 22. Quid prodest Deo si iustus fueris , aut quid ei conferes si immaculata fuerit via tua : In*

c Hic ponitur materia gratiarum actionis. Primo in speciali pro se. Secundo in generali, *Convertantur.* Circa primum tria facit. Primo proponit factum. Secundo auctoritatem facientis laudat, ibi, *Dominus in aeternum permanet.* Tertio subdit fructum , ibi, *Sperent in te.* Duo proponit: factum , et facti iustitiam. Secundum, ibi, *Quoniam fecisti.* Factum est destructio inimici, in qua dicit tria: quia si aliquis destruitur , primo deficit a proposito : et quantum ad hoc dicit, *In convertendo inimicum meum retrorsum,* supple in hoc, *Confitebor,* idest dabo gratias Deo. Tunc convertitur inimicus retrorsum, quando deficit ab eo quod proponit: *Ps. 39. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui cogitant mihi mala.* Secundo debilitatur eius virtus; et quantum ad hoc dicit, *Infirmabuntur,* scilicet in sua potestate: *Hier. 20. Dominus mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent, et infirmi erunt.* Tertio pereunt ipsi, ideo dicit , *Peribunt,* vel desinendo impietatem : et hoc , *A facie tua,* idest cognitione, vel condemnatione tua. Vel, *Peribunt ,* te vindicante et sententiante eorum malitiam. Vel, *peribunt ,* a facie tua, quia te videre non poterunt: *Isa. 26.* secundum aliam translationem. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.*

d Hic ponit iustitiam facti. Primo ex parte sua cum dicit, *Quoniam fecisti.* Aliquando quis habet iustitiam, non tamen habet iudicem qui faciat eam. Aliquando habet iudicem , sed non testem vel advocatum ; sed iste habens iustitiam invenit iudicem ; et ideo dicit , *Quoniam fecisti iudicium meum,* idest dedisti, *et causam meam,* idest testis meus: *Hier. 29. Ego sum testis et iudex, dicit Dominus.* Deus enim est iudex et testis , inquantum iudex facit iudicium , inquantum testis causas defendit. Secundo ponit iustitiam facti ex parte iudicis: et dicit de Deo auctoritatem iudicandi, *Sedisti super thronum,* qui sedes iudicis est, idest habes regiam potestatem ad destruendum malum : *Prov. 20. Rex qui sedet in solio, intuitu suo dissipat omne malum.* Item habes amorem iustitiae; ideo dicit, *Qui iudicas iustitiam: Hier. 11. Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas* etc. quasi dicat, Tibi proprium est hoc: *Ps. 10. Iustus Dominus, et iustitias dilexit: Isa. 63. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Vel si hoc ad Christum referatur, *Quoniam fecisti* etc. Christus iudicatus fuit et causam habuit: *Iob 36. Causa tua quasi impii iudicata est.* Sed fuit causa sua, quia pervenit ad gloriam suam. *Sedes,* scilicet Deus Pater, *super thronum,* idest animam Christi. Vel Christus ad dexteram Dei Patris sedet: caetera adapta ut vis. *Increpasti*

e Supra ostendit Psalmista iudicium factum ex parte sua , quia in hoc est factum sibi iudicium debitum , et ex parte iudicis; hic ostendit iudicium sive iustitiam factam sibi ex parte vindicatorum. Et primo ponit ipsam iustitiam. Secundo exponit, ibi, *Inimici defecerunt.* Dominus puniens malos tria per ordinem facit in eis. Primo quia non statim procedit ad ultimam poenam , sed primo reprehendit. Secundo , nisi corrigantur punit. Tertio exterminat. Quantum ad primum dicit, *Increpasti,* per praedicatores: *Isa. 18. Annuntia populo meo scelera eorum , et domui Iacob peccata eorum : 2. Tit. 4. Argue , obsecra , increpa in omni patientia et doctrina.* Item per tribulationes : *Iob 33. Increpat quoque per dolorem in lecto , et ossa illius marcescere facit ;* et quantum ad hoc dicit , *Periit impius,* vel Absalon , vel diabolus,

*Quia nullus intelligit in aeternum peribunt. Increpasti gentes*, scilicet deceptas, *et impius*, concitans, *periit*, quia tota multitudo rebellavit ; sed non est destructa, quia fuit seducta. Quantum ad tertium dicit, *Nomen eorum delesti*, quod impii perpetuare nituntur ; sed ipsi in perpetuum non inveniuntur. Contra. Nomen Iudae est in memoria. Dicendum, quod homines non intendunt nomen magnificare in malo, sed in bono ; sed nomen Iudae manet in malo: *Pro. 10. Nomen impiorum putrescit.* Hieronymus dicit quod quidam ignotus ut in memoria esset combussit templum, et sic in malo remanet nomen malorum. *Inimici*

f Hic exponit quomodo periit : et duo facit. Primo assignat causam quare periit. Secundo modum, ibi, *Periit memoria.* Causa quare periit, est, quia periit illud unde sibi voluit facere nomen. Quandoque scilicet aliqui faciunt sibi nomen ex potentia militari et bellorum : unde *Gen. 6. Hi sunt potentes a saeculo viri famosi.* Aliquando aedificando civitatem : *Eccl. 40. Aedificatio civitatis confirmabit nomen, et super hanc mulier immaculata computabitur* : sicut nomen Romuli per Romam ; sed Dominus destruxit utrumque. *Frameae*, scilicet gladii, *inimici*, scilicet hominis: *Defecerunt in finem: Ps. 73. Ibi confregit potentias, civitates eorum destruxisti: Isa. 1. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni.* Hic inimicus specialiter diabolus: *Matt. 12. Inimicus homo hoc fecit.* Framea eius, tentationes. Civitates, mala consilia, quibus utitur ad pervertendum bonos. *Periit*

g Hic ponitur modus quo periit: dupliciter exponitur hoc. *Periit*, idest simul pereunt memoria et sonitus eorum. Mali sonitum faciunt concutiendo regna, destruunt civitates: *Ezec. 31. Omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam in medio filiorum hominum ad eos, qui descendunt in lacum.* Vel *impii*, quando quis malus homo destruitur, sed non sine magno tumultu : quia oportet aliquam tribulationem pati, ut patet *Matt. 9.* quando diabolus exivit clamans et multum discerpens. Litera Hieronymi habet, *Periit memoria cum impiis*, quia nihil boni fecerunt unde memoria eorum maneret in bono : *Eccl. 6. Frustra venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen eius. Et Dominus in aeternum permanet.* Hic ponit auctoritatem facientis ; et tangit sex conditiones circa iudicium Dei. Primo quod non est momentaneum, sed aeternum. Aliorum potentatus, vita brevis : ideo Psalmista dicit, *Dominus in aeternum permanet*, Hieronymus *sedet quasi ad iudicium Dominus.* Item dicit quod semper promptum est, aliorum non sic est : unde dicit, *Paravit in iudicio thronum suum*, idest paratum habet: *Isa. 3. Stat ad iudicandum Dominus, stat ad iudicandos populos.* Item dicit quod est universale; unde dicit, *Iudicabit orbem terrae*, et non solum Iudaeos, *Gen. 18. Absit a te Domine ut perdas iustum cum impio.* Item, quod est iustum; unde dicit *in aequitate*, *iudicabit populos in iustitia.* Duo dicit, scilicet aequitatem et iustitiam : quia iustitia importat executionem eorum, quae sunt secundum se iusta, quae non sunt iusta in aliquo casu: quia regulae et numerus sunt circa contingentia, nec possunt adaptari ad singula particularia, sed in aliquo casu intermittuntur : sicut sunt quaedam regulae, et numerus, et conclusiones, quae in casu propter aliquid non servantur. Applicatio autem horum principiorum universalium ad facta universalia pertinet ad aequitatem. Hieronymus dicit, *Iudicabit populos in aequitate*, quia ad singularia est aequitas, quae quodammodo restringit et regulat iustitiam. Item dicit, quod est misericordia plenum. Hoc commendatur ex persona cui fit misericordia, puta si facis indigenti : *Luc. 14. Cum facis prandium aut caenam, noli vocare amicos tuos, aut cognatos, neque vicinos, divites* etc. *Iob 30. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi ;* et ideo dicit, *Factus est Dominus refugium pauperi*, scilicet oppresso : *Isa. 1. Subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam : Ps. 81. Iudicate egeno et pupillo, et humilem et pauperem iustificate* ; et hoc verum est, ubi habent iustitiam: *Lev. 19. Non iniuste iudicabis ; neque consideres personam pauperis, et non honores vultum potentis.* Item ex tempore, quia scilicet tempore quando indigent, est accepta misericordia eius : *Eccl. 35. Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis.* Et ideo dicit *adiutor in tribulatione*, et addit *in opportunitatibus*, quia tempore tribulationis homines convertuntur ad Deum, et tunc est eis praedicandum. Et possunt haec de Christo exponi. Dominus in aeternum permanet, quia Iesus Christus heri et hodie. *Paravit iudicium*, quia *sedet in throno suo iudicans, Et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate : Isai. 59. Indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius. Et sperent*

h Supra Psalmista posuit factum de quo gratias egit,et auctoritatem facientis; hic ponit fructum facti. Et primo quantum ad alios. Secundo quantum ad se, ibi, *Miserere mei Domine, vide.* Primo ponit triplicem fructum in alios. Primus est notitia, vel fiducia nominis Dei. Secundus spiritualis laetitia diligentium eum. Tertius denunciatio nominis eius. Secundum, ibi, *Psallite.* Tertium, ibi, *Annunciate.* Hos fructus inducit per modum exhortationis : et circa hoc tria facit. Primo inducit ad sperandum. Secundo ostendit quibus convenit sperare. Et tertio quare. Dicit ergo, *Et sperent in te: Eccl. 2. Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Sed unde venit? *quia noverunt nomen tuum.* Ex duobus enim spes consurgit ; quod sit potens, et hoc patet, *quia Dominus nomen illi;* et quod sit volens, quia summe bonus: unde *Luc. Nemo bonus nisi solus Deus.* Et praecipue hoc nomen *Iesus: Matt. 2. Ipse salvum faciet populum suum etc. Philip. 2. In nomine Iesu omne genuflectatur.* Et quare? *quia non derelinquis quaerentes te: Sap. 1. Invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum*, scilicet qui quaerunt eum bona intentione, quia mali non inveniunt eum : *Ioa. 7. Quaeretis me, et non invenietis.* Item ubi est, quia non inter cognatos et notos, *Luc. 2. Iob 28. Nec invenitur in terra suaviter viventium.* Tertio inducit ad secundum fructum, scilicet ad laetitiam. *Psallite Domino qui habitat in Syon.* Dominus dicitur habitare in loco non corporaliter: *2. Reg. 6. David posuit arcam in Syon ;* sed secundum veritatem habitat in ecclesia. Syon interpretatur specula, et in Ecclesia speculamur aeterna. Isti ergo debemus psallere, idest gau-

dere corde, et ore, et operibus, pro beneficiis datis. Tertio inducit ad tertium fructum, *Annuntiate*, *1. Pet. 4. Unusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Et ideo primo inducit quod debeant annuntiare. Gregorius: *Ille uberes fructus suae praedicationis colligit, qui semina bonae operationis praemittit. Inter gentes*, idest inter gentiliter viventes, idest inter peccatores: *Isa. 21. Occurrentes sitienti ferte aquam. Studia*, idest curam eius sive solicitudinem de salute humani generis: *Hier. 29. Ego cogito cogitationes pacis.* Secundo haec studia exponit ibi, *Quoniam requirens etc.* Illud quod aliquis cum studio et diligentia facit, non obliviscitur quin illud faciat. Deus autem studiosus est ad salutem hominum: et ideo non obliviscitur. Duo faciunt oblivionem, scilicet mors: *Ps. 30. Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.* Item paupertas: *Prov. 19. Fratres hominis pauperis oderunt eum*: *Apoc. 6. Quare non vindicas etc. si Deus non obliviscitur mortuorum? Quoniam requirens sanguinem eorum*, scilicet te quaerentium; et si contingat eos occidi, et hoc iudicando. Vel *requiret* sanctorum sanguinem, in resurrectione reparando illum: *Sap. 5. Ecce quomodo computati sunt* etc. Dicitur autem *recordatus*, non quod sit oblitus, sed quia videtur oblitus propter dilationem. Item non obliviscitur pauperum et parvorum: unde *non est oblitus clamorem pauperum*: *Ps. 33. Iste pauper clamavit*, vel in periculis, vel in oratione: *Iac. 5. Clamor eorum etc. Ps. 22. Non sprevit neque despexit deprecationem pauperis: Ex. 3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, et descendi liberare eum. Miserere*

i Hic ponit fructum quantum ad se. Et primo commemorat beneficium. Secundo ponit fructum, ibi, *Ut annuntiem etc.* Beneficium duplex: unum futurum; aliud habitum, *Qui exaltas* etc. Primo duo facit. Primo ponit misericordiam. Secundo misericordiae motivum. Futurum beneficium est misericordia, *Miserere mei: Ps. 32. Misericordia Domini plena est terra.* Motivum ad eam consideratio Dei: *Vide*, idest considera, *humilitatem meam.* Haec humilitas non importat virtutem, sicut illud, *Si non humiliter sentiebam*, sed deiectionem. Unde Hieronymus habet *afflictionem de inimicis meis*, quia scilicet affligunt. Unde aliter *vide humilitatem*, quia humilibus dat gratiam, Sed hoc potest considerare ex consideratione inimicorum, qui sunt superbi et mali. Consequenter confitetur beneficium habitum, *Qui exaltas me* etc. quasi dicat, De tanto periculo eruisti me, quod non restabat nisi ut morerer: *Hier. 9. Ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras disperdere parvulos deforis.* Spiritualiter autem portae mortis sunt haeretici: *Matt. 17. Portae inferi non praevalebunt adversum eam.* Et sensus hominis: *Hier. 9. Mors introivit per fenestras.* Odium verbi Dei: *Ps. 126. Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Tentationes et vitia: *Sap. 16. Deducis ad portas mortis, et reducis.* Qui ergo liberantur ab istis, dicat, *Exaltas me*, idest liberasti me de portis mortis. Consequentur cum dicit, *Ut*

k Ponit fructum; sed ordine retrogrado. Primo annuntiationis. Secundo exultationis, ibi, *Exultabo.* Tertio cognitionis, ibi, *Cognoscetur.* Dico quod misertus es, et peto quod miserearis; et hoc ut *annuntiem praedicationes.* Antiquitus iudicia fiebant in portis; et ideo dicit, *In portis filiae Syon*, idest Hierusalem, quia subiecta erat arci quae vocabatur Syon; quasi dicat, In multitudine populi Hierosolymitani, *annuntiem omnes laudationes*, non quod *omnes*, sed de omni genere laudis. Item *portae filiae Syon* dicuntur doctores ecclesiae: *Isa. 54. Ponam portas eius in lapides sculptos; universos filios tuos doctos a Domino.* Item iustitiae: *Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam*, ut dicitur *Psal. 117.* Item bonae cogitationes: *Ps. 147. Seras portarum.* In his ergo portis *annunciabo laudes tuas. Exultabo*

l Posito uno fructu, scilicet praedicatione divinae laudis, hic ponit secundum, scilicet laetitiam spiritualem a Deo. Et primo ponit suam exultationem. Secundo occasionem exultandi, ibi, *Infixae sunt gentes.* Dicit ergo *annuntiantes omnes laudes tuas*, scilicet hae non essent steriles, si ita essent in ore quod non in corde esset iucunditas: *Psal. 146. Deo nostro iucunda sit laudatio*; et ideo subdit, *Exultatio in salutari tuo.* Non in mundo vel in carne, sed in tua salutatione qua me exaltas. Vel in Christo salvatore: *Ab. 3. Exaltabo in Deo Iesu meo: 1. Re. 2. Laetata sum in salutari tuo.* Occasio exultationis est inimicorum destructio, quae consequuntur sanctos. Et persequuntur sanctos dupliciter. Primo violentia. Secundo fraudulentia. Dicit ergo quantum ad primum, *Infixae sunt gentes*, ex hoc quod paraverunt occisionem aliis, ipsi occisi sunt; et ideo dixit *infixae*, vel secundum Hieronymum *submersae:* quia illud quod infigitur, deprimitur cum violentia. Et isti qui alios cum violentia occidere videbantur, violenter oppressi sunt: *Isa. 56. Semitae eorum incurvatae sunt in eis: Ps. 56. Gladius eorum intret* etc. Vel spiritualiter quis immergitur in interitum, quando facit peccatum; quia ex hoc poenam aeternam intrat et damnatur: et in his operibus infiguntur ex consuetudine: *Iob 18. Immisit in rete pedem suum, et in macula eius ambulat.* Quantum ad secundum dicit, *In laqueo isto.* Insidiatores avibus et animalibus ponunt laqueos, sic qui insidiose procedunt: *Ps. 63. Laqueum paraverunt pedibus meis.* Et dicit *absconderunt*, quia ad literam aucupes abscondunt laqueos; sic fraudulenter per verba pacis quae dant, parant venenum seductionis: *Ps. 139. In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Tertius fructus est agnitio divinae maiestatis. *Comprehensus est pes eorum*, idest malus effectus eorum: *Osee 13. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum eius, qui inclinant solum ad malum.* Et isti abscondunt laqueum, sed frustra: quia *cognoscetur Dominus.* Et per quae? *in operibus.* Aliquando aliquis in prosperitate non cognoscunt Deum, sicut Pharao, sed in adversitate: *Ps. 82. Impple facies eorum ignominia;* et ideo dicit *Iudicia faciens.* Quae autem sint iudicia Dei, subdit *in operibus.* Proprium divinae sapientiae est, quod disponat omnia suaviter, *Sap. 8.* Et hoc facit dando rebus ut per proprias formas in proprios fines tendant, sic per ea per quae cogitant peccatores offendere, incidunt in poenas: *Iob 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum.* Et ideo dicit

*in operibus manuum suarum comprehensus est peccator: Pro. 5. Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur: Iob 18. Praecipitavit eum consilium suum.* Item *cognoscetur Dominus* hic a sanctis. Etiam fugiens laqueum: *Pro. 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Dicit ibi glossa, *Facile evadit laqueos in terris qui semper habet oculos in caelis.* Hieronymus, *Unusquisque secum portat funes vincula et tormenta, unde sustinet mala, et occulto Deo, iudicio comprehenduntur peccatores in laqueis, quos abscondunt et iusti evadunt. Convertatur*

m Supra Psalmista prosequutus est de iudicio Dei quantum ad suos adversarios; hic prosequitur quantum ad totum humanum genus, et quantum ad mala quae ubique per peccatores aguntur: et circa hoc duo facit. Primo per modum orationis praenuntiat Dei iudicium contra malos. Secundo ponit malorum progressum, *Ut quid Domine* etc. Circa primum duo facit. Primo praenuntiat peccatorum poenam. Secundo exposcit divinum iudicium puniens, ibi, *Exurge Domine.* Circa primum tria facit. Primo praenuntiat optandam poenam. Secundo ponit causam poenae ex parte peccatorum, ibi, *Omnes gentes.* Tertio ex parte iustorum, *Quoniam non in finem.* Dicit ergo *Convertantur.* Haec petitio dupliciter potest intelligi. Uno modo de punitione malorum in praesenti per mortem. Alio modo in futuro per poenam aeternam. Et dicit, *Convertantur peccatores*, idest puniantur. Sed nunquid hoc est petendum? Dicendum est, quod propheta dicit hoc per modum praenuntiationis, et non petitionis, vel conformando se divinae voluntati: *Ps. 14. Veruntamen in infernum detraheris*, idest profundum laci. Vel per infernum intelligitur obstinatio mentis in peccato etc. Etiam vivus in inferno convertitur peccator, quando innititur in obstinationem: *Rom. 1. Tradidit Deus in reprobum sensum;* quasi dicat, in hac vita deiiciantur. Est ergo poena conversio in infernum, ut dictum est. Causa poenae est oblivio Dei: qui enim recedit ab uno termino, disponit se ad tendendum in alium. Duo termini hominis sunt Dei fruitio, et gehenna: et hoc est quod dicit, *Convertantur* etc. scilicet illi peccatores qui *obliviscuntur* Dei, mandatorum, et beneficiorum eius: *Ps. 77. Obliti sunt beneficiorum et mirabilium eius quae ostendit eis: Deut. 32. Qui genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Ex parte iustorum est alia causa, quae petit vindictam de peccatoribus. Sunt autem in iustis duo quae exigunt vindictam, scilicet abiectio temporalis, et virtus spiritualis. Quantum ad primum dicit, *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis.* Res viles habentur despectui, sermo traditur oblivioni, sed non sic traduntur oblivioni iusti apud Deum: *Iac. 2. Deus elegit pauperes divites in fide, haeredes regni quod repromisit Deus diligentibus se: Matt. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Ergo licet hic videantur oblivioni traditi, hoc tamen non est *in finem*, scilicet finaliter: *Isa. 54. Punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Et sequitur, *Et in misericordia sempiterna misertus tui.* Quando enim recordabitur, tunc puniet opprimentes: *Ps. 76. Non obliviscetur misereri Deus, neque continebit in ira sua misericordias suas.* Quantum ad secundum *patientia pauperum* etc. Vel expectatio secundum Hieronymum Cum enim hic sustineant oppressionem patienter, et paupertatem, ex patientia merentur vindictam: nec *expectatio peribit in finem*, quia consequuntur bonum quod expectant. Aliter *in finem*, qui scilicet est vita aeterna. Sed nunquid patientia est in patria? Dicendum, quod non secundum essentiam, sed secundum fructum: secus de charitate et iustitia, quae erunt etiam secundum essentiam. Consequenter cum dicit, *Exurge*, praenuntiat divinum iudicium: et circa hoc tria facit. Primo excitat iudicem. Secundo implorat iudicium. Tertio ostendit iudicii fructus. Dicit quod non est oblitus in finem pauperum, unde ipse quasi unus de pauperibus dicit, rogo ut non differas usque in finem praemiare; sed *Exurge.* Et circa hoc tria facit. Primo repudiat pravum sive humanum iudicium. Homo enim humanitus absque ratione opprimens *non confortetur*, idest non valeat facere quod vult: *Prov. 29. Cum impii sument principatum, gemet populus.* Secundo exposcitur iudicium alterius, *Iudicentur gentes*, non secundum voluntatem humanam, sed *in conspectu tuo*, scilicet tuo iudicio, quasi appello ad te: *Act. 25. Ante tribunal Caesaris sto, ibi oportet me iudicari: Psalm. 23. Iudica me Domine quoniam etc.* Tertio petit adiutorem: *Constitue legislatorem*, scilicet filium tuum: *Isa. 23. Dominus legifer noster.* Vel aliter *Constitue legislatorem*, idest punitorem secundum legem tuam, secundum enim legem poena infertur. Hieronymus habet, *Pone eis terrorem*: alia translatio, *Mitte eis amaritudinem*, Glossa *non confortetur homo*, idest antichristus: *iudicentur*, idest puniantur. Fructus iudicii, quia recognoscunt se esse homines: *Sciant gentes quoniam homines sunt* fragiles, peccatores, et mortales: *Isa. 28. Vexatio dat intellectum.* Sic Alexader, quando fuit percussus, recognovit se non filium Iovis, sed mortalem, ut ipse ait suis militibus.

o Hic ponit processum impiorum. Et primo ponit causam nequitiae eorum. Secundo describit nequitiam, ibi, *Cuius maledictione* etc. Tertio contra eam implorat divinum auxilium, ibi, *Exurge Domine Deus.* Causa nequitiae est duplex, scilicet permissiva et inductiva. Secunda, ibi, *Quoniam laudatur peccator.* Circa primum tria facit. Primo ponit divinam dissimulationem, quae videtur causa male agendi malis: *Eccl. 8. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore filii hominum perpetrant mala;* unde subdit, *Ut quid Domine recessisti longe* a nobis, inquantum non punis affligentes nos: et in hoc videtis non despicere. *In opportunitatibus*, idest tempore in quo deberes ferre auxilium. Vel *in opportunitatibus*, idest opportune hoc facis: quia sancti inde proficiunt ad meritum vitae aeternae. Secundo ponit dissimulationis effectum, *Dum superbit impius.* Et ponit duplicem effectum in malis. Superbia, eo quod non statim puniuntur a Deo; et ideo dicit, *Superbit impius* in potestatibus: *incenditur pauper*, idest affligitur. Vel *incenditur* spiritualiter ex consideratione superbiae impiorum et eorum peccatis: *Psal. 68. Zelus domus tuae comedit me.* Tertius effectus est, quia *comprehenduntur in consiliis quibus cogitant*, quia consilia eorum finaliter destruent eos: *Prov. 5. Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Quoniam*

p Hic ponuntur tres causae inducentes ad peccatum. Prima est adulatio. Secunda contemptus Dei.

ibi, *Dixit enim in corde suo.* Tertia praesumptio, ibi, *Non est Deus.* Circa primum tria facit. Primo ponit adulationem eius. Secundo effectum. Tertio divinam clementiam. Laudantur autem secundum glossam peccatores de duplici peccato, scilicet carnalis concupiscentiae, quantum ad seipsum, et iniustitiae ad proximum; ideo superbiunt. Sed secundum Hieronymum *Quoniam laudatur*, et ideo *exacerbavit*, in desideriis, quantum ad concupiscentiam, *et iniquus* quantum ad iniustitiam contra proximum. Litera Hieronymi habet, *Vir avarus.* Alia litera, *Raptor: Isa. 5. Vae qui dicunt bonum malum, quoniam ita est. Exacerbavit Dominum peccator*, idest ad iracundiam provocavit. Hieronymus habet totum hoc sub uno versu: et alius versus incipit, ibi, *Peccator secundum multitudinem* etc. Potest autem legi *secundum multitudinem irae suae non quaeret.* Vel quia citra condignum punit, vel quia magna ira non punit modo, ut fortius puniat in futuro. Vel *irae suae*, scilicet peccatori: *non quaeret*, peccator Deum. *Non*

q Supra posuit Psalmista quasdam causas malitiae impiorum, quarum una erat permissiva, quia Deus recedebat longe; secunda inductiva, scilicet lingua blandiens; hic ponuntur aliae causae motivae, scilicet intrinsecae, quae sunt duae, scilicet Dei contemptus, et propria praesumptio. Secunda, ibi, *Dixit enim in corde suo.* Circa primum duo facit. Ponit primo, quod de Deo non recogitatur. Secundo, quod eius iudicia non formidat, *Auferuntur.* Circa primum duo facit. Quia primo ponit aversionem a Deo, sive eius contemptum. Secundo aversionis effectum, ibi, *Iniquitatem.* Dicit ergo, *Non est Deus in conspectu eius.* Hieronymus habet in cogitationibus, quia nihil de eo cogitat; et continuatur sic. *Non quaeret* Deum peccator, quia *non est in conspectu eius?* idest in intentione, vel cogitatione: *Iob 21. Dixerunt Deo, recede a nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.* Effectus est, quia *inquinatae sunt*, idest sordent omnia tempore vitae suae. Viae peccatoris sunt cogitationes, vel voluntates: *Sap. 1. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* Et dicuntur inquinati per peccatum, vel ad similitudinem peccatorum praecedentis temporis. Hic allegorice de antichristo, moraliter de peccatoribus dici potest, quia eo ipso quod Deus non est in intentione eorum, convertunt se ad temporalia, ex quibus anima inquinatur, inquantum permiscetur eis quae sunt peiora quam anima. Sed anima permixta Deo, qui est anima melior, non inquinatur, sed clarificatur: *Thren. 1. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: Psal. 34. Viae illorum tenebrae, et lubricum: Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas quae continere non valent aquas.* Hieronymus habet, *Percutiunt viae eius*, quia peccatores proponunt facere diversa: *Luc. 12. Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, comede et epulare: et dixit Dominus, Stulte hac nocte etc. Ps. 17. Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Temporalibus adhaerens in uno non infigitur, quia non sufficit: et propter hoc diversa cogitat. *Auferuntur*

r Hic ostendit quomodo contemnunt divinum iudicium. Et primo ponit causam. Secundo ostendit effectum, ibi, *Omnium inimicorum. Iudicia tua*, idest beneficia: *Auferuntur a facie eius*, idest a mente et memoria eius: et sic non timebit quia non cogitat de eis: *Pro. 28. Viri mali non cogitant iudicia:* qui autem requirunt Deum, animadvertunt omnia: *Dan. 13. Declinaverunt oculos suos ne viderent caelum.* Sed Hieronymi literam oportet extorte dicere *omnes inimicos suos despicient*, quasi scilicet non credit iudicia Dei. *Dominabitur*, supple in corde suo. Vel aliquando ex Dei permissione mali dominantur inimicis. Et haec est causa, quare non cognoscunt divina iudicia: *Abac. 1. Ipse de regibus triumphavit: Ibidem impius praevalet adversus iustum, propterea egressum est iudicium perversum.* Alia causa est praesumptio de seipso: et praesumuntur duo. Stabilitatem: et hoc est quod dicit, *Dixit in corde suo, non movebor a generatione*, idest dominium meum non extendetur ab una gente in aliam, non multis mala inferam: *non movebor*, idest non amittam prosperitatem: *Isa. 47. Aggravasti iugum tuum valde: dixisti in sempiternum ero domina.* Hieronymus habet, *Et dixit in aeternum ero a generatione sine malo*, idest numquid patiar malum: *Apoc. 18. Sedeo regina, et vidua non sum.* Et *Luc. 3.* in glossa exponens unam. Dixit peccator volens perpetuare nomen suum: non ibit per celebritatem et famam, *sine malo*, idest non faciam malum. Vel *non movebor*, idest non perveniam ad possessionem domorum: *sine malo*, violentiae et iniustitiae. Et sic faciet antichristus secundum glossam. Vel ego antichristus *non movebor*, idest inquietabor, *a generatione in generationem sine malo*, scilicet ero secundum quod est licitum. *Cuius*

s Hic ponit processum malitiae. Et primo in corde, de quo iam dictum est. Secundo de ore. Tertio de opere, *Sedet in insidiis* etc. Circa primum duo ponit. Peccatum oris, quod committitur tripliciter. Aliquando maledicendo Deum videlicet primum quod est in blasphemiam prorumpere: *Isa. 1. Blasphemaverunt sanctum Israel.* Quandoque maledicunt semiplene, quando timore retrahuntur. Aliquando in iniurias prorumpendo: et hoc est *os plenum amaritudine*, Glossa, *Amaris verbis et minis: Eph. 4. Omnis amaritudo, indignatio, blasphemia et clamor tollatur a vobis.* Aliquando decipiendo: et hoc est *plenum dolo: 1. Cor. 6. Neque maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt: Heb. 12. Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur*, et per eam inquinentur multi. Secundo ponit radicem cordis, *Sub lingua*, idest in interioribus cordis labor latet, glossa idest iniquitas. Congitat enim perficere iniquitatem in qua laborat: *Hier. 9. Ut inique agerent laboraverunt: Iob 20. Cum dulce fuerit in ore eius* etc. Vel *labor*, quia aliis cogitat inferre laborem et dolorem: *dolor*, idest pernicies ex labore sequens: *Isa. 59. Labia viri locuta sunt mendacium, et lingua vestra mendacium et iniquitatem facit.*

t Hic ostendit processum malorum quantum ad corpus; et circa hoc duo facit. Primo proponit eorum processum. Secundo processus terminum, *In laqueo.* Circa primum tria facit. Primo proponit cum quibus insidietur, ibi, *Cum divitibus.* Secundo, contra quos, *Ut interficiat innocentem.* Tertio quomodo insidiatur, *Insidiatur in abscondito.* Dicit ergo, Mali non contenti locutione, laborant perficere: unde *Sedet in insidiis*, cogi-

tans quomodo noceat aliis: *In occultis*, propter similationem: *Eccl. 11. Multae insidiae sunt dolosi. Cum divitibus*, idest consiliariis: *Eccl. 13. Venatio leonis onagri in eremo, sic pascua divitum pauperes.* Hieronymus habet *iuxta vestibulum*, idest cameram sua. Contra quos ostendi? Certe contra innocentem: unde *ut interficiat innocentem*, corporaliter vel spiritualiter: *Exo. 23. Insontem et iustum non occides.* Et contra pauperes; unde *Oculi eius in pauperem respiciunt: Isa. 3. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis?* Glossa, Antichristus cum divitibus habebit consilium contra pauperes. Hieronymus habet, *Oculi eius in robustos*, quia pauperes in temporalibus non sunt robusti, sed in spiritualibus: *Iob 16. Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Insidiatur*

u Hic ponitur modus insidiandi. Et primo ponit similitudinem, *Sicut leo in spelunca sua*, scilicet sic principes mali pauperes opprimunt: *Pro. 28. Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Secundo ipsum modum insidiarum, *Insidiatur ut rapiat: Pro. 12. Verba impiorum insidiantur sanguini.* Vel *insidiatur ut rapiat pauperem*, idest bona pauperis per violentiam et fraudulentiam. Subdit modum rapinae *dum attrahit*, alliciendo promissis: vel violentia, vel fraudulentia: *Pro. 7. Blanditiis labiorum attrahit illum in sagena.*

x Hic ponuntur duo. Et primo, ad quid pervenit eorum conatus. Secundo causam, ibi, *Dixit enim.* Pervenit enim conatus peccatoris secundum eius intentionem ad prostrationem pauperis: unde, *In laqueo suo*, sed secundum Dei ordinationem pervenit primo ad evacuationem potestatis: unde *inclinavit se.* Contingit enim bellicosos quandoque in principio postea converti ad delicias, et sic facti effaeminati expelluntur. Et ideo Philosophus dicit quod servantes dominium, non faciant filios suos delicate nutrire: *Eccl. 47. Inclinasti femora tua muliebris: Ps. 13. Omnes declinaverunt.* Secundo ad totalem causam: *Pro. 16. Ante ruinam exaltatio:* quia signum ruinae exaltatio, Glossa exponit de antichristo. Hieronymus habet aliter *Dum attrahit eum* ad laqueum suum, et confractum subiiciet et irruet viribus suis valenter. Leo primo prosternit animal captum. Secundo subiicit. Tertio incumbit super illud. Causa enim est falsa securitas quam concipit. Primo de praeterito: quia *oblitus est Deus*, scilicet peccatoris. Contra *Eccl. 16. Ne dicas in corde tuo, a Deo abscondar: et ex summo quis mei memorabitur?* Item *ibidem 23. Delictorum meorum non rememorabitur altissimus, et non intelligit, quoniam omnia videt oculus eius.* Secundo de futuro, *Avertit faciem suam ne videat in finem: Iob 37. Nubes latibulum eius* etc. *Exurge*

y Supra Psalmista diligenter prosecutus est ordinem humanae iniquitatis; hic quasi zelo ductus exclamans implorat auxilium contra huiusmodi nequitiam. Et primo implorat auxilium. Secundo inducit orationes, et exauditiones. Tertio praenuntiat suam exauditionem. Secundo, ibi, *Ne obliviscaris.* Tertio, ibi, *Contere.* Et petit unum, et aliud praesupponit: petit quod surgat, *Exurge.* Videtur dormire Dominus quando patitur bonos affligi; surgit, quando liberat: *Isa. 53. Consurge consurge, induere fortitudine tua Syon*: supponit divinam potentiam, *Exaltetur manus tua*, in potentia: et loquitur ad similitudinem percutientis irati quando vult percutere hostem qui sublevat manum: *Eccl. 36. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.* Item *26. Exaltetur manus tua ut non videant.* Vide etc. *Et confundantur zelantes populi.* Rationes ponit, *Ne obliviscaris.* Et nota quia quod iste psalmus est factus contra peccatores persequentes iustos, semper ponit ex una parte malitiam peccatorum, et ex alia iustorum afflictionem. Ponit ergo primo rationes. Secundo ostendit eas efficaces, *Vide quoniam* etc. Et ponit duas rationes: unam ex parte iustorum; et aliam ex parte malorum, ibi, *Propter quid irritavit.* Dicit ergo *Et exaltetur*, quia alias videbitur verum quod mali dicunt, te esse oblitum pauperum: *Isa. 49. Nunquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: Ps. 136. Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Alia ratio ex parte malorum qui gravius peccant si non puniantur: *Eccl. 9. Et quia non cito profertur contra malos sententia* etc. Et ideo dicit *propter quod;* quasi dicat, Propter hoc peccando Deum irritant impii, quia non credunt ab eo requiri per poenas: *Iob 22. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat: et dicis quid novit Deus; et quasi per caliginem iudicat: Ezech. 9. Derelinquet Deus terram. Vide*

z Fortificat rationes. Primo secundam, dicens, *Tu solus vides laborem*, quem inferunt mali bonis, ut ex hoc *tradas*, idest in posterum, *eos in manus tuas*, idest iustitiae tuae, quod modo habes eos in manibus potestatis tuae, et modo iustitiam non exerces. Hoc autem ignorant peccatores: quia ratio providentiae tuae eis ignota est: *Iob 11. Videns iniquitatem nonne considerat?* Item *ibidem 12. ca. Apud ipsum est fortitudo et sapientia, ipse novit decipientem et eum qui decipitur: et adducit consiliarios in stultum finem, et iudices in stuporem: Ro. 11. Incomprehensibilia sunt iudicia eius.* Vel *in manus tuas*, idest filii tui: *Io. 13. Sciens quod omnia tradidit ei in manus.* Vel secundum Augustinum hic versus dictus est ex parte impiorum qui *Dixit in corde suo non requiret*, scilicet Deus. Et iterum dixit, *Quoniam vides tu laborem.* Praelatus aliquando videt culpam subditi, et non punit timens laborem, vel etiam poenam a punito; et ideo dicit, *Impius dixit* o Deus non punis: quia non te sequitur labor et dolor; sed prima est melior litera. *Tibi*

et Hic confirmat primam rationem; quasi dicat, non debes oblivisci, quia *Tibi derelictus est pauper*, unde ad te spectat cura de eo: *Isa.52. Gaude et laetare simul deserta Hierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum.* Omnes qui nihil habent in mundo nisi solum Deum, auxilium eorum ad Deum solum spectat: *2. Paral. 2. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugii ut oculos nostros dirigamus ad Deum;* sed signanter loquitur: homines enim in mundo isto defendunt se quandoque per divitias: *Ps. 48. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Quandoque per consanguineos et amicos et defensores; sed quia non habent ista, derelinquuntur Deo, et ideo dicit, *Tibi enim derelictus est pauper: Iob 36. Eripiet pauperem*

*de angustia sua.* Item ibidem *3. Flebam quondam super eo qui afflictus etc. Thren. ult. Pupilli facti sumus absque patre : Ps. 87. Sicut homo sine adiutorio.* Et si sic de paupere ex necessitate, multo magis de paupere ex spiritu: et hoc quantum ad primum. Quantum ad secundum dicit, *Orfano tu eris adiutor*, qui non habet defensorem: *Ps. 67. Patris orfanorum et iudicis viduarum.* Item *26. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Contere*

ɔ Hic annuntiat suam exauditionem. Et primo quantum ad peccatores. Secundo quantum ad pauperes, ibi, *Desiderium pauperum* etc. Circa primum duo facit. Primo annuntiat cessationem potestatis malorum, qua mala inferebant. Secundo cessationem ipsorum malorum. Quantum ad primum dicit, *Contere brachium peccatoris*, qui contra Deum peccat: *Ps. 14. Contrivit Dominus brachium*, sive baculum, *impiorum, virgam caedentium populos etc. et maligni*, qui peccat contra proximum : *Ps. 36. Brachia peccatorum conterentur* etc. *Iob 39. Auferetur ab impiis lux sua, et brachium eorum confringetur.* Sed quandoque contingit quod aliquis tyrranus facit malitiam, et licet ipse consumatur, tamen malitia durat. Sed non ita quia *quaeretur peccatum illius, et non invenietur*, idest opus peccati illius actu transit, sed non reatus: et poena peccatoris manet. Vel *quaeretur peccatum illius et non invenietur* in mundo: *Mar. 2. Hodie extollitur, et cras non invenietur.* Aliquando Deus permittit aliquos peccare propter bonum quod ideo elicit : sicut ex ira tyranni passio vel patientia martyrum: et ideo hic invenitur locus malorum ; sed tunc non invenietur habere peccatum aliquam utilitatem. Sed quomodo fiet hoc, quia regnum Dei auferri non potest, ideo ab eo impii conterentur. *Dominus regnabit in aeternum*, quod comprehendit omnia saecula: *et in saeculum saeculi*, idest aeternaliter. Vel *in saeculum*, quod succedit saeculo: *Dan. 4. Potestas eiu potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur, et vos impii peribitis de terra ista viventium : Ps. 1. Tamquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae: Psal. 36. Vidi impium etc. Desiderium*

ꝑ Hic praenuntiat exauditionem ex parte pauperum; et ponit tria. Primo exauditionem, ibi, *Desiderium.* Secundo in quo exaudivit, ibi, *Iudicare.* Tertio quo fructu, ibi, *Ut non apponat.* Circa primum ostendit quod exaudiuntur pauperes efficaciter : quia Deus dat eis quod desiderant: *Prov. 10. Desiderium iustis dabitur.* Aliquando vero exaudiuntur in particularibus desideriis ut exaudiuntur sancti in his, quae plus desiderant. Item *Exaudivit*, velociter praeparationem: *Isa. penul. Antequam clament, ego exaudiam: Ps. 90. Clamavit ad me, exaudiam eum. Exaudivit* autem in hoc, quia *iudicat pupillo*, quia pupillus est : *Isa. ult. Iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis terrae*, scilicet humilibus. Humilis dicitur qui non innititur suae virtuti: *Ioel. 2. Iudicium pauperum* etc. *Iob 35. Iudicium pauperibus tribuit.* Et quo fructu? *Ut non apponat homo*, scilicet territus: hoc non est bonum, quia superbia etc. *Ps. 130. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ab lactatus* etc. Item *11. Linguam nostram magnificabimus.*

*In finem.*

## a PSAL. DAVID X.

In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, Transmigra in montem sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Quoniam quae perfecisti destruxerunt.

b Iustus autem quid fecit? Dominus in templo sancto suo, Dominus in caelo sedes eius.

c Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebrae eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum et impium.

d Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quoniam iustus Dominus, et iustitias dilexit: aequitatem vidit vultus eius.

## a PSAL. X.

In praecedentibus psalmis posita est gratiarum actio pro liberatione ab hostibus ; hic ostendit fiduciam ex hoc conceptam. Et loquitur ex persona hominis desiderantis Dei beneficia, qui consequitur securitatem. Titulus, *In finem psal. David:* Hieronymus habet, *victor.* Hoc supra expositum est. Hic psalmus potest exponi literaliter de David; mystice autem de Christo, sive allegorice. Moraliter vero de viro iusto, et haereticis, ut exponit glossa. Primo ergo David proponit suam fiduciam, *In Domino confido*, quasi liberatus per iustum Dei iudicium deprimens peccatores et exaltans pauperes : *Hier. 17. Beatus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius: Dan. 3. Non est confusio confidentibus in te.* Secundo ponit fiduciae eius impugnationem, quae fiebat verbis, *Quomodo dicitis* etc. David enim fugienti consulebant quidam ut iret ad loca munita et montes: vel ut ibi latitaret ut passer est factus. Quomodo? *Ecce peccatores* etc. Et exponitur dupliciter. Primo, ut sint verba non David, sed aliorum, quasi dicat, ideo *transmigra*, quia, *tetenderunt arcum.* Vel sint verba David, quasi dicat, *In Domino confido: quia tetenderunt arcum, paraverunt peccatores sagittas* etc. et facit tria. Primo ponit eorum pravam solicitudinem. Secundo perversam intentionem, *Ut sagittent.* Tertio iniustam operationem, *Quoniam quae perfecisti.* Mystice de Christo sic. Ego Christus in Domino confido, *quomodo* ergo vos pharisaei *dicitis transmigra in montem*, idest ad legis observantias datas in monte Synai: *Deut. 33. Dominus de Synai veniet, et de Seyr ortus est nobis ;* et nisi hoc feceris, *Ecce peccatores intenderunt arcum* etc. idest paraverunt se ad occidendum te, et discipulos tuos; et hoc, *Quoniam quae tu perfecisti destruxerunt*, idest occiderunt. Vel moraliter dicit fidelis haereticis, secundum glossam, *In Domino confido*, tenens eius fidem: *Quomodo* ergo vos haeretici *dicitis transmigra*, ad nos, *In montem*, idest Christum quem crediderunt habere haeretici? *Isa. 2. Erit praeparatus mons Do-*

*mus Domini in vertice montium : 2. Re. 1. Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos : neque sint agri primitiarum , quia ibi abiectus est clypeus fortium*, idest Iudaeorum , vel magnorum haereticorum: *Hier. 51. Ecce ego mons pestifer, qui corrumpo universam terram.* Vel mons altitudo intellectus quem fingunt se habere. Sed si hoc facerem, essem passer levis, non mansionarius. *Quoniam ecce peccatores*, idest haeretici, *intenderunt arcum*, idest ad se traxerunt sacram Scripturam, sicut qui tendunt arcum: *Paraverunt sagittas*, venenosa eloquia: *In pharetra*, idest memoria vel scientia: *Hier. 5. Pharetra eius quasi sepulcrum patens.* Hieronymus habet , *sagittas suas super nervum*, idest cordam: intentio perversa, *Ut sagittent rectos corde*, idest iustos: *In obscuro*, idest dolose: *Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum.* Vel, *In obscuro* , idest subtilitatibus sacrae Scripturae. Alia litera habet , *In obscura luna.* Luna est ecclesia : *Cant. 6. Pulchra ut luna*, propter eius claritatem, et propter eius obscurationem. Claritas lunae est a sole; sic claritas ecclesiae est a Christo: *Io. 1. Erat lux vera quae illuminat* etc. Item medius lunae globus est clarus , et medius obscurus; sic in ecclesia aliqui sunt clari, aliqui obscuri. Obscuratur autem luna secundum glossam quandoque per revolutionem, et sic fit obscura: quandoque per eclypsim , et tunc in sanguinem convertitur: quandoque per interpositionem nubis, et tunc fit nigra. Sic ecclesia fit obscura in novitate, quando non sunt in ea praedicatores et doctores ; sanguinea per persecutionem tyrannorum; nigra per nubes , idest per seductionem haereticorum ; et tunc vult sagittare. Hic ponitur iniusta actio eorum, *Quoniam quae perfecisti destruxerunt* , Alia litera , *Quoniam quem perfecisti;* sed prima melior est, et secundum Hieronymum, *Quoniam leges quas perfecisti destruxerunt : Isa. 48. Scio quod praevaricans praevaricatus es, et transgressorem ex utero vocavi te: Hier. 2. A saeculo fregisti iugum, rupisti vincula;dixisti non serviam;* quasi dicat, destruent legem tuam, quam tu praecepisti servari: *Exo. 33. Innocentem et iustum non condemnabis;* sed isti volunt eum occidere: *Psal. 118. Dissipaverunt iniqui legem tuam ;* et Deus perficit eam, quia dedit eam: *Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi: Matt. 5. Non veni solvere legem, sed adimplere.* Si dicatur, *quem perfecisti destruxerunt*, sic intelligitur de Christo, *Quem tu perfecisti. Iustus*

b Hic ponitur ratio fiduciae. Et primo ponitur quaestio. Secundo solutio, ibi, *Dominus in templo* etc. Tertio solutionis ratio, *Quoniam iustus Dominus, et iustitias dilexit.* Dicit ergo, Sic faciunt isti; sed iustus Dominus auctoritate videns hoc, quid facit? *Hier. 33. Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster.* Solvit quaestionem ; et ponit quid facit hic iustus. Et primo eius iudiciariam potestatem, vel conditionem iudicis. Secundo iudicii discussionem, *Oculi eius.* Tertio condemnationem concussorum, *Qui autem diligit.* Iudex si semper punit, crudelis est ; si semper parcit , remissus. Deus autem utrumque facit ; et ideo locum habet tribunal misericordiae ; et hoc est templum: *Hebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae;* et ideo dicit, *Dominus in templo sancto suo : 1. Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis , et Spiritus sanctus habitat in vobis ?* Habet etiam locum iustitiae, unde punit, scilicet caelum; et hoc est etiam, *Dominus in caelo sedes eius.* Ubi enumeratur potestas eius: *Isa. ult. Caelum mihi sedes est.* Templum dicuntur fideles propter devotionem , caelum propter sapientiam. Item caelum dicitur cuna in qua Deus sedet ut faciat eum caelum, idest secreta scientem. Item dicitur anima templum Dei, quia in templo Deus adoratur. Similiter in anima fideli: *Matth. 6. Intra in cubiculum tuum*, idest secreta animae tuae, *et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Item ibi offeruntur sacrificia: similiter in anima fideli: *Psal. 50.Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Item in templo funduntur orationes ad Deum, ita in anima operatur Deus: *Isa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Item , quia Deus eam sanctificat , et in eam descendit sicut in templum: *Sap. 4. Gratia Dei in sanctos eius, et respectus* etc. *Oculi*

c Hic agit de discussione iudicii. Et primo ponit divinae cognitionis perfectionem. Secundo diligentem examinationem, ibi , *Palpebrae eius interrogant filios hominum.* Tertio iudicii aequitatem, ibi, *Dominus interrogat iustum et impium.* Per primum nullus potest occultari, quia videt affectum pauperis et impii, peccatoris et iusti : *Ezech. 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem , circumspicientes super omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes: Prov. 16. Omnes viae hominum patent oculis eius; spirituum ponderator est Dominus*, idest cogitationum, vel animarum secundum glossam; et ideo dicit, *Oculi eius in pauperem respiciunt*, ad miserandum: *Psal. 30. Miserere mei Domine, quoniam tribulor.* Item ibidem, *Dominus protector meus, et in ipso speravit cor meum* etc. Ad protegendum etiam probando: *Ps. 33. Oculi Domini super iustos.* Item ibidem , *In via hac qua gradieris , firmabo super te oculos meos.* Et sic respiciens examinat diligenter. *Palpebrae eius interrogant* etc. Per palpebras significatur discretio: quia sicut palpebrae oculi dirigunt visum , sic discretio moderatur humanam sapientiam: *Prov. 4. Palpebrae tuae praecedant gressus tuos.* Ipsa ergo discretio Dei interrogat, idest probat et examinat: *Sap. 1. Cogitationibus impii interrogatio erit : sermonum autem illius auditio ad Deum veniet.* Et quomodo? Quia quandoque punit , quandoque parcit, quandoque dat beneficia, quandoque aufert: *Iob 6. Sagittae Domini* etc. Etiam claudit palpebras et aperit: *Mat. 17. Misereor super turba* etc. Item ibidem *21. Auferetur a vobis regnum Dei: Ps. 146. Dat iumentis escam ipsorum* etc. *Interrogat filios hominum*, quia efficiuntur quidam ex ipsis meliores, quidam peiores; vel quidam ex Scriptura efficiuntur mali, quidam boni: quia quidam eam bene intelligunt et non fatigantur , sed exercentur; mali vero e converso faciunt. Iudicii aequitas ponitur: quia, *Interrogat iustum et impium*, quia immittit flagella iustis et iniustis, et tribuit bona temporalia bonis et malis: *Sap. 11. Hos*, scilicet bonos , *tanquam pater monens probasti ; illos autem*, scilicet malos , *tanquam rex durus interrogans condemnasti.* Propterea dicit, *Dominus interrogat iustum et impium*, idest per tribulationes probat. Gregorius: *Poena inflicta interrogat , si quis in tribulatione positus Deum veraciter amat. Iustum interrogat*, idest examinat Dominus ut praemietur: *Sap. 10. Reddidit Deus merce-*

*dem laborum sanctorum suorum.* Sed impium sive peccatorem interrogat, ut condemnetur: *Matth. 25. Ligatis manibus et pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.*

d Hic ponitur condemnatio: et circa hoc duo facit: quia primo culpam; secundo poenam, ibi, *Pluet super peccatores.* Ostendit quod quantum est ex parte Dei, non est perditio malorum, sed ex parte nostra; unde dicit, *Qui diligit iniquitatem*, idest peccatum: *Io. 2. Omnis qui facit peccatum*, et iniquitatem facit, quia peccatum iniquitas est, *Odit animam suam: Sap. 16. Homo per malitiam occidit animam suam.*

Sed quaeritur. Quomodo quis se odire possit.

Dicendum quod quodammodo odit peccator seipsum; sed simpliciter nullus odit: *Ephes. 5. Nemo unquam carnem suam odio habuit.* Sed quod mali quodammodo odiunt seipsos, et etiam boni quodammodo se odiunt, declaratur hoc modo. Anima nostra duas habet facies: unam versus Deum secundum rationem, aliam versus carnem secundum naturam sensitivam, quae tantum corporalia comprehendit. Et sicut quaelibet res diligit proprium bonum, ita homo diligit illud quod aestimat animam suam. Peccatores enim aestimant animam suam, quod principaliter intendunt: quia quaelibet res est illud quod est praecipuum in ea, sicut rex dicitur regnum. Qui ergo naturam sensitivam habent principale, diligunt eam; qui autem intellectivam, eandem amant. Nullus ergo odit animam quantum ad id, quod aestimat principale. Boni ergo odiunt quantum ad naturam sensitivam; mali quantum ad intellectivam. Secundo ponit poenam. Et hoc possumus exponere de praesenti, vel de futuro. De praesenti sic, et servat metaphoram. Dixit quod Dominus est in caelo, quia ibi est sedes eius; sed de caelo venit pluvia, ideo eorum poena signatur cum dicitur, *Pluet super peccatores.* Et quid? *Laqueos.* Et si exponatur hic in praesenti, notandum est, quod in peccato sunt quatuor. Primum est seductio; unde dicit, *Pluet super peccatores laqueos.* Quasi iusto iudicio permittit eos illaqueari et seduci: *Isa. 8. Et offendentur ex eis plurimi et cadent, et conterentur et irretientur et capientur.* Secundum est concupiscentia; et ideo dicit, *Ignis* concupiscentiae: *Psal. 57. Supercecidit ignis, et non viderunt solem*, scilicet carnalis concupiscentiae etc. Tertium est foetor infamiae; et ideo dicit, *Sulphur.* Sic pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem. Potest addi et quartum, scilicet inquietudo mentis; et ideo dicit, *Spiritus procellarum: Isa. 57. Cor impii quasi mare fervens. Pars calicis eorum*, quia calix est quaedam mensura, et ipsi poenas habent secundum eorum peccata: *Isa. 27. In mensura contra mensuram, cum abieta fuerit iudicabit.* Sed si exponatur de futuro, sic punientur ibi motus: quia ligabuntur ut nec mala vitare, nec bona consequi possint; ideo dicit, *Pluet super peccatores laqueos*, idest colligantes sensus: et sic referuntur ad odoratum sulphur, ad tactum ignis: *Isa. 66. Ignis eorum non extinguetur: Apoc. 20. Missi in stagnum ignis.* Item affectus, quia non quiescunt: quia, *Spiritus procellarum pars calicis eorum*, idest daemones inquietantes, molestantes, et affligentes. *Quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit*, ideo non expectandum est ab eo nisi iustitia: *Hier. 9. Ego Dominus qui facio misericordiam, iudicium, et iustitiam in terra: Psal. 144. Iustus Dominus in omnibus viis suis. Aequitatem vidit vultus eius*, vel facies, idest aequitas visa est notitia eius; quasi dicat, Illis quibus innotescit et quos diligit, aequitatem ostendit.

*In finem pro octava.*

## a PSAL. DAVID XI.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.

b Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde et corde locuti sunt.

b Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus: labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?

c Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum: probatum terrae, purgatum septuplum. Tu Domine servabis nos, et custodies nos a generatione hac in aeternum. In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

## a PSAL. XI.

In praemissa decade Psalmista tractavit de percussione, quam ipse passus est ab Absalone filio suo, per quam figurabatur persecutio, quam passurus erat Christus a Iuda; in hac autem secunda decade, sicut ex titulis quorundam psalmorum apparet, agit de persecutione quam passus est a Saule, per quam figurabatur persecutio, quam Christus erat passurus a principibus sacerdotum. Dividitur autem deca huius in duas partes. In prima petit liberari ab inimicis. In secunda iam liberatus orat pro sui exaltatione, *In psal. Exaudiat te Dominus*, qui quidem competit quantum ad historiam David, quia mortuo Saule David promotus est in regem: et quantum ad mysterium Christo, cuius regnum in morte eius confirmatum est: *Phil. 2. Propter quod*, quia scilicet factus est obediens Patri usque ad mortem, *Deus exaltavit illum.* In prima parte facit duo. Primo petit liberationem. Secundo de liberatione gratias agit: et hoc in *17. Ps. Diligam te.* Circa primum tria facit. Primo exaggerat persecutorum malitiam. Secundo commemorat propriam iustitiam, ibi, *Domine quis habitabit.* Tertio propter suam iustitiam petit exauditionis efficaciam, ibi, *Exaudi Domine* etc. Circa primum duo facit. Primo reprehendit adversariorum dolositatem. Secundo arguit eorum iniquitatem, ibi, *Dixit insipiens.* Circa primum duo facit. Primo commemorat dolositatem eorum. Secundo petit divinum lumen, ne ab eis illaqueetur, ibi, *Usquequo Domine.* Hoc etiam satis competit quantum ad historiam David, contra quem Saul

dolose procedebat. Praemittit autem huic psalmo talem titulum, *In finem pro octava psalmus David*, quod expositum est supra. Circa primum tria facit. Primo describit commemorationem dolositatis eorum. Secundo petit eorum destructionem, ibi, *Disperdat Dominus*. Tertio ponit rationis exauditionem, ibi, *Propter miseriam* etc. Circa primum duo facit. Primo describit eorum defectum. Secundo subdit defectus signum, ibi, *Vana locuti sunt*. Circa primum sciendum est quod David considerans malitiam adversarii contra se invalescentem, quasi stupefactus, primo recurrit ad divinum auxilium dicens, *Domine salvum me fac*. Et merito: quia propter eum non est salvator, ut dicitur *Isa. 45*. Secundo enumerat eorum defectus. Duo autem praeservant hominem a malo, scilicet timor Dei: *Eccl. 2. Qui timet Deum, custodiet mandata illius:* et amor veritatis, quia scilicet recta opera dicuntur vera quasi concordantia regulae: quae si non sint recta, pertinent ad infamiam. Aliqui enim etsi propter timorem Dei mala non vitent, retrahuntur tamen ab eis propter infamiam. Sed aliquis nec infamiam timet: unde dicitur *Luc. 18.* de quodam qui *Nec Deum timet, nec hominem reveretur*. Et ista duo excludit ab adversariis Psalmista. Primo quidem timorem Dei, cum dicit, *Quoniam defecit sanctus:* sanctitas enim in timore et cultu Dei consistit. Unde et divino cultui dedicata sancta dicuntur; quasi dicat, Non invenitur in hoc mundo homo qui Deum timeat: *Mich. 7. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est*. Secundo excludit veritatis amorem cum dicit, *Quoniam diminutae*.

Sed quaerendum est, quare dicit, *Veritates* in plurali: *Osee 4. Non est veritas Dei in terra*.

Ad quod dicendum est, quod una est primordialis veritas, quae est in intellectu divino: *Io. 14. Ego sum via, veritas, et vita*. Sicut autem ab una facie hominis diversae similitudines resultant in diversis speculis, et in uno similiter speculo fracto, ita in diversis animabus ab una veritate divina diversae veritates resultant. Et similiter in una anima, quia non attingit ad simplicitatem divinam, sed est composita, ex quo est, et quod est, apparent ab illa una veritate qua sancta anima illustratur, diversae veritates: quae quidem veritates, cum anima recedit a Deo per culpas, diminuuntur. Vel dicendum, quod dicit veritates, propter triplicem veritatem creatam quae est in sanctis, scilicet vitae, de qua *Isa. 38. Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate*. Doctrinae: *Mat. 21. Scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*. Et iustitiae, de qua *Exo. 18. Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas*. De ista veritate videtur loqui psalmus iste, scilicet de veritate iustitiae; a qua quidem recessit Saul cum persequeretur ipsum David iniuste. Dicendum ergo est, quod huiusmodi veritates diminutae sunt non a seipsis, sed, *A filiis hominum*, per quorum culpas depravantur. Et quidem veritas vitae diminuitur, quando bonum iudicatur malum. Doctrinae, quando lux dicitur tenebrae. Veritas vero iustitiae, quando amarum iudicatur dulce: et e converso: *Isa. 5. Vae qui dicitis bonum malum, et malum bonum: ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem: ponentes amarum dulce, et dulce amarum*. Dicit autem sanctitatem deficere, quia cum sit a Deo recessus per gratiam, statim tollitur unico peccato mortali. Veritas autem quasi successive diminuitur: Hieronymus habet, *Quoniam defecit misericors:* et quoniam diminuti sunt fideles, quia misericordia et iustitia requiruntur ad proximum: *Proverb. 20. Virum autem fidelem quis inveniet?* Consequenter cum dicit, *Vana*

b Ponit signum defectus sanctitatis: et est duplex, scilicet vanitas et dolositas. Primum signum defectus est vanitas: et quantum ad hoc dicit, *Vana locuti sunt* etc. Vanum est quod non habet subsistentiam. Vera ergo quibus nihil vanitatis subest, sunt: unde *1. Tim. 1. Finis praecepti est charitas de corde puro, de conscientia bona, et fide non ficta: a qua quidem aberrantes conversi sunt in vaniloquium: Hier. 9. Unusquisque a proximo suo se custodiat:* Gregorius: *Sermo vanus, vanae mentis index est*. Item vanum est quod intellectu non tenetur: etiam superflua verba vana sunt: *Prov. 14. Ubi plurima verba, ibi frequenter egestas*. Item vanum est quod non est stabile: et sic verba de temporalibus vana sunt: *Io. 3. Qui de terra est, de terra loquitur: Isa. 29. De humo mussitabit eloquium tuum: sed ad quem loquuntur vana? Ad proximum*, cui debent dicere verum: *Eph. 4. Loquimini unusquisque veritatem cum proximo suo*. Secundum signum defectus sanctitatis est dolositas; et quantum ad hoc dicit, *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt*. Geminatio duplex cor significat. Ostendunt autem ore se habere unum, corde autem habent aliud. Ostendunt se dolere, et gaudent diligere, et odiunt compati, et laetantur: *Iac. 1. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis: Eccl. 2. Vae duplici corde et labiis scelestis. Disperdat*

b Hic petit destructionem eorum. Et primo petit eam. Secundo innuit causam, ibi, *Universa labia* etc. quasi bis perdat, scilicet in anima et corpore: *Hier. 17. Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos Domine Deus*. Consequenter ponit causam malitiae eorum: et ponit tria, scilicet fraudulentiam, quia, *Labia dolosa:* est enim dolus, cum quis aliud agit et aliud simulat. Dolus in corde concipitur, sed tegitur verbis, vel factis: *Prov. 12. Dolus in corde cogitantium mala*. Hos dispergit Deus, quoniam detegit: tunc enim non habet rationem doli, dolus enim est occulta malitia. Unde non petit eorum destructionem, sed malitiae detectionem. Vel petit eorum perditionem per gratiam: *Prov. 19. Pestilente flagellato stultus sapientior erit;* unde dicit, *Labia dolosa*. Glossa, *quasi ratio petitionis est dolositas*. Vel *disperdet eos*, quasi de malitia puniendo, ut ipsi in ea incidant, iusto Dei iudicio, ut de Aman dicitur *Esther 7.* contra Mardochaeum, Suspensus est Aman in patibulo quod paraverat Mardochaeo: *Ezech. 3. Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo: et eris mutus quasi non audens ulterius fraudes facere: Prov. 21. Mulctato pestilente sapientior est parvulus*. Item *22. Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam*. Secundo ponit iactantiam, *Et linguam magniloquam*, de se apud eos, qui eos magnos reputant: *Ps. 72. Posuerunt in caelum os suum, et lingua eorum transivit in terram*. Illud autem quod est maius in alio consuevimus revereri, et quod minus non reputare. Ut ergo appareant magni, et Deo

aequales, contemnunt Deum, idest divinos honores. Sic de Antichristo dicitur, quod adversus Deum deorum loquitur: *The. 2. Adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus et colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi ipse sit Deus.* Et de Antioco *2. Mach. 9. Iustum est subditum esse Deo, et mortalem Deo non paria sentire:* et *Act. 12.* de Herode, *quod acclamabat ei populus voces Dei et non hominis.* Et ne possent excusari, quod non ex proposito fecerunt, subdit, *Qui dixerunt*, scilicet ex proposito, *Linguam nostram magnificabimus.* Tertio ponit eorum blasphemiam sive superbiam, *Labia nostra a nobis sunt.* Haec est enim prima species superbiae, quando quis aestimat se habere a semetipso: *1. Reg. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est.* Secunda species superbiae est, quando aliquis vult in aliquo gloriari prae caeteris; unde dicit, *Quis noster Dominus est: Iob 21. Quis est omnipotens ut serviamus ei? Osee 7. Reversi sunt ut essent absque iugo, et facti sunt quasi arcus dolosus: Iob 11. Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se liberum natum putat. Propter*

c Hic tertio ponit orationis exauditionem. Et primo praemittit. Secundo ponit eius certitudinem, ibi, *Eloquia Domini.* Tertio ponit suam credulitatem, ibi, *Tu Domine.* Dicit ergo, *Propter miseriam*, idest multiplicem defectum: *Inopum*, idest carentium opibus: *Et gemitum*, idest singultus: *Pauperum*, idest parum habentium: *Psal. 9. Tibi derelictus est pauper: Exo. 2. Audivit gemitus eorum, et recordatus est foederis. Nunc exurgam dicit Dominus.* Nunc in tempore opportuno: *Psal. 9. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione: Isa. 59. Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ponam in salutari tuo*, idest apponam: *Fiducialiter agam in eo*, idest ego ero in eo; *Hier. 1. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum: Isa. 14. Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? manus eius extenta, et quis avertet eam? Hiere. 1. Bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia tecum sum ut liberem te.* Et *29. Erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.* Consequenter ponit promissionis certitudinem, *Eloquia Domini, eloquia casta:* non adultera per admixtionem alicuius extranei, vel castigata a superfluitate, vel incorrupta, quia castus quis dicitur ante experientiam, sed continens post. Non vana, sed firma: *Matth. 24. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Secundo sunt plena veritate; unde, *Argentum igne examinatum.* Argentum est album sine maculatione, sonorum sine simulatione, odoriferum sine infectione. *Probatum terrae*, idest a terra. Graeci autem ablativo carent. Haec autem est translatio de graeco. *Purgatum septuplum*, idest perfecte. Et respondet propheta, *Tu* ergo *Domine servabis nos*, a malo, *Et custodies nos* in bono *a generatione hac in aeternum.* Ergo *In circuitu impii ambulant*, ita quod ad finem itineris quem intendunt, nunquam venient, scilicet ut affligant alios, sicut volunt: *Isa. 59. Semitae eorum incurvatae in eis.* Et quare? quia, *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, quia in domo mea non solum sunt vasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia: et quaedam quidem in honorem sanctificata ad omne opus bonum parata, *2. Tim. 2.* Vel *In circuitu*, vitiorum, *ambulant impii*, non pertingentes ad medium virtutis: *1. Reg. 25. Anima inimicorum tuorum rotabitur* etc.

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XII.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam a me?

b Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

c Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

d Respice et exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, Praevalui adversus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.

e Ego autem in misericordia tua speravi. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini altissimi.

## a PSAL. XII.

In praecedenti psalmo Psalmista posuit adversariorum dolos; hic contra eos petit remedium a Deo. Titulus, *In finem psalmus David*, hoc supra expositum est. Dividitur autem Psalmus iste in tres partes. In prima ponitur conquaestio. In secunda quaestio, ibi, *Respice et exaudi me.* Tertio exauditio, ibi, *Ego autem in misericordia tua.* Conquaestio tria continet. Admiratur divinam dissimulationem, confitetur proprium defectum, conqueritur de adversariorum potestate. Secundum, ibi, *Quandiu.* Tertium, ibi, *Usquequo exaltabitur.* Qui dissimulat iniurias alicuius, hoc ideo facit, aut quia non recordatur eius, aut quia non vult remedium apponere; et ideo dicit, *Domine*, ego gravor ab adversariis, et non apponis remedium? *Usquequo oblivisceris me in finem*, idest finaliter videtur, quod velis me vitare: *Isa. 49. Dixit Syon, dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei: Abac. 1. Quare non respicis super inique agentes, et taces devorante impio iustiores se? Usquequo avertis faciem tuam a me.* Avertit faciem quando non ponit remedium quis: *Ps. 43. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae?* Hoc secundum historiam David, qui diu est persecutus a Saule. Allegorice dicitur de patribus veteris testamenti, qui continue expectabant Christum, et Deus quasi oblitus eorum differebat remedium adhibere; et dicunt, *Usquequo Domine* etc. *Usquequo avertis faciem tuam a me*, idest praesentiam filii tui a nobis. Vel ut sit conquaestio modernorum iustorum de secundi adventus dilatione, *Usquequo Domine oblivisceris me?* Erit hoc usque, *In finem*, idest in die iudicii, vel usque ad mortem? Et *Usquequo avertis faciem tuam a me*, idest faciem gloriae tuae, ut videam te facie ad faciem? *Exo. 33. Ostende faciem tuam mihi: Ps.*

*79. Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Possunt tamen assignari et multae causae, quare antiqui patres tantum desiderabant adventum Christi in carnem. Prima propter exaltationem humanae naturae, in cuius persona dicitur *Thren. 1. Vide Domine, quoniam facta sum vilis;* sed exaltata est per incarnationem: *Ps. 72. Cum gloria suscepisti me*, idest facta sum gloriosa, sicut mulier ignobilis sublimatur si contrahat cum nobili viro. Inde est quod omne peccatum post adventum salvatoris gravius est, quam fuerit ante: sicut si mulier nobilis, vel homo aliquam turpitudinem faceret, est magis ignominiosus, quam si faceret unus rusticus. Secunda causa est, ut liberarentur captivi de carcere inferni sive limbi: *Iob 17. In profundissimum inferni descendent ossa mea: putasne saltem ibi erit requies mea?* quasi dicat, non; sed per Christum liberati sumus ab eo: *Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctum de lacu in quo non erat aqua.* Tertio propter depressionem diaboli: *Ps. 88. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum*, idest minorasti potentiam eius. Quarto, quia per adventum Christi pacificatus est nobis Deus: *Ephe. 2. Lapis angularis qui facis utraque unum.* Quinto propter delectationem, quam sperabant habere cum Christo, videndo, audiendo, conversando cum ipso: *Matth. 13. Beati oculi, qui vident quae vos videtis* etc. Moderni vero secundum adventum desiderant. Primo, quia tunc exaltabitur: *Sap. 3. Iudicabunt sancti nationes, et dominabuntur populis.* Et iterum *5. c. Computati sunt inter filios Dei.* Secundo, quia liberamur ab omni poena: *Isa. 25. Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie*, idest causam lacrymandi, vel poenam. Tertio, quia liberamur ab omni peccato: *Isa. 25. Opprobrium populi sui auferet Dominus de universa terra.* Quarto, quia tunc eripiemur a potestate diaboli: *Isa. 11. Non nocebunt, neque occident in universo sancto meo*, quia liberabimur a servitute corporis: *Ps. 141. Educ de carcere animam meam: Ro. 8. Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.* Sexto, quia videbimus Deum facie ad faciem: *1. Io. 3. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: Hier. 21. Omnes cognoscent me a minimo usque ad maiorem.* Vel potest esse conquaestio cuiuslibet hominis iusti pressi adversitate, vel corruptione peccati et concupiscentiae.

b Hic confitetur proprium defectum: et circa hoc duo facit. Primo ponit anxietatem cordis. Secundo dolorem consequentem, ibi, *Dolorem in corde meo per diem.* Quantum ad primum dicit Philosophus *In rhetoricis*, Timor consiliativos facit: hoc idem habetur *Isa. 16. Ini consilium coge concilium.* Sic homo aliquando in adversitate et tentatione consiliatur quomodo resistat; et ideo dicit, *Quamdiu ponam consilium in anima mea*, idest quandiu oportet me habere nova consilia ad resistendum inimicis? sic patres veteris testamenti habuerunt diversa consilia ad figurandum Christum. Quando autem homo in consilio accipit unam viam, et tamen deficit ab ea, tunc sequitur dolor; et ideo dicitur, *Quamdiu ponam* Domine *consilium in corde meo*, idest quotidie, dum continue deficio: *Hier. 8. Dolor meus super dolorem in me cor meum moerens.*

c Hic conqueritur de prosperitate inimici, qui exaltabitur, scilicet Saulis super David, et inimici qui ducit in consensum peccati, et carnis, quoniam habent concupiscentias suas: *Aba. 1. Propter hoc non pervenit usque in finem iudicium, quia praevalet impius adversus iustum.*

d Secunda pars huius Psalmi ponitur oratio sive petitio. Et primo ponitur petitio respondens divinae dissimulationi. Secundo proprio defectui, ibi, *Illumina oculos meos* etc. Tertio prosperitati inimicorum, ibi, *Ne quando dicat* etc. Primo dicit de divina dissimulatione oblivionem et aversionem; quasi dicat, *Respice*, idest converte qui avertis tunc oblitus. Nunc *Exaudi me: Isa. 64. Respice, populus tuus omnes nos.* Secundo ponitur petitio correspondens proprio defectui: unum ex multis consiliis, et aliud ex doloribus. Et ideo, quia non habeo consilia ex me, *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, idest doce me. Item *Luc. 1. Illuminare his qui in tenebris* etc. Hoc competit ad literam David fugienti a facie Saulis, quem oportebat saepius cavere, ne aliquando in manus ipsius incideret. Similiter et quandiu homo solicitus est, ut peccato resistat, non cadit in mortem; sed quando dormit, occiditur. Sic *2. Reg. 4. quando Isboseth dormiebat, et ancilla purgabat triticum occisus est: Eph. 5. Exurge qui dormis.* Petitio contra adversarium, *Ne quando dicat inimicus.* Et ponit duo. Primo petitionem. Secundo eius rationem, ibi, *Qui tribulant me. Illumina, Ne quando dicat inimicus*, exultando: *Praevalui adversum eum.* Et diabolus exultat quando tentat et trahit in peccatum. Similiter, *Exurge Domine non praevaleat homo:* et huiusmodi est ut ratione gaudeat, quia *Exultabunt si motus fuero*, si dimisero statum iustitiae et labar in peccatum: *Eccl. 18. Post concupiscentias animae tuae non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te venire in gaudium inimicorum tuorum: Dan. 9. Propter temetipsum Deus inclina aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et vide desolationem nostram, et civitatem super quam invocatum est nomen tuum.*

e Hic signatur exauditio suae orationis: et circa hoc tria facit. Primo petit spem exauditionis. Secundo gaudium de exauditione facta, ibi, *Et exultavit cor meum.* Tertio gratias agit, ibi, *Cantabo.* Dicit ergo, *In misericordia tua speravi*, non in mundo: *Thren. 3. Misericordiae Domini multae quia non sumus consumpti:* non in potestate mea, quia nulla est contra diabolum: *Iob 41. Non est potestas super terram quae possit ei comparari.* Et ponit hic tria per quae homo iuvatur contra diabolum, scilicet per laetitiam spiritualem, per orationem devotam, et per bonam operationem. Propter primum dicit, *Exultavit cor meum in salutari tuo*, non in temporalibus, vel vanitatibus, sicut faciunt peccatores, de quibus *Iob 21. Gaudent ad sonitum organi, et ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt: Osee 9. Noli laetari Israel, noli exultari, sicut populi*, sed *In salutari tuo*, idest in Christo, qui ad hoc venit ut salvet nos: *Matth. 1. Ipse enim salvum faciet* etc. Et haec laetitia armat hominem contra diabolum: *Prov. 17. Animus gaudens aetatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.* Secundum est oratio sive laus

Dei; unde addit, *Cantabo Domino*, idest laudabo eum: *Ps. 21. Qui timetis Dominum, laudate eum.* Laus enim Dei multum valet ad expugnandum diabolum: *Matth. 17. Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium: Abac. 3. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Et hoc pro beneficiis concessis: et ideo sequitur, *Qui bona tribuit mihi* etc. Et dicit, *bona*, quia sunt quaedam bona temporalia quae Dominus tribuit: *Matth. 25. Tradidit illis bona sua, et uni dedit quinque talenta* etc. Item, *bona*, spiritualia, quae sunt bona gratiae et virtutes: *1. Cor. 12. Divisiones gratiarum sunt* etc. *Haec omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult: Iob 2. Si bona suscepimus de manu Domini* etc. Item bona gloriae: *Psal. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium.* Haec omnia bona tribuit Dominus, et ideo merito laudandus est: *Eccl. ult. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.* Tertium est bonum opus, de quo subiungitur, *Psallam*, idest operabor. Psallere est manu tangere psalterium. Hieronymus: *Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum: Matt. 12. Cum immundus spiritus exierit ab homine* etc. *usque ingressi habitant ibi* etc. *Fiunt* etc. *Nomen Domini*, idest ad laudem nominis Domini, *Altissimi: Luc. 1. Gloria in altissimis Deo: Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant* etc.

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XIII.

Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

b Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

c Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

d Quorum os maledictione et amaritudine plenum est; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

e Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum.

f Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis? Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor. Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis; quoniam Dominus spes eius est.

g Quis dabit ex Syon salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob, et laetabitur Israel.

## a PSAL. XIII.

Supra Psalmista exprobravit dolositatem inimicorum; hic ponit eorum malitiam. Titulus, *In finem Psalmus David.* Et circa hoc duo facit. Primo manifestat eorum malitiam. Secundo ponit spem liberationis suae ab eis, ibi, *Nonne cognoscent* etc. Et circa primum duo facit. Primo proponit eorum malitiam. Secundo certificat hanc malitiam eis inesse, ibi, *Dominus de caelo* etc. Prima in duo. Primo proponit radicem malitiae eorum. Secundo processum malitiae, *Corrupti sunt* etc. sicut dicitur *Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia, et initium superbiae hominis apostatare a Deo.* Quod homo ergo non habeat Deum in corde, principium malitiae est; et ideo dicit, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: Sapien. 1. In malevolam animam non introibit sapientia, aut habitabit in corpore subdito peccatis.*

Sed numquid potest dicere? Dicere in corde est cogitare. Sed numquid potest cogitare Deum non esse? Anselmus dicit, quod nullus potest. Item Damascenus. Cognitio Dei naturaliter omnibus est inserta: naturaliter cognita nullus potest cogitare non esse.

Sed sciendum, quod de cognitione Dei dupliciter loqui possumus, scilicet secundum se, vel quoad nos. Si primo modo, sic procul dubio non potest cogitari non esse: nulla enim propositio potest cogitari falsa ex sua natura, cuius praedicatum includitur in definitione subiecti. Notandum est autem, quod in Deo est aliter esse quam in aliis, quia esse Dei est eius substantia. Ergo qui dicit Deum secundum se, dicit ipsum esse: et ideo secundum se non potest cogitari non esse, et verbum Damasceni solvitur: quia quod naturaliter insertum est, indeterminate scitur, scilicet quod Deus sit, sed non idem, quod Deus, sed per fidem habetur: Deus dicitur a theos quod est ardere omnem malitiam. Tunc ergo dicit aliquis, quod non est Deus, quando cogitat quod non est omnipotens: et quod non habet curam rerum humanarum: *Iob 21. Quis est omnipotens ut serviamus ei?* Potest referri ad Iudaeos dicentes Christum hominem purum esse, non Deum: *Io. 10. Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Qui Iudaei, non credentes ipsum qui promissus erat in lege, dicunt, *Non est Deus*, iste scilicet qui nobis praedicat. Et hoc dixit, *Insipiens*, quia Dei sapientiam recipere noluerunt habentes oculos mentis excaecatos: *Ps. 81. Nescierunt neque intellexerunt: Sap. 2. Excaecavit enim eos malitia eorum.* Vel hic reprehenditur peccator. Primo de peccato cordis in consensu, ibi, *Dixit insipiens.* Secundo peccato operis, ibi, *Corrupti sunt.* Tertio peccato consuetudinis, ibi, *Et abominabiles.* Primo vocat peccatorem insipientem, quia sapientiam non habet, ut dicit etc. Item quia non sapiunt ei spiritualia: *1. Cor. 2. Animalis homo non percipit quae Dei sunt.* Consequenter ponitur processus malitiae, *Corrupti sunt et abominabiles.* Sicut duae partes iustitiae sunt facere bonum, et vitare malum, sic iniustitiae duae partes sunt, facere malum, et vitare bonum. Et primo ponit primam partem. Secundo secundam. Circa primam duo ponit. Primo perversitatem vitiorum. Secundo abominationem eorum. In corporibus sequitur corruptio per exhalationem

naturalis caloris expulsi ab extraneo calore: calor namque naturalis animae est amor Dei. Quando ergo subintrat extraneus amor concupiscentiae, et aliorum peccatorum, recedit Deus. Et ideo cum dixit, *Non est Deus*, statim subdit, *Corrupti sunt: Hier. 5. Negaverunt Deum, et dixerunt non est ipse*, scilicet peccatorum damnator, iustorum remunerator: *Eccl. 21. Cor fatui*, scilicet peccatoris, *quasi vas confractum*, *Corrupti* ergo *sunt*, peccatores per malum actum: *Io. 3. Erant autem eorum mala opera:* quia postquam per consensum amittunt bona gratuita, corrumpuntur in eis naturalia; et ideo sequitur eos poena: *Ps. 96. Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Item quando corpus putrescit, redditur abominabile. Sic anima hominis quamdiu amor Dei est in ea, est Deo accepta; sed quando corrumpitur per peccatum, fit abominabilis. Abominabile est, quod humanus appetitus refugit: et ideo dicit, *Et abominabiles facti sunt*, scilicet Deo et hominibus peccatores per consuetudinem peccandi: *Hier. 2. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? Osee 9. Alienati sunt in confusione, et facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.* Et dixit, *In studiis*, quia per ea deveniunt abominabilia. Vel studiose faciunt secundum Hieronymum. Plus enim abominatur Deus studiosam voluntatem peccandi, quam ipsum peccatum: *Iob 34. Quasi de industria recesserunt ab eo: et vias eius intelligere noluerunt.* Alia litera habet, *Corrumpunt et abominati sunt studium*, scilicet sapientiae et disciplinae: *Prov. 1. Exosam habuerunt disciplinam, et timorem Domini non susceperunt: Ezec. 8. Adhuc videbis abominationes maiores.* Consequenter agit de vitatione boni, *Non est qui faciat bonum*, quia non est iustus in terra qui faciat bonum, et non peccet, *Eccl. 7. Usque ad unum*, idest Christum, quia ipse solus nec peccatum contractum habuit, nec commissum. Beata Virgo habuit contractum peccatum: *Eccl. 7. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Vel, *Usque ad unum*, quia nec unus est qui perfecte faciat bonum. Verum est, supposito quod dixerunt, *Non est Deus*, *Et corrupti sunt. Dominus*

b Hic primo certificat culpam. Secundo exponit, ibi, *Sepulcrum.* Peccatum certificatur per iniquitatem; et ideo hic ponit Dei inquisitionem dicens, Vos dicitis quod *non est Deus;* sed falsum est, quia *Dominus de caelo prospexit super filios hominum: Prov. 16. Omnes viae hominis patent oculis eius.* Prospexit ergo mittendo filium suum Dominus Pater de caelo, idest de sinu pietatis suae: *Isa. ult. Caelum mihi sedes est.* Vel *de caelo*, idest Christus per quem iudicabit peccatores. Vel aliter. Dicunt aliqui quod Deus non cognoscit singularia et mutabilia, quia est immaterialis et simplex et aeternus. Et sic non cognoscit secundum motus rerum, et secundum modum suae cognoscibilitatis. Respondetur: immo: quia cognoscit materialia immaterialiter, ut Dionysius concludit. Et ita etiam cognoscit intellectus: et ideo dicit *De caelo*, idest de altitudine suae dignitatis et naturae. *Prospexit super filios hominum.* Et vult invenire in nobis voluntate antecedente, qua vult omnes salvos fieri, id quod pertinet ad salutem, scilicet ut cognoscamus Deum per intellectum, et amemus per affectum, et desideremus. Et ideo dicit, *Ut videre faciat,* quia ipse semper videat, idest videt, *Si est intelligens* per intellectum: *Deut. 33. Utinam saperent et intelligerent* etc. *Aut requirens Deum*, per affectum. Quid inveniet, cum hic quaesivit contrarium? quia *Omnes declinaverunt;* et ponit tria, scilicet declinationem a Deo, inutilem operationem, et cessationem a bono. Dicit ergo, *Omnes declinaverunt*, scilicet a Deo: *Deut. 21. Novi quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis de via quam praecepi vobis: Osee 4. Non est veritas, non est scientia, non est misericordia Dei in terra: Hier. 8. Nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat poenitentiam de peccato suo.* Item ex hoc quod declinat a Deo, efficitur inutilis: quia illud est inutile, quod non attingit ad id, ad quod factum est. Homo autem factus est ad fruendum Deo: *Sap. 4. Multigena impiorum multitudo non erit utilis.* Unde dicit *Simul inutiles facti sunt*, Item cessant a bono, quia *Non est qui faciat bonum* etc. Hoc iam expositum est. *Sepulcrum*

c Hieronymus dicit, quod Apostolus utitur testimonio istorum versuum *Sepulcrum patens est.* Et invenitur alibi in sacra Scriptura *Ro. 13.* ubi dicit quod aliquam partem accepit ex *Isa. 39.* aliam ex aliis partibus psalterii, et non ex isto psalmo tantum, cum ipse Hebraeus esset, et sciret hoc in Hebraeo non haberi; habetur tamen meditatione vulgata, qua vulgus utitur, vel quae non attribuitur alicui certae personae. A sepulcro patenti exhalat foetor; et ideo supra Psalmista certificavit malitiam, sive culpam inimicorum; hic autem exponit eam: et circa hoc duo facit. Primo ostendit, quomodo sunt peccatores inutiles aliis. Secundo quomodo sibi, ibi, *Contritio et infelicitas.* Circa primum duo proponit. Primo quomodo noceant aliis verbo. Secundo quomodo facto, ibi, *Veloces* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit promptitudinem oris ad nocendum. Secundo modum nocendi, ibi, *Linguis suis dolose agebant.* Dicit ergo *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Tale autem ad nihil aliud est paratum nisi ut recipiant cadavera, sic os eius, quod semper est paratum ad mortificandum per detractionem, est sepulcrum patens, *Apo. 9. De ore eorum procedebat ignis, et fumus, et sulphur.* Vel nota voracitatem eorum, quia guttur servit etiam ad comestionem, sed quandoque nocent dolo, quandoque malitia, et quandoque iniuria. Et primo ponit dolum quem habent in lingua. *Linguis suis* exterius blande loquendo: *Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est;* secundo in corde: *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Occultatum venenum mortificativum est, sed venenum aspidum insanabile est, et incantari non potest: *Ps. 57. Sicut aspidis surdae, et obturantis* etc. cuius venenum dormiendo interficit: *Hier. 5. Inventi sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes ad capiendos viros.* Ibidem: *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenae dolo*, qui dulci sono attrahunt ad laqueum aves. In quo designatur crudelitas, et pertinacia, et malitia: crudelitas, quia nituntur occidere: pertinacia, quia semper odium est in corde ipsorum; et ideo dicit, *Venenum* etc. *Quorum*

d Hic ostendit quomodo aperte nocent, quia per verba detractoria: *Et amaritudine*, idest amara verba: *Lev. 9. Non maledices surdo.* Vel quando verba con-

*

tra Deum dicit, provocativa ad iniuriam, vel iram: *Isa. 5. Rugitus eius ut leonis. Veloces.* Hic ostendit quomodo noceant facto, *Ad effundendum sanguinem: Prover. 1. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Contritio*

e Hic ostendit quomodo sint nocivi sibiipsis. Dupliciter aliquis sibi nocet, perdendo scilicet bonum quod habet, et deficiendo ab eo quod sperat. Dicit ergo *In viis eorum est contritio*, quia conteritur bonum quod habent: *et infelicitas*, quia non perveniunt ad bonum speratum, scilicet felicitatem: *Isa. 39. Vastitas et contritio in viis eorum, et viam pacis nescierunt, non est iudicium gressibus eorum.* Vel *contritio* in mundo isto: *infelicitas* post mortem, quae felicitati est opposita: *Iob 21. In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur:* hoc provenit ex uno quod est contra dilectionem proximi, quia *viam pacis non cognoverunt*, scilicet quid sit. Vel *viam pacis non cognoverunt*, scilicet Christum, quia viae eius sunt viae pacis: *Prover. 3. Viae eius, viae pulchrae. Non cognoverunt*, quia ipsum Christum peccando occiderunt. Aliud contra dilectionem Dei; unde dicit, *Non est timor Dei ante oculos eorum*, et ex hoc peccant: quia ut dicitur *Prov. 17. per timorem Domini declinat omnis homo a malo.* Quia ergo hoc non habent, ideo sunt sepulcrum patens. *Nonne*

f Hic agit de spe liberationis. Et primo ostendit, quod impii non habent spem: quia *Nonne cognoscent.* Secundo ostendit quae sit huiusmodi spes, ibi, *Quis dabit ex Syon.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod non cognoscent spem hanc. Secundo ponit signum, ibi, *Consilium inopis.* Movet primo quaestionem, et interponit in se culpam impiorum, et loquitur sic. Dico quod sunt sepulcrum patens, et quod non est Deus in corde eorum, sed nunquid cognoscent, quod Dominus est in generatione iusta? quasi dicat, hoc debent cognoscere, et quod Dominus sit in ea: *Hiere.14. Tu autem in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum* etc. *Ps. 21. Tu autem in sancto habitas laus Israel.* Est ergo Dominus in eo sicut in templo. *Et omnes qui operantur iniquitatem*, scilicet quantum ad Deum: *Et devorant plebem meam sicut escam panis*, quantum ad proximos, quos devorant auferendo bona eorum: *Zach. 11. Voret unusquisque carnem proximi sui: Michaeae 2. Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt: Eccles. 24. Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Non invocaverunt Deum*, idest non habent spem de Deo: *Isa. 59. Deum non invocaverunt.* Et sequitur ex hoc, quod habent securitatem, ideo dicit, *Illic trepidaverunt etc. Prov. 28. Fugit impius nemine persequente: Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus illius, et pax cum sit illi, semper insidias suspicatur.* Sed qui invocant Deum salvantur: *Ioel. 3. Omnes qui invocaverunt nomen Domini, salvi erunt: Prov. 18. Turris fortissima nomen Domini.* Non ergo tales cognoscent, *Dominus in generatione iusta est.* Et ostendit quod non, per signum, quia *Confudisti consilium inopis*, idest confusibilem reputastis, et blasphemastis quantum in vobis est, et hoc est consilium inopis, ut sciat *quoniam Dominus spes eius est: Ps. 21. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum: Matth. 27.* qui dicit, *Si vis perfectus esse* etc. Item *19. Hoc consilium semper divites contemnunt: Prov. 1. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Et unde? *Quoniam Dominus spes eius est*, quia non habent in mundo unde sperent nisi in Deo, qui spes sanctorum est.

g Omnes antiqui expectabant hoc: *Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda* etc. Sed hoc expectabatur ex Syon, idest Iudaeis: *Io. 4. Salus ex Iudaeis est.* Sed quando? Responsio: hoc habebimus, *Cum averterit Dominus captivitatem plebis suae*, qui sunt in captivitate peccati et carcere inferni: *Isa. 49. Equidem captivitas a forti tolletur, et quod captum fuerit a robusto*: et tunc *laetetur Iacob*, idest populus Dei interius: *et exultet Israel* exterius:

## a PSAL. DAVID XIV.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

b Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

c Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

d Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

e Qui iurat proximo suo et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit. Qui facit haec, non commovebitur in aeternum.

## a PSAL. XIV.

Supra Psalmista egit de malitia et dolo adversariorum; hic agit de propria iustitia. Et primo ostendit qualis sit iustitia quam Deus acceptat. Secundo, quasi gratias agens ostendit qualis sit sua iustitia, ibi, *Conserva me.* Titulus, *Psalmus David.* In Psalmo isto duo facit: nam quasi sacerdos existens coram Deo consulit Deum. Primo ponitur quaestio. Secundo expositio, ibi, *Qui ingreditur sine macula.* Praemittit ergo duplicem quaestionem, quia duplex est status praesentis ecclesiae, et futurae. Primus est militantium: *Apoc. 14. Amodo iam dicit spiritus ut requiescant.* Et hi duo status signati sunt in veteri testamento. Quia primo habuerunt tabernaculum: *Exo. 26. Quamdiu habuerunt bella et labores: 2. Reg. 7. Factum est cum dedisset Dominus requiem David ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan: Vides quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita est in medio pellium?* Postea fecit templum, quando habuit pacem. Per tabernaculum designatur ecclesia militans, per templum in monte factum status futurae vitae: et ideo dicit, *Quis habitabit in tabernaculo tuo*, idest in praesenti ecclesia; quasi dicat, quis est dignus habitare: peccatores enim habitant numero, non merito. Hieronymus habet, *Quis peregrinabitur: Ps. 67. Habitare facit unanimes in domo.* Secunda quaestio, *Quis requiescet in monte sancto tuo?* Et dicitur mons sanctus, quia nihil est ibi coinquinatum: *Hiere.*

*31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiae, mons sanctus: Isa. 35. Via sancta vocabitur: Exo. 15. Introduces eos, et plantabis in monte haereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine. Qui*

b Hic ponitur responsio : et circa hoc duo facit. Primo commemorat merita habitantium in praedictis locis, scilicet in tabernaculo, et in monte sancto Dei. Secundo praemium, ibi, *Qui facit haec, non commovebitur in aeternum.* Ponit autem decem effectus virtutum. Sed actio virtuosi consideratur dupliciter. Primo per comparationem ad se. Secundo per comparationem ad alios. Primo proponit ea, per quae homo bene operatur in se. Secundo ea per quae se bene habet ad proximum, ibi, *Nec fecit proximo suo* etc. In se, quantum ad exteriora, in opere, et in locutione. In opere, quantum ad duo. Primo, quod fugiat malum ; et ideo dicit, *Qui ingreditur sine macula.* Vita ista quaedam via est ad vitam aeternam ; et ideo dicit, *Ingreditur,* idest in via graditur: *Ps. 41. Ingrediar in locum tabernaculi.* Item 118. *Beati immaculati in via. Sine macula*, scilicet mortali, quia peccatum veniale non habet maculam proprie: *Eccle. 31. Beatus dives qui inventus est sine macula.* Sed in Christo, et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit, et istis appropriatur temperantia, quia contra temperantiam maculatur. Secundo, ut faciat bona; et ideo sequitur, *Et operatur iustitiam*, idest ea ad quae iustitia inclinat; et reducitur ad eam prout est specialis virtus. In sermone, primo, ut faciat bonum, *Qui loquitur veritatem*,idest faciat bonum locutionis: *Isa.33. Quis poterit habitare ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Qui ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem. Et dicit, *In corde,* contra illos qui loquuntur veritatem a casu, non ex proposito: *Proverb. 12. Labium veritatis firmum erit: 1. Pet. 2. Deponentes omne mendacium, et omnem dolum, quasi modo geniti infantes.* Secundo, ut vitet malum, scilicet dolositatem: *Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. Qui non egit dolum in lingua sua.* Alia litera, *Qui non est facilis in lingua sua: Prov. 25. Urbs patens et absque murorum ambitu, vir qui non potest in loquendo coercere spiritum suum.* Alia litera, *Et non est accusatio in lingua eius*, quia scilicet non est detractor et relator, vel quia verba sua non sunt accusabilia : *Eph. 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Nec fecit*

c Supra egit Psalmista de virtuosa operatione quam Deus acceptat, connumerando per quae homo bene operatur in se; hic autem connumerat ea, per quae se bene habet ad proximum. Et hic quantum ad proximum petit tria. Primo, ut ei non noceat. Secundo, quod non consentiat nocenti: *Ro. 1. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur ; sed digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Tertio, quod non decipiat ipsum. Dicit ergo quantum ad primum, *Nec fecit proximo suo malum*, nec corporaliter, nec spiritualiter: *Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes: Col. ult. Dum tempus habemus, operemur bonum.* Quantum ad secundum dicit, *Et opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Aliquis dicit aliquid contra aliud, sed non est sustinendum; et ideo dicit, *Opprobrium non accepit,* tunc scilicet, quando ille qui audit verba detractoria contra eum, et ex his detestatur illum, de quo dicuntur, vel etiam ipse dicit aliis : *Eccl. 19. Audisti verbum contra proximum tuum, commoriatur in te* etc. *Eccl. 28. Sepi aurem tuam spinis, et noli audire linguam nequam.* Hieronymus: *Si non est auditor, non est detractor.* Bernardus: *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixero: Prov. 25. Ventus aquilo dissipat pluviam, et facies tristis linguam detrahentem*, quia ad literam detrahens cessat cum audiens contristatur. *Ad nihilum*

d Hic ostendit quod non despiciat. In homine sunt duo, scilicet vitium et virtus. Vitium est despiciendum; et ideo dicit *Malignus*, inquantum talis, *Ad nihilum est deductus*, idest nihil reputatur; et hoc est bonum. Primo ad tollendum aemulationem: quandoque enim aliquis malus exaltatur: *Hier. 12. Via impiorum prosperatur* etc. Sed propter hoc nullo modo debet eum reputare magnum, sed debet eum despicere: *Mala. 2. Gloria hominis peccatoris stercus et vermis est: hodie extollitur et eras non invenitur, quia conversus est in terram, et cogitatio eius periit.* Vel aliquis magnus intendit nocere, sed ex quo est malignus contemnas eum: quia talium derogatio est nostrae vitae adprobatio : *Ps. 26. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, idest peccatores. Sed virtuosum hominem reputa magnum; ideo dicit, *Timentes autem Dominum glorificat: Eccl. 25. Quam magnus est qui invenit sapientiam et scientiam, sed non est super timentem Dominum.* Glossa aliter exponit, *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, idest diabolus victus est ab eo: *Io. 2. Vicistis malignum* etc. Dominus glorificat timentes Dominum, scilicet se. Sed prima expositio est magis literalis.

e Hic prohibet ne decipiat proximum. In tribus autem proximus decipitur, videlicet in promissis, et hoc per iuramentum; et ideo dicit, *Qui iurat* etc, idest firmat ad decipiendum, quia non servat: *Zach. 8. Iuramentum mendax non diligas: Levi. 14. Non periurabis in nomine Dei tui, et non pollues illud.* Iurare non pertinet ad virtutem, sed iuramentum servare. Item in contractibus. Unde *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram: Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes: et munera super innocentem non accepit: Prov. 17. Munera de sinu*, idest ecclesiae, *impius accepit, ut pervertat semitas iudicii: Deut. 23.* prohibetur quod non detur fratri ad usuram, quia vendit quod non est, cum non habeat usumfructum. Item in iudiciis, quando dat sententiam contra innocentes; et ideo dicit, *Et munera: Isa. 5. Vae qui iustificatis impios propter munera: Iob 19. Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Consequenter ponitur praemium, *Qui fecit*, idest servat: *Haec*, omnia praedicta: *Iac. 1. Estote factores verbi: Ro. 2. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores. Non commovebitur in aeternum*, idest hic habitabit in monte sancto meo: *Infra 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Syon* etc. *Psal. 54. Non dabis in aeternum fluctuationem iusto.*

a *Inscriptio tituli ipsius David.*

## a PSAL. XV.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

b Sanctis qui sunt in terra eius: mirificavit omnes voluntates meas in eis.

c. Multiplicatae sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt.

d Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

e Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei; tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in praeclaris; etenim haereditas mea praeclara est mihi.

f Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum; insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

g Insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae; adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.

## a PSAL. XV.

In praecedenti Psalmo enumeravit iustitias, quas Deus requirit ab homine; hic autem ostendit quomodo iustitiam sequebatur. Titulus talis est, *Inscriptio tituli ipsius David.* Et quantum ad literam significat quod editus est specialiter de his, quae pertinent ad personam David. Sed quia David gerebat etiam personam Christi ex eius semine nasciturі, ideo quaedam hic de David, quaedam de Christo ponuntur. Et ideo Petrus *Act. 2. Providebam Dominum* etc. de resurrectione Christi dicit proprie dictum esse, et non de David. Et secundum hoc tangit historiam in Psalmo isto de novo testamento, secundum quod dicitur *Io. 18. quod Christo crucifixo imposuit Pilatus titulum super caput eius. Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*, et hic est quasi titulus regni eius. Triplex titulus consuevit describi. Aliquando in sepulcro alicuius, hoc est sepulcrum talis. Aliquando in domo, haec est domus talis. Aliquando pro triumpho, sicut Romae fiebat: hic titulus Christi est, qui triumphavit per crucem: *Col. 2. Palam triumphans illos in seipso, expolians principatus et potestates.* Signatur ergo hic, quod in Psalmo specialiter de regno Christi agitur. Titulus Hieronymi talis est, *Humilis et simplicis Psalmus David.* Et signatur quod agitur in psalmo illo de simplicitate et humilitate David, sive singularis, sive figurati, scilicet Christi. Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima ostendit sive ex parte sua, sive ex parte Christi loquens, se soli Deo inhaerere. Secundo commemorat beneficia quae a Deo recipit, ibi, *Benedicam Dominum qui* etc. Primum ad simplicitatem, secundum ad humilitatem pertinet. Circa primum duo facit. Primo ostendit quod soli Deo inhaeret. Secundo rationem assignat, ibi, *Dominus pars* etc. Circa primum tria facit. Primo ostendit quomodo se habeat ad Deum. Secundo, quomodo se habeat ad sanctos Dei. Tertio, quomodo se habeat ad inimicos Dei. Secunda, ibi, *Sanctis.* Tertia, ibi, *Multiplicatae* etc. Ad Deum se habet ut sibi soli inhaerens: et hoc dupliciter: per spem, et fidem, ibi, *Dixi Domino.* Circa primum duo proponit, scilicet signum spei, et ipsam spem. Signum spei, ibi, *Conserva me Domine*, quasi non confido per me servari posse, sed tu Domine, *Conserva in me*, vel in se, vel in membris suis: *Io. 17. Pater serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et hoc, *Quoniam speravi in te.*

Sed numquid speravit Christus?

Dicendum est quod sic: speravit quidem pro aliis vitam aeternam, pro se autem claritatem corporis. Claritatem autem animae habuit in instanti suae conceptionis. *Dixi* etc. Hic primo ponit actum fidei. Secundo rationem assignat, ibi, *Quoniam bonorum* etc. Actus fidei est confiteri Deo, vel in corde credendo, vel exterius laudando, factis approbando: *Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* et ideo, *Dixi*, corde, ore, et opere, *Quia Deus meus es: Gen. 28. Erit mihi Dominus in Deum.* Et ideo est, *Quia bonorum meorum non eges.* Et hoc est proprium Dei: quia infinitae bonitatis est, et nihil ei addi potest, quia est substantiale bonum ad omnia extendens bonitatem sicut sol lumen, non per participationem, sed per ipsum esse illuminans omnia. Cuilibet autem alii creaturae potest addi, *Etiam sanctis*, et propter hoc aliquid eis accrescit; et ideo aliquo modo indigent nobis, sed Deus solus non indiget bonis nostris: *Iob 33. Porro si iuste egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Hieronymus habet, *Quoniam bene non est nobis sine te*, quasi ex hoc apparet, quia tu es Deus meus, quia tu es bonitas, nec mihi bene est sine te, *Sanctis*

b Hic ostendit quomodo se habet ad sanctos, etiam ut legitur ex persona Christi. Et sciendum, quod voluntas Patris sicut voluntas Christi est, et inquantum homo, ut impleat voluntatem Patris: *Ps. 39. Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus volui: Thess. 4. Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra: Io. 6. Descendit de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam, sed resuscitem illud in novissimo die.* Christus autem multa voluit: et hoc propter nostram utilitatem. Sed quid voluit? Pati, mori, resurgere, ut nos vivificaret. Dicit ergo Deus Pater, *Omnes voluntates meas mirificavit*, idest mirifice adimplevit, *In eis*, In quibus? *Eis*, In sanctis qui sunt in terra eius, idest in ecclesia militante et triumphante. Hieronymus habet sic, *Sanctis qui sunt in terra et magnificis, omnis voluntas mea in eis.* Alia litera habet, *Robustis.* Et dato quod aliquis terrenus con-

fidat in potestate robusti exercitus, sed David dicit, *Ego speravi in te: Eccl. 2. Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Et robusti mei sunt sancti tui, qui magna faciunt: *Ps. 100. Oculi mei ad fideles*, dicit Christus, ut sedeant mecum. Quod ipse Christus diligat sanctos, patet: *Prov. 18. Ego diligentes me diligo. Multiplicatae*

c Hic ostendit quomodo se habeat ad adversarios Dei, sive ad peccatores. Et primo ponit eorum conversionem. Secundo conversionis modum, ibi, *Non congregabo.* Circa primum duo facit. Primo proponit statum praecedentis culpae. Secundo ponit statum subsequentis gratiae, ibi, *Postea acceleraverunt.* Dicit ergo, *Multiplicatae sunt infirmitates eorum*, idest diversa peccata. Vel *infirmitates*, idest poenalitates ex peccato consequentes: *Thren. 1. Multi gemitus mei.* Et ex hoc sequitur, *Postea acceleraverunt*, idest conati sunt ad curandum vitam, ut redimerent tempus perditum. Et signanter hoc faciunt, quia, *ubi abundat delictum, superabundat gratia*, ut dicitur *Rom. 5.* Item post tribulationes homo currit ad Deum: *Osee 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me, venite, revertamur ad Dominum: Ps. 82. Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine. Non*

d Hic ponit modum conversionis. Et primo ostendit ad quem ritum convertantur. Secundo, quomodo perfecte, ibi, *Nec memor ero* etc. Dicit ego *Acceleraverunt.* Sed quomodo convertentur? In veteri lege illi qui convertebantur, offerebant diversa sacrificia. Sed ego adunabo ex diversis partibus ad fidem; sed non ut effundant sanguinem: quia, ut Apostolus dicit *Heb. 10. impossibile est per sanguinem taurorum, aut hircorum, auferri peccata. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, idest de ritu legis, sed haec congregatio est de sanguine novo, idest Christi: *Hebr. 9. Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendo peccata: Heb. 10. Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos* etc. *Zach. 9. Tu autem in sanguine testamenti tui eruisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua* etc. Sed quomodo perfecta erit ista congregatio: *Quia non ero memor nominis illorum?* Quod habebant in statu peccati, quia unus dicebatur fornicator, alius latro. Sed nullus post conversionem debet sic nominari, quia huiusmodi nomina sunt deleta. Vel non ero memor peccatorum in iudicio, cum congregabo iustos, *Venite benedicti, Matth. 25* Et hoc *Per labia mea*, vel per praedicatores meos. Sed dicetur eis, *Ite maledicti* etc. *Hier. 15. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris:* Hieronymus habet: *Multiplicati sunt idola eorum: post tergum sequentium non libabo libamina eorum de sanguine, neque assumam nomina eorum in labiis meis;* quasi dicat, Te colo, non idola. Sed illorum idola multa sunt: *Osee 8. Multiplicavi post dorsum recedentes a te: Hierem. 2. Verterunt ad me tergum et non faciem, nec ero particeps libaminum eorum: Deut. 33. De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum.* Nec iurabo per illa idola, *Dominus*

e Hic assignat rationem suae inhaesionis soli Deo, quia scilicet ipse solus est haereditas sua; quasi dicat, Ideo solum hoc in caelo, quia haec est haereditas mea. Primo dicit Deum esse suam haereditatem. Secundo commendat eam, quod est contentus de ea, ibi, *Etenim haereditas mea* etc. Ipsa est bonum nostrum quo fruimur: homines in mundo isto quaerunt possessiones et usus earum, sed possessio sua est Deus; unde, *Dominus pars haereditatis meae*, intransitive, idest haereditas quae venit mihi in partem. Quidam habent pro haereditate delectationes carnis: *Sap. 2. Haec est pars, et haec sors nostra.* Alii autem alia delectabilia mundi, sed Deus est sors mea: *Thren. 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Sed non solum est haereditas mea, sed, *Pars calicis mei*, idest calix meus veniens mihi in sortem, quia tota delectatio mea, et potus est Deus: *Ps. 22. Calix meus inebrians quam praeclarus est.* Vel Christus habet haereditatem fideles: et huiusmodi haereditatis, scilicet fidelium, Deus est pars, sicut dictum est, *Dominus pars calicis mei*, quia passio mea ordinatur ad Deum. Ipse etiam est dator huius haereditatis, *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, scilicet aeternae gloriae. Et sic Christus loquitur ex persona suorum, qui eam perdiderant peccante primo parente. Vel, *Haereditatem*, idest claritatem corporis, quam perdidit homo peccando. *Funes extenderunt mihi in praeclaris.* Divites terram mensurant fune: *Deut. 33. Iacob funiculus haereditatis eius.* Et ideo portio dicitur quasi funiculus funis, idest portio mea cedit mihi in rebus optimis, quia nihil melius ipso Deo: *Hier. 3. Tribuam tibi terram desiderabilem, praeclaram haereditatem.* Secundo ostendit quod sit ea contentus, *Etenim haereditas mea praeclara est mihi;* quasi dicat, Non solum haereditas mea in se praeclara est, sed est ita praeclara mihi, quod nullo modo mutarem eam: *Ps. 131. Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Benedicam*

f Supra Psalmista posuit rationem, quare soli Deo inhaeret, quia scilicet ipse est pars haereditatis suae; hic recognoscit beneficia. Et primo proponit beneficia suscepta. Secundo speranda, ibi, *Insuper et caro mea.* Circa primum duo facit. Primo commemorat beneficia suscepta. Secundo ostendit gaudium, quod habet ex eis, ibi, *Propter hoc laetatum est cor meum.* Commemorat ergo duplex beneficium, unum in adeptione boni, aliud conservando contra mala. Quantum ad primum dicit, *Benedicam Dominum* etc. ut intelligam quam praeclara sit illa haereditas aeterna: *Ps. 118. Da mihi intellectum, et scrutabor* etc. *Ps. 31. Intellectum tibi dabo, et instruam te: Eccl. ult. Danti mihi sapientiam dabo gloriam.* Dedit autem Dominus homini rationem ad sapientiam, sed non totaliter abstulit infirmitatem; sed hoc erit in gloria. Et primo proponit eam. Secundo ponit auxilium contra eam, ibi, *Providebam Dominum*, Omnis homo habet a Deo secundum rationem lumen intellectus, et iustus reformatur lumine gratiae. Sed adhuc infirmitas carnis restat; et ideo dicit, *Insuper adhuc increpuerunt me renes mei*, idest infirmitates meae, scilicet culpae, vel peccata. Et hoc, *Usque ad noctem*, idest usque ad mortem, *Increpuerunt me renes mei*, idest reprehensibilem me ostenderunt. Alia litera, *Quia in renibus incentivum luxuriae sedem habet, et sic delectationem tentando molestat: 2. Cor. 12. Ne magnitudo revelationum* etc. Sed in Christo non sunt infirmitates culpae, vel infectionis, quia caro eius non repugnat adversus spiritum; et ideo intelligitur solum

de poena: *Heb. 4. Tentatum per omnia*, quantum ad infirmitates corporales. Sed si de nobis intelligatur, dicendum quod homo qui donum intellectus habet, vel gratiam, dicat adhuc cum Apostolo *Ro. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Renes*, idest Iudaei sibi coniuncti, *Usque ad noctem*, idest usque ad passionem, sive usque ad passibilitatem carnis. Et quia caro timebat passionem, ego in illa passione, *Providebam Dominum*, erectis oculis in caelum, non in mundo. Providentia est praevisio rerum fiendarum in futuro, sed visio sive conspectus est rerum praesentium. Sed si adhuc tales renes impugnant, non est timendum, quia paratum habet auxilium Dei. Et ideo primo ponit recordationem auxilii dicens, *Providebam Dominum* etc. quando scilicet *Increpuerunt me renes mei : Ps. 24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam* etc. Et hoc ideo, quia *A dextris est mihi ne commovear*, non ad sinistram : *Prov. 3. Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris: Isa. 59. Stemus simul* etc. *Propter hoc laetatum est cor meum: 1. Reg. 2. Exultavit cor meum in Domino : Ps. 63. Laetabitur iustus in Domino* etc. *Et exultavit lingua mea* etc. exterius cum exteriori gaudio prorumpit in laudem vocis: *Isa. 12. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: Ps. 80. Exultate Deo* etc. *Insuper*

g Hic enumerat beneficia speranda. Primo quantum ad resurrectionem carnis. Secundo quantum ad animam, ibi, *Notas*. Prima in duo. Primo ponit spem resurrectionis. Secundo modum, ibi, *Quoniam non derelinques*. Dicit ergo, Dedisti mihi intellectum, et astitisti mihi homini, sed *Insuper, et caro mea requiescet in spe*, resurrectionis: *Ps. 3. Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi*. Et etiam habebit caro mea spem in resurrectione: *Sap. 3. Spes illorum immortalitate plena est*. Ratio, quia resurrectio requirit unionem corporis et animae ; et ideo non debuit anima coniuncta divinitati remanere in inferno, sed tandiu debebat ibi stare, donec probaretur veritas humanitatis, et verae carnis: nec plus decebat relinqui in inferno, ubi descenderat ad liberandum sanctos: *Eccl. 24. Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes* etc. Item ex parte corporis, quia *Nec dabis sanctum*, idest corpus meum a te sanctificatum: *Videre corruptionem*, idest putrefactionis, vel resolutionis, quam non est passus, sed mortis corruptionem passus est. Beneficia quae pertinent ad animam commemorat, cum dicit, *Notas*. Hoc refertur ad Christum pro membris suis, et haec sunt documenta et praecepta, quae sunt via in beatitudinem: *Prov. 7. Serva mandata mea, et vives* ; et ideo dicit, *Notas mihi fecisti vias vitae*, Secundo commemorat beneficium: ubi tria dicit. Primo plenam Dei visionem, *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo*, idest videbo vultum tuum: *2. Cor. 13. Nunc cognosco ex parte*, idest imperfecte, *Tunc cognoscam facie ad faciem*, plenam laetitiam: *Ioan. 16. Ut gaudium vestrum plenum sit*, quia delectationes indeficientes: quia, *In dextera tua usque in finem: Isa. 51. Laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam obtinebunt: et fugiet ab eis dolor, et gemitus: Prov. 3. Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria.*

## *Oratio David.*

## a PSAL. XVI.

Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant aequitatem. Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

b Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus ; inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

c Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. A resistentibus dexterae tuae custodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt.

d Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam. Proiicientes me nunc circumderunt me : oculos suos statueruut declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam; et sicut catulus leonis habitans in abditis.

e Exurge Domine, praeveni eum, et supplanta eum; eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae. Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

e Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua.

## *In finem.*

Puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici huius in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, et de manu Saulis.

## a PSAL. XVI.

Supra describit Psalmographus divinam iustitiam, et ostendit, quod eam servabat; hic proponit orationem in qua petit exaudiri, propter iustitiam. Titulus, *Oratio David*. Et est primus Psalmus qui intitulatur ab oratione, quia huiusmodi totaliter est oratio ; et ideo ab oratione incipit, quia inter tribulationes singulare refugium est oratio: *Psalm. 108. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam*. Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima orat pro stabilitate propria. In secunda petit liberationem a malo, ibi, *Ego clamavi*. Circa primum duo facit. Primo petit exaudiri. Secundo proponit petitionem

suam, ibi, *De vultu tuo.* Considerandum est autem, quod in exauditione sit triplex gradus. Primo ille cui fit petitio, audit verba. Secundo attendit seorsum. Tertio implet petitum. Primo ergo petit ut exaudiatur, dicens, *Exaudi* etc. *Dan. 9. Exaudi Domine Deus orationem servi tui.* Secundo in exauditione ponit meritum petentis; et ideo dicit, *Iustitiam meam*, quasi dicat, in me est meritum ut exaudias. Glossa, *Iustitia habet vocem apud Deum, qua penetrat caelum: Iac. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua: Io. 9. Peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, hunc Deus exaudit.* Secundo petit quod intendat ad sensum orationis, *Intende deprecationem meam:* Glossa dicit, *Deprecationem, quae est pro malis amovendis.* Alia litera, *Intende ad canticos meos*, quasi ad spiritualem intellectum: *Ps. 129. Erant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.* Tertio quod audiat verba orantis; et ideo dicit, *Auribus percipe orationem*, quae est, *Non in labiis dolosis*, sed simplicibus: *Isa. 53. Dolus non fuit in ore eius.*

Sed cum omnia audiat, quare dicitur quaedam audire, et quaedam non? *Sap. 1. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu.* Deus non debet audire nisi verba vera, et non quae proveniunt ex labiis dolosis: et ideo dicit, *Non in labiis dolosis: Ps. 11. Labia dolosa in corde.* Et sic dolosum dupliciter accipitur, scilicet fictio respectu oris, et respectu operis, cum opus non concordat ori. Pharisaeus qui dicebat, non sum sicut caeteri hominum etc. non fuit exauditus, sed alius qui non in labiis dolosis, sed recte orabat, fuit exauditus, quia descendit iustificatus in domum suam: Glossa, *Labia dolosa sunt qui dicunt, Domine Domine, et non faciunt voluntatem Patris mei. De vultu tuo.* Iudex non profert sententiam nisi audita petitione, et discussa causa. Et ideo hic petitionem ponit: et petit tria. Primo sententiam. Secundo causae examinationem, ibi, *Proba.* Tertio sententiae qualitatem, *Perfice.* Circa primum duo facit. Primo petit iudicium. Secundo temperamentum, ibi, *Oculi tui.* Dicit ergo, *De vultu tuo*, idest de cogitatione tua: *Iudicium meum prodeat*, idest pro me: *Hier. 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Sed hic petit iudicium non securitatis: *Isa. 64. Omnes iustitiae vestrae quasi pannus menstruatae*, sed aequitatis, secundum quod patitur humana natura: et ideo dicit, *Oculi tui videant aequitatem*, idest iudicent iudicium aequitatum: *Isa. 11. Arguet in aequitate pro mansuetis terrae: Iob 22. Aequitatem proponat contra me, et ad victoriam proveniet iudicium meum;* quasi dicat, Non peto iudicium, quia causa mea tibi examinata est. Quod causa sua sit examinata coram eo, ostendit cum dicit, *Probasti* etc. Et primo ponit ordinem examinationis. Secundo quid sit inventum exponit, *Et non est inventa.* Dicit ergo, *Probasti cor meum.* Differentia est inter probare et examinare: probare quaerit rationem facti, examinare quaerit ipsum factum. Ratio autem facti magis tangit cor, sed factum magis tangit corpus. Dicit ergo, *Probasti cor meum*, idest probatum ostendisti, quod non est turbatum propter tribulationes quas patior. Deus cum examinat, tria facit. Probat, visitat, et examinat. Probat cum diiudicat, an habeat cordis rectitudinem: quia si non habet, non curat examinare; sed quando hoc habet, indiget examinari, utrum habeat firmitatem: *Hier. 17. Ego Dominus scrutans corda et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam.* Sed haec examinatio est dura et fortis, ita quod nullus sustineret nisi adiutus ab eo: *Iob 6. Quae fortitudo mea ut subsistam, et quis finis meus ut patienter agam? nec fortitudo mea nec caro mea aenea est.* Et ideo praemittit visitationem: *Ps. 88. Visitabo in virga*, vel adiuvando, vel corrigendo, *Visitasti nocte.* Sed potest idem intelligi per noctem et ignem, quia turbat animam: *Iob 29. Nocte os meum perforatur doloribus: et incendium facit hoc idem.* Vel nocte, idest defectu spiritualis intelligentiae. Quandoque quis habet rectum cor, si supervenit sibi tentatio et negligentia, et est in nocte: et in hac visitat Dominus adiuvando contra tentationes, et negligentiam excutit et confortat: *Ps. 49. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Vel nocte, idest quiete et silentio, et tunc visitat per consolationes: *Matth. 52. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Examinasti igne*, idest tribulatione, quia tunc apparet si est bonus amicus, et non recedit: *Eccl. 6. Est amicus secundum tempus suum, et permanebit in die tribulationis.* Invenitur per istam examinationem innocentia et perfectio, quia examinat si in eo inveniatur innocentia. Hoc autem in isto invenitur. Et primo ponit eius innocentiam. Secundo perfectionem, ibi, *Non est inventa in me iniquitas.*

Sed contra *1. Io. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est:* et *Pro. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum? Eccl. 7. Non est homo iustus in terra qui faciat bonum, et non peccet.* Glossa, *Nec infans unius diei.*

Dicendum, quod loquitur de iniquitate peccati per quam in tribulatione recedit a Deo. Perfectio innocentiae invenitur in eo, intantum quod non loquitur *Opera hominum*, idest peccatum; quasi dicat, Non solum in corde, sed nec in ore eius est iniquitas: *Iob 6. Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis iniquitas personabit: Eph. 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Vel sic, *Non est inventa iniquitas, Ut non loquatur os meum*, cum post sequitur, *Opera hominum* etc. quasi dicat, Tu vidisti quod in me non est iniquitas: et hoc, quia non decet me loqui; tu tamen vidisti hoc: *Pro. 27. Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus, et non labia tua.* Hieronymus habet sic, *Probasti, et non invenisti cogitationes meas ascendere super os meum;* quasi dicat, Non intantum turbatio processit, ut veniret a corde ad os per murmura. Secundo exponit quo igne fuerit examinatus, cum dicit, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Viae durae sunt adversitates, et hoc sustinui, *Propter verba labiorum tuorum*, idest ut servarem verba, aut annunciarem verba tua: *Hier. 22. Factus est sermo Domini in opprobrium et in derisum.* Hieronymus habet *Ut vias latas.* Latrones quaerunt diverticula ut lateant, ita David quando persequebatur eum Saul: *Ps. 17. Posuit pedes meos quasi cervorum.* Spiritualiter dicitur de Christo punito inter latrones ut malefactor: *Io. 18. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Si incipias versum, ibi, *Propter opera ho-*

*minum custodivi vias duras*, dicas vias duras quae sunt opera hominum: *Prov. 4. Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis, quas dum ingressus fueris* etc. Consequenter determinat quid petit, *Perfice gressus meos in semitis tuis*, scilicet iustitiae: *Iob 4. Ubi est fortitudo tua, patientia, et perfectio viarum?* Et hoc ut vestigia, idest affectus meus, non moveantur a mandatis tuis. Vel petit Christus pro ecclesia ut gressus eius perficiantur, et vestigia, idest sacramenta non moveantur. Item, cum ex actibus generentur habitus, actus vestigia relinquuntur in voluntate. Vel ad literam petit David, quod non praecipitetur de praeruptis per quae transibat fugiens Saul: *1. Reg. 24. Sequebatur eum Saul per praeruptissimas petras.* Alia litera habet, *Sustenta gressus meos in calcibus meis, et non labentur vestigia mea.* Vel quod Christus secundum quod homo perficiatur in sempiternum gloria divinitatis: *Io. 14. Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret Ego.*

b Supra posuit Psalmista ut stabiliatur in bono; hic autem petit ut liberetur a malo: et circa hoc tria facit. Primo petit exaudiri in sua petitione. Secundo ponit eam, ibi, *Mirifica misericordias tuas.* Tertio exauditionem suae petitionis manifestat, ibi, *Ego autem.* Circa primum duo facit. Primo proponit spem conceptam de Deo. Secundo ex hac petit se exaudiri, ibi, *Inclina aurem.* Dicit ergo, *Ego clamavi*, videtur ordo praeposterus: convenientius videtur dici, *Quoniam clamavi exaudisti me.* Et ideo tripliciter exponitur. Uno modo secundum glossam, *Ego clamavi.* In clamore validior intentio mentis est, et libera. Tunc ergo clamant qui cum magna devotione orant, et libertate cordis. Et unde hoc? *Quoniam exaudisti*, dando scilicet libertatem. Gregorius: *Neminem exaudit Deus nisi quem ut precetur inspirat*, animam scilicet per aliquam devotionem: *Ps. 118. Concupivit anima mea desiderare* etc. Alio modo, secundum Augustinum *10. de civit. Dei*, quod ly quoniam non designat causam, sed signum; quasi dicat, hoc est signum quod clamavi, quia exaudisti me. Tertio modo, quia cum quis exauditur, semel iterum fiducialius petit. Et ideo dicit, *Quoniam exaudisti ego clamavi*, Hieronymus habêt, *Plane quoniam exaudisti.* Semper haec duo coniungit, clamorem, et exauditionem, quia qui sic clamat exauditur: *Ionae 2. Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: Ps. 141. Clamavi ad te, dixi tu es* etc. Consequenter petit exaudiri: et qui exaudit primo audit; ideo dicit, *Inclina*, nisi Dominus sit in alto loco oportet quod inclinet aurem ad audiendum illum qui est in imo. Dominus sedet in maiestate sua, et si vellet nostra agere secundum altitudinem suae iustitiae non salvaremur, quia *Isa. 64. quasi pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae.* Et ideo oportet quod inclinet, et tunc exaudiat: *Dan. 9. Inclina Domine aurem tuam, et audi. Mirifica*

c Hic ponitur petitio; et est duplex. Prima de sui liberatione. Secunda de inimicorum deiectione, *Exurge Domine, praeveni eum.* Circa primum duo facit. Primo petit liberationem. Secundo subdit necessitatem liberationis, ibi, *Inimici mei.* Circa primum tria facit. Primo petit misericordiam. Secundo salutem, ibi, *Qui salvos.* Tertio liberationis modum, ibi, *Custodi me, ut pupillam oculi.* Dicit ergo, *Mirifica.* Quod quis liberatur a parvo hoste, non est mirum, sed cum quis liberatur a maximo malo, vel hoste, hoc est mirum; et hoc petit, *Mirifica*, idest mirabiliter libera me. Et hoc non secundum iudicium hominis, sed secundum *Misericordiam tuam: Eccl. 36. Innova signa et immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum, excita furorem, et effunde iram, extolle adversarium, et afflige inimicum.* Et huius ratio est, quia tuum est et proprium. *Qui salvos facis sperantes in te: Eccl. 2. Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Et salvas, *A resistentibus dexterae tuae.* Dextera Dei virtus est operativa, sive spiritualiter in bonis: *Prov. 3. Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria.* Dicuntur resistere dexterae Dei daemones sive peccatores qui impediunt spiritualia. Vel dextera Dei dicitur Christus: *Psal. 117. Dextera Dei fecit virtutem.* Cui resistunt Iudaei contradicendo eius doctrinae: *Io. 7. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* et detrahendo illius operationi: *Io. 9. Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit: Luc. 11. In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.*

Sed est quaestio contra Psalmum, *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* Nullus ergo suae voluntati potest contradicere: *Iob 9. Deus, cuius irae nullus potest resistere.*

Et dicendum, quod nullus efficaciter potest resistere ei, sed potest habere voluntatem sive propositum resistendi. Consequenter ponit modum liberationis, quia diligenter, et tute, ideo dicit *Custodi me, ut pupillam oculi.* Pupilla oculi cum diligentia custoditur, quia nihil quod laedere possit permittitur appropinquare; sic et facit Deus in custodia servi sui: *Deut. 32. Circumduxit eum et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui: Zach. 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Vel secundum glossam, *Pupilla oculi dicitur Christus dirigens: Eccl. 3. Virtus visiva est in pupilla qua discernimus bonum a malo*, et Christus discernit fideles ab infidelibus, et a bonis malos. Ad hanc diligentem custodiam manifestandam utitur duplici metaphora, scilicet umbrae, et alarum. Umbra enim refrigerat ab aestu, sic et tutela Dei refrigerat dans securitatem. Item alis gallina pullos contra milvum custodit, sic et Deus suis alis, quae sunt charitas et misericordia, iustos defendit a rapacitate daemonum: *Matth. 23. Quoties volui congregare vos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, et noluistis?* His ergo alis Deus nos elevat ad superna: *Ps. 88. Misericordia et veritas praecedent faciem tuam, beatus populus* etc. *Hier. 31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Vel pupilla oculi dicitur anima, quia sicut pupilla quae est in medio oculi, circumdatur multis pellibus ad defensionem, et homo opponit manum, et fere omne quod habet ne laedatur, sic debet homo facere pro anima: *Iob 2. Pellem pro pelle* etc. quia, ut dicitur *Mar. 16. quid prodest homini si mundum universum lucretur* etc. *animae* etc. Vel *custodi me, ut pupillam oculi*, idest ut Christum, *Sub umbra alarum tuarum protege me*, idest sub custodia angelorum: *Ps. 90. Angelis suis mandavit de te* etc. Vel duae a-

nimae sunt duo brachia Christi extenta in cruce: *Deut. 32. Expandit alas suas, et assumpsit eos atque portavit in humeris suis.* Consequenter ostendit a quibus competit liberari, quia, *A facie impiorum qui me afflixerunt,* idest a potestate et praesentia daemonum, vel falsorum fratrum: *2. Cor. 11. Periculis in falsis fratribus. Qui me afflixerunt,* tentationibus, et persecutionibus: *Exo. 1. Oderant filios Israel Aegyptii, et affligebant illudentes eis.* Sic nos debemus petere liberari a peccato: *Eccl. 21. Quasi a facie colubri fuge peccatum. Inimici*

d Hic ponit necessitatem liberationis: et circa hoc duo facit. Primo proponit afflictionem quam patitur. Secundo afflictionis similitudinem, ibi, *Susceperunt me.* Circa primum duo facit. Primo praemittit afflictionem. Secundo afflictionis modum, ibi, *Adipe* etc. Dicit ergo, *Inimici,* daemones, sive peccata ita affligunt me, quod, *Circumdederunt animam meam,* idest sic undique concludunt, quod non inveniam viam liberationis. Et dicit, *Animam,* quia nihil quaerunt nisi animam. Hostes corporales quaerunt tollere vitam, hostes vero spirituales quaerunt animam. Vel potest intelligi de Christo, cuius animam Iudaei suis malitiis circumdabant: *Ps. 117. Circumdederunt me sicut apes* etc. Item *ibidem: Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Consequenter ponit modum; unde dicit *Adipem.* Adeps in Scriptura quandoque in bono, quandoque in malo accipitur. In bono, secundum quod signat devotionem mentis: *Ps. 62. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* In malo. Primo secundum quod signat nequitiam cordis. Secundo oris. Tertio operis: et ideo designat detestabilem malitiam: *Iob 21. Viscera impii plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur.* Et hoc est multiplex. Quandoque delectatio de peccato quod faciunt: *Prov. 2. Qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Item superbia et falsitas: *Iob 11. Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se liberum natum putat.* Item carnalis sensus. Dicit ergo, *Adipem suum,* idest carnalem sensum, vel delectationem: *Concluserunt,* in se, ut non capiant spiritualem sensum. Hieronymus habet, *Adipe suo, idest abundantia temporalium et saecularis potestatis, Concluserunt me.* Secundo, quoad os, quia, *Os eorum locutum est superbiam.* Et hoc quando Iudaei dicebant contra Christum, *Si rex Israel* etc. Tertio quoad opus. Et primo ostendit quomodo procedit ad opus. Secundo causam huius, ibi, *Oculos suos.* In operatione autem duo ponit. Primo defectum. Secundo solicitudinem nocendi: et tamen quando quis contemnit non solicitatur nocere: et ideo dicit, *proicientes,* idest despicientes: *Isa. 33. Proiecit civitates, non reputavit homines, et tamen circumdederunt me undique solicite.* Et hoc fecerunt Iudaei Christo, quando proiecerunt eum extra civitatem: *Luc. 2. Et circumdederunt me,* convenientes ad spectaculum ut irriderent, *Act. 7.* Et huius ratio est, quia non respiciunt ad Deum, sed ad terrena: *Ps. 3. Non est salus illi in Deo eius. Statuerunt oculos suos declinare in terram,* scilicet peccatores statuerunt intentionem cordis sui declinare in terram, cum deliberatione et mora: *Prov. 17. Oculi stultorum,* idest peccatorum, *in finibus terrae,* et ideo non recipiunt lumen gratiae: *Eccl. 2. Oculi sapientis in capite eius, stultus,* idest peccator, *in tenebris,* idest in peccatis, *ambulat: Dan. 13. Declinaverunt oculos suos ut non viderent caelum.* Et hoc ad literam fuit in Iudaeis, cum dicebant *Io. 11. Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem.* Vel *in terram,* idest in carnem Christi, cuius infirmitatem tantum considerabant, et non eius divitatem, quasi dicat, *Statuerunt oculos suos* etc. De industria similitudo ponitur quantum ad violentiam, quia, *Sicut leo paratus ad praedam susceperunt me,* vel a Deo, vel a Pilato milites, quantum ad fraudulentiam, quia, *Sicut catulus leonis habitans in abditis.* Leo in agro invadit, sed catulus eius in occulto morans, raptam praedam comedit, vel invadit: *Matt. 26.* Osculo enim fuit traditus, de nocte captus, per falsos testes condemnatus, et princeps sacerdotum scidit vestimenta sua. *Exurge*

e Hic ponit aliam petitionem, idest deiectionem inimicorum; et ponit tria. Primo petitionem. Secundo expositionem, ibi, *Eripe animam meam.* Tertio petitionis rationem, ibi, *De absconditis.* Circa primum duo facit. Primo petit occultationem auxilii. Secundo destructionem adversarii. Dicit ergo, Dormire videris dum pateris me affligi, sed, *Exurge Domine, praeveni eum,* ut citius subvenias quam nocere possit: *Et supplanta eum,* idest destitue eum quasi astute: *Iob 5. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum: Prov. 19. Astutia hominis supplantat gressus eius, supplanta eum,* in duobus, scilicet in mei liberatione; et quantum ad hoc dicit, *Eripe animam meam ab impio,* quia contra iustitiam persequitur me, et ideo impius est: *Ps. 42. Ab homine iniquo et doloso eripe me.* Et huius ratio est, quia anima mea est framea, idest gladius acutus ex utraque parte, qua destructus est diabolus. Et hoc proprie dicitur de anima Christi: *Isa. 17. In die illa visitabit Dominus super Leviathan in gladio duro et forti.* Dicit, *Frameam tuam ab inimicis manus tuae,* supple, *Eripe: Psal. 66. Intende animae meae, et libera eam* Vel, *Eripe frameam tuam ab inimicis,* idest aufer gladium et potestatem, quam habent a te: *Sap 6. Data est vobis a Deo potestas.* Et voluntatem quam habent a se: *Zach. 13. Frameam suscitare super pastorem meum.* Vel, *Supplanta eos,* in eorum frustratione: *Et eripe animam meam ab inimicis manus tuae,* idest Christi filii tui: nam filius dicitur manus patris: *Deut. 32. Tollam in caelum manum meam,* idest filium meum. *Domine a paucis de terra divide eos,* quia propter hoc persequuntur me, ut regnum suum stabiliant. Haec est duplex litera: in psalmo Romano sic, o Domine dispartire, *Eos in vita eorum;* quasi dicat, ipsi oculos habent ad terram, et ideo mala faciunt; sed tu exclude eos de terra quam dedisti eis. Sed quomodo? Numquid ut vadant in unum locum? Non, sed dispartire eos per totum mundum. Alia litera, *Domine a paucis de terra dimitte eos;* quasi dicat, divide eos de terra, et *a Paucis,* idest a societate electorum, *In vita eorum,* idest dum vivunt. Vel quia legitur quod imminente destructione sunt admoniti per angelum, quod fideles recederent et irent in regnum Agrippae. Et ideo, *Divide eos a paucis,* idest Christianis, qui sunt reservati. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum,* idest de peccatis non confessis: *Pro. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur:*

*Iob 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Vel hic ponitur ratio petitionis: et huiusmodi ratio est duplex, videlicet quia potest referri ad peccata, vel ad beneficia de quibus sunt ingrati. Si primo modo, sic. Primo ponit abundantiam peccatorum. Si secundo modo, ostendit quomodo beneficia Dei derivabantur ad filios. Dicit ergo quantum ad primum, *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, idest peccatis, quae sibi abscondita sunt: non quod non videat, sed quia non vult ea videre: *Abac. 1. Mundi sunt oculi tui Domine, ne videant malum, et ad iniquitatem respicere non possunt. Adimpletus est venter eorum*, idest conscientia, vel memoria, vel carnalis concupiscentia, vel sensualitas. *Saturati sunt filiis*, idest peccatis, vel malis operibus. Mala opera dicuntur filii malorum, sicut bona opera filii bonorum. Alia litera habet, *Saturati sunt porcina*, idest immunditia peccatorum; et est expositio eius quod dicit, *De absconditis: Et diviserunt reliquias suas parvulis suis;* quasi dicat, derivantur ad filios, qui imitati sunt peccata eorum: *Sap. 4. Ex iniquis omnes filii, qui nascentur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua.* Vel *Saturati sunt filiis*, idest ad utilitatem filiorum, *Et diviserunt reliquias suas parvulis suis*, qui eos ad peccatum quantum in eis fuit obligaverunt: *Matth. 27. Sanguis eius super nos et filios nostros.* Vel, *Saturati sunt filiis*, idest pro filiis, quasi ita saturati sunt peccatis, quod suffecit eis et filiis suis, idest reliqua peccata, quae non fecerunt ipsi, dimiserunt facienda filiis suis. Si secundo modo, sic duo beneficia receperunt. Primo spiritualia, quia legem. Et ideo dicit, *De absconditis*, sapientiae tuae, *Adimpletus est venter eorum*, idest carnalis sensus: *Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi.* Secundo bona temporalia, quia, *Saturati sunt filiis*, et quod plus est, reliquerunt ea eis. Hieronymi litera habet ab illo loco, *Eripe animam meam ab impio*, quasi scilicet impius sit gladius tuus: *Isai. 10. Vae Assur virga furoris, A viris manus tuae, qui sunt mortui in profundo, quorum pars est in vita;* quasi dicat, *Eripe animam meam ab impio*, idest a Saule, *Et a viris manus tuae*, qui contradicunt manui tuae. Qui sunt mortui in profundo, idest peccato. Quorum pars est in vita, scilicet ista, *Quorum venter adimpletus est* etc. Saul secundum glossam signat mortem; et sicut mortuo Saule David regnavit in pace, ita Christus morte devicta post resurrectionem, *Ego*

e Hic ostendit spem suae exauditionis: et ponit duo, scilicet iustitiam quam habet, et visionem Dei. Et consequuntur se, quia per iustitiam pervenitur ad Dei visionem: *Ps. 14. Quis habitabit in tabernaculo tuo* etc. *Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam.* Alia litera, *Ego autem in iustitia videbo faciem tuam*, et ideo apparebo in conspectu tuo, idest veniam ad videndum te. *Et satiabor cum apparuerit gloria tua*, idest quando videbo te, replebor omnibus bonis: *Psal. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum*, scilicet gloria tua, in qua omnia bona sunt. Illi satiantur porcina, secundum 70. Nostra litera dicit, *In terra sanctorum* etc. *Isa. 26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Ego autem satiabor: Hiere. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus.*

## a PSAL. XVII.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

b Deus meus adiutor meus. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

c Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

d Dolores inferni circumdederunt me: praeoccupaverunt me laquei mortis. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.

e Commota est et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis.

f Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

g Inclinavit caelos, et descendit, et caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubin.

h Et volavit: volavit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius; tenebrosa aqua in nubibus aeris. Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt; grando, et carbones ignis.

h Et intonuit de caelo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: grando, et carbones ignis. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos.

i Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

k Et apparuerunt fontes aquarum: et revelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus irae tuae.

l Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de aquis multis.

m Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ad his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Praevenerunt me in die afflictionis meae: et factus est Dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinem; salvum me fecit, quoniam voluit me. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, et iustitias eius non repuli a me.

n Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

o Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. Quoniam tu popu-

lum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.

p Quoniam tu illuminans lucernam meam Domine : Deus meus illumina tenebras meas.

q Quoniam in te eripiar a tentatione: et in Deo meo transgrediar murum.

r Deus meus impolluta via eius , eloquia Domini igne examinata : protector est omnium sperantium in se. Quoniam quis Deus praeter Dominum ? aut quis Deus praeter Deum nostrum ?

s Deus qui praecinxit me virtute : et posuit immaculatam viam meam.

t Qui perfecit pedes tanquam cervorum, et super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad praelium : et posuisti ut arcum aereum brachia mea.

u Et dedisti mihi protectionem salutis tuae : et dextera tua suscepit me. Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit. Dilatasti gressus meos subtus me; et non sunt infirmata vestigia mea.

x Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant.

y Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.

z Et praecinxisti me virtute ad bellum : et supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum; et odientes me disperdisti.

et Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum plateārum delebo eos.

ϑ Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi , servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.

ɣ. Filii alieni mentiti sunt mihi , filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

aa Vivit Dominus, et benedictus Deus meus: et exaltetur Deus salutis meae.

bb Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine ; et nomini tuo psalmum dicam. Magnificans salutes regis eius , et faciens misericordiam Christo suo David, et semini eius usque in saeculum.

## a PSAL. XVII.

In praecedenti psalmo Psalmista petivit orando liberari ab inimicis; hic autem liberatus gratias agit. Et primo gratias agit de beneficio liberationis. Secundo prorumpit in laudem liberatoris , ibi , *Caeli enarrant gloriam Dei.* Titulus , *In finem puero Domini David.* Et locutus est verba cantici huius in die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius, et de manu Saulis. Et psalmus iste de verbo ad verbum habetur *2. Reg. 22.* Et historia est , quia *1. Re. 19.* legitur quomodo Saul quaerebat eum occidere: et eo mortuo *2. Reg. 2.* iterum Abner et filius eius fuit contra eum. Tandem victoriam habuit David contra eos. Et ideo fecit hunc psalmum. Et Hieronymus dicit idem. Et quia per David significatur Christus, omnia ista referri possunt ad Christum, vel secundum caput, vel secundum corpus, scilicet ecclesiam, quae liberata est a Saule, idest morte: Saul enim interpretatur petit , quia ad petitionem populi datus fuit, immo potius extortus. Unde non fuit datus ad permanendum. Sic Christus primo sustinet mortem, postea remanet quietus, secundum glossam. Liberatur etiam ab inimicis omnibus Iudaeis et daemonibus, et quantum ad corpus suum , idest ecclesiam. Dividitur autem ista pars in tres. In prima in generali commemorat beneficium liberationis. In secunda ostendit potentiam liberantis , ibi , *Commota est.* In tertia modum liberationis, ibi, *Misit de summo* etc. Circa primum duo facit. Primo commemorat affectum quem concepit ex beneficio praedicto. In secunda ostendit effectum inde sequentem , ibi , *Laudans.* Duplex affectus surrexit in eo ex huiusmodi beneficio, scilicet amoris et spei. Et primo ponit primum. Secundo secundum, ibi, *Deus meus.* Primo ponit affectum amoris ad Deum. Secundo rationem eius, ibi, *Fortitudo.* Dicit ergo. O Domine qui me liberasti, ego semper, *Diligam te*, quia in te manebo: *Io. 14. Manete in dilectione: Ro. 8. Certus sum, quia neque vita, neque mors, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Christi.* Diligere enim est rationabilium, amare generale est : *Iudic. 5. Qui diligunt te , sicut sol in ortu suo splendet , ita rutilant.* Ratio autem dilectionis alicuius est propter proprium bonum. Unde quando quis reputat bonum suum dependere ab aliquo, haec est ratio quare diligat eum. David reputabat totum bonum suum a Deo; unde dicit , *Diligam te*, quia tu es, *Fortitudo mea.* Fortitudo habet firmare animum, ne quis recedat a bono propter difficultates imminentes. Quomodo autem sit eius fortitudo , ostendit. Homo indiget fortitudine ad duo. Primo in bonis ut stabiliatur in eis: et ideo dicit , *Dominus firmamentum* , idest firmum fundamentum : *2. Reg. 22. Dominus petra mea : Matt. 7. Omnis qui audit verba mea , et facit ea , similis est viro aedificanti domum suam supra petram.* Item in malis: et hoc ad duo. Uno modo antequam adveniat, ut fugiat; unde dicit , *Refugium meum : Prov. 14. Turris fortissima nomen Domini: Psal. 103. Petra refugium herinaciis.* Alio modo, postquam evenerit, ut liberet ; unde dicit, *Et liberator meus. Deus meus*

b Hic ponit effectum spei: et differt inter spem et amorem , quia amor est vis unitiva : amamus enim aliquid inquantum reputamus illud nostrum: et ideo dicit quod ipse est fortitudo sua: *Isa. 12. Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Spes importat defensionem ab extrinseco; et utrumque Deus facit. Vel sic. Obiectum spei est bonum arduum futurum, possibile adipisci. Sicut ergo quis amat prop-

ter bonum iam datum, ita sperat futurum ex fiducia ex amore concepta, et ex similibus, inquantum credit similia in futurum recipere. Et ideo hic tria facit. Primo sperat refugium et firmamentum quod est in bonis. Secundo petit protectorium quod est in malis, quae iam evenerunt. Dicit ergo primo, *Deus meus adiutor meus : Psal. 93. Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* etc. Et ideo sperabo in eum: *Eccl. 2. Qui timetis Dominum , sperate in illum , et cum oblectatione venient vobis misericordiae.* Secundo speramus liberari a malis, quibus nondum subiecti sumus, quia defendit nos. Primo, ne laedamur. Secundo, quod ea vincamus et pro victoria coronat. Quantum ad primum dicit, *Protector meus,* Hieronymus habet, *Scutum*, quod protegit ne transfigi possit a malis: sic facit Deus: *Ps. 63. Protexisti me Deus a conventu malignantium.* Quantum ad secundum dicit , *Et cornu salutis*, quia animalia cornu impingunt , ita virtus Dei contra adversarios resistit, quia pugnat, ut vincat mala temporalia , et spiritualia : *Psal. 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu : et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: 1. Re. 2. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo,* idest virtus mea. Quantum ad tertium, *Et susceptor meus.* Quando quis vincit, suscipitur cum triumpho; sic etiam facit Deus: *Io. 14. Iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis: Ps. 72. Cum gloria suscepisti me.* Simile habet *2. Reg. 22.* Consequenter ponit effectum sequentem, scilicet laudem. Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis , vel ex hoc saltem sequitur. Primo ergo ponit laudem. Secundo eius efficaciam. Dicit ergo, *Laudans invocabo Dominum;* quasi dicat, Ex hoc laudem propriam non habeo, sed quaero tuam, quia tu fecisti : *Isa. 63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quae retribuit mihi. Et invocabo te*, secure cum efficacia, quia sic invocans, *Salvus ero ab inimicis meis: Ioel. ult. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Circumdederunt*

c Hic ponitur necessitas liberationis. Et primo magnitudinem liberationis ostendit. Secundo orationem quam fundit ad Deum, *In tribulatione.* Tertio ponit exauditionem, *Exaudivit.* Non quod ista tria sic sunt ad invicem ordinata, iniquitas, mors, et infernus, quod ex iniquitate homo inducitur ad mortem, et per mortem deducitur ad infernum: et sicut primum est via ad secundum, ita est secundum ad tertium. Et ideo primo dicit de primo progressu. Secundo de secundo, quod de morte vadunt ad infernum, ibi, *Dolores inferni* etc. Primo duo facit. Primo ponit modum. Secundo viam ad eam , scilicet iniquitatem , *Torrentes iniquitatis.* Dolor mortis maximus est : *1. Reg. 15. Siccine separas amara mors? Eccl. 41. Mors , quam amara est memoria tua.* Unde quando quis non potest eam effugere, tunc circumdant eum dolores , et tanto magis, quanto sunt ineffugabiles. Via est iniquitas, quasi ideo timeo eam, quia, *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Torrens est fluxus aquae decurrentis cum impetu : *Iob 6. Sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* Impetus ergo subitus iniquitatis interioris, puta subitae tentationis et gravis, est torrens impellens ad peccatum. Vel exterioris , sicut impetus alicuius hostis. Et hi , *Conturbaverunt me. Dolores*

d Hic prosequitur secundum progressum ; et ideo dicit, *Dolores inferni,* idest similes infernalibus: *Gen. 37. Lugens in infernum descendam.* Vel dolores qui concipiuntur ex timore inferni. Et hi circumdant quando inevitabiles sunt, et veniunt hi dolores: *Quia praeoccupaverunt me laquei mortis.* Quae mors? *Prov. 21. Qui congregat thesauros lingua mendacii , vanus et excors est: et impingetur ad laqueos mortis.* Ecce necessitas. Sed remedium apposuit orationis. Et primo ponitur oratio; et ideo dicit, *In tribulatione mea invocavi Dominum : Osee 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me: Baruch 3. Nunc Domine Deus* etc. *Isa. 55. Quaerite Dominum dum inveniri potest* etc. *Ps. 49. Invoca me in die tribulationis et eruam te: Sap. 7. Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.* Consequenter ponitur orantis devotio , quia , *Ad Dominum meum clamavi*, idest cum magnitudine devotionis orantis : *Ps. 119. Ad Dominum cum tribularer* etc. *Heb. 5. Cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est:* et dicit, *Ad Dominum meum clamavi,* non alienum: *Deut. 10. Dominum Deum tuum adorabis* etc. Tertio ponitur exauditio, *Exaudivit.* Duo dixerat, se invocasse, et clamasse. Et ideo dicit exauditam vocem et clamorem. Unde? *De templo sancto vocem meam exaudivit.* Templum Dei est ipsa excellentia suae sanctitatis, quia Dominus est templum suum: *Apoc. 21. Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est* etc. Item templum est ipse Christus: *Ioan. 2. Hoc autem dicebat de templo corporis sui*, in quo Deus est per unionem personae. Item anima iusta, in qua Deus est per gratiam: *1. Cor. 3. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Item Beata Virgo: *Psal. 5. Adorabo ad templum sanctum tuum* , in qua, idest per quam exaudivit nos Deus: *Ps. 33. Exaudivit me , et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Item ecclesia: *Ps. 10. Dominus in templo suo.* Et de quolibet templo isto exaudivit: *3. Reg. Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac , tu exaudies in loco habitationis tuae.* Et non solum orationem dicit exauditam, sed etiam clamorem ; ideo dicit , *Et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.* Et dicit , *In conspectu* , idest in oculis eius , quia omnia videt : *Exo. 3. Videns vidi afflictionem* etc. Vel *In conspectu*, idest in beneplacito: vel in corde, ubi ipse solus conspicit: *1. Re. 16. Homo videt ea quae apparent , Deus autem intuetur cor. Et introivit in aures eius,* per acceptationem: *Iac. 5. Clamor eorum in aures Domini.* Vel *In aures*, idest in clementiam eius: *Eccl. 15. Oratio humiliantis se nubes penetrat. Commota*

e Supra egit Psalmista de effectu concepto ex beneficiis liberationis ; hic agit de potentia liberantis. Potentia agentis ostenditur ex effectu agentis ; quae autem hic dicuntur, possunt ad duplicem Dei effectum pertinere, scilicet ad illum , qui ostenditur in corporalibus, et ad effectum redemptionis. Et forte verius ad utrumque , quia ea quae hic dicuntur sub figura corporalium, spiritualiter complentur per effectum redemptionis. Effectus autem divinae potentiae maxime manifestatur in rebus corporalibus , quia spiritualia minus sunt nobis nota, et praecipue in illis quos ho-

mines admirantur, et haec sunt commotiones elementorum, scilicet terrae, aeris, aquae, et ignis. Dividitur ergo pars ista in tres partes. Primo ostendit Dei potentiam in effectibus qui sunt circa terram. Secundo in permutationibus aeris. Tertio in permutationibus aquarum. Secunda, ibi, *Inclinavit caelos.* Tertia, ibi , *Apparuerunt fontes aquarum*, Sed si ad mysterium referatur, dividitur in duo. Primo ostendit fructum divinae redemptionis factae per Christum. Secundo modum ipsius, ibi, *Inclinavit caelos.* Prima in duo. Ad primum referendo primo agit de effectu terrae, quae est ab imo. Secundo de eo , qui a summo ascendit. Si mystice, sic ostenditur duplex effectus redemptionis, scilicet poenitentia peccatorum, et devotio iustorum, ibi, *Ascendit.* Sed secundum quod refertur ad corporalem effectum, qui est ab imo terrae, maxime mirabilis effectus est terraemotus etc. Hic tria tangit.. Primo ipsam commotionem. Secundo id quod mirabilem eam reddit. Tertio eius causam. Dicit ergo, *Commota est , et contremuit terra.* Dupliciter aliquid movetur. Uno modo movetur aliquid de loco in locum: et sic non movetur terra. Alio modo ad modum trementis: et sic mirabilem facit esse terraemotum concussio montium, quia si terra mollis moveretur, non esset mirabile ; sed quando moventur montes , tunc mirabile est; et ideo dicit, *Conturbata sunt*, quia videntur stabilitatem amisisse. Prima causa est voluntas divina; et hanc exprimit metaphorice cum dicit, *Quoniam iratus est eis*, scilicet Deus. Sicut cum Dominus turbatur, qui eis assistunt, tremunt, ita ad commotionem Dei omnia turbantur. Mystice designatur per hoc commotio hominum ad poenitentiam. Item inter eos quidam sunt minores: et hi designantur per terram; unde dicit, *Commota est et contremuit terra*, idest qui prius peccatores erant et terreni : *Is. 51. Posuisti ut terram cor tuum, et quasi viam transeuntibus.* Haec commota est per effectum a terrenis ad caelestia, et hoc a tremore quem concepit de poenis: *Is. 62. A timore tuo Domine concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis.* Quidam sunt magni ; et hi dicuntur montes, idest superbientes in saeculo. *Commota sunt*, per Christi adventum, *Montium fundamenta* sunt illa in quibus firmantur, scilicet divinae potestates et honores : *Ps. 45. Transferuntur montes in cor maris*, puta turbantur quando veniunt adversitates; et post totaliter commoventur : *Is. 23. Dominus exercituum cogitavit hoc ut detraheret omnem superbiam gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.* Omnia regna et potestates quae habent initium habebunt occasum : ratio est, *Quoniam iratus est eis.* Hoc potest dupliciter intelligi. Si de malis , non est dubium quod ex vindicta Dei, quae dicitur ira, transferetur; si de bonis, idest quoniam ira Dei eis innotuit, ideo convertuntur. Innotuit enim per eum : *Ro. 1. Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Ascendit*

f Hic ponit corporaliter exponendo effectum qui est a summo. Effectus autem terrae a summo est, quando terra caelesti igne in aliqua sui parte comburitur: et circa duo duo facit. Primo tangit materiam ipsam. Secundo accensionem ignis et combustionem. Materia cius est fumus siccus resolutus ascendens quousque inflammetur ; et ideo dicit , *Ascendit fumus in ira eius* , idest in voluntate eius , idest Dei per quam sic punit, *A facie*, idest a potestate eius, *Ignis exardescit*, idest accenditur. *Et carbones*, idest materia combustionis hic incenditur. Mystice per hoc innuuntur duo, scilicet devotio orationis, et inflammatio caritatis. *Ascendit*, et ex hoc consideratur ira Dei contra peccatores , *Ascendit fumus* , devotae orationis: *Apoc. 8. Ascendit fumus aromatum*, idest ignis caritatis: *A facie eius*, idest Christi: *Exardescit: Luc. 12. Ignem veni mittere in terram. Carbones succensi sunt ab eo*, scilicet isti susceptivi accensionis. Carbo aliquando habuit ignem; sic homo a principio habuit caritatem, sed extinctus erat; sed isti succensi sunt a Christo. Item carbones non humidi sic incenduntur, sed humidi, non sicut humidi fluxu carnalium : *Ps. 119. Sagittae potentis acutae cum carbonibus* etc. *Commota est et contremuit terra: fundamenta* etc. *Quoniam iratus est eis.* Deus iratus dicitur, quia ad modum irati se habet non in se, sed quantum ad effectum. Dominus autem iratus facit tremere servum , et leo catulum. Pro quo sciendum, quod virtus continens membra dimittitur exterius, et revertitur interius, puta ad cor quasi fugiens, et cedens malo imaginato: vel virtuti surgenti contra eam cui resistere non potest , et membra tremunt , sicut murus cum concutitur fundamentum. Anima enim continet corpus, et est quasi fundamenta eius ; et pars animae partem corporis. Unde concusso fundamento concutitur murus; et concussa virtute concutitur membrum. Sic ergo effectus irae in animali est tremor. Dicitur autem animal tremere, quando concutitur pars eius, toto in eodem loco manente: et similiter quia contingit hoc in terraemotu, dicitur terra tremere per similitudinem ad animalia. Dicitur enim Deus irasci terrae in terraemotu. Vel sic. In homine sunt quatuor, scilicet ratio, vires sensitivae, natura, res, et corpus. Sed in mundo sunt Deus, angeli, animalia, plantae, et elementa. Videmus enim quod ad malum imaginatum, cui corpus non potest resistere, corpus statim tremit; non ex cognitione, sed quodam naturali ordine sive naturaliter, inquantum virtus mali imaginati est potentior. Et similiter Deus cum vertit virtutem suam super terram, licet non cognoscat iram, naturaliter tremit. *Fundamenta*, idest aliquae concavitates sive terra concava, qua mota montes concutiuntur. *Quoniam iratus* etc. Prima causa est voluntas Dei sive virtus eius volens in eis agere ; sed mediantibus causis secundis hoc agit ; ita quod omnes causae secundae comparantur ad terram, sicut imaginatum malum commovens membra. *Ascendit fumus.* Ubi nota secundum Philosophum, quod a terra humida resolvitur virtute caloris solis vapor calidus et humidus; a terra autem sicca vapor siccus et calidus; sed naturaliter plus ascendit secundus quam primus. Hic enim assimilatur igni, ille aeri: et hunc vaporem Psalmista vocat fumum, secundum calidum et siccum. Philosophus vero vocat eum materiam incendii. Sursum enim latus hic vapor cum modico augmento caloris factus, per modum circulationis accenditur. Qui quidem fumus siccus si habeat longitudinem et latitudinem, postquam accensus est, vocatur flamma. Est enim flamma secundum Philosophum spiritus sicci ardoris ; si lon-

gitudinem tantum vocatur daly sive titiones et aegibes sive caprae et sidera. Daly quidem quando est materia illa incendii longa, continua sine scintillatione. Caprae vocatur quando est cum scintillatione, idest quando videtur salire et discurrere, sicut caprae. Sydera quando est materia discontinua, et videtur volare sicut sydera: et hoc habet minimum de materia. Est et aliud genus syderum, quod est frigus expellens calidum: et talia sydera non videntur volare, sed magis proiicit, ut dicit Philosophus: et generantur non ex fumo omnino sicco, sed vapore magis humido et calido; qui secundum naturam suam non tantum ascendit sicut siccus, sicut dictum est. Et quia est siccum, patitur a frigido et repercutitur, et inferius proiicitur. Et fit hoc in die et in sereno: alias extingueretur a densitate et humiditate aeris. Et quia videtur in die, signum est, quod est prope terram. Ascendit autem dupliciter; et per continuationem, sicut superior flamma accendit inferiorem lucernam; sive per motum a frigore et constrictione, sive conglobatione calidi. Sic ergo dicit, *Ascendit fumus*, idest exhalatio sicca: *In ira eius*, idest per voluntatem ipsius volentem agere in eo. *Et ignis*, idest ille fumus qui vocatur ignis etiam a Philosopho *in principio metaph.* quasi eo quod non habeat proprium nomen: sicut exhalatio humida quae vocatur vapor; sed dicitur ignis, quia disposita est ad ascensionem, et quia est calida et sicca sicut ignis. Iste enim ignis *Exarsit*, idest accensus est, scilicet a Deo tanquam a prima causa: qui quidem ignis accensus vocatur dalus, flamma et sydera. Sydera dico generata primo modo, ut dictum est. *Et carbones succensi sunt ab eo*, idest sydera secundo modo generata. Vel sic *Commota est* etc. Vapor siccus virtute caloris solis a terra elevatus aliquando est subtilis: et tunc elevatur superius, et facit intensionem, ut dictum est supra. Aliquando in superficie terrae est aliquantulum grossior, unde a frigore repercussus non tantum ascendit, et est ventus; aliquando in terram elevatur grossior vapor siccus, qui propter suam grossitiem et terrae soliditatem non expirat exterius, sed clauditur in terra, et congregatur in aliqua concavitate terrae simili sibi, et coarctatur ab aliquo corpore non sibi simili in specie, et sic agitatur in terrae visceribus: et sic commovet eam; nec mirum cum videamus ventum in mari facere undas quasi montes, et in terra elevare arbores et aedificia facere corruere, et in aere tempestates maximas facere. Quod autem ventus sit causa terraemotus, signum quod ante terraemotus consuevit fieri tranquillitas a ventis; sed post terraemotum sunt venti. Materia autem terraemotus subtiliata per calorem solis expirat a terra: et sic cessat terraemotus, et fit ventus. Causa terraemotus est impulsio unius venti ab alto: et propterea non potest esse in tota terra simul, sed durant per ducenta miliaria ad plus, ut dicit Seneca. Et dicit quod terraemotus divisit Siciliam a Calabria, et Hispaniam ab Africa. Et durat aliquando per quadraginta dies; aliquando per unum. Item nota quod terra solida a qua non potest vapor exire exterius, apta est ut cito moveatur: ea enim quae est de natura lapidea, non leviter movetur et concutitur; oportet tamen ab aliqua parte porosam esse unde ingrediatur vapor ut per poros intret, et per soliditatem contineatur. Et si dicas si ingrediatur non potest egredi, dicendum quod non potest semper hoc facere: quia aliquando semper continuatur ingressus et elevatio vaporis ad locum illum. Et iterum quia calidum non vadit inferius, ad hoc cooperatur unda maris claudens poros, et pro frigore recludens inferius. Unde loca cavernosa circa mare faciunt frequenter terraemotum. Item nota quod iste vapor continue egreditur de terra quantum ad aliquid, et propterea tempore terraemotuum animalia quae portant caput iuxta terram saepe ex hoc inficiuntur per vaporem illum venenosum egredientem de terra. *Inclinavit*

g Hic agit de ventis. Ubi nota quod materia venti est vapor vel exhalatio sic calefacta, sed non ita subtiliata quod possit ad supremum locum ascendere, nec ita calefacta: unde impeditur a frigore et ingrossatur et repercutitur inferius: et haec repercussa movet aerem. Habet tamen tantum de caliditate quod non ita vincitur a frigore ut convertatur ad terram; et dicitur, *Caligo*, et dicitur, *Sub pedibus*, quia non est alta sicut illa quae accenditur in flamma. Aliquando autem non statim repercutitur, sed agitat nubes, quia non totaliter vincitur, nec directe redit inferius ad terram: et propter hunc motum tortuosum quasi nititur sursum ascendere, et non valet propter repercussionem: et hoc est quod dicit, *Et volavit*

h Hic agit de permutationibus aeris secundum corporales effectus: et est triplex permutatio, scilicet in ventis, in nubibus, et tonitruis: et agit de qualibet. Circa primum proponit tria. Primo causam effectivam omnium istarum transmutationum Secundo materiam. Tertio modum. Causa autem omnium istorum est corpus caeleste, quod suo motu causat has alterationes aeris; et ideo dicit, *Inclinavit caelos*, idest virtutem caelestium corporum ordinavit ad hos effectus: quia hoc habent a Deo. *Et descendit.* Licet Deus immobilis manens omnia operetur, dicitur tamen moveri per effectum, inquantum facit mobiles effectus: *Sap. 7. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia;* et secundum hoc dicitur descendere, inquantum facit descendere virtutem caelorum. Materia ventorum est caligo, sive fumus siccus; non ita subtilis quod ascendat usque ad ignem, sed subsistens; et dicit, *Sub pedibus*, idest sub potestate eius, et totum est a Deo. Modus. *Ascendit super Cherubin*, Notandum quod Iudaei fingunt quod sicut rex habet currum, ita habet Deus etiam currum, qui est Cherubin, et imaginantur Deum corporalem et similem Cherubin. Et ideo in Psalmo Hieronymi etiam de verbo ad verbum dicitur, *Equitavit super Cherubin.* Et isti habent falsam imaginationem, quia quae imaginabiliter dicuntur in Scriptura, signa sunt spiritualis veritatis. Divina autem sapientia moveri dicitur, inquantum motum causat in mobilia. Quicquid autem causat Deus in istis inferioribus, causat ministerio spiritualis creaturae: unde dicit Augustinus quod Deus movet corporalem creaturam mediante spirituali: sed non facit hoc sua virtute spiritualis creatura, sed Deo praesidente. Et dicitur hoc specialiter facere Cherubin, quia interpretatur plenitudo scientiae: et Deus omnia per suam scientiam facit. Et dicitur hoc specialiter facere Cherubim, quia scientia Dei excedit scientiam angelorum. Et ideo facit hoc Deus, *Volans*, idest ve-

lare faciens. Et per Cherubin, idest per suam scientiam, et super eos qui excedit illos: et dixit, *Volavit , volavit,* quia motus venti non est uniformis: et dicit , *Pennas ventorum*, propter velocitatem motus eorum. Mystice hic ponitur mysterium incarnationis. Et ponitur Christi incarnatio, per quam exivit et venit in mundum. Secundo eius ascensio , qua ivit ad Patrem, ibi , *Ascendit super Cherubin.* Tertio ea quae post Christi ascensionem in ecclesia facta sunt, *Et posuit tenebras.* Dicit ergo, *Inclinavit caelos, et descendit* , etc. Si quis magnus facit humilitatem alicui parvo de villa, dicitur facere iniuriam et deiectionem toti loco, cui praesidet. Sic filius hominis dicitur humiliare se et inclinare caelos, quia voluit venire ad nos humilis ! *Descendit* , idest visibilis apparuit : *Baruch* 3. *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est : Ioan. 1. Quod vidimus et audivimus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.* Descendit ergo per humilitatem accipiendo carnem humanam, moriendo et docendo humilia. Vel, *Inclinavit* etc. idest praedicatores , *Et descendit* , faciens eos dicere capacia hominibus , *Et caligo* , idest diabolus et omnes mali, *Sub pedibus eius,* idest Christi: *Psal. 109. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* De ascensione dicit , *Ascendit super Cherubin : Eph. 4. Qui descendit , ipse est et qui ascendit super omnes caelos ut adimpleret omnia. Super Cherubin,* idest super ordines angelorum *: Eph. 1. Constituens eum ad dexteram suam in caelestibus super omnem principatum, et potestatem , et virtutem, et dominationem* etc. *Et omnia subiecit sub pedibus eius , et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius : Hie. 52. Fortissime , magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu.* Et dicit specialiter , *Super Cherubin* , quia non solum ascendit ut est etiam eis superior , sed quia eis est incomprehensibilis. *Volavit volavit* , duplex volatus intelligitur hic. Primo inquantum fama eius post ascensionem in brevi tempore per totum mundum crevit; unde dicit, *Super pennas ventorum,* idest plus quam pennae quae sparguntur impulsu ventorum, quia in modico tempore ante tres annos: *Psal. 18. In omnem terram exivit sonus eorum* etc. quia ante destructionem Hierusalem. Vel, *Volavit* etc. ascendens in caelum factus invisibilis, et *Volavit,* ab aspectu nostro *: Act. 1. Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Item *volavit super pennas ventorum* , idest super scientiam angelorum : *Ps. 103. Qui facit angelos suos spiritus* etc. Unde dicitur *in lib. 5. de causis* , quod prima causa superior est omni narratione : et non deficiunt linguae a narratione eius , nisi quia deficiunt a narratione esse ipsius, quia est super omnem causam. Et dicit Commentator , quod eius non est iudicium nec cognitio. *Et posuit tenebras* , etc. Sicut dictum est quod hic inducuntur ad ostendendum Dei miram potentiam, qua David liberatus est , possunt referri ad corporales effectus in figura, et ad spirituales in mysterio. Primo ergo introducit Psalmista secundum quod exponitur secundum corporales effectus excellentiam divinae potentiae in aere: et hoc tripliciter, scilicet quantum ad ventos, quantum ad pluvias et nubes, et quantum ad fulgura. Et quia de ventis supra dictum est , dicendum est de pluviis in aere. Secundum ergo nubes et pluviam, invenimus dupliciter commutationem in aere; unam de sereno in nubilum, aliam de nubilo in serenum. Primo ergo ponit primam commutationem. Secundo secundam , ibi , *Prae fulgore.* Circa primum tria facit. Primo ostendit nubilosi temporis obscuritatem. Secundo adhibet similitudinem. Tertio ponit obscuritatis causam. Dicit ergo quantum ad primum , *Posuit tenebras latibulum suum.* Dicitur quod Deus habitat in caelo. Unde quando nubes occultant caelum, videtur Deus habitare in occulto : *Eze. 32. Caelum nube tegam.* Et posuit similitudinem de tabernaculo; et ideo dicit , *In circuitu eius tabernaculum eius.* Tabernaculum enim ponitur, et deponitur sicut nubes. Dicit, *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Consequenter agit de secunda, *Prae fulgore* etc. utitur tali similitudine, quando venit lux, expelluntur tenebrae, et sic Deo ostendente lumen suum , fugit obscuritas nebularum. Et ideo dicit , *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt*, prae fulgore luminis a facie tua nubes transierunt, sicut fulgore sive splendore solis, nubes fugiunt, et liquefiunt, ut *in lib. Meth.* dicitur. Dali vel titiones ponuntur in transitu nubium: quia similem causam generationis habet grando, et fulgur, sive ignis. Antiqui vero dicunt, quod generantur in loco supremo, quod ostendit fortiorem congelationem a forti frigore causari. Unde plus requirit de frigore nix, quam aqua: pluviae et grando plus quam nix : et tantum potest esse frigus , quod statim condensatur in grandinem: aliquando prius in aquam, et postea in grandinem. Et dicuntur, quod vapores superius elevati congelantur multum, et ideo generantur grossi grandines. Sed Philosophus e contra dicit, quod grossiores essent in montibus, et in hyeme, cuius contrarium videmus, quia grossiores sunt in valle , et fiunt in vere , et autumno, et generantur in loco propinquo. Item secundum Philosophum, aliquando veniunt angulares, quod est signum quod veniunt de propinquo: anguli enim citius liquefiunt. Unde sciendum , quod naturale est quod oppositum fortius agat in oppositum. Constat autem quod in nubibus admiscetur frigidum et calidum; ergo quando calor aeris circumstans constringit frigidum, quod non potest consumere, tunc frigidum agit interius circumdante extra calore. Titiones autem cadentes habent duplicem causam generationis: unam per fumum superius ascendentem usque ad locum inflammationis, qui inflammatur; et sic secundum inflammationem descendit quousque invenit materiam combustibilem. Et hoc tetigit quando dixit , *Carbones succensi sunt ab eo.* Et hic tangit alium modum, qui est per contrariam resistentiam. In nube autem aliquando est aliquid calidum , et istud a frigido exteriori constringitur interius et multiplicatur , ita quod materiam grossam adducit et cadit : et ideo carbones , ignis , et grando habent similem generationem, scilicet constrictionem frigoris vel caloris , ut dictum est. Dicit ergo, *Prae fulgore in conspectu eius* etc. Et haec transierunt simul cum carbone et grandine , quae generantur ex nubibus, ut dictum est.

h Hic agit de tertia permutatione. Et primo de tonitruo. Secundo de fulgoribus , ibi , *Misit sagittas.* Sciendum quod Psalmista loquitur hic secundum hanc similitudinem, quod quicquid fit in caelo , attribuatur

Deo. Unde sonum auditus in caelo accipit, quasi vox Dei esset. Est autem duplex sonus in caelo. Unus qui est in tonitruo: et hic, licet aliqui dicant extinctionem ignis in nube, Psalmista reprobat, et dicit quod fit per concussionem ventorum : ita et nubes. Et ideo Psalmista dicit, *Intonuit de caelo Dominus.* Item aliquando nubes grossae ex quibus grandines generantur quandoque cum sonitu: unde Philosophus dicit, quod aliquando ante grandinem est fragor nubium, aliquando non : sicut enim vapor calidus et siccus expulsus a frigido, scindens nubem facit sonum, ut patet in fulgure, sic vapor humidus congelatus in grandinem, et expulsus a calido scindit aliqualiter et facit sonum. Et ideo dicit, *Altissimus dedit vocem suam*, idest manifestavit potentiam suam. Et sequitur, *Grando et carbones ignis*, quae ex his nubibus generantur, ut dictum est. Vel sic, *Intonuit de caelo.* Nota quod aliquando ad locum superiorem ascendit vapor humidus: et quia est de natura aquae, fiunt ex eo impressiones humidae, quae sunt nebula, ros, caligo, pluvia, grando, et nix, et huiusmodi. Diversificantur autem ista aliquando diversitate quantum ad caloris et frigoris tenuitatem et spissitudinem. Aliquando enim ascendit vapor siccus ; et si solum ascendit, facit ventos; si autem sit comprehensus ille vapor siccus in vapore humido, tunc quando vapor humidus sursum ascendit, et incipit inspissari propter frigus, vapor siccus in vapore illo humido inclusus facit agitationem magnam et inflammatur : talis enim vapor cito inflammatur, ut est videre in vapore qui egreditur de ventre hominis: et haec inflammatio causa est fulguris et coruscationis. Agitatus autem vapor siccus in interioribus nubibus multiplicem sonum facit. Si etiam sic inflammatus percutiat latera nubis, et non scindat, tunc micat non clare, sicut si aliquis aliquem splendorem videret per pannum : est enim nubes aliquantulum pervia, unde aliqualiter videtur. Sonat autem sicut sonus flammae in medio incendio. Aliquando etiam sine inflammatione, et per consequens sine coruscatione fit sonus, quasi tumultuans, et hoc fit cum percutit, non inflammatus in lateribus nubis. Si autem percutiat latera et scindat, tamen cum difficultate quadam, et hoc in parte grossioris nubis, tunc est terribilis sonus, quasi aliquis pannum immensae latitudinis scinderet, et tunc visus fulguris, vel coruscationis est curvus : quia non recte egreditur de nube, ut dictum est. Aliquando scindit nubes virtute magna et quasi subito, et totus vapor simul egreditur ; et tunc sonat sicut vesica inflammata, vel si uter inflatus frangeretur super caput alicuius: et percutit aerem percussione fortissima. Aliquando vapor ille siccus ex inflatione crescit, et quaerens maiorem locum facit dissolvere nubes subito, et sonare ad modum viridium lignorum trepidantium in igne, vel ovorum maxime ; et hoc maxime apparet in castaneis, quibus in igne positis cum humidum incipit resolvi, et maiorem locum quaerere, frangit restam resistentem, et cum impetu et sono magno exit. Aliquando etiam non valens exire extinguitur ; et sonat ad modum ferri candentis in aqua extincti, quem sonum vocat Philosophus sisinum, vel stridorem. Aliquando etiam ille vapor facit diversa foramina in locis nubis minus spissis, et tunc facit quasi sonum sibili, sicut ventus quando exit per foramina. Aliquando antequam incendatur erumpit de nube, et tunc sonat sicut folles fabriles cum sufflant, *Fulgura*

i Hic describit motum fulgurum, et comparat ea sagittae propter vehementiam venti a quo moventur. *Et dissipavit eos*, scilicet peccatores, qui aliquando ex eis moventur ; secundum diversitatem enim ventorum est diversitas motus fulguris : nam sicut superius cum de modo ventorum agebatur dixit, *Volavit volavit* etc. ut ostenderet diversum modum ventorum, ita hic dicit, *Fulgura* etc. ut ostendat diversum modum fulgurum. Dicit, *Conturbavit eos*, quia dicit Plinius quod secundum fulgura sunt augurationes, quia quandoquae est bonum signum, scilicet quando fiunt ab oriente : aliquando non est bonum ; et ideo homines augurantes conturbantur propter praesagia fututorum. *Et apparuerunt*

k Hic agit de generatione aquarum, quae ex aliquibus principiis emanant, quae fontes dicuntur, ex quibus est omnis generatio aquarum. Hi autem dupliciter generantur. Aliquando ex causa consueta et naturali: sicut cum vapores super terram elevantur, et ex hac elevatione infrigidantur superius, et descendunt et fiunt pluviae, ita etiam ex calore terrae interius, et quando vapores non exeunt congregantur et resolvuntur in aquam, et fiunt fontes aquarum: sicut pluviae generantur in aere, ita fontes in terra; et ideo circa montes a quibus vapores non exeunt, fiunt fontes. Et hoc est quod dicit, *Apparuerunt fontes aquarum.* Aliquando generantur fontes ex subversione terrae ex terraemotu, ex cuius commotione apparent venae aquae in profundo terrae submersae; et ideo dicit, *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Philosophus, Subversio est a vento intus incluso, sicut ventus in aere commovit aerem. Sed quando retinetur ventus fit terraemotus : et uterque ventus videtur ira Dei. Et ideo dicit facta per terram, sicut terraemotum. Mystice secundum spirituales effectus : et sicut supra ostensum est mysterium incarnationis signans ipsam incarnationem per quam descendit, et ascensionem, ita hic designantur ea quae secuta sunt post. Primo ergo ostendit eius occultationem. Secundo ecclesiae congregationem, ibi, *In circuitu eius.* Tertio apostolorum praedicationem, ibi, *Tenebrosa aqua.* Quantum ad primum dicit, *Posuit tenebras*, glossa distinguit quadrupliciter tenebras. Primo humanitatem : *Ezec.* 32. *Solem nube tegam: Isa.* 45. *Vere tu es Deus absconditus.* Secundo species sacramentales, sicut baptismus, et alia sacramenta, in quibus divina virtus operatur secrete. Tertio latuit in fide fidelium: *2. Cor.* 15. *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Quarto latenter operatur aliquid per malos, qui sunt tenebrae: *Io.* 1. *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Aliquando mali permittuntur aliquid facere contra sanctos, sed his tenebris existentibus, *Tabernaculum eius*, idest ecclesia est, *in circuitu eius: Ps.* 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Apo.* 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus* etc. per fidem et caritatem, inquantum sibi inhaerent tanquam medio, qui eis aequaliter favet, ut dicit Glossa. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Hic agit de praedi-

catione apostolorum. Et primo ponit qualitatem praedicationis. Secundo conditionem praedicantium, ibi, *Nubes*. Tertio praedicationis effectum, *Apparuerunt fontes aquarum*. Dicit ergo, *Tenebrosa aqua*, idest doctrina, *In nubibus*, idest in prophetis et praedicatoribus. Hos vocat nubes, quia a terrenis elevati in nubibus compluunt verbum Dei: *Isa. Qui sunt isti qui ut nubes volant* etc. Et *45. Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum*. Vel dicit, *in nubibus aeris*, idest apostolis elevatis a terra: *Isa. 15. Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem*. Et dicuntur apostoli aqua tenebrosa in comparatione ad fulgorem, idest Christum, qui apparebit videntibus eum: *Cor. 13. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Vel aliter, et sic punctetur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris: prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt:* postea sequitur, *Grando et carbones ignis* etc. Et distinguitur duplex doctrina. scilicet prophetarum, et haec obscura, quia velamen habet, ut dicitur *2. Cor. 3. Usque in hodierum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur*. Ideo dicitur, *Tenebrosa aqua*, in prophetis, idest doctrina. Sed doctrina novi testamenti est clara; et ideo dicit, *Prae fulgore*: tota est una dictio, idest fulgida: quia, ut dicitur *Eph. 3. aliis in generationibus non est agnitum: Ps. 117. Non fecit taliter omni nationi*. Consequenter agit de ipsis doctoribus, et comparantur nubibus, sagittis, et fulguribus: nubibus pro praedicatoribus. Et dicit tria. Primo eorum transitum, *Nubes*. Qualitatem praedicationis, *Grando et carbones ignis*. Auctoritatem praedicandi, *Intonuit. Nubes*, idest apostoli, *Transierunt*, de Iudaeis ad gentes: *Iob 37. Nubes spargunt lumen suum, quae lustrant per circuitum: Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia* etc. Grando nocet multum fructibus et floribus, et eorum praedicatio fuit quasi grando comminationis. *Et carbones ignis*, idest verba inflammantia; et auctoritas, quia Dominus per eos loquebatur. Unde, *Intonuit de caelo Dominus*, idest ipsis apostolis intonuit verba comminationis: *Matth. 10. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* etc. *Et Altissimus dedit vocem suam*, scilicet mansuetudinis inflammando: *Iac. 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum* etc. Et primo sequitur verbum, *Grando*, ex secundo, *Carbones ignis*. Vel aliter, *Intonuit*, super Christum: *Io. 12. Venit vox de caelo dicens: Et clarificavi, et iterum clarificabo;* dicebat turba quae audiebat tonitruum factum esse. *Et Altissimus dedit vocem suam*, in transfiguratione: *Luc. 3. Hic est filius meus dilectus. Misit sagittas*. Comparantur hic isti doctores sagittis propter fervores Spiritus sancti in eis: *Isa. 49. Posuit me quasi sagittam electam*. Et *27. Qui egredientur impetu a Iacob, et implebunt faciem orbis semine. Et dissipavit eos*, quia aliis *odor vitae in vitam, aliis fuerunt odor mortis, 2. Cor. 2. Fulgura multiplicabis*. Haec dicit propter claritatem miraculorum: *Iob 38. Numquid mittes fulgura et ibunt et revertentia dicent tibi, Adsumus. Et conturbavit eos*, idest facit eos obstupescere: *Act. 3.* dicitur de miraculo Petri, quod repleti sunt omnes stupore, et extasi in eo quod contigerat. *Apparuerunt fontes*. Hic ponitur effectus praedicationis. Et primo ponitur effectus. Secundo principium, *Ab increpatione*. Et est duplex effectus. Unus ostenditur cum dicit, *Apparuerunt fontes aquarum*, idest documenta sapientiae: *Isa. 41. Aperta in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram in viam in rivos aquarum*. Item *12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris*. Vel dona Spiritus sancti: *Zac. 13. Erit fons patens domui David, et habitatoribus Hierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae*. Alius effectus ponitur cum dicit, *Revelata sunt fundamenta*, scilicet sancti patriarchae, supra quos fides nostra fundata est, quia quod in eis dictum, vel factum est figuraliter, revelatum est per apostolos. Principium autem horum est, quando Christus incoepit increpare *Matth. 3. Poenitentiam agite; appropinquabit* etc. *Luc. 13. Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Ab inspiratione spiritus irae*, quando inspiravit quod omnes turbaremur contra peccata. *Misit*

l Supra egit Psalmista de potentia liberantis; hic prosequitur per ordinem beneficium liberationis: et circa hoc duo facit. Primo agit gratias de liberatione quantum ad praeterita. Secundo quantum ad futura quae sperat, ibi, *Et ero immaculatus cum eo*. Circa primum tria ponit. Primo narrat, a quibus sit liberatus. Secundo liberationem, ibi, *Et factus est*. Tertio liberationis causam, ibi, *Salvum me fecit*. Circa primum duo facit. Primo se ostendit liberatum a magnis tribulationibus. Secundo exponit quomodo tribulationes sint magnae, ibi, *Eripuit me*. Dicit glossa secundum literam, *Misit de summo;* quasi dicat, Deus potens est, quia omnia praedicta facit, scilicet commovere etc. *Intonuit* etc. habens suam potestatem. Et hoc, *De summo*, scilicet potestate. *Accepit me*, eripiendo: *Et assumpsit me*, idest elevavit me: *Protegendo de aquis multis*, idest de multis tribulationibus: *Ps. 33. Multae tribulationum iustorum, et de omnibus* etc. *Eccl. 51. Liberasti me de portis tribulationum, quae circumdederunt me, et a pressura flammae quae circumdedit me*. Mystice misit Deus proprium filium suum de summo, idest caelo: *Ioa. 6. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam* etc. Hoc est quod petebat: *Psal. 143. Emitte manum tuam de alto. Et liberavit me de aquis multis. A summo caelo egressio eius* etc. Vel Spiritum sanctum: *Thren. 1. De excelso misit ignem. Et accepit me*, infirmum ad sanandum. *Et assumpsit de aquis multis*, scilicet baptismi, vel de multitudine peccatorum. Vel, *Misit de summo*, idest viris iustis gratiam suam: *Iac. 1. Omne datum* etc. *Et accepit me*, ad poenitentiam: *Isa. 40. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos* etc. *Osee 11. Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eum in brachiis meis*. Vel populorum: quia fideles de multitudine gentium sunt assumpti. *Eripuit*

m Hic probat quomodo tribulationes sunt multae. Et primo ex conditione inimicorum. Secundo ex persecutione eorum, ibi, *Quoniam confortati sunt*. Conditio inimicorum nociva est valde, quia potentes et odientes: unde *Eripuit me de inimicis fortissimis, et ab his qui oderunt me*. Potentes mystice sunt peccata carnalia: *Eccl. 18. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis: Isa.*

*49. Nuquid tollitur a forti praeda.* Odientes sunt daemones. Oderunt Aegyptii filios Israel: *Psal. 88. Concidam a facie ipsius inimicos eius* etc. Consequenter ponitur persecutio. Dupliciter potest quis liberari ab inimicis: vel quod non permittat se vinci, vel quod fugiat. Utrumque autem excludit a se. Primo, quia fortes et confortati, idest multiplicati vicerunt eum, nec potuit fugere: et hoc est quod dicit, *Praevenerunt*, praecludentes modo viam ad fugiendum: *Thren. 4. Velociores fuerunt persecutores mei aquilis caeli, super montes persecuti sunt nos;* et hoc, *In die afflictionis*, quia tunc homo debilior est quando est afflictus: *Thren. 1. Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Auxilium liberatoris ponit duplex. Primo contra invalescentes hostes; unde dicit, *Et factus est Dominus protector meus*, ut non noceant: *Psal. 63. Protexisti me a conventu malignantium* etc. Secundo, contra prudentes; unde sequitur, *Eduxit me in latitudinem*, de angusto in quo eram positus nesciens quid facerem dans vias quid facerem. Vel in latitudinem caritatis: *Psal. 118. Latum mandatum tuum nimis.* Causa liberationis est duplex, scilicet divina gratia, et meritum humanum. Unde dicit, *Salvum me fecit, quoniam voluit me;* haec est potentissima causa liberationis, scilicet voluntas sua: *Eph. 1. Qui operatur omnia cum consilio voluntatis suae*; et tamen subsequenter operatur ibi aliquid, meritum humanum: *1. Cor. 15. Gratia Dei in me vacua non fuit.* Et ideo subdit, *Retribuet mihi Dominus* etc. Ubi tria facit. Primo proponit meritum. Secundo in quo consistit. Tertio ponit viam perveniendi ad hoc meritum. Secunda, ibi, *Quia custodivi* etc. Tertia, ibi, *Quoniam omnia iudicia.* Meritum hominis consistit in duobus, scilicet in operatione boni, et in evitatione mali: *Ps. 33. Declina a malo, et fac bonum.* Et ideo quantum ad primum dicit, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*, quam ipse in me operatus est: *Sap. 3. Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiae* etc. *Pro. 11. Seminanti iustitiam merces fidelis.* Quantum ad secundum dicit, *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*, idest innocentiam: *Iob 22. Salvabitur innocens, salvabitur in munditia manuum suarum. Non privabitur bonis* etc. *Ps. 80.* Haec autem iustitia consistit in observatione viarum Dei: *Ps. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et ideo dicit, *Quia custodivi vias Domini: Iob 23. Vestigia eius secutus est pes meus: custodivi, et non declinavi ex eis:* et quia *Non impie gessi*, recedendo, *A Deo*, quia per peccatum homo recedit a Deo, et inquinatur: *Ps. 43. Non recessit retro cor nostrum.* Quomodo pervenit ad hoc. Quia, *Omnia iudicia eius in conspectu meo.* Valet valde ad operandum bona, et evitanda mala, cogitare divina iudicia: *Iob 19. Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius.* Et custodivi hoc, *Quia iustitias eius non repuli a me*, de industria peccando: *Iob 21. Dixerunt Deo, recede a nobis.* Et sequitur, *Perveniet eis inundatio.* Qui ex infirmitate, vel ignorantia peccat, faciliter veniam consequitur. *Et ero*

n Supra commemoravit Psalmista beneficium liberationis de praeterito; hic de futuro quantum ad spem. Et primo commemorat beneficia in generali. Secundo in speciali, quae accepit, et quae sperat, ibi, *Deus meus impolluta via eius.* Tertio commendat iustitiam divinam. Circa primum duo facit. Primo proponit orationem ad Deum. Secundo commendat spem exauditionis, ibi, *Quoniam tu illuminas.* Tria proponit. Primo propositum perseverandi in innocentia. Secundo meritum retributionis. Tertio rationem assignat. Secunda, ibi, *Retribuet.* Tertia, ibi, *Cum sancto sanctus eris.* Dicit ergo, *Et ero immaculatus cum eo*, idest adhaerebo Deo, quia loquitur ex persona sui et aliorum, quorum quidam innocentes sunt: et ideo dicit, *Et ero*, idest stabo et perseverabo in innocentia: *Eccl. 31. Beatus vir qui inventus est sine macula;* vel, *Ero immaculatus cum eo*, idest adhaerebo Deo: *1. Cor. 6. Qui autem adhaeret Deo, unus est spiritus* etc. conservans te ab omni macula: *Iob 27. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Quidam sunt poenitentes: et ad hoc pertinet ne iterum in peccatum labantur. Et ideo dicit, *Et observabo me ab iniquitate mea*, sicut canis qui revertitur ad vomitum, et sus lota in volutabro luti, *2. Pet. 2. Eccl. 26. In duobus contristatum est cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit. Vir bellator deficiens prae inopia, et vir sensatus contemptus, et qui transgreditur de iustitia in peccatum, Deus paravit illum ad romphaeam.* Consequenter ponit spem retributionis cum dicit, *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Et est duplex retributio. Una, quae datur pro bonis impletis: et propter hoc dicit, *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Anselmus: *Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata.* Vel secundum opera hominis reddet ei: *Ps. 2. Reddet unicuique secundum opera sua.* Dicit, *Observabo*, et, *Retribuet*, quia si homo aliquando fuit iustus, et fecit opera iustitiae, et non observat se a peccatis, vel non conservat se in operibus iustitiae, ideo mortificatur, nec meretur retributionem: *Ezech. 8. Omnes iustitiae eius non recordabuntur.* Alia est quae datur pro beneficiis; unde dicit, *Retribuet secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.* Aliquando habent exterius tantum manus, idest operationes puras, et illis Deus non retribuet; sed quando habent puras in corde operationes, tunc retribuet. Et hoc est, *In conspectu oculorum eius*, non illis bonis quae sunt in conspectu nostro, sed in conspectu Dei: *Isa. 64. Oculus non vidit Deus absque te.* Et quid retribuet? lucunditatem ineffabilem, et augmentum gratiae, quae proveniunt ex mandatis Dei servatis: *Psal. 118. In custodiendis illis retributio multa. Et retribuet secundum puritatem manuum mearum*, idest operum. Dicitur autem opus impurum, ratione carnalis affectus: *Is. 1. Manus vestrae sanguine plenae sunt.* Item ratione inanis gloriae: *Matt. 5. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis.* Gregorius: *Vecordia est magna agere, et laudi inhiare, quae unde caelum mercari potuit, inde vanum et transitorium sermonem quaerit.* Consequenter ponitur ratio retributionis; ideo sequitur, *Cum Sancto*

o Circa hoc duo facit. Primo ponit rationem retributionis. Secundo exponit eam, ibi, *Quoniam tu populum.* Primi duo versus dupliciter possunt intelligi. Uno modo, ut intelligatur ad Deum loqui, et sic est literalis sensus; quasi dicat, Tu Dominus, *Cum san-*

*cto sanctus eris.* Et sic dicit duo, scilicet quod Deus sit remunerator et adprobator bonorum. Secundo, quomodo est reprobator malorum; unde sequitur, *Et cum innocente* etc. *Et cum perverso perverteris?* Est autem sciendum quod nominat scilicet sanctum, innocentem, et electum. Electus autem potest dupliciter intelligi. Uno modo a Deo; hoc est commune omnibus sanctis: *Ephes. 1. Elegit nos Deus ante mundi constitutionem* etc. Alio modo dicitur electus qui habet excellentiam innocentiae et sanctitatis: *Cant. 5. Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.* Si primo modo sumatur electus, tunc secundum ponit ex parte nostra, et tertium ex parte Dei. Si secundo modo, sic proponit duo, quae ex parte nostra sunt. Primum est operatio boni quae fit propter Deum; et quae proprie habet rationem sanctitatis: quia omnia, quae ordinantur ad Deum, dicuntur sancta: et hoc est quod dicit, Domine tu eris sanctus cum sancto, sanctitatem in eo causando: *Lev. 21. Ego Deus qui sanctifico vos.* Vel sic. Tu eris sanctus effective, idest ostendens te amare et adprobare sanctitatem: non enim ostendit se, nisi per opera, substantiam enim eius non videmus. Nec aliter est sanctus cum sancto, nisi ostendendo sanctitatem: non est enim visibilis nunc nobis, ut dicamus quod conformat se sancto in motibus exterius, sicut de homine qui diversis diversimode se conformat, maxime amicis: quia omne animal diligit sibi simile, et quod diligit quis, illud remunerat. Unde ostendens te sanctum, quando remunerabis, inquit, sanctitatis opera? *Et cum viro innocente innocens eris*, effective et remunerando. *Et cum electo*, quem tu diligis, *Electus eris*, quia facies quod ipse te eliget: *Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* primordialiter: *Deut. 4. Dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos.* Et *26. Deum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et obedias eius imperio: et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, et faciet te excelsiorem cunctis gentibus, ut sis populus sanctus.* Vel, *Electus*, idest exeellenter separatus, *Et cum perverso perverteris*, idest permittes eum esse perversum. Vel perversi sunt illi, qui non sequuntur illos, quos debent sequi. Qui ergo non sequitur voluntatem Dei, videtur perversus. Ergo tu contra voluntatem Dei, et Deus contra voluntatem tuam; quasi dicat, Tu vis habere beatitudinem, et Deus dabit miseriam: *Lev. 16. Si ambulaveritis mihi ex adverso, et ego contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra.* Et ideo dicit, *Cum perverso perverteris*, idest agens contra voluntatem perversorum. Alio modo potest legi, ut referat sermonem ad aliquem hominem: et sic homo cum sancto homine, vel cum Christo sanctus eris: quia non audies de Deo, nisi sanctitatem: *Exo. 37. Cum viro religioso tracta de sanctitate, et cum innocente innocens eris*, quia secundum conversationem informantur mores: *1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et cum perverso perverteris: Eccl. 16. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, et qui communicat superbo* etc. Consequenter exponit praemissa secundum primam lecturam. Quare eris Domine cum sancto? quia, *Tu populum humilem salvum facies*, idest in hoc quod humilem salvum facies, ostendis te cum sancto sanctum esse: *Iacobi 4. Humilibus dat gratiam: Matth. 19. Sinite parvulos venire ad me talium enim est regnum caelorum: Psalm. 154. Excel' sus Dominus, et humilia respicit.* Quare cum perverso perverteris? quia *Oculos superborum humiliabis: Luc. 14. Omnis qui se exaltat humiliabitur: Isa. 2. Oculi sublimes humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum.* Et dicit, *Oculos*, quia superbia in hoc consistit, quod homo aspectum suum ad maiora quam sit sua proportio, erigit: *Isa. 16. Superbia eius et arrogantia eius plusquam fortitudo eius.* Et ideo *Psalm. 130. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Quoniam*

p Hic convertit se ad orationem; quasi dicat, Ita iustus es, *Quoniam tu illuminas lucernam meam.* Et duo facit. Primo refert gratiarum actionem de beneficio suscepto. Secundo ponit petitionem de suscipiendo, ibi, *Deus meus illumina tenebras meas.* Dicit ergo, *Tu illuminas* etc. Hoc totum potest secundum literam dupliciter exponi, ut per lucernam intelligatur prosperitas, per tenebras intelligatur adversitas. Sicut quando homo est laetus, videntur sibi clara omnia; quando est tristis, videntur sibi omnia obscurari. Hoc est ergo quod dicit, *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine*, quia tu dedisti mihi prosperitatem, et continue das: *Illumina tenebras meas*, idest si quid adversitatis remansit in me, expelle et remove a me. Alio modo potest intelligi moraliter, ut per lucernam intelligatur mens sive anima hominis: *Pro. 20. Lucerna Domini spiramentum hominis.* Mens ergo hominis est quasi lucerna Dei accensa divino lumine: *Psal. 4. Signatum est super nos* etc. Quamdiu sine peccato sumus, lucerna nostra accensa est, idest anima nostra splendet lumine gratiae, sed quando aliquid tenebrae corruptibilis carnis remanet, est extincta: *Ro. 7. Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et hoc est quod dicit, *Quoniam tu illuminas lucernam meam*, idest quia anima mea illuminata est lumine gratiae. *Illumina tenebras meas*, idest remove a me defectus et corruptiones, per quae homo incidit in tenebras. Vel potest legi allegorice, ut dicantur verba quasi ex persona Christi, vel cuiuscumque viri iusti. In ecclesia sunt multi lucentes, sicut fideles et sancti: *Philip. 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes.* Item multi tenebrosi, sicut infideles et peccatores: *Phil. 5. Eratis aliquando tenebrae* etc. Ergo homo orans pro ecclesia pro se, dicit, *Quoniam tu illuminas lucernam meam*, idest fideles qui lucent, *Illumina tenebras*, idest peccatores. Spem exauditionis ponit cum dicit, *Quoniam.*

q Hic facit duo. Primo tangit liberationem a malo. Secundo victoriam super malo. Dicit ergo, Oro quia spero, *In te*, idest in virtute tua, *Eripiar a tentatione*, idest a quacumque tribulatione sive impugnatione: *1. Cor. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Et in Deo meo transgrediar murum*, idest victoriam a peccato virtute Dei habebo. Tunc enim hostis habet victoriam civitatis, quando transgreditur murum. Murus iste est quaecunque difficultas quae impedit nos ad bene operandum, sive peccata quae provocant nos ad male faciendum. Hieronymus dicit, *Frangam murum*, quia non possumus esse in mundo sine peccato: *1. Ioan. 1. Si dixe-*

*rimus quia peccatum non habemus* etc. sed transgredimur, quia superamus illud, dum non consentimus concupiscentiis eius. Sequitur, *Deus*

r Supra commemoravit in generali beneficia quae in futurum expectat a Deo, quia, *In te eripiar* etc. hic in speciali prosequitur ea. Et notandum, quod loquitur ad modum habentis adversitatem et adversarios, de quibus sperat victoriam: in qua triplex est gradus. Primo, ut persequatur adversarios fugientes, et sicut captos destruat. Secundo ut in eis repugnet. Secunda ibi, *Et praecinxisti me.* Tertia, ut exaltetur, ibi, *Et eripies me.* Circa primum tria facit. Primo commendat suum adiutorem, scilicet Deum. Secundo ostendit quomodo a Deo iam data sunt ei quaedam, per quae idoneus est ad persequendum eos. Tertio agit de persecutione. Secunda, ibi, *Deus qui praecinxisti.* Tertia, ibi, *Persequar.* Prima in duo. Primo commendat Deum. Secundo commendationem probat, ibi, *Quoniam quis* etc. Commendat ergo Deum de tribus, quod sit iustus in opere, verax in sermone, et quod sit misericors in subventione. Quantum ad primum dicit, *Eripiar a tentatione*, dum considero divinae iustitiae puritatem, quia, *Deus meus impolluta via eius.* Iterum dum considero eius dispositionem, quia nihil iniustum est in eo: *Ezec. 18. Nunquid via mea aequa est, et non magis viae tuae pravae sunt?* Vel via Dei per quam Deus vadit ad animam est impolluta. Et est haec charitas: *1. Cor. 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, idest ut securi eatis. Haec est impolluta, quia charitas non agit perperam, idest perverse. Vel via Dei est ipse Christus, quia peccatum non fecit: *Isa. 35. Via sancta vocabitur, et non transibit per eam pollutus: et erit via recta, ita ut stultus non erret per eam.* Vel via Christi est Virgo Beata: *Psal. 76. In mari via tua.* Haec est impolluta: *Can. 4. Tota pulchra es amica mea* etc. *Is. 54. Dilata locum tentorii tui.* Quantum ad secundum dicit, *Eloquia Domini.* Et loquitur ad similitudinem auri, et argenti, quod si sit purum, probatur per ignem. Unde sicut aurum per ignem purgatum nihil habet impuritatis, ita sunt purgata verba Domini: *Pro. 8. Iusti sunt omnes sermones mei, et non est in eis quicquam contrarium atque perversum* etc. *Igne examinata: Psal. 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum* etc. Et dicuntur igne examinata, scilicet Spiritus sancti: *Iob 12. Auris verba diiudicat, et fauces comedentis saporem.* Nullus potest examinare verba nisi habeat ignem Spiritus sancti: *1. Cor. 2. Animalis homo non percipit quae sunt Spiritus Dei.* Verum, quia est verax, implebit quod promisit. Et propter hoc dicit, *Protector est omnium sperantium in se: Eccl. 1. Quis speravit in Domino, et confusus est?* Consequenter probat commendationem, quia hae sunt proprietates, quod sit iustus, quod sit verax, et quod sit misericors. Si ergo ista bene conveniunt Deo meo, non quaeras alium, sed nullus alius Deus est praeter ipsum. Et ideo dicit, *Quis Deus praeter Dominum?* quasi dicat, nullus: *Isa. 42. Ego sum Dominus: hoc est nomen meum: Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* In hoc differebant Iudaei ab aliis. Et quia alii colebant elementa mundi, vel homines, vel angelos, hi vero dicebantur factores eorum; sed Iudaei colebant verum Deum factorem eorum. Dicit ergo quod ipse est Deus totius creaturae. Secundo, quod ipse colebatur specialiter a Iudaeis. Dicit ergo quantum ad primum, *Quis Deus praeter Dominum*, scilicet totius creaturae factorem? *Iudith 16. Tibi serviat omnis creatura tua. Aut quis Deus praeter Deum nostrum*, specialiter *1. Reg. 2. non est sanctus ut Dominus, neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster: Psal. 75. Notus in Iudaea Deus* etc. Qui dicitur noster specialiter pietate, et cultura, et unione naturae, et carnis assumptione, et redemptione. In hoc confunduntur Manichaei: quia hic est Deus et Dominus visibilium, et quod Deus veteris testamenti est verus Deus, quia nullus Deus praeter eum. *Deus*

s Hic ostendit quomodo habet a Deo idoneitatem ad vincendum. Deus enim aliquando dat virtutem alicui ad bene operandum; nec tamen sufficit nisi Deus protegat eum exterius. Primo ergo ostendit, quomodo Deus dedit virtutem interius. Secundo, quomodo iuvat exterius, ibi, *Dedisti mihi protectionem.* Tria sunt necessaria alicui ad vincendum, scilicet quod sit fortis: *Prov. ult. Fortitudo et decor indumentum eius: Luc. 11. Fortis armatus custodit atrium suum.* Quod sit agilis, et quod sit doctus in bello; et haec dicit habere. Secundo, ibi, *Qui perfecit pedes meos.* Tertio, ibi, *Qui docet manus.* Circa primum duo facit. Primo confitetur sibi datam fortitudinem a Deo. Secundo debitum fortitudinis usum. Dicit ergo, *Deus qui praecinxit me virtute ad bellum* etc. Milites praedicti praecinguntur armis et gladio ut sint expediti et parati ad pugnam: *1. Mach. 3. Iudas Machabaeus induit se lorica sicut gigas: et succinxit se arma bellica in praeliis.* Haec est fortitudo, scilicet virtus quae data est mihi a Deo, non solum in corporalibus bellis, sed et in spiritualibus, quae non vincerem sine virtute Dei. Et ideo dicit, *Praecinxit me virtute: Eph. 6. Confortamini in Domino et in potentia virtutis Dei: Isa. 40. Qui dat lapso virtutem, et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* Vel *praecinxit* ad modum currentis ne impediatur ex defluxu vestium. Ita virtus Dei retinet affectum ne defluat ad terrena. Et ideo sequitur, *Et posuit immaculatam viam meam: 1. Reg. 25. Benedictus Deus, qui custodivit servum a malo: Ps. 118. Beati immaculati in via.* Vel via ista est via charitatis, quae non agit perperam, ut supra dictum est, *Qui*

t Hic ponitur agilitas, quae necessaria est ad pugnandum: *1. Reg. 24.* dicitur quod egressus est Saul contra David super petras abruptissimas, quae solis cervis perviae sunt; quasi dicat, tantam agilitatem mihi contulit Deus, quod quasi cervus ibam per montes, *Et super excelsa statuit me.* In montibus declivibus vestigia hominis non figuntur, sed Deus dedit ei tantam gratiam ut non laberetur in eis. Mystice legitur sic. Cervus transcendit sine laesione spinas et silvas, sic spiritualis effectus pertransit sine laesione et infectione mala, sive delectationes mundi: *Gen. pen. Nephtalim cervus emissus dans eloquia pulchritudinis: Is. 25. Tunc saliet sicut cervus claudus. Et super excelsa statuit me*, idest super caelestia statuit mentem meam defixam: *Abac. 3. Super excelsa mea deducet me victor.* Consequenter ponitur doctrina militaris; unde ait, *Qui docet manus meas ad praelium.* Doctrina

militaris acquiritur scientia, et perfectio exercitio. Primo ergo scientiam sive doctrinam quaerit, quia haec doctrina necessaria est militibus: *Pro. 24. Cum dispositione initur bellum.* Sed iste edoctus a Deo dicit quantum ad secundum, *Posuisti ut arcum aereum brachia mea*, idest brachia quasi infatigabilia mihi ad bellandum dedisti. Vel, *Qui docet* etc. idest contra vitia et daemones, docet nos operari ad superandos hostes, qui caeli portas claudere conantur. Postea mutans personam dicit, *Posuisti* etc. Alia litera habet, *Confregisti arcum aeneum*, idest brachium meum: *Psal. 143. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium* etc. Nota, quod excellentia agilitatis et excellentia fortitudinis est in leonibus siccitate nimia, nec habent medullam in ossibus, et haec contingunt ex inaequalitate elementorum immixta : et ideo parum vivunt, et hoc non decet in homine propter operationes eius: unde huiusmodi dicuntur ex speciali munere data David, ut dicitur *Eccl. 47. Lusit cum leonibus quasi cum agnis : et ursis similiter fecit sicut cum agnis eorum.* Et similiter sibi data est a Deo ex gratia doctrina pugnandi. Mystice. Oportet nos in spirituali bello esse doctos: *Eccl. 11. Multae insidiae sunt dolosi: quas non possumus evadere nisi habeamus et doctrinam et auxilium divinum: Iob 39. Gloria narium eius*, idest daemonis, *terror: contemnit pavorem nec cedit gladio: 1. Cor. 4. Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen qui intus est, renovatur de die in diem. Et dedisti*

u Hic ostendit quomodo praedicta sibi data conservantur a Deo exterius ; unde dicit, *Praecinxisti me virtute:* et tamen protegit me, *Et dedisti mihi protectionem salutis tuae*, idest protexisti me ad salutem: quia non sufficiunt praedicta nisi adsit protectio Dei: *Ps. 61. Protexisti me Deus a conventu malignantium* etc. *Et dexera tua suscepit me*, idest favor gratiae tuae me in bello confortavit. De hoc bello *Ezech. 3. Manus Domini erat mecum confortans me.* Vel, *Dextera tua*, idest filius tuus, *Suscepit me*, idest naturam meam. Vel, *Me*, infirmum ad curandum. *Et disciplina tua correxit me in finem*, idest finaliter et perfecte : *Prov. 3. Quem diligit Dominus corrigit et castigat, et quasi pater in filio complacet sibi:* unde, *Disciplina tua correxit me in finem.* Quantum ad secundum dicit, *Disciplina* etc. Contingit aliquando quod aliquis dubitat, aliquando errat. Ille autem, scilicet Deus, errata corrigit: unde *Disciplina tua correxit me in finem*, ut supra dictum est. Item dubitata dirigit, *Et disciplina tua ipsa me docebit: Ps. 118. Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* Quantum ad tertium dicit, *Dilatasti gressus meos subtus me*, quasi dans agilitatem, et in ea foves illos qui latos habent gressus quando non arctantur. Vel spiritualiter, quando cor est promptum per charitatem ad bonum: *Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Et non sunt infirmata vestigia mea*, quia non deficit. Vel, *Vestigia*, idest signa quae in itinere relinquuntur. *Persequar*

x Supra Psalmista posuit idoneitatem suam ad vincendum; hic autem agit de victoria, quomodo persecutus est fugientes : et circa hoc duo facit. Primo ponit persecutionis modum. Secundo ostendit impotentiam resistendi, ibi, *Confringam illos, nec poterunt stare.* Circa primum tria facit. Primo ostendit persecutionem esse iustam. Secundo efficacem. Tertio perseverantem. Iustam, cum dicit, *Persequar inimicos*, non amicos, sed inimicos: *1. Mach. 3. Persecutus est Iudas inimicos perscrutans eos, et qui perturbabant populum suum succendit flammis.* Sed non videtur quod liceat bonis viris facere persecutionem contra aliquos: *Gal. 4. Quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et hunc.* Ergo carnalium est inferre persecutionem, et spiritualium est pati. Sed dicendum, quod affectus persequendi distinguit persecutionis genus. Quidam enim persequuntur amore et zelo: *Ps. 68. Zelus domus tuae comedit me ;* et hoc faciunt ut ad bonum, sive ad salutem perducant, vel malum impediant : *Ps. 100. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar:* et hoc modo persequuntur boni malos, sive peccatores. Quidam persequuntur ex odio, inferentes malum, et impedientes bonum : et hoc modo persequuntur mali, sive carnales, viros iustos: *Ps. 70. Persequimini, et comprehendite eum* etc. Vel, *Persequar inimicos meos*, idest carnales affectus, *Comprehendam illos*, non illi comprehendent me secundum glossam. Et ostendit quomodo est efficax ad persequendum inimicos: unde dicit, *Et comprehendam illos.* Tunc ostenditur efficax, quando pervenit ad finem ut capiat eos: *2. Reg. 5. Si ascendam ad Philistiim, et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende* etc. Et supra: *Ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Item ostendit, quomodo est perseverans, quia *Non convertar*, scilicet a persecutione iniustorum: *Donec deficiant*, idest donec consumantur: *2. Reg. 1. Sagitta Ionathae nunquam rediit retrorsum.* Moraliter inimici nostri sunt motus concupiscentiae qui in nobis sunt, et movent continua bella: *Ro. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae* etc. Hos debemus persequi et comprehendere, et ligare, eis dominari et refraenare. *Et non convertar*, idest desistam persequi, *Donec deficiant*, a rebellione: *2. Reg. 8. Percussit David Philistaeos, et humiliavit eos.* Sed haec non deficiunt in vita ista: licet enim semper minuantur, numquam tamen totaliter extirpantur: *Exo. 15. Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Allegorice dicitur de Christo, qui persequitur inimicos nostros Iudaeos, et alios peccatores, puniens eos corporaliter et spiritualiter. *Confringam*

y Hic excludit eorum potentiam resistendi; quasi dicat, Non resistent mihi, quia, *Confringam illos*, idest ita vires eorum diminuam, quod, *Nec poterunt stare: Ps. 35. Ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare: Iob 38. Brachium excelsum confringetur*, idest non durabunt adversum me, vel non poterunt resistere: *Levit. 28. Persequimini inimicos vestros, et corruent coram vobis.* Et ideo, quia venient in potestatem meam : et hoc est quod dicit, *Cadent subtus pedes meos.* Hoc etiam debemus nos facere de malis motibus et peccatis, vel daemonibus ; *Malac. 4. Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum; Luc. 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et supra omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.*

*Gen. 4. Subtus te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius:* et hoc totum est ex eo quia, *Et praecinxisti.*

z Hic agit de eorum totali derelictione : et commemorat duo. Primo divinum beneficium. Secundo finale eorum exterminium, ibi, *Et comminuam eos* etc. Et quia ea quae dixit, videntur ad gloriam suam pertinere, ideo attribuit ea Deo. Et primo excludit propriam virtutem. Secundo ostendit inimicorum deiectionem, *Supplantasti.* Tertio eorum auxilii destitutionem, ibi, *Clamaverunt.* Dicit ergo, O Domine tu fecisti hoc mihi, *Et praecinxisti me virtute ad bellum*, idest tota virtus quam habeo ad bellandum, est a te, non a me : *Isa 40. Qui dat lapso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem multiplicat, et robur, Et supplantasti insurgentes in me subtus me.* Ponit deiectionem inimicorum, de qua tria dixit, scilicet fugam, *dedisti dorsum*: diminutionem, *Confringam:* et corum casum, quia *cadent;* et hoc Deo atribuit, non eodem ordine. Primo imponit casum inimicorum suorum; quasi dicat, Inimici mei cadent, *subtus me: Is. 40. Deficient pueri et laborabunt; et iuvenes de infirmitate cadent;* sed tu hoc fecisti : *Et supplantasti insurgentes in me*, idest virtutem abstulisti, ne possent mihi resistere : *Levit. 26. Persequentur quinque de vestris centum alienos.* Secundo ponit fugam inimicorum, *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: Is. 45. Dorsa regis vertam.* Tertio agit de fractione: *Et odientes me disperdidisti*, in gentibus quas non noverunt. *Clamaverunt.* Hic ostendit, quod omnino sunt desolati; unde dicit, *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret*, quia nec auxilium hominum habebant, nec etiam deorum, quos ipsi dicebant creatores rerum: *Hier. 2. Ubi sunt dii tui quos fecerunt? Surgant, et liberent te in die afflictionis tuae;* unde sequitur, *Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos: Is. 1. Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam vos.* Sed contra: *Isa. penul. Antequam clament, ego exaudiam: Psalm. 90. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.*

Et dicendum quando recta intentione quis clamat, sive orat, tunc exaudit: et Deus suam orationem adprobat et exaudit: *Ioan. 9. Si quis Dei cultor est*, scilicet recta intentione, *hunc exaudit;* sed quando simulata oratione et ficta clamarem ad Deum, non exaudit: *Iac. 4. Petitis et non accipitis, eo quod male petatis*, idest mala intentione, vel iniusta petitione: *Prov. 1. Tunc invocabunt, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient.* Consequenter ostendit eorum totalem destructionem ; unde dicit, *Et comminuam eos.* Quando pulvis proiicitur, nullum vestigium remanet, quia ventus ipsum dispergit; sic quando mali destruunt, nullo modo remanent; ideo dicit, *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti : Ps. 2. Impii tanquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae*, scilicet sunt dispersi : *Psalm. 9. Periit memoria eorum* etc. Sed quia aliqui destruuntur aliquando cum honore, ostendit quod mali, sive peccatores viliter consumuntur et inhoneste; unde dicit, *Ut lutum platearum delebo eos: Iob 20. Si ascenderit usque ad caelum superbia eius*, scilicet peccatoris, *et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdet: Psal. 68. Deleantur de libro viventium: Isa. 17 Rapietur sicut pulvis montium a facie venti*, scilicet peccator, *et sicut turbo coram tempestate : Iob 13. Redigentur in lutum cervices vestrae. Eripies*

5 Supra commemoravit Psalmista inimicorum persecutionem, et omnimodam destructionem; hic autem commemorat suam exaltationem, qua promotus est in regem; et circa hoc duo facit. Primo ponit exaltationem. Secundo gratiarum actionem, ibi, *Vivit Dominus.* Circa primum duo facit. Primo proponit suam exaltationem super Iudaeos. Secundo ponit devotionem Gentilium, ibi, *Populum.* Tertio proterviam Iudaeorum, ibi, *Filii alieni.* Hoc magis spiritualiter pertinet ad Christum, quam ad David. Et ideo circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo liberatur a contradictione Iudaeorum. Secundo quomodo datur ei potestas contra gentes. Dicit ergo. Non solum, *Odientes me disperdisti*, sed, *Eripuisti me de contradictionibus populi.* Si intelligatur de David, multum contradixerunt ei Iudaei : *2. Reg. 20. Non est nobis pars in David, neque haereditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua Israel.* Et etiam Christo contradixerunt, ut patet in evangelio : *Hebr. 12. Recogitate eum qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem* etc. Et ex hac creptus fuit David, et etiam Christus. *Constitues me in caput gentium;* quasi dicat, Iudaei nolunt me dominari super se; sed tu me fecisti Dominum et Iudaeorum et Gentium. Et hoc maxime convenit Christo, ut dicitur *Eph. 1. Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Deinde ponitur devota subiectio gentilium; unde dicit, *Populus quem non cognovi servivit mihi:* populus, scilicet extraneus, puta Ismaelitarum et Moabitarum, qui, ut habetur *2. Reg. 8.* facti sunt ei sub tributo. Similiter et Christo: quia quos non cognovit visitando eos corporaliter, servierunt et obedierunt ei : *Matt. 15. Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel*, scilicet corporaliter visitare. Vel, *Non cognovi*, idest non adprobavi dando ei legem et prophetas : *Isa. 55. Ecce gentes quas nesciebas vocabis, et gentes quae te non cognoverunt, ad te current. In auditu auris obedivit mihi*, quia licet non videant me, ex solo auditu fidei per apostolos obedierunt : *Isa. 64. Invenerunt me, qui non quaesierunt me: Rom. 10. Fides ex auditu.* Vel, *In auditu auris obedivit mihi*, quia statim cum audissent, sicut dicitur *Matth. 24. relictis omnibus secuti sunt eum. Filii*

ℵ Hic ponitur protervia Iudaeorum; et vocat eos filios alienos, quia olim fuerunt filii generati a Deo per gratiam et doctrinam legis : *Exo. 4. Primogenitus meus Israel; sed tamen alieni facti sunt: Is. 1. Filios enutrivi et exaltavi.* Et sequitur, *Abalienati sunt retrorsum.* Et sunt alieni triplici ratione, *Quia mentiti sunt mihi*, quia, *Inveteravi*, quia, *Claudicaverunt.* Alienatur quis a Deo, quando non servat fidelitatem: et quantum ad hoc dicit, *Mentiti sunt mihi*, idest fregerunt pactum. Item quando non sequuntur patrum fidelium vestigia; unde, *Inveterati sunt.* Res inveterata est propter interitum. Isti fuerunt a principio novi: *1. Paral. 12.* dicunt, *Tui sumus o David, et tecum filii Isai;* sed paulatim tepuerunt. Aliud est quando totaliter recedit : unde dicit *Claudicaverunt a semitis suis*, quasi uno pede debiles vetus testamentum male servantes, et novum respuentes. Vel

si referatur ad Christum, *Filii alieni mentiti sunt mihi*, quia pepigerunt pactum cum Deo: *Exo. 24. Omnia quaecumque locutus est Deus, faciemus*: postea fregerunt: *Ps. 65. Mentientur tibi in multitudine virtutis tuae inimici tui.* Item virtus quae fuit in patribus in filiis non est: ideo, *Inveterati sunt: Baruch 3. Quid est Israel quod in terra inimicorum es, et inveterasti in terra aliena?* Item *claudicaverunt a semitis tuis*, idest praeceptis legis: quia uno pede incedunt, scilicet sensu literali, non spirituali. Item literaliter etiam, *Claudicaverunt*, quia sequebantur solum traditiones Pharisaeorum: *3. Reg. 18. Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum. Vivit*

aa Hic ponitur gratiarum actio: et circa hoc tria facit. Primo proponit eam. Secundo ponit eius materiam, ibi, *Deus qui dat* etc. Tertio prorumpit in laudes Dei, ibi, *Propterea vivit Dominus.* Et loquitur ad modum regis de Deo. Antiquitus modus salutandi regem fuit, *Vivat rex.* Hoc convenit Deo: quia ipse est vita aeterna: *Ps. 35. Apud te est fons vitae.* Et ideo dicit, *Vivit Dominus: Ezech. 33. Vivo ego, dicit Dominus Deus.* Ipse enim est dator vitae hominibus: *Io. 1. Quod factum est in ipso vita erat.* Item aliis optatur benedictio, sed ipse est ipsa benedictio, *Benedictus Deus meus.* Deus meus dicitur filius: *Is. 9. Filius datus est nobis: Ps. 66. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: Dan. 3. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis et benedictus in saecula:* et quia nos benedictionibus implet. Tertio optat eius exaltationem, *Et exaltetur Deus salutis meae*, idest actor et dator salutis gratiae in praesenti, et gloriae in futuro: *Ps. 43. Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Item *ibid. 73. Operatus est salutem in medio terrae.* Non petit ut exaltetur in se, quia Altissimus est: *Ps. 80. Fundavit eam Altissimus;* sed exaltetur in cognitione nostra. Et dicit, *Salutis meae*, idest qui me salvat: *Isa. 45. Deus iustus et salvans non est praeter me: Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus sub caelo.* Vel Deus qui salvat me exaltetur per suum effectum, ut salvet me non solum in infimis, sed etiam in excelsis: *Matth. 11. Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis: Eccl. 44. Exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude: Psal. 98. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Deus*

bb Hic ponitur materia gratiarum actionis, et pro beneficio liberationis a malo, et pro beneficio promotionis ad bonum; unde dicit, *Deus* etc. Et hoc potest dici in persona ecclesiae: quia qui persequuntur eam, subiicientur sibi: *Isa. 60. Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Sicut Paulus qui condemnavit Stephanum prostratus est, unde pia vindicta est, dum rebellis subditur et humiliatur: ideo tu es, *Liberator: Io. 8. Si filius vos liberaverit* etc. *Meus de inimicis meis*, non qualibuscunque, sed, *Iracundis: Prov. 17. Ira non habet misericordiam:* unde maior gloria a ferventibus malis liberari. *Et ab insurgentibus in me: Ps. 26. Insurrexerunt in me testes iniqui* etc. *Exaltabis me,* Ut ostendat Dei providentia hoc dicit, in quo credunt deprimere exaltantur: *Phil. 2. Propter quod et Deus exaltavit illum: Gen. 7. Multiplicatae sunt aquae, et elevaverunt arcam in sublime. A viro iniquo eripies me,* idest a fraudulentis: *Ps. 139. Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.* Consequenter concluditur gratiarum actio propter praedictas causas. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine* etc. idest coram omni populo te laudabo: *To. 12. Benedicite Deum caeli, et coram omnibus viventibus confitemini* etc. *Et nomini tuo psalmum dicam.* In psalmo intelligitur bona operatio: quia quicquid boni facimus, debemus facere in gloriam nominis Dei. *Magnificans salutes regis eius:* Hieronymus habet, *Sic magnificanti et facienti tibi*, scilicet magnificanti et facienti secundum literam nostram, *Deus qui das vindictas.* Et est Deus inquantum magnificans. Et ponit duo: unum ad statum regni, aliud ad personam, quia utrumque magnificatum est. Quantum ad primum dicit, *Magnificans salutes Regis eius*, quia promovisti me ad regnum. Vel, *Regis*, idest Christi, per cuius nomen omnes salvantur: *Act. 4. Non est aliud nomen datum* etc. Quantum ad personam dicit, *Et faciens misericordias Christo suo David et semini eius usque in saeculum,* quia multiplicavit semen suum sicut promisit.

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XVIII.

Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.

b Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.

c In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultavit ut gigas ad currendam viam.

d A summo caelo egressio eius. Et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius.

e Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

f Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.

g Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

h Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.

h Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: et medi-

tatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine adiutor meus, et redemptor meus.

## a PSAL. XVIII.

Supra Psalmista multipliciter egit gratias de beneficiis datis et speratis ; hic autem ex consideratione illorum beneficiorum consurgit in laudem benefactoris. Titulus patet, *In finem Psalmi David*, secundum literam refertur ad David; secundum autem mysterium ad Christum, *In finem*. Dividitur autem Psalmus iste in duas partes. In prima enim commendatur Deus ex sua eruditione, qua nos instruit. Et hoc dupliciter. Una communi, quae se habet aequaliter ad omnes : et haec per opera sua manifestatur: *Ro. 1. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Alia speciali, per legis lationem, quae est solum ad fideles. Secundum, ibi, *Lex Domini immaculata.* Psalmus iste secundum veritatem exponitur de Christo, quia Apostolus de hoc auctoritatem ad mysterium Christi *Ro. 1.* inducit, *In omnem terram exivit* etc. Nihilominus tamen sicut mysteria Christi repraesentantur figuraliter quandoque in figuris veteris testamenti, ita quandoque figuraliter praemonstrantur in figuris operum sanctorum. Et ideo primo exponitur iste Psalmus quoad figuram. Secundo quoad veritatem. Et primo loquitur de caelis. Secundo de sole. Per caelos apostoli ; per solem Christus intelligitur. *In sole.* Circa hoc duo facit. Primo ponit doctrinam qua nos erudit Deus per caelos, quomodocumque intellectos. Secundo excludit impedimenta huius doctrinae, ibi, *Dies diei eructat verbum* etc. Duo necesse est cognoscere de Deo. Unum, scilicet gloriam Dei in qua est gloriosus. Secundo opera eius. Si respiciamus corporales caelos, isti nunciant nobis gloriam Dei: quia in eis est mira et ordinata distinctio, quae est quaedam redundantia illius in firmitate gloriae: *Eccl. 45. Species caeli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.* Et quia sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus eius. Et ideo intelliguntur isti caeli materiales indicare nobis gloriam Dei, non quasi animalia materialia, ut Rabby Moses dicit, sed in eius pulchritudine qua multo magis indicatur eorum artifex. Et firmamentum demonstrat nobis, quantum Deus sit magnificus. Firmamentum dicitur caelum, ut dicitur *Gen. 1. Vocavit Deus firmamentum caelum.* Secundum autem distinctionem dicitur caelum, et sic in caelorum distinctione apparet divina sapientia : si totum accipiatur simul, sic narrat eius virtutem; et ideo dicit quod, *Caeli enarrant*, idest manifestant, *Gloriam Dei, et firmamentum nuntiat opera manuum eius*, per quae opera apparet eius virtus. Secundum autem veritatem per caelos intelliguntur apostoli, in quibus tanquam in caelis habitat Deus. Et dicuntur caeli propter sublimitatem conversationis : *Phil. 3. Nostra conversatio in caelis est.* Item stellati, propter multarum virtutum abundantiam : *Eccl. 43. Speeies caeli gloria stellarum : Is. 55. Sicut exaltati sunt caeli a terra* etc. quia lucidi per doctrinam et exemplum: *Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Quia volubiles per obedientiam et discursum praedicationis : *Eccl. 34. Gyrum caeli circuivi sola, et in fluctibus maris ambulavi, et profundum abyssi penetravi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum tenui.* Isti, *enarrant gloriam Dei*, scilicet Patris in qua est Christus. Et quia Christus est aequalis Patri, et quod est Deus, et quod gratis peccata dimittit : *Isa. 52. Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* Item apostoli dicuntur firmamentum, quia firmati virtute Spiritus sancti: *Luc. ult. Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto. Et annuntiant opera manuum eius*, idest mirabilia, quae fecit Christus, scilicet nativitatem, passionem, resurrectionem, et ascensionem: *Eccle. 42. Nonne Deus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia eius ? Psal. 12. Annunciate hoc in universa terra.* Idem *95. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.* Vel *Caeli enarrant*, quia caeli novam stellam miserunt, ortum salvatoris nuntiantem: *Matth. 2. Vidimus stellam eius in oriente. Dies*

b Hic excludit impedimentum doctrinae : et excludit triplex impedimentum. Aliquando impeditur doctrina, ut non possit addisci ex tempore : aliquando ex linguarum varietate: aliquando ex locorum diversitate. Primum impedimentum est de nocte : non enim est tempus legendi, cum sit tempus quiescendi: et secundum diversa tempora convenit docere et discere. Et primo dicendum est de materialibus diebus qui causantur secundum naturam ex motu caeli: et ideo non solum substantiam caelorum oportet considerare, sed etiam motum firmamenti: et sic oportet accipere in hac vicissitudine sapientiam : *Eccl. 33. Quare dies diem superat, et lux caelum, et annus annum a sole? A Domini scientia separati sunt*, idest dispositi supra. Et ideo dicit *Dies*, succedens, *diei eructat verbum*, idest diem sapientiae, idest manifestat ordinem et bonitatem divinae sapientiae, inquantum una dies est maior alia etc. Una dies est maior aestus quam alia : et sic de singulis. *Et nox.* Supra ostendit divinam sapientiam et ordinem dispositionis divinae, quia ordinate nox nocti succedit : et dicit quia, *Dies eructat*, quia tempus diei est tempus loquendi ; et ideo est tempus verbi. Propter quod dicit, *Eructat verbum.* Sed tempus noctis est tempus meditationis propter quietem ; et ideo in quiete noctis homo meditatur, et adinvenit multa ex quibus fit sciens ; et ideo est tempus sciendi. Et ideo dicit, *Et nox*, succedens, *nocti indicat scientiam*, idest Dei, quia in una nocte est alia dispositio temporis quam in alia : et hoc totum a scientia Dei disponente. Secundum veritatem apostoli dicuntur dies: et hoc est quod dicit, *Dies*, idest apostoli, *eructat verbum*, divinae sapientiae: *Diei*, idest perfectis: *1. Cor. 2. Scientiam loquimur inter perfectos* : non enim omnibus omnia praedicantur ; sed clara claris, sancta sanctis, magnis magna praedicantur. Item Apostolus inquantum est nox, idest in carne vivens et mortalis, infirmitati et ignorantiae rudium condescendens, tanquam nox indicat nocti, idest perfectis scientiam, sed de rebus humanis : *1. Cor. 3. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis dedi, non escam.* Vel *dies*, idest Gabriel, *Eructat*

*verbum dei*, idest Virgini Beatae proponit verbum salvatoris ; sed , *nox* , idest diabolus , *indicat scientiam nocti* , idest Evae : *Gen. 3. Eritis sicut dii , scientes bonum et malum.* Item secundo impeditur doctrina, secundum varietatem linguarum; sed haec doctrina per hoc non impeditur : quia, *Non sunt loquelae, neque sermones*, idest quaecumque sint illae linguae, seu nationes , possunt erudiri de divina sapientia et virtute, et hoc sive per caelos , sive per apostolos ; sed secundum veritatem dicendum quod , *Non sunt loquelae* etc. *Quorum non audiantur verba eorum*, quia voces, sive praedicationes, sive doctrina apostolorum auditur a quolibet.

Sed de loquela Apostolorum duplex est opinio. Quidam enim dicunt quod apostoli una lingua loquebantur; sed alii omnes eos intelligebant.

Sed contra hoc est Apostolus *1. Cor. 14. Gratias ago Deo meo , quod omnium vestrum lingua loquor.* Unde *Non sunt loquelae*, in quibus non audiuntur loqui. Loquelae significant linguas principales; sed sermones significant veritates idiomatum in eadem lingua. Vel *Loquelae* linguae , *Sermones* sunt modi loquendi. Est autem triplex modus loquendi, unus humilis, quem communiter loquimur ; alius, quando est coloratus; et alius, quando est ornatus tantum. Primus convenit docenti. Secundus persuadenti. Tertius delectanti; et quolibet istorum modorum loquebantur apostoli: *Isa. 28. In loquela labii et lingua altera loquar ad populum istum.* Item impedimentum doctrinae est diversitas et remotio loci: quia doctrina aliquando non vadit ad remotas partes; sed non ita est de ista, quia. *In omnem terram exivit sonus eorum*, scilicet caelorum, vel apostolorum: quia ubique est doctrina, qua caeli erudiunt; sed de apostolis melius dicitur , quia dicit *Exivit*, non exierunt. *Sonus*, idest fama. *Et in fines orbis terrae verba eorum: Psa. 12. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra : Matth. ult. Euntes docete omnes gentes.* Et ideo dicit, *In fines orbis terrae verba eorum*, quia sonus pervenit ad remota; et verba ad loca propinqua. Sed non est ita de apostolis, immo etiam verba, idest distinctio soni pervenit ad fines orbis terrarum , vel prophetia aliqua, vel fama miraculorum. *In sole*

c Supra Psalmista fecit mentionem de caelis ; et hic ad ostendendam laudem creatoris agit de sole. Et sicut per caelos intelliguntur apostoli , ita per solem intelligitur Christus: *Malac. 4. Vobis timentibus nomen meum , orietur sol iustitiae.* Et quaedam prophetiae dicunt hoc de Christo sub figura solis; ideo primo ponit figuram per quam incipit veritatem de Christo explicare. Circa figuram tria ponit. Primo situm solis. Secundo motum, *Et ipse tanquam sponsus.* Tertio effectum eius, *Non est qui se abscondat* etc. Primo sciendum est, quod haec diversa litera Hieronymi habet, *Sol posuit tabernaculum in eis ;* quasi dicat, Ita caeli enarrant etc. Et pro eis, scilicet caelis, *posuit soli tabernaculum*, idest collocavit eum in caelis. Ponitur convenienter tabernaculum: quia hic mundus est locus viatorum, non habitantium in certo loco, quia sunt in continuo motu. Nostra autem litera habet , *In sole posuit tabernaculum suum.* Dominus alicuius dominii pulchrius stat in civitate , quam in rure, ita pulchrius in caelo videtur tabernaculum Dei: et ideo dicit, *In sole posuit tabernaculum suum;* quasi dicat, Sol est eius tabernaculum : non quod Deus in loco contineatur, sed quia, ut Dionysius dicit , in sole maxime repraesentatur bonitas et virtus Dei, sive divina. De motu solis duo dicit, *A summo caelo.* Nota quod loquitur de caelo sicut est in motu suo , qui est finis noctis et principium diei. Et secundum quod est finis noctis non est nisi exitus de occulto in manifestum: quia non oritur, quasi tunc esse incipiat, sed quia tunc manifestatur: et ideo assimilat eum sponso egredienti de thalamo: quia sicut occultatur sponsus in thalamo, sic occultatur sol de nocte; ideo dicit, *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Secundum autem quod est principium diei, quatuor ponit, scilicet proprietatem sive efficaciam eius, magnitudinem, velocitatem, et regularitatem motus eius. Proprietatem, quia nox tristitiam indicat; sed dies laetificat: *Ps. 29. Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia*: et ideo dicit, *Exultavit.* Magnitudinem, quia magnus inter omnia corporalia particularia; et ideo dicit, *Ut gigas.* Velocitatem; unde dicit, *Ad currendam.* Regularitatem; unde dicit, *Viam*, quia non exorbitat a rectitudine viae , sicut aliqui planetae. Item hanc similitudinem exponit, cum dicit, *A summo caelo.* Et quod hic dicitur, potest dupliciter intelligi. Uno modo, quia sunt duo puncta secundum astrologos, scilicet summitas caelorum , ubi sol est quando est in meridie, et punctus oppositus qui est angulus terrae, ubi est sol in medio noctis : et hoc est quod dicit , *A summo caelo egressio eius* , secundum illos qui incipiunt diem a medio noctis: *Et occursus eius usque ad summum eius*, quantum ad angulum caeli, ubi est in meridie. Sed si ad unum punctum summum referatur, sic est unus punctus , ubi sol est in meridie. Et hoc est quod secundum astrologos plures dies computantur a medio diei; quasi dicat, A puncto meridionali est recursus eius, scilicet solis, usque ad locum illum: *Eccl. 1. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur.* Effectus eius manifestatur cum dicit, *Nec est qui se abscondat a calore eius ;* quasi dicat , Sol in meridiano ita exurit terram, et ita calidus est quod in aliquibus terris vix homo subsistat : *Eccl. 43. In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris eius quis potest subsistere ?* Secundum autem rem significatam designantur mysteria Christi. Et primo designatur ipsius conceptio. Secundo nativitas. Tertio eius progressus. Quarto eius ascensio. Conceptio designatur, cum dicitur, *In sole posuit tabernaculum suum.* Est autem consuetum, quod per tabernaculum intelligit corpus : *2. Pet. 1. Scio quod velox est depositio tabernaculi mei , secundum quod Dominus noster Iesus Christus significavit mihi*: *2. Cor. 5. Qui sumus in hoc tabernaculo , ingemiscimus.* Quod ergo dicit , *In sole posuit* etc. idest corpus suum posuit in sole, idest in Beata Virgine, quae nullam habuit obscuritatem peccati: *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Vel in sole sunt tria. Lucet, ardet, et distinguit vices tempore. *In sole posuit tabernaculum suum*, idest in manifesto , quia cum invisibilis esset , per assumptionem corporis factus est visibilis: *Io. 1. Verbum caro factum est , et habitavit in nobis.* Item *In sole*, idest ardore: *Posuit tabernaculum suum* , idest corpus suum , quia suscepit pas-

sibile : *Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit.* Item subiecit ipsum varietati : et qui secundum quod Deus erat aeternus , secundum quod homo factus est temporalis : *Ps. 30. In manibus tuis tempora mea.* Vel, *tabernaculum suum*, idest ecclesiam: *Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Posuit in sole*, idest in manifesto: *Matth. 5. Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Nativitas designatur cum dicitur, *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Talamus uterus virginalis est: de hoc sicut sponsus processit, quia in ea unione perpetua desponsavit humanam naturam: unde in morte divinitas remansit unita animae et corpori : *Osee 2. Sponsabo te mihi in fide.* Processus viae eius describitur a iucunditate. Unde, *Exultavit*, interius scilicet cum laetitia spirituali, quam nec mors nec tristitia aliqua in sensualitate potuit perturbare: quia etiam in passione fruebatur : *Isa. 42. Non erit tristis neque turbulentus;* quia ex tristitia sensualitatis nulla tristitia in parte superiori fuit , tamen anima patiebatur secundum quod erat natura ; non autem secundum quod erat conversa ad Deum. Item describitur magnitudine: quia, *Ut gigas*, geminae substantiae: quia naturae divinae in qua magnus: *Ps. 76. Quis Deus magnus sicut* etc. et humanae naturae in qua etiam magnus : *Luc. 1. Hic erit magnus* etc. A velocitate: quia salutem nostram operatus est in modico tempore: unde dicit, *Ad currendam viam: Act. 10. Pertransivit benefaciendo , et sanando*, quasi velociter. *A summo*

d Hic prosequitur de ascensione: et circa hoc tria facit. Primo ponit ascensionem debitam. Secundo eius terminum. Tertio effectum debitum ponit. Primum , cum dicit, *A summo caelo egressio eius.* Naturale est cuilibet rei tendere in locum suum sibi connaturalem. Locus naturalis summus debetur ei, qui habet summam naturam. Christus est natus a Patre habens summam naturam : *Ephe. 4. Qui descendit ipse est qui et ascendit.* Et ideo dicit, *A summo caelo egressio eius*, scilicet per aeternam generationem. Et dicit, *A summo*, non ex aethereo, vel empyreo, vel alio; sed ab esse Trinitatis, qui est consubstantialis Patri, idem in essentia. Deinde ponit terminum. Dicit ergo , *Et occursus eius usque ad summum eius : Io. 16. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Sequitur effectus, *Nec est qui se abscondat a calore eius: Ephe. 4. Dedit dona hominibus. Ibidem: Ascendit super omnes caelos , ut adimpleret omnia.* Sed quando est in alto, omnes calefacit. Sic Christus ascendens misit Spiritum sanctum discipulis; unde dicit, *Nec est qui se abscondat a calore eius.* Spiritus sanctus calefacit: *Can. 8. Lampades eius lampades ignis.* Sed numquid multi non recipiunt calorem eius ? Dicendum quod sicut est de sole materiali, ita contingit de Spiritu sancto. Multi autem possunt se abscondere, et non recipere calorem solis , sed sol ex parte sua se exhibet omnibus ; sic Spiritus sanctus effunditur ubique, et petit ab omnibus recipi, nisi aliquis se per malitiam abscondat. Vel *Non est qui se abscondat* etc. quia licet peccator non recipiat eum, tamen non potest abscondi quin cognoscatur ab eo etc. *Prov. 15. Infernus et perditio coram Domino. Lex*

e Supra Psalmista egit de sua generali instructione , quae fit per creaturas; nunc agit de spirituali , quae fit per legis lationem : et circa hoc duo facit. Primo ponit legis commendationem. Secundo agit de delictis quae committuntur contra legem, ibi, *Delicta quis intelligit.* Et convenienter post mysteria incarnationis Christi, agit de lege veteri, quae est per Christum impleta et nova tradita : et circa hoc duo facit. Primo ostendit legis bonitatem sive rectitudinem. Secundo eius suavitatem seu dilectionem, ibi , *Desiderabilia.* Circa primum tria facit. Primo commendat legem in generali. Secundo ea quae in lege continentur, ibi, *Testimonium Domini.* Tertio commendat ea quae adiacent legi , ibi , *Timor Domini.* Est autem considerandum , quod de lege Domini dicit duo : et quod est immaculata, et quod est convertens: et potest ad utramque legem referri, scilicet novam et veterem: et ponuntur ad differentiam legis humanae, in qua quaedam illicita permittuntur , sicut usurae et prostibula, non enim potest omnia corrigere. Sed lex Domini non est talis, sed est, *Immaculata*, idest omnia mala excludens: *Ps. 11. Eloquia Domini, eloquia casta* etc. *Iob 6. Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* Item lex humana non extendit se, nisi ad ea , ad quae se habet iudicium humanum, scilicet tantum ad exteriora: *1. Reg. 16. Homo videt quae apparent, Deus autem intuetur cor.* Et ideo lex humana retrahit ab exterioribus, licet divina lex convertat cor ad Deum ; et ideo dicit *Convertens*, non tantum exteriores actus, sed et, *Animas.* Sed lex vetus hoc faciebat imperfecte, lex nova perfecte: quia lex vetus cohibet per poenas temporales, quae coercent manum; sed lex nova cohibet per poenas aeternas, quae coercent cor. Continentur autem in lege tria, testimonia , iudicia , et praecepta. Testimonia , quia lex divina procedit ex necessitate super aliqua credulitate: *Heb. 11. Accedentem ad Dominum oportet credere.* Et ideo necessaria sunt testimonia per quae fides recta hominis probetur, et ita in ea sunt testimonia et caeremoniae. Et dicit de eis duo, quod testimonia sive praecepta habent aliquid fidele, et quod sapientiam praestant. Doctrinae autem humanae habent aliquid non fidele, nec sapientiam praestant. Non fidele, quia antiquitus confinxerunt in legibus quaedam falsa , secundum quod videbatur eis ad utilitatem civitatum: sicut quod quidam homines nati sunt ex diis , ut conciperent magnos animos , et quod bene regentes transferebantur ad Deos , ut animarent ad bonum reipublicae. Sed *Testimonium Domini*, idest doctrina , seu mandatum divinum est, *Fidele*, idest habet veritatem; sed illud, scilicet doctrina illorum est falsa: *Ps. 92. Testimonia tua Domine credibilia facta sunt nimis :* et hoc ideo est , quia lex illa ordinat ea , quae sunt in vita ista tantum; sed lex divina ordinat ad futuram vitam: *Ro. 8. Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Testimonia proprie dicuntur in lege illa quae generant auctoritatem praecipientis in corde subditorum, ut obediant praeceptis, ut quod Deus sit unus, et quod sit creator caeli et terrae, et huiusmodi. Et quia caeremonialia praecepta sunt ex sola auctoritate divina debita, possent dici testimonia; praecepta vero moralia

fundantur in debito omnis virtutis, iudicialia vero praecepta fundantur in debito, quod est inter homines quantum ad contractus. Lex autem illa humana non praestat sapientiam: aliqua enim sapientia est in humanis, ubi est aliqua veritas, ut philosophica: et quaedam sapientia est qua utebantur sacerdotes in templo, et haec est falsa: et haec multis proponebatur; sed illa philosophica paucis, sed divina, *Parvulis*, quia populis: *Deut. 4. Haec est sapientia vestra et intellectus coram populis.* Vel, *Parvulis*, idest humilibus: *Matth. 11. Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Iustitiae Domini rectae*, seu iudicia illa quae dicuntur *Exo. 22. Qui furatus fuerit bovem aut ovem* etc. *Isa. 26. Rectis callis iusti ad ambulandum: Prov. 21. Gaudium est iusto facere iustitiam, et pavor operantibus iniquitatem.* Et dicit duo de eis, quod recta, et quod iucunda. Recta, quia continent iustitiam. Rectum dicitur iustum: *Prov. 8. Iusti sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, nec perversum: recti sunt intelligentibus* etc. Iucunda, non severa, et perturbativa, quia sunt aequitati permixta; unde dicit, *Laetificantes corda*, propter aequitatem et spem praemii: *Ps. 118. Laetabor ego super eloquia tua.* Moralia vero praecepta sunt lucida et illuminativa; unde dicit, *Praeceptum Domini lucidum.* Lucidum dicitur, quia in se est manifestum, et evidens, sicut hic, Non occides, non moechaberis, non furtum facies, et similia quae habent in se claritatem, quod quilibet servare tenetur dicens *Prov. 6. Mandatum lucerna, et lex lux.* Praeceptum dicitur ad quod attenditur secundum imperium superioris, et est de agendis, et importat debitum faciendi in eo cui praecipitur: quod quidem debitum est, vel ex parte regulae divinae quam tenemur sequi; et sic illud cadit sub debito, sine quo rationis ordo servari non potest: vel est debitum ex auctoritate praecipientis, cui obedire tenemur: vel ex parte finis, quem omnino volumus, qui est praestitutus nobis; et tunc cadit sub praecepto illud sine quo non possumus servare subiectionem ad praecipientem; vel sine quo non possumus consequi finem intentum. Dicitur enim praeceptum quasi praecise caeptum, scilicet ad agendum: quasi quod praecise teneamur illud agere: ideo tale praeceptum est *Illuminans oculos*, scilicet rationis, qui oculi tenebrescunt per cupiditatem exteriorum et concupiscentias interiorum passionum: et hoc removet praeceptum Domini, et ideo illuminans oculos, *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, Psal. 12. Timor*

f Hic ponit quaedam adiacentia legi: quorum unum est ex parte nostra, scilicet timor, qui inducit nos ad servandum praecepta: *Eccl. ult. Deum time, et mandata eius observa.* De timore isto duo dicit. Primo dicit eum sanctum. Secundo dicit eum permanentem. Omnis autem timor ex amore causatur, quia illud timet homo perdere quod amat. Et ideo sicut est duplex amor, ita est duplex timor: quidam est timor sanctus qui causatur ab amore sancto; quidam non sanctus, qui a non sancto causatur. Sanctus amor est quo amatur Deus: *Ro. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Timor iste sanctus tria facit. Primo timet Deum offendere. Secundo recusat ab eo separari. Tertio Deo per reverentiam subiicit: et iste timor dicitur castus et filialis. Non sanctus timor est qui causatur ab amore non sancto, qui est mundi, et suiipsius; et de tali amore non sancto causatur duplex timor non sanctus. Servilis, qui est ex amore sui: et mundanus, qui procedit ab amore mundi: *Mat. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus* etc. De timore sancto: *Ps. 33. Timete Deum, omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Mundanus timor non permanet nisi cum mundo, servilis permanet in malis in perpetuum, sed sanctus permanet in bonis. De hoc dicit Psalmus, *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi.*

Sed contra. *Perfecta charitas foras mittit timorem, 1. Io. 4.*

Dicendum, quod charitas expellit timorem servilem; sed filialis timor dupliciter permanet, scilicet in patria. Primo quantum ad sui praemium: *Ps. 9. Patientia pauperum non peribit in finem.* Non quod ibi sit patientia, quia non est ibi tribulatio, sed fructus eius: et sic fructus timoris permanet: *Eccl. 1. Timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur.* Vel manet secundum aliquem sui actum: non quod timeat offendere, quia ibi non timet peccatum, nec separationem, sed quantum ad reverentiam, quia submittent se Deo, nec audebunt se ei aequare: *Iob 26. Columnae caeli contremiscunt, et pavent ad nutum eius.* Ex parte Dei est illud, scilicet iudicium eius: quod dicitur executio iustitiae: *Ps. 93. Quousque iustitia convertatur in iudicium.* Et haec fiunt secundum quod punit vel praemiat; et ideo *Iudicia Domini* dicuntur *Vera et iustificata*: vera propter rectitudinem, quia in eis semper est veritas: *Ro. 2. Iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt*: non enim sequitur, *Testimonia*, humana, sed, *Iustificata in semetipsa* dicitur, quia vel non sequitur aliam superiorem legem, sed in semetipsa. Vel quia in semetipsis ipsa iudicia Domini habent evidentem iustitiam: *Ps. 36. Et educet quasi lumen iustitiam tuam, et iudicium tuum tanquam meridiem. Desiderabilia*

g Supra Psalmista commendavit legem divinam quantum ad eius rectitudinem; hic autem commendat quantum ad eius suavitatem et iucunditatem: et circa hoc duo facit. Primo ponit eius commendationem. Secundo talem commendationem probat, ibi, *Etenim servus tuus.* Praefert autem legem, quantum ad desiderium animae omnibus rebus mundi. In rebus autem mundanis desiderantur exteriores divitiae, et voluptates corporales. Et supra ista est delectatio legis Dei. Quantum ad primum dicit ista quae dicta sunt, *Desiderabilia super aurum: Prov. 8. Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis; et omne desiderabile ei non potest comparari: Ps. 117. Dilexi mandata tua super aurum* etc. Et tangit illa duo quae homines desiderant; unde dicit, *Aurum;* et pompas; unde, *Lapidem pretiosum.* Lapides pretiosi non serviunt nisi ad apparentiam: unde ibi multum potest referri, vel ad lapidem, vel ad pretiosum. Item quantum ad secundum dicit, *Et dulciora super mel et favum: Psal. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Dicitur mel et favum, quan-

tum ad delectationes corporales. Mel extrahitur a cera, sed favus est mel et cera. Delectationes corporales quandoque sunt manifestae, et sic est mel: quandoque suut absconditae et dulciores, et sic est favus: *Prov. 9. Aquae furtivae dulciores sunt* etc. Vel praeferuntur favo propter vetus testimonium, in quo est mel in favo, veritas in figura : mel propter novum ubi est veritas manifesta. Sed nunquid spirituales delectationes sunt delectabiliores ? Dicendum est quod sic : et est triplex ratio. Una ex parte boni delectati, quod est potius bonum, et est causa delectationis, quod est maius bonum. Ergo magis delectabile. Secunda ex parte potentiae delectantis, quia vis intellectiva est fortior sensitiva. Tertia ex modo delectationum. Corporales delectationes consistunt in fieri et in motu ; sicut in cibis et in aliis. Motus autem est quid imperfectum et quoddam futurum, et praeteritum importat: quia non habetur totum simul. Spirituales autem delectationes non sunt in motu: quia consistunt in amando et intelligendo bonum, quod non est in motu; sed per accidens plus desiderantur illae, inquantum abundant aliqui in sensu, et deficiunt in intellectu. Vel sancti homines plus diligunt praecepta Dei quam seipsos. Et sancti designantur per aurum et lapidem pretiosum: *1. Cor. 3. Si quis aedificaverit super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos.* Item per mel et favum significantur illi, qui alieni sunt a rebus mundi; sed favus sunt illi qui adhuc rebus mundi delectantur: et tales quia non sunt totaliter alieni, diligunt plus se, quam praecepta; alii diligunt plus praecepta, quam se. Et hoc probat dupliciter. Primo experimento. Secundo ex effectu. Experimento, cum dicit, *Etenim servus tuus custodit ea;* quasi dicat, Possum dicere quia dulcia sunt, quia probavi ea : nam ego diligo et experior. Nullus autem testimonium potest ferre nisi qui experitur: *Io. 7. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquor: Iob 23. Vestigia eius sequutus est pes meus.* Ex effectu, idest remuneratione probat idem, cum dicit, *In custodiendis illis retributio multa: Matt. 5. Gaudete et exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis.* Et non dicit pro custodia; sed, *In custodiendis illis*, quia ipsa custodia eorum est magna retributio, scilicet gloria cordis et munditia : *2. Cor. 1. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae.* Et sic commendatur lex ab honestate, quando dicit, *In custodiendis illis* etc. quia honestum idem est quod virtus ; et est per se appetibilis. *Delicta*

h Hic orat pro delictis illorum, qui praetereunt legem. Et primo proponit occultationem peccatorum. Secundo petit eorum remissionem, ibi, *Ab occultis.* Tertio ponit rationem petitionis, ibi, *Si mei* etc. Dicit ergo, Legem frequenter offendimus, sed, *delicta quis intelligit;* quasi dicat, Nullus. Et hoc propter tria. Primo quia delictum excaecat oculos peccantis, unde non de facili discernuntur parva peccata: *Sap. 2. Excaecavit eos malitia eorum.* Secundo, quia peccata sunt multa: *Psal. 39. Circumdederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem.* Item propter eorum subtilitatem : *Ps. 39. Multiplicati sunt super capillos capitis mei,* ex subtilitate: sed non dicit peccata, sed, *Delicta.* Duplex est peccatum, scilicet transgressionis: et hoc facilius cognoscitur, quia homo scit se fecisse actum pravum. Item omissionis: et hoc difficile cognoscitur, quia haec non obligant ad semper, sed pro loco et tempore. Et distingue. Quando est locus et tempus, est difficile affirmare: et quando danda est cleemosyna, qualiter etc. et ubi. Consequenter ponit peccatorum remissionem. Est autem duplex genus peccati. Unum quod sumit initium a nobis : et praecipue originale, et quae ex corruptione fomitis procedunt, ut peccata carnalia; et haec animam inquinant, quia coniungunt eam rebus terrenis. Et ideo dicit, *Ab occultis meis munda me*, idest quae ab occulta radice procedunt, vel quae in occulto fiunt, vel quae a secreta voluntate oriuntur: *Eph. 5. Quae in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* Aliquando sumunt originem ab alio : ideo dicit, *Ab alienis parce servo tuo.* Sed nunquid alicui imputatur alienum peccatum: *Ezec. 18. Anima quae peccaverit, ipsa morietur.*

Dicendum, quod non, quando totaliter est alienum; sed quando transit ad te per imitationem: *Eccl. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Vel persuasionem, vel consensum: *Prov. 1. Fili mi si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis.* Vel per dissimulationem tempore et loco debito, tunc fit tuum, et imputatur : *Ro. 1. Non solum qui faciunt ea, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et hoc maxime in praelatis quando dissimulant scienter scelera subditorum. Et dicit, *Parce servo tuo*, quia haec peccata videntur in nobis ex divina ira provenire, quod scilicet huiusmodi occasiones peccati dentur nobis. Vel, *Ab alienis,* superbis hominibus: *Psal. 17. Filii alieni mentiti sunt mihi. Si mei*

h Hic ponitur ratio petitionis. Et primo ex parte David petit immunitatem a malo. Secundo perfectionem in bono, *Et erunt ut complaceant.* Petit autem immunitatem a malo. Et hoc dupliciter, a futuro, et a praeterito. Dicit ergo, *Si mei non fuerint dominati,* vel, *Dominata,* scilicet peccata: *Ps. 62. In matutinis interficiebam omnes peccatores terrae,* idest omnia peccata, qui terra dicuntur propter multas proprietates terrae. *Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem,* idest omnes operationes iniquas. Vel *dominati*, scilicet superbi. Vel, *Alieni*, idest peccatores, vel daemones qui dicuntur tunc dominari, quando pertrahunt ad consensum: *Io. 8. Qui facit peccatum, servus est peccati. Si ergo non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, idest servabo me sine macula peccati mortalis, scilicet non venialis: *Iob 15. Quid est homo ut immaculatus sit.* De praeterito dicit, *Et emundabor a delicto maximo: Is. 1. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur : Iob 11. Si iniquitatem quae in manu tua abstuleris a te, et non permanebit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc levare poteris faciem tuam.* Vel, *maximo*, scilicet superbia, quia est initium omnis peccati: *Eccl. 10. Non est maius peccatum quam apostatare a Deo:* et hoc fit per superbiam. Unde peccatum quod est ex superbia, potius est eo quod fit ex ignorantia, vel ex infirmitate : superbia namque est initium et causa omnis peccati, et qui caret illa, est vere immaculatus. Consequenter ponit illud quod pertinet ad perfectio-

nem in bono. Et primo oris; unde dicit, *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei.* Quandiu homo est in peccatis, eloquia sua non placent Deo : *Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris: Ps. 49. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum.* Item ponit perfectionem cordis quae requirit placentiam Dei; unde dicit, *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, idest coram angelis : vel qui intus vides et conscientiam inspicis. Et hoc dico: quia tu, *Domine es adiutor meus*, in nobis agendis, *Et redemptor meus*, a malis cavendis: *Isa. 44. Revertere ad me, quia redemi te.*

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XIX.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Syon tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.

b Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

c Laetabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.

d Impleat Dominus omnes petitiones tuas; nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

e Exaudiet illum de caelo sancto suo: in potentatibus salus dexterae eius. Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.

f Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus, et erecti sumus.

g Domine salvum fac regem; et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

## a PSAL. XIX.

In praecedentibus Psalmis agebatur de liberatione a persecutione, et gratias egit pro liberatione; hic autem liberatus, vel in spe liberationis existens, petit ad maiora promoveri. Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima parte ponitur petitio exaltationis. In secunda proponitur promissio, ibi, *Domine in virtute* etc. Circa primum tria facit, quia primo ponitur petitio. Secundo ponitur spes exauditionis, ibi, *Nunc cognovi*. Tertio ponitur conclusio Psalmi, ibi, *Domine salvum fac* etc. Circa primum duo facit. Primo ponitur petitio pro malis. Secundo pro promotione ad bonum, ibi, *Retribuat tibi*. Psalmus iste procedit alio modo quam praemissi. In aliis autem Psalmis inducitur quasi oratio David per se petentis; hic inducitur quasi oratio aliorum pro ipso: et quasi secundum literam ea quae hic dicuntur, aliqualiter referuntur ad David, tamen proprie et vere pertinent ad Christum. Secundum mysterium autem pertinent ad ecclesiam et virum iustum, et qualitercumque intelliguntur circa istam partem. Psalmus duo facit. Primo ponitur exauditio deprecantis. Secundo ponitur ratio exauditionis, ibi, *Protegat te*. Dicit ergo. O David, vel Christe, *Exaudiat te Dominus: Mach. 1. Exaudiet orationes vestras* etc. *Exaudiet te Dominus*. David passus est tribulationes, et Christus in passione similiter : et ideo dicit, *In die tribulationis :* et correptionis : *Isa. 37. Dies tribulationis et blasphemiae dies haec.* Et in hac exauditus est Christus pro se et pro aliis : *Heb. 5. In die carnis suae cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est.* Et iustus homo dicit, *Cum tribularer, clamabo et exaudivit me.* Est ergo triplex causa quae facit orationem exaudibilem. Prima est divina bonitas. Secunda sanctorum suffragia. Tertia proprium meritum: quia, ut dicitur *Io. 9. Deus peccatores non audit ; sed si quis Dei cultor est, hunc exaudit.* Ratio exauditionis ponitur, cum dicit, *Protegat te nomen Dei Iacob.* Prima causa, idest propter suum nomen, idest propter suam bonitatem. *Protegat te.* si referatur ad Christum; Si autem ad alios pertineat, sic ponitur. Deprecantem, *Protegat te nomen Dei Iacob* Quem Deum ipse adoravit quando apparuit ei in Bethel: *Gen. 28. Deus Iacob, qui terrenos ad caelos ducit*, et de caelis auxiliatur terrenis. Iste ergo, *Protegat te: Prov. 18. Turris fortissima nomen Domini: Ps. 30. Proteges eos in tabernaculo tuo* etc. Hoc nomen est omnipotens : *Exo. 15. Qui potest salvare* etc. Item est nomen misericordiae : *Luc. 1. Sanctum*, idest misericors, *Nomen eius: Can. 1. Oleum effusum nomen tuum.* Sic ergo ex potentia et misericordia Dei protegimur: *Isai. 49. Sub umbra manus suae protexit me: Psal. 19. Sub umbra alarum tuarum protege me.* Secunda causa, *Mittat tibi auxilium de sancto*, idest collegio sanctorum. Et est duplex collegium sanctorum. Unum regnantium cum Deo in gloria; aliud est militantium in terra: et ex utrisque adiuvamur, quia angeli intercedunt pro nobis: *Io. 1. Advocatum habemus*, scilicet collegium angelorum: *Apoc. 7. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli, coram Deo* Fumus est ex humore et calore. Item Christo, qui est rex eorum pro nobis assistit: *Heb. 7. Accedens per semetipsum ad Deum, ad interpellandum pro nobis.* Et ideo dicit, *Mittat tibi auxilium de sancto*, idest de filio incarnato, qui anagogice dicitur sanctus: *Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei: Dan. 9. Ungatur sanctus sanctorum.* Vel, *de sancto*, idest de Christo passo, quia in passione sua sanctificavit se pro nobis : *Io. 17. Pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate: 1. Reg. 11. Cras erit vobis salus cum incaluerit sol.* Vel, *mittat tibi auxilium de sancto*, scilicet de beatorum collegio: *Ps. 2. Tu autem in sancto habitas. Et de Syon tuealur te.* Syon, idest specula, idest de arce David, ubi erat arca; tunc ibi colebatur Deus; quasi dicat, Ex precibus illorum qui speculantur in hoc mundo caelestia, *Tueatur te*, idest faciat te esse tutum. Vel e converso, *De sancto*, scilicet collegio eorum qui sunt in mundo: *Et de Syon*, scilicet illis qui sunt in gloria. *Tueatur te.* Vel, *De sancto*, quantum ad eos, qui sunt in vita activa. *Et de Syon*, quantum ad illos qui sunt in vita contemplativa, omnium scilicet istorum precibus. *Tueatur te.* Tertia causa est ut Deo sua opera sint placita ; unde dicit, *Memor*

*sit omnis sacrificii tui.* Omne opus bonum est sicut sacrificium : quia omnia debent Deo offerri : *1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite.* Ergo omnia opera nostra sunt sacrificium quodammodo: sive eleemosynae : *Hebr. ult. Beneficentiae , et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus;* sive ieiunium : *Ro. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem , rationabile obsequium vestrum.* In veteri quidem testamento quaedam sacrificia fiebant, quae non totaliter comburebantur, sed pars, et pars in usum offerentium veniebat , sicut hostiae pacificae : quaedam quae totaliter comburebantur, quae dicebantur sanctissima, quae vocabantur holocaustum ab olo quod est totum , et cauma quod est incensum. Et ideo est duplex genus bonorum operum. Quaedam quae dicuntur sacrificium, quando aliquis de bonis suis dedicat Deo, ut si quis coniugatus aliquibus diebus abstineat: *Eccl. 3. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.* Sed quando aliquis totum dat nihil sibi reservans, vel totaliter continet , sic dicitur holocaustum; ideo dicit , *Memor sit omnis sacrificii tui : Ps. 50. Sacrificium Deo* etc. *Et holocaustum tuum pingue fiat,* idest acceptum Deo : *Eccl. 35. Oblatio iusti impinguat altare , et odor suavitatis est in conspectu Domini.* Et dicit, *Pingue:* quia holocaustum incendebatur et odorem faciebat, quia pinguia plus odoris habent. Et ideo qui plus devote sacrificium offert , magis est acceptum, quantumcumque sit illud. Haec referri possunt ad sacrificium Christi , qui totum se obtulit in ara crucis. Et sic , *Memor sit* , idest memores nos faciat esse passionis et mortis: *Thre. 3. Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis.* Vel *Memor sit* , bonorum operum nostrorum quae sacrificavimus ei. *Tribuat*

b Supra petiit Psalmista orando promotionem in bonum , quod est bonum exterius desideratum ; hic petit quid est illud bonum interius petitum: et circa hoc duo facit. Primo petit impleri quod postulat. Secundo ponit rationem , ibi , *Laetabimur.* Circa primum duo facit. Primo petit illud , quod est in interiori motu animae , secundum voluntatem finis. Secundo petit impleri consilium de his quae sunt ad finem , *Et omne consilium tuum* etc. Dicit ergo, *Tribuat tibi secundum cor tuum* , idest secundum voluntatem quae est de fine; quasi dicat, Perducat te ad finem quem intendis, qui debet esse Deus: *Prov. 10. Desiderium suum iustis dabitur. Et omne consilium tuum confirmet,* hoc est de his quae sunt ad finem. Consilia enim nostra debilia sunt , quia non possumus providere omnia: *Sap. 9. Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae.* Sed Deus est qui confirmat dirigendo consilium nostrum, quod debet esse de aeternis petendis: *Io. 17. Petite ut gaudium vestrum sit plenum.* Et dando efficaciam ad nostra consilia exequenda. Sed consilium pravorum dissipat , ut dicitur *Iob 5. Laetabimur*

c Hic ponitur ratio exauditionis. Deus libenter dat dona eis , qui communicant aliis : *1. Petri 4. In alterutrum illam administrantes.* Et ideo ratio exauditionis est , quando debet aliis bonum , quod petitur , communicari. Et hoc fit primo , quantum ad multorum laetitiam quasi nos exaltati. *Laetabimur in salutari tuo,* non in nobis. Gregorius: *Iustum est, ut in se semper moerorem inveniat, qui derelicto Deo in se gaudium quaerebat. Et magnificabimur in nomine Dei nostri* , per invocationem eius qui te exaltavit: *Sap. ult. In omnibus magnificasti populum tuum, et honorasti , et non despexisti , in omni loco , et in omni tempore assistens ei.* Et ideo dicit, *Magnificabimur* etc. idest magni erimus. *Impleat*

d Hic agit de petitionibus exterioribus: et hoc quando Deus quae petimus exaudit , quia Christus pro nobis multas petitiones fecit , *Io. 17. Nunc cognovi.* Hic ponitur spes exauditionis , et dicit. Considerans quod de bono tuo multiplicabimur, *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum,* ut intelligantur vel de Christo,per quem multi salvati sunt, vel de David,quem salvum fecit in praedestinatione. Nunc quasi ex nunc antequam fiat: *1. Petr. De qua salute exquisierunt prophetae praenunciantes quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Et non solum est hoc quod salvum fecit Christum Iesum suscitando eum a mortuis : *Ps. 1. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem ;* et sic salvo capite salvabuntur membra ; sed exaudiet illum , scilicet Christum orantem pro membris : *Io. 11. Pater scio quia semper me audis.* Vel David. Sed etiam , *Exaudiet*

c Hic commendatur virtus exaudientis. Et primo ponit virtutem. Secundo experimentum virtutis, ibi , *Hi in curribus.* Potentatus dicit multitudinem potentiae. Potentatus est opus validum dominatoris. Et potest referri ad homines, ut sit sensus, *Salus dexterae tuae,* quia salvas Christum et nos per eum, apparet , *In potentatibus* , idest in omni loco , qui virtuose et potenter est in nobis. Vel potest referri ad Deum : et sic , *Salus dexterae tuae est in potentatibus,* idest in magnitudine potestatis tuae: *Ps. 67. Qui educit vinctos in fortitudine.* Et dicit, *Dexterae* , quia duplex est salus Dei. Una scilicet sinistra, qua salvat in temporalibus, bona temporanea largiendo: *Ps. 48. Homines et iumenta salvabis Domine.* Alia est salus dexterae, quae est aeternorum, qua salvat iustos, dona tribuendo : *Sap. 10. Reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Consequenter ponit experimentum virtutis. Et primo ponit diversitatem fiduciae et gloriae quae est in hominibus. Secundo ponit eventum utrorumque, ibi , *Ipsi obligati sunt.* Est enim duplex genus hominum. Quidam enim ponunt totam spem suam in potentia saeculari: contra quos dicitur *Hiere. 17. Maledictus homo , qui confidit in homine : Ps. 51. Videbunt iusti et irridebunt , et dicent* etc. Quidam ponunt spem in Deo: *Ps. 117. Bonum est sperare in Domino.* Et ideo dicit , *Hi in curribus, et hi in equis;* quasi dicat, Quidam confidunt in potentia saeculari , de quibus dicitur *Hi in curribus* etc. Vel refertur ad pugnam, vel ad triumphos, quia quidam pugnant in curribus , quidam in equis: *Exo. 15. Ingressus est Pharao cum curribus et equitibus.* Vel ad triumphos, et tunc non confidunt, sed gloriantur : quia secundum Glossam antiquitus erat duplex genus triumphi , unus maior, alter minor. Primus dicebatur laureatus, quia victor coronabatur lauro ; et hoc fiebat in curru. Secundus dicebatur ovatio ; et fiebat in equo; quasi dicat, Quidam gloriantur in magnis , quidam in equis , ut in ovatione. Ovo

ovas idem est, quod laetari, et est tractum a pueris qui laetantur quando datur eis ovum. Sed nos magis, idest gloriamur in nomine Domini. Triumphus dicitur a tris, quod est tres, et phonos, quod est sonus; quia triplex sonus revertentibus victoribus exhibebatur. Primo enim totus populus ei obviam exibat. Secundo omnes captivi sequebantur currum eius ligatis manibus. Tertio ipse indutus tunica Iovis sedebat in curru qui trahebatur quatuor equis albis; et sic ducebatur ad capitolium. Sed in curru ponebatur cum eo servus quidam, qui colaphizabat eum dicens, *Cognosce teipsum. Ipsi*

f Hic ponitur diversus eventus, quia est eventus malorum. Hieronymus habet, *Incurvati*, et tunc planum est, quod incurvatio est via ad casum, et sic potentia mundi paulatim deficit. Vel, *Obligati*, quia bona temporalia ligant, et maxime peccatores: *Sap. 14. Creaturae Dei factae sunt in odium et in muscipulam pedibus insipientium*, idest peccatorum. Unde dicit, *Et ceciderunt*, quia finaliter conterentur: *Isa. 8. Cadent, et conterentur; et irretientur, et capientur.* Item eventus potentiae cum dicit, *Nos autem surreximus* paulatim: *Micheae. 8. Cecidi, consurgam, cum in tenebris sedero, Dominus lux mea est. Et erecti sumus.* Sicut inclinatio est via ad casum, ita erectio, Via ad rectitudinem status. *Et hoc in sanctitate est. Domine*

g Ponitur conclusio totius istius Psalmi: qui quidem ad duo videtur tendere. Quia vel petit pro Christo vere, vel pro Christo figurative. Quantum ad primum dicit, *Domine salvum fac regem*, idest Christum. Vel pro David. Et sic deprecatur pro ipsis orantibus. *Exaudi nos in die qua invocaverimus te*: *Ps. 137. In quacumque die invocavero te, exaudi me.*

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XX.

Domine in virtute tua laetabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.

b Desiderium cordis eius tribuisti ei, et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

c Quoniam praevenisti eum in benedictionibus: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum, in saeculum, et in saeculum saeculi.

d Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi: laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

e Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.

f Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, et dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

g Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

h Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.

i Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire. Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.

k Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus et psallemus virtutes tuas.

## a PSAL. XX.

Supra in praecedenti Psalmo facta est petitio pro exaltatione regis; hic autem quasi exauditus praenunciat eam. Titulus, *In finem Psalmus David.* Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima praenunciat regis exaltationem. In secunda hostium deiectionem, ibi, *Inveniatur.* Circa primum tria facit. Primo pronunciat regis gaudium. Secundo ponit causam gaudii, ibi, *Desiderium.* Et tertio meritum causae, ibi, *Quoniam rex sperat in Domino.* Hic Psalmus exponitur de Christo qui est rex, et de David qui fuit eius figura; et ideo de utroque potest exponi, de Christo secundum veritatem, de David secundum figuram. Est ergo duplex gaudium: unum de Deo; aliud de Dei beneficio. Quantum ad primum dicit, O, *Domine*, Deus pater, *Rex*, idest Christus, *Laetabitur in virtute tua*, idest tuae divinitati: *Psal. 17. Deus iudicium tuum regi da.* Et tunc laetatus est, quando vicit diabolum, et mortem morte sua; et quando fecit miracula, quando ascendit in caelum: *Ps. 46. Ascendit Deus in iubilo: Isa. 55. Regnabit rex et sapiens erit* etc. *1. Cor. 1. Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Similiter si dicatur de David. O, *Domine*, *Deus Rex*, scilicet David et alii sancti, *Laetabuntur in virtute tua: Cant. 1. Laetabimur et exultabimus in te: memores uberum tuorum.* Quantum ad secundum dicit, *Et super salutare tuum* etc. idest super adeptionem salutis per te factae. Praecipue Christus exultabit per hoc, quod per eum salvas genus humanum: *Luc. 1. Ipse salvum faciet populum suum. Desiderium*

b Hic ponitur causa gaudii, quae est impletio desiderii: *Prov. 13. Desiderium si compleatur, delectat animam.* Sicut se habet desiderium ad gaudium, sic motus ad quietem, ad quam per motum pervenitur. Unde primo ponitur impletio desiderii. Secundo ponitur in quibus desiderium implevit, ibi, *Quoniam praevenisti.* Est autem duplex desiderium: unum quod est tantum in corde, aliud quod exprimitur ore: et utrumque impletur, quia Deus antequam oretur, exaudit. Quantum ad primum dicit, *Desiderium cordis eius tribuisti ei: Luc. 22. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum:* et dicitur de quolibet viro iusto. Quantum ad secundum dicit, *Et voluntate labiorum eius*, idest quam expressit per labia: *Non fraudasti eum*, quia exaudisti eum: *Heb. 5. Exauditus est pro sua reverentia: Is. 46. Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea implebitur. Quoniam*

c Hic ponit in quibus impletur desiderium. Et primo dicit de impletione desiderii cordis. Secundo de impletione desiderii orationis, quod idem est quod

desiderium labiorum, ibi, *Vitam*. Est autem duplex beneficium; et ideo primo ponit beneficium spirituale interius, quod est beneficium dulcedinis; et quantum ad hoc dicit, *Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Unde dicere est bonum dicere; et dicere Dei est eius facere. Unde in benedictione Dei intelligitur infusio bonitatis: *Gen. 26. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum* etc. Et *17. Benedicam ei, et multiplicabo eum, et augebo eum valde*. Haec ergo benedictio est dulcis: *Sap. 12. O quam bonus et suavis est spiritus tuus in nobis*. Ergo, *In benedictionibus dulcedinis*, idest in bonis gratiae, et in immunitate a peccatis, *Praevenisti eum*, idest Christum, tempore: quia a principio conceptionis fuit plenus omni gratia: *Io. 1. Vidimus eum plenum gratia et veritate, quasi unigenitum a Patre:* quia quam cito conceptus fuit, fuit unitus divinae naturae; et tam cito fuit plenus gratia. Item, *Praevenisti eum*, quantitate: quia prae omnibus aliis gratiam accepit, et non ad mensuram. Sancti etiam dicuntur praeveniri: *Io. 4. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: Sap. 6. Praeoccupat eos qui se concupiscunt*. Et sic in figura Christi David speciali gratia praeventus est: quia unctus fuit in regem, cum adhuc esset puer, antequam ipse cogitaret de regno. Beneficium exterius ostendit dicens, *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Si haec referuntur ad Christum, tunc est sensus, *Posuisti in capite eius coronam de lapide* etc. idest fecisti eum regem. Corona autem est signum regiae dignitatis: quia, ut dicitur *Isa. 33. Regem in decore suo videbunt: Cant. 3. Egredimini filiae Syon, et videte regem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, idest divinitus, propter hoc dicit, *De lapide pretioso*, idest de divinitate: quia regnum suum non est de hoc mundo, *Io. 18. Hier. De auro obrizo*, idest purissimo: *Apoc. 6. Data est ei corona*. Vel corona de lapide pretioso sunt Apostoli: qui dicuntur lapides pretiosi propter pretiositatem doctrinae: *Apoc. 12. In capite eius*, scilicet Christi, *corona stellarum duodecim: Eccl. 15. Corona senum multa peritia*. Unde caetus apostolorum est quasi corona Christi. Vel, *posuisti in capite eius coronam*, idest ecclesiam: *Prov. 12. Mulier*, idest ecclesia, *diligens corona est viro suo*, idest Christo. Vel potest dici hoc de quolibet sancto: quia corona, sive merces, est ipse Deus: *Isa. 18. In die illa erit Dominus corona gloriae. De lapide*, propter soliditatem: *Pretioso*, quia David ad literam ab ipso Deo coronatus est. Consequenter ostendit, quomodo impletur petitio labiorum eius: unde dicit, *Vitam petiit a te*, quando petiit a te resurrectionem: *Ps. 40. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis*. Et hoc datum est ei: *Ps. 2. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem: Luc. 11. Omnis qui petit accipit*. Similiter etiam quilibet sanctus petit hoc, scilicet vitam aeternam: *Ps. 26. Unam petii a Domino, hanc requiram* etc. et David similiter hoc petit. Secundo ostenditur quomodo impletur petitio quoad alios; unde dicit, *Tribuisti ei* etc. Petiit quod corpus eius, scilicet ecclesiae, servetur in *Longitudinem dierum*, Et hoc ei tribuit Deus *Matt. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Hoc etiam petebat David *2. Reg. 7.* Insuper locutus est de domo servi sui in longinquum. *Magna*

d Hic ponitur consummatio bonorum: et circa hoc duo facit. Primo ponit magnificationem istius regis praeventi, in quo inchoata est benedictio. Secundo exponit magnitudinem, ibi, *Gloriam et magnum decorem*. Dico quod, *Praevenisti eum* etc. sed adhuc plus: quia, *Gloria eius*, scilicet Christi et hominis est, *Magna in salutari tuo*, idest in Verbo cui unita est natura humana. Vel, *Magna est gloria eius*, apud homines: et hoc, *In salutari tuo*, quia suscitasti eum: *Hebr. 5. In diebus carnis suae preces supplicationesque* etc. Vel, *Magna est gloria eius in salutari tuo*, idest in auxilio tuo: in quo institutum est, ut habeat magnam gloriam; et hanc exponit quantum ad tria. Primo per comparationem ad seipsum: ideo dicit, *Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum*, qui quidem decor impositus est super Christum in sua resurrectione, et gloria in aliorum admiratione. Vel ut accipiatur pro eodem, *Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum: Iob 40. Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus*. Secundo in comparatione ad alios; unde dicit, *Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi*, quia per ipsum derivata est benedictio in omnes alios: *Gen. 12. In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Tertio in comparatione ad Deum; unde dicit, *Laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, idest laetificat Christum hominem laetitia sempiterna: *Et in vultu tuo*, idest in visione vultus tui: *Ps. 15. Adimplebis me laetitia cum vultu tuo*. Vel gloriam imposuit super eum, quando sanctis suis dedit facere miracula, et hoc super Christum, quia totum ad gloriam Christi factum est, scilicet quod benedixit eis, et quod perduxit eos ad visionem suam: *Isa. 66. Videbitis, et gaudebit cor vestrum: Io. 16. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Quoniam*

e Supra Psalmista nunciavit regis Christi exaltationem; hic autem meritum huius declarat, et hoc meritum est, quia Christus secundum quod homo, et quilibet iustus non ponit nisi in Deo spem suam: *Hiere. 17. Benedictus vir qui sperat in Domino, et erit Dominus fiducia eius*. Et ideo quia speravit in Domino, *Non commovebitur: Psal. 124. Qui confidunt in Domino* etc. Quia spes in Deo est firmamentum: *1. Mach. 2. Omnes qui sperant in eo, non infirmantur*. Ideo haec comparatur anchorae. Sed notandum, quod tria sunt quae debent movere ad sperandum in Domino. Primo divina providentia. Homo non consuevit sperare in illis ad quos sui cura non pertinet. Ad Deum autem pertinet cura nostra; ideo dicit, *Sperat in Domino*, cuius est gubernare. Secundum est misericordia: *Luc. 1. Misericordia eius a progenie in progenies*. Tertium est potestas; et ideo dicit, *Altissimi: Ps. 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi. Inveniatur*

f Supra praenunciavit Psalmista regis exaltationem; hic autem agit de hostium deiectione: et circa hoc duo facit. Primo ponit hostium deiectionem. Secundo infert conclusionem, ibi, *Exaltare*. Circa primum duo facit. Primo proponit poenam hostium. Secundo culpam, ibi, *Quoniam* etc. Circa primum duo facit. Primo ponit inflictionem poenae. Secundo ipsam poenam,

ibi, *Pones* etc. Inflictor poenae est manus Dei; unde dicit, *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Hieronymus habet, *Inveniat manus dexterae Dei inimicos odiens;* sed hoc videtur repetitio Psalmistae, quia idem est manus et dextera Dei, et inimicus et odiens. Et consuetum est in ipsa. Vel si distinguitur, omnis dextera eius est manus; sed non omnis manus dextera. Per manus ergo Dei intelligitur potentia Dei operativa: et haec est quaedam dextera qua exaltat bonos in spiritualibus bonis: *Prov. 3. Longitudo dierum in dextera eius.* Sinistra est, qua punit malos, et largitur temporalia. Ibidem: *In sinistra illius divitiae.* Dicit ergo, *Manus*, idest potentia, *Inveniatur*, idest tradet ad votum: *Omnes inimicos: Is. 9. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Et *Dextera*, quia hoc quod Deus punit malos, pertinet ad dexteram, inquantum talis punitio ordinatur ad salutem electorum. Sic ergo inquantum punit malos, dicitur manus; et inquantum ordinatur ad bonum iustorum, dicitur dextera. Vel *Dextera* est Christus et manus; unde, *Manus tua*, idest Christus: *Inveniatur*, idest cognoscatur in bonum ab his qui sunt amici tui, scilicet gentibus, *Ro. 9. Isa. 45. Invenerunt me qui non quaesierunt me.* Vel in malum *Inveniatur* etc. idest cognoscatur: *Ab inimicis tuis*, idest Iudaeis in iudicio, cum venerit ad iudicium: *Luc. 21. Videbunt filium hominis venientem* etc. *Et dextera tua*, idest filius tuus, *Inveniat*, idest puniat, *Omnes qui te oderunt. Pones*

g Hic ponitur poena hostium. Et primo quantum ad mala eis inflicta. Secundo quantum ad bona eis sublata, ibi, *Fructum.* Ponit autem triplicem ordinem poenae: et si referatur ad mysterium patet, quia in futuro iudicio erunt tria. Primo erit ignis incendens superficiem mundi: *Ps. 96. Inflammabit in circuitu eius:* ideo dicit, *Pones eos ut clibanum ignis*, scilicet, *in tempore vultus tui*, idest Christi, quo tempore apparebit ad iudicium: *Ps. 16. De vultu tuo iudicium meum prodeat* etc. et dicit *Ut clibanus*, quasi undique igne oppressi: *Matth. 6. Sicut foenum quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.* Vel *Ut clibanus*, idest in se ignem continet; et per hunc intelligitur ignis quem mali patientur interius pravae cupiditatis et iracundiae. Bona affectio est bonus ignis: *Thre. 1. De excelso misit ignem in ossibus meis* etc. Mala affectio est malus ignis: *Ps. 57. Supercecidit ignis, et non viderunt solem*, idest semper ardent in conscientia impietatis suae: *Osee 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.* Adulterantes omnes sunt, quicumque aliis quam Deo se coniungunt inordinate. Coquens est diabolus, qui malas cogitationes ministrat: sicut coquens ministrat ligna: *Thre. ult. Pellis nostra velut clibanus exusta est a facie tempestatum famis.* Et hoc, *Tempore vultus tui*, idest in tempore manifestationis tuae ad iudicium. Secundo ponitur disceptatio iudicii: in qua improperabit impiis peccata, et proferet sententiam damnationis, sive vocaliter, sive mentaliter. Et ideo *Dominus in ira sua conturbabit eos*, idest turbationem inducet tristitiae de malis illatis, et de bonis sublatis. Tertio ab igne involventur: unde, *Et devorabit eos ignis: Iob 20. Devorabit eos ignis, qui non succendetur*, scilicet humano flatu; sed succendetur virtute divina: unde Hieronymus habet, *Deiecisti eos.* Haec omnia possunt satis David convenire. *Fructum*

h Hic ponitur privatio bonorum. Bona quae habent homines in hoc mundo, quaedam sunt quibus cupiunt homines in hac vita frui, et quidam desiderant dimittere post se: et utraque perdent. Et ideo quantum ad primum dicit, *Fructum eorum de terra perdes*, quo frui quaerebant: *Sap. 3. Vana est spes* etc. *Ro. 6. Quem fructum* etc. Quantum ad secundum dicit, *Semen eorum*, scilicet peribit, *A filiis hominum*, scilicet a societate sanctorum: *Isa. 14. Perdam Babylonem* etc. et hoc ideo accidit, quia, ut dicitur *Eccl. 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet: Sap. 3. Nationes enim iniquae dirae sunt consummationis. Quoniam*

i Hic ponitur culpa peccatorum, et describitur quantum ad duo. Primo quantum ad conatum operis; et quantum ad hoc dicit hic, *Quoniam declinaverunt* etc. quia licet non possint facere, tamen conantur quantum possunt mala inferre: *Ps. 34. Retribuebant mala mihi.* Vel, *Declinaverunt*, quia mala eis imminentia volunt aliis inferre. Imminebat enim duplex malum Iudaeis, scilicet malum poenae: et hoc in Christum retorquere conati sunt, quando ne Romani auferrent dominium occiderunt Christum. Secundo imminebat eis malum culpae: *Io. 8. Vos ex patre diabolo estis*, et hoc torquebant in Christum quando dicebant *Io. 8. Nonne bene dicimus* etc. Ipsi daemoniaci erant, et Christo peccatum imponebant. Secundo describitur culpa Iudaeorum sive peccatorum quantum ad conatum cogitationis; unde dicit, *Cogitaverunt consilia* etc. idest cogitaverunt ut fidem eius destruerent: *Hier. 2. Cogitaverunt consilium* etc. De hoc ligno dicitur *Sap. 14. Benedictum est lignum per quod fit iustitia:* sed non stabilierunt, idest non potuerunt perficere cogitatum: *Isa. 8. Inite consilium, et dissipabitur* etc. quare? quia non est consilium contra Dominum. Et rationem huius dicti assignat, quare non stabilierunt consilium contra dicentes, *Dorsum.* Litera Hieronymi planior est, *Quoniam pones eos humerum finium tuorum firmamentum contra faciem eorum.* Dupliciter contingit quod hostes contra aliquem consilia non stabiliunt. Uno modo, si ab eo vincantur. Alio modo, si fines hostium sint firmati; et ideo dicit, *Non potest* etc. idest fugient ante te. Item *finium tuorum firmamentum contra eorum faciem.* Hoc spiritualiter intelligitur de Christo, cuius nullus non potuit irrumpere fines: *Io. 10. Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et in litera nostra habetur, *In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum*, idest contra vultum eorum secundum Glossam. Supra Psalmista posuit poenam malorum futuram; hic autem poenam eorum praesentem. Et est duplex poena spiritualis, quae est in anima, scilicet secundum aversionem a Deo, et secundum conversionem ad malum. Quantum ad primum dicit, tu secundum tuam providentiam, *Ponis eos dorsum.* Quantum ad secundum dicit, *In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.* Et hoc multipliciter exponitur, secundum Glossam. Uno modo de his quae Christus reliquit, scilicet temporalia quae contempsit: *Io. 18. Regnum meum non est de hoc mundo:* quia in cupiditate rerum temporalium relinques vultum eorum, idest praeparabis intentionem eorum, ut propter hoc occident Christum, sicut cum dixerunt, *Ne for-*

*te veniant Romani* etc. Vel *in reliquiis eorum*, idest gentibus quas relinquis convertendas: *Ro. 15. In eum gentes sperabunt. Praeparabis vultum eorum*, idest cognitionem tuam, quae est eorum, idest Iudaeorum, idest eis promissam. Vel reliquiae Christi extrema vitae eius dicuntur, idest passio et mors eius; et in istis fuit praeparata mala eorum intentio ad eius passionem. Vel praeparationem vultus in bonum, idest in reliquiis Iudaeorum qui convertentur: *Isa. 10. Reliquiae salvae fient.* Et licet ponantur ut dorsum modo, tamen reliquiae convertentur et cognoscent. *Exaltate*

k Hic ponitur conclusio. Et primo petit id quod est ex parte Dei. Secundo promittit id, quod ex parte nostra. Dicit ergo, *Exaltare Domine in virtute tua*, ut scilicet in ea rex laetetur: *Isa. 26. Exaltetur manus tua ut non videant, et confundantur.* Tamen secundum mysterium. *Exaltare*, Christe in resurrectione, quae erit, *In virtute tua: Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam*, per resurrectionem et ascensionem. *Exaltare*, quae erit in virtute tua: *Isa. 63. Gradiens in multitudine virtutis suae.* Et nos, *Cantabimus*, scilicet interius: *Et psallemus*, exterius, *virtutes tuas.* Vel cantabimus, idest praedicabimus et annunciabimus excellentiam potestatis tuae: *1. Pet. 2. Ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

*In finem pro assumptione.*

## a PSAL. XXI.

Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

b Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.

c Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

d In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.

e Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

f Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

g Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae, in te proiectus sum ex utero.

h De ventre matris meae Deus meus es tu: ne discesseris a me.

i Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet.

k Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

l Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam caera liquescens in medio ventris mei.

m Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.

n Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

o Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

p Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

q Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.

r Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

s Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te.

t Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel.

v Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. Nec avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

x Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

y Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.

z Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae. Et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium.

et Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

ç Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

ꝑ Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.

aa Annuntiabitur Domino generatio ventura; et annunciabunt caeli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

## a PSAL. XXI.

In praecedentibus prius videtur esse actum de tribulatione, quam sustinuit David a filio, et a Saule; hic autem in tertia decade agitur de persecutione quam passus est a toto populo, qui eum abiecit ad mandatum Saulis. Dividitur ergo Psalmus iste in tres partes. In prima narratur tribulatio. In secunda funditur oratio ad Deum pro liberatione. In tertia ponitur gratiarum actio. Secunda incipit Psalmus *24. Ad te Domine levavi.* Tertia ibi, *Afferte Domino.* Circa primum duo facit. Primo exponit tribulationem. Secundo ostendit quomodo a Deo iuvatur in tribulatione, ibi, *Dominus regnavit me.* Sicut supra dictum est, sicut in aliis prophetiis, ita hic agitur de aliquibus

tunc praesentibus, inquantum erant figura Christi et quae ad ipsam prophetiam pertinebant. Et ideo quandoque ponuntur aliqua quae ad Christum pertinent, quae excedunt quasi virtutem historiarum. Et inter alia spiritualiter iste Psalmus agit de passione Christi. Et ideo hic est eius sensus literalis. Unde specialiter hunc Psalmum in passione dixit cum clamavit, *Hely hely lamasabacthani:* quod idem est quod Deus Deus meus, sicut Psalmus incipit. Et ideo licet figuraliter hic Psalmus dicatur de David, tamen specialiter ad literam refertur ad Christum. Et in synodo Toletana quidam Theodorus Mopsuestenus, qui hunc ad literam de David exponebat, fuit damnatus, et propter hoc et propter alia multa; et ideo de Christo exponendus est. Sciendum est autem quod quandoque prius agitur de passione Christi prolixe: quorum iste Psalmus primus est. Alii enim brevius tangunt passionem Christi. Secundus est, *Iudica Domine nocentes me.* Tertius est, *Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam.* Quartus, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae.* Quintus, *Deus laudem meam ne tacueris.* Et hoc propter quinque plagas Christi: vel propter quinque effusiones sanguinis. Et unus est modus procedendi in omnibus, quia incipiunt a gemitu, et terminantur in salutem populorum: quia ex passione facta est salus omnibus hominibus. Titulus Hieronymi est *Victori pro Cervo matutino.* In nostra litera, *Victori pro assumptione utiliter pro Cerva matutina.* In hoc psalmo principaliter agitur de passione Christi. Secundo tangitur in eo de resurrectione: quia per eam datur intelligi passio, et passio ordinatur ad resurrectionem; sicut si dicam, Iste est manumissus, ostendit quod fuit servus. Ergo iste psalmus est David, idest Christi. Et est pro assumptione, idest resurrectione, et haec fuit matutina; unde, *Pro serva*, idest pro humana natura, Vel *pro servo matutino*, idest Christo: *Ps. 107. Exurgam diluculo.* Hic autem titulus est quando David ibat profugus, et latebat in desertis sicut cervus. Unde supra dixit, *Et posuit pedes meos tanquam cervorum.* Unde pro ista tribulatione quae figurabat passionem Christi, intitulatur iste psalmus. Hoc modo tamen melius refertur ad Christum, ut per cervum intelligatur humana natura in Christo, quia cervus transit spineta sine laesione pedum, sic Christus transivit per istam vitam praesentem sine inquinatione. Item cervus optime salit: sic Christus de fovea mortis ascendit ad gloriam resurrectionis. Et ideo cervus dicitur, et matutinus dicitur, quia tunc surrexit. Psalmus iste dividitur in tres partes. In prima ponitur conquaestio. In secunda narratio passionis, ibi, *Ego autem sum vermis.* In tertia ponitur liberationis petitio, ibi, *Tu autem Domine ne elongaveris.* Circa primum tria facit. Primo ponitur conquaestio sive quaestio. Secundo ponitur expositio conquaestionis, ibi, *Longe a salute.* Tertio ponitur ratio conquaerendi, ibi, *Tu autem in Sancto habitas.* Haec est translatio septuaginta. In Graeco autem, et in Hebraeo non est, *Respice in me;* sic habetur sic, *Deus Deus meus quare me dereliquisti*, quia haec verba dixit Christus in cruce: sed, *Respice*, interpositum est. Ponitur ergo petitio cum dicit, *Deus Deus meus.* Repetitur autem bis Deus ad maiorem certitudinem: *Gen. 41. Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinens, indicium est firmitatis. Respice in me*, idest miserere mei: *Ps. 42. Respice in me, et miserere mei, quia unicus* etc. *Quare me dereliquisti.* Haec fuerunt verba Christi in cruce. Ex his autem verbis Arius occasionem sumpsit erroris, scilicet quod in morte Christi separata est divinitas ab humanitate. Unde de hoc secundum eum conqueritur Dominus, dicens, *Quare me dereliquisti.* Sed hoc erroneum est. Est autem sciendum, quod aliquis dicitur derelictus a Deo quando non adest ei Deus, sicut videtur adesse quando protegit eum, et implet eius petitionem: *Hier. 20. Dominus Deus mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent et infimi erunt.* Et quia Christus non est liberatus a passione corporali cum esset in passione, secundum hoc dicitur ad horam dereliquisti, idest passioni expositus: *Ro. 8. Proprio filio suo non pepercit* etc. Item illa petitio, *Pater si fieri potest transeat a me calix iste*, ut dicitur *Mat. 26.* non videtur impleta, quia erat secundum carnem: *Isa. 54. Ad punctum et in modico dereliqui te*, idest passioni te exposui; *Et in miserationibus magnis congregabo te*, scilicet in resurrectione. Et ideo dicit, *Quare me dereliquisti*, idest passioni me exposuisti. *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Hic exponitur conquaestio sive quaestio. Et primo in generali. Secundo in speciali, ibi, *Deus meus clamabo.* Dicit ergo, *Dereliquisti me.* Et hoc, quia *Longe sunt verba delictorum meorum a salute mea*, mei veri hominis, inquantum habeo humanam naturam: *Ps. 18. Longe est a peccatoribus salus.* Et haec verba, scilicet, *Dereliquisti, et longe, et quare*, non videntur esse hominis iusti sive iustitiae, sed videntur esse, *Verba delictorum meorum*, scilicet hominis peccatoris, idest ostendunt me non esse iustum, sed peccatorem, Unde haec verba dixit Christus in persona peccatoris, sive ecclesiae. Et haec est una de regulis supra in principio psalterii positis, quod ea quae pertinent ad membra, dicit Christus de se propter hoc, quia sunt sicut unum corpus mysticum Christus et ecclesia; et ideo loquuntur sicut una persona, et Christus transformat se in ecclesiam, et ecclesia in Christum: *Ro. 12. Multi unum corpus sumus in Christo.* In membris autem Christi, idest ecclesia, sunt delicta sive peccata. In capite vero, idest in Christo, nullum est delictum, sed similitudo delicti: *Ro. 8. Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum: 2. Cor. 5. Eum qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in Christo.* Christus autem imminente passione oravit, *Pater si fieri potest* etc. Sed haec verba Christi orantis possunt dupliciter exponi. Uno modo ut Christus ea protulerit quasi gerens infirmorum personam, qui sunt in ecclesia: quia futurum erat ut aliqua membra sua debilia quando immineret eis passio formidarent. Alio modo quod protulit hanc petitionem gerens officium carnis infirmae in Christo, quae naturaliter timet et fugit mortem. Quod petit ergo liberari, fuit verbum vel membrorum in quibus delictum invenitur, vel carnis Christi in qua est similitudo delicti sive peccati: et ideo dicit, *Verba*, quibus petit liberari, quae sunt, *Delictorum meorum*, idest fidelium, pro quorum delictis pa-

tior ; vel sunt infirmae carnis quae habet similitudinem delicti: longe a salute corporali, quia calix, sive passio, non transit a me ut petii ; quasi dicat, Non consequor salutem quam intendo, si petitio mea quam peto, exaudiretur. Pater transeat a me calix iste. Et ideo litera Hieronymi habet, *Longe a salute mea verba gemitus mei.* Aliter exponit Augustinus *in lib. de gratia novi testamenti: Haec verba quibus peto liberari a passione et conqueror quod sum derelictus passioni , sunt longe a salute mea quae secundum quod Deus debeo facere: Matt. 1. Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et assignat rationem quare sit derelictus: est enim duplex salus, una corporalis , quae est communis hominibus et iumentis : *Ps. 35. Homines et iumenta salvabis Domine.* Alia spiritualis et aeterna; et haec est propria Christi: unde dicit, *Mea,* quia salus novi testamenti est per Christum facta : *Isa. 45. Israel salvatus est in Domino salute aeterna.* Et haec differunt : quia prima quaerebatur in veteri testamento ; secunda quaeritur in novo. Quare ergo derelictus est passibilis , quia ipse venit in novo testamento. Et haec verba quae hic dixit, *Longe a salute mea,* spirituali , quia sunt pro corporali salute. *Longe.* Christus loquitur in persona peccatorum, qui quandoque propter peccata derelinquuntur a Deo: unde dicit, *Verba delictorum meorum,* idest peccatorum sunt, *Longe a salute,* spirituali: quia haec est causa quare peccatores salvantur, quia sunt peccatores: *Io. 9. Peccatores Deus non audit.* Vel secundum Augustinum loquitur , *A me,* quasi derelinquendo me, fecisti me longe a salute mea, idest corporali: et haec verba sunt delictorum meorum, *Deus*

b Haec in speciali prosequuntur. Per diem et noctem duo intelligere possumus. Uno modo ad literam diem et noctem temporalem: et sic clamare est clamare assidue; unde dicit, *Non exaudies;* quasi dicat, Quamvis assidue clamem, non sum tamen exauditus. Litera Hieronymi habet , *Et nocte et non est silentium mihi* , quasi non sileo die et nocte orare. Alio modo , ut per diem intelligatur prosperitas , et per noctem adversitas. Et secundum Augustinum verba quae pro salute corporali dicuntur , fiunt per diem pro prosperis, per noctem, ut tollatur adversitas. Ergo Christus clamabat per diem , quando est in prosperitate, et non exauditur, quia petit ut non pereat: et per noctem, ut tollatur adversitas, et non tollitur. Sed contra dicitur de Christo quod *Exauditus est* etc. Et dicendum , quod oratio est actus rationis : unde omnis oratio Christi procedens ex rationis iudicio est exaudita. Secus est de oratione exprimente infirmitatem naturae passibilis et proprium motum membrorum, quia nec ipse voluit eam exaudiri: *Io. 12. Nunc anima mea turbata est, et quid dicam, Pater* etc. Et quare non est exauditus in prosperis et adversis , ostendit, *Et non ad insipientiam mihi,* quia haec petitio non pertinet ad salutem novi testamenti , quam ego intendo, quae est salus aeterna , sed pertinet ad salutem veteris testamenti. Ut ergo hanc sapientiam discas , scias quod salus temporalis non pertinet ad novum testamentum, sed ad vetus. Haec est sapientia quae stultitia est apud homines: *1. Corin. 4. Nos stulti propter Christum*: *1. Cor. 1. Nonne Deus stultam fecit sapientiam huius mundi* etc. *Tu autem*

c Supra posita est quaestio Christi inquirentis causam passionis suae; hic autem ostendit quod huiusmodi quaestio est rationabilis, et rationabile est quod est derelictus. Et primo dicit hoc esse mirabile ex parte Dei. Secundo ostendit hoc experimento antiquo , ibi, *In te speraverunt.* Hoc quod hic dicitur , dupliciter refertur ad praedicta, secundum tres expositiones. Una est , quia est longe a salute temporali , et sic facta est ista divisio. Unde illud est mirabile ex parte Dei propter duo. Primum est, cum Deus in sanctis habitet, et non defendat eos: *Iudith 6. Si Dominus nobiscum est , cur haec mala omnia apprehenderunt nos ? Ubi sunt mirabilia eius quae patres nostri narraverunt nobis?* Et ideo dicit, *Tu autem in sancto habitas: Hierem. 14. Tu in nobis es Domine,* sed specialiter habitat in Christo. Alia ratio est, quia quicquid boni habemus , totum est in laudem Dei. Et ideo si nobis est bene, melius a nobis laudatur Deus. Et ideo sequitur , *Laus Israel: Hierem. 17. Sana me Domine, et sanabor, salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es.* Secundum aliam expositionem, *Quare me dereliquisti,* ideo scilicet quia, *Verba delictorum meorum sunt longe a salute mea* , spiritualiter : sed ego clamo pro temporali, tu vero qui habitas in sancto, ut sit, *Laus Israel,* non exaudies, quia non exaudis quando quis non clamat pro spirituali salute. Vel secundum tertiam expositionem, ut loquatur Christus in persona peccatoris; quasi dicat, Ideo es longe a salute mea, quia non habitas in peccatoribus; sed in sancto. *In te*

d Hic ponitur alia ratio quae sumitur ex antiqua consuetudine et experimento quo sancti patres liberabantur a tribulationibus invocantes Deum , sicut patet *Exo. 14.* quod liberati sunt de persecutione Aegyptiorum , de Susanna quae liberata est ab iniqua sententia senum , *Dan. 13.* Daniel liberatus de ore sive de lacu leonum , *Dan. 15.* Quomodo ergo sum derelictus a te, et non sum liberatus a passione. Duo ergo facit circa hoc. Primo facit mentionem de malo corporalis afflictionis. Secundo de malo confusionis. Quantum ergo ad liberationem primi mali duo faciebant. Primo sperabant in eum; unde dicit, *In te,* non in mundo: *Speraverunt patres nostri: Isa. 26. Sperasti in Domino in saeculis aeternis , in Domino Deo forti in perpetuum* etc. *Et liberasti eos,* et iste est fructus spei, quia liberasti eos. Secundo clamabant ; unde dicit, *Ad te clamaverunt* , ex magna cordis affectione: *Et salvi facti sunt: Psal. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi* etc. Quantum ad secundum malum, scilicet confusionem, dicit, *In te speraverunt, et non sunt confusi.* Sed contra *Dan. 13. Non est confusio confidentibus in te: Rom. 5. Spes non confundit.* Dicendum quod patres pertinebant ad vetus testamentum in quo temporalia dabantur : et ideo ut ostendat quod divina providentia temporalia etiam disponat , liberat eos etiam temporali liberatione. Sed Christus promittit et donat spiritualia; et ut ostendat contemnenda temporalia , et speranda aeterna, noluit temporalem liberationem secundum rationem , et tamen aliqui in novo testamento sunt temporalibus liberationibus liberati , et in veteri testamento aliqui sunt spiritualibus afflictionibus eruditi, ut ostendatur Deus auctor esse utriusque testamenti. *Ego autem*

e Hic ponit passionem suam. Et primo proponit confusionem suam quam passus est. Secundo exponit eam, ibi, *Omnes videntes me.* Tertio causam eius assignat, ibi, *Quoniam tu es.* Prima pars dupliciter potest legi. Uno modo, ut primo proponat similitudinem confusionis. Secundo ut exponat opprobrium. Dicit ergo, Illi sunt liberati, ego autem non sum liberatus a confusione; sed sic viliter conculcatus ac si essem vermis et non homo: *Iob 25. Homo putredo, et filius hominis vermis: Thren. 3. Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.* Et quomodo exponit, *Opprobrium hominum, et abiectio plebis: Matt. 25. Praetereuntes blasphemabant eum, Vah qui destruis templum. Et qui crucifixi erant conviciabantur ei, Alios salvos fecit.* Et *Ioa. 19. Plectentes coronam de spinis* etc. et ideo, *Opprobrium factus sum hominum*, in verbis eorum, ut dictum est, *Et abiectio plebis*, quia spreverunt eum, et quia abiecto eo petierunt Barabbam, *Mat. 27. Thren. 3. Abiectionem posuisti me in medio populorum.* Secundo modo ut pertineat ad Christi dignitatem: vermis enim non generatur ex coitu, sed ex terra solo calore solis caelestis. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, ut dicitur *2. Reg. 23.* sic Christus ex virgine sola operatione Spiritus sancti: *Ps. 84. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Ideo dicit, *Ego autem sum vermis et non homo*, scilicet tantum, sed etiam Deus. Vel aliter secundum Augustinum. Per hominem intelligitur homo vetus, scilicet Adam, qui sic fuit homo quod non filius hominis. Per vermem intelligitur Christus, qui sic fuit homo quod filius hominis, idest virginis: ideo dicit, *Sum vermis et non homo*, scilicet gaudens temporalibus, sed filius hominis gaudens spiritualibus. *Abiectio plebis.* Hic non mutatur. Consequenter ponit derisionem: et primo ostendit quomodo sit universalis; secundo ostendit quomodo sit multiplex. Quod sit universalis, ostendit cum dicit, *Omnes videntes me deriserunt me: Hier. 20. Tota die omnes subsannabant mihi: quia populi et principes*: et haec distributio, *Omnes*, pro toto populo intelligitur, scilicet malo. Quod illusio fuerit multiplex ostendit, quia verbis; unde dicit quia, *Locuti sunt labiis: Matth. 27. Praetereuntes blasphemabant eum: Isa. 57. Super quem lusistis, et super quem dilatastis os, et eiecistis linguam: Sap. 2. Si verus filius Dei est, suscipiet illum.* Item factis, *Et moverunt caput: Matth. 27. Moventes capita sua*, scilicet prae derisu, *dicentes*, *alios salvos fecit* etc. *Speravit*

f Ostendit quae sint illa verba quae in eius confusionem loquebantur: quia primo improperabant sibi spem quam habebant de Deo; unde dicit, *Speravit in Domino, eripiat eum: Matth. 27. Confidit in Deo, liberet eum si vult;* quasi dicat, Si sperasset in Domino, liberasset eum, quia dictum est supra statim, *Quia speraverunt in te patres nostri, et liberasti eos.* Sed decipiuntur: quia non intelligitur de salute, sive de liberatione temporali. Secundo improperant Christo, quod non sit Deo acceptus; unde dicit, *Salvum faciat eum quoniam vult eum: Sap. 3. Filium Dei se nominat. Quoniam*

g Consequenter ponitur causa confusionis; et circa hoc duo facit. Primo ponit causam. Secundo prorumpit in orationem, *Ne discesseris.* Causa irrisionis consuevit esse stultitia. Unde temporales reputant bonos homines stultos, quia non confidunt de mundo: *Ps. 13. Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.* In hac causa duo facit. Primo ponit divinum beneficium motivum ad sperandum. Secundo ipsam spem, ibi, *Spes mea;* quasi dicat, Derident me, quia spes mea est in te; et ideo dicit, *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre matris meae.* Hic ponit primo quae pertinent ad caput. Quaecumque nascuntur naturaliter ex utero matris, virtute divina producuntur, et ipsa est omnium causa: *Gal. 1. Qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam.* Sed singulariter dicit Christum abstractum ex utero matris, quia mirabiliter conceptus est, et sine semine natus servata matris integritate: hoc est beneficium, et ex hoc sequitur spes: et circa hoc tria ponit. Primo ipsam spem. Secundo eius perfectionem. Tertio eius rationem. Dicit ergo, *Spes mea ad uberibus matris meae*, idest tu es spes mea ex quo homo sum et suxi ubera matris meae: quia cum erat Verbum apud Deum, non conveniebat ei sperare: *Ps. 78. Spes mea a iuventute mea.* Sed contra Christus ab instanti conceptionis habuit usum liberi arbitrii, ergo ex tunc speravit. Respondeo. Dicendum quod ubera, idest lac Verbo in eodem tempore praeparatum fuit, quo fuit conceptus: unde ubera ad ipsam conceptionem referuntur. *In te proiectus sum ex utero.* Contra. Si postquam egressus est ex utero, proiectus est in Deum, ergo antequam exiret uterum, non fuit proiectus in Deum. Dicendum, quod ille proiicitur in alterum, qui non in se, sed ei innititur: *1. Pet. 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum:* unde, *Proiectus sum ex utero*, quia tibi soli innitor. Et sic describitur perfectio spei. *De ventre*

h Hic ponitur ratio spei; quasi dicat, In te speravi, quia te habui semper ut Deum: *Psalm. 27. In Deo speravit cor meum, et adiutus sum;* et ideo dicit *Tu es Deus meus de ventre matris meae*, idest ex quo factus sum homo, quia ante non erat Dei filius homo. Sed si exponatur de membris Christi, proiectio sive extractio est de uno in aliud secundum carnem, Christus autem semper tendebat in Deum: sed loquitur de membris quae secundum carnem semper sunt in ventre carnali, scilicet concupiscentiis mundanis; sed per Deum ab huiusmodi concupiscentiis extrahuntur, et proiiciuntur in Deum: ut nihil nisi Deum sperent et quaerant. Consequenter concludit orationem cum dicit, *Ne discesseris a me*, scilicet defendendo, vel in membris meis quantum ad spiritualia; quasi dicat, *Dereliquisti me*, exponendo passioni corporali. *Ne recedas a me*, fovendo me spirituali auxilio. *Quoniam*

i Hoc secundum Hieronymum est principium versus sequentis: et ideo potest, ut dictum est, convenienter cum praecedentibus legi: et etiam cum sequentibus. Et ut dicit Hieronymus, convenientius legitur cum sequentibus: nam psalmus ex persona Domini exponens passionem, praemittit primo orationem; postea ordinem passionis subsequitur, ibi, *Circumdederunt me* etc. Circa primum duo facit. Primo proponit orationem. Secundo necessitatem orandi ostendit, *Quoniam tribulatio.* Dicit ergo, *Tu es Deus meus de ventre matris meae*, et ideo oro, *ne discesseris a me*, quoniam

tribulatio proxima est. Haec enim intelligenda sunt ut Christus loquatur in persona membrorum suorum, ut non derelinqueret ea in tribulationibus: *1. Corinth. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: *Ps. 70. Ne derelinquas me, quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.* Non autem dicit pro se. Necessitas autem est duplex; tribulatio quae imminet, et auxilium quod deficit; unde dicit, *Tribulatio proxima est*, scilicet tempore: *Matth. 26. Ecce appropinquabit hora, et filius hominis tradetur* etc.

Sed obiicitur quod cum haec verba sint Christi iam in cruce existentis, quomodo tribulatio proxima est etc. Possumus dicere quod David mutat tempora. Augustinus aliter solvit. Tribulatio quandoque est propinqua, quandoque remota. Sensus doloris est in anima: propinquum animae est corpus, remota sunt bona exteriora. Quando ergo est afflictio in exterioribus, tribulatio non est propinqua; sed quando est in proprio corpore, tunc est propinqua et proxima: et impossibile est quin homo sentiat. Christus autem in proprio corpore affligebatur: *Ps. 114. Tribulationem et dolorem inveni.* Item deficit auxilium, *Quoniam non est qui adiuvet.* Et ideo est orationi instandum: *Isa. 63. Circumspexi, et non erat auxiliator, quaesivi, et non erat qui adiuvaret*: quia etiam apostoli relicto eo fugerunt. *Circumdederunt*

k Supra ostendit Psalmista in persona Christi suam conquaestionem sive quaerelam rationabilem esse, et ex parte Dei, et ex antiquorum consuetudine, sive experimento; hic autem prosequitur ordinem passionis quantum ad afflictionem carnis. Et proponit primo persecutores. Secundo persecutionis effectum, ibi, *Sicut aqua.* Tertio persecutionis modum, ibi, *Circumdederunt me canes.* Primo ergo introducuntur persecutores invadentes opere: quorum quidam minores, ut plebs et ministri; et quantum ad hos dicit, *Circumdederunt me vituli multi: Eccl. 1. Stultorum infinitus est numerus. Circumdederunt me*, quia undique invaserunt: *Ps. 117. Circumdederunt me sicut apes* etc. Quidam sunt maiores; unde dicit, *Tauri pingues obsederunt me: Eccl. 6. Ne extollas te in cogitatione tua, sicut taurus qui ex pinguedine et fortitudine, nec iugo premitur, et multum generat et superbit.* Dicit quod taurus est animal melancholicum: et propter hoc diu retinet iram; et sicut minores habent audaciam propter multitudinem, ita maiores propter divitias. Et ideo dicit, *Pingues: Iob 15. Pingui cervice armatus est. Obsederunt me: Iob 19. Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Consequenter ponit persecutores insurgentes ore; unde dicit, *Aperuerunt super me os suum.* Et quidem multipliciter eum tentando: *Matth. 22. Quid me tentatis hypocritae*, accusando, invidendo, ad mortem expetendo, dicentes, crucifige: *Thren. Inimici mei aperuerunt os suum super me.* Consequenter adhibet similitudinem, *Sicut leo rapiens et rugiens*, cui comparantur propter crudelitatem: *Hier. 12. Facta est mihi haereditas mea quasi leo in sylva, dedit contra me vocem:* nam leonis est ut capta praeda rugiat: *Amos 3. Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* Et dicit, *Rapiens*, insidiando, et *Rugiens* manifeste in mortem expetendo: *Ezech. 11. Sicut leo rugiens rapiensque praedam animam devoraverunt. Sicut*

l Consequenter ponit persecutionis effectum. Et primo proponit hunc effectum. Secundo exponit eum, ibi, *Dispersa.* Dicit ergo, *Persequuntur me et nocent*: quia quantum ad corporalem salutem totaliter invaluerunt; et ideo dicit, *Sicut aqua effusus sum.* Si effundatur oleum, aliquid remanet in vase; si effundatur vinum, saltem remanet odor in vase, sed de aqua nihil remanet; quasi dicat, Totaliter effusus sum secundum eorum opinionem: *2. Reg. Quasi aquae dilabimur, quae non revertuntur super terram.* Aqua leviter effunditur et proiicitur: sic ego effusus sum. Sicut etiam Iudaei non solum eum delere desuper terram conati suut, sed etiam famam eius perdere voluerunt. Vel assimilatur Christus aquae, quia aqua lavat; sic passio Christi de omnibus peccatis et omnes sordes lavat: *Apoc. 1. Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Item aqua rigat et facit fructificare, sic passio Christi: *Eccl. 24. Dixit irrigo hortum meum* etc. Et fructificat fructum vitae aeternae: *Eccl. 24. Flores mei*, idest passionis meae, *fructus honoris et honestatis.* Item facit vitam lubricam: sic passio Christi disponit Iudaeos ad casum: *1. Cor. 1. Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Consequenter exponit hunc effectum: et ideo dicit, *Dispersa sunt* etc. quasi dicat, Quicquid videbatur in me forte, est dissolutum: quicquid pulchrum, emarcuit. Et ideo dicit, *Dispersa.* In homine est duplex fortitudo. Una est fortitudo corporis, et haec consistit in ossibus et nervis; et quantum ad hoc dicit, *Dispersa sunt omnia ossa mea;* quasi dicat, Omnis virtus mea corporalis defecit; tamen de Christo dicitur spiritualiter: nam apostoli qui sunt ossa Christi. dispersi fuerunt: *Zach. 13. Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Alia est fortitudo animae, quae consistit in corde; unde dicit, *Factum est cor meum tanquam caera liquescens.* Quaerit Augustinus quomodo de Christo capite verum sit: quia hoc videtur provenire ex superabundanti timore, quod non est dicendum de Christo: quia etsi fuerit in eo timor naturalis, non tamen fuit tantus quod liquesceret cor. Et ita intelligitur de Christo non secundum se, sed quantum ad membra, quae quidem sunt cor Christi, quae et praecipue diligit: *Phil. 1. Eo quod vos habeam in corde.* Et sequitur, *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos esse in visceribus Iesu Christi.* Hi fuerunt apostoli qui fuerunt ossa ad sustentandum infirmos in ecclesia, sicut ossa sustentant carnes: *Ro. 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere.* Et fuerunt corda eorum sicut caera liquescens. Primo mala liquefactione per timorem, sicut in fuga discipulorum: *Matt. 26. Tunc relicto eo fugerunt omnes.* Et in negatione Petri: *Luc. 22. At ille negavit dicens, homo nescio quid dicis.* Secundo bona liquefactione, sicut in conversione discipulorum, ut patet in Petro et Andrea. Vel dicendum quod liquefactio etiam est amoris: *Cant. 5. Anima mea liquefacta est.* Res antequam liquefiat dura est et constricta in se; si liquescit, diffunditur et tendit a se in aliud. Timor etiam quandoque in-

durat, quando scilicet non est magnus: et sic est etiam de amore, quia quando supervenit amor, tunc ostendit in aliud quod ante in se erat. Et de hac liquefactione potest exponi etiam de Christo, secundum quod est caput: nam hoc liquefieri et est a Spiritu sancto, et est in medio ventris, idest affectus. Vel per cor Christi intelligitur sacra Scriptura, quae manifestat cor Christi. Hoc autem erat clausum ante passionem, quia erat obscura; sed aperta est post passionem, quia eam iam intelligentes considerant, et discernunt quomodo prophetiae sint exponendae. *Aruit*

m Hic ostendit quod quicquid pulchrum fuit in Christo evanuit. Florere videbantur in Christo ante passionem tria: operatio miraculorum, facundia doctrinae, fama et gloria populorum. De primo *Io. 7. Multitudo magna sequebatur eum, quia videbant* etc. Et haec virtus aruit in passione quantum ad opinionem eorum: unde clamabant, *Alios salvos fecit* etc. *Aruit*, idest viluit, *Tanquam* etc. Vel *Testa*, quando arescit induratur, sic in passione virtus Christi fuit indurata ad sustentandum: *Eccl. 27. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis.* De secundo: *Mat. 7. Erat docens eos tanquam potestatem habens;* sed in passione, *Adhaesit lingua mea faucibus meis*, prae taciturnitate: *Ezec. 3. Adhaerere faciam linguam tuam palato tuo, et eris mutus.* Et hoc est factum in passione, quia non respondebat Herodi: *Luc. 23. Interrogabat eum Herodes multis sermonibus.* At ipse nihil respondebat ei. De tertio *Mat. 21. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii autem caedebant ramos de arboribus* etc. *Tunc impletum est quod David prophetaverat de Christo dicens, Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis.* Sed in passione viluit; unde dicit, *Et in pulverem mortis deduxisti me*, idest vilem mortem me pati fecisti: *Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum.* Vel si referatur ad membra. *In pulverem mortis deduxisti me*, idest membra mea quae sunt incinerata, non autem Christi. Vel, *In pulverem* etc. idest in potestatem Iudaeorum dedisti me, qui sunt sicut pulvis etc. *Quoniam*

n Hic ponitur modus passionis. Et primo ponit ea quae facta sunt ante crucifixionem. Secundo quae facta sunt in ipsa crucifixione. Tertio quae facta sunt post crucifixionem. Ante crucifixionem facta fuerunt duo. Primo fuit captus; et quantum ad hoc dicit, *Circumdederunt me canes multi: Philip. 3. Videte canes, videte malos operarios: Isa. 56. Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Item secundo, quomodo fuit illusus; unde dicit, *Consilium malignantium obsedit me.* Consequenter ponit ea, quae facta sunt in ipsa crucifixione. Et primo quantum ad affixionem, *Foderunt manus meas et pedes meos*, grossis clavibus affigentes ligno: *Zac. 13. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* Item quantum ad distensionem dicit, *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, idest dinumerabilia fecerunt. *Ipsi vero*

o Hic ponuntur illa, quae facta sunt post passionem; unde dicit, *Ipsi* etc. Convenientes ad spectaculum ut illuderent: *Luc. 23. Milites illudentes impleverunt spongiam aceto dicentes, Si rex Israel es salvum te fac* etc. *Et inspexerunt*, scilicet quid eveniret de me, *Diviserunt inter se vestimenta mea*, quae erant plura et divisibilia: *Et super vestem meam*, scilicet inconsutilem, *miserunt sortem;* et hoc fecerunt vel propter cupiditatem, vel propter quandam illusionem. Per haec vestimenta divisa signantur ecclesiae sacramenta; sed per vestem, quae non dividitur, signatur unitas ecclesiae, quam quilibet credit habere; sed non habet nisi unus, quia sola est unitas ecclesiae: *Cant. 6. Una est columba perfecta mea. Tu autem*

p Narrata passione, hic procedit ad orationem: et circa hoc duo facit Primo petit divinum auxilium. Secundo petit praestiti auxilii fructum, ibi, *Narrabo nomen tuum.* Circa primum duo facit. Primo petit divinum auxilium in generali. Secundo per se in speciali, ibi, *Erue a framea.* Circa primum duo facit. Primo petit accelerationem auxilii. Secundo auxilii necessitatem. Dicit ergo quantum ad primum, *Sic fecerunt. Foderunt manus meas et pedes meos* etc. sed *Tu Domine ne elongaveris auxilium tuum a me*, idest ne differas praebere mihi homini Christo auxilium divinitatis; quasi dicat, Factum est, quia liberatus est a morte per gloriam resurrectionis, quae non est elongata: quia post triduum resurrexit. Et fuit Christus resurgens: *1. Cor. 15. Christus resurgens ex mortuis primitiae dormientium: Ps. 36. Exurgam diluculo. Ad defensionem meam conspice;* quasi dicat, Ad hoc necessarium est auxilium tuum mihi, scilicet *Ad defensionem. Sub umbra alarum tuarum protege me* etc. Defende me, scilicet contra persequentes ad mortem, et contra daemones ne detineant in limbo. Sic ergo petiit ne corpus resolvatur in cineres, et ne anima detineatur in inferno: *Actu. 2. Solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum: Psal. 37. Ne derelinquas me* etc. *Erue*

q Hic exponit in speciali a quibus petat defendi. Et primo contra mortem. Secundo contra tentationem mortis, ibi, *De manu canis.* Dicit ergo, *Conspice ad defensionem meam*, et Deus, *Erue animam meam*, quam ipsi quaerunt, *A framea*, idest a gladio qui fremit agitatus. Sed contra. Christus non fuit occisus a gladio, sed lancea, et lancea etiam fuit percussus post mortem. Sed dicendum, quod gladius sua acuitate dividit: *Heb. 4. Acutior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem*: et ideo quia mors dividit animam a corpore, et patrem a filio, et e contra, et fratrem a fratre, dicitur gladius: *Zac. 13. Framea*, idest mors, *Suscitare super pastorem meum:* et ab hac eruitur in resurrectione. *Vel framea* est lingua adversariorum: *Psal. 56. Lingua eorum gladius acutus.* Vel hic loquitur Christus pro membris, quorum plures sunt occisi gladio: *Act. 12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Et de manu canis.* Hic orat contra tentationes; et tripliciter describit hic eos irrationabiles: et hoc facit sub similitudine canis, qui latrat antequam percipiat contra quem debeat latrare propter subitam iram eius. Sic Iudaei antequam scirent quare latrarent contra Christum clamabant: *Phil. 3. Videte canes, videte malos operarios:* et supra, *Circumdederunt me canes multi.* Hoc maxime pertinet contra Iudaeos, qui contra Christum latrantes clamabant, *Crucifige crucifige eum. Salva me*

r Hic describit eos crudeles sub similitudine leonis, qui est crudele animal: et hoc refertur ad Pilatum qui fungitur leonis potestate, idest imperatoris, quem Apostolus dicit leonem: *2. Tim.4. Liberatus sum de ore leonis.* Vel refertur ad diabolum: *1. Pet. ult. Tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Hic describit eos superbos : et refertur ad principes sacerdotum, et scribas, qui scilicet comparantur unicorni superbiam designanti: et hoc incidat quod unum cornu habet in capite, et est tantae superbiae quod nullo modo patitur subiectionem, sed statim captus moritur: *Iob 39. Numquid volet rhinoceros*, idest unicornis, *servire tibi aut morabitur* etc. Et per hoc significantur principes Iudaeorum qui singulariter gloriabantur de cognitione Dei. Et quicumque singulariter se extollit, similis est Pharisaeo: *Luc. 18. Non sum sicut caeteri hominum : Psal. 74. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Narrabo*

s Consequenter ostendit divini auxilii fructum. Et primo ostendit hoc quantum ad ipsum Christum. Secundo quantum ad alios, ibi, *Edent pauperes.* Circa primum duo facit. Primo proponit duplicem fructum, scilicet praedicationis et laudis. Secundo explicat utrumque, ibi, *Qui timetis.* Circa primum ponit duplicem fructum de liberatione Christi. Primus fructus Christi fuit praedicatio per universum mundum. Dicit ergo, *Salva me ex ore leonis* etc. quia salvatus et liberatus de faucibus eorum. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, idest apostolis : et hoc fecit post resurrectionem. Sunt autem apostoli fratres sui, et per naturam assumptam, et per gratiam vocationis ad apostolatum : *Ro. 8. Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: quos praedestinavit hos et vocavit.* Sed numquid non narravit ante passionem nomen Dei, cum ipse dicat *Io. 22. Pater manifestavi nomen tuum hominibus* etc. Dicendum quod sic : sed plenius post passionem et resurrectionem. Primo quidem narravit discipulis ore proprio, quando aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, *Luc. ult.* Secundo dando eis Spiritum paraclitum: *Ioann. 16. Cum venerit paraclitus ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et *Io. 14. Cum venerit paraclitus quem mittet Pater* etc. *ille docebit vos omnia.* Sed plenissime narrabit quando manifestabit divinitatem suam in iudicio: *Io. 14. Manifestabo ei meipsum*: *Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna et maiestate.* Tunc enim in Filio cognoscent Patrem: *Ioan. 14. In die illa cognoscetis, quia ego in Patre, et Pater in me, et ego in vobis.* Et hoc ipsi soli filio convenit ut ipse dicit *Matt. 10. Nemo novit Patrem nisi filius.* Secundus fructus liberationis Christi fuit laus divina; unde dicit, *In medio ecclesiae laudabo te: Isa. 44. Laus eius ab extremis terrae.* Sed dicit, *In medio ecclesiae*, quod Augustinus sic exponit, dicens primo sic. Illud dicimus esse in medio, quod est in manifesto. In veteri testamento Deus laudabatur in occulto, idest in mysteriis; sed in novo laudatur in publico, quia in nuda veritate : 2. *Cor. 3. Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, per amotionem velaminum.* Aliquando dicimus esse in medio illud, quod est intimum. Intimi in ecclesia sunt viri perfecti, qui specialiter laudant Deum in corde. *In medio ecclesiae laudabo te*, idest in doctoribus et viris perfectis. *Qui*

t Exequitur utrumque. Et primo primum. Secundo secundum, ibi, *Apud te.* In primo proponit totam praedicationem novi testamenti, quomodo narratur nomen Domini. Et primo ostendit ad quid inducuntur homines in novo testamendo. Secundo quid eis narretur, ibi, *Quoniam non sprevit.* Ad tria inducuntur homines in novo testamento, videlicet ad confessionem oris, ad quaerendam gloriam Dei, et ad Deum timendum. Quantum ad primum dicit, *Qui timetis Deum laudate eum.* Est autem duplex timor, unus filialis qui timet Deum offendere, et timet ab eo separari, et exhibet ei reverentiam ; et hic est ex caritate. Alius autem est timor servilis, qui timet solum poenam : et hic non est ex charitate : *Ioan. 4. Charitas foras mittit timorem.* Vetus lex fuit timoris ; sed nova est lex amoris. Vos ergo, *Qui timetis Dominum*, idest qui impletis legem ex timore, *Laudate eum*, quia nihil laudat quis quod non diligit ; quasi dicat : Confitemini ei ex amore : *Psalm. 116. Laudate Dominum* etc. Quantum ad secundum dicit, *Universum semen Iacob magnificate eum : 1. Corinth. 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et dicit *universum semen Iacob* etc. quia filiis Iacob, idest Iudaeis lex veteris testamenti fuit data, in qua promittitur gloria Dei. Et dicit, *Universum*, ut ineludat filios promissionis qui computantur in semine, ut dicitur *Gal. 3.* scilicet gentiles. Quantum autem ad tertium dicit, *Timeat eum omne semen Israel*, timore reverentiae qui est cum dilectione : *Deut. 10. Et nunc quid Dominus Deus tuus petit a te nisi ut timeas eum, et ambules in viis eius?* Israel idem est quod Iacob. *Quoniam*

v Hic ostenditur quid eis annuncietur, scilicet virtus Christi, secundum quod loquitur in persona Christi orantis. Aliquando enim non vult quis preces exaudire, quando scilicet ipsum pro quo petitur, non vult videre, vel quando non vult videre rogantem ; aliquando etsi vult videre rogantem, non tamen vult exaudire petitionem : et hoc excludit quantum ad primum cum dicit, *Non sprevit*, quasi negligendo : *Neque despexit deprecationem pauperis*, idest humilitatem eius qui non habet spem in temporalibus, idest Christi. Secundum ostendit, *Nec avertit faciem suam a me*, quasi non acceptando me : *Psal. 68. Ne avertas faciem tuam a puero tuo* etc. Tertium cum dicit, *Et cum clamarem ad eum exaudivit me*, quia iudex admisit quod petii pro me et pro meis: *Io. 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Ionae 2. Clamavi, et exaudisti vocem meam.* Et nota quod ante passionem tria dicit se fuisse passum. Dicit enim fuisse abiectum, *Ego sum vermis* etc. Derelictum, *Quare me dereliquisti.* Item dicit se non exauditum, *Clamabo per diem et non exaudies:* et quare tunc dicebat, *Verba delictorum*, idest pertinentia ad infirmitatem carnis secundum quam potius temporalia quaeruntur ; nunc autem quia per resurrectionem ad hoc genus adduxit humanam naturam ut quaereret

spiritualia, dicit contrarium. Quia supra dixit, *Ego sum vermis* etc. hic dicit, *Non sprevit me* etc. Supra dixit, *Dereliquisti me*, hic dicit, *Neque avertit faciem suam a me.* Supra dixit, *Clamabo per diem*, hic dicit, *dum clamarem ad eum, exaudivit me. Apud*

x Supra Psalmista ex persona Christi duo promisit se dicturum, scilicet narrationem divini nominis, et laudem Dei. De primo iam dixit; hic agit de secundo, scilicet de laude divina. Circa hoc duo facit. Primo ostendit qualis sit laus Dei. Secundo quomodo laudi adiungit opus, ibi, *Vota mea* etc. Dicit ergo quantum ad primum, *Apud te laus mea.* Et hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo sic: laus mea qua ego laudor, est apud te, non apud homines a quibus non habeo laudem, sed a te: 2. *Cor. 10. Non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Alio modo sic: *Laus mea*, qua scilicet te laudo, est *Apud te*, non in oculis hominum: *Eccl. 47. De omni corde suo laudavit Deum, et dilexit Dominum*, et hoc, *In ecclesia magna*, per me et meo nomine congregata. *Magna*, dilatatione: *Isa. 54. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende. Magna*, potestate: *Matt. 16. Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam* etc. *et quodcumque solveris* etc. Dignitate: *Apoc. 11. Reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam.* Hic ostendit quomodo laudi adiungit opus. Votum Christi fuit ut se daret pro salute fidelium: ipse enim illud vovit inquantum homo: *Psal. 39. Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Quae quidem voluntas Dei est sanctificatio nostra: *Isa. 6. Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Haec vota solvit Christus dando se ad passionem, et iterum quando dedit corpus suum in cibum fidelium; unde dicit, *Vota*, idest sacrificia: *Reddam*, in ara crucis et sacrificium fidelium; et hoc faciam, *In conspectu timentium eum: Eccl. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes. Edent*

y Hic consequenter ponit effectum passionis qui est ad alios: et primo proponit diversos passionis effectus; secundo ostendit eos ad futura pertinere, ibi, *Annunciabitur.* Circa primum duo facit. Primo proponit effectus pertinentes ad apostolos. Secundo ponit tales effectus per apostolos ad alios derivatos, ibi, *Reminiscentur.* Ad apostolos pertinet ministerium dominici sacramenti: quod designatur cum dicit, *Edent pauperes*, idest humiles et contemnentes res mundi: *Matt. 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Isti edent sacrificium, idest sacramentum corporis et sanguinis sacramentaliter et spiritualiter. Et ex hoc sequitur triplex effectus; spiritualis, scilicet satietas, laus, et vita. Quantum ad primum dicit, *Et saturabuntur*, quia quiescet desiderium suum in plenitudine gratiarum, quae per hoc sacramentum acquiruntur: *Psal. 62. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Quantum ad secundum dicit, *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Nec mirum, quia laus sequitur ex laetitia: *Isa. 51. Venient in Syon laudantes et laetitia sempiterna super capita eorum.* Satietas autem desiderii causat delectationem: *Isa. 55. Delectabitur in crassitudine anima vestra*, idest in spirituali pinguedine: *Psal. 41. In voce exultationis et confessionis sonus epulantis.* Sed non quilibet laudat Deum; sed *Qui requirunt eum*, idest qui nihil aliud quaerunt nisi Christum, vel Deum: *Isa. 55. Quaerite Deum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est.* Quantum ad tertium dicit, *Vivent corda eorum* etc. *Ioan. 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum:* et ideo dicit, *Vivet;* quasi dicat: Quamvis corpora moriantur imitando passionem Domini, tamen corde vivent: *Psal. 68. Quaerite Dominum, et vivet anima vestra. Reminiscentur*

z Hic ponit effectus derivatos ad alios. Et primo communiter ad omnes. Secundo quantum ad carnales, ibi, *Manducaverunt.* Tertio quantum ad spirituales, ibi, *Et anima mea.* Est autem triplex effectus. Primus est divina cognitio ad quam gentes per apostolos devenerunt. Secundus est effectus ad conversionem ad Christum. Tertius effectus manifestatur per operis perfectionem. Quantum ad primum dicit, *Reminiscentur.* Hominibus naturaliter inserta est quaedam Dei cognitio; sed obliviscuntur Domini per peccatum: *Deut. 32. Oblitus es Domini creatoris tui.* Gentiles autem habuerant aliquam Dei cognitionem, sed obliti fuerunt propter peccata; sed per apostolos fuerunt reducti ad reminiscentiam naturalis cognitionis: *Ie. 51. Recordammi Domini procul.* Quantum ad secundum dicit, *Et revertentur ad Dominum*, scilicet per amorem. Et hoc fecerunt non solum Iudaei, sed, *Universi fines terrae: Isa. 21. Si quaeritis quaerite; convertimini, et venite:* et hi duo effectus etiam ad sacramentum altaris pertinent, quod est quoddam memoriale dominicae passionis, ut dicitur *1. Cor. 11.* Ideo dicit *Reminiscentur*, quia conversio animae ad Deum est effectus sacramenti altaris: *Psal. 22. Super aquam refectionis educavit me.* Colentes eum non in caeremoniis, sed, *In conspectu eius*, scilicet spirituali cultu: *Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Et omnes familiae gentium: Soph. 2. Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae gentium;* quasi, ut intelligatur quod gentiles coluerunt Deum Israel: et sicut proselyti euntes ad habitandum cum Iudaeis, recesserunt a loco suo. *Quoniam*

et Potestas spiritualis totius mundi est Christi: *Dan. 7. Et dedit ei potestatem, et regnum* etc. Et non solum Iudaeorum, secundum illud, *Super solium David;* sed ipse dominabitur gentium: *Psal. 2. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem. Manducaverunt*

3 Hic ponitur effectus qui secutus est quantum ad carnales: et ponit duo. Primo ponit bonum eorum. Secundo ponit eorum defectum, ibi, *In conspectu eius cadent*, carnales: et hi perceperunt duplex bonum, scilicet participationem sacri, et venerationem Dei in cultu. Quantum ad primum dicit, *Manducaverunt*, licet indigne, quia carnales sunt: *1. Cor. 15. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* De bonis dixit supra quod saturabuntur et laudabunt Dominum, et vivent, quia venerantur sacramentum per fidem quam habent. Sed isti quia sunt pingues terrae, idest in terrenis defixi, idest non in spiritualibus elevati: *Cadent in conspectu eius*, scilicet Dei;

*Hier. 21. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.* Isti designantur per vaccas pingues, *Amos 4. Deut. 32. Incrassatus est dilectus, et recalcitravit:* nam , *qui indigne manducat et bibit , iudicium sibi manducat et bibit* , ut dicitur *1. Cor. 11.* Et bene dicit, *Omnes qui descendunt* , idest si qui affectu demerguntur ad terrena: quia etsi isti videantur stare in conspectu hominum, tamen in conspectu Dei cadent: *Isa. 8. Offendent ex eis plurimi, et cadent.* Vel, *Cadent in conspectu eius,* idest substernentur ei etiam inimici , *Omnes qui descendunt in terram* , idest in corruptionem peccati : *Psal. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur. Et anima*

Hic ponitur effectus quoad spirituales. Anima Christi sunt illi in quibus requiescit Spiritus sanctus, spirituales scilicet, qui dupliciter se habent ad Deum. Primo quantum ad cor , quia vivunt illi , scilicet Deo , vel Christo : *Gal. 2. Vivo ego* etc. *2. Cor. 5. Qui vivunt iam non sibi ipsi vivant , sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Secundo quantum ad opus, *Et semen meum.* Semen bonum sunt filii regni ; quasi dicat , Filii quos ego seminavi, servierunt soli Deo : quia omnia opera quae fecerunt, ad eius gloriam retulerunt. *Annunciabitur*

aa Hic exponit quando fiet , quia non in tempore, sed in futuris temporibus: et ponit tria. Primo praenunciat fidei praedicationem. Secundo a quibus debeat praedicari. Tertio quibus praedicetur. Quantum ad primum dicit, *Annunciabitur Domino generatio ventura :* et hoc potest dupliciter exponi. Uno modo cum Hieronymo ; quasi dicat , *Generatio ventura annunciabitur*, idest evangelizabitur. Et ad hoc, ut convertantur ad Dominum. Etiam annunciabitur sive passive ; quasi dicat, Per praedicationem apostolorum illa generatio adducetur ad Dominum : *Matth. 11. Pauperes evangelizantur.* Vel sic. Bonum generationis annunciabitur per angelos ipsi Deo, non quod ignoret sive indigeat, sed ut ordo servetur, ut dicit Dionysius, et ut dicitur *Tob. 12. Ego sum Raphael angelus unus ex septem qui astamus ante Dominum. Et annunciabunt caeli* , idest caelestes apostoli : *Phil. 3. Nostra conversatio in caelis est : iustitiam eius* , non humanam, sed Dei quam repellunt Iudaei : *Ro. 10. Ignorantes Dei iustitiam, et suam quaerentes instituere* etc. Quibus annunciabitur , *Populo qui nascetur* , spirituali generatione : *Ioa. 3. Nisi quis renatus fuerit* etc. Hic autem populus non renascitur operatione humana, sed divina : *Io. 1. Non ex sanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex voluntate viri , sed ex Deo nati sunt.* Et ideo dicit , *Quem fecit Dominus: Psal. 99. Dominus fecit nos* etc.

## a PSAL. DAVID XXII.

Dominus regit me , et nihil mihi deerit : in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit. Deduxit me super semitas iustitiae , propter nomen suum.

b Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis , non timebo mala , quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus , ipsa me consolata sunt: parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impiguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam praeclarus est.

c Et misericordia tua subsequetur me , omnibus diebus vitae meae. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

## a PSAL. XXII.

Psalmista supra in persona Christi dixit de sua tribulatione multa ; hic autem dicit de remedio quo in ea sustentatur. Et primo commemorat beneficia quibus sustentatur. Secundo potentiam sustentationis , ibi , *Domini est terra.* Psalmus iste non habet novum titulum , sed videtur designare aliquos in via ambulantes : unde potest significare reditum Christi de mundo ad caelum. Circa hoc duo facit. Primo commemorat beneficia praeterita. Secundo commemorat beneficia futura , ibi , *Et misericordia tua.* Circa primum duo facit. Primo commemorat beneficia quae consistunt in consolatione bonorum. Secundo ea quae consistunt in adiutorio contra mala , ibi , *Nam et si ambulavero.* Circa primum tria tangit. Primo commemorat sufficientiam divinae promissionis. Secundo eius abundantiam, ibi , *In loco pascuae.* Tertio eius effectus , ibi , *Animam meam convertit.* Ponit ergo primo divinam provisionem : unde dicit , *Dominus regit me.* Hieronymus, *Dominus pascit me.* Et idem est , quia qui pascit , regit. Et intelligitur in persona ecclesiae , deinde de Christo qui est pastor noster : *Io. 10. Ego sum pastor bonus : Matt. 6. Respicite volatilia caeli* etc. quia Deus dicitur pater noster : ipse enim pascit etiam volatilia caeli , ut dictum est *Matt. 8.* Pasce populum tuum in virga tua , gregem haereditatis tuae: *Isa. 1. Qui exurget regere gentes.* Et sufficienter pascit ; unde dicit , *Nihil mihi deerit:* scilicet de eo , quod est necessarium ad salutem : et in temporalibus *Luc. 22. Quando misi vos sine sacculo et pera* etc. *numquid aliquid* etc. *Matt. 6. Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis.* Tum in futuro omnem sufficientiam habebimus, quia nihil deerit nobis , quoniam habebimus Deum. Abundantiam omnem designat metaphorice per abundantiam cibi et potus. Quia si pascit , habet se ad nos , sicut pastor ad oves ; quae duobus pascuntur , scilicet herbis, et aqua. Quantum ad primum dicit, *In loco pascuae ibi me collocavit* , idest pascuoso , ubi est abundantia herbarum. Haec abundantia sunt sacra documenta divinae Scripturae; et spiritualium abundantia : *Ezec. 34. In herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur.* Quantum ad secundum dicit , *Super aquam refectionis educavit me.* Et dicit *Collocavit*, quia sermo divinus duo facit, scilicet incipientes instruit , et perficientes firmat. Propter primum dicit , *In loco pascuae.* Propter secundum dicit , *Ibi me collocavit.* Quantum ad secundum dicit, *Super aquam refectionis educavit me.* Haec est aqua baptismi: *Eze. 36. Effundam super vos aquam mundam* etc. Vel est aqua sapientiae sacrae doctrinae ; quae quidem et est cibus , quia confortat, et aqua, quia refrigerat : *Eccl. 15. Aqua sapientiae salutaris potavit illum. Animam meam convertit.* Hic est ef-

fectus pascuae, quia, *Animam meam convertit.* Vel dicit, quae sint haec pascua, quia conversio animae. Est autem duplex effectus spiritualis doctrinae. Primus est interior in conversione animae ad Deum, quando totaliter se a rebus mundi trahit: *Psal. 18. Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium* etc. Et conversio fit virtute Dei: *Thren. ult. Converte nos Domine ad te.* Alius effectus est exterior, ut opera exteriora exequatur; unde dicit, *Deduxit me super semitas iustitiae;* haec autem sunt bona opera: *Is. 40. Rectas facite semitas Dei nostri.* Vel semitae sunt consilia: *Prov. 4. Deducam te per semitas aequitatis:* et hoc, *propter nomen tuum*, idest gloriam nominis tui: *Psalm. 43. Propter gloriam nominis tui libera nos. Nam*

b Hic ponit beneficia contra mala. Et primo in generali. Secundo in speciali, ibi, *Virga tua.* Et loquitur ad similitudinem hominis euntis per loca periculosa cui necesse est securitas; et haec beneficia ponit hic, *Nam et si ambulavero in medio tribulationis, non timebo mala quoniam tu mecum es,* tanquam dux et protector, et sic securus ero. *Umbra mortis* dicitur praesens tribulatio: est enim umbra praesagium subsequentis: *Col. 3. Lex umbra futurorum, corpus autem Christi;* sic tribulatio est quasi mortis indicium. *In medio*, idest in intimo sive vehementia tribulationis: *Ps. 137. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me* etc. Sed umbra mortis dicitur praesens vita caligine peccatorum obscura: *Iob 3. Occupet eum caligo* etc. Vel umbra mortis dicuntur facta haereticorum portantium in se imaginem diaboli: *Iob 8. Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens* etc. Dicitur autem umbra mortis, quod non infert malum Deo praesente: *Iob 17. Pone me iuxta te* etc. *Isa. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, ne flumina operiant te, cum ambulaveris in igne, non combureris.* Sed praeter dictam securitatem ponit tria beneficia quae Deus facit in eis. Primo sustentat: unde dicit, *Virga tua et baculus tuus.* Et hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut per virgam intelligamus directionem viae: *Ps. 44. Virga directionis virga regni tui.* Per baculum intelligamus sustentaculum: *Tob. 5. Baculum senectutis nostrae.* Litera Hieronymi habet, *Fulcimentm;* quasi dicat, Ostensio et sustentatio: *Ipsa me consolata sunt*, idest dederunt mihi consolationem in via: *2. Cor. 1. Deus totius consolationis qui consolatur nos.* Alio modo, ut exponatur hoc pertinere ad correctionem, quia virga fit correctio: *Prov. 13. Qui parcit virgae* etc. *Et baculus tuus*, scilicet senioris disciplinae; quasi dicat, Mitis et dura correctio tua dedit mihi consolationem: *Prov. 3. Quem diligit corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Quantum ad secundum dicit, *Parasti in conspectu meo mensam*, duplicis quidem doctrinae: *Prov. 9. Proposuit mensam, misit ancillas suas vocare ad arcem:* ubi sunt diversa fercula, scilicet diversa documenta spiritualia. Et hoc, *In conspectu meo*, quia in lege meditatur die ac nocte. Vel mensam sacramentalem, scilicet altaris. Triplex enim mensa legitur in sacra Scriptura. Prima est mensa veteris legis: *Ex. 25. Facies mensam de lignis Sethim: et pones super mensam panes propositionis.* Alia est novi testamenti: *1. Cor. 10. Non potestis mensae Domini esse participes, et mensae daemoniorum;* et haec mensa fuit res, et figura. Tertia mensa est in patria: *Luc. 22. Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Et utraque mensa pugnamus contra inimicos nostros; unde dicit, *Adversus eos qui tribulant me*, quia per mensam, quae est sacra Scriptura, expellimus tentationes: *Eph. ult. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissima ignea extinguere.* Item corpus Christi contra inimicos tuetur, ut dicit Chrysostomus *super Io. Impinguasti in oleo*, idest laetitia, *caput meum.* Hoc autem per duo signatur, scilicet per oleum inungens, et vinum inebrians. Et hoc dicit ad similitudinem antiquorum orientalium qui in festis ungebant capita oleo: *Isa. 61. Ut daret eis coronam pro cinere, et oleum gaudii pro luctu. Caput meum*, idest Christum, *Impinguasti*, idest replesti abundantissime, *Oleo*, spiritualis gratiae, ut ex eo ad nos gratia diffunderetur: 1. *Cor. 8. Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum: Psal. 44. Unxit te* etc. Vel, *Caput meum*, idest mentem meam: *Matt. 6. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum*, idest mentem oleo, idest spirituali devotione, *Et calix tuus*, vel meus, idest mihi datus, vel tuus, idest a te datus. Hic calix est donum divini amoris qui inebriat: quia ebrius non est in se, nec secundum se loquitur, sed secundum impetum vini; sic ille qui est plenus divino amore loquitur secundum Deum: est enim in extasim factus: *Cant. 5. Comedite amici, et inebriamini: Isa. 55. Quomodo descendit imber, et nix de caelo, et inebriat terram, et germinare eam facit; sic erit verbum, quod egredietur de ore meo: Hier. 23. Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus vino a facie Domini.* Vel calix dicitur sanguis Christi, quia debet inebriare. Et hoc, *Quam praeclarus est*, idest maxime clarus. *Et misericordia* etc.

c Hic ponit beneficia futura. Et primo quantum ad participationem divinorum donorum. Secundo quantum ad fruitionem ipsius Dei. Dicit ergo, Haec omnia praedicta mihi fecisti; sed rogo ut, *Misericordia tua subsequatur me.* Alias petivit ut praeveniat, hic quod subsequatur: et utraque est necessaria: quia praeveniens est necessaria, quia inspirat animum, subsequensque iuvat ut efficiatur, *Ut inhabitem in domo Domini*, hoc est in ecclesia. *In longitudinem dierum*, idest semper per gratiam, et in caelo per gloriam: *Psal. 26. Unam petii a Domino* etc. *Isa. 65. Gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum.*

*Prima Sabbati.*

## a PSAL. DAVID XXIII.

Domini est terra, et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina praeparavit eum.

b Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?

c Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

d Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Iacob.

e Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio. Attollite portas principes vestras, et elevamini portae acternales, et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.

## a PSAL. XXIII.

Posita tribulatione et auxilio divino, hic commendat Psalmista potestatem auxiliantis Titulus non est novus in Hebraeo; sed in latino additur in prima sabbati. Ubi sciendum est quod sicut dicitur *Exo. 20. Memento ut diem sabbati sanctifices* etc. est tertium praeceptum. Sex enim diebus fecit Deus caelum et terram, et omnia quae in eis sunt, et in septima requievit; ita et nos debemus pro reverentia septima die requiescere. Unde omnes dies hebdomadae sabbatum appellantur, sicut dies dominicus dicitur prima sabbati: *Matt. ult. Vespere autem sabbati quae lucescit in prima sabbati.* Et deinceps tota hebdomada sabbatum dicitur: *Luc. 18 Ieiuno bis in sabbato:* unde psalmus hic in prima sabbati commemorat ea, quae pertinent ad primam sabbati, idest ad dominicam. In quo tria facta sunt, scilicet creatio mundi, productio lucis, et resurrectio Christi, ut in evangelio habetur *Matt. 28.* De istis ergo agit Psalmista, scilicet de potentia creantis, et gloria resurgentis: et forte iste psalmus cantabatur in prima sabbati, sed videtur esse disiunctus. Tamen sciendum est, quod tempore David Deus colebatur solum in Iudaea; et David considerans quod Deus est Deus totius terrae, videns in spiritu prophetico futurum esse, quod coleretur in toto mundo, fecit istum psalmum: et de hoc agit hic. Dividitur ergo psalmus iste in tres partes. In prima ponit universale eius dominium. In secunda ponit, sive ostendit modum quo homines accedunt ad Deum, ibi, *Quis ascendet.* In tertia praedicit futurum cultum Dei per totum mundum, ibi, *Attollite.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod universale est Dei dominium. Secundo ponit signum vel causam, ibi, *Quia ipse super maria.* Vel sic: In psalmo isto agit de tribus. Primo de creatione. Secundo de illuminatione, ibi, *Quis ascendet,* Tertio de resurrectione, ibi, *Attollite*, sive de resurgentis glorificatione. Circa primum duo facit. Primo ponit creantis potentiam. Secundo subdit rationem, ibi, *Quia ipse super maria.* Est autem sciendum quod terra potest dupliciter considerari: vel secundum quod est unum elementum, vel secundum quod est habitaculum hominum: et utroque modo est sub divino dominio. Primo modo fuerunt aliqui non extendentes divinam providentiam ad corruptibilia, sed tantum ad caelos: *Iob 22. Nubes latibulum eius: circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat: Ezech. 9. Dereliquit terram, et Dominus non videt eam.* Psalmus dicit, *Mentimini;* quia, *Domini est terra*, scilicet ipsum elementum super quod habet dominium: vel *Terra*, idest ecclesia, quae est bona terra quae facit multum fructum: *Isa. 40. Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera?* Sed addit, *Et plenitudo eius: Gen. 1. Terra erat inanis et vacua* etc. quia non erat plena arboribus et aliis quae pertinent ad ornatum terrae, sicut plantae et herbae: vel, *Plenitudo terrae*, idest plenitudo gratiarum ecclesiae. Et hic est Christus qui attulit omnem gratiarum plenitudinem in se: *Eccle. 15. Facies tua plena gratiarum: Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus.* Secundo modo etiam dicitur Dei orbis terrarum, idest nostra terra habitabilis. *Et universi qui habitant in ea*, idest omnes habitatores eius: *Ps. 95. Iudicabit orbem terrae in aequitate, et populos in iustitia: Isa. 45. Non in vanum creavi eam*, scilicet terram, *Ut habitaretur formavi eam.* Centrum est infimus locus in mundo, ad quod terra gravitate sua tendit et omnia alia cedunt sibi: et dicit psalmus, *Qui fundavit terram super stabilitatem suam*, quia per gravitatem tendit illuc: et super nihilum, quia nihil sibi subsidet; et *Isa. 40.* dicit, *Appendit tribus digitis molem terrae*, frigiditate et partium suarum continuitate. Sed quia terra est elementum, et ex ea cum aliis elementis fit mixtum; terra autem est sicca et frigida, unde nec ex motu nec ex fluxu pars una continuatur, indiget humore continente et continuante, et sic fundatur vel confirmatur super aquas: et quia in qualibet parte terrae quasi fit generatio aquarum, tota terra fere potest dici fundari super aquam, propter quod dicit, *Ipse super maria fundavit eam.* Vel sicut fundamentum continet aedificium, sic aqua continet terram, ne discontinuetur. Discontinuatio etiam terrae facit quod aqua quae liquida est et gravis fluat quasi per totam terram. Item per orbem designatur ecclesia et omnes habitantes in ea, scilicet fideles; et omnes sumus Christi? et *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*, ut Apostolus dicit *Rom. 14.* Consequenter reddit causam supradictorum, quia scilicet *Super maria fundavit eam;* quasi dicat, Illud est artificis quod ipse artifex facit. Sed Deus fecit terram et ea quae sunt in terra. Ergo ipsius est terra et plenitudo eius. Sed quidam dicunt, quod non est providentia Dei in rebus terrenis. Sed contra hoc est signum magnae providentiae dispositio aquarum ad terram, quia elementa levia debent esse super graviora. Similiter ergo sicut aer circumdat aquam, ita aqua debet circumdare terram. Et philosophi assignant super hoc multas causas. Sed causa est providentia divina, ut ibi esset habitatio hominum et animalium; unde Moyses in principio, quando posuit rerum creationem, posuit terram primum informem; unde *Terra erat inanis*, idest informis, *Et vacua* arboribus; et ideo posuit eam circumdatam sive opertam aqua, *Et tenebrae*, idest aquae, *Erant super faciem abyssi*, idest super terram: *Et Spiritus Domini*, idest aer, *ferebatur super aquas.* Vel terra erat inanis, idest invisibilis propter aquas; unde sequitur, *Congregentur aquae* etc. *Et appareat arida;*

quasi dicat, Quia terra est prima secundum ordinem elementorum, a providentia divina factum est quod sit super aquas, ut homines, et animalia possint in ea vivere, et aquae nihilominus occupent terram quantum durant maria; unde dicit, *Ipse super maria fundavit eam*, idest iuxta, sicut alibi, *Super flumina Babylonis*, idest iuxta flumen Babylonis, *Illic sedimus* etc. *Fundavit*, idest firmam flatuit, ut mare eam non occupet: *Iob 38. Posui mari ostia et vectes, et dixit, Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos: Hier. 5. Qui posuit arenam terminum mari, praeceptum sempiternum quod non praeteribit. Et super flumina praeparavit illam*, idest iuxta flumina; et dicit, *Praeparavit*, non fundavit, quia ad praeparationem requiritur quod irrigetur flumen: *Psal. Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius: Rivos eius inebrians multiplica* etc. Vel ecclesia, *fundata est super maria*, idest super tribulationes: *Psal. 92. Mirabiles elationes maris. Et super*, idest persecutiones quibus praeparata est ecclesia ad coronas martyrum. Vel *Super maria*, idest amaritudines; et tamen consolationem eius praeparavit flumen consolationum: *Ps. 86. Fluminis impetus laetificat* etc. *Quis*

b Quasi dicat, Magnus est, et quomodo accedetur ad eum? *Eccl. 2. Quis est homo qui possit sequi regem factorem suum;* et ideo docet modum perveniendi: unde circa hoc duo facit. Primo ponit quaestionem. Secundo responsionem, ibi, *Innocens manibus.* In quaestione quaerit duo, scilicet de via seu motu, *Quis ascendet.* Et de termino, *Aut quis stabit.* Mons signat hic altitudinem divinae iustitiae sive maiestatis: *Psalm. 35. Iustitia tua sicut montes Dei.* Mons ergo est altitudo divinae maiestatis, vel sublimitas Christi, qui mons dicitur *Isa. 2. Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur* etc. Quis ergo ascendet tantum quod deveniat ad Christum et Deum? Sancti viri qui disponunt ascensiones in corde suo ascendent, ut dicit Psalmista. Item quis poterit stare ibi, ubi ipse est qui est locus sanctus, locus gloriae? *Hier. 17. Locus sanctificationis nostrae expectatio Israel: Exo. 3. Locus in quo stas terra sancta est;* quasi dicat, Quis stabilietur ibi? Sed alibi dicit *Psal. 121* quod sic, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.* Unde consequenter ponitur responsio. *Innocens*

c Et primo ostendit hoc in generali. Secundo in speciali, *Haec est generatio.* Circa primum duo facit. Primo proponit meritum. Secundo praemium, ibi, *Accipiet.* In merito est unum, quod pertinet ad innocentiam operis; unde dicit, *Innocens manibus: Iob 22. Salvabitur innocens; salvabitur autem munditia manuum suarum: Ps. 25. Ego in innocentia mea ingressus sum.* Aliud pertinet ad puritatem cordis: et quantum ad hoc ponit, quod conservetur cor purum a concupiscentiis interioribus: unde dicit, *Et mundo corde: Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Item ab omni cupiditate rerum temporalium, *Qui non accepit in vanum animam suam*, idest qui non effudit eam super res vanas; vel qui non vane gloriatur de virtutibus, vel qui non permittit sensualitatem suam pervenire usque ad consensum peccati. Hieronymus habet, *Qui non extollunt in vanum*, quia ex munditia cordis aliqui superbiunt: *Ps. 130. Domine non est exaltatum cor meum.* Item pertinet ad veritatem oris; unde sequitur, *Nec iuravit in dolo proximo suo: Zach. 8. Iuramentum mendax non diligatis. Hic accipiet*

d Hic ponit praemium. Praemium autem consistit in duobus, scilicet in consecutione bonorum. *Hic accipiet benedictionem*, idest bona a Deo: *Pro. 10. Benedictio Domini super caput iusti: 1. Pet. 3. In hoc vocati estis, ut benedictione haereditatem possideatis.* Item in liberatione a malis; unde dicit, *Et misericordiam a Deo salutari suo*, qui liberat a miseria. Vel aliter potest accedere innocens manibus: quia potest esse innocens, propter hoc quod *Accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam*, quia vitat peccata: *Ro. 6. Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Consequenter ostendit istum modum in generali, *Haec est generatio quaerentium Dominum;* quasi dicat, In generali multi sunt tales: et isti sunt tota generatio quaerentium Deum qui sunt innocentes etc. Unde loquitur Scriptura de bonis sicut de una generatione: *Matt. 24. Non pertransibit generatio haec*, scilicet bonorum etc., Et describit eam a duobus, scilicet a studio, quia nihil quaerit nisi Deum; unde dicit, *Quaerentium Deum*, etiam in vita ista: *Is. 55. Quaerite Dominum dum inveniri potest.* Quo fine? Ut perveniat ad eius visionem; unde sequitur, *Quaerentium faciem Dei Iacob: Exo. 23. Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Attollite*

e Haec est tertia pars psalmi in qua praenunciat quomodo futurum erat, quod Deus coleretur in toto mundo, ut sensus literalis exponit. Deus dicitur hominem inhabitare per fidem: *Eph. 3. Inhabitare Christum per fidem in cordibus vestris:* et per caritatem: *Io. 4. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Item dicitur intrare qui incipit esse, ubi prius non erat. Tunc ergo Deus intrat in nos, quando incipimus habere fidem de eo. Olim totus mundus non habebat fidem Dei, et hoc contingebat propter duplex impedimentum, scilicet propter statuta principum, et propter consuetudinem antiquam. Primum contingebat, quia singulae civitates proponebant sibi leges de idololatria, et constituebant speciales deos: et hic cultus erat quasi inveteratus; hoc etiam daemones procurabant. Item angeli colebantur, quos vocabant militiam caeli: et ista impedimenta erant portae sive ostia quae clausum prohibent introitum domus. Tria autem facit. Primo praenunciat illud quod est futurum. Secundo proponit quaestionem. Tertio subdit responsionem. Dicit ergo, *Principes*, idest o mali homines, vel o daemones, *Attollite portas vestras*, idest elevetis impedimenta quae apponitis ne homines accedant ad Deum. Hieronymus habet, *Elevate;* quasi dicat, Removeatis etc. *Ps. 9. Exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes praedicationes tuas in portis filiae Syon.* Et *Vos portae aeternales*, idest aeternum et antiquum impedimentum: *Elevamini*, id est removeamini: *Psalm. 75. Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis;* quasi dicat, Vos antiqua impedimenta removeatis de cordibus hominum: et tunc ille qui est, *Rex gloriae*, introibit in mundum per fidem, et charitatem, et cultum. Vel potest dici quod sunt duplices portae: quaedam quae sunt malae, quae claudunt aditum ad vitam; aliae bonae, quibus ape-

ritur via vitae: *Ps. 117. Aperite vias vitae*, idest iustitiae etc. Portae malae sunt peccata; bonae autem sunt virtutes. Dicit ergo, *O principes attollite portas vestras*, idest aperite, et removete peccata: et acquirite *Aeternales*, idest dona aeterna a Deo aeterno, *Elevamini*, in cordibus vestris, *Et introibit rex gloriae.* Prophetice loquitur, quia a principio non statim omnes crediderunt, sed dubitaverunt; quasi dicat, Cui volumus credere, et cui volumus obedire? numquid Deo Iudaeorum? *Exo. 5. Nescio Dominum, et Israel non dimittam.* Et ideo hoc ostendit cum dicit, *Quis est iste rex gloriae.* Et respondet, *Dominus fortis et potens.* Aliquis rex apparet gloriosus ex tribus. Quia acquirit primo per robur magna; unde dicit, *Fortis: Prov. 12. Manus fortissima dominabitur: Iob 9. Si fortitudo quaeritur, fortissimus est.* Secundo propter potestatem; et hanc ostendit, cum dicit, *Dominus potens*, quia potentissimus est ad dominandum: *Iob 46. Deus potentem non abiicit: Dan. 7. Potestas eius potestas aeterna* etc. Tertio, quod sit bonus praeliator; unde dicit, *Dominus potens in praelio*, quo contra mortem et diabolum vicit in omnibus: *Apoc. 5. Vicit leo de tribu Iuda.* Vel fortis in natura sua, potens iurisdictione in suos, et potens contra adversarios. Quod ergo secundo dicit, *Attollite* etc. potest dici quod est repetitio: et sic ne differant audientes quis hic potens sit. Vel prius refertur ad principes, idest ad daemones; quod autem hic dicit, refertur ad bonos angelos, qui etiam sua dignitate prius non suo studio erant ab hominibus colendi, qui colebant eos: *4. Re. 17. Adoraverunt universam militiam caeli;* quasi dicat, Removete impedimenta propter quae homines vos colunt. Et ideo hic dicit, *Dominus virtutum ipse est rex gloriae*, in Glossa autem est alia expositio. Christus ad inferos descendit et ascendit in caelum: et haec duo praenunciat hic. Et primo monet infernales ut aperiant; unde dicit, *Attollite* etc. O principes infernales aperite portas vestras: *Et elevamini* etc. *Et introibit rex gloriae.* Sed cum daemones quaererent, *Quis est iste rex gloriae*, respondet, ille qui fuit, *Fortis et potens in praelio*, contra te. Secundo monet supra nos cives *Aperite portas*, paradisi. Unde respondens Christus quasi pracconis voce, et vicem gerens dirigens vocem in caelum dicit, *O principes*, caelestes, *Attollite*, idest aperite, *portas vestras* etc. *Et introibit* etc. Et illis quaerentibus dicit, *Dominus virtutum ipse est rex gloriae.* Est autem sciendum, sicut dicit Dionysius, quod non est intelligendum sic quod angeli essent ignorantes de mysterio incarnationis; sed admirantes dixerunt, *Quis est iste rex gloriae*, quia gloria Christi excellit omnem cognitionem. Aliquando enim ipse Christus docet de se per Scripturam, ut dicitur *Isa. 64. Ego qui loquor iustitiam* etc. Hic autem non ipse, sed alii de eo, scilicet angeli respondent, *Dominus virtutum* etc. quia aliqui angeli accipiunt illuminationem immediate a Deo, sicut dicitur *Isa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et plena erat* etc. Alii ab illis, sicut medii et infimi: et istis hic respondetur ab aliis angelis.

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XXIV.

Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici mei.

b Etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

c Confundantur omnes iniqua agentes, supervacue.

d Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es salvator meus, et te sustinui tota die.

e Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

f Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

g Dulcis et rectus Dominus.

h Propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. Universae viae Domini misericordia et veritas: requirentibus testamentum eius et testimonia eius.

i Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

k Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, et semen eius haereditabit terram. Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

l Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Respice in me, et miserere mei: quia unicus, et pauper sum ego.

m Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt: de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.

n Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt; et odio iniquo oderunt me.

o Custodi animam meam et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te. Innocentes et recti adhaeserunt mihi, quia sustinui te.

p Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.

## a PSAL. XXIV.

Supra psalmista posuit Christi tribulationem et divinum auxilium; hic subiungit orationem: et circa hoc duo facit. Primo ponitur oratio. Secundo orantis merita, *Iudica me Domine* etc. Circa primum tria facit. Primo proponitur oratio. Secundo subditur fiducia ex oratione concepta, ibi, *Dulcis et rectus.* Tertio continuat orationis instantiam, ibi, *Oculi mei.*

Circa primum tria facit. Primo petit liberari ab hostibus. Secundo petit dirigi in bona iustitiae, ibi, *Vias tuas.* Tertio petit remitti sibi peccata, ibi, *Reminiscere.* Circa primum tria facit. Primo proponitur praeparatio ad orandum, secundum illud *Eccl. 19. Ante orationem praepara animam tuam* etc. Secundo ponitur petitio, ibi, *Non erubescam.* Tertio ponitur petitionis ratio, ibi, *Etenim universi.* Dupliciter enim praeparatur ad orandum. Vel per erectionem mentis in Deum, quia, ut Damascenus dicit, *Oratio est ascensus intellectus in Deum.* Vel per fiduciam quam quis habet de Deo. Quantum ad primum dicit, O Domine ego levavi animam meam ad te per contemplationem, bonitatem tuam inspiciens, et per amorem: *Thre. 3. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Propter secundum, quia nullus impetrat nisi confidenter oret: *Iac. 1. Postulet in fide, nihil haesitans: Hebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gloriae,* sive gratiae eius, ideo dicit, *In te Deus meus confido: 2. Cor. 3. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare a nobis aliquid.* Consequenter ponitur petitio: et ponit duo. Unum, quod pertinet ad ipsum secundum se. Secundum, quod pertinet ad ipsum per comparationem ad hostes. Quantum ad primum dicit, *Non erubescam.* Erubescit quis a tribus. Vel quando opprimitur ab hoste, vel quando frustratur, vel quando recogitat peccatum quod fecit. De hoc *Ro. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis.* De secundo *Ro. 5. Spes non confundit, quia charitas* etc. Unde dicit, *Neque irrideant me inimici mei*, idest non habeant facultatem me irridendi ad quod parati sunt: *Sap. 1. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii: Iob 12. Deridetur iusti simplicitas.* Quantum ad secundum dicit. *Etenim*

b Hic ponitur ratio petitionis, et est duplex: quasi dicat, Peto non erubescere, et non irrideri. Et primo ostendit, quibus non debeatur confusio. Secundo ostendit quibus debeatur; ibi, *Confundantur* etc. Dicit ergo quantum ad primum, *Etenim qui sustinent te non confundentur.* Illi sustinent eum qui cum longanimitate eum expectant: *Abac. 2. Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet: Eccl. 2. Nullus speravit in eo, et confusus est. Confundantur*

c Hic ostendit quibus debeat confusio sive erubescentia, quia, *Iniqua agentes.* Est autem duplex confusio, scilicet bona et mala: *Eccl. 4. Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* De prima dicitur *Hier. 8. Confusi sunt quia abominationes fecerunt.* Haec confusio est poenae, et damnationis aeternae. Sed de bona confusione sequitur postea. Quinimo confusione bona non sunt confusi: et ideo hic agitur de utraque confusione. Si enim intelligatur de mala confusione, tunc non optat, sed praenunciat; quasi dicat, Confundantur omnes qui male agunt, scilicet me persequentes: *Hier. 17. Confundantur qui me persequuntur. Supervacue,* quia non possunt habere intentum in persequendo: *Hier. 1. Bellabunt adversum te, et non praevalebunt.* Item, *omnes iniqua agentes,* idest peccatores confundantur damnatione sua supervacue, scilicet iniqua agentes: quia ipso actu peccati elongantur a Deo, et impediuntur a fine intento, scilicet beatitudine: *Sap. 3. Inutilia sunt opera eorum*, vel inhabilia. Item potest intelligi de bona confusione; et sic dicit, *Confundantur* etc. optando, ut ad poenitentiam convertantur. *Vias*

d Consequenter petit promoveri ad bona. Et primo petit petitionem. Secundo rationem eius, ibi, *Quia tu es Deus.* Est autem duplex bonum, scilicet activae, et contemplativae vitae. Primo ponitur bonum activae. Secundo vitae contemplativae, ibi, *Dirige me.* In activa vita est duplex modus procedendi, scilicet communis per praeceptum, specialis per consilia. Quantum ad primum dicit, *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Viae Domini quibus itur ad Deum, sunt praecepta: *Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Ezec. 18. Si in praeceptis meis ambulaverit, et fecerit ea, hic iustus est, et vita vivet.* Per has enim vias venit Dominus ad nos, maxime per praeceptum caritatis: *Io. 14. Si diligitis me, mandata mea servate.* Has vias ego non cognosco; et ideo ostende eas mihi, et quantum ad intellectum, et quantum ad effectum. Quantum ad primum dicitur *Isa. 30. Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et audies vocem post tergum monentis.* Quantum ad secundum dicit, *Et semitas.* Via est publica et communis, sed semita est brevis et non est communis, sed quaedam abbreviatio communis viae. Item consilia sunt via ad Deum, sed arctiora et breviora: *Hier. 6. State supra vias vestras,* scilicet servate praecepta: *Et interrogate de semitis*, idest custodite consilia: *Isa. 40. Rectas facite semitas Dei.* Ad contemplativam autem vitam duo pertinent. Primo, ut quis notis bene utatur ad alia inquirenda, et ut ignota discat. Quantum ad primum dicit, *Dirige me in veritate tua,* idest propter veritatem: quasi veritas tua dirigat: *Ps. 42. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam. Et duce me*, quantum ad secundum dicit, non solum per Scripturam et creaturas, sed etiam interius: *Io. 6. Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me. Quia tu es Deus salvator meus.* Hic ponitur ratio praemissae petitionis: et est duplex. Una ex parte Dei. Alia ex parte petentis. Ex parte Dei est, quia ipse est salvator, et creator humanae salutis, quae consistit praecipue in cognitione veritatis: *1. Tim. 2. Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire.* Unus enim est Deus, et unus mediator Dei et hominum Christus Iesus vere salvator: *Isa. 45. Dominus iustus, et salvans non est praeter me.* Item ex parte petentis, quia non expecto ab alio doceri nisi a te. Quem, *Sustinui tota die: Ps. 36. Sustinentes Dominum ipsi haereditabunt terram.* Item *ibid. Confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Reminiscere*

e Hic petit peccatorum remissionem etc. Hic duo facit. Primo ponit petitionem in generali. Secundo explicat eam in speciali, ibi, *Delicta.* In generali autem petit misericordiam. Hic proprie respicit miseriam. Maxima miseria est culpa. Miseria autem felicitati opponitur, quae consistit principaliter in actu virtutis perfectae. Secundo in bonis exterioribus. Ergo miseria consistit principaliter in actu peccati Secundo in detrimentis et exterioribus rebus: *Pro. 14. Miseros facit populos peccatum.* Et ideo petit misericordiam contra peccata. In hac ergo misericordia sunt duo, scilicet usus sive effectus misericordiae, qui vocatur

miseratio. Secundum est ipsa misericordia, quae vocatur misericordia, secundum quod est virtus. Quando igitur Deus miseretur actu, tunc dicitur misericors; sed videtur oblivisci quando actu non miseretur; unde dicit, *Reminiscere miserationum tuarum: Ps. 76. Aut obliviscetur misereri Deus?* Tamen hoc ipso quod differt misereri, facit propter bona nostra, licet secundum opinionem hominum videatur oblitus, quando non miseretur actu; quasi dicat, Reminiscere, ne apud iniquos videaris oblitus. *Et misericordiarum.* Hoc dicit propter multos effectus misericordiae divinae ad humanam naturam: *Quae a saeculo sunt*, idest ab initio creaturae: *Luc. 1. Misericordia eius a progenie* etc. *Delicta*

f Hic explicat quare indigeat misericordia; quasi dicat, Hic peto misericordiam, quia habeo peccata, quae ut sic loquatur, sunt digna misericordia. Et ponit tria quae faciunt ad dimissionem peccati. Primo ponit genus peccati: et est duplex: unum transgressionis, et aliud omissionis, et haec, scilicet peccata omissionis, vocantur delicta, quasi leviora, et aliquo modo magis venia digna, quia difficile est quod homo a delicto se totaliter custodiat; et ideo dicit, *Delicta: Gal. ult. Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Secundo ex parte peccantis, quia quanto magis homo est praeditus ratione, et est in maiori statu, tanto peccatum est gravius in eo. Et ideo peccata quae in iuventute fiunt, minus imputantur, quam illa quae fiunt in senectute: *Isa. 65. Peccator centum annorum maledictus erit.* Et ideo dicit, *Delicta iuventutis.* Ad literam pro illis quae committuntur in iuventute, orat, prout dicitur *Gen. 8. Proni sunt sensus hominis in malum*, idest peccatum, *ab adolescentia sua: Eccle. 11. Adolescentia et voluptas vana sunt.* Vel, *Iuventutis*, idest originalis, quia homo nascitur filius irae. Et quandiu homo est iuvenis, est in domo patris, sic quandiu homo est peccator, est in domo diaboli, quae domus est ruinosa: *Iob 1. Venit ventus a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, et oppressit omnes filios* etc. Vel, *Iuventutis*, idest peccata ex superbia commissa. Iuvenes naturaliter sunt superbi et praesumptuosi. Tertio ex motivo ad peccandum, quia peccata quae per ignorantiam committuntur, sunt minora; unde dicit, *Et ignorantias meas ne memineris: 1. Tim. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate: Ps. 43. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed recorderis misericordiae.* Consequenter ponitur ratio petitionis. Non petit sibi peccata dimitti propter sua merita, quia misericordia non habet meritum. Et ideo allegat duo ex parte Dei, scilicet misericordiam et bonitatem, quae in Deo sunt ut in subiecto, sed differunt ratione. In Deo autem consideratur bonitas, scilicet communicatio bonorum in creaturis, quia bonum est diffusivum sui. Misericordia vero dicit specialem profusionem bonitatis ad removendam miseriam; et ideo, *Secundum misericordiam tuam memento mei tu*, non peccatorum: *Dan. 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam*, sed in miserationibus tuis multis: *Psal. 78. Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.* Non solum propter misericordiam qua parcis miseris sis memor tantum, sed *Propter bonitatem tuam*, qua bona facis omnia; et haec bonitas est ipse Deus, quia ipse est esse bonitatis. *Dulcis*

g Supra petivit Psalmista sibi sua peccata dimitti per misericordiam divinam; hic autem ponit fiduciam ex misericordia divina conceptam: et circa hoc duo facit. Primo ponit causam fiduciae. Secundo ponit ipsam fidem conceptam, ibi, *Propter nomen tuum.* Circa primum duo facit. Primo proponit causam fiduciae circa divinam bonitatem. Secundo ponit divinae bonitatis effectum, ibi, *Propter hoc legem dabit* etc. Notandum quod circa divinam bonitatem dicit duo, scilicet dulcedinem et rectitudinem, quia *Dulcis et rectus.* Dulcedo proprie est in corporalibus, metaphorice autem dicitur in spiritualibus. Unde oportet quod in spiritualibus dulcedo sumatur ad similitudinem corporalis. Habet autem hoc dulcedo corporalis, quod reficit gustum corporalem et quietat et delectat: similiter et spiritualis dulcedo quietat et reficit, et delectat spiritualem gustum. In Deo autem est essentialis dulcedo: *Sap. 16. Dulcedinem quam habes in filios ostendebas.* Sed apud homines dulcedo dicitur inquantum satisfaciunt, vel sibi, vel aliis, in malis, sive in peccatis; sed in Deo non est nisi in bonis; et ideo subdit, *Et rectus Dominus: Ps. 118. Iustus es Domine, et rectum* etc. ita ut dulcedo ad misericordiam, rectitudo ad iustitiam referatur. *Propter*

h Hic ponitur effectus divinae bonitatis. Est autem triplex gradus hominum, in quibus iudicium divinae bonitatis invenitur. Primus gradus est peccatorum. Secundus poenitentium. Tertius iustorum. Quantum autem ad peccatores manifestat Deus suam bonitatem, eos corrigendo; unde dicit, *Propter hoc*, idest propter dulcedinem et rectitudinem suam. *Dabit legem delinquentibus in via: Gal. 3. Lex propter transgressionem posita est.* Et ideo bonitas Dei est quod delinquentes corrigit. Et dicit, *Delinquentes*, quia, ut dicitur *1. Tim. 1. Iusto non est lex posita.* Item dicit, *In via*, quia in via est status merendi, et peccandi. Vel, *In via*, scilicet fidei, quia dicitur via qua itur ad Deum: *Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere.* Ergo etiam si in fide delinquit, reducitur ad Deum per correctionem. Vel dabit legem charitatis: *Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio, ut ex charitate habeant remissionem peccatorum: Prov. 10. Universa delicta operit charitas.* Vel, *Delinquentibus in via*, institiae eos corripiendo: *Baruc. 3. Viam autem sapientiae nescierunt:* et de his ponit legem. Secundus effectus est, quod poenitentes dirigit; unde dicit, *Dirigit mansuetos in iudicio.* Mansuetatur autem bestia, quando deposita ferocitate subditur hominibus; sic homines quando deponunt peccata, subduntur Deo; et ideo dicit, *In iudicio*, scilicet correctionis, quia per iudicium correctionis proficiunt ad meliora, et in futuro iudicio magis proficient, in quo poenitentes pervenient ad haereditatem aeternae vitae, et audient sententiam pro se: *Prov. 16. Hominis est animum praeparare, et Domini gubernare linguam.* Mansuetudo est virtus mitigans iras, quae ira valde impedit cognitionem, et maxime in moribus invenitur. Haec autem virtus maxime debet appeti; unde dicit Dionysius *in epist. ad Demophilum*, quod Moyses propter nimiam mansuetudinem fuit dignus apparitione divina. Tertius effectus est, quod iu-

stos instruit: unde dicit, *Docebit mites vias suas.* Mansuetus dicitur, qui de feritate ducitur ad pietatem, vel humilitatem; sed mites dicuntur, qui semper tales fuerunt. Isti miserentur a Deo, quia disciplina Domini acquiritur ab homine secundum quod est homo, non secundum quod est bestia: *Iob 35. Docet nos super iumenta terrae.* Proprium hominis, scilicet ratio, pervertitur per passionem irascibilis, et concupiscibilis, et mansuetudo temperat passionem irascibilis, et temperantia passionem concupiscibilis. Et ideo qui sunt mites merentur accipere Domini doctrinam: *Isa. 28. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Exponit consequenter vias quas docet; unde dicit, *Universae viae Domini.* Viae Domini sunt processus eius in aliquo opere; quasi dicat, Ego inveni istam viam. Processus autem Domini in operibus suis ad duo referuntur, scilicet ad misericordiam et iustitiam: nam si aliquid dicitur de Deo et de homine, de utroque intelligitur secundum modum suum. Cum ergo dicitur misericordia de Deo, accipitur secundum modum hominis. Misericordia in homine est cum compatitur in miseriis alienis; iustitia quando reddit unicuique quod suum est. Hoc autem non hoc modo est in Deo, quia Deus est impassibilis, et non compatitur, quia compassio est cum alio in se assumpta passio de aliena tribulatione. Item nulli aliquid debet. Est ergo misericordia in Deo, quando repellit miseriam uniuscuiusque rei, ut miseriae large pro defectu sumantur. Iustitia est in Deo, quando unicuique dat secundum suam proportionem. Et haec duo invenimus in omnibus operibus Dei: quia in prima earum institutione non invenitur ratio iustitiae, sed misericordiae, quia nihilo nihil debetur; sed quando iam res fuerunt institutae, tribuit eis omnia rebus competentia secundum proportionem, et in hoc manifesta est divina iustitia. Et sic etiam facit in effectibus gratiae, quia prima iustificatio peccatoris est misericordiae, et post iustificato dat praemia iustitiae, quia dat secundum suam proportionem, et sic procedit misericordia, et postea sequitur iustitia; et ideo dicit, *Universae viae Domini misericordia et veritas: Tob. 3. Omnes viae tuae misericordia et veritas: Ps. 144. Miserationes eius super omnia opera eius.* Item *118. Veritas tua* etc. Sed quibus videntur viae Domini misericordia et iustitia? Non iniquis et peccatoribus, immo videtur eis quod sint crudeles et iniustae: *Ezec. 18. Non est aequa via Domini, dicunt peccatores:* sed bonis et iustis viae Domini videntur tales, ut dictum est *Ps. 72. Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Et dicit, quibus viae Domini sunt misericordia et veritas et iustitia, quia *Requirentibus testamentum eius et testimonia eius.* Hieronymus habet, *Custodientibus.* Sed quid est testamentum eius et testimonia eius? Testamentum generaliter est omne pactum Dei, testimonia vero sunt omnes Dei promissiones. Deus autem promittit adiutoria, et adhuc adhibet miracula. Vel *Testamentum* accipitur pro bono testimonio in quo omnes promissiones sunt impletae, *Testimonia*, scilicet vetus testamentum, quod est testimonium novi: *Act. 10. Huic omnes prophetae testimonium perhibent.* Vel testimonium dicitur quasi testata veritas: *Deut. 7. Custodivit testamentum, quod iuravit patribus vestris.* Vel testamentum dicitur testificatio legis mentis secundum iuristas; testatio autem potest dici manifestatio, vel certificatio, vel certitudo: testes enim manifestant, et certificant, et sic testamentum dicitur quasi manifestatio et certificatio mentis divinae, sive quod aliquid velit Deus. Vel secundum Papiam, Testamentum in sacra Scriptura dicitur esse pactum, vel placitum. Testimonium autem dicitur omne quod ab extranea re sumitur ad faciendum fidem. *Propter*

i Hic ponitur fiducia concepta ex divina misericordia et iustitia: et circa hoc duo facit. Primo ponit fiduciam quam habet pro seipso. Secundo invitat alios ad confitendum, ibi, *Quis est homo.* Circa primum duo facit. Primo ponit suam fiduciam. Secundo rationem eius assignat. Dicit ergo quod Dominus dabit legem etc. et hoc ad bonitatem eius pertinet; et ideo dicit, Ego confido quod ipse propitiabitur peccato meo, idest remittit mihi peccatum: *Luc. 7. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Et hoc faciet non propter merita nostra, quia haec merentur poenam, sed *Propter nomen tuum.* Nomen Dei accipitur hic non solum secundum quod dicitur, sed res significata per nomen quae est divina bonitas; quasi dicat, Propter bonitatem suam remittet mihi peccatum: *Dan. 7. Salvum fac propter nomen tuum*, idest ut glorificetur nomen tuum. Et maxime competit nomini Iesu Christi quod est nomen salutis, ut dicitur *Matth. 1.* Et quare? *Propter nomen tuum*, quia tantum est peccatum meum, quod ex merito non meretur remissionem: unde dicit, *Multum est enim*, idest magnum et grave, multitudine et pluralitate peccatorum: *Iac. 1. In multis offendimus omnes;* ad minus venialiter: *Prov. 34. Septies in die cadit iustus, et resurget.* Vel *Multum*, gravitate: *Psal. 37. Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Vel hoc dicitur contra Novatianos qui se catharos dicebant, idest puros. Novatus sacerdos fuit tempore Decii, et hic dicebat, quod nullus poterat redire ad poenitentiam post baptismum postquam lapsus fuerat. Sed si hoc esset verum, frustra diceret Psalmista *26. Propitiaberis peccato meo. Quis*

k Hic invitat alios ad confidendum. Et primo ponit quid necesse est ex parte nostra. Secundo quid sperandum a Deo. Ex parte autem nostra requiritur, quod subiiciamur, alias frustra confideremus. Prima ergo subiectio est per timorem: *Eccl. 1. Timor Domini initium sapientiae;* unde dicit, *Quis est homo qui timet Dominum: Eccl. 2. Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.* A Deo autem speranda sunt tria, secundum quod tria sunt in homine, scilicet intellectus, voluntas, et virtus operativa. Deus ergo intellectum instruit, voluntati satisfacit, et virtutem roborat. Quantum ad primum dicit, *Legem statuit ei in via quam elegit*, idest homo, qui timet Dominum, elegit viam, scilicet servire Deo: *Psal. 2. Servite Domino in timore: Isa. 30. Haec est via, ambulate in ea.* Et in hac instruit qualiter homo procedat: Hieronymus habet, *Docebit eum*: et hoc ponendo legem facit. Voluntas autem hominis ad duo refertur in isto mundo. Primo, ut bona possideat. Secundo, quod illa bona filiis suis dimittat, et in his etiam Deus temporaliter timentibus eum satis facit. Unde quantum ad primum dicit, *Anima eius in bo-*

*nis demorabitur.* Sed melius est ut hoc spiritualiter intelligamus. Et videtur hic duo dicere, scilicet affluentiam bonorum, *Anima eius in bonis demorabitur*, ut accipiatur pro voluntate, cuius obiectum est bonum. Ergo tunc in bonis homo moratur, quando satiatur spiritualibus: *Ps. 102. Qui replet in bonis desiderium tuum*, idest bonis praesentis vitae, scilicet spiritualibus virtutibus, et in futuris bonis gloriae. Secundo dicit firmitatem, *Et semen eius haereditabit terram. Et semen*, idest opera hominis spiritualis, quae opera sunt filii nostri. Et hic, *Haereditabit terram*, scilicet quando dabitur haereditas illa, scilicet terra viventium: *Ps. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium.* Vel, *Semen*, idest corpus nostrum glorificatum, *Haereditabit terram*, illam propter bona opera. Quantum ad tertium dicit, *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Et primo ponit confirmationem virtutis operativae. Secundo ponit finem, *Et testamentum.* Dicit ergo, Alii homines propter timorem mundi infirmantur, quia vacillant, sed timor Dei facit fortes: quia, ut dicitur *Eccl. 34. Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* Et ideo subditur spes eius est, *Firmamentum:* et hic usque ad hoc firmatur quousque manifestet ei testamentum suum, idest suam possessionem. Hoc ergo testamentum est, vel promissio quam facit de adventu Christi, qui quidem adventus manifestatus est Simeoni timorato, vel promissio de vita aeterna: *Io. 14 Ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Hieronymus habet sic, *Secreta Domini timentibus eum, foedus illius manifestatum illi.* Promissio enim vitae aeternae est in secreto, ut dicitur *Isa. 64. Oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Et hoc datur, *Timentibus eum: Ps. 39. Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et hoc secretum est foedus quod promisit timentibus eum: *Malac. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae. Oculi*

l Supra Psalmista posuit fiduciam conceptam ex divina misericordia, et ad hoc etiam alios invitavit; hic autem iterato ex concepta fiducia continuat orationem: et circa hoc duo facit. Primo praemittit praeparationem ad orandum: *Eccl. 18. Ante orationem praepara animam tuam.* Secundo ponit ipsam orationem, ibi, *Respice.* Circa istam autem partem duo facit. Primo ponit orationem in qua orat pro se. Secundo ex parte inimicorum, ibi, *Respice inimicos meos.* Circa primum tria facit. Primo petit misericordiam. Secundo assignatur ratio miserendi, ibi, *Tribulationem:* Praeparatio orationis est elevatio mentis in Deum; unde *Oculi*, scilicet cordis: *Eph. 1. Illuminatos habentes oculos cordis nostri.* Isti oculi, scilicet intellectus, et fidei, dicuntur specialiter esse ad Dominum: *Psal. 122. Ad te levavi oculos meos* etc. Et hoc propter fiduciam conceptam, *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos: Eccl. 9. Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic homines a diabolo tempore malo.* Haec mala sunt occasiones peccati. Et quando homo cadit in peccatum, tunc ligatur laqueo affectus eius, qui dicitur peccatum hominis: hunc laqueum solvit solus Deus: *Ps. 123. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Et quomodo? Adiutorium nostrum in nomine Domini. Consequenter petit misericordiam; et ideo dicit, *Respice in me* etc. Avertere videtur oculos, cum non impendit effectum misericordiae suae, sed respicit cum impendit; unde ad aspectum Christi Petrus flevit, *Luc. 22.* sic dicit, *Respice in me* etc. *Sap. 4. Misericordia est in sanctos eius.* Hic ponitur ratio quare misericordia indiget, quia, *Unicus.* Hoc uno modo intelligitur sic, quia qui non habet subsidium in se, oportet ut revertatur ad Deum: *Ps. 120. Auxilium meum a Domino.* Habent enim homines duplex subsidium in mundo: unum amicorum, aliud rerum; sed hic neutrum habet, quia non amicorum; unde dicit, *Quia unicus*, idest solitarius absque adiutorio propinquorum et amicorum: *Eccl. 51. Respiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat.* Item non rerum, quia *pauper: Ps. 87. Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea.* Vel aliter. Duo requiruntur ad hoc, quod homo iuvetur a Deo. Primo, quod totaliter cor suum tendat ad Deum: *Ps. 20. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae: Luc. 10. Porro unum est necessarium.* Et hoc quod dicit, *Quia unicus*, idest unum intendo. Secundo, quod sit contemptor rerum mundanarum, alias non est unicus, nec placeret Deo tantum: ideo dicit, *Quia pauper sum*, idest contemno omnia propter te. *Tribulationes*

m Hic ponit tria pertinentia ad miseriam: duo videlicet pertinentia ad poenam; tertium pertinens ad culpam. Est autem duplex poena. Una est ex necessitate inflicta. Alia voluntarie assumpta. Poenae inflictae habent duo, quia affligunt interius cor, et exterius cogunt corpus. Quantum ad primum dicit, *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt*, idest ex diversis rebus, et multis tribulationibus quae eveniunt, perveniunt tribulationes usque ad cor, sicut tribuli pungentes: *Thre. 1. Multi gemitus mei, et cor meum moerens.* Quantum ad secundum dicit, *De necessitatibus meis eripe me.* Tribulationes vocat necessitates, inquantum sunt utiles tribulationes, ut dicitur *Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem spem: spes autem non confundit: Iac. 1. Patientia opus perfectum habet.* Glossa: *Patientia non vincitur, perfectus probatur.* Et ideo sunt utiles, inquantum humiliant: *Ro. 5. Non solum autem tribulamur, sed gloriamur in tribulationibus* etc. Vel tribulationes dicuntur penuriae: *Deut. 8. Afflixit te penuria*, sicut dicitur *Ro. 17. Necessitatibus communicantes.* Vel propter violentiam quae est necessitas quaedam. Poena autem assumpta interius est humilitas spiritus coram Deo; unde dicit, *Vide*, idest considera humilitatem meam: *Lucae 1. Respexit humilitatem ancillae suae.* Item est etiam humilitas exterius manifesta, quae est quidam labor; unde dicit, *Et laborem meum: Ps. 72. In labore hominum non sunt* etc. de bonis hominibus dicitur *Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus.* De culpa dicit, *Dimitte omnia peccata mea: Eccl. 34. Deprecanti tibi peccata solventur.* Et nota quod per tria consequitur quis remissionem peccatorum, scilicet per tribulationes quae remissionem peccatorum operantur, si patienter portantur: *To. 3. In tempore tribulationis peccata dimittis, et post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis.* Item per humilitatem:

*3. Reg. 21. Quia humiliatus est Achab coram me, non inducam malum in diebus eius* : *Ps. 50. Cor contritum et humiliatum* etc. Item per laborem : *Deut. 26. Respexit humilitatem nostram, et laborem, et angustias, et eduxit nos de Ægypto in manu forti.* Et ideo dicit, *Dimitte* etc. *Respice*

n Hic orat petens auxilium contra adversarios. Et primo inducit Deum ad considerandum inimicos. Secundo petit auxilium contra eos, ibi, *Custodi.* Tertio assignat rationem, ibi, *Non erubescam.* Dicit ergo, *Respice*, oculo misericordiae : *Inimicos meos*, ut miserearis eorum, et convertas eos : *Matt. 5. Orate pro persequentibus et calumniantibus vos: Prov. 16. Cum placuerit Domino via eius, inimicos quoque eius convertet ad pacem.* Et hoc peto orando, quia tunc habebo pacem. *Quoniam multiplicati sunt: Psal. 24. Multiplicati sunt qui persequuntur me, et tribulant me. Et odio iniquo oderunt me.* Est autem duplex odium. Primum odium est bonum, quando quis odit peccatum, sive peccatorem propter culpam: *Ps. 138. Perfecto odio oderam illos.* Item est odium iniquum, quando quis odit naturam, vel iustitiam; ideo dicit, *Et odio iniquo oderunt me*, idest iniusto et sine causa : *Io. 15. Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis. Custodi*

o Hic petit auxilium contra inimicos, quia multi sunt et iniqui : ideo petit duplex auxilium. Primo ut custodiat eum in persecutionibus ne praevaleant temporaliter, vel spiritualiter, vel ut custodiat eum ut non corruat in peccatum. Secundo, ut liberet eum a malis; unde dicit, *Et erue me*, scilicet a malis totaliter, ut abundantia in patria perfruatur, *Prov. 11.* Ratio ponitur cum dicit, *Non erubescam*, quia si non liberes et custodias, veniam in confusionem. Et hoc non debet esse, *quia speravi in te: Dan. 30. Non est confusio confidentibus in te.* Alia ratio, quia innituntur mihi amici tui. Aliquando Deus aliquem liberat non propter propria merita, sed ne amici Dei pereant cum eo, cui innituntur cum dicit, *Innocentes et recti adhaeserunt mihi.* Innocentes dicuntur qui declinant a malo, recti qui operantur bonum : *Eccl. 33. Omne animal diligit sibi simile.* Et quare, *quia sustinui te*, idest quia speravi in te : *Ps. 26. Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Hieronymus habet, *Simplicitas et veritas. Libera*

p Hic ponit Psalmista petitionem pro toto populo; unde dicit, *Libera Deus Israel*, populum illum, vel eos quos praedestinasti ad hoc ut videant Deum, *Ex omnibus tribulationibus suis.* Et hoc erit perfecte in patria, quando complebitur illud *Apoc. 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et iam non erit ultra neque luctus, neque clamor* etc.

## a PSAL. DAVID XXV.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor. Proba me Domine, tenta me : ure renes meos, et cor meum.

b Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.

c Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

d Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

e Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

f Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

g Pes enim meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.

## a PSAL. XXV.

Supra Psalmista proposuit orationem contra tribulationes ; hic autem ut sua oratio sit acceptior proponit suam iustitiam. Titulus planus est, quia non est novus. Circa hoc ergo Psalmista duo facit. Primo praemittit in generali totam intentionem. Secundo exponit eam in speciali, ibi, *Non sedi cum concilio.* Circa primum tria facit. Primo petit iudicium. Secundo allegat iustitiam, ibi, *Quoniam ego.* Tertio excusat praesumptionem, *Quoniam misericordia.* David autem ex persona sua, vel iusti videns se commixtum peccatoribus loco, etsi non merito, petit ab eis discerni ; unde dicit, *Domine iudica*, idest discerne me ab eis. Sed contra. *Non intres in iudicium cum servo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, Ps. 142.* Respondeo. Dicendum quod duplex est iudicium, scilicet severitatis et districtionis : et hoc iudicium non petit, quia nullus posset ferre ; aliud est iudicium misericordiae et discussionis : et hoc petit: *Hier. 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio et non in furore*, idest severitatis. Et proponit innocentiam ; et ideo dicit, *Quoniam ingressus sum in innocentia mea*, idest progressus sum in innocentia mea. Vel *ingressus sum*, quia vita nostra est quidam progressus : *Prov. 4. Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris* etc. Et hoc in innocentia mea, quam propono servare : *Iob 2. Salvabitur innocens, et salvabitur in munditia manuum suarum. Non infirmabor:* Hieronymus habet, *non deficiam*, scilicet in hac innocentia servanda : *Iob 7. Donec deficiam non recedam ab ea :* et hoc faciam non in viribus meis, sed confidentia divini auxilii, quia, *In Domino sperans non infirmabor : Mach. 2. Omnes qui sperant in eum, non infirmantur.* Sed contra : hoc videtur esse praesumptionis : *Iob 9. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Respondeo. Dicendum, quod allegatio innocentiae potest quandoque procedere ex superbia, quando scilicet aliquis attribuit eam sibi, et hoc est malum : quandoque ex divina misericordia, et hoc est bonum ; et ideo subdit, *Quoniam misericordia tua.* Sed unde scis quod tu sis innocens ? *Proba Domine*, tu hoc. Et ponit

tria, scilicet probationem, tribulationem, et tentationem. Secundum sequitur ex primo, tertium ex secundo. Dicit ergo, *Domine proba* etc. non ut scias aliquid ex hoc de me, sed ut aliis ostendas. Probatur autem aliquis optime per tentationem quae est sumptio experimenti: tentatio est acceptio experimenti de eo quod quis nescit; probatio vero est eius, quod scit virtutis manifestatione. Et ideo dicit, *Tenta me*, scilicet ad hoc ut probatus appaream mihi et aliis: non enim tentat Deus ad malum: *Iac. 1. Deus enim intentator malorum est*; sed dicitur tentare, quando aliqua ex difficultate immensa ostenduntur. Haec autem tentatio fit per ignem, ut dicitur *Sap. 3. Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Et ideo dicit, *Ure renes meos et cor meum*, idest immitte tribulationes per quas pateat, quid sit in corde et renibus meis. Cordi attribuitur cogitatio, renibus delectatio. Et hoc apparet per tribulationes, quia qui delectantur in terrenis, multum commoventur quando perdunt ea, sed non illi qui non delectantur. Vel potest referri ad ignem sancti Spiritus: *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram:* quasi dicat, Ne deficiam in tribulationibus, adhibe auxilium, mitte ignem qui exurat quicquid carnalitatis est in delectationibus meis et vanitatibus, in cogitatione. *Quoniam*

b Hic excusat se dupliciter de hoc, quod petit se tentari. Primo ex sua cogitatione, quia cogitat Dei misericordiam cum dicit, *Quoniam miser* etc. quasi dicat, Ideo peto tentari, quia confido in misericordia tua, quae semper facit cum tentatione proventum: *Isa. 63. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quae reddit mihi Dominus.* Item ex amore iustitiae, *Et complacui in veritate tua*, idest si punis me propter peccata, placet mihi: si tentor, scio quod remunerabis. *Non*

c Hic explicat in speciali intentionem suam. Et primo ponit suam innocentiam. Secundo ponit petitionem, ibi, *Ne perdas cum impiis Deus.* Ostendit ergo innocentiam suam. Et primo per recessum a malis. Secundo per accessum ad bonum, ibi, *Laudabo.* Est autem triplex genus malorum, secundum tria peccata. Aut enim est peccatum contra Deum, aut contra proximum, aut contra se. Contra se autem sunt vanitatis peccata, quibus homo vane delectatur in vanis; et de his dicit, *Non sedi cum concilio vanitatis;* quasi dicat, Non dicit quin in aliquo fuerim cum eis, quia non potest fieri quin homo vane aliquando non delectetur in terrenis; sed dicit, *Non sedi: Tob. 3. Numquam cum ludentibus miscui me; neque his qui in levitate ambulant participem me praebui.* Peccata quae sunt contra proximum, sunt peccata, quae opere geruntur; unde dicit, *Et cum iniqua gerentibus non introibo*, idest non solum non sedi etc. sed nec introivi, idest nullo modo cum eis miscui: *Prov. 1. Fili, si te lactaverint peccatores, ne ambules cum eis.* Item cogitantur praedicta peccata corde; unde dicit, *Odivi ecclesiam malignantium*, idest congregationem malignantium: *Ps. 118. Iniquos odio habui*, idest culpam et iniquitatem. Tertio ponit peccatum contra Deum, et hoc est impietas; et ideo dicit, *Et cum impiis*, idest haereticis et schismaticis: *Non sedebo*, idest eorum doctrinis non communicabo: *Hebr. 13. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Lavabo*

d Supra Psalmista ostendit innocentiam suam per hoc quod separabat se a malis; hic autem ostendit eam, per hoc quod applicat se bonis. Et quia bona, quorum applicatio nos facit iustos, sunt divina bona, ideo dicit suam applicationem ad ea. Circa hoc duo facit. Primo ponit studium suum. Secundo effectum, ibi, *Domine dilexi decorem domus tuae.* Circa primum tria facit. Primo proponit suam dispositionem ad divinum cultum. Secundo ponit ipsum cultum divinum, ibi, *Circumdabo.* Tertio fructum, ibi, *Ut audiam vocem laudis.* Dispositio fit per puritatem et innocentiam: *Ps. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo* etc. *innocens manibus et mundo corde.* Et ideo ut purus accedat, agit de puritate. Dicit ergo, *Lavabo inter innocentes manus meas*, idest opera mea quae principaliter lavantur a Deo, per gratiam quam infundit: *Ps. 50. Amplius lava me Domine ab iniquitate* etc. Item lavantur a nobis per poenitentiam: *Isa. 1. Lavamini, mundi estote* etc. *Lavabo*, ergo idest poenitentiam adhibebo ut laventur. Et hoc, *Inter innocentes*, quia ex convictu mores formantur: *Ps. 17. Cum innocente innocens eris* etc. Et sic lotus accedam ad cultum divinum. *Et circumdabo altare tuum Domine.* Hic ponit de altare materiali, et dicitur, *Circumdabo altare tuum Domine*, quia vel orat, vel stat iuxta; *Eccl. 50.* de Simeone sacerdote magno, *Ipse stans iuxta aram.* Et ideo sacerdos quando accedit ad sacramentum dicit *Lavabo* etc. Vel potest intelligi de altari spirituali. Altare est in templo: et sicut est triplex templum, ita est triplex altare. Primum est vir iustus: *2. Cor. 6. Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Huius templi altare est cor: *Lev. 6. Ignis*, scilicet caritatis, *in altari*, idest in corde, *semper ardebit.* Hoc altare debemus circumdare, vel iuxta stare, idest ornare semper redeundo ad Christum: *Prov. 4. Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Aliud templum est ecclesia: et huius templi altare est Christus: *Heb. ult. Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Vel fides. Et hoc debemus circumdare, ut toto corde simus circa ipsum. Tertium templum est ipse Deus: *Apoc. 21. Templum vidi in ea, Dominus Deus omnipotens templum illius est* etc. et huius altare est misericordia Dei. Et hoc circumdare debemus desiderio mentis: *Ps. 144. Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Consequenter ostendit fructum, et est duplex fructus, scilicet audire et enarrare; unde dicit, *Ut audiam vocem laudis.* Et hoc ad literam circa altare materiale, quia hoc sacrificium est maxime Deo acceptum: *Ps. 49. Sacrificium laudis honorificabit me.* Item laudem quam Spiritus sanctus loquitur in nobis: *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Item, in caelo: *Isa. 33. Gaudium et laetitiam* etc. Vel, *Audiam vocem laudis*, idest Christi me laudantis: et hoc erit in iudicio quando dicet, *Esurivi* etc. *Mat. 25.* Sed *Apoc. ult.* dicitur: *Qui audit, dicat, veni.* Unde ad hoc audimus ut aliis dicamus: *Isa. 21. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Et ideo subdit,

*Ut enarrem universa mirabilia tua: Eccl. 42. Nonne Deus fecit enarrare sanctos* etc. Et dicit, *Omnia mirabilia*, quantum ad affectum sive conatum non quantum ad effectum, quia ipse est maior omni laude. *Domine*

e Hic ostendit affectum quem habet ad cultum divinum: qui ut sit conveniens, debet esse affectus amoris. Propter quod dicit, *Domine dilexi decorem domus tuae.* Dionysius: *Bonum et pulchrum est omnibus diligibile.* Unde omnis homo amat pulchrum: carnales amant pulchrum carnale, spirituales amant pulchrum spirituale, et haec est pulchritudo domus Dei: *Num. 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel, ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quae finxit Dominus.* Haec autem pulchritudo est bonorum operum, vel divinorum munerum, vel ipsorum sanctorum, quia omnia haec sunt quasi quidam decor domus Dei. Haec ergo omnia ego dilexi, ut me facerent aptum ad decorem domus Dei. Sic ergo ostenditur affectus dilectio, et pulchritudo, et decor. Sed sciendum est, quod hic decor est ex habitatione Dei, sicut domus non est pulchra nisi inhabitetur: unde me dilexi ut in me habites, vel patriam dilexi ut ibi habitem, vel in eam tendam. Et ideo dicit, *Et locum habitationis gloriae tuae:* et haec omnia, idest bona opera, dona Dei, et ipsi sancti sunt decor domus Dei, inquantum relucet in eis gratia divina quae pulchrificat sicut lux, sicut dicit Ambrosius, quod sine luce omnia sunt turpia: *Ezech. 17. Ingressa est gloria Domini portam. Ne perdas*

f Hic explicat petitionem iudicii quod petiit, et exponit quale iudicium petiit: et petit duo. Primo petit separari a malis, quae possunt evenire in futuro. Secundo a malis, quae in praesenti patitur, ibi, *Redime.* Primo ergo ponit petitionem. Ubi sciendum est quod duobus generibus hominum servatur poena a Deo, scilicet illis qui sunt impii sive peccatores contra Deum: *Ezec. 18. Impietas impii erit super eum.* Et ideo dicit, *Ne perdas* etc. quasi dicat, Si hic affligor et patior terrena mala cum impiis, tamen ne perdas animam meam cum eis. Item servatur poena impiis contra proximum; ideo dicit, *Et cum viris sanguinum vitam meam: Ps. 54. Viri sanguinum et dolosi.* Hic computantur omnes qui contra proximum offendunt, quocumque modo. Est autem triplex sanguis. Unus qui causatur ex cibo et potu: unde cibus et potus dicitur sanguis pauperum: *Eccl. 34. Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Secundus est sanguis hominis, et hoc effundit homicida. Tertius est sanguis seminis ad speciem conservandam, hunc effundit fornicator, quia causa prolis non agit, *In quorum manibus iniquitates sunt;* quasi dicat, ideo hoc peto, scilicet ut separer ab his tunc, quia nunc separatus sum in conversatione et vita, quia in eorum manibus iniquitates sunt, scilicet sunt valde proni ad malum: *Prov. 1. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem: Isa. 59. Opera iniquitatis in manibus eorum.* Item est inclinatio affectus eorum ad mundana; unde dixit, *Dextera eorum repleta est muneribus: Iob 15. Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Vel *Dextera eorum repleta est muneribus;* quasi dicat, Licet ipsi sint iniqui, tamen das eis temporalia, et in his consistit merces eorum: *Matt. 6. Receperunt mercedem suam.* Consequenter describit se, dicens, *Ego autem in innocentia mea ingressus sum;* quasi dicat, Hoc peto ut sicut illis praeparas mala, ita praepares mihi bona, sicut dicit *Ps. 83. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Consequenter petit ut liberetur a malis praesentibus. Mala quae sunt homini, duplicia possunt esse; quia vel sunt mala exteriora, et ab his petit redimi: unde dicit, *Redime me,* ut servum malorum me prementium. Vel de redemptione humani generis. Vel sunt mala interiora, et ab his petit liberari; unde dicit, *Miserere mei*, quia miseria proprie respicit malum interius: *Prov. 12. Miseros facit populos peccatum. Pes enim*

g Hic ponitur ratio quare hoc petit, et est duplex. Una est de praeterito, quae est rectitudo vitae; unde dicit, *Pes meus*, idest affectus meus, vel processus meus, *Stetit in directo.* Item de futuro propono tibi semper servire; unde dicit, *In ecclesiis benedicam te Domine*, idest coram multis: *Ps. 39. Annunciavi iustitiam tua in ecclesia magna.* Et dicit pluraliter propter multitudinem particularium ecclesiarum, ut dicitur *Apoc. 3.*

*In finem.*

PRIUSQUAM LIBERETUR.

## a PSAL. XXVI.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dum appropriant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

b Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.

c Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Ut videam voluntatem Domini, et visitem templum eius.

d Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

e In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

f Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo et psalmum dicam Domino.

g Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei, et exaudi me.

h Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

i Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.

k Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quoniam

pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

l Legem pone mihi Domine in via tua: et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

m Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

n Credo videre bona Domini in terra viventium.

o Expecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

## a PSAL. XXVI.

Praemissa oratione, hic Psalmista consequenter dicit fiduciam de oratione conceptam: et circa hoc duo facit. Primo ponit fiduciam conceptam. Secundo iterato orat ut non deficiat in sua fiducia, ibi, *Ad te Domine.* Titulus, *In finem Psalmi priusquam liniretur.* Notandum est quod sicut Glossa latius dicit, David tribus vicibus fuit unctus in regem. Primo a Samuele, *1. Reg. 16.* Et tunc non fuit rex, sed habuit signum regni. *Tulit Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum* etc. Et tunc directus est spiritus Domini in David, quia ex tunc fuit propheta secundum Hieronymum et Iosephum. Secundo in Hebron, *2. Reg. 2. Venerunt viri Iuda, et unxerunt David in regem super domum Iuda.* Tertio occiso Isboseth filio Saulis regnavit super totum Israel, *2. Reg. 8.* Hae duae inunctiones computabantur pro una, quia utraque fuit pro actuali dignitate regni adipiscenda. In prima passus est persecutionem a Saule, sed post secundam et tertiam regnavit in pace. Sed contra de Absalone. Respondeo dicendum, quod non est passus persecutionem ab extraneis, sed ab Absalone et Siba: et ideo fecit hunc Psalmum ante secundam unctionem. Melius tamen videtur ut referantur ad Christum duae unctiones in novo testamento, scilicet regis, et sacerdotis. Et Christus fuit unctus oleo Spiritus sancti: *Psal. 44. Unxit te Deus* etc. in regem et sacerdotem. Et haec unctio derivatur usque ad nos: *Psal. 132. Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron: Io. 1. De plenitudine eius omnes accepimus.* Primo ergo ungimur sacerdotali unctione in figura futuri regni: erimus enim reges et liberi. Et quia adhuc patimur hostes, postea ungemur dupliciter actuali gloria, scilicet stola gloriae animae et corporis. Christus autem primo fuit unctus unctione gratiae, postea gloriae. Dividitur ergo Psalmus iste in tres partes. In prima ponit fiduciam de Deo conceptam. In secunda ostendit desiderium ex fiducia conceptum, ibi, *Unam petii.* Tertio ponit desiderii implctionem, ibi, *Exaudi Domine.* Circa primum tria facit. Primo commemorat beneficia sibi a Deo praestita propter quae non timet, sed securus est. Secundo commemorat impedimenta parata a Deo, ibi, *Dum appropiant.* Tertio ostendit fiduciam quam habet a Deo, ibi, *Si consistant.* Notandum autem, quod ad timendum concitatur quis aliquando ex interiori causa, quandoque ex exteriori causa. Primo ergo ponit auxilium contra primam causam. Secundo contra secundam, ibi, *Dominus protector.* Est autem duplex causa intrinseca timoris, ignorantia, et debilitas: unde in tenebris magis timendum est. Secunda causa timoris est debilitas; et contra has est remedium a Deo. Contra primum est illuminatio; unde dicit, *Dominus illuminatio mea: Mich. 8. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Contra secundum est salus; unde sequitur, *Et salus mea: Ps. 61. In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Et ideo ostendit fiduciam, *Quem timebo,* sic illuminatus et sic salvatus? *Isa. 51. Quis es tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum sic arescet? Ro. 8. Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? et si Deus pro nobis, quis contra nos?* Causa extrinseca est homo, qui adversatur, sed adhuc non est timendum, quia Dominus opponit se sicut scutum; unde dicit, *Dominus protector vitae meae: Gen. 15. Ego protector tuus et merces tua magna nimis.* Et ideo dicit, *A quo trepidabo.* A quo si sumatur masculine, tunc est sensus, *A quo*, scilicet a quo homine. Si neutraliter, a qua re. Et sic nihil est timendum, nec homo, nec res aliqua, *Dum appropiant super me nocentes.* Et quia posset dici quod Deus est illuminator etiam hostium, ideo hoc removens dicit quod Deus obsistit eis. Et primo dicit eorum conatum. Secundo ponit impedimentum eis superveniens, ibi, *Ipsi infirmati sunt* etc. Circa primum tria facit. Primo praemittit praesumptuosum insultum. Secundo perversum actum. Tertio magnum effectum. Quantum ad primum dicit, *Dum appropiant super me nocentes*, idest habentes animum nocendi, *Super me*, idest mihi se praeferentes: *Thre. 1. Facti sunt hostes eius in capite, usque ante faciem* etc. Quantum ad secundum ut scilicet graviter affligant, *Ut edant carnes meas*, idest carnalem vitam: *Prov. 1. Deglutiamus eum, sicut infernus viventem, et integrum: Mich. 3. Carnem populi comederunt, et pellem eorum desuper excoriaverunt.* Vel ut ly ut teneatur consecutive, ut sit sensus, *Edant carnes*, idest carnalitates meas, quia quando mali persequuntur bonos, aliud intendunt ipsi mali, sive ipsi persecutores, scilicet offensionem corporalem; et secundum hoc est prima expositio: aliud intendit Deus hoc permittens, scilicet purgationem ab omni carnalitate; et sic secunda expositio. Et hoc modo dicit Apostolus *Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Quantum ad tertium dicit, *Qui tribulant me inimici mei: Ps. 12. Qui tribulant me exultabunt si motus fuero. Ipsi infirmati sunt*, quia non valuerunt implere propositum, *Et ceciderunt*, quia superati sunt, et absorpti: *Hiere. 20. Dominus mecum est tamquam bellator fortis, idcirco qui persequuntur me, cadent et infirmi erunt. Si consistant*

b Homo debet habere securitatem in duobus. Primo in praeparatione malorum. Secundo in eorum passione, ibi, *Exurgam.* Dicit ergo, Dominus sic est illuminatio mea, quia inimici cadunt coram me. Glossa, *Si consistant adversum me castra.* Castra sunt ubi steterunt milites, *Non timentes cor meum.* Quamdiu homo est in castris, non pugnat, sed disponit, et consiliat ad pugnandum. Per castra intelliguntur consilia et coniurationes malorum contra aliquem, *4. Reg.*

*19. Angelus Domini percussit castra Assyriorum: Exo. 14. Factum est in vigilia matutina, et ecce ascendit Dominus super castra, et percussit. Non timebit cor meum,* quia Dominus mecum est: *Iob 17. Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.* Sed, *Si exurgat adversum me praelium,* idest si iam invadant me, et praelientur contra me, quamvis sint multi: *In hoc ego sperabo:* quia, ut dicitur *1 Mach. 3. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est.* Est enim consuetudo amicorum inter amicos, cum impugnantur ab hostibus: *Psal. 93. Consolationes tuae laetificaverunt animam meam. Unam petii*

c Supra Psalmista posuit fiduciam ex oratione conceptam; hic autem ponit desiderium, quod ex hac fiducia oritur: et circa hoc duo facit. Primo proponit desiderium. Secundo causam desiderii assignat, ibi, *Quoniam abscondit me.* Circa primum tria facit. Primo describit qualitatem desiderii. Secundo ipsam rem desideratam, ibi, *Ut inhabitem.* Tertio intentionem finis, ibi, *Ut viderem voluntatem.* Desiderii ergo qualitas in duobus consistit, scilicet in unitate, et solicitudine: et utrumque pertinet ad perfectionem desiderii. Perfectio enim desiderii dependet ex perfectione causae suae, scilicet amoris, qui quando est perfectus, primo congregat in unum omnes vires, et movet eum in amatum. Est enim secundum Augustinum pondus amantis. Res autem ponderosa sine vacillatione tendit ad unum, sed non sic si res non est bene ponderosa; sed divinus amor facit totum hominem in Deum tendere sine vacillatione: *Psal. 72. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* Gregorius: *Vis amoris studium multiplicat inquisitionis.* Hoc fecit Anna prophetissa, quae non discedebat de templo, ieiuniis et orationibus serviens die ac nocte. Et ideo dicitur *Luc. 10. Porro unum est necessarium;* unde dicit, *Unam petii,* idest unam rem, vel unam petitionem: *3. Reg. 2. Unam petitionem parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* Secundo solicitat cum sit sicut stimulus et ignis, amor: *Cant. 8. Lampades eius lampades ignis: 2. Cor. 9. Charitas Dei urget nos.* Unde dicit, *Hanc requiram: Isa. 21. Si quaeritis, quaerite: Matt. 7. Quaerite et invenietis.* Consequenter ponitur res petita; unde dicit, *Ut inhabitem in domo Domini.* Domus Domini spiritualis est duplex, et tertia est materialis, scilicet ecclesia, in qua morari salutiferum est: *Gen. 28. Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli:* nam in ea excitatur animus hominis ad devotionem. Domus spiritualis Dei est ecclesia militans: *1. Tim. 3. Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Alia est ecclesia triumphans: *2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed aeternam in coelis.* De utraque ergo potest hoc intelligi, quia haec domus via est ad illam et porta eius: *Ps. 117. Haec porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Et ideo desiderandum est habitare in hac domo, scilicet ecclesia. Et hoc *omnibus diebus vitae meae,* idest usque in finem: *Ps. 131. Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Habitat autem quis in domo Dei per fidem, et charitatem, et conformitatem bonorum operum: *Ps. 67. Qui habitare facis unius moris in domo.* Et laudabile est, quod semper in ea habitet, et non separetur ab ea. Separatur autem homo ab ecclesia per peccatum, per excommunicationem, et per schisma, vel haeresim. Qui ergo usque in finem habitat in ea, idest in ista ecclesia, habitabit in illa in perpetuum: *Ps. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.* Hic contra ponitur intentio, scilicet, *Ut videam* etc. Et ponit duo, quia *Ut videam voluntatem, et visitem templum eius.* Alia litera habet, *Ut continuo habitem.* Hieronymus habet, *Ut est meritum,* secundum Augustinum: *Io. 17. Haec est vita aeterna ut cognoscant* etc. Tria sunt in illa visione desideranda, quae naturaliter homo desiderat videre. Primo pulchra. Summa pulchritudo est in ipso Deo, quia pulchritudo in formositate consistit, Deus autem est ipsa forma informans omnia, ideo dicit secundum unam literam, *Ut videam delectationes Domini: Sap. 13. Si specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit.* Secundo delectabilia, et fugere tristitiam, et ideo secunda litera habet, *Ut contemplem delectationes Domini,* idest bonitatem Dei, in qua est summa delectatio: *Ps. 15. Delectationes in dextera tua usque in finem.* Tertio dispositio rerum. Unde multum est delectabile scire scientiam omnium rerum, quae in mundo sunt; et ideo videre dispositionem divinae providentiae est maxime delectabile. Et ideo dicit, *Ut videam voluntatem Domini,* rationem a Deo volitam et dispositam: *Rom. 12. Probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta.* Haec autem habemus in vita ista imperfecte et per fidem, in futura autem domo habebimus perfecte, ubi sunt sancti contemplantes Deum facie ad faciem: *2. Cor. 3. Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes* etc. Sancti ergo qui sunt in patria, dirigunt contemplationem in ipsum Deum, et etiam in his quae sunt ad ipsum Deum ordinata: et ideo dicit, *Ut visitem templum eius,* idest frequenter videam templum, idest humanitatem Christi: *Io. 2. Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Vel, *Visitem,* sive videam ipsam ordinationem ecclesiae: *1. Cor. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Item dispositionem totius mundi; ideo in psalmo hebraico habetur, *Et diluculo,* idest diluculo ut maneam: *Ps. 5. Mane astabo tibi. Quoniam*

d Hic assignatur ratio desiderii habitandi in domo Dei; quasi dicat, quare tantum petis habitare in domo Dei? Ratio est ex beneficiis perceptis: et circa hoc duo facit. Quia primo ponit ipsa beneficia. Secundo addit recompensationem, ibi, *Circuivi.* Circa primum duo facit. Primo ponit beneficium protectionis a malo. Secundo beneficium promotionis in bonum, ibi, *In petra exaltasti me.* Circa primum duo facit. Primo proponit beneficium. Secundo eius necessitatem ostendit, ibi, *In die malorum.* Dicit ergo, Quare petis habitare in domo Domini? ideo scilicet *Quia abscondit me in tabernaculo suo.* Et secundum literam *1. Reg. 24.* quando David fugit ad tutiora loca Engaddi et abscondit se ibi. Unde loquitur ex persona fugientis et latentis in aliquo loco. Ad literam. Tabernaculum erat locus in quo orantes divino auxi-

lio protegebantur, et maxime in sancta sanctorum, ubi erat propitiatorium, et sic vocabant tabernaculum ipsam Dei defensionem, sicut *in Ps. 90.* dicitur: *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis* etc. *Deut. 32. Expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis.* Sed mystice tabernaculum potest dici humanitas assumpta, sive caro Christi in qua abscondit nos per fidem et spem: *Col. 1. Abscondita est vita vestra in Deo.* Vel aliter tabernaculum dicitur tota dispositio ecclesiae, et in utroque istorum absconditur homo iustus, quia in isto tabernaculo quaedam latent sub manifestis: latentia sunt invisibilia et spiritualia ubi morantur boni. Mali autem morantur in exterioribus: *Isa. 4. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu.* Sed quid contulit haec absconsio, immo necesse erat mihi, *In die malorum*, vel omnium illorum malorum quae tunc imminebant. Et simile est, quia quando hostes, vel tribulatio imminet, illi soli salvabuntur, qui in civitate reperientur: ita in tribulatione illi pereunt, qui circa haec exteriora habent affectum, quia facta tribulatione circa ista tales commoventur. Abscondit ergo ipse Deus, vel Christus, vel mens iusti: *Mat. 6. Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. In petra*

e Hic proponit aliud beneficium promotionis in bonum, et est duplex. Unum exaltationis quantum ad se. Secundum quantum ad hostes, ibi, *Nunc exaltavit caput me.* Dicit ergo, *In petra exaltasti me.* Secundum literam alludit ad ea, quae circa eum sunt gesta, quia quando persecutionem patiebatur, ibat per petras invias, *1. Reg. 24.* Sed quando evasit, *Tunc exaltavit cor meum super inimicos meos.* Sed mystice exponitur, *In petra exaltasti me*, idest in Christo: *1. Cor. 10. Petra autem erat Christus.* Vel, *In petra*, idest in Deo: *2. Reg. 22. Dominus petra mea: Ps. 60. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Et nunc iam exaltavit; quasi dicat, istud feci in spe, sed nunc in re. *Exaltasti caput meum*, idest mentem meam, *super inimicos meos*, idest super omnes appetitus meos: *Gen. 4. Subtus te erit appetitus tuus. Circuivi*

f Hic ponitur recompensatio beneficii; et ponit duo. Primo sacrificium, *Et immolavi.* Secundo canticum. Secundum Hyeronymum coniungitur cum praecedentibus, *Super inimicos meos, et in circuitu nostro sunt. Circuivi*, idest circa steti, devotas preces offerendo pro eis: *Ps. 108. Prout me diligerent*, idest deberent, *detrahebant* etc. Vel circa altare steti: *Eccl. 30. Et ipse stans circa aram* etc. Item strenui militis est circuire et protegere castra, sicut dicitur de Iuda *1. Mac. 3. Protegebat castra gladio suo:* unde *Circuivi*, idest protexi. Vel circuitus iste refertur ad contemplationem. Circulus duo propria habet inter alias figuras. Unum, quia est capacior aliis. Aliud est, quod est totus uniformis sine angulo, et convenit contemplationi. Primo quantum ad capacitatem, quia tunc dicitur circuire contemplando, quando omnia quae consideranda sunt, contemplatur; unde dicit, *Circuivi*, idest consideravi omnia dona tua, et ecclesiae beneficia. Beatus Dionysius posuit triplicem motum, scilicet circularem, rectum, et obliquum. Recto motu semper movetur aliquid difformiter, quia semper habet diversam distantiam, et ideo in contemplando motus est rectus, quando uno ad aliud quis movetur considerando processum rerum. Circulari motu movetur aliquis contemplando, quando conceptio animae est uniformis: et tunc dicitur circularis, quando scilicet revocat animam a rebus. Et primo congregat in se, postea unitur spiritualibus, et postea ascendit in contemplationem unius Dei. Obliquus motus est compositus ex utroque, quando quis procedit ex consideratione creaturarum, sed hanc ordinat in consideratione Dei. Et ideo dicit, *Circuivi*, quantum ad uniformitatem: *Ezec. 1. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Et immolavi.* Est autem duplex sacrificium, scilicet interius quo homo animum suum dat Deo spiritus, scilicet acceptum Deo est spiritus contribulatus. Et omne exterius sacrificium ordinatur ad repraesendum illud; unde Augustinus dicit, *Quando offers hoc exterius est ut repraesentes animum tuum Deo.* Sed quia omnis repraesentatio fit per aliqua signa, inter quae primatum tenent verba, ideo inter sacrificia videtur praeeminentiam habere sacrificium laudis: *Ps. 49. Sacrificium laudis honorificabit me;* unde dicit, *Immolavi in tabernaculo eius hostiam*, non pecorum, sed potius, *Hostiam vociferationis*, idest divinae laudis. Et hac vociferatione, *Cantabo*, tibi, scilicet canticum et laetitiam mentis et rectitudinem operis: *Psal. 107. Paratum cor meum. Cantabo;* quasi dicat, Paratum cor habeo ad serviendum tibi, cum laetitia mentis: *Ps. 99. Servite Domino in laetitia. Exaudi*

g Supra Psalmista posuit suum desiderium; hic prorumpit ad petendum rem desideratam: et circa hoc tria facit. Primo petit exaudiri. Secundo proponit petitionem, ibi, *Tibi dixit cor meum.* Tertio ostendit fiduciam quam habet de exauditione, ibi, *Credo videre bona Domini.* Ad hoc ergo quod exaudiatur, inducit duas rationes. Unam ex devotione propria. Aliam ex sua miseria. Devotio est causa, quod audiatur a Deo aliquis. Devotio est clamor cordis qui excitat Deum ad audiendum; et ideo dicit, *Exaudi:* quia clamavi non exterius, sed interius: *Iac. 5. Clamor eorum ad aures Domini Sabaoth introivit.* Item miseria nostra provocat ad exaudiendum: *Exo. 3. Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi liberare eum;* unde dicit, *Miserere mei, et exaudi me;* quasi dicat, me miserum, et meam miseriam cognosco, unde tuum est misereri: *Iudith 9. Exaudi me miseram deprecantem. Tibi*

h Hic ponit petitiones. Et primo petit divinae faciei prospectum. Secundo divinum auxilium, ibi, *Adiutor meus es tu.* Tertio viae suae directivum, ibi, *Legem pone mihi Domine.* Circa primum ostendit, quod de re petita habet magnum desiderium, et intimum, et anxium, et assiduum. Intimum, quia *Tibi dixit cor meum.* Aliquando homo aliquid petit ore, sed cor eius ad alia versatur: *Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine* etc. *Isa. 29. Populus hic labiis me honorat* etc. Sed quando petitio est ex intimo desiderio cordis, tunc est Deo accepta, sed tunc non os tantum immo cor petit: *2. Regum 7. Invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac: Ps. 118. Clamavi in toto corde.* Anxium et aequum dicit ha-

here, cum dicit, *Exquisivit te* etc. Contingit aliquando quod desiderium est intimum et quietum et multum quaerit; sed quando est anxium, tunc vere quaerit; unde dicit, *Exquisivit te*, idest frequenter et diligenter quaesivit. Et hoc etiam ostendit aequum desiderium, quia imago non perficitur nisi pertingat ad exemplar, ad quod est facta; unde dicit, *Exquisivit te facies mea.* Facies hominis interior est, in qua visus est interior, idest anima sive mens rationalis, et haec, scilicet facies mea quae est facta ad imaginem tuam, exquisivit te. Unde non potest reformari et perfici nisi iungatur tibi Domine. Unde sicut quaelibet res quaerit suam perfectionem, ita mens nostra quaerit Deum. Et ostendit quod sit assiduum, quia *Requiram*, idest iterum et iterum quaeram: *Isa. 21. Si quaeritis, quaerite: Matth. 7. Quaerite et invenietis.* Hoc est proprium diligentis, quaerere saepe rem dilectam. Et quid quaerit, ostendit cum dicit, *Faciem tuam Domine requiram.* Hoc petebat Moyses *Exo. 33. Ostende mihi faciem tuam.* Et Dominus non statim ostendit, sed dixit, *Ostendam tibi omne bonum: Luc. 10. Beati oculi qui vident quae vos videtis.* Et ideo David non erat extra spem, sed adhuc quaerebat; unde alibi dicit, *Ostende nobis faciem tuam* etc. *Iob 33. Deprecabitur Deum suum, et placabilis erit, et videbit faciem eius in nihilo. Ne avertas*

i Hic proponit triplicem petitionem. Et primo petit non fraudari a re desiderata. Secundo petit amoveri causam per quam posset fraudari. Tertio petit dirigi in via, ibi, *Legem pone.* Dicit ergo, *Faciem tuam Domine requiram.* Et rogo, *Ne avertas faciem tuam a me;* quasi dicat, sicut avertit homo faciem ab homine, quando non vult eum audire. Sed aliter est in Deo quam in homine. Homo enim avertens faciem mutatur. Ipse Deus autem immobilis est; sed dicitur avertere faciem, inquantum nos avertimur, et immutamur. Et per hoc quod in corde nostro fit aliquod velamen quo inepti reddimur ad videndum faciem suam. Et ideo litera Hieronymi habet, *Ne abscondas: Isa. 8. Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Iacob.* Causa vero aversionis est ira Dei in poenam peccati. Et haec aversio est maxima poenarum; et hoc est quod dicit, *Et ne declines in ira a servo tuo*, idest ne irascaris mihi in hoc quod declines faciem tuam a me. Et dicit, *In ira*, quia aliquando declinat in misericordia, cum scilicet non respicit peccata: *Ps. 50. Averte faciem tuam a peccatis meis.* Aliquando declinat in providentia, quando scilicet permittit aliquem cadere ut fortius resurgat, quia *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Ro. 8. Adiutor*

k Hic petit divinum auxilium in agendis antequam veniat ad faciem, ne scilicet impediatur a visione faciei. Et primo ponit petitionem. Secundo dictorum rationem, ibi, *Quoniam pater meus.* Petit ergo divinum auxilium dicens, *Peto videre faciem tuam*, sed ad hoc pervenire non possum per me: ergo, *Tu esto adiutor meus*, ut ad hoc perveniam: *Ps. 120. Auxilium meum a Domino.* Sed quantum ad superficiem non videtur ista litera recta esse, quia melius videtur dicendum esse, *Adiutor meus es tu*, et sic habetur in hebraico, scilicet auxilium meum fuisti. Et secundum hoc commemorat beneficium; quasi dicat, Adiutor fuisti. Non ergo de caetero, *Derelinquas me.* Et petit duo removeri, scilicet ipsam desertionem, et contemptum interiorem: nam si homo sibi derelinquitur, petit *Osee 13. Perditio tua Israel ex te.* Desrit autem aliquis aliquem, quia despicit eum. Et despicit nos, quia sumus fragiles per naturam, et corrupti per culpam; et ideo dicit, *Neque despicias me Deus.* Et quare hoc? Quia tu me creasti, et es, *Salutaris meus*, idest tu me salvasti. Nullus autem despicit opera sua: *Ps. 137. Opera manuum tuarum ne despicias.* Consequenter ponitur ratio dictorum; unde sequitur, *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me;* quasi dicat, Quia inveni te adiutorem in omnibus aliis deficientibus, *Ne despicias me.* Et sic primo ponit defectum humani auxilii. Secundo ponit auxilium divinum. Haec litera legitur dupliciter. Uno modo de David ad literam, sicut habetur in historia *1. Reg. 16.* quando fuit David unctus, Isai praesentavit maiores filios; Dominus autem elegit David, quia Samuel petiit eum. Vel potest legi in persona viri iusti, quia ad literam speranti in Domino deficit omne humanum auxilium: *Iob 16. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverunt, obliti sunt mei: Eccle. 51. Circumspiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat.* Sed Dominus hunc assumpsit, et assumit curae suae, et hoc melius est: *Ps. 64. Beatus quem elegisti, et assumpsisti* etc. Mystice autem, *Pater meus*, idest Adam, *Et mater mea*, idest Eva, *Dereliquerunt me*, idest desertioni me exposuerunt per peccatum. Vel, *Pater meus*, idest diabolus, quia pater meus fuit in statu peccati: *Dereliquit me*, quia non habet potestatem in me. *Mater mea*, Babylon, *Dereliquerunt me*, idest contempserunt me. Et hoc quia, *Dominus assumpsit me. Legem*

l Supra Psalmista posuit duas petitiones: prima fuit de divinae faciei prospectu; secunda de divinae protectionis auxilio; hic autem ponit aliam petitionem de directione viae suae: et circa hoc duo facit. Primo ponit petitionem. Secundo ostendit necessitatem, ibi, *Propter inimicos.* Circa primum duo facit. Primo ponit legis petitionem. Secundo petit directionem in his quae sunt legis, ibi, *Et dirige.* Dixerat supra, *Unam* etc. et quicquid hoc sit explicavit, scilicet videre faciem tuam. Et quia ad hanc visionem cum sit ardua, pervenitur quadam ardua via, per quam nullus vadit sine auxilio Dei, petit illud tituli: *Ps. 83. Beatus vir cuius est auxilium abs te, quia ibunt de virtute in virtutem.* Quia vero qui per viam ignotam vadit, indiget ductore, petit eum dicens, *Legem pone mihi Domine in via tua;* quasi dicat, Imminet mihi ascendere per viam, in qua peto, ut ponas mihi legem. Lex est regula agendorum In hac via proceditur per actus virtutum; et ideo necessaria est lex, quae est regula actuum humanorum; quasi dicat, Da mihi regulam qualiter ambulem. Hieronymus habet sic, *Illuxit mihi Dominus viam: Pro. 6. Mandatum lucerna est, et lex lux.* Dare legem est illustrare. Sed quandoque scit aliquis in universali quid sit fiendum, sed non scit in particulari, praecipue propter seductores. Et contra hoc petit dicens, *Dirige me in semitam rectam: Isa. 26. Semita iusti recta est, rectus*

*callis iusti ad ambulandum.* Et hoc, *Propter inimicos meos.* Haec est causa quare peto dirigi in semita recta. Quia ille qui scit viam, et via est recta, securus incedit si non inveniat adversarium; sed quando inimicum, vel adversarium suum invenit, indiget protectione et directione : *Ps. 141. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Isti inimici nostri sunt concupiscentiae carnis, prava desideria, daemones, pravi homines, sive peccatores, qui obsistunt in via eundi ad Deum. *Ne tradideris*

m Hic exponit quod dictum est; et duo dicit. Primo petit liberari ab inimicorum periculo. Secundo ostendit se inimicos habere, ibi, *Quoniam insurrexerunt.* Dicit ergo, *Ne tradideris me in animas tribulantes me;* quasi dicat, Sic peto dirigi in via, quod non incidam in potestatem inimicorum. Et non dicit in manus, sed in animas, idest in voluntates. Sed contingit quod sancti traduntur in manus inimicorum, quia, *Terra data est in manus impii,* ut dicitur *Iob 9.* Sed non in animas, quia voluntatis eorum est, ut trahantur ad malum, sed Deus hoc non permittit : *Eccl. 18. Si praestes animae tuae concupiscentias tuas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Quoniam insurrexerunt.* Hic ostendit se habere inimicos. Et primo ponit eorum conatum. Secundo eorum defectum. Dico, *Propter inimicos,* et hoc, *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Haec verba exponuntur tripliciter: historice, allegorice, et moraliter: historice, quia ad literam aliqui mali testes falsum dixerunt contra David, scilicet Doech Idumaeus qui accusavit sacerdotem, et David, et alii. Allegorice de Christo contra quem iniqui testes accusantes eum insurrexerunt : *Matth. 26. Novissime venerunt* etc. Moraliter, quia contra unumquemque iustum falsi testes quandoque sunt falsi doctores, sua doctrina conantes a recta via alios declinare : *Isa. 5. Vae qui dicunt malum bonum, et bonum malum.* Item adulatores dicuntur testes falsi: *Isa. 3. Populus meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt: Prov. 19. Testis falsus non erit impunitus. Et mentita est* etc. Hic ponit eorum defectum. Haec verba secundum quod hic ponuntur, tripliciter intelligi possunt. Uno modo sic. Dicitur aliquis loqui sibi, quando solus intelligit verba sua, sed quando aliis, non : *1. Cor. 14. Qui loquitur lingua, sibi et Deo loquitur, non hominibus ;* et sic est sensus. Sunt falsi testes; et loquuntur mendacium, et persuadent, sed iniquitas eorum mentita est sibi; quasi dicat, Non acquiesco eis. Vel *mentita est iniquitas sibi,* idest sui damno, quia ex mendacio eorum quod intenderant ipsi, incurrerunt malum: *Eccl. 27. Qui laqueum aliis ponit, peribit in illo.* Vel *Mentita* etc. quia non pervenerunt ad effectum de hoc, quod proposuerunt facere mihi et aliis iustis viris: *Iob 5. Consilia pravorum dissipat:* Hieronymus habet, *Apertum* etc. idest aperti locuti sunt contra me. *Credo videre*

n Hic ponit spem de exauditione. Et primo ponit spem quam ipse habet. Secundo hortatur alios ad eandem, ibi, *Expecta Dominum.* Sua petitio erat ut videret Deum; et ideo dicit, *Credo,* idest firmam fiduciam habeo: *Videre bona Domini,* idest videre facie ad faciem: *Scio quod Redemptor meus vivit* etc. *et in carne mea videbo Deum;* unde non dicit, Videre Dominum, sed bona Domini; quod potest intelligi dupliciter. Vel bona Domini, idest a Domino, et sic non sumitur hic. Vel bona, idest quae sunt in Domino, et hoc modo sumitur hic: haec omnia enim sunt in eo, sicut in fonte primo, et sunt idem quod ipse: *Sap. 7. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* etc. Et ubi? *In terra viventium.* Visio Dei est vita aeterna, ut dicitur *Io. 17.* Haec terra est morientium: quia sicut terra est patiens respectu coeli foecundantis eam, ita vita beatorum immediate perficitur a Deo. *Expecta*

o Hic inducit alios ad expectandum, cum dicit, *Expecta Dominum: Isa. 30. Beati omnes qui expectant eum.* Et dum expectas, habeas fiduciam in opere; unde dicit, *Viriliter age,* scilicet interius, et exterius : *Isa. 35. Confortate manus dissolutas.* Et hoc praemittit, quia, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde, *Sustine Dominum,* scilicet bona quaecumque facies, etiam si videantur adversa : *Eccl. 2. Vae his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas.* Vel, *Sustine Dominum,* idest expecta Dominum. Et tunc repetit ad maiorem certitudinem.

## a PSAL. IPSI DAVID XXVII.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

b Exaudi Domine vocem orationis meae dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

c Ne simul tradas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

d Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

e Quoniam non intellexerunt opera Domini, et opera manuum eius: destrues illos, et non aedificabis eos.

f Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

g Dominus adiutor meus, et protector meus : et in ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

h Dominus fortitudo plebis sue, et protector salvationum Christi sui est.

i Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae: et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

## a PSAL. XXVII.

In praecedenti Psalmo Psalmista ostendit fiduciam quam habet de Deo ; hic autem ut non deficiat in fiducia, adiungit Psalmum orationis. Titulus, *Psalmus ipsi David.* Secundum literam dicitur, quod aliqui Psalmi pertinebant ad personam David, inter quos est iste, quasi iste pertineat ipsi David. Vel huic, quia ipse faciebat, et hunc et alios per se cantabat. Mystice huic David intitulatur iste Psalmus non figurali, sed vero David, scilicet Christo. In hoc enim Psalmo mystice agitur de oratione Christi ad Patrem, secundum quod liberatur a malis passionis. Tria ergo agit in hoc Psalmo. Primo petit exaudiri. Secundo ponit petitionem suam, ibi, *Ne simul tradas.* Tertio ponit gratiarum actionem, ibi, *Benedictus Dominus.* Duplici autem ratione petit exaudiri. Primo ratione periculi imminentis. Secundo ratione suae devotionis, ibi, *Exaudi Domine.* Circa primum tria facit. Primo ostendit indeficiens propositum orandi. Secundo petit exaudiri, ibi, *Ne sileas.* Tertio ponit imminens periculum, ibi, *Ne quando taceas.* Primum ostendit cum dicit, *O Domine ad te clamabo*, non semel, sed continue: *Luc. 18. Oportet semper orare : The. 5. Sine intermissione orate.* Consequenter petit exaudiri, *Ne sileas Deus meus.* Consuetus modus loquendi est, quod quando aliquis exaudit orantem, dicitur ei respondere. Tunc ergo Deus respondere videtur, quando satisfacit voto orantis: *Iob 14. Vocabis me, et ego respondebo tibi. Ne sileas ergo*, idest non subtrahas mihi responsionem tuam : *Gen. 30. Respondebit mihi cras iustitia mea.* Ostenditur consequenter periculum imminens. *Ne quando taceas a me.* Hominis perfecti est, quod si sibi dimittitur, deficiat: *Osee 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Ne si aliquando taceas, non exaudiendo me, *Ero similis descendentibus in lacum*, idest in infernum: *Isa. 14. Veruntamen in infernum detraheris in profundum laci: Hier. 3. Lapsa est in lacum vita mea:* Hieronymus habet, *Ne te tacente assimiler.* Mystice autem Glossa ex persona Christi loquitur quod homo Christus clamet ne deseratur a deitate : et dicit, *Ne sileas*, subtrahendo mihi in beneficium resurrectionis: *Et ne taceas*, idest ne deseras in passione. Alias essem similis aliis hominibus descendentibus in lacum, sicut inimici aestimant: *Psalm. 87. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Exaudi Domine vocem orationis meae, dum oro*

b Alia ratio est quod petit exaudiri devotio orantis. Haec autem devotio in duobus, consistit scilicet in interioribus cordis, et exterioribus operibus. In interioribus : quia Deus spiritus est, et eos qui adorant, oportet spirituales esse : *Ioa. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate :* et ideo dicit, *Exaudi deprecationem meam dum oro ad te.* Sed debemus revereri etiam in nostris effectibus, et signis exterioribus ; unde dicit, *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Hoc dupliciter legitur, vel ad literam secundum glossam quod Iudaeis erat praeceptum, ut ubicumque essent, ad illius partem orarent ubi scirent Ierusalem esse. Vel, *Dum extollo*, idest levo, *Manus meas ad templum*, idest ad caelum : *Psal. 10. Dominus in templo sancto suo* etc. Ergo non solum in devotione cordis orabo, sed etiam in signis exterioribus versus caelum orabo, et aliquam devotionem ostendam. Vel, *Dum manus meas*, idest opera mea, *Extollo ad templum*, idest dirigo ad Deum : *Psal. 140. Dirigatur oratio mea*, idest opera mea, *sicut incensum* etc. De Christo autem potest exponi : quia ipse levavit manus suas versus templum, quia ipsum non reprobavit, sed approbando expulit vendentes et ementes in eo. Vel extulit manus in cruce: *Isa. 36. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Ad templum*, idest ecclesiam construendam per passionem suam. *Ne simul tradas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem*

c Hic ponit petitionem ut non simul commoveatur in punitione cum impiis: et circa hoc facit duo. Primo describit culpam. Secundo ponit poenam, ibi, *Da illis.* Quantum ad primum culpam ostendit dicens peccata illorum, scilicet malum propositum et malum actum, dico *Exaudi vocem meam* etc. et hoc est, *Dum oro*, quod liberer a perditione peccatorum: quia licet in vita iusti sint simul cum peccatoribus, tamen in iudicio non erunt simul: *Matt. 25. Segregabit bonos a malis: Psal. 42. Discerne causam meam de gente non sancta* etc. *Gen. 18. Numquid perdes iustum cum impio :* et ideo dicit, *Ne simul tradas me*, in damnationem, scilicet, *Cum peccatoribus.* Peccatores proprie sunt qui ex habitu peccant, vel peccandi propositum quantum ad actum et executionem peccati habent. Dupliciter quis exequitur, scilicet per manifestam iniustitiam, et per fraudem. Et hic est qui loquitur pacem quantum ad alios. De primo dicit, *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Illi dicuntur iniquitatem operari, qui manifeste faciunt iniustitiam. Tamen non omne peccatum fit per iniustitiam; specialiter tamen fit, inquantum non reddit Deo obedientiam. De secundo dicit, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo.* Et ponit duo, scilicet dulcia verba eorum in ore: *Rom. ult. Qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium : Prov. 29. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico, rete expandit gressibus suis.* Aliud tamen habent in corde; unde sequitur, *Mala autem in cordibus eorum*, scilicet sunt quae parant inimicis suis : *Hie. 9. In ore suo pacem cum proximo suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.* Haec omnia possunt referri ad Christum, qui in cruce cum scelcratis deputatus est, ut dicitur *Isa. 53.* Sed petit, ut non simul, idest propter eandem causam tradatur, idest crucifigatur cum eis: quia passio, sive damnatio illorum fuit propter peccatum proprium, passio autem Christi propter iniquitatem nostram. Item, ne eodem fine tradas me cum peccatoribus iniquis, idest non secundum intentionem eorum qui intendebant quod nomen Christi delerent. Et hi qui loquebantur pacem cum proximo suo : et in Christo quando ut caperent eum in sermone, sed, *Mala erant in cordibus eorum*, idest mala intentio : quia ut caperent, idest ut reprehendere possent, *Matth. 22.* Sequitur, *Da illis secundum opera eorum: et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. Secundum opera* etc.

d Hic agit de tribulatione et poena eorum. Et primo ipsam poenam tangit. Secundo poenae aequitatem, ibi, *Secundum opera eorum.* Tertio eius perpetuitatem, ibi, *Quoniam non intellexerunt.* Duplex culpa posita est. Una exterior quae est oris, alia interior quae est cordis. Et ideo dicit quantum ad primum, *Da illis secundum opera eorum: Psal. 61. Reddes unicuique iuxta opera sua. Da*, accipitur pronunciative, idest dabis vel conformando se iustitiae divinae: *Ps. 57. Laetabitur iustus cum viderit vindictam.* Vel ut referatur hoc ad Christum. Tu Domine pater, *Da illis secundum opera eorum;* quasi dicat, Ex passione mea sequitur utilitas; sed, *Tu da illis*, scilicet peccatoribus non secundum fructum, sed secundum eorum intentionem quae fuit mala: *Ioa. 3. Erant autem eorum mala opera.* Quantum ad secundum dicit, *Et secundum nequitiam adinventionum.* Adinventiones sunt viae excogitatae ad nocendum et peccandum. Et hi gravius puniuntur a Deo, sed poena aequa eis debetur. Hic ita procedit litera: unde dicit, *Secundum opera manuum eorum tribue illis*, quia scilicet non coacti, sed sua prava voluntate peccaverunt. Unde opera eorum sunt opera manuum eorum. Secundum quod refertur ad Christum, sic dicit, *Secundum opera manuum eorum* etc. quia Iudaei etsi Christum manu sua non crucifixerunt, tamen et lingua et manu hoc scelus operati sunt, quia per suam potestatem factum est; unde dicit, *Reddet retributionem eorum ipsis*, ut scilicet sicut ipsi mala intentione hoc fecerunt, ita tu eis mala retribuas: *Matth. 7. Mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Quoniam non intellexerunt opera Domini, opera manuum eius* etc.

e Supra praemisit Psalmista poenam debitam malis, et eius aequitatem; hic consequenter ponit huius poenae perpetuitatem: et facit duo in isto versu. Primo tangit poenae irreparabilitatem. Secundo causam. Sciendum est autem, quod homo frequenter peccat, et ex hoc incurrit reatum poenae, sed quoniam per multa opera divinae iustitiae homo provocatur ad timorem, et per opera misericordiae provocatur ad spem, quandoque convertitur ad poenitentiam et sanatur; sed si in consuetudine induretur in peccato, et intellectum perdit, non est spes salutis: *Iob 4. Quia nullus intelligit, in aeternum peribunt: Isa. 6. Excaeca cor populi huius* etc. Et ideo pro causa poenae irreparabilis praemittit carentiam intellectus. Notandum est, quod non omne opus est opus manuum, sed exteriora: quaedam etiam sunt interiora opera. Ita in Deo quaedam sunt spiritualia, quae operatur in nobis: *Isa. 16. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Quaedam corporalia ut caeli, ita etiam Christi spiritualia sunt opera, salus fidelium. Corporalia vero sunt miracula: *Ioann. 5. Opera quae ego facio, testimonium perhibent de me.* Et ideo dicit, *Quia non intellexerunt opera Domini*, scilicet spiritualia, *Et opera manuum eius*, scilicet corporalia, *Destrues illos*, et ita destrues quod non, *Aedificabis.* Et refertur hoc ad duplicem destructionem, scilicet spiritualem: quia destructi per casum a fide, et non a notitia Dei: *Psal. 58. Disperge illos in virtute tua, et depone eos* etc. Sed tamen isti qui sic sunt destructi, aliquando reaedificantur, sicut Petrus; et sic etiam isti reaedificantur, vel reaedificabuntur usque ad finem mundi: *Roman. 11. Caecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus erit.* Vel refertur ad corporalem destructionem: quia destructi per Romanos numquam reaedificati sunt, nec umquam reaedificabuntur: vel destructi per Babylones et relevati per Persas: vel destructi per Antiocum et relevati per Romanos; sed per Romanos ita tandem destructi, quod numquam reaedificati sunt. *Benedictus Dominus*

f Hic quasi exauditus gratias agit. Et primo de beneficiis sibi collatis. Secundo agit gratias de beneficiis collatis toti populo, ibi, *Dominus fortitudo.* Circa primum duo facit. Primo agit gratias pro sua exauditione. Secundo ostendit, in quo fuit exauditus, ibi, *Dominus adiutor meus.* Dicit ergo: Ego petivi, et sum exauditus in petitione mea; unde, *Benedictus Dominus.* Benedicere Dei nos, est causare bonitatem in nobis, quia dixit, et facta sunt. Benedicere nos Deo, est agnoscere eius bonitatem, qua nobis bene facit: et nihil ei accrescit ex hoc. Hoc tamen faciendum est nobis omnibus beneficiis: *2. Cor. 2. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum* etc. *Tob. 12. Benedicite Deum caeli, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Et ideo dicit, *Quoniam exaudivit vocem deprecationis meae*, idest devotionem orationis meae: *Iacobi ult. Multum valet deprecatio iusti assidua.*

g Hic ostendit, in quo est exauditus, scilicet quia consecutus est auxilium Dei: et circa hoc facit tria. Primo ponit beneficium divini auxilii. Secundo meritum beneficii, ibi, *Et in ipso speravit cor meum.* Tertio effectum beneficii, ibi, *Et refloruit.* Homo indiget divino auxilio ad duo, ad bene agendum, et quod liberetur a malis, et quod promoveatur ad bonum. Quantum ad primum dicit, *Dominus adiutor meus: Ioa. 15. Sine me nihil potestis facere: Isa. 50. Dominus Deus auxiliator meus.* Quantum ad secundum dicit, *Et protector meus*: et protector a malis, sicut scutum protegens hominem ab exterioribus telis: *Isa. 49. Sub umbra manus suae protexit me: Psal. 63. Protexisti me Deus a conventu malignantium.* Sed quo merito me defendis? Nunquid meo? Non. Sed non alio, nisi, quia, *In ipso speravit cor meum*, quasi ex intimo affectu de ipso confido: *Psal. 24. In te confido, non erubescam.* Et ideo, *Adiutus sum: Isa. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Haec autem omnia possunt referri ad Christum inquantum homo: nam ut Deus omnes ipse iuvat et protegit simul eum Patre; inquantum homo est iuvatus et protectus a Patre. Et sequitur, *In ipso.* Effectus auxilii ponitur hic quantum ad duo. Primo quantum ad carnem. Secundo quantum ad animam; unde dicit, *Et floruit.* Iuventus hominis comparatur flori: quia sicut flos est praesagium fructus, ita iuventus hominis est praesagium vitae futurae: *Psal. 89. Mane sicut herba transeat.* Tunc ergo caro reflorescit, quando antiqua iuvenescit, quoniam homo in tristitia videtur senescere, in laetitia videtur iuvenescere; sed tamen caro Christi floruit flore honestatis et incorruptionis. In primo homine floruit caro eius per innocentiae puritatem, sed peccando inquinata est. Sed

in Christo refloruit in resurrectione: fuit enim de Spiritu sancto sine peccato concepta: *Isa. 11. Flos de radice eius ascendet.* Item in primo statu natura humana floruit, quia erat incorruptibilis, sed per peccatum est subiecta corruptioni: *Rom. 8. Corpus per peccatum mortuum est.* Sed Christus refloruit in resurrectione: *Cant. 1. Et lectulus noster floridus est.* Quantum ad animam dicit, *Et ex voluntate mea confitebor illi.* Anima quamdiu est in peccato, habet voluntatem a Deo aversam, et ad temporalia conversam; sed quando per conversionem reparatur, tunc convertitur ad Deum voluntas eius, et confitetur Deum laudando ipsum. Vel si dicatur hoc de Christo, refertur ad membra sua, scilicet fideles: *Psal. 53. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Dominus*

h Hic agit gratias pro beneficiis populi. Et primo ponit beneficia iam exhibita. Secundo petit ea continuari, ibi, *Salvum fac populum tuum.* Eadem beneficia quae sunt sibi facta cum dicit, *Dominus adiutor meus* etc. dicit facta esse populo cum dicit, *Dominus fortitudo.* Populi Iudaeorum per me liberati a Philistaeis. Et Christus est fortitudo populi eius liberati per eum a peccato: *Isa. 12. Fortitudo mea Dominus, et factus est mihi in salutem: Psal. 142. Protector meus, et in ipso speravi.* Et hic est protector salvationum, idest protegit eos qui salvati sunt per Christum: *Act. 4. Non est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Christus ergo protegit nos in praesenti, ut non cadamus in peccatum; et ideo, *Salvationum*, idest praedestinatorum ad salutem proteget in futuro, liberando ab omni malo: *Apoc. 7. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus* etc. *Salvum*

i Hic ostendit continuationem beneficiorum sive salutis. Et primo ponit salutem. Secundo modum, ibi, *Benedic.* Dicit ergo, *Domine*, tu qui es protector meus: *Salvum fac populum tuum*, idest rogo ut ad salutem eos perducas: *Ioan. 17. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo: Isa. 25. Salvatus est Israel in Domino salute aeterna.* Consequenter ponit modum perveniendi ad salutem, ad quam ut perveniatur, requiruntur tria, scilicet donum gratiae, gubernatio, et spiritualis profectus. Quantum ad primum dicit, *Et benedic haereditati tuae*, idest confirma dona eius: *Prov. 10. Benedictio Domini super caput iusti.* Et dicit *Haereditati*, quia electi sunt haereditas: *Psal. 32. Beata gens cuius est* etc. Quantum ad secundum dicit, *Et rege eos*, quia etiam cum gratia necessaria est gubernatio: *Pro. 11. Ubi non est gubernator, populus corruet.* Quantum ad tertium dicit, *Et extolle eos*, idest promove per profectum, *Usque in aeternum.* Tribus modis potest intelligi. Primo in intellectu, quando elevatur ad manifestam cognitionem veritatis: *Isa. 25. Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur.* Secundo in affectu, quando non cupit carnalia, sed spiritualia: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, Philip. 3.* Quoniam removetur ab hac vita ad vitam gloriae: *Isa. 56. Sustollam te super altitudinem nubium, et cibabo te* etc.

## In Consummatione Tabernaculi.

## a PSAL. XXVIII.

Afferte Domino filii Dei.

b Afferte Domino filios arietum.

c Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

c Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

d Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani.

e Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.

f Vox Domini intercidentis flammam, vox ignis, vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades. Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.

h Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus Rex in aeternum. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

## a PSAL. XXVIII.

In aliis Psalmis commemoravit Psalmista fiduciam quam habet de Deo; hic autem quasi liberatus gratias agit. Et primo ponuntur Psalmi pertinentes ad gratiarum actionem. Secundo commemorat beneficia praestita, ibi, *In te Domine speravi.* Circa primum duo facit. Primo invitat alios ad gratiarum actiones. Secundo ipse gratias agit, ibi, *Exaltabo te.* Titulus, *Psalmus David in consummatione tabernaculi*, et nota historiam *1 Reg. 4.* ubi filii Israel tempore Heli pugnaverunt contra Philistaeos, et arca Dei capta est, et fuit in terra illa sex mensibus, tandem propter plagam remiserunt eam in Gabaa: et Saule David tulit eam, et portavit in Hierusalem, et fecit ei tabernaculum, et lusit ante eam, ut habetur *2. Reg. 6.* et tunc videtur factus fuisse iste Psalmus. Mystice per tabernaculum designatur sancta ecclesia: *Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Hoc tabernaculum, scilicet ecclesia, ereptum est de manibus Philistiim, idest daemonum: et quae in Psalmo isto dicuntur, pertinent ad dona Spiritus sancti, per quae istud tabernaculum consummatur. Dividitur ergo in partes duas. In prima invitat alios ad offerendum Deo per gratiarum actionem. Secundo commemorat beneficia, ibi, *Vox Domini super aquas.* Circa primum tria facit. Primo ostendit cui sit offerendum. Secundo qui offerat. Tertio quid debeant offerre. Dicit ergo, *Afferte*, Sed cui? *Domino*, soli, non alii: *Exod. 22.* quod soli Deo debeat offerri, dicitur *1. Paral. ult. Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Qui debeant offerre ostendit, *Filii Dei: Eccl. 34. Dona iniquorum non probat Altissimus: Gen. 4. Deus*

*primo respexit ad Abel, et ad munera eius postea*, quia debet homo primo Deo placere, et postea ei oblationem facere; et ideo dicit, *Filii Dei*, per fidem: *Io. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Item per charitatem: *1. Io. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus* etc. Per bona opera: *Ro. 9. Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Afferte*

b Hic ostendit quid debeat offerri. Et primo ponit corporale sacrificium. Secundo spirituale, ibi, *Afferte Domino gloriam.* De tribus generibus animalium fiebat oblatio, scilicet de bobus, capris, et arietibus: et super caetera animalia agnus maxime consuetum sacrificium erat. Unde *Ezec. 9.* dicitur, quod quolibet mane, et vespere unus agnus immolabatur: quia per agnum maxime et expressius figurabatur Christus: *Io. 1. Ecce agnus Dei.* Et ideo dicit, *Afferte Domino filios arietum*, idest agnos. Mystice arietes sunt principes gregis, idest Apostoli: *Psal. 46. Principes populorum congregati sunt.* Filii eorum sunt fideles: *1. Cor. 4. In Christo Iesu per evangelium ego vos genui. Afferte*, ergo vosipsos Deo, qui estis filii arietum. *Afferte*

c Consequenter ponit spirituale sacrificium. Et primo ponit ipsum. Secundo manifestat, ibi, *Afferte Domino gloriam nomini eius.* Notandum quod Dominus voluit sibi offerri ista non propter se, quia dixit, *Numquid manducabo carnes taurorum* etc. sed ut cognoscamus eum principium omnium bonorum nostrorum, et finem, in quem omnia sunt referenda: et ideo nulli licet offerre sacrificium nisi Deo. Deus enim est finis, et nihil possumus ei addere; et ideo debemus eum glorificare, ut omnia quae facimus, in eius gloriam faciamus: *1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite.* Item Deus est principium; et ideo debemus ei honorem: *Mal. 1. Si ego Dominus, ubi est honor meus;* et ideo dicit, *Afferte Domino gloriam et honorem: 1. Tim. 1. Soli Deo honor et gloria. Adorate Dominum.* Hic manifestat spirituale sacrificium. Et primo ostendit quomodo debemus ei gloriam. Secundo quomodo debemus sibi honorem. Dicit ergo quod ipse Deus est gloriosus, et ideo debemus sibi gloriam; unde dicit, *Afferte Domino gloriam nomini eius.* Ipse in se gloriosus est, sed nomen eius debet in nobis gloriosum esse, idest ut in notitia nostra sit gloriosum. Et quod sit ipse in nobis gloriosum, idest ut in notitia nostra sit gloriosum. Et quod sit ipse in nobis gloriosus et clarus, debemus ei honorem dare; et ideo dicit, *Adorate Dominum in atrio sancto eius*, idest in ecclesia ista, quae est sicut atrium caeleste. Vel *In atrio*, idest in mente: *Ioan. 4. Veri adoratores* etc. *Vox Domini super aquas* etc.

c Hic ponit divina beneficia. Et primo praeterita. Secundo futura, ibi, *Dominus diluvium* etc. Circa primum duo facit. Primo enumerat beneficia praestita. Secundo concludit gratiarum actionem, ibi, *Et in templo eius.* Praestita beneficia possunt exponi figuraliter et mystice. Figuraliter quidem; et sic in prima parte ponit duo beneficia praestita, scilicet in exitu, secundo post exitum de eo, ibi, *Vox Domini confringentis.* Et primo commemorat beneficium eductionis de Aegypto. Secundo manifestat illud. Dicit ergo, *Vox*, idest imperium, *Domini*, fuit, *Super aquas*, maris divisi, ut dicitur *Exod. 14.* Et magnificat hoc tripliciter. Primo ex parte auctoritatis, *Deus maiestatis*, qui scilicet est ipsa maiestas: *Isai. 6. Plena erat omnis terra maiestate eius. Intonuit*, quia cum elevasset Moyses manus, flavit ventus. Et hunc flatum dicit, *Intonuit*, quia tonitruum ex commotione ventorum fit. Item ex parte materiae: quia siccavit non parvas aquas, sed multas, scilicet maris: *Isa. 41. Numquid non siccasti mare? Sap. 10. Transvexit eos per aquam nimiam.* Item ex parte effectus, ex hoc quod fuit magnae virtutis in hoc quod deiecit inimicos: *Exo. 15. Dextera tua Domine percussit inimicum:* propter quod dicitur, *Vox Domini in virtute.* Item alius effectus est magnificentiae; unde dicit, *Vox Domini in magnificentia*, quia fecit transire per siccum mare; unde sequitur ibidem, scilicet *Exo. 15. Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis* etc. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus* etc.

d Consequenter commemorat beneficia praestita post transitum. Et hoc potest dupliciter intelligi. Primo per remotionem a malo. Secundo per collationem bonorum, ibi, *Vox Domini concutientis.* Circa primum duo facit. Primo ponit beneficium. Secundo facilitatem conferendi beneficium, ibi, *Et comminuet.* Dicit ergo, *Vox Domini confringentis cedros.* Cedri sunt homines magni: et signat Amorrhaeos qui erant magni et fortes: *Amos 2. Exterminavi ante faciem eius Amorrhaeum, cuius altitudo cedrorum altitudo illius, et fortis ipse quasi quercus.* Item in tota terra quae promissa erat eis, erant Amorrhaei et aliae gentes, quae non poterant exterminari et subiugari usque ad tempus David. Omnes Amorrhaei adhuc habitabant circa Libanum, ut dicitur *Iosue 15.* Et ideo dicit, *Confringet Dominus cedros Libani*, idest Amorrhaeos, qui adhuc habitabant ibi. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, et Saron tamquam filium unicornium.* Hebraei habent sic, *Et communiet eos tamquam vitulum Libani et Saron sicut filium bubalorum.* Et est sensus literalis: quia differentia est inter bubalos, et boves, quia bubali in paludibus nutriuntur, boves autem in montibus. Erant enim in monte Libani multa pascua in quo crescebant magni cedri. Item erant ibi vituli, et boves. Dicit ergo, Ita erit facile Deo comminuere cedros Libani, sicut si comminueret vitulum Saron. Saron est locus quidam: *Isa. 35. Decor Carmeli et Saron.* Hic locus est aquosus, ubi bubali pascuntur; quasi dicat, Etiam Saron comminuet sicut filium bubali, vitulum. Mystice *Vox Domini super aquas.* Duplex beneficium innuit, scilicet conversionis, et donorum quae dantur conversionis. *Vox Domini in virtute.* Secundum mysterium potest dupliciter exponi. Uno modo, ut referatur ad praedicationem Christi, et sic agitur de conversione Iudaeorum et gentium: Iudaeorum cum dicit, *Super aquas.* Homines assimilantur aquis: quia sicut aquae homines fluunt, et non revertuntur, *2. Reg. 14.* Unde super aquas dicitur vox, idest praedicatio Domini, idest super populum Iudaeorum, quia ex doctrina Dei nondum incarnati, sed expectati, Iudaei conversi sunt ad Deum. De conversione gentium sequitur cum dicit, *Deus maiestatis intonuit.* Tonitruum formatur in nube, in

qua signatur ipsa incarnatio quae est sicut nubes: *Isa. 19. Ecce Dominus ascendit super nubem levem. Deus ergo maiestatis intonuit*, idest omnipotens intonuit per praedicationem de nube carnis suae: *Iob 37. Tonabit voce sua mirabiliter.* Et dicit, *Super aquas multas*, quia vox Domini incarnati fuit non tantum super Iudaeos, sed super Gentiles: *Isa. 49. Dedi te in lucem Gentium* etc. Vel, *Super aquas*, baptismi: unde ex tempore quo Christus est baptizatus, iste Psalmus cantatur. *Vox Domini in virtute.* Supra Psalmista secundum mysticum intellectum tetigit mysterium conversionis Iudaeorum, et gentium; hic autem ponit beneficium temporalium donorum: et circa hoc tria facit. Primo proponit spiritualia dona. Secundo ponit vitiorum extirpationem quae sequitur ex eis, ibi, *Vox Domini confringentis.* Tertio profectionem seu promotionem ad bona, ibi, *Vox Domini praeparantis.* In spiritualibus donis haec est differentia, quia quibus dantur spiritualia dona, quibusdam dantur ad ea quae conveniunt communiter, et agenda sunt, et sunt de necessitate salutis, quibusdam ad quaedam ardua, sicut ad miracula facienda, et huiusmodi. Quantum ad primum dicit, *Vox Domini in virtute*, idest ex imperio Domini datur virtus ad implendum praecepta. Quantum ad secundum dicit, *Vox Domini in magnificentia*, idest ex imperio Domini datur virtus sanctis suis magna faciendi: *Psal. 67. Super Israel magnificentia eius.* Glossa haec adaptat donis Spiritus sancti. Et post, scilicet conversionem fidelium ad donum timoris qui fit divina virtute, ad quam pertinet timores admittere. Magnificentia pertinet ad donum scientiae, quia ad scientiam pertinet magna agere: *Eccl. 25. Quam magnus est qui invenit sapientiam. Vox Domini confringentis.* Hic agit de exclusione vitiorum. Et tangit primo vitium superbiae. Secundo concupiscentiae, ibi, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Tertio vitium infidelitatis sive contemptus, ibi, *Vox Domini concutientis desertum.* Ostendit ergo primo exclusionem superbiae. Unde notandum est quod sicut abietes sunt magnae, ita et cedri; et ideo per eas signatur superbia. Dicit ergo, *Vox Domini confringentis cedros*, idest virtus imperii divini super omnes superbos: *Isa. 14. Detracta est ad inferos superbia tua, et comminuet cedros Libani*, idest vox Domini super arrogantes, et superbos comminuendo sua potentia: quia omnes reges per hoc conversi sunt ad Christum; et finaliter super cedros Libani, quia maiores Iudaeorum conversi sunt, sicut de Nicodemo, *Ioan. 3.* Item, *Et comminuet eos tanquam vitulum*

e Hic ponitur perfectio conversionis. Mons Libani est valde pascuosus, et sacerdotes propter copiam victimae faciebant pascere ibi boves: et ideo, *Comminuet eas tanquam vitulum Libani*, idest humiliabit eos sicut vitulum Libani, ut scilicet seipsos in sacrificium offerant, sicut offertur vitulus qui nutritur in monte Libani. Et hoc patet, quia multi magni se martyrio exposuerunt pro Christo: *Matth. 22. Tauri mei, et altilia occisa sunt. Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Hoc potest dupliciter legi. Primo, ut significet auctoritatem comminutionis; quasi dicat, Dilectus faciet ea. Et secundum hoc dilectus ponitur singulariter quasi auctoritatem habens. *Hic est Filius meus, Matth. 3.* Et haec faciet, *Quemadmodum filius unicornium*, idest filius Iudaeorum, quia mysterium incarnationis haec operabatur; et Iudaei unicornes dicuntur, inquantum gloriantur in cultu unius Dei. Vel unicornis dicitur, quia secundum generationem aeternam est sine matre, et secundum temporalem generationem fuit filius sine patre. Aliter, *Dilectus* etc. idest Christus in exemplum huius comminutionis patietur, dabit exemplum aliis patiendi: *1. Petri 2. Christus est passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Et patietur non inquantum Deus, sed inquantum filius unicornium Iudaeorum. Revertamur ergo ad sensum literalem. *Vox Domini intercidentis flammam*

f Hic commemorat beneficium, quo liberati sunt a malo inflicto divinitus. *Num. 11.* dicitur quod propter murmur populi ignis invasit partem castrorum, et ad levationem manus Moysi ignis extinctus est: et hoc est quod dicit, *Vox*, idest imperium, *Domini intercidentis*, idest destruentis, *flammam ignis.* Consequenter commemorat beneficia quae promovent in bono. Et ponit tria. Primo beneficia multiplicationis populi. Secundo nutritionis parvulorum. Tertio ducatus per desertum. Litera Hieronymi habet, *Vox Domini parturientis desertum.* Sic legitur in Iosue. Nullus eorum qui exierunt de Aegypto, et venerunt in desertum, intraverunt terram promissionis, nisi Iosue et Caleb, ut patet *Num. 14.* Sed omnes qui intraverunt in eam, nati sunt in deserto. Et ideo commemorat hoc beneficium quod populus non est extinctus; unde dicit, *Vox Domini parturientis*, idest parturire facientis, et specialiter desertum Cades: quia quantum ad intentionem Moysi fuit, quod statim exeuntes de Aegypto intrarent terram promissionis, et venirent in Cades. Unde miserunt exploratores, et timuerunt intrare: et propter illud peccatum omnes mortui sunt. Et quia ex illo dimiserunt intrare, ideo in hoc deserto omnes mortui sunt. Vel secundum literam nostram, *Vox Domini concutientis desertum*, idest commoventis ad generationem per desertum Cades, *Vox Domini praeparantis cervos*, Hieronymus habet, *Obstreticantis cervos*, Hebraeus habet *Praeparantis mulos.* Cervi in desertis manent. Et quia filii Israel quadraginta annis fuerunt in deserto, ideo dicuntur cervi: *Psal. 17. Statuit pedes meos tanquam cervorum*, quia mulieres habuerunt opportunitatem pariendi, et enutriendi. *Et revelabit condensa*, vel saltus, quia ducatum ei praestitit per diem: *Psal. 135. Transduxit populum suum per desertum.* Mystice in hoc quod dicit, *Vox Domini confringentis*, signat donum fortitudinis. Et ponit hic exclusionem peccati concupiscentiae cum dicit, *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, scilicet concupiscentiae: *Sap. 6. Concupiscentia sapientiae deducet ad ignem perpetuum.* Et haec nutrit alia mala: de hac 1. *Ioann. 2. Omne quod est in mundo aut est concupiscentia oculorum* etc. Et haec consumit: *Iob 31. Ignis est usque ad consumptionem devorans.* Basilius exponit sic. *Vox Domini intercidentis*, quia in die iudicii virtute divina ignis dividetur, quia ardor sine luce erit in igne involvente reprobos. Ignis splendens sine ardore erit ad gloriam electorum. Et hoc quod dicit, pertinet ad donum consilii. *Vox Domini concutientis desertum.* Hic ponit exclusionem

duplicis infidelitatis, scilicet Gentilium, et Iudaeorum. Quantum ad primum dicit, *Vox Domini concutientis desertum*, idest gentem ad fidem commovit convertendo ad eam : *Isa. 54. Multi filii desertae*, idest populi Gentilis, *magis quam eius quae habet virum*, idest synagogae. Quantum ad secundum dicit, *Desertum Cades*, quod interpretatur sanctum legis: quia Iudaei sanctificati per legislatorem convertentur in fine mundi: *Isa. 1. Terra nostra deserta* etc. Et hoc pertinet ad donum intellectus. Consequenter commemorat beneficium quod pertinet ad promotionem in bonis. Et primo ponit collationem sapientiae. Secundo eius actum. Dicit ergo, *Vox Domini praeparantis cervos*, idest sanctos et perfectos viros, quia sicut cervi repellunt venenosa, ita sancti repellunt omne peccatum : et sicut cervi per spinas incedunt sine laesione, ita sancti per vanitatem mundi eunt sine delectatione : *Gen. penul. Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis*. Et isti praeparantur per Deum, non per se : et ipse Deus, *Revelabit*, eis, *condensa*, idest ea quae aliis sunt abscondita : *Matth. 11. Revelasti ea parvulis*. Et hoc pertinet ad donum sapientiae. Consequenter concludit gratiarum actionem pro praedictis beneficiis, dicens, *In templo eius omnes dicent gloriam: Psal. Iuvenes et virgines, senes cum iunioribus* etc. Alia litera habet, *Omnis dicet vel loquetur gloriam*. Verum est quod quilibet habet dona communia, et etiam spiritualia. Et pro hoc speciali dono quilibet dicet gloriam : *Eccl. ult. Dauti mihi iustitiam, dabo gloriam. Domini*

h Hic agit de beneficiis speratis. Et primo commemorat potentiam benefactoris. Secundo ponit sperata beneficia, ibi, *Dominus virtutem populo suo dabit*. In Hebraeo habetur, *Dominus diluvio sedit*, Et hoc habet planum sensum ; quasi dicat, Verum est quia hoc fecit populo Israeli. Numquid non eiusdem potestatis aliquando fuit? Immo a principio mundi iudicia eius manifesta fuerunt. Et commemorat unum manifestum quod ex iudicio pro peccato hominum induxit diluvium. *Et sedebit Dominus rex in aeternum*, iudicans scilicet populos in aequitate. Hieronymus habet, *Dominus diluvium inhabitat*, vel inhabitare facit. Diluvio inundante, terra evacuata est ab habitatoribus. Postea iterum, *Inhabitare facit terram*, dissipatam tunc per multiplicationem hominum. Mystice potest tripliciter legi. Uno modo, ut ly diluvium sit quasi accusativus appositus ad hoc infinitum, *Inhabitare*: quia in arca Noe soli illi habitaverunt diluvium: et si per arcam Noe signatur ecclesia, et sancti qui sunt in ea, securi habitant diluvium tribulationum. Alio modo e converso, quasi diluvium inhabitat in templo suo. Diluvium est mundus, et carnales homines mundi: *Nah. 1. In diluvio praetereunte consummationem faciet*. Hoc ergo diluvio faciet inhabitare in templo suo, quando convertentur, *Et sedebit rex in aeternum*, ut supra expositum est. Alio modo diluvium inhabitat, idest aquas baptismales, quas ipse inhabitat per effectum gratiae. Consequenter commemorat beneficia sperata. Et primo pertinentia ad progressum. Secundo ad finem. Quantum ad primum dicit, *Dominus virtutem populo suo dabit*, per quam possint proficere: *Isa. 40. Qui dat lapso virtutem, et his qui non fuerunt fortitudinem* etc. Quantum ad secundum dicit, *Dominus benedicet populo suo in pace : Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta*.

## Psal. Cantici in dedicatione domus.

## XXIX.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

b Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me. Domine exaudisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.

c Psallite Domino sancti eius : et confitemini memoriae sanctitatis eius.

d Quoniam ira in indignatione eius: et vita in voluntate eius. Ad vesperum demorabitur fletus : et ad matutinum laetitia.

e Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in aeternum. Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me: et factus sum conturbatus.

f Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.

g Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem. Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

h Audivit Dominus, et misertus est mei : Dominus factus est adiutor meus. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

i Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

## a PSAL. XXIX.

In praecedenti Psalmo hortatus est propheta alios ad gratiarum actiones ; hic autem ipse gratias agit. Titulus, *Psalmus cantici in dedicatione domus David*, sicut supra dictum est. Psalmi cantici dicuntur, quia prius cantabatur, et post sequebatur Psalmus quasi prius sequens canticum. Sed legimus quod David domum Deo non dedicavit, quia prohibitus fuit per Nathan a Domino, *2. Reg. 7*. Sed hic non dicitur domus Domini, sed David. Legitur *2. Regum 5*. quod post mortem Saulis cepit Hierusalem, et ibi fecit domum suam. Et consuetum est, quod quando quis intrat domum, facit solemnitatem. Et posset dici quod tunc iste Psalmus cantatus fuit ab ipso David, quando primo intravit domum illam novam ut inhabitaret ibi. Tamen melius intelligitur quod conferatur ad mysterium domus David, idest Christi, qui est ecclesiae caput et corpus. Et haec eadem dicitur tabernaculum. Supra dictum est, *Pro consummatione tabernaculi;* hic autem, *In dedicatione domus*. Tabernaculum est militantium : et sic praesens ecclesia dicitur tabernaculum : *Apoc. 27. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus* etc. Domus est quiescentium, sic ecclesia

expectat quietem patriae: *Psal. 121. In domum Domini ibimus.* Utraque haec habet constructionem quae fuit in ordinatione suae incarnationis: et dedicationem, quae fuit in resurrectione, quando corpus Christi indutum est gloria immortalitatis. Super corpus Christi continue construitur, et per conversionem fidelium dedicatur, quando erit in gloria. Psalmus iste dividitur in duas partes. In prima in generali commemorat beneficia pro quibus gratias agit. Secundo in speciali, ibi, *Ego autem dixi.* Circa primum duo facit. Primo agit gratias de propriis beneficiis. Secundo invitat alios ad gratias agendas de communibus, ibi, *Psallite Domino sancti eius.* Circa primum tria facit. Primo ponit gratiarum actionem. Secundo commemorat beneficia, ibi, *Quoniam suscepisti me.* Tertio exponit, ibi, *Domine Deus.* Dicit ergo, *Domine exaltabo te,* non faciendo te altiorem, sed confitendo et laudando tuam altitudinem: *Eccl. 43. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis.* Et assignat duo beneficia, quare exaltat: unum ex parte Dei, et aliud ex parte inimicorum, et secundum est effectus primi. Ex parte Dei, quia *Suscepisti me*, in tuam protectionem, quando elegit eum et protexit, ut habetur *1. Reg. 16.* usque in finem. Vel Deus suscipit iustos, quando unit sibi, qui per unionem charitatis adhaerent sibi. Sed Christum hominem univit sibi suscipiendo in unitatem perfectam: *Ps. 39. Tu autem Domine susceptor meus es* etc. Ex parte inimicorum: quia, *Non delectasti.* Hoc enim non est odiosum valde quod inimici gaudeant de eo, quia non gaudent nisi de malo suo, et nullus optat malum nisi sibi exoso: *Eccl. 18. Si praestes concupiscentias eius animae tuae, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Sed certum quod David non venit in gaudium inimicis, quia Saul non est assecutus propositum suum de eo. De Christo autem non videtur: *Matt. 27 Insultabant enim ei iam crucifixo: Vah qui destruis templum Dei* etc. Item, etiam viris iniustis mali insultant, et laetantur super eos: *Iob 30. Derident me iuniores tempore, nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum in proverbium eis.* Sed dicendum, quod si ad horam Iudaei de Christo gavisi sunt, non tamen finaliter: quia Christo resurgente nomen eius magis invaluit: *Mich. 7. Ne laeteris inimica mea, quia cecidi* etc. Deinde cum dicit, *Domine Deus meus*

b Ostendit quomodo liberatus sit. Et primo a malis interioribus. Secundo ab exterioribus, ibi, *Domine eduxisti.* Malum interius est infirmitas, vel corporalis, vel spiritualis. Haec duo potuerunt esse in David, et in nobis, sed in Christo non nisi corporalis propter passibilitatem; et ideo dicit, *Clamavi*, scilicet David: *Ps. 109. Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Item Christus clamavit, etsi inquantum Deus sit exauditor: *Hebr. 5. Cum clamore valido, et lacrymis* etc. Sequitur, *Et sanasti me.* Dixit quia ab utraque infirmitate; Christum vero sanavit a corporali solum passibilitate. Consequenter dicit se esse liberatum ab exterioribus malis, *Domine eduxisti.* Et primo ab imminentibus. Secundo ab illis a quibus est praeservatus, ibi, *Salvasti.* Dicit ergo, *Domine eduxisti* etc. hoc ad literam non potest intelligi de David: quia non erat erutus de inferno, quando hunc Psalmum fecit. Potest intelligi de eo secundum metaphoram, quasi liberatus sit a mortali periculo. Sed ad literam intelligitur de Christo, cuius anima educta est de inferno a Deo: *Psal. 15. Ne derelinquas animam meam in inferno.* Item convenit illis, qui per Christum resuscitati sunt: *Zach. 9. Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Secundo dicit se praeservatam a mortali periculo cum subdit, *Salvasti me a descendentibus in lacum.* Ad literam lacus accipitur pro concavitate: mos enim fuit antiquitus quod sepeliebantur in profundis concavitatibus: *Salvasti me*, ait, *a descendentibus in lacum;* quasi dicat, Liberasti me a periculis mortis. Sed de Christo exponitur optime, quia per lacum intelligitur damnatio aeterna: quia licet Christus descenderit in infernum; non tamen illuc descendit tanquam ad damnationem, sed ut liberaret eos qui erant in lacu; quasi dicat, Dedisti mihi, ut non assimilarer descendentibus in lacum: *Psalm. 75. Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Vel, *In lacum*, idest in peccatum, immunis enim fuit a peccato. Deinde cum dicit, *Psallite Domino sancti eius* etc.

c Inducit alios primo ad gratiarum actionem. Secundo commemorat beneficia, ibi, *Quoniam ira in indignatione eius.* Ubi duo facit: quia primo ostendit qui sunt qui gratias Deo debent. Secundo de quo, ibi, *Confitemini.* Dicit ergo, *Psallite.* Ecce qualiter Psalmus cantici. *Psallite*, inquam vos sancti: quia *Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris: Apoc. 19. Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius.* Sed de quo? *Confitemini*, gratias agendo, *Memoriae sanctitatis eius.* Uno modo *Memoriae* potest intelligi, quia Deus memor est nostri: *Hier. 2. Recordatus sum tui*, etc. Et dicit, *Sanctitatis eius.* Et dupliciter potest intelligi: vel quia haec memoria provenit ex sanctitate, idest ex misericordia, et bonitate sua: *Levit. 11. Sancti estote, quia ego sanctus sum:* vel quia memor est nostri ut sanctificet nos: *Levit. 11. Ego Dominus qui sanctifico vos.* Alio modo, *memoriae*, scilicet nostrae, quia nos recordamur sanctitatis Dei; quasi dicat, Confitemini commemorando sanctitatem eius: *Isa. 63. Miserationum Domini recordabor.* Secundo, cum dicit, *Quoniam ira*

d Commemorat beneficia omnibus exhibita. Ubi duo facit. Primo proponit haec beneficia, quae spectant ad Dei clementiam. Secundo clementiae eius ostendit signum, ibi, *Ad vesperum.* Dicit ergo, *Quoniam ira* etc. Misericordia Dei non est sine iustitia; ideo ponit primo iustitiam. Secundo misericordiam: iustitiam, cum dicit, *Quoniam ira.* Hic ira accipitur pro effectu irae, idest pro vindicta; indignatio vero non pro commotione irae in Deo, sed pro iustitia Dei, secundum quam detestatur impium: quia *Sap. 14. Similiter odio sunt Deo impius et impietas eius;* quasi dicat, *In indignatione eius*, idest Dei iustitia iudicante peccata in ira, idest vindicta. Hieronymus planius, *Quoniam ad momentum est in ira eius;* quasi dicat, Si aliquando irascatur suis, hoc est ad correctionem brevi tempore: *Isa. 54. In momento indignationis abscondi* etc. *Exec. 18. Nolo mortem peccatoris morientis.* Hieronymus, *Vita in propitiatione eius;* quasi dicat, Punit ad momentum, et post repropitiatur, et reddit vitam: *Iob 5. Percutit,*

*et manus eius medetur.* Ostendit autem clementiae, et misericordiae eius signum secundum literam, cum subdit, *Ad vesperum demorabitur;* quasi dicat, In brevi tempore Dominus a tristitia ducit ad consolationem: quia si aliquis tristis sit vespere, mane erit laetus. Triplex autem ratio assignari potest, quare vespere tristitia insit, et mane laetitia. Una est ex exteriori dispositione: quia vespere principium est tenebrarum, quae contristant, mane vero lucis, quae laetificat: unde caeci ut laetentur cantant: *Iob 5. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* Secundo ex interiori, mane est hora sanguinis, quia homo disponitur ad gaudium; vespere est hora melancholiae, quia homo disponitur ad tristitiam. Tertio ex natura somni. Somnus enim est quies animalium: unde tristitia per somnum quietatur. Mystice litera est plana: quia, *Ad vesperum*, dominicae sepulturae fuit tristitia, quia adhuc fideles flebant mortem Christi. Sed *Ad matutinum*, propter nuncium resurrectionis, *Laetitia.* Si ad totum genus humanum referatur, sic, *Ad vesperum*, idest peccatum primi parentis, *Tristitia*, quia, ut habetur *Genes. 3.* post meridiem vergente iam sole ad occasum peccavit Adam. Et iste fletus non potest dici brevis, quia etiam post reparationem gratiae manent reliquiae eius. Sed in matutino, idest in Christo laetitia. Vel vespere quando lux spiritualis incipit in homine deficere, et tunc in eo est fletus; sed quando relucet in eo, tunc est gaudium: *Psal. 5. Mane astabo tibi, et videbo. Ego autem dixi in abundantia*

e Supra gratias egit de beneficiis divinis; hic autem prosequitur totum ordinem quomodo hoc sit adeptus. Ubi tria facit. Primo ponit processum suae directionis. Secundo suum recursum ad orationem, *Ad te Domine clamabo.* Tertio ostendit orationis exauditionem, ibi, *Audivit Dominus.* Secundum glossam prima intelliguntur de Christo, et de quolibet homine. Et primo exponamus quomodo intelliguntur de quolibet homine: *Eccle. 10. Initium omnis peccati superbia.* Et ideo in processu directionis primo ponitur praesumptio de se confidentium. Secundo falsitas praesumptionis, ibi, *Domine in voluntate.* Tertio praesumptionis poena, ibi, *Avertisti faciem tuam a me.* Dicit ergo, *Ego dixi,* idest corde praesumpsi, *In abundantia*, corporalis prosperitatis: *Non movebor*, idest non deficiam: *Apoc. 18. Sedebo regina* etc. *Eccl. 11. In die bonorum ne immemor sis* etc. Vel *In abundantia*, spiritualium bonorum, sicut Adam erat in paradiso: *Ezechiel. 28. Plenus sapientia, perfectus decore in deliciis.* Et in hac abundantia dicunt, *Non movebor.* Contra quod dicitur *1. Corinth. 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Falsitatem praesumptionis ostendit cum dicit, *Domine in voluntate tua* etc. Decor hominis temporaliter est prosperitas temporalis: ideo comparatur flori: *Isa. 40. Omnis caro foenum.* Hic autem decor de sui natura non habet virtutem per mensuram, sicut habetur *Iac. 1. Sicut flos foeni pertransibit. Exortus enim est sol cum ardore, et arefecit foenum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit: ita et dives* etc. Sed unde habet virtutem et firmitatem et constantiam? Certe, *Ex voluntate Dei.* Et ideo dixi, sed praesumptuose, quia *Non movebor.* Sed non est ita, immo quamdiu tibi placuit, *Praestitisti decori meo virtutem.* Bene in perpetuum, quia haec sanctis in patria sunt aeterna; hic autem ad velle suum. Item decor potest accipi pro virtute spirituali: *Proverb. ult. Fortitudo et decor* etc. Hic etiam ex sui natura non est fortis: quia habemus hunc decorem in vasis fictilibus, *2. Cor. 4. Luc. ult. Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ideo dicit, *Praestitisti decori meo virtutem*, sed in voluntate mea: *Ro. 9. Cuius vult miseretur.* Et hoc probat per effectum: quia quando, *Avertisti faciem tuam*, periit. Dicitur autem Deus avertere faciem suam ab homine, ut eum non videat, vel ut non videatur ab eo. Videt autem omnes simplici visione, et notitia; sed quosdam visione misericordiae: *Ps. 70. Respice in me, et miserere mei. Avertisti*, ergo faciem tuam a me ne mei misereris. Et statim, *Factus sum conturbatus*, vel spiritualiter incidendo in peccatum, vel temporaliter in adversitatem. Vel, *Avertisti faciem tuam*, ne videaris, *a me.* Et hoc videtur sonare litera Hieronymi. In adversis quibuscumque fortitudo hominis est habere oculos ad Deum: *Psal. 77. Memor fui Dei, et delectatus sum.* Avertisti ergo ne viderem. *Et factus sum conturbatus.* Sed si exponatur de Christo tunc in hoc, *Ego dixi*, non quidem praesumptuose, scientiae certitudinem, *In abundantia mea*, idest virtutum, et gratiarum: *Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre. Non movebor*, a voluntate Dei: *Ioa. 8. Quae placita sunt ei, facio semper.* Et hoc, quia, *Praestitisti decori meo virtutem*, scilicet faciendi miracula, et resistendi adversariis: *Rom. 1. Praedestinatus est Filius Dei in virtute.* Et hoc patet: quia quando, *Avertisti faciem tuam a me:* in passione: *Psal. 21. Deus Deus meus quare me dereliquisti, factus sum conturbatus*, non in ratione, sed in sensualitate: *Io. 12. Nunc anima mea turbata est. Ad te*

f Consequenter recurrit ad orationem cum dicit, *Ad te Domine clamabo* etc. Et primo ponit orationem. Secundo assignat rationem, ibi, *Quae utilitas.* Tertio ostendit orationis exauditionem, ibi, *Audivit Dominus.* Circa primum duo facit. Quia primo orat pro amotione mali. Secundo pro assecutione boni, ibi, *Et ad Deum meum deprecabor.* Dicit ergo, *Ad te Domine clamabo*, ut clamor intelligatur oratio quasi ad remotionem mali, in Christo passionis, in peccatore peccati, in homine adversitatis. *Et ad Deum meum deprecabor.* Deprecatio est propter bonum dandum, Christo scilicet gloriam, peccatori gratiam, homini inafflicto prosperitatem. Vel clamor referatur ad afflictionem cordis, deprecatio ad assiduitatem orationis: *Iac. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua.* Deinde cum dicit, *Quae utilitas in sanguine*

g Dupliciter assignat. Et primo in universali. Secundo in speciali, ibi, *Nunquid confitebitur.* Dicit ergo, *Quae utilitas*, si de Christo exponatur, in sanguine Christi maxima fuit utilitas: *Mar. 26. Pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sed si cito resuscitatus non fuisset, sed eius resurrectio fuisset dilata usque ad finem mundi, nulla utilitas fuisset in eo, vel et si corpus eius fuisset totaliter putrefactum. Sed nunquid suffecit passio ad salutem? Sic. Sed si hoc non fuisset, scilicet quod non surrexisset, et cito, non fuisset credita eius divinitas: et

sic homines non fuissent utilitatem consecuti. In speciali ostendit, dicens, *Nunquid confitebitur tibi*. Dupliciter dicitur pulvis. Uno modo pulvis peccatorum intelligitur : *Psal. 1. Tanquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae* : per mortem Christi peccatores, qui pulvis sunt, ad duo bona post resurrectionem pervenerunt, ut scilicet confiterentur peccata sua : *Act. 2. His auditis compuncti sunt corde* etc. Et ideo dicit, *Numquid confitebitur tibi pulvis*, scilicet peccator, si descendam in corruptionem putrefactionis ; quasi dicat, Non. Aliud bonum est confessio veritatis Dei; unde, *Aut annunciabit veritatem tuam.* Vel nunquid pulvis resolutus ex corpore, modo erit materia, ut per apostolos confiteantur tibi populi veritatem, vel ipsi apostoli veritatem tuam ? Si exponatur de homine, tunc sic, *Nunquid confitebitur*, idest si moriar, non potero te laudare. Tertio cum dicit, *Audivit Dominus*

h Ostendit orationis exauditionem. Et primo ponitur exauditio. Secundo exauditionis modus, ibi, *Et misertus.* Tertio fructus, *Ut cantet.* Dicit ergo, *Audivit Dominus* etc. Dixerat supra, *Clamabo*; hic autem dicit se exauditum, *Audivit enim Dominus*, quia exaudivit: *Isa. penul. Eritque antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam: Io. 2. Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me: ego autem sciebam, quia tu semper me audis.* Deinde ponitur modus, *Et misertus est mei.* Et primo ipsum modum ostendit. Secundo exponit, ibi, *Convertisti* etc. Dicit glossa, *Clamabo*, contra mala, *Et deprecabor*, pro bonis ; et in utroque sum exauditus. Quia quantum ad primum, *Misertus est mei*, removendo omne malum poenalitatis. Quantum ad secundum, *Dominus factus est mihi adiutor.* Et quod consecutus sum gloriam immortalitatis : *Psal. 39. Adiutor meus et protector meus, et in ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Et floruit caro mea.* Exponit modum, cum dicit, *Convertisti.* Secundum quod loquitur de Christo, duo dicit. Primo enim ostenditur commutatio de malis ad bonum, quantum ad interiora. Secundo quantum ad exteriora, ibi, *Conscidisti.* Christus planctum habuit in tempore passionis in se : quia, *Tristis est anima mea* etc. *Matth. 26.* Et in suis, *Ioan. 16. Quia plorabitis et flebitis* etc. Hunc planctum convertisti, ait, in gaudium resurrectionis. Quantum ad se: *Psal. 20. Domine in virtute tua laetabitur rex*, scilicet Christus. Quantum ad suos: quia *Gavisi sunt discipuli viso Domino*, *Ioan. 20.* Secundo ostenditur commutatio facta de malis ad bona, quantum ad exteriora: quia, *Conscidisti.* Saccus est pannus austerus, et imponitur renibus tempore tristitiae, et fit de pilis caprarum. Sic saccus est caro Christi secundum quod habet similitudinem carnis peccati. Caprae enim et haedi peccatores significant: quia pro peccatis offerebantur, ut habetur in glossa. *Conscidisti saccum meum*, idest scindi permisisti clavis et lancea, et restituisti mihi immortalitatem: et ideo dicit, *Circumdedisti.* Vel de quolibet iusto potest intelligi planctum commutatum in gaudium: *Ioan. 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium: Tob. 3. Post lamentationem et fletum exultationem infundis.* Deinde cum dicit, *Ut cantet*

i Ponitur fructus exauditionis. Fructus autem est gloria Dei: et quod cedat ad gloriam Dei, dupliciter potest intelligi, vel de gloria resurrectionis Christi, vel de gloria sanctorum; unde dicit, *Gloria mea*, mihi data in resurrectione, vel danda sanctis in patria, *Cantet tibi*, idest sit sibi mea laus : *Ioan. 17. Ut filius tuus clarificet te*, et hoc sit in perpetuum; unde dicit, *Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi: Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua : in saecula saeculorum laudabunt te.*

*In finem pro extasi.*

## a PSAL. DAVID XXX.

In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

b In iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.

c Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu, et propter nomen tuum deduces me, et enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

d In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis. Odisti observantes vanitates, supervacue.

e Ego autem in Domino speravi: exultabo, et laetabor in misericordia tua.

f Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. Nec conclusisti me in manibus inimici: et statuisti in loco spatioso pedes meos.

g Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

h Quoniam defecit in dolore vita mea: et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea : et ossa mea conturbata sunt.

i Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde: et timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt a me: oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.

k Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

l In eo dum convenirent simul adversum me: accipere animam meam consiliati sunt.

m Ego autem in te speravi Domine, dixi Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meae.

n Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua: Domine non confundar, quoniam invocavi te.

o Erubescant impii, et deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.

p Quae loquuntur adversus iustum iniquitatem, in superbia et in abusione.

q Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.

r Abscondes eos in abscondito faciei tuae : a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo , a contradictione linguarum.

s Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

t Ego autem dixi in excessu mentis meae: proiectus sum a facie oculorum tuorum.

u Ideo exaudisti vocem orationis meae , dum clamarem ad te.

x Diligite Dominum omnes sancti eius , quoniam veritatem requiret Dominus , et retribuet abundanter facientibus superbiam.

y Viriliter agite , et confortetur cor vestrum omnes , qui speratis in Domino.

## a PSAL. XXX.

Supra enarravit propheta tribulationes , beneficia Dei, orationem suam, fiduciam , et gratiarum actionem; hic autem exponit totum ordinem suae liberationis. Titulus, *In finem Psalmus David pro extasi.* Hieronymus non habet pro extasi , nec Hebraei : et forte septuaginta addiderunt, propter hoc quod dicitur infra, *In excessu.* Extasis enim graece, latine dicitur excessus, qui est mentis , quoniam scilicet homo ponitur extra se. Et hoc dupliciter contingit: vel quia a superioribus allicitur, vel quia ab inferioribus depellitur. Animus ergo hominis si feratur extra se, dicitur vel allectus a supernis per contemplationem et amorem : quia divinus amor , ut dicit Dionysius *4. cap. de di. nom.* extasim facit , quia facit eum vivere non sua, sed Dei vita: *Gal. 2. Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*: vel impugnatus, vel territus ab inferiori: unde quando timet fit extra se : *Act. 5. Repleti sunt stupore et extasi.* Et sicut vult Glossa, hoc modo hic accipitur extasis: agitur enim hic de tribulatione Christi in passione: unde Christus in cruce pendens ait, *In manus tuas* etc. *Luc. 23.* Et de tribulationibus ecclesiae: et hoc sub figura eorum quae contigerunt David. Vel intelliguntur verba Psalmi huius quasi ab una persona prolata : quia caput corpus et membra sunt una persona: unde Christus loquitur pro se, et pro corpore suo: *Is. 61. Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis* : quia Christus et ecclesia sunt una persona. Psalmus iste dividitur in duas partes. Quia primo praemittit orationem. Secundo ponit exauditionem, ibi, *Quam magna multitudo dulcedinis.* Sed quia oratio nititur spei , primo praemittit spem et orationem. Secundo assignat utriusque rationem, scilicet quare speret, et oret , ibi, *Quoniam fortitudo.* Circa primum duo facit. Primo enim praemittit spem. Secundo subiungit rationem, ibi , *In iustitia tua libera me.* Circa spem duo facit. Primo ponit spei rectitudinem. Secundo certitudinem sive firmitatem, ibi, *Non confundar in aeternum.* Dicit ergo. *In te Domine speravi: Hier. 17.* dicitur: *Maledictus homo qui confidit in homine* etc. Et ideo non potest spes esse recta in homine, sed in Deo: *Eccl. 2. Qui timetis Dominum, sperate in illum* etc. Et dicitur hoc ex persona Christi et ecclesiae. Sed contra. Spes non habet locum in comprehensore; Christus autem fuit comprehensor. Ergo non habuit spem, nec fidem, sed visionem. Respondeo. Sperare dicitur a spe; spes autem dicitur dupliciter : quandoque enim dicit virtutem; quandoque vero obiectum eius quod est unum sub duplici ratione : quia respicit Deum ut beatitudinem aeternam , et ut beatitudinis datorem. Hanc non habuit Christus, quia obiectum eius est bonum futurum, non habitum Tamen aliqua alia expectanda erant a Christo per auxilium Dei, sicut gloria immortalitatis, conversio hominum et huiusmodi. Et quantum ad hoc sperabat, licet virtus spei non fuerit ei necessaria. Secundo ponit firmitatem, quia, *Non confundar in aeternum,* quia innititur Deo qui est incommutabilis; sed qui sperat in homine qui deficit, confunditur aliquando. Deinde cum dicit, *In iustitia*

b Subiungit orationem : ubi tria facit. Primo assignat causam quare petit liberari. Secundo petit celeritatem liberationis , ibi , *Inclina.* Tertio proponit modum , *Esto mihi.* Dicit ergo , O Domine spero , et ideo peto liberari. Sed qua causa, non propter iustitiam meam , sed , *In tua iustitia* , quia iustus es : *Dan. 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam , sed in miserationibus tuis multis.* Vel , *In iustitia tua* , quam mihi dedisti , non mea : *Ro. 10.* dicitur : *Ignorantes Dei iustitiam* etc. Item peto velociter liberari, quia non possum pati afflictionem. Dilatio potest contingere dupliciter. Una ratio potest esse , quia liberator est longe. Alia vero, quia piger. Deus videtur longe esse a nobis : unde quidam dixerunt, quia non habet providentiam de nobis : *Iob 21. Circa cardines caeli perambulant, nec nostra considerat.* Et ideo peto, ut tu Deus qui in altis habitas , nec ego possum ad te accedere. *Inclina aurem tuam.* Auris Dei est voluntas exaudiendi: et dicitur Deus nobis appropinquare , quando condescendit nostris infirmitatibus et miseriis ; et ideo ait, *Inclina* , idest condescende ex bonitate: et hoc cito. Et ideo, *Accelera ut eruas me: Isa. 18. Voca nomen eius accelera* : quia non tardat in necessitate. Modus est duplex liberandi , ut scilicet quod non laetabitur in malis existens , vel quod mala fugiat. Quantum ad primum dicit , *Esto mihi in Deum protectorem* , ut mala non me laedant: *Is. 49. In pharetra sua abscondit me.* Quantum ad secundum dicit , *Et in domum refugii:* et hoc est nomen Domini: *Prov. 18. Turris fortissima nomen Domini.* Et ideo hic ait, *Ut salvum me facias.* Deinde cum dicit. *Quoniam*

c Ostendit quid movet eum. Et primo ad sperandum. Secundo ad orandum , ibi , *Miserere mei Domini , quoniam tribulor.* Circa primum duo facit. Quia primo movetur ad sperandum ex consideratione divinae considerationis. Secundo experimento beneficiorum, ibi, *Ego autem in Domino speravi.* Haec enim duo dant fiduciam. Conditionem autem Dei o-

stendit dupliciter. Primo per comparationem ad nos. Secundo per comparationem ad adversarios, quia erant et adversarii, et hostes, ibi, *Odisti observantes.* Circa primum tria facit. Primo enim ponit habitudinem Dei ad nos. Secundo, quid ex hoc speret, ibi, *Et propter nomen tuum.* Tertio in spem erectus prorumpit in orationem, ibi, *In manus tuas.* Sciendum est autem, quod Deus habet habitudinem ad nos, quia est fortitudo nostra ad complendum omnia bona quae per eum facimus: *Exo. 15. Fortitudo mea, et laus mea Dominus* etc. Item quia refugium nostrum ad vitandum mala: *Ps. 103. Petra*, scilicet Deus, *refugium herinaciis.* Et ideo ait, Spero de te propter ista duo. Et quid speret, ostendit ex persona viatoris, quia semper indiget ductore, procuratore, et defensore. Primum pertinet ad viam. Secundum ad vitam. Tertium ad salutem. Et ideo quantum ad primum dicit, *Deduces*, scilicet per viam salutis. Quantum ad secundum, *Et enutries*, nutrimento virtutum, et etiam corporali: *Psal. 22. Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Quantum ad tertium, *Educes me de laqueo*, idest de fraudulenti insidia, quam mihi praeparaverunt: *Prov. 1. Veni nobiscum, insidiemur* etc. *Psal. 123. Laqueus contritus est.* Et ratio est, *Quia tu es protector meus;* quasi dicat, Ideo spero, quia ista facies mihi, quia tu es etc. *In manus*

d Prorumpit tertio in subitam orationem; et circa hoc duo facit. Primo recommendat se Domino. Secundo commemorat divinum beneficium, vel mox secundum, ibi, *Redemisti* etc. Dicit ergo quantum ad primum, *In manus* etc. Quod carius est in homine spiritus est: et quod timet in via, quod carius habet commendat ductori. Et ideo in vita ista periculosa spiritum meum commendo tibi Deo. Hoc fecit Christus in nostrum exemplum: unde in cruce dixit, *In manus tuas* etc. *2. Tim. 1. Scio cui credidi* etc. Ex persona ecclesiae intelligitur; quasi dicat ecclesia capiti Christo, Tu dicis, *In manus tuas commendo spiritum* etc. Et ex hoc sequitur, scilicet ex cruce redemptio nostra. Dicit autem, *Deus veritatis*, quia implevit quod promisit. Per comparationem autem ad adversarios dicit, *Odisti;* quasi dicat, sic te habes ad me. Sed quomodo ad adversarios, quia odis eos, et merito, quia, *Observant vanitates* etc. illi scilicet qui in rebus mundi spem habent et figunt. Et hoc, *Supervacue*, quia deficiunt: *Sap. 5. Quid nobis profuit superbia* etc. Item vanitates, auguria, vel somnia, vel pacta daemonum; et tales odiuntur a Deo, quia sacrilegi et idolatrae: *Psal. 39. Beatus vir cuius est nomen Domini* etc. *Ego autem*

e Supra rationem suae spei assignavit ex divina conditione; hic autem assignat eam experimento divinorum beneficiorum. Circa quod duo facit. Quia primo proponit spem. Secundo eius effectum, ibi, *Exultabo.* Dicit ergo, Deus odit malos, *Ego autem*, qui non observo vanitates, *Speravi in solo Deo*, non in Deo divitiarum, *1. Tim. 6.* Effectus spei est spiritualis laetitia: *Ro. 12. Spe gaudentes.* Et ponit modum laetitiae: quia, *Exultabo et laetabor.* Est autem exultatio gaudium per signa exteriora extra exiliens. Laetitia vero dicit interiorem dilatationem cordis. Exultatio ergo dicit magnitudinem gaudii, laetitia moderationem. Et praemittit exultationem, qua homines inflammati amore Dei in principio plus gaudent, et post moderate. *Laetabor*, non in iustitia mea, sed tua. *Quoniam*

f Hic commemorat beneficium liberationis. Primo liberationem. Secundo liberationis modum, ibi, *Nec conclusisti.* A duobus dicit se liberatum, ab abiectione, et a tribulatione: primum opponitur honori; secundum prosperitati. Quantum ad primum dicit, *Humilitatem*, idest abiectionem; quasi dicat, Licet tu altus sis in caelis, tamen, *Respexisti*, hic abiectum, vel, *Humilitatem*, cordis: *Luc. 1. Respexisti humilitatem ancillae tuae.* Quantum ad secundum dicit, *De necessitatibus*, idest tribulationibus, *Animam*, non corpus, quia secundum corpus quandoque succumbunt, sed anima liberatur: *Psal. 24. De necessitatibus meis libera me Domine.* Vel necessitates dicit passibilitates praesentis vitae, scilicet mortis, famis, penuriae, indigentiae: *Ro. 12. Necessitatibus sanctorum communicantes.* Modus liberationis ostenditur. Primo quantum ad evasionem mali. Secundo quantum ad conservationem in bono, ibi, quia, *Statuisti.* Dicit ergo quantum ad primum, *Nec conclusisti.* Illud concluditur cuius nihil est extra. Deus permittit aliquem tentari ab hominibus, sed non concludit eum in manibus eorum, quia reservat aliquid ad quod hostis non potest, sicut in *Iob 1.* qui primo sic conclusit super substantiam quod corpus non tangeret; deinde sic super corpus, quod non tangeret animam: unde dicit, *Veruntamen animam illius serva.* Sed impii concluduntur, *In manibus inimici.*

Sed contra. *Iob 16. Conclusit me apud iniquum* etc. Respondeo. Verum est secundum intentionem inimici credentis se praevalere, sed non est verum simpliciter. Quantum ad secundum ait, *Statuisti* etc. idest in loco libero et amplo, *Pedes*, idest affectus, quia ex nulla parte impeditur qui benefaciat: *Prov. 4. Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Vel iste locus spatiosus est vita aeterna: *Baruch 3. O Israel quam magna est domus Dei* etc. ubi statuerunt pedes nostri: *Psal. 121. Stantes erant pedes nostri* etc. Deinde cum dicit, *Miserere mei Domine, quoniam tribulor* etc.

g Rationem orationis assignat dupliciter. Primo in generali praemittit orationem, et eius causam. Secundo prosequitur utrumque in speciali, ibi, *Conturbatus est.* Circa primum duo facit. Primo ponit petitionem in generali. Secundo causam petitionis, ibi, *Miserere: Iudith 8. Indulgentiam eius cum lacrymis postulemus.* Et quare? *Quoniam tribulor: Ps. 118. Multi qui persequuntur me, et tribulant me.* Sed contra supra dicit, *Salvasti de necessitatibus animam meam.*

Respondeo dicendum, quod loquitur secundum diversa membra, vel secundum diversa tempora. Sequitur, *Conturbatus est.* Ubi exponit in speciali primo tribulationem. Secundo orationem, ibi, *Ego autem in te speravi* Circa primum duo facit. Quia primo quantum ad id, quod est interius. Secundo quantum ad id, quod est exterius. ibi, *Quoniam defecit.* Quantum ad primum tria ponuntur, scilicet oculus, anima, et venter: per quae ratio, voluntas, et sensualitas designantur, quando scilicet homine in tribulatione posi-

to omnia ista commoventur. Et ideo dicit, *Oculus*, interior: *Eph. 1. Illuminatos oculos cordis utiliter, In ira*, inimicorum persequentium, vel Dei punientis: *Ps. 4. Conturbatus est a furore oculus meus.* Vel, *In ira*, quia irascor contra malos: haec enim non excaecat oculum rationis, sicut facit ira per vitium, sed conturbat, et obnubilat, quia non ita limpide videt. *Anima mea*, quantum ad voluntatem: quia proprium est voluntatis movere corpus, et voluntas movet omnia, quae in nobis sunt: *Ps. 6. Anima mea turbata est. Venter meus*, idest infirmus: et signant sensualitatem: *Hier. 4. Ventrem meum doleo.* Vel, *Anima mea*, refertur ad sensualitatem, venter autem ad corpus; quasi dicat, Sensualitas turbata est, et corpus. Vel refertur ad diversa membra ecclesiae. Nam, *Oculi*, doctores, *Anima*, praelati, *Venter*, alii sunt. Deinde cum dicit, *Quoniam* etc.

h Exponit tribulationem quantum ad exteriora: tribulatio namque expellitur bonis praesentis vitae: quae tria sunt, scilicet deliciae carnis, divitiae, et honores: *1. Io. 2. Omne quod est in mundo* etc. Contra primum ponit dolorem; contra secundum paupertatem; et contra tertium opprobria. Secundum est, ibi, *Infirmata.* Tertium vero, ibi, *Super omnes inimicos.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit dolorem. Secundo timorem eius, ibi, *Timor notis.* Dicit ergo, *Tribulor*, interius; et haec tribulatio venit ex interiori. *Quoniam defecit in dolore vita mea.* Vita continuo procedit ad defectum: *Sap. 5. Continuo desinimus esse.* Potest ergo qui tristatur dicere, *Vita mea defecit in dolore: Eccl. 38. A tristitia enim festinat mors:* vel vita spiritualis: *Ro. 1. Iustus meus ex fide vivit.* Vel potest intelligi de vita, qua quis gaudet de bono aliorum: *2. Cor. 17. Nunc gaudeo, non quia tristes estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam.* Et dolor causat in eis defectum, unde, *Et amici mei*, idest duratio vitae meae, *In gemitibus*, qui sunt signum doloris. De secundo dicit, *Infirmata* etc. Divitiae confirmant homines: *Eccl. 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit et pecunia.* Et ideo paupertas refertur ad infirmitatem exteriorem. Sicut autem paupertas temporalis facit infirmitatem exteriorem, ita paupertas spiritualis spiritualem. *Virtus*, idest fortitudo corporalis, quae est in nervis, et ossibus; et ideo subdit, *Ossa mea;* quasi dicat, Omnia in quibus fundabatur fortitudo eius, erant debilitata: *Ps. 21 Dinumeraverunt omnia ossa mea. Super*

i Propheta assignans suam exteriorem tribulationem, proposuit dolores contra delicias, paupertatem contra divitias; hic autem opprobria contra honores mundi. Circa quod tria facit. Primo proponit confusionem quam patitur. Secundo inducit similitudinem, *Factus sum tamquam vas.* Tertio probationem, *Quoniam audivi.* Circa primum tria facit, secundum quod triplex gradus invenitur despicientium alios: quidam enim manifeste inferunt opprobrium: quidam eius societatem vitant; quidam, qui omnino eius obliviscuntur, et hoc pertinet ad contemptum: quia nullus obliviscitur eius, quod non contemnit. Primo ergo ponit primum, et dicit, *Super omnes inimicos* etc. Hieronymus habet, *Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium vicinis meis nimis;* quasi dicat, Non solum inimicis meis factus sum opprobrium, sed et vicinis. Et sunt verba Christi ex parte ecclesiae. Vicini ecclesiae sunt qui nondum sunt conversi, sed proponunt converti. Et dicit, *Opprobrium*, propter poenam et propter culpam. Et quantum ad utrumque exponitur, ut dicat Christus ex parte ecclesiae, *Factus sum opprobrium*, propter poenas martyrum. Et hoc, *Super omnes inimicos*, quia turpiores poenas sancti sustinuerunt quam latrones: *1. Cor. 4. Spectaculum facti sumus* etc. Item propter culpam. In ecclesia sunt aliqui peccatores et malae vitae, ita quod propter eos ecclesia est contemptibilis apud illos, qui debebant accedere. Et bene, *Super omnes inimicos*, quia turpior apparet vita eorum, quam infidelium: *Ezec. 5. Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam* etc. Item *ibidem 16. Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus* etc. Item quantum ad secundum nullus adiungit se ei; unde dicit, *Timor notis*, idest vicinis qui timent ad me accedere. Vel propter poenas quas patior, vel propter malam vitam malorum Christianorum. Et signum huius subdit, *Qui videbant me*, idest qui considerabant huiusmodi opprobria culpae et poenae: *Fugerunt a me foras*, quia noluerunt converti: *Iob 6. Fratres mei pertransierunt quasi torrens: Psal. 87. Longe fecisti notos meos a me.* Tertium est oblivio. Et hoc est quod ait, *Oblivioni datus sum.* Sed quia homo quantumcumque diligat aliquem post mortem, tradit eum oblivioni, ideo dicit, *Tanquam mortuus: Psal. 87. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius.* Haec ad Christum referuntur in persona sua: quia factus est in opprobrium: *Ps. 68. Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Item timor, quia *Fugerunt*, discipuli. Item, *oblivioni datus*, quia, *Sperabamus quod ipse redempturus esset Israel, Luc. 14.* Deinde adducit exemplum, *Factus* etc.

k *Factus sum tanquam vas perditum*, idest inutile de quo non curatur: *Hier. 51. Reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco* etc. Tertio probationem: et circa hoc duo facit. Primo enim inducit contemptum. Secundo persecutionem quam patitur, *In eo dum convenirent.* Dicit ergo, *Factus sum opprobrium: quia audivi vituperationem*, a viris meis: *Hier. 22. Audivi contumelias multorum* etc. *In circuitu.* Augustinus: *Quandoque Christiani peccant, et infideles non dicunt, hoc faciunt mali, sed hoc faciunt Christiani.* Et si religiosi peccant similiter. Et dicit, *In circuitu*, quia non intrant ad veritatis considerationem: quia tunc dicerent, hoc faciunt mali Christiani: *Ps. 11. In circuitu ambulant.* Consequenter cum dicit, *In eo*

l Ostendit quomodo patitur persecutionem, et aggravat ex duobus. Primo ex multitudine persequentium, cum dicit, *In eo dum convenirent simul*, idest unanimiter, *Adversum me:* hoc timendum esset valde: *Eccl. 26. A tribus timuit cor meum: delaturam civitatis, collectionem populi, et calumniam mendacem* etc. ex crudelitate ipsorum, non ad leve convenerunt, sed ad occidendum: unde, *Accipere animam meam*, idest vitam, *Consiliati sunt: Hier. 18. Tu scis Domine omne consilium eorum adversum me in mortem: Gen. penul. In consilio eorum non veniat anima mea. Ego*

m Supra Psalmista narravit mala quae patiebatur:

hic autem refugium habet ad orationem. Et quia oratio vacua est nisi certae spei innitatur; ideo praemittit spem, et subiungit orationem, ibi, *Eripe me de manu* etc. Circa primum duo facit. Primo enim ponit spem. Secundo assignat spei rationem, ibi, *Dixi Deus meus.* Continuatio talis est, Non dicit simpliciter, *Ego in te speravi*, sed, *Ego autem* etc. Glossa Augustini dicit, *Consuetum est, quod pueri vocantur mammontreca, quia volunt diu sugere mammas, sed matres apponunt amaritudinem ut abhorreant.* Ubera nostra, quibus a Domino lactamur, sunt prosperitas temporalium, et solatium amicorum. Quando videt Deus, quod homines confidunt nimis in his, et alliciuntur ab his, subtrahit ea, et ponit amaritudinem, ut ponant in solo Deo spem suam. Sic ille advertens dicit, *Audivi*, inquit, *vituperationem:* et ideo dicit, *Ego autem* etc. quasi dicat, Omnibus aliis contradicentibus et pugnantibus adversum me, solum in te fuit spes mea: *Ier. 17. Benedictus vir qui confidit in Domino.* Ratio spei duplex assignatur. Una ex cura et providentia Dei. Alia ex potestate eius. Confidit ergo in eo primo, quasi commissus divinae curae, et a Deo susceptus: Deus enim ex sua virtute curam habet universorum: *Sapient. 12. Nec enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* Item eiusdem *14. Tu ergo pater cuncta gubernas providentia.* Unde Deus omnium, specialiter tamen aliquorum habet curam: *1. Pet. ult. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et ideo specialiter Deus est eorum. Et ideo dicit, *Speravi in te*, quia *Deus meus es tu.* Secundo ex potestate, quia nisi esset potens, deficeret spes. Sed non ita de Deo sentit; unde aît, *In manibus tuis sortes meae*, idest omnia bona quae mihi donantur, sunt in potestate tua: *Ephe. 1. In quo et sorte vocati sumus praedestinati* etc. Sciendum est autem, quod triplex est sors: quaedam consultoria, quaedam divinatoria, et quaedam derisoria. Communiter loquendo, sors nihil aliud est nisi quoddam indicium divinae voluntatis requisitum. Et ideo in glossa Augustini, *Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione divinam indicans voluntatem.* Et ideo proiicere sortes malas nihil aliud est, quam exquirere voluntatis divinae indicium. Ergo sors de sui ratione non dicit aliquid mali, sed efficitur mala ex duobus. Primo quando aliquis exquirit hoc indicium a quo non debet, ut a daemone: et secundum hoc sortilegia damnantur inter alia quae pertinent ad infidelitatem. Secundo, si inquirat indicium in rebus, in quibus non est necesse. In duobus debet inquiri hoc indicium: in necessariis, et in non valentibus aliter sciri. Si enim non fuerit de necessariis, tunc est curiositas, et hoc est in sorte divinatoria: quia in hac solicitantur de futuris, et ideo vana, et reprobatur. In necessariis autem quae possunt aliter sciri, sortes etiam sunt prohibitae: quia hoc est tentare Deum, cum scilicet potest sciri auxilio humano, et recurritur ad divinum. Ponere autem sortes in distribuendis quis habeat quid, vel in agendis quid melius sit in temporalibus rebus, dico quod sors non vituperatur. Unde divisiones frequenter per sortes fiunt. Similiter etiam ad temporales dignitates, si eligantur sorte. Sed hoc non licet in spiritualibus, quia in eis homo dirigitur per Spiritum sanctum: unde qui in eis faceret sortes, iniuriaretur Spiritui sancto. Unde apostoli ante Spiritum sanctum posuerunt sortes super Matthiam; sed post Spiritum sanctum elegerunt septem diaconos sine sorte, *In manibus*, ergo ait, *tuis sortes meae*, idest quod datur secundum indicium tuae voluntatis, totum sub potestate tua est: *Prov. 16. Sortes mittuntur in sinu, sed a Domino temperantur:* Alia litera habet, *Temporalia mea*, quanta scilicet et qualia: *Dan. 2. Ipse mutat tempora et aetates.* Deinde subiungit orationem cum dicit, *Eripe*

n Orat primo pro se. Secundo contra hostes, ibi, *Erubescant.* Circa primum duo facit. Primo enim orat liberari a malis. Secundo promoveri ad bonum, ibi, *Illustra faciem tuam.* In adversariis duo considerat. Et primo affectum; et hoc tangit cum dicit, *De manu inimicorum*, idest odientium me: *Ps. 142. Eripe me de inimicis meis* etc. Isti sunt diaboli: *Mat. 13. Inimicus homo* etc. Item amici: *Matt. 7. Inimici hominis domestici eius.* Secundo effectum, quia persequuntur: *Ps. 118. Multi qui persequuntur me, et tribulant me* etc. Secundo orat promoveri ad bonum, cum dicit, *Illustra.* Circa quod duo facit. Primo petit promoveri in bonis. Secundo, ut non deficiat a petitione, ibi, *Non confundar.* Primum petit dupliciter. Primo secundum profectum sapientiae. Secundo secundum profectum iustitiae, ibi, *Salvum me fac.* Lumen rationis nihil aliud est, quam quaedam participatio divini luminis: *Ps. 4. Signatum est super nos lumen* etc. Hoc lumen non crescit in nobis nisi ab eadem causa a qua inchoatum est. Unde si volumus in eo proficere, oportet quod fiat per illustrationem divinae faciei: *Ps. 42. Emitte lucem tuam* etc. Secundum profectum iustitiae per quam pervenitur ad salutem, petit, cum dicit, *Salvum me fac*, et hoc, *Propter misericordiam tuam*, non per merita mea: *Tit. 1. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos* etc. Quantum ad secundum dicit, *Non confundar*, deficiendo scilicet in spe tua, vel non confundar fraudatus scilicet spe mea. Et hoc ideo, *Quia invocavi te: Ioel. 3. Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Invocavi te*, Glossa Augustini, *Invocas Deum, quando in te vocas Deum, quando in domo cordis tui invitas eum, quod prius necesse est mundari universis sordibus, vel fraudibus: aliter enim vere non invocas. Si enim invocas Deum ut det tibi lucrum, lucrum invocas, non Deum. Gratis ergo invocas Deum o avare, ut te pecuniae non te ipse Deus impleat. Nunquid sine auro, et argento non vis illum ad te venire? Quid ergo de his quae facit tibi Deus sufficit, cum ipse Deus non sufficit?* Consequenter orat contra hostes cum dicit, *Erubescant*

o Et primo ponit suam petitionem. Secundo assignat illorum meritum, ibi, *Quae loquuntur.* Et notandum quod haec oratio magis intelligenda est per modum praenunciationis quam orationis; quasi dicat, *Erubescant*, conformando voluntatem suam divinae iustitiae. Contra primum tria ponit quae in eis venient, quia in iudicio confundentur; unde dicit, *Erubescant.* Quoniam dicet *Mat. 23. Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc. quoniam conscientia reprehendet eos: *Isa. 1. Erubescetis super hortis quos elegeratis cum fueritis* etc. Secundo mittentur in supplicium aeternum: et hoc est quod dicit, *Et dedu-*

*cantur in infernum: Ps. 48. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Tertio obmutescent ; unde dicit , *Muta fiant labia dolosa: Ps. 106. Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Sed contra. Immo erunt loquentia : *Apoc. 16. Blasphemaverunt Deum* etc. Item ingemiscent: *Sap. 5. Gementes prae angustia spiritus, et dicent* etc. Respondeo. Dicendum quod obmutescent a verbis superbiae et doloris illati sanctis. Secundo, cum subdit, *Quae*

p Assignat triplex illorum peccatum, et praecipue oris, quod ex tribus aggravatur , scilicet ex persona contra quam dicitur, ex eo quod dicitur , et ex radice eius quod dicitur. Quantum ad primum dicit , *Adversus iustum*, quod peius quam si contra peccatorem; quasi dicat, Illa obmutescent quae modo loquuntur , de eo quod dicunt , quia iniustitiam dicunt et falsa: *Ps. 35. Verba oris eius iniquitas et dolus.* Ex radice vero, quia aliquid aliquando dicitur contra virum iustum ex ignorantia, et deceptione ; sed si ex prava radice procedit, tunc est malum. Et haec prava radix est duplex , scilicet superbia , et abusio : *Prov. 2. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* Item abuntur bonis sibi datis , quia data sunt eis ut humilientur, et ipsi inde extolluntur. Hieronymus habet, *Et despectu*, quia stulte alios contemnunt. Et haec est abusio, quia non utitur iusto ut debet contemnendo ipsum. *Quam*

q Psalmista supra praemisit tribulationem et orationem ; hic autem accedit ad gratiarum actionem , tanquam exauditus. Ubi duo facit. Primo commemorat universaliter beneficia, quae Deus humano generi et sanctis confert. Secundo prorumpit ad gratias , ibi, *Benedictus Dominus, quoniam* etc. Et circa primum duo facit. Primo enim ostendit Dei misericordiam quantum ad dona collata sanctis. Secundo quantum ad mala a quibus tuetur eos, ibi, *Abscondes eos.* Circa primum duo facit. Ostendit enim primo praeparationem bonorum. Secundo eorum adimpletionem, ibi, *Perfecisti eis.* Dicit ergo, *Quam magna* etc. Dulcedo in spiritualibus transumptive dicitur : sicut enim dulcedo corporalis delectat gustum carnis , ita quod mentem delectat interius , dicitur dulcedo. Contingit autem quandoque quod gustus carnis non bene dispositus delectatur in corrupto sapore, et tunc falso delectatur: sic affectus hominis quando non est bene ordinatus, delectatur in re quae non vere est delectabilis; sed si bene sit dispositus , delectatur in vero bono , scilicet divino. Et ideo bonitas substantialis Dei dicitur dulcedo Dei : *Sap. 16. Substantiam tuam et dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas.* Vel dulcedo Dei dicitur eo modo quo aliquis dicitur amarum habere affectum, quando scilicet cogitat quomodo alios contristet: *Eph. 4. Omnis amaritudo tollatur a vobis.* Ergo per contrarium dulcedo animi, quando proponit alios consolari. Unde dulcedo Dei propositum dicitur quod vult omnes homines salvos fieri, *1. Tim. 2. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus , Psal. 33.* Item *dulcis et rectus Dominus 26.* Et quocumque modo dulcedo dicitur , continet delectationem : quia quamvis sit una et simplex in se, tamen est radix et fons omnis bonitatis. Et ideo quicquid delectat in mundo, totum est in Deo , ut sapientia , veritas , honores , excellentia, voluptas, et omnia huiusmodi in excessu sunt ibi. Et ideo dicit , *Quam magna multitudo* , superexcedens secundum magnitudinem , infinite a nobis incomprehensibilis. Item similiter multitudo quantum ad dulcedinem affectus , quia quicquid homini potest pervenire, totum est ex dulcedine bonitatis Dei : *Sap. 12. O quam suavis est Domine spiritus tuus in nobis : Isa. 24.* ubi agitur de multitudine iustorum: *Multi filii desertae* etc. Quod vero ait, *Quam abscondisti* etc. dupliciter potest intelligi. Uno modo quod Deus abscondit se ab eis ut non cognoscant eum , ut scilicet crescat eorum desiderium. Alio modo , quod in abscondito reposuisti ut timentes te habeant eam : et hoc melius; quasi dicat, In abscondito reposuisti propter eos. Et quare? Quia illa dulcedo non est in sensibilibus bonis quae manifesta sunt nobis, sed est in invisibilibus, et non in rebus creatis, sed in invisibilitate ipsius Dei: *Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum: 1. Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , quae praeparavit Dominus diligentibus se.* Praeparatio ergo bona est in abscondito, sed consummatio et expletio est manifesta; unde subdit, *Perfecisti eis* etc. Inter illam praedestinationem et eius effectum, eius scilicet qui est in gloria, in medio est status gratiae, qui est inchoatio gloriae: et hac praetermissa tendit ad perfectum et dicit, *Perfecisti* , id est perficies, et incepisti perficere id absconditum: *1. Cor. 13. Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur* etc. Sed quibus? *Eis qui sperant in te*, ad quos perveniet haec perfectio, non ad eos, qui in seipsis confidunt: *Ro. 5. Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Sed tunc non erit abscondita, immo erit, *In conspectu filiorum hominum:* quia illam gloriam omnes videbunt boni et mali: *Ro. 8. Existimo quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam , quae revelabitur in nobis: Sap. 5. Videntes mirabuntur in subitatione* etc. usque *Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Vel, *Filiorum* , idest sanctorum qui plene videbunt : *Ps. Videbunt recti* etc. Vel , *Qui sperant in te.* Et hanc manifestant, *In conspectu filiorum hominum: Rom. 1. Non enim erubesco evangelium.* Deinde cum dicit, *Abscondes*

r Ostendit beneficia Dei in sanctos, per liberationem a malo. Sed quia duplex malum potest homo pati , scilicet in opere, et in verbo; primo ostendit quando protegit a primo malo. Secundo quomodo a secundo, ibi, *Proteges.* Dicit ergo, *Absondes* etc. Loquitur similitudinarie; sicut si aliquis quaeratur ad mortem , quicumque illum absconderit in secretis suae domus, ibi tutus esset: sic est de sanctis. Impii persequuntur eos, sed Deus abscondit eos in abscondito, idest perducet ad illum locum absconditum suae dulcedinis: *Gal. 3. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo;* sed hoc erit in futuro perfecte, quando videbunt eum facie ad faciem: *1. Col. 13. Tunc autem facie ad faciem videbimus eum sicuti est.* Et hoc est quod ait, *Faciei tuae.* Sed in praesenti etiam abscondit, inquantum videmus aliquid de dulcedine gloriae suae contemplando. Et intantum abscondit, inquantum homines turbare non possunt firmatos in Dei amore: *Sap. 3. Iustorum animae in manu Dei sunt* etc. Vel non

sentient conturbationes, quas homines patiuntur in iudicio: *Sap. 5. Turbabuntur timore horribili* etc. Item inquantum homo absconditur in contemplatione, et non sentit turbationes mundi: *Sap. 8. Intrans in domum meam conquiescam in illa* etc. Secundo ostendit quomodo absconduntur a maliloquis cum dicit, *Proteges eos* etc. Aliqui enim proteguntur a malefactoribus, sed non a maliloquis, ab hoc enim malo non omnes proteguntur. Unde Octavianus Tyberio respondit zelanti pro ipso contra male loquentes de eo, *Nolo super hac re mihi Tyberi turberis. Satis praestitum est nobis, ut nullus nos offendere possit.* Dicit ergo, *Proteges eos in tabernaculo tuo.* Hoc ad praesentem ecclesiam respicit, quae tabernaculum est militantium: *Isa. 4. Tabernaculum diei ab aestu* etc. Et hoc, *A contradictione linguarum*, quae vel blasphemando Deum, vel docendo falsa contradicunt veridicae doctrinae, ut sunt schismata, et diversae haereses: *Iob 16. Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.* Si ergo recurratur ad tabernaculum Dei, idest ad ecclesiam, et ad secreta fidei eius, ibi invenitur defensio secura ab huiusmodi *contradictione linguarum.* Consequenter cum dicit, *Benedictus*

s Refert gratiarum actionem. Ubi duo facit. Primo enim gratias agit. Secundo inducit alios ad hoc, quibus praedicta beneficia sunt collata, ibi, *Diligite.* Circa primum tria facit. Primo enim prorumpit in gratias. Secundo proponit misericordiam gratiarum, ibi, *Quoniam mirificavit* etc. Tertio exponit causam, ibi, *Ego autem dixi.* Dicit ergo, *Benedictus Dominus;* quasi dicat, Ex quo protectus est sic populus sanctorum a Deo, nihil aliud restat nisi benedicere Deum, idest attribuere hoc eius bonitati: *To. 12. Benedicite Deum, et enarrate omnia mirabilia eius.* Et quare? *Quia mirificavit*, idest mirabilem fecit, *misericordiam suam mihi.* Tunc enim videtur homo teneri ad gratiarum actiones, quando mirabiliter liberatur a magnis periculis. Et quomodo mirificavit? *In civitate*, inquit, *munita;* quasi dicat, Ita liberavit me, quod fecit me sicut civitatem munitam. Alia litera, *In civitate circumdata*, Hebraei habent, *Obsessa.* Hoc autem potest referri ad duas intentiones: et utrumque misericordiam Dei ostendit mirabiliter, quia in civitate munita ita liberavit me, quia fecit me sicut civitatem munitam contra mala. Et haec civitas est ecclesia: *Hier. 1. Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et murum aeneum.* Vel si, *In civitate obsessa*, similiter mira misericordia est: quia sumus liberati a maiori malo. Periculum enim magnum perferunt obsessi; et ideo dicit, *Eram in civitate obsessa*, seu circumdata, et tamen liberavit me velut centrum a circumferentia. Circumferentia namque ponitur in gyro, centrum in medio. Populus Iudaeorum qui in medio erat gentium, qui circumstabant Iudaeam, ubi dicebantur laudes Deo, ubi sacrificia offerebantur, ubi prophetiae non cessabant. Modo autem in omnibus gentibus circumstantibus diffusa est misericordia Dei: *Mat. ult. Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* In civitate ergo ait circumstante, scilicet in toto populo gentium. Deinde cum dicit, *Ego autem*

t Exponit misericordiam gratiarum. Ubi primo ponit magnitudinem. Secundo ponit exauditionem, ibi, *Ideo* etc. Dicit ergo, *Ego dixi in excessu mentis meae.* Excessus contingit quandoque ex causa interiori, et hoc quando videt stupenda ex quibus fit extra se: *Act. 3. Repleti sunt stupore et extasi.* Quandoque a causa superiori, quando scilicet contemplatur quis divina, et rapitur extra se supra se: *2. Cor. 5. Sive mente excedimus Deo.* Sic ergo elevatus ad divina dicit, *Proiectus sum* etc. idest perpendi me longe esse a te: quia quanto homo magis accedit ad Deum, tanto se minorem advertit: *Iob ult. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te* etc. Vel si intelligatur quantum ad excessum causae inferioris, quod innuit litera Hieronymi, aliquando homo considerat gravitatem peccatorum, vel malorum imminentium, et ex hoc reputat se derelictum: sicut Christus in persona suorum dixit *Matt. 27. Deus Deus meus ut quid me dereliquisti?* Et sic dicit hoc David. Considerans mala quae mihi veniunt, *Proiectus sum: Ioan. 2. Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum.* Secundo, cum dicit, *Ideo exaudisti*

u Ponit exauditionem; quasi dicat, *Ideo*, quia hoc dixi, *Exaudisti: Ps. 100. Respexit in orationem humilium.* Sic publicanus *Luc. 18.* quoniam recognovit se peccatorem, descendit iustificatus in domum suam: *Eccl. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat.* Vel secundum Hieronymum ponitur interrogative, *Ego dixi* etc. Ergo ne exaudies? quasi dicat, Mirum est cum sim ita longe a te, quod me exaudias, *Dum clamarem ad te*, Glossa Augustini, *Clamor fit ad Deum non voce, sed corde, quia multi silentes labiis corde clamaverunt: multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt.* Clama ergo intus ubi Deus audit. Consequenter cum dicit, *Diligite Dominum*

x Inducit illos quibus praedicta beneficia sunt collata ad gratias exhibendas. Et ordinat eos primo quantum ad affectum. Secundo quantum ad effectum, ibi, *Viriliter agite.* Circa primum duo facit. Primo inducit eos ad diligendum Deum. Secundo rationem diligendi assignat, *Quoniam veritatem requirit.* Dicit ergo quia exaudivit, et quia mirificavit, *Diligite Dominum: Deut. 4. Et nunc Israel audi praecepta et iudicia, quae ego doceo te* etc. Et qui sunt qui diligere debent, ostendit: quia, *Sancti: Cant. 1. Recti diligunt te. Quoniam veritatem.* Assignat causam diligendi. Redditur autem duplex causa, quare Deum diligere tenentur: quia quod diligunt sancti Deus diligit, et quod odiunt, Deus odit. Secunda est, ibi, *Et retribuet.* Quantum ad primum dicit, *Quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam;* quasi dicat, Diligere debetis Dominum, quia diligit quod diligitis, et hoc requirit. Sancti diligunt veritatem, et ideo Deus qui veritatem requirit, debet a nobis diligi. Requirit autem Deus veritatem iustitiae: *Rom. 2. Iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Item vitae: *Isa. 38. Obsecro Domine, memento quaeso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et corde perfecto.* Item doctrinae: *Matth. 22. Scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Secunda ratio, quare tenemini diligere Deum, est: quia punit quod oditis: punit enim Deus superbiam, quam sancti odiunt: et hoc est, quod dicit, *Et retribuet* etc.

poenam, scilicet abundanter, idest supra scipsos: quia ipsi supra se extollunt: *Isa. 16. Superbia eius, et arrogantia eius, et indignatio eius, plusquam* etc. Deinde cum subdit, *Viriliter*

y Ordinat eos quantum ad effectum. Et primo, ut sunt fortes in opere, cum ait, *Viriliter agite: Prov. 18. Qui mollis, et dissolutus est in opere suo, frater est suā opera dissipantis.* Item ut sint fortes in corde, *Et confortetur cor vestrum: Ps. 26. Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* etc.

*Intellectus David.*

## a PSAL. XXXI.

Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

b Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

c Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

d Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

e Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

f Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

g Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

h Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

i In camo et fraeno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

k Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

l Laetamini in Domino, et exultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

## a PSAL. XXXI.

Hin incipit quarta deca primae quinquagenae. Et sicut in prima decade sunt Psalmi, in quibus fit mentio de persecutione Absalonis, in secunda de persecutione Saulis, in tertia de persecutione populi, ita in ista quarta de tribulatione quam boni a peccatoribus sustinent: *2. Pet. 2. Habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Dividitur autem haec deca in duas partes. Quia primo commendatur iustorum dignitas. Secundo imploratur auxilium contra persecutiones impiorum, *in 4. Psal. Iudica Domine nocentes me.* Circa primum duo commemorat. Primo gratiam iustificantem. Secundo dignitatem iustorum, ibi, *Exultate iusti* etc. Tertio monet iustos ut in iustitia sistant, ibi, *Benedicam Dominum.* Huius Psalmi novus est titulus, scilicet intellectus David. Hieronymus habet, *Eruditio David.* In multis Psalmis sequentibus est invenire titulum hunc. Et signatur per hoc quod in omnibus Psalmis, in quibus hic titulus dicitur, tractatur aliqua veritas communis, non solum pertinens ad unam personam, sed quasi ad providentiam Dei, vel ad aliquid aliud arduum. Et licet in omnibus Psalmis quaedam sint ad eruditionem, ista tamen ad hoc principaliter ordinantur. Specialiter vero iste Psalmus intitulatur ab intellectu quem debet habere poenitens, qui debet intelligere se peccatorem, et gratiam Dei liberantis: *Lev. 5. Si intellexerit homo delictum* etc. Hunc intellectum dat vexatio, *Isa. 28. Beati quorum.* Iste est secundus Psalmus poenitentialium. In primo enim egit de contritione cordis, in isto vero de confessione; et dividitur in tres partes. In prima enim ponitur remissio peccatorum. In secunda via ad remissionem, ibi, *Quoniam tacui* etc. Tertio desiderium sanctorum de remissione, ibi, *Pro hac orabit.* Circa primum duo facit. Primo enim ponitur aliquid quod est ex parte Dei. Secundo illud quod est ex parte hominis, ibi, *Nec est in spiritu.* In peccato namque primo est offensa Dei. Secundo macula. Tertio reatus poenae. Contra haec tria ordinat tria. Quia Deus remittit offensam, maculam tegit, reatum poenae tollit, non imputando peccatum. Quantum ad primum dicit, *Beati quorum remissae sunt.* Sed quia beatitudo est duplex, scilicet rei, et spei, isti tales, scilicet quorum remissae sunt iniquitates, sunt beati in spe; qui tandem erunt beati in re. Beatus enim ille est spe, in quo praecedit causa beatitudinis, et via quae est virtus, et praecipue perfecta: unde in quo virtus perfecta apparet, potest dici beatus in spe: sicut arbor bene florens potest dici fructificans. Post corruptionem enim primi hominis isti flores non erant, sed spinae peccatorum. Et ideo beatitudo peccatoris quae est in spe, non est huiusmodi, sed quod Deus remittat peccatum, et sic fructificat: *Hiere. 4. Novate vobis novale* etc. *Remissae: Isa. 40. Dimissa est iniquitas illius: Luc. 6. Dimitte, et dimittetur vobis.* Quantum ad secundum dicit, *Et quorum tecta sunt peccata.* Peccata sunt macula animae: *Hier. 2. Quam vilis facta est* etc. Quando quis habet in se turpe, et illud tegitur, tunc oculos intuentis turpitudo non offendit. Deus autem tegit turpitudinem peccatorum, sed quomodo? totaliter, scilicet abluendo animam. In peccato enim duplex est deformitas. Una scilicet ex privatione gratiae qua privatur peccator: et haec totaliter tollitur, et non tegitur, quia datur ei gratia. Alia macula est ex actu peccati praeterito, et haec non deletur, quia non datur ei quod non fecerit, sed quod non imputetur ei ad culpam: et haec tegitur. Quantum ad tertium dicit, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* De reatu poenae intelligitur, quia poena non ei reservatur pro peccato: *Dan. 3. Omnia induxisti super nos* etc. secundum Glossam. Triplex peccatum hic insinuatur: peccatum originale, actuale mortale, et actuale veniale.

Primum signatur per iniquitatem, quae est quaedam inaequalitas: et hoc est in originali, inquantum in ea vires animae recedunt ab aequalitate innocentiae: et hoc dimittitur et diminuitur, quia aufertur reatu, et remanet actu. Dicit autem pluraliter iniquitates, quia in diversis diversa originalia, et in uno unum. Secundum signatur per peccatum actuale mortale. Actualia enim peccata mortalia dicuntur tegi, quando non imputantur peccatori iam ad culpam. Tertium signatur per peccatum veniale, quod non imputat Dominus. Peccatum enim veniale non imputatur ad poenam aeternam. Vel primum dicit propter peccatum, quod est ante baptismum. Secundum propter peccata, quae sunt post baptismum. Tertium vero post confessionem, quia non imputabitur peccatum ad poenam. Sed ex parte hominis requiritur quod non fictus confiteatur, alias non consequitur gratiam: *Sap. 1. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.* Et ideo, *Nec est in spiritu eius dolus*, ut aliud habeat interius, et aliud praetendat exterius. *Quoniam tacui*

b Secunda pars est, ubi ponitur via perveniendi ad remissionem peccatorum: et circa hoc tria facit. Primo enim ponit statum peccati. Secundo conversionem, quae est causa remissionis peccati, ibi, *Delictum meum.* Dicit ergo, *Quoniam tacui* etc. Contradictio videtur hic. Cum enim clamet tota die, dicit se tacere. Respondeo. Tacebat ab eo quod dicendum erat, sed clamabat quod dicendum non erat, necdum clamandum. Et in utroque est peccatum. De primo *Isa. 6. Vae mihi quia tacui.* Debet enim peccator dicere peccata sua: *Iob 16. Si tacuero, non recedit a me; nunc autem* etc. Ergo quoniam tacui peccata mea, *Inveteraverunt ossa mea*, idest interior fortitudo defecit. Saepe in Scriptura sacra per membra corporalia intelliguntur virtutes interiores. Unde per ossa, in quibus est fortitudo, intelligitur interior virtus. Et quia inveterascit quod deficit, idest minuitur, inde dicit, *Inveteraverunt ossa mea: Baruch 3. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es, inveterasti* etc. De secundo *Isa. 5. Expectavi, ut faceret iudicium, et ecce iniquitas: iustitiam, et ecce clamor.* Et hoc est quod dicit, *Dum clamarem tota die.* Clamabat enim se iustum, clamabat de poena, et tacebat de culpa. Sed quid fecit Dominus? Convertit eum aggravando manum Domini, gravamen inferentem, *Quoniam die ac nocte.* Secundo conversione consequente, *Conversus sum* etc. Dicit ergo, *Die ac nocte*, idest continue, *Gravata est* etc. Manus Domini aliquando consolatur: *Ezec. 3. Manus Domini erat mecum confortans me.* Aliquando aggravat, sicut hic *1. Reg. 5.* dicitur manus Domini gravissima: *Isa. 26. In tribulatione* etc. Et ideo dicit, *Conversus sum in aerumna mea*, idest in miseria quam patior pro peccatis: *Dum configitur spina*, dum spina, idest remorsus conscientiae, infigitur cordi meo. Vel pro spina dorsi quae tenet totum hominem rectum, *Dum configitur.* Et signat superbiam, quae quando constringitur, corrigitur homo. Vel quare clamabas? Propter gravitatem, inquit, manus tuae. Et hoc ideo quia non sum conversus ad te, sed ad peccatum. Et hoc dum spina peccatorum configitur, idest firmatur in me, et sic spina, idest peccatum, intelligitur. Vel dum ratio, quae sicut spina est, regens dorsum deprimitur. Vel secundum Hebraeos, *Conversus est humor meus in siccitatem aestatis*, idest ex aggravatione manus tuae, quicquid in me carnale, et humidum fuit, conversus est in siccitatem aestatis. Hieronymus habet, *Versatus sum in miseria mea dum exardescit messis*, idest ad modum messis arui. Deinde cum dicit, *Delictum*

c Primo ponit confessionem. Secundo eius efficaciam ostendit, ibi, *Dixi, Confitebor.* Sed quia duo debet homo confiteri, scilicet bona omissa, et mala commissa; quantum ad primum dicit, *Delictum meum*, scilicet quod dimisi facere quod debui: *Cognitum tibi feci:* non quod Deus non cognoscat, sed quando homo recognoscit peccatum suum, tunc vult etiam quod Deus cognoscat, ut ignoscat. Quantum ad secundum dicit, *Iniustitiam meam non abscondi: Iob 3. Si abscondi quasi homo peccatum meum* etc. *Prov. 28. Qui abscondit scelera sua* etc. Efficacia vero confessionis ostenditur, cum dicit, *Dixi, Confitebor.* Confessionis effectus est remissio peccatorum. Dicit ergo, *Dixi*, idest proposui in corde meo: *Confitebor Domino*, idest ad honorem Domini: *Ios. 4. Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere* etc. *Iniustitiam meam*, non bona mea: *Adversum me*, non pro me. Aliquis confitetur peccatum suum, sed contra proximum dicens, Alius induxit me. Contra naturam, ex fragilitate sic accidit. Contra Deum, non potui resistere: *2. Reg. ult. Ego sum qui peccavi, ego sum qui inique egi.* Vel, *Adversum me*, idest propositum meum, qui manere in peccato proponebam. Sequitur remissio, *Et tu remisisti: Eccl. 2. Remittit in tempore tribulationis peccata.*

Si tanta est efficacia confessionis, quod non solum quando quis actu confitetur, sed habens propositum confitendi, consequitur remissionem. Ante ergo remittitur ei quam confitetur: *Isa. 55. Et erit antequam clamet, ego exaudiam.* Quid ergo facit confessio? Dicendum quod propositum operandi operatur ex virtute rei propositae, ut fiat. Unde si cessat operatio illius rei, cessat effectus. Et ideo necesse est perseverare in proposito. Tamen in confessione actuali peccatorum, et absolutione virtute clavium dimittitur ei de poena, et propter verecundiam amplius ei gratia confertur, et multa bona consequitur.

d Hic tertio ponit desiderium sanctorum de remissione peccatorum: et circa hoc tria facit. Primo enim proponitur sanctorum ad hoc desiderium. Secundo peccatorum monitio, *Nolite fieri sicut equus.* Tertio concluditur Psalmus in gratiarum actione, ibi, *Laetamini.* Circa primum duo facit. Primo enim exprimit desiderium sanctorum ad remissionem peccatorum in generali. Secundo in speciali suiipsius refugium ostendens, ibi, *Tu es.* Circa primum duo facit. Primo enim proponit desiderium sanctorum signo orationis. Secundo orationis effectum ostendit, ibi, *Veruntamen in diluvio.* Dicit ergo, *Dixi, Confitebor pro hac*, re, idest pro remissione peccatorum, *Orabit ad te* etc. Et dicit tria. Primo quid orandum, scilicet ut remissionem consequamur: omnes enim peccavimus; *1. Io. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus* etc. Et ideo petenda est remissio: *Eccl. 38. Ora Dominum, et ipse curabit te: Matt. 6. Dimitte nobis debita nostra.* Secundo quis debet orare, scilicet, *Sanctus omnis: Iac. ult. Multum valet deprecа-*

*tio iusti assidua.* Tertio, quando, quia, *In tempore opportuno*, scilicet gratiae et praesentis vitae, quia novissime clausa est ianua, *Matth. 25. 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile* etc. *Io. 9. Venit nox, quando nemo potest operari.* Deinde cum dicit, *Veruntamen*

e Ostenditur effectus orationis, quia, *In diluvio aquarum multarum.* Aqua potest hic accipi tripliciter. Uno modo voluptates: *Gen. pen. Effusus es sicut aqua.* Alio modo falsae doctrinae: *Prov. 9. Aquae furtivae dulciores sunt.* Tertio tribulationes: *Ps. 68. Intraverunt aquae usque ad animam meam.* Sequitur, *Ad eum non approximabunt.* Quod dicit, *Ad eum*, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut ly, *Eum*, referatur ad sanctum; quasi dicat, Quamvis oret sanctus, patitur tamen aquas multas, sed eum non obruunt, sive sint aquae voluptatis, sive falsae doctrinae, sive tribulationis: unde, *Non approximabunt*: *Isa. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: Ps. 65. Transivimus per ignem et aquam* etc. Aliquando ut ly, *Eum* referatur ad Deum: et sic loquitur mutata persona: quia primo ad Deum loquitur, modo ad alios; quasi dicat, Qui sunt in diluvio aquarum multarum, sicut dictae sunt, non appropinquabunt ad Deum. Consequenter cum dicit, *Tu es*

f Exprimitur desiderium sanctorum in speciali: et circa hoc duo facit. Primo exprimit desiderium ut liberetur. Secundo effectum desiderii, ibi, *Intellectum.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit, unde concipit spem orandi. Secundo subdit petitionem, *Erue a circumdantibus me.* Spem autem petendi concipit ex duobus. Primo, quia Deus est speciale iustorum refugium. Secundo, quia eorum speciale refugium in tribulatione. Ergo dicit, *Tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me.* Tribulatio circumdat quando undique opprimit, ita quod non patet refugium ab aliqua parte: *Ps. 39. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus* etc. Sed in hac tribulatione non est refugium nisi ad Deum: *2. Para. 20. Cum ignoremus quid agere debeamus* etc. *Ps. 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi* etc. Sic ergo habeo, inquit, ad quem refugiam, habeo et in quo consoler, quia, *Exultatio mea: 2. Cor. 1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: Ps. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Deinde exprimit quod petit cum dicit, *Erue me a circumdantibus*, idest a tribulatione quae circumdedit me. Et quia tribulatio debet fieri ab aliquo, oportet quod si tribulatio circumdat, quod innitentes sint circumdantes, scilicet daemones et persecutores: et ideo dicit, *A circumdantibus me.* Secundo, cum dicit, *Intellectum*

g Ostendit effectum suae orationis. Deus est qui loquitur, *Intellectum tibi dabo* etc. quasi dicat Deus, Petis a me ut eruam, et ego tria tibi faciam: dabo enim tibi donum intellectus, et te instruam, et te custodiam. Tria enim sunt necessaria homini a Deo. Primo, ut gratiae donum percipiat, ut per hoc anima hominis perficiatur ad prompte agendum. Sed quia quantumcumque homo haberet donum gratuitum, nisi Deus moveat animam ad opus bonum, non sufficit, ideo oportet quod post gratiam praevenientem Deus operetur et moveat ad bonum. Sed gratia et donum recipitur secundum modum naturae nostrae: et non eo modo, quo possit ad omnia vitanda, et ideo necessaria est super hoc protectio Dei, et defensio. Et ideo primo ponit donum intellectus, cum dicit, *Intellectum tibi dabo: Eccles. 15. Implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus.* Et hoc necessarium est homini, ut scilicet cognoscat peccatum suum: et quod non possit salvari nisi per Deum. Secundo ponit debitum usum huius doni, cum dicit, *Instruam te: Isa. 54. Ponam filios tuos doctos a Domino.* Tertio custodiam, cum dicit, *In via hac*, scilicet mandatorum, *Qua gradieris, firmabo super te oculos meos*, idest protegam te: *2. Para. 16. Oculi Domini contemplantur universam terram, et praebent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* Consequenter ostendit cum dicit, *Nolite*

h Convertit se ad peccatores, ut ad poenitentiam redeant: et circa hoc duo facit. Primo ponit monitionem. Secundo comminationem, ibi, *In camo.* Dicit ergo, Deus dat homini intellectum, sed et intellectu excedit animalia. Qui ergo indignum se reddit dono intellectus, comparatur animalibus; et ideo dicit, *Nolite fieri sicut equus et mulus* etc. Secundum Glossam equus est animal superbum; mulus vero animal pigrum: unde non currit. Illi sunt ergo sicut equi, qui per superbiam extolluntur: *Hier. 8. Omnes reversi sunt ad cursum suum* etc. Illi sunt sicut mulus, qui tarde ad viam Dei veniunt: *Prov. 13. Vult, et non vult piger.* Vel per mulum intelliguntur luxuriosi. Mulus luxuriosus est, tamen non generat: sic peccata luxuriae infructuosa sunt: *Rom. 6. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Vel equus portat sessorem indifferenter, et mulus onus quodcumque: peccatori duo imponuntur, sessor, scilicet diabolus, et onus, scilicet peccatum. Non ergo sitis sicut equus, non discernens inter sessores, an scilicet Christus sit, vel diabolus. Nec sicut mulus, qui quodlibet onus, scilicet peccatum, indifferenter portat. Deinde cum dicit, *In camo*

i Ponitur comminatio. Et primo per modum orationis. Secundo per modum praenunciationis, ibi, *Multa.* Dicit ergo, *In camo* etc. Sic metaphorice. Si homo se habet sicut homo, Deus tractat eum sicut hominem, monitionibus et doctrinis; sed quando recedit a dignitate hominis, tractatur sicut brutum animal, quod coercetur poenis, et violentia, scilicet, *In camo et fraeno;* quasi dicat, Monui quod non fiant sicut equus et mulus: quod si non acquiescunt, fac eis sicut equo et mulo, scilicet, *In camo et fraeno maxillas eorum constringe*, comprimendo scilicet loquacitatem, et subtrahendo cibos, quibus utuntur ad voracitatem. Locutioni enim et gustui deservit maxilla: *Isa. 27. Ponam circulum in naribus tuis, et fraenum* etc. Vel, *In camo et fraeno*, idest in maiori et minori tribulatione. Secundo cum dicit, *Multa*

k Praenunciat, et primo, quid paretur malis: quia, *Multa flagella*, a Deo: *Ps. 49. Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* A sua conscientia: *Prov. 12. Quasi gladio pungitur conscientiae.* A potestate: *Rom. 13. Vindex est in iram ei, qui male agit: Pro. 26. Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium.* Secundo quid paratur bonis, *Spe-*

*rantem* etc. Misericordia potest esse nominativi casus, ut sic intelligatur quod ipsum misericordia circumdabit qui sperat in Domino. Vel potest esse ablativi casus, ut intelligatur quod Dominus misericordia sua circumdabit sperantem in se. Et hoc est quando undique subvenit in miseriis hominum: *Ps. 105. Qui coronat te in misericordia* etc. Ultimo concluditur Psalmus in gratiarum actione, cum dicit, *Laetamini.*

l Haec est autem consuetudo in Psalmis poenitentialibus, quod incipiunt a luctu, et finiunt in laetitia: quia hoc facit poenitentia. In hac autem conclusione hortatur iustos et rectos ad bonam operationem, et rectam intentionem dicens, *Laetamini in Domino et exultate iusti;* quasi dicat, Duo sunt necessaria homini, scilicet recta operatio: et hoc facit iustitia, et recta intentio: et hoc facit laetitia. Dicit ergo, *Laetamini iusti, et exultate.* Secundum glossam, *Laetari est tacita suavitate gaudere; exultare vero est concitati animi fervore gaudere.* Unde exultatio provenit ex interiori gaudio. Sed in quo? *In Domino*, inquit, non in mundo: *Phil. 4. Gaudete in Domino, iterum dico gaudete.* Sequitur, *Et gloriamini omnes recti corde.* Recti corde sunt, qui conformant voluntatem suam voluntati divinae: hi habent gloriari in Deo: *1. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XXXII.

Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.

b Confitemini Domino in cithara: in Psalterio decem chordarum psallite illi.

c Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.

d Quia rectum est verbum Domini; et omnia opera eius in fide. Diligit misericordiam et iudicium: misericordia Domini plena est terra.

e Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum.

f Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

g Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

h Quoniam ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

i Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

k Consilium autem Domini in aeternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, et generationem.

l Beata gens cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in haereditatem sibi.

m De coelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

n De praeparato habitaculo suo, respexit super omnes, qui habitant terram.

o Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

p Non salvatur rex per multam virtutem; et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suae non salvabit.

q Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.

r Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor et protector noster est. Quia in eo laetabitur cor nostrum: et in nomine sancto eius speravimus.

s Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

## a PSAL. XXXII.

Titulus non est novus. Est enim, *in finem Psalmus David.* In Psalmo praecedenti egit Psalmista de sui iustificatione; in hoc autem agit de dignitate iustorum et circa hoc duo facit. Quia primo exhortatur iustos ad spiritualem laudem. Secundo exprimit eorum dignitatem, ibi, *Beata gens.* Circa primum duo facit. Primo enim exhortatur ad spiritualem iucunditatem, et laudem. Secundo assignat rationem gaudii et laudis, ibi, *Quia rectum est.* Circa primum duo facit. Primo enim exhortatur ad iucunditatem et laudem. Secundo modum eorum exponit, ibi, *Confitebor Domino* etc. Circa primum duo facit. Ponit enim primo exhortationem. Secundo assignat eius rationem, *Rectos decet collaudatio.* Dixerat enim, *Dixi confitebor, et tu remisisti, et pro hac orabit* etc. Ergo, *Iusti*, quia iustificati estis, *Exultate in Domino*, non in mundo: alias non estis iusti: non enim est iustus qui non gaudet in iustitia. Deum autem ipse est iustitia: *Ps. 10. Iustus Dominus* etc. Et ideo, *Iusti exultate in Domino: Abacuc 8. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.* Sed quare dicit, *Exultate iusti in Domino*, et non dicit, *Exultate* omnes in Domino? Ratio est: quia, *Rectos decet collaudatio*, scilicet Dei. Videndum est igitur si sunt recti, et quomodo eos decet laus. Res non dicitur recta nisi per hoc, quod conformatur regulae et mensurae. Mensura autem et regula voluntatis humanae est iustitia et voluntas divina. Illi ergo qui non habent rectum affectum, non possent bene collaudare Deum, quia nolunt voluntatem suam conformare voluntati divinae, sed divinam volunt potius conformari suae. Et ideo multa Deus facit, quae ipsi non approbant. Sed qui Dei voluntati se aptant, illi gaudent in prosperis, et adversis; et ideo dicit, *Collaudatio*, quia de omnibus laudant, non in aliquibus tantum. Item unanimiter? *Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris: Isa. 4. Exultatio his qui salvati fuerunt de Israel.* Deinde cum dicit, *Confitemini Domino*

b Ponit modum laudis, et iucunditatis. Sciendum est autem quod in laude Dei praecipue intenditur, quod affectus hominis tendat in Deum, et dirigat. Item consonantiae musicae immutant hominis affectum. Unde Pythagoras videns quod iuvenis insaniret ad so-

num Phrigium, mutari modum fecit, et ita furentis adolescentis animum ad statum mentis pacatissimae temperavit, ut dicit Boetius *in prooemio musicae suae*. Inde est quod excogitatum est, quod in omni cultu aliquae consonantiae musicae exerceantur, ut animus hominis excitetur ad Deum. Huius autem consonantiae dupliciter consueverunt exerceri: quandoque scilicet in instrumentis musicis, quandoque vero in cantionibus. Et ideo primo ostendit primum modum: quia, *In cithara*. Secundo secundum, ibi, *Cantate ei*. Affectus enim hominis per instrumenta et consonantias musicas dirigitur, quantum ad tria: quia quandoque instituitur in quadam rectitudine et animi firmitate: quandoque rapitur in celsitudinem: quandoque in dulcedinem, et iucunditatem. Et ad hoc, ut vult Philosophus *in 8. Pol.* tria genera cantus sunt instituta. Quia ad primum est causatus Doristicus, qui est primi, et secundi toni, ut volunt quidam. Ad secundm est causatus Phrigius, qui est tertii toni. Ad tertium est causatus Hippolidicus, qui est quinti toni, et sexti. Alii sunt post superinventi. Et sic est in instrumentis, quia quidam quaedam instrumenta faciunt primum, sicut tibia, et tuba; quidam faciunt secundum, ut organum: quidam tertium, ut Psalterium et cithara: *Ps. 80. Psalterium iucundum cum cithara*. Sed quia Psalmista intendit hic inducere ad exultationem, non facit mentionem nisi de istis duobus, scilicet Psalterio, et cithara. Verum quia omnia in figura contingebant illis, *1. Cor. 10.* non solum istis instrumentis utebantur ad hoc, sed in figura. Cithara habet sonum ab imo, et signat laudem quae surgit ab imis, idest terrenis; psalterium vero habet sonum a supremo, et signat laudem quae est de bonis caelestibus. Dicit autem, *Decem chordarum*, quia per eas signantur decem praecepta decalogi, in quibus tota doctrina spiritualis consistit. Consequenter cum dicit, *Cantate*

c Agit de cantu humanae vocis. Sciendum est autem secundum literam, quod duplex est modulatio: quaedam enim est per simplicem cantum, et quaedam est organizando. Primum tangit, cum dicit, *Canticum novum*. Secundum, ibi, *In vociferatione*. Secundum spiritualem intellectum de duobus debet homo exultare, scilicet de bonis gratiae susceptis, et de bonis gloriae expectatis. Per prima bona innovamur *Ephes. 4. Renovamini spiritu mentis vestrae: Rom. 6. In novitate vitae ambulemus*. Ille ergo cantat canticum novum, qui exultat in Deo de renovatione gratiae: *Apoc. 14. Cantabant sancti canticum novum*. Ille vero bene psallit in vociferatione, qui de bonis gloriae cantat, et canticum quod homo corde concipit, exprimit verbis. Vel in iubilatione, seu in iubilo, secundum Hieronymum. Est autem iubilus laetitia ineffabilis, cum verbis exprimi non potest; sed voce datur intelligi gaudiorum latitudo immensa. Illa autem quae non possunt exprimi, sunt bona gloriae: *1. Cor. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit* etc. Et ideo dicit, *Bene psallite ei in iubilatione*, quia cantu exprimi non valent. Sed dices. In veteri testamento erant musica instrumenta, et cantica vocis. Quare ergo ecclesia illa dimisit, haec vero assumpsit. Ratio duplex mystice assignatur, quia erant figuralia. Secunda ratio est, quod Deus laudatur mente et voce, non instrumentis. Alia ratio habetur ex verbis Philosophi, qui dicit quod contra sapientiam est quod homines instruantur in lyris, et musicis, quia occupant animum in sui operatione; sed simplex debet esse musica, ut a corporalibus retrahantur divinis laudibus mancipati. Secundo cum dicit, *Quia*

d Assignat rationem gaudii et laudis. Ratio autem laudis et gaudii duplex est. Una ex parte Dei, de quo est exultandum. Secunda ex parte effectuum eius, ibi, *Verbo Domini*. Circa primum tria facit. Primo ponit ex quibus ex parte Dei. Et primo, *Quia rectum est verbum Domini*, idest instructio: *Ps. 118. Lucerna pedibus meis* etc. Vel ipsa promissio: *Prov. 8. Iusti sunt omnes sermones mei* etc. usque, *Recti sunt intelligentibus*. Secundo quia, *Omnia opera eius in fide*, idest fideles: *Psal. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*. Multum autem habetur gaudium, quando invenitur homo fidelis: *Prov. 20. Virum autem fidelem quis inveniet*. Vel, *In fide*, ait, quia opera Dei sunt bona merita. Haec autem non sunt meritoria, nisi fiant in fide, quia sine fide impossibile est placere Deo, *Hebr. 11.* Vel, *Rectum verbum, Et opera eius*. Sed quibus, *In fide* idest in infidelibus enim non apparent opera Dei, et verba recta. Tertio quia, *Diligit*: et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit affectum Dei cum dicit, *Diligit Dominus*. Secundo manifestat per signum, ibi, *Misericordia Domini plena est terra*. Inter omnia quae faciunt gaudere de Domino, sunt duo, scilicet misericordia, et iustitia: *Prov. 20. Misericordia et veritas custodiunt regem*. Per iustitiam enim subditi defenduntur. Tolle iustitiam, et nullus securus, et laetus erit. Item sine misericordia omnes timent, et non diligunt. Hoc de Deo dat intelligi, cum dicit, *Diligit Dominus misericordiam et iudicium*. Diligit enim in seipso, quia in opere sunt haec: *Ps. 25. Universae viae Domini misericordia, et veritas*. Item diligit in unoquoque: *Mich. 6. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te*. Utique etc. Et ideo ait, *Exultate*, quia vere misericordiam diligit Deus. Nam, *Misericordia Domini plena est terra*. Ecce manifestat per signum. Omnis enim plenitudo terrae procedit ex misericordia Dei, quia terra est non temporalibus, sed spiritualibus bonis plena, et maxime post adventum Christi? *Act. 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto* etc. Omnia enim haec sunt ex misericordia Dei: *Ro. 9. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Dicit autem, *terra* etc. non coelum, quia in coelo nulla est miseria, et ideo non indiget misericordia; sed terra ubi repletur homo multis miseriis, indiget plenitudine misericordiae. Deinde cum dicit, *Verbo*

e Ponitur causa gaudii ex parte divinorum effectuum. Moyses in principio creationis rerum facit mentionem de tribus, de coelo, de aqua, et de terra: *Gen. 1 In principio creavit Deus coelum et terram*, et *infra: Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Secundum hoc ergo Psalmista dicit primo effectum Dei in coelis. Secundo in aquis, ibi, *Congregans*. Tertio in terra, ibi, *Timeat Dominum omnis terra*. Dicit ergo, *Verbo Domini coeli firmati sunt*, secun-

duth glossam exponitur literaliter et mystice. Et utroque sensu tractantur haec verba quae sunt ex parte Dei, scilicet Dominus, verbum, et spiritus oris. Dominus est nomen potestatis, et potentia appropriatur Patri. Verbum est conceptio mentis, unde et sapientia genita dicitur. Et verbum est filius. Spiritus eius est Spiritus sanctus. Dicitur autem spiritus oris, quia verbo appropriatur os : unde idem est dictum, ac si diceret, Spiritus verbi, quia ipse est spiritus filii et veritatis. Et licet indivisa sint opera Trinitatis in divinis: *Io. 5. Quaecumque Pater facit, haec et Filius facit similiter;* hic tamen secundum appropriationem loquitur. In coelo autem sunt duo mirabilia, scilicet eius perpetuitas, quia incorruptibile, et eius virtus, per quam totus mundus inferior immutatur, per calorem videlicet in aestate, per frigus vero in hyeme. Perpetuitas autem coeli contingit ex natura formae suae : nam formae elementorum sunt particulares, et non implent totam potentiam materiae : unde materia eorum remanet in potentia ad aliam formam. Forma vero coeli habet totalitatem quandam, et replet totam potentiam materiae. Sed forma artificiati procedit ex forma artificis. Forma autem concepta in corde Patris est Verbum. Ergo formatio omnis rei attribuitur Verbo; unde dicit, *Verbo Domini coeli firmati sunt.* Virtus autem coelorum est in movendo. Omnis autem motus posterior derivatur a priori sicut a causa. Primus motus in rebus quae sunt per voluntatem, est motus amoris: quia omnis motus in rebus quae voluntatem habent, est motus voluntatis. Et ideo dicit Dionysius *4. c. de div. no.* quod divinus amor non sinit eum esse sine germine ; movet autem ipsum ad operandum etc. Necesse est ergo quod virtus coelorum sit a spiritu : et ideo dicit, *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Mystice per coelos intelliguntur apostoli, hi firmati sunt verbo Domini, scilicet Christi, vel filio Domini: et hoc est exoratio eius et doctrina : *Luc. 22. Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* etc. Item virtus eorum firmata est per Spiritum sanctum: *Luc. ult. Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Deinde cum dicit, *Congregans sicut*

f Ostendit effectum Dei in aquis. In aquis autem duo mirabilia sunt consideranda. Unum, quod aquae congregantur in unam partem terrae, et non occupant totam superficiem, quod est mutabile propter duo. Primo, quia naturalis ordo est quod sic aqua circumdat totam terram, sicut aer aquam. Item mare est altius terra. Secundo, quia licet aqua continue evaporet per calorem solis, tamen in eadem quantitate conservatur. Et ideo duo dicit, scilicet quod congregantur in unum ex mandato Dei: *Hier. 5. Posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit : et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud : Iob 38. Quis conclusit ostiis mare* etc. usque *tumentes fluctus eius ?* Et ideo dicit, *Congregans sicut in utre aquas maris.* Aqua congregata in utre habet tremorem et elevationem, non tamen defluit, quia retinetur a pelle utris ; sic aqua congregata in mare habet tumorem, et tamen non fluit, quia continetur virtute divina: *Gen. 1. Congregentur aquae* etc. Aliud mirabile est, quod continue evaporat, et non minuitur. Unde sicut quidam philosophi dicunt, per virtutem caloris solis tota aqua siccaretur secundum naturam. Et ideo contra hoc dicit, *Ponens in thesauris abyssos.* Abyssus secundum Augustinum dicit profunditatem aquarum immeabilem : et habet duplicem interpretationem : ab a, quod est sine, et basi, quod est fundamentum : quasi sine fundamento, et sine candore, quia profunda est et obscura. In thesauro sunt tria : quia thesaurus quandam multitudinem auri dicit, et illud quod in thesauro ponitur, conservatur ; unde dicitur, quasi theca auri. Item ponitur, ut ad utilitatem extrahatur. Hoc totum est in abysso, quia in ea est immensa abundantia sive multitudo aquarum. Secundo in abysso conservatur aqua, et non decidit. Tertio extrahuntur ad utilitatem, cum elevantur vapores ex eis, et generantur pluviae, et irrigatur terra: *Ps. 17. Apparuerunt fontes aquarum.* Mystice exponitur dupliciter, de bonis, et de malis. De bonis, ut per aquas maris intelligamus populos : *Apoc. 18. Aquae multae populi sunt, et gentes, et linguae.* Quasi ergo aquas maris populos huius mundi, congregat in ecclesia sicut in utre. Comparatur autem ecclesia utri propter unitatem, et uter de pelle fit mortui animalis; per hoc insinuatur quod ad hoc aliqui ad ecclesiam veniunt, ut mortificent membra sua, quae sunt super terram, nam quasi coeli apostoli confirmati sunt, et ex his congregati sunt in ecclesia populi. *Ponens abyssos*, idest profunditatem divinorum sensuum, *In thesauris*, sacrae Scripturae : *Isa. 32. Divitiae salutis, sapientia, scientia ; timor Domini ipse est thesaurus eius.* Vel abyssos prius, scilicet peccatores profundos, et obscuros tenebris vitiorum, ponens thesauros auri ecclesiae. Magnus thesaurus ecclesiae Paulus est, et Matthaeus, et Magdalena, qui quondam fuerant quasi quaedam abyssus. In malis vero aqua maris intelligitur tribulatio huius vitae: *Ps. 58. Intraverunt aquae usque ad animam meam.* Deus autem confirmat coelos, non tamen aufert eis infirmitates, quia sic gratia conservatur interius, quod infirmitates exterius non excludat. Et ideo dicit quod congregat tribulationes eorum, scilicet coelorum, idest virorum coelestium, *In utre*, idest in corporibus eorum ponens abyssos, idest persecutores ecclesiae in thesauris, quia non dat eis libertatem saeviendi contra ecclesiam quantum volunt. Tertio, cum dicit, *Timeat*

g Ostendit effectum Dei in terra. Et primo praemittit monitionem. Secundo ostendit effectum Dei circa terram, ibi, *Quoniam ipse dixit* etc. Circa primum duo facit. Primo enim ponit monitionem. Secundo exponit eam, ibi, *Ab eo autem* etc. Dicit ergo, *Timeat Dominum* etc. Sed quare hic posuit monitionem, cum locutus sit de effectibus aliis in quibus nulla monitione usus est, sed solum de terra ? Ratio est, quia omnis alia creatura obedit Deo ad nutum, nisi homo terrenus ; et ideo dicit, *Omnis terra*, idest omnis homo terrenus, *timeat Dominum* : *Eccl. ult. Deum time, et mandata eius observa: hoc enim est omnis homo.* Nam methonymica locutio est haec ut intelligatur continens pro contento, cum dicit, *Terra*, idest habitatores terrae. Secundo exponit monitionem, dicens, *Ab eo autem* etc. bona scilicet commotio ad servitium Dei : quia ipse solus

trahit: *Io. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Deinde cum dicit, *Quoniam*

h Ostendit effectum duplicem circa terram. Et primo effectum creationis. Secundo gubernationis, ibi, *Dominus dissipat.* In creatione autem sunt duo consideranda, scilicet ipsa formatio, et ipsa creatio. Utrumque autem est hic. Nam primo ostendit ipsam formationem, cum dicit, *Ipse dixit* etc. Secundo ipsam creationem, cum addit, *Ipse mandavit* etc. Dicit ergo, *Quoniam ipse dixit:* Augustinus *7. super Gen. ad litt. Omnis formatio est per Verbum, quia res creatae se habent ad Deum, sicut artificiata ad artificem. Unde sicut omnes formae artificiati sunt conceptae in mente artificis, ita omnis forma rerum est a Verbo divino concepto.* Unde, *Ipse dixit*, idest concepit Verbum ab aeterno, et secundum illud omnia facta sunt; quasi dicat, Genuit Verbum in quo erat ut fieret omnia, et sic est formatio. Secundo creatio: quia, *Mandavit et creata sunt.* Dicere namque importat verbum formatum. Mandare importat monitionem, vel emanationem solum. Unde mandare importat creationem materiae informis: *Eccl. 8. Sermo illius potestate plenus est.* Mystice, *Dixit et facta sunt*, semine gratiae: *Mandavit*, in opere veritatis: *Psal. 103. Emitte spiritum tuum* etc. Quantum vero ad opus gubernationis dicit, *Dominus.*

i Quia stabilis manens immutat omnes. Et primo ponitur omnium mutatio. Secundo sua stabilitas, ibi, *Consilium.* Circa habitatores terrae advertendum est, quod quidam sunt parvi, quidam magni, et utrique mutantur. Quantum ad parvos dicit, *Dominus dissipat* etc. Ubi duo tangit, secundum propositum quod est de fine, et consilium de his quae sunt ad finem. Et hoc immutatur, quia non agit secundum quod consiliatur, sed secundum quod Deus disponit: *Is. 8. Inite consilium, et dissipabitur.* Et hoc est quod dicit, *Dominus dissipat consilia gentium.* Et specialiter dissipavit consilium volentium dissipare legem Christi, *Et cogitationes reprobat populi*, humana scientium? talium enim propositum reprobat Dominus. Quantum ad magnos dicit, *Et reprobat consilia principum;* quasi dicat, Non solum populorum, sed et principum consilia reprobat, quia non est in potestate eorum, quod intentum assequantur effectum, sed in ordinatione divina: *Iob 42. Adducit consiliarios in stultum finem.* Deinde cum dicit, *Consilium autem*

k Ponitur stabilitas Dei, quia consilium suum stat, et cogitatio sua perseverat. Sed numquid consilium est in Deo? Videtur, quod non: quia importat dubitationem.

Respondeo. Dicendum, quod aliter accipitur consilium in Deo, et aliter in nobis. Scientia enim in nobis importat discursum, in Deo vero certitudinem. Sic de consilio, cum est in nobis, dicit inquisitionem; cum autem dicitur de Deo, importat ordinationem respectu omnium ad debitum finem: *Isa. 46. Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet: Act. 5. Si ex Deo est consilium, non poteritis stare, et dissolvere illud. Cogitationes cordis eius*, idest propositum voluntatis eius manet: quia si mutat sententiam, non mutat consilium: *Isa. 55. Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae meae viae vestrae. Beata gens*

l Supra hortatus est iustos ad iucunditatem; hic ponit eorum dignitatem: et circa hoc duo facit. Primo enim proponit eorum dignitatem. Secundo probat, ibi, *In caelo.* Dignitas sanctorum maxima est: quia ipsi soli perveniunt ad quod omnes homines naturaliter desiderant. Si unus vel pauci pervenirent ad unum ad quod omnes pervenire desiderarent, hoc esset magna dignitas. Omnes autem desiderant tendere ad beatitudinem, ad quam tamen soli iusti perveniunt, quia eam consequentur in futuro perfecte, nunc vero inchoative et in spe. Ergo dignitas iustorum est magna. Circa eorum beatitudinem hic inchoatam et in futuro perficiendam, duo tangit, misericordiam scilicet, et causam, ibi, *Populus.* Dicit ergo, *Beata gens*, De beatitudine diversi diversa senserunt. Et secundum diversas opiniones de hac sunt diversae sectae philosophorum. Quidam enim posuerunt eam in bonis corporalibus, sicut Epicurus. Quidam in operibus activae vitae, ut Stoici. Quidam in veritatis contemplatione, ut Peripatetici. Quaerere beatitudinem in eo quod est infra nos, est vanum, quia beatitudo est supra nos. Quod autem est supra nos, hoc est Deus. Ergo beatitudo hominis est inhaerere Deo. Unumquodque enim perfectum est, si inhaeret proprio bono. Proprium autem bonum hominis est Deus: *Ps. 72. Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Deo autem potest quis inhaerere mente, scilicet intellectu, et voluntate, non sensu, quia hic etiam brutis est communis. Dupliciter ergo inhaeret homo Deo, scilicet per intellectum contemplando et cognoscendo, et per affectum amando. Et quia haec imperfecta sunt in via, perfecta vero in patria; ideo hic beatitudo est imperfecta, ibi perfecta. Et ideo dicit, *Beata gens.* Et quare? Quia, *Dominus est Deus eius*, ideo habet Deo mentem coniunctam. Propterea, *Beatus populus cuius est Dominus Deus eius: Hebr. 11. Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Sed quae causa est eius? Nunquid natura, fortuna, vel propria virtus? Non. Sed electio divina: *Io. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Item *ibidem 6. Nemo potest venire ad me nisi Pater meus qui misit me, traxerit eum.* Et ideo subdit. *Populus quem elegit;* quasi dicat, Ideo beati, quia a Deo electi: *Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et hoc, *In haereditatem*, idest ut ipsi simus eius haereditas. Haereditas importat stabilem possessionem. Deus autem possidet omnia per Dominum. Sed soli iusti subduntur ei per voluntatem: unde in haereditatem eos elegit, idest ad habendam iustitiam sempiternam: *Sap. 1. Iustitia perpetua est et immortalis: Isa. 9. Haereditas mea Israel.* Dominus ergo Deus eorum, quia eo fruuntur. Et ipsi sunt haereditas Dei, quia ei subiiciuntur. Deinde cum dicit, *De caelo*

m Probat eorum dignitatem per discussionem divini iudicii: et circa hoc tria facit. Primo enim praemittit certitudinem divini iudicii. Secundo subdit vanitatem humanae prosperitatis, ibi, *Non salvabitur rex.* Tertio efficaciam gratiae in sanctis, ibi, *Ecce oculi Domini.* Circa primum duo facit. Primo certitudinem divini iudicii pensat ex eius altitudine. Secundo ex eius causalitate. Et primo ostendit eam ex pri-

mo. Secundo ex secundo, ibi, *Qui finxit.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit certitudinem divini iudicii ex eius altitudine. Secundo removet dubitationem, ibi, *De praeparato.* Dicit ergo, *De caelo* etc. Quanto aliqua virtus est altior in ordine et genere virtutis, tanto est efficacior ad opera quae illi virtuti conveniunt. Et ideo quanto aliqua virtus cognitiva est subtilior, tanto est efficacior in cognoscendo. Nihil adeo est sublime sicut divinus intellectus: et ideo efficacia eius in cognoscendo est maxima. Et ideo dicit, *De caelo*, idest altitudine divinae maiestatis. Sicut enim nihil est altius caelo in corporalibus, ita nihil altius Deo in spiritualibus. Et ideo quia de alto respicit, ideo, *Videt omnes filios hominum,* quia quanto plus ex alto videt, tanto plures videt: *Prov. 16. Omnes viae hominum patent oculis eius.* Deinde cum dicit, *De praeparato*

n Removet dubitationem. Aliqui enim crediderunt Deum habitare in caelis, quasi in remotis non cognosceret humana: *Iob 22. Circa cardines caeli perambulat, et nostra non considerat.* Hoc excludit Psalmista dicens, *De praeparato habitaculo;* quasi dicat, Nullus praeparat sibi locum ad impediendum se. Secus forte si alius praeparet. Stultus enim rex esset si praeparet sibi sedem ubi non posset regere regnum: et hoc est quod dicit, *De praeparato habitaculo*, idest de caelo quod sibi praeparavit ut esset habitaculum suum: non quidem quod comprehendatur eo, sed quia magis relucet in eo gloria sua, *Respexit*, inquis, *Super omnes qui habitant terram*, idest carnem, eam domando: *Ps. 112. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit* etc. *Ps. 102. Dominus in caelo paravit sedem suam* etc. Vel *De caelo*, idest Christo. Angelis vel Apostolis respexit oculo misericordiae suae ad salvandum homines. Deinde cum dicit, *Qui finxit*

o Probat certitudinem divinae cognitionis ex eius causalitate: et circa hoc duo facit. Primo enim ponit eius causalitatem. Secundo concludit certitudinem cognitionis eius, ibi, *Qui intelligit.* Stultum esset dicere, quod aliquis faciens aliquod opus operatum ignoraret usum eius: frustra enim faceret, cum usus sit finis eius; et ideo alibi dicit *Ps. 32. Qui finxit oculos, non considerat?* Quomodo ergo potest esse quod faceret aliquid proportionatum ad cognoscenda particularia nisi ipse cognoscat ea? Homo namque cognoscit singularia per intellectum, et animam, et cor suum. Ergo Deus qui facit illud cor, cognoscit ea. Et nota, quod verba habent pondus suum. Dicit enim, *Corda,* ut excludat unitatem intellectus in omnibus: nam diversi diversos habent intellectus. Dicit autem *Singillatim,* ut ostendat quod anima non est duplex, alias non diceretur finxisse singillatim, sed unum, ex qua omnes, et sic similiter singillatim. Ergo ipse singulas per se animas finxit, scilicet per creationem, cum sit anima substantia per se subsistens, non ex materia. Item dixit, *Finxit,* ut ostendat quod non de substantia Dei fit, alias non diceretur ficta, sed consubstantialis. Et dicit signanter, *finxit*, quia fingere figulorum est qui vili materiae pulchram formam imprimunt; sic Deus corpori luteo animam creando infundit: *2. Cor. 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: Ro. 9. Numquid dicit figmentum illi qui se finxit, quid me fecisti sic?* Et ex hoc concludit quod *Intelligit omnia opera eorum*: qui enim scit causam, scit effectum. Causa autem omnium effectuum humanorum est cor. Deus autem scit cor. Ergo et eius opera. *Finxit* intelligitur de figmento gratiae, quia ab ipso sunt dona gratiae, et hoc singillatim, quia divisiones gratiarum sunt, *1. Cor. 12.* Et hoc quia ipse intelligit opera eorum adiuvando et promovendo. *Non salvatur*

p Supra Psalmista ostendit dignitatem sanctorum ex certitudine divini iudicii, ex qua probare intendit dignitatem sanctorum; nunc in parte ista ostendit humanae prosperitatis vanitatem: et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit quod nulla potestas temporalis potest homines ad salutem iustorum perducere. Secundo ostendit, quia hoc facit misericordia Dei, ibi, *Ecce oculi Domini.* Dicit ergo, *Non salvatur rex;* sed quia potestas saecularis est triplex, una quae consistit in multitudine subditorum, alia in robore corporis, et alia in divitiis exterioribus; ideo ostendit quod nullum eorum potest perducere ad salutem. Et primo de prima potestate, et haec est regia; et ideo dicit, *Non salvatur rex per multam*, Hieronymus habet, *In multitudine* etc. *Ps. 145. Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Immo si aliquando habent salutem, hoc est per Deum: *Psal. 143. Qui das salutem regibus.* Secundo ostendit quod non est salus in robore corporis; unde dicit, *Et gigas non salvabitur in multitudine*, idest roboris: *Baruch 3. Ibi fuerunt gigantes nominati, illi qui ab initio* etc. Tertio, quod non in divitiis. Et ponit duo adminiculativa, scilicet equum, et abundantiam rerum. Quantum ad primum dicit, *Fallax equus* etc. idest quantumcunque habeat bonum equum, tamen non potest salvari corporaliter, vel spiritualiter: *Prov. 22. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet.* Quantum ad secundum dicit, *In abundantia autem virtutis suae non salvabitur,* idest rerum exteriorum: *Prov. 12. Qui confidit in divitiis suis, corruet: Isa. 13. Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes.* Mystice moraliter, et allegorice sic exponitur, quod homo non salvatur propria virtute, quodcumque bonum obtineat. Est enim triplex bonum per quod videtur quis consequi posse salutem. Primum est potentia; et quantum ad hoc dicit, *Non salvatur rex per multam virtutem.* Si vero sit potens ut regat alios, hoc non est per virtutem suam, sed habet a Deo. Secundum est constantia, et hanc non habet per virtutem suam; unde dicit, *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.* Tertium est bona dispositio corporis et fortitudo; unde dicit, *Fallax equus*, scilicet corpus forte et robustum est fallax. Vel est universaliter, *In abundantia virtutis suae,* idest undecumque habeat aptitudinem ad bonum, non salvatur nisi ei Deus salutem tribuat: *Ps. 9. Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum. Avertisti* etc. Hoc est quod dicitur *Hiere. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Deinde cum dicit, *Ecce oculi*

q Ostenditur efficacia divinae misericordiae ad salvandum. Et primo ponit misericordiam salvantem. Se-

cundo affectum sanctorum ex hac consideratione conceptum, ibi, *Anima nostra*. Circa primum tria facit. Primo enim ostendit divinam misericordiam. Secundo, in quibus habet effectum divina misericordia, ibi, *Super metuentes eum*. Tertio, quem effectum habet, ibi, *Ut eruat*. Dicit ergo, *Ecce oculi Domini*. Divinam enim misericordiam insinuat per respectum Dei : *Ps. 118. Aspice in me, et miserere mei*. In quo autem respicit, subdit, *Super metuentes eum* etc. *Abac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videas malum , et respicere ad iniquitatem non poteris*. Respice ergo super eos, qui timorem habent et spem. Unum sine altero non sufficit , quia timor sine spe desperat , et spes sine timore praesumit. Timor autem consurgit ex consideratione divinae potestatis: *Hier. 10. Quis non timebit te o rex gentium?* Spes vero consurgit ex Dei misericordia. Ex primo consurgit fuga peccati, ex secundo spes veniae. Effectum autem divinae misericordiae ostendit cum dicit , *Ut eruat a morte* etc. Ubi duplicem effectum ostendit, quia liberat a malo ; et quantum ad hoc dicit, *Ut eruat a morte*. Item confirmat in bono; et quantum ad hoc dicit, *Et alat eos*. Dicit ergo, *Ut eruat a morte animas eorum*, a morte corporali , et morte peccati , et a morte futurae damnationis in resurrectione: *Osee 13. De manu mortis liberabo eos* etc. Confirmat etiam in bono , unde ait, *Et alat eos in fame*, idest in necessitate; et loquitur de alimento corporali: *Ps. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno*. Et de alimento spirituali : *Deut. 8. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Et de alimento sacramentali : *Io. 6. Caro mea vere est cibus. In loco pascuae ibi me collocavit, Ps. 22*. Consequenter cum dicit, *Anima*

r Ostendit quis effectus sequitur in istis ex hac consideratione. Et est duplex. Primus effectus sperandi. Secundus orandi, ibi , *Fiat misericordia tua* etc. Circa primum duo facit. Primo enim ostendit , quomodo in eis consurgit effectus spei. Secundo assignatur ratio, ibi, *Quoniam adiutor*. Dicit ergo ita, *Oculi Domini super metuentes eum* etc. Et ideo *anima nostra sustinet Dominum*, idest si qua mala nobis a Deo immittuntur, patienter sustineamus: *Iac. 1. Sufferentiam Iob audistis*. Item expectando eius promissa. Sustinet ergo punientem et promittentem. Et est duplex ratio. Una est propter experientiam beneficiorum; alia vero propter spem futurorum, ibi , *In eo laetabitur*. Experientia beneficiorum est in bonorum promotione; unde dicit, *Quoniam adiutor*. Item in protectione a malis; et ideo dicit, *Et protector*. Speramus autem futuram iucunditatem; unde ait, *In eo laetabitur cor nostrum*, idest in eius visione: *Isa. 66. Videbitis, et gaudebit cor vestrum*. Et *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis afflues* etc. Et hoc gaudium est hic imperfectum , sed ibi , in patria scilicet, est perfectum. Et hoc ideo, quia, *In nomine eius speravimus*. Ponitur enim hic et , pro quia. Nomen sanctum eius est nomen eius; quasi dicat, Ideo, *Laetabimur*, quia, *Speravimus in nomine sancto eius*, idest in eius bonitate, vel in eius misericordia, et non in meritis nostris. Deinde cum dicit, *Fiat misericordia*

s Ponitur orandi effectus: nam oratio interpres est spei ; et ideo sequitur spem. Et licet quodlibet particulare beneficium sit ex misericordia divina , duo tamen specialiter sunt ex hac. Primum est beneficium incarnationis : *Luc. 5. Per viscera misericordiae Dei nostri* etc. *Fiat misericordia tua*, scilicet ut carnem suscipias et liberes nos , *Super nos* , idest supra nostra merita. Aliud beneficium est salutis, et hoc est super nos, quia, *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos , sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit , Tit. 3. Quemadmodum speravimus in te* , quia , *Nullus speravit in Domino , et confusus est , Eccl. 2.*

*Cum mutavit os suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.*

## a PSAL. XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

b In Domino laudabitur anima mea.

c Audiant mansueti, et laetentur.

d Magnificate Dominum mecum , et exaltemus nomen eius in idipsum.

e Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

f Accedite ad eum , et illuminamini : et facies vestrae non confundentur.

g Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et ex omnibus tribulationibus eius salvabit eum.

h Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

i Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

k Timete Dominum omnes sancti eius; quoniam non est inopia timentibus eum.

l Divites eguerunt , et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

m Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

n Quis est homo qui vult vitam , diligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam a malo , et labia tua non loquantur dolum. Diverte a malo , et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam.

o Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum.

p Vultus autem Domini super facientes mala ; ut perdat de terra memoriam eorum.

q Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

r Iuxta est Dominus his , qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. Multae tribulationes iustorum.

s Et de omnibus his liberabit eos Dominus.

t Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur.

u Mors peccatorum pessima : et qui oderunt iustum delinquent.

x Redimet Dominus animas servorum: et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

## a PSAL. XXXIII.

Titulus Psalmus David cum mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit. Historia haec habetur *1. Re. 21.* ubi dicitur, quod David fugiens a facie Saul s, venit ad Achis Regem Geth, et cognitus est ibi, et etiam virtus eius, quia occiderat Philistaeum, et timens ex hoc sibi periculum imminere, quia illi erant genere Philistinorum , et etiam propter virtutis suae invidiam, voluit hoc vitare, et finxit se fatuum, et sic rex ille contempsit eum. Totum hoc habetur *1. Reg. 11.* nisi quod nomen non consonat, quia ibi rex vocatur Achis, hic vero Abimelech. Nec est inconveniens, vel quia binomius fuit, vel quia Achis nomine , sed de genere Abimelech. Unde mutavit vultum ostendendo se fatuum et dimisit eum et abiit, quia David eiectus ab eo abiit, et recessit. Mystice Christus mutavit vultum suum, quando mutavit sacramentum suum , in quo divina veritas occulta fuit. Vel Christus vetus testamentum paschale mutavit in novum coram Abimelech , qui interpretatur patris mei regnum. Pater Christi Deus secundum divinitatem, David vero secundum humanitatem. Regnum David est populus Iudaeorum , regnum Dei est ecclesia. Christus vero mutavit vultum suum coram Abimelech , idest coram Iudaeis , quia erant regnum patris sui David, qui non cognoverunt eum: *Isa. 53. Vidimus eum, et non erat aspectus:* et contempserunt eum: *Unde nec reputavimus eum.* Et abiit ad gentes. Vel Achis qui incredulus interpretatur, significat Iudaeos. In praecedenti Psalmo exposuit Psalmista iustorum dignitatem ; hic autem invitat alios ad Dei laudem. Dividitur autem iste Psalmus in duas partes. Primo enim ponitur exhortatio ad laudem. Secundo quaedam instructio necessaria, ibi, *Venite filii.* Circa primum duo facit. Primo enim agit de Dei laude. Secundo ponit materiam laudis, ibi, *Exquisivi.* Circa primum duo facit. Primo enim praemittit laudis exemplum. Secundo hortatur alios ad imitandum , ibi, *Audiant.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit exemplum laudis in se. Secundo laudis Dei fructum, ibi, *In Domino laudabitur.* Dicit ergo, *Benedicam Dominum.* Aliquando laudat Deum aliquis propter seipsum , sicut quando loquitur lingua , sibi soli loquitur. Aliquando propter consolationem aliorum, sicut quando prophetat etiam aliis. Benedicere ergo Domino est, ut dictum est, confiteri laudem Dei; sed benedicere Dominum est facere bonum: *In omni tempore,* scilicet adversitatis, et prosperitatis. Contra *Psal. 48. Confitebitur tibi cum benefeceris ei:* sed non sic faciebat Iob *2. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem* etc. *Tob. 4. Omni tempore benedicite Deum.* Item oportet ut non solum in se, scilicet in corde suo quis benedicat Deum , sed etiam quod laudem eius habeat in ore. Necessitas enim laudis vocalis est , ut non solum laudes Deum , sed etiam ad utilitatem, et provocationem aliorum laudes eum. Unde dicit, *Laus eius in ore meo: Isa. 51. Gaudium et laetitia invenietur in ea , gratiarum actio , et vox laudis. Semper* autem dicit , idest in omni statuto tempore. Vel in praeparatione animi. Vel semper benefaciendo, ex quo Deus semper laudatur. Nota quod hic versiculus cantatur in sexta, quando Christus passus est , cuius passio est nobis causa laudis. Deinde cum dicit, *In Domino*

b Ponitur fructus laudis. Dicit ergo , *In Domino laudabitur anima mea.* Semper enim bonum amici quis reputat suum bonum. Unde dicit, In laudem Dei etiam laus mea est. Si Deus est magnus, constat quod eius amicus est magnus: *Psal. 17. Fortitudo mea, et laus mea Dominus.* Et dicit, *Anima,* quia ad ipsam principaliter est gaudium spirituale. Consequenter cum dicit, *Audiant*

c Inducit alios primo ad causam laudis. Secundo ad ipsam laudem , ibi, *Magnificate.* Principium laudis est interius gaudium; unde dicit , *Audiant mansueti.* Et ideo laetantur in omnibus quae Dei sunt , quia immites non laetantur , sed rebellant. Et dicit, *Audiant,* quia haec laetitia est ex auditu aliorum bene agentium. Deinde cum dicit, *Magnificate*

d Hortatur ad laudem. Et primo ad interiorem. Secundo ad exteriorem, ibi, *Et exaltemus.* Quantum ad primum dicit, *Magnificate Dominum mecum.* Idem est magnificate et laudate Deum, quia idem est bonitas Dei et magnitudo : quia in his quae non mole magna sunt, idem est maius esse quod melius secundum Augustinum *de Trin.* Et ideo dicit , *Magnificate: Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum.* Et hic respondet ei quod dicit, *Benedicite Dominum.* Quoad secundum dicit , *Et exaltemus nomen eius.* Quod in se altum exaltari dicitur, dum diffunditur in multis: *Eccle. 43. Glorificantes Deum exaltate eum, quantum potestis* etc. *In idipsum,* idest concorditer. Et hoc respondet ei quod dicit, *Laus eius in ore meo.* Consequenter cum dicit, *Exquisivi*

e Ponitur materia laudis , quae est divina clementia in exaudiendo. Circa primum duo facit. Primo enim ponit clementiam eius exauditionis. Secundo meritum exauditionis, ibi, *Iste pauper clamavit.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit beneficium sibi concessum. Secundo invitat alios ad hoc beneficium consequendum, ibi , *Accedite* etc. Circa primum tria facit. Primo enim ponit petitionem. Secundo exauditionem , ibi , *Et exaudivit.* Tertio exauditionis effectum , ibi , *Et ex omnibus.* Dicit ergo , *Exquisivi Dominum.* Optima optio quaerere ipsum Deum: Unde in oratione Dominica primo petitur, *Sanctificetur nomen tuum : Isa. 33. Quaerite Dominum dum inveniri potest.* Dicit ergo, *Exquisivi;* quasi dicat, Cum magna diligentia quaesivi. Et ideo subditur exauditio, *Et exaudivit me.* Effectus autem exauditionis est : quia , *Ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Eripuit namque iustos ex tribulationibus quandoque ut tribulationes non patiantur : *Io. 2. In sex tribulationibus liberabit te , et in septima non tanget te malum.* Quandoque ut non nimis molestentur: *Ps. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam: 1. Cor. 1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:* et hanc consolationem semper habent viri san-

cti. Item eripuit exterius, quia numquam mali possunt separare sanctos a Christo: *Ro. 8. Quis nos separabit a charitate Christi?* Deinde cum dicit, *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae* etc.

f Invitat alios ad hoc beneficium consequendum: et circa hoc duo facit. Primo enim ponit invitationem. Secundo invitationis effectum, ibi, *Et facies vestrae non confundentur.* Dicit ergo, *Accedite ad eum*, per fidem et charitatem: *Iac. 4. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Et ideo subdit, *Et illuminamini.* Deus lumen est; et qui accedit ad lumen, illuminatur: *Isa. 60. Surge*, per effectum *et illuminare: Deut. 33. Qui appropinquat pedibus eius, accipiet de doctrina illius.* Effectus autem inductionis est, quia, *Facies vestrae non confundentur*, in repulsa: quia scilicet non patiemini eam, quia non est confusio operantibus in eum. Vel, *Facies vestrae*, idest cogitationes vestrae non confundentur per defectum veritatis. Deinde cum dicit, *Iste pauper clamavit*

g Ponit meritum exauditionis; et circa hoc tria facit. Primo ponit ipsum meritum. Secundo promittit simile beneficium aliis, ibi, *Immittit.* Tertio exhortatur ad experiendum, *Gustate.* Dicit ergo, *Iste pauper.* Iste versus nihil differt ab alio, *Exquisivi*; nisi quod ibi dicit de se, hic vero de paupere. Et ideo hoc solum exponatur quis sit iste pauper. Et dicitur quod, *Iste*, vel demonstrat seipsum, vel Christum. Et in hoc quod dicit, *Pauper*, insinuat meritum exauditionis, quia pauper spiritu, vel pauper superbiae, vel habendi voluntate terrena.

Et isti exaudiuntur: *Iudith 9. Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio: Ps. 32. Respexit in orationem humilium* etc. *Clamavit*, magnitudine interioris affectus: *Isa. 3. Seraphim clamabant alter ad alterum, et dicebant sanctus, sanctus, sanctus* etc. Secundo cum dicit, *Immittit angelus*

h Promittit beneficium; quasi dicat, ita exaudiuntur alii sicut et *iste pauper*. Multi codices habent, *Immittit angelus Domini*, Hieronymus habet, *Circundat angelus Domini in gyro timentes eum.* Dicit ergo, *Immittet angelus Domini*, splendore sui luminis protegendo, *In circuitu: Ps. 124. Montes in circuitu eius*, scilicet angeli: *Rom. 6. Multo plures nobiscum sunt quam cum illis.* Et infra: *Ecce mons* etc. *Immittet*, ergo idest immissionem faciet: *Heb. 1. Omnes sunt administratorii spiritus. Et eripiet eos*, scilicet ab impugnatione hostium et daemonum: *Iudith 7. Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos*, scilicet angelus, vel Christus: *Isa. 96.* Secundum translationem septuaginta interpretum. *Vocabitur magni consilii angelus.* Quia missus a Deo inquantum homo. Vel angelus intelligitur praelatus ecclesiae: *Malac. 2. Angelus Domini exercituum est.* Praelati enim ecclesiae debent custodire gregem suum. Tertio cum dicit, *Gustate et videte, quoniam suavis*

i Hortatur ad experiendum: et circa hoc duo facit. Primo enim exhortatur ad experientiam divini consortii. Secundo ad observantiam divini timoris, ibi, *Timete.* Circa primum duo facit. Primo enim hortatur ad experientiam. Secundo ponit experientiae effectum, *Et videte quoniam.* Dicit ergo, *Gustate et videte* etc. Experientia de re sumitur per sensum; sed aliter de re praesenti, et aliter de absente: quia de absente per visum, odoratum, et auditum, de praesente vero per tactum, et gustum; sed per tactum de extrinseca praesente, per gustum vero de intrinseca. Deus autem non longe est a nobis, nec extra nos, sed in nobis: *Hier. 14. Tu in nobis es Domine.* Et ideo experientia divinae bonitatis dicitur gustatio: *1. Pet. 2. Si tamen gustatis quam dulcis* etc. *Prov. ult. Gustavit et vidit, quoniam bona est negotiatio eius.* Effectus autem experientiae ponitur duplex. Unus est certitudo intellectus, alius securitas affectus. Quantum ad primum dicit, *Et videte.* In corporalibus namque prius videtur, et postea gustatur; sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur, quia nullus cognoscit qui non gustat; et ideo dicit prius, *Gustate*, et postea, *Videte.* Quantum ad secundum dicit, *Quoniam suavis est Dominus: Sap. 12. O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in nobis: Ps. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuae.* Et postea, *Beatus vir qui sperat in eo: Isa. 30. Beati omnes qui expectant eum.* Deinde cum dicit, *Timete*

k Hortatur primo ad observantiam divini timoris. Secundo causam timoris assignat, ibi, *Quoniam non.* Tertio causam manifestat, ibi, *Divites eguerunt.* Dicit ergo, *Suavis et dulcis est Dominus.* Sed quibus, *Timentibus eum.* Ergo, *Timete Dominum omnes sancti eius*, Et dicit *sancti*, quia nullus potest esse sanctus, nisi sit timens. Et dicit hoc, quia non solum timor necessarius est ascendentibus ad sanctitatem, sed etiam manentibus in ea: *Eccl. 27. Si non in timore Domini tenueris te, instanter a te subvertetur domus tua.* Et etiam quia nihil ita evacuat sanctitatem, sicut superbia, et timor est retinaculum superbiae: *Eccl. 7. Qui timet Deum nihil negligit: Eccl. 40. Non est in timore Domini minoratio.* Causam autem quare timendum est, subdit, *Quoniam non est inopia timentibus eum.* Hoc exponitur multipliciter. Primo de inopia spiritualium bonorum: *Isa. 23. Divitiae salutis sapientia et scientia; timor Domini ipse thesaurus eius.* Si ergo timor Domini thesaurus est, non est inopia timentibus eum. Item de inopia corporali. Contingit namque aliquando timentem Deum parum habere, sed non contingit eum esse inopem. Inops est qui se deficientem reputat: qui timent Deum sunt contenti his quae habent: *Phil. 4. Ubique et in omnibus institutus sum* etc. Item Deus quaerentibus se subvenit in necessitate. Sed obiicit Augustinus *in serm. Dom. in mon.* quia apostolus ait *1. Cor. 4. Usque in hac horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Quomodo ergo non est inopia timentibus eum. Et dicit quod Deus est nutritor et medicus. Medicus autem subtrahit nutrimentum infirmo, et facit esurire, et sitire, quia expedit sanitati. Ita Deus secundum quod expedit saluti nostrae, quandoque inopiam immittit, quandoque divitias confert, quandoque longitudinem dierum concedit, quandoque brevitatem adducit. Sed consequenter cum dicit, *Divites eguerunt*

l Manifestat rationem per contrarium. Contrarium

enim timori Domini est affectus eorum, qui animas suas divitiis dant. Primo ergo ostendit quod qui in divitiis sunt, deficiunt Secundo, quod qui quaerunt Deum, sunt absque defectu, ibi, *Inquirentes.* Dicit ergo, *Divites eguerunt*, scilicet spiritualiter, idest qui sunt divites in mundanis, eguerunt in spiritualibus divitiis? *Apoc. 3. Dicis quia dives sum, et locupletatus sum, et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus. Et exquisierunt,* scilicet spiritualia bona: quia naturalis appetitus inest homini ad virtutem: licet enim appetitus depravatus sit ad peccata, tamen naturaliter desiderat virtutes. Vel in futuro, *Eguerunt*, idest egebunt, *Et esurierunt*, idest esurient: *Isa. 68. Servi mei comedent, et vos esurietis.* Item ad literam intelligitur: quia divites frequenter ad egestatem deducuntur, quia res mundanae sunt caducae? *Luc. 1. Esurientes implevit bonis* etc. *Inquirentes autem Dominum: Is. 55. Quaerite Dominum dum inveniri potest* etc. *Non minuentur omni bono*, idest non deficient perfecto bono: quia spiritualia habebunt ad votum, et temporalia ad necessitatem: *Luc. 12 Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis: Pro. 10. Desiderium iustis dabitur.* Et eorum desiderium est omne bonum: *Prov. 11. Et ideo omne bonum habebunt. Venite*

m Posita superius exhortatione ad laudem, hic ponitur instructio necessaria: et circa hoc duo facit. Primo enim instruit de timore Dei. Secundo de divina providentia, ibi, *Oculi Domini* etc. Circa primum duo facit. Primo enim praemittit quasi praemium suae doctrinae. Secundo addit doctrinam suam, ibi, *Quis est homo.* In exordio tria facit. Primo reddit erudientem benevolum. Secundo attentum, ibi, *Audite me.* Tertio docilem, ibi, *Timorem Domini docebo vos.* Dicit ergo quantum ad primum, *Venite filii.* Parentum enim est diligere filios: et ideo dicit, *Filii*, ut eos reddat ex paterna dilectione benevolos. Item parentum est invitare filios ad doctrinam, et eos erudire: unde dicit, *Venite: Gen. pen. Vocavit autem Iacob filios suos, et dixit: Congregamini ut annuntiem quae ventura sunt vobis diebus novissimis: Heb. 12. Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos.* Quantum ad secundum dicit, *Audite me: Prov. 1. Audiens sapiens sapientior erit* etc. *Eccle. 35. Audite me magnates et omnes populi et rectores ecclesiae* etc. Tertio reddit docilem: et hoc quando instruit de quo est dicturus, *Timorem Domini docebo vos*, idest quem fructum habebitis, si timueritis Deum. Vel quomodo timeatis Deum. Et incipit a timore, et bene, quia in scientia incipiendum est ab elementis: *Prov. 1. Timor Domini principium sapientiae*, scilicet divinae. Deinde subiungit doctrinam suam cum dicit, *Quis est homo*

n Et circa hoc duo facit. Primo docet fructum timoris. Secundo doctrinam, ibi, *Prohibe.* Dicit ergo, *Quis est homo, qui vult vitam*: homo namque desiderat duo, scilicet longam vitam, et prosperitatem; sed quia longa vita in malo est fugienda, ideo dicit, *Quis est homo qui vult vitam.* Hanc autem acquirit homo per timorem Domini, qui est initium sapientiae, ut dicitur *in Psal. 101.* sine qua sapientia non est vita: unde ipsa dicit *Prov. 8. Qui me invenerit, inveniet vitam.* Aliqui autem vivunt, sed in malis et aerumnis: *Gen. 47. Dies peregrinationis vitae meae centum triginta annorum pauci et mali.* Et ideo dicit, *Diligit dies videre bonos*, idest plenos, quia nihil in diebus illis aeternitatis est nisi bonum: *Ps. 83. Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Sed quis sit effectus timoris, ostendit primo in sermone. Secundo in opere, ibi, *Diverte.* In sermone duo vetat, scilicet manifestum malum, et fraudulentum bonum. Quantum ad primum dicit, *Prohibe linguam tuam a malo*, scilicet detractionis, infamationis, et erroris: *Eph. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: Iacob. Si quis putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam* etc. Quantum ad secundum dicit, *Et labia tua ne loquantur dolum;* quasi dicat, Nec etiam bona proferas in dolo: *Ps. 11. Disperdat Dominus linguam dolosam.* Et nota quod prius loquitur de lingua cohibenda, et postea de labiis: quia prius movet quis linguam cum vult loqui, et postea labia. Item lingua prius format, sed labia distinguunt verba. Item opere demonstrat duo facienda. Debet enim homo ordinare vitam suam primo quantum ad se; et quantum ad hoc dicit, *Diverte.* Secundo quantum ad proximum: et quantum ad hoc dicit, *Inquire* etc. Circa primum duo facit, secundum diversas partes iustitiae, quae sunt, scilicet divertere a malo, et facere bonum. Secunda est, ibi, *Et fac bonum.* Dicit ergo, *Diverte a malo: Eccl. 7. Noli facere mala* etc. Divertere a malo non est quid meritorium, si divertere dicat solum negationem: per hoc enim, scilicet non facere malum, vitatur quidem poena quam incurrisset si illud admisisset; non tamen propter hoc vita acquiritur. Et ideo sic accipiendo, non facere malum non est meritorium, dummodo talis voluntas non sit informata charitate, ut propter Deum a malo divertat. *Et fac bonum: Isa. 1. Discite benefacere.* Secundo quantum ad proximum dicit, *Inquire pacem* etc. Sed contingit aliquando, quod habes proximum qui impugnat te, et tunc tuum est inquirere pacem; et ideo dicit, *Inquire pacem: Rom. 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quandoque vero contingit, quod habes aliquem qui inquirat a te pacem, et tuum est tunc sequi eam: unde ait, *Et persequere eam.* Vel de pace loquitur quam in se debet habere; et hanc, inquit, inquiras in vita ista. Sed non plene habetur, quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, *Gal. 5.* Dicit autem, *Et persequere eam*, ut scilicet magis habeas, licet non sit perfecta hic, sed in futuro, ubi *Sedebit populus in pulchritudine pacis, Isa. 32.* Vel, *Inquire pacem*, idest Christum, qui est pax nostra: *Eph. 2.* et *Sequere eam: Eccl. 2. Quis est homo qui possit sequi regem factorem suum?* Deinde cum dicit, *Oculi Domini*

o Instruit de divina providentia: et circa hoc duo facit. Primo enim praemittit divinam providentiam. Secundo divinae providentiae effectum ostendit, ibi, *Clamaverunt iusti.* Circa primum duo facit. Primo proponit divinam providentiam quantum ad bonos. Secundo quantum ad malos, ibi, *Vultus autem Domini.* Dicit ergo, *Oculi Domini* etc. Illis de quibus curam gerimus dupliciter intendimus, scilicet visu ad eorum facta; et quantum ad hoc dicit, *Oculi Domini.* Et auditu ad verba; et quantum ad hoc dicit,

*Et aures.* Et licet in Deo non sit visus, et auditus, sed ipsa Dei sapientia; tamen propter diversa cognita dicitur utrumque, visus scilicet, et auditus. Vel signatur per oculos quantum ad ipsa facta; auditus autem per aures quantum ad verba: ideo ait, *Oculi Domini super iustos*, scilicet visu approbationis: *Ti. 2. Novit Dominus qui sunt eius: Eccl. 15. Oculi Domini ad timentes eum* etc. *Et aures eius*, ut scilicet sit intentus ad exaudiendum, *In preces eorum.* Qui enim vult exaudire, libenter audit precantes: unde per hoc signat quod voluntarius est ad exaudiendum. Et dicit, *In preces*, quia adhuc loquentibus audit: *Isa. pen. Adhuc illis loquentibus ego exaudiam.* Consequenter cum dicit, *Vultus autem Domini super facientes mala, ut* etc.

p Ostenditur providentia Domini circa malos: et circa hoc duo facit. Primo enim ponitur quod providentia divina se extendit ad malos. Secundo quomodo diversimode quantum ad bonos, ibi, *Ut perdat.* Dicit ergo, *Vultus autem Domini* etc. Dixerat supra, *Oculi Domini super iustos.* Posset malus dicere, si oculi Domini non sunt super me, possum peccare libenter, quia non videt: *Iob 22. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat: Ezec. 8. Non videt Dominus, dereliquit enim terram.* Sed non ita est, quia vultus Domini super malos: *Prov. 15. Infernus et perditio coram Domino* etc. Et dicit, *Vultus*, quia designat cum quadam ira respicere in seipsos malos. Sed ad quid super eos respicit? Certe, *Ut perdat de terra memoriam eorum.* Hoc dupliciter potest intelligi. Vel quia potest referri ad terram praesentem: et sic dupliciter perditur memoria eorum de terra. Uno modo, ut omnino non sit. Alio modo, ut mala: *Prov. 10. Nomen impiorum putrescet.* Multi mali quaesierunt ut eorum memoria maneret, et tamen periit. Sed si aliquorum permanet memoria, tamen periisse dicitur, quia putrida est et mala: *Ps. 9. Periit memoria eorum cum sonitu.* Vel potest intelligi de terra viventium. Sed numquid sancti non habent memoriam impiorum? Si non habent memoriam malorum quae passi sunt, quomodo ergo, *Laetabitur iustus cum viderit vindictam? Ps. 57.*

Respondeo. Dicendum est, quod habebunt memoriam eorum, sed non in bonum, quia non habebunt memoriam compassionis et miserationis eorum, nec orabunt pro eis: *Luc. 16. Chaos magnum firmatum est* etc quasi dicat, Etiam si vellent, non possunt misereri, quia sunt ibi coniuncti Deo ubi non possunt velle nisi quod Dei iustitia decrevit: *Isa. 26. Contristi eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.* Deinde cum dicit, *Clamaverunt*

q Ponitur effectus divinae providentiae. Et primo quantum ad bonos. Secundo quantum ad malos, ibi, *Mors peccatorum.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit, quomodo aures Domini sint in preces iustorum. Secundo, quomodo oculi Domini super eos. ibi, *Iuxta.* Circa primum tria facit. Quia primo praemittit orationem sanctorum. Secundo ponit exaudi-tionem, ibi, *Et Dominus exaudivit eos.* Tertio exaudi-tionis effectum, ibi, *Et ex omnibus.* Dicit ergo, *Clamaverunt.* Oratio sanctorum dicitur clamor: *Isa. 19. Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis: Iacobi ult. Clamor eorum in aures Domini Sabaoth intravit.* Clamor est magna vox, et oratio sanctorum magna est vox propter duo, scilicet propter magnitudinem affectionis, et propter magnitudinem petitionis, quia petunt aeterna: *Matth. 6. Primum quaerite regnum Dei. Et Dominus exaudivit eos*, quia ipse mihi dat, ut petam: *Ps. 119. Ad Dominum cum tribularer* etc. Sequitur effectus exauditionis, *Et ex omnibus tribulationibus* etc. ut scilicet tribulationes non sustineant. Vel si patiantur, tamen non ut obruantur tribulationibus: *Hebr. 11. Fortes facti sunt in bello.* Vel quia liberati sunt de limbo: *Zac. 9. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu* etc. *Ps. 53. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus* etc. Secundo cum dicit, *Iuxta est Dominus*

r Ostendit quomodo oculi Domini sint super iustos: et circa hoc tria facit. Primo enim ponit iustorum meritum. Secundo eorum periculum imminens, ibi, *Multae.* Tertio auxilium eis praestitum, ibi, *Et de omnibus his.* Circa primum duo facit, secundum quod est duplex meritum iustorum, unde promerentur Dei misericordiam. Tangit enim primo meritum contritionis de peccatis: et quantum ad hoc dicit, *Iuxta est Dominus* etc. *Ps. 143. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Quidam sunt realiter miseri, tamen non cognoscunt; unde nec conterentur, et ideo non consequuntur misericordiam: *Apoc. 3. Dicis quod dives sum, et locupletatus sum, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus.* Necesse est enim, quod recognoscant miseriam suam corde gemendo; et ideo ait, *His qui tribulato sunt corde.* Ecce contritio de peccatis: *Isa. 66. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu* etc. *Matth. 5. Beati qui lugent* etc. Quantum ad secundum dicit, *Et humiles spiritu salvabit.* Spiritu dicit, non verbis: quia *Eccl. 19. Est qui nequiter se humiliat, et interiora* etc. *Humiles*, ergo, *spiritu*, qui veram scilicet humilitatem habent in corde. *Salvabit: Prov. 29. Humilem spiritu suscipiet.* Consequenter ponit imminens periculum, quia, *Multae tribulationes iustorum: Thren. 1. Multi gemitus mei* etc. *2. Tim. 3. Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur.* Et has tribulationes patiuntur a persequentibus: *Ps. 118. Multi qui persequuntur me, et tribulant me.* Item ex convictu eorum, quos peccare vident, dolent: *Pet. 2. Habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant.* Item a tentationibus mundi, carnis, et hostis: *Gal. 5. Caro concupiscit adversus spiritum* etc. Consequenter cum dicit, *Et de omnibus his liberabit*

s Ponit auxilium eis praestitum. Dupliciter autem iuvantur. Primo, ut totaliter liberentur: et quantum ad hoc dicit, *Et de omnibus his liberabit eos Dominus.* Secundo, ut tribulationibus non succumbant: et quantum ad hoc dicit, *Custodit Dominus* etc. Dicit ergo, *Et de omnibus his tribulationibus liberabit eos Dominus*, partim hic, sed perfecte in futuro, quando, *Non esurient, neque sitient amplius* etc. *Eccl. 51. Liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui: 2. Mach. 1. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi.* Deinde cum dicit, *Custodit Dominus*

t Ostendit quomodo liberat eos, ne succumbant. Dicit ergo, *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Sicut visus est in oculo, ita in ossibus et nervis est fortitudo: et ideo sicut visus signatur per oculum, ita fortitudo et virtus per ossa: quia sicut per ossa sustentatur corpus, ita per virtutes sustentatur vita humana. In futuro ergo liberabit totaliter, sed interim custodit ossa, idest virtutes, quae magis proficiunt in infirmitate. Vel per ossa viri perfecti intelliguntur, quos Dominus custodiet: *Ezec. 37. Haec dicit Dominus Deus his ossibus: Ecce ego intromittam spiritum in vos, et vivetis, et dabo super vos carnes. Unum ex his non conteretur*, quia in tribulationibus nulla virtus hominis deficit, quem Deus custodit. Non enim deficiebat charitas in sanctis per odium, quia pro persequentibus orabant; non mansuetudo per iram, quia non murmur resonat: non patientia per iustitiam, immo in patientia sua possidebant animas suas. Et ideo dicitur de agno paschali, *Os non confringetis ex eo, Exo. 12. Ps. 56. Cum ceciderit, non collidetur.* Vel, *Unum ex his*, scilicet praedestinatis: *Io. 17. Nemo ex his periit nisi filius perditionis.* Deinde cum dicit, *Mors peccatorum*

u Ponit effectus divinae providentiae quantum ad malos: et circa hoc duo facit. Primo enim ponuntur pericula malorum. Secundo ostenditur quomodo ab his liberavit sanctos suos, ibi, *Redimet.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit malum iustorum, quod patiuntur in se. Secundo, quod eis imminet ex eo quod persequuntur bonos, ibi, *Et qui oderunt.* Dicit ergo, *Mors*, corporalis, vel spiritualis: corporalis quidem haec est pessima in malis, quia mittuntur ad pessimum locum: *Luc. 18. Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.* Item quia perdunt spem gratiae post mortem: *Prover. 2. Mortuo homine impio, nulla erit amplius spes.* Mors ergo peccatorum pessima est, quia moriuntur in corpore et in anima. Spiritualis: *Ephes. 5. Exurge a mortuis.* Et haec mors est pessima. Mors enim est privatio vitae. Mors ergo quanto meliori privat, tanto est peior. Privat autem spiritualis mors animam vita gratiae, quae est optima, quia est per Deum: *1. Cor. 6. Qui adhaeret Deo unus est spiritus.* Ergo est pessima. Hieronymus habet sic, *Interficiet impium malitia*, idest interimet. Haec est malitia quae ingerit peccatoribus mortem: *Ro. 6. Stipendia peccati mors.* Consequenter ostendit quid malis immineat ex eo quod persequuntur iustos: *Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit.* Et ideo dicit, *Et qui oderunt iustum, delinquent: Prov. 29. Viri sanguinum oderunt simplicem.* Si ergo qui odit Deum delinquet, ergo qui odit servos Dei. Deinde cum dicit, *Redimet Dominus*

x Ostendit quomodo in his periculis liberantur boni. Et primo quomodo a peccatis praeteritis. Secundo quomodo proteguntur a futuris, ibi, *Et non delinquent.* Dicit ergo, *Redimet Dominus animas servorum.* Posset dici. Si mors peccatorum pessima est, cum nullus sic sit iustus, qui non peccet, ergo et ipsorum iustorum mors est etiam pessima. Et ideo ad hoc excludendum dicit, *Redimet Dominus animas servorum suorum.* Redimet, inquam, pretio mortis suae: *Animas servorum suorum.* Non dicit liberorum. Illi enim sunt liberati, qui excutiunt a se iugum iustitiae: *Ro. 6. Liberati a peccato, servi facti Deo, habetis fructum* etc. Tales ergo qui de servis Dei facti sunt liberi, non redimuntur, sed illi qui subduntur iugo Dei, redimuntur a culpa et a poena pretioso Christi sanguine: *1. Pet. 1. Non corruptibilibus, argento, vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi: Osee 13. De morte redimam eos.* Secundo ostendit, quomodo proteguntur a peccato futuro: quia, *Non delinquent*, idest non peccabunt ad mortem, *Omnes qui sperant in eo. In eo* dicit, scilicet in Domino, non in propria virtute, quia tales cadunt: unde *Ps. 29. Ego dixi in abundantia mea*, idest in virtute mea, *Non movebor in aeternum. Domine in voluntate tua, praestitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Sed, *Qui sperant in Domino*, sicut ille qui dicebat *Sap. 8. Scivi quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det, hic non delinquet*, dum profectus a Deo mortaliter non peccabit etc.

*In finem.*

## a PSAL. XXXIV.

Iudica Domine nocentes me; expugna impugnantes me.

b Apprehende arma et scutum; et exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animae meae, Salus tua ego sum.

c Confundantur et revereantur: et quaerentes animam meam. Avertantur retrorsum, et confundantur: cogitantes mihi mala.

d Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: et angelus Domini coarctans eos. Fiant viae illorum tenebrae et lubricum: et angelus Domini persequens eos.

e Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

f Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in idipsum.

g Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum et pauperem a diripientibus eum.

h Surgentes testes iniqui, quae ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae.

i Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

k Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens et contristatus, sic humiliabar.

l Et adversum me laetati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

m Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

n Domine quando respicies? restituere animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

o Confitebor tibi in ecclesia magna: in populo gravi laudabo te. Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique: qui oderunt me gratis, et annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terrae loquentes, dolos cogitabant. Et dilataverunt super me os suum, dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

p Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas a me.

q Exurge et intende iudicio meo, Deus meus, et Dominus meus in causam meam. Iudica me secundum iustitiam tua Domine Deus meus: et non supergaudeant mihi. Non dicant in cordibus suis, Euge, euge animae nostrae, neque dicant, Devorabimus eum.

r Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione, et reverentia, qui maligna loquuntur super me.

s Exultent et laetentur, qui volunt iustitiam meam, et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam; tota die laudem tuam.

## a PSAL. XXXIV.

In Psalmis praecedentibus manifestata est dignitas iustorum; hic autem imploratur auxilium contra persecutiones impiorum: et circa hoc tria facit. Primo enim petit divinum auxilium contra peccatores persequentes. Secundo confitetur sibi huiusmodi tribulationes dari propter peccatum, ibi, *Domine ne in furore.* Tertio ostendit suam fiduciam quam habet in Deo, ibi, *Expectans expectavi.* Circa primum tria facit. Primo enim petit divinum auxilium contra impiorum persecutionem. Secundo describit eorum nequitiam, ibi, *Dixit iniustus.* Tertio ostendit eorum prosperitatem esse contemnendam, ibi, *Noli aemulari.* Titulus communis est, *In finem Psalmus ipsi David.* Mystice pertinet ad Christum verum David: et secundum mysticam expositionem est secundus Psalmus eorum qui prolixe loquuntur de passione Christi. Primus fuit, *Deus Deus meus respice.* Hic ergo Psalmus sive legatur ex persona David, sive Christi, vel cuiuscumque, duo facit. Primo enim petit impiorum repulsam. Secundo assignat causam, ibi, *Surgentes testes.* Circa primum tria facit. Primo enim petit adversariorum condemnationem. Secundo proponit condemnationis interitum, scilicet eorum culpam, ibi, *Quoniam gratis.* Tertio assignat fructus condemnationis huius, ibi, *Anima autem mea.* Circa primum duo facit. Primo enim proponit in generali suam petitionem. Secundo explicat eam, ibi, *Apprehende arma* etc. Circa primum duo petit in generali, scilicet condemnationem eorum, et divinum auxilium, ibi, *Expugna.* Haec enim duo petit contra duo: nam contra nocentes petit condemnationem, et contra impugnantes petit divinum auxilium. Primo quis impugnat alium. Secundo praevalens ei nocumentum infert. Est ergo hic ordo praeposterus. Quando enim aliquis impugnat alium, non statim meretur condemnationem, sed concitatur impugnatus ad petendum auxilium; quando vero nocet, tunc petit condemnationem. Et ideo hic distinguit utrumque, quia nocumentum prius est in intentione inferentis: et ideo primo petit condemnationem nocentium. Dicit ergo, *O Domine iudica nocentes me.* Est autem triplex iudicium, scilicet condemnationis: *Iac. 2. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.* Item purgationis: *Nehe. 4. Tempus est ut incipiat iudicium a domo Domini.* Item discretionis: *Ps. 42. Iudica me Deus, et discerne causam meam.* Hic autem agitur de primo. Similis petitio habetur *Hier. 2. Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis* Contra *Mat. 5. Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Respondeo. Dicendum quod in omnibus istis imprecationibus duplex est intellectus. Unus quod dicantur per modum praenunciationis, ut cum dicit, *Iudica;* quasi dicat, iudicabis. Vel ut omnia intelligantur prolata non ex zelo vindictae propriae, sed divinae iustitiae, cui se conformant iusti. Secundo impugnatus desiderat ut adversario resistat; unde ait, *Expugna impugnantes me,* fit, scilicet non praevaleant in me: *Hier. 20. Dominus mecum est tamquam bellator fortis: Is. 63. Ego qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Consequenter cum dicit, *Apprehende arma*

b Explicat petitionem suam. Duo enim petit, scilicet condemnationem nocentium, et expugnationem impugnantium. Et ideo in particulari ista duo explicat. Primo enim explicat secundum. Secundo primum, ibi, *Confundantur.* Circa primum quinque proponit, quae sunt necessaria in defensore. Primum est quod se armet: quod hoc tangit dicens, *Apprehende arma, et scutum.* Arma Dei sunt electi eius: *Rom. 6. Exhibete membra vestra arma iustitiae Deo.* Unde angeli dicuntur arma Dei, quibus utitur ad pugnandum contra malos: *Sap. 5. Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos.* Scutum Dei proprie est divina protectio, et voluntas sua qua protegit: *Ps. 5. Scuto bonae voluntatis tuae coronasti eos.* Dicit ergo, *Apprehende arma et scutum,* idest mitte sanctos tuos, et tu etiam protege me, bona voluntate tua. Vel, *Arma et scutum,* sunt virtutes: *Sap. 5. Induet pro thorace iustitiam, sumet scutum inexpugnabile aequitatem.* Secundum est, quod procedat ad bellum; et ideo dicit, *Exurge in adiutorium mihi.* Deus dicitur dormire, quando homo est in tribulationibus, et non sentit auxilium divinum: *Matt. 8. Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ubi erant discipuli, ipse vero dormiebat, et concitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus. Et surgens imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna: Ps. 41 Exurge quare ob-*

*dormis Domine.* Tertium est exemptio gladii; et ideo dicit, *Effunde frameam*, Hieronymus habet, *Evagina gladium.* Framea idem est, quod gladius. Veruntamen, *Effunde*, hic designat abundantiam divinae vindictae. Glossa, *Effunde frameam*, idest multiplica vindictam : *Zac. 15. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi.* Framea potest intelligi vel vindicta Dei, vel anima Christi, vel quilibet iustus, qui sunt gladius Dei contra malos : *1. Cor. 2. Spiritualis autem diiudicat omnia.* Quartum est percussio; et ideo dicit, *Et conclude* etc. Hieronymus habet, *Et praeoccupa ex adverso persequentes me;* quasi dicat, Prius percutias, quam sibi cavere possint. Et hoc etiam proprie dicitur concludi, quasi non potest evadere : *Iob 10. Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.* Vel concludi quis dicitur, quando convincitur de falsitate: unde, *Conclude*, ait; quasi dicat, convince eos ut errorem suum cognoscant. Quintum est, ut eripiatur ille qui protegitur : unde dicit, *Dic animae meae, salus tua ego sum;* quasi dicat, Per effectum manifesta, ut per inspirationem cognoscam te esse salutem animae meae: *Ps. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Isa. 45. Ego Dominus, et non est absque me salvator.* Consequenter cum dicit, *Confundantur*

c Agit de condemnatione nocentium. Et primo petit eorum condemnationem. Secundo adhibet similitudinem, ibi, *Fiant tamquam pulvis* etc. Circa primum duo petit in condemnationem contra duo, quae mali persequentes intendunt. Principaliter enim intendunt eum totaliter destruere: *Ps. 82. Non memoretur nomen Israel ultra.* Secundo intendunt, quod saltem inferant ei aliqua mala, et de utroque petit eos condemnari. Secundum, ibi, *Avertantur.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit poenam quam expetit. Secundo subdit eorum demeritum, ibi, *Quaerentes animam meam.* Poenam petit duplicem, scilicet confusionem, et timorem. Confusio autem consistit in hoc quod non potest quis suum implere intentum. Secundum est, quod deficiens a proposito, timet ne incidat, vel in similem poenam, vel in manus adversarii. Et ideo dicit quantum ad primum, *Confundantur;* et quantum ad secundum, *Revereantur*, idest timeant similem poenam. Simile habetur *Hier. 17. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego* etc. Hoc etiam potest reduci ut intelligatur esse dictum pro confusione eorum, de bona scilicet confusione, et de bono timore, ut salubriter confundantur ad poenitentiam. *Et revereantur*, idest timeant poenas, etiam si meritum eorum contradicat, quia sunt quaerentes animam meam. De secundo dicit, *Avertantur.* Et circa hoc duo facit. Primo enim petit ut impediantur a proposito. Secundo, quod confundantur impediti, ibi, *Et confundantur.* Dicit ergo, *Avertantur retrorsum*, non valentes proficere in eo quod intendunt, sed, *Deficiant*, in posterius, et ex hoc confundantur. Potest etiam ad bonum reduci, *Avertantur retrorsum*, ut me sequantur: *Mar. 8. Vade retro satana. Et confundantur*, de peccatis suis : *Ro. 6. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis. Cogitant mihi mala : Hiere. 18. Tu scis Domine omne consilium eorum adversum me in mortem.* Deinde cum dicit, *Fiant*

d Adhibet similitudinem. Et primo quantum ad primum. Secundo quantum ad secundum, ibi, *Fiant viae illorum.* Dicit ergo, *Fiant tamquam pulvis.* Petit namque primo iudicium contra eos, qui quaerebant eum totaliter destruere; et ideo similitudinem adhibet de re, quae totaliter destruitur, scilicet de pulvere. Dispositio enim pulveris ex tribus contingit, ex pulveris scilicet dispositione; quia siccus est pulvis, et in minima divisus: et ideo facile dispergibilis est. Et ideo dicit, *Fiant tamquam pulvis*, ut sicut pulvis comminutus est in multis propter defectum humoris, ita sint et impii. Alia ratio est ventus commovens: unde ait, *Ante faciem venti.* Ventus quandoque significat tribulationem: *Io. 27. Tollet eum ventus urens* etc. Quandoque ipsam tentationem peccati : *Is. 64. Iniquitates vestrae quasi ventus abstulerunt vos.* Tertio ex impulsu alicuius impellentis ventum: unde ait, *Et angelus Domini coarctans eos*, scilicet ad hoc ut totaliter dispergantur: nam sicut per auxilium angelorum aliqua prosperantur virtute maiori, ita ex angelis bonis, vel malis contingit quod tribulationes magis gravantur: nam Deus quandoque punit etiam per bonos angelos peccatores: *Isa. 37. Egressus est angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia* etc. Deinde cum dicit, *Fiant viae illorum*, ponitur similitudo de secundo impedimento, idest de processu viae; et tria impedimenta ponit in via. Primum est tenebrae: quia tunc de facili quis impingit. *Fiant ergo viae illorum*, idest processus, *Tenebrae.* Secundum est, quod sit lubrica et disposita ad casum : *Thren. 4. Lubricaverunt vestigia vestra in itinere viarum nostrarum.* Et tertium est, quod sit aliquis persequens et cogens, ut magis corruat. *Et angelus Domini* etc. *Prov. 17. Angelus crudelis contra eum mittetur.* Dicit ergo, *Fiant viae illorum tenebrae*, ignorantiae: *Ps. 81. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Et lubricum*, idest vitia carnalia in quibus de facili cadunt. *Et angelus Domini persequens eos.* Ipse daemon tentans ad peccandum, vel angelus bonus permittens cadere, ut humiliati fortiores resurgant. *Quoniam gratis absconderunt*

e Supra Psalmista petiit, quod innocentes iudicarentur, et expugnantes in expugnatione venirent; hic autem ostendit, quomodo merito haec patiantur. Et primo ponit culpam. Secundo poenam, ibi, *Veniat illis.* Circa primum proponit primo malitiae interpretationem. Secundo executionem, ibi, *Supervacue.* In primo ponuntur tria, quae aggravant culpam. Primum est iniquitas; et ideo dicit, *Gratias.* Secundum est fraus; et ideo dicit, *Absconderunt.* Tertium est crudelitas: et ideo dicit, *Interitum laquei sui.* Dicit ergo, *Quoniam gratis.* Si aliquis intentat malum contra se nocentem, non videtur totaliter iniquum; sed quando contra eum qui in nullo nocuit, hoc omnino est iniquum: et hoc est quod dicit, *Gratis*, scilicet sine offensa quam fecerim : *Io. 15. Odio habuerunt me gratis: Isa. 52. Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* Fraus vero notatur, cum dicit, *Absconderunt mihi*, quia scilicet per fraudem intentant mala mihi: *Thren. 3. Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis: Ps. 9. Insidiatur quasi leo in spelunca sua.* Crudelitatem autem ostendit, quia parant in-

sidias ad mortem: unde ait, *In interitum laquei sui*, idest abscondunt laqueum ad mortem: *Prov. 1. Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, frustra deglutiamus eum* etc. Secundo, cum dicit, *Supervacue exprobraverunt*, ponitur executio, similiter sine causa. Dicit autem *Exprobraverunt*, quia opprobria intulerunt. Est autem opprobrium, quando quis imponit crimen alicui, quod est contra eius honorem. Aliquando imponitur crimen alicui, ut confundatur et abiiciatur. Aliquando vero ut perdat vitam, et hoc est contra animam eius; et ideo dicit, *Animam meam;* quasi dicat, Propter hoc fecerunt, ut totaliter me vita privarent. Sic Iudaei Christo imposuerunt crimina morte digna: *Luc. 23. Commovit populum, docens per universam Iudaeam: Ps. 68. Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Sed hoc, *Supervacue*, idest sine causa, sicut supra dictum est, scilicet gratis: *Io. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ergo, *Supervacue*, imposuerunt ei peccatum. Vel, *Supervacue*, idest frustra, quantum ad eorum intentionem: quia intendebant fidem eius destruere: *Io. 11. Quid facimus quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus* etc. Tamen hoc consilium fuit supervacue, quia totus mundus post eius mortem ad fidem conversus est. Consequenter cum dicit, *Veniat illi laqueus quem* etc.

f Ponitur poena conveniens culpae: et hoc, quia eodem iudicio iudicantur, quo iudicare volebant: *Matt. 7. In quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini.* Isti fraudulenter intendebant mortem ipsius, ideo Psalmista petit contra eos, vel conformando voluntatem suam voluntati divinae, vel praenunciando. Et petit tria, scilicet quod laqueus eis praeparetur, quod capiantur, quod non evadant. Quantum ad primum dicit, *Veniat illi laqueus*, scilicet populo, vel ei qui principalis est inter eos. Laqueus hic tripliciter potest intelligi. Vel propter laqueum poenae, quia propter mortem Christi illaqueati sunt: *Isa. 8. Offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur: quia captivi sunt apud omnes gentes. Quem ignoraverunt*, dicit, quia nec suspicari quidem poterant talem poenam: *Luc. 2. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic, et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes: Mat. 24. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Vel de laqueo culpae: *Ti. ult. Qui volunt divites fieri, incident in tentationem, et in laqueum diaboli;* quasi dicat, Veniat illi laqueus culpae quem praevidere non potest; quia peccatori non videtur quod sit ligatus, sed quod faciat voluntatem suam; in veritate tamen laqueatus est, quia *Prov. 5. Funibus peccatorum suorum constringitur.* Vel de laqueo iustitiae; quasi dicat, *Veniat illi laqueus*, constringens ad bonum. *Quem ignoraverunt*, quia *1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus.* Quantum ad secundum dicit, *Et captio quam abscondit apprehendat eum*, idest capiatur, sicut in abscondito me voluit capere: *Prov. 5. Iniquitates suae capiunt impium.* Quantum ad tertium dicit, *In laqueum cadat*, idest deiiciatur a laqueo, ut inde se non eximat, *In idipsum*, idest in laqueo, quem paravit in aliis: *Psalm. 9. In laqueo suo humiliavit eum, inclinabit se, et cadet, cum* etc. Sic evenit Iudaeis, quia ipsi Christum gentibus tradiderunt, gentibus postmodum traditi sunt. Deinde cum dicit, *Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super* etc.

g Ponit fructum condemnationis impiorum. Et ponit fructum ex parte sua duplicem. Primo exultationis specialis. Secundo reverentiae divinae, ibi, *Omnia ossa mea.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit exultationem ex Dei iudicio provenientem. Secundo materiam exultationis, ibi, *Et delectabitur.* Dicit ergo, Peto ut sic fiat, sed cum hoc feceris, *Anima mea exultabit in Domino Iesu meo.* Et ratio huius est, quia per eum adeptus sum salutem: unde dicit, *Et delectabitur super salutari suo*, idest super Christum, vel super salutem factam per Christum: *Luc. 1. Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Et potest hoc referri ad ecclesiam. Consequenter cum dicit, *Omnia ossa mea*, ponitur secundus fructus, qui est reverentiae divinae: et circa hoc duo facit. Primo enim ponit reverentiam ad Deum. Secundo rationem assignat, ibi, *Eripiens.* Dicit ergo, *Omnia ossa mea*, Omnis fortitudo hominis Deo comparata debilitas est: unde quanto quis plus habet de cognitione Dei, tanto minus esse suam virtutem intelligit. Sed quia posset credi quod illud quod infirmum est in nobis, sit Deo incomparabile, non tamen quod est firmum, ostendit non sic esse, quia omne quantumcumque firmum est, Deo incomparabile est. Sunt enim illa infinita, ista vero finita; et ideo dicit, *Omnia ossa mea*, idest virtutes: per ossa quippe intelligitur virtus. Vel apostoli dicent, *Quis similis tui: Iob 28. Non adaequabitur ei aurum, vel vitrum: non commutabuntur pro eo vasa auri.* Vel ex persona dicentis, *Omnia ossa mea*, idest quicquid virtuosum est in me. Vel cognitio veritatis. Vel fervor, charitas et huiusmodi. Dicit, *Domine quis similis tui*, ex hoc asseritur, quod nihil est Deo comparabile. Sed contra. Videtur quod aliquid sit simile Deo. Unde *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Respondeo. Dicendum. Similia dicuntur quae habent eandem formam et characterem. Sed est duplex similitudo. Una, quae facit similes perfecte, quando scilicet duo participant eandem formam unius rationis. Quaedam vero similitudo dissimilium, quando videlicet forma invenitur in aliquo vere, et in aliquo per remotam participationem: et sic istud est simile illi, non quia habeat eandem formam, sed quia accedit ad hoc secundum debilem participationem. Et sic quae de Deo et de homine dicuntur similia, de homine dicuntur per remota; quasi dicat, Deus est et tu, sed tuum esse est participatum, suum vero essentiale, et similiter de aliis. Et ideo haec similitudo est dissimilium. Et quae dicit, manifestat per effectum. Fortis enim videtur aliquis, quando liberat aliquem debilem a potente, hoc enim est magnae fortitudinis. Et haec facit Deus in mundo isto. Fortes sunt divites: *Prov. 18. Substantia divitis, urbs roboris* etc. Deus autem liberat pauperes ab eis. Divites namque primo invadunt pauperes. Secundo expoliant debiles; sed Deus ab his liberat eos. Quantum ad primum dicit, *Eripiens inopem*, sine ope, *De manu fortiorum eius.* Quantum ad secundum dicit, *Et egenum et pauperem a diripientibus eum.* Egenus

dicitur quis, quasi egens necessariis; sed pauper, quasi nihil habens in pera. Et idem sunt ista tria, scilicet inops, egenus, et pauper: *Prov. 28. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem: Ezech. 22. Princeps eius in medio illius, quasi lupi rapientes praedam. Surgentes*

h Secunda pars principalis est. Superius Psalmista petivit impiorum repulsam; hic autem assignat causam. Et primo prosequitur eorum malitiam. Secundo petit divinum auxilium, ibi, *Domine quando respicies.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit eorum iniquitatem. Secundo eorum pertinaciam in malum, ibi, *Ego autem cum mihi molesti.* Iniquitatem ostendit primo quantum ad falsitatem. Secundo quantum ad ingratitudinem, ibi, *Retribuebant.* Dicit ergo quantum ad primum, *Surgentes testes iniqui*, sicut principes Iudaeorum, et inducti ab eis, sicut populus quae ignorabant scientia probationis; quasi dicat, Quae non approbabam, *Interrogabant me*, quia scilicet faciebant accusationem de peccatis quae non approbabam: *1. Cor. 5. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis* etc. Quantum ad secundum dicit, *Retribuebant mihi mala pro bonis*, factis eis in veteri testamento: *Mich. 6. Populе meus quid feci tibi* etc. Et in novo testamento, quia caecos illuminavit, et alia multa beneficia eis contulit: *Io. 10. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: Hier. 18. Numquid redditur pro bono malum* etc. Et quae mala, *Sterilitatem animae meae.* Alludit ei parabolae *Isa. 5.* de vinea quam plantavit electa, quae fecit labruscas. Populus Iudaeorum plantatus fuit ad bonum fructum faciendum, sed sterilis factus est. Et hanc sterilitatem ostendit populus contra animam Christi, quam expetierunt. Et ideo dicit, *Sterilitatem animae meae. Ego autem*

i Supra Psalmista praemisit Iudaeorum nequitiam; hic autem ostendit eorum pertinaciam, qua perdurant in malo. Et reprobatur pertinacia aliorum, ex eo quod nullo remedio reducuntur ad bonum. Est autem duplex remedium, quo aliqui solent revocari ad bonum. Primo per sanctitatem eius quem persequuntur. Secundo ex divino flagello. Primo ergo ostendit eorum pertinaciam ex eo quod non sunt revocati per sanctitatem. Secundum, ibi, *Dissipati.* Circa primum duo facit. Pro primo ponit sanctitatem suam contra tribulationes. Secundo pertinaciam eorum in malum, ibi, *Et adversum me.* Circa primum facit tria, secundum quod sanctitas in tribus consistit, scilicet in carnis maceratione, in spiritus devotione, et affectus pietate. Et haec tria ponit Psalmista per ordinem: nam primo ait de carnis maceratione. Secundo de spiritus devotione, *Et oratio mea.* Tertio de affectus pietate, ibi, *Quasi proximum.* Circa primum duo facit. Quia enim caro indiget tegumento et alimento, afflictio carnis habet fieri, vel asperitate tegumenti, vel subtractione alimenti. Et ideo primo dicit quod affligitur tegumento aspero. Secundo alimento subtracto, ibi, *Et humiliabam.* Dicit ergo quantum ad primum, *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Hic cilicium metaphorice dicitur, si exponatur de Christo, quia non legitur portasse cilicium. Hoc autem fit de pilis caprarum. Et in lege hircus caprarum immolabatur pro peccato; et ideo cilicium signat peccatum. Christus ergo dicitur portare cilicium: quia indutus est carne non peccatrice quidem, sed habente similitudinem carnis peccati. Et nos etiam portare cilicium debemus, idest poenitentiam de peccatis: *Isa. 3. Erit pro fascia pectorali cilicium.* Quantum vero ad secundum dicit, *Et humiliabam in ieiunio animam meam;* quasi dicat, Non solum tegumento aspero afflixi carnem meam, sed et alimento, dum illud a me subtraxi ieiunando. De ieiunio corporali Christi habetur *Matth. 4.* Potest etiam dici de spirituali ieiunio Christi. Christus enim desiderabat salutem humanam. Haec est illa aqua, quam petiit a Samaritana, *Io. 4.* Et in cruce ait, *Sitio, Io. 19.* Sed ieiunabat ad hoc, quia invenit homines longe a salute. Si autem dicatur in persona iusti, tunc dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod ieiunium sit causa humilitatis in iusto: et per animam intelligatur via carnalis, ut sit sensus, *Humiliabam* etc. idest superbiam carnalis vitae humiliabam macerando eam: *Ps. 93. Genua mea infirmata sunt* etc. *Iudi. 8. Humiliemus illis animas nostras in spiritu* etc. Item potest dici, quando humilitas est socia ieiunii, quia quando ieiunio non iungitur humilitas, illud ieiunium non est Deo acceptum: *Isa. 58. Quare ieiunavimus, et non aspexisti* etc. Quando vero humilitas ieiunio iungitur, tale ieiunium est Deo gratum. Et ideo dicit, *Humiliabam in ieiunio.* Sed quia nihil valet humiliare carnem nisi impinguet spiritum et confortet, hostis enim debilitandus est, et pugnator fortificandus, spiritus autem confortatur per orationem; ideo addidit, *Et oratio mea in sinu meo convertetur: Tob. 12. Bona est oratio cum ieiunio.* Oratio est speciale praesidium in tribulatione: *Iac. ult. Tristatur aliquis vestrum, oret aequo animo, et psallat: Ps. 76. Renuit consolari anima mea, memor fui etc.* Sed dicit, *In sinu meo convertetur.* Si de Christo accipiatur, intelligitur duplicitet. Uno modo, ut referatur ad Deum quem adorat: quia ad Patrem in cuius sinu erat: *Io. 1. Unigenitus filius qui est in sinu Patris.* Alio modo, ut referatur ad illos pro quibus orabat, quia orabat pro his, qui erant in sinu Christi. Sinus autem Christi est secretum Dei, et hoc est propositum praedestinationis: unde pro praedestinatis orabat *Ioan. 17. Ego pro eis rogo, non pro mundo.* Si autem referatur ad iustum aliquem qui orat pro alio, non semper obtinet pro eo: *Hie. 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc* etc., quia scilicet peccata eius non merentur exaudiri. Tamen exauditur pro seipso, cum oratio sua efficitur meritoria; unde, *In sinu*, idest ad me ipsum: *Ioan. 10. Pax vestra ad vos revertatur.* Sed verum est quod praedicta utilia sunt, parum tamen valent nisi habeat aliquis pium affectum ad proximum; et ideo subiungit, *Quasi proximum.*

k Affectus autem ad proximum ostenditur in duobus, scilicet in complacentia boni alterius, et in displicentia mali: *Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus.* Primum ostendit cum dicit, *Quasi proximum.* Secundum cum subdit, *Quasi lugens.* Dicit ergo quantum ad primum, *Quasi proximum.* Haec constructio est mirabilis, quia non habent hi accusativi, unde regantur. Glossa, *Casus pro casu ponitur*, accusativus scilicet pro ablativo; quasi dicat, Sic complacebam mihi in eis, quasi in

proximo et in fratre. Vel secundum Hieronymum, et de est hic unum *Ad* : sic enim habet Hieronymus , *Quasi ad amicum et quasi ad fratrem meum.* Vel dicitur , *Quasi sic complacebam* , Deo , habens me ad eos , sicut ad proximos , ad fratres : Iudaei namque fuerunt proximi Christo , quia cum eis conversabatur : *Baruch 3. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Fuerunt et fratres eius per originem : *Rom. 9. Ex quibus Christus secundum carnem : Io. 4. Salus ex Iudaeis est.* Sed *Iob 30. Frater fui draconum, et socius struthionum.* Quantum ad secundum, scilicet displicentiam in malis, dicit, *Quasi lugens* etc. Hoc maxime fuit in Christo *Luc. 19.* quando flevit super civitatem, Et dicit , *Lugens* Luctus enim est planctus pro mortuis. Tunc ergo homo luget pro aliis , quando plorat mala eorum, quae ipsi non sentiunt velut mortui. Peccatores namque in peccatis mortui sunt , nec sentiunt mala sua ; sed iusti inde dolent ex compassione: *Hiere. 9. Quis dabit capiti meo aquam* etc. Aliquando etiam dolet quis pro malis alicuius, quae et iam in se sentit. Et hoc est contristari. Unde Hieronymus habet pulchrius, *Quasi lugens mater tristis incurvabar*, scilicet super eos; quasi dicat, Dolebam de eis, sicut si essem eorum mater. Hanc ergo sanctitatem affectus ostendi eis per quam debuissent converti, sed amplius obstinati sunt; quia , *Et adversum me laetati sunt et convenerunt.*

l Et circa hoc duo facit. Primo posuit eorum malitiam. Secundo suam patientiam , ibi, *Et ignoravi.* Circa primum tria facit. Ponit enim tria , quae in Christi passione fuerunt. Primo ponitur Iudaeorum in malo iucunditas. Secundo eorum consensus in malum , ibi , *Et convenerunt.* Tertio dura Christi afflictio , ibi , *Et congregati sunt* etc. Dicit ergo , *Adversum me laetati sunt*, insultando in morte: *Thren. 1. Omnes inimici mei audierunt malum meum , Laetati sunt* etc. Contra quod dicitur *Prov. 24. Cum exciderit inimicus tuus , ne gaudeas* etc. *Et convenerunt* etc. Ecce consensus eorum in malum. Convenerunt enim principes in mortem Christi ad invicem, et cum plebe, et Iudaei cum gentibus: *Psal. 2. Astiterunt reges terrae , et principes convenerunt in unum. Et congregata sunt super me flagella.* Ecce afflictio Christi dura : quia a Iudaeis et gentibus caesus fuit: *Thren. 2. Multi gemitus mei* etc. In Hebraeo habetur , *Congregati sunt super me flagellantes.* Deinde cum dicit , *Et ignoravi* , ostenditur patientia Christi : quia , *Ignoravi* , idest ad modum ignorantis me habui, tacendo scilicet, et non loquendo : *Psal. 17. Ego tamquam surdus non audiebam* etc. *Isa. 53. Sicut ovis ad occisionem ducetur* etc. *Hiere. 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam , et non cognovi* etc. Vel , *Ignoravi* , secundum aestimationem eorum : quia eis videbar quod nescirem consilia eorum. Alia litera habet, *Ignorabant.* Ignorabant enim tria , scilicet quem flagellarent , quia si cognovissent , numquam Dominum gloriae crucifixissent , *1. Cor. 2.* Item causam quare : *Ioan. 18. Si male locutus sum , testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me caedis.* Item effectum iniquitatis: pro hac enim perpetuo sunt privati : *Luc. 21. Et ita populo huic.* Secundo cum dicit , *Dissipati sunt, nec compuncti*

m Ostendit , quod non sunt revocati , nec mutati ad bonum per secundum remedium, quod est flagellum divinum : et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit malum quod patiebantur. Secundo defectum compunctionis ipsorum , ibi , *Nec compuncti.* Tertio eorum obdurationis effectum , ibi , *Tentaveruut me* etc. Dicit ergo , *Dissipati sunt.* Hoc dupliciter exponitur : et primo sic , *Dissipati sunt,* idest corde stupefacti, dum nescirent rationem eorum, quae fiebant, idest miraculorum in passione : quia *Matth. 27. Multa corpora sanctorum, quae dormierunt, surrexerunt: et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam civitatem , et apparuerunt multis. Obscuratus est sol* etc. *Unde revertentes percutiebant pectora sua.* Vel , *Dissipati*, idest divisi: quia *Io. 7. Alii dicebant, quia bonus est, alii autem dicebant, non, sed seducit turbas. Et non sunt compuncti*, idest conversi ad poenitentiam. Et hoc patet per effectum, quia tentaverunt me dicentes *Io. 10. Si tu es Christus, dic nobis palam.* Vel ad passionem Christi non sunt conversi. Nam post mortem ipsius adhuc insultabant ei , dicentes verba blasphemiae contra Christum, quia dicebant verba irrisionis : *Matth. 27. Vah qui destruis templum Dei* etc. Et quantum ad hoc dicit , *Subsannaverunt me.* Subsannatio est irrisio quae fit rugato naso : *Isa. 37. Cui exprobrasti , et quem blasphemasti , et super quem exaltasti vocem tuam* etc. Item verba indignationis : *Matth. 27. Recordati sumus , quia seductor hic dixit adhuc vivens.* Et quantum ad hoc dicit , *Frenduerunt* etc. Hoc est aprorum qui crudeles sunt, sic et Iudaei: *Thren. 2 Frenderunt dentibus, et dixerunt : devorabimus. Domine quando*

n Supra Psalmista ex persona Christi , vel iusti , nequitiam persecutorum et pertinaciam ostendit ; hic autem contra utrumque invocat Deum. Et primo petit divinum auxilium. Secundo ostendit divini auxilii fructum, ibi, *Confitebor.* Circa primum duo facit. Primo petit accelerationem. Secundo ipsum auxilium , *Restitue.* Dicit ergo, *Domine quando respicies.* In hoc ergo auxilii accelerationem exprimit et affectum animi non valentis amplius pati moram, quasi in anxietate positi. Et ideo dicit , *Domine quando respicies* , hoc est enim proprie non ferentis moram : *Ps. 41. Quando veniam, et apparebo ante faciem Domini?* Et potest hoc dupliciter intelligi, secundum quod duplex est respectus Dei. Unus est misericordiae quoad iustos ad salutem : *Sap. 4. Gratia Dei et misericordia eius in sanctos eius , et respectus eius in electos illius.* Alius est quoad malos ad puniendum : *Iudith 9. Respice castra Assyriorum nunc sicut castra Aegyptiorum videre dignatus es , quando post servos tuos armati currebant.* Et de utroque respectu potest intelligi si de Christo exponatur, *Domine quando respicies*, me, ut resuscites me. *Respice et exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.* Vel, *Quando respicies* , super adversarios meos: *Abac. 1. Quare respicis super iniquitates, sive inique agentes, et taces devorante impio iustiorem se.* Deinde cum dicit, *Restitue* , ipsum auxilium quod petit, exponit; et in hac petitione dat duo intelligere, primo scilicet necessitatem, quam patiebatur. Secundo malitiam adversariorum, ibi, *A ma-*

*lignitate.* Dicit ergo quantum ad primum, *Restitue*, quia necessitas grandis est, nam periculosa res est, quia in periculo animae. *Restitue*, inquam, animam meam, corpori scilicet a quo separata fuit in morte, licet a divinitate non fuerit separata: *Io. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam* etc. Hoc poterat potentia divinitatis, quae non est alia quam potentia Patris: unde ita facit a se quicquid facit, quod tamen habet a Patre. Hoc etiam dicat quilibet vir iustus, quando est in periculo, vel corporali, vel spirituali; quasi dicat, Libera me a periculis. Malitia hostium duplex. Primo quantum ad fraudulentiam: unde dicit, *A malignitate eorum*, quia malitiose contra me procedunt: *Io. 2. Vicistis malignum.* Item quantum ad crudelitatem, *Et a leonibus, unicam meam*, quia anima unica liberatur a leonibus, idest a daemonibus, vel tyrannis: *Ps. 56. Animam meam eripuit de medio catulorum leonum: Ecc. A rugientibus praeparatis ad escam. Confitebor*

o Hic ponit fructum auxilii. Et primo ex parte sua. Secundo ex parte hostium, ibi, *Non supergaudeant.* Tertio ex parte iustorum, ibi, *Exultent.* Fructus ex parte liberati est laus Dei; unde dicit, *Confitebor tibi, et laudabo te, quia liberasti me: Ps. 65. Reddam tibi vota mea* etc. Et si referatur ad Christum, fructus resurrectionis Christi est instructio ecclesiae, et fides qua ecclesia confitetur Deum: *Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vel describitur ecclesia ex multitudine credentium. Secundo ex virtute eorum. Quantum ad primum dicit, *In ecclesia magna*, quidem numero et diffusione terrarum: *Malach. 1. Magnum est nomen tuum in gentibus.* Item magna constantia et virtute, quia portae inferni non praevalebunt adversus eam, *Matt. 16. Ps. 56. Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna.* Quantum ad secundum dicit, *In populo gravi laudabo te.* Gravitas quandoque sumitur in bono, quandoque in malo, quia similitudinarie est duplex proprietas in corporali gravitate. Una est ponderositatis, quae tendit deorsum, et haec est mala: quia homo dicitur gravis, secundum quod ad terrae ponderositatem et similitudinem tendit: *Ps. 4. Filii hominum usquequo gravi corde? Isa. 1. Populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Alia proprietas est stabilitas, quae opponitur levitati, et non commovetur. Levis homo dicitur, qui movetur omni vento: *Eph. 4. Qui stabilis in bono est, dicitur gravis: 1. Cor. 10. Epistolae graves sunt et fortes.* Hieronymus habet, *In populo forti laudabo te. Non supergaudeant mihi inimici mei.* Hic ponitur fructus ex parte hostium: ubi petit quod eorum exultatio reprimatur. Et primo proponit hunc fructum. Secundo ponit radicem insultationis, ibi, *Adversantur.* Tertio ponit radicis commotionem, ibi, *Vidisti Domine.* Dicit ergo, *Non supergaudeant;* quasi dicat, Peto restitui; *Ut non supergaudeant mihi*, quasi vincentes me. Et hoc quia Christo resuscitato eorum gaudium versum est in confusionem. Vel, *Non supergaudeant mihi*, in membris meis, quae non sunt gravia, quia sustentantur per Christum: *Mich. 8. Non laeteris inimica mea. Qui adversantur.* Hic ponit causam insultationis. Causa et radix insultationis est triplex. Ex parte cordis, operis, et oris. Ex parte operis, *Illi supergaudeant qui adversantur inique.* Si pro iustitia adversarentur, et supergauderent, bonum esset et iustum; sed quia inique gaudent, indecens est: *Psal. 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ex parte cordis est odium indebitum; unde dicit, *Et qui oderunt me gratis*, idest sine causa: *Ps. 119. Dum loquebar illis, impugnabant me gratis: Io. 13. Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis: Ps. 34. Retribuebant mala pro bonis.* Item odium simulantium, quia cum odio cordis, *Annuunt oculis.* Hoc dupliciter. Uno modo, ad ostendendum palliationem odii, quasi annuentes quod diligerent. Vel annuebant sibi invicem oculis, concitantes se ad malum: *Prov. 6. Homo apostata vir inutilis.* Ex parte oris dupliciter. Primo quantum ad verba fraudulenta. Secundo quantum ad irrisoria. Quantum ad primum dicit, quod in ore. Secundo, quod in corde, *In ore verba pacis:* unde dicit, *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: Mar. 22. Scimus quia verax es: Ps. 27. Loquuntur pacem proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* In corde habebant dolos, idest verba dolosa: *Hiere. 9. Sagitta vulnerans eorum lingua, dolum locuta est.* Et hoc, *In iracundia terrae, dolos cogitabant*, idest habentes iram contra me pro terrenis: *Io. 11. Ne forte veniant Romani* etc. Hieronymus habet, *In rapina terrae verba irrisoria.* Qui irridet aliquem, duo facit: quia huiusmodi verba molestant derisum, et laetificant irridentem; et ideo dicit, *Dilataverunt super me os suum*, quasi audacter et gaudenter loquuntur malum de alio: *Isa. 37. Super quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in altitudinem oculos tuos? Dilataverunt super me os suum.* Gaudium eorum ostendit cum dicit, *Euge:* interiectio congratulantis: *Matt. 25. Euge serve bone* etc. quasi dicat, sibi ipsis congratulantes de victoria quam videbant se habere de me. Et hoc quia, *Viderunt oculi mei*, scilicet Christi passionem quam desideraverunt: *Matth. 27. Vah qui destruis templum Dei* etc. *Thren. 2. Haec est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus. Vidisti*

p Supra Psalmista posuit radicem insultationis, quae fuit eorum malitia; hic autem removet illam radicem, sive causam implorans Dei iudicium. Circa quod tria proponit. Primo cognitionem necessariam ad iudicium praecessisse. Secundo petit iudicium, ibi, *Ne sileas.* Tertio iudicii effectum, ibi, *Non dicant.* Iudex non potest iuste ferre sententiam nisi prius instructus de facto. Hoc autem divino iudicio non deest, quia videt ea, quae aguntur ex utraque parte; unde dicit, *Vidisti*, scilicet eorum malitiam, et meam iustitiam: *Hebr. 4. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* Consequenter petit iudicium divinum. Et primo agit de iudicii dilatione. Secundo petit processum iudicii. Quod iudicium differatur, procedit ex duobus, scilicet ex patienti tolerantia defectus iniquorum, et ex hoc quod iudex non diligit eum, pro quo sententia dari debet, et ex hoc excludit eum. Quantum ad primum dicit, *Ne sileas*, scilicet eorum malitiam, quam vidisti pertranseundo: *Aba. 1. Quare respicis contemptorem, et taces conculcante impio iustiorem se?* Quantum ad secundum dicit, *Ne discedas a me*, quasi non referendo auxilium in necessitate: *Osee 11. Vae eis cum recessero ab eis. Exurge*

q Hic ponit processum iudicii. Tria enim requiruntur in iudicio. Primo, quod iudex sumat iudicandum. Secundo, quod consideret merita causae. Tertio, quod proferat sententiam iustam. Quantum ad primum dicit, *Exurge*, idest a torpore, et assume animum iudicandi: *Psal. 43. Exurge, quare obdormis Domine?* Quantum ad secundum dicit duo, quibus debet iudex intendere, debet scilicet iudicium proferendum, et causam super quam debet sententiam ferre; unde dicit, *Intende iudicio meo*, idest pro me ferendo: *Psalm. 71. Deus iudicium tuum regi da* etc. Quantum ad secundum dicit, *Deus meus et Dominus meus in causam meam.* Uno modo, *In litem meam:* sicut in Hebraeo, *In litem meam: Iob 29. Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Vel, *In causam*, secundum quod causa idem est quod principium , ex quo sequitur aliud ; quasi dicat, *Intende in causam*, pro qua ego patior. Et haec est obedientia Patris : *Phil. 2. Factus est obediens usque ad mortem* etc. Item causa est charitas quam habuit ad nos, propter quam causam patiebatur. Quantum ad secundum dicit, *Iudica me.* Una litera habet, *Secundum iustitiam tuam;* alia litera habet , *Iudica me secundum iustitiam meam*, primum idem est, ac si diceret, *Iudica me*, secundum legem tuam et iustitiam: nam iustitia Dei est reddere unicuique secundum merita: et quae non possunt falli et flecti a veritate , *Rom. 2.* Iudicium Dei est secundum veritatem. *Secundum iustitiam meam* , scilicet quam ego sum secutus. Et potest dici quod idem est iustitia mea et tua, Dei scilicet iustificantis, hominis quasi iustificati, quia iustitia nostra est ex Deo: *Ro. 10. Volentes iustitiam suam statuere* etc. Consequenter petit effectum iudicii, *Ut non supergaudeant mihi:* et circa hoc duo facit. Primo petit insultationis reprehensionem. Secundo petit eorum confusionem, ibi, *Erubescant.* Exterior exultatio nascitur ex interiori gaudio. Primo ergo petit ut reprimatur eorum gaudium intus. Secundo exterior insultatio. Dicit ergo quantum ad primum, *Non supergaudeant mihi;* quasi dicat , Ita iudicium tuum reprimat eos , ut non gaudeant super me: *Thren. 1. Omnes inimici mei audierunt malum meum , et laetati sunt.* Quantum ad secundum dicit , *Ne dicant in cordibus suis.* Insultatio in duobus fit , sicut et gaudium. Gaudium autem vel est de praesentibus bonis, vel de bonis futuris. Similiter insultatio, vel est propter mala iam facta , vel propter fienda. Primo ergo petit removeri insultationem de praeteritis : et ideo dicit, *Ne dicant in cordibus suis, euge, euge, animae nostrae*, idest non congratuletur anima eius super aliquibus de me, *Et dicant animae nostrae, devorabimus eum.* Aliquando enim aliquis opprimit aliquem non exultatione, sed surreptione ex infirmitate: et hoc patet quod statim poenitet. Sed quando ex malitia opprimit, tunc gaudet se fecisse: et hoc est quod dicit, *Nec dicant, devorabimus eum*, scilicet in futurum: *Ps. 56. Lingua eorum gladius acutus: Abach. 3. Exultatio eorum, sicut eius qui devorat pauperem in abscondito. Erubescant*

r Hic petit eorum confusionem: et petit duo correspondentia duobus praemissis, de quibus fit insultatio, scilicet de factis, et fiendis. Primo petit ut confundantur de malis iam factis. Secundo ut confundantur super futuris , ibi, *Induantur confusione.* Primo ergo petit erubescentiam eorum, vel bonam confusionem, vel aeternam: et hoc dicit per modum praenuntiationis , vel conformationis ad Deum : *Is. 6. Servi mei laetabuntur, et vos confundemini.* Secundo petit eorum diffidentiam sive timorem: unde, *Et revereantur simul.* Vel in bonum , quasi incipiant Deum timere: nam timor initialis et castus proprie reverentia dicitur; et hic timor inducit in salutem: quia, ut dicitur *Eccl. Timor Domini initium sapientiae.* Vel semper sint in timore: *Sap. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata: Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus eius.* Et quare haec eveniant eis , quia gloriantur in malis meis. Consequenter petit confusionem de futuro , et aliqua petit per alium modum , quia idem est confusio quod erubescentia; et sicut illa possunt accipi in bono et in malo, ita hic confusio et reverentia. Sed quod additur, *Induantur confusione*, aliquid addit. Indumentum enim dicit habitum. Qui ergo simpliciter et in principio timet, non potest dici habere habitum timoris; sed qui firmantur in malo, et desiderant malum: *Hier. 17. Duplici contritione contere eos.* Et quare plus petit modo quod affligantur quam ante, quia est maior culpa, quasi scilicet non sunt contenti his quae fecerunt , sed adhuc maligna cogitant contra me. Sicut Iudaei etiam post mortem Christi volebant occultare eius resurrectionem corrumpendo custodes: *Prov. 20. Verbum malignum, vanitatem, et verba mendacia longe fac a me :* Hieronymus habet , *Qui maligna loquuntur* contra me: *1. Reg. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes. Exultent*

s Hic est tertius fructus , qui consurgit ex parte divini auxilii: et hic fructus est gaudium sanctorum. Et primo ponit fructum exultationis dicens, *Exultent et laetentur.* Ponit autem pro fructu sanctorum iucunditatem, quia laetitia dicit latitudinem cordis, unde signat interius gaudium: *Ps. 118. Dilatasti cor meum.* Et haec laetitia est proprie in iustis : *Ps. 96. Lux orta est iusto , et rectis corde laetitia.* Exultatio dicit gaudium prorumpens exterius ab interiori ; et haec exultatio competit iustis: *Ps. 32. Exultate iusti in Domino.* Et hoc competit rectis ; unde dicit , *Qui volunt iustitiam meam*, scilicet imitari. Vel si dicatur ex persona David, *Volunt iustitiam meam*, idest congaudent bonis meis, sic est gaudium cordis, et ex hoc sequitur exultatio oris: *Is. 51. Gaudium et laetitia invenientur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Et ideo subdit, *Dicant semper, magnificetur Dominus*, idest magnificent Deum sancti. Non enim secundum veritatem magnum faciendo, sed nuntiando, et praedicando eum magnum: *Ps. 33. Magnificate Dominum mecum* etc. *Eccl. 44. Admirabilis magnificentia eius.* Item *ibidem: Quis magnificabit eum sicut est? et qui sunt illi qui hoc faciunt?* certe , *Qui volunt pacem servi eius*, scilicet Christi secundum humanam naturam: quam pacem Christus fecit et dat, quia *Ipse est pax nostra , qui fecit utraque unum , Eph. 2. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, Io. 14. Et in me pacem habetis, Io. 17.* Si autem intelligitur dictum ex persona David, sic est sensus, *Qui volunt pacem servi eius*, idest illi exultent et laetentur, qui volunt quod servus eius, scilicet ego,

habeam pacem. *Sed et lingua meà.* Hic ostendit quod etiam ipse est particeps gaudii huius ; quasi dicat, Non solum illi qui habent gaudium, sed et ego etiam gaudii sanctorum sum particeps. Et de hoc ponit duo. Primo ponit interiorem meditationem. Secundo ponit interiorem laudem. Dicit ergo quantum ab primum, *Sed et lingua mea meditabitur iustitiam tuam.*

Sed contra. Meditari non pertinet ad linguam, sed ad cor.

Et est triplex responsio. Uno modo lingua meditatur, idest meditata loquitur: *Ps. 48. Os meum loquetur sapientiam*, scilicet meditatam. Qui est iustus, loquitur ex praemeditatione: sic et sapiens. Alio modo est duplex os, sive duplex locutio, scilicet interius, et exterius: *Matt. 14. Quae procedunt de ore*, scilicet cordis, *haec sunt quae coinquinant hominem.* Et sic accipitur hic lingua, scilicet interior. Tertio modo, sic *Meditabitur*, idest decantabitur, et modulabitur, *Tota die laudem tuam*, idest semper cogitabit quomodo laudet te: *Ps. 33. Benedicam Dominum in omni tempore* etc.

*In finem servo Dei.*

## a PSAL. DAVID XXXV.

Dixit iniustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos eius. Quoniam dolos egit in conspectu eius: ut inveniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius, iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viae non bonae: malitiam autem non odivit.

b Domine in caelo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.

c Homines et iumenta salvabis Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

d Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae: et torrente voluptatis tuae potabis eos. Quoniam apud te est fons vitae.

e Et in lumine tuo videbimus lumen.

f Praetende misericordiam tuam scientibus te, et iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. Non veniat mihi pes superbiae: et manus peccatoris non moveat me.

g Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare.

## a PSAL. XXXV.

In praecedenti Psalmo Psalmista imploravit Dei auxilium contra persecutiones peccatorum ; hic autem describit peccatorum nequitiam. Titulus, *In finem servo Dei.* Et est novum hoc quod dicit, *Servo Dei.* Ille est fidelis servus, qui bona Domini sui non usurpat sibi, et mala sua non retorquet in Dominum. Quidam enim sunt, qui peccata sua in Deum retorquent dicentes, quod necessitate peccant, et bona sua sibi vindicant, dicentes quod habent ea ex virtute propria. E contrario facit David : et circa hoc duo facit. Primo facit mentionem de malis quae sunt in nobis ex nobis. Secundo de bonis, quae sunt in nobis a Deo, ibi, *Domine in caelo.* Circa primum duo facit. Primo ponit radicem mali. Secundo ponit processum mali ex illa radice, ibi, *Verba oris.* Radix mali est propositum. Primo ergo proponitur malum propositum. Secundo ponit causam, ibi, *Non est timor.* Tertio probat, ibi, *Quoniam dolose.* Sicut dicit Philosophus *in 3. Ethic.* aliquis facit iniustum, et non iniustificat ; aliquis facit et iniustificat, sed non est iniustus: aliquis facit et iniustificat, et est iniustus. Primum facit ille, qui retinet rem alterius quam credit suam. Secundum facit ille, qui non secundum habitum, sed ex passione facit iniustum, quia passione cessante reddit rem alienam. Tertium facit ille, qui ex proposito facit iniustum; et ideo dicit, *Dixit iniustus*, idest ex proposito deliberavit, *ut delinquat in semetipso*, quia in eius potestate est, ut proponat peccare, non in fato stellarum: *Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui;* sed processus irrefraenatus peccandi est ex eo, quod removetur impedimentum peccati. Dicitur autem quod peccatum in Spiritum sanctum est, quando ex certa malitia peccatur; et hoc quando removetur impedimentum. Hoc ergo impedimentum removet timor Domini: *Prov. 15. In timore Domini declinatur a malo : Iob 15. Quantum in te est evacuasti timorem, et tulisti preces* etc. Et ideo dicit, *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Timor est in affectu, sed causa timoris est in oculis, ex hoc quod non considerant iudicium Dei: *Dan. 13. Averterunt oculos suos, ne viderent coelum;* sed causa est, *Quoniam dolose egit.* Quando aliquis in oculis regis facit aliquid regi odiosum, signum est quod non timet eum; sic peccator quando facit peccatum coram Deo, qui omnia videt, signum est quod non timet Deum, quia in conspectu, scilicet Dei, egit dolose, idest fecit dolum: *Hebr. 4. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* Et dicit, *Dolose*, quia aliud profert extra, aliud simulat: *Psal. 5. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: Iob 36. Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Et ideo, *Inveniatur iniquitas eius ad odium*, idest talis sit iniquitas eius quod Deus habeat eam odio. Et hoc est signum quod Deus tales simulatores odit, quia in evangeliis multum invehitur Deus contra simulatores. Alia litera habet, *In conspectu suo, ut videret iniquitatem suam, et odisset.* Contingit quod aliquis discutit conscientiam suam ut inveniat iniquitatem suam et odiat. Frequenter in hoc fraudulenter agit, quia non discutit bene, sed gravia leviat, et levia aggravat. Et ideo dicit, *Dolose egit in conspectu suo*, idest in conscientia: quia si fideliter suam odisset iniquitatem, discussisset. Vel secundum eundem sensum, *In conspectu suo*, scilicet Dei, idest in sacra Scriptura, quam non attendunt secundum veritatem suam, et Spiritus sancti, sed agunt dolose; et hoc ideo, quia non inveniunt iniquitatem. Consequenter ponit processum radicis. Et primo ponit peccata oris. Secundo cordis et operis. Homo committit peccatum ore dupliciter: vel per apertam malitiam, cum aperte mentitur; et hoc est quod dicit, *Verba oris eius*

*iniquitas: Iob 6. Non invenietis in ore meo iniquitatem.* Vel per occultam fraudulentiam; et hoc est dolus: *Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est.* In corde peccat quis dupliciter, per contemptum boni, et per studium mali. Contingit, quod aliquis peccat per infirmitatem, aliquis ex ignorantia. Sed quando est ignorantia affectata, tunc est grave peccatum: *Iob 21. Scientiam viarum tuarum noluimus.* Et ideo dicit, *Noluit intelligere ut bene ageret*, unde voluit intelligere curiosa, et non ut bene operaretur: *Hier. 4. Sapientes sunt, ut faciant mala: bona facere nescierunt.* Item aliquando facit homo peccatum ex studio malitiae; unde dicit, *Iniquitatem meditatus est in cubili suo*, idest in corde suo. Vel in cubili, idest quando stat in secreto: *Prov. 24. Cogitatio stulti peccatum est, et abominatio. Astitit.* Hic ponit quod committitur opere. Et primo ponit coadiuvationem ad malum. Secundo, quod non impedit malum. Quantum ad primum dicit, *Astitit omni viae non bonae*, idest vivit et favit omni malae viae, vel malae operationi: *Ps. 2. Astiterunt reges terrae.* Quantum ad secundum dicit, *Malitiam autem non odivit: Ps. 51. Dilexisti malitiam super iniquitatem* etc. *Iob 2. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua. Domine*

b Hic ostendit quae recepit a Deo. Et primo numerat ipsa bona. Secundo petit ea sibi dari, ibi, *Praetende.* Circa primum duo facit. Primo proponit causam bonorum, quae recepit a Deo. Secundo enumerat ipsa bona, ibi, *Homines et iumenta.* Et primo ponit commendationem causae. Secundo proponit profunditatem effectuum, ibi, *Iudicia tua.* Quicquid Deus facit in nobis, vel est ex iustitia, vel misericordia, vel ex veritate. Ex iustitia, quando reddit pro meritis. Ex veritate, quando reddit quod promisit. Ex misericordia, quando excedit merita et promissa. Probemus haec tria. Iustitia Dei alta est, quia nullus tantum meretur, quin Deus plus reddat. Veritas est altior, quia Deus promittit et solvit quae numquam meruimus, sicut incarnationem, et alia quae pertinent ad mysterium redemptionis. Sed misericordia est altissima: quia ea quae cogitare non possumus, largitur: *1. Cor. 2. Oculus non vidit* etc. Et ideo iustitiam comparat montibus, veritatem nubibus, quae altiores sunt, misericordiam coelis, qui sunt super omnia. Dicit, *Domine in coelo misericordia tua*, quae est causa omnium bonorum meorum est in caelo: *Ps. 144. Miserationes eius super omnia* etc. *Isa. 63. Miserationum Domini recordabor. Et veritas tua usque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei.* Haec omnia dicuntur secundum effectus, quia secundum essentiam idem sunt. Mystice per haec tria intelliguntur iusti, quia in ipsis iustis inveniuntur iustitia, veritas, et misericordia. Iusti signantur per coelum propter retributionem, et caritatem: *Matth. 4. Merces vestra copiosa est in coelis.* Item in illis maxime relucet misericordia: quia omnino sunt ab omni tribulatione liberati. Nos autem sumus adhuc in calamitatibus. Per nubes intelliguntur doctores: *Isa. 5. Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* Et in eis relucet veritas quam manifestant. Per montes intelliguntur sancti viri; et quid sequitur ex omnibus istis? quod haec iudicia sunt abyssus multa, idest incomprehensibilia: *Rom. 2. Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius* etc. *Homines*

c Supra commendavit Psalmista Dei iustitiam, veritatem, et misericordiam, et iudicia, ex quibus nobis bona proveniunt; hic autem enumerat illa bona: et circa hoc duo facit. Primo commemorat bona, quae communiter largitur omni creaturae. Secundo bona propria quae confert rationali creaturae, ibi, *Filii autem hominum.* Circa primum duo facit. Primo commemorat quae communiter proveniunt a Deo. Secundo consurgit in admirationem divinae misericordiae, ibi, *Quemadmodum multiplicasti.* Dico ergo, quod misericordia tua est magna, et ex hac salvas homines et iumenta, idest rationales et irrationales creaturas. Vel per homines intelliguntur iusti, per iumenta ipsi peccatores, qui temporali salute salvantur a Deo: *Matt. 5. Pluit super iustos et iniustos: Ps. 48. Homo cum in honore esset non intellexit* etc. Et haec salus communis est omnibus in duobus, scilicet in salute corporis: *Eccl. 30. Non est census super censum salutis corporis:* et in rerum provisione: *4. Reg. 6. Salva me rex. Qui ait, Non te salvet Dominus. Unde salvare te possum? de arca, an de torcularí?* Consequenter admiratur divinam misericordiam, ibi, *Quemadmodum multiplicasti*, scilicet quam multum multiplicasti? *Misericordiam tuam*, scilicet quod salvas non solum homines, sed et iumenta. Vel quod est tibi curae non solum de iustis, sed etiam de peccatoribus, quantum ad bona temporalia quae in eis multiplices: Hieronymus habet, *Quod pretio* etc. Magna est enim misericordia Dei, quod omnes salvat: magna etiam, quia unicuique plus dat quam meruit: *Ps. 85. Misericordia tua magna est super me. Filii autem*

d Hic ponit bona spiritualia, quae sunt tria. Fiducia, spiritualis refectio, et intelligibilis cognitio: et haec respondent gradibus entium. Entium quaedam sunt tantum, quaedam sunt et vivunt, quaedam cum hoc etiam intelligunt: et inter entia rationalis creatura quandam aeternitatem participat, quia anima rationalis non perit. Et ideo dicit, *Filii hominum*, idest filii Dei Christi: vel filii hominum generaliter omnes homines intelliguntur. *Sperabunt in tegmine alarum tuarum.* Et loquitur metaphorice. Gallina protegit pullos suos alis ne occidantur; ita ipse Deus spirituali protectione protegit rationalem creaturam ne deficiat specialiter in animas: *Matt. 23. Quoties volui congregare filios tuos* etc. *Isa. 49. Sub tegumento manus suae protexit me.* Vel, *In tegmine*, idest in protectione spirituali. Et sic duae alae sunt doctrina novi et veteris testamenti. Item quae hic inferius vivunt, speciali cibantur refectione. Et primo ponit ipsam refectionem. Secundo ponit eius causam, ibi, *Apud te.* Refectio spiritualis in duobus consistit, scilicet in donis Dei, et in eius dulcedine. Quantum ad primum dicit, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* Domus est ecclesia: *1. Tim. 3. Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei.* Et haec domus, quae modo est in terris, quandoque transferetur in coelos: *Ps. 121. In domum Domini laetantes ibimus.* In utraque est ubertas donorum Dei; sed in hac ecclesia est imperfecta, sed in alia est perfectissima abundantia omnium bonorum, et hac satiantur spiri-

tuales viri: *Ps. 64. Replebitur in bonis domus tuae.* Et quod plus est, inebriantur, inquantum supra omnem mensuram meriti desideria implentur: ebrietas enim excessus quidam est: *Isa. 64.* quod oculus non vidit etc. *Cant. 5. Inebriamini carissimi.* Et qui sunt ebrii, non in se sunt, sed extra se. Sic qui repleti sunt spiritualibus charismatibus tota eorum intentio fertur in Deum: *Phil. 2. Nostra conversatio in coelis est.* Et non solum donis reficientur, sed etiam dilectione Dei: *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.* Et ideo dicit quantum ad secundum, *Et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Hic est amor Spiritus sancti, qui facit impetum in anima, sicut torrens: *Isa. 59. Quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Et videtur voluptatis, quia voluptatem et dulcedinem in anima facit: *Sap. 12. O quam bonus et suavis est spiritus tuus Domine in nobis.* Et hoc potu potantur boni: *1. Cor. 10. Eundem potum spiritualem biberunt.* Vel torrente voluptatis tuae, scilicet Dei, quae dicitur torrens *Prov. 18. Torrens redundans, fons sapientiae:* quia voluntas eius sic efficax est, ut ei resisti non possit, sicut nec torrenti: *Ro. 9. Voluntati eius quis resistit?* Materia autem talis refectionis est, quia qui coniunguntur fonti, et qui tenerent os suum ad fontem vini, inebriarentur; sic qui tenent os suum, idest desiderium ad fontem vitae et dulcedinis, inebriantur: *1. Cor. 2. Alius autem ebrius est.* Et sic inebriantur, quia *Apud te est fons vitae.* Si referatur ad Christum, sic est sensus, *Apud te* etc. idest tu es fons vitae. Si autem referatur ad Patrem, sic est sensus, *Apud te est fons vitae,* idest Verbum tuum vivificans omnia, *Est apud te: Io. 1. Verbum erat apud Deum: Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquae vivae* etc. Qui vere est fons vitae, idest spiritualium bonorum, ex quibus omnia vivificantur. Secundum est cognitio intelligibilis, quam homines, sive irrationales creaturae participant. Ideo dicit, *Et in lumine.*

e Duo sunt privilegia rationalis creaturae. Unum, quod rationalis creatura videt in lumine Dei, quia alia animalia non vident in lumine Dei, ideo dicit, *In lumine tuo.* Non intelligitur de lumine creato a Deo, quia sic intelligitur illud quod dicitur *Gen. 1. Fiat lux.* Sed *In lumine tuo,* quo scilicet tu luces, quod est similitudo substantiae tuae. Istud lumen non participant animalia bruta; sed rationalis creatura primo participat illud in cognitione naturali: nihil enim est aliud ratio naturalis hominis, nisi refulgentia divinae claritatis in anima: propter quam claritatem est ad imaginem Dei: *Ps. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundum est lumen gratiae: *Eph. 5. Exurge qui dormis* etc. Tertium est lumen gloriae: *Isa. 60. Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum* etc. Vel, *In lumine tuo,* idest in Christo, qui est lumen de lumine: et sic est lumen quod est verus Deus. Est ergo lumen Christus, inquantum procedit a Patre: est fons vitae, inquantum est principium spiritus vivificantis. Aliud privilegium est, quia sola creatura rationalis videt hoc lumen: unde dicit, *Videbimus lumen.* Hoc lumen vel est veritas creata, idest Christus, secundum quod homo, vel est veritas increata, qua aliqua vera cognoscimus. Lumen enim spirituale veritas est: quia sicut per lumen aliquid cognoscitur, inquantum lucidum, ita cognoscitur, inquantum est verum. Animalia bruta bene cognoscunt aliqua vera, puta hoc dulce, sed non veritatem huius propositionis, hoc est verum, quia hoc consistit in adaequatione huius intellectus ad rem, quod non possunt facere bruta. Ergo bruta non habent lumen creatum. Similiter nec lumen increatum, quia solus homo factus est ad videndum Deum per fidem et per spem: et sicut nunc videmus per fidem in lumine, sic videbimus eum in specie, qnando erimus in patria. *Praetende misericordiam*

f Hic convertit se ad orationem, et petit misericordiam Dei. Et primo petit petitionem quantum ad alios. Secundo quantum ad se, ibi, *Non veniat mihi.* Duo petit, secundum duo genera hominum, qui conversantur in domo Domini: quidam enim cognoscunt Deum per fidem, quidam etiam iustificati inhaerent ei. Qui ergo non cognoscunt Deum, non sunt in eius domo; sed qui habent fidem, possunt subiacere peccato, et ideo petit eis misericordiam. Ideo dicit, *O Domine scientibus te,* per fidem scilicet, et vocat cognitionem scientiam propter certam inhaesionem: *His praetende,* idest amplia, extende ad eos misericordiam tuam miserando peccatis eorum: *Isa. 27. Non est populus sapiens: Hier. 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Sed, *His qui recto sunt corde,* idest qui habent rectum cor, et sunt confirmati tibi per caritatem: *Praetende eis,* idest amplia iustitiam, idest coronam quam meruerunt, quia isti iam merentur coronam: *2. Ti. 4. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae* etc. Et ideo petit eis iusta. Pro se duo petit. Primo petit conservari a peccato, et hoc removendo duas causas peccati. Una est interior, et haec est superbia, quae est initium omnis peccati; unde dicit, *Non veniat mihi pes superbiae,* idest affectus superbiendi removeatur a me: *Eccl. 23. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Alia causa est exterior, quando incitatur ab aliquo ad peccandum: *Ps. 118. Et ab alienis parce servo tuo.* Et ideo dicit, *Manus peccatoris non moveat me,* idest inductiones et promissiones et blandimenta non inducant me ad peccandum. *Ibi ceciderunt*

g Hic ponitur petitionis ratio: et est duplex. Primo, quia ex hoc pede est casus, sicut quando quis cadit propter pedem quem habet malum: et ideo dicit, *Ibi,* idest in pede superbiae, *Ceciderunt.* Ecce *Initium omnis peccati superbia, Eccl. 10.* Homo enim ex hoc peccat, pro eo quod non continetur sub regula legis divinae, sed ex superbia exit arrogantia: *1. Cor. 10. Qui se existimat stare,* idest per superbiam, *videat ne cadat.* Et dicit, *Qui operantur,* non qui operati sunt, quia aliquis aliquando ex infirmitate peccat, vel ignorantia, et iste non permanet; sed qui peccat ex superbia, hic persistit: quia *Prov. 2. Laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Item alia causa est alieni impulsus; unde dicit, *Expulsi sunt,* idest impulsi dum inaniter se efferunt, sicut Lucifer de coelo, et homo per superbiam de paradiso expulsi sunt. *Nec potuerunt stare: Iob 18. Expellet eum de luce in tenebras* etc. Sed humilitas facit stare: *Ps. 121. Stantes erant pedes nostri* etc.

## a PSAL. IPSI DAVID XXXVI.

Noli aemulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tamquam foenum velociter arescent : et quemadmodum olera herbarum , cito decident.

b Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.

c Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam , spera in eo , et ipse faciet.

d Et educet quasi lumen iustitiam tuam , et iudicium tuum tamquam meridiem: subditus esto Domino , et ora eum.

e Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias.

f Desine ab ira, et derelinque furorem ; noli aemulari ut maligneris. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur , sustinentes autem Dominum , ipsi haereditabunt terram.

g Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quaeres locum eius , et non invenies.

h Mansueti autem haereditabunt terram; et delectabuntur in multitudine pacis.

i Observabit peccator iustum, et stridebit super eum dentibus suis.

k Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies eius.

l Gladium evaginaverunt peccatores : intenderunt arcum suum. Ut decipiant pauperem et inopem : ut trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum : et arcus eorum confringatur.

m Melius est modicum iusto : super divitias peccatorum multas.

n Quoniam brachia peccatorum conterentur : confirmat autem iustos Dominus.

o Novit Dominus dies immaculatorum: et haereditas eorum in aeternum erit.

p Non confundentur in tempore malo , et in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt. Inimici vero Domini , mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

q Mutuabitur peccator , et non solvet ; iustus autem miseretur, et retribuet. Quia benedicentes ei haereditabunt terram , maledicentes autem ei disperibunt.

r Apud Dominum gressus hominis dirigetur , et viam eius volet. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

s Iunior fui , etenim senui : et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Tota die miseretur et commodat: et semen illius in benedictione erit.

t Declina a malo, et fac bonum : et inhabita in saeculum saeculi. Quia Dominus amat iudicium: et non derelinquet sanctos suos, in aeternum conservabuntur.

u Iniusti punientur: et semen impiorum peribit. Iusti autem haereditabunt terram : et inhabitabunt in saeculum saeculi super eam.

x Os iusti meditabitur sapientiam : et lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius.

y Considerat peccator iustum: et quaerit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius; nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

z Expecta Dominum , et custodi viam eius , et exaltabit te, ut haereditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.

et Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat: quaesivi eum, et non est inventus locus eius.

o Custodi innocentiam , et vide aequitatem , quoniam sunt reliquiae homini pacifico. Iniusti autem disperibunt: simul reliquiae impiorum interibunt. Salus autem iustorum a Domino , et protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus , et salvabit eos , quia speraverunt in eo.

## a PSAL. XXXVI.

Supra petivit Psalmista divinum auxilium contra peccatores, et ostendit malitiam eorum ; hic autem docet contemnendam esse eorum felicitatem. Titulus novus. Intentio autem Psalmi huius est ostendere , quod non reputentur prosperitates impiorum. Circa quod Psalmista tria facit. Primo enim praemittit intentionem Psalmi. Secundo ponit rationes in generali, ibi, *Quoniam tamquam*. Tertio explicat in speciali, ibi, *Noli aemulari in eo*. Circa primum duo facit. Primo enim removet a bonis malorum aemulationem. Secundo zelum, *Neque zelaveris*. Dicit ergo, *Noli aemulari*. Hic ponit unum ex parte peccatorum per modum designationis. Et hoc ponit ex parte bonorum per modum prohibitionis , et ponit duo , scilicet , *Noli aemulari* , et *Neque zelaveris*. Peccatores autem designat primo, quantum ad pravam ipsorum intentionem, quia malignantes: malignitas enim pertinet ad cor; unde dicitur malignus quasi malus ignis, quando scilicet aliquis facit ex prava intentione aliquid , illud est malignum consilium. Secundo quantum ad pravitatis executionem; unde dicit, *Facientes iniquitatem ;* sed iusto cuilibet dicit , *Noli aemulari* etc. Secundum Philosophum *in 2. Ethic.* quatuor ad idem genus spectant, scilicet misericordia, invidia, zelus, et nemesis : et haec omnia important tristitiam de eventibus aliorum; sed misericordia et invidia de his quae eveniunt bonis, alia vero duo de his, quae eveniunt malis. Invidia enim est tristitia de prosperitate bonorum; sed misericordia est tristitia de miseria bonorum. Zelus proprie est, quando quis trista-

tur de bono alterius; non ex eo quod ipse bonum habet, sed ex eo quod ipse non habet. Nemesis est tristitia de bonis quae indignis eveniunt. Sed quia loquitur hic de malis, non facit mentionem de duobus primis. Advertendum est autem hic, quod si aliquis indignetur, sive aemuletur de prosperitate malorum, non vituperatur secundum Philosophos, qui tractaverunt de prosperitate civili, in qua possunt aliqua videri magna, secundum se considerata non respicientibus ad aeterna. Si vero ad spiritualia comparentur, cum nullum temporale quantumcumque magnum possit spiritualibus comparari, in talibus aemulatio locum non habet; et ideo non sunt aemulandi mali de huiusmodi bonis sibi provenientibus. Unde theologi attendentes divinam providentiam in his bonis quae indistincte bonis et malis, dignis et indignis proveniunt, non tristantur quando indignis adveniunt. Considerant enim quod iusta Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem; et quod huiusmodi bona sunt quasi nihil in comparatione ad futura quae servantur bonis. Et ideo huiusmodi tristitia prohibetur; unde dicit, *Noli aemulari*, idest indignari, *In malignantibus*, pro eo quod florent: *Prov. 3. Ne aemuleris hominem iniustum* etc. Item *Neque zelaveris facientes iniquitatem*; quasi dicat, Ne tristeris si non habes quae habent illi, quia reservantur tibi meliora: *Eccl. 9. Non zelantes gloriam peccatoris. Non enim scis* etc. *Quoniam tamquam foenum.* Hic ponit rationes in generali. Et primo, quare non est aemulandum. Secundo, quare non zelandum, *Spera in Domino.* Dicit ergo, *Quoniam tanquam foenum*; quasi dicat, Non est aemulandum in malignantibus, quia id parum est, et transitorium. Et ideo dicit, *Tamquam foenum velociter arescent* etc. Ponit enim exemplum de rebus quae florent et fructificant, et cito decidunt: sic est de homine, qui floret, viret, et cito decidit: *Ps. 89. Mane sicut herba transeat* etc. Et hae duo similitudines pro eodem ponuntur ad maiorem. Vel aliter, Duo sunt in homine, quae magna esse videntur. Primum est decor, quando videntur homines vivere in gaudiis: *Sap 2. Nullum sit pratum* etc. Et ideo dicit, *Tamquam foenum.* Vel aliter. Quia decor gaudii cito deficit: *Iob 20. Gaudium hypocritae ad instar puncti: Psal. 1. 28. Fiant foenum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit: Isa. 40. Omnis caro foenum* etc. Secundum est celsitudo saecularis potestatis designata per herbas olerum, quae crescunt, et tamen totum transit. Et ideo dicit, *Tamquam olera.* Vel per foenum intelliguntur maiores, per herbam vero minores. Non ergo indignandum est de bonis eorum. Item non est zelandum facientes iniquitatem, quia tibi promittuntur maiora. Et hoc ostendit cum dicit, *Spera in*

b Et quia prosperitas temporalis in tribus consistit, scilicet in divitiis, voluptatibus, et honoribus: *Io. 2. Omne quod est in mundo* etc. ideo secundum quod etiam prosperitas spiritualis in tribus consistit, tria facit. Primo enim ponuntur divitiae. Secundo voluptates, ibi, *Delectare.* Tertio gloria, ibi, *Educet*, quas promittit Deus sperantibus in se. Circa primum tria facit. Primo ostendit modum acquirendi spirituales divitias. Secundo ubi sunt quaerendae, ibi, *Et inhabita terram.* Tertio promittit illas abundanter, ibi, *Et pasceris.* Circa primum duo facit, secundum quod in acquisitione duo exiguntur. Primo enim proponitur finis. Secundo ponitur conatus ad finem, ibi, *Et fac bonitatem.* Dicit ergo, *Spera in Domino*, idest spera te habiturum bona Domini, idest ipsum Dominum: *Ps. 15. Dominus pars haereditatis meae* etc. *1. Pet. 1. Regeneravit nos in spem vivam et resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem* etc. Et hic est finis intentus, Vel, *Spera in Domino*, idest de Deo, scilicet de auxilio Domini: *Eccl. 2. Qui timetis Deum* etc. Secundo dicit quod conetur ad acquirendum finem bona operando; et ideo subiungit, *Et fac bonitatem*, idest omnia opera virtutum: *Ps. 33. Declina a malo, et fac bonum.* Deinde cum dicit, *Et inhabita terram*, ostendit ubi quaerendae sunt istae divitiae. Hoc non potest intelligi de materiali terra, quia etiam iniusti inhabitant eam, sed exponitur de quadruplici terra, et primo de terra viventium quae est gloriae: *Psal. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium*, quam inhabites per desiderium: *Phil. 3. Nostra conversatio in coelis est.* Item de anima tua: *Luc. 8. Quod autem cecidit in terram bonam* etc. et hanc inhabites semper ad conscientiam revertendo: *Sap. 9. Intrans in domum conquiescam cum illa.* Tertia terra est ecclesia militans: *Ps. 64. Visitasti terram, et inebriasti eam* etc. et hanc inhabites per confessionem fidei, non recedendo ab ecclesia. Quarta terra est propriae carnis: *Gen. 3. Spinas et tribulos germinabit tibi*; et hanc inhabites extirpando vitia, et inserendo virtutes. Consequenter ostendit quod abundanter hae divitiae tribuentur cum dicit, *Et pasceris in divitiis eius.* Vel coelestis patriae, vel ecclesiae, vel iucunditatis, vel abstinentiae carnis. Hieronymus habet, *Peregrinus in terra, et pasceris fide*, idest sis sicut peregrinus non reputando terrena. *Et pasceris fide*, per fidem possidendo invisibilia. Secundum est voluptas spiritualis, quae promittitur cum dicit, *Delectare.*

c Et circa hoc duo facit, secundum quod hic delectationis laetitia consistit in duobus, scilicet in consequendo desiderium, et implendo suum propositum. Secunda est ibi, *Revela.* Dicit ergo de primo, *Delectare* etc. *Prov. 13. Desiderium si compleatur delectat animam.* Si Deo inhaeres, impletur desiderium tuum. Sed quia ad hoc requiritur ut sit iustum desiderium, non enim est Deus actor iniustitiae; ideo primo ponit radicem iusti desiderii, scilicet quod homo delectetur in Deo per amorem; unde ait, *Delectare in Domino*, idest totus amor tuus sit in Deo: *Phil. 4. Gaudete in Domino semper.* In graeco habetur, *Delitiare*; quasi dicat, Non sis contentus de necessariis ad salutem, sed quaere super abundantias exquisitas, sicut deliciosi homines non sunt contenti communibus cibis: *Iob 22. Tunc super omnipotentem deliciis affluet.* Et tunc, *Dabit tibi petitionem cordis*: non dicit carnis, petitiones enim cordis secundum Origenem sunt quae cor desiderat, v. g. secundum eum. Si oculus posset petere, desideraret pulchros colores, auditus autem dulces sonos: sic cordis obiectum, cum sit veritas, et iustitia, haec desiderantur ab eo. *Et haec*, inquit, *dabit tibi: Matt.*

*5. Petite et dabitur vobis.* Vel, *Cordis*, ait, idest quando erunt cordis, Deus exaudiet antequam clamet: *Isa. 65. Antequam clament, ego exaudiam.* De secundo dicit, *Revela* etc. Cum enim impletur propositum alicuius, tunc gaudet. Ad quod implendum duo sunt praenecessaria. Primo, quod recurrat ad Deum. Secundo quod fiduciam habeat de eo: et sic tertio impletur. Dicit ergo, *Revela Domino viam tuam*, scilicet propositum tuum, quantum ad primum. Sed non nescit Deus, qui scit cogitationes hominum? Psalmista loquitur per similitudiuem, *Revela Domino*, idest recurre ad ipsum pro impletione tui propositi, et hoc in oratione: *Ps. 418. Vias meas annuntiavi tibi* etc. Quodlibet enim negotium debet incipere ab oratione, sicut etiam Plato dicit, et Scipio faciebat. Sed petitioni tuae addas spem; et ideo dicit, *Spera in eo*, quantum ad secundum, Et sic tertio implebitur petitio tua. Et hoc est quod subdit, *Et ipse faciet*, idest implebit vias tuas. Vel aliter, *Revela Domino viam tuam*, idest peccata tua: *Iob 13. Vias meas in conspectu eius arguam, et ipse erit salvator meus.* Et ideo bene dicit, *Spera in eo*, scilicet veniam peccatorum, *Et ipse faciet*, idest remittet tibi peccata tua. Tertium quod promittit est gloria, cum dicit, *Et.*

d Ubi primo promittit gloriam. Secundo ostendit quomodo perveniatur ad illam, ibi, *Subditus esto Domino.* Circa primum duo facit. Primo enim promittit gloriam quam consequitur. Secundo ostendit modum consecutionis, ibi, *Et iudicium.* Dicit ergo, *Et educet* etc. Sancti suam iustitiam occultant: *Matt. 1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Sed nihil occultum est quod non reveletur, *Luc. 12.* Unde Deus revelat vel hic, vel in futuro; et ideo dicit, *Educet*, idest extra ducet: *Iob 22. Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem.* Secundum Origenem simile est, sicut si aliquis habens fidelem servum quem manumittere intendit, gloriatur in eo: *Isa. 49. Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Et hoc erit in iudicio: unde sequitur, *Et iudicium tuum tanquam meridiem*, idest iudicium quo iudicaberis non habebit tenebras. Duo autem requiruntur volenti pervenire ad gloriam quae promittitur. Primum est humilitas: *Iob 22 Qui humiliatus fuerit, erit in gloria:* unde dicit, *Subditus esto Domino*: *2. Mach. 9. Iustum est subditum esse Domino et mortalem* etc. Secundum est oratio per quam perveniet ad Deum, qui est gloria nostrae beatitudinis; et ideo subdit, *Et ora eum: Iac. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua. Noli aemulari*

e Supra posuit duas rationes quare non est aemulandum, neque zelandum super peccatores: et erat una ex parte peccatorum quorum felicitas brevis esset; alia vero ex parte bonorum: quia meliora sunt eis promissa; hic autem explicat in spirituali. Et primo quid sit circa primum. Secundo quid circa excellentiam iustorum; tamen utrumque mixtum, ibi, *Melius est modicum.* Circa primum duo facit. Primo reiterat sententiam, et exponit cuius rationem assignare intendit. Secundo assignat rationem, ibi, *Desine ab ira.* Dicit ergo, *Noli aemulari in eo.* Hic repetit scientiam quam supra posuit, et exponit quod dixerat, *Noli aemulari in malignantibus.* Posset autem quis quaerere quid in eis prohibet aemulandum. Dico quod temporalis prosperitas est illa: et ideo dicit, *Noli aemulari*, idest indignari, *In eo qui prosperatur in via sua* etc. Quod potest intelligi coniunctim sic, *Noli aemulari* etc. quasi dicat, Qui facit iniustitiam, prosperatur, de quo etiam iusti aemulantur: *Ps. 7. Zelavi super iniquos* etc. Item potest legi divisim: et sic sunt duae rationes quare indignetur contra eos. Una, quia omnia eis ad votum succedunt; et ideo dicit, *In eo qui prosperatur*, idest si vides eos prosperari: *Prov. 1. Prosperitas stultorum perdet eos.* Item si vides quod invalescant super iustos, noli indignari. Sic dicebat *Baruch 4. Animaequior esto populus Dei, memorabilis Israel. Nocentes peribunt qui te vexaverunt; et qui gratulati sunt in sua ruina, punientur.* Et ideo dicit, *Et in homine faciente iniustitias.* Deinde cum dicit, *Desine*

f Assignat rationem praedictae admonitionis, et hanc duplicem. Unam ex parte cui fit monitio: aliam ex parte peccatorum, ibi, *Adhuc pusillum.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit periculum praesens, si non acquiescat monitioni. Secundo periculum futurum, ibi, *Noli aemulari ut maligneris.* Ubi primo ponit periculum culpae. Secundo poenae, ibi, *Quoniam qui malignantur.* Circa periculum poenae duo facit. Primo enim ponit delinquentium poenam. Secundo praemium sustinentium, ibi, *Sustinentes autem Dominum.* Dicit ergo, *Desine ab ira*, Ecce praesens periculum, quia indignatio est ira, et ipsa ira est mala: *Eph. 4. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, tollatur a vobis cum omni malitia.* Et ideo dicit, *Desine ab ira: Iac. 1. Ira viri iustitiam Dei non operatur. Et derelinque furorem.* Ira et furor idem sunt; sed differunt secundum magis et minus: quia furor nihil aliud est quam ira accensa: *Prov. 27. Impetum concitati spiritus ferre quis poterit.* Ergo, *Desine ab ira*, in corde, *et derelinque furorem*, in opere. *Noli aemulari ut maligneris.* Ecce futurum periculum culpae. Quando enim aliquis indignatur propter prosperitatem aliorum, declinat aliquando a iustitia; et ideo dicit, *Noli aemulari ut maligneris*, idest ne forte inducat te in iniustitiam: *Mala. 3. Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius? Quoniam qui malignantur.* Ecce periculum poenae futurum. Nota, quod omnes peccatores malignantur: quando enim peccat quis vel ex infirmitate, vel ex ignorantia, non malignatur; sed quando ex electione peccat, tunc malignatur. Primi de facili corriguntur, sed tertii difficile: *Eccl. 1. Perversi difficile corriguntur.* Et ideo dicit, *Exterminabuntur*, idest extra fines ponentur, scilicet iustitiae, et boni: *Iob 18. Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet eum: sic exterminabuntur qui malignantur:* sed, *Sustinentes Dominum*, idest qui non sic indignantur ut malignentur, sed expectant in futurum, *Ipsi haereditabunt terram*, scilicet viventium: possidebunt enim eam haereditario iure, sicut haeredes: *Rom. 8. Si autem filii et haeredes.* Illa autem caelestis patria dicitur terra, propter stabilitatem: *Eccl. 1. Terra in aeternum stat.* Et, ut dicit Augustinus, sicut terra nostra se habet ad caelum, ita superior

vita beatorum se habet ad caelum superius, scilicet ad Deum, a quo illuminatur, et fecundatur: *Apoc. 23. Claritas Dei illuminabit eam.* Deinde cum dicit, *Et*

g Assignat rationem ex parte malorum: et circa hoc duo facit. Dixerat enim, *Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.* Primo ergo rationem assignat, quod non est aemulandum eorum prosperitati. Secundo, quod non eorum iniustitiae, ibi, *Observabit peccator.* Circa primum duo facit. Proponit enim primo periculum imminens malis. Secundo fructum iustorum, ibi, *Mansueti:* quia oppositum per opposita melius innotescit. Circa primum duo facit. Primo enim denunciat destructionem eorum, quantum ad seipsos. Secundo quantum ad locum ipsorum, ibi, *Et quaeres.* Dicit quantum ad seipsos, *Adhuc pusillum, et non erit peccator.*

Si non erit; ergo non patietur poenas aeternas.

Respondeo. Non erit in gloria in qua nunc est, sed in inferno: *Iob 7. Qui descendit ad inferos non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque eum cognoscet amplius locus eius, quoniam est pusillum.* Contingit quidem quod peccatores deiiciuntur in brevi: *Eccl. 10. Omnis potentatus vita brevis.* Sed si etiam toto tempore vitae suae sint in prosperitate, adhuc illud tempus comparatum aeternitati nihil est et pusillum: *Adhuc unum modicum est, et ego movebo coelum et terram.* Quantum ad locum vero dicit, *Et quaeres locum eius, et non invenies.* Tripliciter exponitur hic locus. Primo namque locus, idest opportunitas. Dicitur enim de aliquo quando habet; posset alicubi habere opportunitatem. Peccator autem habet locum in isto mundo: quia est opportunus ad minus ad exercitium iustorum. Sed quando hoc exercitium cessabit, tunc non habebit locum; et ideo tolletur a iustis. Secundo, quia aliquando non desinit aliquis peccare, et tamen remanet locus eius. Sed finaliter etiam locus eius non remanebit, nec invenietur. Ubi modo rex Assyriorum? Ubi Nero? Et finaliter omnia regna mundi evacuabuntur: *1. Cor. 15. Demum finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Tertio, secundum Origenem, locus peccatoris est illud in quo quiescit, ubi sunt temporalia et terrena. Ergo locus eius est iste mundus. Sed hic transibit: *Luc. 21. Caelum et terra transibunt* etc. Et ideo si in eis ponimus locum nostrum, non transibunt. Deinde cum dicit, *Mansueti*

h Ponit fructum iustorum. Hic autem est duplex. Unde primo ponit fructum divitiarum. Secundo voluptatum, ibi, *Et delectabuntur.* Hoc enim homines in isto mundo desiderant, et utrumque promittit iustis. Dicit ergo, *Mansueti* etc. Per mansuetos signat iustos: illi enim sunt iusti, qui possident cor suum in puritate. Et quia nihil ita trahit hominem extra se, sicut ira, et mansuetudo temperat eam, ideo vocat iustos mansuetos. Hieronymus dicit, *Mites: Mar. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, idest dabitur eis in possessionem terra viventium. Augustinus contra Valentinum dicit, quod Christus nihil accepit de veteri testamento quantum ad promissiones, quod patet *Matth. 5.* In veteri autem testamento promittebantur temporalia et terrena. Ad literam. Mansueti autem inhabitant terram istam, quia illi infestantur qui alios infestant. Sed mansueti nullos infestant. Non debent ergo ab aliis merito infestari. Sed tamen specialiter haereditabunt illam terram viventium, sicut iam dictum est. Secundo ponuntur eorum deliciae, cum dicit, *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Haec enim pax est valde delectabilis. Dicit autem, *In multitudine*, quia ibi est multiplex pax; hic vero sunt bella. Quoddam est enim ad homines; sed hoc non erit ibi, quia omnes erunt in unum pacifici: *Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* etc. Item hic est bellum contra carnem, quae concupiscit adversus spiritum: *Gal. 5. Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversum carnem:* haec enim sibi invicem adversantur etc. sed tunc habebunt pacem ad invicem: *Iob 5. Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Item voluntas contra se est diversa per diversa desideria; tunc autem non erit divisa, sed unita in Domino: *Psal. In pace factus est locus eius.* Item hic est bellum ad Deum propter peccata: *Isa. 59. Peccata sive iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum;* sed illi omnes habebunt pacem cum illo: *Iob 22. Acquiesce ei, et habeto pacem cum eo* etc. *Observabit*

i Supra posuit unam rationem, quare non debent viri Dei indignari super peccatorem, quia scilicet eius prosperitas non est stabilis; hic ponit aliam, quia scilicet peccatores non possunt nocere iustis: et circa hoc duo facit. Primo enim proponit eorum malignitatem, quam in corde cogitant contra iustos. Secundo eorum conatum exteriorem, ibi, *Gladium evaginaverunt.* Circa primum duo facit, secundum quod interior eorum malitia est duplex. Primo enim ostendit quod mali insidiantur bonis. Secundo, quod turbantur eos, ibi, *Et stridebit.* Dicit ergo, *Observabit peccator iustum*, si aliquod forte possit habere contra eum: *Luc. 24. Ipsi autem observabant eum.* Sic peccatores observant bonos insidiando eis, et sancta eorum studia pervertendo. Ecclesiae enim bona in mala convertentes insidiantur etc. Sed contra hoc dicitur *Prov. 24. Ne insidieris, et quaeras impietatem in domo iusti* etc. Secundo turbantur contra iustum. Dicunt enim *Sap. 2. Quoniam dissimilis est aliis vita illius* etc. Unde, *Stridebit super eum dentibus suis*, scilicet commovebuntur ad iram. Loquitur ad modum aprorum: *Ps. 101. Peccator videbit, et irascetur: Act. 7. Stridebant dentibus in eum.* Deinde eum dicit, *Dominus autem*

k Ostendit, quod haec eorum malitia non habet effectum intentum, quia irridentur a Deo: et circa hoc duo facit. Primo enim ponit irrisionem. Secundo eius rationem, ibi, *Quoniam prospicit.* Dicit ergo, *Dominus irridebit eum*, idest facit eum, vel considerat irrisibilem. Et ratio est, quia Dominus vidit eum attentare magna, et tamen scit quod statim debet mori; et ideo subdit, *Quoniam prospicit quod veniet dies eius*, scilicet in promptu; et hoc est ei debitus dies, scilicet condemnationis: *Iob 21. In diem perditionis servatur malus, ad diem furoris ducetur.* De hac die dicit hic. Non ergo turbari debetis contra eos. dicit Psalmista, quia non possunt praeva-

lere contra eos. Consequenter cum dicit, *Gladium*

l Addit de conatu malorum exteriori: et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit eorum conatum. Secundo finem intentum, ibi, *Ut decipiat.* Tertio conatus huius eventum, ibi, *Gladius eorum.* Circa primum duo facit, secundum quod est duplex conatus eorum contra bonos. Primo enim ostendit conatum eorum per apertam persecutionem. Secundo per fraudulentam calumniam, ibi, *Intenderunt arcum.* Dicit ergo quantum ad primum, *Gladium evaginaverunt peccatores.* Per gladium intelligitur omnis aperta facti persecutio: *Luc. 22. Si percutimus in gladio?* Persecutio etiam verbi dicitur gladius, *Lingua eorum gladius acutus.* Et hic gladius est gladius diaboli, qui per linguam hominis multos interficit. Hic autem gladius est in vagina, quandiu est in corde; sed quando profertur, est sicut iam evaginatus. Cavendum est ergo primum ut non habeamus eum. Secundo, et si haberet, non evaginemus eum. Quia si tenetur in vagina, primo contrahit rubiginem, tandem tamen consumitur, et tepescit odium et voluntas iniuriandi. Quantum ad secundum dicit, *Intenderunt arcum suum.* Arcus a longinquo percutit, et non videtur trahens cum eo, sicut ut percutiens cum gladio, et ideo arcus signat persecutionem dolosam. Consequenter ostendit quid intendunt, cum dicit, *Ut decipiat.* Circa quod duo facit, secundum quod duo intendunt. Primo enim intendunt decipere. Secundo occidere, ibi, *Ut trucident.* Dicit ergo, *Ut decipiant* etc. Decipere est per actum dolosum: *Iob 12. Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur.* Sed, *Pauperem et inopem.* Pauper est qui parum habet: inops est qui eget ope. Vel secundum glossam. Pauper est qui sibi non sufficit; inops vero, qui non sustentatur alterius ope. Et hoc dicit, quia tales non habent subvenientem. Occisio designatur per gladium, vel corporaliter, vel spiritualiter: *Hebr. 11. In occisione gladii mortui sunt.* Eventus autem conatus eorum est, quia revertetur in caput suum. Et primo ostendit quantum ad gladium dicens, *Gladius eorum* etc. Tu eximis gladium contra alium, et forte non percutis eum, quia forte ei nocere non potes; tamen ex ipso spiritualiter tu es percussus: *Prov. 1. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur* etc. Secundo quantum ad arcum; unde dicit, *Et arcus eorum confringatur: Ps. 75. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* Hoc autem erit quando destruetur dolositas eorum ne implere possint quod caeperunt: *Iob 5. Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint* etc. *Melius*

m Supra Psalmista assignavit rationem quare non debemus aemulari malos et prosperitatem eorum, ex deiectione eorum sumpta; hic autem assignat sumptam ex partem iustorum. Et primo ostendit dignitatem iustorum. Secundo subiungit monitionem ad sectandam iustitiam, ibi, *Expectat.* Circa primum duo facit. Primo proponit intentum. Secundo manifestat propositum, ibi, *Quoniam brachia.* Dicit ergo, *Melius est modicum* etc. Intentio eius est probare quod bona iustorum praeeminent bonis peccatorum. Et sic minus habentes non aemulantur plus habentes; unde dicit, *Melius* etc. quasi dicat, Contingit iustum parum habere et peccatorem satis.

Sed quid melius? Respondet, quod parum iusti: *Prov. 16. Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate.*

Cuius ratio est, quia quae rationem boni habent, ex hoc solum habent, quod utilia sunt ad finem, non propter aliud: intantum enim bona sunt, inquantum utilia; postquam autem incipiunt esse nociva, non sunt bona: sicut est de medicina, si plus quam ad sanitatem sit necessaria, accipias, iam non est bona. Res autem mundi bonae sunt, inquantum instrumentaliter deserviunt ad virtutem. Quando ergo habes tantum de eis, quod sufficiunt ad virtutem, bonae sunt; si autem a virtute abducuntur, sunt malae: et ideo melius est parum habere de eis cum iustitia, quia hoc est bonum, quam multum cum iniustitia, quia hoc est malum. Et hoc etiam intelligendum est de omnibus aliis divitiis spiritualibus, scilicet parum de sapientia cum iustitia, et sic de aliis. Deinde cum dicit, *Quoniam*

n Probat quod melius est. Cuius triplex est ratio. Primo ex parte diuturnitatis. Secundo utilitatis, ibi, *Mutuabitur.* Tertio virtutis, ibi, *Os iusti.* Circa primum duo facit. Primo enim proponit contritionem malorum. Secundo firmitatem bonorum. Dicit ergo, *Quoniam brachia* etc. quasi dicat, Ideo bona iustorum pauca sunt meliora quam impiorum multa, quia sunt stabilia, illa vero non. Et hoc est quod dicit, *Quoniam brachia.* Nomina membrorum corporalium designant virtutes, seu actus eorum membrorum. Nomine ergo brachii designatur virtus hominis operativa: unde, *Brachia peccatorum conterentur*, idest virtus operativa ipsorum destruetur: *Iob 38. Brachium excelsum confringetur.* Sed hoc brachium conteritur quandoque a Deo, quandoque a diabolo, quandoque simul ab utroque. A Deo conteritur, quando intendit nocere iustis, et impeditur in suo proposito: *Iob 5. Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod ceperant.* A diabolo vero, quando homo proponit facere bonum, et impeditur a satana: *Thes. 2. Voluimus venire ad vos, sed impedivit nos satanas:* sicut cum quis proponit facere eleemosynam, et retrahitur a cupiditate. Ab utroque autem simul, a Deo quidem per auctoritatem ad probandum, a diabolo vero per executionem: *Iob 1.* et *2. cap.* Secundo cum subdit, *Confirmat autem* etc. ostendit quod iusti sunt diuturni, et firmi, et stabiles. Dicit ergo, *Confirmat autem iustos Dominus.* Licet iustitia sit virtus et firmitas animi, tamen non inest homini a seipso: unde *1. Cor. 1. Non glorietur omnis caro in conspectu eius; ex ipso autem vos estis in Christo Iesu* etc. *Usque in Domino glorietur.* Homo enim in se factus est infirmus: *Ps. 6. Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum.* Et ideo indiget confortari ab aliquo, maxime a Deo, a quo quidem confirmatur, quandoque in temporalibus, inquantum expedit iusto ad salutem; sed in spiritualibus semper, et hoc interiori gratia. Item bonis verbis. Item bonis exemplis. De primo *Rom. 1. Gratiae spiritualis ad confirmandos vos: 2. The. 2. In gratia exhortetur corda vestra, et confirmet* etc. *Ps. 50. Spiritu principali confirma me.* De secundo *Psal. 118. Confirma me in verbis tuis: Act. 15. Verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt eos.* De secundo *Luc. 22. Conversus confirma fratres tuos: 1. Pet.*

*2. Christus passus est pro nobis* etc. *Et 4. Christo igitur in carne passo* etc. Unde *in 5. Ipse perficiet confirmabit* etc. Confirmatur per exemplum crucis de qua dicitur. Crux enim finita est in poena, sed manet in gloria : a locis enim suppliciorum transit ad frontes imperatorum. Qui tamen dedit honorem suis poenis, quid faciet fidelibus suis? Consequenter cum dicit *Norit*

o Manifestat propositum. Et primo dicit de stabilitate iustorum. Secundo de contritione iniustorum, ibi, *Quia peccatores.* Iusti autem dupliciter confirmantur a Deo: quia primo bona eorum stabiliuntur; secundo a malis curantur, ibi, *Non confundentur.* Sed duplex est bonum, scilicet bonum viae, et bonum finis : et in utroque iusti stabiliuntur. Quantum ad primum dicit, *Novit Dominus.* Quantum ad secundum dicit, *Et haereditas.* Dicit ergo, *Novit Dominus: Heb. 4. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* Sed praecipue quod sibi affinis et familiaris fuerit: *1. Tim. 2. Novit Dominus qui sunt eius;* et eos quos approbat: et sic dicitur hic, *Novit Dominus*, idest approbat, *Dies immaculatorum.* Sed *Iob 15.* dicitur : *Quis est homo ut immaculatus sit, et ut iustus* etc. Respondeo. Dicendum, quod verum est quod ex se nullus est immaculatus, si macula intelligatur peccatum mortale ; sed tamen per gratiam, sic. Si vero macula intelligatur originale peccatum, sic nullus est immaculatus. Dies isti tripliciter possunt intelligi. Quia primo dies praesentis vitae; et licet sint communes bonis et malis, tamen boni eis bene utuntur: *Gen. 25. Mortuus est in senectute bona provectaeque aetatis et plenus dierum.* Impii autem male utuntur eis: *Psal. 54. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et quia dies iustorum sunt pleni, et ideo approbati, illorum vero dimidiati, et ideo non approbantur. Item et isti sunt mali et pauci, tamen Deus novit eos. Alii opera virtutum : *Rom. 13. Sicut in die honeste ambulemus*: et iustitiae : et isti sunt dies iustorum, sed soli Deo noti : *Isa. 64. Oculus non vidit absque te, quae praeparasti expectantibus te.* Bonum vero finis ostendit, cum dicit, *Et haereditas eorum in aeternum erit.* Istud dicitur haereditas in quo est stabilimentum et finis alicuius. Iusti finem suum habent in re aeterna : *Psal. 15. Dominus pars haereditatis meae: Thren. 3. Pars mea.* Et ideo non potest eorum haereditas deficere. Impii autem ponunt finem suum in mundanis: *Sap. 2. Haec est pars nostra* etc. et ideo non manet. Et de istis dicitur *1. Pet. 1. In haereditatem conservatam in caelis.* Deinde cum dicit, *Non confundentur*

p Ostendit quomodo iusti tueantur contra mala. Et hoc dupliciter : quoddam enim est malum, quod bono est contrarium ; et quoddam est malum per defectum boni, ibi, *Et in diebus famis.* Dicit ergo quantum ad primum, *Non confundentur in tempore malo*, idest in tempore adversitatis : *Amos 5. Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Est enim tempus malum dupliciter : vel de praesenti, et hoc est tempus adversitatis quod est malum ; unde *Non confundentur in tempore malo*, idest in tempore adversitatis. Mali enim in tempore adversitatis confunduntur, non boni : tunc nempe confunditur quis, quando perdit in quo sperat; sed quando id manet in quo sperat, non confunditur. In adversitate autem perduntur temporalia, in quibus boni non sperant : et ideo non confunduntur tempore adversitatis. Vel de futuro in die iudicii: et in eo impii confundentur per erubescentiam de peccatis: *Ps. 5. Confundantur, et erubescant valde velociter.* Iusti autem honorabuntur: *Ro. 2. His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem* etc. Quantum ad secundum malum, quod est per defectum boni subiungit, *Et in diebus famis saturabuntur.* Hoc tripliciter exponitur. Ad literam enim hoc potest exponi de fame temporali : nam aliquando Deus providit quod fames esset apud infideles, apud fideles vero abundantia, quia fideles sibi invicem communicabant quae habere poterant. Aliquando etiam providetur a Deo fidelibus ne egeant: *Iob 5. In vastitate et fame ridebis*, sic et Helias satiatur tempore famis, *3. Reg. 17.* Ad probationem tamen nostram aliquando famis necessitas servos Dei praeoccupasse probatur. Unde Apostolus ait de seipso *1. Cor. 11. In fame, et siti* etc. Vel quia servi Dei modico contenti saturantur : *Phil. ult. Scio et humiliari, scio et abundare: ubique et in omnibus instituus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati.* Impii autem multa volunt, et multa quaerunt; et ideo in diebus famis non saturabuntur. Exponas etiam de fame verbi Dei. Et his diebus hoc saturantur iusti: *Matt. 5. Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Vel tertio exponitur de fame, quae erit in futura vita, ubi iusti saturabuntur, et iniusti esurient : *Isa. 65. Servi mei comedent, et vos esurietis.* Origenes in glossa. *Exo. 16. Qui non colligebat manna in die sexto, esuriebat in die septimo.* Nunc est dies sextus: et ideo qui non colligit nunc, esuriet tunc ibi. Consequenter cum dicit, *Quoniam peccatores peribunt*, ostendit quomodo conterentur brachia peccatorum. Et ponit tria. Primo casum impiorum. Secundo ordinem cadendi, ibi, *Inimici.* Tertio modum, ibi, *Quemadmodum fumus.* Dicit ergo, *Quia peccatores peribunt;* quasi dicat, Ideo iusti conservantur, quia perditio debetur solis peccatoribus, sed salus iustis: *Iob 58. Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.* Ordo cadendi est, quia tolluntur in altum, ut fortius cadant: *Iob 30. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Et ideo dicit, *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati: Ps. 72. Deiecisti eos dum alleviarentur.* Sed modus est sicut fumus, quia si dispergitur non reparatur. Et hoc est quod ait, *Deficientes quemadmodum fumus deficient : Iac. 4. Quae est vita vestra? vapor est ad modicum parens. Mutuabitur peccator*

q Supra ostendit, quod pauca iustorum bona praeponderant multis malorum bonis ratione stabilitatis; hic autem ostendit idem ratione utilitatis. Et primo ostendit quod bona iustorum sunt fructuosa, sed malorum e converso. Secundo ostendit hoc experimento, ibi, *Iunior fui.* Tertio concludit principale intentum, ibi, *Declina.* Circa primum duo facit, secundum quod duplex fructus provenit homini: unus enim est ex bonis possessis, alius ex operibus quae fecit. Unde primo ostendit quod fructuosi sunt boni, quantum ad primum. Secundo, quantum ad secundum, ibi, *Apud Dominum.* Circa primum duo facit. Primo enim prae-

mittit fructuositatem bonorum, et contrarium malorum. Secundo assignat rationem, ibi, *Benedicentes.* Circa primum duo facit. Primo ostendit infructuositatem malorum. Secundo fructuositatem bonorum, ibi, *Iniusti autem.* Dicit ergo, *Mutuabitur peccator.* Legatur primo, secundum superficiem literae. Duplex signum est quod aliquis deficiat in temporalibus. Unum, quando indiget mutuum accipere: *Deut. 28. Ipse foenerabitur tibi, et tu non foeneraberis ei.* Et ideo dicit, *Mutuabitur peccator,* idest mutuum accipiet. Aliud signum est, quando quis mutuum consumpsit, et reddere non potest: unde dicit, *Et non solvet: Eccl. 29. Solidi vix reddet dimidium:* et e converso. Unum signum abundantiae est, quod habeat, unde gratis det: unde dicit, *Iustus autem miseretur*, idest per misericordiam gratis subvenit indigentibus: *Iob 31. Ab infantia crevit mecum miseratio* etc. Aliud est signum, quando homo est promptus reddere quod debet; unde dicit, *Et retribuet*, scilicet debitum: *Rom. 13. Reddite omnibus debita.* Sed quid est hoc quod dicit? Numquid iusti semper abundant terrenis, et mali non? immo videtur contrarium: *Iac. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* Sed Deus secundum istam expositionem loquitur secundum statum veteris testamenti, in quo servantibus legem promittuntur temporalia bona, transgredientibus vero mala, ut saltem per temporalia traherentur ad spiritualia. Tamen in illis bonis signantur promissa quaedam spiritualia: et ideo oportet exponere etiam quantum ad illos, qui in veteri testamento pertinebant ad novum testamentum. Oportet ergo hoc altius exponere, *Mutuabitur* etc. Et potest referri ad duplex mutuum. Homo enim aliquid a Deo mutuatur, et aliquid a ministro Dei, scilicet homine. Dicitur autem peccator homo quicumque. Dicit ergo, *Mutuabitur*, scilicet a Deo, quia, *Quid habes quod non accepisti? 1.Cor. 4.* Et hoc est quasi mutuum: quia ad hoc dat nobis Deus quaecumque bona, ut ex eis crescamus in his, quae ad honorem Dei sunt: *Luc. 19. Et ego veniens cum usuris utique exegissem illam.* Et sic retribuimus ei per gratiarum actionem. Sed Deus peccatori dedit bona naturalia; temporalia vero aliquando largitur et spiritualia, sed peccator non solvit per spiritualem profectum et gratiarum actionem: *Isa. 1. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* A ministro enim Dei accipit homo mutuum. Praelati namque et doctores sunt quidam campsores. Item *Luc. 19. Vocatis decem servis dedit eis decem mnas, et ait ad illos, Negotiamini dum venio.* Ergo sunt negotiatores. Doctor ergo dat populo doctrinam, quasi pecuniam: *Ps. 11. Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* etc. Sed dat verba Domini, non sua. Boni autem retribuunt, quia faciunt quod audiunt, sed mali non, quia non implent obediendo: *Eccl. 33. Audient verba tua, et non facient ea.* Iustus autem quod accepit a Deo, quicquid sit illud et quocumque modo, expendit in alios: *1. Pet. 4. Unusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes:* et sic miserebitur. Item regratiatur Deo, et sic retribuet: *Ps. 115. Quid retribuam Domino* etc. Ratio assignatur, *Quia benedicentes.* Hic sunt tres sensus secundum glossam. *Benedicentes ei*, scilicet Deo in omnibus gratias agentes et iussa sequentes, *Haereditabunt terram*, scilicet viventium: *Gal. ult. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam aeternam.* Vel secundum literam, *Haereditabunt terram*, idest terram promissionis. Et loquitur populo carnali: *Isa. 1. Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis.* E contrario qui maledicunt Deo, scilicet non solum verbo, sed facto, vel occasionaliter, disperibunt: *Ps. 1. Iter impiorum peribit.* Origenes exponit aliter, *Benedicentes ei*, scilicet iusto, *Benedicentur.* Quicquid enim fit iusto, Deus accipit sibi factum: *Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit.* Et *Mat. 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Haereditabunt terram*, iusto debitam: *Matt. 10. Qui recipiunt iustum in nomine iusti* etc. *Maledicentes autem ei*, scilicet iusto, *disperibunt: Gen. 27. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Sed Hieronymus habet aliter, *Peccator deficiet, et non solvet, sed iustus miseretur, et retribuet.* Qui benedicti a Deo, haereditabunt terram: *Prov. 10. Benedictio Domini divites facit.* Iniusti vero qui maledicti sunt a Deo, idest puniti, disperibunt; et ideo sunt steriles: *Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo.* Deinde cum dicit, *Apud*

r Ostendit bonorum fructuositatem quantum ad opera. In operibus autem duo ostenduntur. Et primo eorum prosperitas. Secundo reparatio, ibi, *Cum ceciderit.* Sed quia prosperitas est ex electione Dei, primo ostenditur quod est ex parte Dei diligentis. Secundo, quod est ex parte hominis dilecti, ibi, *Et viam eius volet.* Dicit ergo, *Apud Dominum gressus hominis dirigetur*, idest a Deo processus hominis dirigetur quod homo directe intendat in finem ultimum. Hoc enim non est homini a se: *Hier. 10. Non est hominis via eius, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos;* sed est a Deo: *Prov. 16. Hominis est animum praeparare, et Domini gubernare linguam: omnes viae hominum patent oculis eius: Ps. 17. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Dirigit autem Deus gressus hominis in via veritatis cognoscendae, ut non labatur in errorem: *Ps. 26. Dirige me in veritate tua, et doce me* etc. Item in via iustitiae ut declinet a malo et faciat bonum: *Ps. 26. Dirige me in semitam rectam* etc. Quantum ad secundum dicit, *Et viam eius volet.* Hoc dupliciter potest intelligi, ut dicatur primo. Et homo directus a Deo volet viam eius, scilicet Dei; quasi dicat, Deus sic dirigit hominem quod non cogit eum, sed facit eum et eligere bonum, et id quod est Dei: *Phil. 2. Qui operatur in nobis et velle et perficere.* Vel aliter, *Et Dominus volet*, idest acceptabit et remunerabit viam eius, idest bona opera nostra: *Prov. 4. Quae a dextris sunt novit Dominus.* Consequenter cum dicit, *Cum ceciderit*, ostendit bonorum in operibus infructuositatem, quantum ad eorum reparationem: et circa hoc duo facit. Primo enim ponit ipsam reparationem. Secundo ipsius causam assignat et rationem, ibi, *Quia Dominus supponit manum suam.* Dicit ergo, *Cum ceciderit.* Directio viatoris sic est, ut aliquando cadat, sed comprehensoris est non cadere. Viator tamen etsi forte ceciderit, Deus reparat cum: et hoc est quod dicit, *Non collidetur.* Hoc autem potest intelligi de secundo casu, scilicet temporalis adversitatis: *2. Reg. 1. Quomodo ceciderunt fortes, nolite annunciare in Geth* etc. Et sic iustus si

cadit, non collidetur, quia patienter sustinet: *Iac. 1. Patientia opus perfectum habet* etc. Sed peccator dum cadit colliditur, quia impatiens est. Vel de casu venialis peccati, quia nullus est qui tale peccatum non committat aliquando: *Iac. 2. In multis offendimus omnes.* Et sic sensus est. Si ceciderit hoc casu, non collidetur, ut mortaliter peccet; unde dicitur *Prov. 24. Septies in die cadit iustus, et resurgit.* Quod si referatur ad casum peccati mortalis, quo aliquando iustus cadit, ut David per adulterium, et homicidium, et sicut Petrus negando Christum, sic peccatores casu colliduntur, dum desperati nolunt ad poenitentiam redire. Unde *Eph. 4. Desperantes semetipsos tradiderunt* etc. *2. Cor. 12. Lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam* etc. sed iustus non colliditur per desperationem, sed redit ad poenitentiam: unde David dicit, *Peccavi Domino*: et dictum est ei *2. Reg. 12. Dominus transtulit peccatum tuum.* Item *Petrus flevit amare, Matth. 26. Mich. 7. Non laeteris inimica mea, quia cecidi, consurgam.* Ratio autem quod non colliditur, est, *Quia Dominus supponit manum suam*, scilicet gratiae confortantis eum: *Ezec. 13. Manus Domini erat mecum confortans me*: *Ps. 138. Et tenebit me dextera tua.* Deinde cum dicit, *Iunior fui*

s Ostendit experimento quod bona iustorum sunt fructuosa, sed non malorum. Et ponit illud diuturnum de duobus. Primo de immunitate bonorum a malis. Secundo de profectu eorum in bono, ibi, *Tota die.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit immunitatem a malo, quantum ad ipsum iustum. Secundo quantum ad semen eius, ibi, *Nec semen eius.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit diuturnitatem experimenti. Secundo ipsum experimentum, ibi, *Non vidi.* Dicit ergo, *Iunior fui.* Ac si diceret ei aliquis: Unde habes haec omnia, quae dicis de bonis iustorum etc Respondet, quia ab experimento, *Iunior fui* etc. Hoc dupliciter potest exponi. Primo de aetate corporali secundum quod homo primo floret in iuventute, et postea senex fit: *Ps. 89. Mane floreat, et transeat.* Sed contra hoc dicit Augustinus, *Tu David semper fuisti in terra tua, et si in illa non fuit iustus derelictus, non tamen est mirum si alibi est derelictus.* Et ideo vult Augustinus quod loquatur in persona ecclesiae. Et haec habet aetatem pueritiae in Abel, iuventutis in patriarchis, senectutis in apostolis, senectam in fine mundi. Praemittit duas medias aetates, et ponit extremas: et sic fuit a principio mundi, et erit usque ad finem. Et haec distinctio ponitur *Gal. 44.* Vel potest inlelligi de spiritualitate: quia quamdiu homo delectatur in puerilibus et vanis, sic est puer mente; sed quando delectatur in maturis, fit senex. Et haec distinctio ponitur *1. Cor. 13. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus* etc. *Cum autem factus sum* etc. Et ideo dicit, Sive in statu puerili, sive in statu senectutis hoc iudicavi, quod scilicet ipse iustus sit immunis a malis, et quantum ad se, et quantum ad semen eius. Ideo ostendit dicens, *Non vidi iustum derelictum*, quantum ad se. Si hoc referatur ad bona temporalia, non videtur hoc verum, quia de iustis dicitur *Hebr. 11. Egentes, angustiati* etc. Respondeo. Dicendum, quod licet subtrahantur eis bona temporalia, non tamen deseruntur a Deo, quia totum hoc cedit in bonum eorum, vel pro bonis, vel ut tollatur causa alicuius mali, ut dicit Augustinus: *Matth. 5. Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia*, scilicet spiritualia, *adiicientur vobis.* Verum est, sed si Deus videt expedire ad nostram salutem. Quantum ad semen eius dicit: *Nec semen eius quaerens panem*: *Exo. 20. Ego sum Deus zelotes, reddens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea*: *Luc. 2. Misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* Et ideo sicut ipsi non derelinquuntur, ita nec semen eorum. Et potest referri ad panem temporalem, quantum ad vetus testamentum, sed secundum spiritualem intellectum panis iste intelligitur participatio Christi, scilicet veritas, sapientia, et iustitia: *Io. 6. Ego sum panis vivus* etc. Hic est panis qui dat delicias regibus, *Gen. 49.* Et dicit, *Quaerens panem*, quia iste panis praesto est quaerentibus eum. Sed contra Abraham iustus fuit et Isaac, Hismael autem et Esau, qui fuerunt filii iustorum, non habent spiritualem panem.

Respondeo. Apostolus solvit, quod filii promissionis computantur filii iustorum. Ergo semen est ille, qui imitatur eum. Unde tam filii carnales qui imitantur patres in bono, quam discipuli qui imitantur magistrum, sunt semen spirituale, scilicet illi qui imitantur eorum doctrinam in opere. *Tota die.* Hic ostendit aliud ad signum experientiae, sive aliquod experimentum, et dicit quod aliud quod expertus de viro iusto est quia, *Tota die*, idest toto tempore vitae suae, *miseretur*, miseriis aliorum, *et commodat*, scilicet spiritualia et temporalia: *Psa. Iucundus homo qui miseretur et commodat;* vel actu, vel promptitudine. Et ideo, *Semen illius in benedictione erit*: *Gen. 22. Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli* etc. *Declina a malo*

t Supra ostendit Psalmista quod bona iustorum sunt meliora quantum ad fructum; hic autem prorumpit in exhortationem ad illa. Circa hoc tria facit. Primo enim ponitur exhortatio ad ista. Secundo ponitur fructus, ibi, *Dominus amat.* Iustitia habet duas partes: recedere a malo, et facere bonum. Ei ideo dicit, *Declina a malo, et fac bonum.* Hae autem duae partes iustitiae correspondent praeceptis legis: iustitia enim regulatur lege. In lege sunt quaedam praecepta affirmativa, quae implentur faciendo bonum, et quaedam sunt negativa, quae implentur declinando a malo. Item per haec duo perficitur naturalis inclinatio appetitus, cuius sunt duo obiecta, scilicet bonum, et malum, quia appetitus naturaliter tendit in bonum, et refugit malum falsum. Sed dicit, *Declina a malo.* Est autem duplex malum. Unum, quod facit homines malos, et hoc vere dicitur malum. Aliud malum est, quod non facit homines malos, scilicet malum poenae. Primum est peccatum, et de hoc intelligitur cum dicit, *Declina a malo*, idest a peccato: *Eccl. 2. Non zeles hominem in peccato suo.* Et non dicit quod non faciat malum, quia in hoc intelligitur sola negatio, sed, *Declina a malo*, ut scilicet voluntatem faciendi non habeat: *Isa. 1. Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Haec duo frequenter introducuntur in sacra Scriptura. Sed quandoque bonum, sicut ibi, *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem.*

Quandoque praemittitur vitatio mali, sicut *Isa. 7. Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Et ratio est, quia duplex est ordo. Unus scilicet intentionis; et secundum hunc ordinem semper prius debet praemitti bonum quam vitatio mali, quia ad hoc vitat malum, ut faciat bonum. Alius est ordo executionis: et secundum hunc ordinem prius praecipitur ut vitet malum, quia omnes nascimur filii irae; et non possumus fieri iusti nisi expellamus malum. *Et inhabita in saeculum saeculi.* Hic ponitur fructus iustitiae; quasi dicat, Si declinaveris a malo, et feceris bonum, inhabitabis, sed non dicit explicite ubi, sed quantum, *Quia in saeculum saeculi.* Sed est sensus, *Inhabita*, quasi intus habita. Sensibilia dicuntur exteriora bona, quia exteriori sensu capiuntur. Interiora bona sunt spiritualia et intelligibilia. Cum ergo dicit, *Inhabita*, idest intra possessionem spiritualium bonorum habitabis: *Cant. 1. Introduxit me rex in cellaria sua.* Et dicit, *In saeculum saeculi*, idest in perpetuum: *Exo. 13. Introduces eos, et plantabis*, etc. *Quia Dominus amat iudicium.* Hic ponitur ratio quare inhabitet in saeculum saeculi; quasi dicat, Ideo inhabitabit, quia hoc statutum est ex divino iudicio. Probat hoc, scilicet quod inhabitet semper et libenter, *Quia Dominus amat iudicium: Isa. 61. Ego Dominus diligens iudicium.* Et inducitur quod hic dicitur duplici ratione: quia si est ratio eius, quod dicit, *Declina a malo* etc. ut scilicet sis, scilicet imitator Dei, quia Dominus amat iudicium; et hoc est declinare a malo, et facere bonum. Vel ad hoc refertur, *Inhabita in saeculum saeculi*, quia hoc iustum est. Et Deus amat iudicium. Iustum enim est ut si homo non velit relinquere Deum, non relinquatur ab eo, qui est aeternus. Et ideo non relinquentur ab eo iusti, qui volunt esse cum eo. Et ideo dicit, *Non derelinquet sanctos tuos.* Et ex hoc sequitur quod, *In aeternum conservabuntur*, quia aeternus est et potens: *Ps. 11. Tu Domine servabis nos, et custodies nos* etc. *Isa. 32. Non rumpentur funiculi. Iniusti*

u Hic ponitur forma iudicii, quae erit bonis et malis. Primo ergo ponit quid dabitur malis in iudicio. Secundo, quid bonis, ibi, *Iusti.* Malis immittet punitionem: quia, *Iniusti punientur: Eccl. 25. In finem illorum*, scilicet peccatorum, *Inferni et tenebrae, et poena: 2. Thes. 1. Dabunt poenas in interitu aeternas.* Item exterminationem, *quia semen impiorum peribit.* Hic loquitur secundum exterminationem hominum. Mali autem cum moriuntur, credunt saltem in filiis vivere. Sed dicit quod, *Semen eorum peribit*, idest vel carnales filii qui proprie imitantur eorum malitiam, vel sectatores falsae doctrinae aliquorum, sicut semen Arii. Iustus autem duo retribuet: contra punitionem dabit remunerationem; unde dicit, *Iusti autem haereditabunt terram*, quasi haereditate eam possidentes: *Ps. 68. Haereditate acquirent eam* etc. *1. Petr. 1. Regeneravit nos in spem vivam.* Contra exterminationem haereditatis, quia, *Inhabitabunt in saeculum saeculi super eam*, idest in hac terra viventium semper erunt. *Os iusti meditabitur*

x Hic ostendit, quod bona iustorum maiora sunt, quantum ad usum virtutis, quia iniusti habent os pronum ad malum. Primo ergo agit de spiritualibus bonis iustorum. Secundo de perversitate malorum, ibi, *Considerat.* Circa primum duo facit. Primo enim ponit spiritualia iustorum praeeminentia. Secundo ponit fructum ipsorum bonorum, ibi, *Non supplantabuntur.* Bona spiritualia in duobus consistunt, scilicet prout sunt in corde. In ore iusti non est nisi bonum et veritas: *Eph. 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Est autem duplex veritas: et utraque habet iusti praemia. Prima est de divinis. Secunda est de humanis. Quantum ad primum dicit, *Os iusti meditabitur.* Sed non videtur bene dicere, Quia meditari est actus cordis, non oris. Respondeo dicendum, quod meditabitur, idest meditata loquetur, vel modulabitur. Et multiplicare aliqui meditantur sapientiam. Quidam meditantur Christum, qui est sapientia Dei Patris saltem credendo: *Deut. 4. Haec est sapientia vestra, et intellectus coram populis.* Quidam acquiescendo cum intelligentibus: *Eccl. 6. Si dilexeris audire sapiens eris.* Quidam in ea psallendo: *Eccl. 3. Psallentes in cordibus vestris Domino: Prov. ult. Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius.* Sed os iusti meditabitur sapientiam docendo: *1. Cor. 2. Sapientiam loquitur inter perfectos.* Origenes autem dicit, *Imperiti pessimum vitium habent, ut superfluos eos dicant, qui studium doctrinae impendunt: imitantes rerum vocabula, eorum studium contemnant, loquacitatem suam, inertiam, et imperitiam approbantes.* Quantum ad secundum dicit, *Et lingua eius.* Hoc tripliciter exponitur, *Lingua eius loquetur iudicium*, idest cum iudicio et discretione sermonem proferet: *Ps. 101. Disponet sermones eius in iudicio: Eccl. 21. Verba prudentum statera ponderabuntur.* Alio modo secundum quod refertur ad iudices: quia iudex, sive os iusti, sive lingua iudicis iustum iudicium loquitur in sententiando. Vel lingua iusti loquetur de iudiciis Dei: et convertet peccatores ad poenitentiam ex consideratione divini iudicii: *Iob 19. Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Sed quare dicit in futuro, meditabitur, et loquetur? Respondeo dicendum, quod loquitur in futuro, ut designet continuitatem meditationis; quasi dicat, Vel dicit hoc de futuro, quia modo modicum quid de sapientia possumus loqui, sed in futuro poterimus magna meditari de sapientia, et plura loqui de iudiciis Dei. Sed contingit quod aliquis non habet in corde quod loquitur ore: *Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Non sic de viro iusto, sed sicut loquitur, ita habet in corde, quia infixam habet in memoria per meditationem, et in voluntate per amorem, legem Dei. Propter hoc dicit, *Lex Dei eius in corde ipsius*, idest legem et iudicium loquitur, et meditatur. Et ideo, *Non supplantabuntur gressus eius.* Et ponit hic fructum bonorum operum, quia non deficient, neque fraudabuntur: quia qui habet sacram Scripturam, et legem Dei in corde, non decipitur a diabolo: *Ps. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Nam lex est lucerna: et ideo qui sciunt eam, non offendunt. *Considerat peccator*

y Hic agit de consideratione malorum. Et primo ponit cogitationes malorum contra bonos. Secundo defensionem bonorum. Dicit ergo, *Considerat peccator*

*iustum*, scilicet insidiose, quomodo possit nocere: *Ps. 21. Ipsi vero consideraverunt: Prov. 24. Ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti. Et quaerit mortificare eum.* Ubi ostenditur eius crudelitas, vel intentio: *Prov. 1. Pedes eius ad malum currunt, et festinant* etc. *Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum.* Sed iusti defenduntur. Primo, quia evadunt eorum persecutionem; unde dicit, *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius:* quia licet ad horam impii habeant potestatem super iustos, non tamen semper: *Ps. 124. Non relinquet Dominus viam peccatorum super sortem iustorum* etc. Secundo, quia liberantur divino iudicio. Unde dicit, quod non solum hic liberantur, sed nec damnabuntur, *Cum iudicabitur illi*, idest iusto, idest ad utilitatem iusti. Vel, *Illi*, idest peccatori condemnabitur: *Matth. 12. Resurgent in iudicio*, idest in condemnationem. *Expecta*

z Multa locutus est Psalmista in praemissis ad commendationem iustorum, et deiectionem malorum: et haec omnia retulit ad hoc ut sequamur iustitiam, et declinemus malum; hic autem inducit exhortationem ad iustitiam. In duobus servatur iustitia, scilicet in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt ad proximum. Circa hoc ergo tria facit. Primo proponit exhortationem. Secundo ostendit praemium, ibi, *Et exaltabit te.* Tertio probat quoddam quod proposuit, ibi, *Vidi impium.* Ordinat ergo exhortando ad Deum. Primo per expectationem. Secundo per obedientiam. Dicit ergo, *Expecta Dominum:* ubi dicit duo. Primo, quod si aliquam molestiam pateris, non statim despores, nec turberis contra Deum, sed expecta quousque succurrat: *Ps. 39. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.* Et sic hortatur ad sapientiam. Secundo hortatur ad longanimitatem; quasi dicat, Si nondum remuneratus es de bonis tuis, non frangaris, sed expecta remunerationem: *Abac. 2. Si moram fecerit, expecta eum* etc. *Iac. 5. Expectat agricola pretiosum fructum terrae patienter ferens. Et custodi vias eius.* Expectatio est in malis, custodia est in bonis. Custodi ergo vias, scilicet charitatis et praeceptorum, et serva cum diligentia: *Prov. 4. Omni custodia serva* etc. *Iob 22. Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodivi: Ps. 118. Scrutabor legem tuam* etc. *Et exaltabit te.* Hic ponitur praemium sive fructus, hoc est fructus bonorum, ut ab eo exaltentur: *Eccl. 15. Exaltabis illum apud proximos suos: Sap. ult. In omnibus honorasti populum.* Et ad quid, *Ut haereditate capias terram.* Mirum est quod dicit. Cum terra sit infima, quomodo exaltabit, ut capias eam? Et dicendum quod terra de qua loquitur, est terra viventium: et haec est in alto, quasi stabilitas aeternorum et spiritualium bonorum: et ad hanc non pervenit, quamdiu mens iacet in imis, sed oportet quod exaltetur: *Isa. 18. Sustollam te super altitudinem terrae.* Vel etiam potest intelligi de ista terra. Illi ergo haereditate capiunt terram, qui terrae dominantur: et tales sunt qui habent cor elevatum a terra, quia non habent cor pressum ad terram, sicut sunt servi terrae et possessio terrae. Et ideo oportet ad hoc quod capiant eam, ut exaltentur: *Prov. 4. Glorificaberis ab ea, cum eam* etc. *Cum perierint peccatores videbis.* Isti laetabuntur de perditione malorum: *Ps. 17. Laetabitur iustus, cum viderit vindictam* etc. *Iob 22. Videbunt iusti, et laetabuntur.* Sed non propter perditionem impiorum, quia Deus non propter ipsam laetatur: *Sap. 1. Non laetatur in perditione virorum*: sed de divina iustitia: *Isa. ult. Egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me.* Item de divina misericordia ipsis exhibita, qua sunt liberati a malis, sive a poenis damnatorum. Et ad hoc videndum oportet quod sit etiam exaltatus: quia si es deprehensus, non videbis perditionem ipsorum: *Psal. 72. Hoc labor est ante me*, scilicet facta peccatorum, *donec* etc. *Vidi impium*

Hic probat duo circa perditionem peccatorum. Primo ponit prosperitatem ipsorum. Secundo perditionem; unde dicit, *Vidi impium*, idest quemcumque peccatorem, *superexaltatum*, idest supra statum suae conditionis: et supra alios homines, quantum ad statum mundi: *Iob 21. Quare impii vivunt, confortati sunt, roborati divitiis* etc. *Et elevati sicut cedros Libani.* Hic est duplex litera. Vel supra cedros Libani, quae inter omnes arbores maiorem altitudinem habet; quasi dicat, Excellenter super alios vidi eum: *Eccl. 10. Positum stultum*, idest peccatorem, *in dignitate sublimi: Amos 2. Altitudo cedrorum, quasi altitudo illius, et fortis ipse quasi quercus.* Sed quare impii vivunt, est duplex ratio. Una, quia quandoque sublimantur mali propter peccata hominum: *Iob 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et ideo mali sunt quasi flagella Dei ad populum cum dominantur: *Isa. 10. Vae Assur virga furoris mei, et baculus ipse est.* Alia ratio est, ut mali cum dominantur, gravius pereant: *Iob 30. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Unde quandoque in eo quod magis desiderant, magis deiiciuntur. Alia ratio est ad instructionem iustorum, ut non multum reputent haec temporalia, quae etiam boni habent et mali, ut dicit Augustinus: *Iob 21. Veruntamen non sunt in manu eorum dona sua, sicut bona animae. Non curo de eis.* Item ut iuste damnentur, qui abutuntur bonis datis: *Isa. 1. Filios enutrivi et exaltavi* etc. Vel hoc potest referri ad haereticum, qui elevatur in suo sensu; et finaliter dicitur, *Et transivi.* Hic ostendit deiectionem peccatoris. Secundo ostendit destructionem loci eius. Dicit autem, *Transivi.* Non dicit, *Transivit*, quasi dicat, Transivi ego per considerationem: *Exo. 3. Transibo, et videbo.* Quamdiu homo defigit oculum in rebus mundi, videtur ei quod mali sunt potentes; quando autem mente transit ad spiritualia et Dei iudicia, pro nihilo reputat eos. Unde, *Transivi*, per conversionem: quia quamdiu aliquis est saecularis affectu et corpore, placent ei res mundi; sed quando affectu transit ab eis, pro nihilo habet in saeculo abundantes: *Psal. 41. Ad nihilum deductus est* etc. Et ideo sancti viri reputantur superbi, quia non appretiantur, nec reputant homines propter divitias, vel dignitates, si non suppetant eis virtutes; unde sequitur, *Et ecce non erat*, etiam in praesenti, quia nihil reputat iustus homo gloriam peccatorum, quae videtur aliquid: *1. Mach. 2. Gloria hominis peccatoris stercus et vermis est, hodie extollitur, et cras non invenietur: Hier. 4. Aspexi terram*, idest gloriam ter-

renam, *Et ecce vacua erat, et nihil.* Vel secundum Origenem, *Non erat*, quia quando homo elevatur ad divina, conformatur divino intellectui : et quae sunt futura, sunt ei quasi praesentia. Unde qui videt quod tempus huius vitae est breve, damnationem impiorum videt quasi praesentem: *1. Cor. 1. Elegit Deus quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret.* Unde dicit, *Quaesivi eum, et non est inventus locus eius*, idest dignitates eius, vel familia et domus eius; quasi dicat, Non solum ipse, sed quicquid ad eum pertinet, destruitur : *Iob 22. Oculus qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus eius.* Vel locus eius, idest mundus in quo quiescit, quia transit mundus et concupiscentia eius: *1. Cor. 7. Praeterit enim figura huius mundi. Custodi innocentiam, et vide aequitatem*

o Hic exhortatur ad iustitiam, quae est ad proximum : et circa hoc tria facit. Primo ponit exhortationem. Secundo praemium, ibi, *Quoniam sunt.* Tertio exponit quod dixerat, ibi, *Salus.* Proximo debet homo facere, ut primo ei non noceat. Secundo, ut debita reddat. Quantum ad primum dicit, *Custodi innocentiam*, nihil nocendo: *Iob 22. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum. Et vide aequitatem.* Alia litera habet, *Directionem*, idest rectitudinem et iustitiam, *Vide*, idest iudicia : *Iob 6. Id quod iustum est, iudicate. Quoniam sunt reliquiae homini pacifico*, hoc est praemium iustorum. Origenes dicit, quod quando spiritus separatur a carne, ossa hominis dicuntur reliquiae; ita quando anima recedit, quod remanet, scilicet corpus, dicitur reliquiae: et ideo non solum praemiabitur in anima, sed etiam corpus eius ad immortalitatem perducetur, *1. Cor. 15.* Vel reliquiae dicitur quicquid est hominis post hanc vitam, quae sunt multae; quasi dicat, Non terminabitur in vita ista, sed etiam in fine vitae sunt alia mala. Unde alia litera habet, *Extremum vitae eius est pax.* Consequenter ponit damnationem malorum. Mali habent duo. Primo, quia ipsi pereunt. Secundo, quia nihil dimittunt post eos. Ideo dicit, *Iniusti autem disperibunt: Iob 4. Et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt. Et simul reliquiae impiorum interibunt: 1. Cor. 2. Quae interibunt cum eis in gehenna.* Vel reliquiae, idest omnia quae habuerunt, scilicet divitiae quae pereunt, fama quae putrescet, semen quod peribit: *Iob 22. Nonne succisa est erectio, et reliquias eorum devorabit ignis? Salus autem iustorum.* Probat quod reliquiae iustorum salvantur. Et primo ostendit in generali quae sunt. Secundo ostendit ordinem consequendi eas. Tertio causam huius salutis. Duo sunt in reliquiis: salus in bonis, et ereptio a malis. Quantum ad primum dicit, *Salus autem iustorum a Domino est*, solo, in quo sperant, non ab alio. Origenes dicit, *Apud Dominum;* quasi dicat, In nullo creato, sed in solo Deo: *Isa. 45. Israel salvatus est in Domino salute aeterna.* Quantum ad secundum dicit, *Et protector eorum in tempore tribulationis*, scilicet praesentis, ut nec etiam corporaliter opprimantur: *1. Cor. 10. Faciet cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere*, vel in die iudicii, vel in morte: *Nahum 1. Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se.* Ordo est quadruplex. Primo adiuvatur ad bene operandum. Unde, *Adiuvabit*, idest cooperabitur: *Psal. 120. Auxilium meum a Domino : Isa. 28. Omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Et liberabit*, scilicet a malis. *Et eruet eos a peccatoribus*, vel quantum ad praesentem statum, quando iusti liberabuntur, et non sequentur peccatorum vias: *Psal. 1. Beatus vir qui non abiit* etc. Vel in die iudicii, quando segregabit oves ab haedis. Vel a daemonibus in morte cuiuslibet: quia tunc daemones veniunt, quaerentes si aliquid suum inveniant: *Ioan. 14. Venit princeps mundi huius.* Et finalis salus, quia salvabit eos. Et causa est, *Quia speraverunt in eo*, quia haec salus debetur sperantibus.

*In rememoratione sabbati.*

## a PSAL. DAVID XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

b Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea, a facie irae tuae : non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me. Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

c Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

d Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : et rugiebam a gemitu cordis mei.

e Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

f Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea; et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

g Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt. Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

h Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens : et non habens in ore suo redargutiones.

i Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

k Qui dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt. Quoniam ego in flagella paratus sum : et dolor meus in conspectu meo semper.

l Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : et

cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

m Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum : Domine Deus salutis meae.

## a PSAL. XXXVII.

Supra Psalmista imploravit divinum auxilium contra persecutores, ibi, *Iudica:* ostendit etiam eorum nequitiam, ibi, *Dixit iniustus:* docuit contemnere prosperitatem impiorum in praedicto Psalmo, *Noli aemulari;* in hoc autem psalmo confitetur se pro peccatis suis afflictum. Circa hoc ergo facit duo. Primo proponit suam afflictionem. Secundo cautelam in futuro, ibi, *Dixi custodiam.* Titulus, *Psalmus David in rememoratione.* Augustinus addidit, *In rememoratione sabbati;* sed hoc non habetur neque in Hebraeo, neque in Hieronymo. Et est sciendum, quod hic est tertius psalmus poenitentialium: et diversitates psalmi referuntur ad diversos actus poenitentiae, et commemorationem peccatorum. Et ideo dicit ad commemorandum, scilicet peccata: *Isa. 28. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Sed si addatur sabbatum, pertinet ad finem huius commemorationis, quare scilicet sit affligendum et rememorandum, scilicet propter sabbatum, idest propter quietem repromissam: *Isa. 58. Si averteris a sabbato pedem tuum, facere* etc. usque *vocaberis sabbatum delicatum*, idest quies delitiosa. Dividitur ergo psalmus in partes duas. In prima petit misericordiam. Secundo exponit miseriam, ibi, *Quoniam sagittae.* Misericordia petitur a iudice, cuius poena timetur. Iudex primo arguit verbis : *Psal. 49. Arguam te.* Postmodum corrigit factis. Psalmista ergo non petit quod non arguatur, sed quod non in furore; unde dicit, *Domine ne in furore tuo arguas me.* Furor et ira in Deo non ponunt commotionem: quia *Sap. 12. Cum tranquillitate iudicat.* Sed quantum ad effectum dicuntur de Deo, quia furiosus non parcit. Unde petit corripi, sed non in ira; ideo dicit, *Neque in ira tua corripias me:* quia, ut dicitur *Pro. 6. Zelus et furor viri non parcet in die vindictae.* Unde in furore arguit quando non parcit: sicut *Matth. 22. Esurivi, et non dedistis* etc. Item, *Ite maledicti in ignem aeternum.* Unde peto corripi, sed non in furore. Secundo agit de poena iudicis. Et est duplex poena. Una est ad exterminationem, et haec infernalis : et hanc petit sibi non infligi, cum dicit, *Domine ne in furore* etc. Alia est ad correctionem : et hanc petit sibi infligi. Sed petit, quod non corripiatur in ira, ibi, *Neque in ira tua*, idest gravi poena, *corripias me: Hier. 10. Corripe me Domine : veruntamen in iudicio, et non in furore. Quoniam sagittae tuae*

b Misericordia non habet locum nisi ubi est miseria. Et ideo circa hoc duo facit. Primo commemorat multiplicem suam miseriam. Secundo petit divinum auxilium, ibi, *Ne derelinquas.* Miseriam ostendit primo, quam patitur a superiori, scilicet Deo infligente. Secundo ostendit miseriam quam patitur ab interiori, scilicet conscientia remordente, ibi, *Non est pax.* Tertio ab exteriori, scilicet homine contemnente, ibi, *Amici.* Circa primum duo facit. Primo ponit percussionem divinam. Secundo effectum percussionis, ibi, *Non est sanitas.* Hic loquitur ut referatur uno modo ad percussionem tribulationis quam Deus immittit; alio modo ad commotionem contritionis. Primo modo congruunt haec tria. Percussio est gravis ex duobus, scilicet ex hoc quod intima penetrat: et ex hoc homo convertitur. Et quantum ad hoc dicitur primo, quia pervenit usque ad intima: unde dicit, *Sagittae tuae*, idest percussio tua, *infixae sunt mihi*, scilicet usque ad interiora : *Iob 6. Sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Secundo, quia huiusmodi percussiones non cito transeunt, sed manent; unde dicit : *Confirmasti super me manum tuam: Is. 30. Erit transitus virgae fundatus quam requiescere faciet Dominus super eum : Heb. 10. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Tertio quia sunt graves : et est ratio eius quod dicit, *Non in furore*, quia iam satis sum sagittatus. *Non est sanitas.* Hic ponit effectus sagittationis. Caro mea deordinata est, corruptioni et infectioni subiecta: *Ro. 7. Scio quod non habitat in me*, hoc est in carne mea, *bonum.* Alio modo de commemoratione contritionis potest intelligi: et sic assignat rationem quare non vult a Deo puniri. *Quoniam sagittae.* Sagittae Dei verba Dei sunt: *Isa. 49. Posuit me quasi sagittam electam.* Quando autem peccator audit verba Dei, et infiguntur cordi eius, tunc reponit in corde suo: et tamen eis non compungitur, et ex hoc est dignus furore: quia non est compunctus ex sermonibus Dei. Sed sicut dicit Gregorius, *Frustra laborat extra lingua praedicatoris, si intus non operatur virtus Redemptoris* Et ideo oportet, quod manus Dei infigat has sagittas usque ad intima ; et ideo dicit, *Confirmasti super me manum tuam. In carne mea : Gal. 5. Caro concupiscit adversus spiritum* etc. Quando caro sanitatem habet, spiritus est infirmus : et e converso, scilicet quando spiritus est sanus et fortis, caro est infirma : quia totum enervatur quicquid ad carnem pertinet: *Psal. 118. Caro mea immutata est propter oleum.* Effectus ergo verbi Dei immissi, vel infixi, est quod emarcet concupiscentiam carnis: *Col. 3. Mortificate membra vestra* etc. Origenes dicit secundum primam expositionem, *A facie*, idest a consideratione irae tuae, quia per verba tua consideratur ira futuri iudicii. Et ex hoc caro emarcet. *Et non est pax ossibus meis.* Hic ostendit interiorem miseriam, idest peccatum propter quod patitur tribulationem; quasi dicat, Aufertur sanitas carnis prae consideratione irae tuae; sed recognoscendo peccata mea, etiam spiritus concutitur ; unde dicit, *Non est pax ossibus meis*, idest spiritui meo *: Isa. 59. Non est pax impiis, dicit Dominus.* Et hoc, *A facie peccatorum meorum*, idest prae multitudine et gravitate peccatorum non possum habere pacem mentis. Sed nunquid habes tribulationem? Et dicit quod sic. Unde exposuit se habere. Et primo peccata ponit. Secundo defectum pacis. Tria sunt quae exaggerant peccata, scilicet multitudo peccatorum, gravitas, et reiteratio: quia si frequenter peccat, grave est. Dicit

ergo quantum ad primum, *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum.* Modus loquendi est. Per iniquitates signatur multitudo peccatorum : quia sicut aqua hominem obruit, ita peccata submergunt hominem. Et hoc non facit aqua nisi quando tantum excrescit quod caput excedit; quasi dicat, Sic multiplicatae sunt quod super caput meum ascenderunt : *Psal. 68. Infixus sum in limo profundi* etc. *Paral. ult. Peccavi super numerum arenae maris, et multiplicata sunt peccata mea.* Et dicit, *Super caput meum*, idest super mentem meam tractam in consensum peccati. Tripliciter se homo habet in peccato. Quandoque est tantum in concupiscentia, et mens resistit, et tunc non attingit caput. Quandoque consentit, sed ex passione : et tunc licet perveniat ad caput, non tamen supergreditur ; sed quando laetantur quando malefecerint, et exultant in rebus pessimis, tunc iniquitates supergrediuntur caput. Quantum ad secundum dicit, *Sicut onus grave gravatae sunt super me.* Dicuntur autem gravare peccata, quia deprimunt more rei gravis. Quanto ergo homo deprimitur, tanto a Deo recedit: *Zac. 1. Iniquitas sedet super talentum: Isa. 1. Populo gravi iniquitate.* Alia litera habet, *Sustulit in altum*, quia quandoque peccata gravia inducunt in contemptum, et superbit impius cum pervenerit in profundum peccatorum. Quantum ad tertium dicit, propter recidivum, *Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae.* Cicatrix ex vulnere relinquitur: ita etiam quando quis peccavit, et dimissum est ei peccatum, sed adhuc est pronitas ad peccandum, est quasi cicatrix ex vulnere. Quandoque autem Deus sanat eam per satisfactionem et exercitium bonorum operum: *Hier. 3. Obducam cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te.* Quandoque autem non bene custodimus nos, et sicut per imperitiam medici, quandoque infirmitas generat intus putredinem et corrumpit membrum, sic est in peccatore: quia quando non curatur peccatum per correctionem, sive per poenitentiam, fit putredo interius, idest delectatio peccati praeteriti: et consentit in aliud simile: *Ioel. 1. Computruerunt iumenta in stercore suo.* Ex hoc sequitur corruptio, quando peccatum procedit in actum. Vel corruptio est, quando non solum in se sunt putrefacti, sed exhalant per infamiam ad alios. *A facie insipientiae meae.* Medicus quando curat, per insipientiam suam aliquando vulnus putrefit, sic ex insipientia hominis nescientis sibi bene cavere, patitur recidivum: *Pro. 14. Errant qui operatur malum. Miser*

c Supra dixit Psalmus, *Non est pax ossibus meis:* et ostendit quae sunt sua peccata, quia multa, gravia et reiterata; hic agit de pacis sublatione: et circa hoc duo facit. Primo ponit inquietudinem contra pacem. Secundo ponit remedium consolationis et spei, ibi, *Domine ante te.* Inquietudinem animi sui ostendit dupliciter. Primo quantum ad deiectionem, et quantum ad irascibilem. Secundo quantum ad deiectionem cordis, quod pertinet ad commotionem concupiscibilis, ibi, *Tota die.* Circa primum duo facit. Primo proponit causam deiectionis. Secundo ipsam deiectionem. Causa deiectionis est, *Quia miser factus sum*, idest miseriam meam ego recognosco. Miseria opponitur felicitati, et ideo in contrariis consistit. Felicitas humana consistit in rebus mundi: *Psal. 143. Beatum dixerunt populum cui haec sunt.* Felicitas vera consistit in haesione ad Deum. Et ideo sequitur. Immo *Beatus populus cuius est Dominus Deus eius.* Miser ergo est ex hoc, quod a Deo avertitur per peccatum : *Prov. 14. Miseros facit populos peccatum.* Iste ergo sciens se separatum a Deo per peccatum, reputat se miserum: et ex hoc dicitur animus eius deiectus. Unde dicit, *Incurvatus sum.* Haec incurvatio potest referri ad depressionem animi, propter gravedinem peccati, quia peccata faciunt sicut grave onus quod hominem incurvat, et facit terram respicere; ita peccata faciunt inferiora respicere, et non permittunt per affectum tendere ad superiora: *Paral. 36. Incurvatus sum multo vinculo ferri.* Vel potest referri ad humilitatem; quasi dicat, Incurvatus sum propter humilitatem, quia non recognoscit homo peccatum suum, non sapit alta: *Luc. 18.* de Publicano qui nolebat oculos suos ad caelum levare. Et haec incurvatio non debet esse momentanea, sed in tota vita; unde dicit *Usque in finem*, scilicet vitae, quandiu durat corruptio corporis : *Ro. 7. Infelix ego, quis me liberabit* etc. Consequenter agit de tristitia cordis. Et facit tria. Primo proponit tristitiam Secundo tristitiae causam. Tertio magnitudinem tristitiae. Dicit ergo, *Non solum humiliatus sum*, contra superbiam, sed etiam, *Sum contristatus*, contra delectationem peccati, et haec est tristitia bona : *2. Cor. 7. Quae enim secundum Deum tristitia est, bona est.* Et tangit duo circa tristitiam. Primo, quod oportet esse continuam; unde dicit, *Tota die : Ro. 9. Dolor continuus cordi meo : Psal. 6. Lavabo per singulas noctes: Hie. 9. Et plorabo die ac nocte interfectos populi mei.* Augustinus: *Semper doleat, et de dolore gaudeat.* Secundo, quia est quaedam tristitia absorbens, quae in desperationem inducit: *2. Cor. 2. Ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* Quaedam est aggravans: et haec est accidia, quae sic deiicit, ut non permittat agere bonum ; sed tristitia poenitentis non est sic, sed est cum spe, et exercitio bonorum operum; unde dicit, *Ingrediebar*, idest in vita et bonis operibus proficiebam. Processus boni est ingressus, quia bona spiritualia, ad quae tendit bonus, sunt interiora: *Phil. 3. Quae retro sunt obliviscens*, idest bona temporalia ad quae tendunt peccatores quae sunt exteriora: *Ad ea quae priora sunt extendens me ipsum: Prov. 4. Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Hic ponitur causa tristitiae. Secundum glossam exponitur quod per lumbos intelligitur anima. Et dicit. *Lumbi*, quia ibi est delectatio, *Et non est sanitas in carne mea*, ut ostendat se infirmum intus et extra. Sed melius exponitur aliter, quod affligitur per peccatum, cum recognoscit miseriam suam. Miseria autem maxime recognoscitur in corruptione sensualitatis: *Ro. 7. Video aliam legem in membris meis* etc. Et subdit, *Infelix* etc. quasi dicat, Ideo cognosco me miserum, et sum contristatus, quia lumbi mei impleti etc. Ad literam carnalis delectatio implet me illusionibus, quia diabolus utitur sensualitate nostra sicut instrumento, et ubi nos debiles conspicit, ibi impugnat nos: *Prov. 4. Stultis illudit peccatum.* Istae autem illusiones variarum rerum ex duplici causa proveniunt. Quandoque ex

corruptione, quia caro semper quaerit convenientia sibi, quantum est de se, et nisi spiritus retineat, oportet quod delectetur in eis, et impossibile est quod spiritus semper sit vigil; et ideo oportet quod illudatur. Quandoque proveniunt tales illusiones ex spiritu proprio, quando scilicet aliquis saepe inserit in se tales cogitationes carnales: et hoc est veniale peccatum primo: demum si consentiat, fit mortale; et hoc recognoscit, non quasi ex carne, sed ex se: unde ait, *Non est sanitas in carne mea: Roman. 7. Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Aflictus*

d Hic ponit magnitudinem tristitiae. Et primo ponit talem magnitudinem. Secundo ponit signum, ibi, *Rugiebam.* Duo posuit in tristitia. Primum quod est contristatus. Secundum, quod est incurvatus. Per primum designat tristitiam, per secundum vero dejectionem: et haec duo habet repetere hic. Quantum ad hoc quod est incurvatus dicit, *Humiliatus.* Quantum ad hoc quod est contristatus dicit, *Afflictus*: et de utroque nimis: et hoc propter magnitudinem mali, quod incurrerat, quia peccatum est maximum malum. Et ideo affligitur multis doloribus. Item, propter amissionem magni boni: *Hier. 2. Vide et scito quam malum est dereliquisse Dominum* etc. Item secundum Origenem propter immutationem status de statu gratiae et virtutis in statum peccati. Boetius: *Magnum infelicitatis genus est, fuisse felicem: Iob 29. Quis mihi det, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?* Signum magnae tristitiae est rugitus: ideo dicit, *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Rugitus dicitur esse vox bestiarum, scilicet leonis et ursi, propter vehementiam doloris, vel famis. Unde rugitus est vehementia fletus: *Iob 3. Quasi inundantis aquae sic rugitus meus:* unde, *Rugiebam,* scilicet amarissime flebam. Sed contingit aliquando quod aliquis flet extra, non tamen ex animi commotione. Sed non sic ego fleo, immo a gemitu cordis mei procedit hic rugitus: *Thre. 1. Multi gemitus mei, et cor meum maerens: Isa. 59. Rugiemus quasi ursi omnes. Domine ante te omne desiderium*

e Hic ponitur remedium consolationis. Et primo ostendit quod in Deo solo est consolationis suae remedium. Secundo ostendit, quod hoc est sibi necessarium, quia nihil in se habet de quo consoletur, ibi, *Cor meum: Ose. 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Est autem duplex tristitia. Quaedam tristitia est inducens desperationem; et haec tollit desiderium et gemitum, quia quumque istorum fit in occulto, ideo desiderium et gemitus interior notum est Deo; unde dicit, *Domine ante te omne desiderium.* Ante te approbatum est quod desidero, et ideo spero mihi dari per te: *Prov. 70. Desiderium suum iustis dabitur: Ps. 9. Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Alio modo sic, *Ante te*, idest tibi cognitum est, qui scrutaris corda: *1. Reg. 16. Deus intuetur cor: Prov. 15. Perditio et infernus coram Domino; quanto magis corda filiorum hominum?* Alio modo sic, *Ante te* etc. idest ad hoc est desiderium meum ut sim ante te: *Ps. 41. Sitivit anima mea* etc. *Et gemitus meus a te non est absconditus*, idest tu approbas eum, vel tu cognoscis eum: *Exo. 3. Videns vidi afflictionem populi mei* etc. *Cor meum conturbatum est*

f Hic ostendit necessitatem consolationis suae esse adeo, quia nihil est de quo possit consolari. Tria sunt in homine, scilicet intellectus, voluntas, et potentia executiva: intellectus dirigit, voluntas imperat, potentia exequitur; et haec tria deficiunt in me. Quia, *Cor*, idest affectus, *conturbatum est*, idest commotum est tristitia et commotione: *Ps. 59. Commovisti terram et conturbasti eam* etc. Vel conturbatum est prae solicitudine mundi. Item virtus executiva dereliquit me, quam habui ante peccatum. Vel loquitur ex persona humani generis. Virtus quam accepi in primo parente, ut non haberem corruptionem interiorem, aut exteriorem, *Dereliquit me*, propter peccatum: *Isa. 50. Non est in me virtus, Et lumen oculorum meorum*, idest ratio et mens, *Non est mecum*, idest privantur lumine rationis, per quod vitant malum et faciunt bonum. Vel, *Lumen oculorum meorum*, idest Deus non est mecum propter peccatum, quia *peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, Isa. 59. Amici mei et proximi mei*

g Supra Psalmista diligenter exposuit miseriam suam, quam a superiori, et ab inferiori patitur; hic autem miseriam, quam patitur ab aequali. Circa hoc duo facit. Primo ostendit quid patiatur ab hominibus. Secundo, qua de causa, ibi, *Inimici autem mei.* Circa primum tria facit. Primo praemittit mala quae patiatur ab hominibus. Secundo ostendit patientiam suam in illis, ibi, *Ego autem.* Tertio ostendit patientiae causam, ibi, *Quoniam in te Domine.* Ostendit ergo se afflictum ab omni genere hominum, et pulchre, quia ostendit primo, se pati afflictionem ab amicis. Secundo ab inimicis, ibi, *Et vim faciebant.* Amici affligunt dupliciter, persequendo, et derelinquendo, quia ex hoc ipso quod non iuvant, affligunt, *Et qui iuxta me.* Item amicorum est duplex genus. Quidam sunt soli amici et extranei. Quidam amici et cognati; et ab utrisque dicit se affligi. Quantum ad primum dicit, *Amici mei.* Et potest intelligi, vel ex persona Christi, qui in hoc Psalmo quandoque loquitur pro se, quandoque pro membris; vel ex persona poenitentis. Si legatur ex persona Christi, manifestum est quod Iudaei qui sunt proximi, fuerunt adversarii ei: unde dicit, *Adversum me appropinquaverunt et steterunt.* Vel ex persona poenitentis: et tunc Origenes, *Aliquis in saeculo est inter peccatores, et quamdiu est in peccatis ostendunt ei amicitiam; sed quando deserit mundum et peccatum, tunc peccatores adversantur ei:* unde dicit, *Amici mei*, idest qui prius erant amici: *Eccl. 6. Est amicus qui convertitur ad inimicitiam. Et proximi*, idest in carne coniuncti: *Miche. 7. Inimici hominis domestici eius: Hierem. 3. Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu, Adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Contingit quod amicus quandoque adversatur in dicto vel facto alicui, sed tamen tantam habet reverentiam ad amicitiam, quod non adversatur ei in facie. Et dicit quod non solum de longe steterunt, *Sed appropinquaverunt*, idest in faciem inimici contradixerunt. Quandoque etiam ami-

cus facto commovetur contra eum , tamen non perseverat. Sed de istis dicit quod, *Steterunt*, idest fuerunt mihi adversarii : *Ps. 2. Astiterunt reges terrae* etc. *Et qui iuxta me erant de longe steterunt.* Hic ostendit quomodo est derelictus. Si exponitur de Christo, vere fuit derelictus: *Matth. 26. Relicto eo omnes fugerunt.* Item poenitens derelinquitur , postquam est conversus ad Deum : unde , *Et qui iuxta me erant*, idest amici familiaritate , vel carne , *De longe steterunt : Iob 6. Ecce non est auxilium mihi in me , necessarii quoque mei recesserunt a me : Ps. 87. Elongasti a me amicum et proximum* etc. *Et vim faciebant , qui quaerebant animam meam.* Et non solum est sic ab amicis afflictus , sed etiam ab inimicis. Est autem duplex genus inimicorum. Quidam sunt inimici capitales , et occidunt. Alii sunt qui non sunt capitales , quia non quaerunt occidere , et de utrisque loquitur hic. De primis dicit, *Vim faciebant qui quaerebant animam meam* , idest quaerebant me occidere. Ad literam dicitur de Christo quem Iudaei quaerebant occidere : unde , *Vim faciebant*, idest violentiam inferebant : *Prov. 22. Ne inferas violentiam pauperi , quia pauper est.* Hieronymus , *Ut vim facerent* , vel, *Quaerebant*, scilicet daemones, seu amici , qui volebant me inducere in malum postquam conversus sum ad Deum, *Et vim faciebant mihi.* De secundo dicit , *Et qui inquirebant mala mihi , locuti sunt vanitates*, idest mendacium contra me dixerunt. Ita accidit de Iudaeis contra Christum qui mendacium loquentes dicebant *Luc. 23. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram , et prohibentem tributa dari Caesari.* Item , *Dolos tota die meditabantur*, ut caperent eum in sermone , *Matth. 22.* Item hoc accidit cuilibet poenitenti , quia aliquis poenitens , ut Origenes dicit , confitetur peccatum suum , et si necesse fuerit, agit publicam poenitentiam: et deridetur ab aliis , qui perseverant in peccato : *Iob 12. Deridetur iusti simplicitas , et dicunt multa vana et falsa contra eum: Psal. 11. Vana locuti sunt unusquisque.* Et etiam insidiantur , si inveniant aliquid, unde confundant eum*: Prov. 14. Ne insidieris, et ne quaeras impietatem in domo iusti. Ego autem tamquam surdus*

h Hic ostendit patientiam a se exhibitam. Et primo ponit patientiae effectum, ibi, *Et factus sum sicut homo.* Homines quando affliguntur, nisi patienter portent, primo commoventur in animo , deinde deordinantur in verbis. Sed remedium quod non commoveantur in animo est , quod sit sicut surdus non audiens verba iniqua. Et ideo dicit , *Ego autem tanquam surdus non audiens* , idest audire me fingebam : *Eccl. 20. Usque ad tempus sustinebit patiens.* Item *ibidem 18. Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.* Et remedium quod non deordinetur in verbo est, quod sit sicut mutus: *Ps. 38. Obmutui, et humiliatus sum* etc. Unde dicit, *Et sicut mutus non aperiens os suum.* Et hoc maxime fecit Christus, ut dicitur *Matth. 17. Et non respondit ei verbum, ita ut miraretur praeses vehementer: Isa. 53. Tanquam ovis ad occisionem ducetur* etc. Sic etiam facere debent viri iusti: *Ps. 38. Posui ori meo custodiam , dum consisteret peccator adversum me, Et factus sum sicut homo non audiens.* Hic ponitur effectus patientiae ; sed hoc est contra opinionem malorum , qui hoc imputant ignaviae, non virtuti. Et dicit , *Factus sum* , scilicet opinione, *sicut homo non audiens* , et non virtuosus. Unde de Christo dicitur: *Mihi non loqueris , Io. 19. Et non habens in ore suo redargutiones* , idest ac si non sit sapiens ad respondendum. Unde de Christo dicitur *Luc. 23.* quod illusit ei et despexit eum Herodes. *Quoniam in te Domine speravi*

i Hic ponitur causa patientiae , quae est triplex. Ex parte Dei , ex parte inimicorum, et ex parte sui. Et ex parte Dei causa patientiae est, quod tota causa relinquitur Deo. *Mihi vindictam , et ego retribuam , Deut. 32.* Et ideo dicit , *Ego autem in te speravi Domine;* quasi dicat, In te est causa mea: *Hier. 17. Spes mea tu.* Et quid speras de Deo? *Dixi tu exaudies me Domine , Deus meus.* Origenes: *Quandoque homo orat Deum , et non exauditur , quia ipse non audit eum praecipienten: Prov. 28. Qui declinat aures ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis* ; sed qui obedit Deo et legi , tunc exauditur : *Iac. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua.* Deus autem maxime praecepit patientiam: *Matth. 5. Si quis te percusserit in una maxilla* etc. Et ideo illi exaudiuntur a Deo, qui noverunt pro inimicis orare, ut ecclesia facit; unde dicit *Hier. 15 Si steterint Moyses et Samuel coram me* etc. quia isti in veteri testamento oraverunt pro inimicis, *non est anima mea ad populum istum*, idest non exaudiam eos pro populo iusto; quasi dicat, ideo quia patienter sustineo tu exaudies me. *Quia*

k Supra posuit Psalmista mala quae passus est ab hominibus; et ostendit etiam patientiam suam, assignavitque unam rationem patientiae ex parte Dei ; hic autem assignat rationem patientiae ex parte inimicorum. Contingit aliquando ex Dei misericordia , quod qui patitur tribulationem aliquam, sustinet mala , quae ab aliis inferuntur, ut pacem cum inimicis habeat: *Prov. 16. Cum placuerit Domino viae eius, inimicos eius convertet ad pacem: Iob 5. Bestiae terrae pacificae erunt* etc. Et hoc etiam naturale est : quia nullus est ita saevus sive crudelis, quod quando videt aliquem humiliatum , affligat eum ulterius. Canis etiam non mordet hominem iacentem. Quando ergo aliquis resistit inimico , concitat inimicum ad nocendum sibi, et Deus non iuvat: *Psal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala* etc. Et ideo assignat hic rationem patientiae , quae est ne veniat in manibus eorum : et circa hoc duo facit. Primo commemorat de hostibus gaudium corporis. Secundo insultationem eorum. Dicit ergo , *Dixi ne quando supergaudeant mihi inimici mei :* si nollet me defendere Deus , non intueretur me , et sic superarent me hostes et gauderent. Quantum ad secundum dicit , *Et dum commoventur pedes mei.* Hieronymus habet, *Deficio* , litera nostra habet , *Super me magna locuti sunt.* Et dum labuntur pedes mei etc. *Loquentur.* Si intelligatur de praeterito , sic est sensus , *Dixi ne quando* etc. Potest hoc referri ad experimentum ; quasi dicat, expertus sum, quod gauderent. Sed si laberentur pedes mei etc. Quidam corruunt; quidam labuntur, sed non corruunt; quidam sunt infirmi. Mali

quandoque contra aliquem religiosum insultant, et maxime loquuntur super ipsum: *1. Re. 2. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: Ps. 11. Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Tertia est ratio ex parte sui, scilicet ex parte patientis. Primo proponit promptitudinem animi. Secundo causam. Dicit ergo, *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Nullus est impatiens nisi de eo quod invitus sustinet. Quando igitur est paratus ad sustinendum, non est impatiens. Consideranda sunt duo genera hominum. Quidam sunt qui hic non flagellantur, sed reservantur aeterno igni: *Ps. 72. In labore hominum non sunt* etc. scilicet hic non corripiuntur. Alii sunt qui flagellantur in hoc mundo, quia Deus corripit eos ut filios: *Heb. 12. Flagellat omnem filium quem recipit.* Gregorius: *Signum aeternae reprobationis est, quando Deus nullum flagellum dat homini in mundo.* Sic et Ambrosius noluit hospitari in domo illius, qui semper fuerat in prosperitate. Et ideo dicit, *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Primo ponit dolorem. Secundo doloris causam. Est autem consuetudo, quod quando aliquis patitur gravem dolorem, sustinet alium dolorem, ut liberetur ab alio graviori: sicut quando homo sustinet extractionem dentis, ut liberetur a dolore dentium. Et ideo dicit, *Sum paratus ad flagella*, quia habeo alium dolorem quem volo curare. Et ideo dicit, *Dolor meus*, scilicet de peccatis, *In conspectu meo semper: Ro. 9. Dolor continuus cordi meo: Thre. 1. O vos omnes qui transitis per viam* etc. Et hic dolor est maior omni dolore: non quidem sensu, sed secundum rei veritatem. Augustinus dicit quod omnes afflictiones animae causantur ex amore: homo delectatur in se quod amat, et timet contrarium eius quod amat, et dolet similiter. Ergo quanto maior est amor, tanto est maior dolor de contrario. Sed minima caritas est maximus amor. Ergo dolor de peccato est maximus; sed non magis sentitur, quia appetitus sensitivus non movetur nisi ex apprehensione sensibilium, nisi per redundantiam rationis. Et inde est quod homo plus sentit dolorem de aliquibus aliis rebus quam de peccato; tamen secundum rationem plus vellet sustinere eum quam dolorem de peccato. Causa huius doloris magni est peccatum; et ideo dicit, *Quoniam iniquitatem.*

l Quasi dicat, Ideo doleo, quia peccatum meum considero, et intantum ut aliis manifestem. Unde, *Ego annuntiabo*, idest aliis manifestabo, in quo maximum remedium sentio, quod maxime fit in confessione, quae laetificat confitentem: *Prov. 28. Qui abscondit scelera sua* etc. *Iac. ultim. Confitemini alterutrum* etc. Secundo ponitur peccati satisfactio contra illos, qui sic confitentur, ut non satisfaciant: *Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos* etc. *Iob 23. Considerans eum timore solicitor.* Et ponuntur hic tres partes poenitentiae. *Dolor* refertur ad contritionem. *Iniquitatem meam* etc. ad confessionem, *Cogitabo*, idest satisfaciam, *Pro peccato meo*, ad satisfactionem. *Inimici autem mei vivunt* etc. Hic ponitur ratio misericordiae, scilicet prosperitas inimicorum; et ponit causam quantum ad tria. Primo quantum ad cordis stabilitatem, ibi, *Vivunt.* Secundo quantum ad potestatis magnitudinem, ibi, *Et confortati sunt.* Tertio quantum ad multitudinem, ibi, *Et multiplicati sunt.* Dicit ergo, *Inimici mei vivunt.* Et sic continuat. Sic Origenes: *Poenitens aliquando si dimitteretur in pace, cogitaret de peccato in poenitentia, sed tot tribulationes contra eum insurgunt, quod videtur sibi quod debeat se defendere;* tamen iste dicit quod licet vivant et prosperentur inimici mei, non tamen dimitto dolorem de peccatis: non enim debet homo resilire a poenitentia. Christus multos habuit inimicos, et habet: *Psal. 119. Odio habuerunt me gratis.* Et Deus habet inimicos: *Iob 13. Odio habuerunt me et patrem meum.* Et alii iusti multos habent inimicos, qui non vivunt sine flagello. *Et confortati sunt*, idest habent magnam potestatem, idest sunt nimis potentes. *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique*, idest iniuste, quia persequuntur me propter iustitiam quam sequebar. *Qui retribuunt mala pro bonis.* Est autem quadruplex retributio. Una est, quae retribuit bonum pro malo: alia quae retribuit malum pro malo, et istae sunt communes bonis et malis, quia etiam bonus malum poenae pro malo culpae tribuit: alia est, quae retribuit bona pro malis: et haec est proprie bonorum: quarta est, quae retribuit malum pro bono, et haec est inimicorum: *Hier. 18. Nunquid redditur pro bono malum. Detrahebant mihi: Rom. 1. Detractores Deo odibiles.* Triplex est detractio, quarum una est mala, quando detrahit homo homini de peccato, etiam si peccata sint occulta, quia non sunt occulta publicanda per modum detractionis. Alia est peior, quando detrahit de falso. Pessima, quando detrahit non homini, sed virtuti, videlicet si dicat castitatem malam esse. Et sic est in proposito, quia *Sequebar bonitatem, detrahebant mihi: Isa. 5. Vae qui dicunt malum bonum, et bonum malum: Dan. 4. Non invenernnt occasionem Danieli nisi in lege.* Glossa, *Felix conscientia, cui non potest imponi nisi quod servat legem Dei sui. Ne derelinquas me Domine*

m Hic ponitur oratio, et petit removeri quod timet, et petit sibi praestari quod amat, ibi, *Intende in adiutorium meum.* Hic petit non amoveri, scilicet praesentiam Dei; unde dicit, *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, scilicet in tribulatione: *Psalm. 90. Cum ipso sum in tribulatione: Deutero. 31. Dominus Deus tuus est, non dimittet te.* Et si ad modicum videaris me derelinquere, tamen omnino, *Ne discesseris a me*, quia timeo quod per me non possum subsistere: *Isaiae 54. Misericordia mea non recedet a me. Intende in adiutorium meum*, idest adiuva me ut proficiam. Et nota quod istum versiculum dicit ecclesia in principio omnium horarum, quia versiculus iste valet contra omnes tentationes. Unde cum incipimus orare, diabolus tentat nos: propter quod petit auxilium, ideo dicit, *Intende*, quia tu es Deus dator et conservator salutis meae: *Psalm. 243. Qui das salutem regibus* etc.

*In finem pro Iditum.*

## CANTICUM.

### a PSAL. XXXVIII.

Dixi custodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam : cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis: et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.

b Locutus sum in lingua mea, Notum fac mihi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.

c Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tanquam nihilum ante te.

d Veruntamen universa vanitas : omnis homo vivens.

e Veruntamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur. Thesaurizat : et ignorat cui congregabit ea.

f Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.

g Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me. Obmutui, et non aperui os meum; quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas. A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius : veruntamen vane conturbatur omnis homo.

h Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te : et peregrinus sicut omnes patres mei. Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

### a PSAL. XXXVIII.

Psalmographus confessus est se passum afflictionem suam pro peccato suo; hic autem promittit cautelam in posterum. Titulus talis est, *In finem charitati David pro Iditum.* Et hoc non est novum, licet sit novus Titulus: quia, ut habetur in historia *1. Paralip. 15.* quando David arcam foederis, quae fuerat capta a Philistaeis reduxit, quatuor millia cantorum instituit, qui psalmos canerent: quos posuit intus, quos Asaph, Itamar, et Iditum vocavit. Et hic ponitur in titulo. Et sicut Origenes dicit, haec consuetudo est etiam apud Graecos, quod si aliquando aliqui poetae erant qui carmina recitabant in populo, si non erant ab ipsis recitantibus facta, sed ab aliis, victoria non dabatur recitatori, sed poetae. Sic etiam fit de psalmis: nam omnes psalmos fecit David, et quosdam ipse cantavit coram arca, ut habetur *2. Reg. 6.* quosdam dabat aliis cantandos: et ideo illi quibus dabantur, erant quasi cantores, et eis intitulantur : tum propter dignitatem, quia fuerunt prophetae, tum propter mysterium. Unde hoc competit mysterio Iditum, quod interpretatur intus vir sciens, vel transiliens, et signat transilientem vanitatem mundi, de qua multum in hoc psalmo agitur. Dividitur ergo psalmus iste in partes duas. In prima ponit cautelam, quam habet ad evadendum pericula. In secunda ostendit necessitatem cautelae, ibi, *Ecce mensurabiles.* Circa primum duo facit. Primo praemittit cautelam. Secundo ostendit periculum ex ea incidens, ibi, *Obmutui.* Circa primum duo facit. Primo praemittit cautelam. Secundo ponit rationem cautelae, ibi, *Posui ori meo.* In cautela consideranda sunt tria, scilicet cavendi propositum; unde ait, *Dixi,* idest cum deliberatione in corde meo statui et proposui : *Eccl. 2. Dixi in corde meo, vadam et affluam deliliis.* Secundo considerandum est, quid proponat, quia, *Custodiam vias meas*, idest processus meos. Et debet homo custodire vias Dei ut immittetur: *Iob 23. Vestigia eius sequutus est pes meus. Viam eius custodivi, et non declinavi ex ea.* Item debet custodire vias suas ne erret: *Deut. 4. Custodite vias vestras, et studia vestra.* Tertio considerandus est fructus qui ex hoc sequitur, *Ut non delinquam in lingua mea.* Homo debet diligenter se custodire ab omnibus peccatis, et praecipue a peccato linguae, quia faciliter in eis prolabitur : lingua enim est mobilis, et de facili prorumpit in malum. Vel ratio est, quia lingua est immediatum organum ad interiorem conceptum cordis explicandum. Unde quam cito verbum est in corde, est in lingua : et ideo oportet diligenter custodiri. Consequenter ponitur ratio huius custodiae, *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me;* quasi dicat, Haec est ratio quare sic custodio vias meas, quia semper adversarius est contra me. Alibi dictum est, quod homo ponat custodiam cordi : *Prov. 4. Omni custodia serva cor tuum ;* hic dicit quod ponat custodiam ori, quod non claudatur totaliter, sed debet custodiri, idest servari a malis verbis quantum ad tempus, et quantum ad ea quae dicit: *Eccl. 8. Omni negotio tempus est, et opportunitas.* Et quare posui ori meo custodiam? *Cum consisteret peccator adversum me.* Hoc exponitur tripliciter. Unus sensus est, *Adversum me,* ad insidiandum; et tunc magis necessaria est cautela: *Eccl. 5. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum: Matth. 22. Ut caperent eum in sermone.* Secundus sensus est, *Adversum me*, ad iniuriandum, vel impugnandum, quia etiam tunc cum impugnat, debes tibi cavere, quia tibi est virtus: *1. Petri 2. Cum malediceretur, non maledicebat.* Tertius sensus est, *Adversum me,* idest in conspectu meo, ut instruatur; et tunc necessaria est cautela ne omnia omnibus proferat. Quaedam enim sunt proferenda iustis, quae non sunt dicenda peccatoribus: *1. Cor. 3. Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: Matthaei 7. Nolite sanctum dare canibus;* quasi dicat, Posui custodiam ne secreta doctrinae propalarem peccatoribus. *Obmutui.* Hic ponit periculum cautelae in quod posset incidere: propter quod dicit: Videns peccatores impugnantes contra me, proposui omnino tacere; unde dicit, *Obmutui,* idest penitus tacui. Sed quandoque contingit quod propter cautelam

aliquis indiscrete tacet aliquando, et aliquando aliquis tacet exterius, et turbatur interius: *Eccl. 33. Praecordia fatui quasi rota praecurrens;* sed iste non turbatur interius; ideo dicit, *Humiliatus sum*, scilicet intus, sed periculum est: quia dum volui tacere a malis, *Silui etiam a bonis:* vel a bonis verbis, quae non dixi: vel a bonis hominibus, quibus nolui loqui: *Eph. 4. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem* etc. Unde sequitur, *Quod dolor meus renovatus est;* quasi dicat, Prius dolui de indiscreta locutione, modo doleo de indiscreta taciturnitate; quasi dicat, Innovavit me dolor. Sed adhibetur remedium internae charitatis; et ideo dicit, *Concaluit cor meum intra me*, idest concitatus est calor charitatis in corde meo: *Prov. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta eius non ardeant?* Sic impossibile est quod homo abscondat verba Dei, cum inflammatur cor charitate: *Psal. 118. Ignitum eloquium tuum* etc. Causa autem huius concitationis est meditatio de divinis; unde dicit, *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Nihil amatur nisi bonum et pulchrum. Unde in exterioribus amoribus visio corporalis est causa amoris. Et ideo si vis accedere ad spiritualia, oportet quod accendatur cor tuum amore Dei. Effectus concitationis est, quia qui proposuit tacere, movetur ad loquendum; unde dicit, *Locutus sum: Act. 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui.* Gregorius: *Spiritus quos replet, ardentes pariter et loquentes facit: Iob 4. Conceptum sermonem quis retinere potest?* Simile dicitur *Hier. 20. Factus est sermo Domini* etc. *Et dixi, Non loquar ultra* etc. Et sequitur, *Et factus est in corde meo quasi ignis.* Vel exponitur secundum glossam, *Obsurdui*, idest factus sum surdus. Deus non dat gratiam homini nisi utatur illa; et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non utitur, Deus aufert ei, ut patet de talento *Matth. 25. Auferte ab eo mnam, et date ei qui decem mnas habet.* Et ideo dicit, *Obsurdui et humiliatus sum*, idest deiectus: et tunc non sonat in virtutem, sed delictum: et ideo dicit, *Concaluit cor meum* prae solicitudine. Origenes exponit aliter: *Dixi custodiam vias meas*, punctus, *Ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam.* Et post, *Dum consisteret peccator* etc. *obmutui.* Est autem triplex genus hominum. Quidam in tribulationibus positi maledicunt persequentibus se. Quidam benedicunt. Quidam sunt medii, qui saltem perveniunt ad hoc quod tacent. Ita evasit gradum primum, quia posuit ori suo custodiam, et non maledicebat. Sed quia obmutuit, et non benedicebat, evasit secundum gradum, quia sentiebat dolorem, et aestuabat intra prae indignatione etc. hic convertit se ad Deum, et exardescit. *Locutus sum in lingua mea: notum fac Domine finem meum. Et numerum* etc.

b Ponitur hic duplex petitio. Prima, ibi, *Notum fac mihi Domine finem meum.* Finis accipitur hic Christus: *Rom. 10. Finis legis Christus.* Et dicit, *Domine notifica mihi Christum.* Alia petitio est, ibi, *Notum fac mihi numerum dierum meorum*, idest volo considerare qualis sit vita praesens, ut possim eam comparare ad finem illum, quia isti dies sunt mali pauci et imperfecti; illi autem sunt perfectissimi: et tunc scitur quod, *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, ut dicitur *Rom. 8.* Et sic, *Sciam quid desit mihi*, idest quomodo sum imperfectus ad illam vitam. Origenes dicit, quod finis sumitur hic pro perfectione. Quaelibet enim ars habet finem quem intendit, qui est perfectior eius; et sic dicit, *Notum fac mihi finem meum*, idest quae sit summa perfectionis vita, in qua vis me ambulare: *Psalm. 118. Omnis consummationis vidi finem. Et numerum dierum meorum*, idest opera mea, quae sunt dies; quasi dicat, Fac me recte iudicare opera mea quantum valent. Et hoc, *Ut sciam quid desit mihi*, scilicet a perfectione. Vel potest exponi simpliciter de fine vitae: quia, sicut dicitur *Eccl. 7. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua. Et numerum dierum meorum* etc. idest quantum vivam, ut praeparem me ad poenitentiam. *Ecce mensurabiles posuisti*

c Supra memoravit Psalmista cautelam exhibitam per silentium, periculum ex silentio imminens, et remedium, quo periculo subvenitur; hic autem ostendit necessitatem cautelae praedictae, quae sumitur ex miseria praesentis vitae: et circa hoc duo facit. Primo describit praesentis vitae miseriam. Secundo contra eam petit remedium, ibi, *Et nunc quae est.* Circa primum duo facit. Primo describit miseriam huius vitae quantum ad ipsam vitam. Secundo quantum ad vitae occupationem, ibi, *Veruntamen in imagine.* Circa primum duo facit. Primo describit miseriam hanc quantum ad vitam. Secundo rationem assignat, ibi, *Veruntamen universa.* Miseriam huius vitae ostendit quantum ad eius brevitatem, et quantum ad eius debilitatem. Quantum ad primum dicit, Domine petivi, ut annuntiares mihi numerum dierum meorum. Sed nunquid sunt numerabiles dies mei ita, quia, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Homo est sic conditus, quod si nunquam peccasset, non moreretur, et ita dies eius non mensurarentur; sed peccando moritur, et sic numerari possunt: *Iob 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.* Sed esto quod vita esset brevis, et posset esse ita pretiosa quod multum reputanda esset, tamen hoc nihil est, quia substantia mea, et natura mea, et vita mea tanquam nihilum ante te est, idest in comparatione tui; licet aliquid videatur esse in comparatione creaturarum infimarum: *Isa. 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Potest autem dici sic, *Substantia mea*, idest dum considero illud quod est ante te, idest bona aeterna, quae dabis sanctis, substantiam meam nihil reputo. Vel sic. Qui considerant res huius mundi ante te, idest oculo divino, nihil reputant eas. *Veruntamen universa*

d Hic assignat rationem secundum literam. *Universa*, secundum literam nostram, vel est nominativi casus singularis numeri, vel est nominativi casus neutri generis, et pluralis numeri. Si secundo modo, sic est sensus, *Veruntamen universa*; quasi dicat, Non est enim mirum si vita hominis est nihil ante te, quia, *Universa*, idest inferiora omnia sunt vanitas. Et ideo Hieronymus habet, *Omnia enim vanitas*, ut sit quasi ratio praecedentium: *Eccl. 1. Omnia vanitas.* Et dicuntur vanitas, quia vanitas opponitur soliditati, et stabilitati: omnia enim quae sunt in mun-

do, sunt subiecta mutabilitati, et ideo sunt vana: et etiam inter ea, *Omnis homo vivens* est subiectus mutabilitati, et sic est vanitas: *Rom. 8. Vanitati enim creatura*, idest homo, *subiecta est non volens.* Vel secundum literam, *Universa*, si sit singularis numeri, sic est sensus, *Universa vanitas*, idest vanitas, *Est omnis homo vivens*, idest est in omni homine mundane vivente. Vanus dicitur homo ex hoc quod sequitur res mutabiles: *Hier. 2. Ambulaverunt post vanitates, vani facti sunt.* Vel sic, *Omnis homo vivens*, idest carnaliter: est omnis, idest perfecta. *Veruntamen in imagine*

e Hic ostendit miseriam conditionis humanae, quantum ad occupationem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit quod aliquid sit in homine quod vanitati debet resistere. Secundo ostendit in generali vanitatem occupationis eius, ibi, *Sed frustra.* Tertio ostendit hoc idem in speciali, ibi, *Thesaurizat.* Dicit ergo, *Omnis homo vanitas*; tamen aliquid est in homine fixum, quod semper manet in eo dum transit, et hoc est imago. Et potest hoc tripliciter exponi. Uno modo de imagine Dei, quae est inquantum homo est praeditus ratione: *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et haec imago debet resistere vanitati, scilicet ratio, et debet eam, scilicet vanitatem, excludere. Et hoc est quod ait, Quamvis homo sit subiectus vanitati, semper tamen est praeditus ratione. Sed quia non determinatur hic cuius sit imago, ideo nota hic duplicem imaginem: unam caelestis hominis, aliam vero hominis terreni: *1. Cor. 15. Sicut portavimus imaginem caelestis.* Dico ergo quod omnis homo est vanitas; tamen omnis homo pertransit in aliquam imaginem, quia, vel per bona opera repraesentat in se imaginem hominis caelestis, vel per mala, imaginem terreni. Imago importat similitudinem. Cursus autem vitae istius dirigitur per aliquam cognitionem, quia affectus movetur secundum cognitum. Est autem duplex cognitio. Una, qua cognoscitur veritas, et haec est certa. Alia est per verisimilitudinem, et haec est quasi cognitio imaginis: quia non attingit ad ipsam veritatem, sed ad similitudinem veritatis. Si homo attingeret ad ipsam veritatem sicut est, non turbaretur, quia consideraret conditionem huius vitae, et quid erimus post hanc vitam, et sic non occuparetur in ista vita, sed ad ea quae sunt in alia vita tenderet. Et ideo Hieronymus habet, *Quantum ad imaginem pertransit homo, tantum turbatur*, idest quantum deficit homo a vera cognitione veritatis, tantum turbatur per occupationem huius vitae, sive in bonis, sive in malis: *Luc. 10. Martha Martha solicita es, et turbaris erga plurima.* Quando ergo facit bona opera, tunc non turbatur frustra; sed quando non occupat se in bonis, tunc frustra turbatur: *Isa. 49. Vane consumpsi fortitudinem meam.* Et ponit exemplum de occupatione quae conturbat homines, quae est occupatio avaritiae; haec autem maxime conturbat homines. Concupiscentia autem ad horam occupat homines, similiter et ira. Sed, ut dicitur *Eccl. 5. Avarus non impletur pecunia*; et ideo de eo ponit exemplum dicens, *Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea*, idest congregat thesauros superfluos in hac vita: *Matth. 5. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, scilicet vane et frustra, *quia ignoratis cui congregatis ea.* Sibi non, quia *Iob 27. Dives cum dormierit, nihil secum affert.* Ergo aliis, sed nescit cui: quia aliquando non congregat pueris, quia non remanent post eum: et si remanent, non tamen scit quales sint, quia aliquando sunt contra parentes. *Et nunc quae est expectatio mea* etc.

f Hic petit Dei auxilium contra miseriam. Et primo ponit fiduciam, ex qua oratio sua procedit. Secundo proponit orationem, ibi, *Ab omnibus iniquitatibus.* Tertio petit eam exaudiri, ibi, *Exaudi.* Quandoque homo est in miseria: et tunc aut confidit liberari per se, aut per alium. Si confidit liberari per se, non expectat alium, sed in seipsum habet subsidium. Si per alium, tunc expectat, quia sperat per alium iuvari. Si est in ista miseria, quia breves dies sunt, et non confidit in se, sed dicit cum Iob *6. Ecce non est auxilium mihi in me;* sed expectat auxilium a Deo; unde dicit, *Quae est expectatio mea? nonne Dominus;* quasi dicat, Solus potest me liberare, quia ipse solus est super omnem veritatem, qui solus est veritas: *Isa. 30. Beati omnes qui expectant eum.* In expectatione etiam mora est; quasi dicat, Ego praestolabor: *Abac. 2. Si moram fecerit, expecta eum, et substantia mea apud te est.* Hic ponitur ratio fiduciae, quam habet de Deo. Naturale est quod homo confidat de Deo apud quem collocat quod habet. Qui ergo totum quod habet, ponit in Deo, potest confidere de Deo. Et ideo dicit, *Substantia mea apud te est;* quasi dicat, Etsi in me nihil sim; tamen quicquid spero me esse, et quicquid habeo, est in te: *Heb. 10. Cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam: Mat. 6. Thesaurizate vobis thesauros in caelo: 1. Tim. 1. Scio cui credidi, et certus sum.* Glossa exponit de Christo. *Substantia mea apud te est*, idest tu Christe sumes de mea carne, quia *Factus est ex semine David secundum carnem, Rom. 1. Ab omnibus*

g Supra Psalmista posuit fiduciam habitam de Deo, cum dixit, *Et nunc quae est expectatio mea* etc. hic autem proponit Deo suam petitionem: et circa hoc tria facit. Primo petit a Deo remotionem culpae. Secundo petit remotionem poenae. Tertio assignat rationem coniunctionis harum petitionum. Secundo, ibi, *Amove.* Tertio, ibi, *Propter iniquitatem.* Circa primum duo facit. Primo petit petitionem. Secundo allegat meritum exauditionis, ibi, *Opprobrium.* Dicit ergo, *Ab omnibus iniquitatibus meis* etc. Ubi sciendum est, quod haec petitio commendabilis est propter rem petitam, quae necessaria est, scilicet liberari a peccato: *Iob 11. Si iniquitatem quae in manu tua est, abstuleris a te, et non permanserit in tabernaculo tuo, in iustitia tunc levare poteris faciem absque macula.* Secundo, quia petit non meritis propriis, sed petit sibi dari a Deo: *Isa. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Tertio, quia petit ab omnibus liberari, quia impium est a Deo petere veniam de peccatis, a quo tota liberatio non speratur: *Io. 6. Totum hominem sanum feci in sabbato:* unde dicit, *Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me*, quasi non peto liberari ab uno solo peccato, sed ab omnibus: *Ezec. 26. Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: Ps. 24. Dimitte omnia peccata mea.* Meritum sumitur ex parte patientis: *To. 3. Omnia peccata ho-*

*minum in tribulatione dimittis.* Et ideo primo ostendit quod sustinet. Secundo ostendit patientiam quam habuit. Tertio assignat causam. Dicit ergo, *Opprobrium insipienti dedisti me:* quod potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut opprobrium sit poena sibi inflicta a Deo, quia sicut proprium praemium virtuosi est honor, ita poena peccati est opprobrium: *Mal. 2. Scandalizaris plurimos in lege.* Alio modo quod Deus causaverit eam, idest patientiam, non opprobrium, sed causam opprobrii ex hoc, quod iam incipit contemnere terrena, quod stulti et insipientes reputant opprobrium propter patientiam quam ago. Patientiam quam habuit, ostendit cum dicit, *Obmutui.* Signum patientiae est, quod homo cum verba opprobrii inferuntur ei, non reddit malum pro malo, sicut Christus *1. Pet. 2. Cum malediceretur non maledicebat.* Et ideo dicit, *Obmutui, non aperui os meum.* Et potest ad duo referri. Uno modo, ut cum dicit, *Non aperui*, designat continuationem patientiae, quia licet aliquis ad horam videatur patiens et taceat, postea impatiens factus loquitur valde *: Isa. 53. Tamquam ovis ad occisionem ducetur, et tamquam agnus coram tondente* etc. *non aperuit os suum : Ps. 37. Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum ;* quasi dicat, Habui patientiam. Vel, *Obmutui*, ab opprobriis contra proximum. *Et non aperui os meum*, contra Deum. Causa est, *Quoniam tu fecisti.* Et potest referri ad hoc quod dicitur, *Opprobrium.* Causa quod sustineat patienter iniurias, est quando cogitat quod divino iudicio fit sibi hoc. Hoc fecit David cum dixit *2. Reg. 13. Dimitte eum ut maledicat : Pro. 3. Disciplinam Domini fili mi non dimittas, ne deficias cum ab eo corripieris.* Vel potest referri ad hoc quod dicit, *Obmutui quoniam tu fecisti*, scilicet patientiam. Secunda petitio sua est de amotione poenae. Et primo ponit petitionem. Secundo rationem petitionis. Dicit, *Amove a me plagas tuas*, idest flagella tua. Et potest dupliciter exponi. Vel de corporalibus flagellis, et haec sunt exteriora, sicut flagella caeteraeque adversitates, quibus homo punitur pro peccatis suis a Deo : *Hiere. 30. Plaga inimici percussi te.* Ergo haec flagella amove a me. Item sunt plagae spirituales, idest interiores, sicut remorsus conscientiae : *Ps. 35. Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Et has petit removeri. Secundum autem Origenem causa huius petitionis est a fortitudine. Flagellatio exterior multum utilis est, inquantum patienter sustinetur; sed quando non fertur patienter, sed deficit et desperat se, sunt nocivae: *2. Cor. 2. Consolemini eum ne abundantiori tristitia absorbeatur.* Et ideo timens hoc, petit removeri plagas, quia defecit a fortitudine, idest a violentia percussionis: *Isa. 8. In forti manu erudivit me : 1. Reg. 5. Fiebat manus Domini gravissima.* Deficit homo tripliciter in flagellis. Unus modus est communis bonis et malis, qui est corporalis : *Psal. 88. Et in ira tua defecimus.* Alius est impatientiae ; et hic est malorum : *Iob 4. Nunc venit super te plaga, et defecisti.* Alius modus est bonorum, quo quis deficit a se, et tendit in Deum: *Ps. 118. Defecit in salutare tuum anima mea.* Et quolibet istorum modorum potest intelligi quod dicitur hic; quasi dicat, Ideo peto quod amoveas a me flagella tua, quia sum correptus quoad tertium modum defectionis : quia, *Ego defeci a fortitudine manus tuae in increpationibus.* Vel quia despero, quoad secundum modum. Vel quia non possum sustinere, quoad primum modum. Nec est vis si dicatur secundum aliam literam, *In increpationibus ego defeci* etc. *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* Haec est ratio quare proponit duplicem petitionem : quia primo removetur causa, et postea removetur effectus. Culpa est causa plagarum ; et ideo dicit, quod homo flagellatur propter peccata. Unde dicit, *Tu corripuisti*, idest flagellasti hominem, *Propter iniquitatem*, idest propter peccata sua. Et ideo primo petit removeri peccata, quia poenae futurae sunt ad damnationem, sed poenae huius vitae ad purgationem, quantum est de se, et sunt ad correptionem : *Ps. 37. Multa flagella peccatoris. Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Hic ponitur modus sive terminus correctionis, *tabescere*, idest desiccare. Potest ergo exponi corporaliter, quando refertur ad tribulationem corporalem, quia humiditas et pinguedo corporalis desiccatur, et sic vita tabescit: *Iob 33. Tabescet caro eius.* Item *ibidem: Consumpta est caro eius suppliciis.* Alio modo, ut referatur ad animam. In homine spiritualiter est duplex pinguedo. Una mala per delectationes corporales : *Deut. 32. Impinguatus est, dereliquit Deum factorem suum :* et ab hac pinguedine desiccare bonum est ; et hoc est quod dicit, *Tabescere fecisti*, idest desiccasti, *Animam meam sicut araneam*, ab amore carnalium rerum : quia aranea est animal calidum, et non est pingue, quia facit subtilissima fila ; ita anima separata a carnalibus delectationibus, inhaeret per affectum rebus invisibilibus, et facit operationes et affectiones invisibiles: *2. Cor. 2. Non contemplantibus nobis quae videntur.* Vel, *Tabescere*, idest desiccare a pinguedine devotionis, sicut Psalmista dicit *26. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* : et haec est mala desiccatio. Hoc fit, quia anima efficitur indevota, et inhaeret peccatis, et caret pinguedine devotionis sicut aranea. Item tela araneae est fragilis, ita cogitationes peccatorum sunt vanae: *Isa. 59. Telas araneae*, idest inutilia et vana, *texerunt*, idest fecerunt. Item aranea tantum emittit de filiis illis, quod moritur; ita homines moriuntur spiritualiter propter peccata quae faciunt: *Iac. 1. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Et legitur sic. Animam eius existentem, sicut araneam, fecisti tabescere, idest desiccare bona siccitate. *Veruntamen vane conturbatur omnis homo.* Hic est defectus correptionis, quia licet faciet sic tabescere, tamen multi manent in malitia sua, vel redeunt ad malum. Et quod aliqui non conturbantur vane, hoc non est inquantum sunt homines, sed inquantum sunt elevati a Deo a rebus terrenis ad considerationem caelestium. *Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem* etc.

h Hic petit suam petitionem admitti: ubi petit ut exaudiatur. Et ponit tria, quae faciunt acceptam petitionem Deo. Primum est elevatio mentis in Deum: et haec est oratio, quae est ascensus mentis in Deum; unde dicit, *Exaudi orationem meam Domine: Ps. 68. Ego vero orationem meam ad te Domine.* Secundum est continuatio petendi: et hoc cum dicit, *Et depre-*

*cationem meam* : *Iac. ult. Multum valet deprecatio iusti assidua.* Tertium est lacrymarum multitudo: et hoc ostendit cum dicit, *Auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas.* Hic ponitur signum exauditionis: unde petit quod Deus non sileat. Dicitur autem aliquando Deus silere, quantum ad malos, quando eos non punit, sicut dicitur *Isa. 42. Tacui, semper silui, patiens fui etc. Ne sileas*, idest ne taceas a punitione. Item aliquando silet non consolando bonos: et sic dicit, *Ne sileas*, animae meae: sed dic animae meae, salus tua ego sum. Et hoc facit Deus in vita ista, cum dicit peccatori, *Remittuntur tibi peccata tua.* Et etiam in futuro, quando dicet, *Venite benedicti Patris mei* etc. *Matt. 25.* Hieronymus habet, *Ad lacrymas meas non obsurdescas*, et continuatur cum praecedentibus. *Quoniam advena ego sum apud te.* Hic assignat rationem suae petitionis ; quasi dicat : hoc praecepit Deus *Exod. 22.* scilicet quod exaudiantur advenae. Et quia ego sum advena, iustum est quod exaudias me. Ego dimisi mundum, et ad te confugi, et sum apud te sicut advena, quia in mundo isto non habeo mansionem manentem, sed sum sicut peregrinus tendens alibi, scilicet ad patriam vitae aeternae. *Sicut omnes patres mei*, fuerunt. Multi enim sunt advenae in mundo isto non habentes affectum ad res mundanas. *Sicut omnes patres mei*, scilicet sancti qui peregrini fuerunt, ut Apostolus dicit *1. Cor. 5. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus: 1. Tim. 6. Remitte mihi.* Hic petit accelerationem exauditionis; quasi dicat, Celeriter fiat quod peto. Et primo ponit effectum petitionis. Secundo tempus determinat ; unde dicit, *Remitte mihi*, scilicet peccata: quia, *Beatì quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Et hoc ut hic, *Refrigerer*, scilicet a peccato, sive a poena quam malignus intendit: *Sap. 4. Iustus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et hoc facias, scilicet quod remittas mihi, *Priusquam abeam*, idest antequam recedam ab hoc mundo : quia ibi non est remissio: *Iob 10. Antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam* etc. *Et amplius non ero.* Hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo sic, *Remitte* etc. quia postquam abiero, non ero in statu, ubi possint peccata dimitti: *Iob 7. Non revertetur oculus meus ut videat bona*, scilicet praesentia. Alio modo sic, *Remitte* etc. quia si abeam ex hoc mundo, nisi remiseris peccata, non ero in bono esse amplius : *Iob 18. Habitent in tabernaculo eius socii eius, qui non sunt.*

*In finem,*

## a PSAL. DAVID XXXIX.

Expectans expectavi Dominum: et intendit mihi. Ex exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriae, et de luto foecis. Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

b Videbunt multi et timebunt : et sperabunt in Domino. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates, et insanias falsas.

c Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua : et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum.

d Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

e Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.

f Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem. Multiplicatae sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.

g Complaceat tibi Domine, ut eruas me : Domine ad adiuvandum me respice. Confundantur et revereantur simul: qui quaerunt animam meam ut auferant eam. Avertantur retrorsum, et revereantur : qui volunt mihi mala. Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi, Euge, euge. Exultent et laetentur super te omnes quaerentes te: et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

h Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus solicitus est mei. Adiutor meus et protector meus tu es : Deus meus ne tardaveris.

## a PSAL. XXXIX.

Psalmista in Psalmis praecedentibus invocavit divinum auxilium contra malitiam malorum, et ostendit propositum suae cautelae; hic autem agit de fiducia divini auxilii: et circa hoc duo facit. Primo describit ipsam fiduciam. Secundo agit de misericordia quae est causa fiduciae, ibi, *Beatus qui intelligit* Circa primum duo facit. Primo commemorat fiduciam, quam habet de Deo, continuando se ad praeteritā. Secundo petendo futura, ibi, *Tu autem Domine.* Circa primum duo facit. Primo commemorat fiduciam, quam habet de Deo, recitando praeterita beneficia. Secundo ostendit misericordiam Dei per quam benefacit, ibi, *Multa fecisti.* Psalmus iste mystice agit de mutatione veteris testamenti in novum. Titulus, *In finem Psalmus David.* In aliis Psalmis finis accipitur pro Christo: *Ro. 10. Finis legis Christus.* Hic finis accipitur pro novo testamento, quod est finis veteris: *1. Tim. 1. Finis praecepti est caritas.* Circa primam partem tria

commemorat. Primo efficaciam fiduciae in generali. Secundo tangit eam in speciali, ibi, *Statuit*. Tertio ostendit hanc esse in aliis, ibi, *Videbunt*. Circa primum duo facit. Primo tangit fiduciam ostendens eam efficacem. Secundo fiduciae signum. Dicit ergo, *Expectans*. Haec litera intelligitur quod David in persona sua multoties expectavit divinum auxilium. Sed quia loquitur in persona ecclesiae, melius est ut de humano genere expectante gratiam novi testamenti accipiatur. Et dicit, *Expectans expectavi Dominum*, ut ostendat continuationem: quia licet tardaret, non tamen defecit: *Abac. 1. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet*. Et sic debet quilibet iustus homo semper in fiducia Dei manere, quia non deficit sperantibus in se. Vel refertur ad diversos status expectantium: quia patriarchae et prophetae et omnes alii expectaverunt, et satis communiter tenetur. Exteriori expectationi adiungit intentionem cum dicit, *Et intendit mihi*: quia licet Deus omnes audiat, non tamen omnibus intendit, quia non omnes sunt ordinati ad bonum; et ideo, *Intendit mihi*, idest ad utilitatem meam. Signum fiduciae est deprecatio: quia nullus finaliter rogat nisi quia sperat exaudiri. Et ideo dicit, *Et exaudivit preces meas: Ps. 142. Respexit in orationem humilium, et eduxit me de lacu miseriae*. Hic ponit in speciali efficaciam fiduciae in quibus est exauditus. Et tangit tria. Primo liberationem a malis. Secundo collationem bonorum, ibi, *Et statuit*. Tertio gratiarum actionem utriusque, ibi, *Et immisit*. Est autem duplex malum quod refugiunt homines, scilicet malum miseriae, et poenalitatis. Quantum ad primum dicit, *Eduxit me de lacu miseriae*. Et potest hoc etiam referri ad miseriam temporalem in qua aliquando fuit David. Et dicitur lacus miseria temporalis, propter eius profunditatem et multiplicitatem. Potest etiam referri ad miseriam culpae: quia, *Miseros facit populos peccatum, Prov. 14*. Et potest utrumque reduci ad culpam vitiorum carnalium cum dicit, *De lacu miseriae*, idest de profundo peccatorum. Vel potest referri ad spiritualia peccata, quibus homo iustus intus involvitur peccatis; unde dicit, *De luto foecis*. Ad peccata carnalia refereudo non dicit lutum simpliciter, sed foecis, vel fimi secundum Hieronymum, quia lutum in terra non corrupta non est foex nec foetidum et abominabile, vel lacus miseriae, idest infernus de quo sancti educti sunt a Christo. Et lutum est opprobrium, de quo sancti sunt educti, in quo detinebantur a daemonibus. Consequenter agit de collatione bonorum, in quo duo laudabilia ponit. Primo ut homo in bonis firmetur; et quantum ad hoc dicit, *Statuit super petram pedes meos*, idest affectus meos quibus procedendum est in via spirituali. Petra dicitur fundamentum divini auxilii: *1. Reg. 22. Dominus petra mea*. Vel petra dicitur Christus: *1. Cor. 10. Petra autem erat Christus*. Et sic firmavit supra petram, idest divinum auxilium. Vel supra Christum pedes meos, idest affectus meos. Secundum est, ut in bonis proficiat; et quantum ad hoc dicit, *Et direxit gressus meos*, idest praevenit me ad meliora: *Prov. 16. Cor hominis dissipavit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius*. Consequenter gratias agit; quasi dicat, Hoc ipsum quod laudamus est supra vires meas, quia est maior omni laude: unde Deum digne laudare est a Deo, idest ipse, *Immittit in os meum canticum novum: 2. Cor. 13. An experimentum quaeritis eius qui* etc. *Canticum novum*, idest de novis beneficiis; et sunt haec, scilicet incarnationis opus: *Hiere. 31. Novum fecit Dominus super terram: foemina circumdabit virum*. Item novus liberationis modus: *Hebr. 9. Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Et immisit Dominus David canticum in os meum*, quia novum canticum, idest novum testamentum: *Isa. 55. Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fidelis: Apoc. 14. Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia*, quia novus rex, nova lex, nova gaudia. Homines veteris testamenti cantabant vetera cantica, Oculum pro oculo, animam pro anima. Ad inferos quoque descendebant: quia conclusa erat eis ianua regni, prohibente Cherubim aditum paradisi, in cuius manu erat acuta romphaea. Sed omnes homines novae legis cantant canticum novum, quod novus homo Christus attulit: *Apoc. 21. Ecce nova facio omnia*. Novus ergo populus nova cantat, scilicet de incarnatione Domini, de resurrectione, de ascensione, de nativitate, et aliis huiusmodi. Unde in his praecipuis solemnitatibus ministri ecclesiae inducti albis, vel sericis ornamentis cantant et legunt, ut novum canticum nemo nisi innovatus cantare praesumat. Canticum dico, non de vanitate, non de turpibus, sed quod placet Deo: unde dicit, *Hymnum*; vel carmen quod placet Deo nostro, idest laudem Deo: *Psal. 64. Te decet hymnus Deus in Sion: Ephe. 5. Cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo. Videbunt multi*

b Hic ponitur utilitas in aliis, scilicet in aliorum conversione. Et primo ponit ipsam utilitatem. Secundo ponit fructum eius, ibi, *Beatus vir*. Hic est ordo conversionis. Primo oportet, quod homo videat illud ad quod debet converti; unde dicit, *Videbunt multi*, scilicet Christum natum. Multi priores populi qui eum expectaverunt viderunt: *Baruc. 3. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Vidit eum Symeon, qui recepit eum in templo, et multi alii: *Luc. 2. Viderunt oculi mei salutare tuum*. Et *Luc. 10. Multi reges et prophetae voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt*. Vel viderunt multi miracula Christi: *Luc. 10. Vidimus mirabilia hodie*. Et hoc, vel per fidem, vel per oculos. Secundo oportet quod timeat illum ad quem debet converti: unde dicit, *Et timebunt: Eccl. 1. Qui sine timore est, non poterit iustificari, quia timor Domini expellit peccatum*. Tertium est spes: *Ro. 8. Spe enim salvi facti sumus*. Nisi enim adesset spes timori, homo fugeret a Deo. Et ideo oportet quod sit timor quo fugiat peccatum, et spes qua accedat ad Deum. Fructus erit beatitudo; unde dicit, *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius*. Et primo ponitur fructus, qui est beatitudo, et quibus debetur, quia illis qui Deo inhaerent. Et ideo ponit primo veram opinionem, et excludit falsam. Vera opinio est, quod bealitudo non est nisi in illis, qui spem habent in eo: *Isa. 30. Beati omnes qui expectant eum;* et ideo dicit, *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius*. Hoc nomen Iesus est vera spes, quia in ipso est salus. Unde ille est

beatus, qui non temporalia expectat ab eo, sed salutem aeternam quam nomen eius indicat. Unde qui expectant salutare Dei, illi beatificantur. Vel, *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius*, idest cuius spes invocatio nominis Domini: *Ps. 19. Hi in curribus* etc. *nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Falsa opinio est, quod beatitudo consistat in rebus temporalibus, vel in cultu idolorum: et hoc excludit cum dicit, *Non respexit in vanitates*, idest in res temporales et voluptates: in quo includuntur omnia ad voluptates, et temporalia pertinentia: *Eccl. 1. Vanitas vanitatum* etc. Secundum excludit, cum dicit, *Insanias falsas*, idest culturas idolorum, in quibus falsa quaedam finguntur, quod homines fierent dii. Item sunt ibi lasciviae multae, et immunditiae, et crudelitates exercentur: *Sap. 14. Dum laetantur insaniunt.* Item erant falsae, quia erant in falsitate, et non super virtutem divinam fundatae, quibus non conveniebat: *Amo. 3. Congregamini super montes Samariae, et videte insanias multas in medio eius.* Ad hanc pertinent omnes vanae et noxiae superstitiones, sicut nigromantia, divinationes, et auguria. Vel insania dicitur iracundia, rixa, vel vana spectacula ludorum. *Multa fecisti*

c Supra Psalmista ex parte Christi, vel ecclesiae fiduciam suam exposuit: et effectus eius, scilicet multiplicia Dei beneficia; hic autem ostendit causam huius fiduciae, scilicet unde motus sit ad confitendum, et spes ex meritis proveniens. Et ita causa fiduciae sunt multa bona temporalium, quae etiam sunt retributiones quaedam quas homo retribuit Deo pro beneficiis: *Ps. 115. Quid retribuam Domino* etc. Et ideo utroque modo exponitur hoc, quia meritum Christi est causa fiduciae, et retributio meritorum. Et hoc consistit in praedicatione divinae veritatis: et circa hoc tria facit. Primo proponit meritorium actum, scilicet annuntiationem divinorum operum. Secundo ponit causam annuntiandi, ibi, *Sacrificium.* Tertio ponit modum, ibi, *Annuntiavi iustitiam tuam.* Circa primum tria facit. Primo osteudit misericordiam suam esse copiosam ad annuntiandum. Secundo manifestat causam sive necessitatem annuntiationis, ibi, *Multiplicasti.* Materia annuntiationis est copiosa. Et primo quantum ad multiplicitatem divinorum operum, quia, *Multa fecisti.* Et in operibus naturae: *Iob 9. Qui facit mirabilia et inscrutabilia: Ps. 138. Mirabilia opera tua* etc. Et ad mirabilia facienda est ipse per se sufficiens, quia non est ab alio instructus, sed per suas cogitationes. Unde dicit, *Et cogitationibus tuis,* scilicet per ordinationes suae sapientiae: *Ps. 103. Omnia in sapientia fecisti: Iob 26. Cui dedisti consilium? numquid Deo? Ro. 2. Quis consiliarius eius fuit?* Est magnus in opere et sufficiens. Item utroque excellens, quia in opere miraculorum, quando Petrum super mare fecit ambulare, et alia mirabilia multa quae hic possunt adaptari. Et nullus potest comparari operibus eius, nec cogitationibus eius; unde dicit, *Non est qui similis sit tibi: Ps. 85. Quis similis tui in diis Domine* etc. quoad primum: *Isa. 52. Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris*, quoad secundum. Sic ergo habes materiam affluentem ad praedicandum; unde subdit, *Annuntiavi et locutus sum.* Et dicit, *Annuntiavi,* in quo designat manifestationem divinorum operum, *Et locutus sum;* quasi dicat, Expressius dixi verbo, quam nutu. Vel designat ordinem praedicationis. Vel, *Annuntiavi,* ego Christus per prophetas, *Locutus sum*, ego ipse in propria persona: *Isa. 12. Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Necessitas praedicandi fuit multitudo malorum, *quia multiplicati sunt super numerum*, bonorum. Et ideo ad hoc ut minuantur mali, et augeantur boni, oportet, quod nuntietur eis: *Matt. 7. Arcta est via quae ducit ad vitam, et lata est quae ducit ad perditionem.* Vel, *Multiplicati sunt super numerum: Eccl. 1. Stultorum infinitus est numerus.* Vel aliter, ut significet effectum praedicationis, idest multiplicati sunt boni per praedicationis materiam, super numerum aestimatum: *Deut. 1. Addat Dominus ad numerum istum millia millium: Isa. 54. Multi filii desertae magis quam eius quae habet virum.* Hieronymus habet aliter, *Multa fecisti* etc. *Et cogitationes tuas pro nobis*, idest ad nostram salutem: *Hier. 39. Ego cogito cogitationes pacis.* Non inveni ordinem coram te. Et est dictum illud, quod non est similis tibi. Et sequitur: *Si annuntiare et enarrare voluero, plura sunt quam annuntiari queant*: quasi dicat, Plura sunt quam possint numerari. Et sic etiam Hieronymus ponit divinorum operum effectus cum dicit, *Multiplicati sunt super numerum. Sacrificium et oblationem*

d Hic assignat rationem, quare hanc recompensationem reddit Deo pro beneficiis, vel quare praedicavit. Et hanc causam assignat dupliciter. Primo ponit pro causa voluntatem divinam. Secundo suum propositum, ibi, *Tunc dixi.* Circa primum sciendum est, quod in veteri testamento pro beneficiis a Deo receptis offerebantur aliqua sacrificia, et in generali quatuor erant genera eorum, quae offerebantur Deo. Omne enim sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium, quia sacrificium importat factionem sacri. Unde cum in oblatione nihil est aliud nisi quod in usum sacerdotis venit, est pura oblatio; quando aliquid aliud fit inde, puta quod comburebatur, tunc vocabatur sacrificium. Fiebat autem in veteri testamento triplex sacrificium. Unum vocabatur dignissimum, quod dicebatur holocaustum. Secundum sacrificium pro peccato. Tertium victima, vel hostia pacificorum. Et primum totum incendebatur, et hoc erat acceptissimum: et dicitur ab holon, quod est totum. De hostia pro peccato una pars incendebatur; et alia cedebant in usum sacerdotis, et nihil veniebat in usum offerentis: quia dabant eam pro peccato; nisi forte in duobus casibus, vel quando offerebatur pro peccato sacerdotis, tunc totum comburebatur, quia nihil inde fiebat. Item quando offerebatur pro toto populo, quia inter eos etiam erat sacerdos. Victima autem dividebatur in tres partes: nam una offerebatur Deo, alia dabatur sacerdotibus, alia dabatur offerentibus. Et omnia ista tangit hic. Hostiam pacificorum tangit cum dicit, *Sacrificium.* Oblationem simplicem tangit cum dicit, *Et oblationem noluisti.* Holocausta tangit cum dicit, *Holocausta et pro peccato;* quasi dicat, Fecisti multa beneficia mihi, et ego volui tibi retribuere, non tamen sacrificia et huiusmodi: quia tu noluisti ea tempore novi

testamenti, quia tunc figura cessavit, et alia sacrificia erant figurae veri sacrificii, scilicet Christi. Et ideo post Christum destructum est templum, et cessaverunt sacrificia. Unde et Iudaei etiam pauca servant hodie de illis, scilicet circumcisionem in signum: Vel, *Noluisti*, idest non per se acceptasti de bonis operibus quae homo facit: quaedam enim sunt Deo accepta propter se, ut opus iustitiae, charitatis, fidei, et virtutis, et hoc Deus vult: *Deut. 10. Nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias Domino Deo in tuo corde tuo, et in tota anima tua.* Sed oblationes non acceptat propter se, *Numquid manducabo carnes* etc. Non. Sed quid: *Immola Deo sacrificium laudis* etc. Quare ergo fuerunt ordinata in lege? Respondeo. Propter duo: videlicet in figura futuri sacrificii: *1. Cor. 20. Omnia in figura contingebant illis:* et ad cautelam, ut non offerrent ea idolis declinantes ad idolatriam existentes in medio gentium, ad quam proni erant filii Israel in principio legis. Sed in Exodo non fit mentio de sacrificiis, nisi postquam lapsus populus adoravit vitulum: *Hiere. 7. Non sum locutus patribus vestris, et non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocautomatum, et victimarum.* Secus est de sacrificio novi testamenti, quod continet ipsum Christum, qui per se Deo est acceptus. *Aures autem perfecisti mihi.* Alia litera habet, *Corpus.* Et sic Apostolus inducit *Hebr. 10. Corpus autem aptasti mihi.* Et sic est sensus. Et ideo voluisti sacrificium aliud novi testamenti, quia venit aliud sacrificium. Dedisti enim mihi corpus, ut offerrem per sanctum sacrificium. Vel, *perfecisti*, idest perfectum sine macula corpus mihi tribuisti. Vel, *aptasti*, idest unisti mihi. Vel, *Aures perfecisti mihi.* Vel, *Fodisti*, et concordat cum praecedentibus, quia magis vult nos offerre sacrificium labiorum, idest praedicationum operum Dei, quam animalium. Et ideo dicit, *Aures* etc. quasi dicat, istud requiris a me quod principaliter dedisti mihi, scilicet virtutem percipiendi sapientiam. Et ideo hoc requiris ut ostendam sapientiam, quam ad hoc accepimus, ut enarremus et praedicemus: *Isa. 30. Dominus aperuit mihi aures. Et non postulasti*, idest non accepisti, *Holocaustum et pro peccato.* Vel, *Non postulasti*, hostiam etiam pro peccato: *Isa. 1. Holocausta arietum, et adipem pinguium, vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui.* Et ut etiam dicitur, hoc holocaustum est Deo acceptum. Sed quando holocaustum est tantum sacrificium simplex, tunc est sicut quando facimus bona opera. Si autem omnia opera fiant propter Deum, tunc est holocaustum. Et si nos aliquo tempore servamus continentiam, est sacrificium; si perpetuam virginitatem, tunc est holocaustum: quia opera perfectionis sunt, ideo sunt Deo acceptissima. *Tunc dixi ecce venio.* Hic assignat causam praedicationis divinorum operum ex parte sua, ostendendo suum propositum. Et primo ostendit suum propositum. Secundo ostendit illud esse conforme divinae voluntati, ibi, *In capite.* Haec verba forte vellet aliquis exponere de David, et continuare sic; quasi dicat, *Ecce venio*, spirituali accessu ad te: et, *In capite libri scriptum est de me.* Caput in tribubus Israel constitui te. Sed quia apostolus exponit de Christo, et nos etiam exponamus de eo. Et ideo cum dicit, *Tunc*, designat causam, et necessitatem adventus Christi: quia sacrificia veteris testamenti non erant Deo accepta: quia *Hebr. 7. Neminem ad perfectum adduxit lex. Et impossibile est per sanguinem taurorum et hircorum auferri peccata, Hebr. 10.* Et ideo necessarium erat, ut verum sacrificium veniret, et manifestaretur. Et ideo dicit, *Ecce venio*, scilicet per incarnationem. Et dicit, *Ecce*, quasi dicat in promptu sum propter propinquitatem: *Isa. 14. Prope est ut veniat tempus eius: Ps. 79. Excita potentiam tuam, et veni.* Et hoc propositum est conforme voluntati divinae; unde dicit, *In capite libri.* Liber Christus est. Liber est instrumentum, in quo sunt conceptiones cordis; in Christo autem sunt conceptiones intellectus divini: *Col. 2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi.* Caput libri est Deus Pater: *1. Cor. 11. Caput Christi Deus.* Ergo in capite libri, idest in voluntate Dei Patris scriptum est, scilicet ordinatum est de me, quod veniam. Vel aliter. Est liber praedestinationis qui est liber vitae: *Ps. 68. Deleantur* damnati *de libro vitae*, sive viventium. In hoc libro sunt scripti omnes salvandi, sed per ordinem: quia in capite huius libri scriptus est salvator, et omnes sunt scripti per eum: *Rom. 8. Quos praedestinavit conformes fieri imaginis filii eius* etc. *Eph. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*; quasi dicat, Non est scriptum de Christo sicut de aliis, sed in capite libri. Vel in capite libri Psalmorum, quia primus Psalmus scriptus est de Christo. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* etc. Sic ergo ostendit propositum suum accedendi. Consequenter ostendit propositum obediendi, secundum quod homo. Sunt autem in homine duo principaliter, scilicet voluntas, et intellectus. Voluntas hominis debet subiici voluntati divinae, et intellectus debet dirigi secundum legem Dei. Et ideo, *O Deus meus*, pater, inquantum Deus. Vel Deus meus, inquantum homo, *Volui ut faciam voluntatem tuam*, quae est etiam voluntas mea, inquantum Deus: *Luc. 21. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Item intellectus meus dirigitur secundum te: unde dicit, *Et legem tuam in medio cordis mei;* et dicit, *In medio*, quia perfecte cognoscit rationes divinas. *Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia*

e Hic ponitur modus annuntiandi. Tria ergo annuntiare debemus de divinis, scilicet opera iustitiae, dogmata veritatis, et beneficia divinae misericordiae; et haec tria dicit se nuntiasse. Primo dicit se nuntiasse iustitiae opera, *Annuntiavi iustitiam*, quam tripliciter annuntiavit sive praedicavit. Primo publice, prompte, et pure. Quantum ad primum dicit, *In ecclesia magna.* Item in congregatione multorum: *Io. 18. Ego palam locutus sum mundo.* Vel, *In ecclesia magna*, idest in ecclesia catholica, quae magna est potestate, et firmitate: *Matt. 16. Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Et magna diffusione: *Mala. 1. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen tuum.* Quantum ad secundum dicit, *Ecce labia mea non prohibebo;* quasi dicat, Non cedam prohibentibus: *Act. 4. Da servis tuis cum fiducia loqui verbum tuum.* Quantum ad tertium dicit, *Tu scisti*, idest approbasti intentionem meam:

*Hier. 18. Tu scis omne consilium eorum.* Vel, Tu *sciesti*, idest ab aeterno praedestinasti, quantum ad Christum cum dicit, *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo.* Dogmata veritatis confitetur cum dicit, *Veritatem tuam.* Hanc Christus confessus est ante Pilatum *Io. 13. In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : Prov. 8. Veritatem meditabitur guttur meum. Et salutare tuum dixi*, quia per confessionem veritatis homini advenit salus: *Ioel. 1. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Beneficia misericordiae confitetur, cum dicit, *Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam:* quia misericordia et veritas se consequuntur, Et ideo dicit, *Veritatem.* Non ponitur hic pro veritate doctrinae, sed pro veritate iustitiae in promissis: quia Deus verax est. Veritas autem consistit in hoc quod dat quod promittit, quia non est aliter debitor noster nisi inquantum promittit. *Tu autem Domine*

f Supra Psalmista commemoravit fiduciam quam habet de Deo, quantum ad praeterita; hic autem ponit fiduciam quam habet de Deo, quantum ad futura, exprimens eam per orationem: et circa hoc duo facit. Primo proponit orationem in generali. Secundo in speciali, ibi, *Complaceat.* Circa primum duo facit. Primo proponit petitionem. Secundo assignat petendi rationem, ibi, *Misericordiam tuam.* Dicit ergo, *Annuntiavi iustitiam tuam.* Sed tu Domine ne longe facias misericordias tuas a me. Aliqui iam percipiunt miserationem Dei, qui scilicet fruuntur gratia et gloria: *Psal. 118. Misericordia Domini plena est terra.* Alii sunt proprie qui non habent impedimentum misericordiae, sed meritum aliquod *: Psal. 145. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Alii sunt in quibus est impedimentum: propterea est longe ab eis. Et ideo peto ne sit longe miseratio tua a me propter mea demerita. Et ideo huius petitionis est duplex ratio. Una fiduciae, quae concepta est ex experientia divinae bonitatis. Alia necessitatis quam patitur. Duo sunt secundum quae Deus subvenit nobis, scilicet misericordia, inquantum largitur nobis aliqua quae etiam non promisit: *Rom. 15. Gentes autem super misericordia honorare Deum;* et veritas quando reddit, vel promissa, vel pro meritis. Et ideo ista sunt unita simul: quia semper facit quod promisit, vel abundantius facit. Haec duo sunt homini necessaria: misericordia ut trahatur ad spem gloriae, et veritas, ut confidat. Et hoc non quasi trahamur ad Deum ex meritis nostris, sed Deus per ista nos trahit et traxit. Et ideo dicit, *Misericordia et veritas tua semper susceperunt me.* Alia causa est necessitas malorum. Et ponit duplicia mala, scilicet illata ab exteriori, alia ab interiori, ibi, *Comprehenderunt me.* Quantum ad primum dicit, *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, quae scilicet mala inferuntur mihi, et a mundo, et ab hostibus *: Ps. 117. Circumdederunt me sicut apes.* Et dicit, *Quorum non est numerus*, quia sunt infinita pericula in mundo, et infiniti mali homines: *Eccl. 1. Infinitus stultorum est numerus.* Interiora mala sunt peccata: et haec mala sunt periculosa dupliciter: propter gravitatem, quia, *Comprehenderunt me iniquitates meae*, idest peccata mea ligaverunt me suo pondere: *Prov. 5. Iniquitates suae capiunt impium, Et non potui ut viderem : Sap. 2. Excaecavit eos malitia eorum: Isa. 59. Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Item periculosa sunt propter multitudinem. Unde dicit, *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei.* Sicut enim capilli sunt innumerabiles, ita sunt innumerabilia peccata, et maxime venialia: quae si non terreant propter pondus, terrent tamen propter multitudinem. Glossa, *Si vitasti gravia, cave ne obruaris arena:* non quod peccata venialia quomodocumque, et quaecumque sint, faciant peccatum mortale, sed quia disponunt ad ipsum: *Iac. 3. In multis offendimus omnes.* Effectus huius est distractio cordis: *Eccl. 10. Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti.* Et ideo dicit, *Et cor meum dereliquit me ;* quasi dicat, Si non tollant charitatem, impediunt tamen fervorem, et ita cor distrahitur, ut non sit fervens: *Ro. 7. Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.* Vel, *Cor meum dereliquit me*, idest non cogitavit quae mihi sunt utilia: *Psal. 100. Lumen oculorum meorum non est mecum. Complaceat tibi Domine*

g Hic ponitur oratio explicite. Et primo explicat orationem quantum ad se. Secundo quantum ad malos, ibi, *Confundantur.* Tertio quantum ad bonos, ibi, *Exultent et laetentur.* Quantum ad se petit, ut eruatur a malis : *Eccl. 51. Eruit sustinentes te.* Et ut invenitur ad bona consequenda, quia per providentiam suam datur auxilium mihi. Et hoc non ex merito meo, sed ex beneplacito tuo. Unde dicit, *Complaceat.* Designatur dignitas personarum quantum ad adversarios cum dicit, *Ut eruas me*, a malis, vel hominibus, vel peccatis. Et nota quod ait, *Complaceat*, non diffidens de misericordia Dei; quasi dicat, Si tu vis, potes: et ideo dicit, *Ad adiuvandum me respice*, scilicet in boni operatione; quasi dicat, Respice poenitentes in dolore suo. Respectus Dei est auxilium nostrum. *Confundantur.* Hic ponit confusionem adversariorum, quorum quidam sunt capitales, et quaerunt occidere. Quidam, qui non quaerunt occidere, sed laedere. Alii sunt qui quaerunt verbis irridere, vel decipere. Et haec tria genera malorum designantur hic. Et possunt haec referri vel ad bonum, vel ad malum: quia duplex est confusio: quaedam confusio est bona, quae est per poenitentiam: *Rom. 9. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis.* Alia est confusio per poenam. Ergo cum dicit, *Confundantur*, idest puniantur. Et hoc orat conformando se divinae voluntati, vel iustitiae. Vel *confundantur*, idest poeniteant, *Et revereantur simul*, vel timore poenarum. Quoad primum *Sap. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata;* vel timore provocante ad poenitentiam. Et hoc, quia, *Quaerunt animam meam*, ut corporaliter occidant eam. Vel animas, ut in tenebras inducant: *Gen. 14. Da mihi animas caetera tolle tibi.* Corporales hostes petit ut impediantur; unde dicit, *Convertantur retrorsum*, in bonum, idest sequantur Christum retro eum, *Matt. 16.* Vel in malum, idest decidant ab intentione, ut deficiant. *Et erubescant qui cogitant mihi mala*, idest qui gaudent de malis meis: *Thren. 1. Omnes inimici mei audierunt malum meum, laetati sunt quoniam tu fecisti.* Contra tres hostes petit accelerationem, quia mora consuevit esse damnosa: *Eccl. 8. Etenim quia non cito profertur contra*

*malos sententia, filii hominum absque ullo timore perpetrant malum.* Et ideo dicit, *Ferant confestim confusionem suam*, idest cito confundantur, quia isti sunt qui applaudendo, *Dicunt mihi euge, euge,* idest mendaciter gaudent, quantum ad adulatores. Vel, *Euge*, idest irrident, vel insultant. Hieronymus habet sic secundum haec verba vah, sic irridebant Iudaei Christo, *Matt. 21.* Pro bonis petit quod gaudeant de auxilio suo, et de liberatione et laudent Deum. Et quantum ad primum dicit, *Exultent, et laetentur omnes quaerentes te.* Quantum ad secundum, *Et dicant semper, magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum.* Ubi quatuor ponit, quae conveniunt bonis. Primo, ut diligant salutare Dei, quod est Christus: *Luc. 2. Viderunt oculi mei salutare tuum.* Secundo ut quaerant dilectionis actus: *Can. 1. In lectulo meo quaesivi* etc. *Isa. 55. Quaerite Dominum dum inveniri potest.* Tertio ut gaudeant de invento dilecto: unde, *Exultent: Abac. ult. Ego autem in Domino gaudebo etc.* Exultatio est quantum ad exteriora signa laetitiae. Quantum ad interius gaudium, quasi laetitia, et dilatatio cordis. Quarto gratiarum actio est laus; unde dicit, *Et dicant semper, magnificetur Dominus* etc. *Isa. 12. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Ego autem*

h Hic ponitur causa petitionis. Et primo proponit indigentiam. Secundo ponitur auxilium Dei contra eam. Dicit ergo, Peto haec omnia: quia per me non possum aliquid facere, quia *mendicus sum.* Et potest dupliciter legi. Uno modo ad literam de Christo in persona sua, qui in hoc mundo vivens, et mendicus et pauper fuit: *2. Cor. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum esset dives, egenus factus est pro nobis, ut ipsius inopia divites essetis.* Mendicus dicitur, qui ab alio quaerit victum; pauper vero, qui sibi non sufficit. Et haec duo dicuntur de Christo *Ioan. 9. Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Vel spiritualiter necesse habeo mendicare a Deo auxilium gratiae. *Et pauper sum*, quia non sufficiunt mihi haec quae habeo. Et ideo quia haec recognosco, *Dominus solicitus est mei.* Et quia indigeo, *Tu Domine esto adiutor meus.* Et propter periculum, *Ne tardaveris: Matth. 15. Domine adiuva me.*

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XL.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

b Dominus conservet eum, et vivificet eum: et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.

c Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius. Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

d Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen eius? Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor eius congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.

e Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversum me. Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat?

f Etenim homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos: magnificavit super me supplantationem.

f Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me: et retribuam eis.

g In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

h Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum: fiat fiat.

## a PSAL. XL.

In praecedenti Psalmo Psalmista ostendit fiduciam, quantum ad Deum; hic autem petit a Deo misericordiam firmantem. Titulus, *In finem Psalmus David.* Hic titulus manifestus est iam supra, quia scilicet iste Psalmus quem fecit David, ducit nos in finem, idest in Christum: quia agit de passione eius, quantum ad quaedam. Dicitur tamen in glossa, quod secundum Hieronymum in originali eius est titulus, *Intellectus filiis Core*, et est novus titulus in titulis Psalmorum. Est ergo sciendum quod, sicut legitur *Num. 16.* quando Dathan et Abyron fecerunt schisma contra Moysen pro principatu populi, tunc Core insurrexit contra Aaron pro principatu sacerdotii, et tunc ipse crematus est: non tamen omnes de familia sua in hoc consenserunt, et ideo isti remanserunt, quia non consenserunt ex eis: unde tempore David inter cantores istis data fuerunt ministeria. Et intelligitur, quod iste Psalmus in diebus illis ordinatus fuit ad cantandum. Sed notandum quod in quibus dicitur, *Intellectus filiis Core*, secundum literam in omnibus in quibus ponitur intellectus, datur intelligi quod per illum Psalmum populus incitatur ad intelligendum divina beneficia, vel aliqua secreta, sicut illud *Intelligite insipientes.* Et ibi, *Attendite popule* etc. Mystice Core interpretatur calvaria. Et Christus crucifixus in loco calvariae: et ideo Psalmus iste attribuitur filiis passionis, idest crucis Christi. Et isti sunt qui carnem suam crucifixerunt, ut dicitur *Gal. 5.* Intentio Psalmistae est, quod petit misericordiam divinam. Dividitur ergo Psalmus iste in partes duas In prima petit divinam misericordiam in generali. In secunda in speciali, ibi, *Tu autem Domine.* Circa primum duo facit. Primo petit misericordiam Secundo inducit necessitatem misericordiae petendae, ibi, *Inimici mei.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quibus debetur misericordia. Secundo sentiens in se quod meretur misericordia, petit eam, ibi, *Ego dixi,* quia *Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ergo misericordibus debetur misericordia duplici ratione. Primo ex acceptatione divina: quia Deus misericordiam acceptat, per quam homo imitator est

Dei: *Luc. 6. Estote misericordes* etc. Secundo ex oratione sanctorum : *Eccl. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec orabit pro te*: et hoc facit, ibi, *Dominus conservet eum*. Circa primum praenuntiat meritum. Secundo praemium. Dicit ergo, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*. Beatus est ille qui est misericors, qui miseretur egeno, et pauperi: *Prov. 14. Qui miseretur pauperi beatus erit:* et dicit *Qui intelligit*, non dicit, Qui subvenit: quia, sicut dictum est, debet esse misericors ad modum Dei ; sed Deus non expectat quod semper petatur. Unde subvenit desiderio antequam petatur: et ideo ille est vere misericors, qui non solum petentibus subvenit, sed etiam indigenti subvenit priusquam petatur: *Iob 31. Si negavi quod volebant pauperibus, si oculos viduae expectare feci*. Egenus est qui indiget ab alio accipere; pauper dicitur ille , qui parum habet. Hieronymus habet, *Qui considerat* etc. idest qui suscipit sibi in cura negotia pauperum: *Iob 29. Oculus fui caeco, et pes claudo*. Mystice si referatur ad Christum, beatus Christianus si est filius Core, idest crucis Christi per meditationem. *Qui intelligit*, idest qui habet intellectum reductum in obsequium, *Intelligens super egenum et pauperem*, idest beneficium quod Christus fecit per crucem: *Thren. 3. Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii, et fellis*. Primum ponit cum dicit, *In die mala liberabit eum Dominus*. Dies secundum naturam suam sunt boni, quia sunt facti a Deo: *Psal. 118. Ordinatione tua perseverant dies;* sed dicuntur mali propter mala, quae in eis contingunt: *Eph. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Et dicit, *In die mala*, idest in die alicuius malae tribulationis. Est autem multiplex dies mala , scilicet triumphationis: *Eccl. 11. In die bonorum ne immemor sis malorum*. Summum malorum est damnatio aeterna, quae imminet homini in iudicio, vel particulari, scilicet morte, vel in iudicio universali , idest in fine mundi. Et illa dies est mala in qua fit talis damnatio , idest dies illa dies irae , dies tribulationis et angustiae etc. In hac mala die liberat Dominus misericordem: *Matth. 25. Esurivi* etc. *Venite benedicti* etc. non quod sola misericordia sine aliis virtutibus liberet hominem , sed quia per misericordiam homo satisfacit pro peccatis. *Dominus conservet*

b Hic ostendit quomodo meretur misericordiam ex oratione sanctorum, qui orant pro misericordibus. Et ponitur oratio pro misericorde existente in statu prosperitatis. Secundo pro existente in statu adversitatis. In statu prosperitatis homo duobus indiget, scilicet ut promoveatur, et conservetur in bono. Secundo, ut liberetur a malis. Est autem triplex bonum, scilicet bonum naturae, bonum gratiae, et bonum gloriae. Primum, scilicet bonum naturae, petit sibi conservari : unde dicit, *Dominus conservet eum*, scilicet in bono habito, scilicet in bono naturae: *Psal. 55. Conserva me Domine*, ne scilicet corruptum sit bonum naturae per peccatum , vel per tribulationes imminentes. Bonum gratiae petit dari, cum dicit , *Et vivificet eum* , per gratiam namque homo habet vitam spiritualem. Haec autem vita consideranda est , et habetur per fidem formatam: *Abac. 2. Iustus meus ex fide vivit: Gal. 1. Quod autem vivo in carne, in fide vivo Filii Dei*. Etiam sine hac vita, scilicet gratiae, vita nostra est mors: *1. Tim. 5. Quae in deliciis vivens mortua est*. Quantum ad tertium bonum, scilicet gloriae, dicit, *Et beatum faciat eum in terra*. Si de perfecta beatitudine intelligatur, sic dicitur, *In terra*, scilicet viventium: *Ps. 26. Credo videre bona Domini in terra viventium : Matt. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Si autem intelligatur de beatitudine huius vitae, inquantum aliquid aeternum mente sapimus, sicut dicitur *Phil. 3. Nostra conversatio in caelis est;* sic dicitur, *Beatum faciat eum in terra*, hac, scilicet participatione illius beatitudinis. *Et non tradat eum in animas inimicorum eius*. Hic petit liberari a malo. Inter omnia mala summum malum est incidere in manus inimicorum : *Psal. 68. Eripe me de inimicis meis Deus meus* , quia inimici ex odio persequuntur et affligunt: unde dicit , *Ne tradas eum in animas* , idest in voluntates inimicorum , quorum est semper odire, quia nihil aliud est, quam velle malum. Quando ergo quis subiicitur malis, traditur in voluntatem inimici. Vel, *In animas inimicorum* , idest in potestatem diaboli , et ministrorum eius. *Dominus opem*

c Hic ponitur oratio pro misericorde existente in adversitate. Et primo petit divinum auxilium. Secundo allegat necessitatem huius. Dicit ergo , *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius*. Petit pro misericorde, sive pro viro iusto filio Core simpliciter quod Dominus vivificet eum, et quod beatum faciat eum in terra. Secundo quod conservet eum, et quod non tradat eum in animas inimicorum eius. Et ex hoc posset aliquis colligere , quod misericors nullo modo affligeretur. Unde ad hoc excludendum dicit , quod quandoque lectus eius repletur doloribus , et hoc fit ipsi misericordi aliquando ad correctionem: *Iob 33. Increpat quandoque per dolorem in lectulo*. Vel ad humiliationem: sicut Paulo datus est stimulus carnis, *2. Cor. 12*. Vel ad probationem : Iob per totum , et Tobiae. Et ideo dicit, *Dominus opem ferat illi*, idest misericordi existenti in tribulatione, *Super lectum:* ad literam in quo iacet, vel in quo quiescit: *1. Cor. 10. Fidelis Deus , qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Et quod feras illi opem necessitas magna hoc exigit: quia, *universum stratum eius versasti in infirmitate eius*. Et loquitur hic ad similitudinem febricitantis, qui non invenit locum in lecto in quo possit quiescere, sed continuo se vertit. Et ideo dicit, *Versasti;* quasi dicat, Indiget ope , quia tanta est eius infirmitas, quod continue vertitur per lectum. Et hoc est secundum literalem sensum; tamen simpliciter omne illud per quod in temporalibus quiescebat , versum est sibi in amaritudinem : quia in eis Deus ponit amaritudinem, ut eis contemptis convertatur ad Deum : *Eccle. 2. Cumque convertissem me ad universa opera quae fecerant manus meae, vidi in omnibus vanitatem*. Et quia misericordi debetur misericordia, eius misericordiae conscius peto misericordiam. Primo ergo petit misericordiam absolute. Secundo ostendit in quo praecipue eam petit. Tertio causam petitionis assignat. Dicit ergo, *Domine ego dixi miserere mei;* quasi dicat, Non recurro ad iustitiam, sed ad misericordiam, quia non in iustitiis nostris est salus: *Isa. 64. Quasi pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae*. Sed in quo petit misericordiam? Ubi est praecipua miseria. Et hoc datur, scilicet miseri-

cordia, ubi est praecipua beatitudo : quia beatitudo non est in rebus corporalibus, quia corporalia ordinantur ad ultimam beatitudinem. Ergo praecipua miseria non est in rebus corporalibus, sed in his quae habent in se contrariam ad beatitudinem dispositionem: sicut in adulteriis, furtis, homicidiis, et aliis peccatis: et qui huiusmodi agit, regnum Dei non consequetur, ut Apostolus dicit *Gal. 5.* sed est damnatus: *Prov. 14. Miseros facit populos peccatum.* Peccatum enim deordinavit corpus, et corpus deordinavit animam: *Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et haec sanitas habetur a Deo solo: *Sap. 16. Non herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus Domine.* Et ratio petitionis huius est, *Quia peccavi tibi.* Sed numquid peccata merentur misericordiam ? Non hoc ergo continuatur sic ut scilicet ly quia designet materiam misericordiae, non meritum. Nulla miseria est, ubi non sit locus misericordiae. Et ideo quia sum miser, peto misericordiam. Vel ut ly quia denotet causam meritoriam: et sic quia confessio peccati est meritum misericordiae, ideo dicit, Peto misericordiam, quia confiteor quod peccavi tibi: *Prov. 28. Qui abscondit* etc. *Qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur.* Vel aliter, *Quia peccavi tibi;* quasi dicat, Quare peto misericordiam ? quia tu solus es qui potes sanare: quia in te facta est iniuria et peccatum, ideo ad te pertinet remissio. Et in omni peccato offenditur Deus. Et cantatur hic versus in tertia, quia fide et operatione Trinitatis remittitur peccatum. *Inimici mei dixerunt*

d Supra Psalmista petiit misericordiam sanantem ; hic autem ponit necessitatem huiusmodi petitionis, quae causatur ab hostibus: et secundum mysticum sensum, quia literalis est planus, in loco isto dicuntur ista verba ex persona Christi. Circa quod tria facit. Primo ponit affectionem malorum volentium malum eius. Secundo ponit studium eorum insidiantium, ibi, *Et si ingrediebatur.* Tertio ponit consilium tractantium, ibi, *Adversum me*, quia inimicus. Primo desiderat offendere. Secundo insidiatur. Tertio cogitat quomodo perficiatur. Dicit ergo, *Inimici mei dixerunt*, in corde, vel in ore: *Mala mihi: Matt. 12. Malus homo de malo thesauro profert* etc. et haec verba mala sunt exprimentia desiderium eorum de morte Christi, vel viri iusti. Unde dicitur, *Quando morietur.* Hic est modus expressivus desiderii: *Ps. 41. Quando veniam et apparebo* etc. *Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum.* Et volebant mortem Christi, ut fama eius, quae tunc erat celebris, extingueretur: *Hiere. 11. Eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius.* Unde dicunt, *Et peribit nomen eius.* Sed contrarium accidit, quia per mortem magis exaltatus est, et plures post mortem Christi conversi sunt: *Io. 12. Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert:* etsi mali insidiantur bonis, ut extinguatur nomen eorum, sed, ut dicitur *Pro. 10. Memoria iusti cum laudibus:* et hoc peccatores procurant insidiando. Sic ergo ponit primo insidiandi modum. Secundo ostendit insidiarum effectum, ibi, *Ingrediebatur.* Circa primum tria facit. Primo enim proponit dolosum ingressum. Secundo fictum verbum. Tertio insidiosum animum. Dicit ergo, *Si ingrediebatur ut videret.* Hieronymus habet, *Ut visitaret;* quasi dicat, Non veniebant causa amicitiae, sed causa explorandi. Sic veniebant principes Iudaeorum ut caperent Iesum. Sic etiam post mortem Christi multi ingressi sunt ecclesiam, ut caperent et insidiarentur sanctis viris. Hoc est quod Apostolus dicit *Gal. 2. Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Quantum ad secundum dicit, *Vana loquebatur*, idest falsa loquebatur populus Iudaeorum contra Christum, quia ore verba dulcia simulabat: *Mat. 22. Magister scimus quia verax es*: et interius moliebatur mortem: *Ps. 11 Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, et corde locuti sunt.* Quantum ad tertium dicit, *Cor eius congregavit iniquitatem sibi.* Animus insidiosus est ille, qui congregat verba ex quibus virum iustum offendat. Isti enim non faciunt sicut apes quae congregant mel ; sed sicut scarabei qui congregant stercus. Sed boni congregant mel, quia de divina dulcedine alios dulcorant. Et ideo dicit, *Cor eius congregavit iniquitatem sibi*, Et dicit, *sibi*, idest contra se: *Prov. 1. Ipsi contra sanguinem suum insidiantur.* Vel, *sibi*, idest ad suum desiderium consequendum : quia si eum in aliquo malo comprehenderent, multum gauderent: *Eccl. 18. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis:* sic dicebant contra Christum, *Recordati sumus, quia seductor ille* etc. Consequenter ostenditur insidiarum effectus, quia egredientes detrahebant; unde dicit, *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum. Egrediebatur*, vel a simulatione, vel a malitia, vel a familiaritate, vel ab amicitia: quia ante erat, et videbatur, quasi amicus, *Et sic loquebatur in idipsum*, idest falsum, sicut prius, falsitatis verba. Vel egrediebatur foras a sinu veritatis, vel ab amicitia quam simulabat, vel ab ecclesia, vel societate Christi : *Io. 6. Multi discipulorum abierunt retro. Adversum*

e Hic ostendit malum consilium eorum, quomodo noceant. Et primo ponit consilium inimicorum. Secundo ostendit quod in hoc etiam convenerunt aliqui amici boni, ibi, *Homo pacis.* Et primo ponit ordinem consiliandi, ostendens quod primo conveniunt consiliantes. Secundo discutiunt de quo consiliant. Tertio determinant quid sit faciendum. Et haec tria describit hic. Dicit ergo, *Omnes inimici mei subsannabant adversum me*, Glossa, *Egrediebatur.* Et post sequitur *In idipsum* etc. Et hoc in litera Hieronymi habetur, tamen non est vis. Et dicit, *Subsannabant*, idest silenter loquebantur; et hic est modus specialiter in consiliariis, et maxime de malis consiliis et malis hominibus, qui in occulto hoc faciunt: *Lev. 10. Non eris criminator, nec susurro in populis: Eccl. 58. Susurro et bilinguis maledictus* etc. Et dicit, *Adversum me.* Et ita non sunt bona consilia, sed mala: *Ps. 49. Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Et ideo *cogitabant mala mihi: Ps. 1. Beatus vir qui non abiit* etc. *Verbum iniquum constituerunt adversum me*, idest iniustum. Hoc ergo determinaverunt in eorum concilio : *Io. 11. Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo. Et ex illa hora cogitaverunt* etc. *Matt. 11. Hic est haeres, venite occidamus eum: Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum.* Hoc verbum iniquum habetur *Hier. 18. Tu scis Domine consilium*

*eorum adversum me in malum, et mortem. Nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Hic ponit rationem eorum pravae determinationis. Ly non, superfluit: quasi dicat, Qui dormit, non resurget: quasi dicat, Si occiderimus eum, non resurget: *Sap. 2. Non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Et ideo resurrectionem credebant seductionem. Vel aliter, *Numquid qui dormit* etc. ut ly non construatur cum ly adiiciet, et sit sensus, ut sint verba ecclesiae ei insultantis; quasi dicat, Vos constituistis eum occidere, sed frustra hoc fecistis, quia resurget; unde dicit, *Numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?* Et dicit, *Dormit*, quia etiam hoc dicitur *Dan. 12. Multi de his qui dormierunt in pulvere terrae evigilabunt*: nam simpliciter mors Christi dormitio fuit, quia ipse seipsum posuit in mortem, et mortuus est non per violentiam, sed per propriam voluntatem. Et ideo habuit potestatem sumendi animam virtute divinitatis: *2. Cor. 13. Si mortuus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. Etenim homo pacis in quo speravi*

f Supra proposuit Psalmista consilium inimicorum tractantium mortem Christi; hic autem introducit consilium amicorum. Et quia ipse Christus *Io. 13.* istud verbum introducit de Iuda, ideo nos de Christo hic exponamus. Ubi duo facit. Primo describitur conditio eius. Secundo culpa. Conditio personae Iudae describitur ex tribus, quae aggravant peccatum: quia amicus, quia familiaris, et quia beneficiatus. Dicit ergo quantum ad primum, Dicit supra quod dormivit, id procurante proditore. Vel, *Verbum iniquum constituerunt adversum me inimici.* Sed non est mirum, quia, *Homo pacis meae*, quia Iudas inter amicos reputabatur. Haec autem prophetia contigit facto, quia osculo prodidit Christum, quod est signum amicitiae et pacis. Unde Dominus dixit *Luc. 22. Iuda osculo tradis filium hominis? Ps. 27. Loquuntur pacem cum proximo suo* etc. *Hiere. 20. Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu ab omnibus viris, qui erant pacifici ei, et custodientes latus meum.* Item familiaris erat; unde, *In quo sperabam.* Sed nunquid deceptus est Christus in spe sua? Non. Et ideo dicit, *In quo sperabam*, idest in quo videbar sperare, idest confidere, quia commiserat ei dispensationem rerum suarum. Vel, *In quo sperabam*, idest talis conditionis: et ita me habebam ad eum quod debebam sperare in eo. Sed aliquando credit quis sperare in eo quem credit amicum, et de quo deberet confidere, et tamen decipitur: *Hier. 9. In omni fratre tuo non habeas fiduciam: Mich. 7. Nolite credere amico, et nolite confidere in duce.* Vel, *In quo sperabam*, in membris meis quae in Christo sperabant: *Matt. 25. Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Quantum ad tertium dicit, *Qui edebat panes meos*, quia Christus cum signo panis eum designavit: *Io. 13. Cui intinctum panem porrexero.* Et licet Iudas ederet panem Christi, tamen porrexit contra eum: *Eccl. 29. Pascet et potabit ingratos.* Vel, *Panes meos*, idest doctrinam meam: *Gen. 49. Aser pinguis panis eius, et praebebit delicias regibus.* Talis panis est panis Christi, qui est pinguis propter dulcedinem doctrinae: *Ps. 118. Quam dulcia* etc. *Magnificavit super me supplantationem.* Ecce peccatum. Hieronymus habet, *Levavit contra me calcaneum suum.* Et loquitur ad similitudiuem eius, qui vult aliquem omnino comprimere; quasi dicat, Attentavit ut me totaliter contereret. Et diversitas translationum videtur processisse ex aequivoco: quia quod in altum lèvatur, magnificatur. Vel, *Magnificavit super me supplantationem.* idest fecit magnam supplantationem contra me, quia mortem intulit: *Hier. 9. Omnis supplantans supplantabitur: Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta. Tu autem*

f Christus iam exposuit in generali suam petitionem; hic autem ostendit in quo misericordiam petat; unde dicit, *Ipsi conturbaverunt me*, sed non restat, nisi ut recurram ad Deum; et ideo dicit, *Tu autem Domine miserere mei.* Misericordia debet esse ubi est miseria; Christus autem factus est particeps miseriae nostrae, non quantum ad culpam, sed quantum ad poenalitatem, et praecipue quantum ad poenam mortis. Et ideo, *Miserere mei*: *Ps. 88. Misericordiam meam non dispergam ab eo.* Sed in quo petit misericordiam, ostendit, cum dicit, *Resuscita me;* quasi dicat, Illi dicunt, *Non adiiciet ut resurgat*, sed tu resuscita me. Sed nunquid Christus resurrexit propria virtute, quia dicit resuscita me? Immo videtur quod sic: quia Psalmista dicit in persona Christi, *Ego dormivi et exurrexi, Ps. 5.* Dicendum, quod Christus secundum quod homo, non habuit potestatem resurgendi, sed secundum virtutem divinitatis, quae est eadem in Patre et Filio. Et ideo si surrexit potestate Patris, surrexit potestate sua. Et petit a Patre, ut homo, quod habebat ut Deus, ut ostendat virtute divinitatis hoc fieri. *Et retribuam eis.* Hic ponit effectum eius. Duplicem potestatem habuit Christus post resurrectionem, quia in coelo, et in terra: et ideo retribuit eis captivitatem temporalem, quia dispersi sunt per mundum, et retribuet eis in futuro damnationem: *Iob 5. Potestatem dedit ei iudicium facere.* Hieronymus habet, *Resuscita me et retribuam tibi;* quasi dicat, Iste fructus resuscitationis, quod resuscitatus adducam multos ad cognitionem nominis tui: *Ps. 115. Quid retribuam Domino* etc. *In hoc cognovi*

g Hic ponit fiduciam exauditionis. Et primo ponit quod Deus voluit eum, idest complacitum fuit paternae voluntati in ipso: unde dicit, *Quoniam voluisti me: Matt. 5. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui: Isa. 42. Complacuit sibi in illo anima mea.* Item dicit, *Non gaudebit inimicus meus super me*, idest Iudas: et si fuit gavisus in morte, non tamen finaliter gaudebit, quia contristabitur in resurrectione: *Mich. 7. Ne laeteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam.* Et potest haec litera ordinari dupliciter. Uno modo, ut primum sit argumentum secundi, et sit sensus: ex hoc quod considero quod sum tibi acceptus. Alio modo, ut secundum sit causa primi, ut sit sensus, Quia inimicus meus non poterit gaudere super me, *Cognovi quia voluisti me.* Sed quia indigebat signo aliquo, dicit, *Cognovi*, idest cognoscere feci, vel quia alii hoc cognoverunt. *Me autem propter innocentiam suscepisti* etc. Hic exauditus gratias agit. Et primo confitetur beneficium. Secundo subiungit laudem, ibi, *Benedictus.* In beneficio confitetur totum quod ad se pertinet. Primo enim proponit meritum. Secundo ostendit resuscitationis beneficium. Tertio resurgentis statum. Quarto exaltatio-

nem. Quantum ad meritum eius consideremus eius innocentiam; unde dicit, *Me autem suscepisti propter innocentiam : 1. Pet. 2. Peccatum non fecit : Psal. 28. Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Et ex hoc merito dicit se susceptum sive assumptum. Non dicit hoc de assumptione in unitatem personae, quia illa assumptio non fuit ex meritis ipsius hominis Christi, sed ex mera gratia: unde et Spiritus sancti operatione facta est; sed hoc dicit de susceptione ab inferis a qua surrexit: *Ps. 3. Tu autem Domine susceptor meus es:* et dicit, *Suscepisti*, scilicet animam meam ab inferis, et carnem de sepulcro. Sed qualiter susceptus est? numquid ad vitam mortalem, ut Lazarus? Non; sed susceptus est ad statum immortalitatis; unde dicit, *Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum*, idest in statu immortalitatis: *Rom. 9. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Et adhuc plus : quia constituit eum ante conspectum suum: *Hebr. 9. Introivit in ipsum coelum, ut appareat vultui Dei pro nobis.* Et hoc, *In aeternum*, idest semper. *Benedictus Dominus*

h Hic ponit laudem : et circa hoc duo facit. Primo ponit quaedam ex parte laudati. Secundo ex parte laudantis, *Benedictus.* Benedicere nihil aliud est quam dicere bonum. Aliter nos benedicimus Deum, et aliter benedicit nos Deus. Nos benedicimus Deum, recognoscendo bonitatem eius: *Tob. 12. Benedicite Deum caeli : Eccl. 43. Benedicentes Dominum exaltate eum, quantum potestis.* Deus autem benedicit nos, causando in nobis bonitatem : quia suum dicere est facere. *Dixit enim et facta sunt.* Secundum ostendit cum dicit, *Dominus.* Potestas Dei attenditur secundum duo. Primo, secundum opus gubernationis: *Sap. 12. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos* : et secundum opus creationis. Et haec duo tangit cum dicit, *Dominus*, ad quem pertinet gubernare. Secundo cum dicit, *Deus.* Illud enim omnes opinantur Deum, quod est primum principium essendi omnibus; sed operatio gubernationis habet ministros. In opere autem creationis nullum ministerium potest esse. Unde honor qui debetur gubernatori, potest aliis communicari : *Gal. 4. Sicut angelum Dei excepistis me.* Et haec dulia est. Sed latria quae debetur creatori, nulli debetur. Et ideo Glossa dicit, *Dominus*, cui debetur dulia: *Deus*, cui debetur latria; et dicit, *Israel*, idest videntium Deum: quia etsi omnia gubernat, tamen uberem fructum gubernationis qui est vita, soli fideles consequuntur: et si omnes colant Deum, tamen cultum latriae soli fideles soli Deo offerunt. Tertium ostendit cum dicit, *A saeculo et in saeculum*, quia scilicet potestas tua non est temporalis, sed aeterna : *Ps. 144. Regnum tuum regnum omnium* etc. Ex parte laudantis dicit duo, scilicet confessionem oris : *Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et hoc facit cum dicit, *Benedictus Deus* etc. Item complacentiam affectus: *Phil. 4. Gaudete in Domino:* et ideo dicit, *Fiat fiat;* quasi dicat, Complacet sibi cum bonis eius, et ingeminat ad significandum huius complacentiae continuationem: *1. Paral. ult. Domine Deus custodi hanc voluntatem.* In Hebraeo habetur Amen, amen. Et quia Amen, amen ponitur in fine librorum, credunt quidam quod dividatur liber Psalmorum in multos libros, et compleatur unus hic. Sed non est verum : quia ponitur hic fiat, sive amen, ut sit continuatio voluntatis, non ut consummatio operis.

*In finem.*

## Intellectus Filii Core

## a PSAL. XLI.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

b Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

c Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque in domum Dei.

d In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis. Quare tristis es anima mea ? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus. Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis, et Hermoniim, a monte modico.

e Abyssus abyssum invocat: in voce catharactarum tuarum. Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt.

f In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius. Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo, Susceptor meus es. Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

## a PSAL. XLI.

Haec est quinta Deca primae quinquagenae: et sic ordinatur ad implorandum auxilium contra praesentia mala. Et haec est figura temporalium malorum, quae occiderunt David, qui passus est persecutionem ab Absalone. Et contra hoc fuit prima deca. Item a Saule, et contra hoc secunda deca. Item a toto populo, et contra hoc tertia deca. Item a multis aemulis, et contra hoc quarta deca. *Iudica Domine* etc. Restat quinta deca, in qua loquitur specialiter de his quae pertinent ad regnum. Et petit in ista deca contra impugnatores regni auxilium divinum. Et ut ad mysterium referatur, petit iustus homo contra illos qui regnum ecclesiae impugnant. Dividitur ergo psalmus iste in tres partes. Primo format petitionem pro statu regni. Secundo quia regnum videtur esse turba-

tum per peccatum, ideo petit veniam pro peccato, ibi, *Miserere mei Deus.* Circa primum duo facit. Primo proponit petitionem contra hostes regni. Secundo exauditus gratias agit de gloria regni, ibi, *Eructavit.* Et quia omnis petitio provenit ex desiderio, ideo circa primum duo facit. Primo proponit suum desiderium. Secundo addit orationem, ibi, *Deus auribus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit desiderium quod habet ad Deum. Secundo petit desiderii impletionem, ibi, *Iudica me.* Titulus, *In finem intellectus filii Core.* Hoc est expositum in titulo praecedentis psalmi; tamen alia litera habet, *In finem intellectu*, idest attribuitur iste psalmus filiis Core. *Intellectu*, idest per intellectum ducens nos in finem. Core interpretatur calvariae. Unde illi dicuntur filii Core, qui patiuntur irrisionem propter crucem. Unde *4. Reg. 3.* pueri irridebant Eliseum: *Ascende calve, ascende calve: et maledixit eis Eliseus, et ursi comederunt illos.* Illi ascendunt de Bethel, qui ad fidem Christi convertuntur de Iuda, quae olim domus Dei vocabatur. Et hi deridentur a pueris, idest Iudaeis puerili sensu utentibus, quia adhuc sub pedagogo sunt, et improperant crucem Christi: et isti duo ursi devoraverunt eos, scilicet Titus et Vespasianus. Dividitur ergo psalmus in duas partes. In prima enim ponit suum desiderium. In secunda ponit tristitiam incitantem desiderium, ibi, *Fuerunt mihi.* Circa primum tria facit. Primo proponit desiderium sub similitudine. Secundo rationem similitudinis assignat, ibi, *Sitivit.* Tertio exponit rem desideratam, ibi, *Quando veniam.* Similitudinem sumit ex cervo qui specialiter habet hanc proprietatem, quod pede conterit serpentem: et quando vult mutari, comedit serpentem: et sic aestuat prae veneno, et tunc currit ad aquam, et sic renovatur. Sicut cervus in generali desiderat aquas, ita fidelis desiderat Deum; tamen in speciali adaptatur cathecumenis et viris perfectis. Cathecumenus enim sicut cervus, qui sentit in se veneni ardorem, quod est ex suggestione serpentis introductum, *Gen. 3.* Ex quo veneno secutum est peccatum originale: *Rom. 5. Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit.* Et hoc venenum est reatus concupiscentiae, et reatus primi peccati. Et ideo debet desiderare fontem baptismi: *Zach. 13. Erit fons patens domui Iacob in ablutionem peccatorum: Ezec. 36. Effundam super vos aquam mundam.* Vir autem perfectus est, sicut cervus in petra stabilitus: *Ps. 17. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum. Sitivit anima mea.* Hic iam comedit, idest destruxit peccatum: *Eccl. 21. Quasi a facie colubri, fuge peccatum.* Et ideo nihil habet in mundo quod concupiscat; et ideo desiderat venire ad fontem vitae. Et ideo quia istis convenit haec similitudo, scilicet cathecumenis et viris perfectis, ideo cantatur psalmus iste in officio baptismi in Sabbato sancto, et Pentecostes, quando fit solemne baptisma, quantum ad cathecumenos. Item cantatur cum exequiis mortuorum, quia convenit viris perfectis accedere ad fontem vitae aeternae. *Ita desiderat anima mea ad te Deus.* Hic adaptat similitudinem. Anima mea desiderat interiori affectu: *Isa. 26. Anima mea desideravit te in nocte: Thren. 3. Pars mea Dominus dixit anima mea.* Sed numquid in Deo est fons aquarum? Ita; unde dicit, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Fons dicitur, qui scaturit et producit aquas vivas, et qui iugiter et indeficienter emittit aquas. Omnis aqua gratiarum ab illo fonte emanat, scilicet a Deo Patre: *Hier. 2. Dereliquerunt fontem aquae vivae.* Item emanat a Filio, etiam inquantum Deus: *Psal. 35. Apud te est fons vitae. Fons sapientiae Verbum Dei est, Eccl. 1.* Item a Spiritu sancto: *Io. 4. Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Et *Ioan. 7. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erat credentes in eum.* Ergo quia ipse est fons, anima mea sitivit ad eum. Sitis designat desiderium cum anxietate. Ita ista designat se pati anxietatem, non solum ex dilatione rei desideratae, sed propter mala quae hic affligunt: *Mat. 5. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed de hoc fonte desiderat hoc, scilicet, *Quando veniam.* Haec verba desiderantis sunt, et exprimunt desiderium cathecumeni ad baptismum. Et sic est sensus. Quando veniam ad sacrum Christi baptisma? *Mat. 11. Venite ad me* etc. *Psal. 33. Venite filii* etc. Hoc, ut dicit Augustinus, convenit cathecumenis, quia a principio cathecumeni, quousque adulti non fuissent, non admittebantur ad sacra mysteria, sed usque ad evangelium poterant interesse; unde dicit, *Quando veniam et apparebo.* Ad literam, cum aliis, *Ante faciem Domini*, idest ad sacramenta Christi. Item convenit viris perfectis: et est sensus, *Quando veniam et apparebo*, idest ut videam te facie ad faciem, quia modo sum procul a te, quia video te per fidem? Sed quando videbo te per speciem, tunc ero prope: *Phil. 1. Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Et non dicit, apparebit mihi Dominus, sed apparebo ante faciem Domini: quia ex hoc quod videbo faciem Domini reddar conspicuus omnibus multo magis quam Moyses qui vidit eum in vita ista: *Io. 3. Nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: Ro. 8. Non sunt condignae passiones huius temporis* etc. Quasi dicat, Interero societati videntium Deum: et ex hoc conspicuus et gloriosus ero. Sed ab hac visione excluditur hypocrita: *Iob 13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Fuerunt mihi lacrymae*

b Hic describit, unde habeat hoc desiderium, vel anxietatem. Et primo ponit causam. Secundo ponit remedium quod habet contra eam, *Haec recordatus sum.* Et primo ponit magnitudinem suae tristitiae. Secundo ponit causam huius tristitiae. Circa tristitiam procedit sic. Quia primo exprimit magnitudinem tristitiae. Secundo effectum. Tertio continuitatem. Primum ostendit cum dicit, *Fuerunt mihi lacrymae meae*, in qua scilicet homo prorumpit ex abundanti tristitia. Et haec tristitia, vel est de peccatis impedientibus consecutionem rei desideratae, vel de molestiis aliorum. Secundum ostendit cum dicit, *Panes.* Panis reficit, et sic etiam lacrymae reficiunt duplici ratione. Una est, quia unicuique est delectabilis actio sibi conveniens. Unde tristitia est delectabilis actio conveniens tristitiae: et ibi lacrymatio est tristitiae actio. Alia ratio est: quia quando calor evaporat extra, minuitur; et ideo dicit, quod lacrymae sunt ei sicut panis, quasi reficientes eum. Vel sicut panis: quia sicut per panem sustentatur, ita ipse sustentatur in bono per lacrymas. Tertium ostendit cum dicit, *Die ac nocte*, scilicet in prosperitate et adversitate: *Hier. 9.*

*Plorabo die ac nocte.* Et causa huius est, *Dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus.* Haec si sunt verba Gentilium, referuntur ad cathecumenos; quasi dicat, Nos, dicunt Gentiles, habemus Deum quem videmus, scilicet solem. Sed ubi est Deus vester, quem fingitis? Respondete. Deus videri potest, sed non a te, quia non es mundus corde. Item si dicatur Iudaeo converso a Iudaeo infideli, ubi est Deus tuus? Respondeat Iudaeus conversus ad fidem. Ubi sit Deus meus, apparet in poena vestra, scilicet Iudaeorum: quia estis dispersi. Item sunt verba peccatoris ad virum iustum in afflictione positum; quasi dicat, *Ubi est Deus tuus*, quare non liberat te de afflictione quam pateris? Respondeat iustus. Quia haec temporalia non sunt praemium quod Deus dat servis suis, sed coelestia. *Haec recordatus sum*

c Supra posuit Psalmista suum desiderium, et causam desiderii; hic autem ponit remedium contra causam, scilicet tristitiam: et circa hoc duo proponit sive facit. Primo ponit remedium ex parte propriae meditationis. Secundo ex parte divini auxilii, ibi, *Ad meipsum.* Circa primum duo facit. Primo proponit remedium. Secundo per hoc remedium tristitiae impedimentum, ibi, *Quare tristis.* In remedio proponit primo meditationem. Secundo mentis delectationem, ibi, *Effudi.* Ergo assignat huius rationem, ibi, *Quoniam transibo.* Dicit ergo, *Haec recordatus sum*, scilicet improperia infidelium. *Ubi est Deus tuus: Thren. 3. Memoria memor ero.* Et habui consolationem mentis, *Quia effudi in me animam meam.* Quando liquor diffunditur, dilatatur. Unde, quia latitudo cordis pertinet ad laetitiam, quae quaedam delectatio est, ideo in effusione animae designatur delectatio: *Ps. 61. Effundite coram illo corda vestra.* Alia litera habet, *Effudi super me animam meam.* Et secundum hoc aliter legitur, et est sensus. Dicunt, *Ubi est Deus tuus?* Et ego haec recordatus primo quaesivi in sensibiles creaturas si invenirem Deum meum, sed inveni in eis quaedam Dei vestigia: *Rom. 1. Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt conspiciuntur.* Sed ultra processi in rebus intellectualibus animae. *Et effudi super me animam meam*, idest solicite discutiens quaesivi quicquid est in eis, quasi coram me ponens omnia, sicut qui extrahit de vase omnia, ut discutiat quicquid sit intus: et tamen non est ibi Deus meus. Sed est adhuc aliquid supra hoc, et hoc feci, *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei;* quasi dicat, Totum solatium quod habere possem, est spes tendendi in Deum. Et dicit duo, scilicet quo tendat, et quomodo, ibi, *In voce* etc. Circa primum accipienda est talis imaginatio. In veteri testamento erat duplex locus divino cultui deputatus, scilicet tabernaculum, de quo habetur *Exo. 36.* Postea crescente populi statu et religione aedificata est domus Dei, scilicet templum: non ut tabernaculum, sed ut res fixa. Et hanc voluit facere David, sed prohibitus est a Deo: *2. Reg. 7. Numquid aedificabis mihi domum?* Item *Para. 17.* Sed promissum est ei quod filius suus aedificaturus esset domum Dei: unde ipse paravit impensas: et ideo dicit, *Dicunt mihi ubi est Deus tuus.* Et ego haec recordatus delector quod inveniam eum: et ideo toto affectu tendam in eum. *Et transibo in locum tabernaculi admirabilis;* quasi dicat, Non quiescam donec inveniam eum. Et dicit, *Transibo*, quia per tabernaculum quod erat mobile, signatur status praesentis ecclesiae; quae modo est perpetua, nec stabilis nisi usque ad consummationem saeculi, et tunc transferetur. Et hoc dicitur *Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, idest praesens ecclesia cum hominibus, idest donec homines erunt in vita illa. Et ex hoc transibo ad stabilem domum Dei: *Ps. 64. Replebitur in bonis domus tuae: Io. 14. In domo Patris mei* etc. Et sic innuit ire in tabernaculum mirabile et in domum Dei. Et dicitur in tabernaculum mirabile propter mirabilia quae facit sanctis suis. *In voce*

d Hic describitur modus transeundi usque ad domum Dei. Et hic similiter accipienda est quaedam imaginatio. Erat autem consuetudo quod quando aliqui per turmas ibant ad tabernaculum, ibant cum gaudio: *Isa. 30. Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae solemnitatis et laetitiae*; sic qui pergit cum tybia gaudenter vadit: et ideo dicit, *Ibo in locum tabernaculi* etc. Et cum gaudio: quia, *In voce exultationis et confessionis sonus epulantis.* Alia litera habet, *Soni epulantis;* quasi dicat, Ibo in voce soni epulantis, quia in epulis est sonus gaudii; et hoc magis patet secundum alias laetitias quae sunt ibi. Referamus ergo hoc ad ingressum gaudii, quia erunt ibi tria. Primo erit ibi exultatio de bonis habitis: *Is. 33. Gaudium et laetitiam obtinebunt.* Secundo erit ibi confessio de beneficiis gratiae, quia agnoscent se illa obtinuisse per gratiam Dei: et ideo confitebuntur mirabilia Dei: et ideo sequitur ibi gratiarum actio, et vox laudis. Tertio erit ibi spiritualis refectio: *Isa. pen. Servi mei comedent, et vos esurietis: servi mei bibent, et vos sitietis* etc. *Matt. 3. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam* etc. et ideo erit ibi sonus epulantis. Item festivitatis, idest iugis exultatio: *Baruch 5. Conspice Hierusalem ad orientem, et vide iucunditatem a Deo tibi venientem.* Et quia haec omnia imperfecte sunt in ecclesia, subdit, *Quare tristis es anima mea.* Hic adhibet remedium contra causam tristitiae. Et primo removet affectum. Secundo removet effectum eius. Dicit ergo, *Quare tristis es anima mea?* cum debeas gaudere, quia es in tabernaculo, et quia ibo ad domum Domini. Quare ergo es tristis? Nam parva mala non sunt reputanda in consideratione ad bona aeterna: *Eccl. 30. Tristitiam*, scilicet saeculi, *longe expelle a te: 2. Cor. 7. Tristitia saeculi mortem operatur.* Effectus tristitiae est turbatio, quia ex inordinatione affectus ipsa ratio conturbatur. Et quis loquitur? anima secundum hunc sensum. Anima habet duas partes, scilicet sensitivam, quam nominat hic animam propter animalitatem, et superiorem rationem, quae nominat seipsam; quia unusquisque maxime est, quod melius in eo est: et ideo dicit ratio superior inferiori, *Quare conturbas me.* Et quae est causa? Ostendit autem quod non debet esse tristis, quia est spes futurae confessionis: et ideo dicit, *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor illi;* quasi dicat, Spera in ipso Deo, quia adhuc venies ad hoc quod desideras, quia scilicet, *Adhuc confitebor illi*, idest adhuc spero vultum eius, vel in via, vel in patria, quod maxime est materia gaudii: *Iac. ult. Tri-*

*statur quis in vobis? oret aequo animo, et psallat* etc. *Salutare vultus mei*, hic ly salutare secundum Glossam est nominativi casus, et est sensus. Ego dico quoniam ego confitebor illi. Et cui illi? scilicet Christo, in quo sunt duae naturae, humana scilicet qua est similis matri; et ideo dicit, *Salutare vultus mei*, idest vultum meum gerens: *Luc. 2. Viderunt oculi mei salutare tuum* etc. *Gen. pen. Salutare tuum expectabo Domine.* Item natura divina; et quantum ad hoc est Deus meus: ideo dicit, *Deus meus: Rom. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Vel secundum Hieronymum salutare est accusativi casus: quasi dicat, Confitebor ei salutare, idest salutationem qua me salutavit. Et quod sequitur, *Deus meus*, coniungitur cum sequentibus. Consequenter adhibet remedium, scilicet divini auxilii. Ubi primo proponit remedium. Secundo exponit. Dicit ergo, *Ad me ipsum.* Alia litera habet, *A meipso anima mea conturbata.* Prima est melior; quasi dicat, Quae est ratio quaeso, *Quare anima conturbas me?* Et haec turbatio venit, quia qualitercumque converto me ad me, invenio mihi tribulationem: *Osee 12. Perditio tua Israel ex te, tantummodo ex me auxilium tuum.* Et ideo Hieronymus habet, *Deus meus in meipso*, secundum illam literam est sensus; quasi dicat, Causa turbationis a meipso est, quia si referamus ad humanum genus, corruptio sensualitatis a ratione venit, scilicet a sensu primi parentis. Item homo quicumque peccando corrumpit naturam suam; et ideo post peccatum sensualitas magis resistit rationi. Et quia non est in me nisi causa turbationis, *Propterea memor ero tui*, idest recurro ad te: *Ose. ult. Memoriale eius sicut vinum Libani.* Et unde? *De terra Iordanis et Hermoniim.* Iordanis est fluvius in terra promissionis. Hermon est quidam mons propinquus Iordani. Et secundum historiam *2. Reg. 7.* quando Absalon ivit in Hierusalem, et habuit consilium ut persequeretur David, qui erat citra Iordanem, et tunc Cusi impedivit; et ideo dicit, Si essem in tanta tribulatione sicut tunc, contra, *Memor ero tui.* Tria tamen designantur hic quae sunt in baptismo. Per Iordanem designatur descensus gratiae in baptismum: *Iac. 1. Omne datum bonum et omne donum perfectum de sursum est.* Et *de terra*, quia per influxum gratiae terra cordis inde faecundatur. Hermon interpretatur Anathema, et designat abrenunciationem quam facimus diabolo, et pompis eius in baptismo, quia tunc quilibet anathematizat, idest separat se a diabolo. *A monte modico*, quia haec renuntiatio et gratia venit ab humili corde, quia humilibus Deus dat gratiam, *Iac. ult.* Et diabolus est rex super omnes filios superbiae. *Abyssus abyssum*

e Exponit remedium quantum ad duo dicta, scilicet quantum ad turbationem quam habet in se, et quantum ad memoriam de Deo, ibi, *In die mandavit.* Quantum ad primum proponit similitudinem, et exponit causam. Abyssus in Scriptura signat multitudinem aquarum: *Gen. 1. Tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus Domini* etc. Contingit etiam quod aquae quando in multitudine generantur in aere, possunt vocari abyssus. Et in istis pluviis est quaedam circulatio, quia descendunt ad terram, et ex eis elevantur vapores qui generant alias aquas: et inter media sunt frequenter tonitrua, quae fiunt ex commotione nubium quae generantur a vaporibus et pluviis. Item contingit quod post tonitruum sequuntur fulgura: *Ps. 234. Fulgura in pluviam fecit.* Dicit ergo, *Abyssus*, idest multitudo aquarum, *Invocat abyssum*, idest trahit ad se multitudinem aquarum aliarum: et hoc, *In voce catharactarum tuarum*, idest quaedam loca occulta sunt in quibus generantur aquae, et ex quibus descendunt. Unde catharactae, idest nubes, quae quasi catharactae quaedam sunt, ex quibus generantur. Et haec in Scriptura, scilicet abyssus et tempestas, important malum: *Exo. 15. Abyssi operuerunt eos*: unde, *Abyssus* etc. quasi dicat: Una punitio Dei, *Abyssum invocat*, idest continuatur ad aliam; quasi dicat, iudicium Dei, qui infert praesentia mala, invocat iudicium, quo futura mala infert: *Ps. 33. Iudicia tua abyssus multa.* Et hoc sic, *In voce catharactarum tuarum*, idest per vocem Scripturarum tuarum, vel praedicatorum. Et hoc refertur ad hoc quod dicit, *Anima mea conturbata est.* Quare: quia abyssus, idest ex uno malo, vel ex uno peccato sequitur magna poena. Vel aliter, *Propterea memor* etc. ut per abyssum intelligatur sacra doctrina: et hic est sensus, *Abyssus*, idest vetus testamentum vocat aliud, idest novum testamentum. Et haec duo concorditer inducit ut memor sim tui, quia in utroque promittit homini auxilium Dei: et hoc, *In voce catharactarum tuarum*, idest praedicatorum et doctorum. Vel aliter, *Propterea memor* etc. quia, *Abyssus*, idest quilibet homo vocatur abyssus? quia, *Quis scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, 1. Cor. 2. Hier. 17.* Secundum aliam literam profundum est cor hominis et inscrutabile. Ergo, *Abyssus*, idest unus homo, invocat alium ad Christum. Et hoc fit non propria virtute, sed, *In voce catharactarum tuarum*, idest inspiratione Spiritus sancti, ex qua habet efficaciam lingua praedicatoris. *Omnia excelsa tua.* Supra Psalmi. sta posuit similitudinem suae tribulationis; hic autem ipsam similitudinem exponit. Supra dixit, *Abyssus abyssum invocat*, et refertur ad signandum, quod non solum unam poenam passus est, sed multas: et ad hoc sequitur suam similitudinem: homo affligitur ab aqua, aut descendente ab aere, aut existente inferius: et iste ab utraque dicit se afflictum. A prima cum dicit, *Omnia excelsa tua;* a secunda cum dicit, *Et fluctus tui super me transierunt.* Excelsa ista sunt futura supplicia, et respiciunt futurum iudicium, quod fuit in mari, quando submersi sunt quasi plumbum: *Exo. 15. Fluctus sunt poenae praesentes quae invocant illud.* Et ideo, *Turbatus sum*: *Iob 19. Viam fecerunt sibi per me.* Glossa, *Transierunt*, ita me recesserunt, *fluctus tui.* Et sic secundum istam expositionem haec est ratio consolationis; quasi dicat, Memor ero tui, quia omnia excelsa tua, et fluctus tui recesserunt a me; quasi dicat, Poenae maiores quae designantur per fluctus, transierunt super me, idest videbantur excedere facultatem meam; sed prima expositio est melior. *In die*

f Sicut dictum est, duo dixit: turbationem ad seipsum etc. et fiduciam, ibi, *Propterea memor ero tui.* Et posuit causam turbationis; modo exponit cau-

sam, quare memor sit Dei. Et primo ponit experimentum divinae misericordiae. Secundo addit orationem, ibi, *Apud me oratio.* Et facit duo secundum duplicem statum divinae misericordiae, quia misericordia Dei placida est in prosperitate et adversitate. Et ideo quantum ad prosperitatem dicit, *In die mandavit Dominus misericordiam suam*, idest tempore prosperitatis; quasi dicat, Quicquid habeo prosperitatis, imputo divinae misericordiae: *Thren. 3. Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.* Quantum ad statum adversitatis dicit, *Et nocte*, idest tempore adversitatis dedit, *Canticum eius*, idest laetitia, idest est mihi in tribulatione consolatio maxima ex divina misericordia. Unde alia litera habet, *In die declaravit*, idest divina misericordia declaratur, idest manifestatur tempore adversitatis: *Eccl. 33. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis*: *Ps. 50. Secundum multitudinem miserationum tuarum* etc. Secundum Hieronymum tamen sic legitur, *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum eius apud me.* Et haec oratio Domini etc. quasi dicat, Percipio misericordiam Dei etc. in die naturali, vel adversitatis: in nocte canticum Dei, et oro. Iterum, *Deo vitae meae*: et haec est planior, secundum quod Glossa exponit, exponatur et dicamus, *Apud me oratio*, ubi proponit orationem: et facit circa hoc tria. Primo describit modum orandi. Secundo orationis tempus. Tertio orationis effectum. De oratione duo dicit qualiter se habeat ad orandum, quia aliquando orat homo, et oratio eius non est apud Deum, quando non orat per se, sed ut videatur quasi in publico: *Matt. 6. Tu autem cum oraveris* etc. Secundo qualiter se habeat ad eum quem orat, quia, *Deo vitae meae*, scilicet naturalis vitae auctori: *1. Reg. 1. Dominus mortificat et vivificat.* Item vitae gratiae. Ipse est vita tua: quia anima vivit per gratiam per hoc quod vivit Deo. Item vitae gloriae: *Ps. 33. Apud te est fons vitae.* Consequenter ponitur oratio, et, *Dicam Deo susceptor meus es* etc. In qua duo facit. Primo gratias agit de beneficiis perceptis. Secundo quaerit rationem de malis quae patitur. Primo debet homo praemittere, quia non est gratus de beneficiis perceptis, ideo indignus est de percipiendis: *Sap. 16. Ingrati* etc. Et ideo dicit, *Susceptor meus es.* Hieronymus habet, *Petra mea es*, idest fortitudo. Et ideo susceptor dicitur ad defendendum: *Psal. 3. Tu autem Domine susceptor meus es* etc. Vel, *Susceptor meus es*, idest naturae meae: *Isa. 42. Ecce servus meus suscipiam illum.* Vel, *susceptor meus*, in baptismo: *Ps. 17. Assumpsit me de aquis multis.* Et si susceptor es, miror de malis quae patior. Et primo inquirit rationem de malis. Secundo proponit quaedam quae sunt signa unius et causa alterius, ibi, *Dum affligit.* Ex malis duo considerat. Unum ex parte Dei, scilicet quod esset eius oblitus. Aliud ex parte sui, quia premebatur tristitia. Ex parte Dei, quia permittebat eum affligi: et ideo dicit, *Quare oblitus es mei*, quia olim sic suscepisti me: *Is. 49. Dominus oblitus est mei.* Sed in rei veritate non est oblitus ex parte sui, qui affligebatur: unde dicit, *Et quare contristatus incedo*, idest quae est causa qua dat me tristitiae: *Ps. 37. Tota die contristatus ingrediebar, dum affligit me inimicus.* Hic ostendit dolorem quem patitur ab adversariis: et assignat effectum persecutionis; quasi dicat, Haec est causa quare contristatus incedo, quia affligor ab inimicis: quandoque a temporalibus, quandoque a spiritualibus: *Matth. 13. Inimicus homo hoc fecit.* Causa doloris seu effectus est, *Dum confringuntur ossa mea.* Ossa ecclesiae sunt fortes, ut praelati et viri perfecti. Et quandoque per adversarios temporales, quandoque per tentationes affliguntur: *Ps. 21. Dinumeraverunt omnia ossa mea.* In quolibet homine quaelibet virtus est sicut quoddam os: et si contingat iustum castum cadere, confringitur os eius. *Exprobraverunt.* Hic agit de causa tristitiae quam patitur ex verbis iniuriosis: unum dicit, *exprobraverunt mihi*, scilicet verbis iniuriosis: *Hier. 20. Factus sum in derisum tota die, omnes subsannaverunt me.* Et hoc improperium est gravissimum. Tanto quis gravius fert improperium, quanto fit sibi de re de qua gloriatus confidit. Iste autem maxime gloriabatur de Deo: et ideo hoc opprobrium est sibi gravissimum. Et ideo inimici mei, *Dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus*: *Ps. 32. Ne quando dicat inimicus* etc. *Quare tristis es* etc. Hic ostendit orationis effectum. Unus est expulsio tristitiae. Alius est augmentum spei. Primus effectus est, quia per orationem ascendit mens hominis in Deum: et quia Deus est summe bonus, quando anima inhaeret ei, sentit delectationem maximam, et delectatio pellit tristitiam, vel diminuit: et ideo dicit, *Quare tristis es* etc. ex quo oravi. Et hoc expositum est supra. Alius effectus est, quia crescit in spem, quia si rex admittit aliquem ad familiare obsequium et colloquium, assumit fiduciam petendi et obtinendi. In oratione autem homo specialiter loquitur cum Deo: *Ps. 27. In ipso speravit cor meum* etc. et ideo subdit, *Spera in Deo*; et hoc expositum est supra.

*In finem.*

## a PSAL. DAVID XLII.

Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

b Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuventutem meam. Confitebor tibi in cythara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

## a PSAL. XLVII.

In praecedenti Psalmo David narravit suum desiderium; nunc autem adhibet orationem ad implendum desiderium. Et primo ponit orationem. Secundo effectum eius, ibi, *Quare tristis es.* Circa primum duo

facit. Primo proponit orationem in generali. Secundo in speciali, ibi, *Ab homine iniquo.* Et primo petit iudicium. Secundo iudicii effectum. Petit ergo, *Iudica me Deus.* Sed videtur praesumptionis esse: quia ipse dicit, *Non intres in iudicium, Ps. 142.* etc. Respondeo. Dicendum, quod est duplex iudicium, scilicet severitatis, et misericordiae seu aequitatis. Primum est, quando attenditur solum res, et non conditio; et hoc est timendum. De hoc dicit *Ps. 142. Non intres in iudicium* etc. quia iustitiae nostrae nihil sunt in conspectu Dei, ut dicitur *Isa. 64.* Et hoc iudicium est sine misericordia, ut dicitur *Iaco. 2.* Secundum est, quando consideratur non solum natura rei, sed conditio personae: *Psal. 102. Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Et hoc petit. Vel aliter. Est duplex iudicium, scilicet discussionis, cum merita discutiuntur: et hoc non petit hic, quia discussio est timenda: *Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parces delinquenti.* Aliud est discretionis, scilicet separationis a malis: et hoc petit; et ideo subdit, *Et discerne causam meam.* Et hoc refertur ad praesentem statum: et sic petimus discerni a malis, etsi non loco, saltem causa. Multa enim sunt communia nobis et eis: quia locus est eventus fortunae, sed causa non, quia eisdem rebus aliter utuntur boni, et aliter mali: quia in adversis boni rutilant per patientiam, mali vero fumant per impatientiam. Si vero ad futurum iudicium referamus, petimus distingui: quia causa malorum iudicabitur ad condemnationem, bonorum ad salutem. In speciali autem petit iudicari quantum ad duo, videlicet quantum ad liberationem a malo, et quantum ad promotionem in bono. Petit ergo liberari a malo, vel praesenti, vel futuro; unde dicit, *Ab homine iniquo et doloso erue me.* Homo iniquus dicitur diabolus: *Matth. 15. Inimicus homo hoc fecit.* Vel alius homo seductor, sive iniustus quicumque. Et dicitur iniquus ille qui iniustitiam intendit aperte, dolosus vero propter occultam fraudulentiam: *Prov. 12. Dolus in corde cogitantium mala.* Ab his ergo liberatur quis dupliciter. Uno modo, ut non seducatur occulta dolositate. Alio modo, ut non opprimatur adversitate. *Quia tu es Deus meus.* Hic ponitur ratio liberationis; et est duplex, una ex parte Dei qui potest; unde dicit, *Tu es fortitudo mea: Isa. 12. Fortitudo mea et laus mea Dominus.* Et dicitur fortitudo nostra effective, quia ab ipso est: *Is. 40. Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat.* Alia ratio est ex parte sua, scilicet malorum quae patitur: quaedam mala patitur secundum opinionem, quia cum sumus in adversitatibus, videmur repulsi a Deo; unde dicit, *Quare me repulisti.* Sed non repellet Dominus plebem suam sic. Et est tantum opinatum malum hoc. Aliud est verum; unde sequitur, *Quare tristis incedo:* tristis scilicet vel tristitia saeculi, quae mortem operatur, et sic est sensus, *Quare tristis incedo*, scilicet temporaliter, *Dum affligit me inimicus*, homo malus temporaliter. Vel, *Tristis incedo*, tristitia bona quae operatur poenitentiam in salutem. Et sic est sensus, *Quare tristis incedo*, tantum quia etiam laetitia adiungenda est poenitentiae. *Emitte*

b Hic ponit promotionem in bono. Et primo petit divina bona quibus promovetur. Secundo petit promotionem pro illa. Petit autem duo bona: lucem, et veritatem. Ad Deum pervenitur passibus mentis, et per cognitionem: *Heb. 4. Illis promittitur qui credunt.* Duo sunt necessaria cognitioni, scilicet lux, et cognitum: *Eph. 5. Omne quod manifestatur, lumen* etc. Et ideo duo petit, scilicet lucem et veritatem, ad quae per me non valeo venire. Et ideo dicit, *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Idem est lux, et veritas hic, quia accipiuntur pro Christo. *Emitte lucem tuam*, idest Christum: *Io. 1. Erat lux vera* etc. *Et veritatem tuam*, quia ipse Christus veritas est: *Io. 14. Ego sum via, veritas, et vita;* quasi dicat, Deus Pater emitte Christum. Vel lux hic accipitur pro lege: quia *Prov. 6. Mandatum Domini lucerna, et lex lux. Et veritatem*, idest novum testamentum. Consequenter ponitur promotio in bono. Et ponit primo directionem accedendo, ibi, *Ipsa me deduxerunt*, scilicet lux et veritas, idest duxerunt ad te. Vel, *Duxerunt*, idest abstraxerunt a malis, *et deduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Haec oratio respondet desiderio praecedentis Psalmi, *Transibo in locum* etc. Et quia adhuc non sufficit, peto adduci per Deum ad montem etc. Hierusalem erat in pede montis in latere Aquilonis. Et sic primo perveniebant ad montem qui illuc ibant. Secundo ibant ad habitationem. Tertio ad locum sacrificii, scilicet altare. Et etiam non quiescit spiritus meus, sed ascendit ad Deum; et ideo dicit, *Adduxerunt me in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua*, idest ad habitationem. Et iterum non quiescit ibi, sed vadit ad domum Dei, idest ad altare. Ideo dicit, *Introibo ad altare Dei*: et non quiescit ibi ne videatur idolatra, sed vadit ad Deum, *Qui laetificat iuventutem meam.* Mystice autem in monte, et in tabernaculo ecclesia praesens designatur, vel ecclesia coelestis; quasi dicat, Deduxerunt me in ecclesia tua: *Isa. 7. Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium* etc. *Tabernacula*, idest diversitates sanctorum, quae sunt quaedam peregrinationes super terram, *Heb. 11.* Et haec ecclesia dicitur porta coeli: *Gen. 18. Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta coeli.* Et ideo etiam dicitur altare Dei, idest ipse Deus: *Apoc. 21. Ipse Deus est templum:* quia omnia sacrificia spiritualia sunt offerenda in Deo, non in re terrena. Et ibi erit laetitia: *Isa. 66. Intra in gaudium Domini tui.* Et ideo dicit, *Laetificat iuventutem meam*, idest erit ibi renovatio et iuventus: quia, ut dicitur *Eph. 4. Omnes occurrebimus in mensuram aetatis plenitudinis Christi:* et ideo dicit, *Iuventutem: Psal. 102. Renovabitur ut aquilae iuventus tua.* Et hunc Psalmum dicunt presbyteri cum accedunt ad altare, quia haec duo, scilicet laetitia, et renovatio, sunt necessaria illis, qui ad caeleste altare accedere volunt: *Levit. 10. Quomodo potuit comedere aut placare Domino, in caeremoniis mente lugubri?* Item non est ibi vetustas peccati: *Io. 12. Scribo vobis iuventus.* Vel totum quod dictum est, refertur ad coelestem patriam, in qua desiderio debemus stare, et ad illam desideranter pergere: et hoc designat cum dicit, *In montem sanctum tuum: Exo. 15. Introduces eos, et plantabis in monte haereditatis*

*tuae*, quia est ibi stabilitas status. Item est ibi societas sanctorum; unde dicit, *Et in tabernacula tua: Num. 24. Quam pulchra tabernacula tua, Iacob* etc. Et dicuntur tabernacula, quia licet sint homines cives secundum gratiam, tamen secundum conditionem humanae naturae sunt tibi hospites. Tertio altare designat humanitatem Christi : *Isa. 53. Regem in decore suo videbunt.* Et Christus dicitur altare Dei : *Hebr. alt. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt:* quia sicut omnia sacrificia carnalia offerebantur in altari, ita omnes orationes offeruntur per Christum. Unde omnis oratio terminatur, per Christum Dominum nostrum. Sed quia non est quies in humanitate, ideo ulterius tendit ad divinitatem; unde dicit, *Ad Deum* etc *Iob 22. Super omnipotentem deliciis afflues , et elevabis ad Deum faciem tuam.* Effectus orationis est confessio laudis; unde dicit, *Confitebor tibi in cythara Deus*, et hoc dicit propter affectum: quia *Is. 51. Gaudium et laetitia invenietur in ea.* Et dicit *In cythara*, ad differentiam psalterii, quia psalterium sonat a superiori, sed cythara ab inferiori ; unde , *Confitebor in cythara*, quia sumus liberati a malis mundi. Et psalterium, quia consequuti sumus illa gaudia superna. *Quare tristis* etc. Totum hoc quod sequitur, expositum est supra in praecedenti psalmo.

*In finem pro filiis.*

CORE INTELLECTUS.

## a PSAL. XLIII.

Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis. Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos : afflixisti populos , et expulisti eos : nec enim in gladio suo possederunt terram: et brachium eorum non salvavit eos. Sed dextera tua , et brachium tuum. Et illuminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis.

b Tu es ipse rex meus , et Deus meus , qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu: et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

c Non enim in arcu meo sperabo : et gladius meus non salvabit me. Salvasti enim nos de affligentibus nos: et odientes nos confudisti.

d In Deo laudabimur tota die : et in nomine tuo confitebimur in saecula.

e Nunc autem repulisti, et confudisti nos , et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

f Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tamquam oves escarum : et in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

g Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem, et derisum his, qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

h Tota die verecundia mea contra me est : et confusio faciei meae cooperuit me. A voce exprobrantis, et obloquentis, a facie inimici , et persequentis.

i Haec omnia venerunt super nos , nec oblíti sumus te : et inique non egimus in testamento tuo. Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a vita tua.

k Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis. Si obliti sumus nomen Dei nostri , et si expandimus manus nostras ad Deum alienum. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die , aestimati sumus sicut oves occisionis.

l Exurge, quare obdormis Domine ? exurge , et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae , et tribulationis nostrae ? Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine, adiuva nos: et redime nos propter nomen tuum.

## a PSAL. XLIII.

Supra Psalmista ostendit desiderium suum ad Deum; hic autem procedit ad orandum , contra afflictionem totius populi. Titulus, *In finem psalmus filii Core ad intellectum.* Filii Core sunt filii passionis Christi , et hi sunt proprie martyres qui Christum imitantur: *1. Petr. 4. Christus passus est pro nobis* etc. Et ideo convenit proprie martyribus. Verum est quod a Deo dantur omnia bona temporalia et spiritualia. Temporalia sunt minora bona , spiritualia autem sunt maiora. Pater parvis filiis dat parva , magna vero dat perfectis. Et sic Deus facit: nam quando homines erant in statu parvulorum, dedit eis parva, idest temporalia, sicut patet in veteri testamento: *Gal. 3. Erant sicut parvuli sub pedagogo*, idest sub observantiis legis: *Isa. 1. Si volueritis et audieritis me , bona terrae comedetis;* sed iam perfectis in novo testamento non promittuntur temporalia, sed durae afflictiones; et hoc sub spe spiritualium: *Luc. 6. Beati eritis cum vos oderint homines* etc. Et sic est intentio prius retrahere homines novi testamenti ab appetitu terrenae prosperitatis promissae in veteri testamento. Dividitur ergo Psalmus iste in tres partes. Primo agitur de prosperitate praeterita. Secundo de adversitate praesenti, ibi, *Nunc autem repulisti.* Tertio petitur auxilium contra eas , ibi , *Exurge.* Circa primum duo facit. Primo enumerat beneficia antiquis collata. Secundo ostendit se habere spem maiorum , ibi, *Tu es ipse.* Circa primum tria facit. Primo praemittit auditum beneficiorum. Secundo temporis, ibi, *Opus quod.* Tertio ponit ipsum beneficium, ibi, *Manus tua.* Circa primum primo proponit modum audiendi. Secundo a quibus audierunt. Praemittit au-

tem invocationem divini nominis cum dicit, *Deus.* Et hic Psalmus iste procedit per modum orationis, quae est ascensus mentis in Deum: vel quia in isto Psalmo agit de prosperis, et adversis. In adversis homo respectum habet ad Deum, sicut ad defensorem: *Psal. 109. Ad Dominum cum tribularer* etc. In prosperis cum gaudio invocat Deum: *Isa. 55. Sicut sitiens cum gaudio ingreditur ad fontem. Audivimus.* Auditus necessarius est ad sapientiam: *Eccles. 16. Si dilexeris audire, sapiens eris:* et etiam est necessarius sapienti: *Proverb. 1. Audiens sapiens sapientior erit.* Similiter cuilibet est necessarius: quia nullus est sufficiens ad excogitanda omnia, quae ad sapientiam pertinent: et ideo nullus ita sapiens est quin instruatur ab alio: quia si audit bona, iuvatur recipiendo; si audit mala, iuvatur cognoscendo meliora. *Auribus nostris.* Auribus suis audit, qui audit auribus subiectis rationi. Unde homo dicitur, inquantum habet rationem. Quando aures sunt subiectae rationi, sunt humanae; quando non subiiciuntur rationi, sunt brutales: *Luc. 7. Qui habet aures audiendi audiat*, idest consideret. *Patres nostri annuntiaverunt nobis.* Hic ostendit quod audivit ab illis, qui voluerunt docere veritatem quia patres sunt: *Deut. 25. Interroga patres tuos* etc. Item qui potuerunt docere veritatem, quia antiqui. In antiquis est sapientia, *Opus quod operatus es in diebus eorum.* Hic ponit tempus in quo ista audivit. Quaedam beneficia sunt antiqua quae ipsi viderunt; unde dicit, *Et in diebus antiquis. Manus tua.* Hic ponit ipsum beneficium. Secundo ponit beneficii ordinem, et beneficii causam. In beneficio consideramus opus, et fructum operis. Opus divinae virtutis est, quia expulit ante eos gentes: unde dicit, *Manus tua*, idest potentia tua. Nam per membra in Deo signatur actio quam exercemus per ipsam. *Gentes disperdidit*, idest habitantes in terra promissionis destruxit etiam corporaliter: *Ps. 58. Disperge illos in virtute tua.* Fructus est quia ipsi successerunt eis: *Iob 34. Conterent multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.* Propterea dicit, *Et plantasti eos: Exo. 15. Introducet eos et plantabis* etc. Quod plantatur, radicatur ut faciat fructum: *Isa 5. Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas. Afflixisti populos.* Hic est modus, et ordo beneficii: quia non statim fuit destructa, quia terra fuisset inculta, et bestiae multiplicatae; et ideo paulatim eos consumpsit; unde dicit, *Afflixisti populos*, et per bella, et per bestias, et scrabrones: *Iosue 24. Misi ante vos scrabrones: Sap. 12. Misisti antecessores exercitus tui vespas. Et repulisti eos*, ita paulatim eos affligens: *Ps. Eiecit a facie eorum gentes. Non enim in gladio suo possederunt terram.* Hic ponitur causa beneficii. Et primo excludit causam opinatam. Secundo ponit veram causam. Causa opinata posset esse fortitudo populi, quod expulissent eos; et ideo removens hoc dicit, *Non in gladio suo* etc. Duplex est fortitudo hominis: una est experientia armorum: et hanc excludit, *Non in gladio suo possederunt terram: Iudith 5. Filii Israel non confidunt* etc. Et sequitur ibidem, *Vicerunt non cum gladio.* Alia est virtus naturalis; et hanc excludit dicens, *Et brachium eorum non salvavit eos*, idest potestas eorum: *Ps. 32. Non salvatur rex per multam virtutem: Deut. 32. Ne dicerent manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* Causa vero est, quia a Deo factum est: unde dicit, *Sed dextera tua* etc. Et ponit quatuor: tria ad executionem, quartum ad effectum pertinet. Si rex vult iuvare aliquem, tria facit ei. Primo dat ei favorem. Secundo impendit auxilium operis. Tertio dat consilium in dirigendo. Sic facit eis Deus. Primo enim fuit eis favorabilis, et dedit eis prosperitatem: et haec signatur in dextera, per quam signatur prosperitas: *Exo. 15. Manus dextera tua magnificata est.* Item dedit eis auxilium: et hoc signatur in brachio: *Luc. 2. Fecit potentiam in brachio suo.* Tertio direxit eos, ibi, *Et illuminatio vultus tui*, idest directe procedens a providentia tua. Quartum pertinet ad effectum. *Quoniam complacuisti in eis*; quasi dicat, Quare fecit nobis ista? Nunquid propter merita nostra? Non. *Deut. 9. Ne dicas in corde tuo cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus ut possiderem terram hanc.* Hoc fuit propter gratiam Dei. *Quoniam complacuisti in eis*, idest placitum tibi fuit o Deus in eis: *Mat. 11. Quoniam sic placitum fuit ante te. Tu es ipse*

b Hic ponitur spes quam habet de maiori beneficio, quae consurgit ex spe ipsius Dei. Et ideo tria facit. Primo proponit causam spei. Secundo fiduciam, ibi, *In te inimicos.* Tertio gratiarum actionem, ibi, *In Deo laudabimus.* Circa primum tria facit. Primo ponit immutabilitatem Dei. Secundo gubernationem. Tertio experientiam divini auxilii. Dei immutabilitatem ostendit, quia Deus fecit hoc patribus, et iterum, quia virtus eius non est diminuta, et ideo sibi facere etiam maiora potest; unde dicit, *Tu es ipse rex meus, et Deus meus*, qui non es diminutus. Item ad te etiam pertinet cura hominis sicut tunc: unde dicit, *Rex meus*, qui defendis, et gubernas: *Et Deus meus*, qui provides mihi: *Deut. 6. Audi Israel* etc. Ergo confido sicut et illi confisi sunt Item experientia, quia tu solus es qui salvas; unde dicit, *Qui mandas salutes Iacob.* Et hoc dicit, quia olim salvabat per alios, sed hic ipsemet salvat: *Isa. 25. Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et veniet, et salvabit nos. In te inimicos nostros.* Hic ponit fiduciam quam habet de Deo. Et primo proponit quod sperat. Secundo ostendit quod illud attribuit Deo. Tertio ponit causam. Sperat autem auxilium contra inimicos, contra quos habet duplex auxilium: unum ut vincat hostem; et quantum ad hoc dicit, *In te*, idest in virtute, non in nostra, *Ventilabimus cornu*, idest inimicos nostros, vel in praesenti, vel in futuro. Et dicit, *Cornu*, similitudinarie, quia virtus impugnativa bovis est in cornu. Et dicit, *Ventilabimus*, quia in area separantur paleae a frumento: sicut in iudicio mali auferentur, et boni remanebunt. Aliud auxilium est quod non vincatur ab hoste; et quantum ad hoc dicit, *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, idest per virtutem tuam spernemus omnes hostes nostros in futuro, vel in praesenti, quia nihil potuerunt nobis nocere. *Non enim*

c In praecedenti versu Psalmista posuit spem repulsionis hostium; hic autem rationem dictorum ostendit, scilicet quod dixit, *In te inimicos nostros.* Et ideo ostendit quod non sperat in seipso: quia, *Neque*

*in arcu.* Nam *1. Reg. 2.* dicitur: *Arcus fortium superatus est.* Item non sperat etiam in gladio : unde, *Et gladius meus non salvabit me : Ps. 56. Gladius eorum confringatur.* His enim duobus pugnatur, scilicet arcu ad distantes : unde per arcum designatur astutia hominis per quam homo in futuro sibi providet ; quasi dicat, Non spero in mea providentia. Gladio pugnatur ad propinquos: in quo designatur potentia; quasi dicat, Nec in potentia mea spero, sed in te. Unde habes hanc spem? Ex Deo. Et ostendit per experientiam. *Salvasti enim nos ex affligentibus nos*, vel in praesenti: quia etsi corporaliter nobis noceant, spiritualiter tamen nocere non possunt; vel in futuro. Sancti dupliciter affliguntur: quandoque in corporalibus, verbis, vel factis: *1. Reg. 2. Affligebat quoque eam aemula eius.* Quandoque affligitur spiritualiter, quando peccant illi qui habitant apud eos. Et ab his afflictionibus liberantur a Deo. *Et odientes nos confudisti*, dum non possunt insequi contra nos intentum suum: et confunduntur hic, et confundentur in futuro: *Isa. 41. Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te. In Deo*

d Hic ponitur gratiarum actio. Et primo ponit laudem, qua ipsi laudabuntur. Secundo ponit laudem, qua ipsi laudabunt : nam in prima laudabuntur: ideo dicit, *Tota die*, idest aeternitate: et haec laus est sancta, quia non est in seipsis, sed in Deo: *Hier. 7. Laus mea tu es*: *Ps. 118. Laudate Dominum omnes sancti eius.* Item erit continua, quia, *Tota Die*, aeternitatis: *Ps. 65. Melior est dies una in atriis tuis super millia :* laudabuntur dico a Christo: *Matth. 10. Qui me confessus fuerit, confitebor* etc. idest laudabo eum, *Coram Patre meo.* Hieronymus habet, *In Deo laudabunt*, quia sancti in patria laudabunt Deum considerando bonitatem eius. Et confitebuntur gratias agentes de beneficiis. *Nunc autem*

e Hic ponit adversitatem sanctorum novi testamenti. Et primo ponit adversitatem quam patiuntur. Secundo ponit eorum patientiam, et firmitatem, ibi, *Haec omnia venerunt super nos.* Circa adversitatem autem sanctorum primo tangit adversitatis causam, scilicet subtractionem divini auxilii. Secundo tangit ordinem, ibi, *Avertisti nos.* Sanctus homo tria habet in Deo, scilicet confugium: *Ps. 89. Domine refugium factus es nobis*: *Prov. 18. Turris fortissima nomen Domini;* ad ipsum currit iustus, et exaltabitur. Secundo habet in Deo gloriam : *Ps. 3. Tu es gloria mea.* Tertio ipsum auxilium *: Ps. 120. Auxilium meum a Domino.* Quandoque autem in exterioribus videtur quod homo non habeat in Deo refugium: et ideo dicit, *Nunc autem repulisti nos*, quia olim eras refugium: et hoc inquantum non defendis nos ab impellente: *Thre. 2. Repulit Dominus altare suum:* non tamen quantum ad interiora repulit, quia non repellet Dominus plebem suam. Item non es gloria mea, quia, *Confudisti nos*, videris nos in exterioribus confundere, quando sustines nostram confusionem. Item solebas consiliari et auxiliari ; sed modo non facis, quia, *Non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Et loquitur ad modum ducis. Consuetudo erat in veteri testamento, quod quando Deus auxiliabatur populo pugnanti, tunc Deus egrediebatur ante populum : *Abacuch 3. Egressus es in salutem populi tui* etc Hoc autem non signat motum localem in Deo, sed processum providentiae eius ad exteriora. Nunc autem egreditur Deus, dum permittit nos succumbere hostibus. Et hoc facit ut abducat nos a terrenis: quia si semper esset prosperitas in rebus temporalibus, homo serviret Deo pro eis. Et si hoc esset intentio nostra, frustraretur in istis. Ut ergo amor noster non referatur ad corporalia, subtrahit hoc suis amicis. *Avertisti*

f Hic ponitur ordo adversitatis sanctorum virorum, quantum ad duo, scilicet quantum ad consolationem quam non habent, et quantum ad afflictionem quam patiuntur. Homines qui vadunt ad bellum, fugiunt, capiuntur, occiduntur, disperguntur, et venduntur. Quantum ad primum dicit, *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, idest fecisti nos fugere : *Deut. 28. Per unam viam egredieris contra eos*, scilicet inimicos, et *Per septem fugies.* Hoc maxime pertinet ad sanctos martyres, quia in persecutione aliqui non valentes sustinere, aversi sunt a fide : *2. Pet. 2. Melius erat eis viam iustitiae non cognoscere, quam post cognitionem retrorsum converti.* Aliqui fugiebant: *Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Quantum ad secundum dicit, *Et qui oderunt nos diripiebant sibi : To. 3. Traditi sumus in direptionem: Isa. 42. Ipse autem populus direptus, et vastatus est.* Hoc etiam contingit sanctis, quia aliqui direpti sunt a diabolo, scilicet qui negaverunt fidem. Item aliqui capti ab hostibus qui fugiebant. Quantum ad tertium dicit, *Facti sumus opprobrium:* et hoc qui occiderunt nos corporaliter. Quantum ad quartum dicit, *Et in gentibus dispersisti nos*, quia ad literam Iudaeis sic accidit: *Deut. 28. Dispergemini in omnem ventum* etc. similiter sancti martyres dispersi sunt. Quantum ad quintum dicit, *Vendidisti populum tuum sine pretio*, quia ita occisi sunt martyres sine pretio, scilicet magno. In quo ostenditur quod habebantur viles: *Isa. 52. Gratis venundati estis, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Hieronymus habet, *Non foenerasti.* Foenerator dat modicum, et accipit multum; quasi dicat, Non multi sunt qui lucrati sunt ibi, quia pauci tunc conversi fuerunt; unde plures mortui quam converterentur. Vel, *Non fuit multitudo*, aliorum qui in morte illorum psallerent Deo: *Thre. 1. Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Posuisti*

g Supra Psalmista posuit oppressionem sanctorum; hic vero ponit eorum vilificationem. Et primo ponit vilificationem, quam exterius passi sunt. Ostendit secundo, quid ex hoc efficitur in corde, ibi, *Tota die verba mea.* Circa primum ponit processum vilificationis ex parte vilitatis hominum, et ex parte vilitatis rei. Ex parte vilitatis hominum est, quod primo dicitur alicui opprobrium, scilicet quod est latro, vel adulter. Secundo patitur hoc in derisionem. Tertio crescit in fabulam, idest in infamiam. Ex parte personarum, quia primo a suo socio, secundo transit ad alios, tertio divulgatur. Et hoc dicit quantum ad primum, *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*, idest fratribus et consanguineis, quia sancti vocabantur sacrilegi homicidae, vel alia huiusmodi. Et haec illusio fit nutu: unde dicit, *Subsannationem.* Et verbo; unde dicit, *Et derisum.* Subsannatio est, quando rugato na-

so deridet aliquis. Derisio, quando cum ludo, vel laetitia loquitur quae ad vituperium pertinent: *Hier. 20. Factus sum in derisum tota die omnes subsannant me.* Et dicit, *His qui in circuitu nostro sunt*, quasi non solum vicinis, sed iam ad alios devoluti sumus in vituperium et opprobrium nostrum; sic etiam sancti martyres fuerunt ab omnibus derisi : *1. Cor. 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Quantum ad tertium irridentur : quia homines loquuntur de eis ut cantant; unde dicit, *Posuisti nos in similitudinem gentibus.* Quando malum infertur alicui, vertitur in parabolam, et dicitur, Ita accidat tibi sicut tali. Et sic qui male tractatu, ponitur in opprobrium. Forte aliqui dicebant, sic contingat tibi sicut Laurentio, et aliis: et ideo dicit, *Posuisti nos in similitudinem gentibus*, idest exemplum mali et opprobrii: *Iob 17. Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis: 3. Re. 9. Erit domus ista in exemplum.* Item fit hoc facto et nutu; unde dicit, *Commotionem capitis in populis: Matt. 27. Praetereuntes blasphemabant eum moventes capita sua: Ps. 21. Locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Vel, *Posuisti*, idest in similitudinem Christi, idest vel hoc nobis pati fecisti, quod Christus passus est; quasi dicat, Sicut gentes moverunt Christo capita sua blasphemantes, ita fecerunt nobis. *Tota die*

h Hic agit quid ex exteriori opprobrio nascitur in corde. Et primo ponit verecundiam. Secundo subdit causam, ibi, *A voce.* Primo ponit verecundiam, et dicit, *Tota die verecundia mea contra me est*, idest continue est in conspectu meo. Vel, *Contra me*, idest contra id quod debetur mihi, scilicet honor qui debetur virtuosis. Verecundia secundum Philosophum est timor de turpi. Est autem turpitudo duplex. Prima secundum veritatem; et haec est turpitudo peccati, et verecundia de tali non cadit in virtuosos, quia non habent in se conscientiam de peccato de quo verecundari possint, sed cadit in malos : *Ro. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Alia turpitudo est secundum aestimationem, scilicet quod patiatur exterius abiecta, vel opprobria: et haec est etiam in perfectis viris, et de hac dicit hic, *Tota die* etc. Signum verecundiae est rubor in facie. Verecundia est timor confusionis, et passio haec concitat spiritus vitales, et ideo alteratur sanguis. Et inverecundi sunt pallidi, et verecundi sunt rubei. Tamen timidi qui timent mortem, fiunt pallidi, sed non qui timent opprobrium. Et ratio est: quia natura retrahit se ad locum ubi est defectus: unde quando timet de vita, sanguis et spiritus retrahunt, sed ad principium vitae, scilicet cor. Quando vero timet aliquid exterius, spiritus et sanguis retrahunt se ad exteriora. Dicit ergo, *Et confusio faciei meae cooperuit me*, idest induit vultum meum rubedine. Et dicit, *Confusio faciei meae*, quia nascitur in facie; sed quando est ita magna quod cooperiat totum corpus, causatur ex conculcatione et vilificatione. Quantum ad secundum dicit, *A voce exprobrantis.* Exprobratio est quando ingeritur alicui improperium in faciem: *Ps. 100. Tota die exprobrabant mihi* etc. Oblocutio est occulta detractio : *Eccl. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil minus ab eo qui occulte detrahit.* Sic factum est sanctis tempore persecutionis: nam Maximus fecit comprehendi malas mulieres, et confiteri quod Christiani mala fecissent cum eis; unde dicit, *A voce exprobrantis.* Exprobraverunt etiam Christo, et in se, et membris. Et ideo dicit, *A facie inimici et persequentis.* Et dicit, *Inimici*, quia odium est causa persecutionis : *1. Cor. 4. Persecutionem patimur*, propter iustitiam, *et sustinemus. Haec omnia*

i Hic ostendit eorum perseverantiam in bono. Et proponit eorum stabilitatem in duobus. Homo persistere debet in his, quae pertinent ad fidem, et in bona operatione. Et dicit quod propter haec omnia quae venerunt super nos, idest propter omnes praedictas adversitates, neque fidem in corde dimiserunt; unde dicit, *Nec obliti sumus te: Ps. 81. Omnes fluctus tuos* etc. Neque dimiserunt cultum divinum; unde sequitur, *Et inique non egimus in testamento tuo*, idest neque dimisimus notitiam, quam habemus de te per fidem. *Neque testamentum tuum.* Testamentum Dei est pactum initum cum eo in lege, et in baptismo : unde qui facit contra observantiam divini cultus, tunc facit iniquitatem contra testamentum Dei. Et hoc non fecerunt martyres. Hieronymus habet, *Et non sunt mentiti in te*, quia scilicet nec verbo contra eum offenderunt: *Eccl. 11. Sta in testamento tuo.* Item sunt stabiles in bonis operibus iustitiae, quae ex recto corde procedunt: et ideo dicit, *Non recessit retro cor nostrum*, per dimissionem charitatis: *Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum* etc. *Isa. 1. Abalienati sunt retrorsum*, scilicet peccatores. Sed charitas martyrum in nullo diminuta est, quantum ad ipsa opera. Et dicit, *Non declinasti semitas nostras a via tua;* quasi dicat, *Isa. 50. Haec est via, ambulate in ea.* Vel, *Declinasti*, secundum aliam literam, *Semitas nostras*, idest semitae nostrae sunt, ad quas inducit nostra natura secundum se, scilicet secundum concupiscentiam. Et sic quia ducit ad vias cordis nostri, in quibus non est ambulandum, repulisti tales vias a via tua. *Quoniam*

k Supra Psalmista posuit mala, quae patiuntur sancti, et eorum constantiam; hic autem rationem eorum quae dicta sunt. Et potest hoc cum praemissis continuari dupliciter secundum duos sensus dictos, ibi, *Declinasti semitas*, idest vias quibus quaerimus quae carnis sunt: et secundum hoc continuatur sic; quasi dicat, Non permisisti nos declinare in his quae sunt carnis, *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis*, idest mundi: *Eccl. 1. Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce omnia vanitas.* Et in hoc humiliat Deus sanctos dupliciter, scilicet humiliatione virtutis: *Ps. 34. Humiliabam in ieiunio animam meam* : et humiliatione coactionis : *Ps. 77 Humiliaverunt in compedibus* etc. Quantum ad secundum dicit, *Et cooperuit nos umbra mortis*, idest iudicium futurae mortis : nam umbra praecedit; postea habemus responsum mortis. Vel, *Umbra mortis*, idest peccatores qui sunt in tenebris, et subiecerunt nos sibi et servituti eorum : *Iob 28. Lapidem caliginis et umbram mortis dividet torrens a populo peregrinante. Si obliti sumus.* Hic probat quod dixit. Et primo proponit ea. Secundo ponit divinum iudicium. Tertio evidens signum. Dicit ergo, dixi, non sumus te obliti etc. Et ideo proponit, *Si obliti sumus nomen Dei nostri*, si, idest non. Item, *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum*, alienum scilicet a natura divinitatis, et a ritu Iudaeorum; quasi

dicat, Si oramus eos sicut deos, quod est iniqua agere in testamento Dei. Et si ista fecimus, requiret iudicium Dei. Et iudicium Dei sufficiens est ad hoc requirendum: unde dicit, *Nonne Deus requiret ista*; quasi dicat, Imo, quia ipse scit omnia: unde sequitur, *Ipse enim novit abscondita cordis: Hier. 17. Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud?* quasi dicat, Solus Deus. Item probat hoc per iudicium evidens, quia si voluissent recedere, nulla mala paterentur sancti in hoc mundo, sicut nunc patiuntur. Et primo ponit causam quare patiantur, quia causa facit martyrem: et ideo dicit, *Propter te mortificamur tota die: 1. Petr. 4. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus, non erubescat.* Secundo ponit mala quae patiuntur: et primo ostendit haec esse mala ex gravitate poenae, ex continuitate, et ex opinione. Punientium gravitas, *Quia mortificamur.* Continuitas, quia, *Tota die: 2. Corin. 1. Quotidie morior propter gloriam vestram.* Opinio, quia credebant eos occidere non ut beatos, sed ut malos et dignos morte; et ideo dicit, *Aestimati sumus ut oves occisionis.* Ad utilitatem hominum, vel ad patientiam martyrum; quasi dicat, Quare mortificamur tota die, et tamen non reclamamus, sed sustinemus sicut oves ductae ad occisionem; sic etiam fuit de Christo. *Exurge, quare?*

1 Hic invocat auxilium Dei. Et primo ponitur quaestio admirantis. Secundo petitio divini auxilii. Admiramur ergo, quia permittit sanctos suos sic affligi. Et hoc potest esse aut ex defectu voluntatis, aut cognitionis. Quod non velit contingit dupliciter, vel propter pigritiam, vel propter contemptum. Quantum ad primum dicit, *Quare obdormis Domine?* quasi dicat, Numquid propter pigritiam permittis nos affligi? Et dicitur obdormire propter effectum: *Psal. 120. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Quantum ad secundum dicit, *Et ne repellas in finem*, scilicet finaliter, etsi videaris nos repulisse ad tempus. Et hoc dicitur de Christo, ut sit verbum nostrum; quasi dicat, Abscondisti te, et nondum surrexisti in fide gentium. Exurge in eis, et nos non repellemur ab eis. *Quare faciem tuam avertis.* Dupliciter contingit defectus cognitionis, vel quia non videtur: et ideo dicit, *Avertis.* Quando Deus iuvat, videtur respicere: quando non, videtur avertere: *Exod. 3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto* etc. *Psal. 26. Ne avertas faciem a me.* Vel, *Quare avertis faciem tuam*, ut tamen non videamus: nam si videremus non pateremur aliquod malum. Vel quia est oblitus. Et ideo dicit, *Inopiae nostrae et tribulationis nostrae oblivisceris.* Hic enumerat mala quae patimur. Et est triplex malum in exterioribus, in corpore, et in anima. Quantum ad primum dicit, *Oblivisceris inopiae nostrae*, quia ad literam pauperes erant propter bona sublata: *Heb. 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Quantum ad secundum dicit, *Tribulationis*, quia multae tribulationes iustorum. Quantum ad tertium dicit, *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra.* Aliqui humiliantur animo, aliqui corpore, aliqui spiritu intrinsecus. Et ideo dicit, *Adhaesit in terra venter noster.* Et ponit ventrem pro toto corpore. Vel hoc quod dicit, *Humiliata est in pulvere anima nostra*, refertur ad defectum in spiritualibus: quia, *Anima*, idest cogitatio animae, cogitat terrena: *Isa. 26. De terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum. Et venter*, idest sensualitas totaliter terrae inhaeret. Vel aliter, *Quoniam humiliata est* etc. idest perfectiores in nobis humiliati sunt, *A pulvere*, idest a peccatore: *Psal. 1. Tanquam pulvis quem proiicit* etc. Item, *Venter*, idest infirmi inter nos adhaeserunt terrenis hominibus, quia recesserunt a fide. Contra oblivionem dicit, *Adiuva nos.* Contra obdormitionem dicit, *Exurge.* Contra mala dicit, *Et redime nos propter nomen tuum.*

*In finem pro his*

QUI COMMUTABUNTUR FILIIS CORE AD INTELLIGENDUM CANTICUM PRO DILECTO.

## a PSAL. XLIV.

Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum.

c Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua.

d Intende prospere, procede, et regna. Propter veritatem et mansuetudinem, et iustitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

e Sedes tua Deus in saeculum saeculi: virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

f Mirrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

g Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

h Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Et filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

i Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis; circumamicta varietatibus.

k Adducentur regi virgines post eam: proximae eius afferentur tibi. Afferentur in laetitia et exultatione: adducentur in templum regis.

l Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui Domine: in omni generatione. Propterea populi confitebuntur tibi: in aeternum, et in saeculum saeculi.

## a PSAL. XLIV.

Supra Psalmista proposuit orationem pro adversitate regni, et regis; hic quasi proponit gloriam regis et regni, ex divino beneficio. Et primo proponit divinum beneficium. Secundo invitat ex hoc exemplo alias gentes ad serviendum Deo, ibi, *Omnes gentes.* Circa primum duo facit. Primo proponit gloriam regis, et magnificentiam regni. Secundo proponit pacem regni, ibi, *Deus noster refugium.* Iste Psalmus dicitur epithalamius. Consuetudo enim erat, quod in nuptiis cantabantur aliqua cantica ad laudem sponsi et sponsae, et illa dicuntur epithalamica. Est ergo materia huius Psalmi de quibusdam sponsalibus Christi, et ecclesiae, quae quidem primo initiata fuerunt quando Filius Dei univit sibi naturam humanam in utero virginali: *Psa. 18. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Unde eadem est materia huius psalmi, et libri qui dicitur Cantica canticorum. Titulus talis est, *In finem pro his qui commutabuntur filiis Core ad intellectum canticum pro dilecto.* Et potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut suppleatur psalmus, ut sit sensus, Psalmus iste est ducens nos in finem Christum, pro his qui commutabuntur, scilicet de statu infidelitatis ad Christum; unde dicit, *Pro patribus tuis* etc. Ita et hic psalmus convenit passioni Christi, idest credentibus in Christum passum. Et hoc ad intelligendum mysteria Christi et ecclesiae. Et non solum psalmus, sed etiam canticum, *Pro dilecto,* scilicet Christo: *Matt. 3. Hic est Filius meus dilectus:* Hieronymus habet sic, *Victoria pro liliis filiorum Core, canticum pro dilectissimo.* Et quod dicit pro liliis ostendit quod agit hic psalmus pro deliciis sponsi, et sponsae. Et hoc signatur per flores, rosas, et lilia: *Cant. 2. Fulcite me floribus* etc. Et competit virginibus quae sunt quasi lilia. Iste psalmus dividitur in tres partes. Primo ponitur prooemium cantici. Secundo ponitur commendatio sponsi, ibi, *Speciosus.* Tertio ponitur commendatio sponsae, ibi, *Audi filia.* Circa primum tria facit. Primo proponit editionem Psalmi. Secundo finem, ibi, *Dico.* Tertio designat auctorem, ibi, *Lingua.* Editio designatur cum dicitur, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Eructatio ex nimia plenitudine, sive repletione procedit, in quo signatur quod ex abundantia devotionis, et sapientiae loquitur: *Matt. 12. Ex abundantia cordis os loquitur.* Et notandum quod huius editio psalmi attribuitur cordi, ex cuius magna devotione est compositus, quia non est iste de illis de quibus dicitur *Isa. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;* sed corde pronuntiat laudes Christi: *1. Cor. 14. Psallam spiritu, psallam et mente.* Hoc cor eructavit verbum, scilicet huius psalmi quod est bonum, quia consolatorium, loquitur enim mysteria Christi et ecclesiae: *Tim. 1. Fidelis sermo melior illo: Zac. 1. Respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. Dico ego,* idest pronuntio, *opera mea regi,* idest ad honorem regis Christi: *Isa. 32. Ecce in iustitia regnabit rex;* quasi dicat, Canto hunc psalmum ad honorem Christi, cui opera nostra omnia debemus dicare: *Col. 3. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Iesu Christi facite. Lingua mea calamus scribae.* Hic ponitur actor psalmi qui est lingua; quasi dicat, Non intelligatur quod ex proprio hunc fecerim, sed auxilio Spiritus sancti, qui utitur lingua mea, sicut scriptor utitur calamo. Et ideo principalis actor huius psalmi est Spiritus sanctus: *2. Reg. 23. Spiritus Domini loquutus est per me,* quasi per instrumentum: *2. Pet. 1. Non voluntate humana allata est sapientia, sed Spiritu sancto* etc. Et cuius calamus est? *Scribae velociter scribentis,* Spiritus sancti qui velociter scribit in corde hominum. Qui enim per studium quaerunt sapientiam, per partes, et etiam longo tempore student; qui habent eam a Spiritu sancto, velociter accipiunt: *Act. 2. Factus est repente de caelo sonus* etc. Illi qui habent scientiam per revelationem divinam, subito implentur sapientia, sicut illi sunt subito repleti Spiritu sancto: *Psal. 147. Velociter currit sermo eius: Eccl. 11. Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Vel velociter operantis, quia dixit et facta sunt. Potest autem lingua ad aliud referri, quia, scilicet quod non solum voluit dicere, sed corde primo cogitavit, secundo dixit ore, et tertio scripsit; quasi dicat, Non solum prosint praesentibus qui audiunt, sed etiam futuris: *Isa. 8. Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis: Abac. 2. Scribe visum, et explana eum.* Haec ergo expositio est literalis. Sed aliqui dicunt quod haec verba proponuntur ad commendationem Christi secundum divinitatem, quasi sint verba Dei Patris. Sed hanc expositionem non approbant Augustinus et Hieronymus; tamen Dionysius utitur *2. cap. de divi. no.* ubi introducit hoc verbum, *Eructavit* etc. et secundum istam expositionem commendatur a patre tripliciter. Primo describitur eius emanatio. Secundo eius virtus, ibi, *Dico.* Tertio eius operatio, ibi, *Lingua.* Circa emanationem eius a Patre ponit quatuor. Primo eius naturalem processionem, cum dicit, *Eructavit*, quod est quaedam emanatio de plenitudine, unde processus Filii a Patre est divina eructatio, quia procedit ex plenitudine divinae naturae: *Ioan. 2. Pater diligit Filium* etc. Secundo ponit modum emanationis, quia non corporaliter, nec de aliqua alia natura emanavit, sed ad modum spiritualis. *Cor meum*, quasi non ex nullo, nec de alia essentia, sed de corde meo: *Psalm. 99. Ex utero ante luciferum genui te.* Secundo ponitur proprietas procedentis, quia, *Verbum: Ioan. 1. In principio erat Verbum.* Item ponitur perfectio procedentis: quia, *Bonum,* quasi habens plenam bonitatem divinitatis: *Lucae 18. Nemo bonus nisi* etc. Virtus ostenditur cum dicit, *Dico ego,* idest per verbum facio, *Omnia mea opera regi*, idest ad honorem regis, scilicet filii, qui est unus Deus mecum: *Ioann. 1. Omnia per ipsum facta sunt.* Propria operatio designatur cum dicit, *Lingua mea calamus scribae;* quasi dicat, quod ipse est lingua mea, est etiam calamus scribae. In sacra Scriptura operationes metaphorice designantur per instrumenta, vel membra, quae sunt operationum principia; et sic per linguam et calamum operatio Dei designatur conveniens linguae et calamo. Operatio linguae est, quod per eam diffunditur sapientia cordis ad alios; per calamum autem designatur quod sapientia quae est in corde, transfunditur in materiam sensibilem, scilicet pergamenum. Deus autem et loquitur, et scribit: loquitur, quando transfundit sa-

pientiam suam in mentes rationales: *Psal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et hoc dicitur Verbum, quia per ipsum est omnis illuminatio: *Ioan. 1. Et vita erat lux hominum.* Scribit, quia iudicia suae sapientiae imprimit in rationabilibus creaturis: *Rom. 1. Invisibilia Dei* etc. *Ecclesiast. 1. Deus effudit illam super omnia opera sua.* Sicut enim respiciens librum cognoscit sapientiam scribentis, ita cum nos videmus creaturas, cognoscimus sapientiam Dei. Calamus igitur est verbum Dei. *Speciosus forma prae filiis hominum*

b Praemisso prooemio secundum unum sensum, vel Christi divinitatem secundum alium sensum; hic ponitur commendatio Christi secundum humanitatem. Et quia dixit, *Dico ego opera mea regi*, commendat Christum secundum similitudinem regis, scilicet David, a quatuor, scilicet a gratiositate, a bellica virtute, a iudiciaria potestate, et a deliciarum multitudine. Secunda pars, ibi, *Accingere.* Tertia, ibi, *Sedes.* Quarta, ibi, *Mirrha.* Circa primum duo facit. Primo describit gratiositatem regis. Secundo causam vel effectum, ibi, *Propterea.* Nota quod duo sensus vigent in homine principaliter, scilicet visus et auditus: unde per haec duo aliquis gratiosus apparet: per pulchritudinem visui, per gratiosum verbum auditui. Unde haec duo praecipue fuerunt in Christo: unde *Can. 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Ipse enim pulcher fuit et eloquens in his, quae decuit suam eloquentiam. Quantum ad primum dicit, *Speciosus forma.* Et nota in Christo quadruplicem pulchritudinem, Unam secundum formam divinam: *Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset.* Et secundum hanc fuit speciosus prae filiis hominum: nam omnes tantum habent gratiam secundum redundantiam et participationem; sed iste per se et plene: *Col. 2. In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: Heb. 7. Cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius: Sap. 7. Candor est lucis aeternae et speculum sine macula* Dei maiestatis. Alia est pulchritudo iustitiae et virtutis: *Hier. 51. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae: Ioan. 1. Plenum gratiae et veritatis.* Alia est pulchritudo conversationis honestae: et de hac *1. Pet. ult. Forma facti gregis.* Et hac forma fuit speciosus prae filiis hominum, quia sua conversatio fuit magis honesta et virtuosa quam alicuius: *1. Pet. 2. Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Augustinus *in originali*: *Nobis cernentibus ubique speciosus: pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher in patibulo, pulcher in ligno, pulcher in coelo.* Quarta est pulchritudo corporis: et haec etiam Christo infuit: *Cant. 1. Ecce tu pulcher es dilecte mi.* Sed nunquid secundum hanc pulchritudinem fuit speciosus prae filiis hominum? Videtur quod non: quia *Isa. 53.* dicitur: *Vidimus et non erat in eo species neque decor.* Item per rationem probatur quod Christus voluit paupertatem habere, et non uti divitiis, ut doceat eas contemnendas. Sed sicut ista sunt contemnenda, ita pulchritudo corporalis: *Prov. ult. Fallax gratia et vana est pulchritudo.* Respondeo. Dicendum, quod pulchritudo, sanitas, et huiusmodi dicuntur quodammodo per respectum ad aliquid: quia aliqua contemperatio humorum facit sanitatem in puero, quae non facit in sene: aliqua est enim sanitas leoni, quae est mors homini. Unde sanitas est proportio humorum in comparatione ad talem naturam. Et similiter pulchritudo consistit in proportione membrorum et colorum. Et ideo alia est pulchritudo unius, alia alterius: et sic hanc pulchritudinem Christus, secundum quod competebat ad statum et reverentiam suae conditionis, habuit. Non est ergo intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum; sed illam pulchritudinem corporalem habuit summe, quae pertinebat ad statum, et reverentiam, et gratiositatem in aspectu: ita quod quoddam divinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum reverebantur, ut Augustinus dicit. Ad primum dicendum, prophetiam velle exprimere contemptum Christi in passione, in qua deformata fuit corporis forma prae multitudine afflictionum. Ad aliud dicendum, eas divitias et pulchritudines contemnendas, quibus male utamur. Gratiosus etiam fuit in verbo; unde dicit, *Diffusa est gratia in labiis tuis: Eccl. 6. Lingua eucharis in bono homine abundabit. Et gratiosum verbum eius.* Tripliciter propter ea quae aliquis dicit, reputatur verbum eius gratiosum, quando scilicet dicit ea quae placent, et sunt utilia; sic verbum Christi fuit gratiosum, quia levia imponebat, et quietem promisit: *Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos: Ioan. 6. Domine ad quem ibimus. Verba vitae aeternae habes.* Item aliquis habet gratiosum verbum propter ordinatum modum proferendi et ferventem: et sic habuit ordinatum et ferventem modum Christus in proferendo: *Psal. 118. Ignitum eloquium tuum.* Item aliquis dicitur habere gratiosum verbum propter efficaciam ad persuadendum: sic etiam habuit Christus: *Matth. 7. Erat docens in templo sicut potestatem habens.* Et ideo dicitur *Luc. 21.* quod *Omnis populus manicabat ad eum*, idest mane veniebat ad eum, *in templo audire eum.* Et *Io. 4. Nunquam sic locutus est homo. Propterea benedixit te Deus in aeternum.* Hic ponitur vel causa, vel effectus. Sicut dictum est, benedicere Dei signat effectum bonitatis, vel eius collocationem beneficii. Deus itaque homini Christo duplex beneficium contulit. Gloriae sive regni: et hoc est praemium meritorum Christi: *Phil. 2. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Et sic ly propterea denotat causam meritoriam; quasi dicat, Quia tu es speciosus in forma, gratiosus in doctrina, *Propterea benedixit te Deus in aeternum*, benedictione spiritualis regni: *Gen. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Aliud est beneficium gratiae, et sic est sensus, *Propterea benedixit te Deus in aeternum*, ut esses speciosus, et esset diffusa gratia in labiis tuis. *Accingere gladio tuo super femur*

c Hic describitur virtute potens. Et primo ponitur eius bellica virtus Secundo eius in bello processus, ibi, *Intende.* Tertio effectus, ibi, *Et deducet te.* Virtus bellica consistit in fortitudine naturali, et praeparatione armorum. Primo ergo ponit fortem praeparationem armorum, cum dicit, *Accingere gladio tuo:* secundum aliam literam dicit, *Super femur tuum po-*

*tentissime.* Ubi designatur virtus armorum: *Can. 3. Uniuscuiusque ensis super femur suum.* Sed secundum glossam aliud est accingi, quia qui accinguntur, parantur ad bellum, scilicet milites: *1. Mac. 3. Accingimini et estote filii potentes, et estote parati in mane, quoniam melius est nobis mori in bello* etc. Aliud est praecingi, quia praecinguntur qui parantur ad serviendum: *Luc. 12. Praecinget se, et faciet illos discumbere* etc. Aliud est succingi, quia succinguntur qui parantur ad ambulandum: *Eccl. 36. Latro succinctus exiliens de civitate.* Aliud est discingi, quia discinguntur, qui vadunt ad quiescendum: *3. Reg. 20. Non glorietur accinctus aeque ut discinctus.* Gladius Christi est doctrina eius. De hoc gladio habetur *Eph. ult. Gladius spiritus quod est verbum Dei.* Hoc gladio posuit Christus divisionem in hoc mundo, ut bona discernantur a malis: *Matth. 40. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Hic gladius est ex utraqus parte acutus, ut testatur *Apoc. 1.* quia de aeternis et temporalibus instruxit. Et est super femur, quia organo humanitatis verbo doctrinae usus est: *Isa. 52. Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Potentissime.* Ubi oritur eius virtus seu potentia naturalis: *1. Reg. 2. Non est fortis sicut Deus noster: Iob 2. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est. Specie tua*, secundum Hieronymum et Haebreos hoc quod dicitur, *Specie*, coniungitur cum hoc, quod dicitur, *Potentissime*, et est totum sub uno versu, et sic uno modo legitur in glossa; et sic si coniungatur cum potentissime, sic est sensus. Tu Christe es potentissimus, *Specie tua*, scilicet humanitatis secundum quam etiam est maximus virtute: *Cant. 5. Species eius ut Libani. Et pulchritudine tua*, scilicet divinitatis: *Sapien. 13. Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est.* Vel es potentissimus, *Specie tua*, idest sponsa pulchritudine tua. Unde Hieronymus habet, *Laude tua*, quia ex hoc es laudabilis et gloriosus, quia es armatus, et fortis. *Intende, prospere procede*

d Psalmista supra ad commendationem Christi posuit fortitudinem et apparatum regis; hic autem agit de eius processu: et circa hoc duo facit. Primo proponit processum regis. Secundo eius causam, ibi, *Propter veritatem.* Circa primum sciendum est quod loco istorum trium, quae hic ponuntur, scilicet, *Intende, prospere procede*, in Psalmo Hieronymi habetur unum tantum, *Prospere ascende.* In ascensu designatur processus: *Hierem. 49. Leo ascendit, et superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam.* Unde manifestum est quod haec pertinent ad quandam perfectionem et ascensum. In ascensu bellicosi sunt tria; principium, medium, et finis. Principium debet esse diligens et discreta consideratio: *Prov. 54. Cum dispositione initur bellum*, et *Luc. 4.* dicitur quod rex iturus ad bellum prius etc. Unde, *Intende*, idest diligenter considera. In Christo autem intendere designat dispositionem misericordiae eius, qua intendit ad salutem humani generis: *Psal. 17. Intende in adiutorium meum.* Medium est prosper processus. Processus autem Christi intelligitur dupliciter. Uno modo, secundum qnod ex utero virginis processit in nativitate: *Psal. 18. Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et hic fuit prosper processus, quia sine peccato natus est; et matri non abstulit virginitatem, nec dolorem intulit. Alio modo, secundum quod processit de homine ad hominem convertendum, hunc et illum. Et in hoc fuit prosper, quia tandem pervenit ad conversionem totius mundi: *Isa. 55. Faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illum: Psal. 117. O Domine bene prosperare.* Quod dicit, *Intende*, potest coniungi cum hoc quod dicit, *Specie tua;* quasi dicat, Ergo sponse virtute humanitatis etc. et pulchritudine divinitatis intende. Finis eius regnum eius: *Psal. 46. Regnabit Deus super omnes gentes.* Finis eius quod regnet per fidem in cordibus omnium: *Luc. 1. Et regnabit in domo Iacob.* Et ideo dicit, *Et regna.* Causa processus propter veritatem. Et hoc vel causa dispositiva, vel finalis. Si per ly propter primo dicatur secundum quod est causa dispositiva, secundum quod in Hieronymo habetur, *Propter verbum veritatis et mansuetudinem iustitiae*, notandum quod duo sunt necessaria ut rex prospere agat. Primo, scilicet ut ei credatur, quia si nihil ei crederetur, et ipse aliis crederet, non posset plus quam unus homo: *Prov. 17. Non decent stultum verba composita.* Secundo quod diligatur, quia si non diligitur, non potest prosperari in regno, nec in negotiis suis, et hoc facit fieri mansuetudo et clementia regis: *Eccl. 3. Fili in mansuetudine opera tua perfice.* Et ita haec duo disponunt ad prosperitatem regis: *Prov. 20. Misericordia et veritas custodiunt regem: Psal. 26. Mansueti haereditabunt terram.* Sed secundum literam nostram ad hoc ut rex posset prosperari in negotiis suis, debet habere tria, scilicet veritatem, mansuetudinem, et iustitiam. Et ista tria fecerunt prosperari Christum, quia fuit verax in docendo, mansuetus in patiendo, iustus in operando. De primo *Matth. 22. Scimus quia verax es* etc. De secundo *1. Pet. 2. Cum pateretur, non comminabatur: Hier. 11. Ego sicut agnus mansuetus* etc. De tertio, quia in nullo a iustitia discessit: *Psal. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Si autem ly propter designat causam finalem, sic est sensus. *Intende, prospere procede, et regna*, idest ut facias veritatem. Christus autem fecit veritatem dupliciter, scilicet implendo promissiones, et adimplendo figuras: *Rom. 23. Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: 2. Cor. 1. Quotquot promissiones Dei sunt in illo.* Et iterum propter mansuetudinem derivandam in discipulos: *Matth. 11. Discite a me* etc. Item, *Regna*, propter iustitiam: *Io. 5. Pater omne iudicium dedit filio, Deducet te mirabiliter dextera tua.* Hic est modus determinati processus. *Procede prospere.* Et quomodo, *Deducet te dextera tua.* Et loquitur ad similitudinem bellicosi, qui si habet hostem contra se, dicitur sibi, oportet, quod manus tua faciat tibi viam, et sic bellando transibis; quasi dicat, Procede, si manus tua dextera faciat tibi viam. Et hoc mirabiliter, quia omnes mirabuntur. Hieronymus habet, *Docebis te dextera tua*, idest dum facies magnifica, manus tua ostendit te mirabilem. Tamen in alio Psalmo habetur, *Manus tua deducet te.* Sed dicendum quod litera ista non est contra illa, quia Christus est Deus et homo. Et ideo secundum quod est Deus, eadem

est dextera sua et Patris. Et deduxit Christum dextera sua mirabiliter in oppugnatione hostium : *Exo. 13. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum.* Et in operatione miraculorum virtute suae divinitatis. Unde paravit sibi viam in corde hominum: *Psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem. Et si consideremus viam mirabilis est , Hester 13.* Valde enim mirabilis es Domine. Item dicta est mirabilis: *Psal. 138. Mirabilia opera tua , Sagittae tuae acutae ;* quasi dicat, Ideo parabit tibi viam, quia sagittae tuae sunt acutae. Et ponitur hic virtus armorum, et effectus eorum. Arma Christi sunt sagittae, quae sunt verba Christi, quae dicuntur sagittae propter tria. Primo, quia sagitta suo acumine usque ad cor penetrat : *Osee 2. Ducam eam in solitudinem , et loquar ad cor eius ;* ita verba Christi : *Heb. 4. Vivus est sermo Dei , et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Item sagitta velociter movetur: *Sap. 5. Transitus vitae* etc. sic verbum Christi subito totum orbem implevit, quia fere per totum mundum ante destructionem Hierusalem sermo Christi fuit diffusus: *Psal. 149. Velociter currit sermo eius.* Item sagitta ad remota attingit; sic etiam sermo Christi: *Ps. 18, In omnem terram exivit sonus eorum.* Et sic sermo Dei est gladius, inquantum vulneravit Iudaeos, qui conversi sunt ad Christum qui erat prope : propter quod dicitur, *Accingere gladio tuo,* et est sagitta etiam inquantum ad remotos gentiles pervenit, et conversi sunt ad Christum : *Eph. 3. Evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis , et pacem his qui prope. Populi sub te cadent.* Hic ponitur effectus verbi divini, qui est conversio populi ad Deum : unde, *Populi* etc. idest omnes ad te current : *Phil. 2. In omni genu flectatur* etc. Sed quid est quod addit, *In corda inimicorum regis.* Hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut coniungatur cum prima clausula huius versus, *Populi sub te cadent,* ut sit interpositio, et sic est sensus. Sagittae tuae acutae intrant in corda inimicorum regis. Verba tua sunt sicut sagittae quae penetrant corda etc. Et ex hoc populi sub te cadent. Alio modo, ut coniungatur cum hac, *Populi sub te cadent*, et hoc in corda, vel in corde inimicorum regis, idest tui qui es rex. Quaedam enim subiiciuntur violenter, sicut modo subiiciuntur inimici. Et de hac subiectione dicit se non loqui, sed de voluntaria ; et ideo dicit , *In corda ;* quasi dicat secundum illa corda subiiciantur, secundum quae inimicabantur Christo: *Ps. 53. Voluntarie sacrificabo tibi.* Vel aliter , *Sagittae tuae acutae sunt , populi sub te cadent in corda inimicorum regis:* populi dico, qui erant inimici regis, idest Christi ; quasi dicat, Illi qui erant contra regem, scilicet Christum , subiicientur ei. Et ad literam sic factum est, quia gentiles qui conati sunt destruere fidem Christi, nunc serviunt Christo : *Isa. 53. Ecce gentes quas nesciebas vocabis : Psal. 17. Populus quem non cognovi servivit mihi. Sedes tua Deus in saeculum saeculi*

e Supra Psalmista commendavit Christum a gratiositate, et bellica virtute ; hic commendat eum a iudiciaria potestate. Et primo describit eius iudiciariam potestatem. Secundo potestatis executionem , ibi , *Virga directionis.* Tertio rationem , ibi , *Propterea unxit.* Dicit ergo , *Sedes tua Deus.* Per sedem in Scriptura iudiciaria potestas designatur: *Psal. 121. Illic sederunt sedes in iudicio.* Christo autem iudiciaria potestas convenit , sive competit: *Ioa. 5. Pater omne iudicium dedit filio;* et ideo per sedem Christi eius potestas accipitur : *Matt. 19. In regeneratione cum sederit filius hominis* etc. Sed hanc etiam iudiciariam potestatem habent etiam praelati et reges: verum sicut ministri: *Sap.6. Cum essetis ministri regni illius, non ratione iudicastis.* Sed Christus sicut principalis iudex , et sicut verus Deus; et ideo dicit, *Sedes tua Deus :* Domini enim vindicta est; et hic expresse loquitur de Christo, quia dirigit sermonem suum ad eum. De hoc *Apoc. 3. Qui vicerit , dabo ei sedere in throno meo , sicut et ego vici , et sedi in throno: Isa. 85. Vidi Dominum super thronum.* Item est aliqua potestas iudiciaria temporalis, alia perpetua : et talis est potestas Filii Dei; unde dicit, *In saeculum saeculi* , quia de aeternis est iudicium eius: *Dan. 7. Potestas eius aeterna.* Sic igitur describit Dei potestatem , dignitatem, et aeternitatem. Consequenter agit de executione potestatis, cum dicit , *Virga directionis.* Et primo ponitur executio potestatis. Secundo eius expositio Necesse enim est quod rex cohibeat delicta, quia, ut Philosophus dicit, si animi hominum essent a Deo ordinati quod obedirent monitioni paternae , non essent necessarii reges et iudices: unde ut inquieti corrigantur , necessarii sunt reges , unde habeant sceptrum : *Prov. 22. Stultitia colligata est in collo pueri, et virga disciplinae fugabit eam.* Sed habet virgam ad hostes coercendos: *Ps. 2. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas* etc. Item ad subditos gubernandos : *Mich. ult. Pasce populum tuum in virga tua:* et ideo dicitur , *Virga regni tui est virga directionis* , idest ad ducendum populum in via recta , quia haec est finis legis , et regiminis , ut non excorient , sed ut faciant virtuosos : et haec est finis politicae, et hoc convenit Christo: *Psal. 23. Dirige me in veritate tua , et doce me.* Sed haec directio consistit ut homo deserat malum , et adhaereat bono : *Isa. 30. Haec est via , ambulate in ea , et non declinetis neque ad dexteram , neque ad sinistram,* idest neque per excessum, neque per defectum; et ideo dicit, *Dilexisti iustitiam.* Item debet odire iniquitatem, quia si non diligat, iustitia non duceret ad bonum: et hoc maxime fecit Christus, quia iustus Dominus, et iustitiam dilexit. Item si non odiunt iniquitatem, non puniunt: et quia Christus maxime odit iniquitatem, propterea punit malos. *Propterea unxit.* Hic ponitur causa vel finalis, vel effectiva; quasi dicat, Ideo operatus est iustitiam, ut Deus ungat te. Sed numquid meruit Christus hanc unctionem? Non, sed meruit manifestationem huius unctionis. Et in Scriptura dicitur aliquid fieri, quando innotescit. Et Christus per passionem meruit exaltationem in fide omnium populorum, et sic litera, *Propterea*, designat causam finalem. Sed si sit causa effectiva, sic intelligetur; quasi dicat, Ut sedes tua , et virga etc. propterea unxit te Deus. In veteri testamento ungebantur sacerdotes, et reges, ut patet de David *1. Reg. 16.* et de Salomone , ut patet *3. Reg. 1.* Et prophetae inungebantur, ut patet de Elisco, qui inunctus fuit ab Helia, *3. Reg. 19.* et haec

conveniunt Christo, qui fuit rex: *Luc. 1. Regnabit in domo Iacob in aeternum.* Item fuit sacerdos, qui seipsum obtulit Deo sacrificium, *Eph. 5.* Item fuit propheta, qui praenunciavit viam salutis: *Deut. 18. Prophetam suscitabit Dominus de filiis Israel.* Sed quomodo unxit? Non oleo visibili, quia *Regnum eius non est de hoc mundo*, *Ioa. 18.* Item non est functus sacerdotio materiali; et ideo non materiali oleo unctus, sed oleo Spiritus sancti; et propterea dicit, *Oleo laetitiae.* Et dicitur Spiritus sanctus oleum : quia sicut oleum supereminet omnibus liquoribus, ita Spiritus sanctus omnibus creaturis : *Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas*, idest debet esse super omnia in cordibus hominum, quia est amor Dei. Secundo propter suavitatem suam. Misericordia, et omnis suavitas mentis a Spiritu sancto est: *2. Cor. 6. In suavitate, in mansuetudine, in Spiritu sancto.* Tertio, quia oleum est diffusivum, sic Spiritus sanctus est communicativus : *2. Cor. ult. Communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis, amen: Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum.* Item oleum est fomentum ignis, et caloris, et Spiritus sanctus fovet, et nutrit amoris calorem in nobis : *Cant. ult. Lampades eius lampades ignis.* Item oleum illuminat, et ita Spiritus sanctus: *Iob 32. Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Sed dicit, *Deus Deus.* Haec litera Deus, vel est nominativi casus, vel vocativi; et ideo in latino est dubium, sed in graeco non, quia ibi unum est casus nominativi, et aliud vocativi, quia dicit, O Deus, Deus tuus unxit te oleo laetitiae. Et datur intelligi quod loquitur de Christo qui est Deus, et non potest inungi inquantum Deus, quia secundum quod Deus non potest promereri: et ideo oportet aliquid accipi in Christo in quo ungatur, et haec est humana natura. Et secundum hanc habet Deum, quia secundum quod Deus, non habet Deum. Et dicitur oleum laetitiae, quia in tempore laetitiae orientales ungebant se oleo: *Isa. 61. Oleum gaudii pro luctu.* Spiritus sanctus est causa gaudii: *Ro. 14. Et gaudium in Spiritu sancto : Gal. 5. Charitas, gaudium, pax* : quia Spiritus sanctus non potest esse in aliquo quin gaudeat de bono, et spe futuri boni : unde dicit, *Prae consortibus tuis*, quia Christus fuit unctus prae omnibus aliis sanctis: *Io. 1. Vidimus eum plenum gratiae, et veritatis.* Consortes eius dicuntur inungi, quia quicquid habetur de oleo isto, idest de gratia Spiritus sancti, est ex redundantia Christi: *Io. 1. De plenitudine eius omnes accepimus: Psalm. 132. Sicut unguentum in capite* etc. *Mirrha, et gutta*

f Hic agit de deliciis regis, et describit has delicias ex quatuor: ex vestitu, ex habitaculo, ex ministerio, et ex coniugio. De primo dicit, *Mirrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis.* Vestimenta Christi possunt esse duplicia, scilicet corpus eius: *Isa. 63. Quare rubrum est vestimentum tuum?* Item vestimentum Christi sunt sancti omnes : *Isa. 49. His omnibus velut ornamento vestieris.* Et ab his procedit odor mirrhae, guttae, et casiae, sive de vestimento, quod est corpus eius, sive de sanctis. Mirrha habet amaritudinem; et sic si referatur ad corpus Christi, signat amaritudinem passionis: *Can. 5. Digiti eius*, scilicet confixi ligno, *pleni mirrha probatissima.* Si autem referatur ad sanctos, signat poenitentiam: *Eccl. 34. Sicut mirrha electa dedi suavitatem odoris.* Ubi nos habemus gutta, *Graecus*, habet aloes: Hebraei, Stactes. Gutta est liquor alicuius herbae, et calidum quid, et valet contra inflationes: et signat humilitatem, quae humilitas maxime fuit in Christo: *Matt. 11. Discite a me, quia mitis* etc. Item fuit etiam in sanctis: *Isa. 66. Super quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Aloes est succus herbae; sed non sumitur hic sic, sed pro quodam ligno, et vocatur aloes, quod est odoriferum. Stactes est gumma mirrhae, quod est speciosius, quam mirrha. Et haec idem est quod mirrha quantum ad odorem. Casia est triplex. Quaedam est casia quae est sicut fistula; quaedam est fructus arboris, et de hac non intendit hic, quia non est aromatica; sed est quaedam casia virga quae est aromatica, et ad istam refertur quod dicitur hic. Vel secundum glossam est quaedam arbor casiata, quae nascitur in locis aquaticis : et per hoc signatur aqua lacrymarum, vel aqua baptismalis ; quasi dicat, Odor omnium istorum procedit a sanctis, et corpore tuo: *2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus.* Et secundo dicit, *A domibus eburneis ;* quasi dicat, Redolet etiam a domibus tuis eburneis, quae redolent propter ista aromata. Antiqui parietes erant tabulati, apud nos sunt marmorei. Et sic apud Hebraeos et orientales, parietes erant tecti ebore: *Amos 5. Peribunt domus eburneae.* Domus signat fideles: *1. Pet. 2. Et ipsi tanquam lapides vivi aedificamini in domos spirituales* etc. Eburneae, frigidae propter castitatem: *Cant. 5. Venter illius eburneus.* Item candidae propter puritatem, rubicundae propter castitatem: *Thre. 4. Rubicundiores ebore antiquo.* Ex tertio, *Ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo ;* quasi dicat, Ita est deliciosus quod filias regum habet in ministerio ; quasi dicat, Vestimenta tua paraverunt filiae regum quae serviunt tibi. Ad literam. Filiae regum mundanorum delectant nos ad honorem Christi, quia dedicaverunt se Christo, et mortuae sunt pro Christo, et hoc, *In honore tuo*, idest ad tuum honorem, ut quasi non solum unius, scilicet regis, sed etiam filiae regum serviunt Christo. Vel aliter reges sunt apostoli: filii eorum sunt animae fideles. Vel reges sunt doctores: *Apocal. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Filiae eorum sunt populus christianus et fidelis: *2. Corin. 4. In Christo Iesu per evangelium ego vos genui:* hi sunt filiae in honore Christi, non in honore regum, scilicet Petri et Pauli, sed Christi: *1 Cor. 1. Nos praedicamus Christum crucifixum.* Istae delectaverunt istis aromatibus. *Astitit regina*

g Supra Psalmista laudavit Christum ex gratiositate, ex virtute bellica, et ex deliciis ; hic autem laudat eundem ex sponsa, quam describit ex quatuor, scilicet quantum ad sponsi praesentiam, quantum ad dignitatem, quantum ad gloriam, et quantum ad ornatum. Sponsa Christi est ecclesia; sponsae regis dicuntur reginae : *Hester 2. Ista est Hester ordinata regina.* Et haec regina in ecclesia: *2. Corin. 11. Despondi vos uni viro virginem castam* etc. Dignitas eius est, quod est regina. Haec astitit semper inhaerens Deo, et coniuncta. Unde angeli qui non mittuntur, dicuntur assistentes : *Daniel. 7. Millia millium*

etc. *Psal. 5. Mane astabo tibi* etc. Dicit Gregorius: *Videt quidam per fidem, erigitur per spem, unitur per charitatem.* Gloria istius regnae est praerogativa quam habet, quia, *A dextris*, idest in potioribus bonis. Unde et Filius, inquantum est in potioribus bonis Patris, secundum quod homo, dicitur esse a dextris: *Mat. ult. Dominus quidem Iesus sedet a dextris Dei.* Et haec meliora sunt; sed si comparentur spiritualia temporalibus, spiritualia sunt potiora. Et haec regina astitit in spiritualibus: *Prov. 3 Longitudo dierum in dextera eius.* Item si per dexteram significentur bona opera, haec sunt potiora quam peccata: *Prov. 4. Vias, quae a dextris sunt, novit Dominus.* Et in his astitit haec regina. Ornatus describitur cum dicit, *In vestitu deaurato*: Hieronymus non habet, *Circumdata varietate*, nec Hebraei, sed Hieronymus habet, *In diademate deaurato*. In Hebraeo, *In massa auri.* Et secundum nostram literam est duplex vestimentum ecclesiae. Unum est doctrina duorum testamentorum: *Prover. ult. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Et iste vestitus non est aurum solum, sed deauratus, quia est refulgens divina sapientia, qua haec doctrina est plena. Tamen est, *Circumamicta varietate.* Et potest referri quantum ad diversa genera linguarum, vel quantum ad profundiorem modum sapientiae. Alius vestitus est operatio virtuosa: *Psal. 131. Sacerdotes eius* etc. Per aurum autem significatur charitas: *Genes. 2 Aurum terrae illius optimum.* Est enim charitas fulgida et rubea. Et ideo dicitur deauratus, quia informatus charitate: *1. Cor. ult. Omnia opera vestra in charitate fiant.* Vel, *Circumamicta varietate*, idest diversis virtutum operibus, quia alii fuerunt aurei per martyrium, alii rosei per gemitum poenitentiae: *Colos. 3. Induite vos sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiae* etc. Et potest exponi totum hoc de Beata Virgine, quae regina et mater regis est, quae astat super omnes choros in vestitu deaurato, idest deaurata divinitate: non quod sit Deus, sed quia est mater Dei. *Audi filia*

h Hic commendatur sponsa quadrupliciter, scilicet a decore, ab excellentia gloriae, ibi, *Omnis gloria.* A societate, ibi, *Adducentur.* Et a prole, ibi, *Pro patribus tuis.* Circa primum duo facit. Primo ponit quomodo acquirat decorem seu gratiositatem. Secundo agit de ipsa gratiositate, ibi, *Et concupiscet.* Primo ergo redditur attenta ipsa ad admonitionem; unde dicit, *Audi filia.* Vocat futuram ecclesiam filiam duplici ratione. Una est, quasi loquens David in persona sua: quia sicut inquantum adhaeremus Christo filio Abrahae, sumus filii Abrahae, ita et filii David cuius filius est Christus. Vel loquitur in persona Apostolorum, ex quibus sumus propagati in Christo Iesu per evangelium. Dicit itaque, *Audi filia*, Iacobi, idest omnis homo velox ad audiendum, scilicet evangelium, vel verbum Christi: *Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei.* Vel scripturam prophetarum, ut credant Christo: *Isa. 53. Quis credidit auditui nostro?* Et, *Vide*, per fidem hic, sed in futuro videbis per speciem: *1. Cor. 13. Videmus nunc* etc. Vel vide Christum natum: *Baruch 3. Post haec in terris visus est: Io. 1. Vidimus eum plenum gratiae et veritatis. Inclina aurem tuam*, scilicet per humilitatem ut obedias: *Eccl. 6. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam. Obliviscere populum tuum.* Monitio imaginaria, quod haec regina venerit ad David, vel Salomonem ex populo alieno. Ut ideo monetur ut memor sit sui. Et hoc competit ecclesiae, quae vocata est ad Christum ex alieno populo, vel Iudaeorum, vel gentilium: quia secundum Augustinum *nemo potest venire ad vitam novam Christi, nisi poeniteat eum veteris vitae*, scilicet peccati. Et ideo dicit, *Obliviscere populum tuum: Psal. 77. Transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Et domum patris tui*, scilicet diaboli: *Io. 8. Vos ex patre diabolo estis: Ezec. 16. Pater tuus Amorrhaeus.* Vel peccati, vel carnalis affectus: *Gen. 41. Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei.* Et hoc signatur *Deut. 21.* de puella captivorum, quae debet radi, et debet plorare patrem et matrem sicut mortuum. *Et concupiscet rex decorem tuum.* Hic promittit ipsi sponsae gratiositatem regis. Primo, a rege; et hoc est amoris. Secundo, a populo; et hoc est honoris, ibi, *Vultum tuum deprecabuntur.* Repromittit ergo regis amorem, et ostendit regis dignitatem. Dicit ergo: Si oblivisceris populum tuum et domum patris tui, ex hoc acquires decorem spiritualem: *Psal. 25. Domine dilexi decorem domus tuae.* Et hic decor concupiscitur a sponso spirituali: propterea dicit, *Et concupiscet rex decorem tuum.* Et hic decor est pulchritudo iustitiae: *Hier. 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae. Concupiscet*, idest delectabitur in eo: *Is. 62. Quia complacuit Dominus in te.* Et hoc est desiderandum, quia iste rex est magnus in potestate, in natura, in honore. Primum habet quia rex, ideo est Dominus: *Ps. 99. Scitote quoniam ipse est Dominus.* Secundum, quia ipse est Deus: *Ps. 95. Quoniam Deus magnus Dominus.* Tertium, quia adorabunt eum, scilicet remoti, et omnes populi totius mundi: *Psal. 85. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: Soph. 2. Adorabunt eum omnes viri de loco suo, omnes insulae gentium.* Item adorabunt eum propinqui, *Quia filiae Tyri in muneribus*, quia scilicet Tyrus est vicina terrae promissionis. Unde, *Filiae*, idest habitatores terrae illius, *Vultum tuum deprecabuntur*, idest subdentur tibi cum muneribus: quia hoc impletum est quando mulier Chananaea egressa a finibus Tyri, venit ad Iesum, *Matt. 15.* Vel, *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, idest viri qui sunt in Tyro. Tyrus interpretatur angustia; unde omnes qui sunt in angustia, deprecabuntur te. Ad literam omnes veniebant ad Christum: *Lucae 4. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus* etc. *Isa. 25. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et offerent munera*, idest seipsos. Vel eleemosynas: *Isa. 19. Vota vovebunt Domino, et solvent. Omnis gloria*

i Supra Psalmista commendavit sponsam a decore; hic autem commendat eam quantum ad gloriam et intrinsecus et extrinsecus. Primum facit cum dicit, *Omnis gloria eius.* Ly eius superfluit: unde construitur expositive eius, scilicet, *Filiae regis ab intus*, et hoc tripliciter. Primo, quia in interiori conscientia, non in exteriori fama hominum, sicut est fama peccatorum: *2. Cor. 1. Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Secundo in interiori iustitia, non in ex-

teriori observantia, sicut in veteri testamento: *Rom. 2. Circumcisio cordis, non carnis, in spiritu, non in litera: cuius laus non est ex hominibus, sed ex Deo.* Tertio, quae est in spe aeterna, quae est interna, non in spe temporalium, quae est extra: *Matth. 5. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: sed cum facis eleemosynam* etc. Secundum facit cum dicit, *In fimbriis aureis.* Per has fimbrias intelligitur doctrina ecclesiae, *Exo. 28.* ubi Dominus mandat quod in fimbriis vestimenti sacerdotis essent tintinnabula, quorum sonus audiretur. Per sonum ergo doctrina designatur. Ergo doctrina divinae sapientiae, quae per aurum designatur, est magna gloria: et tamen est *Circumamicta varietate*, idest ornata et vestita aliis linguis, idest variis modis docendi, tamen eandem veritatem sonant: *Act. 2. Loquebantur variis linguis Apostoli* etc. Vel aliter, *In fimbriis aureis*, et hoc refertur ad interiorem munditiam et ornatum virtutum: *Circumamicta*, ad exteriorem; quasi dicat, Omnis gloria ab intus: et haec duo praecipue sunt in fimbriis aureis. Et propter hoc intelligitur finis vitae quantum ad totam ecclesiam, vel ad totum hominem, quia fimbriae sunt extremae in vestimento: et non dicit deauratae, sed quia sunt aureae. Glossa enim dicit, quod illi qui invenientur in fine mundi, erunt perfecti et sancti. Item homo quamdiu proficit, est quasi deauratus; sed quando erit in fine, tunc erit totus repletus caritate: *Prov. 4 Iustorum semita, quasi lux splendens crescit, et proficit usque ad perfectum diem:* et dicit, *Circumamicta varietate*, exteriori, scilicet diversarum gentium, vel diversarum gratiarum et virtutum. *Adducentur*

k Hic commendatur a societate: et circa hoc tria facit. Primo enim describitur eius societas. Secundo, quomodo ad eius societatem perveniatur. ibi, *Offerentur.* Tertio, quando haec societas, vel ubi terminetur, ibi, *Adducentur.* Hieronymus habet aliter, *Omnis gloria filiae regis a perfasciis aureis vestita.* Et hic est punctus; quasi dicat, Habet vestimentum fasciis aureis. Et post in varietate cum aliis etc. adducentur etc. In Hebraeo aliter, *Prae inclusione auri vestimenta*, idest circumamicta. Et post: *Insuper cum subtilibus quae sunt plumariae quae enim attingunt adducentur, sic indutae.* Et duo numerat, virgines, et proximae. Et si accipiant easdem esse, sic est sensus. Virgines interius, scilicet fideles animae non corruptae per peccatum: *Adducentur regi*, scilicet Christo qui est rex regum. Adducentur dico, quia non per se venient: *Ioa. 6. Nemo venit ad me* etc. et ideo dicit *Cant. 1. Trahe me post te*, sed adducentur post eam, scilicet universalem ecclesiam, quia nullus veniet, nec adducetur ad Christum nisi sequatur doctrinam ecclesiae. Vel, *Post eam*, idest post B. Virginem, quia ad Christum eius virgines adducentur ad servandam castitatem, et ad exercitium aliarum virtutum. Et hae sunt proximae eius, scilicet vel ecclesiae, vel B. Virginis, et hae afferuntur. De illis dicit, *Adducentur*, quia levius convertentur ad Christum. De istis dicit, *Afferentur*, quia importunius trahentur: *2. Tim. 4. Insta opportune.* Si vero accipiantur ut diversae, sic per virgines intelliguntur perfecti: et isti adducuntur, quasi per se ire non valentes: *Ps. 77. Eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia:* quia *Afferentur in laetitia*, interiori, *Et exultatione*, interiori. Christo enim voluntarie se obtulerunt: *Ps. 53. Voluntarie sacrificabo tibi.* Vel offerentur ab Angelis in caelum: *Luc. 16. Factum est ut moreretur* etc. Et quo afferentur? *In templum regis.* Ubi manifestum est, quod loquitur de rege Christo Deo, quia dicit, *Templum*; quasi dicat, Ut ipsi sint templum regis: *1. Cor. 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Vel ut in templo Dei contemplentur, idest ut vacent Deo, nam ad hoc ordinatur consortium virginum, ut vacent Deo: *1. Cor. 7. Quae nupta est mulier, cogitat quomodo placeat viro; quae autem innupta, cogitat quomodo placeat Deo. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*

l Hic commendat eam a prole. Circa quam quatuor ponit, scilicet prolis originem, dignitatem, officium, et fructum. Dicit ergo, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Filii ecclesiae primitivae sunt Apostoli et eorum successores. Filii dicuntur esse nati ecclesiae per doctrinam Christi sponsi eius, et alii per doctrinam Apostolorum, et alii filii aliorum praedicantium. Et ideo non est inconveniens quod idem sint filii et patres: quia Apostoli ipsi sunt patres eorum quos converterunt: *1. Cor. 4. In Christo Iesu ego vos genui.* Alii etiam sunt patres et filii. Isti ergo filii sunt nati ecclesiae. Filii Apostoli, et alii sancti viri, et doctores. Vel patres boni fuerunt prophetae: *Eccl. 44. Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros.* Et loco iustorum nati sunt ecclesiae filii qui iunguntur dignitate illorum, et sic patet proles, et origo sponsae. Sequitur dignitas, *Constitues eos principes super omnem terram*, idest primo capientes, primum capies. Isti ergo principes dicuntur, quia primi dona Spiritus sancti acceperunt: *Rom. 8. Non solum autem illi, sed nosipsi primitias Spiritus habentes:* tempore prius, caeteris abundantius, dicit glossa. Unde sicut Beatae Virgini nulla mulier comparatur, ita nec aliquis sanctus potest apostolis comparari, nec adaequari. Item dicuntur principes, quia fuerunt et sunt ecclesias gubernantes. Item quia primi post Christum doctores nostri fuerunt: *Ps. 67. Praevenerunt principes* etc. Isti sunt diligendi: *Iudith 5. Cor vestrum diligit principes Israel.* Istos constitues principes, qui non sunt per seipsos constituti, sed per Christum: *Io. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* etc. Item alii praefati constituuntur per summum Pontificem: *Hebr. 5. Nemo assumat sibi honorem.* Et non in aliqua parte, sed super omnem terram: *Ps. 18. In omnem terram exivit sonus eorum* etc. *Et nimis honorati sunt* etc. 138. Et hoc specialiter convenit Petro et Paulo: nam Petrus obtinuit principatum universalem ecclesiae: *Io. 21. Pasce oves meas.* Paulus super totum mundum, quantum ad gentes gentiles: *Isa. 49. Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Et hoc etiam dicit ipse *Act. 13. Memores erunt nominis tui Domine.* Hic ponitur officium apostolorum, quod est praedicare nomen Dei: *Mat. ult. Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae:* et ideo dicit, *Memores erunt*, idest facient habere memoriam, *Nominis tui in omni generatione*, Quantum ad locum, quia in omni parte mundi, *Et generatione*, quantum ad tempus, quia coelum et ter-

ra transibunt etc. *Matt. ult. Ecce ego vobiscum sum* etc *Propterea populi.* Hic ponitur fructus, qui est, quia omnes populi confitebuntur tibi Christo : et dicit, *Populi*, quia non solum unus populus, sed omnes: *Ps. 66. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: Phili. 2. Omnis lingua confiteatur, quia* etc. Isti confitebuntur tibi in aeternum. In graeco idem est aeternum quod saeculum, vel aevum : unde Glossa, In aeternum, scilicet praesentis saeculi, *Et in saeculum saeculi*, idest in futuro. Et haec memoria durabit in aeternum: *Isa. 35. Gaudium et laetitiam obtinebunt.* Alia litera habet, *Memor ero nominis tui* etc. Et haec est melior : et tunc refertur ad fructum apostolorum, et erit vox populi conversi; quasi dicat, Dico quod constitues eos principes: et ego populus Christianus memor ero nominis tui etc. in quo designatur fides, quae est in corde, et post laus, quae est post fidem. Et hic Psalmus cantatur in festo natalis Domini propter sponsi laudem quae tangitur. Item cantatur in festis virginis, propter eius laudem quae tangitur. De primo, ibi, *Speciosus.* De secundo, ibi, *Astitit regina.* Item cantatur in festivitatibus virginum, quia *Adducentur.* Item in festis apostolorum, *Pro patribus tuis.*

*In finem*

FILIIS CORE PRO ARCANIS.

## a PSAL. XLV.

Deus noster refugium et virtus: adiutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.

b Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum : conturbati sunt montes in fortitudine eius.

c Fluminis impetus laetificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

d Deus in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo.

e Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

f Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

g Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.

h Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

## a PSAL. XLV.

Postquam Psalmista petiit divinum auxilium contra adversa quae patitur ab hostibus, cum dixit, *Deus auribus*, et ut iam exauditus ostendit gloriam regis, dicens, *Eructavit;* hic autem exauditus pro populo, ostendit beneficium datum populo. Et sicut per praecedentem Psalmum gloria Christi designatur, ita in hoc Psalmo designantur beneficia exhibita fidelibus Christi. Unde in titulo hoc etiam designatur : et est duplex litera, *In finem Psalmus David pro arcanis.* Arcana quae sunt a principio, sunt abscondita, scilicet quod Filius Dei factus est homo, quod Deus moriatur, quod gentes convertantur ad Christum. Ista fuerunt secretissima: *Isa. 24. Secretum meum mihi: Ephe. 3. Aliis filiis hominum non est agnitum.* Et haec sunt revelata per Christum: *Matt. 13. Eructabo abscondita: Iob 28. Abscondita produxit in lucem.* Hic ergo Psalmus tendens in finem, idest in Christum, est David pro arcanis, idest ad arcanorum manifestationem: alia litera habet, *Pro filiis Core.* Pro Core qui interpretatur calvaria, intelligitur crux Christi. Hic ergo Psalmus attribuitur fidelibus crucis Christi pro revelatione arcanorum. Hieronymus habet, *Pro viventibus.* Agit enim hic de tribulatione, et conservatione in eis. Est ergo pro viventibus, idest pro his, qui servantur in vita; et qui servantur auxilio Dei, dicuntur esse in abscondito: *Ps. 30. Protexit me in abscondito faciei suae, a conturbatione hominum.* Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. Primo agit de auxilio divino contra tribulationes. Secundo agit de pace post tribulationes concessa, ibi, *Venite, et videte.* Circa primum duo facit. Primo praemittit causam horum beneficiorum. Secundo exponit mala et beneficia data contra mala, ibi, *Sonuerunt.* Circa primum duo facit. Primo ponit auxilium Dei contra tribulationes praeteritas. Secundo ponit fiduciam conceptam de futuris, ibi, *Propterea non timebimus.* Circa primum tria facit. Primo tangit Dei auxilium. Secundo tribulationem contra quam divinum auxilium datur. Si aliquis vult subvenire afflicto, hoc facit tripliciter. Primo, ut ipsum fugientem recipiat: et hoc est parum. Secundo, ut assistat ei in tribulatione posito. Tertio, ut ei auxilium exterius praebeat. Et haec tria Deus facit qui est refugium; et ideo dicit, *Deus noster refugium: Prov. 18. Turris fortissima nomen Domini.* Item pugnantes, et afflictos adiuvat, et fortificat; ideo dicit, *Virtus : Isa. 40. Qui dat lasso virtutem.* Item adiuvat exterius per se et per alios; unde dicit, *Adiutor : Psal. 9. Adiutor in opportunitatibus.* Hoc auxilium est necessarium, *In tribulationibus quae invenerunt nos nimis.* Hae tribulationes sunt et spirituales, et corporales. Spirituales sunt peccata: et hae inveniunt homines nimis, quia dolor poenitentiae maximus est inter omnes dolores: *Ps. 37. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* Et in hac tribulatione Christus est refugium : quia in ea consolatur, et ab ipso roboratur et iuvatur homo. Corporales fuerunt in primitiva ecclesia sanctis : *2. Cor. 1. Gravati sumus supra modum;* et ideo dicit, *Nimis.* Hieronymus habet, *Auxilium inventum est in tribulationibus validum.* Et sic ly nimis refertur ad adiutorium divinum. *Propterea non timebimus: Ps. 26. Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo?* quasi dicat, Nullum timebo. Et merito, quia ipse est, *Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.* Adiuvat, ostendit quae sunt timenda. Duo autem sunt timenda, scilicet generalis tribulatio, et oppressio magno-

rum. Generalis tribulatio est, quando omnes trucidantur. Alia est, quando principes capiuntur In his habet locum timor. Sed, *Ego non timebo dum turbabitur terra*, idest si totus populus tribuletur, *Et transferentur montes in cor maris.* Nec timebo etiam si magni capiantur. Sed mystice per terram quae solida est, intelligitur Iudaea, quae solida fuit in cognitione unius Dei, et fixa, et cingebatur gentibus, sicut terra circumdatur mari. Et cingitur aquis: *Isa. 1. Terra vestra deserta :* et sic signat persecutionem quam fideles passi sunt a Iudaeis; quasi dicat, Non timebo dum turbabitur Iudaea per praedicationem Christi : *Matt. 2. Audiens hoc Herodes turbatus est* etc. Et *Non timebo*, quia *Montes*, idest apostoli trasferent se ad gentes: *Act. 13. Ecce convertimur ad gentes. In cor maris*, idest in dilatationem gentium , quia gentes habuerunt apostolos in magna reverentia. Vel , *In cor maris*, idest usque ad profunda , et extrema terrae: *Act. 22. Ad nationes longe mittam te. Sonuerunt et turbatae sunt aquae*

b Hic ostendit quae sint istae tribulationes. Et primo proponit eas in metaphora. Secundo exponit. Dicit ergo , *Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum.* Secundum Hieronymum, *Aquae eius.* Et haec est melior litera, et est sensus, *Transferentur in cor maris aquae eius*, idest maris, scilicet populi, *Sonuerunt* , propter iracundiam contra nos : *Ps. 87. Omnes fluctus tuos* etc. Sed, *Montes*, idest principes, sicut Nero et alii, *Conturbati sunt fortitudine eius* , scilicet Dei , quia ex hac fortitudine etiam ipsi montes turbati sunt. Hebraeus habet, *In superbia sua.* Mystice loquitur sic, *Sonuerunt*, idest populi gentilium ad sonum montium, idest ad praedicationem apostolorum. Aquae signant patientiam ; quasi dicat , Aquae , idest prophetiae gentilium, sunt turbatae: *1. Cor. 1. Perdam sapientiam sapientum* etc. Vel, *Montes*, idest apostoli, *Turbati sunt* , scilicet exterius per tribulationes, *In fortitudine maris.* Sed videtur contrarium dicere alibi. *Iustus non conturbabitur, Ps. 36.* Sed dicendum, quod verum est interius, quia non contristabit iustum quicquid ei acciderit. *Fluminis*

c Sub quadam similitudine posuit tribulationes, quas sancti sustinuerunt; hic autem sub alia similitudine proponit divinam consolationem , quantum ad duo , scilicet quantum ad effluentiam divinae gratiae , et quantum ad solatium divinae praesentiae , ibi, *Deus in medio eius.* Et sicut tribulatio exprimitur sub similitudine aquarum sonantium et turbatarum , ita consolatio exprimitur sub similitudine fluminis, quod signat gratiam propter aquae abundantiam , quia in gratia est abundantia donorum: *Ps. 64. Flumen Dei repletum est aquis.* Et quia derivatur a principio, scilicet fonte, sed non fons a flumine, quia fons est in suo principio, et Spiritus sanctus est a Patre et Filio : *Apoc. ult. Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum sicut chrystallum, procedentem a sede Dei et agni.* Item quia fluvius movet arenam et lapides, sic Spiritus sanctus movet cor ad opus: *Ioan. 7. Flumina de ventre eius* etc. Sed aliqui sunt fluvii , qui habent tardum motum : non est talis iste , quia est festinus; unde dicit, *Impetus fluminis.* Et hoc refertur ad duo. Primo, quia Spiritus sanctus gratia perfundit subito cor: *Act. 2. Factus est repente de coelo sonus* etc. Alio modo, quia Spiritus sanctus impetu amoris movet cor : *Isa. 56. Cum venerit quasi fluvius violentus: Ro. 8. Qui spiritu Dei aguntur , hi filii Dei sunt : Cant. 4. Fons hortorum* etc. *quae fluunt impetu de Libano.* Hieronymus habet, *Fluminum divisiones.* Et hae sunt Spiritus sancti : quia , *Divisiones gratiarum sunt, 1. Cor. 12.* Effectus est duplex : iucunditas et visus : et hoc designat cum dicit , *Laetificat civitatem Dei.* Et hoc manifestatur ex auctoritate sacrae Scripturae, quae dicit *Rom. 14. Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia , et gaudium in Spiritu sancto: Gal. 5. Fructus spiritus est pax , gaudium* etc. Et quia facit amare Deum, Et in hoc amore semper est iucunditas , quia quilibet delectatur in praesentia amati, et qui diligit Deum, habet Deum praesentem: *Io. 4. Qui manet in charitate* etc. Haec civitas est ecclesia: *Ps. 86. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* etc. Tria sunt in ista civitate, quae sunt de eius ratione. Primum est, quod sit ibi multitudo liberorum: quia si est ibi unus, vel pauci, non est civitas: et similiter sí sunt servi. Et hoc maxime invenitur in ecclesia: *Gal. 4. Non sunt ancillae filii, sed liberae.* Secundum est quod habeant sufficientiam per se. In vico enim non inveniuntur omnia necessaria vitae humanae sanis et infirmis; sed in civitate oportet invenire omnia necessaria ad vitam. Et haec sufficientia est in ecclesia: quia quicquid necessarium est ad vitam spiritualem, invenitur in ea. *Ps. 64. Replebimur in bonis domus tuae.* Tertium est unitas civium: quia ab hoc, scilicet ab unitate civium civitas nominatur , quia civitas quasi civium unitas. Et haec est in ecclesia: *Io. 17. Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Haec ergo civitas laetificatur per gratiam Spiritus sancti in eam descendentem. Tertius effectus est sanctitatis : unde dicit , *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Hoc tabernaculum uno modo est ipsa civitas. In civitate habitant quiescentes; in tabernaculo militans Ecclesia, quae hic habet pacem, scilicet ex Deo: et tamen patitur inquietem a mundo: *Io. 17. In mundo pressuram habebitis; in me autem pacem.* Et ideo propter primum dicitur civitas: propter secundum dicitur tabernaculum. Hoc ergo sanctificavit Altissimus per proprium sanguinem: *Hebr. ult. Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem* etc. Item per sacramenta in quibus operatur virtus sanguinis Christi: *1. Cor. 6. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Vel aliter. In civitate et in exercitu est principale tabernaculum regis, vel ducis, ita in hac civitate, idest ecclesia, principale tabernaculum est corpus Christi. Et corpus tabernaculum dicitur : *2. Pet. 1. Sciens quod velox est depositio tabernaculi mei.* Et sic corpus Christi est tabernaculum, quia in eo est tota plenitudo divinitatis. Hoc tabernaculum sanctificavit Altissimus: non quod aliquando non fuerit sanctus, sed quia in ipsa conceptione sanctum ipse formavit: quod fuit singulare in Christo. *Deus in medio*

d Hic ponitur consolatio ex praesentia. Et primo ponit beneficium huius praesentiae. Secundo effectus, ibi, *Non commovebitur* Dicit ergo, *Deus in medio* , scilicet ecclesiae : *1. Cor. 14. Vere protestans quod Deus est in verbis.* Et dicit , *In medio* , ut ostendat quod non est acceptor personarum , ut dicitur *Act.*

*10.* et *Ephe. 6.* Medium autem dicitur quod aequaliter distat ab extremis. Et Deus quantum est in se aequaliter se habet ad omnes: *Luc. 24. Stetit Iesus in medio discipulorum: Gen. 2. Lignum vitae erat in medio paradisi.* Vel ideo dicit, *In medio*, quia cor dicitur esse in medio hominis. Quia ergo habitat in cordibus nostris, ideo dicitur esse in medio. Effectus est duplex: stabilitas contra mala, et firmitas ad bona. Dicitur ergo, *Quia Deus est in medio eius*, scilicet istius civitatis, *Non commovebitur*, idest firma reddetur et stabilis: *Ps. 124. Qui confidunt* etc. *Mat. 16. Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Quantum ad secundum dicit, *Adiuvabit eam Deus*, quod non solum oportet, quod detur stabilitas contra mala, sed auxilium ad bona implenda. Dicit ergo, *Adiuvabit eam Deus*, idest ecclesiam, *Mane diluculo.* Per mane intelligitur principium boni operis. Quidam dicunt, quod principium boni est a naturali principio, sed finis et consummatio est a Deo. Secundo contra est, quod hic dicit quod, *Mane*, idest ab exordio boni operis: unum exordium boni operis ex parte intellectus est cogitatio, aliud ex parte voluntatis: et haec duo sunt a Deo, quia, *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis*, ut Apostolus dicit *2. Cor. 3. sed sufficientia nostra ex Deo est.* Item *in ipso est velle et perficere*, ut ibidem Apostolus dicit *Phil. 2.* Et per hoc quod additur, *Diluculo*, designat quod ecclesia iuvatur per spiritualem illuminationem Spiritus sancti: *Isa. 60. Surge, illuminare* etc. Alia litera habet, *Vultu suo:* et hoc refertur vel ad statum praesentem; et sic signat praesentiam auxilii eius, quasi principaliter ei subvenientis, secundum illud *Ps. 39. Ostende nobis Domine faciem tuam, et salvi erimus.* Vel ad statum futurum; quasi dicat, Modo est in medio eius: et permittit eam conquassari, sed in futuro praebebit ei auxilium aspectu vultus sui: *Ps. 20. Laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* In Hebraeo est talis litera. Et si pro eodem accipiatur mane, et diluculo, scilicet considerationis diluculi, quia optima est ad contemplandum hora matutina: *Ps. 5. Mane astabo tibi.* Item in matutinis meditabor in te; quasi dicat, *Adiuvabit eam Deus vultu suo*, idest in contemplatione suae altitudinis. Et possunt haec referri ad B. Virginem, quia ipsa est civitas, in ipsa habitavit, ipsam fluminis impetus, scilicet Spiritus sanctus, laetificavit, ipsam sanctificavit in utero matris suae, postquam formatum fuit corpus et creata anima. Tunc primo operuit gloria Domini tabernaculum, ut dicitur *Exo. 40.* Et est alia sanctificatio B. Virginis et aliorum sanctorum: quia alii sic sanctificati fuerunt quod nunquam mortaliter peccaverunt, tamen venialiter sic: *Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus* etc. Beata autem Virgo nec mortaliter, nec venialiter umquam peccavit: *Cant. 5. Tota pulchra es amica mea* etc Et ideo dicit, *Non commovebitur*, nec veniali peccato. Et ideo dicit, *Adiuvabit eam Deus mane diluculo*, idest adhuc ea existente in utero. Et hoc est quod dicit, quod auxiliatus est ei Dominus in ipso ortu matutino. *Conturbatae sunt gentes*

e Supra Psalmista posuit afflictionem aliorum, et consolationem propriam sub similitudine; hic autem exponit primo, quod dictum est de afflictione; secundo de consolatione, ibi, *Dominus virtutum;* et ordinate exponit omnia. Supra loquens de tribulatione, dicit, *Sonuerunt et turbatae sunt*: ubi tetigit turbationem et causam, *In fortitudine*, Item turbationem aquae: et hoc exponit cum dicit, *Conturbatae sunt gentes: Apoc. 17. Aquae multae, populi multi. Conturbati sunt*, in malo, quia insanierunt contra Christum. Vel in bono: quia qui ad bonum convertitur, sentit afflictionem propter consuetudinem praeteritam. Item turbati sunt montes. Et hoc dicit, *Inclinata sunt regna*, idest reges terrae humiliati sunt ad fidem Christi: *Is. 49. Vultu in terram demisso adorabunt te.* Et causam exponit, cum dicit, *Dedit vocem suam.* Supra dixit, *In fortitudine*, in veteri autem testamento dicit, *Dedit vocem*, sed per prophetas, sed postea per seipsum: *Ps. 17. Intonuit de coelo* etc. *Can. 2. Sonet vox tua* etc. Ad hanc vocem, *Mota est terra*, primo Iudaeae: postea tota terra universaliter: *Is. 24. Commotione commovebitur terra.* Quidam autem commoti sunt in malum per vocem Christi, sicut pharisaei et alii multi. Quidam in bonum, sicut Apostoli, et qui conversi sunt ad fidem. *Dominus virtutum*

f Hic exponit quod dicit de consolatione, scilicet quod dicit, *Deus in medio eius.* Et describit Deum adiuvantem, et eius praesentiam, et eius auxilium. Deum describit dupliciter: quia Dominum virtutum, quia dominatur non solum creaturis inferioribus, sed etiam virtutibus coelestibus. Non erat sufficiens homini quod mitterentur angeli, quos misit ad dationem veteris testamenti; sed oportebat quod ipse veniret, ut innotescat, quod anima hominis est tantae excellentiae quod non nisi in Deo virtutum potest beatificari: *Ps. 79. Domine virtutum respice et vide* etc. Et est nobiscum primo per carnis similitudinem: *Phil. 2. In similitudinem hominum factus.* Item per familiarem conversationem: *Baruc. 3. Post haec in terris visus est* etc. Item per gratiam inhabitans nos: *Ephe. 3. Inhabitare Christum per fidem* etc. Et ideo dicitur Emanuel, idest nobiscum Deus. *Susceptor noster Deus Iacob.* Hic ostendit auxilium quod habet a Deo, quia ipse susceptor noster est, qui suscepit nos in suam curam: *Ps. 3. Tu autem Domine susceptor meus es.* Vel ostendit quomodo sit nobiscum, quia scilicet suscepit nostram naturam: *Hebr. 2. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae.* Ideo dicitur, *Deus Iacob.* Deus virtutum dicitur propter gentiles ne credant quod non habeamus alium Deum quam ipsi: *Hebr. 2. Non confunditur vocare eos fratres* etc. *Venite et videte opera*

g Hic exprimit tranquillitatem subsequentem: et facit tria. Primo excitat attentionem. Secundo proponit tranquillitatem. Et tertio inducit conclusionem. Primo ergo inducit in considerationem divinorum operum; et ideo dicit, *Venite* per fidem: *2. Cor. 5. Per fidem ambulamus. Et videte*, per studium et diligentiam: *Matt. 11. Venite ad me omnes* etc. *Et videte*, idest considerate: *Opera Domini: Isa. 5. Opus Domini non respexistis.* Dicitur peccatoribus *Ps. 118. Mirabilia opera tua* etc. *Quae posuit prodigia super terram.* Haec opera sunt prodigia, quae praetendunt aliquid in futurum. Et mirabilia quae tempore Christi fuerunt, sive circa mortem Christi, sive in vita quae fecit: quae omnia fuerunt signa alicuius futuri. Et sunt

*Super terram*, idest super omnem naturalem virtutem. Et quae sunt ostendit, *Auferens bella*. Primo fuit opus pacis. Secundo ostendit magnitudinem operis huius. Tertio utilitatem, *Abstulit bella*, quia in tempore nativitatis Christi in toto mundo facta est pax : *Ps. 71. Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis* : *Ps. 75. Ibi confregit potentias.* Et haec significabant pacem quam venit facere Christus inter Deum , et humanam naturam. Magnitudo pacis ostenditur quantum ad locum , quia , *Usque ad finem terrae* , quia fuit quasi universalis pax. Ad literam tempore nativitatis Christi: quia iam quiescentibus bellis civilibus, Octavianus dominabatur toti mundo. Et haec pax praetendebat , quod pax Christi derivari debebat in omnibus hominibus: *Luc. 2. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus.* Secundo quantum ad tempus , quia diuturna. Et hanc diuturnitatem describit, quia si homo timet bellum , conservat arma. Et ideo dicit , *Arcum conteret , et confringet arma;* quasi dicat, Tamdiu durabit pax , quod omnes tradent oblivioni arma : quia illa pax diu durabit : *Isa. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres , et lanceas suas in falces.* Et describit arma impugnationis quae a remotis percutiunt ; unde dicit , *Arcum conteret : Osee 1. Conteram arcum Israel in valle Iezrael.* Et quandoque de prope: et hic est gladius, et lancea. Item describit arma defensionis : quia, *Scuta comburet igni.* Et haec significabant perpetuitatem pacis fiendae per Christum: *Isa. 9. Multiplicabitur eius imperium , et pacis non erit finis. Conteret arcum* , idest dolosas machinationes : *Ps. 16. Arcus eorum confringatur , Et confringet arma* , idest manifestas insidias : *Luc. 11. Cum fortis armatus* etc. *Comburet igni* , idest obstinatarum mentium defensiones , quibus nituntur resistere divinae voluntati : *Iob 41. Corpus eius sicut scuta fusilia , et compactum squammis sese prementibus.* Haec comburet igne Spiritus sancti, qui dissolvit duritiam cordium : *Luc. 12. Ignem veni mittere in terram. Vacate , et videte*

h Hic finis est pacis. Finis pacis temporalis secundum Philosophum est contemplatio veritatis. Unde pax est utilis finis vitae activae, et pax ordinatur ad contemplationem. Et secundum Augustinum Christus procuravit pacem Romani imperii, ut Apostoli discurrerent per totum mundum. Et ideo dicit ex quo est tanta pax , *Vacate et videte.* Unde patet quod Deus dat pacem , ut non vacent malis operibus , sed contemplationi veritatis: *1. Cor. 7. Ut vacetis orationi: Eccl. 59. Et in prophetis vacabit. Videte*, dicit duo, quod Christus est verus Deus. Secundo quod eius fides debeat divulgari per totum mundum. Quantum ad primum dicit quod sit Deus: *Deu. 52. Videte quod ego sim solus, et non sit alius praeter me.* Quantum ad secundum, *Exaltabor in gentibus*, idest demonstrabor altus in fide gentium : *Malac. 1. Ab ortu solis* etc. Et ponit hoc iterato , *Exaltabor in terra* , scilicet Iudaeorum , quae dicitur terra propter stabilitatem : *Roma. 11. Donec plenitudo gentium intraverit, et sic omnis Israel salvus erit.* Ostendit ex his magnitudinem Dei cum dicit, *Deus virtutum nobiscum ;* quasi dicat, Et his operibus Dei magnis tunc ostensis possumus dicere , quod Dominus virtutum est nobiscum. Et hoc expositum est supra.

*In finem*

PRO FILIIS CORE.

## a PSAL. XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus : iubilate Deo in voce exultationis.

b Quoniam Dominus excelsus terribilis : rex magnus super omnem terram. Subiecit populos nobis : et gentes sub pedibus nostris.

c Elegit nobis haereditatem suam , speciem Iacob quam dilexit. Ascendit Deus in iubilo : et Dominus in voce tubae. Psallite Deo nostro , psallite : psallite regi nostro , psallite.

d Quoniam rex omnis terrae Deus : psallite sapienter. Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt.

## a PSAL. XLVI.

In praecedentibns Psalmis Psalmista exposuit gloriam regis , et regni ; hic autem exhortatur gentes alienigenas , ut convertantur ad Deum. Et primo hortatur ad Dei laudem. Secundo ad spem de Deo habendam. Tertio docet eam cultum divinum. Secundum incipit , ibi , *Audite haec.* Tertium , ibi , *Deus deorum.* Titulus est manifestus , quia est oppositus supra , *In finem pro filiis Core Psalmus David.* Circa primum duo facit. Primo exhortatur omnes gentes ad laudem Dei. Secundo ponitur materia laudis, ibi, *Magnus Dominus.* Circa primum tria facit. Primo enim ponit imitationem ad laudem Dei. Secundo causam, ibi, *Quoniam Dominus excelsus.* Tertio manifestat hanc causam, ibi, *Ascendit Deus.* Laus Dei procedere debet ex iucunditate cordis , sicut etiam est in patria: *Isa. 11. Gaudium et laetitia invenietur in ea.* Haec laetitia cordis ostenditur per signum exterius , facti, vel verbi. Primo ergo inducit ad laudem , quantum ad facta. Secundo quantum ad verba. Dicit ergo , *Omnes gentes;* quasi dicat, Nobis tot bona fecit Deus, ergo laudate eum facto , *Plaudite manibus.* Plausio manuum fit in signum exultationis: *Hier. 5. Sacerdotes applaudebant suis ;* quasi dicat , *Plaudite* , idest exultationem cordis ostendite per plausum manuum. Et hoc fit , quando exterius operatur homo servitia Dei cum iucunditate : *Ps. 99. Servite Domino in laetitia : Isa. 55. Omnia ligna regionum plaudent manu* , idest omnes populi plaudent. Item. Laudate eum in verbo : unde dicit , *Iubilate Deo in voce exultationis* , idest in voce exteriori demonstrante interiorem affectum. Glossa, *Iubilus est ineffabile gaudium, quod nec taceri potest, sed non potest exprimi , quia excedit comprehensionem.* Et talis est bonitas Dei quae non potest exprimi : et si exprimatur , imperfecte tamen exprimitur. Et ideo dicebat *Hier. 1. A a a ecce nescio loqui.* Et hunc iubilum signat ecclesia ,

quando in eadem dictione multiplicat notas: *Ps. 65. Iubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite* etc. *Quoniam Dominus*

b Hic ponitur causa laudis, et bona quae proveniunt ex magnitudine Dei. Et primo ponitur magnitudo Dei. Secundo magnitudinis signum. Magnitudo Dei commendatur dupliciter. Primo per altitudinem potestatis. Secundo per maiestatem dominationis. Dicit ergo. Laudandus est Deus propter altitudinem suae naturae, quia Dominus excelsus: *Ps. 122. Excelsus super omnes gentes Dominus* etc. Et quia excelsa sunt nobis remota, posset aliquis credere quod non esset timendus, nec haberet providentiam de nobis; sicut aliqui stulti dixerunt, in quorum persona dicitur *Iob 22. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat.* Et ideo dicebat: Quantum in te evacuasti timorem. Sed non est ita. Iste est excelsus, quia est terribilis, quia omnia prospicit, omnia punit. Item timendus est propter eius dominium, quia, *Rex magnus super omnem terram*: *Ps. 23. Domini est terra* etc. Magnus est universalitate dominii, quia regnum omnium saeculorum. Item duratione, quia in aeternum. Item auctoritate, quia rex omnium regum. Signum magnitudinis huius regis sumitur ex his, quae nobis fecit, et haec sunt beneficia Dei. Primo in subiectione aliorum. Secundo in collatione bonorum. Dicit ergo, *Subiecit populos nobis.* Haec sunt verba ecclesiae, cui etiam temporaliter sui inimici subiiciuntur. Augustinus *in glossa: Quanti enim modo currunt ad ecclesiam nondum Christiani, rogant auxilium ecclesiae, subvenire sibi temporaliter volunt, etsi nobiscum in aeternum regnare adhuc nolunt.* Item, ut sint verba apostolorum, *Subiecit populos nobis*, scilicet Iudaeorum, et nationum, *Sub pedibus nostris: Isa. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem.* Item *ibidem 45. Ut subiiciam ante faciem eius gentes.* Vel aliter, *Subiecit populos nobis.* Quidam convertuntur ad fidem, et isti subiiciuntur propria voluntate. Alii non convertuntur, sed gentiliter vivunt; et isti subiiciuntur sub pedibus, quia finaliter erunt oppressi sub nostra iudiciaria potestate. *Elegit nobis haereditatem suam*

c Hic ponitur aliud beneficium collationis bonorum. Ubi hortandum est, quod electio importat acceptionem unius super alterum. Electio autem Dei potest accipi ex duplici parte. Primo ex parte bonorum quae conferuntur, Et sic distingue, quia quaedam horum quae conferuntur sunt temporalia, quaedam spiritualia. Impii autem peccatores accipiunt pro parte eos contingente temporalia: *Sap. 2. Haec est pars nostra.* Iusti autem accipiunt in parte ipsum Deum: *Psal. 22. Dominus pars haereditatis meae.* Deus autem elegit sibi bona spiritualia. *Elegit ergo nobis haereditatem suam;* quasi dicat, Cum sint diversae partes bonorum, elegit nobis dare haereditatem suam. Secundo accipitur electio Dei ex parte illorum quibus datur, et sic fit distributio, quia damnati omnes sunt in peccato originali; tamen quidam salvantur ex Dei electione. Et ideo dicit, *Elegit nobis* etc. Et quae sit haec haereditas, ostendit, *Speciem Iacob quem dilexit.* Litera Hieronymi habet, *Gloriam, vel superbiam Iacob.* Et hic accipitur superbia pro excellentia: *Isa. 60. Ponam te in superbiam*, idest in excellentiam, *saeculorum. Ibid. Cum gloria*, idest specie, vel decore: quia in ipsa haereditate aeterna erunt excellentes, gloriosi, et decori: *Hier. 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae. Quem dilexit.* Vel quem Iacob; quasi dicat, Haec haereditas est gloria Iacob, idest fidelis, quam gloriam Deus dilexit, quia diligit Dominus portas Sion. Vel, *Speciem Iacob*, idest id quod est repraesentatum per Iacob: quia repraesentata sunt ei spiritualia bona ad quae sumus nos electi, quia scalam quam vidit, et alia huiusmodi. Sed prima lectura est melior. *Ascendit Deus in iubilo.* Hic exponit causam et ordinem. Dicit quod est excelsus et rex magnus: et propter hoc est laudandus. Sed numquid est ita excelsus? Ita. Et primo ostendit eius excellentiam. Secundo ostendit amplitudinem regni eius, ibi, *Psallite.* Circa primum duo facit. Primo ponit excellentiam eius. Secundo concludit exhortationem, ibi, *Psallite.* Dico ergo quod est excelsus, quia ascendit. Sed si excelsus, quomodo ascendit? Quia descendit: *Eph. 4. Qui ascendit ipse est* etc. Sed quomodo ascendit, *In iubilo.* Iubilus est gaudium immensum: et hic iubilus signat imperfectam cognitionem. Duo genera psallentium fuerunt in Ascensione Christi, scilicet Apostoli et Angeli. Apostoli autem imperfectam cognitionem habent de divinis: et ideo ad eos pertinet iubilus de gaudio Ascensionis Christi cum gloria. Item fuerunt ibi Angeli, et claram cognitionem habuerunt; et ad eos non pertinet iubilus, sed manifesta annuntiatio; et ideo dicit, *Et Dominus in voce tubae.* Unde Angeli dicunt *Act. 1. Viri Galilaei quid statis* etc. Si ergo est excelsus, *Psallite Deo nostro*, ore, *Psallite Deo nostro*, corde: *1. Cor. 14. Psallam spiritu, psallam et mente. Quoniam rex*

d Consequenter ostendit, quod est rex magnus: et ostendit hoc ordine converso. Quia primo inducit eos ad psallendum regi. Secundo assignat causam. Tertio manifestat eam. Dico ergo, *Psallite Deo;* sed iterum, *Psallite regi*, quia est magnus. Et dicit bis, *Psallite, psallite*, quia eodem honore honoramus humanitatem et divinitatem in Christo: quia idem suppositum est: *Io. 5. Omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et quod sit psallendum ostendit, quia est, *Rex omnis terrae Deus.* Et ideo vos habitatores terrae psallatis ei. Et dicit, *Omnis terrae*, non Iudaeae tantum, vel Graeciae, sed totius orbis: sed, *Psallite sapienter*, idest discrete. Et psallite non solum ore, sed corde renovati interius: quia, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, sicut dicitur *Eccl. 15.* Item non cum mente turbata: *Iac. 5. Oret aequo animo.* Item continue: *Isa. 23. Bene cane, frequenta canticum.* Consequenter manifestat, quomodo sit rex omnis terrae. Et primo praedicit regnum Christi super omnes gentes. Secundo super omnes principes gentium; quasi dicat, Dico quod est rex omnis terrae: quia licet nunc in Iudaea tantum, regnabit tamen super omnes gentes, quia omnes gentes convertentur ad Deum: *Ps. 118. Laudate Dominum omnes gentes.* Et huius ratio est: quia Christus Deus est, et iam ascendens ad dexteram Patris, *Sedet super sedem sanctam*, idest a dextris Dei: et sic nihil restat nisi ut omnes subiiciantur ei: *Dan. 7. Datum est ei regnum.* Nec so-

lum gentes subiiciuntur ei, sed etiam eorum principes; unde dicit, *Principes populorum*, scilicet omnium congregati sunt per fidem et amorem, *Cum Deo Abraham.* Et dicit, *Abraham*, quia ipse fuit principium credendi et Patrem, et Filium: *Matt. 2. Potens est suscitare de lapidibus istis filios Abrahae: Ps. 17. Reges Arabum* etc. Et ratio quare congregati sunt, *Quia dii fortes terrae vehementer elevati sunt.* Et hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo de Iudaeis: quia ipsi fuerunt dii, quia instructi de Deo: *Io. 10. Illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est.* Item fuerunt fortes, quia constantes in fide unius Dei, sed, *Terrae*, quia oculi eorum et affectus eorum erant semper ad terrena. Isti, *Sunt elevati*, per superbiam, *Vehementer*, intantum quod noluerunt Christi doctrinam. Et ideo Apostoli iverunt ad gentes. Alio modo, *Quia dii fortes*, idest Apostoli. Et dicuntur dii propter iudiciariam potestatem. Et iudices in veteri testamento dii vocabantur: *Exo. 22. Diis non detrahes. Applica ad Deos*, idest ad iudices. Et dicuntur fortes, propter constantiam in passione: *Ro. 8. Quis nos separabit a charitate Christi? Terrae*, idest adhuc in terrenis existentes: *2. Cor. 4. Habentes thesaurum istum in vasis fictilibus.* Et *Elevati sunt vehementer*, per praedicationem: *Matth. ult. Illi autem profecti praedicaverunt ubique.* Item per miraculorum operationem. Item per gloriae adeptionem: Hieronymus habet, *Quoniam dii scuta terrae*, quia Apostoli fuerunt protectores omnium populorum.

*Cantici filii core*

SECUNDA SABBATI.

## a PSAL. XLVII.

Magnus Dominus et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.

b Fundatur exultatione universae terrae, mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.

c Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, convenerunt in unum: ipsi videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores, ut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

d Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum.

e Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia plena est dextera tua. Laetetur mons Sion, et exultent filiae Iudae, propter iudicia tua Domine.

f Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus eius. Ponite corda vestra in virtute eius: et distribuite domos eius ut enarretis in progenie altera. Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi: ipse reget nos in saecula.

## a PSAL. XLVII.

Supra Psalmista invitavit gentes ad psallendum Deo de beneficiis Dei; hic autem describit magnam populi, vel civitatis exultationem. Titulus, *Psalmus laus cantici filii Core pro secunda Sabbati.* Apud Iudaeos sabbatum solemnissimum habebatur: et omnes ferias a sabbato vocabant; ita quod dies Dominica vocabatur prima sabbati; dies lunae vocabatur secunda sabbati; et sic de aliis diebus. Dicit ergo. Pro secunda sabbati: quia *Gen. 1.* prima die dixit Deus, *Fiat lux*; secunda die dixit, *Fiat firmamentum.* Per lucem intelligitur Christus; per firmamentum Ecclesia designatur. Quia ergo agit hic de magnificentia ecclesiae, ideo convenienter dicitur pro secunda sabbati. In Hebraeo tamen, nec in Hieronymo non est pro secunda sabbati. Dividitur ergo iste in duas partes. Primo enim describit magnificentiam civitatis. Secundo subdit gratiarum actionem, ibi, *Suscepimus Deus.* Circa primum duo facit. Primo describit magnificentiam civitatis. Secundo inducit testimonium, ibi, *Quoniam ecce.* Dignitas civitatis dependet a Domino eius: et ideo primo commendat Dominum. Secundo civitatem, ibi, *Fundatur.* Dominum describit ex propria dignitate, et ex suis operibus. Ex dignitate, quia, *Magnus Dominus*: *Ps. 85. Quis Deus magnus* ete. Et magnitudo eius est immensitas eius bonitatis. Augustinus: *In his quae non mole magna sunt, idem est magnum quod bonum esse.* Ex operibus, quia, *Laudabilis nimis.* Laus proprie respicit opera. Et dicit, *Nimis*, quia quantumcunque laudes eum, adhuc deficis a laude eius: *Eccl. 43. Glorificantes Deum quantumcumque potestis, praevalebit adhuc:* et hoc licet in tota creatura pateat, spiritualiter tamen apparet in beneficiis gratiae quibus constituta est ecclesia. Et ideo dicit, *In civitate Dei nostri*, scilicet ecclesiae: *Apoc. 21. Vidi civitatem sanctam Hierusalem* etc. Et haec civitas, scilicet ecclesia, sita est, *In monte sancto eius.* Hic mons est Christus: *Isa. 2. Erit mons domus Domini.* De hac civitate dicitur *Matth. 5. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Fundatur*

b Hic commendat civitatem tripliciter, Primo ex amplitudine, vel iucunditate. Secundo ex dispositione. Tertio ex sapientia civium. Dicit ergo, *Fundatur exultatione universae terrae;* quasi dicat, Fundata est in monte, idest Christo. Sed numquid haec fundatio pertinet ad unam terram tantum? Non, sed redundat in gaudium universae terrae, quia omnes percipiunt gaudium huius fundationis: *Ps. 65. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite* etc. *Isa. 51. Venient in Sion laudantes: Thren 1. Heccine est urbs perfecti decoris?* Alia litera habet, *Fundator;* quasi dicat, Magnus Dominus. Et dico Dominus, qui est fundator huius civitatis. Et hoc, *In exultatione. Mons Sion latera aquilonis*, idest deposita in latere montis Sion ad aquilonem. Sion signat Iudaeos, aquilo vero signat gentiles idolatras. Haec ergo civitas est composita ex Iudaeis et Gentilibus. Hieronymus aliter habet, et

competit mysterio sponsae, *Germinet gaudio universae terrae montis Sion, In lateribus aquilonis civitatulae regis magni.* Et exponitur secundum mysterium. Haec civitas laudatur ex civilitate quam colit, et ex humanitate Christi quam assumpsit. Dico, quod est magna; et hoc est ex ipso specioso germine, idest Christo. Et hoc est gaudium universae terrae. In Hebraeo habetur, *Decorus nimis exultationis*, scilicet Christus, et hoc est in monte Sion. *Deus in domibus eius cognoscetur.* Hic commendat civitatem a sapientia civium: vera namque sapientia consistit in Dei cognitione: *Hier. 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me.* Et ideo commendat eam ex hoc, quod Deus in ea cognoscitur, et dicit, *Deus in domibus eius cognoscetur.* Est autem triplex cognitio Dei, quia hoc potest referri ad statum civitatis Hierusalem, et ad ecclesiam, et ad futuram gloriam. Una ergo cognitio de Deo est figuralis, et obscura; et haec cognitio fuit in veteri testamento, et talis cognitio fuit in civitate illa, scilicet Hierusalem, et in populo Iudaico: *Ps. 75. Notus in Iudaea Deus* etc. Et secundum hoc dicitur, *Deus in domibus eius cognoscetur.* Hieronymus habet, *Deus agnitus est* etc. scilicet non in uno loco, sed in omnibus domibus, et civitatibus. Et dicit, *In domibus:* nam apud Athenas cognoscebatur Deus: *Act. 17. In ipso vivimus, movemur, et sumus: Ad Roman. 1. Invisibilia Dei* etc. Sed non cognoscebatur in domibus, sed in scholis apud aliquos, sed in gente illa omnes cognoscebant Deum. Alia est cognitio realis, sed obscura, et imperfecta; et haec est cognitio qua Deus cognoscitur per fidem: *1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum* etc. et sic Deus in domibus cognoscitur cognitione reali, sed fidei: *2. Cor. 3. Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes.* Et dicit, *In domibus:* quia tota universalis ecclesia continet sub se multas ecclesias, et multa collegia, quarum quaelibet domus dicitur habere cognitionem Dei: *Hier. 31. Me omnes cognoscent a minimo usque ad maximum.* Alia est realis, quae est cognitio perfecta, et aperta: *1. Cor. 13. Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* in domibus coelestis Hierusalem. Et dicuntur plures domus diversi ordines sanctorum, scilicet apostolorum, martyrum, confessorum, et virginum etc. *Ioan. 4. In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Et secundum hoc dicitur in Psalterio Romano: *Deus in gradibus eius cognoscetur:* quia non omnes aequaliter cognoscent, sed erunt diversi gradus cognitionis secundum quosdam: *1. Cor. 15. Stella differt a stella in claritate.* Sed hoc erit, *Cum suscipiet eam,* ad adiuvandum: quia ipse est susceptor, et auxiliator noster. Alia autem litera habet, in auxiliando. *Quoniam*

c Hic probat dignitatem civitatis per testimonium. Et primo inducit testes. Secundo eorum probitatem. Tertio ipsorum confessionem. Ad hoc quod testimonium sit credibile, tria sunt necessaria, scilicet dignitas testium, ut sint testes auctoritatis: quia si sint leves, eorum testimonium non debet approbari. Item numerositas, et concordia; et haec tria sunt in istis testibus, quia sunt magnae dignitatis: quia, *Reges terrae,* unus fuit Constantinus, alius fuit Iustinianus, et Carolus Magnus qui ecclesiam firmaverunt privilegiis. Item multi fuerunt, quia congregati sunt de diversis nationibus, et temporibus. Possunt etiam per reges intelligi sapientes, et iusti, qui testimonium perhibuerunt ecclesiae conversi ad fidem: *Ps. 46. Principes populorum.* Item sunt concordes, *Convenerunt in unum,* scilicet testimonium et sententiam: *Ps. 108. In conveniendo populos in unum, et reges* etc. Potest iterum aliter exponi; tamen prima expositio est literalis, quia in Hieronymo habetur, *Testati sunt.* In graeco habetur, *Suscipient eam,* scilicet ad defendendum. Et hoc necessarium est, *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, convenerunt in unum,* scilicet contra ecclesiam. Et isti qui aliquando testimonium perhibent, aliquando contra ecclesiam fuerunt, et aliquando persecuti sunt eam: postea eam firmaverunt. *Ipsi videntes.* Hic describit eorum probitatem, ubi septem fuerunt. Primum visio, idest cognitio fidei; unde dicit, *Ipsi videntes,* idest cognoscentes per fidem miracula quae Christus, et apostoli faciebant: *Isa. 62. Videbunt gentes iustum tuum, et cuncti reges inclytum tuum.* Secundum est admiratio in his quae videntur, quia sunt supra sensum, et rationem humanam: *Isa. 60. Videbis, et affluens, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum: Ps. 138. Mirabilia opera tua.* Tertium est conturbatio pro peccatis. Propter secundum, *Admirati sunt.* Propter tertium, *Conturbati sunt: Ps. 59. Commovisti terram, et conturbasti eam.* Quartum est commotio. Aliquando quis conturbatur de peccato, et labitur in desperationem, vel persistit in malo; sed isti commoti sunt ad poenitentiam: *Isa. 24. Commotione commovebitur terra.* Quintum est, quia haec commotio debet esse cum timore Dei, ut non attribuat sibi quod per se moveatur ad bonum, sed Deo; et ideo dicit, *Tremor apprehendit eos: Ps. 2. Servite Domino in timore.* Hic dolor, et tremor est fructuosus; unde dicit, *Ibi dolores ut parturientis,* qui convertuntur in gaudium propter spem prolis, et fructus: *Isa. 26. A timore tuo Domine concepimus, et peperimus spiritum salutis.* Et hoc est sextum. Septimum est, *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis,* idest mare universaliter, et sic conteres naves maris. Vel dicendum, quod ibi est una provincia quae Cilicia vocatur, et Tharsis est metropolis eius, ubi natus est Paulus, et ex illa civitate tota regio nominatur Tharsis, et ibi sunt multae naves: vel sicut in mari mediterraneo primi navigantes fecerunt Carthaginem, et isti simul pugnantes cum Tyriis praevaluerunt. Et ideo Tharsis vocatur totum mare mundi. Per naves quae ad negotiandum vadunt, signatur cupiditas, et hoc est abundantia rerum mundi. Et sicut naves fluctuant in mari, ita divites fluctuant in rebus mundi. Sed quando convertitur homo ad poenitentiam, tunc naves, idest cupiditates huius mundi, conteruntur. *Sed in spiritu vehementi,* scilicet in Spiritu sancto: *Abdiae 1. Iuxta est dies Domini super gentes: Isa. 23. Ululate naves maris.* Sed secundum Cassiodorum per hoc designatur totum tempus incarnationis Christi. *Deus cognoscetur in domibus eius cum suscipiet eam,* idest humanam naturam in unitate personae: *Is. 52. Propter hoc sciet populus nomen meum.* Et quare? *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt: convenerunt in unum.* Reges, scilicet principes Iudaeorum et scribae populi congregati sunt ab Herode sciscitante ab eis ubi Chri-

stus nasceretur, *Et convenerunt in unum*, scilicet quod natus erat in Bethleem. Et videntes sic, sicut prophetae dixerunt, *Admirati sunt, commoti sunt*, quia Herodes turbatus est, et omnis Hierosolyma cum eo, *Matth. 3. Et commoti sunt*, aliqui ad fidem. Et tantus fuit pavor ut corpus tremeret, *Tremor apprehendit eos:* et, *Ibi fuerunt dolores, ut parturientis*, propter necem infantium occisorum ab Herode: *Et in spiritu vehementi,* quia in furore mittens occidit omnes pueros a bimatu et infra, idest a duobus annis, et infra. Et in furore fecit comburi omnes naves Tharsis, idest in Tharso Ciliciae, quas credebat magos per aliam viam revertentes portasse in patriam suam. Propterea dicit, *In spiritu vehementi. Sicut audivimus*

d Hic ponitur confessio, et testimonium testium. Et primo confitentur veritatem eius quod audierunt. *Sicut audivimus*, per praedicationem apostolorum: *Ita et vidimus*, idest percepimus verum esse. Hoc dixerunt quando conversi sunt ad Christum. Vel ut sit conversio Iudaeorum: Nos audivimus per prophetas, et ecce iam vidimus Sed contingit aliquando quod aliquis audit aliquid magnum, et non credit sic esse, donec experiatur: et hoc Iacob dixit *Gen. 28. Vere locus iste sanctus est* etc. *2. Reg. 10. Regina Saba quae venit experiri sicut audierat, non tamen credebat tantam sapientiam Salomonis*: quae plura incredibilia vidit in eo quam audisset. Et sic sunt isti qui vident plura, quam audiant antequam ad fidem veniant. Et ubi videmus? *In civitate Domini virtutum*, scilicet coelestium. Ubi ostendit quod potest re illuc perducere. Et ne credatur quod sit altus ne tu possis ire ad eum, dicit, *In civitate Dei nostri;* quasi dicat, Sic est Deus virtutum, quod tamen est Deus noster. *Et iste fundavit eam*, scilicet civitatem istam non ad tempus, sed in aeternum: *Eccl. 26. Fundamenta aeterna super petram solidam. Suscepimus*

e Supra posuit Psalmista magnalia civitatis; hic autem ponit gratiarum actionem: et circa hoc duo facit. Primo ponitur gratiarum actio. Secundo invitantur homines ad considerandum adhuc magnalia istius civitatis, ibi. *Circumdate.* Sicut dicitur alibi: *Universae viae Domini misericordia, et veritas.* Unde gratiarum actio pertinet primo ad effectus divinae misericordiae. Secundo pertinet ad effectus iustitiae, ibi, *Iustitia plena est dextera.* Circa primum duo facit. Primo proponit perfectionem divinae misericordiae. Secundo effectum huius perfectionis, ibi, *Secundum nomen tuum.* Hoc secundum superficiem literae legitur ex persona non Iudaeorum, sed admirantium et dicentium, *Sicut audivimus* etc. *Suscepimus Deus misericordiam tuam.* Hoc similiter potest legi ex persona Iudaeorum. Sed dicit, *Suscepimus* etc. Misericordia Domini tripliciter accipitur, scilicet effectus gratiae, qui effectus confertur in sacramentis Christi: *Ti. 3. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* etc. Et in ecclesia omnes communiter suscipiunt misericordiam, sed boni cum sacramentis suscipiunt misericordiam, idest gratiam et effectum sacrificii; mali autem suscipiunt tantum sacramentum. Dicunt ergo boni: Nos, *Suscepimus misericordiam*, idest gratiam tuam, *In medio templi tui*, in templo, in extremo sunt peccatores, in medio templi sunt virtuosi et iusti. Alio modo misericordia est ipse Christus, qui datus est nobis ex Dei misericordia: *Quoniam venit tempus miserendi eius.* Et sic potest exponi hoc de duplici templo, et de duplici susceptione, scilicet corporalis; et sic haec verba sunt Simeonis iusti. O Deus suscepimus misericordiam tuam, scilicet Christum in ulnas nostras in medio templi tui, scilicet materialis. Item de susceptione fidei; et sic est sensus. O Deus nos suscepimus Christum misericorditer datum per fidem: *Iac. 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum. In medio templi*, idest in consensu ecclesiae, quia qui non suscipiunt communem doctrinam ecclesiae, non suscipiunt hanc misericordiam: *Eccl. 15. In medio ecclesiae aperuit os eius. Secundum nomen tuum Deus.* Hic ponitur effectus huius susceptionis; quasi dicat, Per hoc quod nos nomen tuum suscepimus, laus tua diffusa est in omnem terram. Et hoc, *Secundum nomen tuum Deus*, qui est essentialiter bonus. Et quicumque cognoscit Deum secundum illam mensuram, laudat eum secundum quod cognoscit eum: et ideo dicit, *Secundum nomen tuum Deus*, idest secundum cognitionem quam habet de te: *Sic et laus tua.* Et quia ubique est notus, ratio dicit, *In fines terrae: Mal. 1. A solis ortu usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.* Vel, *In fines terrae*, idest in tota ecclesia, quae ubique diffusa est. Vel quia laus tua vera non est nisi in sanctis qui vere te laudant, quia vere te cognoscunt: *Io. 7. Scio eum. Iustitia plena est dextera tua.* Hic commendat iustitiam. Et primo ponit commendationem iustitiae. Secundo ponit eius effectum. Dico ergo quod, *Suscepimus misericordiam tuam:* et hoc non sine iustitia. Immo, *Iustitia plena est dextera tua.* Manus Dei dicitur virtus eius operativa. Et Deus habet duas manus, scilicet dexteram qua remunerat bonos, et sinistram qua punit malos: *Matt. 25. Statuit oves a dextris* etc. In utraque manu est iustitia; sed in sinistra non est plena iustitia, quia punit citra condignum; sed in dextera est plena iustitia, quia abundanter remunerat: *Luc. 6. Mensuram bonam* etc. *Rom. 8. Existimo quod non sunt condignae passiones* etc. *Dextera tua*, idest gloria futura, *Est plena iustitia,* quia ibi nullus est nisi iustus: *Is. 60. Populus tuus omnes iusti. Laetetur mons Sion.* Hic ponitur effectus iustitiae quem fecit sinistra, et est gemitus; sed effectus iustitiae quem fecit dextera, est laetitia: *Ps. 18. Iustitiae Domini rectae laetificantes corda.* Supra dixit, quod effectus misericordiae se extendit usque ad fines terrae, hic autem attribuit effectum iustitiae monti Sion, et filiis Iudae. Hoc etiam Apostolus dicit *Ro. 23. Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis* etc. Quia ergo promissus fuit filiae Sion *Zach. 9. Exulta satis filia Sion* etc. *Laetetur mons Sion,* quia iustitiae est quod promissio servetur ei. Sed quia non fuit facta promissio gentibus, misericordia fuit quod daretur. Potest tamen dici quod mons Sion dicitur tota Hierusalem. *Et exultent filiae Iudae*, idest confessionis, idest totus populus Iudaeorum, *Exultent.* Et hoc faciant, *Propter iudicia tua Domine*, quia recta sunt. *Circumdate*

f Hic inducit ad diligentiorem considerationem, ut intelligatur quod reges iam aliquando viderunt ma-

gnalia; sed tamen David invitat omnes ut plus considerent. Et primo invitat ad hoc. Secundo addit causam invitationis. Dicit ergo, *Circumdate*, scilicet ecclesiam militantem, vel triumphantem oculo contemplationis: *Cant. 3. Surgam, et circuibo* etc. Aliqui circumdant iniquo oculo ecclesiam ad impugnandum, sed nos circumdamus eam ad amandum; et ideo dicit, *Complectimini eam*, scilicet diligendo: *Psa. 25. Domine dilexi decorem domus tuae.* Hieronymus habet, *Circuite*, quasi ite extra, et circuite per vicos, et, *Narrate in turribus eius.* Hic inducit ad considerationem in spirituali. In civitate sunt tria magnifica, scilicet turris, muri, et plateae. Quantum ad primum dicit, *Narrate in turribus eius.* Hieronymus habet, *Mirate turres eius.* Turres sunt ad videndum a longe. Turres ergo ecclesiae sunt praelati, et fuerunt Apostoli; quasi dicat, Mirate Apostolos, et praelatos. Vel, *Narrate*, idest doctores secundum doctrinam Apostolorum, et doctorum. Quantum ad secundum dicit, *Ponite corda vestra in virtute eius.* Hieronymus, *Ponite cor vestrum in manibus eius* Et hoc est virtus Spiritus sancti, qui protegit hanc civitatem: *Luc. ult. Sedete in civitate donec induamini virtute.* Haec virtus est dilectio: *Cant. 3. Fortis est ut mors dilectio.* Quantum ad tertium dicit, *Et distribuite domos eius.* Hieronymus habet, *Separate domos eius, distinguite palatia eius.* Distinguite, scilicet per rectum iudicium. Sunt enim aliqui qui propter aliquos malos volunt totam ecclesiam damnare. Dicit ergo, *Distribuite*, idest non debetis bonos propter malos damnare: *Gen. 18. Absit a te Domine ut perdas iustum cum impio.* Vel, *Distribuite domos eius*, scilicet dispensando diversas ecclesias diversis ministris, ut non sit confusio in ecclesia, sicut Paulus fuit Apostolus gentium, et Petrus fuit minister circumcisionis, idest Apostolus Iudaeorum. Alia litera habet, *Gradus eius*, idest ordines diversos: quosdam subdiacones, quosdam diacones, et quosdam sacerdotes: *Eph. 4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos* etc. Finis huius considerationis est laus Dei. Et primo ponit quibus nuntietur laus Dei. Secundo, quare nuntietur. Dicit ergo, *Ut enarretis*, scilicet quae audistis: *Isa. 21. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, nuntiavi vobis*: quia quod accepit unus, debet alii communicare: *In progenie altera*, scilicet peccatoribus. Vel, *Altera*, idest futura. Et quid enarretis? Duo: quia omnis praedicatio ad duo debet ordinari, scilicet ad ostendendam Dei magnificentiam, sicut quando praedicat fidem, vel ad annuntiandum beneficia Dei, ut accendatur charitas in eorum cordibus. Quantum ad primum dicit, *Quoniam hic est Deus Deus noster: Baruch 3. Hic est Deus noster. Et post haec in terris* etc. *Hebr. ult. Christus Iesus heri, et hodie, ipse et in saecula.* Quantum ad secundum dicit, *Ipse reget nos in saecula: Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum* etc. *Psal. 22. Dominus regit me, et nihil* etc.

*In finem pro filiis Core.*

## a PSAL. XLVIII.

Audite haec omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Quique terrigenae, et filii hominum, simul in unum dives, et pauper.

b Os meum loquetur sapientiam: et meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

c Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam. Et pretium redemptionis animae suae: et laborabit in aeternum, et vivet adhuc in finem.

d Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, et stultus peribunt.

e Et relinquent alienis divitias suas: et sepulcra eorum domus illorum in aeternum. Tabernacula eorum in progenie, et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.

f Et homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

g Haec via illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacebunt.

h Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino: et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

i Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

k Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei. Introibit usque in progenies patrum suorum, et usque in aeternum non videbit lumen. Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

## a PSAL. XLVIII.

Supra Psalmista invitavit gentes ad gaudium, et gratiarum actionem pro beneficiis populo Dei datis; hic autem monet eas ut confidant de Deo: et circa hoc duo facit. Primo excitat attentionem. Secundo prosequitur propositum. Titulus non est novus. Secundum autem titulum homo dupliciter redditur attentus. Uno modo dicitur attentus reddi aliquis ex parte dicendorum, cum promittit se dicturum aliqua magna:

*Prover. 18. Audite me, quia de rebus magnis locuturа sum.* Et hoc modo loquitur hic. Primo ergo reddit eos attentos ex parte eorum quibus loquebatur. Secundo ex parte dicendorum, ibi, *Os meum.* Dicit ergo, quod ad omnem differentiam hominum, et ad omnes pertinent, quae dicturus est. Et tangit quatuor differentias hominum. Unam ex diversitate populorum, quia alius erat populus Iudaeorum, et alius gentium. Aliam ex parte locorum. Aliam ex parte originis. Quidam enim erant nobiles, et insignes: quidam non. Primam ponit cum dicit, *Audite haec omnes gentes*, non solum Iudaeorum, quia haec ad omnes pertinent audire: et est hoc necessarium: *Proverb. 1. Audiens sapiens* etc. Secundam ponit cum dicit, *Auribus percipite qui habitatis orbem*, idest quacunque parte orbis: et dicit, *Auribus percipite*, quia oportet audire, et percipere: *Matth. 13. Qui habet aures audiendi audiat*, idest attendat. Hieronymus habet, *Habitatores occidentis.* Quasi sit quaedam prophetia: quia fides Christi praecipue viget in populo Occidentis: quia in aquilonari sunt adhuc multi Gentiles, et in orientaiibus sunt multi schismatici, et infideles. Vel, *Audite haec omnes gentes*, refertur ad malos: *Qui habitatis orbem*, ad bonos qui dominantur terrae. Tertiam ponit cum dicit, *Quique terrigenae*, idest ignobiles, *Et filii hominum*, idest nobiles. Hieronymus habet, *Tam filii Adam quam filii singulorum*, quia quidam nihil habent insigne ex parentibus. Mystice terrigenae dicuntur peccatores, qui terrae adhaerent per affectum; unde serpenti comparantur: *Isa. 65. Serpenti*, idest terrenis, *pulvis panis eius.* Filii hominum dicuntur boni, qui imaginem Dei et Christi qui est filius hominis habent. Quartam ponit cum dicit, *Simul in unum dives, et pauper;* quasi dicat, Omnes audiatis haec documenta: quia omnibus sunt utilia. Et quae sunt? *Matt. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum: Eccl. 31. Beatus dives qui inventus est sine macula* etc. Tamen aliquis est dives actu, sed non affectu: et hic potest esse sanctus, sicut Abraham, et Ludovicus rex Franciae. Alius est dives actu, et affectu: et hic non est sanctus. De hoc dicitur *Matt. 19. Facilius est camelum intrare* etc. quia sicut est contra naturam intrare per foramem acus; ita intrare divitem in regnum coelorum est contra iustitiam divinam. Et tales sunt terrigenae; sed primi sunt filii hominum. *Os meum*

b Hic reddit attentos ex promissione dicendorum. Quicumque docet, aut docet res, aut docet verba. Quando praedicamus fidem, et mores, docemus res; quando exponimus Scripturam, docemus verba. Primo ergo dicit de prima doctrina. Secundo de secunda, ibi, *Inclinabo.* Rerum autem cognitio necessaria est ad duo, scilicet ad cognitionem veritatis, et ad usum operationis. Omnis ergo cognitio veritatis, quae nobis necessaria est de aliis rebus, referenda est ad cognitionem veritatis divinorum. Unde Augustinus dicit: *Qui scrutatur haec, non referens ad aeterna, est otiosus.* Et ideo omnis cognitio veritatis pertinet ad sapientiam; et ideo dicit, *Os meum loquetur sapientiam: 1. Cor. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Id autem quod est necessarium quantum ad usum operationis, pertinet ad prudentiam, qua habetur directio rerum humanarum; et ideo dicit, *Et meditatio cordis mei prudentiam*, scilicet loquetur: *Prov. 10. Sapientia est viro providentia*, quia sapientia comparata ad res humanas, et materiales est prudentia. *Inclinabo.* Hic agit de secunda doctrina, scilicet verborum obscurorum: et sunt circa ea duo necessaria. Primo, ut studeat intelligere. Secundo, ut studeat ea exponere aliis. Quantum ad primum dicit, *Inclinabo in parabolam aurem meam.* Parabola est scientia aliqua, quando habet obscuram similitudinem; quasi dicat, Dabo studium ad intelligendum aliorum dicta: *Pro. 1. Animadverteret parabolam et interpretationem eius, verba sapientium et aenigmata eorum.* Vel, *Inclinabo aurem meam in parabolam*, quam loquitur Deus: quia aenigmatice loquitur; quasi dicat, Inclinabo intellectum meum ad vocem Domini, qui loquitur parabolice. *Aperiam in Psalterio propositionem meam.* Propositio dicitur dupliciter. Uno modo id, quod prae aliis opto, et est illud quod magis desidero, illud, *Aperiam in Psalterio*, idest in mea operatione, quia hic est optimus modus aperiendi propositum suum: quia si tu proponis intrare vitam aeternam, non manifestas propositum tuum, si non habes bonam operationem. Vel propositio est sermo obscurus, vel propositus causa tentationis; sic Sanson *Iudic. 14.* proposuit problema: unde dicit: *Si non arassetis in vitula mea*: et sic accipitur hic propositio. Et ideo Hieronymus dicit quod est sermo obscurus. Hebraei habent, *Divinationem meam*, quod idem est. *Cur timebo*

c Proposito prooemio Psalmi in quo populi incitavit attentionem; hic procedit ad propositum principale, quod est inducere homines ad non timendum mala praesentia, nec confidant de bonis praesentibus; sed eius timor et fiducia sit in Deo solo: et circa hoc duo facit. Primo ostendit de quo sit timendum. Secundo ostendit de quo non debeant timere, ibi, *Ne timueris.* Circa primum duo facit. Primo proponit intentum. Secundo probat propositum, ibi, *Qui confidunt.* Circa primum duo facit. Primo proponit quaestionem. Secundo ponit conclusionem. Quaestio est, *Cur timebo in die mala?* Ubi primo videndum est, quae sit ista dies mala: quia omnes dies sunt a Deo. Sed dicuntur mali propter mala quae in eis contingunt: *Eph. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Potest ergo dies mala dici in qua aliquod periculum evenit: et praecipue in qua imminet periculum aeternae damnationis: et haec est dies iudicii: *Soph. 1. Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis.* Ergo, *Cur timebo in die mala?* idest quid faciet me timere in die illa? Et respondet, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Nihil enim timendum est, nisi peccatum: quia nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas: *Prov. 28. Fugit impius nemine persequente: Eccl. 34. Qui timet Deum nihil trepidabit;* et ideo dicit, *Iniquitas calcanei.* Per calcaneum possunt tria intelligi. Primo, quia est extrema pars corporis. Et ideo iniquitas calcanei mei est iniquitas quae perseverat usque ad finem vitae; et hoc modo accipitur calcaneum: *Gen. 3. Ipsa*, scilicet mulier, *conteret caput tuum*, scilicet ratio superior; sed ipsa conteret caput serpentis: *Et tu insidiaberis calcaneo eius*, idest insidiaberis ei usque ad finem vitae. Item per calcaneum potest intelligi infirmitas carnis: quia

quando homo deficit, calcaneus labitur. Et sic iniquitas calcanei, idest peccatum procedens ex infirmitate carnis, *Circumdabit me.* Tertio persecutio iniusta, quam quis movet contra alium, secundum illud *Io. 14. Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum.* Et sic iniquitas calcanei, idest persecutio iniusta, retorquetur contra persequentem : *Prov. 5. Iniquitates suae capiunt impium. Qui confidunt in virtute sua.* Hic ponitur ratio, quare sit timendum, quia propter peccatum. Et est duplex ratio quare sit timendum peccatum. Primo, propter impossibilitatem evadendi poenam peccati : *Iob 11. Peribit ab eis refugium, et spes eorum abominatio animae.* Alia ratio est propter mala quae malis imminent. Primo ergo ponit impossibilitatem evadendi poenam. Secundo ostendit mala imminentia malis, ibi, *Non videbit.* Aliquis evadit poenas primo per auxilium extrinsecum. Secundo per propriam solicitudinem. Tertio propter defectum subiecti, ut quando moritur. Et ostendit quod nullo istorum modorum evadere potest. Primo propter auxilium. Secundo, quod nec per remedium a se exhibitum. Tertio, quod nec per defectum subiecti. Qui vult liberari per auxilium, quandoque liberatur ex potentia sui exercitus: *Io. 19. Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei* etc Quandoque per divitias: *Prov. 5. Omnem substantiam domus suae tradet, et liberabit se.* Quandoque per amicos. Et ostendit quod nullum istorum potest a poena peccati liberare. Et licet secundum glossam legatur aliter, tamen secundum Hebraeos legitur, quia Deus confidentes de se liberat. *Frater non redimet;* quasi dicat, Frater non redimet eos, qui confidunt in eo. Et ideo primo ostendit quod per auxilium amicorum non iuvatur poena peccati, quia virtus amicorum modica est. Et ideo in virtute corporali amicorum non est confidendum. Ideo dicit, *Qui confidunt in virtute sua*, scilicet amicorum suorum, vel in virtute propria spirituali: quia, *Est via quae videtur homini recta, novissima autem illius ducunt ad mortem, Pro. 14* Item qui confidunt in virtute divitiarum suarum, non liberantur per ista omnia a peccati poena: quia *Prov. 11. Qui confidunt in divitiis suis, corruent.* Non enim confidendum est in divitiis corporalibus, vel spiritualibus, sed quaerat homo prout potest salutem suam: *Hier. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Nec persona coniuncta sibi quantumcumque potest eum redimere, idest liberare a peccato, sive a poena: *Exech. 14. Si fuerint tres viri in medio eius Noe, Daniel, et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Sed postquam frater non potest redimere quantumcumque sibi propinquum, numquid redimet homo? Non, quia homo non potest aliquem eripere de manu Dei, sed solus Deus redimet eos. Et homo, scilicet Christus, ut pretium, idest mors locum in eo habere possit, et Deus ut habeat virtutem redimendi. Vel aliter, *Frater*, idest Christus, qui est verus frater noster : *Psa. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis : Can. 8. Quis mihi det te fratrem meum* etc. Si non redimet iste, quis alius redimet? quasi dicat, Nullus. *Non dabit Deo placationem suam.* Hic ostendit quod non evadunt poenam propter aliquid quod faciunt, dum sunt in peccato, quia duplici remedio indigent peccatores propter duplex malum quod incurrunt, scilicet offensam Dei, et reatum poenae. Et ideo indigent placare Deum, quod ipsi facere non possunt, quia ex quo ipsi non placent Deo, et sunt inimici Dei, nec eorum munera accipit; unde dicit, *Non dabit Deo placationem suam*, quia non placent exteriora Deo, nisi sit interior gratia, quam non potest purus homo dare. Item indigent absolvi a poena, et hoc etiam homo facere non potest; unde dicit, *Nec pretium redemptionis animae suae*, scilicet purus homo potest dare; et ideo non potest liberare a poena: *Ps. 88. Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Sed Christus qui est Deus et homo, dedit placationem pro nobis: *Ro. 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo* etc. Item solum pretium redemptionis: *1. Pet. 1. Redempti estis de vana vestra conversatione* etc. Vel, *Non dabit*, idest non curabit dare placationem, *Et pretium redemptionis animae suae*, ille scilicet qui confidit in divitiis. Et secundum hoc potest continuari alia litera, quae dicit, *Frater*, Christus scilicet, *Non redimet*, quia illi non curant placare Deum per poenitentiam, quia Christus non iuvat eos, qui nolunt se iuvare. *Et laborabit.* Hic ostendit, quod non evadet per defectum sui, quia semper punietur ; unde dicit, *Laborabit in aeternum*, idest punietur supplicio aeterno: *Matth. 25. Ibunt hi in supplicium aeternum*, quia noluerunt hic laborare: *Ps. 72. In labore hominum non sunt.* Et quia quantum in se fuit, in aeternum peccaverunt, quia praeferunt peccatum legi Dei; et ideo non timent poenam, sed semper vellent facere peccatum. *Et vivet adhuc in finem*, idest vita eius non deficiet in poenis : *Iob 20. Luet quae fecit omnia, nec tamen consumetur. Non videbit*

d Supra ostendit Psalmista, quod timendum est propter peccatum, quia nullum remedium est ad evadendum poenam; hic autem agit de malis, quae imminent eis propter improvidentiam eorum : et circa hoc tria facit. Primo commemorat improvidentiam eorum de malis futuris. Secundo commemorat mala quae imminent, ibi, *Relinquent alienis.* Tertio ponit spem de Deo qua quaerat liberari ab his malis, ibi, *Veruntamen.* Circa primum duo facit. Primo ostendit eorum improvidentiam. Secundo ignorantiae causam, ibi, *Cum viderit.* Dicit ergo iste talis cui imminent tot mala, *Non videbit*, idest non considerabit interitum, idest damnationem suam. Iustorum enim est novissima memorari, *Eccl. 52.* Sed de istis dicitur *Deut. 32. Gens absque prudentia, et sine consilio.* Et quare iniusti non praevident sibi? Redditur ratio *Eccl. 9. Hoc est pessimum inter omnia, quae sub sole fiunt: quia eadem cunctis eveniunt.* Et ideo non considerant, quid eis possit evenire in futurum. Et ideo, *Cum viderit etiam sapientes morientes*, sed videntes mortem corporalem non considerant eorum gloriam: *Sapien. 4. Videbunt finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus.* Differentia est inter insipientem, et stultum. Insipiens est qui habet scientiam humanam, et non considerat aeterna ; stultus est qui non considerat etiam praesentia. Vel insipiens est qui non attendit mala praesentia, sed futura; stultus est qui attendit, et non vitat; unde dicit, *Simul insipiens et stultus peribunt.* Secundum Hieronymum duplex est

causa contemptus iniustorum: diuturnitas vitae, et quia vident simul sapientes, et insipientes mori. *Et relinquent*

e Hic ponit mala quae contingunt peccatoribus. Et primo ponit mala quae contingunt in praesenti. Secundo ponit mala quae evenient in futuro, ibi, *Sicut oves*. Circa primum duo facit. Primo ponit mala quae eveniunt in praesenti, quantum ad bona extrinseca. Secundo quantum ad bona intrinseca, ibi, *Cum in honore*. Et ostendit primo quid perdit malus per mortem. Dicit quod perdit divitias; unde dicit, *Relinquent alienis divitias suas: Hiere. 17. Fecit divitias, et non in iudicio, in dimidio dierum suorum relinquet eas*. Et dicit, *Suas*, quasi a se possessas; vel quia usus est eis ad utilitatem aliorum: *Phil. 2. Omnes quae sua sunt quaerunt*. Et dicit, *Alienis*, quia saepe alieni, idest extranei secundum carnem, accipiunt divitias suas: *Ps. 38. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea*. Dicit aliquando, quod si etiam filiis dimittat divitias, tamen alieni sunt, ut dicitur *Luc. 10. Ille proximus qui fecit misericordiam in illo*. Et contingit quod filii et nepotes nihil boni faciunt mortuis; sed residua sunt eis duo de rebus mundi, sepulcrum, et fama hominum. Secundum, ibi, *Tabernacula*. Quantum ad primum dicit: Habuerunt domos et vineas et currus et multa pretiosa. Sed quid habebunt in morte? Pro palatio habebunt sepulcrum, et hoc, *In aeternum*, idest usque in diem iudicii habitabunt in sepulcris. Vel ex hoc quod faciunt curiosa sepulcra, credunt habitare in aeternum in eo; sed decipiuntur, quia et sepulcra destruentur. Unde licet secundum opinionem eorum illa sepulcra sunt domus eorum in aeternum, tamen non est ita. Hieronymus tamen habet aliter, *Interiora eorum domus illorum in aeternum*, quia homo habet duplicem domum, exteriorem scilicet; et haec non manet in aeternum, et interiorem, scilicet conscientiam: et haec manet: *Isa. 38. Dispone domui tuae*. Sive bona, sive mala, semper manet. *Tabernacula*. Hic ostendit, quod non remanet fama, seu memorabile hominis post mortem. Memorabilia hominis sunt aedificia fortia: ideo dicit, *Tabernacula eorum in progenie, et progenie;* quasi dicat, Ita aedificantur ac si sint diuturna usque in finem; sed decipiuntur, quia destruuntur: *Iob 21. Ubi est domus principis, et ubi tabernacula impiorum? Matt. 13. Vides has magnas aedificationes? Non relinquet* etc. Et dicit, *Tabernacula*, quia non diu manent in eis. *Vocaverunt nomina sua in terris suis;* quasi dicat, Haec est intentio huius aedificationis, ut essent nominati in terris suis: *Gen. 11. Venite, aedificemus civitatem et turrim, et celebremus* etc. *Eccl. 40. Aedificatio civitatis confirmavit nomen*: unde vocant civitates ex nomine suo; et dicit, *Suis*, quia nomen alicuius non multum extenditur extra terram suam. Et ideo stultum est, quod homo celebret nomen suum in terris. Vel, *Invocabunt nomina eorum*, idest defunctorum, *In terris suis*, portando cibaria ad sepulcra. *Et homo*

f Supra proposuit Psalmista mala quae imminent malis, quantum ad amissionem; hic autem ponit quae ex corruptione bonorum inferiorum eis imminent: et circa hoc duo facit. Primo proponit malum interioris corruptionis. Secundo ostendit quid ex hoc malo sequitur, ibi, *Haec via illorum*. Sciendum est autem quod homo est compositus ex natura rationali, et sensitiva. Secundum naturam rationalem homo habet similitudinem cum Deo et angelis: *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: *Psal. 8. Minuisti eum paulo minus ab angelis*. Secundum autem sensitivam naturam habet communicationem cum bestiis. Primo ergo ponit honorem hominis quantum ad hoc, quod habet similitudinem cum angelis; unde dicit, *Homo cum in honore esset*. Secundum Philosophum honor est excellentius quid quam laus, quia laus ordinatur ad aliud; honor autem est per se et in se. Et dicit, *Esset*, scilicet similis ad Deum. Et ex hoc quod haec habet, praemittit tria: quia praemittit, quod haec non considerat, scilicet quod sit similis Deo. Secundo, quod declinat in ignorantiam et ignobilitatem bestialem. Tertio quod consequitur actum bestialem. Quantum ad primum dicit, *Non intellexit*, scilicet quod ad imaginem Dei sit factus: et quod esset aptus ad possidenda coelestia: *Sap. 2. Neque speraverunt mercedem iustitiae: nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum*. Quantum ad secundum dicit, *Comparatus est iumentis*. Bruta animalia operantur ex passione; et hoc patet, quia canis statim cum irascitur, clamat, equus cum concupiscit, hinnit; sed non imputatur eis, quia carent ratione. Si ergo homo statim cum concupiscit, sequitur passionem, et iratus percutit, comparatus est in agendo iumentis insipientibus: *Ps. 57. Nolite fieri sicut equus et mulus* etc. Quantum ad tertium dicit, *Et similis factus est illis*, nam quando natura brutorum inclinatur ad aliquid, sic utitur passione, et consuetudo vertitur in naturam. Quando homo ergo assuescit secundum passionem vivere, iam vertitur in naturam: et ideo, *Similis factus est illis*, per habitum ex malis operibus aggravatum: *Hier. 5. Equi amatores in foeminas, et emissarii facti sunt;* et ideo dicit Philosophus, quod peior est malus homo quam mala bestia, quia cum malitia habet intellectum, ut diversa mala adinveniat. *Haec*

g Hic ostendit quid sequitur ex hoc malo, quod incurrunt, scilicet quod sancti sunt bestiales: nam posset aliquis dicere, quod nihil mali inde sequitur. Sed non est ita. Immo aliquid aliud sequitur. Et primo ostendit quid sequitur quantum ad eos. Secundo quantum ad alios. Quantum ad eos dicit, *Haec via*, quia scilicet sequitur passiones, est *Scandalum ipsis*, quia interius conturbantur: *Ps. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis in scandalum*. Item exterius etiam conturbantur, quia puniuntur et infamantur. Philosophus, Plenitudine replentur pravi. Quantum ad alios sequitur, quod, *Postea in ore suo complacebunt*. Et exponitur dupliciter. Uno modo sic. Postquam interius scandalizantur, et faciunt mala, vellent quod alii sequerentur eos. Et ideo student aliis complacere, ut trahant eos ad peccandum: *Pro. 1. Si te lactaverint peccatores* etc. Alio modo sic reprehendit simulationem: quasi dicat, Postea quam iam sic conturbantur, et sequuntur mala, *In ore suo complacebunt*, idest student loqui sancta, et blanda: *Matt. 23. Vae vobis scribae, et pharisaei hypocritae, qui similes estis sepulcris dealbatis* etc. sic et vos a foris: Glossa, *Peiores sunt simulantes quam aperte mali*. Sed num-

quid hoc verum est? Videtur quod non: *Isa. 3. Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt.* Glossa Hieronymi, *Secunda tabula est occulte peccare.* Dicendum, quod aliud est non publicare peccatum, et aliud est simulare innocentiam : nam publicare peccatum est malum , quia scandalizat alios , sed simulare innocentiam, ut alios trahat ad peccatum, malum est. Et de his loquitur hic. Alia litera habet, *Et in ore suo benedicent Deum.* Et exponitur sic. Quamvis interius sint bestiae , tamen labiis exterius benedicent Deum : *Isa. 29. Populus hic labiis me honorat* etc. Vel aliter. Benedicent Deum de malis quae fecerunt. Hieronymus habet, *Post eos iustitiae eorum current ;* quasi dicat, Non intellexit, et similis factus est bestiis, et inde scandalizantur, et ideo fit, quia voluerunt esse bestiae. Ideo, *Post eos*, idest in finem comedentur a bestiis , idest a daemonibus ; quasi dicat , Current post daemones in inferno. *Sicut oves*

h Hic ponit mala quae evenient peccatoribus post hanc vitam. Et quia tria mala iam dixit, scilicet quod sunt similes bestiis, quod contemnunt sapientiam, tertium est quod confidunt in virtute. Et contra primum dicit , quia isti sunt sicut bestiae , dignum est quod sicut bestiae puniantur; unde dicit, *Sicut oves in inferno positi sunt.* Oves non habent auxilium a natura ad defendendum, et ideo expositae sunt ad caedem : *Psal. 43. Aestimati sumus sicut oves occisionis.* Quia ergo mali in inferno sunt omnino poenis expositi, ideo sunt sicut oves : *Hiere. 12. Congrega eos sicut gregem ad victimam.* Item oves tonduntur , et , tonsae occiduntur , ita prius tonduntur a lana mali , et privantur sive expoliantur exterioribus bonis , et postea occiduntur in inferno , *Mors depascet eos : Apocalip. 21. Pars eorum est sulphur.* Hic depascet eos , et dicit , *Depascet* , quia etsi mors inferat poenam, non tamen totaliter auferet ; sed reservat semper ad poenam. Vel , *mors* , idest diabolus : *Apocal. 6. Nomen illi mors. Depascet eos* , idest deducet de pascuis ad pascua, idest de poenis ad poenas : *Iob 24. Ad calorem nimium transiet ab aquis nivium.* Alia litera habet , *Mors pastor eorum erit.* Et loquitur sic. In vita ista sunt sicut oves deputandi ad infernum, et diabolus est pastor eorum. *Et dominabuntur.* Hoc est contra illud quod dixit supra, quod videntur sapientes simul mori cum insipientibus ; hic dicit quod iusti dominabuntur eorum , scilicet malorum. Vel *sapientes*, qui vocantur. *Iusti in matutino*, idest in die iudicii, quando accipient iudiciariam potestatem : *Malach. 4. Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. Et auxilium eorum.* Hoc est illud quod dixit, *Et in multitudine divitiarum* etc. quasi dicat, Auxilium eorum quod erat ab amicis et divitiis eorum, *Veterascet*, idest peribit in inferno: *Isa. 10. Ad cuius fugietis auxilium : Iob 6. Ecce non est auxilium mihi in me. A gloria eorum*, idest iuxta gloriam eorum: *Apocal. 18. Quantum glorificavit se, tantum* etc. *Veruntamen redimet animam meam;* quasi dicat, Mali ista habent; sed ego liberabor ab istis. Et per quid. Per effusionem sanguinis Christi. *Redimet de manu inferi*, idest de manu diaboli , sub qua erant homines ante adventum Christi: *Osee 13. De morte redimam eos. Cum acceperit me*, idest cum acceperit animam meam: *Hebr. 1. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae. Ne timueris*

i Supra Psalmista ostendit, quid sit homini timendum in mundo; hic ostendit, quid sit non timendum, scilicet prosperitas impiorum. Et primo monet ut non timeamus propter prosperitatem malorum. Secundo assignat rationem, ibi, *Quoniam cum interierit.* Prosperitas malorum duo habet , scilicet abundantiam divitiarum, et sublimitatem gloriae. Quantum ad primum dicit, *Ne timueris cum dives factus fuerit homo.* Quantum ad secundum, *Et cum multiplicata fuerit gloria domus suae.* Et dicit, *Homo.* Homo constat ex duplici natura , scilicet animali , et rationali. Et quandoque sumitur pro una, quandoque pro alia. Hic sumitur pro animalitate ; quasi dicat , Si homo animalis dives factus fuerit: tales enim saepe ditantur: *Iob 21. Quare impii vivunt, sublimati sunt , confortati sunt divitiis.* Item *ibidem 12. Abundant tabernacula praedonum:* si ista scilicet videris, ne timueris. Duplex potest esse causa timoris. Una, ne desaeviant in homines: alia , ne ex hoc scandalizentur boni, et deficiant a spe, secundum illud *Psalm. 73. Mei autem pene moti sunt pedes* etc. *Et dixi : Ergo sine causa iustificavi cor meum ;* quasi dicat, Ex quo tot bona Deus facit malis , videtur quod non curet de nobis, secundum illud *Malach. 3. Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum habemus, quia custodivimus praecepta Domini.* Quantum ad secundum dicit, *Et cum multiplicata fuerit gloria domus eius : Eccl 9. Non zeles gloriam et opus peccatoris: Psal. 48. Vidi impium* etc. *Quoniam cum interierit.* Hic assignatur ratio, quare non sunt timendi mali si dives fiant. Primo, quia quandoque omnibus exterioribus bonis privantur. Secundo etiam omnibus interioribus bonis deficient. Secunda , ibi , *Quia anima eius.* Ideo dicit, Non sunt timendi , quia Deus reservat tibi maiora. Haec autem quae dantur istis sunt transitoria. Et ostendit primo, quod divitiae transeunt dicens, *Quoniam cum interierit,* scilicet dives , *non sumet omnia,* idest nihil ex omnibus quae habuit, poterit habere *: Iob 27. Dives cum dormierit, nihil secum auferet: 1. Tim. ultim. Nihil intulimus in hunc mundum:* haud dubium, quia nec auferre quid poterimus. Secundo ostendit defectum gloriae hominis peccatoris, *Neque descendet cum eo gloria eius*, quia tunc gloria eius finitur cum carne, et reservatur ei ignominia in inferno: *Osee 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo: Apocal. 18. Glorificavit se* etc. *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*

k Hic ponit primo defectum interiorum pertinentium ad corpus. Secundo ad animam, ibi, *Et introibit.* Primo ergo ostendit , quod post hanc vitam deficit eis bonum corporis. Secundo ostendit quod finitur bonum virtutis , si quod habuerunt. Dicit ergo , *Quia anima eius.* Sicut homo sumitur aliquando pro natura animali, aliquando pro rationali, ita anima sumitur dupliciter. Quandoque ut Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Quandoque pro animali vita: *Luc. 12. Anima mea habes bona* etc. Dicit ergo secundum hoc, *Quia anima*, idest animalis vita eius , *In vita ipsius benedicetur ;* quasi dicat, Quicquid habet de divitiis et gloria, to-

tum est in hac vita, et cessante hac vita, deficit eius gloria : et ideo non potest vitae suae benedicere nisi dum vivit. Item aliquando peccatores laudant Deum, vel faciunt opera de genere honorum; sed si adversitas immineat, cessat eius laudatio, sive operatio bona. Et ideo convertit se ad Deum dicens: O Deus, iste talis, scilicet peccator, sive aliquis in prosperitate existens, *Confitebitur tibi*, idest laudabit te, *Cum benefeceris ei*, idest dederis sibi bona temporalia quae amat: *Prov. 10. Benedictio Domini divites facit: Hie. Laudabunt te cum bene sibi fuerit*, idest homines laudant et serviunt divitibus, quamdiu suppetunt et prosperantur in divitiis; sed si mutetur fortuna, et mutantur, nedum non laudant, sed detrahunt eis. *Introibit.* Hic ponit defectum spiritualium. Et primo ostendit defectum. Secundo ponit ordinem perveniendi ad ipsum defectum, ibi, *Homo.* Et primo ponit defectum culpae. Secundo poenae. Quantum ad primum dicit, *Introibit*, scilicet iste peccator sic dives, et quem laudant omnes, dum bene est ei, introibit dico, *Usque ad progeniem patrum suorum*, scilicet per imitationem, dum omnia mala quae tota sua progenies fecit, ipse operatur : *Matt. 23. Et vos implete mensuram patrum vestrorum: Hier. 11. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores.* Vel, *Introibit* etc. quia patres sui impii sunt in inferno, et iste ibit illuc. Quantum ad secundum dicit. *Et usque in aeternum non videbit lumen:* quia quasi, scilicet hic in suo aeterno, scilicet in vita, noluit sequi lumen rationis, ideo, *In aeternum non videbit lumen: Iob 15. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lumen: Matt. 25. Inutilem servum mittite in tenebras exteriores* etc. Et quo ordine : quia cum esset praeditus lumine rationis, sicut homo in honore constitutus, noluit illo lumine regi. *Assimilatus est iumentis insipientibus*, et ideo facit sicut iumentis, debet deputari occisioni.

## a PSAL. ASAPH XLIX.

Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris eius.

b Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida.

c Advocavit coelum de sursum : et terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Et annuntiabunt coeli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.

d Audi populus meus, et loquar Israel, et testificabor tibi, Deus tuus ego sum.

e Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum : iumenta in montibus et boves. Cognovi omnia volatilia coeli, et pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terrae, et plenitudo eius.

f Numquid manducabo carnes taurorum ; aut sanguinem hircorum potabo ?

g Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

h Et invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.

i Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

k Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversum filium matris tuae ponebas scandalum: haec fecisti, et tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.

l Intelligite haec qui obliviscimini Deum : ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

## a PSAL. XLIX.

Supra Psalmista invitavit gentes ad confidendum de Deo ; hic instruit eas ad cultum Dei. Titulus, *Psalmus Asaph.* Iste Asaph unus fuit de praefectis super cantores populorum, et super illos qui cantabant et laudabant in cimbalis, sicut *1. Par. 15.* et *16.* et *25.* dicitur. Et dicitur Psalmus Asaph, quia cantatur ministerio Asaph. Et congruit ministerio, quia Asaph interpretatur synagoga, et sic legitur synagogae persona. Ubi instructus de sacrificiis, duo proponit de cultu Dei, quae antecedunt divinum iudicium: et est primum. Secundum est disceptatio Dei cum populo de cultu suo, ibi, *Audi populus meus.* Ante iudicium erunt tria. Citatio iudicis, adventus iudicis, et apparatus. Primo ergo ponit citationem. Secundo adventum, ibi, *Deus noster manifeste veniet.* Tertio apparatum, ibi, *Ignis in conspectu.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quis sit citator. Secundo qui sunt citati, ibi, *Et vocavit.* Tertio quo ordine citentur, ibi, *Ex Sion.* Qui citat magnus est, quia Deus omnium etiam deorum; unde dicit, *Deus deorum Dominus locutus est.* Primo ergo commendatur ab excellentia naturae, quia Deus deorum, non angelus. Hieronymus habet, *Fortis Deus.* Sed numquid sunt multi dii: *1. Cor. 8. Siquidem sunt dii multi et Domini multi.* Deus enim dicitur tripliciter, scilicet naturaliter; et iste est tantum unus Deus: *Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Item per participationem, et isti sunt multi, *1. Cor. 8.* Item per nuncupationem et opinionem ; sicut idola, et astra, Venus, et Saturnus: *Psal. 95. Omnes dii gentium daemonia.* Sed dici dii aliqui possunt quatuor modis. Uno modo per unionem; et sic solus Christus dicitur Deus: *Ioan. 20. Dominus meus et Deus meus.* Alii per gratiam adoptionis : *Ps. 81. Ego dixi dii estis* etc. Aliqui per participationem divinae potestatis in mi-

raculis faciendis: *Exod. 7. Constitui te Deum Pharaonis.* Alii per ministerium, sicut iudices: *Exo. 20. Dis non detrahes.* Item commendatur a gubernatione, cum dicit, *Dominus locutus est.* Hic locutus est interius per inspirationem: *Psal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Item exteriori locutione: *Hebrae. Novissime locutus est* etc. *Et vocavit terram,* scilicet universam, idest universos habitatores terrae, unde citati sunt, non aliqui tantum in medio mundi, sed, *A solis ortu usque ad occasum: Mar. ult. Euntes in mundum universum* etc. *Hie. 16. Ad te venient gentes ab extremis terrae, et dicent, vere mendacium* etc. Ordo vocationis ponitur cum dicit, *Ex Sion species decoris eius;* quasi dicat, Haec vocatio inchoata est in Sion: *Isa. 2. De Sion exibit lex* etc. nam apostoli quando acceperunt Spiritum sanctum, erant in Sion, et tunc fortes facti sunt ad eundem per mundum. Ex Sion ergo ubi apostoli erant, coepit divulgari species decoris eius. Sed Christus bene incoepit aliqualiter divulgari; sed non videbatur species eius, quia circumdatus erat infirmitate: quia, *Vidimus eum novissimum virorum, virum dolorum,* ut habetur *Isa. 54.* Sed post passionem apparuit virtus et potestas sua. *Deus manifeste*

b Hic agit de adventu; et dicit duo de secundo adventu, contra duo quae fuerunt in primo. In primo adventu venit Deus occultus in infirmitate humanitatis: *Ezec. 32. Solem nube tegam.* Et illud *Isa. 45. Vere tu es Deus absconditus;* sed tunc erit manifestus: *Apoc. 1. Ecce veniet, et videbit eum omnis oculus: Thessal. 2. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Item in primo adventu ostendit mansuetudinem: *Isa. 53. Tanquam agnus coram tondente ductus est.* Unde nihil dixit coram principibus et sacerdotibus, nec coram Pilato; sed tunc non silebit, *Sed loquetur: Isa. 42. Silui, semper tacui, et patiens fui,* in iudicio quando iudicabar, quando tolerabam malos, sed ut parturiens clamabit: et dicit, *Noster;* quasi dicat, Non alius Deus est iste qui venit quam noster, extra quem non est salus. Hieronymus incipit versum, *Ex Sion perfecta decore Deus apparebit;* quasi dicat, Deus apparebit ex Sion quae est perfecta decore Spiritus sancti. Quantum ad primum subdit, *Deus manifeste veniet.* Quantum ad secundum, *Ignis in conspectu eius ardebit.* Hic ponit apparatum venientis. Principes coram se faciunt deferri insignia et gladios: *Rom. 13. Non sine causa gladium portat;* quasi dicat, quia habent potestatem iudicandi Sic ante Christum praecedent signa vindictae, et ministri iudicis. Primo ergo ponit signa et instrumenta vindictae. Secundo potestatem quantum ad ministros, ibi, *Advocavit.* Instrumentum divini iudicii est duplex. Unum principale ex parte ignis punientis; et aliud ex parte totius creaturae pugnantis contra insensatos, *Sap. 5.* Quantum ad primum dicit, *Ignis in conspectu eius exardescet.* Ad literam ignis praecedet ante eum, ut habetur *Hebr. 10.* quia ignis confringens ardebit, et purgabit superficiem terrae, et purgabit si quid est purgandum in bonis, et tandem involvet malos in infernum. Vel ignis conscientiae remordentis: *Isa. 50. Ambulate in lumine ignis vestri.* Quantum ad secundum dicit, *Et in circuitu eius tempestas valida,* quae consurget ex commotione omnium elementorum ante iudicium: *Luc. 21. Erunt signa in sole* etc. et erit tanta commotio, quod etiam virtutes coelorum movebuntur. *Tempestas,* idest indignatio erit, *In circuitu eius,* idest in sanctis qui erunt circa ipsum: *Isa. 5. Ad puniendum peccatores: Iob 27. Apprehendet eum, quasi aqua inopia: Prover. 1. Cum venerit repentina calamitas. Advocavit coelum desursum* etc.

c Posito adventu iudicis ad iudicium, et iudicis apparatu quantum ad instrumentum poenae, hic ponit apparatum iudicii quantum ad ministros. Et primo agit de assistentia ministrorum. Secundo de officio angelorum, ibi, *Congregate.* Tertio de officio apostolorum, ibi, *Annuntiabitur.* In prima parte fit mentio de coelo et terra. Et intelligitur dupliciter. Uno modo, ut intelligatur per methonymiam continens pro contento, ut per coelum designet sanctos, qui in coelis sunt, et per terram designet homines, qui sunt in terra; et isti omnes ad iudicium vocantur. Et haec est secunda vocatio, quia supra dixit, et vocavit terram, quia illa vocatio est vocatio ad fidem, ad quam omnes vocantur boni et mali: *Matth. 13. Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare* etc. Sed ista secunda vocatio est ad segregandum, quia, *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt;* et ideo dicit, *Ut discerneret populum suum,* discretione bonorum a malis: *Mat. 25. Segregabit oves ab haedis: Psal. 42. Iudica me Deus, et discerne causam meam.* Sed aliter vocantur coeli, aliter terra, quia coelestes viri vocantur ad hoc, quasi iudices: *Matth. 19. Vos qui reliquistis omnia* etc. *usque Israel.* Terreni vocantur, ut iudicentur: *Ioel. 3. Congregabo omnes gentes, et deducam eas in valle Iosaphat.* Vel, *Vocavit coelum,* idest coelestes, idest iustos ad praemium: *Dan. 12. Docti fulgebunt sicut splendor firmamenti* etc. *Et terram,* idest terrenos, idest malos ad poenam. Potest etiam esse alius sensus, ut coelum et terra ponantur pro ipsis creaturis corporalibus, et sic vocantur per modum testimonii, vel impugnationis contra infideles, quia in eis mali potuerunt advertere ex coelo et terra: *Iob 20. Revelabunt coeli iniquitatem eius, et terra consurget adversus eum,* scilicet peccatorem. Vel, *Advocavit coelum et terram desursum,* ut det eis animas sanctorum quas tenet, *Et terra,* ut det animas malorum quas tenet in profundo. Et huic concordat litera Hieronymi, quae dicit, *Congregate mihi omnes sanctos meos;* quasi dicat, Ad hoc advocat, ut exhibeat sanctos suos, *Congregate illi sanctos eius.* Hoc est officium angelorum, ut in iudicio scilicet congregent electos: *Matt. 24. Mittet angelos suos* etc. Et est vox Danielis prophetae ad angelos, ad ministerium missos. Sancti enim eius sunt, *Qui ordinant testamentum super sacrificia.* Ly supra dupliciter accipitur. Uno modo, ut designet ordinem causae materialis, et tunc est sensus, *Super sacrificia,* idest qui fecerunt pactum cum Deo de sacrificiis offerendis. Et fecit mentionem de sacrificiis propter duo. Primo, quia sequens discrepatio erat de sacrificiis. Secundo, quia discrepatio in iudicio erit solum cum fidelibus qui iudicabuntur. Et isti sunt qui cum Deo pactum in sacrificiis fecerunt. Alio modo ut ly supra notet excessum. Et sic dicendum est quod per testamentum intelligitur novum te-

stamentum, quod excedit: unde est sensus, *Super sacrificia*, idest qui praeferunt novum testamentum sacrificiis veteris testamenti. Vel testamentum promissum a Deo; et sic, *Super sacrificia*, idest qui bona promissa a Deo reputat maiora omnibus meritis nostris: *Rom. 8. Non sunt condignae passiones huius temporis* etc. Vel per testamentum illud anima habet foedus cum iustitia, misericordia, fide, et huiusmodi: *Osee 2. Sponsabo te mihi in fide* Et sic sunt, *Super sacrificia*, idest qui praeferunt bona spiritualia huiusmodi sacrificiis corporalibus: *Osee 6. Misericordiam volo, et non sacrificium.* Vel, *Qui ordinant testamentum* etc. idest qui in sacrificiis quae Deo exhibent, habent respectum ad testamentum Dei, quia aliqui referunt bona quae faciunt ad aliud, ut in ipsum congregentur: *1. Cor. 10. Omnia in gloriam Dei facite. Annuntiabunt coeli.* Officium angelorum est annuntiare; et hi designantur per coelos. Unde, *Coeli*, idest apostoli, *Annuntiabunt*, iustitiam Dei. Et dicuntur *Coeli*, quia ipsi eminent omnibus choris sanctorum, et illuminant totam ecclesiam: *Psal. 18. Coeli enarrant gloriam Dei.* Annuntiabunt autem, *Quoniam Deus iudex est*, per doctrinam instruendo: *Act. 10. Ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Instruunt ergo de futuro iudicio: *2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Alio modo nuntiabunt per iudicii auctoritatem promulgantes sententiam contra malos, quando, *Sedebunt super sedes duodecim*, ut dicitur *Matth. 19. Audi*

d Hic agit de discrepatione iudicii. In discrepatione iudicii tria sunt necessaria. Unum requiritur ex parte nostra. Aliud ex parte Dei. Tertium est ipsa discrepatio. Ex parte nostra requiritur auditus non solum exterior corporalis, respectu eorum quae audiuntur corporaliter, sed etiam interior: *Eccl. 6. Si dilexeris audire:* et ideo dicit, *Audi*, idest etiam interius attende: *Matth. 13. Qui habet aures audiendi audiat. Populus meus*, quia qui non est de populo suo, non audit eum: *Ioan. 6. Omnis qui audit a Patre meo.* Item *ibidem 8. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ex parte Dei requiritur locutio, et testificatio; et ideo dicit, *Et loquar Israel, et testificabor tibi.* Est autem duplex locutio Dei. Una est exterior per praedicatores: *Heb. 1. Olim Deus loquens patribus in prophetis.* Alia est interior per inspirationem: *Psal. 44. Quid loquatur in me* etc. Item testificatio est duplex per miracula: *Ioan. 5. Opera quae ego facio testimonium perhibent de me.* Alia per testes: *Isa. 34. Vos testes mei: Act. 2. Eritis mihi testes* etc. Et sic ista possunt esse verba Christi populum instruentis. *Audi populus meus, et loquar Israel, et testificabor tibi*, per miracula: *Io. 5. Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam.* Item *Scrutamini Scripturas*, et ideo loquar per miracula et per Scripturas, idest apparebit quod ego vera loquor, et quod verus sum per Scripturas. Et quid testificabor, *Deus Deus tuus ego sum*, scilicet singulariter: *Exo. 10. Ego Dominus*, et dicit, *Sum*, propter aeternitatem, quia non declinat nec in praeterito, nec in futuro; et dicit, *Deus tuus*, quia de semine Abrahae: *Rom. 4. Ex quibus Christus est secundum carnem. Non in sacrificiis tuis arguam te*

e Hic agit de ipsa discrepatione; et circa hoc tria facit. Primo reprobat vetus sacrificium. Secundo inducit sacrificium novum, ibi, *Immola Deo.* Tertio ab hoc sacrificio repellit malos, ibi, *Peccatori.* Sacrificia sunt protestationes fidei; et ideo praemissurus de vultu Dei praemittit de fide unius Dei. Et primo proponit intentum. Secundo assignat rationem. Dicit ergo: Veniam et iudicabo, et, *Non arguam de sacrificiis tuis*, quae non omisisti. Sed contra. Qui tunc omisisset, errasset; sed pro omni errato adducetur in iudicium, ut dicitur *Eccl. 12.* Dicendum, quod homo arguit, quando non facit voluntatem superioris. Voluntas autem Dei est sanctificatio vestra. Haec autem sacrificia non conferunt ad sanctitatem vestram; et ideo non sunt per se volita a Deo, sed prout sunt signa alterius; et ideo dicit *Osee 6. Misericordiam volo, et non sacrificium*: et prout sunt signa interioris virtutis, et ideo de virtutibus arguuntur per se, quas non exercuerunt, non de sacrificiis. Rationem manifestat. Primo ex parte eorum. Secundo ex parte sua; unde dicit, *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper;* quasi dicat, Non arguam te de sacrificiis, quia promptus es ad sacrificia carnalia offerenda, quia libenter offerebant sacrificia propter hoc quod delectabantur in eis in conviviis: *Isa. 22. Ecce gaudium immolare victimas* etc. Vel aliter, *Non arguam te in sacrificiis*, carnalibus, *quia holocausta tua*, scilicet spiritualia, *In conspectu meo sunt semper*, idest mihi placent. *Et haec sunt*, sicut Gregorius, *quando totum Deo offertur, scilicet qui seipsum offert, et totum quod habet, et sic expendit in Dei servitio.* Ex parte Dei manifestat rationem cum dicit, *Non accipiam de domo tua vitulos.* Ratio quare non arguam te de sacrificiis est, quia quae non quaero principaliter, non principaliter arguo de eis. Duo erant principalia sacrificia, vitulus, et hircus, *Lev. 4.* Et haec duo ostendit se non accipere, idest acceptare de domo carnalium, *De gregibus tuis*, scilicet carnalibus, *Accipiam*, idest acceptabo, *Hircos: Mich. 6. Numquid placari potuit Dominus in millibus arietum. Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum.* Probat quod dixit, scilicet quod nec vitulos, nec hircos approbat, et quod si indigeret, non acciperet de domo sua. Nullus petit aliquid, quod sit in potestate sua; omnia autem quae isti offerebant, erant in potestate Dei. Tria offerebantur in veteri testamento: animalia quadrupedia, aves, et fructus, scilicet primitias et panes. Quantum ad primum dicit, *Omnes ferae sylvarum meae sunt.* Quadrupedia in duo genera dividuntur, quia quaedam domestica: et licet sylvestria non offerantur, tamen enumerat ea ut magis appareat quod etiam domestica sunt sua. Mystice autem per ista animalia possunt designari diversa genera personarum; unde dicit, *Ferae*, idest infideles, *Iumenta*, idest fideles, *Boves in montibus*, idest apostoli, omnia mea sunt. Quantum ad secundum dicit, *Cognovi omnia volatilia caeli*, idest ista subsunt meae providentiae. Per haec volatilia sancti angeli intelliguntur, qui sunt similitudo. Quantum ad tertium dicit, *Et pulchritudo agri mecum est*, idest quicquid pulchrum est in eis, mihi servit. Vel pulchritudo agri mecum est, quia ubique sum. Et est, quia semper sum, sine praeterito et futuro. *Si esuriero non dicam tibi.* Concludit per impossibile. Si indigerem eis

non dicerem tibi, idest non quaererem a te. Quare? Quia, *Meus est orbis terrae et plenitudo eius: Psal. 23. Domini est terra etc. Numquid manducabo*

f Supra Psalmista ex persona Domini assignavit rationem, quare Dominus non accipiet hircos, etiam si indigeret; hic autem ostendit, quod non indiget. Sciendum est autem quod in lege praecipitur, quod carnes holocaustorum comburerentur, et sanguis effundebatur ad altaris crepidinem. Et posset aliquis suspicari, quod Deus delectaretur in sanguine et carnibus illorum. Haec etiam fuit opinio Gentilium, quod dii eorum delectarentur odoribus carnium, et sanguinis effusione, ut dicit Augustinus. Et Dominus dicit quod in his non delectatur quae non delectant secundum se; et ideo dicit, *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* quasi dicat, Non, quia non indigeo, nec delector, quia delector in his, quae per se sunt cibus Dei, sed alius est cibus Dei quam carnes et sanguis animalium: cibus enim Dei est id, quod est cibus omnium sanctorum: *Luc. 22. Ego dispono vobis sicut* etc. Et sic eadem est refectio sanctorum et Dei. Sed sancti reficiuntur ipsius amore Dei; et sic Deus reficitur in fruitione suiipsius: *Iob 12. Ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest utor. Immola Deo*

g Hic ostendit quid sit illud sacrificium, quod Deus acceptat. Et primo ostendit quid Deus acceptat ab homine Secundo quid retribuat. Duo requirit Dominus ab homine. Primo sacrificium laudis. Et dicitur laus sacrificium, quia nihil est aliud sacrificium, nisi protestatio interioris devotionis et fidei: quia per sacrificium recognoscimus Deum creatorem omnium: *1. Paral. 29. Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi.* Augustinus *Lib. de doctr. christiana* dicit, quod nullum signum est ita expressivum et intentionem cordis significans, sicut verbum, et exterior fides; et devotio non potest melius explicari, quam per devotionem laudis: et sic laus est magis Deo accepta, quam occisio animalium: *Heb. ult. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo: Osee ult. Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Secundo Dominus requirit ut reddat vota Altissimo. Et ideo dicit, *Et redde Altissimo vota tua.* Laus est sacrificium Dei, inquantum est signum interioris devotionis, quia significat quod homo Deo offert mentem suam; et hoc vult Deus quod sibi reddatur, et hoc est votum, et ita votum est actus latriae: *Isa. 19. Colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Deo, et solvent: Eccl. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Et invoca*

h Hic Dominus exponit quid retribuet colentibus eum. Et primo ostendit quid sancti patiantur. Secundo quid faciant in tribulationibus. Tertio quid a Deo recipiant. Quarto quid a Deo recompensent. Dicit ergo quod per hoc, quod aliquis reddit vota, nihilominus affligitur: *Psal. 68. Persequuntur me inimici mei iniuste.* Et ratio huius est, quia nisi affligerentur iusti in hoc mundo, multi servirent Deo, non propter ipsum, sed propter prosperitatem. Secundo ostendit quid faciant tempore tribulationis, quia debent eum invocare, *Et invocabis me.* Deus quid faciet ei. Liberabit eum, *Eruam te: Ps. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi* etc. Et postea liberatus debet Deum honorificare, *Et honorificabis me. Peccatori autem dixit Deus*

i Hic arcet quosdam, scilicet peccatores, a sacrificio laudis; et ponit tria. Primo humanam perversitatem. Secundo Dei patientiam. Tertio comminatur divinam severitatem. Perversitas humana consistit in hoc, quod bona dicunt, et mala faciunt, et ideo ostendit, quomodo indigni sunt bona dicere. Est autem duplex bonum: unum est instructio morum, aliud est informatio ad laudem Dei. Dicit ergo, Tu, scilicet populo meus, immola Deo sacrificium laudis etc. *Sed peccatori dixit Deus*, idest Iudaei praeordinatione fixum est, quod hoc iniustum est, quod bona dicat, et mala faciat. Et hoc dixit, quia hoc in mente omnium etiam peccatorum impressum est. Et quid dixit, *Quare tu enarras iustitias meas: Ro. 2. Qui praedicas non furandum furaris.* Sed numquid, qui in statu peccati mortalis est, peccat mortaliter, quando praedicat vel docet. Dicendum, quod eis peccatum aut est publicum vel occultum: et si occultum, vel est ex contemptu, et sine poenitentia, aut cum poenitentia. Dicendum est ergo, quod si aliquis est in peccato publico, non debet publice praedicare vel docere. Et dico publico, quia si peccatum non est publicum, posset cum caritate occulte fratrem suum de peccato etiam minori, quam sit suum peccatum occultum reprehendere, reprehendendo tamen seipsum. Si vero est in peccato occulto, et sine poenitentia, tunc provocat Deum, quia simulat: *Prov. 11. Simulator ore decipit amicum suum.* Et de his loquitur hic, sicut dicit glossa Augustini, *Lingua laudare non praesumat cui contradicit conscientia.* Si vero peccatum est occultum, et dolet, non peccat praedicando vel docendo, etiam si publice loquatur contra peccatum: quia sic detestando aliorum peccata detestatur etiam suum. *Et assumis testamentum per os tuum.* Iustitia refertur ad instructionem, testamentum refertur ad laudem fidei: *Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris*, quia nomen Dei est sanctissimum; et ideo inconveniens est, quod a peccatoribus assumatur, quasi usurpatum: *Prov. 26. Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola. Tu vero odisti disciplinam.* Hic ostendit mala, quae faciunt peccatores. Et faciunt duo mala: primum est, quod odiunt divinam correptionem; unde dicit, *Tu vero odisti disciplinam.* Haec correptio morum fit per difficilia: *Heb. 22. Omnis disciplina in praesenti quidem videtur esse non gaudii, sed moeroris.* Hanc odiunt mali: *Heb. 12. Si extra disciplinam estis* etc. *Psal. 113. Bonitatem et disciplinam* etc. *Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta.* Tu ergo non vis ab aliis castigari cum quotidie delinquas, *Et proiecisti sermones retrorsum*, quibus informaris ad bene operandum et merendum. Tales sermones debent haberi in reverentia. Sed isti, scilicet peccatores, non accipiunt eos, nec considerant: *Ezec. 22. Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui convertunt illos.* Vel, *Proiecisti*, scilicet pro nihilo habuisti, *Retrorsum*, ita ut nec etiam considerares eos. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Hic proponit malitiam peccatorum, quantum ad operationem mali. Sed paulo ante ostendit defectum eorum quantum ad desertionem boni

cum dixit, *Tu vero odisti* etc. Et primo ponit eorum nequitiam, quantum ad malum operis; deinde quantum ad malum oris. Dicit ergo, *Si videbas.* Ubi sciendum est, quod haec verba ex persona Dei proponuntur peccatori annuntianti et praedicanti iustitiam Dei. Et competunt maxime praelatis et doctoribus, qui non de facili per se in peccatum labuntur; sed aliis peccantibus consentiunt, et haec convertuntur in eos: *Rom. 1. Digni sunt morte non solum qui faciunt* etc. *1. Reg. 2. Punitus est Hely, qui non correxit filios;* ideo de hoc reprehendit eos. Et tangit duo, scilicet furtum, et adulterium. Quantum ad primum dicit. *Si videbas furem*, ad te delatum ad iudicium, *Currebas cum eo*, non corrigendo: *Isa. 1. Principes tui infideles.* Item, *Cum adulteris portionem tuam ponebas*, quia non corrigis adulteros, sed blandiris, et cooperis, et foves eos, cum ad notitiam tuam perveniunt: *Hier. 8. Omnes adulteri sunt.* Spirituale autem furtum est, quando ex verbis sacrae Scripturae depravator furatur verum intellectum: et sic videns depravare et occultare verum intellectum, et tu consentiens, curris cum eo: *Hier. 25. Ecce ego ad prophetas qui furantur verba mea.* Adulterium spirituale est, quando verba retorquentur in alium sensum, vel ad alium finem, puta si praedicet aliquis ad lucrum vel seductionem: *1. Corint. 2. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Os tuum*

k Hic agit de peccato oris, quod aggravabatur dupliciter. Primo ex circumstantiis. Secundo ex conditione personarum, ibi, *Sedens.* Circa primum duo facit. Prime ponit conditiones aggravantes, scilicet frequentiam. Aliud est dolositas. Freqnentia, quia si aliquando quis committat aliquod peccatum, aliquo modo tolerabile est. Vel si ex lapsu linguae aliquod inordinatum dicat, facilius portatur: *Iac. 3. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Si quis autem os suum implet maledictionibus, tunc ex malitia procedit: nam ex abundantia cordis os loquitur *Mat. 12. Psal. 13. Quorum os maledictione* etc. Aggravatur etiam peccatum linguae ex dolositate, sive fraude: *Hier. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est;* et ideo dicit, *Et lingua tua concinnabat dolos*, idest componebat, et quasi ut docens ordinabat dolos, ut verba eius essent placentia: *Prov. 22. Qui testis est repentinus, concinnat verba mendacii. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris.* Hic ostendit quomodo peccatum linguae aggravatur ex conditione personarum. Et primo ex conditione loquentis. Secundo ex conditione eius, contra quod loquitur. Tertio ex conditione audientium. Dicit ergo, *Sedens.* Contingit aliquando quod aliquis dicit amarum verbum commotus et provocatus, et hoc utcumque tolerabile est. Sed quando aliquis quieto corde, non provocatus, dicit mala, hoc iniquum et detestabile est: et ideo dicit, *Sedens*, scilicet quietus: *Ps. 48. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta.* Ex persona eius contra quem loquitur, aggravatur peccatum, quia si loqueretur contra iniquum, secus esset. Sed dicit, *Adversus fratrem tuum: Hie. 9. Unusquisque a proximo se custodiat. Et adversum filium matris tuae ponebas scandalum.* Hic ostendit quomodo aggravatur ex parte eorum, qui ex hoc scandalizantur, scilicet audientium; et ideo dicit. *Ponebas scandalum*, scilicet aliorum contra fratrem tuum. Et quod dicit, *Filium matris tuae*, ostendit, quod parvuli lactentes dicuntur filii matris, et pusilli scandalizantur de verbis malis quae dicit. *Haec fecisti, et tacui.* Hic agit de Dei simulatione. Et primo ponitur dissimulatio Dei Secundo ponitur effectus dissimulationis in malis, ibi, *Existimasti.* Dicit ergo, *Haec fecisti*, scilicet omnia quae supra dicta sunt: locutus es bona, et perpetrasti mala, ut sic loquatur Psalmista in persona Dei, *Et ego tacui*, quasi scilicet non statim te correxi et punivi; sed ex clementia et misericordia te ad poenitentiam expectavi: *Isa. 42. Tacui, semper silui: Rom. 2. An ignoras quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit.* Sed homo malus et peccator hac clementia abutitur in superbia: *Ro. 2. Secundum duritiam tuam, et cor impoenitens thesaurizas tibi iram* etc. Et ideo dicit, *Existimasti iniique, quod ero tui similis.* Dictum est autem supra, *Si videbas furem* etc. Arguunt ex hoc peccatores, et credunt iniqui quod peccatum placeat Deo, et non puniat, quia tacet, *Haec fecisti et tacui;* sed haec existimatio est iniqua, quia similiter *odio sunt Deo impius et impietas eius*, ut dicitur *Sap. 14.* et *Abac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videant mala, et ad iniquitatem respicere non poteris. Sed arguam te.* Unde hic ponitur divina securitas. Et primo in eius reprehensione. Secundo in effectu. Dicit ergo, *Arguam te*, idest condemnabo te: *Psal. 6. Domine ne in ira tua corripias me.* In ira est effectus, *Statuam contra faciem tuam.* Deus qui punit, non solum punit per seipsum, sed per alias creaturas: *Sap. 5. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*: item etiam ipse homo contra se pugnat per remorsum conscientiae. Et sic etiam contra se pugnat, et per seipsum arguit; et hoc est, quod dicit, *Statuam te contra faciem tuam*, idest tu ipse te condemnabis: *Ioan. 8. Nemo te condemnavit: nemo Domine, nec ego te condemnabo.* Vel, *Statuam contra faciem tuam*, scilicet creaturas, ut dicitur *Sap. 5.* Sive rationales, idest angelos, et sanctos; sive irrationales, quibus male usus est in peccatis: *Iob 7. Posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis*, quia contra seipsum peccator dicet *Sap. 5. Erravimus a via veritatis: Naum 3. Revelabo pudenda tua in faciem tuam: Isa. 3. Agnitio vultus eorum respondebit eis.* Et haec poena est vermis conscientiae. *Intelligite haec qui obliviscimini Deum*

l Hic hortatur ad peccatorum considerationem. Et primo ad considerandum Dei severitatem. Secundo ostendit, quid sit acceptum Deo in sacrificiis. Primo ergo hortatur ad intelligendum; unde dicit, *Intelligite haec qui obliviscimini Deum*, scilicet quae dicta sunt considerate. Et hoc necessarium est, quia estis obliti Dei: *Deut. 32. Oblitus es Dei creatoris tui.* Secundo, quid intelligat, *Neque rapiat*, scilicet diabolus, *Et non sit qui eripiat*, scilicet de eius potestate. Quando diabolus rapit ad poenam inferni, non est qui eripiat. Aliquando rapit ad peccatum, et Deus eripit peccatorem: *Psal. 90. Eripiam eum.* Quod non eripiat de potestate diaboli ad poenam, non est ex impotentia, sed ex sua iustitia non vult. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Hic concludit, quid sit acce-

ptum Deo in sacrificiis. Et ostendit duplicem fructum in eis. Unus fructus ex parte Dei, ut excellentia eius manifestetur ; et hoc fit per sacrificium laudis vocalis : *1. Corinth. 10. Omnia in gloriam Dei , facite.* Alius fructus est ex parte nostra, scilicet vera salus; unde dicit , *Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* , idest ad videndum Deum : *Isa. 52. Levaverunt vocem : simul laudabunt.* Hieronymus habet, *Et qui ordinate ambulat, ostendam illi salutare Dei ;* quasi dicat, Duo autem necessaria sunt ad salutem , idest sacrificium laudis , et quod ordinate ambules.

*Quando venit ad eum Nathan propheta cum intravit ad Bersabee.*

## a PSAL. DAVID L.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

b Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci , ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

c Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexisti.

d Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi. Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

e Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

f Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui: et Spiritu principali confirma me.

g Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibns Deus, Deus salutis meae ; et exultabit lingua mea iustitiam tuam. Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

h Quoniam si voluisses sacrificium , dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

i Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Hierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

## a PSAL. L.

In praecedentibus Psalmis huius decadis videtur Psalmista egisse de his, quae pertinent ad statum regni, cuius gloriam descripsit, et alios ad eam invitavit; nunc autem quia gloria huius regni impedita est per peccatum , agit de abolitione peccati. Ubi duo consideranda sunt. Primum, quod in ordine Psalmorum hic Psalmus est quinquagesimus, et hic est numerus iubileus, ut dicitur *Levit. 27.* in quo fiebat remissio omnium debitorum. Unde congruit hic numerus huic Psalmo , in quo agit de plena remissione peccatorum. Similiter quantum ad poenitentiales iste ponitur quartus, et convenienter : nam primus pertinet ad cordis contritionem ; unde dicit , *Lavabo per singulas noctes* etc. Secundus pertinet ad oris confessionem , *Dixi confitebor* etc. Tertius pertinet ad satisfactionem; unde dicit, *Afflictus sum* etc. Hic autem quartus pertinet ad effectum poenitentiae. In quo ostenditur quomodo poenitentia restaurat hominem ad perfectum: et ideo inter omnes alios Psalmus iste magis frequentatur in ecclesia, quia iste solum implorat misericordiam, et sic impetrat veniam ; et hoc facile est, et cuilibet potest competere. In aliis autem Psalmis poenitentialibus sunt quaedam gravia, sicut, *Lavabo* etc. *Et cinerem tamquam panem manducabam* etc. quae non possunt cuilibet competere. Titulus talis est, *Psalmus David quando venit ad eum Nathan propheta cum intravit ad Bersabee*, haec historia habetur expresse *2. Reg. 11. et 12. c.* quando David erat in prosperitate, vidit mulierem lavantem se, et concupivit eam , et adulteravit , et fecit occidere virum eius. Et hoc displicuit Deo , et missus est ad eum Nathan propheta, et reduxit eum in detestationem sui peccati , sub similitudine ovis perditae. Et David dixit , *Peccavi Domino.* Et dimissum est ei peccatum. Et haec est materia huius Psalmi , scilicet dimissio peccati. Sed sciendum est in titulo huius Psalmi , quod David in aliis Psalmis loquitur de aliis : sicut , ibi , *Deus Deus meus* , loquitur praenuntians passionem Christi : et sic in diversis Psalmis loquitur de diversis ; sed istum Psalmum propter seipsum fecit. In quo ostendit culpam quam fecit mundo manifestam, et similiter veniam; et sic impletur illud quod Dominus dixit *2. Reg. 12. Tu fecisti hoc in occulto: et ego faciam illud manifestum.* Ratio autem huius manifestationis est divina misericordia: nam utilis est iustis haec manifestatio, ut non praesumant de sua iustitia: quia si David post tot victorias , post donum Spiritus sancti , post tantam familiaritatem cum Deo, et prophetiam peccavit, quantum debemus cavere nos , qui fragiles et peccatores sumus? *1. Cor. 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Item utilis est peccatoribus, ut non desperent: *Prov. 24. Si desperaveris lapsus , in die angustiae imminuetur fortitudo tua :* nam David post homicidium et adulterium recuperavit gratiam prophetiae. Notandus est autem modus loquendi in titulo. *Quando venit*, ubi designat veniam, de qua agitur in Psalmo, quia per eum audivit eum Dominus, et transtulit peccatum illius; sed cum dicit, *Quando intravit ad Bersabee*, designatur culpa. Ubi duo ostensa sunt. Pri-

mum, quod nominat culpam cum dicit, *Et intravit: Psal. 10. Eloquia Domini eloquia casta.* Item cum commisisset duo peccata, scilicet adulterium, et homicidium, Scriptura nominavit adulterium tantum. Et hoc propter duo. Primo, ut designet quod in scrutandis et publicandis peccatis aliorum non simus prompti, sed valde parci: *Proverb. 14. Ne insidieris, ut quaeras impietatem in domo iusti:* et hoc signatur *Matt. 25.* ubi Dominus merita bonorum enumerat diligenter, demerita malorum transiit. Item adnotandum, quod quando quis facit duo peccata, et unum facit propter aliud, unum transit in speciem alterius: sicut qui committit furtum ut fornicetur, dicitur potius fornicator. Dividitur autem iste Psalmus in duas partes. Primo enim implorat misericordiam. Secundo promittit emendam, ibi, *Docebo iniquos.* Circa primum duo facit. Primo petit culpae relaxationem. Secundo petit sanctitatis et gratiae restaurationem, ibi, *Quoniam iniquitatem.* Petit ergo primo misericordiam Dei, cum dicit, *Miserere mei Deus.* Ubi sciendum est, quod, sicut dicitur *Proverb. 14. Miseros facit populos peccatum.* Sicut enim non est vere felix qui abundat divitiis, fruitur voluptatibus, pollet honoribus, sed qui fruitur Deo, ita non est miser qui est pauper, miser, et debilis, et infirmus, sed qui est peccator: et ideo iste qui est peccator, dicit, *Miserere mei Deus*, tu scilicet qui misereris omnium, et nihil odisti eorum quae fecisti, *Sap. 11.* et secundum Apostolum *Misereris, cui vis: Ro. 9. Miserebor cui voluero.* Ergo si voluntati tuae subest misereri, *Miserere mei*, scilicet peccatoris. Non vult contendere, non quaerit disputare, sed brevi utitur via, *Miserere.* Item non allegat misericordiae causam, non servitia quae fecit Deo, non pericula quae sustinuit pro eo, sed solum Dei misericordiam implorat; unde dicit, *Secundum magnam misericordiam tuam: Dan. 9. Non in iustificationibus multis.* Et notandum, quod aliquis potest sperare de misericordia divina, duplici ratione. Una ratio est ex consideratione divinae naturae: alia ratio est ex consideratione et secundum multitudinem effectuum eius. Primo ergo ostendit, quod sperat de misericordia Dei ex consideratione naturae divinae, quia naturae divinae proprium est, quod sit ipsa bonitas. Unde Dionysius dicit, quod Deus est ipsa substantia bonitatis. Et Boetius *de Trin.* similiter. Unde nihil aliud est haec Dei misericordia, nisi bonitas relata ad depellendam miseriam. Ergo cum considero quod bonitatis miseriam repellere est proprium, et tamen est ipsa bonitas, confidenter ad misericordiam recurro. Et dicitur magna sua incomprehensibilitate, quia implet omnia: *Ps. 118. Misericordia Domini plena est terra.* Et in omnibus habet locum: nam iusti innocentiam servaverunt propter misericordiam Dei. Augustinus. *Domine gratiae tuae deputo mala quae non feci.* Item peccatores sunt conversi ad iustitiam propter Dei misericordiam: *1. Tim. 1. Misericordiam consecutus sum.* Item in peccato existentes misericordiam Dei experti sunt: *Thren. 3. Misericordiae Domini multae, quod non sumus consumpti.* Item dicitur magna sublimitate, quia miserationes eius super omnia opera eius: nam misericordia non signat in Deo passionem animi, sed bonitatem ad repellendam miseriam. Item magna duratione: *Isa. 54. In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Item magna virtute, quia Deum hominem fecit, de caelo Deum ad terram deposuit, et immortalem mori fecit: *Eph. 2. Deus autem qui dives est* etc. Item magna per effectum, quia ex omni miseria potest homo per misericordiam elevari: *Ps. 85. Misericordia tua magna est super me, et remisisti impietatem peccati mei.* Et ideo confidenter peto, *Miserere mei Deus.* Item alia ratio est, quia in omnibus a principio mundi inveni effectus misericordiae tuae. Et ideo dicit, *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam;* quasi dicat, Miserere mei, secundum quod multipliciter et in diversis misertus es omnibus hominibus; unde dicitur *Isa. 63. Miserationum Domini recordabor: Ps. 24. Reminiscere miserationum tuarum* etc. *Dele iniquitatem meam.* Hic ponit effectum miserendi. Nathan dixit, *Dominus transtulit peccatum tuum* etc. Et sic erat securus de venia; sed volebat totaliter peccatum extirpari. Remanet autem duplex effectus peccati, scilicet reatus poenae, et macula in anima. Primo ergo petit removeri reatum poenae; et ideo, *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Sciendum est, quod *Hier. 18.* dicitur quod peccatum Iudae scriptum fuit stylo ferreo in ungue adamantino: ad similitudinem iudicis qui scribit culpam, quae tamdiu servatur scripta, quamdiu habet animum puniendi; sed si deponit animum, non servat scripturam. Et sic scriptum stylo adamantino dicitur, quando peccatum non deletur. Et hoc est quod dicit, *Dele iniquitatem meam*, idest non imputes mihi iniquitatem ad poenam: *Is. 55. Ego sum qui deleo iniquitates vestras.* Item *ibidem 44. Delevi ut nubes iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. Amplius.* Hic petit removeri immunditiam culpae. Homo qui habet mentem bene dispositam, plus abhorret immunditiam culpae, quam austeritatem poenae; et ideo dicit, *Amplius lava me;* quasi dicat, Peto ut deleas poenam; sed amplius peto quod mundes maculam. Vel, *Amplius lava*, quam ego intelligo: *Ro. 8. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: Eph. 3. Et qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus.* Duo sunt necessaria ad removendum maculam, scilicet ablutio praecedens, et munditia sequens. In corporibus ablutio fit per aquam, et sic secundum glossam Apostolus per aquam praefigurat virtutem baptismi, qua Deus dimissurus erat peccatum: *Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam* etc. *Zac. 13. Erit fons patens domui David in ablutionem peccatorum, et menstruatae.* Et licet baptismus nondum institutus esset, tamen virtus Dei lavans erat in baptismo. Ergo, *Lava me ab iniquitate mea: Hier. 4 Lava a malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias.* Item peto, ut mundes me a peccato, quia nullus mundatur nisi a te: *Iob 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: Eccl. 34. Ab immundo quis mundabitur?* Et dicit duo, scilicet iniquitatem et peccatum: iniquitas est contraria iustitiae; peccatum vero munditiae: et hoc est adulterium. Et sic iniquitas fuit, inquantum laesit alium per homicidium; sed peccatum est per adulterium in quem se posuit. *Quoniam*

b Hic confitetur culpam. Et primo confitetur culpam. Secundo ostendit hanc confessionem esse Deo acceptam. Primo ergo confitetur culpam. Secundo ip-

sam culpam exaggerat, ibi, *Tibi soli peccavi.* Tertio eius originem demonstrat, ibi, *Ecce enim.* Recognoscit ergo culpam suam dicens, *Quoniam iniquitatem.* Quidam sunt qui peccata sua non cognoscunt propter tres causas: quia aggravatur ratio ex gravitate peccati: *Prov. 18. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit: Psal. 39. Comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem.* Item quia non recordantur: *Eccl. 5. Oblitus est deliciarum suarum.* Item propter adulationes hominum: *Psal. 9. Laudatur peccator in desideriis animae suae.* Et ideo quia alii laudant eum de peccatis, ipse non recognoscit. Sed felix qui peccatum suum recognoscit sicut David: *Prov. 14. Cor novit amaritudinem animae suae: in gaudio eius non commiscetur extraneus* Quantum ad secundum dicit, *Et peccatum meum contra me est semper.* Quidam sunt qui etsi cognoscant peccatum suum, tamen non detestantur; sed iste semper peccatum suum contra se habet ut contrarium, et nocivum, et detestabile. Et dicit, *Semper.* Quidam sunt qui ad horam detestantur peccatum: *Iac. 1. Consideravit se et abiit* etc. *Isa. 58. Recogitabo tibi omnes annos meos* etc. *Psal. Iniquitatem meam ego cognosco.* Alia litera, *Coram me:* et sic designatur quod recognoscit culpam, et quod continue meditatur de ea. Et hoc statutum est coram Deo per Nathan prophetam sub similitudine. *Tibi soli peccavi.* Supra Psalmista posuit recognitionem propriae culpae, hic autem exaggerat culpam suam: et circa hoc duo facit. Primo exaggerat ipsam. Secundo ponit id quod ad exaggerationem consequitur, ibi, *Ut iustificeris.* Hanc culpam exaggerat per respectum ad Deum, et dupliciter, ut dicitur *Hier. 29 Ego ero iudex et testis.* Videtur autem Deum iudicem contemnere, qui non timet peccare propter iudicium eius. Et similiter contemnit Deum caelestem qui peccat in oculis eius; et ideo dicit. *Tibi soli peccavi.* Sed numquid non peccavit contra Uriam quem occidit. Sic Sed dicit, *Tibi soli*, idest Deo, quia ipse non est obnoxius famulo suo, sed sententiae Dei. Cum enim peccat Dominus qui est super servum, non peccat servo, sed Deo: *Sap. 6. Potestas vobis data est a Domino, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera tua, et cogitationes scrutabitur.* Vel, *Tibi soli*, idest per comparationem ad te solum peccavi. Et potest hoc referri, sive ad Deum, sive ad Christum. Deo dicitur peccare per comparationem ad iustum; et sic, *Tibi soli peccavi*, quia solus est sine peccato. Et similiter Christus omnino fuit sine peccato. *Tibi ergo soli peccavi*, contemnendo iudicium tuum. Item contempsi te testem, quia, *Malum coram te feci*, videnter et praesente feci: *Prov. 15. Infernus et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum: Eccl. 23. Oculi Domini multo lucidiores supra solem. Ut iustificeris.* Hic ponitur quod consequens est ad istam exaggerationem, et hoc potest multipliciter legi. Sed primo quod magis videtur dicam. Ut enim quandoque ponitur causaliter, quandoque ponitur consecutive tantum, et tunc est eius sensus, *Malum coram te feci ut iustificeris tu*, quia nullus propter peccatum iustificatur, sed hoc consequitur ex peccato, quia ex hoc ipso quod homo peccat, iustitia Dei manifestior redditur: nam ex peccatis eius apparuit quod eum Deus punivit. Haec autem punitio consistit in duobus. Primo comminatur. Secundo infert poenam; et in utroque est iustus. Quantum ad primum dicit, *In sermonibus*, quibus poenam comminaris: *Prov. 8. Iusti sunt sermones mei.* Quantum ad secundum dicit, *Vincas cum iudicaris*, idest cum aliis in iudicio compararis. Frequenter Deus ad ostendendam suam iustitiam et nostram etiam vult nobiscum iudicari: *Isa. 5. Iudicate inter me et vineam meam.* Et in hoc Deus iustior invenitur: *Iob 9. Si contendere cum Deo voluerit, non poterit ei respondere unum pro mille.* Et quod haec sit intentio Psalmi, patet ex Apostolo *Rom. 3. Est autem Deus verax, omnis homo mendax*, sicut scriptum est. Sed in glossa loquitur, ut hoc quod dicitur, *Iustificeris in sermonibus* etc. non continuetur cum, *Malum coram te* etc. sed cum hoc quod dicit, *Tibi soli*, idest ad tui comparationem, qui solus es iustus, et intantum quod omnes sermones tui sunt iusti. Et sic ly ut ponitur causaliter; quasi dicat, Intantum est iustus, *Ut iustificeris.* Vel si referatur ad Christum, sic est sensus, *Tibi soli*, scilicet Christo, *Peccavi*, quia es iustus, *Et vincas*, omnes homines, *Cum iudicaris*, licet iudiceris a Pilato. Vel aliter, *Ut iustificeris*, in hoc amplius peto ut laves me ad hoc, *Ut iustificeris*, scilicet promissiones nostrae perfectae verae sint, scilicet de Christo nascituro, cui promissum est: *De fructu ventris tui* etc. et quod peccatum remitteretur: *1. Reg. 12. Dominus transtulit tibi* etc. *Vincas cum iudicaris*, ab hominibus quod non debeat implere promissa, et non debeas delere peccata mea. *Ecce enim*

c Hic ponit radicem culpae. Radix omnis culpae actualis est peccatum originale, quod a parentibus contrahitur infectis illo peccato: haec infectio erat in patre ipsius David, et in matre. Quantum ad patrem dicit, *In iniquitatibus conceptus sum*, non actualibus, puta non de adulterio, sed de matrimonio et sancto Iesse natus sive generatus est, ut dicitur *Ruth. ult.* sed in originali: nam in hoc peccato omnes nascuntur: *Rom. 5. Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit.* Sed cum originale sit unum, quare dicit, *In iniquitatibus* etc. Dicendum est, quod peccatum originale est unum in essentia, ut sic dicatur, multa tamen in veritate, quia occasionem praebet ad omnia alia peccata: *Rom. 7. Peccatum quod est in carne mea operatur.* Et hoc diminuit culpam; quasi dicat, Non est mirum si pecco, quia in eis conceptus sum. Quantum ad matrem dicit, *Et in peccatis concepit me mater mea.* Sed numquid non erant mundati parentes David per circumcisionem ab originali peccato? Dicendum est, quod baptismus, et circumcisio mundant animam a culpa originali, sed adhuc remanet fomes, et circumcisio fiebat in carne, et homo generat filios carnales secundum carnem; et ideo necesse erat quod iterum filius natus circumcideretur: sic modo natus ex parentibus baptizatis baptizatur. Alia litera habet, *Alit me mater mea.* Et hoc ad actualia peccata refertur, quia etiam in pueris inordinati motus inveniuntur, ut Augustinus *in 6. confessi.* dicit, *Alia litera habet peperit me* etc. Et sic quia quidam sanctificantur in utero; sed omnes praeter Christum concipiuntur in originali: et ideo dicit quod non est sanctificatus in utero, sed natus in originali. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Qui vult satisfacere de-

bet diligere ea, quae Deus diligit. Deus autem diligit veritatem fidei: *Ioan. 18. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Item iustitiam: *Psal. 8. Misericordia et veritas praecedent faciem tuam.* Et haec necessaria est in poenitente, ut in se puniat quod deliquit. Item est necessaria confessio, ut confiteatur peccata. *Incerta*

d Hic petit totaliter reparationem. Et primo ponit spem quam habet. Secundo petitionem Et primo ponit acceptum beneficium per quod erigitur in spem. Secundo ponit suam fiduciam, ibi, *Asperges me.* Commemoravit beneficium potentiae cum dixit, *Incerta et occulta*, quia scilicet rex habui beneficium prophetiae: *2. Regum 23. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.* Et ponit tria, scilicet materiam prophetiae, modum, et causam. Materiam prophetiae ostendit cum dicit, *Incerta et occulta.* De his est prophetia, scilicet incerta et occulta, quae per sapientiam tuam comprehenduntur. In nobis est aliquid ignotum dupliciter, quod tamen est de Deo notum. Aut propter defectum est nobis aliquid ignotum, aut propter excessum. Propter defectum est nobis ignotum aliquod futurum contingens: quia nondum habet determinatam veritatem. Propter excessum est nobis ignota divina substantia, et quae excedunt capacitatem nostram. Utraque enim fuerunt revelata David per spiritum prophetiae: *Amos 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. Incerta ergo manifestasti mihi*, idest illa quae de sui natura habent variabilitatem: et haec fuerunt sibi revelata, ut patet in Psalmo. Occulta vocantur quae excedunt oculum mentis nostrae: *Iob 29. Sapientia trahitur de occultis: Eccl. 24. Ego in altissimis* etc. et haec sunt sapientiae Dei; quasi dicat. Licet nobis sit occulta, tamen a sapientia tua comprehenduntur: et inter occulta commemoratur mysterium incarnationis, *Quod etiam manifestasti mihi.* Item misericordia Dei inter ista annumeratur, quia remittit peccata. Sed melius est, ut accipiat universaliter. Modus revelationis ponitur cum dicit, *Manifestasti mihi.* Triplex est modus prophetiae. Unus, in quo revelatur supernaturalis et intelligibilis veritas sub similitudinibus corporalibus et imaginationibus: et sic dicitur *Isa. 6. Vidi Dominum sedentem* etc. Alius est in quo fit revelatio supernaturalis et intelligibilis veritatis, absque nebula imaginationis phantasticae: immo nondum revelatur, et sic facta est revelatio Moysi: *Num. 12. Palam et non per aenigmata et figuras vidit Deum.* Et talis etiam fuit revelatio David: *3. Rev. 28. Deus Israel locutus est mihi.* Et infra: *Sicut lux aurorae manet oriente sole absque nubibus rutilat. Asperges me hyssopo.* Supra commemoravit Psalmista Dei beneficium sibi praestitum quantum ad gratiam prophetiae, ex quo consurgebat in spem; hic autem ostendit quid a Deo sperabat. Et fuerunt duo. Primo enim sperat remotionem malorum quae incurrerat per peccatum. Secundo sperat restitutionem bonorum quae amiserat, ibi, *Auditui.* Sciendum est autem, quod homo per peccatum primo incurrit immunditiam: *Baruc. 3. Maculata es in iniquitate tua.* Secundo incurrit turpitudinem: unde *Thr. 4. Denigrata est super carbones facies eorum.* Et haec duo sperat a se removeri: immunditiam scilicet, et turpitudinem spiritualem. Immunditia contingit ex hoc, quod affectus hominis inhaeret rebus temporalibus quibus similis efficitur: unde si adiungatur vilioribus, ut aurum plumbo, vilis efficitur: *Osee 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.* Sed turpitudo ex eo, quod inhaeret rebus terrenis, obscuratur in eo lux rationis, quia comparatur animalibus brutis: *Psal. 48. Homo cum in honore* etc. Et ideo anima efficitur nigra sive obscura. Et ideo quantum ad primum dicit, *Asperges me hyssopo*, ubi alludit ritui veteris testamenti *Nume. 19.* ubi tertio die aspergebatur immundus aqua lustrationis, et die septimo lavabatur aqua, et vestimenta etiam lavabantur. Aqua lustrationis fiebat de hyssopo. Et ideo dicit, *Asperges me hyssopo.* Et illa aqua fiebat ex cinere vitulae rufae, per quam figurabatur Christus. Unde per illam aspersionem quam petit, signatur aspersio sanguinis Christi: *1. Pet. 1. In aspersionem sanguinis Christi: Heb. 12. Accessistis ad montem.* Et *infra: Et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* Hoc fiebat cum hyssopo. Hyssopus est herba quae terrae inhaeret, et curat inflationem, ut in glossa dicitur; et convenit fidei quae humilitatem habet, quia per fidem subiicitur intellectus Deo: *2. Cor. 10. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Item radicata est in petra, idest Christo: *Matt. 16. Super hanc petram* etc. *Petra autem erat Christus, 2. Cor. 10.* Item depellit spiritus humani elationem, quae est in illis qui non obediunt fidei Christi: *1. Thi. ult. Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, hic non est eius.* Dicit ergo: Domine ego habeo firmam spem, quod tu asperges me aqua lustrationis: *Ezec. 36. Effundam super vos aquam* etc. *Lavabis me;* nam post fidem necessarius est baptismus; *Zach. 13. Erit fons patens domui Iacob* etc. *Isa. 1. Lavamini, mundi estote.* Effectus huius lavationis, *Dealbabor super nivem*, quia nigredo tolletur, et hoc scilicet quia anima erit albior nive: *Isa. 1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et dicit. *Super nivem*, quia candor animae sanctificatae excedit omnem pulchritudinem corporalem, ut patet *Matth. 17.* in transfiguratione Christi, cuius vestimenta facta sunt alba sicut nix. Omnes iusti pertinent ad vestimenta Christi: *Isa. 49. Omnibus his, quasi vestimento vestieris.* Et per hoc designat se ad vestimentum Christi pertinere per baptismum, *Quotquot baptizati estis, Christum induistis*, dicit Apostolus *Galat. 3 Auditui*

e Hic ponit quomodo habeat spem de recuperationem bonorum, quae perdiderat: et sunt duo, scilicet donum prophetiae, et gaudium conscientiae. Donum prophetiae assimilatur auditui, quia propheta non videt Dei essentiam, ut in ea videat revelata, sed quaedam signa veritatis revelatae fiunt in anima prophetae, et haec signa habent se per modum locutionis etc. *1. Reg. 3. Loquere Domine, quia audit servus tuus: Isa. 21. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Hic auditus erat ei interruptus per peccatum, et sperabat se recuperaturum: et ideo dicit, *Auditui meo dabis* etc. Vel, *Auditui*, quo audivi a Nathan translatum esse pecca-

tum meum quo concepi laetitiam. Sed quantum ad gaudium conscientiae sciendum est, quod spirituale gaudium habet tres gradus. Primo existit in complacentia affectus. Secundo in dilatatione cordis. Tertio in progressu ad exteriora. Complacentia designatur per gaudium cum dicit, *Auditui meo* etc. ex hoc scilicet quod audiam quae loqueris, vel quae locutus est Nathan: *Philip. 4. Gaudete in Domino* etc. Quando vero affectus quiescit in re amata, tunc animus eius dilatatur ad plus percipiendum dilatationem; et hoc etiam apparet in sensibilibus: *2. Cor. 6. Cor nostrum dilatatum est:* et ideo dicit, *laetitiam*, hic importat dilatationem quasi laetitiam. Sed ulterius quoque laetitia redundat usque ad corpus: *Prov. 17. Animus gaudens aetatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa:* et ideo in visione gloriae in patria post resurrectionem ex gaudio mentis corpus glorificabitur: *Isa. ult. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Et sic dicit ipse, *Exultabunt ossa humiliata*: et hoc ad glorificationem praesentem: nam per tristitiam poenitentiae cor hominis conteritur; et ideo quando sunt homines laeti, est signum quod ossa quae sunt contrita et afflicta, participant gaudium: *Prov. 12. Moeror in corde viri humiliabit eum: Isa. 12. Implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.* Vel, *Exultabunt ossa*, idest virtutes quae per laetitiam spiritualem augmentantur. Et quia per hanc laetitiam roboratur iustus, *Averte.*

f Hic petit recuperationem innocentiae. Et quia considerat in se malum culpae esse, et bonum gratiae, petit primo removeri malum sive peccatum; secundo petit removeri effectum peccati, ibi, *Cor mundum crea in me Deus.* Peccatum enim removetur non hoc modo, quod peccatum non fuerit, sed quod non imputetur ei peccatum commissum ad poenam, secundum illud *Psal. 51. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Et loquitur ad similitudinem iudicis punientis, qui primo considerat quantitatem culpae, et postea taxat poenam; ideo petit, ut non consideret peccatum eius, sed sit immemor eius; et ideo dicit, *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Secundo petit ut non inferatur poena: unde dicit, *Et omnes iniquitates meas dele;* quasi dicat, Scio quod malum coram te feci: et ideo rogo, ut avertas faciem tuam a peccatis meis, idest non consideres peccata mea ad puniendum: *Ezec. 18. Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Item merui poenam damnationis; sed rogo ut deleas: quia Deus etsi non mutet consilium, tamen sententiam mutat. *Cor mundum.* Supra Psalmista petiit removeri peccatum; hic autem petit removeri effectus peccati, qui sunt duo, scilicet inquinatio animae, et inordinatio affectus. Primus effectus fit per hoc, quod homo afficitur ad terrena: unde petit cordis munditiam: *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* et ideo dicit, *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum.* Istam munditiam cordis solus Deus restituere potest: *Iob 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es,* scilicet mundus simpliciter. Et dicit, *Crea.* Creatur aliquid ad esse naturae, quando ex nihilo producitur ad esse: *Gen. 1. In principio creavit Deus* etc. Item quando ad esse gratiae producitur: *1. Cor. 23. Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia* etc. *nihil sum* in esse gratiae. Sed quando Deus operatur operatione gratiae in habente gratiam, dicitur magnificare eum. Quando vero de peccatore facit iustum, tunc dicitur creare: *Eph. 2. Ipsius creatura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis: Iac. 2. Ut sitis initium aliquod creaturae Dei*, scilicet spiritualis eius. Secundum quod sequitur ex peccato, est inordinatio mentis, quae fit per aversionem a fine debito. Sicut ergo per conversionem ad aliquod commutabile bonum animus efficitur immundus, ita per aversionem a fine deordinatur; et huiusmodi deordinationi opponitur rectitudo qua homo dirigitur in Deum: *Can. 1. Recti diligunt te:* et ideo dicit, *Et spiritum rectum innova,* idest de novo tribuas, quia per peccatum amisi: *Eph. 4. Renovamini spiritu mentis vestrae.* Et, *Innova*, non exterius, sed, *In visceribus meis*, ut scilicet non labia tantum ad loquendum, sed cor sit rectum ad cognoscendum, *Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Hic petit restitutionem gratiae. Et primo petit ipsam gratiam. Secundo petit gratiae effectum, ibi, *Redde.* Gratiam Dei dicitur quis habere dupliciter: nam aliquis dicitur habere gratiam Dei et hominis, et quantum ad aliquid similiter, scilicet quando est utrique gratus, scilicet Deo et homini. Et hoc vocatur gratia gratum faciens: *Ephes. 2. In qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Et secundum hoc gratia dicitur benevolentia Dei, qua Deus diligit hominem ad vitam aeternam. Et quantum ad aliquid est dissimile: gratia enim hominis non facit eum bonum, sed ex sua bonitate efficitur gratus homini; sed apud Deum est e converso: quia ex Dei benevolentia sequitur qnod homo fiat bonus. Duo ergo sunt in gratia Dei, scilicet ipsa benevolentia, et effectus eius in anima; et utrumque petit, cum dicit, *Ne proiicias me* etc. Et hoc potest dupliciter intelligi. Ille qui est in facie alicuius, videtur ab eo, et potest illum videre. Iste dicitur esse in facie Dei, secundum illud *Reg. 17. Vivit Dominus in conspectu sancto: Gen. 32. Deus in cuius conspectu ambulaverunt patres nostri.* Et hoc quia ipsi recti sunt ad videndum Deum: *Ps. 26. Unam petii a Domino* etc. Per peccatum utrumque perditur: quia peccatores deserunt Deum, deseruntur a Deo: et amittunt fiduciam confidendi de Deo: *Is. 39. Peccata et iniquitates diviserunt inter vos, et Deum vestrum* etc. quantum ad primum. *Et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis*, quantum ad secundum. Iste est ergo a facie Dei per peccatum proiectus: et ideo petit ne finaliter proiiciatur utroque modo. Item nota, quod in homine duo sunt, scilicet culpa, ex qua dignus est poena, et natura, ex qua habet congruitatem ad gratiam: et ideo petit ut non prospiciat culpam, sed naturam; et ideo dicit, *Ne proiicias me.* Item donum gratiae datur per charitatem, et tale donum datur per Spiritum sanctum; et ideo dicit, *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, cuius templum fueram, sed perdidi propter peccatum: *Sap. 1. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.* Ne ergo auferas, scilicet finaliter, *Redde mihi:* nam duo facit gratia in homine: unum respectu superiorum,

quia scilicet dat iucunditatem, quia qui habet gratiam, habet charitatem, et qui habet charitatem, amat Deum, et habet ipsum: et qui habet quod amat, gaudet. Ergo ubi charitas, ibi gaudium: *Rom. 14. Non est regnum Dei esca et potus, sed gaudium in Spiritu sancto.* Hoc gaudium perdiderat Psalmista; et ideo petit restitui sibi cum dicit, *Redde mihi laetitiam*, non de mundanis, sed, *Salutaris tui*, idest de tua salvatione. Alia litera habet, *Laetitiam Iesu*, scilicet Salvatoris, per quem fit remissio peccatorum: *Abac. ult. Exultabo in Deo Iesu meo.* Alius effectus est respectu inferiorum: et hic effectus est confirmatio in gratia, quae fit per Spiritum sanctum, *Et Spiritu principali confirma me.* Spiritus autem sanctus firmat dupliciter. Uno modo contra mala: *Isa. 8. In forti manu erudivi te.* Alio modo in bono: *Isa. 49. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Haec fortitudo habetur per Spiritum sanctum: nam corpus non est firmum ad sustinendum, nec ad faciendum, nisi propter fortitudinem spirituum; ita homo non est fortis sine Spiritu sancto. Sed ille non praeberet fortitudinem, nisi esset spiritus principalis, quia virtus inferior non est sufficiens ad praebendum auxilium contra superiorem. Potestas autem diaboli est magna: *Iob 41. Non est potestas super terram quae comparetur ei.* Ergo contra diabolum indiget homo iuvari spiritu principali, scilicet principante et dominante super omnia. Et hoc spiritu indiget homo contra spiritum carnis: *Num. 16. Fortissime Deus spiritum universae carnis.* Item contra spiritum mundi: *1. Cor. 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo.* Item contra spiritum diaboli: *1. Reg. 18. Invasit spiritus Domini malus Saul.* Notandum est quod in hac lectione fit triplex mentio de spiritu, quia dicitur spiritus rectus, Spiritus sanctus, et spiritus principalis. Et secundum glossam quidam accipiunt spiritum essentialiter dictum, secundum quod est spiritus omne quod non est corpus. Unde spiritus dicitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; sed melius est ut accipiatur personaliter. Tria autem facit Spiritus sanctus in homine. Primo rectitudinem intentionis: *Ps 37. Spiritus tuus bonus* etc. Item sanctificat nos: *Rom. 1. Secundum spiritum sanctificationis.* Item nobilitat et facit nos principes: *Gal. 4. Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra.*

g Supra Psalmista proposuit suas petitiones Deo; hic autem repromittit recompensationem. Et primo promittit quid sit facturus pro Deo, in praesenti. Secundo in futuro, ibi, *Benigne* Circa primum duo facit. Primo proponit Deo quaedam spiritualia sacrificia. Secundo excusat se ab oblatione carnalium, ibi, *Quoniam si voluisses.* Duplex sacrificium spirituale Deo promittit, scilicet doctrinae, per quod instruatur proximus. Secundo promittit spirituale sacrificium laudis, per quod laudetur Deus, ibi, *Libera me.* Dicit ergo, *Docebo iniquos vias tuas.* Et notandum, quod supra in alio Psalmo dixit, *Peccatori dixit Deus, quare* etc. per quod ostendit quod peccatorem non decet doctrinam effundere. Et ideo quamdiu sensit se peccatorem, non promisit doctrinam manifestare; sed postquam restituit ei Deus spiritum principalem, et tales decet doctrinam habere, et alios docere: *Hier. 3. Dabo vobis pastorem iuxtà cor meum, qui pascet vos scientia et doctrina.* Et de Christo dicitur *Act. 1. Coepit Iesus facere, et* postea *docere.* Fructus autem huius doctrinae non est tantum speculatio veritatis ad beatam contemplationem, sed intentus finis eius est conversio peccatorum: et ideo dicit, *Et impii ad te convertentur: Hier. 15. Ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos: Ps. Convertentur ad Dominum omnes gentes.* Et secundum Glossam eosdem dicit impios, et iniquos; quamvis David intelligat quod iniqui dicuntur, qui peccant contra Deum; et ideo signanter dicit, *Docebo iniquos;* quasi dicat, Aliqui etsi revereantur Deum, tamen operantur contra proximum et iniusta: et hos docebo vias tuas, scilicet ut non offendant proximum: *Ioan. 4. Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Libera me de sanguinibus.* Hic promittit sacrificium laudis: et sunt duo impedimenta huius sacrificii. Unum est reatus peccati: aliud est interior defectus. Primo ergo petit remotionem primi impedimenti. Secundo petit remotionem secundi, ibi, *Domine labia mea aperies.* Petit ergo remotionem impedimenti, et promittit sacrificium laudis. Impedimentum laudis divinae, sicut dictum est, est reatus culpae: *Eccl. 15. Non est speciosa laus* etc. David autem erat gravi culpa reus: et ideo petit liberari ab eo; et ideo dicit, *Libera me de sanguinibus.* Secundum Glossam hoc nomen sanguis non declinatur in plurali numero, tamen translator voluit uti ad expressionem peccati, et refertur hoc ad concupiscentiam carnis, quae est caro et sanguis: *Matt. 16. Caro et sanguis non revelavit tibi* etc. quasi dicat, Libera me de peccatis commissis ex carne et sanguine. Vel dicendum quod David commiserat culpam adulterii et homicidii, et in utroque est sanguis, quia in homicidio sanguis effunditur: *Psal. 6. Virum sanguinum* etc. Adulterium autem procedit ex fervore sanguinis; et ideo dicit, *De sanguinibus: Osee 4. Sanguis sanguinem tetigit.* O Deus libera ergo me de sanguinibus, quia tu solus potes: *Is. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me* etc. Et, *Quia tu es Deus salutis meae*, idest qui potes me salvare. *Et exultabit lingua mea*, scilicet cum delectatione et cum interiori gaudio cordis, narrabo iustitiam tuam: *Isa. 20. Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae solemnitatis.* Item *ibidem: Venient in Syon laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum: Ps. 41. In voce exultationis* etc. *Domine labia mea aperies.* Est autem sciendum, quod homo aliquando impeditur a doctrina etiam propter impedimentum interius loquendi: et hoc contingit aliquando propter culpam auditorum: *Ezech. 3. Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, et eris mutus.* Et infra: *Quia Dominus exasperans est.* Et propter proprium peccatum: *Psal. 106. Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Quia ergo solus Deus linguas infantium fecit disertas, *Sap. 10.* ideo petit, Domine remove impedimenta, quae incurri per peccatum, a labiis meis. Et tu, *Labia mea aperies: Ephes. ult. Videtur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii.* Est autem notandum, quod in apertione oris intelligitur doctrinae profunditas, ubicumque in Scripturis in-

venitur apertio oris, ut *Iob 1. Post haec aperuit Iob os suum.* Et *Matt. 5. Aperiens Iesus os suum*, scilicet in profunditatem scripturae; et tunc, *Os meum annuntiabit laudem tuam;* quasi dicat, Quod in corde habeo, ore confitebor. *Quoniam si voluisses sacrificium*

h Hic excusat se. Et primo ostendit sacrificium non esse Deo acceptum. Secundo ostendit quod sacrificium sit Deo acceptum, ibi, *Sacrificium Deo.* Dicit ergo. Ego repromitto doctrinam et laudem, hoc enim sacrificium honorificabit te; sed carnale sacrificium non est tibi acceptum; et ideo dicit, *Si voluisses sacrificium*, scilicet carnale, *utique dedissem:* sed, *Utique holocaustis non delectaberis.*

Sed nunquid non vult sacrificia carnalia? si illa sacrificia non approbat Deus. Quare ergo mandavit fieri in veteri lege? Dicendum, quod mandavit ea fieri non propter se, sed quia erant figura interioris veri sacrificii, quo Christus se obtulit: et sunt signa interioris sacrificii, inquantum homo animam suam offert Deo: et iterum fuerunt instituta propter rudes, qui Deum non noverant; et ideo oportebat, quod in rebus honorarent et cognoscerent Deum, ne sacrificia idolis immolarent, ad quod erant multum proni. Sed quia David ex Spiritu sancto sciebat cordis sacrificium Deo acceptum, non dedit hic sacrificia corporalia. Inter omnia autem sacrificia holocausta erant magis Deo accepta. Et tamen illa propter se non erant accepta Deo; ideo dicit, *Holocaustis non delectaberis*, quia etsi ipsa fuissent tibi accepta, simpliciter obtulissem ea. Et si obiiciatur, quod odor suavissimus erant Domino, dicendum, quod erat hoc propter figuratum sacrificium, et in signum interioris sacrificii, quo Deo placet; unde subdit, *Sacrificium Deo*, scilicet acceptum, *spiritus contribulatus.* Augustinus *10. de civi. Dei: Omne sacrificium, quod offertur exterius, signum est interioris sacrificii, in quo animam suam offert Deo.* Sed sciendum, quod anima hominis deducitur in peccatum primo per inane gaudium: *Eccle. 2. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, Quid frustra deciperis, deduceris in peccatum.* Secundo induratur ad spiritualia ex peccato: *Eccl. 5. Cor durum male habebit in novissimo: Ro. 2. Secundum duritiam tuam et cor impoenitens.* Tertio quia sufficit sibi in rebus corporalibus, et non curat de spiritualibus, tunc superbit, quod est initium omnis peccati, *Eccl. 10.* Oportet ergo quod poenitens qui cor suum offert sacrificium Deo, contraria omnibus his faciat. Et primo contra inane gaudium oportet, quod assumat tristitiam poenitentiae; et ideo subdit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, idest de omnibus peccatis simul tristatur, non de uno tantum: *2. Cor. 7. Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur: Baruch 2. Anima quae est tristis super magnitudinem mali, et incedit incurva.* Et infra: *Dat tibi gloriam, et tristitiam Domino.* Contra secundum opponitur contritio; unde dicit, *Cor contritum.* Et nota differentiam inter confracta et contrita: quia confracta sunt quae dividuntur in magnas partes; contrita sunt quae in parvissimas partes dividuntur. Quamdiu ergo quis habet cor durum, tunc quasi integrum habet cor in malitia; sed quando totaliter deserit peccatum praebens se spiritualibus, dicitur tunc contritus: *Iob 16. Ego ille quondam opulentus*, scilicet in temporalibus, *repente contritus sum.* Contra tertium opponitur humilitas; et ideo dicit, *Et humiliatum Deus non despicies*, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, *Iac. 4.* Et est sciendum, quod facit mentionem de corde, et spiritu, et spiritus pertinet ad animositatem, et sic pertinet ad irascibilem: *Isa. 25. Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem.* Cor pertinet ad concupiscibilem: et sic datur per hoc intelligi, quod quicquid est in vi appetitiva, debet Deo offerri in sacrificium.

i Hic promittit quid debeat facere in futurum. Et primo petit quid fiendum a Deo. Secundo pronuntiat, ibi, *Tunc acceptabis.* Oculus David ferebatur ad duo: unum propinquum, quod erat singulare; aliud remotum, quod erat figuratum. Primum quia legitur, quod David aedificavit muros civitatis Hierusalem, sed non consummaverat, et his consummatis aedificandum erat templum: et ideo dicit, *Fac in bona voluntate tua, ut aedificentur muri Hierusalem.* Et tunc aedificatis muris, aedificabitur templum, *Et tunc acceptabis sacrificium* etc. Et hoc totum erat figurale. Sed si referamus ad figuratum, sic dicendum est, quod est duplex Hierusalem, scilicet coelestis: *Gal. 4. Illa quae sursum est Hierusalem, libera est, quae est mater nostra.* Alia est praesens ecclesia exemplata ab illa: *Apoc. 21. Vidi civitatem sanctam Hierusalem* etc. Et utraque habet muros. Muri coelestis Hierusalem sunt munimenta aeternitatis et immortalitatis, quam consecuti sunt sancti per Christum: *Ro. 8. Qui suscitavit Iesum Christum, vivificabit et mortalia corpora nostra.* Muri praesentis Hierusalem, scilicet ecclesiae, sunt sacramenta gratiae et doctores: *Ezech. 13. Non stetistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praelio.* Aedificationem istorum praevidebat spiritu prophetiae, *Isa. 56.* Ad hoc ergo quod aedificentur isti muri, *Tu Domine fac benigne*, idest ostende benignitatem hanc, quam benignitatem apostolus *Tit. 3.* dicit impletam: *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei.* Et hoc non propter merita nostra, sed propter tuam voluntatem bonam: *Ro. 12. Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta: 1. Tim. 4. Haec est voluntas Dei* etc. Et hoc facias ad hoc, *Ut aedificentur muri Hierusalem*, vel militantis, vel triumphantis. Sed quid erit? *Tunc acceptabis sacrificium iustitiae.* Hoc autem tripliciter exponitur: et duo primi modi pertinent ad ecclesiam praesentem. Uno modo, quod hoc referamus ad sacrificium, non quo trucidantur pecora, sed quo occiduntur homines propter Christum; et in hoc est duplex gradus: quia primum locum tenet sacrificium Christi: *Gal. 2. Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me:* et ideo dicit, *Tunc*, idest in aedificatione murorum Hierusalem, idest ecclesiae, *Acceptabis sacrificium iustitiae*, quo Christus se obtulit, qui iustus est: *Io. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et quia tantae virtutis est, ut satisfaceret pro homine, ut iustificaret eum. Secundum locum tenent alii sancti, qui se propter Deum obtulerunt in sacrificium; unde dicit, *Oblationes*, scilicet confessores, qui confitendo Christum, quantum in se est, obtulerunt se morti, licet non sint occisi: *Iudic. 5. Qui sponte ob-*

*tulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Et holocausta*, Isti sunt martyres: *Io. 15. Maiorem charitatem nemo habet* etc. *Et tunc acceptabis*, quando ista ipsi sancti imponent se tamquam vitulos super altare tuum, idest super fidem tuam, et super Christum, idest exponent se tanquam vitulos propter Christum et fidem Christi ad immolandum. Alio modo, ut referatur quantum ad opera iustorum, et sic est sensus, Acceptabis iustitiam, sicut sacrificium, quia opera iustitiae et misericordiae sunt sicut sacrificium: *Heb. ult. Beneficentiae et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Et tunc accipies oblationes. Secundum Gregorium: *Holocaustum est, quod totum incendebatur, et signat perfectos viros, qui totaliter dant se Deo.* Oblationes sunt illi, qui aliquid offerunt, et aliquid reservant, et tunc sacerdotes imponent vitulos, idest conversos de novo: *Super altare*, idest super fidem Christi. Vel tunc praelati maiores imponent praedicatores mugientes doctrina fidei, *Super altare*, idest super confessione fidei. Tertia expositio est de coelesti Hierusalem, et est sensus, *Tunc*, scilicet quando aedificabuntur muri coelestis Hierusalem. *Acceptabis sacrificium iustitiae.* Hic quandoque fit sacrificium poenitentiae; sed ibi est tantum laudis: *Isa. 60. Populus tuus, omnes iusti in perpetuum haereditabunt terram.* Et hoc est illud sacrificium laudis, de quo *Ps. 83. Beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te. Et tunc oblationes*, idest sanctos minores, *Et holocausta*, idest sanctos maiores acceptabis. Et hoc offerent angeli, quibus dicitur *Matth. 13. Triticum autem congregate in horreum meum.* Et isti angeli, *Imponent*, sanctos, *Super altare tuum*, idest in gloriam coelestem: *Apoc. 8. Data sunt ei incensa multa, ut darent de orationibus sanctorum omnium super altare aureum: Ps. 21. Placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas.*

*In finem.*

CUM VENIT DOECH IDUMAEUS ET NUNTIAVIT SAULI, VENIT DAVID IN DOMUM ABIMELECH.

## a PSAL. DAVID LI.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.

b Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui aequitatem. Dilexisti omnia verba praecipitationis: lingua dolosa.

c Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

d Videbunt iusti, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et praevaluit in vanitate sua.

e Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in aeternum, et in saeculum saeculi. Confitebor tibi in saeculum, quia fecisti, et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

## a PSAL. LI.

Hic incipit secunda quinquagena. Et sicut dictum est in principio libri, prima quinquagena pertinet ad poenitentes; ista secunda quinquagena pertinet ad proficientes. Circa quos sunt tria per ordinem videnda: nam primus gradus proficientium est iustificatio: secundus gradus est exercitium bonorum operum: tertius est consideratio divinorum operum. Et sic ista quinquagena dividitur in tres partes. Primo tangit de his, quae pertinent ad iustificationem. Secundo agit de his, quae pertinent ad executionem bonorum operum, ibi, *Deus iudicium.* Tertio agit de his, quae pertinent ad considerationem divinorum operum, ibi, *Deus stetit.* In iustificatione duo sunt necessaria, scilicet aversio a peccato, et conversio ad Deum. Et sic duo sunt in peccato per oppositum, scilicet aversio a Deo, et conversio ad peccatum. Primo ergo ponit Psalmista qui pertinent ad aversionem, et detestationem peccati. Secundo ponit Psalmista qui faciunt, sive continent subiectionem Deo, ibi, *Nonne Deo subiecta.* Circa primum duo facit. Primo ostendit malitiam peccatorum. Secundo ostendit mala quae a peccatoribus fiunt. Ex duobus aggravatur peccatum, scilicet ex affectione peccandi, et ex contemptu Dei. Primo ergo aggravat malitiam peccatorum ex primo. Secundo aggravat eorum malitiam ex secundo, ibi, *Dixit insipiens.* Titulus, *In finem intellectus David, cum venisset Doech Idumaeus, et nuntiasset Sauli, venit David in domum Abimelech.* haec historia habetur *1. Reg. 21. et 22.* quando scilicet David fugiens a Saule, venit in Zebe ubi erant sacerdotes, et accepit gladium Goliae, et panes propositionis, et Doech Idumaeus interfuit, qui inter pastores erat potens; et conquerente Saule, quod nullus pugnaret pro eo contra David, iste Doech enarravit quomodo Abimelech sacerdos receperat David, et dederat ei gladium Goliae, et panes propositionis: et sic iratus Saul mandavit occidi omnes sacerdotes. Cumque illi nollent mittere manus ad occidendum sacerdotes, iste Doech interfecit omnes sacerdotes. Sed tamen diversitas est in titulo, et in historia, quia princeps sacerdotum in historia vocatur Achimelech, in titulo Abimelech. Et dicit glossa quod hoc factum est vitio scriptorum, vel propter mysterium: nam per David signatur Christus: tum quia usus est officio regiae dignitatis, tum etiam quia usus fuit dignitate sacerdotali, comedendo panes propositionis. Doech interpretatur mutus: Idumaeus terrenus; Saul petitio; Abimelech patris mei regnum. Per Doech ergo qui fuit motus a terrenis, cum venisset David, scilicet Christus ad Abimelech, idest ad Iudaeos qui est patris mei regnum. *Nuntiavit Sauli*, idest morti, quod impii manibus et verbis accersierunt eum et occiderunt eum. Vel, *Doech*, idest Antichristus qui commovebit in fine mundi terrenos. Cum venisset Christus in ecclesiam, nuntiavit diabolo, quod persequetur ecclesiam. Et principaliter intelligitur totus Psalmus

de malis qui persequuntur Christum, vel in se, vel in membris. Dividitur autem Psalmus iste in partes duas. In prima agit de malitia peccatoris, qui ad iniquitatem afficitur. Secundo agit de iustitia sanctorum, ibi, *Ego autem sicut oliva.* Circa primum duo facit. Primo agit de culpa malorum. Secundo de eorum poena, ibi, *Propterea destruet te.* Sciendum est autem, quod in homine, qui afficitur ad peccatum, tria per ordinem sequuntur. Primum est delectatio peccati. Secundum est cogitatio de peccato: quia in illis cogitamus quae diligimus. Tertium est gloriatio de perpetratione peccati. Quilibet gaudet naturaliter cum facit quod amat. Sic ergo procedit ab ultimo. Ad primum de gloria malorum in actu peccati. Secundo de cogitatione circa peccatum, ibi, *Tota die.* Tertio de amore peccati, ibi, *Dilexisti.* Circa primum duo facit. Primo ponit potentiam aliquorum ad male faciendum. Secundo ostendit quod quidam gloriantur de malo opere. Quidam autem sunt prompti et fortes ad mala, et ad bona fideles. Dicit ergo, *Tu peccator qui potens es in iniquitate: Hier. 5. Fecisti mala, et potuisti: Isa. 5. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum* etc. Tu ergo qui sic es potens, *Quid*, idest quare, *Gloriaris in malitia?* Unde debes verecundari et tristari: *Prov. 2. Laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. Tota die iniustitiam.* Hic ostendit secundum quod praemiserat supra, scilicet quod non solum gloriantur in malitiis, sed cogitant, quomodo male faciant. Et primo ponit assiduitatem cogitationis sine interpolatione; unde dicit, *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua.* Improprie dicitur, quod lingua cogitet, quia cogitare pertinet ad cor: et ideo potest dupliciter intelligi, *Lingua tua*, idest cor tuum, quod in lingua manifestatur: *Eccl. 22. In ore fatuorum cor eorum:* quia est unum cum lingua, idest paratum habet cor ad locutionem. Vel, *Lingua cogitavit iniustitiam*, inquantum excogitata loquitur, *Tota die.* Et spiritualiter, quia docet per linguam peccare. Secundo exequitur efficaciter quae cogitat; unde dicit, *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Et hic est similitudo quantum ad tria. Primo quia novacula acuta, idest rasorium efficaciter et cito incidit, quia nullus pilus resistit ei; sic Doech non est reveritus sacerdotium, nec timorem David, nec aliquid, sed interfecit omnes sacerdotes: *Mich. 2. In luce matutina faciunt illud*, idest statim. Vel, *Sicut novacula acuta* etc. quia sicut novacula radit pilos, ita mali dolum acuunt contra iustos, idest persecutores immittunt; sed haec vere faciunt sicut novacula, quae pilos superfluos radit: quia non nisi superflua, idest temporalia, possunt peccatores sanctis auferre, spiritualia vero numquam: sed sicut novacula etc. quia promittit purgationem tantum, sed sicut inexperti barbitonsores incidunt carnem, ita mali faciunt qui suis machinationibus carnem iustorum, idest famam suam iniqua lingua student incidere: *Ps. 27. Loquantur pacem cum proximo suo* etc. Hieronymus habet, *Quid gloriaris in malitia potens misericordia Dei tota die.* Et hic est versus; quasi dicat, Tu qui potens es in malo, quid gloriaris in malitia? Misericordia parata est ad quam potes converti. *Dilexisti*

b Hic agit de affectu mali, sive peccatoris ad nocendum proximo. Et hic affectus in duobus consistit, scilicet in exterioribus, et interioribus. Primo ergo in exterioribus ostendit subtractionem iustitiae. Dicit ergo, *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Benignitas, idest bona igneitas, et sic facit liquescere animum hominis ad bona communicanda; malitia e converso movet impetum hominis ad nocendum. Et isti mali et peccatores plus malitiam, quam bonitatem, idest benignitatem dilexerunt, quia magis sunt prompti ad malum quam ad bonum, eo quod sunt frigidi et remissi: *Iob 20. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua.* Quantum ad subtractionem iustitiae dicit, *Dilexisti loqui iniquitatem magis quam loqui aequitatem: Ps. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quantum ad interiora dicit, *Dilexisti omnia verba praecipitationis*, trahendo alios in mortem, sicut Doech: iterum in malum culpae: *1. Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Vel praecipitando teipsum; et ideo dicit, *Lingua dolosa.* Et tu qui es linguosus et dolosus, vel hoc facis per linguam dolosam: *Hiere. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est. Propterea*

c Supra egit Psalmista de malitia peccatorum; hic autem agit de poena eorum: et circa hoc duo facit. Primo ponit ipsorum malorum poenam. Secundo ostendit poenae utilitatem, ibi, *Videbunt.* Circa primum duo facit. Primo ponit malorum poenam. Secundo ponit modum perveniendi in illam, ibi, *Evellet te.* Dicit ergo, *Propterea*, scilicet, quia dilexisti malitiam etc. et dilexisti verba praecipitandi alios, *Deus destruet te in finem*, idest in perpetuum: *Ps. 27. Destrues illos, et non aedificabis eos.* Et merito praecipita eos Domine, et divide linguas eorum. Modus, quia, *Evellet te.* Ubi notandum, quod primo ponitur ista destructio, quantum ad ipsum modum. Secundo, quantum ad amissionem futurorum. Quantum ad primum duo consideranda sunt. Quandoque enim contingit, quod homines habent aliqua fundamenta in sua prosperitate, sicut amicos, et divitias, et huiusmodi: et ideo comparantur radici, quia per hoc radicati sunt in his; et ideo dicit, *Evellet te*, ab omnibus istis in quibus et per quos es in prosperitate radicatus: *Iob 29. Quasi arbori avulsae abstulit spem meam: Hiere. 1. Ut evellas, et destrues* etc. Secundo emigrat prima amissione, idest transfertur totaliter; unde, *Emigrabit te*, idest faciet te transire, *De tabernaculo tuo*, idest de domo, et de statu, et de dignitate tua: *Isa. 22. Expellam te de statione tua: Iob 22. Oculus qui eum viderat, non videbit.* Alia litera habet, *De tabernaculo suo*, idest ecclesia: *Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Nunc boni sunt malis permixti; sed in fine mali excludentur ab ecclesia, ubi nunc sunt numero, non merito. Quantum ad amissionem futurorum dicit, *Et radicem tuam de terra viventium*, scilicet evellet. Per radicem intelligitur hic charitas, quae est radix omnium bonorum: *1. Cor. 13. In caritate radicati* etc. Hanc auferet Deus de terra viventium, quia auferet tibi donum charitatis quod dedit. Item a bonis auferetur cupiditas, quae potest per radicem signari: *1. Tim. ult. Radix omnium malorum cupiditas.* Hanc Deus viris spiritualibus aufert, quia qui ad temporalia student, non possunt pervenire ad terram viventium: quia qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, in quibus cupidita-

tibus radicantur mali, scilicet antichristus, et diabolus : *Iob 5. Vidi stultum* , idest peccatorem , *firma radice , et maledixi pulchritudini eius statim. Videbunt iusti*

d Hic ponitur fructus poenae: nam Deus punit hic, et praenuntiat poenas propter utilitatem iustorum. Primo propter metum poenae, quia, *Et timebunt*. Et hoc potest transferri ad statum praesentis vitae , in qua timent iusti habendo reverentiam ad Deum , et decidunt a statu in quo sunt : *Rom. 11. Noli altum sapere, sed time.* Sed illi qui sunt in patria , non timent ab aliquo statu cadere, quia sunt in perfectione gratiae confirmati, quia non separabuntur, sed reverentia filiali timebunt : *Psal. 78. Timor Domini sanctus* etc. Et reverebuntur Dei iustitiam. Tamen specialius in praesenti vita timent. Secundo propter despectionem peccati et praesentis prosperitatis. Et primo ponitur derisio. Secundo ponitur causa derisionis, ibi, *Ecce.* Quantum ad primum , *Super eum* , idest contra eum, scilicet peccatores videbunt , idest contemnent eius fiduciam et prosperitatem. Et hoc specialiter fiet in futuro : *Psal. 57. Laetabitur iustus , cum viderit vindictam: Iob 22. Videbunt iusti et laetabuntur* ; et derident primo peccatorum superbiam; secundo vanam fiduciam et eorum fragilem gloriam: superbiam , quia non sperabant in Deo , sed de se confidebant, *Et dicent,* iusti, *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum* , idest non posuit quod indigeret Dei auxilio: *Ps. 11. Labia nostra* etc. *Deut. 23. Dereliquit factorem suum.* De vana fiducia; unde dicit , *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: Prov. 11. Qui confidit in divitiis suis, corruet: 1. Tim. ult. Divitibus huius saeculi praecipe* etc. De vana gloria mala facere et Deo permittente praevaluit; unde dicit, *Et praevaluit in vanitate sua.* Et de hoc deridentur: *Ps. 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.* Vel praevaluit etc. ut referatur ad avarum , qui quantum ad aliquid praevalet omnibus aliis peccatoribus: *Eccle. 10. Avaro nihil est scelestius.* Et ex quo ad hoc inducitur, incidit in aliis facile. Vel potest referri ad antichristum, qui praevalet omnibus aliis. *Ego autem sicut oliva fructifera*

e Hic agit de sanctitate bonorum. Et primo ostendit quid agunt in praesenti. Secundo , quid promittunt, ibi, *Confitebor.* Duplex bonum faciunt sancti in praesenti ecclesia. Primo in hoc quod bene se habent ad proximum, fructificando in eis: et ideo iustus comparatur olivae; quasi dicat, Peccator sic evellitur sine fructu , sed ego sicut oliva fructifera in domo Dei. Et comparatur olivae propter pinguedinem: nam oliva semper habet fructum pingue: *Iud. 9. Non possum deserere pinguedinem meam : Hier. 11. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum.* Hoc tamen comparatur olivae propter fructum specialiter: quia ex olivis fit oleum, per quod significatur misericordia, ex qua iusti provident aliis, et fructum faciunt in ecclesia : *Io. 15. Posui vos ut eatis, et fructum afferatis.* Et hunc fructum feci, *In domo Dei* , non in mundo : *Psal. 83. Elegi abiectus esse in domo Dei.* Item quoad Deum iusti in mundo isto faciunt aliud bonum , sperando scilicet in eo ; unde dicit , *Speravi in misericordia Dei*, non meis meritis, sed illius misericordia : *Tit. 5. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos* etc. Et haec misericordia est in aeternum. Et potest hoc dupliciter exponi. Uno modo , ut designet aeternitatem: et sic potest referri aeternitas ad essentiam misericordiae divinae, quae est aeterna : *Hiere. 31. In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Alio modo , ut referatur ad effectum misericordiae. Aliquando ex misericordia Dei conceduntur bona aeterna ; et sic , *In saeculum saeculi* , idest per mea saecula. *Confitebor.* Hic promittit quid sit facturus: et promittit duo. Unum refertur ad praeterita , et est gratiarum actio de beneficiis collatis: propter hoc dicit , *Confitebor tibi in saeculum* , idest referam tibi laudes. Et hoc, quia tu, *Fecisti*, scilicet quod essem oliva fructifera in domo Domini , et quod spero in misericordia Dei. Aliud refertur ad futura , *Expectabo nomen tuum, quoniam bonum est.* Expectat nomen Iesu esse salutare suum. Et hoc specialiter contingit in illis, qui sunt in patria; unde dicit, *Quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum* , qui vident ipsam essentiam bonitatis, unde non potest nisi diligere Deum.

EXPLICIT EXPOSITIO DIVI THOMÆ AQUINATIS IN ALIQUOT DAVIDIS PSALMOS.

*Napoli 26 Agosto 1857*

# CONSIGLIO GENERALE

DI

# PUBBLICA ISTRUZIONE

Vista la domanda del tipografo Paolo Brancaccio, con la quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata - *Expositio in Iob, in Psalmis Davidis, in Isaiam, Ieremiam, et Threnos.*

Visto il parere del Regio Revisore signor D. Giuseppe Canonico Garavini;

Si permette che la detta opera si stampi, ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser la impressione uniforme all'originale approvato.

*Il Consultore di Stato - Presidente provvisorio*
CAPOMAZZA

*Il Segretario Generale*
GIUSEPPE PIETROCOLA

---

*Napoli 11 Luglio 1857*

# COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
## PER LA REVISIONE

Nihil obstat.

DOMENICO GARGIULO

Imprimatur.

*Pel Deputato*
LEOPOLDO RUGGIERO - *Segretario*

ANGELICI DOCTORIS

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

# IN CANTICUM CANTICORUM

## ET IN OMNES D. PAULI EPISTOLAS

# COMMENTARIA.

PRAECEDIT VITA, SEU ELOGIUM EIUSDEM S. DOCTORIS A **P. IACOBO ECHARDO** ORDINIS PRAEDICATORUM ORDINE CHRONOLOGICO DESCRIPTUM.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLVI.

# LECTORI

Opusculorum D. Thomae selectiorum editione iampridem absoluta, celebris nunc Angelici Doctoris explanatio in *Cantica Canticorum*, quam subsequentur *Commentaria in omnes D. Pauli Epistolas*, ut quamplurium votis satisfieret, in lucem prodit. Duplex vero *Aquinatis* nomen praeferens *Canticorum* Expositio vulgo typis circumfertur: de utriusque αυθεντια operose, summoque eruditionis apparatu pro more disputat *P. Bernardus De Rubeis in Admonit. praeviis in Opera D. Thomae*; quin tamen rem definiat. At duo quidem in comperto esse videntur: primum, dubitari nefas D. Thomam librum Canticorum exposuisse; quod constanti traditione, ac veterum testium suffragio firmatur: alterum, utramque harum expositionum et in Codicibus MSS. et in editis exemplaribus D. Thomae nomine decoratam; atque alterutram ab aliis atque aliis eidem S. Doctori adiudicari. *Sixtus Senensis Biblioth. Sanctae l.* IV. aliique litem componunt, utramque *Angelico* tribuendam adfirmantes: alteram, quae incipit *Sonet vox tua*, ab eo exaratam dum corpore valeret; alteram, quae incipit *Salomon inspiratus*, dum gravi pressus aegritudine in Monasterio Fossaenovae a nonnullis Monachis, ut eumdem librum exponeret, rogatus esset. Neutra certe ab Angelici Magistri pietate, ac doctrina abhorret, immo quae incipit *Sonet vox tua* quammaxime eiusdem stylum ac methodum in S. Scripturis exponendis praesefert, ut ii facile noverunt qui in commentariis *D. Thomae* vel leviter versati sunt. Quapropter eiusdem Cl. Viri P. De Rubeis consilium sequuti, utraque in librum *Canticorum* Commentaria, quibus D. Thomae nomen praefulget, in hac editione exhibemus: ipsius Vitam etiam, seu Elogium a *P. Iacobo Echard* ordine chronologico concinnatum volumini praefiximus, ne quid S. Magistri cultoribus deesset: mox alia quoque daturi, si haec interim libenter excipiens nobis tuis commodis consulentibus stimulos animosque addideris.

# VITA

# S. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

### A PATRE IACOBO ECHARDO CONCINNATA TOMO I. SCRIPTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM, AD ANNUM 1274.

SANCTUS THOMAS DE AQUINO, quem scholae suae magistrum solemque splendidissimum habet ordo Praedicatorum, doctorem communem agnoscunt academiae orbis Christiani universae, inter Patres suos veneratur Ecclesia catholica, suaeque fidei ac doctrinae tutissimum, ac fidelissimum ubique adhibet interpretem, omnes in hac Biblioteca recensitos auctores merito praecedere debuisset, solem quippe suum sydera norunt; ratione tamen ordinis a nobis statuti hactenus prolatandus fuit. De quo sic agemus, ut sanctitatem ἁγιογραφίας describendam relinquentes, cum nostri non sit instituti, chronologiam eius vitae a paucis accurate relatam ob oculos lectoris uno intuitu ponamus, tum deinde singula pro more nostro in similibus ad examen revocantes, quibus momentis in eam sententiam inducti fuerimus, addamus. Nam id licet in opusculo nostro, cui titulus *sancti Thomae Summa suo Auctori vindicata*, exegerimus; quaedam tamen tum nobis exciderant, quae postea maiori disquisitione ac diligentia adhibita invenimus, quaeque lectores necessarium est non ignorare.

Ex illustri ac praepotenti in regno Siciliae comitum Aquini gente originem duxit Thomas; Landulphum Aquini comitem castrorumque Montis sancti Ioannis et Rupissiccae dynastam, et huius paris nobilitatis coniugem Theodoram ex comitibus Theanensibus oriundam parentes habuit: germanos duos natu maiores Reginaldum, et Landulphum in exercitu Frederici imperatoris duces clarissimos: sorores quatuor, Mariam dominam Mariani in Aprutio, Theodoram Rogerio Sanseverinati Marsicensi comiti nuptam, tertiam comitis Fundensis coniugem, et quartam sanctimonialem, monasterii S. Mariae Capuae abbatissam. Natus est Thomas vel sub initium an. MCCXXV. ut quibusdam placet, vel secundum alios, quibus magis assentior, sub initium an. MCCXXVII. Quinquennis iuxta morem magnatum eius regni monachis Cassinensibus, quibus tum praeerat abbas Landulphus eius patruus, traditus est ad pietatem et primas litteras informandus. Decennis circiter plus vel minus e Cassinensi monasterio eductus Neapolim amandatur, ubi Petro Hyberno ac Martino ludimagistris operam dedit, sub isto litteras humaniores, sub illo philosophiam addiscens. Anno MCCXLIII. ordinem Praedicatorum ibidem in S. Dominici coenobio amplectitur, ac vestem, ut verosimilius, circa mensem Augustum e manibus non F. Ioannis a Sancto Iuliano, sed F. Thomae Agni de Lentino tum prioris induit. Hinc quantocius matris amantissimae seu blanditias seu minas verentibus sodalibus, Romam primum, Romaque rursus quo eum mater insequebatur, in Gallias cum quatuor adiunctis sibi ex ordine sociis ablegatur. Verum Aquapendente ex itinere transiens, dum iuxta fontem quemdam nihil sinistri suspicatus paululum quiescit, a germanis suis ibidem in aula et exercitu Frederici imperatoris militantibus, quos scilicet irata mater litteris monuerat, e manibus sociorum vi eripitur, et ad castrum paternum satellitibus stipatus remittitur: quae circa Septembrem videntur evenisse. Anno MCCXLIV. postquam per annum circiter detentus, frustra de abiicienda veste Dominicana tentatus fuisset, per fenestram dissimulante ac connivente utroque parente dimissus, ac sodalibus restitutus, Neapolim, indeque absque dilatione Romam ad magistrum ordinis adducitur. Is erat venerabilis F. Ioannes Theutonicus, qui eo ipso tempore in Franciam, ac inde in Germaniam, ubi capitulum generale anno sequenti congregandum erat, cogitans, iuvenem Thomam tenerrime amplexus, Parisios, ac vix ibi commoratus, recta Coloniam sub Alberto Magno tum maxime florente erudiendum secum ducit. Anno MCCXLV. Albertus Magnus Parisiis ad legendas sententias assignatur, et cum eo iuvenis Thomas ad studium illud tum unicum generale, ut vocant, mittitur. Ambo eo venisse videntur circa Octobrem, quo fieri solebat scholarum instauratio. Cum autem ex constitutionibus nostris ea aetate per quatuor annos Theologiam audivisse eum oporteret, qui eamdem publice professurus erat, Thomas qui iam annum Coloniae egerat, tres sequentes in gymnasio Saniocobeo perfecit: primum quidem sub Alberto baccalaureo in una e scholis nostris legente, et sub F. Ioanne Pungensasinum dicto Parisiensi recens laurea donato docente in altera: secundum sub eodem Alberto tum licentiato ac magistro, et sub F. Stephano a Varnesia Antissiodorensi baccalaureo in altera schola sub dicto F. Ioanne Pungensasinum, qui annum tertium magisterii agebat, Sententias legente: tertium sub eodem F. Stephano, at iam magistro, ac sub Alberto pro tertio anno magisterii primario scholarum re-

gente, habente sub se in schola sua baccalaureum legentem sententias, quisquis ille fuerit. Anno MCCXLVIII. finito cursu ambo magister et discipulus Coloniam reversi sunt; cumque ibi eo anno in comitiis ordinis Parisiis ad Pentecosten VII. Iunii coactis studium generale positum fuisset, in eo deinceps Albertus regentis functus est officio, Thomas vero sub eo iuxta leges ordinis de iis qui e studiis generalibus revertebantur, quatuor aut quinque annorum spatio Philosophiam, Scripturam Sacram, Sententias interpretatus est ac legit. Iis etiam annis quosdam tractatus edidit, scilicet *de ente et essentia* ad sodales, *de principiis naturae* ad F. Silvestrum, forte etiam alia opuscula. Anno MCCLII. vel Coloniae iisdem desudans lectionibus perstitit; vel si quis Parisios ivisse contendat, sacras Litteras interpretaturus ut lector biblicus, sic enim vocabant, qui primus erat ad magisterium gradus, versus Septembrem missus fuerit. Certum enim est anno tantum MCCLIII. in instauratione scholarum versus Octobrem lectionem Sententiarum Parisiis ut baccalaureum aggressum esse, quam integro anno prosequutus est in schola F. Heliae Bruneti Petragoricensis tertium magisterii annum agentis, habens collegam in altera schola F. Hugonem Metensem F. Bonihominis Britoni S. T. M. successorem. Qui quidem Hugo laurea donari eo anno debuerat, sed ob acre ortum a quadragesima praecedenti academicos inter et nostros dissidium praesentari non potuerat, electis ipsis a gradu suo Bonohomine et Helia Bruneti, quantumvis magistris iam agnitis et officio functis. Anno MCCLIV. licentiandus erat, ac Sententias pro secundo anno ut magister legendas habebat: nec dubium, quin lectiones persecutus fuerit; verum ad magisterium ob turbas illas admissus non fuit. Anno MCCLV. more veteri, at novo MCCLVI. mense Februario iam a cancellario licentiatus erat, verum cum ea ratione principium in aula episcopali habere vellet, quod necesse erat ut magister agnosceretur, obstiterunt academici. Hinc in Italiam ad Alexandrum IV. summum Pontificem se contulit, vocante, ac, ut credere proclive, itineris etiam comite venerabili F. Humberto *de Romans* quinto ordinis magistro, qui ad Pentecosten IV. Iunii Parisiis capitulum generale celebrarat. Certum est cum eodem et S. Bonaventura ordinis Minorum postea ministro generali, et Alberto Magno qui iam ab anno in curia, ut aiunt, Romana ea de causa commorabatur, Anagniae ubi annum illum summus Pontifex resedit, mense Septembri adfuisse, iura utriusque ordinis egregie propugnasse, omnia Guillelmi de Sancto amore obiecta solvisse, unde et adversus istum V. Octobris sententia dicta est. Ex eo solemni iudicio litium finis expectabatur; resistentibus tamen adhuc toto anno sequenti academicis, non ante Octobrem anni MCCLVII. Thomas ut magister in sacra facultate agnitus fuit. Interea quam Anagniae pro utroque ordine pronuntiaverat apologiam, recognovit, *contra impugnantes religionem* inscripsit, publicique iuris fecit. Pacatis tandem rebus laurea donatus quaestiones de veritate disputavit, ut qui duobus illis quibus antea docuerat annis, suum in quatuor Sententiarum libros commentarium praelegerat, eo etiam anno vel sequenti disputationes generales de more habuit, in quibus sex quodlibeta, ut aiebant, determinavit. Anno MCCLVIII. ab instauratione scholarum ad vacationes sequentes scholam rexit ut primarius regens, habens sub se baccalaureum forte F. Hannibaldum de Hannibaldis postea Cardinalem Sententias legentem, dum ipse maiores quasdam quaestiones tractaret, vel etiam quemdam librum Sacrae Scripturae, seu Isaiam, seu Matthaeum, aut alium publice exponeret. Nihilominus quadragesima illius anni, qui stylo novo MCCLIX., conciones habuit Parisiis, et ad Pentecosten sequentem capitulo generali Valencenis Iunii I. celebrato affuit, vel ut socius Romanae suae provinciae, nam erat capitulum provincialium, vel ob maiores causas a magistro ordinis accersitus. Sane ibidem cum Alberto Magno, Bonohomine Britone, Florentio Gallico, Petro de Tarentasia sacrae Theologiae magistris Parisiensibus omnibus cognitor delegatus fuit ad rectam studiorum institutionem, qui simul eas posuerunt leges, quas universus ordo tum amplexatus est. Anno MCCLX. vivente adhuc Alexandro IV. vel MCCLXI. Urbano IV. ei suffecto, in Italiam reversus primum Romae docuit; novumque scriptum super primum Sententiarum legit a se compositum, at quod deperditum: deinceps autem in illis in quibus Summi Pontifices pro libito agebant civitatibus, Urbe veteri, Anagniae, Viterbii, Perusii, et ipse eos secutus commoratus est, scholam theologicam ubique regens apud nostros; ubique nova in rem Ecclesiae condens ac edens opera. Tempore Urbani IV. die XXIX. Augusti MCCLXI. electi, haec ab eo prodiere: *Commentarii in Aristotelis physica, ethica, metaphysica: Summa contra gentiles: Quaestiones de anima: Expositio libri Iob: Officium festi Corporis Christi: Contra errores Graecorum tractatus*, aliaque opuscula. *Catenam auream in quatuor Evangelia* eodem iubente susceperat, Matthaeumque ipsi nuncuparat; verum illo XXX. Septembris MCCLXIV. e vivis sublato, Marcum, Lucam, et Ioannem, qui citius compleri non potuerant, F. Hannibaldo superius laudato, at tum Cardinali, quicum summa illa animorum coniunctio, dedicavit. Certum etiam in Italia *quaestiones de potentia Dei et ultra* disputasse, sed et partem alteram quodlibetorum seu quinque seu sex in concertationibus publicis determinasse, sive ad hunc Pontificatum, sive ad sequentem haec videantur referenda. Clemente IV. die V. Februarii MCCLXV. electo tum primum edendae *Summae Theologicae* consilium cepit, eius ideam efformavit, duoque ipsius priora volumina, primam partem scilicet, et primam secundae quatuor solidis annis a MCCLXV. ad MCCLXIX. perfecit: ita autem isti operi ut omnium apici futuro incumbens, ut ab aliis edendis non cessaret. Anno MCCLXIX. capitulo generali Parisiis ad Pentecosten XII. Maii celebrato affuit Aquinas, vel ut provinciae Romanae definitor, quod verosimile, nam erat definitorum primus: vel alia ratione eo vocatus a magistro ordinis; tumque altera vice scholae nostrae Parisiensis regens est institutus, quo munere tum biennium functus est, ac *quaestiones de virtutibus et ultra* disputavit: videtur etiam tum Evangelium S. Ioannis, et Epistolas S. Pauli publice exposuisse, utrumque enim opus auctorem praestat doctrinae consummatae. Iis etiam annis secundam secundae, quam in Italia inchoarat, perfecit, nec mihi dubium quin iuris publici fecerit. Anno MCCLXXI. cathedram Parisiensem F. Romano de Roma Ioannis Caietani Cardinalis, qui postea Nicolaus III. S. P. fuit, nepoti cedens Italiam repetiit, et Romae iterum docuit. Tantum vero cum hac altera vice Parisiis professus est, sui desiderium universitati reliquit, ut eius nomine Rector ad Patres ordinis anno

sequenti in capitulo generali Florentiae congregatos litteras amantissimas urgentissimasque scripserit, quibus Aquinatem sibi reddi, Parisiosque remitti instabat enixius. Verum Caroli utriusque Siciliae Regis sanctique Francorum Regis Ludovici IX. fratris vota praevaluere, obtinuitque ille ut Thomas Neapolim mitteretur, in eaque urbe patriae suae primaria, cuius Archiepiscopatum olim sibi oblatum constanter detrectarat, saltem cathedram theologicam ascenderet, ac sapientiae suae aquas tandem aliquando divideret. Anno igitur MCCLXXII. Neapolim adivit, et stipendiis regiis publice professus est ad finem vitae: iis vero annis ab exitu e Francia et in Italiam reditu, partim Romae, partim Neapoli tertiam summae partem scripsit, et ad quaestionem XC. de partibus poenitentiae deduxit, imperfectam relinquens: neque enim a festo S. Nicolai VI. Decembris MCCLXXIII. ut ultra scriberet persuaderi potuit. Anno MCCLXXIV. ad Concilium Lugdunense II. generale a Gregorio X. vocatus iter arripuit mense Ianuario, castrumque Magentiae Terracinensis dioecesis, cuius dominus erat Hannibaldus de Ceccano, huiusque uxor Francisca de Aquino sua neptis germani sui fratris filia, hos invisurus ingressus est; iamque infirmatus, cum morbum sentiret in dies ingravescere, ad monasterium Fossaenovae Cisterciensis ordinis non procul distans deferri se postulavit, ubi fere per mensem aegrotans, ac mortem proximam praevidens, sacramenta sibi ministrari instanter petiit, et tertio post die in osculo Domini placidissime obdormivit, quadraginta et octo annos tantum natus iuxta quosdam, aut iuxta alios quinquagesimum aetatis a quibusdam mensibus ingressus. Cum toto ordine indoluit universitas Parisiensis, quod litteris suis ad capitulum generale Lugduni eodem anno ad Pentecosten XX. Maii coactum summa erga defunctum aestimatione plenis testata est. Atque haec est Sancti Doctoris vitae seu annorum series; nunc autem singula ad examen revocanda.

# ADNOTATIONES

Ex *illustri ac praepotenti in regno Siciliae etc.* Sic de eo Tholomaeus de Luca noster Histor. Ecc. Nov. lib. 22. cap. 20. *Secundus doctor fuit F. Thomas de Aquino, qui auditor fuit F. Alberti, origine nobilis, quia de magnis comitibus regni Apuliae natus, et infra ipsos dilatatus, cuius progeniem in parte Fredericus destruxit, quia fideles Ecclesiae, sed praevaluit tempore Caroli.* Cetera de hac familia vide apud Ferrantem della Marra *Discorsi delle famiglie di Napoli*, Neapoli apud Octavium Beltrano 1641. fol.

*Natus est Thomas etc.* Annum certo non indico, quia pendet ab anno aetatis dies obitus, is autem apud auctores admodum incertus est. Tholomaeus de Luca iam citatus ipsius tum Romae tum Neapoli discipulus, eidemque familiarissimus Histor. cit. lib. 23. cap. 10. sic habet: *Obiit autem 50. vitae suae anno, alii vero dicunt 48.* Primum numerum sequitur F. Guillelmus de Tocco in vita Sancti Doctoris, et amplectuntur Actorum SS. Editores Tom. 1. Martii: secundo amplius favere videtur laudatus Tholomaeus. Hinc lib. 23. cit. c. 20. sic habet: *Cum autem iam esset* XVI. *annorum habitum Fratrum Praedicatorum assumpsit*, quem certo anno tantum MCCXLIII. induit, *et in eo pura innocentia vixit* XXXII. *annis vel circa.* Favent et plures in processu canonizationis testes, qui vivum viderant. Sic enim in Actis SS. proc. canoniz. n. 42 Iacobus de Caiatia, ord. Praed. testatur *se vidisse F. Thomam Neapoli et Capuae, et tunc F. Thomas erat* XLVI. *annorum et circa, quando primo eum vidit.* At anno tantum MCCLXXII. Neapolim rediit ex Tholomaeo. Bartholomaeus de Capua logotheta regni Siciliae num. 76. dicit, quod *F. Thomas ut ad annos discretionis pervenit, multum anticipando nondum pubes adhuc intravit ordinem Praedicatorum:* quod annum sane circa XVII. indicat, neque enim haec ad unguem accipienda. F. Iacobus de Viterbio Eremita Augustinianus, et Archiepiscopus Neapolitanus num. 83. miratur, *quod F. Thomas, qui in* XLVIII. *anno finivisse dicitur communiter dies suos, tot et tanta scripserit.*

*QUINQUENNIS iuxta morem monachis Cassinensibus traditus est.* Sic narrat Tholomaeus cap. 20. cit. *Hic nutritus in sua pueritia in abbatia Montis Cassini, qui sunt monachi nigri, et secundum morem nobilium illius patriae, ut patet de B. Mauro et Placido, ibidem in sua pueritia in logicalibus et naturalibus optime profecit, habens semper secum specialem magistrum more nobilium regionis.* Id magis explicat Guillelmus de Tocco vitae n. 5. *Quem sic enutritum libenter Deo offerunt, et quinquennem ad monasterium Montis Cassini per nutricem cum bona societate transmittunt, in quo instrueretur sanctis moribus etc. Parvulus adhuc a nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, ut moris erat patriae, se frequentius absentabat etc.* Et num. 6. *Abbas autem praedicti monasterii providus, cum adverteret in puero tam certa et matura futurae perfectionis indicia, advocato Domino Landulpho patre praedicti pueri, provide ei consuluit, ut puer mitteretur Neapolim ad studendum: unde puer de utriusque parentis consilio Neapolim mittitur, et sub magistri Martini in grammaticalibus et logicalibus, et magistri Petri de Hybernia studiis in naturalibus edocetur.*

Ex quibus plane ruit visus quibusdam ex fide Calendarii Cassinensis secunda manu interpolati, referente D. Mabillonio *Itin. Ital. T. p.* Benedictinus Thomae monachatus. Equidem eo fine a Patre ambitioso Cassinensibus traditum, ut aliquando ibidem factus monachus et abbas tandem evaderet, non dissimulaverim: quo sensu intelligendus logotheta Bartolomaeus citatus proces. canoniz. n. 76. sic loquens: *Pater nobilis monachavit dictum F. Thomam puerum,* idest in monasterio nutriendum curavit, *disponens* scilicet, ut addit ibidem, *eum abbatiae praeficere Cassinensi:* at non quod monasticam vestem, quamdiu ibi fuit, induerit umquam: nam praeter quam quod puerorum a parentibus donatio seu oblatio in monasteriis, speciatim in Cassinensi, iam ante saeculum XII. desueverat, ex S. Petro Damiani a Mabillonio laudato Analect. Tom. III., Thomam Cassini nec frocum gestasse, nec ut monachum habitum, sed ut familiae illustrioris puerum cum sui similibus in veste saeculari educatum clarissime insinuant auctores citati. Ibi enim non sub magistro iuvenum monachorum, et in horum societate, quam sane numquam fugisset, sed in consortio puerorum nobilium regionis, a quibus non raro se segregabat, innutritur: habens specialem magistrum ceu camerae praefectum non more monachorum, sed more nobilium puerorum, qui ibi educabantur. Nec de eo abbas aut de studiis eiusdem pleno iure ut de monacho suo statuere audet, at Landulphum patrem advocat, monetque ut si filio suo consultum velit, mittat Neapolim,

aptiores in ea urbe quam in monasterio essent, praeceptores nacturum. Neapolim vadit ille non cum litteris, aut ex praescripto abbatis, sed ex imperio parentis utriusque, et ex quo semel Cassino egressus est, ipsum utpote nihil ad se attinentem haud curant deinceps abbas vel monachi. Quod enim Constantinus Caetanus, eumque excipiens in Martyrologio suo Benedictino Bucelinus aiunt, praeceptores Thomae Neapoli Martinum, et Petrum Hybernum ordinis sui fuisse, quam gratis ab iis fingitur, tam facile ac iure reiicitur : immo contrarium innuunt auctores cum magistros vocant, quo titulo non monachos, sed paedagogos saeculares ornare solent. Si Cassinensis erat monachus Thomas, cum praedicatorum vestem induit, cur patre, matre, sororibus, fratribus infrendentibus, quod mendicanti ordini se addixisset, abbas et conventus se parentibus non iungunt? Cur suum sibi sublatum non conqueruntur? Sane Cistercienses Fossanovani externum apud se sepultum sibi ereptum gravissime doluere, Summumque Pontificem appellavere. Putas hos mortuum non suum tantis clamoribus repetiisse, vivum illos summae spei adolescentem, cuius ingenium abbati ipsi horrori fuerat, ut nec parem ei apud se praeceptorem agnosceret, ad maxima denique omnia natum, cucullo suo exutum, ac ab ordine vix nascente quasi subreptum neglexisse ac siluisse? Quod in domo paterna ceu in carcere detento meretricem obtrudere veriti non sint, hoc est quia nondum religioni addictum ac professum, at recens tantum et praecipitanter veste sancta indutum censebant, nec peccatum illud tanti faciebant in laico : at si Benedictinae regulae professione, vel saltem diuturniori ex voto parentum eiusdem habitus gestatione consecratum scivissent, ad tanti sacrilegii propositionem exhorruissent ipsi, nec instillare tentassent. Si iam monachus erat Cassinensis, cur pater, ut refertur *proc. canoniz. num. 76. et* 77. monachales hinc, inde militares vestes offerens optionem dat, tantum ut nostras exuat, cui iam monacho a se devoto militem agere non liceret? Si iam monachus erat Cassinensis, cur nobis reddito Innocentius IV. abbatiam Cassinensem, ut familiae faveret, volens priorem professionem non obiicit? Cur referente Cantimpratano *de Apibus lib. 1. cap. 20. §. 10.* ut suavius ad eam dignitatem ineundam alliceret, etiam in veste Dominicana Benedictino ordini praeesse concessit? Aliunde haec omnia animi firmitatem ac constantiam angelicam in Thoma etiam iuniore testantia, argumento sunt cucullum Cassinensem si semel induisset, numquam ab eo dimittendum fuisse, ut semel assumptum propositum ordinis Praedicatorum nullis aut vexationibus, aut blanditiis, dignitatum etiam amplissimarum collatione, ut desereret persuaderi potuit. Perpendat lector quae fides adiectitiae illi marginali in Calendario Cassinensi recentioris manus adnotationi habenda sit, quae nullo aequalis testimonio scriptoris fulcitur, cum tamen Thomae in ordinem Praedicatorum ingressu nihil sit apud eos solemnius, cuius etiam circumstantias minutatim referre student, quique hanc ordinis mutationem, si vera esset, non tacuissent, ut aliorum plurium apud eos legere est : et an non potius ut pia monachi fabella dilllanda, ac ridenda, quam serio refellenda videatur.

*ANNO* MCCXLIII. *ordinem Praedicatorum etc.* Sic Tholomaeus lib. 22. c. 22. *Haec de ipso pro tempore Innocentii, quo ordinem intravit, nunc sint dicta.* At Innocentius IV. die XXIV. Iun. MCCXLIII. Anagniae electus fuit. Inscite vero quis dixerit, erratum esse amanuensis, et pro *Innocentio* legendum esse (*Gregorio :*) nam codices omnes MSS. quorum plures sunt Parisiis, et antiquissimi constanter legunt *Pro tempore Innocentii.* Neque ex hoc ulla sequitur apud Tholomaeum dictorum pugna. Vult quidem anno aetatis XVI. ordinem intrasse, sed addit XXXII. annis tantum in ordine vixisse, et anno MCCLXXIV. aetatis XLVIII. obiisse, quae conveniunt. Qui aetatis L. obiisse volunt, ut Guillelmus de Tocco, natu etiam maiorem XVIII. aut XIX. annorum ordini nomen dedisse addunt, nam sub Innocentio, non sub Gregorio id factum adstipulantur, lexque historiae ita exigit. Vide sequentia.

*NEAPOLI ingreditur.* Sic idem Tholomaeus cap. 20. *Dum F. Ioannes Theutonicus etc. de Neapoli F. Thomam adduceret, ubi ordinem intraverat etc.* Bartholomaeus logoteta citatus *proc. can. n. 76.* sic loquitur: *F. Ioannes de S. Iuliano antiquus Frater valde, homo magnae vitae et humilitatis, dicebatur notorie dictum F. Thomam de Aquino recepisse in ordine Praedicatorum.* Quod sic interpretor, adolescentem Thomam consiliis suis ad ordinem adduxisse : nam cum F. Thomas Agni de Lentino tum priorem conventus ageret, eum veste induisse certum, et sic habet Bernardus Guidonis. Ceterum hinc emendandus Cantimpratanus, qui Bononiae ordini nomen dedisse scribit.

*CIRCA Augustum mensem.* Id probant Editores Actorum SS. ex quodam Reginaldo apud Odoricum Raynaldum citato et ex Ciaconio. Scilicet quamdiu Fredericus fuit in Regno Siciliae, cum fratres Thomae e primoribus aulae simul adessent, Thomas eos veritus ordini nomen dare ausus non est. Imperator autem anno MCCXL. Viterbio potitus in Regnum secessit, nec in Tusciam rediit ante Augustum MCCXLIII. quo Viterbium armis pontificiis sibi ereptum recuperaturus accurrit, ac repulsam passus mense Septembri Aquapendentem cum copiis divertit : nihil ergo vero propius quam Thomam captata occasione exitus Frederici et cum eo fratrum suorum e Regno, tum habitum ordinis induisse. Hinc evertuntur omnia quae habet Malvenda de Thomae in ordinem ingressu, quae nec cohaerent.

*AQUAPENDENTE ex itinere transiens.* An laudatus magister ordinis Ioannes Theutonicus in eo itinere Thomam duceret, dubium est. Affirmat Gerardus de Fracheto, sic enim in Vitis Fratrum lib. 4. cap. 16. §. 3. *Fuit Frater quidam valde nobilis de partibus Romanis, quem cum secum duceret magister ordinis F. Ioannes Parisius ad proficiendum, consanguinei eius ipsum rapuerunt in via, confidentes de domino Frederico, cum quo tunc erant etc.* Consentit Tholomaeus lib. 22. cap. 20. *In suo autem introitu passus est a consanguineis. Dum enim F. Ioannes Theutonicus magister generalis ordinis vir maximae famae pro tempore illo in orbe de Neapoli F. Thomam adduceret, ubi ordinem intraverat, versus Parisios, veniens in Tusciam ad quoddam imperatoris castrum, quod Aquapendente vocatur, ibidem Fredericum invenit: et unus germanus F. Thomae cum*

*ipso dictus dominus Reginaldus vir probitatis non modicae, et inter maiores in curia Frederici, quamvis postea ab ipso fuerit interfectus: qui statim ut sensit fratrem suum advenisse Frederico dissimulante, dominus Reginaldus cum Petro de Vineis et suis familiis germanum suum subtraxit praedicto magistro etc.* Aliunde tamen non solum Guillelmus de Tocco in illa priori iuvenis Thomae ductione non meminit magistri ordinis, sed et in eo non levis est difficultas: nam eo anno MCCXLIII. magister ordinis capitulum generale Parisiis ad Pentecosten XXXI Maii celebrarat: hinc Gallis relictis Romam et Anagniam se contulerat Innocentium IV. Iunii XXIV. electum veneraturus; anno autem sequenti MCCXLIV. ad Pentecosten capitulum generale Bononiae habiturus erat, et revera eidem praefuit, ut ex littera eius encyclica hinc scripta constat. Quis putet magistrum ordinis tanta itinera difficillima anni tempestate pedestrem, ut illi solemne, suscepisse, scilicet e Gallis Romae reducem versus Augustum MCCXLIII., iterum Septembri vel Octobri sequenti Parisios remeare aggressum, ut Parisiis Bononiam rediret, ibique adesset ante festum ascensionis sequens, quod XII. Maii eo anno accidebat? Haec tamen conciliari possent dicendo magistrum ordinis Roma exeuntem iuvenem Thomam secum assumpsisse, non quidem Parisios usque a se deducendum, sed postquam Tusciam simul traiecissent, dimittendum cum quibusdam sociis versus Gallias, dum ipse in Longobardiam progrederetur, eam provinciam visitaturus ante capitulum generale: quae lectoris arbitrio permitto. Id rursus invicte demonstrat Thomam non nisi anno MCCXLIII. ordini adlectum, si quidem illo anno tantum Fredericus Aquapendente castra posuit.

*ANNO* MCCXLIV. *postquam per annum circiter detentus.* Sic loc. cit. vit. Frat. *Ducentes autem eum ad castrum remotum, ubi tenentes eum quasi per annum etc.* Tholomaeus citatus haec solum habet: *Impositum equo violenta manu cum bona comitativa ipsum in Campaniam misit* Reginaldus eius germanus *ad quoddam castrum ipsorum vocatum S. Ioannis. Ibi longo tempore vexatus est ad habitum ordinis relinquendum. Nec a sancto proposito averti potuit sive minis sive blanditiis sive quibuscumque modis, prohibentes accessum cuiuscumque Fratris.* Bartholomaeus logotheta proc. canoniz. num. 76. *Potentia patris captus fuit in castro paterno detentus, in quo plusquam per annum exitit arcte detrusus.* Idipsum evincit rerum series, quae aliter stare non potest, ut mox patebit. Unde Guillelmus de Tocco, qui fere per duos annos custoditum ait in carcere, sic intelligendus, quod partem anni MCCXLIII. et maiorem partem anni sequentis reclusus fuerit: quod vero narrat Cantimpratanus *lib. 1. de apibus cap. 20. §. 10. annis duobus vel tribus in carcere perdurasse*, cum exaggeratione ab eo dictum fatendum est, nec cum gestis convenit. Toccus citatus addit de novitii Thomae raptu ac detentione apud Innocentium IV. tum in Tuscia commorantem ordinem conquestum esse, monitumque a Pontifice Imperatorem, ut se ad pacem pronum ostenderet, fratres Thomae apprehendi iussisse. Haec inter Pascha, scilicet tertiam Aprilis MCCXLIV. et festum S. Petri XXIX. Iunii accidisse necesse est: nam Innocentius eo anno pacis cum Frederico ineundae causa VII. Iunii Roma discessit, ut habet F. Nicolaus de Curbio ord. Minorum eius confessarius in vita eiusdem, et in Etruriam venit, substititque, partim in civitate Castellana, partim Sutrii, tumque revera quaedam fuerunt nunciorum utrinque missorum colloquia, multaque verba de pace ultro citroque habita: ipsa autem nocte S. Petri Pontifex fugienti similis Civitatem Veterem praecipiti cursu abiit, triremesque Ianuenses ascendit, a quibus Ianuam deportatus deinceps terrestri itinere circumeundo, ut Frederici insidias vitaret, Lugdunum appulit mense Decembri. Itaque paulo post eas querelas a Pontifice Imperatori delatas Thomam liberum dimissum et ordini restitutum verosimilius est.

*NEAPOLIM indeque absque intervallo Romam ad magistrum ordinis adducitur.* Hic plura apud Editores Actorum SS. emendanda. Censent illi Thomam Neapoli perstitisse ad capitulum generale sequens, quod Romae anno MCCXLV. celebratum censent, tumque ad magistrum ordinis adductum fuisse, ut in eo capitulo ei provideretur de studio generali, et post illud capitulum Romanum Coloniam cum magistro ordinis ivisse. Sic enim capitula generalia sub Ioanne Theutonico celebrata numerant *annis* MCCXLIII. *Parisiis* MCCXLIV. *Bononiae*, MCCXLV. *Romae, quod inquiunt* XXIII. *in ordine fuit, et* III. *sub Ioanne Theutonico, licet a Malvenda omissum,* MCCXLVI. *Parisiis.* Illa igitur expungenda omnia, haecque certissima reponenda. Ioannes Theutonicus electus fuit Parisiis ad Pentecosten MCCXLI. habuitque tum primum suum capitulum generale: MCCXLII. Bononiae secundum: MCCXLIII. Parisius tertium: MCCXLIV. Bononiae quartum: MCCXLV. in ordine XXIII. revera, sed Ioannis Theutonici quintum, illudque non Romae, sed Coloniae, ubi prima vice coeperunt capitula generalia extra Bononiam et Parisios celebrari: propterea Malvenda de capitulo illo Romano MCCXL. meminisse non potuit, quod nullum ibi coactum. At dices: Guillelmus de Tocco sic habet de Thoma e carcere egresso: *Fratres eo recepto ipsum Romam ad capitulum generale miserunt, in quo provideretur ei propter spem futuri profectus in proximo de studio generali.* Haec sunt sane quae eruditos Editores in errorem duxerunt, sed ordinis historiam tenenti facilem habent interpretationem: sic enim construenda verba: *Fratres mox eo recepto ipsum Romam ad magistrum ordinis miserunt, qui ad capitulum generale anno sequenti* MCCXLV. *non Romae, sed Coloniae celebrandum se iam accingebat, propterea que Galliam meditabatur, ut hinc in Germaniam transiret, quod omnino commodum erat, ut eo iuvenis Thomas duceretur, ubi et eidem propter spem futuri profectus non expectato alio capitulo generali, sed in illo proximo provideretur de studio generali, scilicet Parisiensi, quod tum erat unicum generale.* Cum ista sint luce ipsa clariora, sic explicandum Guillelmum de Tocco nemo prudens negabit: nam capitulum generale anno MCCXLV. Coloniae habitum, nullumque ab instituto ordine Romae ante MCCXCII. celebratum acta capitulorum generalium, ipsiusque Coloniensis anni MCCXLV. quae ubique in ordine servantur, clamant. Narrationi nostrae assentitur Tholomaeus citatus cap. 21. *Sed per praefatas* (sic Navar. sed Colbert. *privatas*) *personas ordinavit* (mater, vel Thomas ipse dissimulante matre) *quod Fratres sui ordinis de nocte venirent ad murum castri, quod se cum fune dimitterent:* (codex Colbert. 2818. *quia se cum fune dimitte-*

*ret*) *sicque factum est, ac statim animalia sunt parata ad ipsum reducendum domum.* Sic in MS. Navar. at Colbert 527. *ad ipsum ducendum Romam.*

*PARISIOS, ac vix ibi commoratus recta Coloniam ducit.* Guillelmus de Tocco sic habet: *Duxit ipsum Parisios, et deinde Coloniam.* Idem S. Antoninus Tholomaeus nec Parisiorum quidem meminit. *Inde*, inquit, idest Roma, *vadit Coloniam ad F. Albertum.* Tholomaeum sequitur Pizamanus. Auctor vitae praefixae editioni Romanae: *Ducitur Parisios, ibique parum moratus Coloniam tendit:* et post pauca: *nullam ibi moram* (scilicet Neapoli) *traxit, sed magnis itineribus ad eam urbem* (sc. Coloniam) *protendit.* Unde pauci menses quos Leander Albertus, seu potius Ioannes Garco dicit illum tum remoratum Parisiis, ex mera eius liberalitate sunt, aliis omnibus ibidem vix aliquot dies stetisse, ac quantum necesse erat, ut paululum a grandiori itinere reficeretur, referentibus aut indicantibus. Et sane certum est Thomam sub Alberto Coloniae primum studuisse, idque saltem per annum: tempus igitur urgebat, ut mense Augusto vel Septembri Roma egressus, Coloniam ante hiemem accederet, nec illi otium erat Parisiis vel mensem integrum remorandi.

*Et cum eo iuvenis Thomas.* Duo hic probanda sunt, primum Parisiense studium tum fuisse unicum generale, quod facile. Nam anno MCCXLVIII. tantum confirmata fuit Parisiis haec constitutio: *Item ubi dicitur in constitutionibus, tres Fratres tantum mittantur Parisios de Provincia, addatur: Quatuor autem provinciae, Lombardia, Theutonia, Anglia, Provincia provideant ut semper in aliquo conventu idoneo sit generale studium et solemne, et ad illud locum quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos Fratres idoneos ad studium. Et haec habet tria capitula*, scilicet Parisiense MCCXLVI. ubi inchoata, et Monspeliense MCCXLVII. ubi approbata, et hoc alterum Parisiense MCCXLVIII. ubi confirmata. Cum autem constitutiones executioni mandari prohiberentur, usquequo confirmatae forent, hinc constat anno demum MCCXLVIII. et non prius haec quatuor alia generalia studia praeter Parisiense fuisse instituta, Bononiense in Lombardia, Coloniense in Theutonia, Oxoniense in Anglia, et Monspeliense in Provincia. Alterum probandum est, iuvenem Thomam Parisios cum Alberto missum fuisse, de quo etsi quidam dubitent, est mihi certissimum. Iam consentit Boulaeus *Hist. univ. Paris.* T. III. pag. 162. Revera vult, anno tantum MCCXLVII. Parisios studiorum causa venisse; verum ita sentit, quia eo tantum anno Albertum existimat illuc accessisse. At ex triennio magisterii duobus annis ibidem legere incepisse evicimus ubi de eo. Petrus de Prussia in vita Alberti Magni videtur indicare, dum iste Parisios ivit laurea donandus, Thomam in Italiam rediisse, unde a magistro ordinis Ioanne Theutonico secundum reductus Coloniam fuerit, sub Alberto tum Parisiis reverso studia resumpturus. Sed cum id exinde colligat tantum, quod Cantimpratanus meminerit circa haec tempora Thomam ad Summi Pontificis curiam vocatum fuisse, iis non probabitur, qui norunt ab anno MCCXLIV. ad MCCLI. Innocentium IV. curiamque proinde Romanam Lugduni semper stetisse. Coloniae Aquinatem continuo studuisse censent alii, nec Parisios nisi ad legendas Sententias primum accessisse: at sic sentiunt, quod Albertum Magnum quem pluribus annis antea Parisiensi laurea donatum ariolantur, istis annis Colonia pedem non movisse velint, ibique etiam continuo docuisse. Verum contrarium (ubi de Alberto) evicimus ex Cantimpratano, cui sub oculis suis gesta et in sua regione narranti fides videtur adhibenda. Sic enim ille *de Apibus lib.* 1. *cap.* 20. §. 10. *Coloniam Agrippinam venit* iuvenis Aquinas, *studuitque in loco illo, quousque praeclarus lector Fratrum ibidem F. Albertus Parisius translatus est, et pro incomparabili scientia Theologiae cathedram sortitus est.* Ut enim ex his verbis cum Boulaeo *Hist. univ. Paris. cit.* evidenter concluditur, Albertum Parisios ad legendas sententias non ante missum fuisse, quam Coloniam Thomas adductus fuerit, sic ex iisdem colligere promptum est, et Thomam cum Alberto Parisiis assignatum fuisse. Si enim abeunte Alberto Thomas remansisset, dixisset Cantimpratanus: *Studuitque in loco illo etiam postquam praeclarus etc.* Illud *quousque*, si modum loquendi attendas, idem est ac si diceret, studuit in loco illo quamdiu ibidem stetit Albertus; at cum hic Parisios translatus est, et ille cum eo etiam translatus fuit, nec amplius ea vice saltem studuit in loco illo. Favet quod si per annum tantum Albertum Coloniae audivisset, et per tres annos sequentes alium Coloniae regentem, huius potius discipulus dicendus esset quam Alberti, cuius tamen κατ ἐξοχην discipulus iactatur, non alia ratione quam quod cum diutius prae ceteris audierit, quamdiu fuit auditor tantum. Favet quod ex Guillelmo de Tocco supra referebamus, ad magistrum ordinis ideo potissimum missum, ut ab eodem in proximo capitulo generali, quod fuit Coloniense anni MCCXLV. ei de studio generali provideretur: at unicum studium generale, ut mox probatum, Parisiense tum erat. Et sane cum quaelibet provincia tres studentes in quolibet capitulo provinciali Parisios mittendi ius haberet, et mitteret revera; quem Romana misisset, si Thomam tantae spei iuvenem neglexisset? Denique nullum scio prioribus illis ordinis saeculis ad gradus in gymnasio Saniacobeo Parisiensi promotum, qui antea in eodem duobus saltem aut tribus annis ut studens assignatus non fuerit.

*PER quatuor annos Theologiam audivisse etc.* Sic enim in *constit. dist.* 2. *cap.* 14. *de studentibus* alias legebatur: *Nullus fiat publicus doctor, nisi ad minus quatuor annis Theologiam audierit etc.* Et anno tantum MCCXL. in cap. Argentinensi haec conditio sublata est. Praeterea assignatio extraneorum, idest ex aliis a Francia provinciis in studio generali Parisiensi triennium durabat ut plurimum.

*PRIMUM quidem sub Alberto Magno etc.* Hos tres Ioannem Pungensasinum, Albertum Magnum, et Stephanum de Varnesia ab Aquinate Parisiis auditos statuimus, quia ex sententia Odonis Cardinalis legati adversus libros Thalmudicos, hos tres scholam nostram Parisiensem rexisse annis illis a MCCXLV. ad MCCXLVIII. obvium est. Praeterea traditio est conventus nostri Antissiodorensis in antiquis eius monumentis a me visis servata, iuvenem Thomam F. Stephani de Varnesia auditorem fuisse.

Ex hactenus dictis funditus ruit visa illa quibusdam et adeo vane decantata Aquinatis nostri sub Alexandro

de Hales ordinis Minorum educatio et disciplina, quandoquidem hoc vivo illum Parisiis diebus non plus octo aut quindecim ad summum stetisse, ex auctoribus aequalibus certissimum sit. Fabellam illam ita expunxit noster Natalis Alexander in eleganti sua cum Minore collatione, ut iterato opus non sit; ac deinceps superbam illam S. Thomae praeceptoris nomenclaturam inter Halensis titulos nemo sit annumeraturus, nisi qui tenebras soli offundere, sibique ipsi illudere velit. Quamvis autem Wadingi argumenta in laudata collatione solo tenus erasa sint omnia, non possum abstinere, quin addam Wadingum ipsum secum pugnare. En ipsius verba non semel at bis et tertio variis locis repetita: *Alexander Halensis scholam Minoritanam rexit usque dum ea cederet F. Ioanni de Rupella, et F. Ioannes de Rupella in eadem docuit continue usquequo eamdem S. Bonaventurae resignaret:* Gonzagamque eadem narrantem testem adducit. Quam vera haec sint, mox discutietur; at quod dant illi tam liberaliter, libenter accipio. Ex Gonzaga igitur et ex Wadingo Halensis tamdiu solum in cathedra Minorum legit, quousque ea in gratiam Rupellensis cessit, et ex quo iste eam ascendit, verum est Halensem in ea non amplius docuisse. Atqui anno MCCXXXVIII. iam Ioannes de Rupella Minoritana cathedra potiebatur: nam in convocatione de pluralitate beneficiorum eo anno a Guillelmo Parisiensi Episcopo habita, cui Theologiae magistri Parisienses omnes adfuere, Ioannes de Rupella iam magister aderat; immo solus ex Minorum familia laudatur a Cantimpratano *Apum lib.* 1. *cap.* 19. *sect.* 5. quod iudicium est tum apud eos celebriorem fuisse, ac forte tum Parisiis absentem Halensem. Ut ut sit, iam anno MCCXXXVIII. in schola Minorum regentem Ioannem de Rupella tenemus, si quidem nonnisi publica et solemni Sententiarum lectione ad magisterii gradum eo saeculo ascendebatur: ergo ea tum cesserat Halensis, nec ab eo anno amplius in ea docuit. Qui igitur vel unicam ex eius ore lectionem Aquinas audire potuit, qui anno tantum MCCXLIII. ordini Praedicatorum ascitus, anno sequenti MCCLIV. nonnisi paucis diebus Parisiis stetit, celeri cursu Coloniam pergens, neque ad gymnasium Saniacobeum anno MCCXLV. reversus est nisi mortuo sepultoque Alexandro. Verum audiendus ipsemet Gonzaga a Boulaeo Hist. univ. Paris. T. III. pag. 202 excriptus. *Itaque*, inquit, *Alexandri Halensis primi inter FF. Minores doctoris pietate ac celebritate permoti sacrae Facultatis Parisiensis proceres, virum monent rogantque, ut quem ex suis discipulis fratribus aptiorem nosset, eidem Facultati quotannis praesentaret ad libros Sententiarum perlegendos, et insignia doctoris Theologi tandem pro laboribus accipienda. Is secum perpendens quantum hoc ad Ecclesiae obsequium et ordinis decus pertineret, orationibus ad Deum praemissis revelatione didicit F. Ioannem de Rupella huic rei valde idoneum. Is igitur multis laboribus, studiis, virtutibus, et scriptis publice editis clarus secundus in ordine doctor Parisiensis evasit, tertius S. Bonaventura etc.* Eadem habet Wadingus. Viden utrumque palam fateri ex praesentatione Halensis Ioannem de Rupella ad legendas publice Sententias a sacra Facultate acceptum, et ex scriptis editis doctoris lauream promeritum ac consecutum. Atqui anno MCCXXXVIII. iam illum doctoris gradum ascenderat ex Cantimpratano loco citato. Ergo anno MCCXXXVIII. iam schola Minorum quae unica illis erat, potiebatur: ergo anno MCCXXXVIII. Halensis iam ea cesserat: ergo anno MCCXLIV. et MCCXLV. Rupellensis iuxta Wadingum, aut verius alter eius successor in ea docebat, non Halensis: ergo annis MCCXLIV. et MCCXLV. extranei, qui nonnisi ad scholas publicas admittebantur, alium audiebant, non Halensem ante MCCXXXVIII. rude donatum, ac deinceps publice ac ordinarie non legentem. Qui Aquinas discipulus eius esse potuit, cuius vox sua aetate in schola publica Minorum non amplius audiebatur? Esto in privata Minorum schola, modo id documento antiquo probetur, lectiones habuerit, sed ad quas nullis nisi consodalibus Franciscanis accedere fas erat. His adde Thomam septemdecim tum annorum, aut si velis novemdecim ad summum natum professionis suae ac sodalium societatis eo amantiorem, quod e carcere paterno nupes egressus, ea vix frui eo usque concessum esset: adolescentem, inquam, totum verecundum et e superiorum nutu ex animo pendentem, nec Minores Parisienses, aut an esset et quis esset Halensis in hoc primo suo ad urbem regiam adventu agnoscentem, e gymnasio Saniacobeo egrediendi, ut ad Minorum scholam vel publicam vel privatam se conferret, desiderio pungi non potuisse, nisi sodalibus Saniacobeis studio deditis libera tum fuisset a superioribus data facultas magistros proprios et contubernales deserendi, et ad Minorum scholam accedendi, vel nisi adstruatur Halensem a nostris advocatum in schola Saniacobea etiam docuisse. Quis vero umquam talia imaginatus est? Quis sodalium Saniacobeorum Halensem fuisse magistrum vel cogitavit? Quis nisi demens et vecors rem tam praeposteram sibi fingat?

Mire sane Wadingus ratiocinatur. *Quae*, inquit, *S. Thomae iniuria, si Halensis discipulus dicatur?* Et quae, repono ego, S. Francisco iniuria, si quod Augustiniani contendunt, eremita fuerit? Non quod Francisci iniuria sit, inquis, sed quod verum non sit, id nego, ac ex chronologia evidenter demonstro. Responsionem ipse mihi cudis. Halensis discipulum Aquinatem fuisse, non quia contumeliosum sit, esto: sed quia falsissimum est, ideo vero pernego, et ex chronologia duplici ex capite peremptorie evinco, et quod vivo Halensi Parisiis non steterit Aquinas, et quod cum Aquinas ordinem Praedicatorum amplexus est, iam amplius Halensis in schola vestra non doceret. Tantum abest ut Aquinatis magister ille fuerit ut an ipsius fuerit Bonaventurae anno tantum MCCXLIII. Minoritanam togam induti difficultas sit non mediocris. Quod et ex chronologia, et ex antiquis ac aequalibus de Seraphico doctore testimoniis, quo scilicet an primo an septimo professionis anno Parisios accesserit, cui etiam scientiae primum post emissa vota applicitus, Philosophiaene, ut innuit Wadingus T. I. pag. 622. an statim Theologiae, et ex saeculi illius moribus de provinciarum extranearum studentibus Parisios mittendis ἀκρίσεις illi Actorum SS. Editores solito criterio discutient.

In Bulla canonizationis S. Bonaventurae a Sixto IV. data dicuntur ambo et Thomas et Bonaventura coactanei condiscipuli et commagistri; sed quod notandum, ibi nihil de Halensi, ne quidem eius nomen adducitur: eo loci praeterea Sixtus IV more aliorum Pontificum loquitur supposita rei veritate: et verum denique habent sen-

sum verba Pontificis : coaetanei fuerunt ambo , idest eiusdem ferme aetatis , licet Thomas quibusdam annis iunior : condiscipuli , idest iisdem annis Theologiae operam dantes , Thomas sub magistris Saniacobeis , Bonaventura sub magistris Minoritis, vel etiam iisdem annis baccalaurei et in Facultate Parisiensi licentiam decurrentes: denique commagistri , eodem anno , forsan et mense laurea donati. Nec quid amplius sonat Pontificis oratio , qui eo fine haec profert , ut simili honore utriusque festum colendum statuat , non ut in iis sanctitatem Bonaventurae fundet , quam antea probaverat , et ob quam accurate perspectam eum iam sacro canoni inscripserat.

Etsi autem meum non sit annales Minorum reformare , dicam tamen audacter honori familiae suae Wadingum parum consuluisse , ac incredibilia narrare , immo aperte falsa ( quod praefiscinae velim accipi , nam Annalium Franciscanorum parentem eximie colo ) cum XXV. annorum circiter spatio , ab anno scilicet MCCXXII. iuxta ipsum , aut iuxta alios , et certius ab anno circiter MCCXXX. quo tantum domum Parisiis habere coeperunt , tres nec plures Minoritas in schola sua publica magistros docentes agnoscit , Halensem , Ioannem de Rupella , Sanctumque Bonaventuram. Illud, inquam, ordini Minoritano parum honorificum et incredibile ut in numerosissima Ecclesiae familia , ac doctorum virorum feracissima tot annis duos tantum habuerint , quos ad legendas publice Sententias Facultati praesentarent : nam Halensis priusquam ordini nomen daret , iam magisterii gradu insignitus erat. Quod si ita est , quam male ipsis , ut mox ex Gonzaga referebamus , a sacrae Facultatis proceribus concessa libertate usi sunt , de novo quotannis ex eorum gremio baccalaureo praesentando. Immo vero illud aperte falsum est. An F. Odonem Rigaudi sacrae Facultatis Parisiensis magistrum anno MCCXLVIII. electum Rotomagensem Archiepiscopum : an F. Guillelmum de Mesitona , qui iubente Alexandro IV. Summam Halensis magna ex parte complevit , et in sententia citata Odonis Cardinalis prius nostro Ioanne Pungensasinum nominatum magistrum : nullus enim , nec ipse Boulaeus in *Hist. univ. T.* III. *pag.* 685. dicit prius laurea donatum quam ad Minores se conferret : an F. Ioannem de Parma anno MCCXLVII. ad supremum Ordinis clavum promotum , dum actu teste Wadingo ad eum annum num. 4. scholae Parisiensi praeesset : an hos , inquam, negabit Wadingus publice Sententias legisse? En tres saltem post F. Ioannem de Rupella, et ante S. Bonaventuram cathedrae Minorum regentes. Itaque sic existimes , quae apud nostros , eadem proportione servata πολιτειαν litterariam apud Minores viguisse. Exaggerationem quidem esse certum est , cum Gonzaga et sequaces testantur in Halensis gratiam ab universitate Parisiensi concessum fuisse , ut ex ordine Minorum novus quotannis praesentaretur , ut aiunt , licentiandus. Neque enim eo iure potiti sunt illi nec eo saeculo , nec sequenti saltem ad MCCCXXXV. Illud fuit privilegium Praedicatorum solum , qui cum duas scholas haberent , novum revera quotannis licentiandum praesentabant alternatim extraneum et intraneum. At Minores , qui unica schola gaudebant , quolibet biennio novum ad legendas publice Sententias baccalaureum produxisse nullus dubitet. Hinc Halensis non alio modo apud eos se gessisse putandus est , quam Ioannes Ægidius apud nostros. Hic quamprimum Rolandum Cremonensem magisterio insigniri procuravit , e scholis nostris se subduxit, et quotannis deinceps suo quisque ordine novi semper prodibant baccalaurei , quibus antiquiores exacto triennio cedebant , non aliter apud Minores. Primus eorum agonotheta Halensis fuit , qui tantum apud eos legit , quousque baccalaureum ex suis licentiandum obtineret , sive ille Ioannes de Rupella fuerit , sive alius antiquior : at quolibet biennio deinceps novi ex numerosa illa familia arenam intrabant athletae , qui Sententias publice quisque suo ordine legebant , antiquioribus post triennium magisterii schola cedentibus. Neque vero difficile foret plures etiam praeter laudatos post Halensem , et ante Bonaventuram Theologiam in eorum schola publice professos in medium proferre ; verum alicui ipsorum id potius reservandum , qui heroas illos suos ab Wadingo et Gonzaga omissos aliquando forte luci restituet , ac laude merita non frustrabit. Meminerit autem ille, quod ad inveniendum adiumento erit, non ex privata aut inani quemquam sive Praedicatorum , sive Minorum , sed ex certa et publica Sententiarum lectione magisterii gradum eo saeculo obtinuisse ; ac sic quemcumque ex suis sacrae facultatis Parisiensis magistrum certo fuisse deprehenderit , hunc in schola Minoritana vice sua publice rexisse securus affirmet. Porro haec omnia magis ac magis evincunt, non Halensem modo, sed et Rupellensem ante annum MCCXLIII. in schola Minorum legere cessasse , ac utrumque ut emeritos et rude donatos privatim tum et annis sequentibus libris scribendis et in lucem edendis forsan operam navasse.

Gratum autem lectori me facturum arbitratus sum , si epitaphium Halensis primo eius lapidi sepulcrali inscriptum , ac nonnisi mutilum , quod sciam , hactenus editum , integrum exhiberem. En ut a me lectum est anno MDCC. mense Novembri in Cod. MS. saec. XIII. Bibl. Sorbon. fol. mag. memb. num. 1. pag. 232. charactere minutiori, at emendato, qui est altera pars Summae Halensis, quae incipit, *Completis tractatibus.* Pag. 1. pura sic legitur:

*In tumba quae de directo distat per unam tumbam ab introitu chori ecclesiae FF. Minorum Parisiis haec scribuntur. In tabernaculo capitis imaginis sculptae in dicta tumba scribitur:*

HIC IACET FRATER ALEXANDER DE HALES , QUI OBIIT.

ANNO DOMINI MCCXLV. XII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

*In circuitu dictae tumbae scribuntur iis versus. Gloria doctorum , decus et flos philosophorum etc.*

Versus quidem ab Wadingo relati ; at superiora omissa , ex quibus certo diem obitus noveris , in quo tamen quidam variarunt. Tenes praeterea locum , quo primum sepultus fuit , modo chori ac templi totius , quae olim fuit πολιτειαν perspectam habeas. Hinc etiam evincitur elegiam illam alias ad murum appensam et a Boulaeo *Hist. univ. Par. T.* III. *pag.* 201. laudatam , novitiam esse , antiquis plane incognitam , nulliusque momenti.

Ut tandem hunc articulum finiam , Halensem magistrum a S. Thoma agnitum non omnino negaverim , ea

scilicet ratione, qua qui nunc vivunt sacrae Facultatis Parisiensis baccalaurei et magistri praedecessores suos iam vita functos, etsi nec viderint umquam, nec audierint, sapientissimos magistros nostros, eo ipso quo maiores, agnoscere et appellitare summa etiam cum reverentia quotidie consueverunt: qua etiam ratione S. Bonaventura de Halensi, etiamsi docentem non audivisset umquam, vere dicere potuit, ut habet in 1. Sentent. dist. 23. *Hic unus est de decem articulis ab universitate magistrorum reprobatis tempore. . . . et F. Alexandri de Hales patris et magistri nostri.* Sic enim legitur in omnibus codd. MSS. et impressis, non vero *magistri mei*, ut Ioanni de la Haye in prolegomenis ad Apocalipsin scribere placuit. *Magistrum,* inquam, *nostrum* appellare potuit, quod esset scholae Minorum primus fundator, et, ut dicam, primus aliptes. Unum hoc habeo addendum, nulla nobis de Bonaventurae et Thomae studiis quibuscumque cuiusvis ordinis scriptoribus saeculi XV. et posteriorum fides; solos saec. XIII. aut XIV. audimus. Id ratum fixumque esto.

*Anno* MCCXLVIII. *post vacationes ambo magister et discipulus Coloniam reversi sunt. Thomas vero sub eo iuxta leges ordinis etc.* Coloniae Thomam multo tempore fuisse testatur Tholomaeus citatus cap. 21. *Ibi,* inquit, *multo tempore fuit, ac ibidem multa hausit, quamvis ex suo ingenio multa invenerit, quia in inventiva et iudicativa omnem hominem transcendit.* Cur ergo per annum tantum ibi fuerit, antequam Albertus Parisios veniret promovendus, post eius promotionem cum eodem rediisse consequens est. *Communi fama*, inquit Petrus de Prussia in vita Alberti Magni cap. 7. *in Coloniensi conventu dici solet B. Thomam Coloniae sub Alberto novem annis studuisse.* Duo hic expendenda: primum illud *novem annis,* nisi enim triennium magisterii Parisiensis numeret, quod iuxta ipsum Prussum a primo Thomae Coloniam adventu exegit Albertus, novem illos annos non reperiet. Siquidem anno MCCXLIV. sub finem in Germaniam primum advenit S. Thomas, et ad annum MCCLIII. cum tardissime ibi egit. Itaque novem annis sub Alberto fuit, tribus Parisiis, sex circiter Coloniae, tum ante tum post studium Parisiense. Alterum expendendum est illud *studuit:* quod non stricte accipiendum, quasi per reditum e studio generali Parisiensi, ut discipulus et novitius studens Alberti lectiones exciperet, sed largo modo, scilicet quod Albertus primarius esset gymnasii Coloniensis regens, Thomas vero iuxta consuetudinem eorum, qui e Parisiensi studio revertebantur, Philosophiam, Scripturam Sacram, Sententias legeret, ac interpretaretur, magistrique studentium, lectoris biblici, sic enim vocabant, cursoris ac Theologiae secundarii munus obiret. Tum autem, scilicet vel ipso anno MCCXLIII. cum Parisiis egressus Coloniam cogitaret, vel aliquo sequentium, cum iam Coloniam pervenisset, accidisse vero propius est, quod de eo narrat Cantimpratanus *Apum lib. 1. cap.* 20. §. 10. scilicet ambitu fratrum carnalium et amicorum, quos in aula Pontificia habebat, ad Innocentii IV. praesentiam accitum fuisse, eique ab eodem praeceptum, ut Montiscassini regimen susciperet, etiam servata, si vellet, Praedicatorum veste: quod ille constanter detrectavit: unde ex aula Pontificia clam elapsus Coloniam ad Albertum suum redierit. Neque enim id ante Concilium Lugdunense I. anno MCCXLV. mense Iulio celebratum fieri potuit, cum fratres eius tum Frederici partes sequerentur. At post Concilium tota cognatio comitum Aquinorum, ut et plures eiusdem Regni Neapolitani, Fredericum depositum deserens, summo Pontifici adhaesit. Hinc ira excandescens Imperator eam familiam gravius insectatus est, Reginaldumque ipsum Thomae fratrem virum, ut nostri Tholomaei verbis utar, *probitatis non modicae*, fortitudinis scilicet militaris gloria illustrem, et inter aulae proceres e principibus unum morti addixit. Unde illi tum e Regno fugisse, et Lugdunum ad Summum Pontificem accessisse videntur: quibus favere volens Innocentius abbatiam Montiscassini Thomae ad se accersito conditionibus a Cantimpratano relatis obtulerit. Quod si placeat, apud Cantimpratanum eo loci υστερον προτερον agnoscendum erit, quod huic auctori non insolens: quique hic speciatim videtur omnia, quae ad iuvenem Thomam ab ordine extrahendum variis licet temporibus tentata sunt, simul ac semel congerere voluisse, propterea que hoc ultimum tentamentum Parisiensi studio prius narrat, licet posterius factum. Favet Tholomaeus Lucensis, qui idem referens, non quidem ad aulam Romanam accitum Thomam, sed ei Coloniae studiis insistenti rem propositam scribit; sed eum praestat audire lib. 22. cap. 21. *Et ibidem* (Coloniae) *existens, oblata fuit eidem abbatia Montiscassini per Alexandrum gratia parentum, qui iam erant expulsi de Regno; sed recusavit.* Ubi vides, cum ea propositio facta est, parentes Thomae a Regno Neapolitano extorres factos fuisse, sicque haec nonnisi annis Concilium Lugdunense I. sequentibus evenisse: forte etiam post mortem Frederici qui sub finem anni MCCL. ac Stephani II. abbatis Cassinensis, qui anno MCCLI. obiit: nam antea Cassinum in miserrimo statu erat, omnibus fere a Frederico eiectis monachis, bonisque illius monasterii militum direptioni ac dilapidationi derelictis. Ceterum hic emendandus vel Tholomaeus, vel potius eius notarius, qui Alexandrum IV. scripsit pro Innocentio IV. nam priusquam Alexander ad Ecclesiae gubernaculum sederet, iam Colonia excesserat Thomas eo deinceps non reversurus.

*IIS etiam annis quosdam tractatus edidit.* Sic Tholomaeus loco cit. *Infra magisterium quosdam libellos composuit, unus fuit contra magistrum Guillelmum de Sancto amore, qui incipit: Domine ecce inimici tui sonuerunt.* 2. *fuit de quidditate et esse.* 3. *fuit de principiis naturae.* Primum opusculum certum est Anagniae compositum fuisse anno MCCLVI. cum pro negotio Parisiensi, de quo mox, ibi adesset. At secundum et tertium nulli tempori aptius adscribere possumus, quam annis illis lectionum Coloniensium. Hinc Tholomaeus lib. 23. cap. 12. dicit, Thomam tractatum de ente et essentia scripsisse *ad Fratres et socios*, qui loquendi modus indicat adhuc iuniorem. Forte et quaedam alia opuscula edidit, ac librum aliquem Scripturae Sacrae commentatus est, at in primis scriptum suum in Sententias inchoavit, quod postea Parisiis perfecit.

*ANNO* MCCLII. *vel Coloniae iisdem detentus lectionibus perstitit.* Perstitisse verius existimo, quia ibi longo tempore fuisse consentiunt omnes, nec Parisios docturum venisse nisi ut legeret Sententias testantur: quas lectiones certo Parisiis non incepit nisi anno MCCLII. Attamen sic habet Guillelmus de Tocco: *Post haec autem*

*cum F. Thomas sic mirabiliter in scientia et vita proficeret, et magistro Alberto ex commissione R. P. F. Ioannis magistri ordinis incumberet, ut Parisiensi studio de baccalaureo provideret, magister praedicti sui discipuli praevidens velocem in doctrina profectum, suasit per litteras magistro ordinis, ut dictum F. Thomam Parisios mitteret. Quem cum non duceret acceptandum, ignorans eius sufficientiam, suasu Hugonis Cardinalis, cui erat de ipso per litteras intimatum, praedictus magister ipsum in bacelarium Parisiensem acceptavit, scribens ei ut statim Parisios se conferret, et ad legendum Sententias se pararet.* Hae litterae certo scriptae fuerunt ante IV. Novemb. MCCLII. qua die obiit dictus Ioannes Theutonicus : unde si quis ex illis contendat Thomae praeceptum fuisse, ut statim Parisios adiret, non repugnabo, tumque eo anno librum aliquem Scripturae Sacrae interpretatus fuerit : quamvis responderi possit iis litteris non praeceptum, sed monitum tantum fuisse, ut ad legendas anno sequenti Parisiis Sententias se pararet, qui revera annus erat extraneis debitus.

*ANNO* MCCLII. *etc.* Audiendus hic Tholomaeus lib. 22. cap. 21. *Post haec vadit Parisius. Vigintiquinque autem annorum erat, cum primo Parisius venit.* Cum eam sententiam praeferat Tholomaeus, quae anno aetatis XLVIII. mortuum Thomam asserit, non mirum quod 25. aetatis paulo plus, scilicet anno MCCLIII. Parisios docturum venisse scribat. Illud *cum primo Parisius venit*, sic intelligendum, cum primo venit Sententias lecturus : nam primos eius studiorum annos non ita scrupulose discussit, ut nec Alberti Magni.

*IN schola F. Heliae Bruneti Petracoricensis.* Ex historia universitatis Parisiensis, ex bullis summorum Pontificum, et ex catalogo magistrorum Parisiensium apud Bernardum Guidonis, F. Bonushomo Brito e Provincia Franciae, et F. Helias Bruneti e provincia Provinciae ambo magistri scholas nostras regebant quadragesima anni MCCLII. stilo veteri, novo MCCLIII. cum Guillelmus de Sancto amore tantas in nos turbas excitavit. Igitur iuxta legem alternationis Bonushomo tertium annum magisterii, Helias secundum decurrebant : hinc ulterius sequitur illo eodem anno in instauratione scholarum circa Octobrem Heliam tertium annum incepisse, iusque habuisse baccalaurei, qui in sua schola sub suo regimine Sententias legeret, isque fuit Aquinas noster.

*HABENS collegam in altera schola P. Hugonem Metensem.* Bonushomo Brito anno MCCLII. mense Octobri tertium magisterii annum agens baccalaureum Sententias in sua schola legentem habere debuit intraneum, idest ex eadem sua provincia : hunc autem Hugonem Metensem ea aetate celebrem fuisse contendimus, tum quod S. Thoma antiquior apud Auctores, et apud ipsum Bernardum Guidonis indicetur, tum quod cum Aquinate Parisiis docuisse traditio sit conventus nostri Metensis, quam testatur eius historia a ducentis et amplius annis ex antiquioribus monumentis scripta, mihique in schedis servata. Assentitur Boulaeus *Hist. univ. Paris. T. III. p.* 216. *Hugo Metensis, qui cum D. Thoma aliquandiu rexit.* Alia autem, quae ibidem narrat Boulaeus, puta de privata S. Thomae suis Symmystis Sententiarum lectione, et de F. Ioanne Pungensasinum, quem Heliae postponit, cum Alberto Magno sit antiquior, nullo innituntur fundamento, nobisque non probantur.

*ANNO* MCCLIV. *etc. nec dubium quin lectiones continuaverit.* Lectiones publicas non obstantibus Guillelmi de Sancto amore eiusque fautorum clamoribus, in scholis nostris fuisse continuatas certum est ex omnibus eius anni et sequentis instrumentis. Vide *Hist. univ. Paris. T. III. p.* 257. ubi bedellus seu apparitor scholas nostras ingressus silentium professori voluit indicere, sed ab auditoribus repulsus est. Videsis etiam p. 281. Thomas igitur docere perrexit, nam ad id muneris destinatus erat, tumque cum secundum annum ageret, licentiam de iure petebat.

*ANNO* MCCLV. stylo veteri, novo MCCLVI. mense Februario iam licentiatus erat. Id constat ex brevi Alexandri IV. ad cancellarium Parisiensem dato Laterani V. Nonas Martii anno secundo: *Delectabile nobis est audita percipere, quod te in his promptum reddis et vigilem, quae pietatem continent, vel sapiunt honestatem, prout patenter agnoscitur quod dilecto filio F. Thomae de Aquino ordinis Praedicatorum viro utique nobilitate generis, et morum honestate conspicuo, ac thesaurum litteralis scientiae per Dei gratiam assecuto dedisti licentiam in Theologica facultate docendi, priusquam illuc nostrae litterae pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus. Quia vero condecens est, ut huiusmodi negotium a te laudabiliter inchoatum festinum habeat exitum et felicem, devotionem tuam attente rogandam duximus et monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eumdem Fratrem in praedicta facultate cito facias regiminis habere principium etc.* Quo in diplomate tria veniunt adnotanda: primo quanta cum gloria Aquinas Sententias duobus annis praecedentibus legerat, qui thesaurum litteralis scientiae assecutus dicitur : secundo nequicquam reclamante Guillelmo de Sancto-amore cum suis sequacibus, nec expectato mandato Apostolico, ipsi licentiam iam nimium, per annum scilicet solidum, retardatam cancellarium Ecclesiae Parisiensis Haimericum dictum concessisse: tertio tamen ut magister agnosceretur et esset, ipsi necessario habendum principium. Hoc vero principium solemne habebatur in aula Episcopali adstante Sacrae Theologiae magistrorum omnium conventu, quod etiamnum observatur. Breve relatum videsis *Hist. univ. T.* III. *p.* 281. et apud Baluzium T. II. Pap. Aven. p. I.

*NON permiserunt academici.* Sic refertur in bulla Alexandri IV. data XVII. Iunii sequentis MCCLVI. his verbis: *Nec non et illis, qui dilecti filii F. Thomae de Aquino voluerunt interesse principio, se nequiter opponendo.*

*QUINTA Octobris sententia dicta est.* Plures Aquinatem censent hoc eodem mense die XXIII. anni MCCLVI. Parisiensem magistrum agnitum. At ut ab eorum sententia recedam, et ut in annum sequentem id prorogem, haec me convincunt. Primo conveniunt omnes Thomam Anagniae V. Octobris praesentem fuisse, cum sententia adversus librum Guillelmi de Sanctoamore data est. Praeterea die XVIII. eiusdem mensis tantum Odo de Duaco et Christianus Bellovacensis universitatis ad aulam Pontificiam legati Anagniae coram notario publico manu propria se adstrinxerunt, cum Parisios rediissent, Thomam magistrum recepturos, et ut ab universitate reciperetur bona fide curaturos. Hanc legatorum submissionem ac palinodiam, priusquam Anagnia abiret, Aquinatem

expectasse verosimilius est, ne Parisios frustra reverteretur, ad magistrorum societatem non aliter recipiendus: sed etsi non expectasset, a die datae sententiae tam diligenter reversum esse difficile est, ut toto illo mense Octobri Parisiis adesse potuerit. Tandem quandocumque Aquinas reversus feratur, verum est integro adhuc anno magistros Parisienses Guillelmi de Sancto amore sequaces in pertinacia stetisse, noluisseque nec eum, nec alios magistros agnoscere. Unde a XV. Novemb. MCCLVI. ad 2. Octobris MCCLVII. undecim minimum bullae a sede Apostolica emanarunt, quolibet fere mense Alexandro IV. iteratis semper vicibus iubente, ut sententiae Anagniae latae tandem acquiescerent: quod argumento est eos huc usque non obedivisse. Immo die illo 2. Octobris MCCLVII. Summus Pontifex Episcopo Parisiensi mittit exemplum submissionis Anagniae per Odonem de Duaco et Christianum Bellovacensem anno praeterito factae, et supra laudatae, et promissionis eorumdem, et iubet nisi infra mensem promissis steterint, eos Episcopus publice denuntiet esse periurios. Igitur 2. Octob. MCCLVII. promissis adhuc non steterant, neque Thomam in magistrorum societatem acceperant. At vero haec ultima bulla lites omnes finivit, neque enim exinde ulla in actis huius temporis apparet intercessio: hinc Thomam tum principium habere regiminis in aula Episcopi permissum esse, et conventum, ut loquebantur, in Theologia recepisse autumo. Unde in cap. gener. Tolosae ad Pentecosten XII. Maii MCCLVIII. celebrato Humbertus magister ordinis V. sic ad provincias scribebat: *Verum ne sub onere tali deficiat ipsorum humana fragilitas, eos in omni tribulatione sua consolatur dulciter (Deus), iuvat potenter, et abbreviat dies malos. Quod quidem experientia nos docuit his diebus. Ecce enim, dilectissimi Fratres, in multis et gravibus et longe lateque diffusis, quas in servitio Christi pro nostro modulo laborantes passi sumus his temporibus, praeter consolationem, quae intrinsecus in multorum cordibus est infusa, quantum consolatus est benignus moerentium consolator in favore, quem Beatissimus Pater noster, Cardinalium coetus, Christianissimi Regis Francorum Ludovici* (gratia) *aliaque innumera multitudo Deo devotorum fidelium ipso inspirante nobis in nostris vexationibus praestiterunt.* Et post plura: *Considerate quam cito pius Dominus, qui nos dereliquisse videbatur, ad punctum post tempestatem tranquillum fecit, ventis et mari potenter imperans, in succursum fere periclitantis naviculae sua dominatione mitigans fluctus eius etc.* Ita autem in praecedenti capitulo generali Florentiae XXVII. Maii MCCLVII. non scripserat. Quod signum tempestatem illam Parisiensem, quae totum ordinem involvebat ac fere opprimebat, non ante Octobrem MCCLVII. pacatam fuisse. Consentit Tholomaeus citatus cap. 21. *Viginti quinque autem annorum erat cum primo Parisios venit* (scilicet Sententias lecturus, ut supra notavimus) *ubi infra trigesimum annum et Sententias legit, et conventum in Theologia sive licentiam recepit.* Iam monuimus Tholomaeum in eam sententiam propendere, quae Thomam XLVIII. aetatis anno mortuum statuit. Quo posito mense Octobri MCCLVII. annum trigesimum parum excesserat: anno vero praecedenti mense Februario MCCLVI. iam licentiatus erat, et XXIX. aetatis vix erat ingressus.

*QUAESTIONES de veritate disputavit.* Sic Tholomaeus citatus: *Infra magisterium,* idest antequam fieret magister, *quatuor libros fecit super Sententias, videlicet primum, secundum, tertium et quartum.* Et cap 22. seq. *Post haec ipso magistrato fecit quaestiones de veritate.*

*SEX quodlibeta determinavit.* Sic Trivetus. De quodlibetis respondere inter agones Theologicos magistrorum numerabatur, vocabantque disputationes suas generales. Videsis quodlibeta nostri Hervaei Britonis, Henrici de Gandavo, Godefridi de Fontibus etc.

*HABENS sub se baccalaureum.* Quis ille fuerit incertum, praesertim cum discordia supra relata licentias non parum turbasse videatur. Hi in schola extraneorum Thomae et sibi invicem succedere: F. Guillelmus de Antona Anglicus ad MCCLIX. Licentiatus; F. Hannibaldus de Hannibaldis Romanus postea Cardinalis; F. Guillelmus de Quinciaco Petragoricensis post MCCLIX. licentiati ex catalogo Bernardi Guidonis.

*CONCIONES habuit Parisiis.* Sic Alexander IV. in bulla VI. Kal. Iulii anno quinto, scilicet XXVI. Iunii MCCLIX. data quae incipit, *Ex alto. Praedicante dilecto filio F. Thoma de Aquino eiusdem ordinis Praedicatorum in Dominica de Ramis palmarum proxime praeterita.* Vide *Hist. univ. T.* 111. *pag.* 352.

*ISAIAM et Matthaeum publice exponeret.* Hos libros Parisiis exposuisse referunt eius vitae Scriptores.

*CAPITULO generali Valencenis celebrato affuit.* Ita refertur in actis capituli provincialis provinciae Provinciae anno MCCLXI. Biteris coacti: *Apud Valencenas anno Domini* MCCLIX. *de mandato magistri et definitorum ad promotionem studii ordinatum est per FF. Bonumhominem, Florentium, Albertum Theutonicum, Thomam de Aquino, Petrum de Tarentasia magistros Theologiae Parisius, qui interfuerunt dicto capitulo quod lectores etc.*

*ANNO* MCCLX. *in Italiam reversus.* Quo anno certo Thomas Italiam repetierit, non definimus, cum Tholomaeus clare non loquatur lib. 22. cap. 22. *Post tres annos*, ita codex Navarricus, et Colbertinus: *Post tertium annum sui magisterii rediit in Italiam, tempore videlicet Urbani* IV. Illud *post tres annos sui magisterii* indicare videtur annum MCCLX. at quod addit tempore Urbani IV. indicat annum MCCLXI nisi dicas intelligendum eo Pontifice iam rediisse. Idem tamen cap. 24. postquam electionem Urbani IV. narravit, addit: *Tunc F. Thomas rediit de Parisius ex certis causis, et ad petitionem Urbani multa fecit et scripsit.* In Actis SS. vitae S. Thomae num. 28. F. Raimundus Severus vel Salernus dicit se Parisius in studio cum F. Thoma septem annis fuisse, alius codex legit octo annis, mutuo sibi per confessionem conscientiam detexisse: a MCCLIII. ad MCCLX. sunt septem aut octo anni. In proc. canoniz. num. 47. F. Conradus de Suessa Sacerdos ord. Praedic. senex LXXVII. annorum anno MCCCXIX. testatur se Romae et Urbeveteri tempore Urbani IV. vidisse F. Thomam et LXII. annos iam transiisse ex quo primum viderat. Haec annum circiter MCCLIX. indicant.

*PRIMO Romae docuit.* Sic Tholomaeus lib. 23. cap. 15. *Scripsit etiam eo tempore quo fuit Romae, de*

*quo dictum est supra, iam magister existens primum super Sententias, quem ego vidi Lucae, sed inde subtractum nusquam ulterius vidi.* Iactura sane dolenda, sed irreparabilis.

*ANNO* MCCLXIX. *altera vice scholae Parisiensis regens est institutus.* Id nos fugerat alias cum lucubrationem, cui titulus *Sancti Thomae Summa suo Auctori vindicata*, edidimus: sed monumentis veteribus diligentius inspectis et expensis iam est certissimum. Primo affuisse Aquinatem comitiis ordinis anno MCCLXIX. Parisiis ad Pentecosten celebratis constat ex eod. MS. bibliothec. Victor. n. 635. fol. mag. memb. qui collectio est opusculorum Aquinatis, in quo sic legitur *fol. 255. Quaestiones quae sequuntur fuerunt propositae in capitulo generali Parisius celebrato anno Domini* MCCLXIX. *Maii* XII. *coram magistro ordinis et definitoribus, inter quos erant septem lectores et unus magister; item coram magistris simul congregatis, scilicet Fratre Thoma de Aquino, F. Bonohomine, F. Petro de Tarantasia, F. Bartholomaeo, F. Balduino, et F. Giliberto, qui omnes responderunt una voce, ut infra sequitur.* Et postea tamen, in quo F. Thomas ab aliis dissenserit refertur. Quas quaestiones F. Petrus Pelican noster facultatis Parisiensis magister edidit P. II. opusculorum S. Thomae iuxta novum ordinem a se institutum inter opuscula moralia, cum pluribus tamen erratis altera editione ad cod. MS. recognita emendandis. Tum autem Aquinatem iterato regentem in gymnasio Saniacobeo datum his momentis evincitur. Sic Nicolaus Trivetus noster habet ubi de operibus S. Thomae: *Scripsit et primam partem de QQ. disputatis de veritate et ultra, quas Parisius disputavit;* nempe annis MCCLVII. et sequentibus. *Item secundam partem de QQ. disputatis, de potentia Dei et ultra, quas in Italia disputavit. Item et tertiam partem de QQ. disputatis, quarum initium est de virtutibus, quas disputavit, cum secundo Parisius legeret.* Igitur altera vice Parisiis regens positus est. Idem innuit Bartholomaeus Iogotheta Regni Siciliae a Baluzio T. II. Pap. Ave. p. 7. relatus. *De QQ. disputatis partes tres: unam disputavit Parisius, scilicet de veritate; aliam in Italia, scilicet de potentia Dei et ultra; aliam item Parisius, scilicet de virtutibus et ultra.* Nisi altera vice rexisset Parisiis, istam tertiam partem distinguere non necesse erat. Praeterea idem logotheta proc. canoniz. num. 77. in actis SS. *Item dixit dictus testis se audivisse a pluribus FF. Praedicatoribus fide dignis quod quando idem F. Thomas una vice disputabat Parisiis, ubi erat F. Ioannes de Peckamo ordinis FF. Minorum, qui fuit postea Archiepiscopus Cantuariensis; quantumcumque dictus F. Ioannes exasperaret eumdem F. Thomam verbis ampullosis et tumidis, numquam tamen ipse F. Thomas restrinxit verbum humilitatis, sed semper cum dulcedine et humilitate respondit etc.* Revera extant Oxonii in collegio Mertonensi *Disputationes MS. Thomae et Peckami* ex Thoma Iames Ecloga Oxonio cantabrig. p. 10. num. 12. Has autem disputationes habere non potuit Peckamus cum Sancto Thoma, qua primum vice legit Parisius ab anno MCCLIII. ad MCCLX. quia tunc Peckamus iunior erat et discipulus auditor S. Bonaventurae, ut testatur Wadingus: itaque hae concertationes referendae sunt ad annum MCCLXIX. et sequentes, quibus Peckamus post studium Parisiense Oxonii laurea donatus, Parisios reversus est ad legendas Sententias, et ad gradus promovendus, ut habet idem Wadingus. Tum enim, cum esset magister, contra Aquinatem obluctari potuit. Denique ab anno MCCLXIX. ad MCCLXXI. Thomam Parisiis rexisse evincit visio, quam cum habuisse Neapoli anno MCCLXXIII. referunt Tholomaeus et Guillelmus de Tocco. Sic enim primus *lib. 23. cap. 16. Huius etiam tempore Pontificis* (scilicet Gregorii X.) *floruit F. Romanus ordinis Praedicatorum germanus D. Matthaei Rubei, ac Nepos Nicolai* III. *Hic fuit vir magnae excellentiae in vita et doctrina, magister in Theologia, cui F. Thomas Parisius in cathedra cessit, et sequenti anno dictus F. Romanus migravit ad Dominum. De quo dictus Doctor F. Thomas talem habuit visionem. Apparuit ei F. Romanus in somno, et tunc quaerebat ab eo qualiter esset eidem. Ille vero respondit quod bene. Et tunc F. Thomas quaerebat ab eo de visione Dei per essentiam si sic se haberet ut scribitur: ille vero quasi subridendo respondit quod nobiliori* (sic cod. Navar., at Colbert. 2818. *meliori*) *modo, et quod ipse in breve sciturus erat hoc idem, et sic disparuit. Quod et rei postea probavit eventus, quia in sequenti anno gloriosus Doctor migravit ad Dominum. Hanc autem visionem ego Neapoli audivi ab ipso referri, et cum quadam laetitia.*

Quasdam addit circumstantias Guillelmus de Tocco, quae rem clariorem faciunt, vitae S. Thomae *num. 46. Alia fuit mirabilior dicto Doctori visio revelata, non imaginaria, sed corporalis et aperta, cui existenti in conventu Neapolitano in ecclesia ad orandum, apparuit ei F. Romanus Magister in Theologia, quem Parisiis legentem dimiserat: cui cum adesset F. Thomas et diceret: Bene veneritis, quando venistis? ille respondit, Ego ex hac vita transivi, et concessum est mihi pro tuo merito apparere. Tunc praedictus Doctor colligens spiritum, qui fuerat ex subita illa apparitione commotus, respondit etc. Quid est de te? Respondit: Ego sum in vita aeterna, et fui in Purgatorio sexdecim diebus propter negligentiam quam commisi in quodam testamento quod expediendum cito Episcopus Parisiensis commisit, et ego expedire ex mea culpa tardavi.*

Ex hac duplici relatione habetur tempore Gregorii X. kal. septemb. MCCLXXI. electi F. Romanum Parisiis floruisse, huic Aquinatem cathedra Parisiensi cessisse, Romanum anno sequenti initio forsan anni MCCLXXIII. Parisiis mortuum et sepultum Thomae Neapoli apparuisse; hunc qui vivum putabat, miratum quod quem Parisiis legentem dimiserat, tam cito rediisset non completo utique magisterii triennio, petiisse quando venisset: denique anno hanc visionem sequenti ipsum Aquinatem obiisse. Quae certe aliter intelligi non possunt quam dicendo Aquinatem, qui anno MCCLXIX. Parisios ad comitia ordinis venerat, constitutum altera vice regentem gymnasii Saniacobei, hocque munere functum ad electionem Gregorii X.

Ex his ulterius sequitur, cum Tholomaeus scribat sub Pontificatu Clementis IV. et *tempore vacationis sequentis, quae fuit spatio duorum annorum et novem mensium*, Aquinatem tres priores partes Summae Theologiae edidisse, scilicet primam partem, primam secundae, et secundam secundae, nos haud perperam colligere, quod secundam secundae Parisiis, ubi erat tempore dictae vacationis, confecerit. Favere videtur Guillelmus de Tocco vitae Sancti *num. 44.* ubi sic habet: *Dicitur quod cum semel S. Ludovicus Rex Franciae ipsum ad*

*mensam suam invitasset, et ipse se humiliter excusasset propter opus Summae in Theologia, quod dictaret tunc temporis etc.* et postea *accessit ad Regem etc.* Si, ut coniicere proclive, id evenerit anno MCCLXIX. en habemus Summae Theologiae scribendae et accurandae Parisiis incubuisse. Scio editores Actorum SS. adnotare in alio suo MS. non legi *propter opus Summae in Theologia*, sed *propter Summae compendium:* at praeterquam quod huiusmodi opera levior non legitimam praebuisset excusationem, non est quod huic alteri MS. maiorem fidem habeamus, quam edito: etsi facile credam isti compendio, quod socio suo F. Reginaldo de Piperno inscripsit, et incipit, *Æterni Patris Filius*, etiam tum una horis subcisivis adlaborasse. Ludovicus a Valleoleti haec eadem transcribens ex Guillelmo de Tocco *de Summa contra Gentiles* interpretatur, et alias assentiebar; sed si ita quis velit, id evenisse dicendum circa MCCLX. cum prima vice Parisiis legeret Aquinas: nam *Summam contra Gentiles* Parisiis in schedulis delineatam sub Pontificatu Urbani IV. in Italia consummavit, ex Tholomaeo.

Non omittendum quod habet Guillelmus de Tocco vitae *numer. 18. Unum videtur Deus in dicto Doctore ostendisse miraculum, ut tam modico tempore forte in viginti annis, qui inter magistrum eius et obitum in vita fluxerunt, bis eundo Parisius, et in Italiam redeundo, tot libros per suos scriptores scriptis redegerit.* Cum viginti illi anni numerandi sint a MCCLIV. sub finem, quo licentiam iure petebat, ad MCCLXXIV. quo mortuus est, primum iter illud censemus, quo anno MCCLVI. Anagnia Parisios reversus est, et Italiam anno MCCLX. vel sequenti repetiit: alterum iter, cum anno MCCLXIX. Parisios venit, et in Italiam anno MCCLXXI. remeavit. Unde, quod quibusdam recentioribus placet, Aquinatem XX. Maii MCCLXIII. Londini affuisse comitiis ordinis ad Pentecosten coactis, et ut definitorem provinciae Romanae abdicationi venerabilis Humberti magistri ordinis V. consensisse, mihi valde dubium; nec huius longioris itineris apud scriptores aequales, vel suppares ulla memoria.

Denique adnotandum ad visionem illam F. Romani huius Aquinatis responsionem a Guillelmo de Tocco aliter referri quam a Tholomaeo: sed Toccus videtur Romano adaptasse quod in vitis FF. *lib. 5. cap. 4. §. 4.* legitur his verbis: *De duobus Fratribus iuvenibus, et valde ferventibus, qui se speciali affectione diligebant, narravit magister Iordanis, quod unus post obitum suum apparuit alteri sole splendidior, et ait: Frater, sicut audivimus et frequenter contulimus, sic vidi in civitate Dei nostri; et hoc dicto disparuit.* Quae sane de aliis, at non de Aquinate et F. Romano narrare potuit Iordanus ordinis magister anno MCCXXXVII. mortuus. Hinc Tholomaei narrationem narrationi Guillelmi de Tocco iure praeferas. Idem Toccus *num. 47.* vitam quamdam iuvenis novitii tentationem de pastillo sibi dato, et daemone coram eo in choro tripudiante refert, ceu quae Neapoli acciderit, et ab Aquinate tum ibi morante ac praesente agnita fuerit, et sapienter correcta. Quod factum integrum habetur in Vitis FF. *lib. 4. cap. 17. §. 3.* ubi detectio illius tentationis cuidam Fratri spirituali tribuitur, qui non potuit, ut videtur, esse Aquinas, cum hic ante annum MCCLXXII. Neapolim non redierit, et vitae illae FF. iam scriptae essent, et per ordinem vulgatae anno MCCLX. nisi quis dicat id non Neapoli, sed alibi, puta Coloniae vel Parisiis accidisse.

*UNIVERSITAS Parisiensis litteras etc.* Has ad Patres ordinis Florentiae anno MCCLXXII. coactos scriptas iam perditas dolemus, at revera datas testantur aliae eiusdem Universitatis ad capitulum generale Lugdunense anno MCCLXXIV. coactum, quas ex Ludovici de Valleoleti opusculo, seu Tabula Scriptorum ordinis, Boulaeus edidit *Hist. univ. T.* III, *pag. 408.* in quibus sic legitur: *Cum a nostro Collegio generali capitulo vestro Florentiae celebrato requisivissemus instanter, proh dolor! non potuimus obtinere etc.*

*CAROLI utriusque Siciliae Regis vota praevaluere.* Caesar Engenius in sua Neapoli sacra anno 1624. edita pag. 268. refert ex Registr. Caroli I. anno MCCLXXII. ind. *1. fol. 1.* haberi, Thomae de Aquino dum in studio Neapolitano legeret, honorarium unius unciae auri quolibet mense ab eo Rege constitutum fuisse. In cuius memoriam ad ianuam gymnasii nostri Neapolitani ad S. Dominicum marmor appensum est cum hac epigraphe: *Viator huc ingrediens siste gradum, atque venerare hanc imaginem et cathedram, in qua sedens Mag. ille Thomas de Aquino de Neap. cum frequente, ut par erat, auditorum concursu, et illius saeculi felicitate admirabili doctrina Theologiam docebat.* Accersito iam a Rege Carolo I. constituta illi mercede unius unciae auri per singulos menses R. F. V. C. in anno MCCLXXII. D. SS. FF.

*ANNO* MCCLXXII. *Neapolim adivit.* Sic Tholomaeus *lib. 23. cap. 10. Etiam quod vidi de ipso ad indicium sanctitatis eius tacere non debeo. Cum enim ego cum ipso venirem de Roma, declinavit Molariam ad castrum Domni Richardi Cardinalis, ibique praefatus doctor infirmatus est de tertiaria, socius vero suus F. Rainaldus continua gravi; et cum non apparerent in eo signa critica, medici D. Richardi male iudicabant de ipso. Tunc venerabilis Doctor accepit reliquias Agnetis, quas ex devotione secum ferebat de urbe, et iussit dicto Fratri quod super se poneret, et haberet fidem plenam in eis, quod et fecit, et curatus est ultra spem omnium medicorum. Propter quam causam disposuerat singulis annis facere festum solemne de ipsa* (B. Agnete) *cum bona refectione Fratrum. Quod et illo anno fecit Neapoli, sequenti vero transivit ad Deum.* Hinc habetur ex quo Neapolim accessit, duos tantum S. Agnetis festos dies accidisse: primum quem in ea urbe celebravit: alterum quo in itinere versus Lugdunum positus mortuus est. Cum igitur iste secundus anno MCCLXXIV. acciderit, priorem anno praecedenti MCCLXXIII. accidisse necesse est. Cum autem Neapolim studii regendi causa mitteretur versus Augustum vel Septembrem MCCLXXII. Roma exivisse, et ad villam Cardinalis Richardi ex itinere divertisse probabilius.

*OBDORMIVIT.* Pro coronide harum notarum placet hic Tholomaeum transcribere *lib. 23. cap. 8. et 9. Huius etiam tempore* (Gregorii X.) *praeclarus Doctor F. Thomas de Aquino migravit ad Dominum. Vocatus enim ad Concilium per D. Gregorium, ac recedens de Neapoli ubi regebat, et veniens in Campaniam ibidem graviter infirmatur. Et quia prope locum nullum ordo Praedicatorum conventum habebat, declinavit ad unam solemnem abbatiam, quae dicitur Fossanova, et quae ordinis erat Cisterciensis, in qua sui consanguinei Domi-*

*ni de Siccano* ( Sic Colbert. 527. Vide *Famiglie di Napoli di Ferrante della Marra* pag. 52. ubi de affinitate DD. de Ceccano cum DD. de Aquino, codex tamen Navarr. *ante de Siccano* legit *de Aquino*) *erant patroni, ibique sua aggravata est aegritudo. Unde cum multa devotione, et mentis puritate et corporis, qua semper floruit, et in ordine viguit, quam ego probavi inter homines quos umquam novi, qui saepius confessionem eius audivi, et cum ipso multo tempore conversatus sum familiari ministerio , ac ipsius auditor fui , ex hac luce transiit ad Christum. Tradunt autem quod ibidem multis miraculis claruit , et multis indiciis Deus suam sanctitatem ostendit. Propter quam causam sui consanguinei , cum sint potentiores de Campania , non permiserunt corpus inde transferri. Immo cum vidissent , quod Fratres sui ordinis hoc attentabant , corpus eius occultaverunt , cum tamen prius sepultum fuerit valde honorifice in presbyterio altaris maioris monasterii praedicti. Tradunt etiam monachi dicti loci , et Fratres qui cum ipso erant , quod cum morti appropinquaret , primo symbolum fidei confitetur cum multa devotione : deinde suam doctrinam asseruit per ipsum traditam , et conscriptam ad fidei robur et instructionem fidelium ( in quo modernos Doctores transcendit sive in Philosophia, sive in Theologia , sive in quacumque materia secundum communem omnium hominum intelligentiam et opinionem: et inde in schola hodie Parisiensi communis Doctor appellatur propter suam claritatem doctrinae ) ad maiorem tamen sui securitatem , et Ecclesiae Romanae reverentiam et honorem , quia erat homo , qui etiam errare potuit , sicut B. Augustinus asserit de se ipso , suos libros in manu exposuit Ecclesiae saepe dictae , prout recta fides catholica et apostolica hoc exposcit , et post haec verba in Domino obdormivit.*

*CUM toto ordine indoluit Universitas Parisiensis.* Litteras has, ut iam monuimus, habuit et servavit Ludovicus a Valleoleti , et ex eius codice MS. in Bibl. Victor. servato numer. 616. et 278. typis edidit Boulaeus Hist. Univ. Paris. T. III. pag. 408.

Vitam Aquinatis et laudes praeter hactenus citatos multi scripsere. Florent. in Medic. Pl. 29. cor. 8. MS. memb. in 4. Inter alia plura exstat carmen de eius gestis. Pr. *A teneris annis.*

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN CANTICUM CANTICORUM EXPOSITIO

### CAPUT PRIMUM.

OSCULETUR me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua. Exultabimus, et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es; oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

SALOMON inspiratus divino spiritu composuit hunc libellum de nuptiis Christi, et Ecclesiae, et quodammodo Epithalamium fecit Christi, et Ecclesiae, idest Canticum super thalamos: unde et Cantica Canticorum vocavit hunc libellum, quia omnia alia Cantica superexcellit. Sicut enim dicitur, Rex Regum, et Dominus dominantium; et Solemnitas solemnitatum; sic dicitur Cantica Canticorum, ob excellentiam et dignitatem. Est autem in hoc obscurissimus iste liber, quia nullae ibi commemorantur personae, cum tamen stylo quasi comico sit compositus.

Ait ergo: *Osculetur me osculo oris sui.* Desiderantis vox est synagogae adventum Christi; quasi diceret: Quia toties mihi adventum suum promisit per prophetas, veniat ergo, et *osculetur me osculo oris sui*, idest per seipsum mihi loquatur. *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Repente ad ipsum, cuius desiderio flagrabat, verba convertens subdit: *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Per ubera Christi dulcedo Evangelii intelligitur, quia veluti lacte nutritur infantia credentium. Vinum autem austeritatem legis significat. Sed ubera Christi meliora sunt vino, quia dulcedo Evangelii melior est austeritate legis: in lege enim nulla reservatur poenitentia, quia praecipit, ut qui occidit, occidatur; Evangelium autem dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat: Ezech. 33. Fragrantia unguentis optimis.* Unguenta dona sunt Spiritus sancti, vel etiam operationes virtutum, de quibus Apostolus *2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo. Oleum effusum nomen tuum.* Nomen tuum, o Christe, effusum est, Chrisma

Graece, Latine unctio dicitur. Inde nomen ab unctione vocatum est. Solet autem Spiritus sanctus hoc olei nomine appellari: iuxta quod Psalmista ait *Psalm. 44. Unxit te Deus Deus tuus oleo,* idest Spiritu sancto. Hoc oleum effusum est, quando haec gratia quam Christus singulariter habuit, data est omnibus electis. Unde et a Christo Christiani dicuntur participatione nominis Christi. Et bene non stillatum, sed effusum dicitur oleum: quia abundanter haec gratia omnibus data est in Christo credentibus. *Ideo adolescentulae dilexerunt te.* Adolescentulae dicuntur animae electorum, quia in baptismo reliquerunt sordes veteris hominis, et renovatae sunt in Christo. Bene autem feminino genere dicuntur, quia animae sanctorum quo maioris fragilitatis sibi consciae sunt, eo amplius diligunt Christum. Vox Ecclesiae de gentibus: *Trahe me post te: curremus:* nam hactenus loquuta est synagoga; hic incipit loqui Ecclesia de gentibus: *Trahe me post te:* quia, inquit, meam infirmitatem cognosco, et video nihil me meis viribus boni posse agere; tua gratia trahe me ad tui imitationem; vel etiam cum caelum ascenderis, *trahe me post te,* ut te sequi merear. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Hic loquitur Ecclesia de Christo sponso suo ad animas fideles. Cellaria Dei sunt aeterna beatitudo, et supernae patriae gaudia, in quam introducta est iam Ecclesia per fidem, et spem; et quandoque introducetur per rem. *Exultabimus, et laetabimur in te.* De donis, inquit, tuis exultabimus, et laetabimur; sed quia scimus hoc non nostri esse meriti, in te, non in nobis exultabimus. Hoc est quod Apostolus ait *2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Memores uberum tuorum super vinum*, idest memores gratiae tuae, et misericordiae, quia salvati sumus: ubera enim sunt ipsa gratia qua salvamur. Recordantes etiam quia tu austeritatem legis uberibus doctrinae evangelicae temperare dignatus es. *Recti diligunt te.* Illi, inquit, qui recti corde sunt, diligunt te, idest illi qui nihil suis meritis tribuunt, sed omnia tuae gratiae deputant: nullus enim te diligit nisi rectus; nullus est rectus nisi qui te diligit. *Nigra sum, sed formosa* (vel *decora*) *filiae Hierusalem.* Hic rursus loquitur Ecclesia ad sanctas animas. *Nigra sum,* quia persecutiones patior; *sed formosa* sum virtutibus, *filiae Hierusalem:* idest, o animae fideles, *nigra sum*, idest deformis persecutionibus, et aerumnis quas sustineo; *sed formosa* sum decore virtutum. Quomodo anima nigra sit, vel quomodo formosa, ostendit cum subdit: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*: ita enim distinguitur: *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, formosa sicut pelles Salomonis.* Cedar filius fuit Ismaelis, et interpretatur tenebrae. Ismaelitae vero semper in tabernaculis habitare soliti sunt, et non habent domos. Dicit ergo Ecclesia se nigram esse, sicut tabernacula Cedar, propter persecutiones quas patiebatur a filiis tenebrarum, quod interpretatur Cedar. Hinc Psalmista dicit *Psalm. 119. Habitavi cum habitantibus Cedar*, idest conversatus sum inter persecutores, et peccatores infidelitate nigros. Formosam vero se dicit sicut pelles, idest tabernacula Salomonis, qui pacificus interpretatur: quoniam digna erat visitatione, et consolatione sponsi sui Christi inter angustias. Et sicut tabernacula ex pellibus mortuorum animalium fiunt, ita Ecclesia, tabernaculum videlicet Dei, ex his construitur qui seipsos cum vitiis, et concupiscentiis mortificant. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* O animae fideles, et Deo devotae, *nolite me considerare quod sim fusca,* idest quod tribulationibus afficiar, quod persecutionibus opprimar, *quia decoloravit me sol*, idest fervor persecutionis splendorem in me quodammodo obfuscavit; ac si diceret: Interiorem pulchritudinem meam cogitate, et illam attendite, non illa quae foris pati videor. Tale est quod et Apostolus dicit *Eph. 3. Nolite deficere in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra ..... Non enim sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis: Rom. 8.* Sol autem in Scripturis multos habet sensus. Aliquando significat ipsum Dei et hominum mediatorem, sicut dicitur *Malac. 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae,* idest Christus. Significat etiam Ecclesiam, sicut Dominus dicit *Matth. 13. Tunc iusti fulgebunt sicut sol.* Aliquando fervorem persecutionis, sicut hic, et in Evangelio *Matth. 13.* ubi dicitur de semine, quod cecidit super terram, et orto sole exaruit: quod ipse Dominus aperit exponens: *Facta autem persecutione propter verbum, scandalizantur. Filii matris meae pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi.* Unde coeperit haec persecutio, ostendit cum subdit: *Filii matris meae.* Vox primitivae Ecclesiae *Filii matris meae pugnaverunt contra me.* Mater primitivae Ecclesiae synagoga est, cui per prophetam dicitur *Isa. 1. Et vocaberis civitas fidelis, et mater civitatum, fidelis Sion.* Huius filii sunt Iudaei, qui pugnaverunt contra Ecclesiam primitivam, quando excitaverunt persecutionem contra credentes, propter quam omnes dispersi sunt per regiones, et per civitates Samariae. *Posuerunt me custodem in vineis.* Vinea una fuit primitiva Ecclesia in Hierosolymis; sed ob Iudaicam persecutionem, dispersis omnibus credentibus, multae vineae factae sunt, idest multae Ecclesiae constructae sunt per universum mundum. Dicit ergo Ecclesia primitiva: *Posuerunt me*, scilicet Apostoli, et doctores, *custodem,* idest ut essem custos Ecclesiarum. Unde et bene, ubi nos legimus *Act. 8. Omnes dispersi sunt*, in Graeco habetur, *Disseminati sunt.* Ad hoc enim divinitus dispersi sunt, ut plures Ecclesiae fierent per universum orbem. *Vineam meam,* idest unam illam Ecclesiam quae in Hierosolymis fuit, *non custodivi.* Hoc autem non ad votum, neque ad mentem est referendum; sed ad locum. *Non custodivi*, subaudi, ut esset solummodo ibi ubi coepit. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vox Ecclesiae ad sponsum suum Christum. O sponse, *quem diligit anima mea,* idest quem tota intentione diligo, *indica mihi ubi pascas*, idest ubi oves tuas pascere facias. Ipse est enim pastor bonus, sicut ipse dicit in Evangelio *Ioan. 11. Indica mihi ubi pascas, et ubi cubes,* idest requiescas, et hoc *in meridie,* idest in fervore persecutionis, vel tentationis. Laborans enim Ecclesia persecutionibus obsecrat sponsum suum ut ei dicat in quorum mentibus requiescat: nam cubare sponso requiescere est, sicut ipse dicit *Isai. 11. Super quem requiescet spiritus meus etc.* Ne enim sancti aestu tentationis arescant, ipse in eorum cordibus cubat, et requiescit, atque ab omni fervore tentationum, et persecutionum protegit. Quare hoc? *Ne*

*vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Greges sodalium appellat conventicula haereticorum, qui sodales Christi sunt, quia et ipsi greges suos pascunt. Sed Christus unum habet gregem; haeretici vero non gregem, sed greges pascunt; et est sensus: O sponse, indica mihi sanctos, et electos tuos, in quorum mentibus requiescis; ne forte offendam et incurram haereticos, putans te me ibi posse invenire. Hunc versum male haeretici distinguebant, tamquam interrogaret: *Ubi pascas, ubi cubes;* et ipse responderet: *In meridie* cubo, idest in australi parte. *Si ignoras te.* Vox sponsi ad sponsam suam Ecclesiam. *Si ignoras te o pulchra, egredere, et abi post vestigia gregum*; ac si diceret: Tu quereris te quasi a me derelictam, et persecutionum fervoribus denigratam; nec consideras, quod pulchra sis inter mulieres, idest non attendis virtutum spiritualium pulchritudinem, qua prae ceteris decoraris, licet tentationibus denigreris. Si ergo *ignoras te*, idest si hanc dignitatem, et formositatem tuam non recognoscis; *egredere*, de meo consortio, *et abi post vestigia gregum.* Hoc est sequere, et imitare doctrinam errantium haereticorum, qui contempto vero pastore unius gregis, multos sibi greges coacervaverunt; *et pasce haedos tuos iuxta tabernacula pastorum*, idest peccatores, et erroneos auditores sub dogmate haereticorum. Unus enim pastor est Christus, qui unum habet gregem, idest unitatem Ecclesiae catholicae; pastores vero multi sunt haeretici, qui gregem deceptorum hominum sibi aggregant, quos diabolo pascunt, de quibus Psalmista *Psal. 48. Sicut oves in inferno positi sunt.* Oves vocantur in loco hoc mali, non propter boni simplicitatem, vel ignorantiam, sed propter hebetudinem, quia nesciunt resistere pravae doctrinae; sed omnia quae sibi imponuntur a malis doctoribus, sustinent non bona patientia. Vox eiusdem sponsi: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Equitatum suum appellat exercitum filiorum Israel, videlicet sexcentasex millia qui egressi sunt de Aegypto, et transierunt mare rubrum. Equitatum autem suum illam multitudinem dicit: quia sicut auriga currui praeest, ita Deus illi plebi praerat, protegens illam, et defendens, et ad terram repromissionis introducens. Huic suo aequitatui assimilavit amicam suam: quoniam sicut ille populus per mare rubrum salvatus est, Pharaone demerso; ita Ecclesia gentium per baptismum de diaboli servitute liberata est, et ad veram repromissionis terram evangelicam libertatem introducta. Sicque quae erat ancilla vitiorum, facta est amica Christi, emundata et ablata per baptismum a sordibus peccatorum. Vel aliter, secundum Gregorium: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Omnes enim qui luxuriae, qui superbiae, qui avaritiae, qui invidiae, qui fallaciae deserviunt, adhuc quasi equi quidam sub curru Pharaonis sunt, idest sub regimine diaboli; omnis vero qui in humilitate, in castitate, in doctrina, in caritate fervet, iam equus effectus est creatoris nostri, iam in curru Dei positus est, iam sessorem Deum habet. Unde cuidam dicitur cui iam Dominus praesidebat *Act. 9. Durum est tibi contra stimulum calcitrare*; ac si diceret: Meus equus es, iam contra me calces iactare non potes, iam tibi ego praesideo. De istis equis alibi dicitur *Habac. 3. Misisti in mari equos tuos, turbantes aquas multas.* Habet enim currus Deus, quia animabus sanctis praesidet, et per animas sanctas circumquaque discurrit: unde scriptum est *Psalm. 67. Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium.* Habet currus Pharao; qui tamen currus in mari rubro submersi sunt, quia multi perversi in baptismate mutati sunt. Dicit ergo sponsus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea*, idest, dum adhuc tu esses in curribus Pharaonis, ego te equitatui meo assimilavi: quia attendi quid praedestinationis in te fecerim, equis meis te comparavi. Videt enim Deus multos adhuc deditos luxuriae, adhuc avaritiae servientes; et tamen attendit in secreto iudicio quod iam de ipsis operatus est. Quia habet equos Deus, sed multos videt adhuc equos esse Pharaonis; et quia considerat occulto iudicio, occulta praedestinatione ad bonum commutandos, similes illos attendit iam equis suis, quia videt illos ad currum suum ducendos qui prius in curru Pharaonis deserviebant. Ubi consideranda sunt occulta iudicia: quia multi videntur per praedicationem, per sapientiam, per castitatem, per largitatem equos Dei esse; et tamen occulto Dei iudicio equis Pharaonis assimilantur: et multi videntur per avaritiam, per superbiam, per invidiam, per luxuriam equi Pharaonis esse; et tamen occulto Dei iudicio equis Dei assimilantur: quia et illos videt de bono ad mala verti, et istos videt de malo ad bonum reduci. Sicut ergo per distinctionem divini iudicii multi qui equi videntur Dei, equi sunt Pharaonis pro reproba vita quae illos sequitur; ita per impietatem multi equi Pharaonis videntur qui per sanctam vitam quam in fine suo servaturi sunt, equis Dei assimilantur. Unde blanditur sponsus, et dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea*, idest, tu adhuc in curribus Pharaonis subdita serviebas, sub vitia currebas; sed attendi ego quid de te praedestinatione fecerim. *Equitatui meo te assimilavi*, idest electis meis similem te attendi. *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis.* Turturis natura est ut si casu coniugem perdiderit, alium ultra non inquirat. Turturi ergo assimilatur Ecclesia: quia ex quo Christus praesentia sua corporali mundum deseruit, et caelos petiit, Ecclesia in eius amore tenacissime perseverat. Nec recipit ullum adulterum amatorem, quia contemnit mundum, et concupiscentias eius, et solius sponsi sui pulchritudinem mente contemplatur. Genis autem turturis genas Ecclesiae comparat, quia in genis maxime verecundia apparet; et per hoc pudor et verecundia Ecclesiae ostenditur, quia erubescit aliquid foedum, et quod sponso suo displiceat, perpetrare; et est sensus: Noli timere, ne vageris per greges sodalium, quia tanto te amoris mei pudore, et tanta verecundia donavi, ut certus sim te me non posse deserere, vel ad alienos deflectere. *Collum tuum sicut monilia.* Per collum Ecclesiae doctores sancti figurantur: nam sicut per collum cibi reficiendo corpora ministrantur, sermones etiam, quibus arcana mentium demonstrantur, per colli fistulam egrediuntur; sic doctores non solum cibum nobis salutaris doctrinae ministrant, sed etiam secreta Scripturarum nobis manifestant. Hoc ergo collum Ecclesiae quasi monile est, quia castae doctrinae gemmis, et virtutum ornamentis sancti doctores decoran-

tur. Monile enim ornamentum est virginum, vel matronarum. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murenulae iuxta litteram ornamenta sunt colli virginalis et puellaris, virgulae videlicet auri perplexae intermixtis nonnumquam pulchra varietate subtilimis argenti filis ; et hoc est quod dicit, *Vermiculatas argento*, idest in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, distinctas, et inter se coniunctas. Murenulae autem a similitudine piscis maritimi, qui murena vocatur. Mystice, murenulae sunt perplexa Scripturarum dogmata ex diversis Sanctorum Patrum sententiis inter se iuncta: aurum quippe claritatem significat sensus spiritalis ; argentum vero nitorem eloquii designat. Murenulas aureas ergo sponsus sponsae suae facit, cum Christus Ecclesiam suam doctrinis Sanctorum Patrum, sensu, et eloquio fulgentibus instruit, atque ad illorum fidem, et virtutem imitandam accendit. Notandum vero, quod dicit pluraliter, *Faciemus tibi:* quasi enim Christus se personis doctorum coniungit, per quos ipsae murenulae incatenantur, ut istis Ecclesia exornetur. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Modo synagoga Regem sponsum suum Christum dicit, qui per divinitatem suam omnia regit, et etiam secundum humanitatem de regia David stirpe natus est. Accubitus huius Regis fuit incarnatio eius : accumbere enim est reclinare, et discumbere; et tunc Christus accubuit, quando pro nostra redemptione se usque ad suscipiendam naturam nostram inclinavit; et tunc *nardus dedit odorem suum*, quia virtus Ecclesiae magis enituit. Cum enim considerat Deum pro se hominem factum, amplius ad specialium virtutum studium, et amorem conditoris accenditur: nardus enim fragrantiam virtutum specialium designat. Erant quidem ante incarnationem sancti Dei; sed, sicut dictum est, sanctitas magis a tempore incarnationis Christi excrevit; et tunc quodammodo *nardus* Ecclesiae, idest odor virtutum fortis *dedit odorem suum.* Iuxta litteram, nardus herba est aromatica, crassa, et fragili radice, folioque parvo, et denso, cuius cacumina in aristas se spargunt. Hoc unguento Maria Magdalene caput, et pedes Domini perunxisse in Evangelio legitur *Luc. 7.* cum esset in domo Simonis. *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.* Myrrha species est aromatica nimiae amaritudinis, qua mortuorum corpora condiuntur: hoc loco passio Christi, et sepulcrum designatur: nam depositum corpus Domini de cruce a Nicodemo, et Ioseph myrrha, et aloe conditum est, et involutum linteis cum aromatibus, ac sepulturae datum. Dicit ergo Ecclesia sponso eius : *Dilectus meus fasciculus myrrhae mihi* factus est, quia propter me mortuus, et sepultus est. *Inter ubera mea commorabitur.* Nemo dubitat locum cordis inter ubera esse. Dicit ergo: *Inter ubera mea commorabitur cor,* idest in cordis mei memoria aeternaliter habebitur, et numquam tantorum beneficiorum eius obliviscar ; sed sive in prosperis, sive in adversis sim, recordabor eius qui me dilexit, et mortuus est pro me. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cyprus insula est, ubi vites nobiles esse feruntur maximos botros procreantes. Engaddi locus similiter esse fertur habens arbusculas liquorem balsami desudantes. Loquitur ergo sponsa de resurrectione sponsi sui : *Botrus Cypri dilectus meus mihi;* ac si diceret: Sponsus meus, qui mortis amaritudinem pro me gustavit, et quasi fasciculus myrrhae mihi fuit, sed in resurrectione sua factus est mihi botrus Cypri, quando me gaudio suae resurrectionis laetificavit : *vinum enim laetificat cor hominis Ps. 103.* et hoc *in vineis Engaddi*, quia ex resurrectione, quasi suavissimi balsami odore, per universum mundum redoluit, et fragrantiam suae fidei late dispersit. Engaddi autem fons haedi interpretatur, per quem significatur baptisma, et sacrificium, in quo omnia peccata abluuntur : haedus namque peccatores significat. Baptismus ergo fons haedi est, quia peccatores suscipit, et maculatos, et mundatos ab omnibus peccatis reddit. Vox sponsi Christi ad Ecclesiam suam sponsam; *Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra.* Bis eam repetit esse pulchram, propter perfectionem operis, et munditiam cogitationis. *Ecce tu pulchra es,* hoc est in bonis operibus perfecta es, sancte, et iuste, et pie vivendo secundum Apostolum *Tit. 2. Ecce tu pulchra es,* mundam, et simplicem habens cordis cogitationem atque intentionem: quia non propter terrena commoda, vel mundi gloriam, sed ut solis oculis Dei placeas, bona operaris. *Oculi tui columbarum.* Columba simplicissima avis est. Per hanc simplicitas, atque innocentia Ecclesiae figuratur: quasi enim oculos columbarum habet, quia ab omni fictione et simulatione se immunem ostendit. Vel etiam oculos habet columbarum, quia scientiam divinarum Scripturarum casto, et simplici intuitu intelligit, spirituales et divinos sensus in ea requirens: nam quoniam Spiritus sanctus in specie columbae apparuit, recte doctrina caelestis in oculis columbae intelligitur. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Postquam sponsus sponsam suam de pulchritudine operis et cordis laudavit, reddit ei vicem sponsa respondens : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ;* ac si diceret : Tu quidem me pulchram in opere, et cogitatione esse dicis ; sed ego omnem hanc pulchritudinem a te me credo habere, et cognosco : tu enim es pulcher et decorus, tu es fons totius boni ; et quicquid boni habeo, tua gratia habeo. Pulcher autem et decorus dicitur, quia et divinitatis perpetuitate, et etiam susceptae humanitatis dignitate mirabilis est. *Lectulus noster floridus.* Lectulus Ecclesiae est qualiscumque tranquillitas vel requies praesentis vitae: nam quasi in bello est Ecclesia, dum pro Christo diversa tolerat certamina ; quasi vero in lectulo requiescit, cum aliquantula pace sibi concessa fruitur. Sed hic lectulus est floridus, hoc est varietate virtutum quasi vernantibus floribus distincta est requies Ecclesiae: tunc enim liberius contemplationi divinae insistit, cum iciunia, vigilias, et cetera bonorum operum exercitia liberius exequitur. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Domus Ecclesiae sunt fidelium conventicula per orbem totum dispersa; tigna vero, et laquearia sunt ipsae personae fidelium, ex quibus Ecclesia constat. Sed attendendum est, quod tigna ad munimentum domus sunt, laquearia ad ornamentum. Ideoque per tigna designantur doctores, quorum doctrina fulcitur et sustentatur Ecclesia ; per laquearia vero sancti simplicitate gaudentes, qui suis virtutibus ornant Ecclesiam, non autem muniunt doctrina. Et hic attendendum est, quod sicut laquearia tignis affixa sunt, sic et vita fidelium in Ecclesia ex doctoribus pendet, quia illorum doctrina in-

struitur, et roboratur. Bene autem tigna cedrina, et laquearia cypressina dicuntur, nam utraeque arbores imputribilis naturae sunt, sanctos designantes, qui immarcescibili desiderio flagrant amore sui conditoris, et contemptis transitoriis, ad aeterna festinant. Cedrus etiam odore suo serpentes fugat; sic et sancti doctores daemones, vel haereticos fragrantia doctrinae suae repellunt.

## CAPUT II.

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi; et fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum. Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni; columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Revertere, similis esto, dilecte mi, capreae, hinnuloque cervorum super montes Bether.

Ipse quoque sponsus de se qualis sit ostendit, postquam sponsa qualem domum ipsa, et sponsus eius habeant ostendit, dicens: *Ego flos campi, et lilium convallium*, videlicet quia odorem meae virtutis per latitudinem totius mundi diffundo. *Ego* sum *flos campi*, idest decus mundi: sicut enim campus floribus adornatur, et vernat, ita totus mundus Christi fide, et notitia decoratur. Sum etiam *lilium convallium:* quia illis mentibus meam praecipue gratiam tribuo quae nullam spem in se habentes mihi se humili devotione submittunt: convalles enim significant humiles mentes, quarum lilium Christus est, quia pulchritudo humilium mentium ipse est, qui dixit *Mat. 11. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Potest et hoc quod dicit, *Ego sum flos campi*, ad incarnationem referri: campus enim non aratur, non scinditur, non ullo vomere prosulcatur. Dicit ergo, Sum *flos campi*, idest filius virginis. Non ergo ruris, sed campi se florem vocat, quia virgineae carnis fructus est secundum vaticinium *Isa. 11. Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Lilium convallium* est Christus, hoc est filius humilium parentum: convalles enim humiles parentes eius, et pauperes significant. Veniens enim Filius Dei in mundum, non solum homo fieri dignatus est, sed etiam pauper homo pro nobis: nec divites, sed pauperes elegit habere parentes, ut particeps factus paupertatis nostrae, divitiarum, et gloriae suae nos participes faceret. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Videns sponsam suam ad requiem festinare, et labores refugere, ac per quietem praesentis temporis ad aeternam beatitudinem tendere, monet eam tali comparatione, ut noverit se per pressuras et labores huius saeculi illuc pervenire debere. *Sicut*, inquit, *lilium* est *inter spinas, sic amica mea inter filias.* Spinae quae pungunt, et lacerant, significant pravos quosque vel intra Ecclesiam, vel extra Ecclesiam; et est sensus: Sic tibi vivendum est, et sic parata debes esse contra omnia adversa, sicut lilium inter spinas est; et tamen florere, et gratum odorem ex se emittere non cessat. *Sic amica mea inter filias:* quia non solum ab his qui extra Ecclesiam sunt, mala pateris, verum etiam ab illis qui generati per baptismum in filiationem Dei venisse videntur. Et nota, quod se superius sponsus lilium appellavit convallium; nunc sponsam suam dicit *quasi lilium inter spinas:* quia ipse, qui vere est lilium, per gratiam facit Ecclesiam suam esse lilium, candidam videlicet virtutibus, vel ab omni vitiorum labe immunem. *Sicut malum inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Nunc sponsa laudata a sponso vicem ei reddit, et dicit qualis quoque sit ipse. *Sicut*, inquit, *malum inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Sicut malum pulchritudinem habet pomorum, et gratum odorem inter agrestia ligna sylvarum; ita mediator Dei et hominum Christus Iesus spirituali refulget gratia inter filios Dei, et inter electos: ipse enim per naturam Dei Filius est, reliqui electi per gratiam, potestate accepta ab unico Filio Dei ut sint filii Dei. Hinc *Ioan. cap. 1.* dicit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre;* non qualemcumque, sed quasi unigeniti a Patre. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi:* quia in eius protectione confido, et ab eo inter adversa gubernari spero: umbra enim Christi protectio divinitatis est, qua electos tuetur et defendit. *Fructus eius dulcis gutturi meo*, idest divinitatis contemplatio, qua me satiari confido: haec est enim sanctorum expectatio, haec est etiam satietas, et praemium, visio conditoris. Desiderat ergo umbram conditoris sui Ecclesia, quia protectionem illius exoptat inter praesentis vitae adversa. *Fructus illius dulcis gutturi meo* est: quia expectat perfrui specie visionis illius, et satiari dulcedine claritatis eius. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.* Cella vinaria Ecclesia est, in qua est vinum evangelicae doctrinae. In hanc ergo cellam amica sponsi introducitur, quando ex omnibus gentibus

in unam Ecclesiam fideles adunantur. *Ordinavit*, inquit, *caritatem*. Inter omnes virtutes primatum tenet caritas, qua ipsa subsistit Ecclesia. Caritas ergo in Ecclesia ordinatur, quia non temere, non confuse, sed ordinate tenenda est omnis Dei et proximi dilectio. Deus enim est diligendus super omnia toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente. Proximus diligendus est sicut se unusquisque diligit: nam confundere vult caritatem qui proximi caritatem dilectioni Dei praeponit, de quibus Dominus in Evangelio ait *Matt. 10. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Vel etiam *ordinavit in me caritatem*, idest ipse prior me dilexit, deinde qualiter eum diligere deberem, docuit: unde ipse dicit *Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Namque in Evangelio dicitur *Ioan. 15. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis*. Non ita putandum tamquam amor discipulorum praecesserit amorem divinum, sed ita potius quod Deus primo discipulos amaverit, illi vero subsequenter gratiam habentes divino amori, maiori dilectione se dignos fecerint. Et I. *Ioan. 4. Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Postquam Ecclesia, vel anima Deo dilecta, in se caritatem ordinatam dixit, qualiter velit requiescere, vel in quo lecto sponso suo pausare, ostendit subdens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Alloquitur animas iam perfecte divino amori inhaerentes. Per flores initia sanctae conversationis intelliguntur, per mala vero perfectio bonorum operum; et est sensus: O sanctae animae, quae iam dilectioni conditoris vestri inhaeretis, fulcite me bonorum vestrorum exemplis, et qualiter in exordio virtutum, vel in provectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis, ostendite, *quia amore langueo*. Tunc enim anima amore Dei languet, quando eius dilectioni nihil praeponit; immo quasi ad saeculi opera languida, et imbecillis efficitur; nihilque eam delectat nisi meditatio caelestium, et contemplatio conditoris sui. *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Cum, inquit, tali in lecto iacuero, *laeva eius*, idest sponsi, erit *sub capite meo*. Per laevam praesentis temporis prosperitas, vel etiam dona Dei intelliguntur quae sanctis in praesenti conferuntur; per dexteram vero beatitudo caelestis patriae accipitur. Laeva Dei sunt pignora Spiritus sancti, et Scripturarum divinarum intellectus, et cetera dona ac charismata, quibus sancta Ecclesia in praesenti consolatur. Caput principale mentis accipitur. Laeva ergo sponsi sub capite sponsae est: quia haec omnia dona ad hoc percipit Ecclesia, vel anima fidelis, ut per haec discat suspirare ad aeterna. Dextera vero sponsi eam amplexatur, quia tota intentio Ecclesiae, vel animae fidelis, haec est ut ad aeternam beatitudinem quandoque perveniat, et specie sui conditoris gaudeat. Et bene prius laeva sub capite, post sponsi dextera eam amplectitur, quia nemo ad amplexus aeternae beatitudinis poterit pervenire, nisi hic mysteriorum caelestium, et donorum divinorum studuerit esse particeps. *Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam meam, quoadusque ipsa velit*. Vox sponsi adiurantis filias Hierusalem, idest animas aeternis desideriis intentas, et visionem paucis requirentes, ne quiescentem sponsam suscitent, et inquietent. *Adiuro vos*, inquit, *filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam meam*, hoc est, ne animam divinae contemplationi deditam, orationibus, vel lectionibus divinis occupatam inquietare, et ad exteriora opera suscitare velitis, *donec ipsa velit*, hoc est, donec expleto contemplationis tempore, admonente corporis fragilitate, ipsa velit suscitari a somno internae quietis, et ad temporalia agenda procedere. Videamus autem per quid adiuret filias Hierusalem: *Per capreas, cervosque camporum*. Capreae, et cervi munda animalia sunt, serpentibus, et venenis inimica; et significantur virtutes sanctorum, quae munditia spirituali refulgent, et venena fraudis diabolicae non solum cavent, verum etiam insectantur, et ad nihilum redigunt. Et est sensus: Adiuro vos, filiae Hierusalem, per virtutes vestras, quas vobis divina gratia collatas gaudetis, ut animam contemplationi meae intentam non inquietetis, donec contemplationis hora finita, ipsa aliud quid agere velit. Vox Ecclesiae: *Vox dilecti mei;* subaudi, haec est. Laetabunda enim Ecclesia, quod tantum diligitur a sponso ut etiam pro illa filias Hierusalem adiuret ut non eam requiescentem inquietent, dicit: Haec *vox dilecti mei*, pro me loquentis: quem dilectum videre desiderans, sed non valens adnectit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Montes, et colles intelliguntur perfecti, quique sanctae conversationis sublimitate a terrenis sublevati sunt, et quasi camporum planitiem melioris vitae meritis excedentes. De his quoque montibus Isaias dicit *cap. 2. Erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et elevabitur super colles*. Loquitur ergo sponsa de dilecto suo: *Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles*, hoc est, etiam secundum humanitatem, omnem sanctorum excellentiam, omnem contemplationis vitae puritatem excedens. Nec stare in montibus, sed transilire dicitur: quia etsi ad horam per internam inspirationem cor sanctorum visitet, subito tamen recedit, ut eos amplius in sui dilectionem accendat. Potest etiam hoc ad incarnationem Christi referri, quia veniens quosdam saltus dedit: quia de caelo venit in uterum virginis, de utero virginis in praesepe, de praesepe ad baptismum, de baptismo ad crucem, de cruce ad sepulcrum, de sepulcro ad caelum. Hinc et Psalmista *Psalm. 18. Exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo caelo egressio eius. Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum*. Capreae, et cervi, quamvis in sua natura multa habeant quae allegoricis sensibus conveniant, hoc tamen habent singulare quod non in planioribus immorantur, sed in arduis et excelsis locis, et quod quosdam saltus dare solent. Recte ergo his assimilatur Christus propter subtilem contemplationem, et quia nullo intellectu divinitatis eius maiestas comprehendi potest. Non autem cervis assimilatur, sed capreis, mitioribus videlicet animantibus, propter humilitatem incarnationis suae: quia non solum homo fieri, sed etiam humilis homo fieri dignatus est. Hinnulo autem cervorum similis dicitur, quia secundum humanitatem de cervis, hoc est de patriarchis, duxit originem. Unde et Paulus dicit *2. Tim. 2. Memor esto Dominum Iesum resurrexisse a mortuis, ex semine David secundum Evangelium meum*.

Vel etiam propter varietatem virtutum, et innocentiam, hinnulo cervorum comparatur. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Paries mortalis nostra conditio appellatur, quae quodammodo inter nos et Deum, quasi crassus quidam paries constitutus, non permittit nos eius contemplatione frui: nam primus homo conditus est ut visione, et alloquio Dei frueretur, sed postquam peccavit, appositus est quidam paries, ipsa videlicet mortalitas qua praegravamur. Nam, ut Sapiens dicit *Sap. 9. corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et premit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Sponsum ergo suum, quem superius capreis, vel hinnulis cervorum comparavit, nunc dicit post suum parietem stare: quia Christus aliquando vicinus fit ei cui se, quantum humana mens capit, contemplari permittit; aliquando vero elongatur, et quasi caprea, vel cervus quibusdam saltibus effugit. Quia ergo paries appositus erat inter nos et ipsum, nec videre illum poteramus, dignatus est in ipso pariete facere fenestras, et cancellos, per quos utcumque sentiri, utcumque perspici possit: unde et sequitur: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos:* quasi enim fenestrae, et cancelli in pariete fiunt, cum ipse sua gratia se contemplari permittit; licet in speculo, et aenigmate. Potest etiam hoc quod dicit, *Ipse post parietem nostrum,* ad humanitatem eius referri: quasi enim post parietem nostrum stetit, quia carnem nostram sibi opposuit, in qua divinitas eius latuit. Quod vero sequitur *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* hoc ad divinitatem eius refertur: ille enim qui per fenestras, vel per cancellos intuetur, cuncta quae foris aguntur videt, et ipse a nemine videtur: ita Deus cum omnia videat, et omnia perscrutetur, ipse investigari, et comprehendi non potest. *En dilectus meus loquitur mihi.* Ad praedicandum hortatur me dicens: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Vox sponsi ad publicae operationis studia provocantis: *Surge, propera amica mea,* per fidem, et dilectionem; *columba mea,* per innocentiam, et simplicitatem; *formosa mea,* per virtutum pulchritudinem, festina, *et veni*; ac si diceret: Surge de statu tuo illo tibi dulcissimo, hoc est de quiete in qua mihi soli placere in psalmis, hymnis, et orationibus desideras. Festina, et veni, idest festina ad utilitatem proximorum, ut illos quoque per praedicationis officium, et bonorum operum exempla tui imitatores facias, et ad salutem perducas. Et notandum, quod superius filias Hierusalem adiurabat ne suscitarent, neque evigilare facerent dilectam; hic vero ipse eam suscitat, et surgere ad laborem hortatur, quia *omnia tempus habent, et omni rei est tempus sub caelo: Eccle. 3.* Tempus contemplationis; tempus etiam actionis: alio enim tempore debent sancti praedicatores divinae contemplationi insistere, et mentem suam caelesti quiete oblectari; alio vero tempore per caritatem debent curam proximorum agere, et eis bonorum operum exempla praebere, ac divinae contemplationis doctrinam impendere. *Iam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit.* Hyemis, et imbris nomine asperitas infidelitatis exprimitur, quae totum mundum tenebat usque ad adventum Christi. Dicit ergo sponsus: *Surge, amica mea, et veni, quia hyems transiit,* sole iustitiae apparente, et *imber,* infidelitatis, *recessit,* ac serenitas verae fidei in mundo resplenduit. Tale est quod Apostolus ait *Rom. 13. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Finita hyeme, et imbre, flores in terra apparuerunt, decor videlicet virtutum, et pudicitiae, et transeunte asperitate infidelitatis, verna fidei successit temperies. *Tempus putationis advenit,* hoc est purgationis sanctorum: putatio enim vinearum sanctorum significat purgationem, quae in Christo, et per Christum est, de qua ipse ait *Ioan. 15. Ego sum vitis vera, et vos palmites. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus; et qui fert fructum, purgabit eum, ut plus afferat fructum. Vox turturis audita est in terra nostra,* hoc est vox praedicantium Apostolorum. Turtur enim quae est avis castissima, et quae in excelsis semper, et in arboribus morari solet, et nidificare, Apostolos, vel ceteros doctores significat, qui possunt dicere: *Nostra conversatio in caelis est: Phil. 3.* Quod etiam gemitum pro cantu habet, sanctorum ploratum significat, qui suos ad fletum, et lamenta hortantur dicentes: *Miseri estote, et lugete, ut luctus vester in gaudium convertatur: Iac. 4. Vox turturis audita est in terra nostra,* idest vox praedicantium Apostolorum; *in terra nostra,* hoc est in Ecclesia, de qua Psalmista *Psal. 23. Domini est terra, et plenitudo eius. Ficus protulit grossos suos.* Per ficus synagoga designatur; grossi autem dicuntur primitivae et immaturae ficus inhabiles ad edendum, quae ad pulsum venti facile cadunt. Voce autem turturis insonante ficus protulit grossos suos, quia Apostolis praedicantibus, emerserunt multi de synagoga Iudaeorum qui et Christum crederent, et tamen legem carnaliter observare vellent; magisque auctoritate legis delectarentur, quam dulcedine Evangelii, volentes circumcisionem, et sabbatum, et alia legis praecepta iuxta litteram observare; de quibus Apostolus dicit *Galat. 4. Æmulantur vos non bene . . . . Sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur: (ibid. 6,). Vineae florentes dederunt odorem suum.* Postquam *turturis vox audita est,* postquam *ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum:* quia multitudo Ecclesiarum per latitudinem orbis diffusa est, quae flores virtutum, et odorem bonae opinionis late de se spargunt. *Surge, amica mea, sponsa mea, et veni: columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae.* Vocat iterato sponsus amicam suam, et dicit: *Surge, amica mea, sponsa mea, et veni.* Noli inquit, sponsa mea, quam mihi per fidem, et dilectionem amicam feci, otioso torpore lentescere; sed surge, et veni, et exempla virtutum foris proximis praebe. *Columba mea in foraminibus petrae,* Si petra est Christus, iuxta quod Apostolus ait *1. Cor. 10. Petra autem erat Christus;* foramina petrae sunt vulnera quae pro salute nostra in cruce suscepit, fixuram videlicet clavorum, lanceae percussuram. In his ergo foraminibus columba, idest Ecclesia, moratur, quia totam spem salutis suae in passione sui redemptoris constituit. Ibi ab insidiis malignorum spirituum, quasi a raptu accipitris secura delitescit; ibi nidificat, idest fetus bonorum operum congerit. *In caverna maceriae.* Maceriae construuntur ex viminibus, vel ex siccis lapidibus ad munimenta vinearum ad repellendas vulpes, vel ceteras

nocuas bestiolas. Per maceriam ergo significatur caelestium custodia praeceptorum, vel virtutum, vel angelicum praesidium, sicut Isaias de domini vinea ait *cap. 5. Et maceria circumdedit, et circumfodit eam.* In caverna ergo maceriae moratur, quia praesidio Angelorum undique circumdatur, et a tentationibus custoditur. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Tu, inquit, dilecta mea, quae in lecto contemplationis dulcissime requiescis, veni, et *ostende faciem tuam mihi*, et a secreto quietis egredere ad publicam actionem, et pulchritudinem bonorum operum tuorum aliis ad exemplum demonstra: *ostende mihi*, dicit, quasi Deo: Deo enim suam faciem ostendit Ecclesia, cum proximis ad utilitatem, et profectum virtutum, quantam intrinsecus habeat pulchritudinem insinuat. Hoc est quod Dominus dicit in Evangelio *Matth. 5. Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum. Sonet vox tua in auribus meis,* vox videlicet praedicationis, vel divinae laudis, qua alios facias proficere. In auribus enim Dei vox Ecclesiae sonat, cum praedicatione ex multorum conversione delectatur Deus. Bene autem dicit, *Faciem tuam*, et, *Vox tua*, non aliena. Illam videlicet faciem mihi ostende quam in baptismo tibi dedi, quando mundavi te ab omni peccato. *Vox tua*, dicit, *in auribus meis sonet*, ut ex sincera intentione dilectionis meae procedit, ut non propter aliud praedices nisi propter me. *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Vox sponsi praecipientis sponsae suae, et filiabus Hierusalem, sanctis videlicet doctoribus, vel animabus fidelibus. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas.* Vulpis dolosum est animal et fraudulentum, in cavernis, et specubus habitans, nec recto, sed tortuoso incedens itinere; idcoque designat haereticos, et schismaticos, qui *demoliuntur vineas,* hoc est Ecclesiam Dei, plebem videlicet fidelium lacerare, et decipere non cessantes. Praecipit ergo ut parvulas vulpes capiant; idest, ut haereticam pravitatem in ipso initio debellare, et destruere non cessent, ne robusta facta fortius Ecclesiam impugnet. *Nam vinea nostra floruit*, idest Ecclesia per universum mundum flores virtutum emisit. Et nota, cum superius vineas pluraliter dixerit, modo dicit singulariter: *Vinea nostra floruit*, quia ex multis ecclesiis una est electa Ecclesia. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Vox sponsae, *Dilectus meus mihi;* subaudi, societur vinculo caritatis et amoris; et ego illi coniungar, et consociabor vicissitudine mutuae dilectionis. Vel *dilectus meus*, subaudi, det mihi verba exhortationis, et divinae promissionis; *et ego*, subaudi, ostendam illi faciem meam. Vel etiam *dilectus meus mihi* dignetur coniungi glutino caritatis; *et ego illi* coniungar vinculo dignae obedientiae, obtemperans praeceptis illius. *Qui pascitur inter lilia,* hoc est delectatur, et iucundatur inter candidas, et odoriferas virtutes sanctorum. Et hic notandum, quod superius dixit lilium, hic vero pluraliter lilia: quia multae sunt virtutes sanctorum; una tamen fides est, et una caritas, qua praecipue delectatur Deus. Sive etiam pascitur inter lilia, hoc est suavissime delectatur inter choros virgineos: candor enim liliorum recte munditiae virginali comparatur. *Donec aspiret dies*, hoc est, donec transeant nebulae praesentis vitae, et appareat dies, hoc est veniat claritas sempiternae beatitudinis. Et est sensus: *Dilectus meus mihi* praestat auxilium, *et ego illi* dignam praebeo obedientiam; qui virtutibus sanctorum delectatur, quousque transcursa nocte praesentis viae, in qua per speculum, et in aenigmate cernitur, appareat dies supernae claritatis, ut facie ad faciem videatur. *Revertere, dilecte mi, similis esto capreae, aut hinnulo cervorum super montes Bethara.* Vox Ecclesiae sponsi sui speciem desiderantis: *O dilecte mi,* qui me de lecto quietis surgere praecipis, et ut tibi faciem meam ostendam hortaris, *revertere,* hoc est claritatem divinitatis tuae me perspeculari permitte, et hoc quod mihi perfecte promittis in alia vita, beatitudinem videlicet tuam, in hac adhuc peregrinatione me saltem in figura et aenigmate habere permitte. *Similis esto capreae, aut hinnulo cervorum super montes Bethara.* Iam dictum est superius, quod capreae campos despiciunt, et ad alta montium emituntur. Christus ergo capreis comparatur, quia secundum carnem resurgens a mortuis caelorum alta petiit. Hinnulus vero cervorum vocatur, hoc est filius antiquorum patrum. Cervi enim sunt patriarchae, et prophetae, de quibus Christus carnis originem duxit. Fertur hinnulus hanc habere naturam, ut fervente sole, umbrosa et opaca loca requirat, in quibus ab aestu protegatur, sic et Christus in eorum mentibus requiescit qui rore Spiritus sancti ab aestibus carnalium voluptatum temperantur; ac si diceret: *O dilecte, revertere,* hoc est, me saepius tua visitatione illustrando laetifica, qui per carnem quam assumpsisti, iam caelorum sublimia penetrasti. Montes autem Bethara mentes significant sanctorum a terrenis per superna desideria elevatas. Nam Bethara interpretatur domus consurgens, vel domus vigiliarum. Vigiliae mentes sanctorum significant, quae ad desideranda superna consurgunt, et ad ea perspicienda invigilant. Quidam codices habent: *Super montes Bethel.* Bethel interpretatur domus Dei, apte mentes sanctorum signans, quae domus Dei sunt habentes in se Deum inhabitatorem, qui dicit per prophetam *Levit. 26. Inhabitabo in illis, et inambulabo.* Super has ergo mentes dilectus similis est capreae, hinnuloque cervorum, quia illas visitare est dignatus quae domus Dei esse student.

## CAPUT III.

In lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem; per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quae est ista quae

ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit, propter filias Hierusalem. Egredimini, filiae Sion, et videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius.

Vox Ecclesiae de gentibus congregatae: *In lectulo*, inquit, *meo*, hoc est, cum adhuc in desideriis carnalibus requiescerem, et cum adhuc in tenebris infidelitatis, et ignorantiae posita essem, *quaesivi quem diligit anima mea.* Multi enim Philosophorum Deum ignorantes, summo tamen studio illum requirebant, per creaturas creatorem volentes cognoscere; sicut Plato qui in Timaeo multa de anima disputavit, et sicut Aristoteles, et Socrates, et ceteri qui omne vitae suae tempus in studiis exquirendae veritatis expendebant. *Quaesivi illum, et non inveni:* non enim per mundanam sapientiam Deus cognosci potuit. *Surgam, et circuibo civitatem; per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni.* Exurgam, inquit, de strato corporis, et carnalis delectationis, et circuibo civitatem huius mundi, maria, ac terras peragrando. *Per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea*, hoc est, per lata itinera gradientes huius saeculi, et suis voluptatibus deditos adspiciam, si forte in illis dilecti mei vestigia adspiciam. Hoc, cum causa exempli de multis dici possit, praecipue in illo Eunucho impletum est, qui a finibus terrae venit Deum caeli Hierosolymis adorare, quem Philippus invenit, eique Christum in prophetia Isaiae ostendit: *Act. 8.* Hoc quoque in Cornelio adimpletum est, qui adhuc paganus, et ignorans Deum, eleemosynas faciebat, et orationibus vacabat; quem Petrus cum domo sua baptizavit: *Act. 10.* Iterat adhuc difficultatem inventionis, et dicit: *Quaesivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Vigiles sunt sancti Apostoli, et ceteri doctores Ecclesiae, qui civitatem, idest sanctam Ecclesiam custodiunt, et ab insidiis spiritualium hostium defendunt; quos interrogat: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quasi vigilans Ecclesia interrogabat, cum intenta aure eorum praedicationem percipiebat. *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Pertransire vigiles est eorum dicta et doctrinam diligenter perscrutari: solemus namque dicere: Transcurri librum, legens, vel pertransivi. *Cum*, inquit, *pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea:* quia cum sollicita meditatione dicta, vel scripta sanctorum requirimus, statim dilectum invenimus, quia Deum in eorum dogmatibus reperimus. Potest et sic intelligi: *Cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, hoc est, cum intellexissem Christum omnem sublimitatem, et gratiam superare, tunc *inveni quem diligit anima mea*, hoc est, tunc vere intellexi quantum ipse a ceterorum sanctorum meritis distet. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae*, hoc est ardentissima fide, et devotione illi inhaesi; *nec dimittam eum*, sed in eius amore, et fide perseverabo, *donec introducam eum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae*, hoc est, donec illum synagogae, quae est mater mea, spiritualiter praedicem, ut eam quoque ad eius fidem perducam. Hoc fiet in die iudicii, ut Apostolus ait *Rom. 11. Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit.* Tantum ergo sibi de caritate sponsi sui promittit Ecclesia, ut etiam se credat synagogam posse convertere. Quod autem dicit, *Donec introducam eum*, non est putandum, quod tunc relictura sit illum cum in cubiculum matris introduxerit; sed *donec* pro sempiterno ponitur, idest semper illi inhaerendo, semper in eius fide, et dilectione perseverabo. Taliter et in *Psalm. 122. Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Numquid postquam nostri misertus fuerit, non erunt oculi nostri ad eum? Utique erunt. *Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis; neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Bis repetitur iste versiculus, nam superius positus est; sed supra ad Ecclesiam primitivam de Iudaeis collectam pertinet, hic vero ad Ecclesiam de gentibus congregatam, et amoris vinculo Christo arctius copulatam: una enim eademque cura est Deo de sanctis qui vel in circumcisione, vel etiam in tempore baptismatis coruscante gratia Evangelii illi placuerunt. Quia vero supra iste versiculus expositus est, iam hic videndum est, quare velut dormientem inducat Ecclesiam: unde et adiurat filias Hierusalem ne eam excitent, cum paulo superius non dormientem, vel quiescentem, sed studio laboriosissimae inquisitionis insistentem, qua sponsum inquirebat, introducat. Si ergo requirebat sponsum, quomodo requiescebat? Sed dulcissimus et suavissimus est somnus Christum quaerere. Dormit ergo Ecclesia, et sponsum quaerit, dormit videlicet a desideriis terrenis, ab actibus saeculi; vigilat autem, et requirit sponsum, quia eius contemplationi inhaeret, eum solum desiderat, et ad illum pervenire contendit. Adiurat ergo sponsus filias Hierusalem, animas videlicet desideriis terrenis contemptis supernae patriae inhiantes, ne illam excitent ab hoc somno suavissimae quietis, et contemplationis, donec ipsa velit. Somnus autem merito amor appellatur: quia sicut dormiens a visibilibus oculos claudit, et invisibilia contemplatur; ita is qui divinae contemplationi insistit, quasi alienus est, et dormit exterioribus, sola spiritualia, et caelestia videns. Nec mirum, si amor somnus vocatur, cum in sequentibus mors appellatur, ubi dicitur *cap. ultim. Fortis est ut mors dilectio.* Cum autem dicit, *Donec ipsa velit*, ostendit Ecclesiam de gentibus voluntarie se praeparaturam ad labores, et persecutiones pro Christo perferendas. *Quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Vox filiarum Hierusalem, idest sanctorum primitivae Ecclesiae admirantium pulchritudinem Ecclesiae ex gentibus congregatae.

*Quae est*, inquit, *ista? Quae*, idest qualis, quanta laude, et admiratione digna, quae non circumcisione mundata, nec adhuc baptismo sanctificata iam currit ad Deum? *Ascendit*, inquit, *per desertum*. Hoc dicitur ad imitationem plebis priscae Iudaicae, quae liberata de Aegyptiaca servitute per desertum, mari rubro transito, venit ad terram repromissionis. Dic etiam: Ecclesia per desertum nationum descendebat iam de Aegypto, hoc est de confusione idololatriae, liberata, et a Pharaone, idest diabolo, submerso, ut caelesti manna pasceretur, et veram terram repromissionis ingrederetur. Ascendit, inquit, ad montem virtutum, vel etiam ad ipsum caelum virtutibus sublevata, quae *in Psalm. 120* dicit: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi:* et *alibi 122. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis*. Montes ipsi sunt Patriarchae, Prophetae, Apostoli, et ceteri sancti, qui merito virtutum montes appellantur. Primo enim ad montes, idest ad sanctos, sublevat oculos Ecclesia, vel anima fidelis: quia illorum doctrinam, actusque considerat, illorum exemplo, et intercessione muniri gaudet. Postea proficiens ad ipsum quoque qui fecit montes, audet cordis adspectum erigere, et dicit: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis*, idest gratanter requiescis in sanctis. *Sicut*, inquit, *virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris*. Fumus ex igne nascitur, et mox altiora aeris expetit, donec adspectibus intuentium subtrahatur. Fumus igitur significat sanctum desiderium igne divini amoris perfusum. Nec absolute fumo comparatur, sed virgulae fumi: quia sancta Ecclesia, vel anima sancta Deum amans, gracilis est, et delicata, disciplinis Spiritus sancti extenuata, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Sive virgulae fumi, non sparso fumo, comparatur propter unitatem Ecclesiae, quae in Christo una est. Unde vero esset ille fumus, ostendit cum subdit: *Myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii*. Myrrha condiuntur mortuorum corpora; thus vero adoletur in sacrificio Dei. Ideoque per myrrham carnis mortificatio designatur; per thus munditia orationum exprimitur. Virgulae ergo fumi, myrrhae, et thuris Ecclesia assimilatur, quia sancti mortificatione carnis suae, et orationibus mundo ac simplici corde profusis, Deo placere student. *Et universi*, inquit, *pulveris pigmentarii*, idest congerie omnium virtutum. Non autem integra fuisse aromata, sed in pulverem redacta dicuntur: quia sanctorum actiones magna discretione considerandae sunt, et tamquam cribro subtilissimae considerationis eventilandae, ne quid forte in illis durum, aut inconveniens existat, ne salutem per ipsas virtutes milleformis adversarius surripiat, qui callidus per bona etiam consuevit nocere. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*. Quo haec dilecta, et mirabilis ascendere ostenditur, cum subditur: *En lectulum Salomonis*, et reliqua. Lectulus Salomonis, quamvis superna illius caelestis beatitudinis requies accipi possit, in qua Deus cum sanctis requiescit, probabilius tamen praesens accipitur Ecclesia, in qua sancti Dei, sopitis tumultibus vitiorum, amplexu Salomonis, idest viri pacifici, delectantur: unde et Psalmista de Christo dicit *Ps. 75. Factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion. Lectulum* ergo *Salomonis*, idest Ecclesiam Christi, *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*. Per ly *fortes* ordo doctorum intelligitur, qui vel praedicando Ecclesiam muniunt, vel contemplando ad illam supernam beatitudinem pervenire desiderant. Sexagenarius autem numerus ex senario et denario constat: sexies deni, vel decies seni sexaginta faciunt. Senarius vero perfectionem significat operis, quia sex diebus perfecit Deus opera sua. Denarius vero remunerationem et praemium quod in fine electis dabitur: unde et hi qui in vineam venerunt, denarium leguntur accepisse. *Sexaginta* ergo *fortes* significant, ut dictum est, sanctos doctores, fortes opere, et animo constantes. Additur vero, *Ex fortissimis Israel*, omnes in Christum credentes, et Christum diligentes. Israel, idest videns Deum, appellatur. Fortissimi vero Israel sunt qui Ecclesiam tueri praedicando, et ab incursibus daemonum, vel impugnatione haereticorum defendere noverunt. Hi ergo ambiunt lectulum Salomonis, quia illis est commissa Ecclesia, et ab illis vigilanti cura est custodienda. *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi*. Tenent enim gladium spirituale verbi Dei, de quo Apostolus *Ephes. 6. Et galeam*, inquit, *salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ad bella* vero sunt *doctissimi:* quia necesse est ut spiritualis praelii arte instructi sint qui *adversus principatus, et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus ibidem* bellum gerunt: versutissimus enim est ille hostis, et tam subtilitate spiritualis naturae, quam etiam temporis longinquitate doctissimus, contra quem sancti bella suscipiunt. *Uniuscuiusque ensis super femur suum*. Per femur propagatio sobolis accipitur. Super femur ergo ensem habent, quia timore Dei omnes comprimunt, et coercent motus carnalis voluptatis. Et hoc *propter timores nocturnos*, idest propter occultas insidias maligni hostis, qui in nocte huius saeculi, sanctis maxime qui in Ecclesia praeeminent, insidiatur, ut illis deceptis, lectulum Salomonis, idest requiem sanctorum, foedare possit. Et notandum, quod superius tenere gladios dicuntur; hic vero super femur enses habere: gladios enim tenent, ut adversariis resistant, ut haereticos, et omnes sanae fidei contradicentes confodiant; super femur vero enses habent, ut suimet curam habeant, ut fluxus carnalium voluptatum reprimant, ne iuxta verbum Apostoli *1. Cor. 9. aliis praedicantes, ipsi reprobi efficiantur. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*. Quod superius per lectum Salomonis, hoc nunc designatur per ferculum, sancta videlicet Ecclesia, in qua velut in lecto requiescunt sancti Dei, et velut in lecto discumbunt ad epulas aeternae satietatis. *De lignis Libani fecit Salomon ferculum*. Libanus mons est Phoenicis, cuius arbores et proceritate, et pulchritudine, et durabilitate ceteris praeeminent; ideoque significant sanctos virtutum specie fulgentes, et ad aeterna festinantes: Libanus enim candidatio, vel dealbatio interpretatur. Ligna ergo Libani sunt sancti candidati et dealbati baptismo, et exornati omnium virtutum pulchritudine. *Columnas eius fecit argenteas*. Per columnas doctores eiusdem Ecclesiae figurantur, qui eam verbo, et exemplo sustinent, ac roborant: unde dicitur *Galat. 2. Iacobus, et Ioannes, et Cephas, qui videbantur columnae esse.*

Hae columnae sunt argenteae, quia nitore caelestis eloquii refulgent: *eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum: Ps. 11. Reclinatorium fecit aureum.* Per reclinatorium aureum requies aeterna accipitur, quae sanctis in Ecclesia promittitur; ad quam tamen ascensus est purpureus. *Ascensus eius purpureus.* Purpureus ascensus est passio Christi, quia purpura colorem sanguinis imitatur. Ascensu ergo purpureo ad reclinatorium aureum pervenitur: quia illi ad aeternarum epularum mensam discumbunt, et ad supernae quietis requiem veniunt qui in praesenti passionem redemptoris sui digne venerari, et imitari satagunt. *Media caritate constravit propter filias Hierusalem. Media caritate constravit:* quia omnibus fidelibus suam caritatem Christus commendavit, patiendo pro nobis, et requiem nobis praeparando; iuxta quod Apostolus *Rom. 5.* dicit: *Commendat autem Deus suam caritatem in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis filium suum in mortem tradidit.* Aliter per columbas argenteas Apostoli, et apostolici viri designantur; per reclinatorium aureum doctorum ordo, qui cum ineffabilia aeternae vitae repromittunt, utique nos suaviter quiescere faciunt: et hoc reclinatorium bene aureum dicitur, quia ineffabile est illud praemium quod sancti expectant: in rebus enim caducis nihil auro pretiosius est. Per ascensum etiam purpureum ordo designatur martyrum, qui passionem Christi imitati pro illo sanguinem suum fuderunt. *Sed quid nos faciemus* dicit B. Gregorius *qui nullius meriti sumus, et non inter doctores, non inter martyres locum nos habere videmus?* Sequitur, *Media caritate constravit.* Habeamus ergo caritatem, qua media huius ferculi constrata sunt; quae et idcirco latum mandatum vocatur, quia omnibus suis observatoribus aeternam salutem parat. Hanc efficaciter teneamus, et per hanc salvabimur. Et hoc *propter filias Hierusalem,* hoc est propter animas simplices, quae nullius virtutis sibi sunt consciae, quae quanto maioris fragilitatis sibi sunt consciae, tanto amplius salvatorem et redemptorem suum diligere satagunt. *Egredimini, et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis eius, et in die laetitiae cordis eius.* Vox Ecclesiae invitantis animas fidelium ad intuendum quam mirabilis et speciosus sit sponsus eius: filiae namque Sion eaedem sunt quae et filiae Hierusalem, sanctae videlicet animae, supernae illius civitatis cives, quae et perpetua cum Angelis pace fruuntur, et per contemplationem gloriam Domini speculantur. *Egredimni,* inquit, o *filiae Sion,* hoc est, exite de turbulenta huius saeculi conversatione, ut mente expedita eum quem diligitis, contemplari possitis. *Et videte,* inquit, *Regem Salomonem,* hoc est verum pacificum Christum, *in diademate quo coronavit eum mater sua;* ac si diceret: Considerate Christum pro vobis carnem indutum, quam carnem de carne Virginis matris suae assumpsit. Diadema namque vocat carnem quam Christus assumpsit pro nobis, in qua mortuus destruxit mortis imperium, in qua etiam resurgens resurgendi nobis spem contulit. De hoc diademate Apostolus *Heb. 2.* dicit: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum.* Mater vero sua eum coronasse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiam praebuit. *In die desponsationis eius,* hoc est in tempore incarnationis eius, quando sibi coniunxit *Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam: Ephes. 5.* vel quando Deus homini coniunctus est. *Et in die laetitiae cordis eius.* Laetitia enim et gaudium Christi salus est et redemptio generis humani; iuxta quod in Evangelio multos ad fidem Christi cernens confluere, *In illa hora,* inquit Evangelista, *exultavit in spiritu, et dixit: Confiteor tibi, Pater caeli, et terrae: quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis: Mat. 11.* Et in evangelica parabola inventa ove, vocat amicos dicens: *Congratulamini mihi Luc. 15.* Potest et hoc simpliciter totum ad passionem Christi referri, iuxta litteram. Praevidens enim Salomon in spiritu passionem Christi, longe ante praemonebat filias Sion, idest plebem Israeliticam, *Egredimini,* inquiens, *et videte Regem Salomonem,* idest Christum, *in diademate,* idest in spinea corona, *qua coronavit eum mater sua,* synagoga, *in die desponsationis eius,* quando videlicet sibi iunxit Ecclesiam, *et in die laetitiae cordis eius,* quo gaudebat per suam passionem redimere mundum de diaboli potestate. Egredimini ergo, et exite a tenebris infidelitatis, et videte, hoc est intelligite mente, quia ille qui ut homo patitur, verus est Deus. Vel etiam egredimini extra portam civitatis vestrae, ut eum in Golgotha monte crucifixum videatis.

## CAPUT IV.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet: capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa; mel, et lac sub lingua tua; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus ma-

lorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha, et aloe cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Surge, aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.

Bis repetit, *Quam pulchra es, quam pulchra es*, idest in opere, et in praedicatione: in opere, quia nihil foedum, nihil oculis meis indignum agit; in praedicatione, quia ad considerandum incarnationis meae mysterium etiam sodales tuas filias Hierusalem invitare non cessas. *Oculi tui columbarum.* Per oculos intelligitur acumen sensuum spiritualium, quibus divina et sempiterna contemplatur, vel intuetur Ecclesia. Columbae autem oculi Ecclesiae comparantur, propter spiritualem gratiam, quia Spiritus sanctus in specie columbae apparuit. Sequitur autem: *Absque eo quod intrinsecus latet*, idest absque superna retributione illius, quam in fine saeculi perceptura es, quam et in praesenti per fidem contemplaris. Latet tamen intrinsecus, nec in praesenti videri potest, sed in futuro expectatur. *Capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad.* Per capillos Ecclesiae subtiles cogitationes accipiuntur, quibus plerumque temporalia disponuntur. Comparantur vero gregibus caprarum, quia haec animalia munda sunt, et in rupibus, sive in excelsis locis resupinata pascuntur: quia cogitationes sanctorum etsi corporali necessitate in temporalibus figuntur, tamen ab aeternorum intentione non discedunt, et in ipsa etiam cura quam necessitati corporeae impendunt, quasi caelum semper intuentur. Possumus etiam per oculos doctores Ecclesiae, et praedicatores accipere, qui in corpore, cuius caput Christus est, summum locum tenent, et caelestia, et spiritualia ceteris membris vident; per capillos vero innumeram multitudinem simplicium fidelium in laicali ordine constitutorum, qui etsi minus vident spiritualia, sua tamen numerositate magnum decus praestant Ecclesiae. Et bene gregibus caprarum comparantur. Capra peccatoribus convenit, per quam significantur plebes fidelium actionibus saeculi deditae, quae sine peccato agi non possunt. Bene autem sequitur, *Quae ascenderunt de monte Galaad.* Galaad acervus testimonii interpretatur. Iuxta litteram quidem, ideo quia Iacob recedente de Mesopotamia, persecutus est eum Laban, et in die tertia reperit eum, ibique in testimonium mutui foederis acervum lapidum extruxerunt. Mystice autem acervus testimonii Christus est, in quo multitudo consistit omnium sanctorum, qui sunt lapides vivi adhaerentes illi lapidi, de quo Petrus *1. Can. 2.* ait: *Ad quem accedentes lapidem vivum .... et ipsi tamquam lapides vivi simul coaedificamini.* Greges caprarum de monte Galaad ascenderunt, quia sanctorum multitudines ad celsa virtutum conscendunt, et Christi doctrinam, atque praecepta in omnibus sequi satagunt. *Dentes tui sicut greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas.* Si per capillos Ecclesiae innumerabilis multitudo fidelium simplicium intelligitur, per dentes Ecclesiae doctores figurantur: dentibus enim cibos commolimus, et masticamus. Et sancti doctores bene dentibus conformantur, quia spirituales cibos quos simplices capere nequeunt, ipsi quodammodo exponendo comminuunt. Dens Ecclesiae praecipuus erat Petrus, cui dictum fuit in visione *Act. 10. Surge, occide, et manduca;* ac si diceret: Hos quos ad fidem convertis, occide ab eo quod sunt, ut desinant esse peccatores; et manduca, hoc est transfer in corpus Ecclesiae. Bene autem hi dentes ovibus tonsis, et lavacro lotis comparantur: solent enim oves post tonsionem currenti aqua ablui, ne illotus sudor corpori adhaerescat, et scabiem generet. Tonsae ergo oves sunt sancti doctores, et magistri Ecclesiae, qui et lavacro baptismatis abluti sunt, et vellera, idest facultates, et substantias suas pro Christo amiserunt. Omnibus quidem fidelibus convenit quod dicit: *Quae ascenderunt de lavacro:* nullus enim sine lavacro baptismi fidelis esse potest; non autem omnibus tonsos esse convenit, quia non omnes ita sunt perfecti, ut sua pro Christo valeant amittere; sed illis specialiter congruit, qui secundum verbum Domini vendunt omnia sua, et dant pauperibus, et nudi, atque expediti sequuntur Christum. Tales sunt ergo dentes Ecclesiae, idest praedicatores, et magistri eius, oves per innocentiam abluti baptismo, voluntaria paupertate, et rerum sparsione gaudentes. Sequitur: *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas:* quia gemina caritate, dilectione Dei, et proximi, praeeminent, et hanc observare docent; vel etiam quia fidem, et operationem praedicant. *Et sterilis non est inter eas*, nullus videlicet alienus est a bonis operibus. *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.* Per labia Ecclesiae sancti praedicatores accipiuntur, qui et per dentes figurantur. Coccus autem sanguinis vel ignis habet speciem. Labia ergo Ecclesiae, idest sancti praedicatores vittae coccineae assimilantur, quia passionem Christi assidue praedicant, qui pro nostra redemptione sanguinem suum fudit: sive vittae coccineae assimilantur, quia praedicant, et ardent dilectione; diligunt eos quibus verbum impendunt, et etiam a quibus malum patiuntur. Ad hoc etiam pertinet quod Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit: quia loquentes, et ardentes fecit Apostolos; ardentes in dilectione, loquentes in praedicatione. Et bene vitta coccinea dicitur: vitta enim capillos ligat, et constringit; sic doctores sua praedicatione ad unitatem fidei, et dilectionis multitudinem fidelium in Ecclesia nectunt, et in unum decorem redigunt. Possunt etiam per capillos subtiles cogitationes nostrae accipi. Vitta ergo coccinea crines ligamus, quando cogitationes nostras disciplina timoris Dei constringimus, et coercemus. *Eloquium tuum dulce.* Dulce est eloquium Ecclesiae, cum sancti doctores vel passionem sui redemptoris ad memoriam reducunt, et praedicant quantum Deus hominem dilexerit, vel etiam cum caelestia praemia auditoribus annuntiant. *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet.* Per genas superius diximus Ecclesiam figurari: nam cum verecundamur, rubor sanguinis in genis effunditur. Malum autem punicum habet rubicundum corticem, interius vero multitudine granorum plenum est: unde et malum granatum vocatur. Per fragmen ergo mali punici memoria eiusdem dominicae passionis accipitur, quae et in cocco superius figuratur:

solet enim una res diversis exprimi figuris. Genas ergo Ecclesiae fragmini comparamus, quia sancti doctores venerabiliter agunt memoriam passionis redemptoris sui, nec erubescunt crucem eius; immo gloriantur dicentes cum Apostolo *Gal. 6. Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*: et alibi idem Apostolus scribens ad discipulum suum: *Noli erubescere Christi crucem, neque me vinctum eius: II. Tim. 1.* Bene autem non integro malo punico, sed fragmini comparantur: malum enim punicum cum frangitur, exterius rubor, interius candor apparet: sic et sancti praedicatores cum passionem Christi nuntiant, quasi rubor est exterius; cum vero quanta utilitas nostrae redemptionis inde provenerit, et quod homo per passionem Christi non solum a peccatis iustificari, sed etiam quod divinum consortium meruerit demonstrant, quasi candidum est, quod intrinsecus latebat. Possunt etiam per genas Ecclesiae martyres figurari, qui rubicundi sunt effusione sanguinis sui, veluti malum punicum. Sed fracto malo punico, candor interius apparet, quia post mortem miraculis coruscant. *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis.* Collum sanctae Ecclesiae praedicatores sancti, et doctores eius sunt: hi enim hic designantur per collum, qui superius per oculos, et per dentes, sancti videlicet praedicatores, qui veluti per collum acceptos verbi Dei cibos nutriendo corpori transmittunt, et vocem divinae praedicationis auditoribus proferunt. Vel etiam sancti doctores per collum signantur, quia sicut collum caput et cetera membra corporis coniungit, ita sancti praedicatores quasi mediatores sunt inter Christum et reliquos quos instruunt fideles, et quasi Christum corpori suo, idest Ecclesiae coniungunt. Hoc autem collum turri David comparatur. David, qui interpretatur manu fortis, vel visu desiderabilis, Christum significat, et tota quidem Ecclesia civitas David, idest magni Regis est Christi, qui est manu fortis, quoniam diabolum devicit, iuxta quod Psalmista dicit *Psal. 23. Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.* Est et visu desiderabilis: quia, ut Apostolus dicit *I. Petr. 1. In eum desiderant Angeli prospicere.* Turres autem huius civitatis illi sunt qui vel scientia, vel operis perfectione ceteris praeeminent. *Quae aedificata est cum propugnaculis.* Propugnacula sunt divinarum Scripturarum sacramenta, de quibus veluti iacula procedunt, quibus adversariae potestates repelluntur. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Mille clypei intelliguntur innumera divinae praesidia defensionis, quibus sancta Ecclesia vallatur et defenditur. *Omnis armatura fortium,* idest omnis instructio vel sanctae praedicationis, vel sanctae operationis. Et bene collum Ecclesiae, hoc est praedicatores, et doctores, turri David comparantur, quia semper quasi in bello sunt pro defensione Ecclesiae pugnantes. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Duo ubera Ecclesiae eosdem significant sanctos doctores. Nec mirum, quod una eademque res diversis figuratur modis. Sancti doctores oculi sunt, quia vitae vias, quas ingredi debeant, subiectis demonstrant. Dentes sunt, quia cibos divinarum Scripturarum et molunt et comminuunt, ut mandi possint. Collum sunt, quia caput et membra, hoc est Christum et Ecclesiam coniungunt. Ipsi ergo doctores sunt et ubera Ecclesiae, quia parvulos et simplices fideles lacte verbi Dei nutriunt; iuxta quod Paulus simplicioribus intendens dicit *I. Cor. 3. Non potui vobis loqui tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Et bene non absolute ubera, sed cum additamento dicit, *Duo ubera;* cum femina neque plus, neque minus habeat quam duo ubera, quia nimirum sancti doctores parvulos ex utroque populo, Iudaico videlicet, et Gentili, lacte verbi Dei nutriunt. Nam et Paulus de seipso dicit *Gal. 2. Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Et apte haec duo ubera sicut duo hinnuli capreae gemelli esse dicuntur: quia videlicet fetus sunt, et filii salvatoris nostri Christi, qui superius per capream designatus est: haec enim animalia acutissime vident, et nimia velocitate altiora conscendunt; sic et sancti doctores quae agenda sunt et ipsi vident, et aliis monstrant, et despectis terrenis ad superna nituntur. *Qui pascuntur in liliis*, hoc est delectantur purissimis et nitidissimis sensibus Scripturarum. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae*, hoc est donec dies illa aeterna veniat, quam desiderabat Psalmista dicens *Ps. 83. Melior est dies una in atriis tuis super millia. Et inclinentur umbrae*, idest transeant maerores, et perturbationes huius saeculi. *Donec aspiret dies,* idest oriatur. Apparebit enim dies, idest orietur, quando ille verus sol iustitiae apparebit; et tunc inclinabuntur umbrae, hoc est omnia nubila maeroris, et tenebrae praesentis saeculi pertransibunt. Sed etsi ipsam litteram velimus adspicere, pulchre expressit ortum diei, et occasum noctis: nam nox nihil est aliud nisi umbra terrae, quae sole sub terras descendente consurgit. Sole autem iterum super terras adscendente, inclinantur umbrae, idest cadit nox. *Pascuntur ergo liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae:* quia sanctorum doctorum in praesenti tantum vita necessaria est praedicatio, et doctrina: nam in alia vita, postquam apparuerit aeterna dies, et nox praesentis saeculi finita fuerit, non necesse erit doceri aliquem, quia omnes revelata facie gloriam Domini contemplabuntur: unde et Dominus per prophetam dicit *Hier. 31. Non docebit vir fratrem suum dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.* In myrrha carnis mortificatio, vel mortificationum pro Christo tolerantia; in thure vero sancta devotio orationum accipitur. Mons ergo myrrhae, et collis thuris sunt excelsae animae sanctorum per contemplationem. Promittit ergo sponsus se ad montem myrrhae venturum, et ad collem thuris: quia illas mentes sua visitatione dignatur inhabitare, quae membra cum vitiis et concupiscentiis mortificant, quae etiam seipsas per sancta orationum studia Deo gratum sacrificium faciunt. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Vox sponsi ad amicam et sponsam suam. *Tota pulchra es, amica mea.* Omni, inquit, ex parte nullam recipis maculam, aut rugam: non enim soli doctores, vel perfecti quique pulchri sunt ante oculos Dei, qui summa scientia, et contemplatione praeeminent; sed etiam simplices, et fideles, qui recta fide, et bonis operibus exornantur,

pulchri in oculis sponsi habentur. Nam, ut Psalmista dicit *Psal. 113. Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus.* Ideo dicit, *Tota pulchra es,* non pars tua. Haec autem ideo dicimus, non quod aliquis in praesenti vita sine peccato esse possit, cum scriptum sit *Iob 25. Nemo est super terram sine peccato, nec infans unius diei;* sed ideo quia fides perfecta, et caeleste desiderium omnem abstergit maculam peccati levioris. Non enim de gravioribus nunc ratio est, quae qui committunt, iam sponsa Christi non sunt, nec ullam habent particulam huius sanctae pulchritudinis. Hinc est quod Ioannes dicit *Ep. I. c. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat*, scilicet peccatum ad mortem, non quod levibus peccatis quis careat, sine quibus vita ista agi non potest. Tota est ergo pulchra Ecclesia, inquantum se castam, et immunem ab omni peccato custodit. Si quando autem levi peccato fuscatur, cito poenitudine et recta fide, ac caelesti desiderio in ea prisca pulchritudo reparatur. *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni.* Libanus mons est Phoenicis. Interpretatur autem ex Hebraeo candidatio, vel dealbatio. Ex Graeco autem thus interpretatur. Unde et supra ubi loquitur, *Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris*, habetur collis Libani. Vocat ergo sponsus sponsam suam candidatam baptismo, et dealbatam nitore omnium virtutum, fragrantem studio sanctarum orationum. Vocat eam ut veniat, idest ut virtutibus proficiat: non enim solum vocat Deus animam, quando eam a vinculis corporis exutam ad caelestia praemia ducit; sed etiam cum per internam inspirationem ut in virtutibus proficiat, hortatur: quot enim virtutibus sancti proficiunt, quasi tot passibus ad ipsum tendunt. Et tertio dicit, *Veni,* quia vult eam perfectam esse in cogitatione, locutione, et opere. Vel vocat eam primo, ut ad se veniat per fidem. Vocat secundo, ut dignam caelestium praemiorum retributionem iam liberata a corpore accipiat. Vocat tertio, ut in die generalis resurrectionis, iam assumpto corpore, duplici stola ornata perpetuo gaudeat. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Amana ipsum dicunt esse montem Ciliciae Amanum, qui et Thaurus appellatur. Sanir vero, et Hermon montes sunt Iudaeae, in quibus leones, et pardi feruntur habitare. Per hos autem montes saeculi potestates, Reges videlicet, et Principes intelliguntur, qui veluti montes in superbia extolluntur, et malignis spiritibus, quasi leonibus et pardis, cubilia praebent. Maligni autem spiritus leones vocantur propter superbiam; pardi autem propter ferocitatem, vel etiam pro mille nocendi artibus, quia pardus varium animal est. De his ergo montibus coronatur Ecclesia, quando Principes saeculi ad fidem Christi convertuntur. Et non solum propter suas virtutes, sed etiam propter talium conversionem et salutem coronatur, vel remuneratur Ecclesia. Potest hoc et in praesenti accipi: nam coronatur Ecclesia de vertice horum montium, quando subiectis Principibus catholicae fidei, Ecclesia, quae ante premebatur, coronatur et gloriatur in Christo; sicut factum est tempore Constantini, quando, illo converso, mirabiliter glorificata est Ecclesia. Coronatur et de cubilibus leonum, et montibus pardorum, quando superbos quosque et saevos ac dolosos convertit, et pro illorum quoque conversione aeterna praemia recipit. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* Sponsam et sororem suam dicit sanctam Ecclesiam, quae sponsa est, quia eam sibi Christus incarnatus despondit, eamque mundatam a sordibus peccatorum dote Spiritus sancti sibi coniunxit; soror vero est, quia propter eam incarnatus, frater eius fieri dignatus est: sicut resurgens a mortuis dixit mulieribus *Matth. 28. Ite, nuntiate fratribus meis.* Cum ergo dixit vulneratum cor se habere, magnitudinem dilectionis expressit, qua sanctam suam diligit Ecclesiam. Affirmat autem haec iterans, et inculcans, *Vulnerasti cor meum,* ut tali iteratione quantum Ecclesiam suam diligat ostendat. Qua autem re vulneratum sit, subiungendo demonstrat: *In uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Per oculos Ecclesiae superius spirituales sensus, vel doctores sanctos accipiendos esse diximus; per crines vero multitudines subiectarum plebium, quibus sancta decoratur Ecclesia. Et est sensus: Cum tota sis pulchra, o Ecclesia, et cum te ob multa diligam; praecipue tamen nitor spiritualium sensuum, et doctorum tuorum sinceritas me delectat: simplicitas etiam subiectarum plebium, quae pie et fideliter verbis suorum doctorum obtemperant. Bene autem cum superius pluraliter dixerit oculos, et capillos, hic singulariter in uno oculo, et in uno crine dixit, ut per hoc unitas sanctorum doctorum exprimatur; unitas etiam caelestis doctrinae, quam subiectis impendunt. *Unus enim Dominus,* ut Apostolus dicit *Eph. 4. una fides, unum baptisma;* una etiam devotio subiectorum fidelium. Potest et hoc quod dicit, *Vulnerasti cor meum*, de passione Christi accipi, idest tuo amore fecisti ut ego in cruce vulnerarer. Notandum vero, quod dicit, *In uno crine colli tui:* per collum enim Doctores diximus significari, et crinis Ecclesiae collo adhaeret, quia subiectae plebes sanctis doctoribus connectuntur, et eorum sacrae doctrinae inhaerent, ac secundum illorum praecepta vivere satagunt. *Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa!* Per mammas superius eosdem doctores diximus figurari, qui per oculos designantur: nam sancti doctores mammae sunt cum lacte, idest simplici doctrina humiles quosque nutriunt; oculi sunt, cum summa quaeque caelestia praedicant. Ait ergo: *Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa!* idest, quam pulchri sunt doctores, quoniam sermo illorum, et eloquia praeeminent, et pondere sensuum pretiosa sunt. *Pulchriora sunt ubera tua vino.* Hic versiculus iam superius expositus est, ubi dicitur, *Meliora sunt ubera tua vino;* nunc vero vicissim sponsus sponsae suae ubera extollit, ut per hoc unitas Christi et Ecclesiae commendetur: Christus enim est caput, Ecclesia corpus eius. Praecellit enim virtus praedicationis evangelicae legalem scientiam. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Unguenta Ecclesiae sunt doctrinae caelestis charismata, vel etiam fama virtutum, quae de Ecclesia fragrat; aromata vero intelliguntur legales observationes. Super aromata ergo est odor unguentorum Ecclesiae, quia fama evangelicae perfectionis transcendit omnem laudem legalis observationis. *Favus distillans labia tua, sponsa.* Favus mellis est in cera; mel autem in cera est spiritualis intelligentia

in littera. Labia ergo Ecclesiae favus distillans vocantur: quia sancti doctores, qui per labia designantur, spiritualia documenta praeferunt instruendis fidelibus. Nec solum favus, sed etiam distillans vocantur labia Ecclesiae: distillat enim favus cum mellis copia exuberans iam non potest cereis capsulis contineri. Recte ergo divina Scriptura favus distillans vocatur: quia multipliciter intelligitur, et variis sensibus exponitur; nunc iuxta litteram, nunc iuxta allegoriam, nunc iuxta moralem, nunc iuxta anagogen, idest superiorem sensum. *Mel, et lac sub lingua tua.* Lac parvulis convenit; ideoque per lac designatur simplex doctrina, qua initia credentium imbuuntur; mel vero, quod de rore caeli confici creditur, caelestem et spiritualem doctrinam significat, quae et perfectis, et instructis convenit. Sub lingua ergo Ecclesiae mel, et lac est: quia aliquando caelestia mysteria perfectis, aliquando rudibus plana et simplicia annuntiat. *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Vestimenta Ecclesiae sunt bonorum operum ornamenta, iuxta quod Ioannes *Apocaly. cap. 3. et 19.* dicit: *Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum:* et ideo dicitur *Iob 29. Iustitia indutus sum, et induit me sicut ornamento, et diademate iudicio meo.* Thure autem diximus superius sanctarum orationum munditiam designari. Vestimenta ergo Ecclesiae thuri comparantur: quia omnia opera Ecclesiae quasi orationes sunt, in cunctis enim quae agit semper Dominum deprecatur; et tali modo implet hoc quod Dominus dicit *Luc. 18. Oportet semper orare.* Nec hoc aliter impleri potest in nostra tota vita, nisi ut conversatio talis sit ut in conspectu Dei oratio deputetur. Thus est arbor Arabiae felicis, cortice, et folio lauro similis, succum in modum amygdalae emittens, qui bis in anno colligitur, autumno, et vere; sed autumnali collectione praeparantur arbores, in eius corticibus flagrantissimo aestatis fervore facto tenui vulnere, ac ex eo prosiliente spuma pingui, quae concreta densatur; et ubi loci natura poscat tegente palmeam excipiente, quod in arbore haesit, ferro depectitur; ideoque videtur esse purissimum, et hoc candidum esse. Secunda vindemia eadem hyeme corticibus incisis, rubrum hoc exit, nec comparandum priori. Creditur et novella arboris candidius esse; sed veteris arboris odoratius. Quod ex eo in rotunditate guttae dependet, masculum vocamus. Guttam concussu elisam mannam nuncupamus. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Sororem et sponsam suam Ecclesiam dicit, quoniam ex ancilla sororem sibi esse constituit, et dote Spiritus sancti pignoratam sponsam sibi efficit. Haec ergo Ecclesia hortus est, quia spiritualium virtutum germina profert, quae in sequentibus aromatum vocabulis designantur. Conclusus vero est hortus iste, quia sancta Ecclesia redemptoris, et domini sui adiutorio munita est, et praesidio angelicarum virtutum vallata, nullis malignorum spirituum patet insidiis. Haec ipsa Ecclesia est fons signatus. Fons ideo, quia caelestis doctrinae fluentis manat, quibus omnes in Christum credentes a peccatis abluit, et veritatis scientia potat. Signatus vero est fons iste, quia sermo fidei evangelicae veritatis signaculo munitus est, ita ut neque maligni spiritus, neque haeretici fidem catholicam violare, atque disrumpere valeant. Hic hortus, vel fons, idest Ecclesia, primum in parvo locello Iudaeae plantatus, vel exortus est, deinde per universum mundum disseminata praedicatione, areolas suas, vel rivulos emisit. Unde sequitur: *Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Emissiones Ecclesiae, ut dictum est, incrementa fidei sunt, et disseminatio praedicationis, quae emissiones paradisus Graece, hortus Latine: quia illa primitiva Ecclesia, quae in Iudaea quasi hortus fuit, postea per universum mundum multos hortos, idest Ecclesias emisit. Mala autem punica, quae rubicundum habent corticem, eos significant, qui non solum generali baptismo sanctificati sunt, verum etiam qui proprio sanguine sunt in passione baptizati, martyres videlicet. Fructus vero pomorum opera significant virtutum, sive eos qui ipsas virtutes opere exercent. Emissiones ergo Ecclesiae paradisus malorum punicorum fuerunt, quia primum locum post Apostolos in Ecclesia martyres tenuerunt per ipsam Domini passionem, quam ipsi patiendo imitari studuerunt. Quamvis generalium omnium fidelium multitudo paradisus malorum punicorum possit accipi, qui mala punica sunt, quia passionem sui redemptoris semper in memoria retinent. Et sicut malum punicum intra unum corticem multitudinem habet granorum, ita in Ecclesia multitudo fidelium intra mysterium dominicae passionis continetur. Hinc Apostolus *Rom. 6.* dicit: *Quotquot baptizati estis in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati estis, consepulti cum ipso per baptismum in morte. Cypri cum nardo, nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani.* In hoc horto sic clauso, idest in Ecclesia, nascuntur *cypri cum nardo, nardus simul, et crocus cum universis lignis Libani.* Cyprus arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, idest album, et sublucidum, quod oleo coquitur, et inde exprimitur quod cyprus vocatur: unde regium unguentum paratur. Legimus *in* Exodo *cap. 16. quod manna erat quasi semen coriandri album.* Cyprus ergo, et manna unam habent significationem: significant enim caelestem gratiam tamquam mannam de caelis venientem. Cyprus ergo in horto Ecclesiae est, vel nascitur, cum fideles quique docentur gratiam spiritualem omnibus praeferre, et per illam salutem sperare: nemo enim suis viribus, sed sola Dei gratia potest salvari. Nardus typus est dominicae passionis: unde et Maria nardo pistico caput, et pedes Domini unxit. Nardus ergo in horto Ecclesiae est, cum sancti memoriam dominicae passionis venerantur, eique gratias agunt, quod intantum eos dilexerit ut pro eorum salute et liberatione mortem susciperet. Crocus aurei coloris habet florem, ideoque significat caritatem: sicut enim aurum inter cetera metalla pretiosius est, ita caritas inter omnes virtutes principatum tenet, dicente Apostolo *1. Cor. 13. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.* Cum nardo ergo crocus in horto Ecclesiae nascitur, cum membra Christi, hoc est fideles quique caritatem Dei, et proximi efficaciter tenere student. Crocus autem fertur ignitas febres refrigerare; sic vera caritas ardorem concupiscentiae saecularis refrigerat, et dilectionem Dei et proximi in mente accendit. *Fistula, et cinnamomum.* Fistula brevis est arbuscula, quae et casia vocatur, cortice purpureo; et significat sanctos in Ecclesia hu-

militate, et patientia praecipuos, pauperes videlicet spiritu, quorum est regnum caelorum. Purpureus autem cortex significat similitudinem passionis Christi, quam illi qui in vera humilitate fundantur, in corde semper retinere, et imitari satagunt. Cinnamomum et ipsa brebis est arbuscula, sed mirae virtutis, et odoris; ideoque profectum designat humilitatis, quae et per fistulam designatur. Fistula ergo, et cinnamomum in Ecclesia sunt, cum sancti Dei humilitatem, et patientiam et in corde veraciter retinent, et foris aliis ostendunt. Quod autem fistula rubicundum habet corticem, cinnamomum vero cyaneum habet colorem, significat quod quanto plus sancti memores sunt passionis redemptoris sui, tanto in oculis suis viliores, et despectiores fiunt, dicentes cum Abraham *Gen. 18. Loquar ad Dominum meum, quamvis sim pulvis, et cinis :* et cum *Iob 42. Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere. Cum universis lignis Libani.* Ligna Libani ceteris lignis pulchritudine, ac proceritate, et robore praeeminent; ideoque significant doctores, et perfectos quosque in Ecclesia, de quibus superius domus Ecclesiae dicitur aedificata, dicente eadem Ecclesia *supra cap. 1. Ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina:* quia videlicet sancti doctores praedicatione sua, et exemplis Ecclesiam muniunt. Cum fistula ergo, et cinnamomo universa ligna Libani in horto Ecclesiae memorantur: quia sive humiles et patientes, sive perfecti quique doctores eamdem habent fidem in Ecclesia, et eamdem beatitudinem expectant. *Myrrha, et aloe cum omnibus primis unguentis.* Myrrha arbor est cuius succus stacten dicitur, tantae virtutis ut quicquid ex eo tactum fuerit, ab omni putredine, et vermibus servetur illaesum. Aloe est suavissimi odoris arbor, adeo ut vice thymiamatis altaribus adoleatur. Habet vero succum amarissimum, resistentem putredini, et vermibus. Hinc et in passione Domini *Io. 19.* Nicodemus detulisse dicitur *myrrhae et aloes quasi libras centum.* Per has ergo arbores designantur carnis continentia et castimonia: nam putredo luxuriam solet designare; iuxta quod propheta de quibusdam dicit *Ioel. 1. Computruerunt iumenta in stercore suo.* In horto ergo Ecclesiae sunt myrrha, et aloe, hoc est mentes castae, et omnis corruptionis immunes, audientes ab Apostolo *Heb. 12. Pacem sectamini cum omnibus, et castimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Cum omnibus primis unguentis.* Prima unguenta quid melius quam caritas intelliguntur? De qua Apostolus dicit *1. Cor. 19. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* ac deinde *c. 13. Si linguis hominum loquar, et Angelorum; caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest,* Post myrrham ergo, et aloe, bene prima unguenta ponuntur: quia post carnis continentiam succedit vera caritas, qua Deus super omnia diligitur. Neque enim illi qui mundi dilectione tenentur, hoc est qui voluptatibus, et illecebris adhuc delectantur, huius caritatis participes esse possunt. *Fons hortorum puteus aquarum viventium quae fluunt impetu de Libano.* Fons hortorum ipsa est primitiva Ecclesia, quae veritatis scientia hortos, idest Ecclesias per universum mundum disseminatas irrigat. Ipsa est et puteus aquarum viventium: quia scientia veritatis, quae est in Ecclesia, in quibusdam quasi fons est, ubi patet, in quibusdam quasi puteus, ubi latet, et ad liquidum percipi non potest: nam inter fontem et puteum hoc distat quod fons est in imo, et in superficie terrae ducitur; puteus vero semper est in imo. Ecclesia ergo et fons est, et puteus: quia mysteria Dei in quibusdam veluti fons facile capiuntur, in quibusdam vero cum difficultate tamquam aqua ex puteo extrahuntur. Aquae autem viventes ipsa mysteria Scripturarum vocantur, quia in se caelestem habent virtutem : et e contra cisternae vocantur, idest collectiones aquarum, dogmata haereticorum, de quibus Dominus per prophetam *Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquae vivae; et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Quae fluunt impetu de Libano*, hoc est manant de Ecclesia, quae dealbata est et candidata baptismate, et bonis operibus; quod Libanus interpretatur. De hoc Libano, hoc est de Ecclesia fluunt, idest emanant aquae doctrinarum caelestium; et hoc cum impetu, idest cum magna virtute, quia omnia haereticorum figmenta destruuntur, et subvertuntur. Hinc et *Psal. 45. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei;* idest virtus divinorum eloquiorum. *Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Numeratis Ecclesiae virtutibus sub nomine aromatum, sciens Dominus, qui est sponsus, et redemptor Ecclesiae, ipsam Ecclesiam persecutionibus esse multiplicandam, subsequenter ipse quodammodo iubet venire persecutionem, non praecipiendo, sed permittendo. *Surge*, inquit, *aquilo, et veni auster.* Per aquilonem, et austrum flatus persecutionum et perturbationum intelliguntur contra Ecclesiam saevientium. Aquilo quidem frigidissimus ventus est; auster calidus: et ideo per aquilonem terrores et minae designantur; per austrum blandimentorum decipulae figurantur : quibus duobus modis probatur Ecclesia, terroribus videlicet, et blandimentis. Quando autem dicit, *Surge aquilo, et veni auster*, non imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda, sed permittit, et facultatem illis dat, ut possint saevire contra Ecclesiam, quatenus per illorum malitiam Ecclesia probetur, et illi gravius puniantur. Novit enim Dominus de malis hominum bona quaedam facere. Sed et ipsam persecutionem in sua potestate habet, ut non tantum saeviant quantum volunt : unde scriptum est *Iob 28. Qui facit ventis pondus :* quia videlicet flatibus persecutionum modum impendit; iuxta quod Apostolus dicit *1. Cor. 10. Faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Perfla*, inquit, *hortum meum*, hoc est Ecclesiam meam, *et fluent aromata illius*, hoc est fragrantia virtutum, et odor bonorum operum ex illa procedent: quo enim acerbius Ecclesia conteritur, eo maiorem virtutum odorem ex se emittit.

## CAPUT V.

Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi. Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea,

columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa? Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi ut aperirem dilecto meo. Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est. Quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi. Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum mihi ut nuntietis ei, quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiuvasti nos? Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum; comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus; oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident iuxta fluenta plenissima; genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis; labia eius lilia distillantia myrrham primam; manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacintis; venter eius eburneus, distinctus sapphyris; crura illius columnae marmoreae quae fundatae sunt super bases aureas; species eius ut Libani, electus ut cedri; guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Hierusalem. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.

Audiens Ecclesia persecutionem vocari, tamquam se praeparans contra adversa dicit: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, hoc est veniat Christus sponsus meus, quem toto corde diligo, ad Ecclesiam suam, *ut comedat fructum pomorum suorum*, idest delectetur atque pascatur bonis operibus fidelium suorum: nam cibus Domini bona nostra opera sunt; sicut ipse fidem Samaritanorum vel gentium intuens dixit Apostolis *Ioan. 4. Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Desideranti Ecclesiae ut ad se veniat sponsus, respondet se iam hoc fecisse: Ego iam *veni*: nam non est imperativus *veni*, sed praeteritum indicativi. O soror mea sponsa, iam ego *veni in hortum meum*, idest iam visitavi Ecclesiam meam, et quotidie visito, et virtutum illius tamquam pomis pascor, atque odore fruor. Venio ad eam, ut errantes corrigam, infirmantes roborem, dubios confirmem, et perfectos quosque praemiis caelestibus donem. *Messui myrrham cum aromatibus meis.* Per myrrham designantur illi qui vitam martyrio finierunt, vel etiam carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificaverunt; aromata vero sunt opera sanctarum virtutum bonae opinionis odoribus fragrantia. Mittit ergo Dominus myrrham cum aromatibus suis, quando sanctos martyres, vel reliquos electos bonis operibus insignes ab hac vita falce mortis praecidit, atque ad maturitatem bonorum operum perductos in horreo supernae quietis recondit. *Comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Per favum, et vinum sancti praedicatores figurantur; per mel vero, et lac boni auditores. Favus enim praedicatores sunt, qui arcana et intima Scripturarum mysteria quasi mella de favis producunt, et praedicando aliis manifestant; mel vero sunt boni auditores, qui dulcedinem verbi Dei attente percipere, eaque delectabiliter pasci student. Vinum sunt ipsi praedicatores, qui et favus, qui fortia quaeque sacramenta Scripturarum annuntiant; lac vero sunt infirmi, qui et auditores, quibus aperta mysteria quasi lac parvulis conveniunt. Cum ergo horum omnium vita diversis modis, et studiis agatur, horum tantum omnium bona intentione Redemptor delectatur, et pascitur; et sic quasi favum cum lacte bibit. Possumus hoc etiam ad mortem electorum referre, quos Dominus comedit, cum ad aeternam quietem vocat per mortem, et corpori suo, hoc est societati electorum in illa iam caelesti felicitate laetantium coniungit. Quod si hoc non accipimus, in melle debemus eos accipere quorum animae iam caelesti gloria laetantur. In favo vero eos qui iam corpore et anima in illa beatitudine laudant Deum, et in illo gaudent perpetuo; quales sunt illi qui cum Domino surrexerunt. *Comedite amici, bibite, et inebriamini carissimi.* Non solum Dominus profectu iustorum gaudet, verum etiam nos hortatur, ut in illorum virtutibus gaudeamus, et illos imitemur. *Comedite*, inquit, *amici*, hoc est fideles mei, quia amici mei estis faciendo quae iubeo; carissimi mei estis, perfecta me animi caritate diligendo. Comedite, inquit, ergo, et bibite, idest sanctorum bonis actibus congaudete, et illos vobis ad imitandum proponite. Notandum vero, quod dicit, *Bibite, et inebriamini carissimi.* Ebrietas aliquando pro saturitate ponitur in Scripturis, sicut de fratribus Ioseph scriptum est *Gen. 43. Biberunt, et inebriati sunt coram eo*: et *Ps. 64. Visitasti terram, et inebriasti eam*, idest satiasti, et replesti. Hortatur ergo nos ut non solum comedamus, et bibamus, verum etiam saturemur: quia sunt qui comedunt, et non saturantur, hi videlicet qui verba Dei corporis quidem aure percipiunt, sed opere adimplere contemnunt. At vero electi quique et comedunt, et saturantur, quia videlicet praedicationem divinam delectabiliter audiunt, internis sensibus recondunt, et opere adimplere satagunt: de quibus Psalmista dicit *Psal. 21. Edent pauperes, et saturabuntur.* Si vero, ut superius dictum est, de morte sanctorum hoc acceperimus, amici, et carissimi angelici spiritus intelliguntur, quos iubet Dominus congratulari electis suis, cum ab hac vita ad aeternae beatitudinis requiem transferuntur; iuxta quod in Evangelii parabola legitur *Lucae 15. Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat. Ego dormio, et cor meum vigilat.* Vox Ecclesiae, *Ego dormio*, quia aliquantula pace largiente sponso meo requiesco; nec tales patior pressuras quales primitiva Ecclesia: et ideo *cor meum vigilat*, quia securius concessa mihi pace, amore sponso meo inhae-

reo, et ad illum oculis cordis mei intendo. Sed quia hoc tempus non est requiei, sed potius laboris, et certaminis, rursus sponsus Ecclesiam suam ad labores excitat, et ad praedicationis certamen hortatur. *Vox dilecti mei pulsantis.* Pulsat dilectus, cum Christus fideles suos ad profectum virtutum hortatur; sive pulsat, cum eos admonet, ut proximos praedicando lucrentur. Est et tertia pulsatio, qua pulsat Dominus electos suos, cum per aegritudinis molestias esse mortem vicinam designat: de qua pulsatione in Evangelio dicitur *Lucae 12. Ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Sed hoc loco pulsare dicitur, hoc est Ecclesiam ad opus praedicationis instigare. *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Aperi mihi, soror mea. Soror,* quia cohaeres Regni mei facta: *amica mea*, quia de iugo servitutis liberata, arcana veritatis meae cognovisti: *columba mea,* quia spiritus mei dote sanctificata: *immaculata mea*, quia effusione mei sanguinis ab omni peccatorum macula et naevo purgata es: *aperi mihi*, hoc est de quiete, et otio dilectae tibi contemplationis egredere ad opus praedicationis. *Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Caput Christi,* ut Apostolus dicit *1. Cor. 11. Deus est;* cincinni vero sunt intimae cogitationes sanctorum, quae non laxae et dissolutae fluunt, sed vinculo timoris, et amoris Dei colligantur. Ros vero, et guttae noctium hoc loco tenebrosas, et infidelitate plenas, frigidasque mentes significant. Caput ergo sponsi plenum est rore, cum saeculares quique saeculi amore a caritate torpescunt; iuxta quod Dominus *Matt. 24.* dicit: *Abundante iniquitate, refrigescet caritas.* Et cum tales sanctos Dei caelestia meditantes persequuntur, et odiunt, quasi cincinni sponsi pleni sunt guttis noctium. Cum ergo tales multiplicantur, et gravant Ecclesiam, tunc sponsus admonet sponsam suam ut surgat, et operi praedicationis insistat. *Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa?* Provocata Ecclesia a sponso suo ad officium praedicationis respondet: *Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa?* Exui, inquit, me curis et occupationibus istius saeculi, sine quibus officium praedicationis aut vix aut nullatenus agitur; et quomodo fieri potest ut ad ea quae deserui iterum revertar? Nam qui se ad officium praedicationis suscipiendum aptat, debet quaeque temporalia subditis providere, quae sine magna sollicitudine agi non possunt. Quod autem tunica sollicitudines et curas saeculi signi cet, Dominus ostendit dicens in Evangelio *Matt. 24. Et qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam;* quod est aperte dicere, qui in sublimi contemplationis arce consistit, non descendat, et iterum occupationibus saeculi implicetur. Timet ergo Ecclesia, vel anima quaeque sancta, hác tunica exuens in contemplatione sui conditoris requiescens, iterum illam indui, et saecularibus negotiis occupari. *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos? Lavi pedes meos*, hoc est actiones quibus pulverem tangere, hoc est terrena agere consueveram, dignis poenitentiae fletibus ablui, adeo ut nihil nunc nisi divina me libeat meditari: *quomodo inquinabo illos?* idest, quomodo potest fieri ut iterum ad cogitanda terrena et caduca redeam, quae nunc exoccupato et libero corde divino fruor contuitu? *Dilectus meus misit manum suam per foramen; et venter meus intremuit ad tactum eius.* Dilectus manum per foramen mittit, et ventrem tangit, cum interna conditor inspiratione visitat cor, et ad profectum virtutum accendit; sive etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus quia, cum esset Deus, homo pro nobis fieri dignatus est, ut terrena nostra suscipiens caelestes nos faceret, et moriendo pro nobis vitam aeternam nobis daret. Quod cum fit, venter intremit: quia cum talia cogitare incipimus, cordis nostri arcana se concutiunt, dum stupere incipimus quanta dignatione haec conditor pro nobis agere dignatus est: nam quod venter cor significet, ostendit propheta dicens *Hier. 4. Ventrem meum doleo.* Quod quid esset, ostendit subdens: *Sensus cordis mei dissipati sunt. Surrexi ut aperirem dilecto meo.* Aperimus dilecto, non solum cum adventum eius per caritatem suscipimus, verum etiam cum aliis praedicamus, et eos qui per malitiam pectus clauserant, nostra praedicatione conversos facimus, ut ipsi quoque ianuam cordis Christo aperiant. Bene autem primo dicitur, *Surrexi*, deinde, *Ut aperirem:* qui enim praedicando aliorum corda Christo vult aperire, prius debet surgere, hoc est ad studia bonorum operum erigi, et opere implere quod praedicat; ne forte cum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficiatur. Hinc et Lucas de Domino dicit *Act. 1. Quae coepit Iesus facere, et docere.* Prius dicit Facere, deinde, Docere. *Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Per manus, quibus operamur, ipsa operatio designatur; per digitos vero discretio operationis: quia in nullo membro tantae sunt distinctiones articulorum, quantae in digitis. Manus Ecclesiae myrrham distillant, cum praedicatores eius continentiae, et mortificationi carnis suae operam dant, dicentes cum Apostolo *1. Corint. 9. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo:* sive cum pro Christo mori parati sunt; sicut Ioannes dicit *Ep. 1. cap. 3. Si Christus pro nobis animam posuit* (vel *mortuus est*) *et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Digiti vero sunt pleni myrrha probatissima, cum ipsum opus mortificationis subtiliter discernimus, utrum pro spe vel intuitu supernae mercedis fiat, an pro saeculi laudibus: qui enim pro humanis favoribus ieiunat, vel abstinentiae sive continentiae operibus insistit, in manibus quidem myrrham habet, sed in digitis non habet, quia non discernit quare hoc faciat; de qualibus Dominus dicit *Matt. 2. Receperunt mercedem suam.* Sive manus sponsae distillant myrrham, cum operarii sanctae Ecclesiae castimoniae et continentiae seipsos aptant. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat.* Pessulum ostii aperit, cum Ecclesia, vel fidelis quaeque anima cor advenienti conditori praeparat. *At ille declinaverat atque transierat.* Plerumque enim dum subtilia quaeque tractare volumus, quanto subtilius intendimus, tanto acies cordis reverberatur: unde Salomon dixit *Eccle. 7. Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me*: et *Psal. 63. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Quanto enim quisque ad contemplationem divinam purificatione carnis cor sustollit, tanto altius quod quaerebat esse invenit. Dicit ergo: *At ille declinaverat, atque transierat:* quia nemo in praesenti vita eum sicuti est comprehendere potest. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est.* Quanto, inquit, vicinius ad-

ventum sponsi mei persensi ad tactum secretae inspirationis, tanto magis quicquid in me erat frigidum incaluit, ita ut nihil mihi libeat iam nisi lacrymis resolvi. Loquitur enim sponsus interna sui inspiratione, cum Christus sanctam animam inspirat, eique caeleste desiderium suggerit. Et ita eo loquente liquefit: quia quo magis caelestibus afflat desideriis, eo amplius terrenis emoritur, et quasi insensibilis mundo efficitur, solumque desiderio caelesti vivit. Hoc est etiam quod per prophetam Dominus dicit *Isai. 42. Quis caecus nisi servus meus? Quis surdus nisi ad quem causam per nuntios meos misi? Quaesivi illum, et non inveni.* Ingeminat iterum causam doloris sui: *Quaesivi illum, et non inveni, vocavi illum, et non respondit mihi.* Omnibus quidem se pie quaerentibus semper adest Dominus, se invocantibus respondet, idest ad salutem exaudit; sed plerumque fidelem animam, et ad se venire desiderantem non exaudit, ad hoc ut ita se in praesenti ostendat sicut se in futurum ostensurum promisit. Vel etiam non respondet, idest non exaudit, ad hoc ut ad libitum suum sanctus quisque vinculis corporis exuatur, et liberis amplexibus sponsi sui demulceatur: nam quando Apostolus dicebat *Phil. 1. Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, quasi quaerebat inhaerere sponso suo, et vocabat illum desiderio mentis; sed non respondebat illi, quia non statim de corpore eum liberabat, sed adhuc laboribus exerceri, et utilitatibus Ecclesiae insudare permittebat. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, vulneraverunt me: tulerunt mihi pallium meum custodes murorum.* Vigiles qui custodiunt civitatem sancti sunt doctores, qui caritate Dei ipsam Ecclesiam circumeunt, pervigilem eius curam habentes, quo illam et ab adversariis tueantur, et verbo suo, vel exemplo ad caelestia desideranda accendant. Inveniunt ergo sponsam dilectum quaerentem, cum sancti doctores animam caelestibus desideriis intentam, vel praesentes verbo, vel absentes scriptis suis instituunt et informant. *Percusserunt me,* inquit, *et vulneraverunt.* Verbum Dei gladius est, dicente Apostolo *Heb. 4. Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae.* Hoc gladio sponsa percutitur, et vulneratur, quando praedicatoris sermo de Deo loquitur, et auditoris mentem veluti quodam spiculo compunctionis, et amoris transfodit. *Tulerunt mihi pallium meum:* hoc pallium, quod superius tunica intelligitur, ubi dicitur, *Spoliavi me tunica mea*, tegmen videlicet saecularium desideriorum, quod custodes auferunt: quia quod de amore praesentis saeculi in mente alicuius sancti remansit, totum sancti doctores auferunt, et ea solummodo Christum diligere faciunt. Hi tales possunt dicere cum Apostolo *Gal. 6. Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Custodes murorum.* Muri civitatis sunt doctores Ecclesiae. Custodes ergo murorum illi sunt qui etiam illos instruunt qui aliis praedicare possunt: qualis erat Paulus qui Timotheum, et Titum muros utique huius civitatis instruebat, et custodiebat, hoc est exhortabatur ad perfectionem boni operis. *Adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo.* Filiae Hierusalem sunt animae fideles; quae vel adhuc in praesenti peregrinantur, vel etiam Christo fruuntur, idest filiae supernae illius civitatis, in qua est superna pax, et felicitas divinae contemplationis. Sed hoc loco filias Hierusalem animas debemus accipere Deum desiderantes, sed adhuc in hac peregrinatione versantes. Adiurat ergo sponsa filias Hierusalem, ut nuntient sponso quia amore languet: tunc enim anima fidelis amore languet, cum fideles alios desiderantes Deum pro se deprecatur ut suum desiderium Christo insinuent, eique nuntient suo amore illam teneri. Bene autem se amore languere dicit: quanto enim superna desiderare coeperit, tanto magis erga ea quae mundi sunt infirmatur, et languescit. Nec mirum si tales languere dicuntur, cum Apostolus *Col. 3.* eos mortuos dicat, *Mortui,* inquiens, *estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ita ergo adiuranti sponsae respondent filiae Hierusalem: *O pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Hoc tunc fit, quando quis fidelis fratrem fidelem alloquitur, et invicem sibi caelestium desideriorum verba suggerunt, quibus se ad supernorum amorem accendant. Indica mihi, inquit, tamquam desideranti, et iam ad visionem conditoris mei venire cupienti, qualis est dilectus tuus, idest qualiter Christus amari debeat. Iamdudum, inquit, illum timere coepi; sed iam caritate timorem expellente, opto audire verba quibus ad amorem illius accendar. Tu ergo, quae illum iam amore quaeris, eiusque amore langues, dic mihi *qualis est dilectus tuus ex dilecto.* Dilectus ex dilecto, filius est ex patre, sicut est Deus ex Deo, lumen de lumine. Vel etiam dilectus ex dilecto est Christus, ex ea parte videlicet qua diligendus est, non ex ea qua timendus: nam timere minus perfectorum est, quos timor a peccatis revocat; amare vero iam perfectorum est. Interrogat ergo qualis sit dilectus ex dilecto, idest qualiter Christus amari debeat, vel qualis sit erga illos qui illum tantum amare noverunt. *Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.* Vox respondentis Ecclesiae: *Dilectus meus candidus*, virginitate, *rubicundus* passione. *Candidus,* quia sine peccato natus est, et sine peccato est conversatus: *peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in eo: 1. Petr. 2. rubicundus,* quia *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: Apocaly. 1. Electus ex millibus.* Singulari enim gratia homo Christus in humani generis massa refulsit: quia per illum proposuit Deus salvare genus humanum, et ipse est *mediator Dei et hominum Iesus Christus.* De quo *Psalm. 13. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* et Salomon *Eccle. 7. Virum de mille unum reperi,* idest Christum. Et ipse *in Ps. 140. Singulariter sum ego, donec transeam.* Electus ergo ex millibus, quia solus ex multitudine sanctorum dignus fuit audire *Matth. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Caput eius aurum optimum.* Caput sponsi Deus est, iuxta quod Apostolus dicit *1. Cor. 11. Caput Christi Deus;* qui auro optimo comparatur, quia sicut aurum omnibus metallis est pretiosius, ita omnipotens Deus omnibus a se factis bonis praecellit, et supereminet: unde Dominus *Mar 10. Nemo bonus, nisi solus Deus.* Caput ergo sponsi aurum optimum est, quia Dei bonitas ineffabilis est, omnium rerum bonitatem transcendens, quia nihil bonum nisi participatione huius summi boni. *Comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus.* Comae

sponsi sunt multitudines fidelium per fidem, et dilectionem Deo adhaerentes, quae elatis palmarum comparantur. Dicamus iuxta litteram de elatis palmarum. Elatae palmarum sunt rami provectiores, et excellentiores, interdum aureo colore crispantes, et semper ad excelsa tendentes, et numquam virorem suum amittentes. Tales ergo dicit comas sponsi sui, crispas videlicet, et rutilas. Nonnulli dicunt elatas palmarum speciem esse arboris aromaticae, quam Latini abietem sive spatam vocant, nam Graece abies, elates dicitur. Est autem haec species apta conficiendis unguentis. Abietem vero hic non magnam illam arborem quae est navigiis, vel domibus apta; sed, ut diximus, speciem aromaticae arboris debemus accipere. Haec iuxta litteram de elatis palmarum. Comae ergo sponsi elatis palmarum comparantur, quia fidelium multitudines et virore fidei gaudent, et ad aeterna praemia desideranda extolluntur, atque supernae suavitatis dulcedinem degustant; quam quanto magis percipiunt, tanto amplius in oculis suis peccatores sibi, et contemptibiles esse videntur: unde sequitur, *Nigrae quasi corvus.* Comae enim sponsi nigrae sunt quasi corvus, quia fidelium multitudines suae fragilitatis consciae sunt, et nihil se boni ex seipsis habere noverunt. Vel etiam elatae palmarum sunt in spe, et victoria. Nigrae vero quasi corvus, quia despecti et contemptibiles sunt pressuris huius saeculi. Elatae palmarum sunt sancti, qui per gratiam Dei ad caelestis victoriae palmam tendunt. Nigrae vero quasi corvus, quia per se infirmos, et peccatores se esse cognoscunt. Possunt etiam comae sponsi angelicae virtutes accipi, quae Deo specialiter inhaerent, sicut comae capiti; eumque e vicino contemplantur: quae bene elatis palmarum comparantur, quia numquam a status sui rectitudine inclinantur, sed in dignitate officii sui immaculate permanent: quae quanto magis claritatem sui conditoris contemplantur, in eo quam vile sit omne creatum in eius comparatione adspiciunt; et ideo quasi corvus nigrae esse dicuntur. *Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae.* Oculi sponsi sunt dona Spiritus sancti; quod ostendit Ioannes in *Apoc. 5.* dicens: *Vidi agnum tamquam occisum habentem cornua septem, et oculos septem; qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Unde bene columbis super rivos aquarum comparantur, quia Spiritus sanctus puris, et sinceris mentibus delectatur: non enim super stagna vel paludes, sed super rivos aquarum columbae resident, quia Spiritus sanctus castas et mundas mentes, ut dictum est, sibi habitaculum facit. *Quae lacte sunt lotae.* Lactis nomine gratia Dei intelligitur, quae per Spiritum sanctum Ecclesiae tribuitur, et qua, veluti lacte parvuli, ita Ecclesia nutritur. Possumus et per oculos sponsi doctores accipere, qui columbis comparantur propter innocentiam et simplicitatem. Hae columbae super rivos aquarum resident, quia sancti doctores fluentis divinarum Scripturarum immorantur. Columbae super rivulos aquarum resident, ut adventum accipitris a longe prospiciant, et praecaveant; sic et sancti doctores aqua baptismatis perfusi, nitore castitatis, et sanctimoniae dealbati, resident iuxta fluenta plenissima, hoc est iuxta Scripturarum exuberantem scientiam. Si quid vero putamus distare inter rivulos et fluenta plenissima, dicendum est, per rivulos veteris testamenti Scripturas exprimi, per fluenta plenissima copiosam sancti Evangelii doctrinam designari. Istae ergo columbae et super rivulos aquarum sunt, et iuxta fluenta plenissima resident: quia sancti doctores assidue tam veteris testamenti, quam novi mysteria perscrutantur. *Genae illius sicut arcolae aromatum consitae a pigmentariis.* Genae sponsi modesta Christi pietas, vel severitas, sive habitus vultus illius accipitur: nam in genis viri laetitia, vel modestia; severitas quoque, et pietas deprehenditur. Ideoque in genis sponsi redemptoris nostri istius habitus vultus accipitur. Genae illius erant cum exultaret in spiritu, ut Evangelium dicit *Mat. 11.* vel cum fleret super mortuum Lazarum: *Ioan. 11.* vel cum doleret super perituram Hierusalem: *Luc. 19.* et plura id genus. Hae ergo genae sponsi arcolis aromatum comparantur: sicut enim arcolae aromatum optime compositae et ordinatae aspectum intuentium delectant, eisque odorem suum propinant; ita Christi mansuetudo et absentes fama, et praesentes reipsa delectabat, et ad sui dilectionem provocabat. Hae ergo arcolae a pigmentariis consitae sunt. Pigmentarii sunt Prophetae, vel Apostoli, quorum alteri futura omnia, alteri iam facta descripserunt. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Per labia sponsi verba Domini Iesu Christi accipiuntur: quae liliis comparantur, quia candoris aeterni praemia annuntiant. Distillant myrrham primam, quia per carnis mortificationem ad haec perveniendum docent. Vel etiam liliis labia Domini comparantur, quia castitatis ac munditiae opera docent. Distillant myrrham primam, quia quaecumque adversa patienter perferenda insinuant. Labia Domini lilia erant, cum docens in monte diceret *Matt. 5. Beati pauperes spiritu . . . beati mites . . . beati misericordes . . . beati mundo corde.* Distillabant myrrham primam, cum post haec subiungeret: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacintis.* In manibus sponsi operatio salvatoris exprimitur. Sicut enim quis facile torno operatur, nec regula ulla indiget, sic operatio redemptoris facilis erat: quicquid enim volebat, illico perficiebat: quia *dixit, et facta sunt: Psalm. 148.* et de quo Evangelista dixit *Matth. 7. Erat quasi in potestate habens sermonem.* Aureae autem erant, quia operatio illius divinitatis peragebatur potentia. Nam in auro divinitas figuratur: quia sicut aurum cetera metalla antecedit, et pretiosius est; ita divinitas omnibus suis operibus ineffabili modo cunctorum studia et operationes praecellit. *Plena hyacintis.* Hyacintus lapis est aerii coloris. Quid ergo in hyacintinis manibus nisi spes, et desiderium caeleste accipitur? Et manus Domini plenae sunt hyacintis, quia omnis eius operatio nos ad spem, et desiderium supernorum excitat. Hyacintus etiam est flos aromaticus coloris purpurei, bonique odoris. Manus Domini plenae sunt hyacintis, quia in cruce clavis perforatae, et rubore sui sanguinis quasi colore purpureo respersae sunt. Sed superior expositio de hyacinto lapide melius hic convenit; quoniam in alia translatione etiam lapis habetur, dicitur enim: *Manus eius tornatiles plenae sunt tharsis.* Tharsis autem lapis est quem nos chrysolitum dicimus. *Venter eius eburneus, distinctus sapphyris.* In membris humani corporis nihil ventre fragilius, ni-

hil tenerius; ideoque per ventrem fragilitas humanitatis assumptae in Christo accipitur. Ebur autem est os elephantis, quod animal dicunt esse castissimum, et naturae frigidissimae: unde et a dracone, qui calidae naturae est, vehementer appetitur. Venter ergo sponsi eburneus est, quia assumpta humanitas redemptoris nullam corruptionem, nullam labem admisit. *Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in eo ullus: I. Pet. 2.* Fragilitatem quidem carnis assumpsit, sed tamen totius peccati immunis fuit; sicut serpeus aeneus qui a Moyse in deserto exaltatus fuerat *Ioan. 3.* figuram quidem serpentis habuit, sed malitia veneni caruit. *Distinctus sapphyris.* Sapphirus lapis est caeli sereni habens colorem: unde in visione Domini dicitur *Exodi 24. Est sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyri, et quasi caelum cum serenum est.* Per sapphiros ergo opera divinae maiestatis intelliguntur, quae in carne perficiebat. Venter ergo sponsi distinctus erat sapphyris, quia humanitas Christi caelestibus virtutibus refulgebat. Nec plenus dicitur esse sapphyris, sed distinctus, ita videlicet ut inter sapphyros appareret eboris candor: quia sic Dominus operabatur ea quae erant humanitatis, ut non relinqueret ea quae erant divinitatis: distincta est enim operatio in Christo divinitatis et humanitatis: nam quod esuriebat, quod flebat, quod lassabatur, quod ad ultimum crucifigi, et mori poterat, humanitatis opera erant; quod vero mortuos suscitat at, quod omnibus infirmitatibus succurrebat, quod seipsum a mortuis resuscitabat, evidentissima erant divinitatis opera. *Crura illius columnae marmoreae.* Crura sponsi itinera sunt Salvatoris, quibus homo fieri, et ad nos venire dignatus est: quae recte columnis marmoreis comparantur, quia nihil marmore fortius, nihil columna rectius. Et crura sponsi columnae marmoreae sunt, quia omnia itinera Dei et fortia, et recta sunt. De fortitudine dicit *Psal. 18. Exultavit ut gigas ad currendam viam.* De rectitudine alibi *Psalm. 10. Iustus Dominus, et iustitiam dilexit, aequitatem vidit vultus eius*: et *Psalm. 24. Universae viae Domini misericordia, et veritas. Quae fundatae sunt super bases aureas.* Haec crura super bases aureas fundatas esse dicit, quia omnia quae per Christum, vel in Christo agenda erant, divinitatis consilio ante mundi constitutionem praeordinata, et praefinita sunt. Aurum enim, quod, ut saepe dictum est, pretiosius est ceteris metallis, divini consilii sincerissimum secretum significat. De basibus ergo aureis columnae marmoreae procedunt, quia ab initio saeculi ordinata est incarnatio, nativitas, passio, et surrectio, ceteraque mysteria Salvatoris, quibus humanum genus redimeretur: unde propheta laudans Dominum dicebat *Ps. 60. Domine Deus meus, honorificabo te, laudem dicam nomini tuo, qui facis mirabiles res: consilium tuum verum fiet. Species eius ut Libani, electus ut cedri.* Libanus Phoeniciae est mons, terminus Iudaeae contra septemtrionem; et est excelsior ceteris montibus. Arbores etiam illius montis et procritate, et specie, ac robore ceterarum sylvarum ligna praecellunt. Sicut, inquit, Libanus ceteris montibus Iudaeae terrae praecelsior, ita Redemptor noster speciosior est omnibus electis: quia *speciosus forma prae filiis hominum: Ps. 44.* Et sicut cedrus pulchrior, et procerior est ceteris arboribus; ita ille gratia, et dignitate omnes ab initio saeculi praecellit. *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis.* Superius per labia sponsi verba eius intellecta sunt. Nunc per guttur ipsorum verborum interior dulcedo significatur, qua intellectus noster satiatur; et ad quam percipiendam invitabat *Psal. 33.* dicens: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Et multi quidem verba Domini facile intelligere possunt; sed pauci sunt qui dulcedinem illorum valeant penetrare, hoc est qui praecepta Domini ex amore, et desiderio studeant adimplere. *Et totus desiderabilis;* ac si diceret: Quid per singula eius membra describendo immorer? Totus est desiderabilis sponsus meus. Totus, inquit, quia perfectus Deus, perfectus homo. Totus ergo desiderabilis est, quia Angelos et electos quosque ad suum desiderium accendit; iuxta quod Apostolus dicit *I. Pet. 1. In quem desiderant Angeli prospicere.* Et quanto vicinius adspicitur, tanto maiori affectu ad se adspiciendum desiderium provocat intuentis. *Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Hierusalem.* Dilectus, quia per fidem, et caritatem illi inhaereo, amicus vero, quia me de vinculo peccati redemptam, amicam suam, et secretorum suorum consciam facere dignatus est. Quem quanto quisque plus diligit, tanto amicitia eius dignus est. *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* Vox est filiarum Hierusalem, idest Ecclesiarum, sive etiam animarum sanctarum. Nam sponsa Christi est Ecclesia; filiae vero Hierusalem ipsa Ecclesia est, quae ex singulis fidelium animabus constat. Aiunt ergo: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.* Adiuraverat enim ipsa sponsa superius filias Hierusalem, ut nuntiarent sponso quod amore eius langueret. Interrogaverant hae eaedem filiae Hierusalem, qualis esset sponsus, et illa consequenter formam sui sponsi exposuerat. Nunc interrogant ipsae filiae Hierusalem, quo abierit sponsus ille, ut quaerant eum cum ea. Hoc faciunt sanctae animae, quando ad invicem de aeterna salute colloquuntur, flagrantes amore Christi, et eius aspectum desiderantes; sive cum diligenter investigant in quorum maxime cordibus Christus requiescat, ut eorum exemplo, et conversatione aedificentur. Notandum autem, quod dicitur, *Quo abiit* (vel *quo declinavit*) *dilectus tuus?* Quasi enim ad tempus declinat, dum quaerit ut ad maius desiderium ad se sequendum nos excitet. Ad hoc enim plerumque differuntur vota, et orationes sanctorum ut ardentius eum desiderare incipiant. Sicut et quondam Mariae se quaerenti non statim se ostendit, sed in specie hortulani apparens, tandem quod ipse esset qui quaerebatur aperuit. Exaudit ergo semper Dominus electos suos; sed tamen quasi declinat, cum non statim postulata concedit. Bene autem dicitur: *Quaeremus eum tecum:* nam qui sine Ecclesia Christum quaerit, errare potest, proficere non potest.

## CAPUT VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia. Pulchra es, amica

mea, suavis, et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum quae apparuerunt de Galaad; dentes tui sicut greges ovium quae ascenderunt de lavacro : omnes gemellis fetibus , et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis. Sexaginta sunt Reginae , et octoginta concubinae; et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt ; Reginae, et concubinae laudaverunt eam. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens , pulchra ut luna , electa ut sol , terribilis ut castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium , et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Nescivi. Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Revertere, revertere , Sunamitis , revertere , revertere , ut intueamur te.

Iam supra diximus quis sit hortus Christi , sancta videlicet Ecclesia , de qua supra dictum est *cap. 4. Hortus conclusus, soror mea sponsa. Descendit,* inquit, Christus *in hortum suum,* hoc est quem ipse praeparavit, et excoluit, quem virtutum germinibus consevit, quem muro suae custodiae ab incursu malignorum spirituum defendit. Et bene in hortum suum descendisse dicitur: nam in horto sepeliri voluit, et primum Mariae Magdalenae in horto apparuit *Ioan. 19* et *20.* ibique quodammodo primitias Ecclesiae consecravit. Descendisse ergo dicitur, quasi de superioribus et de caelestibus sedibus in hortum quem in humili loco plantavit, ut hortus, idest Ecclesia sua, dicat, quae est ista quae descendit per desertum. *Ad areolam,* inquit, *aromatum.* Per areolam anima cuiusque fidelis intelligitur , quae disciplina caelesti exultat , et diligenter composita , ac laterum parilitate exquadrata est. Sed ad hoc ipse descendit, *ut pascatur,* inquit, *in hortis* , idest , ut piis sanctorum laboribus delectetur. Ipse enim bonis nostris pascitur intantum ut in paupere ipse reficiatur. *Et lilia colligat*, hoc est, ut sanctas animas virtutis maturitate ad perfectum candorem perductas de hoc mundo ad se colligat, et secum in aeterna beatitudine gaudere faciat : lilia enim sanctae sunt animae , virtutum studiis , et bonis operibus candidatae. *Ego dilecto meo , et dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia. Ego dilecto meo* , et subauditur , gratiam passionis praeparo, *et dilectus meus mihi*, subauditur, gratiam perfectionis, vel praemium vitae aeternae remunerationis praestabit. Sive *ego dilecto meo,* in meipsa mansionem praestabo ; *et dilectus meus mihi*, quia ipse in me habitat, et me in se habitare facit ; sicut ipse in Evangelio dicit *Ioan. 15. Ego in vobis, et vos in me. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Hierusalem.* Quaerebat Ecclesia sponsum suum tamquam absentem , sed ille , ut se semper praesentem ostenderet, eique de se colloquenti , seque desideranti semper adesse demonstraret , cito respondit : *Pulchra es , amica mea , et decora sicut Hierusalem. Pulchra es,* quia maculam , et rugam peccati non habes , sed omni nitore virtutum vernas, amica mea, idest Ecclesia, vel anima quaeque fidelis. *Suavis, et decora sicut Hierusalem.* Hierusalem, quae visio pacis interpretatur, illam supernam civitatem designat, in qua est vera pax, et felicitas: quia ibi sic gaudent sancti de munere, ut non sit quod doleant de corruptione. Ergo Ecclesia, quae adhuc in terris est , vel anima quaeque fidelis , ad similitudinem illius Hierusalem *suavis* est , *et decora,* quia illam pacem inquantum potest imitatur. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Terribilis est Ecclesia malignis spiritibus; et est ordinata sicut castrorum acies , cum videlicet unusquisque fidelis ordinem suum , et vocationem recte custodit. Tres enim sunt Ecclesiae ordines ; doctorum, continentium , et coniugatorum; quae acies in tribus viris demonstrata est , Noe, Daniel, et Iob. Noe enim qui inter fluctus arcam rexit, sanctos doctores significat ; Daniel celebs et castus, continentium; Iob, qui uxorem habuit et filios , ordinem coniugatorum exprimit. Ergo sancta Ecclesia ordinata est sicut acies castrorum, quia uniuscuiusque ordo Ecclesiae velut in acie contra hostem malignorum spirituum consistit. Sancti doctores , dum praedicationis et doctrinae operam impendunt. Continentes , dum quae mundi sunt contemnentes, tantum quae Dei sunt cogitant, et liberi a terrenis cogitationibus, mente solum Deo vacant. Coniugati dum eleemosynis et ceteris actualis vitae bonis operibus insistunt, sicque utuntur mundo ut quae Dei sunt non deserant. Haec ergo ordinatissima dispositio Ecclesiae terribilis est immundis spiritibus , velut acies castrorum ordinata ad bellum, quia imperium suum, et potestatem proferre non cessat usque ad terminos totius orbis. Sive *terribilis est ut castrorum acies ordinata:* quia sic unitate caritatis connexa est et coniuncta ut nulla ab hostibus peste discordiae possit penetrari: nihil enim sic terret malignos quomodo caritas. *Averte oculos tuos a me , quia ipsi me avolare fecerunt*; ac si diceret: Ego quidem dedi tibi oculos columbinos, quibus me intueri , et arcana Scripturarum penetrare valeres ; sed cave ne illos ad me videndum intendere velis , quia dum in presenti vivis, non potes. *Non enim videbit me homo, et vivet: Exod. 33.* Cum autem vinculis carnis absoluta ad me perveneris , tunc me aperta visione videbis , et implebitur quod in Evangelio reprom ittitur *Ioan. 14. Qui diligit me , diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum , et manifestabo ei meipsum* Quod autem dicit, *Quia ipsi me avolare fecerunt* , non est putandum quod quaerentes se deserat , et ab illis recedat, cum ipse praecipiat *Matth. 7. Quaerite, et invenietis;* sed ita potius accipiendum est , quia quanto amplius quis divinitatem maiestatis Dei perscrutari voluerit, eo amplius intelligit quia inscrutabilis, et incomprehensibilis sit. Et hoc est quod *Psal. 63.* dicit: *Accedet homo ad cor altum; et exaltabitur Deus;* ac si diceret: Licet homo ad videndum Deum cor sublevet , exaltatur Deus, quia quantus sit comprehendi non potest. *Capilli tui sicut grex caprarum quae apparuerunt de Galaad.* Hi autem superius expositi sunt, sed non pigeat iterato exponere quos non piguit Spiritum repetere. Ideo bis istos versiculos posuit ut certissimum et stabile teneremus quod sub repetitione confirmari

audiremus. Capillus sanctae Ecclesiae multiplex est subtilium cogitationum varietas. Et bene comparantur gregi caprarum: nam capra peccatoris figura est: unde et in lege praecipitur, ut quicumque per ignorantiam peccaverit, et cognoverit reatum suum, offerat pro delicto suo capram in holocaustum. Capilli ergo Ecclesiae gregi caprarum comparantur, quia sancti, qui sunt membra Ecclesiae, omnes reatus cogitationis suae per dignam poenitentiam, et per lacrymas iustae compunctionis deflere satagunt. Bene autem de monte Galaad apparuisse dicuntur. Galaad interpretatur acervus testimonii, quoniam omnia quae saeculi sunt neglexere, et solum desiderant Deum, sicut evidentibus attestantur indiciis. Potest etiam per Galaad ipse Dominus, et Redemptor noster intelligi: Galaad enim et montis, et civitatis est nomen. De monte Galaad grex caprarum apparuit, quia Ecclesia super Christum fundata est, sicut ipse dicit *Matth. 5. Non potest civitas abscondi super montem posita.* Ipse est acervus testimonii qui multitudini prophetarum, et patriarcharum et gestis, et scriptis testimonium perhibet. *Dentes tui sicut grex ovium quae ascenderunt de lavacro.* Per dentes Ecclesiae firma sermonum eius stabilitas intelligitur: qui bene gregi ovium comparantur quae de lavacro ascenderunt, quia verba Ecclesiae nihil nisi innocentiam, et mansuetudinem sonant; nihil in se foedum, nihil turpe, vel immundum retinent; sed lavacro sinceritatis, et puritatis lavantur, audientes ab Apostolo *Ephes. 4. Sermo malus ex ore vestro non procedat. Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.* Bene autem omnes gemellis fetibus esse dicuntur, quia sermo sanctorum nihil aliud sonat, et loquitur nisi quod ad dilectionem Dei et proximi pertinet. Solummodo enim ea sancti loqui debent quae ad perpetuam corporum, et animarum pertinent salutem. *Sicut cortex mali punici, sic genae tuae, absque occultis tuis.* In genis diximus superius sanctorum castam verecundiam designari; in cortice mali punici mysterium passionis Christi, dicente Paulo Apostolo *2. Tim. 1. Noli erubescere crucem Christi, neque me vinctum eius.* Et quidem magna sunt quae in aperto sunt; maxima vero sunt illa quae sunt intrinsecus, hoc est quae in futuro sanctis reservantur. *Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae; et adolescentularum non est numerus.* Reginae sunt doctores sanctae Ecclesiae, qui merito fidei, et scientiae thoro Regis aeterni propinquant, et spirituales Deo filios pariunt. Sexagenarius numerus ex denario et senario perficitur. Denarius per senarium multiplicatus in sexagenarium consurgit. Et per denarium significantur divina praecepta propter decalogum legis; senarius vero pro perfectione ponitur, quia sex diebus perfecit Deus opera sua. Reginae ergo sexaginta dicuntur esse, quia eos significant, ut diximus, qui perfectione scientiae, et operis pollent, et propter solum amorem conditoris sui, et intuitu supernae remunerationis aeterna gaudia praedicant; sic etiam idem numerus, idest sexagenarius, ex duobus senariis quinquies ductis conficitur: nam quinquies duodeni, vel duodecies quini, sexaginta sunt. Reginae ergo sexaginta esse dicuntur, quia illos significant qui in Ecclesia constituti quinque sui corporis sensus iuxta institutionem duodecim Apostolorum caste dispo.. re noverunt. Concubinae significant eos qui non sincere Christum praedicant, sed propter lucra temporalia, vel propter laudes populares: nam et istae, sicut et Reginae ad thorum Regis per scientiam accedunt, et filios spirituales generant, sed a corona aeterni regni alienae existunt. Et bene octogenario numero comprehenduntur: nam hic numerus ex denario et octonario conficitur. Octonarius vero in malo accipitur aliquando propter quaternarium quo multiplicato consistit. Quaternarius enim temporalia quaeque et praesentia significat propter anni tempora, vel propter quatuor mundi elementa. Recte ergo concubinae istae octoginta esse dicuntur: quia, ut dictum est, propter sola temporalia, et visibilia praedicant, et spiritualia minus curant. De talibus Apostolus dicebat *Phil. 1. Sunt quidam Christum annuntiantes non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Adolescentularum non est numerus.* Adolescentulae sunt animae quae deposita primi hominis vetustate in Christo renatae sunt; necdum tamen sunt nubiles, necdum thoro Regis aptae, quia necdum ad praedicationem de Christo perfectam pervenerunt. Quarum non est numerus, quia infinitus est numerus animarum in Christum credentium, nec ab ullo homine comprehendi potest. Ceterum Deo numerati sunt omnes electi: nam apud quem etiam stellarum numerus comprehensus est, ignorari non potest electorum numerus. *Una est columba mea.* Una catholica est per universum orbem diffusa Ecclesia, quae ex Reginis, et adolescentibus constans iam contubernia habet, hoc est etiam qui nomine, vel re doctores dicuntur. Una est Ecclesia: quia scissuram et schismata non recipit; sed sicut *unus est Deus, una est fides, unum baptisma: Eph. 4.* ita una est generalis Ecclesia; quae et recte columba vocatur, quia Spiritus sancti dote, qui in specie columbae apparuit, Christo sponsata est, et sanctificata. *Una est matris suae.* Mater enim nostra illa caelestis Hierusalem est, de qua Apostolus dicit *Gal. 4. Illa autem quae sursum est Hierusalem, libera est, quae est mater nostra.* Haec ergo Ecclesia una est matris suae, quia ad exemplum illius Ecclesiae quae iam Christo fruitur, ipsa in hac peregrinatione instituitur et informatur, atque ad illam beatitudinem, in qua cum Christo conregnat, pervenire nititur. *Viderunt illam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt, Reginae, et concubinae laudaverunt eam.* Quas superius adolescentulas, hic filias appellat. Reginas vero, et concubinas in hoc loco ut superius intelligamus. Filiae ergo, Reginae, et concubinae praedicant Ecclesiam, et laudant, quia universitas fidelium catholicam admiratur Ecclesiam. ipsa enim Ecclesia quae ex multis fidelium constat personis, catholicam, idest universalem, efficit Ecclesiam. *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* In fine quidem saeculi cum plebs Iudaica ad praedicationem Heliae, et Enoch conversa fuerit ad Christum, ipsa quoque de Ecclesia admirabitur dicens: *Quae est ista*, idest, quanta et qualis est Ecclesia, *quae progreditur*, hoc est proficit de virtute in virtutem? Non enim stare, sed progredi dicitur, quia non uno loco contenta, sed totum mundum caelesti praedicatione occupavit. *Quasi aurora progreditur*, quia transactis tenebris infidelitatis, lumen se veritatis ha-

bere ostendit. *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Luna a sole illuminatur; et Ecclesia pulchra est ut luna, quia claritate sponsi sui Christi illuminatur, et eius gratia resplendet. Sive *Pulchra est ut luna* in praesenti vita, ubi aliquando concessa sibi pace et securitate crescit, aliquando adversitatibus obscurata decrescit; *electa ut sol*, in alia vita, ubi perpetuo splendebit visione conditoris sui. Sive *electa* est *ut sol*, quia illum verum solem imitari nititur, de quo scriptum est *Mal. 4. Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiae.* Hunc solem imitatur vivendo in omni humilitate, et iustitia, et pietate. *Terribilis*, aereis potestatibus, *ordinata ut castrorum acies*, idest caritatis unitate unita, ut nullis tentationibus penetrari valeat. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruissent vineae, et germinassent mala punica.* Laudata Ecclesia ad synagogam respondet: *Descendi ad hortum nucum.* Hortus nucum est vita praesens: nam sicut in nuce tegmen quidem durissimum videtur, sed nucleus latet; ita in praesenti vita nostrae conscientiae clausae sunt, et non apparent, donec fracta testa corporis manifestentur. Descendit ergo ad hortum nucum Ecclesia, quando per doctores suos vitas singulorum considerat. Unde sequitur: *Ut viderem poma convallium.* Poma convallium sunt virtutes quae humilitate condiuntur. *Descendi*, inquit, *ut viderem poma convallium*, idest considerarem sanctos excellentia quidem virtutum praeditos, sed humilitate depressos. *Ut inspicerem si floruisset vinea*, hoc est, considerarem qui in studio sanctarum virtutum proficerent; *et germinassent mala punica*, hoc est, ut eos quoque perquirerem qui iam apti sunt ad imitandum passionem Christi. Nam mala punica, ut saepe dictum est, mysterium dominicae passionis significant. Considerat ergo Ecclesia per praelatos suos qui in virtutibus crescunt, vel qui iam ita perfecti sunt ut imitantes passionem Christi pro illo quoque idonei sint sanguinem fundere, quales erant illi de quibus Apostolus dicebat *Phil. 1. Vobis datum est non solum ut credatis in Christum, sed ut pro illo patiamini. Nescivi. Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Vox est synagogae, quae videns tantam Ecclesiae gratiam, inspecta veritate Evangelii, dolet, quod non antea cognoverit fidem Christi, et quasi excusans se quod tam tarde conversa sit, dicit, *Nescivi.* O sponsa Christi Ecclesia, *nescivi*, idest ignoravi, tantam gratiam, et tanta dona spiritualium virtutum tibi a sponso tuo collata. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Conturbata est, inquit, anima mea sollicitudine pro tam subita Evangelii praedicatione. Sciebam enim legem, et prophetias divinitus datas; et ideo cum subito vidissem praedicari Evangelium, conturbata sum *propter quadrigas Aminadab.* Aminadab nepos fuit Iudae, per quem generatio Christi contexitur. Interpretatur autem Aminadab populus meus spontaneus; ideoque significat Christum, qui populi sui spontaneus fuit, quia eum esset Deus, sponte factus est homo. Cum conditor esset et creator, sola benignitate sua factus est portio populi sui; et est sensus: Conturbata, inquit, sum propter Evangelii subitam praedicationem, quae veluti velocissimae quadrigae totum subito mundum pervolavit. Et bene hanc praedicationem non currum, sed quadrigam appellat: quia Evangelii praedicatio quatuor Evangelistarum auctoritate consistit; et quatuor Evangelistae quadrigae sunt novi testamenti, cui praesidet auriga ipse Christus, temperans, et disponens ipse cursum Evangeliorum. *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Vox Ecclesiae synagogam ad fidem invitantis. Revertere, o synagoga, ab infidelitate ad fidem, revertere ab odio ad dilectionem. Sunamitis interpretatur captiva, vel despecta. Talis est synagoga post adventum Christi, captiva videlicet vinculo diaboli, despecta a Deo, quia Christum ad salutem suam missum non cognovit. *Revertere, ut intueamur te*, idest pulchritudinem tuae castitatis adspiciamus.

## CAPUT VII.

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! Iuncturae feminum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis; umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis; venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis; duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae; collum tuum sicut turris eburnea; oculi tui sicut piscinae in Esebon, quae sunt in porta filiae multitudinis; nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum; caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus. Quam pulchra es, et quam decora, carissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius. Et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odor oris tui sicut odor malorum: guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. Veni, dilecte mi: egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Mandragorae dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Vox est sponsi, qui audiens invitari synagogam a sponsa sua Ecclesia ad fidem, dicit: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* ac si diceret: Tu quidem, o sponsa, doles de perditione synagogae, et quod tarde ad fidem veniat; sed adest tempus quo convertatur: et tunc nihil videbis in ea nisi choros castrorum, idest non nisi caritatis concordiam, et stabile robur fidei, quo pro defensione meae fidei pugnabit. Nam chori canentium sunt; castra vero militum pugnantium. In Sunamite ergo chori castrorum videbuntur, quia conversa synagoga et concorditer Christum praedicabit cum Ecclesia, et pro fide Christi usque ad

mortem certabit. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Ab hoc loco incipit sponsus exponere laudes sponsae suae. Et notandum, quod a gressibus incipit eius pulchritudinem texere, et in laude oris eius finit, sicut superius ab oculis coeperat. Hoc autem fecit vel ad pulchritudinem carminis variandam, vel etiam quia sic mysteriis aptissimum est. *Quam pulchri*, inquit, *sunt gressus tui!* Vidit Ecclesiam non in uno loco otiose stantem, sed veloci praedicatione totum mundum peragrantem; ideo a gressibus coepit eam laudare: gressus enim Ecclesiae sunt veloces praedicationes Apostolorum, per quos in omnem terram Evangelium insonuit. *In calceamentis*, idest in patrum praecedentium exemplis. Calceamenta ex mortuis fiunt animalibus. Et calceamenta Ecclesiae sunt patrum praecedentium exempla, quibus gressus habet munitos, ut secura eos imitando, et sine offensione gradiatur. *Filia Principis.* Alia translatio *Filia Aminadab* dicit. Aminadab, ut superius dictum est, populus spontaneus dicitur, qui recte figuram Christi tenet. Nam Ecclesia et filia est, et sponsa: filia, quia eius sanguine redempta, eius baptismate est regenerata; sponsa, quia dote Spiritus sancti illi est coniuncta. *Iunctura feminum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.* In feminibus, vel femoribus solet sacra Scriptura generationis propagationem designare: unde de Iacob legimus *Exodi 1. Omnes animae quae egressae sunt de femoribus Iacob.* Femina ergo Ecclesiae sunt spiritualis generatio, credentes populi per verbum praedicationis, et lavacrum baptismatis. Iunctura feminum est coniunctio duorum populorum Iudaici et Gentilis in una fide. Et bene haec iunctura monilibus comparatur: nam *fides sine operibus mortua est: Iac. 20.* Fabricata sunt autem manu artificis, hoc est Dei omnipotentis, cuius munere virtus boni operis credentibus tribuitur. Hic est ille artifex, de quo Paulus Apostolus dicit *Hebr. 11.* memoriam Abrahae faciens: *Expectabat enim civitatem manentem, cuius artifex et conditor est Deus. Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Umbilicus fragilissima pars est corporis. Et ideo per umbilicum fragilitatem nostrae mortalitatis debemus accipere; crater vero est calix maior, ansas hinc et inde habens. Umbilicus ergo Ecclesiae crater tornatilis est: quia quanto magis doctores sanctae Ecclesiae fragilitatis meminerunt, tanto magis verbis praedicationis insistunt; idest eleemosynam verbi Dei praebentes, ipsi a Deo misericordiam consequuntur. Et bene crater tornatilis dicitur: torno enim facilius operamur; per quod significatur facilitas erogandi verbum, vel eleemosynam dandi. Non enim morose, vel haesitando eleemosyna danda est, iuxta quod Salomon dicit *Prov. 3. Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Quod etiam torno fit, non indiget exterius adhibita regula vel linea, sed inerrato ex se ipso perficitur. Umbilicus ergo Ecclesiae crater tornatilis est, quia quicumque vel praedicat, vel eleemosynam dat, pro sola dilectione Dei, et supernae mercedis expectatione hoc facere debet: nam quicumque vel praedicat, vel proximis miseretur pro remuneratione temporali, crater quidem est, sed non tornatilis. Et hic crater numquam indiget poculis, quia praedicatoribus numquam deest praedicatio verbi Dei, quia ipse quem praedicant, pocula scientiae, et virtutem constantiae illis subministrat. Unde *Psal. 67. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis:* Eadem fragilitas quae per umbilicum designata est, ostenditur hoc loco etiam per ventrem, quia venter nulla ossium firmitate praemunitur. Bene ergo venter Ecclesiae acervo tritici comparatur: quia sancti quanto memores sunt suae fragilitatis, eo studiosius ad proferendos bonorum operum fructus insistunt. Et recte non copiam tritici, sed acervum tritici dicit, ut per hoc significet incrementa virtutum, quae veluti acervus ab inferioribus ad superiora crescendo conscendunt: nam sicut acervus in inferioribus lata amplitudine spatiatur, superius vero quadam brevitate contrahitur, et acuminatur; ita in Ecclesia multi sunt qui indulgentius vivunt, pauci vero qui summae perfectioni insistant: plures etiam inveniuntur qui de bonis suis eleemosynam faciunt, quam qui sua omnia pro Domino relinquant. Hic acervus liliis vallatus dicitur, quia sancti bona quae faciunt, pro desiderio supernae claritatis et candoris agunt: nam per lilia caelestis illa claritas designatur. Potest etiam per ventrem Ecclesiae divinus fons baptismatis accipi, quo fideles in novam creaturam regenerantur. Bene ergo venter acervo tritici vallato liliis comparatur: quia generati fonte baptismatis docentur bonis insudare operibus, et ad intuendam supernae claritatis gloriam semper inhiare. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae.* Ubera Ecclesiae, sicut iam superius dictum est, sanctos doctores significant, qui parvulos, hoc est nuper in Christo regeneratos, lacte apertionis doctrinae instruunt. Bene autem duo ubera dicuntur: quia de duobus populis, Iudaico videlicet, et Gentili, fideles congregantur, et lacte spiritualis doctrinae aluntur. Haec duo ubera sicut duo hinnuli capreae gemelli esse dicuntur. Duo hinnuli duo sunt testamenta, quibus eorumdem doctorum omnis praedicatio subsistit: quorum duorum testamentorum unus est auctor et promulgator Christus; iuxta quod Salomon dicit *Eccle. 12. Verba sapientium quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi, quae data sunt a pastore uno*, Christo videlicet. Caprea enim recte Christum significat, quia intuitu, et velocitate ceteris animantibus praeeminet; et mundum est animal ungulam dividens, et ruminans: *Levit. 11.* Tales sunt etiam membra Christi, doctores videlicet intuitu scientiae insignes, et sua velocitate terrena deserentes, atque ad caelestia festinantes. Dividentes ungulam, idest habentes mali et boni discretionem. Et ruminantes, hoc est praecepta Dei sedula memoria meditantes. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Doctores sancti qui designantur per ubera, ipsi etiam designantur per collum: nam per arterias colli vox egreditur, et colli ministerio vitalia alimenta ceteris membris ministrantur; sic sancti doctores et verba vitae populis annuntiant, et alimentis doctrinae caelestis auditores enutriunt. Collum ergo Ecclesiae turri eburneae comparatur, quia sancti doctores eidem Ecclesiae pulchritudinem, et robur praestant: pulchritudinem quidem, quae per candorem eboris designatur, caste, et sincere vivendo; robur vero praestant, quod significatur per turrim, quando eamdem Ecclesiam contra tentationes

diaboli, vel impetus haereticorum muniunt. *Oculi tui sicut piscinae in Esebon, quae sunt in porta filiae multitudinis.* Iidem ipsi doctores qui per collum designati sunt, designantur etiam per oculos : ipsi enim quasi oculi universo Ecclesiae corpori providunt, et iter quod ingredi debeat ostendunt. Hi oculi Ecclesiae comparantur piscinis aedificatis in porta Esebon civitatis, quia sancti doctores populos in Christum credentes vitali lavacro abluunt, et salutaris doctrinae potu reficiunt. Filia autem multitudinis vocatur Esebon iuxta litteram, ob multitudinem confluentium inibi populorum ; sic et sancta Ecclesia recte filia dicitur multitudinis, quia numerositatem quotidie colligit gentium. Esebon autem interpretatur cingulum maeroris. Oculi ergo Ecclesiae piscinis Esebon comparantur, quia sancti doctores neglectis caducis saeculi gaudiis, cingulis maeroris se constringunt : quia caste, et sobrie vivunt in hoc saeculo, et pro suis erratibus defient, quatenus in praesenti saeculo lugentes, ad vera, et aeterna gaudia pervenire possint. In porta autem Esebon hae piscinae esse dicuntur, quia nullus Ecclesiam ingredi valet, nisi prius aqua baptismatis abluatur, et nisi fonte sanctae doctrinae potetur. Hoc etiam significabatur per labrum aeneum quod Salomon in porticu templi posuerat, ut sacerdotes ingressuri templum, et hostias immolaturi, ibi corpora abluerent. *Nasus tuus sicut turris Libani quae respicit contra Damascum.* Quia naso foetores, et bonos odores discernimus, recte per nasum Ecclesiae sancti doctores signantur : ipsi enim sagaciter discernere noverunt inter fragrantem catholicae fidei doctrinam, et lethiferum haeretici erroris foetorem: nam de divinis charismatibus quae per Spiritum sanctum distribuuntur, dicitur *1. Cor. 12. Alii datur per Spiritum discretio spirituum.* Nasus ergo Ecclesiae turri Libani comparatur, quia sancti doctores et summum locum in Ecclesia tenent, ac veluti in Libano monte consistunt, et defendunt Ecclesiam a malignorum spirituum incursibus. Haec turris contra Damascum esse dicitur. Damascus metropolis est Syriae, quae quondam contra filios Israel, utpote fortissimos, et crudelissimos Reges habens, dimicabat. Interpretatur autem Damascus sanguinis potus, vel sanguinis oculus : ferunt enim ibi Abel interfectum ; ideoque significat potentes huius saeculi, qui sanguinis potum sitiunt, quia voluptatibus et illecebris carnis, et sanguinis delectantur. Significat etiam aereas potestates quae animarum nostrarum cruorem sitiunt. Contra Damascum ergo est haec turris, quia Ecclesia semper diabolo, et membris illius adiutorio Christi munita resistit. *Caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui ut purpura Regis iuncta canalibus.* Caput Ecclesiae principalitas mentis fidelium intelligitur: nam sicut capite membra reguntur cetera, ita mente cogitationes disponuntur. Bene autem caput Ecclesiae Carmelo comparatur: Carmelus enim, qui et Carmel dicitur, interpretatur cogitatio, vel scientia circumcisionis. Ergo caput Ecclesiae Carmelo assimilatur, quia novit circumcisionem aliquando corporaliter celebratam, nunc spiritualiter debere observari; iuxta quod Propheta dicit *Hier. 4. Circumcidimini Domino in cordibus vestris.* Hanc scientiam circumcisionis non habuerunt Iudaei ; ideoque reprehenduntur a B. Stephano protomartyre dicente *Act. 7. Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* In libro Regum legitur *3. Reg. 18.* quod Helias in montem Carmeli ascenderit, et ibi orando aridam terram caelestibus pluviis irrigaverit post longam trium annorum et semis siccitatem; quae historia pulchram redolet allegoriam: nam Helias qui interpretatur Deus meus Dominus, Christum significat, qui cum sit Deus, et Dominus totius creaturae, specialiter suus, idest proprius Deus, et Dominus est Ecclesiae. Hic ergo in Carmelum ascendit, et per eum arenti mundo gratiarum suarum pluvias tribuit. Recte ergo, ut dictum est, caput Ecclesiae Carmelo monti comparatur, quia mens sanctorum quadam conversatione sublimis est, et Christo in se ascensum praebet perfectum virtutum. Et *comae capitis tui ut purpura Regis iuncta canalibus.* Si per caput mens Ecclesiae accipitur, per comas capitis cogitationes mentis debemus accipere, quae assidue de illa prodeunt. Purpureus vero color qui sanguinis habet speciem, mysterium significat dominicae passionis. Iuxta litteram, quod dicit, *Purpura Regis iuncta canalibus,* significat lanam iam purpureo colore confectam, et nondum in fila deductam, sed adhuc in canalibus constitutam, quos Graeci baphias vocant, in quibus sanguis conchiliorum solet defluere, et lanam in purpureum vertere colorem. Mystice canales isti humilitatem significant sanctorum, in quibus aeterni Regis purpura tingitur, cum sancti quique humilitatem sui Redemptoris imitando, passioni illius conformes fieri satagunt, quatenus in purpurae dignitatem vertantur, idest laborantes pro Christo mereantur regnare cum ipso. Tincta autem haec purpura esse dicitur, quia sanctorum praecordia fixa sunt et stabilita in timore, et amore Redemptoris sui, nec umquam a caritate eius separari possunt. *Quam pulchra es, et quam decora, carissima in deliciis! Quam pulchra,* subaudi in fide, *et quam decora,* in operatione, *carissima in deliciis!* Supra dictum est de eadem Ecclesia *cap. 6. Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Nunc vero dicitur *pulchra, decora, carissima in deliciis :* quae quasi contraria esse videntur. Nam ordinatam esse velut castrorum acies, et esse in deliciis, repugnat, quia deliciae fortitudinem solent enervare. Sed Ecclesia utrumque agit : nam ordinata est ut castrorum acies, quia infidelibus, et haereticis resistit, et malignos spiritus sua sanctitate et perfectione terret. In deliciis etiam est, quia suavitatem supernae dulcedinis assidue palato mentis degustat, et inter pressuras huius saeculi illas adipisci desiderat, et continue illis satiari. Unde merito illa quae talis est, sponso suo Christo carissima esse dicitur. *Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris.* Statura Ecclesiae perfecta est eius rectitudo : neque enim a vitiis incurvatur, sed recta et nobilis consistit : unde Psalmista ex persona peccantium dicebat *Ps. 118. Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque.* Et Propheta sub specie Hierusalem peccanti animae de malignis spiritibus dicit *Isai. 51. Quia humiliaverunt te, et dixerunt animae tuae: Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Sancta Ecclesia recta stat, nec umquam incurvari consentit, audiens ab Apostolo *1. Cor. 16. Vigilate, state in fide, viriliter agite.* Et

Dominus filiis Israel loquitur *Exod. 6. Ego sum Dominus Deus qui eripui vos de ergastulo Ægyptiorum, ut incederetis recti.* Statura ergo Ecclesiae palmae assimilatur, quia in omnibus quae agit semper supernam in memoria retinet remunerationem: palma enim victricem ornat manum; et ideo significat praemium illud quod victoribus sanctis in caelestibus dandum est. *Et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odor oris tui sicut odor malorum.* Ubera Ecclesiae sunt, ut superius dictum est, sancti doctores, qui lacte simplicis doctrinae regeneratos in Christo nutriunt. Sed haec ubera botris assimilantur, quoniam iidem doctores perfectis perfectiora annuntiant, sicut Apostolus loquens simplicioribus dicebat *1. Cor. 3. Non potui vobis loqui tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Ecce ubera lactis plena, quae ubera in botrum sunt versa, cum diceret *1. Corint. 1. Nos praedicamus Christum . . . . . Dei Sapientiam.* Et *Sapientiam loquimur inter perfectos. Dixi: Ascendam in palmam, apprehendam fructus eius.* Ut ostenderetur omnis haec excellentia et magnitudo donorum Ecclesiae de Dei gratia provenire, introducitur idem sponsus dicere: *Ascendam in palmam;* quasi diceret: Unde habes ubera ad parvulos nutriendos, inde etiam botros, quibus perfectioribus perfectiorem propines doctrinam. Quia ergo in eam gratiam vitae ascendi, et hanc tibi perfectionem concessi, *ascendam*, inquit, *in palmam.* Palma Ecclesiam significat, vel etiam animam cuiuscumque fidelis, qui memor est Domini, qui dicit *Ioan. 16. Confidite, ego vici mundum:* ipsa quoque omnium vitiorum, et iniquitatis victrix esse studet. Bene autem in palmam ascendisse hic dicitur, cum superius in hortum descendisse legatur *cap. 6.* dixit enim Ecclesia: *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Est idem hortus, quae et palma, videlicet una eademque Ecclesia: sed ad hanc, copiam suae gratiae de caelestibus mittendo, adscendit; ad illum autem, sua dona in eo incrementaque virtutum disseminans, descendisse dicitur: idcoque eamdem quibusdam profectibus veluti quibusdam gradibus ad celsiora sublevando nunc palmam nominat. Sed et hoc de natura palmae dicendum, quod in inferioribus asperitatem laborum et passionem sustinet pro Christo; in superioribus vero, hoc est in caelestibus, pulchritudinem et suavitatem expectat praemiorum. Potest etiam per palmam arbor dominicae Crucis exprimi, in quam Redemptor noster pro humani generis redemptione ascendit, et in qua hostem humani generis superavit. Ait ergo: *Dixi: Ascendam in palmam:* idest, per meos prophetas locutus sum, et promisi me ad passionem venturum, et meam Ecclesiam redempturum. *Apprehendam,* inquit, *fructus eius*, idest fructus bonorum operum, et laborum quibus Ecclesia desudat, remunerabo. Vel etiam secundum eum sensum quo per palmam Crux intelligitur, *apprehendam fructus eius*, idest impleto triumpho passionis, veniam ad gloriam resurrectionis, et Apostolis meis spiritualia dona concedam. *Et erunt ubera tua sicut botri vineae.* Hoc superius expositum est. Nam ubera Ecclesiae doctores sunt, cum parvulos simplici doctrina nutriunt. Sed botri vineae efficiuntur, cum perfectioribus sublimia quaeque annuntiant. Nam B. Paulus uno eodemque tempore ubera, et botros habuit, quando de Christo loquens dixit *Rom. 9. Quorum patres, et ex quibus est Christus.* Ecce ubera, idest simplex de Christo praedicatio. Sed haec ubera in suavissimum, et fortissimum vinum conversa sunt, cum subiunxit ibidem: *Qui est Deus benedictus in saecula. Et odor oris tui sicut odor malorum; guttur tuum sicut vinum optimum.* Os Ecclesiae est praesens praedicatio, quae fama vel scripto ad absentes pervenit; guttur vero est vox ipsa praedicatoris, quae in praesenti auditur. Odor ergo oris Ecclesiae malis comparatur, quia ipsa fama praedicationis plena est suavitatis et gratiae; guttur vero vino optimo assimilatur, quia ipsa vox praedicantium magnam in se virtutem auditoribus ostendebat. Quod vero malorum odor in novitate est, vini vero in vetustate, significat praedicationem Ecclesiae et in sui novitate, et etiam in sui profectione omnem habere suavitatem, et gratiam. *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, et dentibus illius ad ruminandum;* ac si diceret: Sponsus meus guttur meum vino optimo comparavit, et illud vinum dignum est ad potandum ipsi dilecto meo; hoc est, praedicatio evangelica, quam in ore meo posuit, per ipsum, et non per alium annuntiari debet in mundo. Neque enim per alium docebat mysteria Regni caelestis praedicari in mundo, quam per mediatorem Dei et hominum Christum Iesum. *Et labiis, et dentibus illius ruminandum.* Labia, et dentes sponsi, ut supra dictum est, doctores sancti sunt. Illud ergo vinum ruminandum fuit labiis, et dentibus sponsi, quia praedicatio evangelica a doctoribus tractanda, et exponenda est. Nec absurdum est quod cum vinum potetur, et non ruminetur, hic tamen dicatur labiis, et dentibus ruminandum; quod magis ad cibum, quam ad potum pertinet: nam sancti doctores vinum spirituale ruminant, quando praecepta evangelica diligenter exquirunt, et crebra meditatione investigant, atque invicem conferunt. *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. Ego dilecto meo,* subaudi, officium iustitiae, et devotionis impendo illi, et non alteri fidem, et servitutem meam promitto; *et ad me conversio eius* est, ut me et in praesenti inter labores huius vitae adiuvet, et in futuro ad gaudia patriae caelestis inducat. Potest etiam haec vox esse synagogae ex persona sanctorum patrum adventum Christi desiderantium; ac si diceret: Scio quidem illum spirituali praesentia mihi semper adesse; et ideo *ego dilecto meo* omni devotione famulari cupio. Sed tandem *ad me conversio eius*, quia opto ut sicut mihi promisit, in mea substantia appareat. Nam dixerat supra sponsus: *Ascendam in palmam*, idest promiserat se in carne venturum, et pro humano genere passurum. Inde iam gratulabunda dicebat: *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius*, idest credo illum hominem futurum, et in mea substantia hominem mundo manifestandum. *Veni, dilecte mi; egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Eiusdem synagogae vox est. *Veni dilecti mi*, idest appare per assumptum hominem. Tale est illud Psalmistae *79. Excita potentiam tuam, et veni:* et *Isa. 64. Utinam disrumperes caelos, et descenderes. Egrediamur in agrum.* Ager mundus iste est. *Egrediamur in agrum,* idest praedicemus tuum adventum mundo. *Commoremur in villis*, hoc est, ipsis quoque paganis fidem tuam annuntiemus. Nemo nescit paganos a villa dictos,

quia pagos Graece, villa Latine. Inde pagani dicti, quia longe sunt a civitate Dei. Potest esse et vox Ecclesiae. *Veni dilecte mi;* ac si diceret: Iam mysterio ascensionis assumptum hominem ad caelos sublevasti; sed veni divinae maiestatis praesentia me saepius visitando. *Egrediamur in agrum;* eodem sensu quo superius, idest praedicemus fidem incarnationis tuae mundo. *Commoremur in villis;* idest etiam ignorantibus paganis tuam fidem annuntiemus: nec in transitu, sed commoremur ibi, donec illos ex paganis catholicos, ex alienis tibi proprios faciamus. *Mane surgamus ad vineas; videamus si floruit vinea, si flores fructus parturierunt.* Mane est exortus novae gratiae, quando videlicet transeuntibus tenebris infidelitatis, Evangelium mundo coepit praedicari. *Videamus si floruit vinea;* hoc est, inspiciamus Ecclesiam si iam prima fidei rudimenta suscepit, si flores fructus parturierunt. Inspiciamus etiam si flores parturiunt fructum, idest si illi qui iam crediderunt apti sunt ad bene operandum: nam flores fructum parturiunt, cum illi qui iam in Christum crediderunt, idonei sunt ad bene operandum. Nam flores emittit Ecclesia cum primo fideles ad fidem veniunt; flores vero fructus parturiunt, cum iam ipsa fide et dilectione bene operantur, nec ipsa fides otiosa sit, vel mortua sine operibus. *Si fluoruerunt mala punica.* Mala punica, sicut iam superius dictum est, rubicundum velut sanguineum habent corticem; et ideo significant passionem Domini, vel membrorum ipsius. Dic ergo: *Si floruerunt mala punica*, hoc est, si iam sancti qui in fide et opere perfecti sunt, idonei sunt etiam imitari passionem Christi, et pati pro illo. Mala punica erant illi quibus Apostolus dicebat *Phil. 1. Vobis datum est nosse non solum ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Ibi dabo tibi verba mea.* Verba Ecclesiae sancti sunt doctores, qui fideles primum ad fidem erudiunt *Ibi dabo tibi*, sponse, *ubera mea.* Cum, inquit, ad vineam exierimus, *ibi dabo tibi ubera mea*, hoc est spirituales tibi filios generabo. Unde adhuc sequitur: *Mandragorae dederunt odorem suum in portis nostris.* Mandragora herba est aromatica, cuius radix similitudinem habet humani corporis. Poma eius optimi sunt odoris in similitudinem pomi matiani, quod nostri malum terrae vocant; herba rebus medicinalibus aptissima est: nam ferunt eos qui incommodo vigiliarum laborant, haustu huius pomi levari, et posse dormire. Item ferunt eos qui ob curam secandi sunt, si exteriorem huius pomi corticem biberint, non sentire sectionem, vel adustionem: quae omnia si quis mystice discutere voluerit, spirituales sensus, et Ecclesiae convenientes ibi inveniet. Dicit ergo: *Mandragorae dederunt odorem in portis nostris.* Portae Ecclesiae sunt Apostoli, et eorum successores, quia nemo civitatem Dei, idest Ecclesiam, intrat, nisi per sanctos doctores aqua baptismatis regeneratus, et vitali doctrina instructus fuerit. De his portis Psalmista dicebat *Psal. 86. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Mandragorae fragrantiam virtutum designant. In portis autem Ecclesiae mandragorae odorem dederunt: quia Apostoli, vel eorum successores famam suavissimae opinionis, et odorem virtutum longe lateque sparserunt. Ideoque invitat sponsum suum ut veniat, qui iam nomen eius longe lateque per Apostolos annuntiatur, et odor praedicationis eius ubique dispergitur. *Omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi,* idest praecepta, vel promissa veteris testamenti, et novi. Sciebat enim omnia quae in veteri testamento annuntiata sunt, non nisi per Christum, et in Christo posse compleri; ideoque dicebat: *Tibi servavi poma nova, et vetera;* hoc est te expecto ut per te impleantur in novo testamento quae praedicta sunt in veteri. Unde et in passione sua iam pendens in cruce, cum gustasset acetum, dixit *Ioan. 19. Consummatum est:* et post resurrectionem suam dixit Apostolis *Luc. 24. Necesse est enim impleri omnia quae scripta sunt in lege, et prophetis de me.* Possunt etiam nova poma, et vetera iustorum personae intelligi, quae vel in veteri testamento, vel in novo fuerunt. Dicit ergo Ecclesia: *Servavi tibi poma nova, et vetera;* idest iustos qui vel in veteri testamento praecesserunt, vel in novo subsecuti sunt, tibi servavi, ut per te praemia suorum laborum reciperent: nullus enim iustorum regnum caelorum intrare valuit, nisi per Christum: quia ipse primum ascendit, et sequentibus membris suis caelum aperuit.

## CAPUT VIII.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te solum foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos, filiae Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea quae habet populos: tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus eius. Quae habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

Ex his verbis intelligitur totum hoc carmen divinum esse, et spirituale, et nihil in se habere quod iuxta litteram intelligi possit. Quae enim amatrix umquam optavit ut is quem diligit parvulus, efficiatur eius frater, et in infantem versus sugat ubera matris? Est ergo vox illius Ecclesiae quae adventum Christi praecessit, quam Synagogam, idest congregationem, appellamus. *Quis*, inquit, *det te fratrem meum sugentem ubera matris meae?* Et est sensus: Tu qui modo es in sinu Patris, quis det ut homo efficiaris, et particeps ac consors naturae meae existens, frater meus appelleris? Nam ipse fratrem se Apostolorum vocare dignatus est, dicens per Psalmistam *Psalm. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis:* et post resurrectionem mulieribus *Matt. 28. Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis etc. Sugentem*, inquit, *ubera matris meae*, hoc est implentem omnia quae naturae humanae conveniunt, excepto peccato. Nam mater Synagogae hoc in loco ipsa humana natura intelligitur, de qua ipsa quoque Synagoga exorta est. *Ut inveniam te foris*, hoc est, ut hominem factum in aperto videam: quasi enim intus erat adhuc Deus, cum in sinu paternae maiestatis lateret; sed foris inventus est, cum homo factus, visibilem se hominibus praebuit, et incomprehensibilis voluit comprehendi. *Et deosculer te, et iam nemo me despiciat. Et deosculer te*, inquit, idest aperta visione te adspiciam quem nunc totum in fide teneo. Hoc est osculum, quod in initio carminis optabat dicens: *Osculetur me osculo oris sui*, idest per semetipsum veniat, et mihi appareat. Quasi enim per prophetas osculabatur eam dilectus, cum adventum suum per eos, et redemptionem repromitteret. Optat ergo ut per semetipsum adveniens illam osculetur, hoc est in carne praesentiam exhibeat. *Et iam me nemo despiciat*: quasi enim despecta erat Synagoga, antequam Christus veniret, quia legalibus observationibus dedita sub typo et figura cum veritate adventum Christi praenuntiabat. Sed postquam Christus apparuit, et adventus sui gratia mundum illustravit, iam nemo despexit Ecclesiam; quinimmo terribilis ut castrorum acies hostibus suis fuit, quia per universum mundum Christum praedicavit, et mundanum imperium sibi subdidit. Nec mirum videri debet, si ante Ecclesiam Synagogam dicimus: una est enim Ecclesia in praecedentibus et in sequentibus patribus. *Apprehendam te, et introducam in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae: ibi me docebis.* Mater Ecclesiae hoc loco caelestis illa Hierusalem intelligitur, de qua Paulus *Gal. 4. Illa autem, quae sursum est Hierusalem, libera est, quae est mater nostra.* Ducam, inquit, te in domum matris meae, idest persequar te revertentem in caelum post peractum incarnationis tuae et passionis mysterium. *Ducam* autem hic pro eo quod est deducam et prosequar accipitur, quia ascendentem Dominum in caelis Apostoli oculis deduxerunt *Act. 1.* et quousque eum nubes suscepit, pio adspectu prosecuti sunt, donec Angeli adstantes dixerunt: *Viri Galilaei, quid statis adspicientes in caelum? Ibi docebis me.* Cum in caelo receptus fueris, et me quoque tecum in caelum assumpseris, *ibi me docebis.* Hoc ad superiora refertur, ubi dicitur: *Inveniam te foris.* Cum, inquit, te foris invenero, hoc est cum te in assumpta carne adspexero, *ibi docebis me*, quia ad omnia quae interrogare voluero respondebis. Nam etiam saepe volentes Apostolos interrogare Dominus praeveniebat, eosque instruebat. Potest et ad hunc locum iungi ubi dicit: *Ducam te in domum matris meae, ibi me docebis*, et in omnem veritatem induces; quod impossibile est homini in praesenti vita posse consequi. Hinc est quod Dominus Apostolis repromittit dicens *Ioan. 16. Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Ergo *ibi me docebis*, idest ibi te, et Patrem aperta visione revelabis; ibi te, hoc est divinitatem tuam, mihi facie ad faciem ostendes. *Et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Per vinum fervor caritatis et dilectionis intelligitur. Dabo tibi, inquit, vinum, hoc est ostendam, quam ferventissima caritate diligam. Et hoc vinum non simplex erit, sed conditum odoribus, bonis videlicet operibus et virtutibus. Nam *amor Dei*, sicut B. Gregorius dicit, *numquam otiosus est. Operatur enim magna si est; si enim operari renuit, amor non est.* Vinum ergo conditum est dilectio cum operatione. Unde et Dominus in Evangelio *Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Probatio dilectionis exhibitio est operis. *Et mustum malorum granatorum meorum.* Malum granatum idem est quod et malum punicum. Dicitur autem malum punicum granatum, eo quod multitudine granorum sit plenum. Malum punicum vero, eo quod in Africa plurimum abundet. Punicia enim ipsa est Africa. Habet autem corticem sanguinei coloris; et ideo, ut saepe dictum est, figuram tenet dominicae passionis. Mustum ergo malorum granatorum est dilectio martyrum, qui intantum dilexerunt Deum ut pro illo mori non dubitarent. Et bene mustum dicit, et non aliud poculum, quia mustum ferventissimum est, ita ut nimio fervore omnem sordem de se excoquat, et expurget. Dabit ergo Ecclesia dilecto mustum malorum granatorum suorum, idest ostendet in passionibus sanctorum martyrum quanta caritate Christum diligat. *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Per laevam, ut B. Gregorius dicit, omnia prospera praesentis vitae accipiuntur; per dexteram vero futura beata vita caeli accipitur. Laevam ergo sponsi Ecclesia sub capite habet, et dextera eius illam amplexatur: quia quaecumque prospera praesentis saeculi pro nihilo reputat, cuncta quae temporaliter arrident despicit, dum ad solam supernae beatitudinis visionem tendit, dum illam solummodo amplexari desiderat. *Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Habet Ecclesia quosdam in se qui baptismo Christi sunt regenerati, et nomine Christianitatis titulati; moribus tamen, et conversatione saeculo serviunt, et Ecclesiam suavissima quiete sopitam inquietare, atque ad perferendos tumultus saeculi excitare nituntur. Hi ergo tales propter gratiam mysteriorum Christi quam perceperunt, filiae Hierusalem appellantur in hoc loco; cum tamen moribus contraria agant. Et adiurat eas sponsus, ne suscitent, neque evigilare faciant dilectam; hoc est, ne illam in

somno dulcissimae quietis positam, idest contemplatione sui conditoris, sua inquietudine excitent, et ad sollicitudines et curas saeculi evigilare compellant. *Donec ipsa velit;* hoc est, donec peracto officio debitae servitutis, quod in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus exhibet Deo, admoneatur tantum cura corporeae fragilitatis ad ea quae sunt saeculi redire. *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Vox synagogae admirantis Ecclesiam de gentibus congregatam. *Quae est ista*, inquit, idest qualis est et quanti meriti, *quae ascendit de deserto?* Derelicta enim fuerat a Deo per idolatriam et veritatis ignorantiam. Ascendebat ergo virtutum gradibus de deserto, hoc est de errore infidelitatis, in quo ad tempus derelicta fuerat, *deliciis affluens*, hoc est virtutibus abundans, *innixa*, inquit, *super dilectum suum*, idest fiducialiter in Christo agens, et omnes virtutes suas, et cuncta bona ad eius gratiam referens: sciebat enim se nihil suis viribus implere posse; ideoque cum Apostolo dicebat *1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum.* Et notandum, quod dicit, *Super dilectum suum:* nam Synagoga solam se putabat habere cognitionem Dei, ceteris gentilibus in ignorantia Dei constitutis: *notus enim*, ut ait Psalmista *Psalm. 75. in Iudaea Deus.* Sed ita admiranti Synagogae respondet ipse sponsus et dilectus per id quod sequitur: *Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Arborem malum Crucem dominicam debemus accipere, sub qua arbore suscitata est Synagoga, quia ipsa a praevaricatione originalis peccati, et a potestate diaboli per Crucem Christi redempta est. Ibi suscitata est quae peccatis erat mortua. Et bene arborem mali dicit: nam et supra huic arbori Christum comparavit dicens *cap. 2. Sicut malum inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Ibi corrupta est mater tua, et violata genitrix tua.* Matrem et genitricem Synagogae maiorem et principalem plebem Iudaicae partis dicit, quales erant scribae, et pharisaei [qui Christum Pilato tradiderunt, qui reliquam plebem tamquam mater et genitrix regere debebant, et erudire; quales erant illi qui suadentibus ipsis principibus improbe acclamabant: *Crucifige eum: Mar. 15.* Haec ergo mater Synagogae sub arbore malo corrupta, et violata est, quando se, suosque posteros crudeli maledictione constrinxit dicens *Matt. 27. Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Nam et isti sub Cruce Christi erant, licet non fide, et devotione, tamen crudelis vindictae sibi et suis posteris imprecatione. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura ut infernus aemulatio.* Quia, inquit, *sub arbore malo suscitavi te*, hoc est quia passione in cruce te redemi; *pone me ut signaculum super cor tuum;* hoc est, habeto me semper in memoriam, et ne obliviscaris quanta pro tua salute pertulerim. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum*, per fidem, pone me *ut signaculum super brachium tuum*, per dignam operationem. Nam et nos quando aliquid rememorari nobis volumus, signaculum digito vel brachio imponere solemus, ut illo admoniti, rei cuius curam habemus, recordemur. Et nos ut signaculum super cor et brachium Christum imponere debemus, ut eius memoriam semper habeamus, et ut recte in illum credentes, fidem ipsam bonis operibus exornemus: quod si fecerimus, ipse quoque nos velut signaculum assumet, et nostri recordabitur; iuxta quod Zorobabel iudici Iudaeae repromittit *Aggaei 2. In illa die suscipiam te, Zorobabel serve meus, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo.* Nam si nos beneficiorum eius obliti fuerimus, nec ei dignas gratiarum actiones retulerimus, ipse quoque nostri obliviscetur; sicut de impio Rege Iechonia dicit *Hie. 22. Si fuerit Iechonias annulus in dextera manu mea, inde evellam eum. Quia fortis est ut mors dilectio, dura ut infernus aemulatio.* Dilectio Christi fortis est ut mors: sicut enim mors animam a corpore separat, ut iam nihil concupiscere, nihil in praesenti vita homini liceat ambire; ita dilectio Christi quem vere pervaserit, totum saeculo huic mortificat, et quasi insensibilem reddit; solumque Christo vivens, mundo mortuus est. Idem sensus est cum dicit: *Dura ut infernus aemulatio:* nam sicut infernus eos quos semel recipit numquam restituit, sed semper retinet; ita verus Christi amor quem semel receperit, numquam dimittit. Unde Apostolus dicit *Rom. 8. Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an fames, an angustia, an gladius?* Sed et de dilectione Christi hoc potest accipi, cuius dilectio fortis fuit ut mors; quia intantum nos dilexit, ut immortalis pro nobis mortem susciperet. Dura fuit aemulatio eius ut infernus, quia sicut infernus nescit misereri, aut a poenis reorum mitigare, sic Christi dilectio non potuit cessare, aut ullis improbitatibus persecutorum removeri ab amore humani generis. Quidam hoc quod dicitur, *Dura est ut infernus aemulatio*, ad Synagogam referunt, quae gentes aemulabatur, et invidebat saluti illarum. Monet ergo eam Christus haec dicens, ut ab invidia cesset, et saluti Ecclesiae congaudeat. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Lampades eius*, scilicet dilectiones, praecordia sunt sanctorum, in quibus veluti in vasis dilectio inhabitat. Hae ergo lampades ignis sunt, quia in corde ardent per amorem. Lampades vero flammarum, quia exterius lucent per operationem. *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Aquae, et flumina sunt violentae persecutorum minae, vel etiam blandimenta quibus sanctos a caritate Dei separare nituntur: de quibus Dominus in Evangelio dicit *Mat. 7.* loquens de viro qui aedificavit domum suam supra petram, quod *venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam; et non cecidit. Aquae* ergo *multae non potuerunt extinguere caritatem:* quia nulla tribulatio, nulla angustia sanctos a caritate Dei separare valebit. *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* Hic versiculus non eget expositione. Nam nullae huius mundi substantiae, nullae opes, comparatione dilectionis, aliquid sunt. Legimus quosdam sanctos sua dedisse pro amore Christi; sed tamen nihil sibi videbantur dimittere in comparatione caritatis quam emebant: unde Apostolus, cum non solum terrenam substantiam, sed et paternas traditiones dimitteret pro Christo, dicebat *Phil. 3. Haec omnia contemno, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, idest amorem illius acquiram. *Soror nostra parvula, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est?*

Vox dilecti Synagogam alloquentis est pro Ecclesia gentium. *Soror*, inquit, *nostra*, idest gentium Ecclesia, *parva est*, et *ubera non habet*. Ex magna dilectione dilectus communicato cum Synagoga nomine dicit, *Soror nostra :* quia enim ex Iudaeis carnem assumpsit, ideo se quasi Synagogae comparavit, et exaequavit. *Parvula*, inquit, *est soror nostra*. Sicut alicuius hominis aetas describitur, sic etiam aetas Ecclesiae: parva enim adhuc erat Ecclesia de gentibus congregata sub ipsis Domini, et Apostolorum temporibus, quia et parvitate credentium parva existebat, et ubera necdum habebat, idest nequaquam praedicando spirituales Deo filios generare valebat. Dicit ergo quasi consilium Synagogae requirens : *Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est?* Allocutio Ecclesiae est, vel cum intrinsecus occulta inspiratione, vel exterius aperta praedicatione admonet Deus animam uniuscuiusque fidelis ; et est sensus : Quando per Apostolos meos alloquar Ecclesiam de gentibus congregatam, quid faciemus? idest, quomodo illi praecepta caelestia committemus, utrum videlicet quaeque minima, an, quo maior efficiatur, perfectiora illi secretorum caelestium mysteria trademus? Nam Deus omnipotens pro mensura et capacitate mentis humanae temperat verbum praedicationis, considerans vires et capacitatem auditoris. Sed Synagoga tacente, ipse pro ea respondit: *Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Si*, inquit, soror nostra *est murus, aedificemus super eum propugnacula argentea*: ac si diceret : Cum coeperint Apostoli mei praedicare Ecclesiae de gentibus congregatae, si tales fuerint auditores qui merito perfectionis murus appellari possint, dum videlicet vel ingenio naturali praediti, vel philosophica eruditione praestantes, quasi alios defendere et munire possunt, ut defendit murus; aedificemus super hunc talem murum propugnacula argentea: addamus illis eloquia divinarum Scripturarum: nam Psalmista dicit *Psalm. 11. Eloquia Domini eloquia casta : argentum igne examinatum*. Si vero tales fuerint auditores, qui nequaquam hostibus resistere possint, nec tela contravenientia repellere; sed fuerint velut ostium, ut simplicia annuntiantes possint aliquos ad Ecclesiam, et ad fidem adducere, quales sunt sacerdotes minoris gradus, qui baptizando in Ecclesia, et divinis mysteriis initiando, homines in Ecclesiam introducunt, *compingamus illud*, ostium, *tabulis cedrinis:* idest, proponamus eis exempla praecedentium patrum, qui veluti cedri, immarcescibilia opera habent, et veluti tabulae scientiae, et caritatis latitudine diffusi sunt. Latitudo enim tabularum latitudinem cordis, vel scientiam significat, dicente Psalmista *Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. His ergo cedrinis tabulis, idest sanctorum exemplis, compingamus illud ostium, ut videlicet eorum imitando exemplis aliis Ecclesiam introeundi, veluti ostium ianuam pandant. *Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Vox Ecclesiae, quae cum audisset pro sua salute consulentem dilectum suum, ipsa laeta respondet : *Ego murus*, sum, *et uberā mea sicut turris. Ego*, inquit, *murus*, quia ego supra firmam petram fundata sum, et glutino divinae caritatis solidata. Sive *murus sum*, quia de vivis lapidibus et electis, hoc est sanctis, sum aedificata. *Et ubera mea sicut turris*, quia tales intra me contineo qui vice uberum alios nutrire possunt spirituali doctrina, et vice muri, et turris defendere, et munire ; quique sicut turres muniunt, et defendunt, ita merito doctrinae, et conversationis inter reliqua membra praecellunt. Hoc autem non meis meritis, neque libertate mei arbitrii habeo, sed dono et gratia sponsi mei. *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*, idest ex quo ille suum sanguinem pro me fudit, et repropitiando mihi Deum Patrem, dissolvit inimicitias quae erant inter Deum et hominem, mihique caelestia pacificavit. Ex quo ergo hanc pacem reperi, murum esse et habere ubera vice turrium merui. *Vinea fuit pacifico*, idest dilecto meo, qui verus est pacificus, quia per eum pacificata sunt omnia quae sunt in caelis et quae in terra. Inde a Propheta, *pater futuri saeculi, princeps pacis* appellatur : *Isai 9*. In cuius veri pacifici typum, Salomon, idest pacificus, auctor huius carminis praecessit. Huic ergo fuit vinea, videlicet sancta Ecclesia. *Quae habet populos*. Hoc dicit ut se de Ecclesia gentium, non de Synagoga ostenderet canere : nam Synagoga unius tantum gentis fuit ; Ecclesia vero habet populos, quia omnes gentes intra capacissimum suum gremium recepit. *Tradidit eam custodibus ; vir affert pro fructu eius mille argenteos*. Custodes huius vineae, idest sanctae Ecclesiae, sunt Prophetae, et Apostoli, Apostolorumque successores. Sive etiam custodes sunt angelicae virtutes, quae ab incursibus tentationum, et daemonum Ecclesiam custodiunt. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*. Omnes viros fortes dicit et perfectos: nam vir a virtute vocatur. Fructus Ecclesiae est caelestis vitae remuneratio, pro qua sancta Ecclesia in praesenti laborare non cessat. Mille autem argentei, quos pro fructu vir affert, significant omnia quae in hoc mundo possideri possunt: millenarius enim numerus pro summa perfectione et plenitudine ponitur. *Vir* ergo *pro fructu* huius vineae *mille affert argenteos*, quia sancti omnia sua relinquunt, et pauperibus erogant, ut fructus huius vineae, hoc est supernam mercedem, consequantur. Tale est illud quod Dominus in Evangelii parabola dicit *Matth. 13. Simile est Regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum. Vinea mea coram me est*. Vox sponsi. Tu, inquit, dicis, quia vineam meam tradidi custodibus, tamen vinea mea semper coram me est : quia licet eam custodibus meis commiserim, ego tamen semper curam illius habeo, nec pro illa sollicitus esse desisto ; sed sum cum illa usque ad consummationem saeculi. *Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus eius. Mille tui*, subaudi argentei, quos pro vineae dedisti fructu, *pacifici* tibi sunt; quasi diceret : O anima fidelis, noli dubia esse pro aeterna mercede, pro qua tua omnia dimisisti, quia mille argentei tibi pacifici sunt, idest manet pro te illa certa remuneratio, et verum inde fructum consecuta es. *Et ducenti*, subaudi, argentei, *his*, subaudi, pacifici sunt qui custodiunt fructus meos. Sicut per millenarium plenitudo perfectionis, sic etiam per centenarium summa perfectio designatur, quia centenarius de laeva in dexteram transfertur. Ducenti ergo argentei,

qui de duplicatis sunt centenariis, significant eos qui doctrina, et operatione perfecti sunt, qui iuste et pie vivendo, semetipsos custodiunt, et etiam praedicando alios convertunt. His ergo talibus ducenti argentei pacifici sunt, quia duplicata in caelis eius manet remuneratio; de qua videlicet per Danielem *cap. 12.* dicitur: *Et qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Hos enim dupliciter iubet Apostolus honorari, dicens *1. Tim. 5. Presbyteri qui in vobis sunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui praesunt vobis, et laborant in verbo. Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Vox dilecti sponsam Ecclesiam alloquentis. O Ecclesia, quae habitas in hortis, idest quae excolendis virtutum germinibus insistis: hortus etenim sponsi ipsa Ecclesia est, quia, ut superius lectum est, crebro se promittit eam in hortis visere. Ergo Ecclesia in hortis habitat, quia plantaria virtutum assidue nutrit. Nec transitorie quasi postmodum recessura ibi tugurium ponit, sed fixa statione ibi habitat. *Fac me,* inquit, *audire vocem tuam,* idest praedica Evangelium, praeceptaque meae legis simul, et promissionem caelestium praemiorum annuntia: hoc enim mihi iucundum et delectabile est ut audiam vocem tuam, hoc est ut audiam te verba salutis aeternae annuntiantem. Sed et *amici auscultant*; idest angelici spiritus vocem tuam delectantur audire, quos tibi amicos feci per effusionem sanguinis mei, tuosque adiutores ac protectores contra malignos spiritus instituti. Sive *amici*, idest spiritus iustorum, *auscultant*, quos de tuo caetu ad me in caelestibus assumpsi: et ipsi enim de tua praedicatione, et fratrum salute congaudent. Respondit confestim ipsa sponsa dilecto suo: *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Mira responsio. Invitatur ad praedicandum, ut sponsus audiat vocem eius; illa vero hortatur sponsum suum ut fugiat. Sed magna est mysterii consequentia. Nam superius praedicta fuerat Christi nativitas, cum dixit: *Quis det te fratrem meum sugentem ubera?* Praedicta etiam fuerat eius passio, ubi dictum est: *Sub arbore mala suscitavi te.* Nunc consequenter hortatur sponsum ut fugiat, hoc est velocissime per ascensionem ad Patrem redeat. Et est sensus: Iubes me praedicare, vis vocem meam audire. *Fuge, dilecte mi,* idest, impleto incarnationis, et passionis tuae mysterio, revertere ad caelum ut non iam te sicut hominem, sed sicut Deum super omnia cogitare incipiam. Tunc enim audies vocem meam, quia tunc liberius praedicabo omni mundo: et hoc est quod Dominus in Evangelio dicit *Ioan. 16. Ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam.* Expediebat enim Apostolis, et omni Ecclesiae ut Christus rediret, idest praesentiam temporalem absentaret: quia dum in corpore praesens erat, non poterant eum spiritualiter amare, et non poterant eum quem hominem cernebant ut Deum invisibilem, et ubique praesentem cogitare; at postquam caelos ascendit, coepit eum Ecclesia spiritualiter diligere, et sicut Deum iam cogitare, et praedicare: et hoc est quod Apostolus ait *2. Cor. 5. Et si noveramus Christum secundum carnem; sed nunc iam non novimus eum.* Ergo *dilecte mi*, si vis me ita praedicare, *refuge*, idest recede ad caelestia, et qui fuisti comprehensibilis per humanitatem, efficere incomprehensibilis per divinitatem. Verumtamen ne me in praesenti sine tua visitatione relinquas, mihique te penitus subtrahas: *Similis esto capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Sicut, inquit, capreae, et hinnuli cervorum indomita animalia humanum consortium fugiunt, tamen crebrius in montibus videntur; sic et tu post tuam ascensionem licet invisibilis sis, dignare mihi tamen saepius dono tuae gratiae apparere. Et hoc *super montes aromatum:* montes enim aromatum sancti Dei sunt, excellentia sanctae conversationis, et caelo proximi, et odore, ac fama virtutum longe lateque fragrantes. Hinc et Apostolus de se sibique similibus dicit *Phil. 3. Nostra conversatio in caelis est*: et alibi *2. Corinth. 2. Christi bonus odor sumus Deo, in omni loco.*

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

# IN CANTICUM CANTICORUM

### EXPOSITIO ALTERA

## PROOEMIUM S. THOMAE

SONET VOX TUA IN AURIBUS MEIS: VOX ENIM TUA DULCIS, ET FACIES TUA DECORA: *Cantic. 2.*

In principio cuiuslibet libri, quantum ad praesens spectat, duo sunt notanda: primo quis sit libri titulus; secundo quae sint causae operis. Praedicta autem auctoritas, quae legitur *Cantic. 2.* aliter et aliter exposita, nobis utrumque insinuat. Nam si verba praedictae auctoritatis sint sponsi ad sponsam, idest Christi ad Ecclesiam, tunc declarant nobis libri titulum; si vero intelligantur de Christo dicta, manifestant nobis causas operis. Intitulatur autem liber iste, *Cantica Canticorum*, ut ex Glossa haberi potest. Cantus tamen qui in hoc libro docetur, non est corporalis, seu sensibilis, sed magis intellectualis, et secundum spiritum. Dicimus enim duo esse genera verborum, interiora, et exteriora, sive sensibilia, et intellectualia, ut patet per Augustinum *in 2. de Civitat. Dei*, ubi ipsas cogitationes cordis locutiones appellat. Sicut ergo in locutionibus exterioribus secundum melodiam, et proportionem prolatis resultat cantus sensibilis; ita in locutionibus interioribus, et etiam affectionibus secundum proportionem, et ordinem debitum ad Deum directis resultat quaedam melodia spiritualis, et quidam cantus intelligibilis. Non enim sic debemus restringere nomen cantus ut solum in sensibilibus vocibus esse habeat: nam Boetius in Musica sua ostendit musicam proportionem aliquo modo circa omnia esse, inquantum singula secundum melodiam per quamdam proportionem sunt condita. Sicut et Augustinus *in 6. Musicae* extendit numeros musicales ad actiones animae: nam secundum quinque numerorum genera, quae ipse distinguit *in 2. capit. dicti libri*, idest secundum numeros iudiciales, progressores, occursores, recordabiles, consonales, salvat actiones ipsius animae. Immo ipsa usitata locutio admittit ut manifeste dictum, canticum appellet, secundum quem modum Geometrae loqui consueverunt: unde cum aliquid geometrice probare volunt, dicunt: Sicut cantat talis propositio, si in illa propositione manifeste illud profertur. Quia ergo Deo omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et cogitationes, et affectiones voluntatis non discedunt a melodia et a proportionibus, qua, et secundum quas attenditur operatio virtuosa, quoddam canticum dici possunt. Tale est Canticum quod hic cantatur: quia hic exprimuntur debitae affectiones, et cogitationes cuiuscumque animae sanctae, vel etiam totius Ecclesiae, secundum quas intendit gustare divinam dulcedinem, et habere sui sponsi consortium. Et si volumus secundum quamdam adaptationem loqui, dicere possumus, Deum habere duas aures; unam irae, aliam pietatis. Secundum aurem irae audit clamorem: secundum quem modum dixit ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra Genes. 4.* Secundum aurem pietatis dicitur audire cantilenas, idest affectiones, cogitationes, orationes, desideria devotarum mentium. Et quia suave est illi, scilicet Deo, audire tales cantus, et delectatur in animabus sanctis, sicut bonus pater in bonis filiis; ideo invitans animam sanctam, sive totam Ecclesiam ad sic cantandum, ait: *Sonet vox tua in auribus meis:* et subdit causam: *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* His enim duabus causis appetitur cantus alicuius: primo propter se, videlicet quando cantus est dulcis, et suavis; secundo ratione cantantis, ut si habeat decoram faciem: nam cui placet vultus cantantis, verosimile est quod magis delectetur in cantu. Utroque autem modo delectatur Christus in anima sancta; scilicet ratione ipsius cantus, videlicet propter bonitatem affectionum, et cogitationum; et ratione ipsius gratiae: nam gratia Dei in essentia animae existens reddit animam bonam, et opera eius Deo grata. Patet ergo quod si verba praedicta sunt sponsi ad sponsam, designant titulum

huius libri, qui dicitur *Cantica Canticorum*, quia excellenti modo hic talis melodia insinuatur : consuevit enim genitivus pluraliter appositus nominativo denotare excellentiam , ut *Rex Regum , et Dominus Dominantium* Apoc. 19.

Sed si praedicta verba volumus exponere ut sint verba Ecclesiae loquentis ad Christum , designant nobis causas huius operis, licet series litterae contradicere videatur. Ex quo tamen a veritate fidei non discedit , non est talis expositio repellenda: quia in sacra pagina non solum assignatur sensus litteralis , qui semper est continuus, sed etiam mysticus , quem non oportet esse continuum. Secundum hoc ergo dicamus , quod causa materialis, et efficiens notatur, cum dicitur: *Sonet vox tua in auribus meis;* formalis, cum dicitur : *Vox enim tua dulcis;* finalis, cum adnectitur: *Et facies tua decora.* Sponsus, et sponsa, idest Christus, et Ecclesia, sive Christus, et anima sancta, est materia huius libri, ut Glossa tangit. Quod si sponsa dicit sponso : *Sonet vox tua in auribus meis,* causam materialem habemus, et etiam efficientem : quia sponsus ipse qui est verus Deus , cum hoc quod est subiectum sive materia doctrinae sacrae, est etiam principaliter causa efficiens huius scientiae. De causa vero instrumentali non sit nobis curae , quia huiusmodi causae habentur respectu doctrinae sicut instrumenta, sicut penna scribentis, iuxta illud *Psalm. 44. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* Sicut ergo superstitiosum esset, cum quaereretur de auctore alicuius libri, quaerere cum qua penna scriptus fuisset liber ; ita quodammodo superstitiosum videtur quod aliquis sit multum sollicitus inquirere causas instrumentales Scripturae sacrae: nam si constat de veritate, quod liber sit a Spiritu sancto, non est magna cura adhibenda ad inveniendum auctorem alium. Quod si tamen aliter videatur de hoc adhibenda cura, dicimus , quod Salomon fuit talis causa huius libri: qui, secundum quod Glossa tangit, fuit trinomius, et secundum numerum nominum tres edidit libros. Dictus enim fuit *Salomon,* idest pacificus: *Ieddidia;* idest dilectus; et *Ecclesiastes* , idest concionator: secundum enim quod fuit pacificus, edidit librum Proverbiorum; secundum quod fuit dilectus, edidit librum Canticorum; et secundum quod fuit concionator, edidit librum Ecclesiastes.

Causa autem formalis habetur cum subiungitur: *Vox tua dulcis.* Consuevit enim distingui duplex forma , scilicet forma tractatus, quae est modus agendi; et forma tractandi, quae est ordinatio capitulorum ad invicem. Modus autem agendi in aliis scientiis est approbativus aut improbativus; in doctrina vero sacra, potissime in canone, esse videtur inspirativus, idest revelativus, quia magis talis tractatus innititur revelationi, quam probationi. Modus autem in isto libro specialiter videtur esse affectivus , desiderativus , et contemplativus. Unde Glossa tangit, quod modus huius libri est ostensivus, quali desiderio membra capiti adhaereant , et ei placere contendant, et quali affectione sponsus Ecclesiam diligat: unde modus agendi huius libri convenienter notatur per huiusmodi dulcedinem, cum dicit: *Vox tua dulcis:* quia complacentia, affectio, et desiderium quamdam dulcedinem amoris important. Ex hoc etiam potest haberi forma tractandi, quae talis debet esse qualem requirit modus agendi. Immo quia ipse ordo capitulorum ad invicem bene intellectus animam demulcet, et delectat , non inconvenienter forma tractandi per dulcedinem intelligitur. Causa vero finalis habetur cum subinfertur: *Facies tua decora.* Est igitur finis huius libri, ut Glossa tangit , dilectio secundum quam sponsa delectatur ; et cum hoc potissime sit propter decorem facici sponsi, convenienter talis finis insinuatur cum dicitur: *Facies tua decora.*

Dubitaret forte aliquis, cum in tota sacra pagina finis sit dilectio, quomodo differenter dilectio Dei sit finis huius libri , et totius doctrinae sacrae : et utrum propter hoc quod finis huius scientiae est opus , an practica scientia dici possit.

Ad horum evidentiam est notandum, quod sicut in tota physica naturali finis est cognoscere corpus mobile, inquantum mobile; in libris autem partialibus huiusmodi finis contrahitur , sicut patet quod in libro Physicorum non intenditur cognitio corporis mobilis quocumque speciali modo, sed cognitio talis corporis simpliciter , non contrahendo ad hoc, vel ad illud; in libro vero de Generatione intenditur talis cognitio, ut contrahitur corpus mobile ad formam; in libro vero de Caelo, ad situm: et sic in aliis libris, modo contracto , intenditur cognitio talis corporis: eodem modo in doctrina ecclesiastica dilectio Dei in universali sumpta intenditur quocumque modo manuducamur ad talem dilectionem. Sed in partialibus libris specificatur talis intentio, ut in Genesi, prout ad eam deducimur considerando divinam potentiam: quia ibi ostenditur quomodo Deus caelum, et terram, et omnia de nullo produxit in esse; in hoc autem libro specialiter manuducimur ad divinam dilectionem , considerando divinam benignitatem, et meditando quanta affectione Christus sponsam suam diligat, et quanto desiderio moveri debet anima sancta ad gustandum dulcedinem divinam. Quae si bene advertimus, non inconvenienter finis huiusmodi libri assignatur dilectio Dei, licet etiam hoc sit finis totius doctrinae sacrae: speciali enim modo liber iste provocat nos ad dilectionem Dei , et proximi.

Ad secundum quaesitum dicendum , quod haec scientia dicitur Dei dilectiva , vel affectiva , ut manifeste probavimus in quaestionibus super primum Sententiarum ; et si propter hoc aliquis velit eam appellare practicam, quia dilectio est quoddam opus, sententiam teneat, linguam corrigat. Nam scientia practica principaliter ordinatur ad opus exterius; ideo scientiae politicae practicae nominantur, et politica, idest bonitas, dependet ex operibus nostris: nam secundum Philosophum, quia bona facimus, boni sumus ; et ex similibus actibus generantur similes habitus. Bonitas vero spiritualis, quia non dependet ex operibus exterioribus, immo ex habitu caritatis, et eius operibus , sacra pagina quae ad talem bonitatem ordinatur , practica dici non debet. Sicut ergo scientia quae ordinatur ad speculationem, non dicitur practica, licet speculari sit quoddam opus , sed suscipit nomen ex speculatione, et dicitur speculativa; sic et Theologia, quae ordinatur ad affectionem , sive dilectionem caritatis , quia huiusmodi opera non sunt exteriora, ab eis debet denominari specialiter Theologia, et debet dici affectiva, vel dilectiva, et non practica. His visis , accedamus ad expositionem litterae.

# TRACTATUS PRIMUS

## SIVE PRIMA PARS TOTIUS LIBRI.

### CAPUT PRIMUM.

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum ; ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua. Exultabimus, et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recte diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem. Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meae pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hoedos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es; oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

*Osculetur me osculo oris sui.* Intentio principalis huius operis est exprimere mutua desideria inter sponsum et sponsam, sive inter Christum et Ecclesiam. Et quia secundum alium et alium statum alia sunt desideria; ideo secundum diversos status Ecclesiae oportet nos hunc librum dividere. Ecclesia enim potest tripliciter considerari. Primo quantum ad statum primitivum, scilicet quantum ad statum rami fracti: nam Iudaei sunt excaecati, et Gentiles sunt admissi, iuxta illud *Rom. 11. Tu quidem* gentilis *cum oleaster esses, insertus es in illis*, idest ramis bonae olivae, *et socius radicis, et pinguedinis bonae olivae factus es.* Secundo rursum potest considerari quantum ad statum ultimum, quando Iudaei omnes salvi fient : quia tunc temporis *si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, residui salvi fient: Rom. 9.* Et quia non est dare extrema sine medio; ideo praeter statum primum, et ultimum est dare medium. Hos autem tres status quodammodo tangit Apostolus *ad Rom. 11.* cum ait: *Quia caecitas venit in Israel ex parte,* quantum ad statum primitivum, *donec plenitudo gentium intraret,* quantum ad statum medium, secundum quem Ecclesia proficit, et quasi universaliter gentes sunt conversae. Et subdit, quod *tunc omnis Israel salvus erit,* quantum ad statum ultimum, quando Iudaei plene convertentur ad Christum, quod erit in fine saeculi. Secundum hos tres status liber iste dividitur in tres partes. Quia primo describuntur mutua desideria inter Christum et Ecclesiam, secundum quod Ecclesia fuit in statu primitivo; secundo describuntur talia desideria quantum ad statum medium ; tertio describuntur quantum ad statum ultimum. Secunda pars est ibi, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel,* ultra medium tertii capituli. Tertia pars est ibi, *Descendi in hortum meum,* ut infra *cap. 6. circa finem.*

Prima pars dividitur in duas partes, secundum quod desideria primitivae Ecclesiae dupliciter distingui possunt, scilicet quantum ad adeptionem boni, et quantum ad fugam mali. Primo ergo Salomon describit desideria sponsae, idest Ecclesiae, sive animae sanctae, secundum quod desiderat adipisci divinas dulcedines, et sponsi sui Christi degustationes. Secundo ponit desideria eius, secundum quod desiderat fugere exteriores tribulationes. Prima ibi, *Osculetur me osculo oris sui.* Secunda ibi, *Nigra sum, sed formosa.* Prima dividitur in duas, quia primo ponitur sponsae desiderium; secundo quia ad obtinendum quod desiderat, non potest per se sponsa sufficere, implorat divinum auxilium. Secunda ibi, *Trahe me post te.* Prima pars dividitur in tres partes : quia primo ponitur sponsae desiderium ; secundo subditur desiderii causa, sive ratio ; tertio ex ratione assignata concludit sponsum suum naturaliter desideratum esse. Secunda ibi, *Quia meliora.* Tertia ibi, *Ideo adolescentulae.* Est autem tale desiderium Ecclesiae, quod desiderat osculari

osculo oris Dei, idest adipisci dulcedinem, et gratiam per ipsum. Debet ergo optative legi ista littera. *Osculetur*, idest utinam oscularetur me Deus Pater osculo oris sui; ita quod Deus Pater sit osculans, Filius sit os, et Spiritus sanctus sit osculum. Dicitur autem Filius os Patris, inquantum est verbum eius, et manifestativum ipsius. Spiritus autem sanctus dicitur osculum: quia sicut in osculo procedit corporalis spiritus ab osculante per os, sic Spiritus sanctus procedit etiam a Patre procedendo a Filio, cum Filius hoc habeat a Patre quod spiret Spiritum sanctum. Ideo Augustinus *16. de Trin.* dicit, Spiritum sanctum principaliter procedere a Patre. Desiderat ergo gustare dulcedinem gratiae, quae appropriatur Spiritui sancto, participando eius dona, et suam gratiam. Deinde cum dicit, *Quia meliora sunt ubera tua vino*, assignat causam, et rationem desiderii sui. Quod antequam exponamus, triplex nobis occurrit dubitatio litteralis. Primo quia videtur textus hic dissutus esse, cum prius Ecclesia loquuta fuerit in persona tertia, dicens: *Osculetur me osculo oris sui:* postea assignando causam, locuta est Deo in persona secunda, subdens: *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Secundo etiam apparet textus dissutus, et inconveniens ratio: quia cum sponsa desideret osculum, si vellet assignare causam desiderii sui, deberet commendare labia, per quae fit osculum, non ubera. Tertio videtur inconveniens huiusmodi dictum, quia sponsae consueverunt habere ubera, non sponsi. Cum ergo in praedicta locutione sponsa loquatur ad sponsum, non videtur competens quod laudat ubera eius.

Respondeo dicendum, quod primam dubitationem solvit Glossa, dicens, quod sponsa loquitur more amantis, qui propter fervorem dilectionis loquendo ordinem non valet servare; ideo aliquando loquitur in tertia persona, aliquando in secunda. Possumus etiam taliter dicere, sponsam in primordio suae locutionis loqui in tertia persona, quia non audet tantum Dominum in principio alloqui in secunda persona; sed petitione facta cognoscens se talia desiderare non posse sine divina gratia, iuxta illud *2. Corint. 3. Non quod sufficientes simus cogitare a nobis aliquid quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*, ideo confisa de Dei auxilio, quae prius proposuerat sua desideria Deo in tertia persona, dicens, *Osculetur me osculo oris sui;* in dando rationem sui desiderii, alloquitur ipsum in secunda persona, subdens: *Quia meliora sunt ubera tua vino.*

Secunda dubitatio etiam solvitur: quia secundum Dionysium *1. de Div. Nomin.* intelligibilia sunt incomprehensibilia a sensibus; ideo per unum sensibile non expresse manifestatur intelligibile, sed multa sensibilia espressius unum intelligibile notificant. Ut ergo detur intelligi, osculum a sponsa quaesitum non fuisse carnale, sed spirituale, in quo non solum bonitas labiorum, sed etiam uberum, et aliorum sensibilium multorum perabundantius comprehendatur, in laudando praedictum osculum, laudat sponsa ubera, non labia.

Tertia dubitatio solvitur similiter a Glossa: quia ideo tribuit sponsa sponso ubera, ut ostendat se figurative loqui. Aliter etiam solvi potest: quia non est simile de matrimonio carnali, et spirituali: nam sicut in matrimonio carnali sponsa dat dotem sponso, in spirituali fit e converso, quia sponsus charismatibus dotat animam; sic etiam in huiusmodi matrimonio ubera principalius competunt sponso. His visis, notandum, quod assignare rationem, vel causam quare aliquid sit desideratum, est ostendere illud esse bonum: quia secundum Philosophum *in 1. Ethic.* et *1. Rhetoric.* bonum est quod omnia appetunt. Et quia bona spiritualia nobis innotescunt per corporalia; ideo sponsa in ostendendo bonitatem osculi sponsi, per similem bonitatem divinae dulcedinis commendat eam tripliciter. Primo ex eo quod reficit gustum, quod notatur cum dicitur: *Quia meliora sunt ubera tua vino;* secundo ex eo quod reficit odorem, quod habetur cum subiungitur: *Fragrantia unguentis optimis;* tertio quia delectat tantum, quod habetur cum dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.*

Ad intelligentiam praedictorum notandum, quod dulcedo quam Ecclesia sponsa Christi desiderat adipisci, hauritur secundum contemplativam vitam. Vita autem contemplativa, prout de ea locuti sunt Philosophi, et sancti, non accipitur uniformiter: nam Philosophi finem contemplationis ponunt in sapere. Ideo *in 10. Ethic.* ubi determinatur de contemplatione, et felicitate, ostenditur operationem perfectam secundum spiritualem contemplationem esse felicitatem: nam speculari secundum sapientiam, idest secundum metaphysicam, est summa felicitatis, quam posuerunt Philosophi. Ideo Philosophus *in 4. Ethic.* volens talem felicitatem summe extollere, ostendit eam esse maxime delectabilem, dicens quod Philosophia videtur habere delectationes mirabiles puritate et firmitate. Sed contemplatio, ut de ea loquntur Theologi, magis consistit in sapore, quam in sapere; et magis consistit in dilectione, et dulcedine, quam in contemplatione. Et si invenitur aliquando studium litterarum pertinere ad contemplativam vitam secundum Theologos, hoc est inquantum per huiusmodi studium manuducimur in amorem Dei. Si quis ergo ad hoc studet ut sciat, non ut aedificet, et in dilectione Dei proficiat, cognoscat se vivere vita contemplativa secundum Philosophos, non secundum Theologos. Si ergo de huiusmodi contemplatione secundum sensibilia loqui volumus, per quamdam adaptationem dicere possumus, vitam contemplativam Philosophorum reficere auditum, et visum; spiritualem autem contemplationem Theologorum reficere gustum, odoratum, et tactum. Nam licet omnes sensus nobis ad cognitionem deserviant, potissime tamen auditus, et visus nobis famulantur ad scientiam: nam secundum Philosophum omne quod quis novit, aut discens, aut inveniens novit. Auditus ergo, qui est sensus disciplinabilis, ut dicitur *1. Metaph.* nobis deservit ad scientiam, ut habetur per doctrinam, et ut sumus discentes; visus vero, qui plures differentias nobis demonstrat, ut *in eod. 1. Metaph.* probatur, deservit nobis ad scientiam, ut habetur per inventionem, et ut invenientes novimus. Ideo contemplatio philosophica, quae consistit in sapere, apparet, si considerentur praedicta, quia potissime reficit auditum, et visum; contemplatio vero spiritualis, quae consistit in sapore, et secundum quam est magis vita nostra, habet reficere gustum, odoratum, et tactum, quae magis nobis deserviunt ad necessitatem vitae. Unde cum beatitudo Philosophorum consistat in intellectu; beatitudo vero spiritualis completive, et consummative consistat in voluntate, ut suo loco

poterit declarari, cum cogitationes mentis dicantur locutiones, et visiones, ut plane dicit Augustinus *in 9. de Trinit. cap. 11.* non tamen proprie dicantur gustationes, et odorationes, et tactus, quia talia magis videntur tenere se ex parte voluntatis, satis apparet bene esse dictum quod proposuimus, contemplationem philosophicam reficere auditum, et visum; spiritualem vero gustum, odoratum, et tactum. Volens ergo sponsa commendare contemplationem spiritualem, non philosophicam, ait: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* In quibus verbis tangit tria genera hominum existentium in Ecclesia, quos aliquo modo reficit divina dulcedo. Nam inquantum ubera sponsi, idest voluptas dulcedinis eius, melior vino dicitur, idest omni sapore corporali, reficiuntur perfecti, qui talem dulcedinem nituntur gustare; prout vero huiusmodi, idest ubera, sunt *fragrantia unguentis optimis*, idest omnibus odoribus sensibilibus, reficiuntur proficientes, qui ad talem dulcedinem moventur per odoratum. Sed ut nomen Christi est *oleum effusum*, propter sui mollitiem, et pinguedinem delectans tactum super cetera, reficiuntur incipientes, qui se habent ad modum habentium solum tactum secundum spiritualem vitam: nam sicut tactus est illud quo restringitur sensibilis vita in infirmo, quia alius secundum Philosophum modus vivendi est secundum alios sensus, alius secundum tactum, quia talis vita sine tactu remanere non potest; ita incipientes participant spiritualem vitam in infirmis, propter quod videntur habere solum tactum secundum talem vitam. Sed cum proficiunt, sic ratione profectus odoratum acquirunt, secundum quod moventur ad odorem dulcedinis. Cum vero perfecti sunt, plene in Christo delectantur, et dulcedinem eius gustant. Deinde cum dicit, *Ideo adolescentulae*, infert ex dictis, sponsum Christum universaliter dilectum in Ecclesia; et continuatur sic textus. O Domine Iesu Christe, qui es omnia in omnibus conformando te omnibus, perfectis, proficientibus, et incipientibus, omnibus secundum suum modum tuas dulcedines tribuens, quia omnibus sic te conformas, *ideo adolescentulae*, idest incipientes, *dilexerunt te.* Vult ergo arguere sponsa per locum a minori: nam si adolescentulae, idest incipientes, de quibus minus videtur, diligunt Christum; sequitur quod Christus in Ecclesia universaliter sit dilectus. Et notandum, quod ista conclusio, *Ideo adolescentulae dilexerunt te*, dupliciter potest continuari. Primo secundum quod sequitur ex omnibus supradictis, quemadmodum est expositum; secundo secundum quod sequitur ex immediate supradictis: ut quia nomen Christi est *oleum effusum*, idest reficit incipientes, ut est expositum; *ideo adolescentulae*, per quas intelliguntur incipientes, *dilexerunt te.* Dicuntur autem *adolescentulae* incipientes, ut patet per Glossam dicentem, quod *adolescentulae sunt non vetustae per culpam, sed novellae per gratiam.* Semper autem per locum a minori concludit Christum esse universaliter dilectum.

*Trahe me post te.* Postquam sponsa expressit suum desiderium, quo dulcedinem Christi adipisci volebat; videns per se ipsam non posse obtinere suum desiderium, in parte ista implorat divinum auxilium. Et dividitur pars ista in partes duas: quia in postulando tale auxilium primo ponitur sponsae petitio; secundo sponsi exauditio, ibi, *Introduxit me Rex.* Circa primum duo facit: quia primo sponsa implorat divinum auxilium; secundo confitetur, ipsum esse suave, et validum. Primum habetur cum dicitur: *Trahe me post te.* Secundum cum subditur: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Continuetur ergo sic. Domine Iesu Christe, video, quod ex me non possum ad te venire, nec tuam dulcedinem gustare; ideo tuum auxilium implorans rogo: *Trahe me post te.* Nam secundum quod Christus dicebat *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum:* et quia indivisa sunt opera Trinitatis, ut dicit Augustinus *1. de Trinit. c. 3.* et Damascenus *lib. 3. c. 18.* ideo sicut nullus accedit ad Christum sponsum, nisi Pater eum trahat; ita nullus accedit ad Christum sponsum, nisi Christus eum trahat. Bene ergo dicit sponsa, idest Ecclesia, sponso suo Christo: *Trahe me post te.* Deinde cum dicit, *Curremus in odorem*, sponsa confitetur, auxilium Christi esse suave, et validum. Continuatur autem sic. Non ad insipientiam dico: *Trahe me post te:* quia tuus tractus est suavis, et validus. Quia si tu me traxeris, non solum movebor qualitercumque, sed etiam curram *in odorem unguentorum tuorum*, idest velociter movebor, dummodo possim suaviter odorare virtutem, et dona tua. Notandum autem, quod cum sponsa dicit, se cursuram ad tractum Christi, confitetur eius tractum non esse violentum, sed suavem, nam currere est voluntate moveri. Rursum confitetur, talem tractum esse fortem, quia in cursu notatur velocitas motus, quae sine magna virtute esse non potest. Nec mirum, si Christus trahit suaviter, et fortiter, quia *Christus est Dei virtus, et Dei sapientia* secundum Apostolum *1. ad Corinth. 1.* et sapientia, ut legitur *Sap. 8. attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et notandum, quod sponsa, cum postulat se trahi, nominat se in singulari, dicens, *Trahe me post te.* Cum dicit huiusmodi tractui se obedire, nominat se in plurali, dicens: *Curremus in odorem unguentorum tuorum:* cuius ratio est, quia Deus, quantum est de se, uno modo trahit, quia secundum Dionysium *4. de Div. Nomin. sicut sol non ratiocinans, neque praeeligens immittit radios suos sensibiles; sic Deus immittit radios suos intelligibiles.* Non tamen trahimur uno modo: quia licet Deus uno modo se habeat ad omnia, non tamen se habent omnia uniformiter ad ipsum, quia eadem influentia diversimode recipitur in creaturis. Quomodo autem intelligendum sit dictum Dionysii, et quomodo Deus se habeat ad omnia uniformiter, alibi *p. 1. q. 47. ar. 1.* declaravimus. Deinde cum dicit, *Introduxit me Rex*, ponitur, quomodo sponsus exaudiat petitiones suae sponsae. Et circa hoc sponsa tria ostendit: quia primo dicit, se ad dulcedinem quam petierat, esse introductam; secundo bonum quod desideraverat, gaudet se esse adeptam; tertio fatetur, se circa illud bonum non esse deceptam. Primum cum dicitur: *Introduxit me Rex in cellaria sua;* secundum cum adnectitur: *Exultabimus, et laetabimur in te;* tertium cum subinfertur: *Memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* Continuatur autem sic. Non in vanum petii divinum auxilium, quia sponsus meus, qui est Christus, *Rex Regum, et Dominus dominantium Apoc. 19.* respiciens humilem petitionem meam, *introduxit me in cellaria sua*, idest

in dulcedinem suam, dando mihi gratiam suam. Dicitur autem gratia cellaria in plurali, quia ab ea fluunt, et derivantur singulae virtutes spirituales, perficientes diversas potentias ; et secundum diversas virtutes diversarum potentiarum diversimode laetamur ; et gaudemus in Domino: et perfecti secundum tales virtutes derivatas a gratia , quodammodo potamus vina spiritualis laetitiae de diversis cellariis. Deinde cum dicit, *Exultabimus , et laetabimur in te* , ostendit sponsam bonum quod desiderabat , scilicet ipsum Deum , esse adeptam. Nam secundum modum intelligendi prius perficimur secundum gratiam divinam, et postea perfecti per gratiam adipiscimur ipsum , ad quem gratia nos ordinat; ideo introducti per gratiam in spiritualem laetitiam , *exultabimus , et laetabimur in te.* Notandum autem , quod universaliter omnes homines appetunt beatitudinem; diversificant autem in particulari : quia quidam ponunt felicitatem in venereis , quidam in divitiis, et sic de aliis; in quibus non est vera beatitudo, quia non delectantur in ipso summo et vero bono, sed in quadam participatione eius , inquantum omnia participant de pleno bono. Gratia vero divina facit nos ponere felicitatem in summo et vero bono, et non in alio; ideo signanter dicit : *Exultabimus et laetabimur in te,* qui es summum et verum bonum. Deinde cum dicit, *Memores uberum tuorum super vinum,* ostendit, se circa bonum quod desideraverat, non esse deceptam. Ad cuius evidentiam notandum, hanc esse differentiam inter sensibilia , et intellectualia bona, quod sensibilia bona antequam habeantur, reputantur magna , habita autem vilescunt, ut potest haberi ab Augustino *in lib. de doct. Christ.* et a Philosopho *in 1. Ethic.* propter quod quilibet invenit se deceptum, cum adipiscitur sensibilia bona , quia non reputat ea tanta bona posteaquam habet , quanta credebat. Sed in intellectualibus bonis non sic se habet, quia habita , maiora reputantur, et potissima, et praecipue summum bonum, quod Deus est. Causa autem quare bona sensibilia per modicum tempus delectant, et quod non inveniuntur tanta bona sicut credebantur , assignari potest , quia huiusmodi bona non sunt delectabilia secundum se, sed quod delectent, hoc est ratione habentium appetitum corruptum: quia unusquisque est talis , qualis finis videtur ei, ut dicitur *in 3. Ethic.* Et quia huiusmodi appetitus sequitur naturam ut transmutabilem ; ideo facta mutatione in natura, quae prius erant delectabilia, postea non sunt. Unde dicit Philosophus *1. Rhetoric. in tract.* de disceptatione, quod transmutare est delectabile, quia in ipsa natura fit transmutatio. In bonis autem Dei, vel divinis non sic se habet: nam talia bona secundum se sunt appetibilia , et ideo delectabilia secundum se , quia ea desideramus secundum illud quod in nobis est supremum, et optimum. Unde etiam desiderando ea, distrahimur ab huiusmodi varietatibus; propter quod talia adepta numquam habentur in fastidio, immo semper inveniuntur esse maiora bona, quam crederentur ante. Continuetur ergo sic littera. Nos *memores uberum tuorum,* idest memores quod diximus de uberibus, quod sunt meliora vino, non sumus decepti circa talem sententiam, quia *recti*, idest illi qui recte sapiunt, *diligunt te super vinum.* Bene poterat dicere ista sponsa, postquam introducta erat in cellaria sponsi, et gustaverat dulcedinem eius, id quod dixit Regina Saba Regi Salomoni; quae, ut habetur *2. Paralip. 9.* cum audisset famam Salomonis , venit tentare eum , et cum loquuta est ei quaecumque erant in corde suo, postquam exposuit ei Salomon omnia quae proposuerat, nec fuit verbum quod posset Regem latere , videns sapientiam Salomonis , non erat prae stupore in ea spiritus; dixitque Regi: *Verus est sermo quem audieram in terra mea de virtutibus tuis.* Notandum autem , quod sponsa prius loquitur in singulari, dicens , *Introduxit me;* postea in plurali, cum subdit: *Exultabimus, et laetabimur in te, memores uberum tuorum.* Propter quod eamdem causam attingit quam supra assignavimus. Potest tamen alia causa assignari : quia sponsa , quae unum petiit, multis modis , et multis communicatum, et communicandum invenit; in quibus, et pro quibus gaudens dicit: *Exultabimus, et laetabimur in te.*

*Nigra sum , sed formosa.* Postquam posita sunt desideria sponsae secundum quae desiderabat adipisci divinam dulcedinem , sive divina bona , hic ponuntur desideria eius secundum quae desiderabat fugere tribulationes, et mala. Ad intelligentiam autem dicendorum notandum , sponsam Christi esse Ecclesiam. Ecclesia autem dupliciter potest accipi : primo pro tota congregatione fidelium ; secundo pro ipsis praelatis : quia quando aliquod nomen convenit toti congregationi, tale nomen dicitur de superiori parte totius; sicut videmus, quod hoc nomen homo est nomen totius coniuncti; quia tamen intellectiva pars in homine est superior, nuncupamus hominem etiam illam partem superiorem, quae dicitur intellectiva: quia quae facit homo secundum intellectum, dicitur facere per se ipsum: propter quod Philosophus *in 9. Ethic.* dicit hominem esse magis intellectum, quam sensum. Sic etiam quia nomen Ecclesiae dicitur de tota congregatione fidelium, praelati qui supremum gradum in Ecclesia tenent, dicuntur Ecclesia ; et quod praelati faciunt, dicitur Ecclesia facere ; et Dominus de eo qui noluit audire unum , aut duos, aut tres *Matth. 18.* ait: *Dic Ecclesiae*, idest praelato, secundum unum modum exponendi. Sic ergo accipiendo Ecclesiam pro ipsis praelatis , melius poterimus continuare seriem litterae. Hoc viso, sciendum est, praelatos propter curam quam habent , dupliciter turbari : primo exterius propter illatas tribulationes; secundo interius per turbationes : quia interiores tribulationes aliquando mentem intantum distrahunt quod si post tribulationem quis ad mentem velit regredi , inveniat se non posse percipere illam dulcedinem quam prius perceperat. Salomon ergo in narrando ibi tribulationes Ecclesiae, idest praelatorum , duo facit: quia primo exteriores tribulationes narrat ; secundo interiores distractiones , ibi , *In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea;* in principio *3. cap.* Propter primum notandum , quod Ecclesia primitiva , de qua nunc agitur, ut patet ex textu , habebat quatuor genera tribulationum; et quantum ad duo conveniebat cum Ecclesia moderna , quantum ad alia duo differebat. Nam Ecclesia moderna , sive praelati temporis huius dupliciter turbantur: primo ex administratione filiorum, administrantes enim non facile est sine turbatione esse , ut habetur *2. Corinth. 11.* turbantur etiam ex insidiatione haereticorum , quia adhuc hodie regnant multi falsi Christiani. Has autem duas

tribulationes habebat primitiva Ecclesia: nam praelati tunc temporis habebant curam subditorum, et haeretici insidiabantur eis. Habebat etiam illa Ecclesia duo genera turbationum quae non habet ista: quia tunc temporis communiter Christiani, et maxime praelati, impugnabantur a Iudaeis, et Gentibus, a quibus non impugnantur modo: non enim impugnantur a Gentibus, quia plenitudo Gentium iam intravit Ecclesiam; nec impugnantur a Iudaeis, quia non sunt illius auctoritatis super Christianos cuius erant tunc. Duo ergo facit Salomon: quia primo narrat turbationes primitivae Ecclesiae in quibus differebat ab ista; secundo illas etiam in quibus conveniebat cum ista; et hoc in principio secundi capitis. *Ego flos campi.* Prima pars dividitur in duas partes: quia primo narrat sponsa huiusmodi turbationem; secundo petit Christi subventionem, ibi, *Indica mihi quem diligit anima mea.* Turbatio autem quam habuit primitiva Ecclesia, differens a moderna, erant stimulatio Gentium, et impugnatio Iudaeorum; ideo circa primum duo facit: quia primo instruit Ecclesia, quomodo turbabatur ex Gentilium stimulatione; secundo quomodo impugnabatur ex Iudaeorum vexatione, ibi, *Filii matris meae.* Prima pars dividitur in duas: quia primo ponitur Gentilium impugnatio; secundo ex illa impugnatione subinfertur filiorum instructio, ibi, *Nolite me considerare.* Propter primum modum, notandum, quod impugnatio Ecclesiae facit ad eius pulchritudinem; ideo Ecclesia narrando turbationem quam patiebatur a Gentilibus, narrat etiam pulchritudinem suam. Continuetur ergo sic littera. O filiae Hierusalem, quarum curam habere debeo, ego Ecclesia mater vestra *sum nigra sicut tabernacula Cedar; sed sum formosa sicut pelles Salomonis.* Cedar fuit secundus filius Ismaelis, ut dicitur *Genes. 25.* et fuit profugus super terram, sicut Ismael pater suus, cui dictum fuerat: *Manus tuae contra omnes, et manus omnium contra te.* Ideo Cedar quasi habitus odio ab omnibus gentibus non morabatur inter gentes, sed morabatur extra in tentoriis, cuius tabernacula ratione pluviae denigrata erant. Sic Ecclesia despecta a Gentibus inter eos absque turbatione manere non poterat, ut Glossa videtur tangere: in quo notatur turbatio quam Ecclesia primitiva patiebatur a Gentibus. Et licet sic essem nigra propter turbationes illatas exterius, attamen interius formosa sum *sicut pelles Salomonis*, quae fuerunt rubricatae, ex quibus fecit tabernaculum, sicut Glossa tangit, vel ex quibus texuit arcam Domini: in quo notatur formositas secundum caritatem. Deinde cum dicit, *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol*, postquam Ecclesia narravit turbationem suam, nunc ex turbatione illata convertit se ad instruendum filios suos, et confirmandum eos, dicens: O filiae Hierusalem, *nolite me considerare quod fusca sim, quia sol*, idest Christus, *decoloravit me*, idest denigravit me. Dicitur autem Christus denigrasse Ecclesiam primitivam, quia fuit causa finalis suae denigrationis, inquantum propter Christum denigrata erat sentiendo turbationes illatas a Gentibus. Intendit ergo Ecclesia instruere filios suos per talem rationem: quia intentio, et consideratio principalis non est ponenda in iis quae sunt ad finem, sed in ipso fine: sed turbationes mundi sunt ea per quae venimus ad Christum; Christus autem est finis noster. Cum ergo turbamur propter Christum, non debemus considerare, nec curare de ipsis turbationibus, sed tota intentio nostra debet poni in Christo, propter quem talia sustinemus. Deinde cum sequitur, *Filii matris meae pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis*, ponitur illa pars in qua, postquam Ecclesia narravit turbationes Gentium, narrat stimulationes Iudaeorum. Ad cuius evidentiam notandum est, quod Iudaei persequendo Apostolos, et Christianos, qui erant in Hierusalem, fecerunt, quod dicti Christiani converterent se ad Gentes, iuxta illud *Act. 13. Ecce convertimur ad Gentes;* et convertendo se ad Gentes facti fuerunt custodes vinearum, idest Gentium: propter quod saltem occasionaliter Iudaei Ecclesiam primitivam custodem fecerunt in vineis Gentium, expellendo eam de Hierusalem: propter quod Apostoli custodiendo Gentes non custodierunt Hierusalem, quae erat quasi vinea propria ipsorum. In numerando ergo Ecclesia turbationes Iudaeorum tria tangit. Primo narrat personas impugnantes eam, cum dicit: *Filii matris meae*, idest Iudaei, *pugnaverunt contra me:* fuit enim Synagoga quasi mater nostra, quia ab ea aliquo modo processit Ecclesia. Et quia Iudaei erant filii Synagogae; ideo Ecclesia vocat eos filios matris suae. Secundo ponit turbationis excessum, cum subdit: *Posuerunt me custodem in vineis:* quia tantus fuit excessus turbationis quod Christiani non valentes stare in Hierusalem, converterunt se ad Gentes, quarum facti sunt custodes. Tertio ponit impugnationis effectum, cum subinfertur: *Vineam meam non custodivi*, quia ex hoc sequutum est ut relinquerent Hierusalem. Deinde cum dicit, *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, videns Ecclesia se habere tot turbationes, petit Christi auxilium, et subventionem. Et dividitur in partes duas: quia primo sponsae petitio ponitur, sive quaestio; secundo subiungitur quaesiti ratio, *ibi*, *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Continuetur ergo sic. O mi sponse, Domine Iesu Christe, *quem diligit anima mea*, tu vides me tot tribulationibus circumventam, et quia sine te non possum eas fugere: ergo *indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Volebat Ecclesia scire domum Christi, quia domus est in qua pascimur, et requiescimus; et sciebat, Christum non esse vagabundum, immo quicumque ad domum suam iret ut eum quaereret, et ad eum recurreret in suis tribulationibus, sciebat quod eum semper inveniret paratum, et promptum, ideo dixit: *Indica mihi, ubi cubes in meridie etc.* Homines cubant in nocte; Christus autem in meridie cubat, et in plena luce, quia ipse est Deus verus, et vera *lux, et in eo tenebrae non sunt ullae 1. Ioa. 1.* Deinde cum dicit, *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, assignat rationem quaesiti: nam ideo Ecclesia in suis tribulationibus recurrit ad Christum, ne vagari incipiat. Et ponit sodales Christi. Dicuntur autem sodales Christi haeretici, qui nolunt esse imitatores, sed socii, et sodales ipsius, inquantum propria docere cupiunt, et esse magistri, ut Christus fuit. Deinde cum dicit, *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres* ponitur Christi responsio. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod sponsa increpanda erat dupliciter: primo ex quaestione quam fecerat, cum dixit: *Indica mihi*,

*ubi pascas* : videbatur enim velle quaerere Deum absentem , nam in se ipsa debebat eum quaerere ; ideo quantum ad quaestionem quam fecerat, increpanda erat de ignorantia ; sed quantum ad quaestionis rationem quodammodo increpanda erat de diffidentia: videbatur enim dubitare, ne Christus semper esset praesens, eam adiuvans, cum dicebat, *Ne vagari incipiam.* Dividitur ergo haec pars in duas: quia primo Christus increpat sponsam de ignorantia; secundo ne diffidat, narrat quae mala eam sequentur ex tali ignorantia. *Egredere , et abi.* Dicit ergo: *O pulcherrima inter* omnes *mulieres* , ideo quaeris me absentem, et dicis, *Ubi pascas , ubi cubes, si*, idest quia, *ignoras te:* nam si te cognoscerres, quaereres me in te ipsa. Notandum , quod nominat Ecclesiam pulcherrimam , quia Deus quaerendus est in anima, ut anima est imago eius. Et quia de tali ignorantia eam increpat; ideo appellat eam pulcherrimam, quia ut est imago Dei, pulcherrima est. Consequenter cum dicit , *Egredere , et abi* , narrat mala quae sequentur ipsam ex tali ignorantia; et dicit duo: primum est caecitas intellectus; secundum malitia affectus. Continuatur sic. Quia tu, *pulcherrima inter mulieres, sic te ignoras, egredere, et abi*, idest egredieris, et abibis, *post vestigia gregum*, idest dogmata , et exempla haereticorum : nam de illis gregibus nunc loquitur de quibus supra dixerat , *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, idest post haereticos, ut dictum fuit : in quo notatur ignorantia intellectus. *Et pasce*, idest pasces, *haedos tuos*, idest carnalia desideria tua adimplebis: nam haedus est animal foetidum, in quo notantur carnales motus. Et hoc *iuxta tabernacula pastorum :* quia tu ibis post carnalia desideria , sicut et alii carnales vadunt, qui intelliguntur per pastores haedorum. Deinde cum dicit, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea*, quia sponsa videbatur diffidere ; ne diffidat , sed plene confidat de Christo, narrat beneficia quae ei contulit : et circa hoc duo facit: primo narrat beneficium quod ei contulit respectu inimicorum quos supplantavit ; secundo beneficia quae ei contulit respectu maiorum bonorum quae acquisivit, ibi, *Pulchrae sunt genae tuae.* Continuatur sic. O amica mea, non diffidas, quia ego *assimilavi te equitatui meo*, idest populo Israelitico , qui fuit meus populus peculiaris , quem tamquam equum possidebam, et regebam Illi ergo populo te assimilavi *in curribus Pharaonis :* quia sicut currus Pharaonis , et equites eius submersi sunt in mari rubro, ut habetur *Exod. 14.* ita daemones te infestantes , qui intelliguntur per currus Pharaonis, ego conculcabo, et deprimam. Deinde cum dicit, *Pulchrae sunt genae tuae*, tangit bona quae ei contulit , cum quibus ad maiora proficere potuit; et enumerat tria bona maxime necessaria quae ei contulit: primo caritatem; secundo fidem, ibi, *Collum tuum;* tertio spem, ibi, *Murenulas aureas.* Continuatur sic. Non solum de me debes confidere , quia tuos depressi inimicos, sed etiam quia contuli tibi multa bona ad merendum : dedi enim tibi virtutem caritatis, qua me auctorem, et factorem diligeres ; de qua dicit : *Pulchrae sunt genae tuae* , idest affectiones tuae, *sicut turturis.* Turtur est animal dilectivum, et postquam perdidit socium, alium renuit; in quo notatur ardor caritatis. Deinde cum dicitur, *Collum tuum sicut monilia,* ostendit quod ei contulit fidem. Et continuatur sic. Non solum dedi caritatem, qua feci quod genae tuae essent sicut turturis; sed etiam contuli tibi fidem, qua feci quod *collum tuum* , idest fides tua , per quam mihi capiti iungeris , sicut per collum caput iungitur corpori , esset *sicut monilia* . idest ornamentum non habens exteriorem amictum : quia purum , et solum Deum tenes in pectore. Deinde cum dicit : *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento* , ostendit quod ei contulit spem. Spes autem est respectu praemii aeterni : huiusmodi autem praemium est duplex; videlicet essentiale, ut gaudium de bono increato; et accidentale, scilicet de bono creato. Et utrumque tangit dicens: Nos *faciemus tibi murenulas aureas* , idest infundemus tibi spem respectu praemii essentialis: nam praemium essentiale communi nomine dicitur Aurea , sicut accidentale dicitur Aureola. Huiusmodi aurea, sive praemium essentiale, dicitur murenula , quae est catenula coniungens ornamentum colli , intus diversis coloribus colorata. Ergo praemium essentiale est unus Deus. Attamen secundum diversitatem meritorum de illo uno Deo non omnes habebunt par gaudium ; quod declarat Dominus *Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Huiusmodi autem murenula aureola erit *vermiculata argento*, propter additionem praemii accidentatis: quia sicut argentum deficit ab auro, sic praemium accidentale deficit a substantiali. Dicitur autem huiusmodi praemium accidentale vermiculatum propter diversitatem eius, quia non idem praemium accidentale habebunt omnes. Notandum autem , quod signanter , cum loquitur de spe praemii , dicit , *Faciemus* , quia spes respicit futurum tempus. Deinde cum dicit, *Dum esset Rex in accubitu suo , nardus mea dedit odorem suum*, ponitur correptio sponsae. Et quia dupliciter erat increpata, scilicet de ignorantia, et de diffidentia , ideo duo facit: primo enim ostendit sponsa se non diffidere, sed confidere: unde quasi correpta de diffidentia, confitetur beneficia sibi facta: secundo quasi correpta de ignorantia , confitetur se non debere Deum quaerere absentem, sed praesentem. Secunda ibi, *Lectulus noster floridus.* Propter primum notandum, quod secundum Philosophum *1. Ethic.* differentia est inter correptionem, et correctionem: quia correptio est gratia patientis, ut bonus fiat; sed correctio , sive castigatio est gratia facientis, ut ius servetur: ideo cum aliquis corripitur, si propter correptiones melioratur, et acquiescit corripienti, debet commendari , et laudari , ut in correptione sua maneat. Dividitur ergo pars ista in partes duas : quia primo quantum ad diffidentiam ponitur sponsae correptio; secundo eius commendatio , ibi, *Ecce tu pulchra es, amica mea.* Correptio autem sponsae quantum ad diffidentiam consistit in beneficiorum recognitione , quia confitetur auxilia sibi facta. Huiusmodi autem auxilia, ut dictum fuit, fuerunt quatuor , quae de Christo notabiliter praedicantur. Nam oppressio inimicorum potest appropriari incarnationi : licet enim per passionem princeps huius mundi sit eiectus foras, hoc non fuit nisi quia homo ille qui patiebatur, Deus erat: et quia in incarnatione Deus factus fuit homo, ideo inimicorum oppressio non incongrue incarnationi attribuitur. Donum autem caritatis potest appropriari passioni , quia *maiorem caritatem nemo habet , quam ut ponat animam suam quis pro*

*amicis suis: Ioa. 15.* Donum autem fidei potest appropriari resurrectioni, quia Christo passo omnes Apostoli titubaverunt; ipse vero resurgens confirmavit eos in fide. *Qui post passionem suam praebuit semetipsum vivum, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de Regno Dei*, ut dicitur *Actor. 1.* Spes autem potest appropriari ascensioni, et missioni Spiritus sancti: quia Christus ascendens misit Ecclesiae suae Spiritum sanctum, quem accipientes habent pignus haereditatis aeternae: propter quod solidata fuit spes respectu praemiorum aeternorum. Quatuor ergo facit sponsa, secundum quod quatuor beneficia confitetur: nam primo confitetur incarnationem, per quam inimici deprimuntur; secundo passionem, qua caritas Christi ostenditur; tertio resurrectionem, per quam fides nostra confirmatur; quarto et ultimo confitetur Spiritus sancti missionem, per quam spes nostra roboratur; secunda ibi, *Fasciculus myrrhae;* tertia ibi, *Botrus Cypri;* quarta ibi, *In vineis Engaddi.* Dicit ergo: *Dum esset Rex in accubitu suo*, idest in sinu Patris, in quo quiescit, *nardus mea*, idest humilitas mea, *dedit odorem suum.* Nardus enim est herba modica, et odorifera, et significat humilitatem: quae dedit odorem, quando Filius respiciens humilitatem Ecclesiae suae incarnatus est. Deinde cum dicit, *Fasciculus myrrhae*, confitetur passionem, dicens: *Dilectus meus* est *mihi fasciculus myrrhae.* Myrrha secundum Glossam est arbor Arabiae, altitudinis cubitorum quinque, cuius gutta est viridis, et amara: unde significat passionem Christi. Haec autem passio fuit *fasciculus myrrhae.* Fasciculus dicitur quid congregatum, et est nomen diminutivum: sic Christus per passionem reputabatur diminutus: *Isa. 53. Non erat species ei, neque decor:* et sequitur: *Unde nec reputavimus eum.* Rursum in eo fuit congregatio myrrhae, idest amaritudinis propter multas passiones, et opprobria quae sustinuit: et ad litteram, datum fuit ei in passione myrrhatum vinum. Et quia tantum bonum Christus contulit sponsae quod voluit pro ea pati, et mori; ideo sponsa hoc recognoscens, subdit, quod talis dilectus suus *inter ubera commorabitur*, idest inter intellectum, et affectum: quia nihil vult amare quod ipse abhorreat. Deinde cum dicit, *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, idest valde dulcis, et iucundus. Cyprus enim est quaedam insula, cuius botri, sive uvae faciunt optimum vinum. Et quia *vinum laetificat cor hominis Psal. 103.* ideo hic intelligitur resurrectio: quia *viso Domino* post resurrectionem *gavisi sunt discipuli: Ioan. 20.* Deinde cum dicit, *In vineis Engaddi*, confitetur Spiritus sancti missionem. Continuetur sic. Tu dilectus meus non solum es *botrus Cypri*, laetificans animam per resurrectionem; sed etiam es mihi botrus *in vineis Engaddi*, idest botrus balsami: quia, secundam Glossam, in Engaddi sunt arbores balsami crescentes in modum vinearum: unde significat missionem Spiritus sancti, quia dona Spiritus sancti suscipimus per unctionem chrismatis, quod conficitur ex balsamo, et oleo. Deinde cum dicitur, *Ecce tu pulchra es, amica mea*, ponitur sponsae commendatio. Et dividitur in partes duas: quia primo Christus sponsam commendat: et quia totum bonum nostrum a Christo est, sponsa hoc recognoscens, secundo hanc commendationem ad Christum refert, et ordinat, ibi, *Ecce tu pulcher es.* Continuetur sic. Omnis pulchritudo tua ex eo est quod acquiescis monitionibus meis. Et dicit bis, *Ecce tu pulchra*, ut ostendat eam pulchram et interius, et exterius; in opere, et intentione; ideo subdit: *Oculi tui columbarum.* Duo enim oculi sunt opus, et intentio. Columba enim est animal fecundum, et simplex. Tunc enim habemus oculos columbarum, quando opus nostrum est fecundum ratione bonitatis, et intentio nostra est simplex ratione rectitudinis. Deinde cum dicit, *Ecce tu pulcher, dilecte mi, et decorus*, ordinat sponsa pulchritudinem suam in Christum. Continuetur sic. Tu, dilecte mi, dixisti mihi: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra:* quia nihil habeo quod non acceperim a te; ideo nolo gloriari, quasi non acceperim. Confiteor, quod omnis pulchritudo mea est a pulchritudine tua. Illa ergo duplex pulchritudo quam dixisti esse in me, peramplius, et perfectius reservatur in te: propter quod, *dilecte mi, ecce tu pulcher es, et decorus.* Deinde cum dicit, *Lectulus noster floridus*, ostendit sponsa se esse correptam de ignorantia, et confitetur se debere habere Deum praesentem, et non absentem. Quaesierat enim sponsa a Christo, ubi pasceretur, ubi cubaret; propter quod dupliciter ignorabat. Ideo duo facit: quia primo confitetur quod pascitur in se ipsa; secundo quod cubat in se ipsa, ibi, *Tigna domorum nostrarum.* Continuatur sic. Dilecte mi, ego quasi ignorans quaerebam ubi pasceres; modo cognosco quod pasceris in me ipsa: nam tu pasceris inter flores, iuxta illud quod habetur infra *cap. 2. Qui pascitur inter lilia*, sive inter flores: et quia *lectulus noster floridus est;* ideo in meo lecto, idest in mea mente, sive in mea conscientia pasceris. Deinde cum dicit, *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*, confitetur quod cubat in se ipsa: nam requies Christi est ubi sunt dona, et virtutes Spiritus sancti. Continuetur ergo sic. Non solum, mi dilecte, confiteor, quod tu pasceris in me, quia *lectulus noster floridus;* sed etiam cubas in me, quia *tigna domorum nostrarum*, idest mentis, et conscientiae nostrae, sive potentiarum nostrarum, sunt *cedrina*, propter virtutes Spiritus sancti; et *laquearia cypressina*, propter eius dona. Tigna enim domus dicuntur ligna erecta in capite coniuncta, et significant virtutes Spiritus sancti, quae sunt in diversis potentiis; coniunguntur tamen in capite, inquantum fluunt a divina gratia, quae est in essentia animae, in qua potentiae radicantur. Huiusmodi autem virtutes dicuntur cedrinae propter incorruptibilitatem. Laquearia autem dicuntur ligna coniungentia ipsa tigna: unde immediatius laquearia adhaerent lateribus, ex quibus tegitur domus, quam faciant ipsa tigna: propter quod dicta sunt laquearia; unde significant dona spiritus, secundum quae movemur a Spiritu sancto: nam secundum tales motus virtutes in nobis stant magis firmae. Huiusmodi vero laquearia sunt cypressina propter odorem, quia spargunt odorem usque ad Spiritum sanctum.

## CAPUT II.

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus

inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi; et fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit. Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum. Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Revertere, similis esto, dilecte mi, capreae, hinnuloque cervorum super montes Bethel.

*Ego flos campi, et lilium convallium.* Postquam descriptae sunt turbationes quas patiebatur Ecclesia primitiva ut differebat a moderna, hic narrat turbationes quas patiebatur ut conveniebat cum ea. Huiusmodi autem turbationes sunt duae, scilicet administratio filiorum, et insidiatio haereticorum. Dividitur autem pars ista in duas partes: quia primo ponitur invitatio Christi, secundum quod invitat Ecclesiam ad flores producendum, sive procurandum, et ad haereticos capiendum; secundo ponitur famulatio sponsae, quae est prompta ad Christo obediendum, ibi, *Dilectus meus mihi.* Prima dividitur in duas partes: quia in prima Christus invitat Ecclesiam ut procuret filios; secundo ut capiat haereticos, ibi, *Capite nobis vulpeculas.* Prima in duas: quia primo invitat Ecclesiam ad officium suscipiendum; secundo ad officium exequendum, ibi, *Vox dilecti mei.* Propter primum notandum, quod primo Christus invitat Ecclesiam ad ministrandum filiis, et habendam curam de eis; secundo videns sponsa, quod non est bonum repellere monitionem sui sponsi, non respondet sponso, innuens se assentire monitionibus eius; sed convertit se ad filios, declarans quomodo intelligendum sit susceptum officium, ibi, *Sicut malus;* tertio Christus huiusmodi declarationem confirmat, ibi, *Adiuro vos, filiae Hierusalem.* Prima pars dividitur in partes tres, secundum quod tripliciter invitat Ecclesiam ut ministret filiis, et eorum curam habeat: nam primo invitat Ecclesiam ratione exempli; secundo ratione praemii, ibi, *Et lilium;* tertio ratione meriti, ibi, *Sicut lilium inter spinas.* Continuatur sic. Tu, amica mea, turbaris per Gentiles, quia nigra es, sicut tabernacula Cedar: turbaris etiam per Iudaeos, quia filii matris tuae pugnaverunt contra te. Sed ultra hoc oportet te tribulationes sustinere propter administrationem filiorum: ad quod debes induci exemplo meo: quia *ego* sum *flos campi:* non enim sum flos anguli, sed in campo existens *posui animam meam pro ovibus meis: Ioan. 10.* Sic et tu exemplo meo debes hoc facere. Deinde cum dicit, *Et lilium convallium*, ostendit hoc idem ratione praemii. Continuatur sic. Non solum, amica mea, debes ponere animam tuam pro filiis tuis, habendo curam de eis, ut sis *flos campi,* sicut ego; sed debes etiam hoc facere considerando quia ego sum *lilium convallium*, sive decor, et praemium humilium. Ideo si te humiliaveris ad hoc faciendum, habebis a me mercedem, et praemium. Deinde cum dicit, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, ostendit hoc idem ratione meriti. Est enim modus loquendi, quod si aliquis vellet habere aliquem in amicum, et diceret eo audiente, si aliquis vult esse amicus meus, debet esse purus, sicut aurum: ille autem si esset sensatus, iam intelligeret, quod oporteret eum esse talem, si vellet esse amicus eius. Sic loquitur Christus Ecclesiae, cum ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ideo tu, sponsa, si vis esse amica mea, oportet quod tu exponas te spinis, idest tribulationibus propter filios tuos, atque pungaris, sive affligaris propter huiusmodi spinas, quia per hoc mereberis: in quo invitat eam ad suscipiendum officium ratione meriti. Deinde cum dicit, *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios,* declarat Ecclesia filiis suis, qualiter habere se debeant in suscepto officio. Vult enim ostendere quod prius debet intendere sibi, postea aliis: et hoc ostendit duplici ratione: primo ex differentia vitae activae a contemplativa; secundo ex ordine caritatis. Prima ratio talis est. Vita contemplativa melior est quam vita activa, iuxta illud Domini, qui dixit, Mariam elegisse optimam partem *Luc. 10.* quia elegerat vitam contemplativam. Sed ad maius bonum prius est intendendum. Cum ergo praelatus per vitam contemplativam magis intendat sibi; per vitam vero activam magis videatur intendere subditis, prius debet intendere sibi, quam suis subditis. Secunda ratio sumitur ex ordine caritatis: nam caritas ordinate fertur in bonum. Et quia quodlibet bonum magis servatur ubi est secundum totum quam ubi est secundum partem; ideo bonum nostrum magis servatur in Deo, ubi est secundum totum, quam ubi est secundum partem. Iterum quaelibet res magis servatur in se, quam in suo simili; ideo magis debemus diligere Deum, quam nos ipsos, et nos, quam proximum. Ergo praelatus ex ordine caritatis prius diligere debet, et intendere bonum sibi, quam subditis. In ponendo autem istas rationes sic procedit: quia primo proponit media, sive virtutes rationum; secundo ex ipsis mediis arguit, ibi, *Fulcite me floribus.* Prima pars dividitur in duas partes, secundum quod duo media proponit: nam primo ponit medium ex dulcedine contemplationis; secundo ex ordine caritatis, ibi, *Introduxit me Rex.* Est ergo medium primum, quod sponsus est summe bonus, et quod ipsa sedit sub umbra illius,

scilicet sponsi sui, et gustavit de fructu eius, in quo sensit magnam dulcedinem; ideo ait, quod *sicut malus inter ligna sylvarum*, idest sylvestria: non quod ipse sit sylvestris, sed comparatione; sicut omnia sunt arida, et ipse solus viridis, sic omnia ligna sunt sylvestria, et ipse solus domesticus, et summe bonus, et delectabilis, et desiderabilis: *sic dilectus meus inter filios*, idest inter alios iustos est summe desiderabilis, quia cuncti sancti sunt quasi alieni a Deo in comparatione ad Christum, quia non sunt filii naturales ut ipse. Et quia talis est sponsus suus; ideo subdit, quod *sub umbra illius*, idest sponsi mei, quam umbram desiderabam, *sedi; et fructus eius dulcis gutturi meo.* Tunc enim vere sedemus sub umbra Christi quando ardor libidinis nos non urit; et tunc fructus eius est dulcis gutturi nostro, quando relinquentes terrena delectamur divina gratia. Deinde cum dicit, *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem*, ponit secundum medium ex ordine caritatis, dicens: *Rex*, idest Christus, *introduxit me in cellam vinariam*, idest in ubertatem spiritualis laetitiae, quae designatur per vinum; *et ordinavit in me caritatem*, idest contulit mihi caritatem ordinatam. Deinde cum dicit, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, arguit ex mediis supradictis, quod prius debet praelatus intendere sibi quam aliis. Et duo facit, secundum quod fuerunt duo media assignata. Primo ergo arguit ex primo medio; secundo ex secundo, ibi, *Laeva eius sub capite meo.* Continuatur sic. Dictum fuit enim quod dulcedo dilecti mei est valde suavis, et ideo primo quaerenda. Propter quod, o filiae Hierusalem, antequam ego intendam vobis, *fulcite me floribus, stipate me malis*, idest permittite, me esse fulcitam floribus, non impediendo delectationem meam quam habeo de Christo, qui est flos. Et permittatis me esse stipatam malis, non impediendo dulcedinem meam quam habeo de dilecto meo, qui est malus. Et subdit causam: *Quia amore langueo.* Notandum autem, quod superius Christus nominatus est a singulari, *flos*, et *malus;* hic autem in plurali nominat ipsum, dicens, *Fulcite me floribus, stipate mé malis:* quia bonitas, et dulcedo in Christo est unica; cum autem derivatur ad nos, multiplicatur, et diversificatur secundum diversa dona gratiarum. Item notandum, quod aliquid dicitur quis facere ex eo quod permittit illud, vel non impedit fieri; et isto modo loquitur Ecclesia filiis suis, quod ornent eam floribus, et stipent eam malis, idest stipitibus malorum eam circumdent, quia petit ab eis, quod eam sic stipatam, et fulcitam esse permittant, non impediendo ipsam; cum ex suavitate odoris, sive ex dulcedine contemplationis debeat prius intendere sibi quam aliis filiis. Deinde cum dicit, *Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*, arguit hoc idem ex secundo medio: et continuatur sic. Sicut ex dulcedine contemplationis, sic ex ordine caritatis prius debeo mihi intendere per vitam contemplativam, quam vobis per vitam activam. Ergo *laeva eius*, idest sinistra Christi, quae denotat vitam activam, erit *sub capite meo*, idest secundario intenta; *et dextera illius*, idest vita contemplativa, per quam intendo mihi, *amplexabitur me*, idest erit super caput meum, quia erit ad quod primo intendam: quia primo intendam mihi, et postea vobis. Deinde cum dicit, *Adiuro vos, filiae Hierusalem*, ponitur confirmatio praedictae declarationis. Sic enim declaraverat sponsa susceptum officium, quia volebat prius intendere sibi, et habere dexteram Christi super se; et postea volebat intendere filiis, et habere sinistram sub capite; et nolebat quod filii impedirent eam a dulcedine contemplationis. Ideo Christus volens hoc confirmare, ait: *O filiae Hierusalem*, quibus sponsa mea praeest, *adiuro*, idest obsecro, et rogo: nam licet possim praecipere, volo rogare: *vos per capreas, cervosque camporum*, idest propter praelatos, sive propter Ecclesiae doctores, qui sunt capreae, quae debent subtiliter videre quid expediat subditis; et sunt cervi camporum qui debent solicite currere ad subditorum defectum. Propter huiusmodi praelatos, propter sponsam meam rogo vos, *ne suscitetis, neque evigilare facialis* ipsam *dilectam*, a somno contemplationis, *donec ipsa velit:* quia prius debet intendere per se, et pro se, dulcedini divinae, et postea actionibus vestris.

*Vox dilecti mei.* Postquam sponsus invitavit Ecclesiam ad officium suscipiendum, ut susciperet curam filiorum, in parte ista invitat ipsam ad tale officium exequendum. Et circa hoc duo facit: quia primo Christus ad tale officium exequendum Ecclesiam invitat; secundo huiusmodi officium declarat, ibi, *Surge, amica mea.* Prima dividitur in tres partes, secundum quod Christus tripliciter invitat Ecclesiam ad dictum officium exequendum: quia primo invitat eam ex parte sua; secundo ex parte auditorum, ibi, *En dilectus meus;* tertio ex parte auxiliorum, ibi, *Vox turturis.* Circa primum notandum, quod praelatus in exequendo officium sibi commissum, quantum ad praesentia., tria debet facere: nam primo ad supplendum subditorum defectum debet velociter currere; secundo ad talem defectum cognoscendum perspicaciter, et ardenter intendere; tertio debet suos subditos diligenter instruere. Et quia haec omnia facit Christus; ideo praelatus ex parte ipsius Christi, et exemplo ipsius motus, debet circa subditos suos sic se habere. Posset ergo sic formari ratio. Omnis Christi actio est praelatorum instructio; et licet sit instructio omnium Christianorum, est tamen potissime instructio praelatorum. Sed Christus ad subveniendum filiis velociter cucurrit; eorum defectum perspicaciter, et ardenter perspexit; et eos fideliter instruxit. Ergo et tu Ecclesia, tu sponsa mea, tu praelate, qui per sponsam, et Ecclesiam designaris, debes hoc facere. De hac autem ratione non ponitur nisi mediam; ideo dividitur pars ista in partes tres, secundum quod medium trahit: nam primo ostenditur quod Christus ad subveniendum nobis velociter cucurrit; secundo quod defectus nostros perspicaciter, et ardenter respexit, ibi, *Similis est dilectus meus capreae;* tertio quod nos fideliter, et utiliter instruxit, *En ipse stat.* Dicit ergo primo: *Vox dilecti mei;* supple, auditur in me: ipsa enim audiebat in se ipsa vocem dilecti sui, iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Psalm. 84.* Et quia locutio interior quaedam visio dici potest, ut dicit Augustinus *19. de Trin.* ideo si sponsa in se ipsa loquentem audit dilectum suum, aliquo modo videbat ipsum. Et videns ipsum, admirata de velocitate eius, et de solicitudine ipsius, dicebat: *Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles*, idest Angelos, Patriarchas, Reges, Prophetas,

de quorum semine descendit Christus: in quo notatur magna, et solicita velocitas Christi ad subveniendum nobis, qui transiens Angelos venit in mundum, descendens ex semine Patriarcharum, Regum, et Prophetarum, ut nostro defectui subveniret. Quare autem Angeli montes, Patriarchae, et Reges colles dici possint, de facili patet, si considerentur altitudines Angelorum, Patriarcharum, et Regum. Deinde cum dicit, *Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum,* ostenditur quomodo Christus defectus nostros ardenter, et perspicaciter intuetur; et continuatur sic. Non solum audivi dilectum meum loquentem in me, et audiendo ipsum, vidi quod transilivit Angelos, Patriarchas, et Reges, et venit ad nos; sed etiam vidi, quod *dilectus meus similis est capreae,* defectus nostros subtiliter videndo, quia, secundum Glossam, caprea subtiliter videt. Rursus similis est *hinnulo cervorum,* defectus nostros subtiliter considerando: hinnulus enim, secundum Glossam, agiliter currit. Unde potest designari excellentia amoris Christi: nam per amorem ferimur quocumque ferimur, iuxta illud Augustini *11. Confessionum: Pes meus amor meus: eo feror quocumque feror.* Et si multus sit amor, per ipsum agiliter ferimur. Deinde cum dicit, *En ipse stat,* ostenditur quod Christus nos fideliter, et utiliter instruxit. Unde adhuc verba ista sunt verba sponsae videntis quod Christus *stat post parietem nostrum,* idest post carnem nostram, paratus ad nos docendum fideliter, et utiliter. Et stans post parietem nostrum, est *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* idest per dicta Prophetarum magis aenigmatica, quam ea quae scribuntur in lege; ideo talia dicta designantur *per cancellos;* dicta vero legalia, quae sunt magis aperta, designantur *per fenestras.* Et tunc est supplenda ratio: quia tu, sponsa, videns me dilectum sic fecisse, et habuisse diligentem curam filiorum, mei exemplo mota, debes diligenter exequi officium tibi commissum, et non solum ex parte mea, sed ex parte auditorum. Et circa hoc duo facit: quia primo ponitur blanda Christi invitatio; secundo subiungitur etiam invitationis ratio, ibi, *Iam enim hyems transiit.* Dicit enim sponsa: *En dilectus meus loquitur mihi:* et ait: *Surge, propera, amica mea,* propter caritatem, *columba mea,* propter simplicitatem, *formosa mea,* propter imaginis divinae dignitatem: *propera* scilicet, et *veni,* exequendo officium tibi commissum, habendo curam filiorum tuorum. Deinde cum dicit, *Iam enim hyems transiit,* ponit rationem ad hoc ex parte auditorum, et intendit talem rationem. Quando materia est disposita, tunc est operandum, et tunc est inducenda in eam forma debita. Sed auditores, et filii tui sunt nunc dispositi ad obediendum motionibus tuis. Ergo debes surgere, et properare, et exequi officium tibi commissum circa eos. De ista ratione ponit solum medium, ostendens auditores esse dispositos: et duo facit, secundum quod dispositio dupliciter potest accipi, et attendi: nam primo ostendit auditores esse dispositos ex contrariorum amotione; secundo ex positorum inductione, ibi, *Flores apparuerunt.* Continuatur sic. Bene dico, quod debes surgere, et ministrare filiis tuis, quia *hyems iam transiit,* idest congelatio infidelitatis, quae intelligitur per hyemem, secundum Glossam, recessit a filiis tuis: propter quod filii tui habent dispositum affectum ad obediendum. *Imber abiit, et recessit,* idest malitia intemperantiae, et voluptuositas abiit, et recessit: propter quod filii tui habent dispositum affectum ad obediendum doctrinae tuae. Per imbrem enim, qui est humidus, intelligitur voluptuositas: quia sicut humidum undique currit, et non bene terminatur in termino proprio; sic voluptuosi secundum quamlibet passionem currunt, et non bene terminantur iudicio rationis, quod debet esse eorum frenum, et terminus. Deinde cum dicit, *Flores apparuerunt,* ostendit, auditores esse dispositos ex parte conditionum propositarum: et continuatur sic. Bene dico, quod tu debes surgere, quia auditores, et filii tui non solum non sunt indispositi, quia parati sunt ad dimittendum, vel etiam dimiserunt conditiones contrarias; sed videmus etiam iam apparere in eis conditiones convenientes, et congruas: unde *flores,* idest initia bonorum operum, ut exponit Glossa, *apparuerunt in terra nostra,* idest in filiis nostris, quos quasi terram debemus arare, et colere. *Tempus putationis advenit:* quia sunt in prompta dispositione ad gaudium, vel ad germinandum. Et notandum, quod nos Dominus filios suos appellat terram suam: quia quod uni ex minimis fit, sibi reputat fore factum; in quo eius magna benignitas designatur. Deinde cum dicit, *Vox turturis audita est in terra nostra,* adducit rationem ex parte multorum auxiliorum. Intendit autem talem rationem. Tunc homo debet surgere ad operandum, quando videt sibi adesse multa auxilia, per quae potest consequi quod intendit. Et quia tu, sponsa mea, habes multa auxilia te auxiliantia ad ministrandum filiis tuis; ideo debes surgere, et ministrare eis, exequendo officium tibi commissum. De ista autem ratione ponit solum vim medii, notans auxilia quae habet Ecclesia; et circa hoc tria facit, secundum quod talia auxilia tria sunt: videlicet auxilium divinum, et humanum; humanum duplex, scilicet Gentilium, et Iudaeorum: quia aliqui ex Iudaeis conversi erant, et ad adiuvandum Eccle iam parati erant; et aliqui conversi erant de Gentilibus, ad hoc idem parati. Primo ergo narrat auxilium divinum, cum dicit: *Vox turturis,* idest vox Spiritus sancti, ut Glossa exponit, *audita est in terra nostra:* nam ipse Spiritus sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* ut dicitur *Rom. 8.* Et quia tantum auxilium habes; ideo non debes pigritari ad surgendum. Secundo cum dicit, *Ficus protulit grossos suos,* ostendit hoc idem ex parte auxilii Iudaeorum: et continuatur sic. Bene dico, quod tu debes surgere, quia *ficus,* idest Synagoga, quae consuevit esse ficus propter dulcedinem divini cultus, *protulit grossos suos,* idest protulit ficus suas, quae licet non sint maturae omnino, sed sint grossae, tamen prompti sunt, et parati ad te auxiliandum. Potest etiam hoc legi aliter, sed non mutatur exponendo proferre pro proiicere, et abiicere. Sic Synagoga *protulit,* idest proiecit, *grossos suos,* idest immaturitatem ficuum suarum, quia iam non habet aliquas ficus maturas promptas ad auxiliandum. Possunt enim dici grossus et grossi fructus, quia parent in ficu ante maturitatem. Deinde cum dicit, *Vineae florentes dederunt odorem suum,* ostendit tertio hoc idem ex parte Gentilium: nam Ecclesia debet surgere, et exequi officium sibi commissum: quia *vineae florentes dederunt odorem suum,* idest quia iam aliqui ex eis parati sunt ad te iuvandum. Nulla ergo tibi

remanet excusatio quare tu non debeas surgere, et habere diligentem curam filiorum. Deinde cum dicit, *Surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni*, declarat Christus Ecclesiae huiusmodi officium exequendum; et duo facit: quia primo ostendit ad quid Ecclesia debeat exequi officium sibi commissum, et ad quid debeat inducere filios suos; secundo ostendit quomodo filios suos ad illud inducere debeat, ibi, *Ostende mihi faciem tuam.* Dicit ergo: *Tu amica mea*, propter caritatem, *speciosa mea*, propter cordis simplicitatem, *surge, et veni in foraminibus petrae*, idest in vulneribus Christi, quia secundum Apostolum *1. Corint. 10. Petra autem erat Christus.* Tunc enim venimus *in foraminibus petrae*, quando inducimur ad considerationem passionis Christi. Debet etiam Ecclesia venire *in caverna maceriae*, quia debet filios suos inducere ad veritatem fidei: nam secundum Glossam, maceria est congeries lapidum compositorum in muro sine caemento: sic fides nostra articulos, et sententias continet sine caemento rationis; et ideo causam colligare non potest: attamen omnes articuli colligantur in unum, quia vel pertinent ad divinitatem, vel ad humanitatem Christi; et divinitas, et humanitas plene fuerunt in una hypostasi Christi. Ideo singulariter dicit, *In caverna maceriae:* nam caverna significat locum imum, et cavum, quia humiliter debemus suscipere veritatem fidei, et captivare intellectum nostrum in obsequium Christi. Propter quod apparet, ad quid debeat Ecclesia suscipere curam filiorum, quia ad duo: primo ut inducat eos ad meditandam passionem Christi; de qua dicit Chrysostomus in quodam sermone de passione Christi, quod Crux Christi est Philosophia Christianorum; ut sic recolendo acerbitatem passionis Christi, non vadant post lascivias suas: in quo notatur bonitas affectus: secundo debet eos inducere ad veritatem fidei, ne vadant post errores suos: in quo notatur bonitas intellectus. Deinde cum dicit, *Ostende mihi faciem tuam*, ostendit quomodo Ecclesia, sive praelatus possit inducere filios suos ad ea quae dicta sunt. Ad cuius evidentiam notandum, quod praelatus dupliciter debet inducere subditos suos ad bonum, exemplo scilicet, et verbo, iuxta illud *Act. 1. Coepit Iesus facere, et docere.* Et inquantum praelatus dat bonum exemplum subditis suis, inducit eos ad bonum, et ad bonitatem affectus, sive *ad foramina petrae*, quia inducit eos ut considerent passionem Christi, et non vadant post affectiones malas: sic faciebat Apostolus *1. ad Corinth. 11. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Inquantum vero praedicat eis, inducit eos ad veritatem fidei, sive *ad cavernam maceriae*, quia ostendit eis quid credendum, et quid non credendum. Nam etsi verbo inducitur quis ad bonos mores, hoc est inquantum praedicatio praesupponit bonam vitam praedicantis: quia, ut dicit Gregorius, *cuius vita despicitur, necesse est ut eius praedicatio contemnatur.* Unde apparet quod ea quae dicuntur, consonant eis quae prius dixerat. Dicit Dominus ipsi Ecclesiae, vel praelato: *Ostende mihi faciem tuam;* idest ostende filiis meis, quos tibi commisi, faciem tuam, idest bonum exemplum de te, bene vivendo. Dicitur autem ipsum bonum exemplum *facies*, quia sicut facies est in aperto, ita bona opera praelatorum debent esse in aperto, ut inducant filios suos ad bonum, iuxta illud *Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Et addit: *Sonet vox tua in auribus meis*, idest filii mei tibi commissi audiant vocem praedicationis tuae: quod enim Ecclesia facit filiis suis commissis sibi, Christus reputat sibi factum. Addit autem causam eius quod dixerat, dicens: *Vox enim tua dulcis*, quando proponis filiis meis verbum; *et facies tua decora*, quando tribuis eis bonum exemplum. Deinde cum dicit, *Capite nobis vulpes*, invitat Christus Ecclesiam ad haereticos extirpandos; et quatuor tangit. Nam primo dicit haereticos capiendos, cum ait, *Capite nobis vulpes*, propter fraudulentiam, quia latenter insidiantur doctrinae sanae. Secundo assignat tempus captionis, cum ait, *Parvulas*, quia quando haeretici incipiunt pullulare, et sunt parvuli, tunc sunt capiendi, idest sunt convincendi per doctrinam sanam: quia postquam confirmati sunt in errore suo, non ita de facili convertuntur. Vel sunt capiendi, ad litteram, quia sunt tollendi de medio, ne Ecclesiam destruant. Et ideo tertio subdit captionis rationem, cum ait: *Quae demoliuntur vineas:* nam propterea capiendi sunt propter damna quae inferunt, quia Ecclesiam destruunt. Quarto addit commoditatem damnificandi, cum subdit: *Nam vinea nostra floruit:* est enim haec causa quare haeretici habent commoditatem ad damnificandum, quia *vinea*, idest Ecclesia, est in flore: quod potissime verificabatur in Ecclesia primitiva, de qua Sapiens loquitur. Potest etiam verificari adhuc quantum ad eos qui non sunt in fide solidati. Deinde cum dicit, *Dilectus meus mihi, et ego illi*, postquam posita est multiplex Christi invitatio, hic, ut dicebatur, ponitur Ecclesiae famulatio. Et dividitur pars ista in tres partes: quia primo ponitur Ecclesiae famulatio; secundo subditur famulationis ratio, ibi, *Qui pascitur inter lilia;* tertio ne Ecclesia in tali famulatu possit deficere, imploratur ab ea Christi subventio, ibi, *Revertere; similis esto, dilecte mi, capreae hinnuloque cervorum.* Continuetur sic. *Dilectus meus mihi;* supple, loquitur, ut meis filiis administrem, et ut haereticos capiam; *et ego illi;* supple, sum parata obedire: in quo notatur eius famulatio. Deinde cum dicit, *Qui pascitur inter lilia*, assignat rationem suae famulationis. Est enim Christo obediendum, quia obedientes ei sunt lilia, habentes candorem munditiae. Continuatur ergo sic. Ideo sponso meo obedire volo, quia ipse est *qui pascitur inter lilia*, idest inter mundas mentes sibi famulantes: propter quod, ut munda sim, semper ipsi obedire volo, *donec inclinentur umbrae*, idest donec cesset aenigmatica cognitio, quae est in hac vita, *et aspiret*, idest illucescat, *dies*, scilicet aeternitatis: in quo designat quod qui semper desiderat mundus esse, semper debet Christo obedire: nam (supple, semper) *pascitur inter lilia*, et diligit mundas mentes, quamdiu durat praesens vita. Multo magis hoc vult in futura vita, ita quod ly *donec* ibi teneatur inclusive, non exclusive. Deinde cum dicit, *Revertere; similis esto, dilecte mi, capreae, hinnuloque cervorum super montes Bethel*, implorat Ecclesia Christi auxilium, et subventionem, ut ei possit assidue famulari. Et continuatur sic. Tu dilecte mi, qui habitas *super montes Bethel*, idest super Angelos, Bethel enim interpreta-

tur domus Dei, vel habitaculum Dei; unde montes Bethel significant eos qui in domo Dei tenent altum gradum. Tu autem, dilecte mi, qui es super eos, *revertere*; idest si per aliquam negligentiam contingat me a te divertere, tu tamen revertere ad me, me adiuvando ut ad te redeam. et tecum maneam. *Similis esto capreae*, quae habet acutum visum, nostros defectus misericorditer adspiciendo; etiam *esto similis hinnulo cervorum*, qui movetur agiliter: ita tu meis defectibus, ne ultra procedant, succurre velociter.

## CAPITIS III.

### PARS PRIOR.

In lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem; per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Adiuro vos, filiae Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

*In lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea.* Sicut dictum est supra, Ecclesia respectu filiorum dupliciter turbatur: primo quantum ad exteriores turbationes; secundo quantum ad interiores distractiones. Finita parte illa ubi egit de exterioribus tribulationibus, nunc determinat de interioribus distractionibus. Et dividitur pars ista in tres partes: quia primo ponitur huiusmodi distractio; secundo subiungitur Christi compassio, ibi, *Adiuro vos;* tertio imponitur finis isti tractatui, in quo determinatur de primitiva Ecclesia: unde subinfertur dictae Ecclesiae commendatio, ibi, *Quae est ista?* Distractio autem Ecclesiae, sive praelati sic esse habet, quia ipsae exteriores solicitudines, quibus curam filiorum gerit, ita eum occupant, quod quando vult redire ad conscientiam, multoties invenit se deficere ab illa dulcedine quam prius habebat: unde quaerit in lectulo suo Christum, et non invenit; et quandocumque hoc contingit ei, debet surgere, et eum quaerere *per vicos, et plateas civitatis*, idest per omnia desideria, et opera quae fecit, et quae concupivit, utrum aliquid concupierit, vel egerit quod Christo displicuerit, propter quod sentiat se distractum in conscientia. Et cum hoc agit, *vigiles civitatis*, idest vanae cogitationes, inveniunt ipsum: quas debet pertransire, quia in talibus cogitationibus non invenitur Christus. Et talibus pertransitis, ipse invenit Christum. Et quia haec se habent per ordinem; ideo pars ista dividitur in partes quatuor: quia primo ponitur ad conscientiam reversio; secundo ponitur Christi inquisitio, ibi, *Surgam, et circuibo;* tertio vanarum cogitationum occurrentium occupatio, ibi, *Invenerunt me vigiles;* quarto Christi inventio, ibi, *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Continuetur sic. Ego praelatus, vel Ecclesia, post administrationem, et vitam activam, volens redire ad dulcedinem contemplationis, *in lectulo meo*, idest in conscientia mea, *quaesivi per noctem*, idest tempore congruo, videlicet tempore silentii, cuiusmodi est tempus noctis, illum, *quem diligit anima mea. Quaesivi illum, et non inveni:* quia inveni me distractum, et perturbatum in conscientia mea propter exteriores occupationes: in quo habetur ad conscientiam reversio, quomodo praelatus post actionem redit ad conscientiam, ut ibi Christum inveniat. Deinde cum dicit, *Surgam, et circuibo civitatem: per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea,* ponitur sponsae inquisitio ad inveniendum: et continuatur sic. Rediens ad conscientiam meam, quaesivi Christum, et non inveni: unde ut eum inveniam, adhuc quaeram. *Surgam, et circuibo civitatem,* idest per attentam considerationem perquiram conscientiam meam; et *per vicos, et plateas*, idest per omnia dicta, desiderata, et facta, quae ego dixi, et concupivi, utrum aliquid egerim quod displicuerit sibi; et sic faciendo Christum quaeram, quem diligit anima mea. Nam si quis post actionem non potest redire ad dulcedinem contemplationis, debet cogitare quod forte in aliquo deliquit, propter quod solitam dulcedinem non sentit; et ideo debet civitatem, idest conscientiam, totaliter scrutari. Notandum autem conscientiam esse lectulum in quo Christus requiescit, quia stratum coangustatum est, quia non potest iacere, nisi unus, scilicet Christus, vel diabolus *Isaiae 28. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest.* Sed si consideremus conscientiam, et cor nostrum quantum ad genera peccatorum quae ibi esse possunt, sic est civitas distincta per vicos, et plateas, idest per delicta maiora, et per minora. Deinde cum dicit, *Quaesivi illum, et non inveni*, ponitur vanarum cogitationum occupatio. Continuetur sic. Ad conscientiam meam redii; Christum per plateas, et vicos quaesivi. *Quaesivi illum, et non inveni.* Et est causa quare: quia *vigiles* civitatis, idest vanae cogitationes, *qui custodiunt civitatem, invenerunt me:* ideo eis occupata, Christum non inveni, quia vix possumus dicere unum *Pater noster*, quin vanae cogitationes nos non inveniant. Quare tales cogitationes dicuntur vigiles civitatis, quia semper sunt paratae ad capiendum, et occupandum nos. Sed quando tales vigiles, seu cogitationes occupant nos, debemus eas derelinquere, quia in talibus cogitationibus non invenitur Christus. Ideo ironice talibus vigilibus dicitur: Numquid vidistis Christum, *quem diligit anima mea?* Deinde cum dicit, *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, ponitur primo Christi inventio; secundo eius apprehensio, ibi, *Tenui eum.* Continuetur sic. Ita invenerunt me vanae cogitationes, seu vigiles civitatis; sed *cum pertransissem eas*, scilicet derelinquendo, *inveni* Christum, *quem diligit anima mea.* Sciat enim quilibet, quod si ad conscientiam suam redit, et eam diligenter inquirit, et vanas cogitationes dimittit,

his peractis Christum invenit. Deinde cum dicit, *Tenui eum,* ponitur Christi apprehensio. Et ostendit primo se apprehendisse fortiter, cum dicit, *Tenui eum;* quasi dicat: Non qualitercumque recepi ipsum, sed fortiter apprehendi, tenendo ipsum. Secundo ostendit quod eum apprehendit perseveranter, cum subdit, *Nec dimittam;* quasi dicat: Incessanter tenebo ipsum. Tertio innuit quod apprehendit utiliter, cum subinfert: *Donec introducam illum in domum matris meae,* quantum ad maiores, *et in cubiculum genitricis meae*, quantum ad minores. Sic debet facere Ecclesia, quasi bona mater, quod postquam invenit Christum, debet eum tenere, et non dimittere, donec introducat eum in corda filiorum maiorum, qui sunt domus matris suae, idest domus gratiae, quia gratia est mater omnium, cum ab ea habeamus esse spirituale: dicuntur enim maiores filii Ecclesiae domus gratiae, quia plus habent de gratia. Sic etiam Ecclesia debet introducere Christum in corda filiorum minorum, qui dicuntur cubiculum genitricis, idest cubiculum gratiae, quia minus habent de gratia: cubiculum enim est domuncula parva. Notandum autem, quod Ecclesia non intendit Christum introducere in maiores, et in minores, quasi Christum non habeant: quia sic non essent domus, et habitaculum gratiae; sed ut ipsa in contemplatione gaudeat de donis gratiae maiorum, atque minorum. Potest etiam intelligi ut per talem introductionem aliqui fiant domus gratiae, et sic maiores; et aliqui habitaculum, et sic minores. Deinde cum dicit, *Adiuro vos*, ponitur Christi compassio: nam videns Christus Ecclesiam, sive praelatum per exteriores occupationes aliquando distrahi in conscientia, ei compatiens, ait: *Adiuro vos*, idest obsecro, *filiae Hierusalem,* quarum curam habet praelatus, *per capreas, cervosque camporum,* idest propter ipsos praelatos, ut supra expositum est, *ne suscitetis,* a somno contemplationis, *nec evigilare faciatis,* a quiete dulcedinis, *dilectam* Ecclesiam, *donec ipsa velit.* Notandum autem, bis adiurasse filias Hierusalem, ne evigilare faciant a somno contemplationis Ecclesiam matrem earum: dupliciter enim possunt errare subditi circa curam praelati: primo si crederent quod praelati primo deberent intendere eis quam sibi; propter hoc dictum fuit primum, *Adiuro:* secundo si crederent quod postquam praelatus incepit intendere eis, non deberet redire ad contemplationem intendendo sibi; et propter hoc Christus secundo filias Hierusalem adiurat, ut permittant matrem suam in contemplatione persistere. Deinde cum dicit, *Quae est ista?* vult imponere finem huic tractatui, in quo describitur status primitivae Ecclesiae. Et quia laus est potissime in fine canenda; ideo imponit finem tractatui in commendatione Ecclesiae primitivae quintupliciter. Primo ab ascensu, est enim laudabile ascendere; et quantum ad hoc admirans ait: *Quae est ista quae ascendit?* Secundo commendat a loco ascensus, cum subdit, *Per desertum:* nam si laudabile est ascendere qualitercumque, laudabilius tamen est ascendere *per desertum,* ubi sunt spinae, et impeditiva, quia summae laudis est bene conversari in medio nationis pravae, et perversae. Tertio commendat eam a modo ascendendi, cum ait, *Sicut virgula fumi:* virgula enim fumi est agilis ad ascensum, licet sit nigra, et obscura; sic Ecclesia primitiva obscura erat exterius, erat tamen agilis, et erecta interius. Quarto commendat eam a carnis mortificatione, cum ait: *Ex aromatibus myrrhae:* myrrha enim amara est, et significat mortificationem carnis, ut dicit Glossa. Fumus ergo, cui assimilatur Ecclesia, surgit *ex aromatibus myrrhae,* quia Deo placere nititur cum carnis mortificatione: *Ad Gal. 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.* Quinto commendat eam ab orationis devotione, et virtutum plenitudine, cum dicit: *Et thuris, et universi pulveris pigmentarii*, ut Glossa exponit; ita ut odor thuris referatur ad orationem, universitas vero pulveris aromatici ad plenitudinem virtutum.

# TRACTATUS SECUNDUS

## SIVE SECUNDA PARS TOTIUS LIBRI.

### CAPITIS III.

#### PARS ALTERA.

**En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit, propter filias Hierusalem. Egredimini, filiae Sion, et videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius.**

*En lectulum Salomonis etc.* Finito tractatu in quo tractatur de Ecclesia primitiva; hic incipit tractatus in quo tractatur de Ecclesia moderna. Et sicut in primo tractatu primo describebatur Ecclesia primitiva, et postea finiebatur dictus tractatus in laudem Ecclesiae, cum dicebatur: *Quae est ista quae ascendit?* sic in parte ista primo describitur status Ecclesiae modernae, secundo finitur tractatus in laudem ipsius, ibi, *Quae est ista, quae progreditur?* Prima pars dividitur in partes duas: quia primo describitur praesens Ecclesia quantum ad eius diversitatem; secundo quantum ad eius veritatem, ibi, *Pulchra es, amica mea:* circa principium sexti capituli. Prima pars dividitur in duas: quia primo describitur status Ecclesiae quantum ad vitam contemplativam; secundo quantum ad vitam activam, ibi, *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Prima pars dividitur in partes duas: quia primo describuntur ea quae requiruntur ad contemplationem, secundo videns Ecclesia per se ipsam non posse in ipsis persistere, implorat Christi subventionem, ibi, *Veniat dilectus meus:* in principio quinti capituli. Contemplativa autem vita tria debet habere: nam primo debet converti ad Deum; secundo debet relinquere mundum; tertio debet patienter sustinere tentationes. Ideo pars ista dividitur in partes tres: quia primo ostenditur Ecclesiae ad Christum conversio; secundo quod ei convenit mundi derelictio, ibi, *Quam pulchra es!* in principio quarti capituli; tertio quod ei congruit tentationum toleratio, ibi, *Quam pulchrae sunt mammae tuae!* ultra medietatem dicti capituli. Propter primum notandum, quod totum bonum quod est in Ecclesia, quantum ad incipientes, et proficientes, totum est a Christo; et ideo dignum est ut convertamur ad ipsum, a quo tanta bona habemus. Potest ergo sic formari ratio. Quilibet debet ad illum converti a quo habet omnia sua bona. Sed Ecclesia omnia sua bona habet a Christo. Ergo ad ipsum debet converti. In ista ratione sic procedit: quia primo ostendit, Christum omnia sua bona contulisse Ecclesiae propter filias Hierusalem; secundo ex hoc concludit quod ipsae filiae Sion convertantur ad Christum, ibi, *Egredimini, filiae Sion, et videte.* Prima pars dividitur in tres partes: quia primo ostenditur esse a Christo bona incipientium, et hoc sub figura lectuli, ibi, *En lectulum;* secundo ostenditur esse ab eo bona proficientium, et hoc sub figura ferculi, ibi, *Ferculum fecit sibi:* tertio ostenditur esse ab eo bona perfectorum, et hoc sub metaphora reclinatorii aurei, ibi, *Reclinatorium aureum.* Notandum autem, incipientes in Ecclesia potissime indigere custodibus, ne diabolus, et malae tentationes eos invadant, et quasi imbecilles superent: propter quod apparet maxima benignitas Christi, et quod ipse multum diligit bonum incipientium quando dignatur eis dare custodes. Et quia tria sunt genera huiusmodi custodientium; ideo dividitur pars ista in partes tres: quia primo ostenditur, huiusmodi incipientes esse custoditos per annuntiantes veritatem vitae; secundo per annuntiantes veritatem doctrinae, ibi, *Omnes tenentes gladios;* tertio per annuntiantes veritatem iustitiae, ibi, *Uniuscuiusque ensis.* Continuatur sic. Primitiva Ecclesia multum vexata fuit, sed modernam Ecclesiam videmus esse in tranquillitate: quia *en* (pro ecce) ipsos, de quibus minus videtur, videmus esse *lectulum Salomonis*, quia in eis quiescit Christus, et huiusmodi lectum *ambiunt*, idest custodiunt, *sexaginta fortes ex fortissimis Israel*, idest annuntiantes veritatem vitae: quia fortes, et non molles per tentationes debent esse qui volunt praedicare de moribus. Et notandum, quod numerus istorum custodum, scilicet numerus sexagenarius, bene competit officio: nam sexagenarius numerus constituitur ex senario ducto per denarium, per quod intelligitur veritas vitae hoc modo,

quia vere, et iuste vivimus, si per sex dies, quibus operari debemus, idest per totum tempus vitae nostrae, quod intelligitur per numerum senarium, qui est numerus perfectus, observamus decem praecepta Decalogi. Signanter autem est notandum, quod Salomon incipiens tractare de moderna Ecclesia, incipit a lectulo, idest a quiete, quia iam cessavit persecutio. Deinde cum dicit, *Omnes tenentes gladios*, ostendit, huiusmodi incipientes esse custoditos per annuntiantes veritatem doctrinae. Et continuatur sic. Huiusmodi fortes non solum sunt sexaginta secundum quod annuntiant veritatem vitae, sed omnes sunt ad bella doctissimi, *tenentes gladios* doctrinae sacrae, iuxta illud *ad Ephes. ult. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Deinde cum dicit, *Uniuscuiusque ensis super femur suum*, ostendit quod incipientes custodiuntur per eos qui annuntiant veritatem iustitiae: nam non sufficit quod aliquis praedicet de moribus, annuntiando veritatem doctrinae; sed oportet eum annuntiare veritatem iustitiae in se, ut faciat quod dicit, et credat quod docet: quia iustum est ut aliquis talis sit in se, qualem praedicat alium debere esse: ideo praedicatores, qui debent custodire lectulum Salomonis, sive incipientes, debent tenere ensem, non in ore tantum, ut dicant, et non faciant; sed uniuscuiusque ensis debet esse super femur suum, constringendo femora sua, vivendo caste, et observando quae praedicant. Addit autem causam quare lectulum suum Christus vult sic custodiri, cum subdit, *Propter timores nocturnos*, idest propter impugnationes diabolicas, et alias tentationes malas. Deinde cum dicit, *Ferculum*, ostendit bonum proficientium esse a Christo. Ad cuius evidentiam notandum, quod incipientes dicuntur lectulus, quia in eis quiescit Christus; non tamen sunt ferculum, quia non ferunt Christum ad alios, generando ipsum in cordibus aliorum. Proficientes autem sunt ferculum, idest portatorium, quia Christum portant, et deferunt usque ad alios. Tanguntur autem tria bona proficientium: quorum primum sumitur in ordine ad Deum, quod notatur cum dicitur: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*, scilicet ordinatum ad se ipsum, qui est verus Deus; secundo tangitur bonum quod habent proficientes in ordine ad se ipsos, cum subdit, *De lignis Libani*, idest de lignis albis, quia in se ipsis debent esse mundi; tertio tangitur bonum quod habent in ordine ad proximos, cum subdit, *Columnas fecit argenteas*: nam qui sunt proficientes, debent habere columnas argenteas, alios sustentando: et eis veritatem annuntiando, quod notatur per argentum, quod est metallum sonorum. Deinde cum dicit, *Reclinatorium fecit aureum*, describit perfectos. Ad cuius evidentiam notandum, quod ferculum dicitur in quo aliquis portatur, et dicitur a fero fers, quia quiescenter fert. Reclinatorium autem est suprema pars huius sedis, in qua reclinatur, et quiescit caput sedentis. Unde per reclinatorium designantur perfecti, qui tenent supremum gradum in Ecclesia. Bonum autem istorum describitur tripliciter. Primo quantum ad situm quem tenent, quia altum, et clarum, sive splendidum: quod notatur cum dicitur, *Reclinatorium aureum*. Secundo describitur quantum ad viam per quam ad talem situm ascendunt, cum dicitur, *Ascensum eius purpureum*: purpura enim ex sanguine piscis conficitur: unde Glossa infra *cap. 8.* ait, quod murices ferro circumcisi lacrymas purpurei coloris emittunt, quibus collectis tinctura purpurei coloris efficitur: unde possunt signare passionem Christi ratione effusionis sanguinis, quae passio est via deveniendi ad statum perfectum, quia incedentes per eam perfectionis statum acquirunt. Tertio describitur perfectorum bonum quantum ad virtutem per quam moti sunt ad talem situm, cum ait, *Media caritate constravit:* quia caritas est virtus media, per quam constratum, sive constitutum est huiusmodi reclinatorium, inquantum virtute eius perfecti ascendunt ad talem situm. Addit autem causam quare huiusmodi ordo est in Ecclesia, cum ait, *Propter filias Hierusalem:* quia propter nos Christus pati voluit, et Ecclesiam suam ordinavit, et diversis perfectionibus dotavit. Deinde cum dicit, *Egredimini*, concluditur ex habitis, quod existentes in Ecclesia, et potissime praelati, debeant converti ad Christum: nam si tanta bona Christus contulit Ecclesiae propter eos qui sunt in Ecclesia, dignum est existentes in Ecclesia converti ad ipsum; ideo ait: *O filiae Sion, Egredimini, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua;* idest convertimini ad Christum, et considerate passionem eius, non tantum in mente, sed etiam in mentis affectu; in qua *mater sua*, scilicet Synagoga, *coronavit eum diademate:* quia, ad litteram, coronaverunt Iudaei in passione Christum corona spinea; quae licet ex eorum praevaricatione Christo imposita fuerit ad confusionem, tamen secundum veritatem titulus est referens maiestatis honorem, quia *propter hoc Deus exaltavit illum etc.* ideo affixus est titulus Cruci: *Ioan. 20. Rex Iudaeorum*; quod fuit *in die desponsationis illius*, idest Christi: quia in passione sua iunxit sibi Ecclesiam, dans sanguinem suum in pretium, et introducens latronem in Paradisum: *Luc. 23. Et in die laetitiae cordis eius*, idest Synagogae: quia, ad litteram, Iudaei, et Synagoga gaudebant, et laetabantur de passione Christi.

## CAPUT IV.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad; dentes tui sicut greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro: Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni; coro-

naberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa; mel, et lac sub lingua tua; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha, et aloe cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium quae fluunt impetu de Libano. Surge, aquilo, et veni auster: perfla hortum meum, et fluent aromata illius.

*Quam pulchra es, amica mea!* Postquam ostensum est quod existentes in Ecclesia debent converti ad Christum, hic ostendit quod debent relinquere mundum; nec est propter hoc perversio ordinis: quia licet via generationis prius sit relinquere mundum, quam adhaerere Deo; via tamen perfectionis, et complementi prius est adhaerere Deo. Ita in bono formalius est converti ad ipsum. Dividitur autem haec pars in partes tres, secundum quod tripliciter ostenditur quod Ecclesia debet relinquere mundum: nam primo hoc ostenditur ex statu Ecclesiae; secundo ex fine eius; tertio ex dilectione quam habet Christus ad ipsam. Secundo ibi, *Coronaberis de capite Amana;* tertia ibi, *Vulnerasti cor meum.* In prima parte intendit talem rationem. Ille cuius status requirit totalem pulchritudinem, debet se avertere ab immunditia, ne contrahat sordes, et derogetur suo statui. Sed status Ecclesiae requirit totalem pulchritudinem. Ergo debet se avertere a mundo, ubi est immunditia, ne coinquinetur. In hac autem ratione sic procedit: quia primo ostendit, Ecclesiam quantum ad omnia bona sua debere habere pulchritudinem; secundo ex hoc infert quod status Ecclesiae requirit pulchritudinem totalem, ibi, *Vadam ad montem myrrhae;* tertio ostendit ex habitis, quod Ecclesia debet recedere a mundo, ibi, *Veni de Libano.* Propter primum notandum, quod in quolibet tria reperiuntur; scilicet subiectum vel substantia, virtus, et operatio. In ostendendo vero statum Ecclesiae quantum ad omnia requirere pulchritudinem, tria facit: quia primo hoc commendat, et ostendit de substantia; secundo de virtute, ibi, *Oculi tui;* tertio de operatione, ibi, *Capilli tui.* Dicit ergo: *Quam pulchra es, amica mea*, quantum ad substantiam interiorem; *quam pulchra*, quantum ad exteriorem! Quia in quolibet homine est duplex homo, exterior, et interior; duplex substantia, spiritualis, et corporalis. Primitiva autem Ecclesia fuit formosa interius, sed nigra exterius: unde ad differentiam illius Ecclesiae moderna Ecclesia dicitur pulchra interius, et exterius: quia cessaverunt persecutiones Gentilium, et Iudaeorum. Deinde cum dicit, *Oculi tui,* ostendit requirere pulchritudinem quantum ad virtutem, sive quantum ad potentias: unde ait: *Oculi tui,* idest intellectus, et affectiones, sunt *columbarum,* habentes simplicitatem, et rectitudinem, ut columbae, *absque eo quod intrinsecus latet,* idest absque actionibus intellectus, et affectus, quae latent intrinsecus, quia non sunt transeuntes in exteriorem materiam: vult enim dicere, quod propter pulchritudinem actionum, de qua statim dicetur, habet Ecclesia pulchritudinem oculorum, idest potentiarum, vel virtutum: dicuntur enim potentiae, vel virtutes animae, ut intellectus, et affectus, oculi eius, quia oculus est illud quo mediante tendimus in aliquid ut in finem, quod fit per intellectum, et affectum: per intellectum, inquantum dirigit in finem; per affectum, inquantum inclinat in ipsum. Huiusmodi autem oculi vere sunt columbarum, quando intellectus est simplex, et rectus, idest sine plica erroris; et affectus sine plica malitiae. Deinde cum dicit, *Capilli tui,* ostendit eam habere pulchritudinem quantum ad operationes; et duo facit: quia primo ostendit hoc quantum ad operationes affectus; secundo quantum ad operationes intellectus, ibi, *Dentes tui.* Dicit ergo, *Capilli tui*, idest affectiones tuae, quae dicuntur capilli, quia radicantur in suprema parte animae, sunt *sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad.* In quo tria tangit. Primo quod affectiones debent esse *greges*, quia debent esse congregatae, non sparsae, cuiusmodi sunt affectiones malorum, quae quaerunt bona sparsa, et particularia; secundo debent esse *caprarum,* idest debent esse altae, sicut caprae quaerunt in alto pastum; tertio debent ascendere *de monte Galaad,* qui interpretatur acervus testimonii: quia, ad litteram, moderna Ecclesia, et quaelibet sancta anima, de qua nunc agitur, ascendit cogitationibus suis *in montem Galaad*, idest in acervum testimonii, scilicet in exempla quae praecesserunt, et in altitudinem testimonii Scripturarum. Deinde cum dicit, *Dentes tui*, describit pulchritudinem actionum intellectualium; et facit quinque, secundum quod huiusmodi actiones quinque modis possunt accipi: quia primo ostendit quales debent esse huiusmodi actiones, ut sunt in intellectu; secundo quales debent esse, ut significantur per verba, ibi, *Sicut vitta coccinea;* tertio ut implentur per opera, ibi, *Sicut fragmen;* quarto ut ordinantur ad confusionem adversariorum, ibi, *Sicut turris;* quinto ut ordinantur ad documenta parvulorum, ibi, *Duo ubera tua.* Dicit ergo, *Dentes tui,* idest cogitationes intellectus, quae dicuntur dentes, quia sicut per dentes frangitur quod est unitum, ita homo per intellectum quod uno conceptu recipit, frangit aliis per plures conceptus: unde Dionysius *25. cap. Cael. Hierarch.* dicit Angelos superiores, dentes, quia quod intelligunt uno conceptu, dividunt in inferiores per plures conceptus. Huiusmodi autem dentes, sive conceptus, esse debent *sicut greges tonsarum quae ascendunt de lavacro,* quia debent esse tonsi a lana terrena, et debent ascendere *de lavacro* propter munditiam. Et debent esse huiusmodi conceptus *cum gemellis fetibus* propter consilia, et praecepta; et inter alias conditiones non debent esse *steriles*, quia debent promereri aliquem fructum. Deinde cum dicit, *Sicut vitta coccinea,* ostendit quale esse debet eloquium exprimens huiusmodi cogitationes. Et tangit duo, secundum

quod eloquium duo habere debet. Primo debet esse moderatum; et quantum ad hoc dicit: *Labia tua sicut vitta coccinea:* quia sicut vitta capillos tenet, sic eloquium moderatum tenet veram scientiam. Haec autem vitta debet esse *coccinea*, quia coccus habet colorem rubeum, et verba contemplativa debent esse potissime de passione Christi. Secundo eloquium debet esse ordinatum, et compositum; et quantum ad hoc ait: *Eloquium tuum dulce*, iuxta illud *Prover. 16. Favus mellis verba composita.* Deinde cum dicit, *Sicut fragmen*, ostendit quales debent esse operationes intellectus, ut adimplentur per opera: nam talia debent esse opera quod respondeant interioribus affectionibus, et exterioribus, quia non debemus habere fictam sanctitatem. Ideo ait, *Genae tuae*, idest opera tua, quae sunt in aperto, sicut genae, sunt *sicut fragmen mali punici:* idest sicut malum punicum fractum in fractura tale apparet quale erat interius; sic opera nostra tales nos debent ostendere quales sumus. Est autem malum punicum malum granatum, quod quando frangitur, apparent in eo grana rubea plura; sic etiam ex una caritate plura bona opera debent procedere. Et quia simul cum pulchritudine exteriori debet adesse pulchritudo interior; ideo additur, *Absque eo quod intrinsecus latet.* Deinde cum dicit, *Sicut turris*, ostendit quales sunt huiusmodi conceptus, ut ordinantur ad resistendum adversariis, dicens: *Collum tuum*, idest doctrina tua, et boni conceptus tui, per quos uniris mihi capiti, sicut per collum caput unitur corpori. Huiusmodi autem collum est *sicut turris David, quae aedificata est cum propugnaculis:* quia sufficiens est ad repellendum omnes impugnationes adversariorum. Ideo addit, quod *mille clypei*, idest perfectus numerus auctoritatum, *pendent ex ea, et omnis armatura fortium:* auctoritatibus enim, et articulis fidei munitur fides nostra, quasi per quosdam clypeos, notis lumine divino, in quo est *omnis armatura fortium*, quia quicquid virtutis est in omni intellectu, peramplius, et perfectius continetur in lumine divino. Deinde cum dicit, *Duo ubera tua*, determinat de operationibus, ut ordinantur ad instructionem parvulorum; et tangit quatuor: nam actiones intellectus, sive doctrina, primo debet esse proportionata auditoribus parvulis; ideo dicit, *Duo ubera tua:* quia enim parvuli non possunt masticare dura, sugunt ubera; iuxta illud *1. Cor. 3. Tamquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam.* Et dicit, *Duo ubera*, propter duo testamenta; vel propter sensum litteralem, quem significant voces, et mysticum, quem significant res. Secundo haec doctrina debet esse caritativa, quia doctor debet docere ardenter; ideo subdit: *Sicut duo hinnuli capreae gemelli*: in quo designatur geminatio caritatis. Tertio docere debet regulariter, quia debet docere secundum ordinem sacrae Scripturae; ideo subditur: *Qui pascuntur in liliis*, idest in candore divinarum Scripturarum: quia secundum quod est in sacris Scripturis, sic alios docere debemus. Quarto docere debet perseveranter; ideo addit: *Donec inclinentur umbrae;* idest donec cessent aenigmata, quod tempus est totius vitae praesentis; *et aspiret dies*, scilicet aeternitatis, quod erit in futura vita, ubi non indigebimus ea doctrina qua indigemus modo. Deinde cum dicit, *Vadam ad montem myrrhae*, concludit ex habitis, statum Ecclesiae requirere talem pulchritudinem. Et continuatur sic. Dixi, o Ecclesia, te esse pulchram secundum omnia tua, ideo *vadam ad montem myrrhae*, idest ad te quae es mons myrrhae propter carnis mortificationem, *et ad collem thuris*, idest ad te quae es collis thuris propter assiduam, et multiplicem orationem. Et supple, dicam: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te:* nam si Ecclesia secundum omnia sua requirit pulchritudinem, pulchritudo sua debet esse totalis. Est autem diligenter notandum, quod pulchritudo dicta de ipsa Ecclesia non debet referri ad actualitatem, ut actu talis sit, sed ad statum: non quia talis debeat esse semper, sed quia proficere debet; propter quod oportet eam mundum relinquere. Deinde cum dicit, *Veni de Libano*, infert ex habitis; quod debet relinquere mundum. Et continuatur sic. Habitum est quod status tuus requirit totalem pulchritudinem, *sponsa mea*, ergo ne inficiaris a mundo, *veni de Libano*, idest veni de mundo, et recede de mundo, *veni de Libano, veni.* Dicit autem ter, *Veni*, propter fidem Trinitatis, ad quam alios inducere debet, ut dicit Glossa: vel quia derelinqui mundus non potest, nisi Pater adducat sua potentia: Psalmista *Ps. 135. Eduxit Israel de medio eius, in manu potenti, et brachio extento.* Nisi Filius dirigat sua sapientia: *Sap. 10. Eduxit illum sapientia*, idest primum hominem, cum omnibus salvandis, a delicto suo, a quo nullus potest educi, nisi educatur de mundo: *I. Iac. 4. Qui voluerit amicus esse huius saeculi, inimicus Dei constituitur.* Nisi Spiritus sanctus attrahat sua bonitate, et clementia: *Isa. 63. Spiritus Domini ductor eius fuit.* Vel ter dicit, *Veni*, quia sicut peccamus cogitatione, locutione, et opere; ita his tribus ad Christum ire debemus. Dicitur autem mundus Libanus, idest candidus, per contrarium, quia in eo non est candor, sicut lucus, quia caret luce, et piscina, quia caret piscibus; sic dicitur mundus, quia caret munditia. Deinde cum dicit, *Coronaberis de capite Amana*, adducit rationem ad hoc sumptam ex fine. Et intendit talem rationem. Homo debet relinquere illud quo relicto potest adipisci suam coronam, et suum finem. Sed si tu relinquas mundum, *coronaberis.* Ergo debes mundum relinquere. De ista ratione non ponit plus, nisi quod si relinquat, coronabitur. Et ut intelligas verba eius, notandum, quod mundus quintupliciter inficit. Primo inficit irascibilem per timiditatem; secundo inficit concupiscibilem per intemperantiam, et foeditatem; tertio inficit voluntatem per iniustitiam; quarto intellectum practicum per falsitatem, et imprudentiam in dictis, et factis; quinto intellectum speculativum per infidelitatem. Ideo ait: *Coronaberis de capite Amana*, idest de mundo, relinquendo timiditatem, quae inficit irascibilem: *Amana* enim interpretatur coangustatus, et significat mundum, qui se ipsum coangustat, et constringit. Iterum *coronaberis*, si veneris *de vertice Sanir*, idest de foeditate, et intemperantia, relinquendo ipsam, quia inficit concupiscibilem: nam *Sanir*, secundum Glossam, idem est quod foedus. Iterum *coronaberis de vertice Hermon*, idest de iniustitia, relinquendo ipsam, quia inficit appetitum intellectivum, sive voluntatem: interpretatur enim *Hermon* anathematizatio, sive divisio a Deo; quod maxime fit per iniustitiam, et potissime ut est vitium generale. Iterum *coronaberis*, si veneris

*de cubilibus leonum*, idest de improvidentia, vel imprudentia, quae inficit rectam rationem agibilium, et inficit intellectum practicum : nam differt homo a bestiis ferocibus, quia est animal politicum per mansuetudinem, quam non habent animalia ferocia, quae intelliguntur per leones, qui non refrenant motus suos per prudentiam, sicut homo. Iterum *coronaberis de montibus pardorum*, idest de infidelitate, quae inficit intellectum speculativum : haeretici enim, et infideles insidiantur ut pardi ; et supplendum est, relinquendo hoc perfecte, idest relinquendo mundum. Et quia non coronaberis, nisi ista relinquas ; ideo debes perfecte mundum relinquere, ut coroneris. Deinde cum dicit, *Vulnerasti cor meum*, ponit tertiam rationem sumptam ex amore divino : congruum enim est ut amantes nos amemus. Et quia Christus nos maxime diligit, debemus eum diligere. Cum ergo non possimus eius amori inhaerere, nisi mundum relinquamus, debemus mundum relinquere. De ista ratione non ponit nisi medium, videlicet quod Christus maxime nos diligit. Hoc est ergo quod a te volo, *soror mea*, propter naturae conformitatem, *sponsa mea*, propter fidem. *Vulnerasti cor meum*, sagitta amoris, *in uno oculorum tuorum*, idest in unitate cogitationum tuarum, *et in uno crine colli tui*, idest in unitate affectionum tuarum: nam per oculos, per quos conspicimus, debemus intelligere actiones intellectus, quae tunc placent Deo, quando sunt iunctae per fidem. Per capillos, ut supra dicebatur, debemus intelligere affectiones, quae tunc placent Deo cum sunt iunctae per caritatem, et per alias perfectiones affectus. Et quia talem unitatem habere non possumus nisi mundum relinquamus, debemus mundum relinquere.

*Quam pulchrae sunt mammae tuae !* Superius ostensum est, Ecclesiam praecipue ut respicit statum contemplativorum, debere converti ad Christum propter susceptam ab eo bonitatem, et debere relinquere mundum, ne per ipsum contrahat foeditatem ; hic ostendit, eam debere sufferre tentationes, si adipiscatur finem, et mereatur ampliorem bonitatem. Et intendit talem rationem. Quicumque potest de facili aliquas turbationes sufferre, si per eas potest consequi finem, et augmentum in bono, ut talia adipiscatur, debet sufferre libenter. Sed Ecclesia, potissime ut respicit statum contemplativorum, potest de levi tentationes ferre. Ergo cum per eas mereatur finem, et augeatur in bono, debet eas patienter sufferre. In hac ratione sic procedit. Primo ostendit quod viri contemplativi possunt omnes tentationes de facili vincere ; secundo ex hoc concludit quod vult eos permittere tentari, ut ex hoc adipiscantur finem, et gloriam, ibi, *Surge aquilo*. Prima pars dividitur in duas : quia primo ostendit, viros contemplativos tentationes vincere ; secundo ostendit quod hoc possunt de facili, ibi, *Emissiones tuae*. Prima pars dividitur in duas : quia primo ostendit de quolibet genere tentationum, quod possunt ipsas vincere ; secundo ex hoc concludit quod universaliter potest Ecclesia, ut respicit statum contemplativorum, omnem tentationem superare, ibi, *Hortus conclusus, soror mea*. Prima pars dividitur in tres partes, secundum quod tria sunt genera tentationum : nam primo ostendit, Ecclesiam posse superare tentationes diaboli; secundo ostendit, vincere posse tentationes mundi, ibi, *Favus distillans ;* tertio ostendit, eam posse superare tentationes carnis, ibi, *Et odor vestimentorum*. Circa primum notandum, quod diabolus dupliciter nos vincit : primo decipiendo nos, cum se transformat in Angelum lucis ; et contra hoc valet doctrina quam maxime habent viri contemplativi, quia separati a mundo magis percipiunt divinum influxum : nam Philosophus in libro de bona fortuna ostendit, aliquos simplices esse fortunatos, quia amoti a sensibilibus magis percipiunt vim substantiarum separatarum, et Dei ; sicut caeci non intenti visibilibus magis memorantur: et quantum ad hoc ait: *O soror mea sponsa, quam pulchrae sunt mammae tuae !* idest quam pulchra est doctrina tua, quae dicitur mammae, et ubera, quia se contemperat secundum proportionem auditorum; et ideo subdit: *Pulchriora sunt ubera tua vino*, idest doctrina tua praevalet doctrinae Philosophorum, quae non temperat se proportioni audientium, sed continet se in quadam austeritate, et excellentia verbi cum ponderositate sententiae: ideo huiusmodi doctrina dicitur vinum, non lac, quia caret dulcedine. Secundo vincit nos diabolus, si inveniat nos denudatos virtutibus; et quantum ad hoc subdit : *Et odor unguentorum tuorum*, idest fama virtutum spiritualium, ut Glossa exponit, *super omnia aromata*, idest superat omnem humanam scientiam : propter quod supplendum est, non debes timere ne diabolus te vincat decipiendo. Deinde cum dicit, *Favus distillans*, ostendit, Ecclesiam superare impugnationem mundanam: nam maxime mundum superamus, si ( cum dividatur inter fideles, et infideles ) fidelibus effundimus doctrinam, et eam celamus infidelibus, ne capiant nos in verbo ; ideo ait : *Favus distillans labia tua*, quantum ad fideles ; *mel, et lac sub lingna tua*, quantum ad infideles : quibus non debes communicare dulcedinem doctrinae sacrae, sed tenere eam sub lingua tua. Deinde cum dicit, *Odor vestimentorum tuorum*, idest odor carnis tuae : est enim caro quasi quoddam vestimentum animae, cuius odor est *sicut odor thuris :* thus enim cum igne crematur, redolet, sicut caro contemplativorum, cum in tentationibus stimulatur ; sed eas vincunt, cum continentia redolent, et merentur. Ex quibus haberi potest quod Ecclesia ut respicit vitam contemplativam, potest superare tentationes carnis. Deinde cum dicit, *Hortus conclusus*, infert, quod omnes tentationes universaliter potest superare. Et continuatur sic. Tu, Ecclesia, ut ostensum est, superare potes omnes tentationes diaboli, mundi, et carnis : ergo tu es *hortus conclusus, soror mea sponsa:* tu es *hortus conclusus*. Et dicit bis, *Hortus conclusus*, quia tentationes mundi, et carnis non possunt intrare ad ipsam. Addit etiam quod est *fons signatus*, quia etiam tentationes diaboli non possunt ad eam ingredi. Est ergo Ecclesia *hortus conclusus*, inquantum continet poma munda a spurcitiis carnis. Est iterum *hortus conclusus*, inquantum continet poma vera, non sophisticata vanitatibus mundi. *Est fons signatus*, inquantum continet aquas dulces, non amaricatas per versutias diaboli. Deinde cum dicit, *Emissiones tuae*, ostendit, Ecclesiam, ut respicit contemplativos, de facili posse superare tentationes singulas : nam minima gratia sufficit ad superandum omnes tentationes. Si igitur quis habeat gratiam superabundantem, de facili eas superabit. Gratia superabundans in hoc cognoscitur inquantum alios

inducit ad gratiam : nam perfectum est unumquodque cum potest sibi simile generare. Ostendere ergo, Ecclesiam de facili posse superare tentationes singulas, est ostendere quod derivationes gratiarum, prout fluunt ab Ecclesia ad suos filios, sunt sufficientes ad superandum tentationes singulas. Derivantur enim dona gratiarum divinarum a perfectioribus ad imperfectos: non quod perfecti ipsam gratiam causent, cum a solo Deo ipsa gratia causetur ; sed quia per praedicationes, et bona opera, et exempla perfecti ducunt imperfectos ad gratiam suscipiendam : et ulterius aliquando per suas orationes gratiam impetrant, et ministrando Sacramenta aliquid efficiunt in illa : quo facto, nisi quis praebeat obicem, gratiam suscipit. Duo ergo facit : nam primo ostendit quod per huiusmodi derivationes potest quodlibet genus tentationis superare ; secundo ex hoc concludit quod universaliter omnes tentationes superare possit, ibi, *Fons hortorum.* Circa primum tria facit: quia primo ostendit quod per tales derivationes possunt superari tentationes mundi ; secundo quod diaboli, ibi, *Cypri cum nardo;* tertio quod carnis, ibi, *Myrrha, et aloe.* Dicit ergo : *Emissiones tuae*, idest dona gratiarum derivata a te ad alios, sunt *paradisus malorum punicorum*, idest illarum arborum, *cum pomorum fructibus*, idest cum fructibus dictarum arborum : fructus enim malorum punicorum habent corticem asperum, sed intus habent grana rubea, et significant doctrinam ecclesiasticam, cuius sensus committitur iis qui sunt intra ipsam ; exterioribus autem monstratur cortex tantum. Unde pars ista respondet illi parti ubi dicebatur supra : *Favus distillans labia tua; mel, et lac sub lingua tua.* Sicut ergo per illa verba ostendebatur, Ecclesiam posse superare impugnationes mundi ; sic per ista habetur quod per dona gratiarum derivata ab Ecclesia ad filios, possunt illas superare. Deinde cum dicit, *Cypri cum nardo*, ostendit per tales emissiones posse superare diaboli tentationes. Legatur ergo sic. *Emissiones tuae* non solum sunt *paradisus malorum*, sed etiam huiusmodi emissiones sunt emissiones *Cypri:* Cyprus enim, secundum Glossam, arbor est aromatica habens semen candidum ; et potest significare perfectionem intellectus speculativi, quia huiusmodi intellectus est candidus, qui illuminatur lumine fidei, vel lumine intellectus agentis. Ex quo apparet quod hoc nomen *Cyprus* est acquivocum ad insulam, et arborem. Et huiusmodi emissiones sunt *cum nardo,* nardus enim est herba redolens et candida: unde potest significare perfectionem affectus, quia dat intelligere caritatem, ut dicit Glossa. Huiusmodi emissiones non solum sunt *nardus*, sed etiam *crocus:* crocus enim est aurei coloris; et potest significare prudentiam, cui deservit eubulia, ad quam pertinet dare consilium lucidum, et mundum: prudentia autem est in intellectu practico, unde significat perfectionem intellectus practici : sunt etiam huiusmodi emissiones, *fistula, et cinnamomum*, per quae designantur perfectiones irascibilis et concupiscibilis : nam cinnamomum habet virtutem suam extra in cortice, et significat perfectionem irascibilis, quae perficitur fortitudine, quae consistit in aggrediendo; casia autem habet bonitatem suam interius ; et significat perfectionem concupiscibilis, quae perficitur per temperantiam, cuius bonitas videtur consistere intrinsecus, quia bonitus magis est in retrahendo, quam in aggrediendo: habet et nim quodammodo modum contrarium fortitudini. Inde est quod insensibilitas, quae dicit defectum, minus opponitur temperantiae, quam intemperantia; et audacia, quae dicit excessum, minus opponitur fortitudini, quam timiditas, ut dicitur 2. *Ethic.* Et huiusmodi emissiones sunt *cum universis lignis Libani,* idest cum omnibus aliis perfectionibus, designatis per ligna Libani, ratione candoris, et munditiae. Et qui habet perfectum intellectum speculativum, et practicum, et irascibilem, et concupiscibilem, et alias perfectiones debitas, potest resistere diabolo; ideo per haec dicta etiam intelligitur, quod emissiones sponsae possunt superare diabolicas tentationes : unde ista pars concordat cum illa parte superius quod ubera sponsae erant *pulchriora vino,* quae respiciunt intellectum *; et odor unguentorum* erat *super omnia aromata*, ratione virtutum respicientium potentias alias. Verum etiam per illa, scilicet Cyprum, et nardum, possumus intelligere perfectiones potentiarum, per quas superamus diabolum. Deinde cum dicit, *Myrrha, et aloe,* ostendit quomodo per tales emissiones superamus tentationes carnis, quia sunt *myrrha, et aloe,* idest conservant a putrefactione; et hoc *cum omnibus primis unguentis,* idest cum omnibus unguentis praecipuis conservantibus a putrefactione: myrrha enim a putrefactione conservat, ut dicit Glossa; et aloe etiam hoc facit, licet non tantum, ut in Glossa dicitur: et etiam unguenta praecipua habent hoc efficere. Et quia vitando tentationes, potissime servamur a corruptione; ideo per hoc datur intelligi quod per derivationes praedictas superantur tentationes carnis. Deinde cum dicit, *Fons hortorum,* concludit quod universaliter tentationes omnium superantur; ideo ait, quod huiusmodi emissiones sunt *fons hortorum,* inquantum valent ad producendum fructus *malorum punicorum,* resistendo tentationibus mundi. Sunt etiam *puteus aquarum viventium*, quia aquae quas continent, non possunt mortificari per tentationes diaboli. Et huiusmodi aquae sunt *quae fluunt impetu de Libano,* idest de candore, quia non maculantur immunditia carnis. Deinde cum dicit, *Surge aquilo*, concludit Christus quod vult permittere tentari sponsam, ut ex hoc mereatur finem, et gloriam. Continuatur ergo sic. Tu, sponsa, potes sustinere omnes tentationes, et potes eas sustinere de facili, cum ipsae derivationes, et dona gratiarum derivata ad alios hoc possint; ideo *surge aquilo, et veni auster,* idest volo permittere, quod surgant diversa genera tentationum, et perflent, idest stimulent, *hortum meum,* idest sponsam meam; et *fluent aromata illius*, quia per tales stimulationes tu mereberis, et redolebis congruo modo. Aquilo enim est ventus frigidus, auster vero est ventus calidus; et significant omnia genera tentationum, et omnia quae possunt inclinare ad malum: quia quicumque male agit, vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore male inflammante.

## CAPUT V.

Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle

meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi. Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa? Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi ut aperirem dilecto meo. Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est. Quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi. Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem; percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos, filiae Hierusalem, si inveneritis dilectum meum mihi ut nuntietis ei quia amore languco. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum; comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus; oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident iuxta fluenta plenissima; genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis; labia eius lilia distillantia myrrham primam; manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacintis; venter eius eburneus, distinctus sapphyris; crura illius columnae marmoreae quae fundatae sunt super bases aureas; species eius ut Libani, electus ut cedri; guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Hierusalem. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum; quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum.

*Veniat dilectus meus in hortum suum.* Quoniam videt sponsa per se ipsam non posse ad sponsum converti, et mundum relinquere, et tentationes tolerare; ideo convertit se ad sponsum suum, petens eius auxilium, et subventionem. Dividitur autem haec pars in duas: quia primo ponitur sponsae petitio; secundo subiungitur Christi responsio, ibi, *Veni in hortum meum.* Continuatur autem sic. Sponsus meus me hortatur, ut convertar ad ipsum, relinquendo mundum, ut sustineam tentationes, et quod hoc de facili possum; sed, ut video, innixa meo auxilio, nullo modo sum potens ad talia. Et si dicit, me posse de facili, recognosco hoc verum esse per eius auxilium; ideo rogo, ut *veniat dilectus meus in hortum suum*, idest veniat in me, quae sum hortus eius, *et comedat*, idest benevola receptione recipiat, *fructum pomorum suorum:* quia cognosco, et cum gratiarum actione confiteor, quod fructum quem ego facio, poma, quae produco, bonarum cogitationum, affectionum, orationum, et operum, a me ipsa non facio, sed eius auxilio; ideo non sunt mea, sed sua. Deinde cum dicit, *Veni in hortum meum*, ponitur Christi responsio. Duo autem notanda posuit sponsa in petitione sua: primum quod auxilium a Christo petebat; secundum quod bona sua ab ipso recognoscebat. Christus autem respondendo sponsae suae, tria facit: primo ostendit quod petitionem praevenit; secundo bona sponsae a se esse consentit, ibi, *Messui myrrham meam;* tertio eam ad secure contemplandum inducit, ibi, *Comedite amici.* Et continuatur sic. Tu, sponsa mea, petis a me auxilium, ut veniam ad te, quae es hortus conclusus: petitionem tuam iam praeveni: et hoc est quod ait, *Soror mea sponsa, veni in hortum meum*, ita ut ly *veni* sit temporis praeteriti: unde est sensus: Ego iam *veni in hortum meum*, praeveniendo petitionem tuam, paratus ad auxilium tuum. Posset autem legi, quod ly *veni* sit imperativi modi; sed quia non bene continuaretur praecedentibus, ideo de tali sensu non est nobis ad praesens cura. Deinde cum dicit, *Messui myrrham*, ostendit Christus quomodo assentit, bona sponsae esse a se ipso: unde continuatur sic. Tu, sponsa mea, times ne deficias in certaminibus; ne timeas, quia ego *messui*, idest secavi, vel recollegi, *myrrham meam*, idest te, quae es myrrha mea propter carnis mortificationem, secundum quam potes tentationes vitare; et hoc *cum aromatibus meis*, quia (ut tactum fuit) sustinendo tentationes, ex te fluebant aromata, prout merebaris finem, et gloriam: dicitur enim Christus metere myrrham cum aromatibus, inquantum sponsa hoc facit vincendo tentationes auxilio suo: in quo Christus assentit quod hoc bonum, quod est tentationes vincere, sponsa non habet a se ipsa, sed a Christo. Postea subdit: *Comedi favum cum melle meo*, idest feci quod convertereris ad me, secundum quam conversionem gustas contemplationis dulcedinem: *bibi vinum meum cum lacte meo*, idest feci quod tu biberes *vinum cum lacte meo*, quod relinqueres mundum, quem relinquendo biberes vinum propter spiritualem laetitiam; et biberes lac, propter candorem, et munditiam. Ex quo apparet Christum confiteri, sponsam non solum habere ab ipso quod tentationes vincit, sed etiam habere ab ipso quod convertitur ad ipsum, et relinquit mundum. Et notandum, quod quia causa prima plus est influens in suum causatum, quam causa secunda; si sponsa metit myrrham, vincendo tentationes, et comedit favum cum melle, convertendo se ad Deum, et bibit vinum cum lacte, relinquendo mundum; si hoc facit, invocato auxilio Christi, qui est caput Ecclesiae, et principium, peramplius, et perfectius dicitur Christus hoc facere. Deinde cum dicit, *Comedite*, hortatur Ecclesiam ad secure contemplandum; ideo ait: Vos *amici* mei, quia ego semper sum vobiscum, absque trepidatione *comedite* spiritualem dulcedinem, *bibite* vinum spiritualis laetitiae, et *inebriamini carissimi*, ebrietate spiritus, in contemplationis dulcedine persistendo. Notandum autem, quod Christus prius loquutus est Ecclesiae in singulari, cum dixit: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa;* nunc autem loquitur ei in plurali dicens, *Comedite amici.* Cuius ratio est, quia licet Ecclesia in comparatione ad

Christum, cuius est sponsa, sit una, quia unius sponsi debet esse una sponsa; tamen quia dulcedo Christi non uniformiter recipitur in tota Ecclesia, quia dulcedo contemplationis aliquando in uno causatur ex maiestate, aliquando in alio ex pietate, in alio ex sapientiae profunditate *2. 2. q. 180. ar. 4.* propter hoc dicitur Ecclesia in plurali comedere, et bibere.

*Ego dormio, et cor meum vigilat.* Postquam descriptus est status Ecclesiae modernae quantum ad contemplationem, hic describitur quantum ad actionem, sive quantum ad filiorum ministrationem. Et notandum, Christum sic hortari Ecclesiam ad contemplandum, quod tamen eam invitat ad filiis ministrandum. Et ideo dixit: *Comedite amici, bibite, et inebriamini carissimi.* In quo hortatur Ecclesiam ad contemplationem. Hic autem tamquam bonus sponsus, habens curam filiorum, eam invitat ad ministrandum filiis. Et dividitur pars ista in duas: quia primo ponitur Ecclesiae contemplatio; secundo subiungitur Christi exhortatio, secundum quam invitat Ecclesiam surgere a contemplatione ad actionem, ibi, *Vox dilecti mei.* Contemplatio autem Ecclesiae designatur cum dicitur: *Ego dormio, et cor meum vigilat:* viri enim contemplativi dicuntur dormire, quia quiescunt a sensibilibus, et exterioribus; tamen secundum cor vigilant, quia magis sunt apti ad percipiendum intrinsecus inspirationes, et divinos influxus: quia (ut superius tactum est) sicut caeci non intenti visibilibus, melius memorantur; sic viri contemplativi, non intenti exterioribus, magis percipiunt interiores inspirationes. Deinde cum dicit, *Vox dilecti mei pulsantis*, ponitur Christi invitatio. Et dividitur pars ista in partes duas: quia primo ponitur huiusmodi invitatio; secundo ponitur sponsae excusatio, ibi, *Expoliavi me.* Circa primum duo facit: quia primo ponitur praedicta invitatio; secundo subiungitur invitationis ratio, ibi, *Caput meum.* Continuatur sic. Me existente in contemplatione, audita est in me *vox dilecti mei*, idest vox Christi, *pulsantis*, et dicentis: *O soror mea*, propter naturae conformitatem, *amica mea*, propter caritatem, *columba mea*, propter cordis simplicitatem, surge a statu contemplationis, *aperi mihi*, praedicando filiis meis, aperiendo corda eorum, ut possim intrare ad eos. Notandum autem, quod Ecclesia per vitam activam, exercendo praedicationis officium, dupliciter aperit Christo: primo in ipsis fidelibus, quia *quod uni ex minimis meis fecistis*, dicit Christus *Matth. 25.*, *mihi fecistis.* Rursum etiam ipsi Christo aperimus, quando per praedicationem cor alicuius aperitur, per quam apertionem ipse Christus intrat ad illum. Deinde cum dicit, *Quia caput meum plenum est rore*, assignat rationem dictae invitationis. Rogo, sponsa mea, ut mihi aperias, praedicando fidei veritatem, et morum honestatem: *quia caput meum*, idest intellectus meus, *plenum est rore* infidelitatis, *et cincinni mei*, idest capilli, sive affectiones meae sunt plenae *guttis noctium*, idest frigiditate, et obscuritate peccatorum, quae per noctes intelliguntur ratione privationis, quae est essentialis cuiuslibet malitiae: et quia *qui male agit, odit lucem: Io. 3.* Notandum autem, quod intellectus potest dici caput, et voluntas potest dici caput, ratione dominii; secundum quem modum qui dominatur aliis, caput eorum esse dicitur, quia voluntas in Regno animae dominari videtur, quia ceterae potentiae exeunt in actiones suas secundum imperium voluntatis; et sic voluntas dicitur caput. Si vero consideremus caput, prout in eo viget cognitio, et sensus; et quia cetera membra diriguntur in actiones suas per caput, cum dirigere sit rationis; sic ratio, et intellectus merentur nomen capitis. Propter quod non est inconveniens quod per caput intelligatur intellectus, et per capillos radicatos in capite designentur affectiones radicatae in voluntate: unde non solum intellectus, sed etiam voluntas potest dici caput. Deinde cum dicit, *Expoliavi me tunica mea*, ponitur sponsae excusatio: et dividitur pars ista in partes tres: quia primo ponitur huiusmodi excusatio; secundo subiungitur Christi attractio, ibi, *Dilectus meus;* tertio per huiusmodi attractionem ponitur sponsae famulatio, ibi, *Surrexi, ut aperirem.* Continuatur autem sic. Tu, dilecte mi, invitas me, ut habeam curam filiorum, et a statu contemplationis, propter quam dimisi temporalia, redeam ad statum actionis, secundum quam de temporalibus curam habueram; sed ego *expoliavi me tunica mea*, idest dimisi ista temporalia; *quomodo induar illa?* idest quomodo revertar ad habendam iterum curam temporalium? quasi dicat: Grave est mihi. *Lavi pedes meos*, idest affectiones meas, quae dicuntur pedes, quia per eas venitur ad te. Huiusmodi affectiones lavi, quia non solum dimisi temporalia, sed etiam dimisi voluntatem habendi ea; *quomodo inquinabo illos?* idest quomodo inquinabo pedes meos, idest affectiones meas, volendo iterum habere curam temporalium? Deinde cum dicit, *Dilectus meus misit manum suam per foramen,* ponitur Christi attractio: nam licet sponsa se excusaret, tamen tanta fuit potentia Christi quod virtute sua eam attraxit, voluntatem suam inclinando, ut vellet habere curam filiorum. Continuatur sic. Ego sponsa me excusabam, ne redirem ad activam vitam; sed *Dilectus meus* Christus, qui est potentiae infinitae, *misit manum suam per foramen,* idest intellectum, vel affectum: quia intellectus, vel etiam affectus sunt quasi quaedam foramina, et rimulae per quas ad nos Christus ingreditur. *Et ad tactum eius*, idest ad istam immissionem virtutis, secundum quam me Christus tetigit, *venter meus*, idest mollior pars in me, *intremuit*, idest prae timore obstupuit, non audens renuere quod sponsus vult; quasi dicat: Tanta fuit virtus Christi quod non solum fortiores partes animae fuerunt paratae ad obediendum Christo, sed etiam debiliores. Deinde dicit: *Surrexi ut aperirem dilecto:* quia, ut dictum est, tanta fuit virtus Christi, quod totam sponsam convertit ad suam voluntatem; ideo hic ponitur sponsae confessio, et officii, ad quod invitata fuit, devota susceptio, scilicet curae filiorum. Et quia, ut superius tangebatur, ex administratione filiorum circa exteriora fit distractio in mente; ideo duo facit: quia primo ponitur sponsae famulatio; secundo additur mentis distractio, ibi, *Pessulum ostii mei.* Continuatur sic. Ita sponsus attraxit me: unde non volens, vel valens resistere ei, *surrexi* a contemplatione, *ut aperirem dilecto meo* per praedicationem; et non solum aperui ei praedicando verbo, sed etiam praedicando exemplo; ideo subditur: *Manus meae*, idest operationes meae, *stillaverunt myrrham*, idest carnis mortificationem, quae per myrrham intelligitur, ut superius dictum est, inquantum aliquando

exemplo mearum operationum moti egerunt poenitentiam, mortificando carnem suam: quia sic alios debemus inducere ad poenitentiam, quod etiam nobis poenitentiam servare debemus. Ideo subdit: *Et digiti mei pleni myrrha probatissima;* quasi dicat: *Manus meae stillaverunt myrrham*, quia alii quasdam stillas, quasdam guttas perceperunt poenitentiae meae, portando in carne sua; sed *digiti mei*, idest diversae operationes meae, quae dicuntur digiti propter discretionem, ut Glossa tangit, remanserunt *pleni myrrha probatissima:* quia excellentiorem poenitentiam in corpore meo portavi, quam aliis ostenderem. Deinde cum dicit, *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, narrat sponsa mentis suae distractionem. Et notandum, quod quando homo est in mente distractus, et non potest gustare illam dulcedinem quam prius sentit, debet reverti ad intima cordis sui, inquirendo Christum, discutiendo cogitationes, et affectiones. Et quia in tali inquisitione, et discussione occupatur homo aliquando vanis, et variis cogitationibus, quae dicuntur *vigiles civitatis*, debet huiusmodi vanas cogitationes abiicere, et Christum diligenter inquirere. Et si non potest ipsum per se ipsum invenire, debet aliorum auxilium exposcere. Secundum hunc ordinem pars ista dividitur in partes quatuor: quia primo ponitur mentis distractio; secundo additur duplex Christi inquisitio, ibi, *Anima mea;* tertio innuitur vanarum cogitationum occupatio, ibi, *Invenerunt;* quarto ponitur suffragii quaesitio, ibi, *Adiuro vos.* Continuatur sic. Ego sponsa, postquam aperueram ostium aliis praedicando, et intenta fueram circa aliorum profectum, volui intendere profectui meo, redeundo ad statum contemplationis: propter quod *aperui dilecto meo*, idest Christo, *pessulum ostii mei.* Pessulum dicimus vectem cum quo ostium clauditur; et potest hoc significare curam temporalium, quam debet praelatus ad tempus removere a se, ut possit redire ad contemplationem, aperiendo ostium suum Christo. Verum quia propter temporalium curam ut plurimum praelatus distrahitur secundum mentem, et Christum non invenit, ait: *At ille*, idest Christus, *declinaverat, atque transierat:* quia distracta in mente non inveni sponsum meum Christum, ut volebam. Deinde cum dicit, *Anima mea liquefacta est*, ponitur Christi inquisitio. Notandum autem, quod cum a statu actionis quis ad contemplationem redit, si Christum non invenit, ut vult, inter cetera quae stimulant ipsum ut Christum quaerat, est memoria praeteritae dulcedinis: nam cum homo sentit se aliquando in oratione gustasse dulcedinem, si postea ad orationem rediens non potest tantam sentire dulcedinem quantam prius, ex memoria talis dulcedinis stimulatur ad discutiendum tales suas cogitationes, et affectiones utrum secundum eas displicuerit Christo, ut possit invenire causam quare nunc non possit sentire illam dulcedinem quam prius senserat. Ideo ait: *Anima mea liquefacta est*, propter dulcedinem contemplationis, *ut dilectus loquutus est*, idest quando dilectus in oratione loquebatur mihi, et ego sibi. Et quia talem liquefactionem modo non sentio, rediens ad conscientiam, Christum *non inveni.* Unde memorata dictae dulcedinis *quaesivi* Christum discutiendo cogitationes intellectus, *et non inveni illum; vocavi* eum per desideria affectus, *et non respondit mihi.* Deinde cum dicit, *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem*, postquam narravit Christi inquisitionem, et non inventionem, narrat variarum cogitationum occupationem. Ad cuius evidentiam notandum, Ecclesiam primitivam habuisse aliquo modo maiores turbationes, et aliquo modo minores, quam modernam: nam quantum ad persecutionem plus turbata est illa quam ista, quia modo cessaverunt saevitiae tyrannorum; sed quantum ad distractionem plus turbatur ista quam illa, quia modo Ecclesia maximis divitiis est dotata; ideo plus distrahitur interius propter curam temporalium, quam distracta fuerit primitiva Ecclesia. Ideo superius *cap. 3.* quando narrabatur distractio Ecclesiae primitivae, simpliciter dicebatur, quod in lectulo suo quaesivit Christum; hic autem dictum est: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, quia, ad litteram, curae temporalium faciunt quoddam obstaculum, et pessulum in ostio mentis; quod oportet amovere, si Christum invenire volumus. Rursum ibi dicebatur: *Quaesivi illum, et non inveni;* hic autem dicitur, quod sponsus declinavit, atque transivit; et quod quaesivit, et non invenit; vocavit eum, et non respondit. In quo ostendit se Ecclesia moderna esse magis elongatam a Christo quam fuerit primitiva. Tertio ibi dicebatur simpliciter, quod invenerunt sponsam vigiles qui custodiebant civitatem; hic autem dicitur: *Invenerunt me custodes, qui* circumeunt *civitatem*, idest invenerunt me variae cogitationes; et huiusmodi variae cogitationes *percusserunt me, vulneraverunt me, et tulerunt pallium meum* huiusmodi cogitationes, quae sunt *custodes murorum.* In quo ostendit moderna Ecclesia se magis involvi vanis cogitationibus, quam fuerit primitiva: quod etiam designatur, quia primitiva Ecclesia per se ipsam inveniebat; unde dicebat *cap. 3. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea;* hic autem Ecclesia moderna, ut possit Christum invenire, exposcit auxilium filiarum, cum dicit: *Adiuro vos, filiae Hierusalem.* Notandum autem, quod cogitationes, sive *vigiles civitatis*, nos percutiunt, quando eis damus auditum; nos vulnerant, quando eis delectamur; sed nobis accipiunt pallium, expoliando nos virtutibus, et donis, quando eis consentimus. Deinde cum dicit, *Adiuro vos*, sponsa, ut possit invenire Christum, exposcit auxilium filiarum; haec autem petitio est ad profectum Ecclesiae, et ad profectum filiarum: ad profectum Ecclesiae, inquantum propter preces filiarum sponsus aliqua bona largitur Ecclesiae; ad profectum filiarum est, quia propter adiurationem matris moventur filiae, ut ardentius Christum quaerant. Ideo duo facit: quia primo ponitur huiusmodi adiuratio; secundo subiungitur ardentior filiarum inquisitio, ibi, *Qualis est dilectus tuus?* Continuatur sic. *O filiae Hierusalem*, quia propter vos causam vestram suscepi, ex qua cura cum distracta conscientia quaesivi Christum sponsum meum, et non inveni; ideo *adiuro vos*, idest obsecro vos, *si inveneritis dilectum meum*, quia forte in orationibus vestris loquitur vobis, quia non estis tantum intentae exterioribus, qui non loquitur mihi, eo quod sum magis intenta vobis: si ergo contingat hoc, rogo *ut nuntietis ei, quia amore langueo;* idest propter amorem deficio, volo in amorem eius rapi, et dulcedinem contemplationis eius sentire, et non valeo, sed deficio.

*Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* In parte ista ponitur filiarum ardens inquisitio. Et di-

viditur pars ista in partes duas : quia primo filiae Hierusalem inquirunt a matre sua, idest ab Ecclesia, qualis sit Christus sponsus eius, ut cognoscant eius bonitatem ; secundo quaerunt ubi sit, ut habeant eius societatem, ibi, *Quo abiit dilectus tuus ?* Habent autem se hae duae quaestiones per ordinem : quia prius est cognoscere quale aliquid sit, ut cognoscens eius bonitatem, eam desideret, et eius desiderio motus eam quaerat; secundo quaerit ubi sit eius bonitas, ut eam adipisci valeat. Prima pars dividitur in partes tres : quia primo quaerit qualis sit Christus secundum divinitatem, ibi, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ?* secundo qualis sit secundum humanitatem, ibi, *Qualis est dilectus tuus?* tertio assignat rationem quaestionum factarum, ibi, *Quia sic adiurasti nos.* Continuatur sic. *O pulcherrima mulierum*, sponsa Christi, *qualis est dilectus tuus ex dilecto ?* Nam Pater non est *dilectus ex dilecto*, quia a nullo ; Spiritus sanctus est dilectus ex dilectis, quia a pluribus, ut a Patre, et Filio ; solus autem Filius est *dilectus ex dilecto.* Deinde cum dicit, *Qualis est dilectus tuus ?* quaerit qualis est Christus secundum humanitatem : unde non addit ibi, *ex dilecto*, quia sicut nascendo secundum divinam naturam est sine matre, sic quodammodo nascendo secundum humanam naturam est sine patre : nam cum filius debeat esse similis patri in natura, cum nullus homo fuerit pater Christi, dicere possumus, aliquo modo Christum, secundum quod homo, non habuisse patrem. Deinde cum dicit, *Quia sic adiurasti nos*, assignat causam dictarum quaestionum. Continuatur sic. Ideo quaerimus qualis sit dilectus tuus, vel sponsus secundum divinitatem, et qualis sit secundum humanitatem, quia tu movisti desiderium nostrum ad hoc: *quia sic adiurasti nos*, idest sic nos obsecrasti. Deinde cum dicit, *Dilectus meus candidus* ponitur sponsae responsio; in quo facit quatuor : quia primo ostendit qualis sit Christus secundum divinitatem ; secundo qualis sit secundum humanitatem, ibi, *Caput eius aureum ;* tertio qualis sit secundum utramque, ibi, *Species eius ut Libani ;* quarto epilogat dicta, ibi, *Talis est dilectus meus.* Declarat ergo primo qualis sit Christus secundum divinitatem : Christus enim secundum divinitatem tripliciter potest considerari, vel declarari : primo in comparatione ad Patrem ; secundo in comparatione ad Spiritum sanctum; tertio in comparatione ad nos. Prout autem comparatur ad Patrem, est genitus ab eo, et procedit per modum intellectus ; et dicitur lux, et candor; et quantum ad hoc ait : *Dilectus meus candidus.* Prout vero comparatur ad Spiritum sanctum, sic spirat ignem amoris ; et quantum ad hoc subdit, *Et rubicundus*, ardore caritatis, et amoris procedentis ab ipso. Prout vero comparatur ad nos, ipse est filius naturalis, nos autem adoptivi ; ideo subdit, *Electus ex millibus.* Deinde cum dicit, *Caput eius aurum optimum*, ostendit qualis sit Christus secundum humanitatem; et duo facit : quia primo ostendit qualis sit Christus in se ; secundo qualis sit in suis membris, ibi, *Comae eius.* Christus autem secundum humanitatem est caput nostrum, quia caput debet esse eiusdem naturae cum membris ; quod non competit Christo secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Hoc autem caput est *aurum optimum*, quia contagione peccati non fuit maculatum, nam in omnes secundum communem legem nascentes transit originale peccatum, praeterquam in ipsum qui non communi lege concupiscentiae, sed de Virgine Spiritu sancto conceptus est, et natus. Deinde cum dicit, *Comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus*, declarat qualis sit Christus secundum membra eius. Membra autem Christi dupliciter possunt dividi ; scilicet secundum materiam doctrinae, et vitae. Duo ergo facit : nam primo declarat membra Christi ratione doctrinae ; secundo ratione diversitatis vitae, ibi, *Manus illius.* Differentia autem doctrinae in membris Christi est quadruplex : quia primo sunt Apostoli ; secundo Prophetae, qui magis procul viderunt Christum quam Apostoli; tertio sunt Doctores, qui accipientes dicta Apostolorum, et Prophetarum docent ; quarto et ultimo sunt Praedicatores ; qui ut audiunt a Doctoribus, sic referunt populo. Quatuor ergo facit : quia primo declarat quales sunt Apostoli, ibi, *Comae eius ;* secundo, quales sunt Prophetae, ibi, *Oculi eius ;* tertio quales sunt Doctores, ibi, *Genae illius ;* quarto quales sunt Praedicatores, ibi, *Labia eius.* Dicit ergo primo, *Comae eius*, idest Apostoli ( qui dicuntur comae, vel capilli, quia immediate adhaeserunt Christo capiti ) *quasi elatae palmarum*, quia erectae sunt superius huiusmodi comae, idest Apostoli, sicut palmae, unde sunt ad modum *elatae palmarum.* Vel *elatae palmarum* sunt quaedam arbores ad modum palmarum, et sunt aromaticae ; et significant Apostolos propter odorem bonae famae : unde alia translatio ( ut dicit Glossa ) *Crines eius abietes ;* ita quod per abietes intelligamus arbores aromaticas, non illas unde aedificia fiunt. Et addit, quod huiusmodi comae sunt *nigrae quasi corvus ;* quod potest esse dictum ratione persecutionis, quam passa fuit Ecclesia tempore Apostolorum. Deinde cum dicit, *Oculi eius sicut columbae*, ostendit quales sunt Prophetae, qui dicuntur *oculi* ratione visionis, iuxta illud *I. Reg. 9. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Hi autem *oculi* sunt *sicut columbae* propter aenigmaticam cognitionem : nam sicut columbae iuxta fluenta aquarum vident in aquis speciem accipitris venientis ; sic Prophetae in aquis ( quia per aenigmata ) videbant insidias diaboli, et praecavendas populo annuntiabant. Addit autem quod hae columbae sunt *lotae lacte*, propter munditiam : nam licet cognitio Prophetarum esset aenigmatica, erat tamen munda ab omni cogitatione erroris. Et subdit : *Et resident iuxta fluenta plenissima*, ratione revelationis : quod enim viderunt Prophetae, habuerunt per inspirationem divinam, ex quo sunt fluenta plenissima Scripturarum. Deinde cum dicit, *Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis*, ostendit quales sunt doctores qui sunt *genae* masticantes cibum doctrinae. Hae autem *genae* sunt *sicut areolae*, idest parvae areae, *aromatum*, quia in doctoribus, quasi in quibusdam parvis areis, Scripturarum aromata triturantur, et confringuntur, inquantum doctores ea quae sunt in sacro Canone quasi in magna area docent alios secundum modum eis proportionatum. Et huiusmodi parvae areae sunt *consitae*, idest constitutae, et ordinatae *a pigmentariis*, idest a Prophetis, et Apostolis, a quibus accipientes doctrinam alios docent. Dicuntur autem Apostoli, et Prophetae *pigmentarii* ratione plenitudinis

scientiarum. Deinde cum dicit, *Labia eius*, ostendit, quales sunt Praedicatores, qui sunt *labia* referentia quae a doctoribus audierunt. Haec autem *labia* sunt *distillantia myrrham*, idest praedicantia voluntariam paupertatem, vel voluntariam poenitentiam, quae dicitur myrrha ratione amaritudinis. Et dicit, *Myrrham primam*, quia ad litteram ex arbusta myrrhae fluit quaedam gutta, vel quidam liquor dicitur *prima myrrha*, et significat poenitentiam voluntariam : et postquam desistit talis liquor fluere a dicta arbusta, inciditur, et fluit inde ratione incisionis alius liquor, qui dicitur myrrha secunda, quae non est adeo electa. Deinde cum dicit, *Manus illius tornatiles*, declarat membra Christi, ut distinguuntur secundum varietatem vitae ; quod est tripliciter: quia quidam sunt activi, quidam contemplativi, quidam vero habent utramque vitam, ut praelati. Ideo tria facit : primo describit activos ; secundo contemplativos, ibi, *Venter eius;* tertio praelatos, ibi, *Crura illius.* Dicit ergo primo, *Manus illius;* idest activi, qui dicuntur manus, quia hae sunt principale instrumentum ad agendum, vel operandum, sunt *tornatiles*, ad operandum faciliter bona, rotundum enim est facile mobile ; et sunt *aureae*, quia non sufficit ut ea fiant quae sunt de genere bonorum, nisi fiant ex habitu caritatis, quae designatur per aurum, quod habet colorem rubeum, et ignitum. Rursum hae *manus* sunt *plenae hyacinthis* propter rectam intentionem, quae requiritur ad quodlibet opus bonum: hyacinthus enim est lapis pretiosus habens colorem caelestem ; et significat rectitudinem intentionis, quia sursum ad caelum Trinitatis debemus intentionem nostram erigere in quolibet bono opere. Deinde cum dicit, *Venter eius eburneus distinctus sapphyris*, ostendit quales sunt contemplativi, dicens, *Venter eius*, idest contemplativi, qui sunt venter plenus spirituali cibo, quia ipsi potissime replentur spirituali dulcedine. Hic autem *venter* est *eburneus* ratione munditiae, quia ipsi maxime sunt separati a terrenis coinquinationibus hominum: Et huiusmodi venter est *distinctus*, idest artificiatus, caelatus, vel *distinctus sapphyris*, propter divinam adhaesionem: sapphyrus enim est lapis pretiosus habens colorem caelestem, sicut hyacinthus ; quod maxime et potissime competit contemplativis: igitur maxime adhaerent supremo cibo. Deinde cum dicit, *Crura illius columnae marmoreae*, declarat quales sunt praelati, dicens: *Crura illius*, idest praelati, qui dicuntur *crura*, quia alios portant; et haec *crura* sunt *columnae* propter rectitudinem, sunt *marmoreae* propter firmitatem, *sunt fundatae super bases aureas* propter caritatem. Unde si inveniantur praelati carentes istis, magis sunt crura diaboli quam crura Christi. Deinde cum dicit, *Species eius ut Libani*, ostendit qualis sit Christus secundum humanitatem, et divinitatem simul. Et tangit tria, quae competunt ei secundum utramque naturam. Et primum est speciositas : nam inquantum homo est speciosus, iuxta illud *Psalm. 44. Speciosus forma prae filiis hominum :* inquantum Deus, est speciosus, quia est *splendor gloriae: Hebraeor. 1.* et quia est vera sapientia, de qua *Sapientiae 7. Est speciosior sole, et super omnem stellarum dispositionem.* Secundum quod competit ei, est incorruptibilitas; et hoc etiam ut est homo, iuxta illud *Psalm. 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* et inquantum Deus etiam, ut est vera sapientia: *Sapien. 6. Clara est et numquam marcescit sapientia.* Tertium quod competit ei secundum humanitatem et divinitatem, est dulcedo, et suavitas: quia homo in caelesti patria *ingredietur*, contemplando divinitatem, *et egredietur*, contemplando Christi humanitatem; et utrobique *pascua inveniet Ioan. 10.* idest plenam suavitate refectionem. Haec autem tria tanguntur in parte ista: nam speciositas tangitur cum dicitur, *Species eius ut Libani*, idest pulchritudo eius clara, et lucida; incorruptibilitas, cum subiungitur, *Electus ut cedri:* cedrus enim dicitur arbor imputribilis; suavitas autem manifestatur cum subinfertur, *Guttur illius suavissimum*, idest dulcedo eius suavissima: ideo additur, quod est totus desiderabilis secundum humanitatem, et divinitatem; et concludit: *Talis est dilectus meus*, ad se attrahens amorem meum; *et ipse est amicus meus*, impertiens mihi amorem suum.

*Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ?* Postquam quaesierunt filiae Hierusalem qualis esset dilectus Ecclesiae, ut eum agnoscerent; hic quaerunt ubi sit, ut eius habeant societatem. Dividitur autem haec pars in duas : quia primo ponitur dicta quaestio ; secundo subiungitur sponsae responsio, ibi *cap. 6. Dilectus meus descendit.* Circa primum notandum, quod Christus secundum divinitatem abit, et elevatur a nobis; secundum vero humanitatem descendit, et declinat ad nos. In prima ergo parte tria tanguntur : quia primo quaeritur ubi sit Christus secundum divinitatem; secundo ubi sit secundum humanitatem, cum dicit, *Quo declinavit dilectus tuus ?* tertio assignatur utriusque ratio, cum subinfertur, *Et quaeremus eum tecum;* quasi dicat : Ob hoc volumus scire ubi sit ut habeamus eius societatem tecum.

## CAPITIS VI.

### PARS PRIOR.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum quae apparuerunt de Galaad; dentes tui sicut greges ovium quae ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis. Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae; et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt ; Reginae, et concubinae laudaverunt eam. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?

Deinde cum dicit, *Dilectus meus*, ponitur sponsae responsio. Ad cuius evidentiam notandum, quod *ubi* cuiuslibet rei acceptum proprie non competit ei secundum naturam, inquantum huiusmodi: nam natura, ut natura est, non habet *ubi*, nec quod sit in loco. Sed si *ubi* accipiatur large, sic *ubi* cuiuslibet naturae sunt propria principia definientia ipsam: dicuntur enim talia ipsum *ubi* naturae, quia sicut nihil est de re extra suum *ubi*, sic nihil est de re extra sua principia. Et non solum accipiendo proprie, sed etiam large, ipse Christus secundum divinitatem non clauditur ab aliquo *ubi*, quia natura eius divina est infinita, nullis limitibus circumscripta; secundum humanitatem vero competit sibi, cum eius humanitas sit finita, et intra principia suae speciei sit clausa. Et ideo non respondet sponsa ad quaestionem illam *cap. 5. Quo abiit dilectus tuus?* ubi quaeritur de divinitate; sed respondet ad illam qua dicitur *ibidem: Quo declinavit*, vel quo descendit, *dilectus tuus?* ubi quaerebatur de eius humanitate. In dando autem suam responsionem tria facit: quia primo dat suam responsionem; secundo subiungit responsionis rationem, ibi, *Ut pascatur;* tertio ostendit, se ad Christum habere veram dilectionem, ibi, *Ego dilecto meo.* Continuatur sic. Vos, filiae Hierusalem, quaesivistis a me, *quo abiit dilectus meus:* quaesivistis etiam a me, *quo descendit.* Ad primam quaestionem non respondeo, quia non possum; ad secundam quaestionem respondens dico, quod *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum;* idest descendit in Ecclesiam, quae est hortus suus, *ad areolam*, idest ad B. Virginem, quae est area plena aromatibus virtutum, et donorum assumendo carnem in ipsa, secundum quam carnem conversatus est mecum, quae sum hortus, et Ecclesia sua. Deinde cum dicit, *Ut ibi pascatur in hortis*, idest, ut delectetur in bonis operibus nostris, ut dicit Glossa, nos ad bonum promovendo; *et lilia colligat*, idest electos ad suum beneplacitum congregando. Deinde cum dicit, *Ego dilecto meo*, ostendit, se veram dilectionem habere ad Christum, dicens: *Ego dilecto meo*, scilicet locum receptionis ego praeparo in me, ut Glossa supplet; *et dilectus meus mihi*, praeparat apud se locum receptionis meae, ut ille *qui pascitur inter lilia*, idest inter munda desideria, sit in me, et ego in eo. In quo ostendit, se ad Christum veram habere dilectionem, et Christum veram ad eam, quia *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo: Ioan. 4.* Deinde cum dicit, *Pulchra es, amica mea,* determinat de Ecclesiae unitate, vel removet quamdam quaestionem, quae posset oriri ex praedictis: dictum est enim, in Ecclesia esse diversos status, quia aliqui sunt incipientes, aliqui proficientes, aliqui perfecti. Rursum dictum est, quod ad unum et eumdem statum multa requiruntur, quia secundum quemlibet statum est dare aliqualem pulchritudinem substantiae, virtutis, et operationis; et in operationibus maxime est dare multiplicem diversitatem. Et quia tanta diversitas est in Ecclesia, vult Christus ostendere, suam sponsam esse unam, cuius unitas propter talem diversitatem non tollitur. Et duo facit: quia primo repetit ea quae in Ecclesia videntur facere diversitatem; secundo ostendit, hoc non impedire Ecclesiae unitatem, ibi, *Una est columba mea.* Prima pars dividitur in duas, secundum quod duo videntur impedire Ecclesiae unitatem: videlicet diversitas eorum quae requiruntur ad quemlibet statum; secundo diversitas ipsorum statuum, ibi, *Sexaginta sunt Reginae.* Prima pars dividitur in partes tres, secundum quod ad quemlibet statum tria requiruntur; scilicet pulchritudo substantiae, virtutis, et operationis. Et haec omnia quodammodo sunt tacta superius; ideo reiterare ista est quodammodo repetere quae superius fuerunt tacta. Primo ergo narrat pulchritudinem quam requirit Ecclesia quantum ad substantiam; secundo quantum ad virtutem, ibi, *Terribilis ut castrorum acies;* tertio quantum ad operationem, ibi, *Capilli.* Dicit ergo: *Pulchra es, amica mea,* quantum ad substantiam exteriorem, *suavis, et decora, sicut Hierusalem,* idest sicut Ecclesia primitiva quantum ad substantiam interiorem: quia illa Ecclesia *formosa*, et pulchra erat interius, licet *nigra* esset exterius propter persecutionem; nunc autem cessavit persecutio, et idcirco exterius est pulchra. Deinde cum dicit, *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, ostendit eam habere pulchritudinem quantum ad virtutem. Et quia pulchritudo est per divinas inspirationes; ideo dicit tollendas esse rationes, quod facit ibi, *Averte oculos tuos.* Dicit ergo, quod Ecclesia propter magnitudinem, et excellentem pulchritudinem est *terribilis ut castrorum acies ordinata*, quae adversarios non timet propter potentiam quam habet ex divino auxilio, et eius inspiratione. Deinde cum dicit, *Averte oculos tuos*, idest tolle rationes secundum quas vis me inquirere, quia ipsi oculi, idest rationes tuae, *me avolare fecerunt*, eo quod deficiunt ipsae rationes ab inquisitione mea: quod concordat cum eo quod habetur *in Ps. 63. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Quia quanto Deum per rationes naturales investigare volumus, tanto magis recedit a nobis. Bonae autem sunt rationes ad fidem defendendam; ad fidem autem probandam sunt tollendae *2. 2. q. 1. ar. 5.* Quod ergo sumus terribiles ad fidem adstruendam, et defendendam per sapientiam divinam, et miracula, hoc habemus ex gratia, et inspiratione divina praecipue.

Deinde cum dicit, *Capilli tui*, narrat primo pulchritudinem quam habet ex operationibus affectus; secundo quam habet ex operationibus intellectus, ibi, *Sicut cortex.* Dicit ergo: *Capilli tui*, idest affectiones tuae sunt *sicut grex caprarum, quae apparuerunt,* vel descenderunt, *de Galaad.* Exponatur sicut superius est expositum. Deinde cum dicit, *Dentes tui*, narrat pulchritudinem ex parte operationum intellectivarum, dicens: *Dentes tui* sunt *sicut grex ovium* (supple, tonsarum) *quae ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.* Hoc etiam expositum est superius. Deinde cum dicit, *Sicut cortex mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis*, repetit pulchritudinem operum dicens: *Genae tuae*, idest operationes exteriores, sunt *sicut cortex mali punici*, continens grana rubea, idest fervorem caritatis, *absque occultis tuis*, idest absque eo quod intrinsecus latet: quia non solum es pulchra quantum ad exteriora, sed etiam quantum ad interiora. Deinde cum dicit, *Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae*, narrat diversitatem Ecclesiae ex parte status. Status autem diversitatis potest multipliciter accipi. Primo ex diversitate perfectionis; et sic distinguitur, quia quidam sunt

incipientes, quidam proficientes, quidam perfecti: vel ex parte vitae, quia quidam sunt activi, quidam contemplativi: vel ex parte fructus, quia quidam faciunt fructum centesimum, ut virgines; quidam sexagesimum, ut viduae; quidam trigesimum, ut coniugati. Et hanc diversitatem describit; ideo ait: *Reginae*, idest virgines, quae optime se rexerunt, *sunt sexaginta*, idest sunt in numero parvo, et excellenti. Sexaginta, cum hoc quod est numerus parvus, est tamen numerus superabundans, quia partes eius aliquotae simul sumptae reddunt plus quam totum, et designant statum virginalem, quia virgines comparative sunt paucae, et in fructu excellunt alios. *Concubinae* autem, idest viduae, quae dicuntur concubinae, quia habuerunt aliquando virum alium, quam Christum, sunt *octoginta*, qui est numerus maior quantitate sexaginta, et minor virtute, quia non est numerus ita superabundans, si considerentur eius partes aliquotae; et designat statum vidualem, in quo sunt plures quam in statu virginali, sed non faciunt tantum fructum. *Et adolescentularum*, idest imperfectorum, sive viventium in statu coniugali, *non est numerus*, quia tales quantitate excellunt alios, sed virtute deficiunt ab eis. Potest autem per ea quae dicta sunt, diversitas Ecclesiae aliter assignari; sed de hoc nihil ad praesens, quia continuationem excluderemus. Deinde cum dicit, *Una est columba mea*, ostendit, ista non impedire Ecclesiae unitatem: et duo facit, secundum quod duo narrata sunt quae videntur impedire huiusmodi unitatem. Primo enim ostendit quod huiusmodi unitas non impeditur ex diversitate eorum quae requiruntur ad quemlibet statum; secundo quod non impedit eam diversitas status, ibi, *Viderunt eam*. Propter primum notandum, quod Ecclesia universalis est quadrupliciter unita: primo in fide, quia una est fides omnium; secundo in caritate, quia unum vinculum amoris omnes qui sunt in Ecclesia connectit; tertio in gratia, quae potest dici mater nostra, quia ab ea habemus esse spirituale; quarto unitur Ecclesia in fine, quia omnes tendimus ad caelestem Hierusalem, quae potest dici genitrix nostra, quia eam imitari debemus, ut filiae imitantur genitricem suam. Continuetur sic. Habitum est quod tanta diversitas est in Ecclesia, quia in quolibet statu in tota universali Ecclesia est dare pulchritudinem substantiae, virtutis, et operationis; et est dare tantam diversitatem operum; non tamen propter hoc tollitur Ecclesiae unitas, quia omnia ista uniuntur per fidem, uniuntur in caritate, in gratia, in fine. Et si per haec uniuntur ea quae sunt diversarum personarum, multo magis uniuntur substantia, virtus, et operatio, quae ad unam personam pertinere possunt. Et hoc est quod ait, *Una est columba mea*, propter fidei unitatem, quae designatur in columba, quae est animal simplex: sic fides Ecclesiae simplex est sine plica erroris; et etiam quia simpliciter assentimur his quae sunt fidei, cum eis non assentiamur propter discursum: subditur: *Una est perfecta mea*, propter caritatem, quia caritas est vinculum perfectionis: et addit: *Una est matris suae*, ratione gratiae, a qua sicut a matre habemus esse spirituale: *electa genitrici suae*, propter unitatem finis, quia substantiam nostram, virtutem, et operationem, et totum quod in nobis est, secundum mensuram fidei, et ordinem caritatis, et perfectionem gratiae, ordinare debemus ad illam caelestem Hierusalem, quam quasi genitricem imitari debemus. Deinde cum dicit, *Viderunt eam*, postquam ostendit, unitatem Ecclesiae non impediri propter diversitatem substantiae, virtutis, et operationum occurrentium ad quemlibet statum, et existentium in qualibet persona, et in quolibet membro Ecclesiae; hic ostendit, huiusmodi unitatem non impediri propter diversitatem statuum, vel etiam personarum; et hoc sic. Nam extra Ecclesiam in nullo statu est salus, nec aliqua persona salvatur, nisi intra unitatem Ecclesiae; ideo *Reginae, et concubinae, filiae*, vel adolescentulae, et omnes qui sunt in Ecclesia, cuiuslibet status, cuiuscumque conditionis existant, intantum salvantur, inquantum *laudant*, et approbant, *et beatissimam praedicant* unam catholicam Ecclesiam, fide, et caritate unitam; et ideo licet diversi status sint, una tamen est Ecclesia, in qua omnes isti status salvantur. Hoc est ergo quod ait: *Filiae*, vel adolescentulae, *viderunt eam*, idest viderunt Ecclesiam fide, et caritate unitam, *et beatissimam praedicaverunt*, approbando huiusmodi unitatem; sic etiam *Reginae, et concubinae laudaverunt eam*, idest unitatem eius. Per filias autem, et concubinas, et Reginas intelliguntur diversi status Ecclesiae, requirentes diversitatem personarum, ut superius fuit expositum. Deinde cum dicit, *Quae est ista?* finit tractatum Ecclesiae modernae in laudem eius, dicens: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Nam Ecclesia primitiva *ascendebat per desertum sicut virgula fumi*, propter persecutiones tyrannorum; Ecclesia vero moderna *progreditur quasi aurora consurgens*, quia cessavit persecutio, et appropinquavit dies. Et haec Ecclesia est *pulchra ut luna*, propter fidem: quia quae per fidem cognoscimus, videmus quasi in lumine lunae, quia ea non clare apprehendimus. Est *Electa ut sol*, ratione spei, secundum quam elevatur ad desiderium caelestis Hierusalem, quia ratione claritatis potest dici sol. Est *terribilis ut castrorum acies ordinata*, propter caritatem, quam habentes terremus diabolum, quia unitatem, et pacem tenemus in terris, et Deo humiliter subiecti sumus; quod ipse renuit tenere in caelis.

# TRACTATUS TERTIUS

## SIVE TERTIA, ET ULTIMA PARS TOTIUS LIBRI.

### CAPITIS VI.

#### PARS ALTERA.

**Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Nescivi. Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.**

*Descendi in hortum meum.* Ut dictum est superius, totus iste liber dividitur in partes tres, secundum tres status Ecclesiae. Executis duabus partibus, restat exequi de tertia, scilicet de statu ultimo Ecclesiae: quia in primo statu fracti fuerunt rami, quia Iudaei communiter deseruerunt Christum; in secundo statu, ut in moderna Ecclesia, est plenitudo Gentium; sed in tertio statu, ut in ultimis saeculis, omnis Israel salvus erit, ut superius tactum est. Determinare ergo de ultimo statu Ecclesiae est determinare de conversione Iudaeorum, vel Synagogae. Dividitur autem haec pars in duas partes: quia primo determinatur de conversione Synagogae; secundo invitatur Ecclesia ut curam habeat de Synagoga iam conversa, ibi, *Sub arbore malo.* Prima pars dividitur in duas: nam sicut determinabatur de statu Ecclesiae primitivae, quod primo describebatur status eius, et postea finiebatur tractatus ille in laudem eius, cum dicebatur, *Quae est ista, quae ascendit per desertum?* et similiter cum tractabatur de Ecclesia moderna, primo describebatur status eius, et postea terminabatur in eius laudem, ubi dictum est: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* sic modo primo describitur conversio Synagogae; secundo terminatur iste tractatus de conversione ipsius in laudem eius, ibi *c. 8. Quae est ista quae ascendit de deserto?* Prima pars dividitur in tres partes: quia primo Christus ad cognoscendam suam incarnationem Synagogam excitat; secundo Synagoga excitata per Christum, per ignorantiam se excusat, ibi, *Nescivi;* tertio Christus Synagogam, ignorantiam cognoscentem, ad misericordiam revocat, ibi, *Revertere, revertere.* Circa primum notandum, quod sicut terminato statu Ecclesiae primitivae, incipiebatur status modernae Ecclesiae a quiete, cum dicebatur *cap. 3. En lectulum Salomonis,* ut daretur intelligi quod iam cessaverat persecutio; sic modo cum determinatur de conversione Iudaeorum, incipitur tractatus a descensu, cum dicitur: *Descendi in hortum meum:* quia speciali modo Christus descendit propter Iudaeos, iuxta illud: *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel: Matt. 15.* Continuetur sic. O Synagoga, tu toties petiisti ut descenderem, et salvarem te: certe ego *descendi in hortum meum,* idest in Ecclesiam meam, vel etiam in te, quae *eras* hortus meus, assumendo carnem; et hoc feci, *ut* oculo misericordiae *viderem poma convallium,* idest statum activorum, qui dicuntur poma convallium, quia sunt in infimo statu; *et inspicerem* oculo pietatis *si floruisset vinea,* idest si floruissent contemplativi, qui dicuntur flores vineae propter odorem bonarum orationum; et viderem, *si germinassent mala punica,* idest praelati, qui dicuntur mala punica, quia utramque vitam habere debent, contemplativam, et activam. Ideo autem designantur per mala punica, quia haec habent interius grana rubea, designantia fervorem vitae contemplativae; exterius vero habent corticem asperum, designantem turbationem vitae activae. Sic ergo descendi ut omnem statum inspicerem, et te secundum statum omnium adunarem, nisi praebuisses obicem. Deinde cum dicit, *Nescivi,* Synagoga per ignorantiam se excusat. Et continuatur sic. Tu, Domine mi, Salvator meus, dicis te descendisse, et carnem assumpsisse, ut me iuvares: *nescivi,* idest ignoravi, quod tu esses ille qui venturus erat: numquam enim te crucifixissem, si te Dominum gloriae credidissem. Causa autem, quia excaecata fui, extitit, quia *anima mea,* idest animalitas, et sensualitas mea, sive plebs mea, *conturbavit me,* non assentiendo monitionibus tuis; et hoc *propter quadrigas Aminadab,* idest propter scribas, et pharisaeos persuadentes plebi ut non crederent tibi, sed te crucifigerent. Scribae autem, et pharisaei dicebantur quadrigae, quia populum portabant, et ducebant; et hae *quadrigae Aminadab,* quod interpretatur *populus meus spontaneus,* quia secundum voluntatem eorum populum ducebant. Deinde cum dicit, *Revertere, revertere,* Christus ad se Synagogam revocat, et duo facit: quia primo ponitur huiusmodi revocatio; secundo subiungitur revocationis ratio, ibi, *Quid videbis in Sulamite?* Continuatur sic. Ex

quo tu, Synagoga, vel *Sulamitis*, captivitatem miseriae, et caecitatis tuae recognoscis, et vides animalitatem tuam, *revertere*, relinquendo caecitatem intellectus; *revertere Sulamitis*, relinquendo animalitatem et pravitatem affectus; *revertere*, adhaerendo veritati; *revertere*, intendendo bonitati; et hoc *ut intueamur te* oculo misericordiae, miserendo tui.

## CAPUT VII.

**Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! Iuncturae feminum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis; umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis; venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis; duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae; collum tuum sicut turris eburnea; oculi tui sicut piscinae in Esebon, quae sunt in porta filiae multitudinis; nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum; caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus. Quam pulchra es, et quam decora, carissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius. Et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odor oris tui sicut odor malorum: guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. Veni, dilecte mi: egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Ibi dabo tibi ubera mea. Mandragorae dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi.**

Deinde cum dicit, *Quid videbis in Sulamite?* assignat huiusmodi conversionis rationem: et intendit talem rationem. Quilibet debet converti ad illum a quo habet totum bonum suum, et totam pulchritudinem suam. Sed praemissum est quod tu, Synagoga, a me Christo debes habere totam pulchritudinem tuam. Ergo ad Christum converti debes. In hac ratione sic procedit: quia narratur primo Synagogae pulchritudo praevisa a Deo; secundo ostenditur quod huiusmodi pulchritudinem debet consequi Synagoga per Christum, ibi, *Dixi, Ascendam in palmam;* tertio Synagoga his dictis assentit, ibi, *Dignum dilecto meo;* quarto ad Christum se convertit, ibi, *Ego dilecto meo.* Circa primum duo facit: quia primo narrat pulchritudinem Synagogae in speciali, et diffuse; secundo repetit eius pulchritudinem in generali, et succincte, ibi, *Quam pulchra!* In narrando autem pulchritudinem Synagogae in speciali, ostendit, ipsam pulcherrimam esse quantum ad omnia sua: nam sicut pulchritudo animae consistit in perfectione virtutum, et donorum, quae ornant concupiscibilem, et irascibilem, intellectum practicum, et speculativum, et voluntatem; sic Synagogae talis pulchritudo praevisa erat, quam debebat consequi per Christum. Et quia huiusmodi perfectiones, quaedam respiciunt potentias alligatas organo, quaedam non alligatas; ideo pars ista, ubi determinatur de huiusmodi pulchritudine, dividitur in duas partes: quia primo determinat de pulchritudine dicta per comparationem ad perfectiones potentiarum organo alligatarum; secundo per comparationem ad potentias organo non alligatas, ibi, *Duo ubera tua.* Potentiae autem alligatae sunt duae, scilicet irascibilis, et concupiscibilis. Primo ergo ait de pulchritudine, prout respicit irascibilem; secundo ut respicit concupiscibilem, ibi, *Iuncturae feminum tuorum.* Irascibilis autem potentiae perfectio sive pulchritudo est fortitudo, secundum quam resistimus adversariis, et aggredimur eos. Primo ergo determinat de fortitudine, seu de perfectione irascibilis, inquantum adversario resistimus; secundo inquantum ipsum invadimus, et victoriam obtinemus, ibi, *Quam pulchri sunt gressus tui!* Continuatur sic. Synagoga enim est Sulamimis, idest captiva captivitate miseriae; sed si consideramus eam secundum pulchritudinem a Deo sibi praevisam, sic est tota pulchra: nam pulchra est quantum ad irascibilem, inquantum praevisa est ei perfectio irascibilis, per quam possit adversariis resistere; ideo ait: *Quid videbis in Sulamite,* propter rationem tactam, *nisi choros castrorum?* idest munitiones fortes, per quas potest resistere adversariis; quasi dicat, nihil debile. Deinde cum dicit, *Quam pulchri sunt gressus tui!* ostendit, eam posse adversarium invadere. Et continuatur sic. Non solum praevisum est quod tu, Synagoga, possis adversariis resistere, sed etiam quod possis ipsos invadere, et superare; ideo, o *filia Principis,* idest o Synagoga, quae praevisa es esse filia mea, qui sum Princeps Regum terrae, *quam pulchri sunt gressus tui!* idest quam pulchri sunt processus, et operationes tuae, secundum quas adversarium aggrederis, et invadis! Non sunt nudae, sed sunt ordinatae, et calceatae, idest informatae caritate, quae totum corpus nostrum, et omnia nostra vestit, et ornat, inquantum est forma, et perfectio omnium virtutum, et omnium operationum nostrarum; cum quaelibet operatio sumat perfectionem a caritate: et ideo prout operationes nostrae dicuntur gressus, calceat eas caritas; prout vero sunt operationes manuum, caritas eas chirotecat, ut liceat secundum metaphoram sic loqui. Deinde cum dicit, *Iuncturae feminum tuorum,* determinat de pulchritudine eius, ut respicit concupiscibilem. Circa autem concupiscibilem tripliciter contingit peccare: nam quidam sunt molles, quidam incontinentes, quidam intemperati. Molles sunt illi qui modica tentatione vincuntur. Incontinentes sunt illi qui non modica tentatione vincuntur, sed multis tentationibus stimulati cadunt: unde molles nesciunt pugnam, quia scilicet non pugnaverunt, quod ipsum nomen designat; incontinentes autem pugnam experiuntur, sed pugna devicti se non continent: nam si nullam pugnam experirentur, non essent incontinentes, cum non esset cum quo certarent. Intemperati autem sunt illi qui iam acquisierunt habitum inclinantem ad venerea; ideo talibus est delectabile male agere, et peccant ex electione: unde *laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis: Prov. 2.* Haec autem omnia patere possunt ex

*7. Ethicorum.* Et quia toties multiplicatur unum oppositorum, quoties multiplicatur et reliquum; sicut contingit tripliciter circa concupiscibilem errare, ita contingit tripliciter bene facere: nam quidam homines sunt perseverantes, quidam continentes, quidam temperati. Perseverantes sunt illi qui non tentantur, nec cadunt: unde sunt contrarii mollibus, qui sine tentationibus cadunt: continentes sunt illi qui molestati persistunt, nec cadunt; et hi sunt contrarii incontinentibus : temperati autem sunt quibus delectabile est bene facere, habent enim appetitum castificatum , et sunt perfecti per habitum inclinantem ad bonum. In narrando autem pulchritudinem , et perfectionem Synagogae praevisam a Deo ex parte concupiscibilis, tria facit: quia primo narrat, ut respicit temperantiam contra intemperantiam; secundo ut respicit continentiam contra incontinentiam, ibi, *Umbilicus tuus ;* tertio ut respicit perseverantiam contra mollitiem, ibi, *Venter tuus.* Continuatur sic. O Synagoga, non solum est tibi pulchritudo quantum ad irascibilem, sed etiam quantum ad concupiscibilem: quia secundum praevisionem divinam , *iuncturae feminum tuorum* sunt *sicut monilia* , quia sunt clausa femina tua , et nullo modo aperta ; et haec monilia *sunt fabricata manu artificis,* idest manu mea, qui sum ille faber, et artifex, qui fabricatus sum auroram , et solem: *Psal. 73.* Cum ergo secundum actus venereos aperiantur femina mulieris, ostenditur Synagogae praevisam perfectam castitatem , cum dicitur , femina sua esse sicut monilia, quae sunt ornamenta quibus divisa clauduntur ; et quia perfecta castitas designatur per temperantiam per ea quae dicta sunt. Notandum autem, quod dicit, *Iuncturae feminum* , quia hoc femur femoris est virorum , sed hoc femen feminis est mulierum: quia Synagoga inducit personam muliebrem, et personam sponsae; ideo dicit, *Iuncturae feminum* , et non femorum. Iterum notandum, quod ait , *Sicut monilia;* monile autem est fibula, quam mulieres portant ad pectus, et claudunt vestimenta ante pectus: in quo datur intelligi, quod castitas, a qua commendatur Synagoga, non solum nescit apertionem carnis, sed etiam nescit divisionem cordis : nam perfecta castitas requirit integritatem carnis , et mentis. Iterum notandum , quod huiusmodi monilia *fabricata sunt manu artificis,* idest manu Dei: quia temperantia, a qua laudatur, non acquisita est, sed infusa. Deinde cum dicit, *Umbilicus tuus,* commendat eam a continentia. Umbilicus enim est illud ubi viget luxuria in mulieribus , sicut dicit Gregorius *Iob 40. lect. 2.* quod luxuria viris est in lumbis, feminis autem in umbilico. Hic autem *umbilicus* Synagogae secundum praevisionem divinam est *crater tornatilis,* propter rectam voluntatem , *numquam indigens poculis* , idest numquam carens poculis doctrinae sacrae, propter intellectus perspicacitatem. Incontinens enim propter incontinentiam duo mala contrahit: contrahit namque malitiam affectus: unde non est *crater tornatilis,* quia non est agilis ad bonam operationem; vel non est *crater tornatilis,* quia non habet rectam intentionem , cum non agat propter aeternam vitam , quae per craterem tornatilem significatur , in quo ratione rotunditatis non est principium, nec finis. Contrahit etiam caecitatem intellectus : nam propter passiones obcaecatus non observat leges bonas, nec documenta doctrinae sacrae. Deinde cum dicit , *Venter tuus* , commendat eam a perseverantia : venter enim est pars mollior mulieris; sed secundum praevisionem divinam venter Synagogae carebit mollitie, et habebit vim persistentis, et sustentantis: unde secundum talem praevisionem *venter* Synagogae erit *acervus tritici:* tritico enim alii roborantur, et sustentantur. In quo datur intelligi quod secundum praevisionem divinam Synagoga debet adipisci tantam perseverantiam, vel tantam persistentiam , quod non solum ipsa non cadet , sed etiam alios sustentabit ne cadant. Quod ad litteram sic erit in finibus saeculorum, quando Israel universaliter convertetur ad Christum : quia multi tunc erunt firmiores in fide, et moribus. Et sic venter erit *vallatus liliis,* propter munditiam, quia per perseverantiam oppositam mollitiei vitatur carnis spurcitia.

Deinde cum dicit, *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae* , postquam narrata fuit pulchritudo , quam Deus praevidit Synagogae quantum ad potentias organo alligatas, hic in parte ista narratur pulchritudo praevisa ei quantum ad potentias organo non alligatas. Hae autem potentiae sunt duae, scilicet intellectus, et affectus ; et intellectus dividitur in speculativum , et practicum. Tria ergo facit: quia primo narrat pulchritudinem, ut respicit intellectum speculativum; secundo ut respicit intellectum practicum, ibi, *Oculi tui ;* tertio ut respicit appetitum intellectivum, ibi, *Caput tuum.* Prima pars dividitur in duas , quia in intellectu speculativo sunt scientia, et fides. Primo ergo narrat pulchritudinem ut respicit scientiam , et doctrinam ; secundo ut respicit fidem, ibi, *Collum tuum.* Legitur sic littera. Secundum praevisionem divinam *duo ubera tua,* idest scientia , et doctrina , quae dicuntur duo ubera propter duo testamenta continentia quasi ubera lac , idest dulcedinem doctrinae. Haec autem ubera, vel eius scientia , et doctrina , sunt *sicut duo hinnuli capreae gemelli* : hinnuli enim sunt agiles , et capreae acute vident; et designant doctrinam sacram, secundum quam et de facili invenimus quod sit verum, et videmus acute , et subtiliter iudicamus ipsam veritatem. Et hi *duo hinnuli capreae* dicuntur duo propter duplicem sensum, litteralem , et mysticum : et sunt *gemelli,* quia hi duo sensus semper sese vident, et concomitantur: cum in qualibet parte doctrinae sacrae hi duo sensus aliqualiter assignari possint. Deinde cum dicit, *Collum tuum sicut turris eburnea* , narrat pulchritudinem sibi praevisam ex parte fidei, dicens, *Collum tuum,* idest fides praevisa tibi, quae dicitur collum, quia per eam debes uniri mihi capiti, sicut per collum caput unitur corpori. Hoc autem collum , sive fides, est *sicut turris* , ratione defensionis : nam licet fides non possit probari, potest tamen defendi. Et haec *turris est eburnea,* idest clara, et solida , non habens admixtionem erroris. Deinde cum dicit , *Oculi tui* , commendat ipsam quantum ad intellectum practicum. Ad intellectum vero practicum, quantum ad praesens, duo pertinere videntur. Primum est diiudicare : nam et prudentia, quae etiam bonorum morum videtur esse iudicativa, et praeceptiva, est ut in subiecto in intellectu practico *2. 2. q. 47. a. 2.* Secundum quod pertinet ad hunc intellectum practicum , est discernere spiritus , et potissime prout per huiusmodi suggeruntur nobis contraria bonorum morum , quia non debemus omni spiritui credere , sed probare spiritus , an

ex Deo sint. Duo ergo facit : primo eam commendat quantum ad doctrinam morum ; secundo quantum ad discretionem spirituum, ibi , *Nasus tuus.* Dicit ergo : *Oculi tui*, idest cogitationes tuae per quas iudicas mores bonos a malis , sunt *sicut piscinae in Esebon* : Esebon enim dicitur fuisse quaedam civitas Sehon Regis ultra Iordanem, quam ceperunt filii Israel, in cuius porta erant piscinae , quibus potabatur multitudo populi. Talis est doctrina morum in Ecclesia , quia ea multitudo populi, idest omnes Christiani veri potantur, ad quam invitantur omnes: *Ioan. 7. Si quis sitit , veniat ad me, et bibat*: et Isaias *cap. 55. Omnes sitientes venite ad aquas.* Unde subditur, quod hae piscinae *sunt in porta filiae multitudinis*, idest in porta plena multitudinis : filius enim , vel filia in Scriptura sacra aliquando plenitudinem significat, iuxta illud *Isaiae 5. Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*, idest in cornu abundanti, et pleno olei; et etiam ipsum usitatum eloquium habet hoc : dicitur enim aliquis filius denariorum , si denariis abundat. Deinde cum dicit , *Nasus tuus*, commendat eam a discretione spirituum, dicens: *Nasus tuus* , idest discretio tua , per quam discernis bonos spiritus a malis , est *sicut turris Libani* , idest turris clara , non deturpata deceptionibus diaboli ; et haec turris *respicit contra Damascum* , idest contra diabolum: Damascus enim interpretatur potus sanguinis; et significat diabolum , qui sitiens sanguinem nostrum, *tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret: I. Pet. 5.* Deinde cum dicit , *Caput tuum ut Carmelus*, commendat eam quantum ad appetitum intellectivum, in quo duo considerare possumus, scilicet potentiam, et actum. Dupliciter ergo commendat eam: primo quantum ad ipsam voluntatem ; secundo quantum ad actus eius, ibi, *Et comae capitis.* Dicit ergo, *Caput tuum*, idest voluntas , quae potest dici caput , ut superius ostensum est , est *ut Carmelus* , qui est mons altus: quia non tendit in terrena , sed in caelestia: Carmelus enim interpretatur scientia circumcisionis, quia debemus assuefacere nos ad habendum appetitum circumcisum a terrenis. Deinde cum dicit , *Et comae capitis* , commendat eam ab actibus ipsius voluntatis , dicens : *Comae capitis tui* , idest actus , et affectiones tuae, quae radicantur in voluntate, cui competit nomen capitis, ut dictum est, sunt *sicut purpura Regis iuncta canalibus* , quia semper sunt coniunctae passionibus Christi: purpura enim tingitur de sanguine piscis: quia conchae maris, ut dictum est superius, et Glossa tangit, ferro circumcisae lacrymas purpurei coloris emittunt ; et haec purpura potest significare carnem Christi, quae fuit rubricata sanguine eius. Et forte , ad litteram , quando purpura tangitur , ponitur in canalibus , per quos derivatur sanguis ille ad ipsam purpuram: propter hoc quamdiu purpura iuncta est canalibus, non est verisimile quod colorem possit amittere ; cum per talem coniunctionem illum colorem acquirat. Debent ergo affectiones nostrae esse *sicut purpura Regis*, propter memoriam passionis Christi ; et debent esse *iunctae canalibus*, quia illam rubricationem, et pulchritudinem quam acquirunt ex memoria passionis Christi, numquam debent amittere.

Deinde cum dicit, *Quam pulchra es !* repetit in generali , et succincte quae in speciali tetigerat. Omnis enim pulchritudo assignata ad tria potest reduci: quia vel pertinet ad contemplationem, vel actionem, vel instructionem. Tria ergo facit : quia primo commendat eam quantum ad vitam contemplativam; secundo quantum ad activam , ibi , *Statura tua ;* tertio quantum ad instructionem , et doctrinam , ibi , *Et ubera tua.* Dicit ergo : Tu , Synagoga , secundum praevisionem meam *carissima in deliciis* , in dulcedine contemplationis , *quam pulchra es* , exterius , *et quam decora*, interius ! Vel *quam pulchra es* , quantum ad potentias organo alligatas, *et quam decora,* quantum ad non alligatas ! Deinde cum dicit, *Statura tua,* commendat eam quantum ad vitam activam, dicens: *Statura tua,* idest vita activa, secundum quam stas, et non inclinaris ad illicita , *assimilata est palmae*, idest certamini , quia talis vita semper videtur esse in bello, idest in motu: unde designatur per Martham , quae solicita erat , et turbabatur circa plurima *Lucae 10.* Deinde cum dicit, *Et ubera tua* , commendat eam quantum ad doctrinam, vel quantum ad instructionem, dicens: *Et ubera tua,* idest doctrina tua ( supple , sunt assimilata ) *botris :* quia sicut in botris est vinum in promptu , sic doctrina sua habet in promptu ut proferat pocula Scripturarum.

Deinde cum dicit , *Ascendam in palmam* , sequitur illa pars, in qua postquam narravit pulchritudinem praevisam Synagogae , ostendit quod per Christum debet illam pulchritudinem adipisci. Iterum autem notandum, quod pulchritudo assignata , et narrata de Synagoga , non est intelligenda secundum actualem existentiam , cum illa verba sint ad ipsam Synagogam nondum plene conversam; sed intelligenda secundum praevisionem divinam , scilicet quod praevisum est ei a Deo quod ipsa per Christum debet habere talem pulchritudinem, et ideo debet ad ipsum converti. Continuatur sic. O Synagoga , praevisa est tibi pulchritudo praedicta ; sed eam debes adipisci per me: nam ego *dixi: Ascendam in palmam,* idest in crucem , quae dicitur palma ratione victoriae; *Op. 58. 21. et in ser. S. Andreae,* vel ad litteram , ut Glossa videtur tangere , crux dicitur palma, quia pars eius de palma; *et apprehendam fructus eius*, idest fructus crucis. Et exponit qui sint huiusmodi fructus, dicens: *Et erunt ubera tua sicut botri vineae* , idest fructus unus erit quod ubera tua , idest doctrina tua, erit botrus vineae ; et hoc propter pulchritudinem, quam Deus praevidit Synagogae ex instructione, vel doctrina ; et erit fructus crucis ex ascensu meo in crucem, fructus odoris: unde sequitur, *Sicut odor malorum* , propter bonitatem famae , quae respicit conversationem , et vitam activam. Et etiam propter ascensum in crucem, *guttur tuum,* idest dulcedo contemplationis tuae, erit *sicut vinum optimum*, propter copiam spiritualis laetitiae. Ex quo apparet maxime quod per ascendentem Christum in crucem Synagoga debet adipisci pulchritudinem quantum ad doctrinam , et quantum ad vitam activam , et quantum ad contemplativam. Et quia tota pulchritudo sibi praevisa respicit aliquod dictorum trium, clare patet quod concludere dicebamus, quod Synagoga totam pulchritudinem sibi praevisam a Deo adipisci debet per Christum.

Deinde cum dicit , *Dignum dilecto meo ad potandum* , ponitur confessio Synagogae , secundum quam consentit , pulchritudinem praedictam se debere adipisci per Christum. Et continuatur sic. Tu , Domine

Iesu Christe, dicis, quod per passionem tuam, et per ascensum in crucem debeo consequi dictam pulchritudinem: confiteor, quod vinum illud, idest passio illa, per quam debeo consequi praedicta, est *dignum*, idest congruum et competens *dilecto meo ad potandum:* quia nullius alterius passio esset sufficiens ad impetrandam mihi tantam pulchritudinem, nisi passio tua, et passio membrorum tuorum, inquantum passio illorum agit in virtute passionis tuae; ideo addit quod huiusmodi vinum est dignum *ad ruminandum labiis, et dentibus illius*, idest labiis, et dentibus Christi: quia per passionem membrorum Christi Ecclesia adepta est multam pulchritudinem; quae pulchritudo extendet se usque ad Synagogam, quando in fine temporum convertetur ad Christum. Quod autem passio Christi possit dici potus, patet per id quod dicitur *Matth. 26. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Notandum autem, quod Christus dicitur potasse passionem; sed membra Christi, videlicet dentes, et labia, ut Apostoli, et alii sancti, passionem Christi ruminaverunt, quia secundum rationem etiam superiorem non adeo acceptabant passionem ut Christus: propter quod aliquo modo facilius fuit Christo pati, quam aliis sanctis. Et ideo dicitur Christus suam passionem potasse, alii vero sancti dicuntur ruminasse, ut videtur tangere Glossa. Deinde cum dicit, *Ego dilecto meo, et ad me conversio eius,* ponitur conversio Synagogae; et dividitur pars ista in duas: quia primo Synagoga cognoscens tantam pulchritudinem se debere adipisci per Christum, se convertit ad ipsum; secundo ad hoc petit subventionem, et auxilium, ibi, *Veni, dilecte mi.* Notandum autem, quod ad continuationem textus oportet partem illam ab illo loco, *Quid videbis in Sulamite?* usque ad locum illum, *Dixi, Ascendam,* exponere de pulchritudine quam Deus praevidit Synagogae, et alia postea exponere, ut dictum est. Sed in exponendo dicta verba de pulchritudine praevisa Synagogae, utrum debeat exponi de pulchritudine quantum ad irascibilem, et concupiscibilem, ut tangebatur; vel quantum ad omnia membra Synagogae, ut per oculos intelligantur praedicatores, per caput vero praelati; vel alio modo: dummodo littera sit adaptata, non variat continuationem: et quod dictum est de expositione huius partis, intelligendum est de multis expositionibus superius assignatis. Nos autem secundum modulum intelligentiae nobis divinitus datum, adaptationes apertiores fecimus, et aliquas factas recitavimus, ut nobis visum est secundum totalem litterae seriem expedire. Continuatur autem sic littera. *Ego* Synagoga video quod non possum consequi pulchritudinem mihi a Deo praevisam, nisi per Christum; ideo *dilecto meo*, idest ad dilectum meum, me converto, *et* rogo quod *ad me* sit *conversio eius.* Deinde cum dicit, *Veni dilecte*, postquam Synagoga ad Christum se convertit, hic eius auxilium, et subventionem petit; et duo facit: quia primo petit subventionem; secundo recognoscit, et confitetur eius incarnationem, ibi, *Quis mihi det te fratrem meum cap. 8.* Circa primum tria facit: quia primo petit Christi subventionem; secundo ponit subventionis specificationem, ibi, *Videamus, si floruit;* tertio ad dictam subventionem suscipiendam ostendit Iudaeorum dispositionem, illic, *Ibi dabo tibi ubera mea.* In petendo autem subventionem Christi tria facit. Primo petit quod Christus ei subveniat proportionaliter; secundo quod ei subveniat perseveranter, ibi, *Commoremur in villis;* tertio quod ei subveniat solicite, et ardenter, ibi, *Mane surgamus.* Continuatur sic. Per te, dilecte mi, oportet me consequi pulchritudinem tuam, ideo, *dilecte mi, veni,* auxiliando mihi, et *egrediamur in agrum,* idest ad Iudaeos, qui sunt ager incultus. *In Matth. 24.* ibi, *Duo erunt in agro.* Et hoc dico, quia Iudaei adhuc parvuli in fide non possunt ingredi ad te, et ascendere; et sic oportet quod tu egrediaris condescendendo eis: in quo petit auxilium proportionaliter. Deinde cum dicit, *Commoremur in villis,* petit huiusmodi auxilium perseveranter. Continuatur sic. Non sufficit, dilecte mi, quod *egrediamur in agrum,* idest in ipsos Iudaeos proportionaliter ad adiuvandum, sed oportet quod *commoremur in villis*, idest in Iudaeis, qui sunt villae, et quasi campestres, et ideo non cultae; unde oportet quod commoremur in eis eosdem perseveranter adiuvando. Deinde cum dicit, *Mane surgamus,* petit huiusmodi auxilium sibi fieri solicite, et ardenter: unde ait: *Surgamus mane*, idest tempestive: non pigritemur, sed ardenter, et solicite surgamus *ad vineas*, idest ad Iudaeos, iuvando eos qui prius fuerunt vinea tua, et adhuc redire volunt, ut vinea tua sint. Deinde cum dicit, *Videamus si floruit vinea,* specificat auxilium, et subventionem. Ad cuius evidentiam notandum, quod bonitas nostra, quantum ad praesens spectat, videtur consistere in tribus: videlicet in bonis cogitationibus, quae se tenent ex parte intellectus; et in bonis affectionibus, quae se tenent ex parte affectus; et in operationibus, quae se tenent ex parte effectus. Bonitas cogitationum, quae per flores intelliguntur, ex bona voluntate dependet, similiter et affectionum, quia cogitationes, et affectiones quas homo habet, sine voluntate recta non placent, et sunt flores sine fructu: similiter operationes exteriores sine bona voluntate non convalescunt, et sunt fructus inutiles, quia merito carent: nihil enim est meritorium nisi secundum quod a voluntate procedit *1. 2. q. 21. a. 1. et 2.* Operationes autem exteriores per mala punica designantur, in quibus sunt grana multiplicata: nam quod intellectu percipitur interius, exterius per diversitatem operum designatur; et aliquando quod simpliciter est in corde, multipliciter multiplicatur in opere, et explicatur. In specificando ergo Christi auxilium tria tangit: nam primo petit quod Christus ei subveniat movendo corda Iudaeorum ad bene cogitandum; ideo ait: *Videamus,* oculo misericordiae, scilicet ego, et tu cooperando multipliciter, *si floruit vinea*, idest si intellectus profert cogitationes bonas. Secundo petit quod moveat affectum ad bene volendum; ideo subdit: *Videamus, si flores fructus parturiunt*, idest si per bonas cogitationes producuntur bonae affectiones: quia te auxiliante necesse est hoc fieri. Tertio petit quod Christus moveat Iudaeos ad bene operandum exterius; ideo ait: *Videamus si floruerunt mala punica*, idest bonae operationes; quod te auxiliante fit. Nil autem obstat quod per fructus bonae affectiones, et bona opera designentur: quia fructus sunt ad cibum, et bonis affectionibus cibamur, sicut dicitur *Eccli. 15. Cibavit illum pane vitae, et intellectus.* Et bonis similiter operationibus cibamur, iuxta illud *Psalm. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi*

*erit.* Recte etiam bonae cogitationes sunt flores, qui praecedunt fructus bonarum affectionum, et operationum. Rursum haec tria possunt comparari ad praemium: et sic cum praedicta omnia, scilicet cogitationes, affectiones, et operationes praecedant, possunt dici flores praemii, quod dicitur fructus, iuxta illud *Psalm. 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii; merces fructus ventris.* Quod autem operationes similiter possint dici flores, ex eo apparet quod primum procedens ab arbore cum odore sunt flores: odorem autem bonae famae ad aedificationem aliorum homo habet ex bonitate operationum, non cogitationum vel affectionum, quae non apparent. Recte ergo per flores malorum punicorum designantur bonae operationes, quae debent esse cum successivo incremento, vel profectu, ut sunt mala punica florentia: quia alia sunt in actu, alia in partu, alia in re, alia in flore.

Deinde cum dicit, *Ibi dabo tibi*, postquam petiit auxilium Christi, et in quo auxiliaretur Iudaeis in speciali, scilicet ad bene cogitandum, bene volendum, et bene operandum; hic ostendit Iudaeos esse dispositos ad tale auxilium recipiendum. Et tria facit, secundum quod triplex auxilium nominavit. Primo ostendit eos esse dispositos ex parte intellectus; secundo ex parte affectus, ibi, *Mandragorae;* tertio ex parte exteriorum operum, ibi, *Omnia poma, dilecte mi.* Continuatur sic. Ideo peto, dilecte mi, quod tu venias in vineam meam, quia *ibi dabo tibi ubera mea*, idest Iudaeos meos (hoc est carissimos, propter patres,) qui dicuntur ubera propter dispositionem ad suscipiendum lac doctrinae tuae: nam sicut ubera proprie sunt receptaculum lactis, sic ipsi propter dispositionem intellectus erunt proprie receptaculum doctrinae tuae, quae est lac ratione candoris, et nutritivae virtutis, ubi nullus est error admixtus. Deinde cum dicit, *Mandragorae*, ostendit eos dispositos ex parte affectus, sive voluntatis: unde continuatur sic. Non solum, dilecte mi, Iudaei sunt dispositi ex parte affectus: nam *Mandragorae*, idest Iudaei, *dederunt odorem* suum, propter bonitatem desideriorum, et propter dispositionem affectus: *dederunt*, dico, *odorem*, et hoc *in portis nostris*, idest in introitu ad nos: quia volunt converti, et intrare ad nos; ad te principaliter, ad me Ecclesiam ex consequenti, inquantum per me, sicut per matrem, derivanda sunt dona gratiarum, vel sacramenta, a te ad illos. Notandum autem, quod mandragora est herba, cuius radix habet membra quasi hominis, non tamen caput: unde significat Iudaeos, quia nunc sine capite sunt; sed in fine ad praedicationem, et odorem Ecclesiae spirabunt et ipsi desideria ut iungantur Christo capiti. Deinde cum dicit, *Omnia poma*, ostendit Iudaeos esse dispositos quantum ad bonitatem exteriorum operum: unde ait: *O dilecte mi*, ego *servavi tibi*, idest tuae providentiae credidi, *omnia poma nova*, scilicet quando essent colligenda, et quando conservanda: unde addit, *Et vetera;* quasi dicat: Sola providentia gratiae tuae habet quando colligi debent Iudaei, et quomodo conservari: qui dono tuae gratiae collecti, erunt *poma nova, et vetera*, quia secundum exempla, et testimonia novi, et veteris testamenti satagent operari.

## CAPUT VIII.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te solum foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos, filiae Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? Si murus est, aedificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea quae habet populos: tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus eius. Quae habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

*Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae?* Hic Synagoga recognoscit, et confitetur Christi incarnationem; et quatuor facit. Primo assumens fiduciam de Christo propter carnem assumptam petit ab ipso doctrinae eius percipere veritatem; secundo postulat dulcedinis eius gustare suavitatem, ibi, *Ut inveniam te;* tertio ut possit vitare opprobrium, quod priscis temporibus passa fuerat propter caecitatem, ibi, *Iam me nemo despiciat;* quarto desiderat Christum tenere propter filiorum utilitatem, ibi, *Apprehendam te.* Continuatur sic. Ut me doceres, mihi frater factus es; ideo *quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae?* idest exponentem mihi legem, et Scripturam sacram, quae est quasi mater mea: ille enim qui sugit, lac quod latet in ubere, exterius trahit; et hoc fecit Christus, qui lac, et dulcedinem, quae latebat in lege divina, traxit exterius in apertum, iuxta illud *Lucae ultimo. Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis.*

Habere ergo Christum sugentem ubera legis, est habere ipsum doctorem, et magistrum legis. Notandum autem, quod licet nos omnes possimus vocare Christum fratrem nostrum ratione humanitatis assumptae, specialiter tamen Synagoga potest ipsum fratrem appellare, quia de Iudaeis natus est. Deinde cum dicit, *Ut inveniam te*, petit Synagoga gustare Christi suavitatem. Continuatur sic. Domine Iesu Christe, non solum peto te ut sugentem ubera matris, docendo me, sed peto *ut inveniam te solum foris*, idest non clausum in lege, neque latentem in sinu Patris, sed *foris* in humana natura, secundum quam es frater meus; et sic te cognoscendo, et diligendo, *deosculer te*, percipiendo a te dulcedinis suavitatem. Deinde cum dicit, *Et iam me nemo despiciat*, petit vitare opprobrium quod passa est lapsis temporibus propter caecitatem: unde ait: *Et iam me nemo despiciat*; quasi dicat: Usque nunc despecta fui quasi caeca, eo quod redemptorem meum te non cognovi; sed *iam*, quia te cognosco, peto quod *nemo me despiciat*, improperando pristinam caecitatem. Deinde cum dicit, *Apprehendam te*, ostendit se velle tenere Christum propter filiorum utilitatem. Dividitur autem haec pars in quatuor. Primo Synagoga istam utilitatem insinuat; secundo qualis sit ista utilitas, manifestat, illic, *Ibi me docebis*; tertio quia ex hoc videbatur Synagoga suscepisse curam filiorum, qualiter sit cura habenda, declarat, ibi, *Laeva eius sub capite meo*; quarto, et ultimo ponit dictum Christi quo huiusmodi declarationem approbat, ibi, *Adiuro vos filiae*. Continuatur sic. Non solum, dilecte mi, volo te habere, ut te deosculer percipiendo tuam suavitatem, sed etiam volo te habere ad filiorum meorum utilitatem: unde peto ut permittas quod *apprehendam te*; et sic *ducam* te *in domum matris meae*, idest in corda illorum qui plus sciunt de lege: quam legem reputo quasi matrem, cuius mandata quasi matris servare debeo: *et* etiam ducam te *in cubiculum genitricis meae*, idest in corda filiorum qui minus sciunt de lege, quam reputo matrem, et genitricem meam. Domus autem est amplioris spatii cubiculo: unde corda filiorum qui peramplius, et perfectius sciunt legem, domus legis, vel matris Synagogae sunt: illi autem sunt cubiculum legis, vel genitricis Synagogae, qui minus sciunt de lege. Posset etiam secundum aliam adaptationem intelligi, quod illi qui plus sciunt de lege, sint cubiculum, quia sciunt clausa, et obscura legis; domus autem, qui minus sciunt de lege, videlicet qui sciunt solum ea quae sunt in aperto, et quae quilibet de facili videre potest. Sed de hoc non est vis, quia continuationem non variat. Deinde cum dicit, *Ibi me docebis*, ostendit qualis sit ista utilitas filiorum, si in corda eorum introducatur Christus. Et assignat triplicem utilitatem. Prima est illuminatio intellectus; secunda inflammatio affectus; tertia bonitas operum, vel promotio effectus. Illuminatio intellectus ostenditur cum dicitur, *Ibi me docebis*, si te introduxero in corda filiorum meorum, illuminando intellectum eorum, quia aliter doceri non possunt: quod enim fit filiis suis, Synagoga quasi bona mater reputat sibi factum; et ideo dicit, *Ibi me docebis*. Inflammationem autem affectus tangit cum dicit: *Et dabo tibi poculum*, idest post talem illuminationem intellectus, filii mei grati dabunt tibi poculum, idest affectum inflammatum, et desiderium *ex vino condito*, idest ex abundantia laetitiae spiritualis, vel ex dulcedine gratiae, et suavitate contemplationis, *In Ioan. 2. lect. 2.* Bonitatem vero operum tangit cum dicit: *Et mustum malorum granatorum meorum*, idest opera exteriora, quae dicuntur mustum, quia sicut tale mustum exprimitur de granis malorum granatorum, sic opera exteriora bona de puro corde, et caritate perfecta. Cor autem potest dici malum granatum, quia continet ipsas affectiones, quasi grana parva rubricata, et decorata per caritatem: hoc tibi dabo, Christe, munus acceptum. Hae sunt igitur utilitates propter quas desidero, o Christe mi, te venire in corda filiorum meorum, scilicet ut illumines intellectum eorum, inflammes affectum, multiplices effectum. Deinde cum dicit, *Laeva eius sub capite meo*, quia ex eo quod petierat Synagoga tenere Christum ad utilitatem filiorum, videbatur ex hoc ipsorum filiorum habere curam; hic declarat quomodo haec cura sit iutelligenda. Haec autem declaratio in hoc consistit quod Synagoga, vel Ecclesia, vel praelatus, qui per dicta intelligi possunt, prius debent intendere sibi per vitam contemplativam, et postea subditis per activam *2. 2. q. 182. a. 1.* Ideo ait Synagoga, Ecclesia, vel praelatus: *Laeva eius*, idest sinistra Christi, per quam intelligitur vita activa, erit *sub capite meo*, idest secundario intenta; *et dextera illius*, idest vita contemplativa, per quam intendo mihi, *amplexabitur me*, idest erit super me, et cooperiet me: quia primo intendam mihi, postea vobis. Deinde cum dicit, *Adiuro vos*, confirmat Christus quod Synagoga declaraverat, dicens, *Filiae Hierusalem, adiuro vos*, idest obsecro vos, *ne suscitetis*, a quiete, *neque evigilare faciatis*, a somno contemplationis, *dilectam* meam, idest Synagogam matrem vestram, quae mihi est dilecta, quia ad me conversa, *donec ipsa velit*, cum prius debeat intendere sibi, postea vobis.

Deinde cum dicit, *Quae est ista?* sequitur illa pars in qua finitur tractatus de conversione, et est finis in laude eius. Quam quadrupliciter commendat. Primo ab ascensu: nam ascendere ad Deum est laudabile, et etiam mirabile; ideo cum admiratione ait: *Quae est ista quae ascendit?* Secundo commendat eam a loco ascensionis, unde ascendit, cum ait, *De deserto*, idest de spinis tribulationum, et de tribulis afflictionum: nam in primitiva Ecclesia fuerunt magnae persecutiones, et maiores erunt in ultima: idcirco quando laudavit Ecclesiam modernam, non laudavit eam quasi ascendentem de deserto vel per desertum, sed quasi auroram consurgentem. Tertio commendatur Ecclesia ultima ab ornatu, cum dicitur, *Deliciis affluens*, idest ornata bonis desideriis, et bonis operibus, ut Glossa videtur exponere. Quarto et ultimo commendatur a modo ascendendi, cum dicitur, *Innixa super dilectum suum*, idest super Christum, cuius virtute ascendit: propter quod commendabilis est ipsa Ecclesia, quia magna gloria est sequi Dominum suum, sed maior inniti ei, quia maioris caritatis est signum, sicut de B. Ioanne Evangelista dicitur, quod recubuit supra pectus Domini *Ioan. 21.*

*Sub arbore malo suscitavi te.* Superius determinatum est de conversione Synagogae; in parte ista invitatur Ecclesia ad habendam curam, et ad praebendum auxilium Synagogae iam conversae. Et dividitur haec

pars in tres partes. Primo Christus reducit ad memoriam Ecclesiae suum beneficium, et subventionem; secundo ex hoc rependi sibi petit perpetuam dilectionem, ibi, *Pone me ut signaculum;* tertio ex ipsa dilectione quam Ecclesia tenetur habere ad Christum, invitat ipsam ad Synagogam iuvandam, ibi, *Soror nostra parva.* Reducit ergo Christus ad memoriam Ecclesiae gentium beneficium quod sibi contulit, dicens, *Sub arbore malo,* idest sub cruce: quae dicitur arbor malus, vel quia ad litteram fuit de malo; vel quia arbor crucis fuit fructifera, sicut arbor quae dicitur malus. Sub cruce ergo vel sub tali arbore, *suscitavi te:* erat enim Ecclesia gentium mortua, sed suscipiendo beneficium crucis revixit. Dat autem modum quomodo suscitavit Ecclesiam gentium, dicens: *Ibi*, scilicet *sub arbore malo,* sive sub cruce, *corrupta est mater tua*, idest idololatria quam sequebaris ut matrem, secundum quam eras caeca; *ibi violata est genitrix tua*, idest ablata est a te malitia tua, quam imitabaris ut genitricem, secundum quam eras depravata in affectu. Deinde cum dicit, *Pone me ut signaculum iuxta cor tuum*, petit perpetuam dilectionem; et duo facit. Primo exposcit praedictam dilectionem; secundo ad hoc inducit multiplicem rationem, ibi, *Quia fortis est ut mors dilectio.* Continuatur sic. Tu, Ecclesia gentium, suscitata es a me per passionem crucis, quia per talem passionem ego removi errorem idololatriae a tuo intellectu, et malitiam a tuo affectu: ergo quia tantum bonum contuli tibi, *pone me ut signaculum super cor tuum,* diligendo me perpetuo, non volendo aliquid mihi contrarium; nec debes operari aliquid quod mihi displiceat: ita quod per signaculum cordis debemus intelligere impressam dilectionem, per quam unum fiat anima cum Deo, ei inseparabiliter adhaerendo; et per signaculum brachii bonam operationem exteriorem, quia brachium est extra. Deinde cum dicit, *Quia fortis est ut mors dilectio,* assignat eius quod dixerat, multiplicem rationem. Ad cuius evidentiam notandum, quod una ratio propter quam debemus Deo perpetuam dilectionem, sumitur ex beneficiis nobis collatis; et hanc tetigit supra cum dixit: *Sub arbore malo suscitavi te.* Alia ratio sumitur ex ipsa dilectione: nam quia Deus nos dilexit, congruum est quod et nos eum diligamus. Habuit autem Christi dilectio ad nos quatuor conditiones, secundum quas sumi possunt quatuor rationes propter quas debemus ei perpetuam dilectionem. Prima ratio sumitur ex dilectionis eius immensitate; secundo ex dilectionis eius utilitate, ibi, *Lampades eius;* tertia ex dilectionis eius firmitate, vel stabilitate, ibi, *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem;* quarta ex dilectionis eius pretiositate, ibi, *Si dederit homo.* Prima ratio talis est. Quilibet debet perpetuam dilectionem illi qui diligit eum in immensum, et supra modum. Sed ego Christus, o Ecclesia, dilexi te in immensum. Ergo mihi debes, ut grata sis, perpetuam dilectionem. De hac ratione ponit solum medium, scilicet quod Christus valde Ecclesiam dilexit. Unde continuatur sic littera. O Ecclesia, de iure debes me ponere ut signaculum super cor tuum, et super brachium tuum, ut perpetuo me diligas, et nihil contra me opereris: quia *dilectio* quam habui ad te, est et fuit excellens, et immensa: *est* enim *fortis ut mors;* quae, ad litteram, tanta fuit quod sicut mors separavit animam a corpore, quando mori volui pro amore tuo, ut vivas: etiam *aemulatio*, idest excessus amoris quem habui ad te, fuit *dura sicut infernus:* quia dolores quos amore tui sustinui, similes fuerunt doloribus inferni: nam dolori meo non potuerunt dolores super terram comparari; iuxta illud quod habetur *Threnorum 1. O vos omnes qui transitis per viam, venite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

Deinde cum dicit, *Lampades eius lampades ignis*, adducit ad hoc secundam rationem, quae talis est. Quilibet debet amorem perpetuum ei de cuius amore consequutus est magnam utilitatem. Sed tu, Ecclesia, de amore quem habui, et habeo ad te, consequuta es magnam utilitatem. Ergo etc. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic. Bene dico, quod debes perpetuo me diligere, quia *lampades eius*, idest dilectionis quam habeo, et habui, sunt valde utiles: sunt enim *lampades ignis*, quae purgaverunt tuum intellectum, et inflammaverunt tuum affectum ad omne bonum, *atque* sunt (supple lampades) *flammarum*, inquantum illuminaverunt tuum intellectum ad omne verum necessarium: ex dilectione enim quam Christus habuit ad nos, consequimur perfectionem intellectus, et affectus, quibus in hac vita hominibus nihil est utilius. Deinde cum dicit, *Aquae multae,* adducit ad hoc tertiam rationem, quae talis est. Quilibet debet perpetuam dilectionem illi qui diligit eum perpetuo, et perseveranter. Sed ego, o Ecclesia, dilexi te perpetuo, et perseveranter. Ergo etc. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic littera. O Ecclesia, de iure debes me diligere perpetuo, et perseveranter, quia perpetuo, et perseveranter te dilexi: quod apparet, quia *aquae multae*, idest tribulationes multae, quantum ad quantitatem numerosam, et quantum ad magnitudinem poenosam, *non potuerunt extinguere caritatem; nec flumina*, quantum ad impetuositatem, *obruent illam,* scilicet caritatem qua te dilexi, et diligo. Deinde cum dicit, *Si dederit homo,* ponit ad hoc quartam rationem, quae talis est. Quilibet debet amorem perpetuum illi qui diligit eum amore caro, et pretioso. Tali amore, o Ecclesia, ego dilexi te. Ergo etc. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic littera. O Ecclesia, de iure debes me diligere perpetuo, quia amore valde caro, et pretioso dilexi te: fuit enim amor meus adeo pretiosus quod *si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione,* quam habui, et habeo ad te, non potuerit aequo pondere adaequari pretio dilectionis: immo, si bene considerabit, *quasi nihil despiciet*, et computabit *eam* substantiam, respectu dilectionis meae, cui nihil terrenum potest comparari, cum incomparabiliter excedat. Deinde cum dicit, *Soror nostra parva*, ex dilectione quam Ecclesia debet habere ad Christum, Christus invitat eam ut subveniat Synagogae iam conversae. Notandum autem, quod non sine causa Christus assignavit tot rationes ad ostendendum quod Ecclesia debet eum valde diligere: nam si ex tali dilectione Christus intendit inducere Ecclesiam, quod amore sui in ultimis saeculis subveniat Synagogae conversae, quia tunc erit magna persecutio, non fuit superfluum assignare rationes praedictas. Dividitur autem pars haec in partes tres: quia primo ponitur Christi invitatio; secundo subiungitur praedictae invitationis specificatio, ibi, *Si murus est;*

tertio additur Ecclesiae responsio, ibi, *Ego murus.* Intendit autem in invitando talem rationem. Quicumque diligit multum aliquem, debet amore illius subvenire omnibus illis qui habent affinitatem et coniunctionem ad illum. Sed tu, Ecclesia, debes mihi magnum amorem, ut ostensum est. Ergo debes subvenire Synagogae, quae mihi attinet, et est mihi coniuncta, quia est soror mea. Et debet subventio operosius fieri, quanto indigentia plus requirit. Et sic erit de Synagoga in fine temporum: propter quod dicit, *Soror nostra;* mea affinitate carnali, tua spirituali, quia ad eamdem gratiam colligenda; et sic debes caritate moveri, quia mihi coniuncta, et coniungenda tibi. Ad hoc etiam moveri debes ex eius indigentia, quia *parva*, idest de novo conversa; et ideo indiget confirmatione : *et ubera non habet*, idest doctores non habet de se, nec habere potest extra te; propter quod indiget tua instructione, ut per te nutriatur lacte doctrinae. Huic invitationi consentiens Ecclesia de auxilio Synagogae ferendo, doceri petit a sponso, et magistro, dicens: *Quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est*, de sui erroris correptione? quasi dicat: Quod auxilium fiet ei? Deinde cum dicit, *Si murus est*, respondet Christus quaestioni, et specificat quod auxilium Synagogae debeat impendi. Ad cuius evidentiam est notandum, quod sicut in esse naturae prius aliquid accipit quod possit subsistere in forma acquisita, et hoc primo competit rei a principio suae generationis; et postea accipit quod secundum formam illam possit sibi simile producere, quod ei non competit nisi quando est iam perfecta, quia unumquodque tunc est perfectum quando potest sibi simile generare; sic in esse spirituali prius accipit homo quod stet in dono sibi caelitus infuso; et tunc dicitur murus, quia habet quod stet, non quod alios adducat; et postea quando est perfectus secundum donum illud accipit quod alios manuducat ad Christum; et tunc dicitur ostium, quia alios ad Christum potest introducere. Hoc viso continuetur sic littera. Tu, Ecclesia, interrogas, et vis a me doceri quod auxilium debeat Synagogae dari: hoc specifico, et dico, quod *si est murus*, idest in esse spirituali nondum perfecta, quia non habet unde alios ad me introducere possit, sed tantum ut stet; ut firmius, et constantius perseveret, *aedificemus*, ego scilicet principaliter, et tu secundario mihi cooperando, *super eum*, idest dictum murum, *propugnacula argentea*, idest sententias divini eloquii firmas, et lucidas, sicut argentum est firmum, et lucidum; quibus in fide, et dilectione corda firmantur, iuxta illud *Ps. 118. Confirma me in verbis tuis*, quibus vitantur haereticorum, et daemoniorum tentationes. *Si* autem, idest si non est murus, sed *ostium est*, idest si ita iam perfecta est Synagoga ut possint per eam alii ad me introduci, *compingamus illud tabulis cedrinis*, idest ita ornemus sanctorum testimoniis, et exemplis, ut decore conversationis, et bono odore famae alii facilius per tale ostium inducantur venire ad me. Deinde cum dicit, *Ego murus*, ponitur Ecclesiae responsio; et dividitur haec pars in duas partes. Primo Ecclesia in sua responsione fatetur se paratam, et promptam ad subveniendum Synagogae; secundo ex hoc Synagoga consurgens in amorem Ecclesiae, confitetur, eam a Christo esse derivatam, et ab illo esse custoditam, et conservatam, ibi, *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Continuatur sic. Ego Ecclesia invitata a te, Domine Iesu Christe, de subveniendo Synagogae, sive sit murus, sive sit ostium, dico, quod amore tui sum parata subvenire Synagogae, non solum inquantum est ostium, idest inquantum habet esse perfectum, quia hoc non esset magnum, sed leve; immo secundum quod est murus, idest secundum quod habet esse imperfectum, parata sum non solum aedificare propugnacula argentea bonorum divinorum, sed etiam dare me ipsam murum ad confirmationem suam, iuxta illud *2. ad Corinth. 12. Ego ipse impendam, et superimpendar pro animabus vestris.* Hoc est ergo quod ait: *Ego*, pro Synagoga confirmanda, volo esse *murus*, idest dare me ipsam, *et* ex hoc *ubera mea*, idest doctrina mea, erunt *sicut turris*, quia per omnia impensa clarior, et altior, et efficacior ad defendendum apparebit doctrina. Deinde cum dicit, *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, videns Synagoga dilectionem Ecclesiae ad ipsam, quia ex amore Dei parata erat pro sua confirmatione dare se ipsam, consurgit in amorem eius: et quae prius appellabat Ecclesiam gentium adulteram, et a Deo alienam, confitetur nunc esse veram sponsam Christi, et ab eo derivatam, custoditam et conservatam. Dividitur autem haec pars in duas partes: quia primo ponitur Synagogae de Ecclesia talis confessio; secundo, ne videatur imperfecta dicta Synagogae confessio, ponitur Christi suppletio, ibi, *Vinea mea.* Prima dividitur in duas. Primo Synagoga confitetur Ecclesiam a Christo derivatam; secundo confitetur eam a Christo derivatam, custoditam, et conservatam, ibi, *Tradidit eam.* Prima pars continuatur sic. Ego Synagoga olim ex odio quod habui ad te, non cognoscens, nec reputans eum esse verum Deum, fui excaecata in intellectu, ex quo etiam Ecclesiam odio habui, non credens eam veram vineam Christi; sed *ex quo facta sum coram eo*, idest Christo, *quasi* (expressive dictum, idest pro certo) *pacem reperiens*, per illuminationem fidei, et remissionem peccatorum, corrigo errorem meum, et culpam meam; et quod Ecclesia est vera sponsa Christi, confiteor, pro cuius amore parata est exponere se totam, ut pro me salutem, quae est in Christo, possit consequi. Unde vere ore et corde confiteor quod ipsa est vera sponsa Christi. *Et vinea fuit pacifico*, idest Christo, qui pacem attulit mundo, *in ea* (supple, fide) *quae habet populos*, idest in fide catholica, quod idem est quod universalis, idest populorum multorum. Notandum etiam, quod non dicit, In ea fide quam habent populi, sed *quae habet populos*, quia quodlibet donum divinum magis habet nos quam nos habeamus ipsum, inquantum huiusmodi dona respectu bonorum operum sunt principaliora quam liberum nostrum arbitrium. Deinde cum dicit, *Tradidit eam custodibus*, ostendit Ecclesiam a Deo custoditam, et conservatam, dicens : Bene dico, quod Ecclesia fuit vinea ipsi Christo, quia Christus *tradidit eam custodibus*, idest Angelis, Apostolis, et praelatis, quorum quilibet praelatus *vir*, idest habens vires in operando in ista vinea, corde fideli *affert* (supple, Christo) *mille argenteos*, idest totum tribuit Christo quod sequitur *de fructu eius*, sive sit temporale, sive sit spirituale. Deinde cum dicit, *Vinea mea*, quia male ab aliquibus praedicta confessio posset intelligi, Christus in hac parte supplet confes-

sionem Synagogae. Et circa hoc duo facit. Primo supplet dictam confessionem; secundo ex dilectione quam habet Synagoga ad Ecclesiam, invitat Ecclesiam ad subventionem Synagogae, ibi, *Quae habitas in hortis.* Dupliciter autem posset alicui videri defectus in praedicta Synagogae confessione. Primo in custodiae assignatione, quia dixerat, quod Christus *tradidit eam custodibus*, posset aliquis intelligere, Christum eam dereliquisse. Ad hoc excludendum supplet Christus: *Vinea mea coram me est;* quasi dicat: Sic tradidi Ecclesiam meam custodiendam aliis, quod etiam per me ipsum immediate habui curam eius, cum sim verus Deus, omnia immediate conservans. Secundo in fructus assignatione, quia dixerat, *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*, cum in Ecclesia nomine viri possint activi intelligi, posset ex hoc videri alicui, quod soli activi in Ecclesia fructificarent; ideo Christus supplet hanc confessionem, ostendens quod etiam contemplativi in Ecclesia fructificant; ideo subdit: O Ecclesia, *pacifici tui*, idest contemplativi, qui dicuntur pacifici, quia sunt ab implicationibus saecularibus, quae turbant, abstracti: isti, inquam, tales sunt *mille*, idest perfecto fructu respondentes: sic dictum est supra, quod *vir affert pro fructu eius mille argenteos*, et *mille* sunt *pacifici*, idest contemplativi, numero et fructu perfecti. Sed quia ad perfectionem vitae oportet non solum habere vitam contemplativam, sed etiam activam ad curam aliorum (et tamen maius est meritum in contemplatione, quam in actione) ideo postquam dixit, *Mille tui pacifici*, subdit: *Et ducenti his qui custodiunt fructus eius*, idest merita Ecclesiae, ubi maior numerus geminatur, scilicet centenarius (qui etiam geminatus ad ultimum numerorum limitem, qui est mille, non pervenit) quia licet vita contemplativa sit meriti amplioris, tamen activa simul et contemplativa meretur pluribus modis. Unde *super illud, Ducenti etc.* dicit Glossa interlinearis: *Duplex meretur praemium qui et se tuetur, et alios lucratur.* Deinde cum dicit, *Quae habitas in hortis*, Christus invitat Ecclesiam ad subveniendum Synagogae, eo quod Synagoga eam diligit: et circa hoc duo facit. Primo ponitur eius invitatio; secundo Ecclesiae responsio, ibi, *Fuge, dilecte mi.* Continuatur sic. Usque nunc induxi te, o Ecclesia, ad subveniendum Synagogae ex amore meo: cum ergo ipsa Synagoga te diligat (quod apparet quia confessa est, te esse veram sponsam, et vineam meam) huiusmodi amicitia, qua una, confessione et fide, facta est tecum in me, debet te movere ad subveniendum ei; et hoc est quod ait: Tu, Ecclesia, *quae habitas in hortis*, idest in spiritualibus deliciis, *amici*, idest Iudaei, qui iam facti sunt amici tui, quia fideles mei, *auscultant*, idest parati sunt, et expectant te audire, et a te doceri, et desiderant voto cordis, dicentes: *Fac*, o Ecclesia, *me* Synagogam, gratam tibi, fide, et caritate sociatam, *audire vocem tuam*, scilicet in praedicatione. Potest etiam hoc accipi ut sit verbum Christi invitantis Ecclesiam, ut doceat Synagogam. Et dicit, *Me audire*, quia reputat sibi fieri quod fit aliis propter ipsum. Ultimo autem cum dicit, *Fuge dilecte mi*, ponitur Ecclesiae responsio, quae est quod tamquam bona sponsa optat ad tempus ab illo separari; non ab eius fide, vel amore, sed ab eius suavitate; hoc est, contemplationis dulcedine ad tempus carere ut possit Iudaeis iam conversis, et sic factis fratribus, intendere per informationem morum, et doctrinae; ideo ait: Tu, *Dilecte mi*, idest tu, Christe, qui habitas *super montes aromatum*, propter altitudinem devotionis, et odorem bonae conversationis, et sanctae operationis, *fuge*, idest mihi contemplationis dulcedinem subtrahe, ut possim commodius instructioni, et informationi Iudaeorum vacare; tamen nolo quod hoc sit perpetuo, sed solum ad tempus. Et ideo ait: *Et assimilare capreae*, videndo meos defectus, et quam sis mihi in contemplatione necessarius. *Assimilare* etiam *hinnulo cervorum*, ut ad me agiliter per contemplationem redeas, teque mihi cum delectabili contemplatione infundas. Quod in praesenti vita secundum statum viatorum, et in futura per apertam visionem comprehensorum, dignetur Christus operari in nobis; qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

FINIS.

# INDEX RERUM


## A

Albertus Magnus D. Thomae magister. p. v
Amoris languor quid? p. 6 et 72. amor dicitur somnus. p. 9. amoris Dei qualitas. p. 29. eius vis. p. 30
Amoris Christi ad nos quatuor conditiones, ac totidem rationes, ut redamemus. p. 68
Aquini Comites in Sicilia progenitores D. Thomae. p. v
Ascensionis Christi utilitas. p. 32

## B

Beatitudinis appetitus in genere, et in specie. p. 38
Bethara, vel Bethel quid significet. p. 8 et 46
D. Bonaventura D. Thomae coaetaneus. p. xii
Bonorum sensibilium, et intellectualium diversitas. p. 38
Bonitas interior in quibus consistat. p. 65

## C

Canticorum libri finis dilectio; et quo sensu. p. 34
Cantica Canticorum quare sic dictus liber. p. 1 et 34, eius obscuritas. p. 1. et materia. p. 34. eius divinitas unde eruatur. p. 29
Canticorum libri modus est principaliter affectivus. p. 34
Caritas opera bona informare debet. p. 62. Caritas ordinata quid? p. 8
Carolus Rex Thomam Neapolim vocat ad regendam cathedram. p. viii
Cellaria Dei aeterna beatitudo. p. 2
Christus dicitur pastor. p. 2 et 3. Rex. p. 4. Flos et lilium. p. 5
Christi desponsatio. p. 11. eius dilectio erga Ecclesiam. p. 14 et 68
Christi operationes distinctae. p. 21. comparantur Sapphyris. p. ib.
Christus totus desiderabilis quare? p. 21
Christi coronatio, et desponsatio. p. 49
Christus est dilectus ex dilecto. p. 57. idem tripliciter considerari potest. p. 57
Christus est caput Ecclesiae. p. 57. declaratur secundum membra. p. ib. Consideratur secundum utramque naturam. p. 58
Conscientia quomodo consideratur. p. 46
Contemplationis philosophicae, et spiritualis differentiae p. 37
Contemplatio potior est actione. p. 43
Crucis Christi simbolum. p. 30
Currus Pharaonis, et currus Dei, qui? p. 3

## D

David Christum significat. p. 13
Diabolus dupliciter nos vincit. p. 52
Diei nomine vita aeterna indicatur. p. 13
Doctores Ecclesiae significantur per collum. p. 3 et 26. per turtures. p. 7. per oculos. p. 12 et 26. per vigiles. p. 9 et 19. per fortes. p. 10. per columnas. p. 10. per dentes Ecclesiae. p. 12. per labia. p. 12. per ubera. p. 13. 14 et 25

## E

Ecclesia incipit loqui sub nomine sponsae. p. 2. nigra, et formosa quare dicatur. p. 2 et 39. dicitur vinea. p. 2. 8 et 69. assimilatur turturi. p. 3. columbae. p. 4 et 7. dicitur lectulum. p. 10 et 49. ferculum. p. 10. bis dicitur pulchra. p. 12. tota pulchra. p. 13. sponsa et soror. p. 14 et 15. hortus. p. 15. fons. 15. fons et puteus. p. 16. soror, amica, columba, etc. p. 18. Dicitur ordinata ob tres fidelium ordines. p. 22. una. p. 23 et 39. dupliciter accipitur. p. 38. uniformiter non recipit Christi dulcedines. p. 55. quadrupliciter est unita. p. 60
Ecclesiae persecutiones. p. 16. eius aromata et unguenta quid? p. 14. eius vestimenta. p. 15. eius rectitudo. p. 26. eius triplex status. p. 35. eius status diversitates. p. 59
Ecclesiae primitivae, et modernae turbationes. p. 38 et 56
Ecclesiae pulchritudo non debet referri ad actum. p. 51
Elatae palmarum, quid? p. 20

## F

Fidei qualitas. p. 45
Fossaenovae extremo morbo laborat D. Thomas. p. vii et xviii
Fratres D. Thomae duo. p. v

## G

Galaad quid significat. p. 23
Gratiae Christi vis, et suavitas. p. 37 et 52
Gratia est mater omnium. p. 47

## H

Halensis falso D. Thomae magister praedicatur. p. xii
Haeretici greges sodalium dicuntur. p. 3 et 39. Vulpes. p. 8. quomodo superandi. p. 8
Helias typus Christi. p. 26
Hierusalem filiae, animae fideles. p. 19
Hierusalem quid significet. p. 22
Hyacinthi quid significent. p. 20

## I

Incarnationis Christi figura. p. 6. eius desiderium. p. 29
Incontinentiae mala. p. 63

Inspirationis divinae motiones. p. 18 et 19
Iudaica plebs in deserto typus Ecclesiae. p. 10

L

Laudes D. Thomae. p. v
Laudes Sponsae a gressibus orditur Sponsus. p. 25

M

Mare rubrum simbolum baptismi. p. 3
Matrimonii spiritualis, et carnalis differentia. p. 36
Myrrha simbolum continentiae. p. 16. et mortificationis. p. 18 et 47

N

Nardus typus Dominicae passionis. p. 15
Neapoli Theologicam cathedram ascendit D. Thomas. p. VII et XVIII.
Neapolitanum Archiepiscopatum detrectat D. Thomas. p. VII
Numeri denarii et sexagenarii significatio. p. 23 et 48

O

Olei nomine Spiritus S. intelligitur. p. 2
Opera bona Deo referenda. p. 54
Orationes quare non statim exaudiantur. p. 21
Osculum oris Dei quid sit. p. 36

P

Palmae arboris significationes. p. 27 et 64
Passio Christi fasciculus myrrhae. p. 41
Philosophi Deum requirentes. p. 9
Praedestinationis Dei occulta iudicia. p. 3
Praedicationis officia. p. 18
Praedicatoris mores. p. 49
Praemium aeternum duplex. p. 40
Praelatorum officia. p. 43 et 45

Q

Quadrigae Aminadab, quid? p. 24

R

Ratio humana fidem defendit, non probat. p. 59. F. Romanus e vita migrans D. Thomae apparet. p. XVII

S

Salomonis nomina, et libri. p. 34
Salomon auctor libri Canticorum. p. 1
Scripturae sunt propugnacula. p. 13. sunt favus distillans. p. 15
Sol quid significet in Scripturis. p. 2
Spiritus S. quare in ignis specie. p. 12. eius dona. p 20
Sponsa ter invitatur a Christo, quare? p. 51
Synagoga quare Christi adventum cupiat. p. 1. eius excusatio quare Christum nescierit p. 61. eius futura pulchritudo a Deo praevisa. p. 62

T

Tentationes omnes superari possunt ab Ecclesiae filiis. p. 52
D. Thomae parentes, qui? p. v. educationis ergo traditur Cassinensibus monachis. p. v. Praedicatorum habitum induit. p. v. a fratre vi ereptus in castrum transmittitur. p. v. tentatur de abiicienda veste religiosa. p. v et x. Summam Theologicam ubi, et quo tempore scripserit. p. VI et XVII. ad Concilium Lugdunense vocatur. p. VII. an Benedictino Ordini adscriptus fuerit. p. VIII annorum XX. spatio omnia opera scripsit. p. XVIII

V

Ubi quotupliciter accipitur. p. 59
Verborum Dei saturitas, quid? p. 17
B. Virgo est areola aromatum. p. 59
Vocatio Dei quot modis fiat. p. 14
Umbra mortis praesens vita. p. 13
Vulnera Christi foramina petrae. p. 7 et 45

FINIS.

# COMMENTARIA

## IN EPISTOLAS OMNES D. PAULI

ANGELICI DOCTORIS

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

# COMMENTARIA

## IN EPISTOLAS OMNES D. PAULI

---

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM IN EPISTOLAM **AD ROMANOS**.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLVI.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

IN EXPOSITIONEM

# OMNIUM EPISTOLARUM D. PAULI

## PROLOGUS.

VAS ELECTIONIS EST MIHI ISTE, UT PORTET NOMEN MEUM CORAM GENTIBUS, ET REGIBUS, ET FILIIS ISRAEL: *Act. 9. 15.*

Homines in sacra Scriptura inveniuntur vasis comparati propter quatuor, scilicet propter constitutionem, repletionem, usum, et fructum. Primo quantum ad constitutionem; vas enim artificis arbitrio subiacet: *Hier. 18. 4. Fecit illud vas alterum sicut placuerat ei ut faceret*; sic et constitutio hominum subiacet Dei arbitrio, de quo *in Psal. 99. 3. Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Unde Isaias *45. 9.* dicit: *Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?* Et infra *ad Roman. 9. 20. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?* Et inde est quod secundum voluntatem Dei artificis diversa invenitur vasorum constitutio: *2. Timoth. 2. 20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed etiam lignea, et fictilia.* Beatus autem Paulus, qui vas electionis nominatur in verbis propositis, quale vas fuerit patet per id quod dicitur *Eccli. 50. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Aureum quidem vas fuit propter fulgorem sapientiae; de qua potest intelligi quod dicitur *Gen. 2. 12. Et aurum terrae illius optimum est:* quia, ut dicitur *Proverb. 3. 15. pretiosior est cunctis opibus.* Unde et beatus Petrus testimonium perhibet ei, dicens *2. Petr. 3. 15. Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Solidum quidem fuit virtute caritatis, de qua dicitur *Cant. ult. 6. Fortis est ut mors, dilectio.* Unde et ipse dicit *Rom. 8. 38. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterunt nos separare a caritate Dei.* Ornatum autem fuit omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus, de quibus dicitur *2. Corinth. 3. 12. Si quis superaedificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos etc.* Unde et ipse dicit *2. Corinth. 1. 12. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Quale autem fuerit istud vas, patet ex hoc quod talia propinavit: docuit enim excellentissime divinitatis mysteria, quae ad sapientiam pertinent, ut patet *1. Cor. 2. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Commendavit etiam excellentissime caritatem, *1. Cor. 13.* Instruxit homines de diversis virtutibus, ut patet *Coloss. 3. 12. Induite vos sicut electi Dei sancti, et dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*

Secundo etiam ad vasa pertinere videtur ut liquore aliquo impleantur, secundum illud *4. Reg. 4. 3. Illi offerebant vasa, et illa infundebat.* Invenitur etiam inter vasa diversitas quantum ad huiusmodi plenitudinem: nam quaedam inveniuntur vasa vini, quaedam olei, et diversa diversi generis; sic etiam et homines diversis gratiis, quasi diversis liquoribus, replentur divinitus: *1. Corint. 12. 8.*

*Alii datur per Spiritum sermo sapientiae , alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum etc.* Hoc autem vas de quo nunc agitur , plenum fuit pretioso liquore , scilicet nomine Christi , de quo dicitur *Cantic. 1. 2. Oleum effusum, nomen tuum.* Unde dicitur, *Ut portet nomen meum.* Totus enim videtur fuisse hoc nomine plenus , secundum illud *Apocal. 3. 12. Scribam super eum nomen meum.* Habuit enim hoc nomen in cognitione intellectus, secundum illud *1. Cor. 2. 2. Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Christum.* Habuit etiam hoc nomen in dilectione affectus, secundum illud *Rom. 8. 35. Quis nos separabit a caritate Christi: 1. Cor. ult. 22. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum , sit anathema.* Habuit etiam ipsum in tota vitae suae conversatione : unde dicebat *Gal. 2. 20. Vivo autem iam non ego , vivit vero in me Christus.*

Tertio quantum ad usum considerandum est, quod omnia vasa alicui usui deputantur; sed quaedam ad honorabiliorem , quaedam ad viliorem , secundum illud *Rom. 9. 21. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sic etiam homines secundum divinam ordinationem diversis usibus deputantur, secundum illud *Eccli. 33. 10. Omnes homines de solo , et ex terra , unde et creatus est Adam. In multitudine disciplinae Dominus separavit eos , et immutavit vias eorum : ex ipsis benedixit , et exaltavit . . . maledixit , et humiliavit.* Hoc autem vas ad nobilem usum est deputatum , est enim vas portatorium divini nominis : dicitur enim : *Ut portet nomen meum:* quod quidem nomen necessarium erat portari, quia longe erat ab hominibus , secundum illud *Isa. 30. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Est autem nobis longinquum propter peccatum , secundum illud *Psal. 118. 155. Longe a peccatoribus salus.* Est etiam longinquum nobis propter intellectus obscuritatem: unde et de quibusdam dicitur *Hebr. 10.* quod *erant a longe aspicientes :* et *Numer. 24. 17.* dicitur : *Videbo eum , sed non modo ; intuebor illum , sed non prope.* Et ideo sicut Angeli divinas illuminationes ad nos deferunt tamquam a Deo distantes; ita Apostoli evangelicam doctrinam a Christo ad nos detulerunt ; et sicut in veteri testamento post legem Moysi leguntur Prophetae , qui legis doctrinam populo tradebant , secundum illud *Malach. 4. 4. Mementote legis Moysi servi mei* ; ita etiam in novo testamento post Evangelium legitur Apostolorum doctrina , qui ea quae a Domino audierunt , tradiderunt fidelibus , secundum illud *1. Corint. 11. 23. Accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Portavit autem beatus Paulus nomen Christi primo quidem in corpore , conversationem , et passionem eius imitando , secundum illud *Galat. ult. 17. Ego enim stigmata Christi Iesu in corpore meo porto.* Secundo in ore , quod patet in hoc quod in Epistolis suis frequentissime Christum nominat : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* , ut dicitur *Matth. 12. 34.* Unde potest significari per columbam , de qua dicitur *Genes. 8* quod venit ad arcam portans ramum olivae in ore suo. Quia enim oliva misericordiam significat , congrue per ramum olivae accipitur nomen Iesu Christi , quod etiam misericordiam significat , secundum illud *Matth. 1. 21. Vocabis nomen eius Iesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad arcam , scilicet Ecclesiam , quando eius virtutem , et significationem multipliciter expressit, Christi gratiam , et misericordiam ostendendo : unde ipse dicit *1. Tim. 1. 16. Ideo misericordiam consequutus sum , ut in me primum ostenderet Iesus Christus omnem patientiam.* Et inde est quod sicut inter Scripturas veteris testamenti maxime frequentantur in Ecclesia Psalmi David, qui post peccatum veniam obtinuit ; ita in novo testamento frequentantur Epistolae Pauli , qui misericordiam consequutus est , ut ex hoc peccatores ad spem erigantur: quamvis possit et alia ratio esse, quia in utraque Scriptura fere tota Theologiae continetur doctrina. Tertio portavit non solum ad praesentes , sed etiam ad absentes, et futuros, scripturae ipsum tradendo, secundum illud *Is. 8. 1. Sume tibi librum grande , et scribe in eo stilo hominis.* In hoc autem officio portandi nomen Dei ostenditur eius excellentia quantum ad tria. Primo quidem quantum ad electionis gratiam : unde dicitur vas electionis : *Ephes. 1. 4. Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.* Secundo quantum ad fidelitatem , quia nihil sui quaesivit , sed Christi , secundum illud *2. Cor. 4. 5. Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Christum Iesum.* Unde dicit : *Vas electionis est mihi.* Tertio quantum ad singularem excellentiam : unde ipse dicit *1. Cor. 15. 10. Abundantius illis omnibus laboravi.* Unde signanter dicit : *Vas electionis est mihi :* quasi prae aliis singulariter.

Quantum ad fructum considerandum est , quod quidam sunt quasi vasa inutilia, vel propter peccatum , vel propter errorem , secundum illud *Hier. 51. 34. Reddidit me quasi vas inane.* Sed beatus Paulus fuit purus a peccato , et errore : unde fuit vas electionis utile , secundum illud *2. Tim. 2. 21. Si quis emundaverit se ab istis* ( scilicet erroribus , et peccatis ) *erit vas in honorem sanctificatum , utile Domino.* Unde utilitas , sive fructus huius vasis exprimitur cum dicitur , *Coram Gentibus* , quarum doctor fuit , secundum illud *1. Tim. 2. 7. Doctor Gentium in fide et veritate : et regibus* , quibus fidem Christi annuntiavit , sicut Agrippae , ut habetur *Act. 26.* et etiam Neroni, et

eius principibus : unde dicit *Philip. 1. 12. Quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii ; ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio : Isai. 49. 7. Reges videbunt, et consurgent principes : et filiis Israel*, contra quos de Christo disputabat: *Act. 9. 22. Saulus autem magis convalescebat, et confundebat Iudaeos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.*

Sic igitur ex verbis praemissis possumus accipere quatuor causas huius Operis, scilicet Epistolarum Pauli, quas prae manibus habemus. Primo quidem auctorem in vase. Secundo materiam in nomine Christi, quae est plenitudo vasis : quia tota doctrina haec est de doctrina Christi. Tertio modum in usu portationis: traditur enim haec doctrina per modum Epistolarum, quae per nuntios portari consueverunt, secundum illud *2. Paral. 30. 6. Perrexerunt cursores cum Epistolis ex Regis imperio, et principum eius.* Quarto distinctionem operis in utilitate praedicta : scripsit enim quatuordecim Epistolas, quarum novem instruunt Ecclesiam Gentium: quatuor praelatos, et principes Ecclesiae, idest Reges; una populum Israel, scilicet quae est ad Hebraeos filios Israel. Est enim haec doctrina tota de gratia Christi: quae quidem potest tripliciter considerari. Uno modo secundum quod est in ipso capite, scilicet Christo; et sic commendatur in Epistola ad Hebraeos. Alio modo secundum quod est in membris principalibus corporis mystici; et sic commendatur in Epistolis quae sunt ad praelatos. Tertio modo secundum quod est in ipso corpore mystico, quod est Ecclesia; et sic commendatur in Epistolis quae mittuntur ad Gentiles: quarum haec est distinctio. Nam ipsa gratia Christi tripliciter potest considerari. Uno modo secundum se; et sic commendatur in Epistola ad Romanos. Alio modo secundum quod est in sacramentis gratiae; et sic commendatur in duabus Epistolis ad Corinthios: in quarum prima agitur de ipsis sacramentis, in secunda de dignitate ministrorum : et in Epistola ad Galatas, in qua excluduntur superflua sacramenta contra illos, qui volebant vetera sacramenta novis adiungere. Tertio consideratur gratia Christi secundum effectum unitatis, quem in Ecclesia fecit. Agit ergo Apostolus primo quidem de institutione ecclesiasticae unitatis in Epistola ad Ephesios; secundo de eius confirmatione, et profectu in Epistola ad Philippenses ; tertio de eius defensione, contra errores quidem in Epistola ad Colossenses, contra persecutiones vero praesentes in prima ad Thessalonicenses, contra futuras vero, et praecipue tempore Antichristi, in secunda. Praelatos vero Ecclesiarum instruit et spirituales, et temporales. Spirituales quidem de institutione, instructione, et gubernatione ecclesiasticae unitatis in prima ad Timotheum ; de firmitate contra persecutores in secunda ; tertio de defensione contra haereticos in Epistola ad Titum. Dominos vero temporales instruit in Epistola ad Philemonem. Et sic patet ratio distinctionis, et ordinis omnium Epistolarum.

Sed videtur quod Epistola ad Romanos non sit prima : prius enim videtur scripsisse ad Corinthios, secundum illud *Rom. ult. 1. Commendo autem vobis Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae quae est Cenchris*, ubi est portus Corinthiorum. Sed dicendum, quod Epistola ad Corinthios prior est in tempore scripturae, sed Epistola ad Romanos praemittitur tum propter dignitatem Romanorum, qui aliis Gentibus dominabantur, quia hic confutabatur superbia, quae est initium omnis peccati, ut dicitur *Eccli. 10.* tum quia etiam hoc exigit ordo doctrinae, ut prius gratia consideretur in se quam ut est in sacramentis.

Item quaeritur unde Apostolus hanc Epistolam scripsit. Augustinus dicit quod de Athenis, Hieronymus quod de Corintho. Nec est contradictio: quia forte Athenis incepit eam scribere, sed Corinthi consummavit.

Item obiicitur contra id quod in Glossa dicitur, quod aliqui fideles, antequam Petrus, Romanis praedicaverunt: in ecclesiastica vero Historia dicitur, quod Petrus primus praedicavit eis. Sed intelligendum est primus inter Apostolos, et cum sequela magni fructus. Ante vero praedicaverat Romae Barnabas, ut habetur in itinerario Clementis.

# EXPOSITIO EPISTOLAE

# AD ROMANOS.

## CAPITIS PRIMI

### LECTIO PRIMA

PAULUS servus Iesu Christi, vocatus Apostolus segregatus in Evangelium Dei.

Haec Epistola in duas partes dividitur, scilicet in salutationem, et epistolarem tractatum, qui incipit ibi, *Primum quidem gratias ago Deo meo.* Circa primum tria facit. Primo describitur persona salutans; secundo personae salutatae, ibi, *Omnibus, qui sunt Romae;* tertio salus optata, ibi, *Gratia vobis, et pax.* Circa primum duo facit: primo enim describitur persona auctoris; secundo commendatur eius officium, ibi, *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo.* Persona autem scribentis describitur a quatuor. Primo quidem ex nomine, cum dicit, *Paulus:* circa quod tria consideranda sunt. Primo quidem proprietas eius: hoc enim nomen (secundum quod his litteris describitur) non potest Hebraicum esse, quia apud Hebraeos non invenitur hoc elementum P; sed potest esse Graecum, et Latinum. Si tamen aliquod elementum ei propinquum sumatur, quod est P, potest esse Hebraeum. Secundo consideranda est eius significatio: secundum enim quod potest Hebraeum esse, idem est quod mirabilis, vel electus; secundum autem quod est Graecum, idem est quod quietus; secundum vero quod est Latinum, idem est quod modicus. Et haec quidem ei conveniunt. Electus quidem fuit quantum ad gratiam: unde *Act. 9. 15. Vas electionis est mihi iste.* Mirabilis fuit in opere, *Eccli. 43. 2. Vas admirabile opus excelsi.* Quietus in contemplatione, *Sapient. 8. 16. Intrans in domum meam conquiescam cum illa.* Modicus per humilitatem, *1. Corinth. 15. 9. Ego autem sum minimus Apostolorum.* Tertio considerandum est quando sit hoc nomen Apostolo impositum, cum tantum ante Saulus vocaretur, ut habetur *Act. 9.* Circa hoc triplex est opinio. Hieronymus dicit, quod cum prius vocaretur Saulus, postmodum voluit vocari Paulus, propter quoddam insigne suum, quod fecit, scilicet quia convertit Sergium Paulum proconsulem, ut habetur *Act. 13.* sicut et Scipio dictus est Africanus, quia devicit Africam. Alii vero dicunt, quod hoc nomen impositum est sibi propter profectum virtutum, qui ex hoc nomine signatur, ut dictum est. Imponuntur enim divinitus quibusdam nomina a principio nativitatis, ad designandum gratiam, quam a principio consequuntur, sicut patet de Ioanne Baptista, *Lucae 1.* Quibusdam vero mutantur nomina ad designandum profectum virtutis eorum, ut Chrysostomus dicit, sicut patet de Abraham *Gen. 17.* et de Petro *Matth. 16.* Alii vero dicunt, et melius, quod Paulus fuit a principio binomius: consuetum enim erat apud Iudaeos, ut simul cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum gentium quibus serviebant, sicut Graecis servientes nominabantur nominibus Graecorum, ut patet de Iasone, et Menelao *2. Machab. 4.* Hoc autem nomen Paulus ab antiquo celebre fuit apud Romanos; et ideo cum diceretur Saulus secundum Hebraeos, vocatus est etiam Paulus secundum Romanos: quo nomine non videtur usus nisi postquam coepit Gentibus praedicare: unde *Act. 13. 9* dicitur: *Saulus, qui et Paulus.* Et hoc magis adprobat Augustinus. Secundo describitur persona scribentis ex conditione, cum dicit, *Servus Christi.* Videtur autem esse abiecta conditio servitutis, si absolute consideretur: unde et sub maledicto pro peccato infligitur, *Genes. 9. 25. Maledictus Canaam puer, servus servorum erit fratrum suorum.* Sed redditur commendabilis ex eo quod additur, *Iesu Christi:* Iesus enim interpretatur Salvator, *Matth. 1. 21. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Christus interpretatur unctus, secundum illud *Psal. 44. 8. Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae:* per quod designatur dignitas Christi et quantum ad sanctitatem, quia sacerdotes ungebantur, ut patet *Ex. 29.* et quantum ad potestatem, quia etiam Reges ungebantur, ut patet de David, *1. Reg. 16.* et de Salomone, *3. Reg. 1.* et quantum ad cognitionem, quia etiam Prophetae ungebantur, ut patet de Eliseo, *3. Reg. 19.* Quod autem aliquid subiiciatur suae saluti, et spirituali un-

ctioni gratiae, laudabile est: quia tanto aliquid est perfectius, quanto magis suae perfectioni subiicitur; sicut corpus animae, et aer luci, *Psal. 115. 16. O Domine, quia ego servus tuus sum.*

Sed contra est, quod dicitur *Ioan. 15. 15. Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Sed dicendum, quod duplex est servitus. Una timoris, quae non competit sanctis, *Rom. 8. 15. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Alia humilitatis et amoris, quae sanctis convenit, secundum illud *Luc. 17. 10. Dicite: Servi inutiles sumus.* Cum enim liber sit, qui est causa sui, servus autem, qui est causa alterius, sicut ab alio movente motus; si quis sic agat causa alterius, sicut ab alio motus, sic est servitus timoris, quae cogit hominem operari contra suam voluntatem; si vero aliquis agat causa alterius, sicut propter finem, sic est servitus amoris: quia amicorum est benefacere, et obsequi amico propter ipsum, ut Philosophus dicit *9. Eth. cap. 4.*

Tertio commendatur a dignitate, cum dicitur, *Vocatus Apostolus.* Dignitas apostolatus est praecipua in Ecclesia, secundum illud *1. Corinth. 12. 28. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos.* Apostolus enim idem est, quod missus, secundum illud *Ioan. 20. 21. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, idest ex eadem dilectione, et cum eadem auctoritate. Dicit autem, *Vocatus Apostolus*, ad designandum gratiam, idest vocatus ad hoc, quod sit Apostolus, *Hebr. 5. 4. Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron:* vel ad designandum excellentiam, ut sicut urbs antonomastice vocatur ipsa Roma, ita Apostolus vocetur Paulus, secundum illud *1. Cor. 15. 10. Abundantius illis omnibus laboravi:* vel ad designandum humilitatem, ut sit sensus: Non audeo me dicere Apostolum, sed homines me ita vocant: sic *1. Cor. 15. 9. Non sum dignus vocari Apostolus.* Quarto describitur persona scribentis ex officio, cum dicit: *Segregatus in Evangelium Dei:* segregatus, inquam, vel per conversionem ab infidelibus, secundum illud *Gal. 1. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae*, scilicet Synagogae: vel segregatus per electionem ab aliis discipulis, secundum illud *Act. 13. 2. Segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Evangelium autem idem est, quod bona annuntiatio. Annuntiatur enim in ipso coniunctio hominis ad Deum, quae est bonum hominis, secundum illud *Psal. 72. 27. Mihi autem Deo adhaerere bonum est.* Triplex autem coniunctio hominis ad Deum annuntiatur in Evangelio. Prima quidem per gratiam unionis, secundum illud *Ioan. 1. 14, Verbum caro factum est.* Secunda per gratiam adoptionis, prout inducitur *in Psal. 81. 6. Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Tertia per gloriam fruitionis, *Ioan. 17. 3. Haec est autem vita aeterna: Isa. 52. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis!* Haec autem annuntiatio non humanitus, sed a Deo facta est, *Isa. 21. 10. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Unde dicit, *In Evangelium Dei.*

## LECTIO II.

Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

Descripta persona scribentis, hic commendatur negotium sibi commissum, scilicet Evangelium, cuius in praemissis duplex commendatio posita est: quarum una pertinet ad utilitatem, quam habet ex materia, quae significatur ex ipso Evangelii nomine, ex quo datur intelligi, quod in eo bona annuntientur; alia vero ex auctoritate quam habet ex parte auctoris, quae est expressa in eo quod dictum est, *Dei.* Utramque ergo commendationem prosequitur Apostolus: primo quidem illam, quae est ex parte auctoris; secundo illam, quae est ex parte materiae, ibi, *De Filio suo.* Circa primum commendatur Evangelium quadrupliciter. Primo quidem ex antiquitate: quod fuit necessarium contra paganos, qui Evangelio detrahebant, quasi post longa tempora subito eius praedicatio esset exorta; et ad hoc excludendum dicit, *Quod ante:* quia licet ex tempore certo praedicari inceperit, ante tamen praenuntiatum fuit divinitus, *Isa. 58. 4. Antequam venirent indicavi tibi.* Secundo ex eius firmitate, quae designatur in hoc quod dicit, *Promiserat:* quia ipse ante promisit, qui non mentitur, *Act. 13. 32. Nos vobis annuntiamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est.* Tertio ex dignitate ministrorum, sive testium, cum dicit, *Per Prophetas*, quibus ante fuerant revelata, quae sunt completa circa Verbum incarnatum, *Amos 3. 7. Non faciet Dominus Deus verbum* (scilicet incarnari) *nisi revelaverit secretum ad servos suos Prophetas: Act. 10. 43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* Signanter autem dicit, *Suos:* sunt enim aliqui prophetae spiritu humano loquentes, secundum illiud *Hier. 23. 16. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Unde dicit *ad Titum 1. 12. Dixit quidam ex illis, proprius illorum propheta.* Sunt etiam quidam prophetae daemonum, qui immundo spiritu inspirantur, sicut prophetae quos interfecit Elias, ut dicitur *3. Regum 18.* Sed Prophetae Dei dicuntur, qui divino spiritu inspirantur, *Ioel. 2. 28. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Quarto ex modo tradendi, quia non solum sunt huiusmodi promissa verbo edita, sed litteris scripta: unde dicit, *In Scripturis: Habacuc 2. 2. Scribe visum, et explana illud.* Non autem consueverunt scribi nisi magna, quae sunt digna memoria, et quae oportet ad posteros devenire. Et ideo, ut Augustinus *dicit 18. de Civitate Dei*, tunc inceperunt scribi prophetiae de Christo per Isaiam, et Oseam, quando Roma est edita, sub cuius imperio Christus erat nasciturus, et fides eius gentibus praedicanda, *Ioann. 5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere.* Addit autem, *Sanctis*, ad differentiam scripturarum gentilium. Dicuntur autem sanctae primo quidem quia, ut dicitur *2. Pet. 1. 21. Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines: 2. Timoth. 3. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Secundo quia sancta conti-

nent: *Psalm. 29. 5. Confitemini memoriae sanctificationis eius.* Tertio quia sanctificant: unde *Ioan. 17. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Unde dicitur *1. Machab. 12. 9. Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Secundo prosequitur commendationem quae sumitur ex bonis in Evangelio denuntiatis, quae pertinent ad materiam Evangelii, quae est Christus: quem quidem commendat tripliciter. Primo quidem ex origine; secundo ex dignitate, sive virtute, ibi, *Qui praedestinatus est;* tertio ex liberalitate, ibi, *Per quem accepimus.* Originem autem Christi describit duplicem. Primo quidem aeternam, cum dicit, *De Filio suo:* in quo excellentiam Evangelii designavit: nam mysterium generationis aeternae ante erat absconditum: unde Salomon dicit *Prov. 30. 4. Quod nomen est eius, et quod nomen filii eius, si nosti?* Sed in Evangelio Patris testimonio est declaratum, *Matt. 3. et 17. 5. Hic est Filius meus dilectus.* Convenienter autem Filius Dei materia sanctarum Scripturarum esse dicitur, quae divinam sapientiam exponunt, secundum illud *Deuteron. 4. 6. Haec est sapientia vestra, et intellectus coram populis.* Filius autm dicitur esse Verbum et Sapientia genita, *1. Corinth. 1. 24. Christum Dei virtutem, et sapientiam.*

Sed circa hanc filiationem tripliciter aliqui erraverunt. Quidam enim dixerunt eum filiationem habere adoptivam, sicut Photinus, qui posuit Christum initium sumpsisse ex Maria Virgine, quasi hominem purum, qui per vitae meritum ad hanc celsitudinem pervenit, ut prae ceteris sanctis Filius Dei diceretur. Sed secundum hoc Christo non competeret descensus ad humanitatem, sed magis ascensus ad divinitatem, contra id quod dicitur *Ioan. 6. 38. Descendi de caelo.* Quidam vero posuerunt huiusmodi filiationem solummodo nuncupativam, sicut Sabellius, qui dixit ipsum Patrem incarnatum, et ex hoc Filium nominari; ita quod eadem sit persona, et solum nomina sint diversa. Sed secundum hoc non competeret Filio mitti a Patre; quod falsum est, cum ipse dicat *Ioan. 6.* se descendisse ut faciat voluntatem eius qui misit eum. Alii vero posuerunt, sicut Arius, huiusmodi filiationem esse creatam; ita quod Filius Dei sit excellentissima creatura, ex nihilo tamen producta, postquam prius non fuerat. Sed secundum hoc omnia non essent per ipsum facta, contra id quod dicitur *Ioan. 1.* Oportet enim esse non factum per quem facta sunt omnia. Et haec tria excluduntur per hoc quod signanter addit, *Sub*, idest proprio, et naturali. Dicit enim Hilarius: *Hic verus et proprius est filius origine, et non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.* Procedit enim a Patre sicut verbum a corde; quod pertinet ad eandem naturam, praesertim in Deo, in quo non potest aliquid accidentaliter advenire: unde ipse dicit *Ioan. 10. 30. Ego, et Pater unum sumus.* Quod dicit, *Unum* liberat te ab Ario; quod dicit, *Sumus*, liberat a Sabellio, ut Augustinus dicit.

Secundo tangit temporalem originem, cum dicit, *Qui factus est*: ubi statim videntur patrocinium sui erroris assumere tres praedicti errores per hoc quod dicit, *Qui factus est ei:* non enim confitentur aeternum, sed factum. Sed per ea quae adduntur, tollitur eorum intentio. Quia enim dicitur, *Qui factus est ei*, excludit dictum Sabellii: non enim potest esse Filius factus Patri, si sit eadem persona cum ipso; sed per incarnationem erit filius Virginis. Quod vero subdit, *Ex semine David*, tollit intentionem Photini. Si enim per adoptionem esset factus Dei Filius, non diceretur ex semine David, sed magis ex spiritu, scilicet qui est spiritus adoptionis filiorum, ut dicitur *infra 8.* et ex semine Dei, ut dicitur *1. Ioan. 3.* Quod vero sequitur, *Secundum carnem*, tollit intentionem Arii, qui ponit eum factum non solum secundum carnem, sed etiam secundum divinam naturam.

Est etiam considerandum ulterius, quod circa ipsum incarnationis mysterium multipliciter aliqui erraverunt. Nestorius enim posuit unionem Verbi ad hominem esse factam solum secundum inhabitationem, scilicet prout Filius Dei hominem illum inhabitavit excellentius ceteris. Manifestum est enim quod alia est substantia inhabitantis, et inhabitati; sicut hominis, et domus. Secundum hoc ponebat aliam esse personam, vel hypostasim Verbi et hominis; ita quod alius esset secundum personam Filius Dei, et alius Filius hominis. Sed hoc manifeste apparet falsum esse per hoc quod Apostolus *Philip. 11.* unionem huiusmodi vocat exinanitionem. Pater autem, et Spiritus sanctus inhabitant homines, secundum illud *Ioan. 14. 23. Ad eum veniemus, et mansionem faciemus.* Sequeretur igitur quod Pater, et Spiritus sanctus essent exinaniti; quod est absurdum. Hoc ergo excluditur per hoc quod Apostolus dicit, *De Filio suo*, qui scilicet Filius Dei *est factus secundum carnem*, idest habens carnem, *ex semine David:* qui modus loquendi locum non haberet, si haec unio facta esset solum secundum inhabitationem. De aliis enim, quos Verbum inhabitat, non dicitur, quod Verbum factum est hic, vel ille; sed quod factum est ad Hieremiam, vel Isaiam. In hoc ergo quod Apostolus, cum dixit, *De Filio suo*, addit, *Qui factus est ei ex semine David*, manifeste excludit errorem praedictum. Rursus aliqui alii, licet duas personas non concedant in Christo, concedunt tamen duas hypostases, vel duo supposita; quod in idem redit: quia nihil aliud est persona quam hypostasis, et suppositum rationalis naturae. Cum ergo sit una solum hypostasis, et unum suppositum in Christo, quod est suppositum, vel hypostasis Verbi aeterni; non potest dici quod illa hypostasis sit facta Filius Dei, quia non incepit esse Filius Dei. Et ideo non proprie dicitur quod homo sit factus Deus, vel Filius Dei. Sed tamen si inveniatur ab aliquo doctore dictum, exponendum est sic: Factum est ut homo esset Deus. Secundum hoc proprie dicitur: Dei Filius factus est homo, quia semper non fuit homo. Et ideo legendum est quod hic dicitur ut ly *qui* accipiatur ex parte subiecti, ut sit sensus: Qui Filius Dei factus est ex semine David; non autem ex parte praedicati: quia sensus esset, quod aliquis existens ex semine David, factus est Filius Dei; quod non dicitur vere, et proprie, sicut dictum est. Fuerunt autem alii qui posuerunt unionem esse factam secundum conversionem Verbi in carnem, sicut dicitur aer fieri ignis: unde Eutyches dixit, quod etiam ante incarnationem fuerunt duae naturae, post incarnationem vero una. Sed hoc est expresse falsum: quia cum Deus sit immutabilis, secundum illud *Malach. 3. 6. Ego Deus, et non mutor*, non potest in aliquid aliud converti. Unde cum dicitur, *Factus est*, non intelligitur secundum conver-

sionem, sed secundum unionem absque divina mutatione. Potest enim aliquid de novo dici relative de aliquo absque eius immutatione, puta, aliquis immobiliter sedens, fit dexter per mutationem eius qui transfertur; et sic Deus dicitur ex tempore Dominus, vel Creator per mutationem creaturae; et eadem ratione dicitur de novo factus, secundum illud *Psal. 89. 1. Domine refugium factus es nobis.* Quia igitur unio relatio quaedam est per mutationem creaturae, Deus dicitur de novo factus homo, idest unitus in persona humanae naturae. Fuerunt etiam alii qui dixerunt, animam Christum non habuisse; sed ibi fuisse Verbum loco animae, scilicet Arius, et Apollinarius: contra quos est illud *Ioan. 10. 18. Nemo tollit animam meam.* Quod ergo dicitur, *Secundum carnem,* non excluditur a Christo anima, sed caro ponitur pro toto homine, secundum illud *Isa. 40. 5. Videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum est.*

Quaeritur autem, cum nos confitemur Christum natum ex Virgine, quare Apostolus dicat eum esse factum ex muliere. Et dicendum, quod illud nascitur quod naturali ordine producitur, sicut fructus ex arbore, vel proles a parente; quod autem ex voluntate agentis producitur, non secundum naturae ordinem, sicut domus ab artifice, non potest dici nasci, sed factum. Quia igitur Christus ex Virgine processit naturali ordine quantum ad aliquid, scilicet quod conceptus est ex femina spatio novem mensium, dicitur natus; quia vero quantum ad aliquid non naturali ordine, sed sola virtute divina processit absque virili semine, dicitur factus. Eva autem dicitur ex Adam facta, non nata; Isaac autem ex Abraham natus, non factus.

Item quare specialiter dicitur ex semine David, et non ex semine Abrahae, cui promissio facta fuit de Christo, secundum illud *Gal. 3. 16. Abrahae dictae sunt promissiones.* Et dicendum est, quod factum est ad dandum spem veniae peccatoribus: quia David peccator fuit, ex cuius semine nascitur Christus; Abraham vero iustus: ad commendandam etiam dignitatem regiam Christi Romanis, regnum Gentium tenentibus. Excluditur etiam per verba ista triplex error Manichaeorum. Primo quidem quod dicunt non eumdem esse Deum veteris testamenti, et qui est Pater Domini nostri Iesu Christi: quod excluditur per hoc quod dicit Apostolus: *Quod Deus ante promiserat per Prophetas suos de Filio suo in Scripturis sanctis*, scilicet veteris testamenti. Secundo vero quod damnant Scripturas veteris testamenti, quas Apostolus hic dicit sanctas: non enim aliae Scripturae fuerunt sanctae ante Evangelium. Tertio quod dicunt Christum habuisse carnem phantasticam: quod excluditur per hoc quod dicit, Christum factum ex semine David secundum carnem ei, idest ad gloriam Patris, secundum illud *Ioan. 8. 50. Ego gloriam meam non quaero, sed gloriam eius qui misit me.*

## LECTIO III.

Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

Commendata origine Christi, hic commendat virtutem ipsius, et ponit tria. Primo praedestinationem, cum dicit, *Qui praedestinatus est;* secundo dignitatem, seu virtutem, cum dicit, *Filius Dei in virtute;* tertio signum, sive effectum, cum dicit, *Secundum spiritum sanctificationis.* Circa primum considerandum est, quod nomen praedestinationis a destinatione sumitur: dicitur enim praedestinatus quasi ante destinatus. Destinatio autem duplicitur sumitur. Quandoque pro missione: dicuntur enim destinati qui ad aliquid mittuntur, secundum illud *1. Mach. 1. 14. Destinaverunt aliqui ex populo, et abierunt ad Regem.* Quandoque vero destinare idem est quod proponere, secundum illud *2. Mach. 6. 20. Destinavit Eleazarus non admittere illicita.* Haec autem secunda significatio a prima derivari videtur: sicut enim nuntius qui mittitur, ad aliquid dirigitur; ita quod proponimus, ad finem aliquem ordinamus. Secundum hoc igitur, praedestinare nihil aliud est quam ante in corde disponere quid sit de re aliqua faciendum. Potest autem aliquis de futura re, seu operatione disponere, uno modo quantum ad ipsam rei constitutionem, sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum; secundo modo quantum ad ipsum usum, vel gubernationem rei, sicut aliquis disponit qualiter debeat uti suo equo: et ad hanc secundam praedispositionem pertinet praedestinatio, non ad primam. Id enim quo aliquis utitur, refert in finem: quia, ut Augustinus dicit *in Libro 1. cap. 4. de Doctrina Christiana,* uti, est referre aliquid in finem, quo fruendum est. Sed cum res in seipsa constituitur, non dirigitur ex hoc ipso in aliud: unde praedispositio constitutionis rei proprie praedestinatio dici non potest. Ergo idem est negare praedestinationem, quod negare praeordinationem divinam ab aeterno de his quae sunt fienda in tempore. Sed quia omnia naturalia pertinent ad constitutionem rei ipsius, quia vel sunt principia ex quibus res constituitur, vel ex huiusmodi principiis consequuntur; consequens est quod naturalia proprie sub praedestinatione non cadant: sicut non dicimus proprie, quod homo est praedestiuatus habere manus. Relinquitur ergo quod praedestinatio dicatur proprie eorum solum quae sunt supra naturam, in quae rationalis creatura ordinatur. Supra autem naturam rationalis creaturae est Deus solus, cui unitur rationalis creatura per gratiam, uno modo quantum ad actum ipsius Dei, puta cum per gratiam prophetiae communicatur homini praecognitio futurorum, quae est propria Deo; et huiusmodi dicitur gratia data: alio modo quantum ad ipsum Deum, cui unitur rationalis creatura communiter quidem secundum effectum dilectionis, secundum illud *1. Ioan. 4. 16. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo:* quod quidem fit per gratiam gratum facientem, quae est gratia adoptionis: alio modo, qui est singularis Christo, per unionem in esse personali: et haec dicitur gratia unionis. Sicut ergo hominem esse

unitum Deo per gratiam adoptionis, cadit sub praedestinatione ; ita etiam esse unitum Deo per gratiam unionis in persona sub praedestinatione cadit: et quantum ad hoc dicit: *Qui praedestinatus est Filius Dei.* Et ne hoc referatur ad filiationem adoptionis, additur, *In virtute* : quasi diceret : Praedestinatus est , ut sit talis Filius ut habeat aequalem, immo eamdem virtutem cum Deo Patre : quia, ut dicitur *Apocal. 5. 12. dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem , et divinitatem.* Quinimmo ipse Christus est Dei virtus, secundum illud *1. Corinth. 1. 24. Christum Dei virtutem , et Dei sapientiam.* Unde *Ioan. 5. 19. Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Respectu vero gratiae gratis datae non dicitur aliquis praedestinari simpliciter : quia gratia gratis data non ordinatur directe ad hoc quod ille qui eam recipit , ad finem ultimum dirigatur , sed ut per eam alii dirigantur , secundum illud *1. Corinth. 12. 7. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Manifestum est autem quod id quod est per se, est mensura et regula eorum quae dicuntur per aliud , et per participationem : unde praedestinatio Christi , qui est praedestinatus ut sit Filius Dei per naturam , est mensura et regula vitae, et ita praedestinationis nostrae, qui praedestinamur in filiationem adoptivam, quae est quaedam participatio , et imago naturalis filiationis , secundum illud *infra 8. 29. Quos praescivit , et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Sicut igitur homo Christus praedestinatus non est propter merita praecedentia , sed ex sola gratia , ut sit Filius Dei naturalis ; ita et nos ex sola gratia , non ex meritis praedestinamur , ut simus filii Dei adoptivi, secundum illud *Deuteron. 9. 5 Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: propter iustitiam meam introduxit me Deus , ut terram hanc possiderem.* Est igitur manifestum ad quid sit ista praedestinatio , scilicet ad hoc quod aliquis sit Dei Filius in virtute. Sed restat inquirendum: Quis est iste qui est ad hoc praedestinatus? Cum autem praedestinatio antecessionem importet, videtur quod ille qui est praedestinatus ut sit Filius Dei in virtute, non semper fuerit Filius Dei in virtute: non enim videtur esse praedestinatio de eo quod semper fuit, quia hoc non potest antecessionem habere. Si igitur poneremus secundum Nestorium quod persona Filii hominis esset alia a persona Filii Dei, nulla esset dubitatio: quia possemus dicere , quod persona creata Filii hominis, quae non fuit ab aeterno , ex tempore incepit esse Filius Dei in virtute : et simile est , si quis dicat quod est alia hypostasis , vel suppositum Filii Dei , et Filii hominis. Sed haec aliena sunt a fide , ut supra dictum est. Cum igitur non solum sit eadem persona Filii Dei et Filii hominis, sed etiam hypostasis, et idem suppositum, ratione cuius non potest dici vere et proprie, quod Filius hominis est factus Filius Dei , ne aliquod suppositum creatum intelligatur esse de quo de novo praedicatur Filius Dei ; pari ratione videtur quod non possit dici Filius hominis esse praedestinatus Filius Dei, quia Filius hominis supponit suppositum , quod fuit semper Filius Dei. Unde antecessio, quam importat praedestinatio , locum non habet. Propter hoc igitur Origenes dicit , quod littera non debet esse , *Qui praedestinatus est* , sed *Qui destinatus est Filius Dei in virtute*, ut nulla antecessio designetur : et secundum hoc planus est sensus , quia Christus destinatus , idest missus est a Deo Patre in mundum tamquam verus Filius Dei , in virtute divina. Sed quia communiter omnes libri Latini habent, *Qui praedestinatus*, aliter alii hoc exponere voluerunt secundum consuetudinem Scripturae , in qua dicitur aliquid fieri quando innotescit ; sicut Dominus post resurrectionem dicit *Matth. ult. 18. Data est mihi omnis potestas* : quia post resurrectionem innotuit talem potestatem sibi esse datam ab aeterno. Sed secundum hoc, quod dicit, *Praedestinatus*, non proprie accipitur : quia praedestinatio est de eo quod pertinet ad gratiam ; non autem in hoc gratia Christo facta est, quod eius virtus divina innotuit, sed potius nobis. Et ideo etiam in Glossa dicitur, quod secundum hunc sensum *praedestinatus* large ponitur pro praescito , ut sit sensus , Christus praedestinatus est, idest ab aeterno praescitus, ut innotesceret ex tempore esse Filius Dei in virtute. Unde quidam alii praedestinationem ad ipsam unionem referentes , non attribuerunt eam personae , sed naturae , ut sit sensus: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute* , idest , cuius natura praedestinata est , ut sit ei unita qui est Filius Dei in virtute. Sed haec etiam expositio impropria est, et extorta. Cum enim praedestinatio importet ordinem in finem , eius est praedestinari, cuius est per suam operationem ordinari in finem. Agere autem propter finem , non est naturae , sed personae. Ideo si proprie accipiatur, oportet quod praedestinatio attribuatur ipsi personae Christi. Sed quia persona Christi subsistit in duabus naturis , humana scilicet , et divina ; secundum utramque potest aliquid dici de eo : sicut enim de homine potest aliquid dici secundum corpus, ut tangi , et vulnerari ; aliquid autem secundum animam , ut intelligere , et velle ; ita de Christo potest aliquid dici et secundum divinam naturam , sicut ipse de se dicit *Ioan. 10. 30. Ego , et Pater unum sumus :* aliquid secundum humanam naturam , sicut cum dicimus eum crucifixum , et mortuum ; et hoc modo dicitur esse praedestinatum secundum humanam naturam. Quamvis enim ipsa persona Christi semper fuerit Filius Dei , tamen non semper fuit ut existens in humana natura esset Filius Dei, sed hoc fuit ineffabilis gratiae. Est autem alia ratio de hoc participio *factus* , quod designat actum realem, et de hoc participio *praedestinatus* , quod designat actum animae. Anima enim secundum suum intellectum, et rationem potest distinguere ea quae sunt secundum rem coniuncta : potest enim aliquid de pariete albo cogitare , et loqui , seorsum quidem quantum ad hoc quod est paries , seorsum autem ex hoc quod est albus. Ita etiam in praedestinatione : nam praedestinatio potest attribui personae Christi secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ei secundum quod subsistit in divina. Unde et Apostolus prius Filium Dei incarnatum esse praemiserat, et postea ei praedestinationem attribuit, ut intelligatur praedestinatum esse secundum quod factus est ex semine David secundum carnem ; et sic a Filio Dei , explicando incarnationis mysterium , descendit ad carnem , et a carne secundum praedestinationem ascendit ad Filium Dei; ut ostendatur quod neque gloria divinitatis impedivit infirmitatem carnis, neque infirmitas carnis diminuit maiestatem Dei.

Quaeritur autem in Glossa, primo quidem utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei. Et videtur quod sic. Quia hic est Christus qui praedestinatus est ut sit. Sed secundum quod homo, est praedestinatus ut sit. Ergo secundum quod homo, est Filius Dei. Et dicendum quod si ly secundum quod denotat unitatem suppositi, verum est quod secundum quod homo, est Filius Dei: quia unum est suppositum Dei et hominis; si autem designat conditionem naturae, vel causam, falsum est: non enim ex natura humana habet ut sit Filius Dei. In argumento autem est fallacia compositionis et divisionis, ex eo quod ly secundum quod potest determinare participium, *praedestinatus;* et sic verum est quod secundum quod homo, est praedestinatus: vel potest determinare ipsum esse Filium Dei ad quod ordinatur praedestinatio; et sic falsum est: non enim praedestinatus est ut secundum quod homo, sit Filius Dei; et in hoc sensu procedit ratio.

Secundo quaeritur utrum Christus secundum quod homo, sit persona. Et dicendum quod si ly secundum quod referatur ad ipsum suppositum hominis, concedendum est quod ipsum suppositum hominis est persona divina; si vero designet naturae conditionem, vel causam, sic Christus secundum quod homo, non est persona: quia humana natura non causat novam personalitatem in Christo: adiungitur enim digniori, in cuius personalitatem transit.

Item obiicitur de hoc quod Glossa dicit, quod qui suscepit, et quod suscepit est una persona. Id autem quod suscepit Filius Dei, est humana natura. Ergo humana natura est persona. Et dicendum est, quod huiusmodi locutiones sunt exponendae, ut sit sensus, quod ille qui suscepit, et natura quam suscepit, uniuntur in una persona.

Quarto quaeritur utrum hoc sit verum, Homo est assumptus a Verbo. Et videtur quod sic, secundum illud *Psalm. 64. 4. Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* Et dicendum est, quod cum homo supponat suppositum aeternum, non potest proprie dici quod homo sit assumptus a Verbo: non enim assumitur idem a sepiso; sed exponendum est, sicubi inveniatur homo assumptus, idest humana natura.

Quinto quaeritur utrum haec sit vera, iste homo semper fuit. Et dicendum est hanc esse veram, propter hoc quod homo supponit aeternum suppositum: unde *Hebr. ult. 8.* dicitur: *Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula;* non tamen cum reduplicatione est vera huiusmodi propositio: non enim ille homo, secundum quod homo est, semper fuit, sed secundum quod est Filius Dei.

Sic igitur patet et de praeordinatione, et de virtute Filii Dei. Restat tertium, scilicet de signo, quod tangitur in eo quod subditur: *Secundum spiritum sanctificationis.* Est enim proprium virtutis divinae per collationem Spiritus sancti sanctificare homines: *Levit. 20. 8. Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Ipse etiam Spiritum sanctum solus dare potest, secundum illud *Isai. 42. 5. Haec dicit Dominus Deus creans caelos:* et infra: *Dans flatum populo qui est super terram, et spiritum calcantibus eam.* Ex hoc igitur apparet Christum habere virtutem divinam, quia ipse dat Spiritum sanctum, secundum illud *Ioan. 15. 26. Cum venerit paraclitus, quem ego mittam.* Eius etiam virtute sanctificamur, secundum illud *1. Corinth. 6. 11. Sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et spiritu Dei nostri.* Dicit ergo: Quod Christus sit Filius Dei in virtute, apparet *secundum spiritum sanctificationis*, idest secundum quod dat spiritum sanctificantem: quae quidem sanctificatio incepit *ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri*, idest ex mortuis, secundum illud *Ioan. 7. 39. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Iesus fuerat glorificatus:* quod non est sic intelligendum quod nullus ante Christi resurrectionem Spiritum sanctificantem acceperit; sed quia ex illo tempore quo Christus surrexit, incepit copiosius, et communius Spiritus sanctificationis dari. Potest etiam intelligi quod hic designentur duo signa virtutis divinae in Christo. Primum quidem ex hoc quod dicit, *Secundum spiritum sanctificationis*, sive intelligatur secundum sanctificantem Spiritum, sicut dictum est: sive intelligatur secundum hoc quod ipse per Spiritum sanctum est in utero virginali conceptus, quod est signum divinae virtutis in ipso, secundum illud *Lucae 1. 35. Spiritus sanctus superveniet in te:* et postea sequitur: *Ideoque et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Secundum autem signum virtutis divinae est resuscitatio mortuorum, secundum illud *Ioan. 5. 21. Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius.* Est ergo sensus, quod apparet Christum esse Filium Dei in virtute, *ex resurrectione mortuorum*, idest ex hoc quod mortuos fecit secum resurgere, secundum illud *Matth. 27. 52. Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt:* et tandem faciet omnes resurgere, secundum illud *Ioan. 5. 25. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Vel potest intelligi de spirituali resurrectione mortuorum quae est a peccatis, secundum illud *Ephes. 5. 14. Surge qui dormis, et exurge a mortuis.* Dicuntur autem mortui *Iesu Christi* qui ab ipso resuscitantur, sicut et infirmi alicuius medici a quo sanantur. Possunt autem haec duo signa ad duas praecedentes clausulas referri hoc modo: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* et hoc secundum spiritum sanctificationis; ex quo scilicet caro eius concepta est: *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute;* et haec apparet in resurrectione mortuorum etc. Sed prima expositio est melior.

## LECTIO IV.

**Per quem accepimus gratiam, et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, in quibus estis et vos vocati Iesu Christi: omnibus qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino nostro Iesu Christo.**

Postquam commendavit Christum ab origine, et virtute, hic commendat ipsum ex liberalitate, quae ostenditur ex muneribus quae fidelibus contulit. Ponitur autem duplex munus. Unum quidem commune omnibus fidelibus, scilicet gratia per quam reparamur, quam quidem a Deo per Christum accepimus: unde dicit: *Per quem accepimus*, omnes fideles, *gratiam, Ioan.*

*1. 17. Gratia , et veritas per Iesum Christum facta est:* et hic infra *Roman. 5. 2. Per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus.* Conveniens est enim ut sicut per Verbum Dei omnia ista facta sunt, ut habetur *Ioan. 1.* ita per ipsum , sicut per artem omnipotentis Dei omnia instaurentur ; sicut et artifex eadem arte reparat domum qua condidit, *Colossen. 1. 20. Per eum placuit Deo reconciliare omnia . . . sive quae in caelo , sive quae in terra sunt.* Aliud autem est munus spirituale collatum Apostolis , quod tangit subdens , *Et apostolatum*, quod est praecipuum inter ecclesiasticos gradus, *1. Corinth. 12. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia , primum quidem Apostolos.* Apostolus autem idem est quod missus : sunt enim a Christo missi , quasi eius auctoritatem , et vicem gerentes, *Ioan. 20. 21. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* , idest cum plenitudine auctoritatis. Unde ipse Christus Apostolus nominatur : *Hebr. 3. 1. Considerate Apostolum , et Pontificem Iesum Christum.* Unde et per ipsum tamquam principalem Apostolum , sive missum , alii sunt secundario apostolatum consequuti, *Luc. 6. 13. Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit.* Praemittit autem gratiam apostolatui, tum quia non ex meritis , sed ex gratia apostolatum sunt consequuti: *1. Corinth. 15. 9. Ego sum minimus Apostolorum , qui non sum dignus vocari Apostolus . . . . gratia autem Dei sum id quod sum:* tum etiam quia apostolatus digne haberi non potest , nisi praehabita gratia sanctificante : *Ephes. 4. 7. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Describit autem hunc apostolatum primo quidem ex utilitate , cum subdit : *Ad obediendum fidei*; quasi diceret : Ad hoc sumus missi ut faciamus homines fidei obedire. In his obedientia locum habet quae voluntarie facere possumus ; his autem quae sunt fidei , ex voluntate consentimus , non ex rationis necessitate, cum sint supra rationem : nullus enim credit nisi volens , ut dicit Augustinus : et ideo circa fidem locum habet illud *infra 6. 17. Obedistis ex corde in eam formam doctrinae , in quam traditi estis.* De hoc fructu dicitur *Ioan. 15. 16. Posui vos ut eatis , et fructum afferatis.* Secundo describitur ex amplitudine, cum subditur , *In omnibus Gentibus:* quia non tantum in una gente Iudaeorum , sed ad instructionem omnium gentium sunt directi, *Matth. ult. 19. Euntes docete omnes gentes.* Specialiter Paulus in omnes gentes apostolatum acceperat , ut ei competere possit quod dicitur *Isai. 49. 6. Parum est ut sis mihi servus ad suscitandum tribus Iacob, et faeces Israel convertendas: dedi te in lucem gentium.* Tamen ab eius apostolatu exclusi non erant Iudaei, praesertim qui inter Gentes habitabant: *Infra 10. 13. Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus , ministerium meum honorificabo , si quo modo ad aemulandum provocem carnem meam ; et salvos faciam aliquos ex ipsis.* Tertio ex plenitudine potestatis , cum subdit , *Pro nomine eius*, idest vice , et auctoritate ipsius. Sicut enim Christus in nomine Patris venisse dicitur *Ioan. 20.* quasi plenam Patris auctoritatem habens , ita et Apostoli in nomine Christi venisse dicuntur , quasi in persona Christi, *2. Corinth. 2. 10. Nam et ego quod donavi , si quid donavi , propter vos in persona Christi.* Vel per hoc describitur ex fine, ut sit sensus , pro nomine eius dilatando ; non pro aliquo terreno fructu sibi quaerendo, *Act. 9. 15. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus , et Regibus , et filiis Israel.* Unde ad hoc fideles hortabatur *Coloss. 3. 17. Omnia in nomine Iesu Christi agite.* Quarto ex potestate super illos quibus scribebat, qui praedicto apostolatui erant subiecti : unde subdit : *In quibus*, idest inter quas gentes nostro apostolatui subiectas , *estis et vos* , scilicet Romani , quamvis sublimes: *Isai. 26. 5. Civitatem sublimem humiliabit . . . conculcabit eam pes pauperis* ( scilicet Christi ) , *gressus egenorum* , idest Apostolorum , Petri , et Pauli: *2. Corinth. 10. 14. Usque ad vos pervenimus in Evangelio Christi.* Subdit : *Vocati Iesu Christi* , idest specialiter a Iesu Christo , secundum illud *Osee 1. 9. Vocabo non populum meum.* Vel *vocati* ut sitis *Iesu Christi: Infra 8. Quos praedestinavit, hos et vocavit.* Vel *vocati Iesu Christi* , idest dicti a Iesu Christo Christiani: *Act. 11. 26. Ita ut cognominarentur primi Antiochiae discipuli Christiani.*

Consequenter describuntur personae salutatae: et primo ex loco , cum dicit : *Omnibus qui sunt Romae* , Signanter autem omnibus scribit , quia omnium salutem cupiebat: *1. Corith. 7. 7. Volo omnes homines esse sicut meipsum: Act. 23. 11.* dictum est ei: *Oportet te et Romae testificari.* Secundo describuntur personae salutatae ex gratiae dono , ibi , *Dilectis Dei.* Circa quod primo ponitur prima gratiae origo , quod est Dei dilectio: *Deuter. 33. 3. Dilexit populos: omnes sancti in manu illus sunt: 1. Ioan. 4. 10. Non quasi nos dilexerimus Deum* (scilicet prius) *sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Dei enim dilectio non provocatur ex bono creaturae , sicut dilectio humana ; sed magis ipsum bonum creaturae causat, quia diligere est bonum velle dilecto ; voluntas autem Dei est causa rerum , secundum illud *Psalm. 134. 6. Omnia quaecumque voluit, fecit.* Secundo ponitur vocatio cum subdit , *Vocatis.* Quae quidem est duplex; una exterior, secundum quam vocavit Petrum , et Andream , *Matth. 4.* alia autem est vocatio interior , quae est secundum interiorem inspirationem, *Prov. 1. 24. Vocavi , et renuistis.* Tertio ponit gratiam iustificationis , cum dicit , *Sanctis* , idest per gratiam, et sacramenta gratiae sanctificatis, *1. Corinth. 4. 11. Sed abluti estis , sed sanctificati estis* , ut sitis dilecti a Deo , vocati ad hoc quod sitis sancti.

Deinde ponuntur bona quae eis optat , quae sunt *gratia, et pax:* quorum unum, scilicet gratia, est primum inter Dei dona, quia per eam iustificatur impius, *Infra 3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Aliud autem, scilicet pax, est ultimum, quod in beatitudine perficitur: *Psal. 147. 14. Qui posuit fines tuos pacem.* Tunc enim erit perfecta pax , quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni, consequens immunitatem ab omni malo: *Isai. 32. 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Et sic per haec duo bona , alia media intelliguntur. Ostendit etiam consequenter unde sint huiusmodi bona expectanda , cum subdit : *A Deo Patre nostro: Iacob. 1. 17. Omne datum optimum , et omne donum perfectum desursum est , descendens a Patre luminum: Psalm. 83. 12. Gratiam , et gloriam dabit Dominus.* Addit autem , *Et Domino Iesu Christo :* quia , ut dicitur *Ioan. 1 17.*

*gratia , et veritas per Iesum Christum facta est.* Ipse etiam dicit *Ioan. 14. 27. Pacem meam do vobis.* Quod autem dicit , *Deo Patre nostro* , potest teneri essentialiter pro tota Trinitate; quae dicitur Pater, quia nomina importantia relationem ad creaturam, communia sunt toti Trinitati ; sicut Creator , et Dominus. Addit autem , *Domino Iesu Christo* , non quod sit alia persona a tribus, sed propter humanam naturam, per cuius mysterium ad nos dona gratiarum perveniunt: *2. Pet. 1. 4. Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit.* Vel potest dici , quod hoc quod dicit, *Deo Patre nostro* , tenetur pro persona Patris , quae secundum proprietatem dicitur Pater Christi , sed secundum appropriationem Pater noster: *Ioan. 20. 17. Ascendo ad Patrem meum , et Patrem vestrum.* Tangitur autem persona Filii cum dicitur, *Et Domino Iesu Christo.* Persona autem Spiritus sancti expresse non ponitur , quia intelligitur in donis eius, quae sunt gratia , et pax: vel etiam quia intelligitur in duabus personis Patris , et Filii , quarum est unio et nexus.

## LECTIO V.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis , quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim est mihi Deus , cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii eius , quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis , obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos: desidero enim videre vos , ut aliquid impartiar vobis gratiae spiritualis , ad confirmandos vos ; idest , simul consolari in vobis per eam quae invicem est fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare , fratres, quia saepe proposui venire ad vos , et prohibitus sum usque adhuc , ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris Gentibus. Graecis , ac barbaris , sapientibus , et insipientibus debitor sum ; ita quod in me promptum est et vobis , qui Romae estis , evangelizare : non enim erubesco Evangelium.

Praemissa salutatione , hic Apostolus epistolarem tractatum incipit : in quo primo ostendit affectum suum ad eos quibus scribebat , ut reddat auditores benevolos ; secundo instruit eos de veritate, quae pertinet ad virtutem gratiae Christi , ibi , *Virtus enim Dei est.* Ostendit autem affectum ad eos tripliciter: primo quidem ex gratiarum actione , qua de eorum bonis gratias agit ; secundo ex oratione, quam pro eis ad Deum fundit , ibi , *Testis enim est mihi Deus;* tertio ex desiderio visitationis eorum, ibi , *Obsecrans si quo modo.* Circa primum tria oportet considerare. Primo quidem gratiarum actionis ordinem , cum dicit : *Primum quidem gratias ago Deo meo.* Necesse est enim ut in omnibus gratiarum actionem praemittamus , secundum illud *1. Thess. ult. 18. In omnibus gratias agite.* Non enim est dignus beneficium consequi qui de acceptis beneficiis gratias non agit: *Sapient. 16. 29. Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet:* et *Eccle. 1. 7. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur:* quia ad principium unde proveniunt beneficia revertuntur, scilicet per gratiarum actiones : *ut iterum fluant* , scilicet per iteratam beneficiorum exhibitionem. In omnibus autem quae petimus , vel agimus , divino beneficio indigemus ; et ideo ante omnia debet gratiarum actio praemitti. Secundo designat personas tres : quarum una est persona cui fit gratiarum actio, quam designat dicens, *Deo meo,* scilicet cui debetur gratiarum actio de omnibus bonis , quia ab eo fluunt: *Iacob. 1. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et quamvis sit Deus omnium per creationem , et gubernationem , secundum illud *infra 10. 12. Dominus omnium ;* specialiter tamen dicitur esse Deus iustorum tripliciter. Primo quidem secundum specialem curam quam de eis gerit: *Psal. 33. 16. Oculi Domini super iustos:* et alibi *Psal. 26. 1.* dicit: *Dominus illuminatio mea.* Secundo per specialem cultum : *Exod. 15. 2. Iste Deus meus , et glorificabo eum.* Tertio quia eorum praemium: *Genes. 15. 1. Ego Dominus merces tua magna nimis.* Secunda persona est mediatoris , quam tangit dicens , *Per Iesum Christum.* Eodem enim ordine debet gratiarum actio in Deum recurrere , quo gratiae a Deo nobis deveniunt, quod quidem est per Iesum Christum: *Infra 5. 2. Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus.* Tertia est persona illorum pro quibus gratias agit , quam designat subdens, *Pro omnibus vobis :* quia scilicet eorum gratias quasi suas reputat propter vinculum caritatis ; quasi diceret: *Maiorem horum non habeo gratiam quam ut audiam filios meos in veritate ambulare , 3. Ioan. 4* Signanter autem dicit , *Pro omnibus vobis*, quia scilicet omnibus placere desiderat : *1. Corinth. 10. 33. Sicut et ego per omnia omnibus placeo:* et omnium salutem cupit , secundum illud *1. Corinth. 7. 7. Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Tertio ponit materiam gratiarum actionis , cum subdit : *Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Agit quidem gratias de fide , eo quod est bonorum omnium spiritualium fundamentum: *Hebr. 11. 1. Est autem fides sperandarum substantia rerum.* Commendantur autem Romani de fide : quia fidem de facili susceperant et in eadem firmiter permanebant. Unde et usque hodie apud eos plurima fidei signa ostenduntur in visitatione sanctorum locorum, ut Hieronymus dicit *super Epistolam ad Gal.* Nondum tamen perfectam fidem habebant : quia aliqui eorum praeventi erant a pseudoapostolis , ut crederent legis caeremonias Evangelio iungendas. Gaudet autem , et gratias agit de eorum fide, non solum propter eos , sed propter utilitatem inde consequentem , quia scilicet eorum exemplo , qui erant domini Gentium , aliae gentes provocantur ad fidem : quia , ut dicit Glossa , prompte facit inferior quod videt fieri a superiori. Propter quod admonentur praelati ut fiant *forma gregis ex animo , 1. Pet. ult. 3.* Consequenter cum dicit, *Testis enim est mihi Deus* , ostendit affectum suum ad eos ex oratione quam pro eis fundit. Et quia orationis negotium in secreto agitur coram Deo, secundum illud *Matth. 6. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum ;* Dei testimonio probat se pro eis orare. Primo ergo inducit testem ; secundo manifestat supra quod testimo-

nium inducat, *Quod sine intermissione.* Testem autem inducit cum dicit: *Testis est mihi Deus,* sub cuius testimonio omnia aguntur: *Hier. 29. 23. Ego sum iudex, et testis.* Et ut iustum testem non frustra se invocare ostendat, ponit consequenter quomodo sit ei coniunctus. Primo quidem quantum ad servitium, cum dicit, *Cui servio,* scilicet per latriae cultum: *Deuter. 6. 13. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Secundo quantum ad modum serviendi, cum dicit, *In spiritu meo;* quasi dicat: Non solum in exteriori servitio corporali, sed praecipue interius secundum spiritum: *Ioan. 4. 24. Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate adorare oportet.* Vel *in spiritu,* idest in spiritualibus observantiis, non in carnalibus, sicut Iudaei: *Philip. 3. 3. Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo.* Tertio quantum ad officium in quo servit, scilicet, *in Evangelio Filii eius,* secundum illud supra eodem, *Segregatus in Evangelium:* quod quidem est Filii Dei tripliciter. Uno modo, quia est de ipso, *Luc. 2. 10. Evangelizo vobis gaudium magnum.* Alio modo quia est ab ipso praedicatum ex proprio officio: *Luc. 4. 43. Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Tertio quia est ab eo iniunctum: *Marc. ult. 15. Praedicate Evangelium omni creaturae.*

Sed secundum Augustinum, cum idem sit, *Testis est mihi Deus,* quod Iuro per Deum, videtur Apostolus facere contra id, quod Dominus dicit *Matth. 5. 34. Ego dico vobis, non iurare omnino: Iac. ult. 12. Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare.* Sed sicut dicit Augustinus *de Mendacio cap. 15.* intellectus sacrae Scripturae ex actibus sanctorum intelligitur: idem enim spiritus, quo sacrae Scripturae sunt editae, secundum illud *2. Petr. 1. 21. Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines,* sanctos viros ad operandum inducit: *infra 8. 14. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Ex hoc ergo, quod Paulus iurasse invenitur, ostenditur verbum Domini, et Apostoli Iacobi non sic esse intelligendum quasi iuramentum sit omnino illicitum, sed quia ad hoc homo niti debeat, ut, quantum ex ipso est, iuramento non utatur, tamquam quodam bono, et per se appetibili: tum propter periculum quod imminet ex frequenti iuratione, ne homo labatur in periurium propter labilitatem humanae linguae, secundum illud *Eccli. 23. 9. Iurationi non assuescat os tuum, nam multi casus in illa:* tum etiam quia contra reverentiam Dei facere videtur, qui ipsum absque necessaria causa testem inducit: unde *Eccli. 23. 10. Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.* Unde nec Apostolos iurasse invenitur nisi scribendo, quando homo cum maiori deliberatione, et cautela loquitur. Est autem quandoque necessarium iuramentum, ut fides verbo dicentis adhibeatur, quod quandoque utile est etiam ei qui audit; et sic Apostolus iurat propter utilitatem auditorum, quibus erat utile ut ei crederent; quasi non quaerens, quod sibi utile est, sed multis, ut salvi fierent. Unde, quod Dominus dicit *Matth. 5. 37. Quod amplius est* (scilicet quam simplex verbum) *a malo est,* non est intelligendum a malo eius qui iurat, sed eius qui exigit iuramentum: non quidem a malo culpae, nisi in casu, quando existimat quis eum, a quo exigit iuramentum, esse falsum iuraturum: tunc enim est grave peccatum, ut dicit Augustinus *de verbis Apost. serm. 30. et de Sanct. serm. 21.* sed intelligit esse a malo poenae, scilicet ignorantia, qua nescimus an sit verum, quod dicitur nobis. Est autem duplex modus iurandi. Unus quidem per simplicem attestationem, sicut cum dicitur, Per Deum, vel *Testis est mihi Deus;* et hoc modo Apostolus iurat hic. Alius autem per execrationem, quando scilicet aliquis implorat divinum testimonium, secundum aliquam poenam sibi infligendam, si mentitur, secundum illud *Psal. 7. 5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Et hoc etiam modo Apostolus iurat *2. Corinth. 1. 23. Testem Deum invoco in animam meam.*

Consequenter hic ponit id, supra quod eum testem invocat, dicens: *Quod memoriam vestri facio semper in orationibus meis,* quae sunt *sine intermissione,* scilicet quia semper in orationibus suis pro eis orabat propter utilitatem communem quae ex eorum conversione proveniebat, *1. Reg. 12. 23. Absit hoc peccatum a me in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Quod autem dicit, *Memoriam vestri facio,* dupliciter potest intelligi. Uno modo sic. Memoriam vestri habeo, secundum illud *Psalm. 136. 6. Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Alio modo *memoriam vestri facio,* scilicet coram Deo, qui respicit orationes humilium. Et sic dum sancti pro aliquibus orant, quodammodo divino aspectui proponuntur: sicut et cetera sanctorum facta. Unde *3. Regum 17. 18.* dixit mulier ad Eliam: *Ingressus es ad me, ut ramemorarentur iniquitates meae;* quasi illud sit in memoria, et in oculis Dei, quod contra iustos agitur. Quod autem dicit orationes sine intermissione se habere, congruit ei, quod dicit *1. Thess. ult. 17. Sine intermissione orate:* et *Lucae 18. 1. Oportet semper orare, et numquam deficere.* Quae quidem possunt intelligi tribus modis. Uno modo quantum ad ipsum actum orandi: et sic semper, vel sine intermissione orat, qui statutis temporibus, et horis orat: *Act. 3. 1. Petrus, et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Alio modo quantum ad finem orationis, qui est ut intellectus noster ascendat in Deum: et sic tamdiu homo orat, quamdiu agit corde, ore, vel opere, ut in Deum tendat. Et sic sempor orat, qui totam vitam suam in Deum ordinat: *1. Corinth. 10. 31. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Tertio quantum ad causam: dum enim aliquis agit, unde alii pro eo orent, ipse orare videtur, ut patet in his qui dant eleemosynas pauperibus, qui pro eis orant: *Eccli. 29. 15. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo.* Sic ergo continuanda est littera: Gratias ago pro vobis, quia bona vestra reputo quasi mea; quod patet ex hoc quod pro vobis oro, sicut pro meipso. Deinde cum dicit, *Obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos,* probat affectum suum ex desiderio visitationis: et primo ponit desiderium; secundo propositum exequendi, ibi: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos.* Circa primum duo facit. Primo ponit desiderii signum; secundo desiderii causam, ibi, *Desidero enim videre vos.* Signum autem desiderii est oratio, quam pro hoc fa-

ciebat : ex hoc autem signo ostenditur desiderium huiusmodi primo quidem intensum , per hoc quod dicit, *Obsecrans* , quasi ob sacra contestans , sicut pro aliquo magno , quod mea merita excedit: *Proverb. 18. 23. Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide.* Quod autem intense desideratur , magnum desideranti videtur. Secundo ostenditur esse anxium , cum dicit , *Si quo modo :* quae enim anxie aliquis desiderat , quaerit adipisci quocumque modo , sive facili , sive laborioso: *Philip. 1. 18. Quid enim? Dum omni modo praedicetur , sive per occasionem , sive per veritatem Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Tertio ostenditur esse diuturnum in hoc quod dicitur , *Tandem aliquando* , scilicet post longa desideria : iusti enim non ad horam , sed perseveranter afficiuntur : *Proverb. 17. 17. Omni tempore diligit qui amicus est.* Quarto ostenditur esse rectum ex hoc quod est divinae voluntati conforme : unde subdit : *Prosperum iter habeam,* et hoc *in voluntate Dei,* idest secundum voluntatem eius , secundum quam solum aliquid reputo prosperum ; sicut et Dominus dicit *Luc. 22. 42. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Deinde cum dicit , *Desidero enim videre vos* , ostendit desiderii causam: quae quidem est duplex Una, utilitas eorum qui erant visitandi: unde dicit: *Desidero enim videre vos: Philipp. 1. 8. Cupio omnes vos esse in visceribus Christi.* Et hoc non in vanum, sicut est in amicitia saeculari, sed *ut impartiar,* idest tradam vobis, *aliquid gratiae spiritualis,* non tamquam auctor gratiae, sed sicut minister: *1. Corinth. 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi :* et hoc *ad confirmandos vos* , scilicet in fide quam suscepistis : *Lucae 22. 32. Et tu aliquando conversus , confirma fratres tuos.* Impartitur autem gratiam minister multipliciter : tum per administrationem sacramentorum gratiae : *1. Pet. 4. 10. Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei:* tum per exhortationem sermonum : *Ephes. 4. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat ; sed si quis bonus est ad aedificationem fidei , ut det gratiam audientibus.* Secunda causa est mutua consolatio, quae consideratur in convictu amicorum: unde subdit: *Idest simul consolari in vobis* , scilicet me videre vos , et impartiri gratiam , et me simul consolari cum vobis , *per eam quae invicem est fidem vestram atque meam:* ad mutuam enim consolationem redit , si unanimes in fide reddamur : *2. Corinth. 7. 6. Qui consolatur humiles , consolatus est nos Deus in adventu Titi: non solum autem in adventu eius , sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis.* Deinde cum dicit , *Nolo autem vos ignorare,* ne videatur esse vanum desiderium, subdit propositum prosequendi: et primo proponit propositum; secundo ostendit causam propositi, ibi, *Ut aliquem fructum habeam in vobis;* tertio concludit propositi promptitudinem, ibi, *Ita quod in me promptum est.* Circa primum duo facit. Primo ponit propositum; secundo impedimentum , ibi , *Et prohibitus sum etc.* Dicitur ergo primo : Non solum desidero vos videre , sed etiam proposui ad hoc operam dare ; et hoc, *fratres, nolo vos ignorare quia saepe proposui venire ad vos* , ut dilectionem meam ostenderem non solum verbo , et lingua , sed etiam opere , et veritate, ut dicitur *1. Ioan. 3.* Secundo tangit obstaculum impediens eum ab isto proposito exequendo , dicens : *Prohibitus sum usque adhuc :* et hoc vel a diabolo , qui nititur impedire praedicationem , ex qua provenit salus hominum: *Prov. 25. 23. Ventus aquilo dissipat pluviam,* idest doctrinas praedicatorum: vel etiam ab ipso Deo, secundum cuius nutum dispensantur praedicatorum itinera, et verba: *Iob 37. 11. Nubes,* idest praedicatores, *spargunt lumen suum, quae lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit.* Unde et *Act. 16. 6.* dicitur : *Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem vetati sunt a Spiritu sancto loqui:* et iterum *16. 7. Tentabant ire in Bithiniam, et non permisit eos Spiritus Iesu.* Utrumque autem horum vult Apostolus eos non ignorare propter eorum utilitatem , ut scilicet cognoscentes affectum Apostoli, devotius eius verba suscipiant , et impedimentum visitationis eius imputent suae culpae, et sic corrigantur: nam in poenam culpae dicitur *Isai. 5. 6. Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Deinde ponit causam duplicem propositi : quarum prima est utilitas : unde dicit : *Ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut in ceteris Gentibus,* quibus scilicet praedicavi; quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quasi dicat : Ut faciam aliquem fructum in vobis per meam praedicationem: *Ioan. 15. 16. Ut eatis, et fructum afferatis.* Alio modo quasi ex eorum conversione ei fructus accrescat, secundum illud *Ioan. 4. 36. Qui metit, mercedem accipit , et fructum congregat in vitam aeternam.* Alia autem causa est debitum , quod sibi imminebat ex suscepto officio: *1. Corint. 9. 16. Si non evangelizavero, vae mihi est.* Et quia universalem Gentium apostolatum susceperat, omnibus se asserit debitorem, secundum illud *1. Corinth. 9. 19. Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci.* Et ideo duplicem diversitatem ponit. Una quidem secundum diversitatem Gentium , cum dicit , *Graecis , ac Barbaris.* Dicitur autem aliquis Barbarus dupliciter. Uno modo secundum quid , qui scilicet est extraneus quoad aliquem , secundum illud *1. Corinth. 14. 11. Si ergo nesciero virtutem vocis , ero ei cui loquar, barbarus.* Alio modo simpliciter , qui scilicet est quasi extraneus á communitate hominum , inquantum ratione non regitur: unde proprie Barbari dicuntur qui ratione non reguntur , secundum quod dictum est *2. Machab. 15. 2. Ne ita ferociter, ac barbare feceris* , idest inhumane. Et quia Graeci fuerunt primi legum inventores , omnes Gentiles , qui humanis legibus reguntur , nominat Graecos. De Iudaeis autem , qui divinis legibus regebantur , mentionem non facit : quia non erat institutus Apostolus Iudaeorum, sed Gentilium: *Galat. 2. 9. Ita ut illi in circumcisis , nos autem in Gentibus.* Ex utraque autem causa concludit promptitudinem voluntatis, cum subdit *: Ita quod in me* , idest quantum ad me pertinet, dummodo aliunde non impediar , *Promptum est etiam vobis qui Romae estis evangelizare: Exod. 35. 20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi , obtulit mente promptissima , atque devota.* Et exclud t impedimentum promptitudinis , scilicet erubescentiam , propter quam multi ea praetermittunt quae alias facerent prompte ; et hoc est quod subdit : *Non enim erubesco Evangelium:* quod quidem infidelibus apud quosdam erubescibile videbatur, propter id quod dicit *1. Corinth. 1. 23. Nos autem prae-*

*dicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Non est autem secundum rei veritatem erubescendum propter id quod sequitur *24. Ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Unde dicitur *Luc. 9. 26. Qui erubuerit me, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Et inde est quod baptizati liniuntur chrismate in fronte signo crucis, ubi est sedes verecundiae, ne scilicet Evangelium erubescant.

## LECTIO VI.

Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum, et Graeco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem, et iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, et divinitas.

Postquam Apostolus Romanos fideles, quibus scribebat, sibi benevolos reddidit, ostendendo affectum suum ad eos, hic incipit instruere eos de his quae pertinent ad evangelicam doctrinam, in quam se segregatum praedixerat: et primo ostendit virtutem evangelicae gratiae; secundo exhortatur ad executionem operum huius gratiae *12. capite*, ibi, *Obsecro itaque*. Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Revelatur enim ira Dei*. Circa primum tria facit. Primo proponit virtutem evangelicae gratiae; secundo exponit, ibi, *Iustitia enim Dei;* tertio expositionem confirmat, ibi, *Sicut scriptum est*. Dicit ergo primo: Ideo Evangelium non erubesco, quia quamvis, ut dicitur *1. Corinth. 1. 18. verbum crucis pereuntibus quidem stultitia sit, nobis tamen virtus Dei est. Virtus enim Dei est:* quod potest intelligi dupliciter. Uno modo quia virtus Dei in Evangelio manifestatur, secundum illud *Psal. 110. 6. Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:* alio modo quia ipsum Evangelium in se Dei virtutem continet, secundum illud *Psal. 67. 34. Dabit voci suae vocem virtutis.* Circa quam virtutem tria sunt consideranda. Primo quidem ad quid se ista virtus extendat; et hoc designatur cum subditur, *In salutem: Iac. 1. 21. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Quod quidem fit tripliciter. Uno modo inquantum per verbum Evangelii remittuntur peccata: *Ioan. 15. 3. Iam mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis.* Secundo inquantum per Evangelium homo consequitur gratiam sanctificantem: *Ioan. 17. 17. Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.* Tertio inquantum perducit ad vitam aeternam: *Ioan. 6. 69. Verba vitae aeternae habes.* Secundo per quem modum Evangelium salutem conferat, quia per fidem, quod designatur cum dicitur, *Omni credenti:* quod fit tripliciter. Primo per praedicationem: *Marc. ult. 15. Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Secundo per confessionem: *Infra 10. 10. Oris confessio fit ad salutem.* Tertio per scripturam: unde etiam verba Evangelii scripta virtutem salutiferam habent, sicut beatus Barnabas infirmos curabat, Evangelium superponendo. Cavendae sunt tamen superstitiones characterum, quia hoc est superstitiosum: unde *Ezech. 9.* illi salvati sunt in quorum frontibus est scriptum Thau, quod est signum crucis. Tertio quibus Evangelium fit in salutem, quia tam Iudaeis quam Gentibus: non enim Iudaeorum tantum Deus est, sed et Gentium: *infra 3.* et ideo subdit: *Iudaeo primum, et Graeco:* per Graecum omnem Gentilem intelligens, eo quod a Graecis Gentilium sapientia est exorta.

Sed cum *infra 10. 12.* dicatur, *Non est distinctio Iudaei, et Graeci*, quomodo hic, *Iudaeo primum?* Dicendum est ergo, quod quantum ad salutis finem consequendum non est distinctio inter eos: aequalem enim consequuntur mercedem utrique, sicut pro labore etiam in vinea priores et posteriores eumdem denarium acceperunt, ut dicitur *Matt. 20.* sed quantum ad ordinem salutis Iudaei sunt primi, quia eis promissiones sunt factae, ut *infra 15.* et in eorum gratiam sunt Gentiles assumpti, ac si ramus oleastri inseratur in bonam olivam, ut *infra 11.* Ex his etiam Salvator noster natus est: *Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.*

Exponit autem consequenter quomodo Evangelium sit in salutem, cum dicit: *Iustitia enim Dei revelatur in eo ex fide in fidem:* quod quidem dupliciter potest intelligi. Uno modo de iustitia qua Deus iustus est, secundum illud *Psal. 10. 8. Iustus Dominus, et iustitias dilexit:* et secundum hoc sensus est quod *iustitia Dei*, qua scilicet iustus est servando promissa, *in eo revelatur*, scilicet in homine credente Evangelio, quia credit Deum implesse quod promisit de Christo mittendo; et hoc *ex fide*, scilicet Dei promittentis: *Psal. 144. 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: in fidem*, scilicet hominis credentis. Vel alio modo, ut intelligatur de iustitia Dei qua Deus homines iustificat: nam iustitia hominum dicitur, qua se homines propriis viribus iustificare praesumunt: *Infra 10. 3. Ignorantes Dei iustitiam, et suam quaerentes statuere iustitiae Dei non sunt subiecti.* Quae quidem iustitia revelatur in Evangelio, inquantum per fidem Evangelii homines iustificantur secundum quodcumque tempus; unde subdit: *Ex fide in fidem*, idest ex fide veteris testamenti procedendo in fidem novi testamenti: quia ab utroque homines iustificantur, et salvantur per fidem Christi: quia eadem fide crediderunt venturum qua nos venisse credimus; et ideo dicitur *2. Corinth. 4. 13. Habentes eamdem speciem fidei . . . credimus, propter quod loquimur.* Vel potest intelligi *ex fide* praedicatorum *in fidem* auditorum: *infra 10. 14. Quomodo credent ei quem non audierunt?* Vel *ex fide* unius articuli *in fidem* alterius: quia ad iustificationem requiritur omnium articulorum fides: *Apoc. 1. 3. Beatus qui legit, et audit verba prophetiae huius*, scilicet omnia, non unum tantum. Alio modo potest intelligi *ex fide* praesenti *in fidem* futuram: quae quidem dicitur fides ratione certae, et firmae cognitionis; haec autem ratione evangelicae cognitionis: *1. Corinth. 13. 12. Videmus nunc per speculum in aenigmate*,

*tunc autem facie ad faciem.* Probat autem hanc expositionem, cum subdit: *Sicut scriptum est: Iustus autem meus ex fide vivit.* Quod quidem accipitur secundum litteram *70.* nam in littera nostra, quae est secundum Hebraicam veritatem, dicitur *Habac. 2. 4. Iustus ex fide vivit.* Dicitur autem *iustus meus*, scilicet a me iustificatus, et apud me iustus reputatus: *Infra 4. 2. Si autem Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.* Unde ex hoc subditur, *Ex fide vivit*, scilicet vita gratiae: *Gal. 2. 20. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.*

Quatuor autem hic considerare oportet circa fidem. Primum quidem quid sit fides: importat enim assensum quemdam cum certitudine ad id quod non videtur, ex voluntate: quia nullus credit nisi volens, ut Augustinus *super Ioan. tract. 26.* dicit. Et secundum hoc differt credens a dubitante, qui in neutram partem assentit. Differt etiam ab opinante, qui assentit in unam partem, non cum certitudine, sed cum formidine alterius. Differt etiam a sciente, qui per certitudinem assentitur ex necessitate rationis. Et secundum hoc fides est media inter scientiam, et opinionem.

Secundo considerandum est an fides sit virtus. Et manifestum est quod non est virtus, si accipiatur pro eo quod creditur, secundum illud: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur etc.* Si autem accipiatur pro habitu, quo credimus, sic quandoque est virtus, quandoque non. Est enim virtus principium actus perfecti. Actus autem ex duobus principiis dependens non potest esse perfectus, si alteri principiorum desit sua perfectio; sicut equitatio non potest esse perfecta si vel equus bene non vadat, vel sessor equum ducere nesciat. Actus autem fidei, qui est credere, dependet ex intellectu, et voluntate movente intellectum ad assensum. Unde actus fidei erit perfectus, si voluntas perficiatur per habitum caritatis, et intellectus per habitum fidei, non autem si habitus caritatis desit: et ideo fides formata caritate est virtus, non autem fides informis.

Tertio considerandum est, quod idem numero habitus fidei, qui sine caritate erat informis, adveniente caritate fit virtus: quia cum caritas sit extra essentiam fidei, per eius adventum, vel recessum non mutatur substantia eius.

Quarto considerandum est, quod sicut corpus vivit per animam naturali vita, ita anima vivit per Deum vita gratiae. Primo autem Deus animam inhabitat per fidem: *Ephes. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris:* nec tamen est perfecta habitatio nisi fides per caritatem sit formata, quae per vinculum perfectionis nos unit Deo, ut dicitur *Coloss. 3.* Et ideo quod hic dicit, *Ex fide vivit*, intelligendum est de fide formata.

Deinde cum dicit, *Revelatur enim ira Dei*, probat quod dixerat, scilicet virtutem evangelicae gratiae esse omnibus hominibus in salutem. Et primo ostendit quod est necessaria ad salutem; secundo quod est efficax, sive sufficiens *5. cap.* ibi, *Iustificati igitur ex fide.* Circa primum duo facit. Primo ostendit virtutem evangelicae gratiae fuisse necessariam ad salutem Gentibus, quia scilicet sapientia, de qua confidebant, salvare eos non potuit; secundo ostendit, quod fuit necessaria Iudaeis, quia scilicet circumcisio, et lex, et alia, in quibus confidebant, eis salutem non attulerunt, *11. cap.* ibi, *Propter quod inexcusabilis es.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Quia quod notum est Dei.* Proponit autem tria. Primo quidem poenam, dicens: Recte dico quod in eo iustitia Dei revelatur: *revelatur enim in eo ira Dei*, idest vindicta ipsius; quae dicitur ira Dei secundum similitudinem hominum irascentium, qui vindictam quaerunt; extra tamen Deus vindictam infert ex animi tranquillitate: *Sap. 12. 18. Tu autem dominator noster cum tranquillitate iudicas.* Et de hac ira Dei dicitur *Ioan. 3. 36. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Hoc autem dicitur, quia quidam Philosophi dicebant, a Deo non esse poenas peccatorum, contra id quod dicitur *in Psal. 93. 10. Qui corripit Gentes, non arguet?* Unde additur, *De caelo:* quia credebant circa caelestia eius providentiam occupari, ita quod ad res terrenas non se extenderet: *Iob 22. 14. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat.* Sed sicut etiam *in Psal. 101. 20.* dicitur, *Dominus de caelo in terram prospexit.* Vel dicitur *de caelo* eorum iniquitatem demonstrare: quia maxime ex magnitudine caeli Creatoris virtutem intelligere debuerunt: *Iob 20. 27. Revelabunt caeli iniquitatem eius.* Vel *de caelo* venturi ad iudicium: *Act. 1. 11. Quemadmodum vidistis eum ascendentem in caelum, ita veniet.* Secundo ponit culpam, pro qua poena infligitur. Et primo quidem culpa quae contra Deum committitur, cum subdit, *Super omnem impietatem:* sicut enim pietas dicitur cultus qui Deo exhibetur, tamquam summo parenti, sic impietas dicitur peccatum quod est contra cultum divinum: *Ezec. 18. 20. Impietas impii super eum erit.* Secundo ponit culpam quae committitur in homines, cum dicit, *Et iniustitiam:* nam iustitia est per quam homines sibi invicem ratione conveniunt, et communicant: *Iob 35. 8. Filium hominis adiuvabit iustitia tua.* Tertio ponit cognitionem quam de eo habuerunt, cum subdit, *Hominum eorum qui veritatem Dei*, idest veram de Deo cognitionem, *detinent in iniustitia*, quasi captivatam. Nam vera Dei cognitio, quantum est de se, inducit homines ad bonum; sed ligatur quasi captivitate detenta per iniustitiae affectum, per quam, ut *Psal. 11. 1.* dicitur, *diminutae sunt veritates a filiis hominum.* Deinde cum dicit, *Quia quod notum est*, manifestat propositum, ordine tamen retrogrado. Primo enim consentit quod sapientes Gentilium de Deo cognoverunt veritatem; secundo ostendit quod in eis impietas, et iniustitia fuerit, ibi, *Ita ut sint inexcusabiles;* tertio quod iram Dei incurrerunt, ibi, *Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quod qui talia agunt, digni sunt morte.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quod de Deo cognoverunt; secundo ostendit a quo huiusmodi cognitionem acceperunt, ibi, *Deus enim illis revelavit;* tertio ostendit per quem modum, ibi, *Invisibilia enim ipsius.* Dicit ergo primo: Recte dico, quod veritatem Dei detinuerunt: fuit enim in eis quantum ad aliquid vera Dei cognitio: *quia quod notum est Dei*, idest quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem, *manifestum est in illis;*

idest manifestum est eis ex eo quod in illis est, idest ex lumine intrinseco.

Sciendum est ergo, quod aliquid circa Deum est omnino ignotum homini in hac vita, scilicet quid est Deus: unde et Paulus invenit Athenis aram inscriptam *Ignoto Deo Act. 18.* et hoc ideo quia cognitio hominis incipit ab his quae sunt ei connaturalia, scilicet a sensibilibus creaturis, quae non sunt proportionatae ad repraesentandam divinam essentiam. Potest tamen homo ex huiusmodi creaturis Deum tripliciter cognoscere, ut Dionysius dicit *in Libro de divinis Nominibus.* Uno quidem modo per causalitatem: quia enim huiusmodi creaturae sunt defectibiles, et mutabiles, necesse est eas reducere ad aliquod principium immobile, et perfectum; et secundum hoc cognoscitur de Deo an est. Secundo per viam excellentiae: non enim reducuntur omnia in primum principium, sicut in propriam causam, et univocam, prout homo hominem generat; sed sicut in causam communem, et excedentem: et ex hoc cognoscitur quod est super omnia. Tertio per viam negationis: quia si est causa excedens, nihil eorum quae sunt in creaturis, potest ei competere; sicut etiam neque corpus caeleste proprie dicitur grave, vel leve, aut calidum, aut frigidum: et secundum hoc dicimus Deum immobilem, et infinitum, et si quid aliud huiusmodi dicitur. Huiusmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis inditum: *Psal. 4. 6. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Deinde cum dicit, *Deus illis manifestavit*, ostendit a quo auctore huiusmodi cognitio eis fuerit manifestata; et dicit, quod *Deus illis manifestavit*, secundum illud *Iob 35. 11. Docet nos super iumenta terrae.*

Ubi considerandum est, quod unus homo alteri manifestat, explicando conceptum suum per aliqua signa exteriora, puta per vocem, vel scripturam; Deus autem dupliciter aliquid homini manifestat. Uno modo infundendo lumen interius per quod homo cognoscit: *Psal. 42. 3. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Alio modo proponendo suae sapientiae signa exteriora, scilicet sensibiles creaturas: *Eccli. 1. 10. Effudit illam*, scilicet sapientiam, *super omnia opera sua.* Sic ergo Deus illis manifestavit, vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus, sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur.

Deinde cum dicit, *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ostendit per quem modum huiusmodi cognitionem acceperunt.

Ubi primo considerandum est quae sunt ista quae de Deo cognoverunt. Et ponit tria. Primo quidem invisibilia ipsius, per quae intelligitur Dei essentia, quae, sicut dictum est, a nobis videri non potest: *Ioan. 1. 18. Deum nemo vidit umquam*, scilicet per essentiam vita mortali vivens: *1. Tim. 1. 2. Regi saeculorum immortali, et invisibili.* Dicit autem pluraliter *invisibilia*, quia Dei essentia non est nobis cognita secundum illud quod est, scilicet prout in se est una: sic erit nobis in patria cognita, et tunc erit Dominus unus, et nomen eius unum, ut dicitur *Zachar. ult.* Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quae id quod in Deo unum est, multipliciter participant; et secundum hoc intellectus noster considerat unitatem divinae essentiae sub ratione bonitatis, sapientiae, virtutis, et huiusmodi, quae in Deo non sunt. Haec ergo invisibilia Dei dixit, quia illud unum quod his nominibus, seu rationibus, in Deo respondet, non videtur a nobis: *Heb. 11. 3. Ut ex invisibilibus invisibilia fierent.* Aliud autem quod de Deo cognoscitur, est virtus ipsius, secundum quam res ab eo procedunt, sicut a principio: *Psal. 146. 5. Magnus Dominus, et magna virtus eius.* Hanc ergo virtutem Philosophi perpetuam esse cognoverunt: unde dicitur: *Sempiterna quoque virtus eius.* Tertium cognitum est quod dicit, *Et divinitas:* ad quod pertinet quod cognoverunt Deum sicut ultimum finem in quem omnia tendunt. Divinum enim bonum dicitur bonum commune quod ab omnibus participatur; propter hoc potius dixit divinitatem, quae participationem significat, quam deitatem, quae significat essentiam Dei: *Coloss. 2. 9. Et in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Haec autem tria referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos: nam invisibilia Dei cognoscuntur per viam negationis, sempiterna virtus per viam causalitatis, divinitas per viam excellentiae.

Secundo considerandum est per quod medium illa cognoverunt, quod designatur cum dicitur, *Per ea quae facta sunt.* Sicut enim ars manifestatur per artificis opera, ita et Dei sapientia manifestatur per creaturas: *Sapient. 13. 5. A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit Creator harum videri.*

Tertio ostendit quomodo per ista cognoscatur Deus, cum dicit, *Intellecta conspiciuntur:* intellectu enim cognosci potest Deus, non sensu, vel imaginatione, quae corporalia non transcendunt; Deus autem spiritus est, ut *Ioan. 4.* dicitur: *Isai. 52. 13. Ecce intelliget servus meus.*

Quarto potest designari a quo per hunc modum Deus cognoscatur, cum dicitur, *A creatura mundi:* per quod uno modo potest intelligi homo: *Mar. ult. 15. Praedicate Evangelium omni creaturae:* vel propter excellentiam hominis, qui ordine naturae minor est Angelis, sed excellit inter inferiores creaturas, secundum illud *Psal. 8. 7. Minuisti eum paulo minus ab Angelis ..... omnia subiecisti sub pedibus eius, oves, et boves universas, insuper et pecora campi.* Vel quia communicat cum omni creatura: habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, ut Gregorius *hom. 29. super Evang.* dicit. Alio modo potest intelligi de universali creatura. Nulla enim creatura ex propriis naturalibus potest Dei essentiam in seipsa videre: unde et de Seraphim dicitur *Isai. 6.* quod duabus alis velabant caput. Sed sicut homo intelligit Deum per creaturas visibiles, ita Angelus per hoc quod intelligit propriam essentiam. Potest autem aliter intelligi per creaturam mundi non ipsa res creata, sed rerum creatio; ac si diceretur, A creatione mundi; et tunc potest dupliciter ordinari. Uno modo quod intelligatur quod invisibilia Dei intelliguntur per ea quae facta sunt tempore gratiae; alio modo quod intelligatur quod a creatione mundi homines inceperunt Deum cognoscere per ea quae facta sunt: *Iob 36. 25. Omnes homines vident eum.* Glossa autem dicit quod per invisibilia Dei intelligitur persona Patris, secundum illud *1. Tim. ult. 16. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* per sem-

piternam virtutem persona Filii, secundum illud *1. Corinth. 1. 24. Christum Dei virtutem:* per divinitatem persona Spiritus sancti, cui appropriatur bonitas: non quod Philosophi ductu rationis potuerint pervenire per ea quae facta sunt in cognitionem personarum, quantum ad propria, quae non significant habitudinem causae ad creaturas; sed secundum appropriata. Dicuntur tamen defecisse in tertio signo, idest in Spiritu sancto: quia non posuerunt aliquid respondere Spiritui sancto, sicut posuerunt aliquid respondere Patri, scilicet ipsum primum principium; et aliquid respondere Filio, scilicet primam mentem creatam, quam vocabant paternum intellectum, ut Macrobius dicit *in Libro super somnium Scipionis.*

## LECTIO VII.

Ita ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.

Postquam Apostolus ostendit veritatem Dei fuisse a Gentibus cognitam, hic ostendit eos fuisse obnoxios culpae impietatis, et iniustitiae: et primo ostendit hoc quantum ad culpam impietatis; secundo quantum ad culpam iniustitiae, ibi, *Et sicut non probaverunt etc.* Posset autem aliquis credere, eos a culpa impietatis excusari propter ignorantiam, sicut Apostolus de se dicit *infra 1. Tim. 1. 13. Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci.* Primo ergo ostendit Gentiles non esse inexcusabiles; secundo ponit eorum culpam, ibi, *Et mutaverunt gloriam.* Circa primum considerandum est, quod tunc ignorantia culpam excusat quando sic procedit, et causat culpam, quod non causatur a culpa; sicut cum aliquis adhibita diligentia debita, dum credit percutere hostem, percutit patrem. Si vero ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare: unde si quis per ebrietatem homicidium committit, non excusatur a culpa, quia peccavit se inebriando: unde secundum Philosophum *2. Polit. cap. ult.* meretur duplices mulctationes. Primo igitur proponit quod intendit, dicens: Ita quod est Dei, notum est eis, *ut sint inexcusabiles*, idest, ut per ignorantiam excusari non possint: *Iac. 4. 17. Scienti bonum, et non operanti, peccatum est illi: Infra 2. 1. Propter quod inexcusabilis es.* Secundo ibi, *Quia cum cognovissent Deum etc.* probat quod dixerat: et primo ostendit quod prima eorum culpa ex ignorantia non processit; secundo quod ex hac culpa est ignorantia subsequuta, ibi, *Sed evanuerunt.* Quod autem prima eorum culpa non fuerit ex ignorantia, ostenditur per hoc quod Dei cognitionem habentes, ea non sunt usi ad bonum. Dupliciter autem Deum cognoverunt. Uno modo sicut omnibus supereminentem; et sic ei debebant gloriam, et honorem, quae superexcellentibus debentur: et ideo isti dicuntur inexcusabiles: *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt:* vel quia ei debitum cultum non impenderunt: vel quia virtuti eius, et scientiae terminum imposuerunt, aliqua eius potentiae, et scientiae subtrahentes, contra id quod dicitur *Eccli. 43. 32. Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis.* Secundo cognoverunt eum sicut omnium bonorum causam, unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur; quam tamen ipsi non impendebant, sed potius suo ingenio, et virtuti suae bona sua adscribebant: unde subdit: *Gratias non egerunt*, scilicet Domino: *1. Thessal. ult. 18. In omnibus gratias agite.* Deinde cum dicit, *Sed evanuerunt*, ostendit quod in eis ex culpa est ignorantia subsequuta: et primo ponit intentum; secundo manifestat propositum, ibi, *Dicentes se esse sapientes.* Primo ergo proponit culpam, quae est ignorantiae causa, cum dicit, *Evanuerunt*: vanum enim dicitur quod non habet stabilitatem, seu firmitatem; solus autem Deus de se est immutabilis: *Malachiae 3. 6. Ego Deus, et non mutor:* et ideo tunc solum mens humana est a vanitate libera, quando Deo innititur; cum autem, praetermisso Deo, innititur cuicumque creaturae, incurrit vanitatem: *Sapient. 13. 1. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: Psal. 93. 11. Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt. In cogitationibus suis evanuerunt*, inquantum in seipsis, et non in Deo fiduciam habebant, sibi, et non Deo bona sua adscribentes, secundum illud *Psal. 11. 5. Labia nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est?* Secundo ponit ignorantiam subsequutam, dicens: *Et obscuratum est*, idest per hoc quod obscuratum est, factum est *cor eorum insipiens*, idest lumine sapientiae privatum, per quam homo vere Deum cognoscit: sicut enim qui oculos corporales a sole materiali avertit, obscuritatem corporalem incurrit; ita ille qui a Deo avertitur, de seipso praesumens, et non de Deo, spiritualiter obscuratur: *Proverb. 11. 2. Ubi humilitas*, per quam scilicet homo se Deo subiicit, *ibi sapientia; ubi superbia, ibi contumelia: Matth. 11. 25. Abscondisti haec a sapientibus*, secundum quod scilicet eis videbatur, *et revelasti ea parvulis*, idest humilibus. Et de his habetur *Ephes. 4. 17. Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Deinde cum dicit, *Dicentes*, exponit quod dixerat; et primo qualiter in cogitationibus suis evanuerunt, cum dicit: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Dicentes*, idest sapientiam sibi a seipsis adscribentes: *Isai. 5. 21. Vae qui sapientes estis in oculis vestris: Ibid. 19. 12. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi nunc sunt sapientes tui?* Secundo exponit quod dixerat, *Et obscuratum est insipiens cor*, cum dicit: *Stulti facti sunt*, quasi contra divinam sapientiam agentes: *Hier. 10. 14. Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, de qua scilicet praesumebat. Deinde cum dicit, *Et mutaverunt gloriam*, ponit peccatum impieta-

tis Gentilium : et primo quantum ad hoc quod peccaverunt contra Dei gloriam ; secundo quantum ad hoc quod peccaverunt contra veritatem naturae ipsius, ibi, *Quia commutaverunt veritatem.* Circa primum duo facit. Primo ponit impietatis culpam ; secundo poenam, ibi , *Propter quod tradidit.* Culpa quidem eorum fuit quod , quantum in ipsis erat , honorem divinum in alium transtulerunt, secundum illud *Hier. 2. 11. Populus meus mutavit gloriam suam in idolum.* Primo ergo ponit id quod mutaverunt ; secundo id in quod mutaverunt, ibi, *In similitudinem.* Circa primum tria sunt attendenda ex parte Dei. Primo quidem ipsius gloria , quam tangit dicens : *Et mutaverunt gloriam*: quod potest intelligi dupliciter. Uno modo de gloria qua homo Deum glorificat, ei cultum latriae exhibendo: *1. Tim. 1. 17, Soli Deo honor.* Hanc igitur mutaverunt, cum cultum Deo debitum exhibuerunt aliis. Alio modo potest intelligi de gloria qua Deus in se gloriosus est, quae est incomprehensibilis , et infinita: *Prov. 25. 27. Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria.* Quae quidem gloria nihil est aliud quam ipsa claritas divinae naturae : *lucem enim habitat inaccessibilem : 1. Tim. ult. 16.* Hanc autem mutaverunt, dum eam aliis attribuerunt : *incommunicabile enim nomen lignis , et lapidibus imposuerunt* , ut dicitur *Sap. 14. 21.* Secundo notatur incorruptibilitas , cum dicit , *Incorruptibilis:* ipse enim solus perfecte incorruptibilis est, qui est omnino immutabilis : omnis enim mutatio quaedam corruptio est : unde dicitur *1. Tim. ult. 16. Solus habet immortalitatem.* Tertio notatur naturae sublimitas, cum dicitur, *Dei :* ut enim *in Psalm. 47. 2.* dicitur, *Deus magnus Dominus.* Ex parte vero eius in quod mutaverunt, tria correspondentia ponuntur. Nam contra gloriam dicit , *In similitudinem imaginis* , idest in similitudinem alicuius rei per modum imaginis ab aliquo expressae. Manifestum enim est quod similitudo imaginis est posterior illa re cuius est imago. Gloria autem , sive claritas Dei est principium omnis speciei et formae. Et sic dum Dei gloriam in similitudinem imaginis mutaverunt , converterunt primum in ultimum: *Sap. 14. 15. Acerbo luctu dolens pater , cito sibi rapti filii fecit imaginem.* Contra id quod dixerat, *Incorruptibilis,* dicit, *Corruptibilis: Psal. 19. 20. Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem ?* scilicet quid est amplius iam corruptum , sive mortuum ? *Sap. 15. 17. Cum sit mortalis , mortuum fingit manibus iniquis.* Contra id quod dixit, *Dei,* ponit , *Hominis : Iob 32. 21. Non accipiam personam viri , et Deum homini non aequabo.* Et , quod est abominabilius , homo gloriam Dei transtulit non solum in hominem , qui est ad imaginem Dei , sed etiam ad ea quae sunt infra hominem : unde subdit : *Et volucrum* , quantum ad volatilia , *et quadrupedum,* quantum ad gressibilia , *et serpentum* , quantum ad reptilia. Praetermittit autem pisces, tamquam magis ab humana conversatione seiunctos. Haec autem omnia sunt a Deo homini supposita: *Psal. 8. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius: Ezech. 8. 9. Ingredere , et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi , et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio.*

Est autem notandum, quod , sicut dicit Glossa , ab adventu Æneae consueverunt in Italia imagines hominum coli, puta Iovis, Herculis, et similium. Sed tempore Caesaris Augusti, devicta Ægypto, eorum cultum Romani assumpserunt : qui imagines animalium colebant propter figuras animalium quae notantur in caelo, quibus Ægyptii, tamquam astrologiae dediti , cultum divinitatis impendebant. Unde et Dominus filios Israel in Ægypto nutritos ab huiusmodi cultu removet, dicens *Deuter. 4. 19. Ne forte oculis elevatis in caelum videas solem, et lunam, et omnia astra caeli, et errore deceptus adores eas.*

Deinde cum dicit, *Propter quod tradidit*, ponit poenam huiusmodi culpae respondentem. Circa quod considerandum est quod homo medium locum obtinet inter Deum et animalia bruta, et cum utroque extremorum communicat: cum Deo quidem secundum intellectualitatem, cum animalibus vero brutis secundum sensualitatem. Sicut igitur homo id quod est Dei mutavit usque ad bestias; ita Deus id quod est divinum in homine secundum rationem subdit ei quod est brutale in ipso, scilicet desiderio sensualitatis, secundum illud *Psal. 48. 13. Homo cum in honore esset, non intellexit,* similitudinem scilicet divinae imaginis propter rationem , *comparatus est iumentis insipientibus.* Hoc est ergo quod dicit : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis* , ut eorum ratio subderetur desideriis cordis , scilicet sensualis affectus , de quibus dicitur *infra 13. 14. Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quod quidem est contra naturalem ordinem hominis , secundum quem ratio appetitui sensibili dominatur: *Gen. 4. 7. Sub te erit appetitus tuus , et tu dominaberis illius.* Inducit ergo homines in desideria cordis eorum , sicut in manum dominorum crudelium: *Isai. 19. 4. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* Praecipue tamen circa appetitum sensitivum bestialis quaedam deordinatio pertinet ad peccata carnalia: nam delectationes tactus, circa quas sunt gula, et luxuria, manifeste sunt communes nobis, et brutis; et ideo sunt magis exprobrabiles , quasi magis brutales , ut dicit Philosophus *in 2. Ethicor. cap. 10.* Et hoc designatur cum subdit, *In immunditiam* , quae ad peccata carnalia pertinet , secundum illud *Ephes. 5. 5. Omnis fornicator , aut immundus:* quia scilicet homo per huiusmodi peccata maxime convertitur, et trahitur ad id quod est infra ipsum : unumquodque enim dicitur esse impurum , sive immundum ex commixtione vilioris , sicut argentum ex commixtione plumbi. Unde exponens subdit, *Ut contumeliis* , idest turpibus , et immundis actibus , *afficiunt* , idest inficiunt , *corpora sua in semetipsis* , idest , non quasi ab aliis coacti , puta a Barbaris , sed a semetipsis hoc agunt propria sponte : *Infra 9. 21. An non habet potestatem figulus luti ex eodem luto facere aliud vas in honorem , aliud in contumeliam ?* scilicet in turpem usum.

Sed cum huiusmodi immunditia sit peccatum, videtur quod Deus in eam homines non tradat : quia , ut dicitur *Iacob. 1. 13. Deus intentator malorum est.*

Dicendum est, quod Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directe, inclinando affectum hominis ad malum, quia Deus omnia ordinat in seipsum: *Proverb. 16. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* peccatum autem est aliquid per aversionem ab eo. Sed indirecte tradit homines in peccatum, inquantum iuste subtrahit gratiam, per quam homines continebantur ne-

peccarent ; sicut si aliquis alicuius substentaculum tolleret, diceretur facere casum eius. Et per hunc modum primum peccatum est causa sequentis peccati, sequens vero est poena prioris.

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod unum peccatum potest esse causa alterius indirecte, et directe. Directe quidem, inquantum ex uno peccato inclinatur ad aliud : quod fit tripliciter. Uno modo secundum rationem causae finalis ; sicut cum quis ex avaritia, vel invidia incitatur ad homicidium committendum: secundo secundum actionem causae materialis; sicut gula inducit ad luxuriam, ministrando materiam : tertio secundum rationem causae moventis; sicut cum ex multis actibus alicuius peccati generatur habitus ad simile peccatum inducens. Indirecte autem, sicut primum peccatum meretur exclusionem gratiae, qua subtracta homo ruit in aliud peccatum ; et sic primum peccatum est causa secundi indirecte, sive per accidens, sicut removens prohibens. Sed notandum est, quod peccatum, inquantum huiusmodi, non potest esse poena: quia poenam contra voluntatem patimur; peccatum autem est voluntarium, ut Augustinus dicit. Sed quia peccatum habet quaedam adiuncta, quae sunt contra voluntatem peccantis, ratione eorum peccatum dicitur poena praecedentis peccati. Hoc autem est uno modo aliquid praecedens peccatum, sicut subtractio gratiae, ex qua sequitur ut homo peccet. Alio modo est aliquid adiunctum ipsi peccato, vel interius, sicut est inordinatio animi : unde Augustinus dicit *in 1. Confes. Iussisti Domine, et sic est, ut poena sibi sit omnis inordinatus animus :* sive quantum ad exteriores actus, quibus difficultates, ac labores adiunguntur, secundum illud quod dicunt impii *Sapient. 5. 7. Ambulavimus vias difficiles.* Tertio quantum ad id quod sequitur peccatum, sicut est remorsus conscientiae, infamia, et similia.

Deinde cum dicit, *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium*, ponit culpam impietatis, quam commiserunt contra veritatem divinae naturae : et primo ponit culpam ; secundo poenam, ibi, *Propterea tradidit.* Divina autem natura potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod est ratio cognoscendi, ut veritas prima ; et quantum ad hoc dicit : *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium :* quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quia veram cognitionem, quam a Deo acceperunt, perversa ratione ad falsa dogmata converterunt ; sicut cum dixerunt idola esse deos, vel Deum non esse omnipotentem, vel omniscientem: *Hierem. 9. 5. Docuerunt linguam suam loqui mendacium.* Alio modo veritatem Dei in mendacium mutaverunt, quia divinitatis naturam, quae est ipsa veritas, attribuerunt idolo, quod est mendacium, inquantum non est Deus, ut dicitur *Hier. 16. 19. Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quae eis non profuit. Numquid faciet homo sibi deos, et ipsi non sunt dii?* Alio modo potest considerari divina natura secundum quod est principium essendi omnibus per creationem ; et sic debetur ei ab homine, interius quidem cultus secundum pium affectum: *Ioan. 9. 31. Si quis cultor est Dei, et voluntatem eius facit, hunc exaudit ;* exterius vero debetur ei servitus latriae, secundum illud *Deut. 6. 13. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Unde et subdit contra eos, scilicet *Coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori :* colebant enim caelestia corpora, et aerem, et aquam, et alia huiusmodi, secundum illud *Sapient. 13. 2. Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Et in hoc improbat sapientes Gentilium, qui quamvis numquam in imaginibus aliquid numinis esse crederent, sicut sectatores Hermetis credebant, neque ea quae a Poetis fabulose dicebantur de diis, crederent esse vera ; creaturis tamen aliquibus cultum divinitatis impendebant, ex quibus rationem fabularum assignabant ; sicut Varro posuit totum mundum esse Deum propter animam eius, dicens, quod toti mundo, et omnibus partibus eius, divinitatis cultus impendi potest, scilicet aeri, quem vocabant Iunonem, et aquae quam vocabant Lieum, et sic de aliis. Platonici etiam posuerunt, quod omnibus substantiis rationalibus quae sunt supra nos, cultus divinitatis debetur ; puta daemonibus, animabus caelestium corporum, intelligentiis, idest substantiis separatis. Quamvis autem his quae supra nos sunt aliquam reverentiam exhibere debeamus, non tamen cultum latriae, quae potissime in sacrificiis, et oblatione consistit, per quam homo profitetur omnium bonorum Deum esse auctorem ; sicut et in quolibet regno aliquis honor supremo domino exhibetur, quem non licet transferre in alium. Et ideo subdit : *Qui est benedictus*, idest, cuius bonitas est manifesta. Sic enim dicimur benedicere Deum, inquantum eius bonitatem corde recognoscimus, et ore confitemur: *Eccli. 43. 33. Benedicentes Deum exaltate illum quantum potestis.* Addit autem, *In saecula*, quia eius bonitas est sempiterna, ab alio non dependens, sed est omnis boni principium; et ex hoc sibi debetur omnis latriae cultus. Addit autem, *Amen*, ad omnimodam certitudinem asserendam: *Isai. 65. 16. Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo. Amen :* quod idem est quod verum, vel fiat. Videtur autem Apostolus triplicem theologiam tangere Gentilium. Primo quidem civilem, quae observabatur a pontificibus in adoratione idolorum in templo ; et quantum ad hoc dicit : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei :* secundo theologiam fabularem, quam Poetae tradebant in theatris; et quantum ad hoc dicit : *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium :* tertio theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo, partes mundi colentes ; et quantum ad hoc dicit, *Et coluerunt, et servierunt creaturae potius quam Creatori.*

## LECTIO VIII.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae : nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in re-

probum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia: qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Posita culpa impietatis, secundum quam contra naturam divinam peccaverunt, hic ponit poenam, qua scilicet ad hoc reducti sunt, ut contra suam naturam peccarent: et primo ponit poenam; secundo exponit, ibi, *Nam feminae;* tertio eius convenientiam ostendit, ibi, *Et mercedem.* Dicit ergo primo: *Propterea*, scilicet quia Dei veritatem in mendacium mutaverunt, *tradidit illos Deus*, non quidem impellendo in malum, sed deserendo, *in passiones ignominiae*, idest peccata contra naturam, quae dicuntur passiones secundum quod proprie passio dicitur ex eo, quod aliquid trahitur extra ordinem suae naturae; puta cum aqua calefit, aut cum homo infirmatur. Unde quia per huiusmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, convenienter dicuntur passiones: *Infra 7. 5. Passiones peccatorum.* Dicuntur autem *passiones ignominiae*, quia non sunt nomine dignae, secundum illud *Ephes. 5. 12. Quae aguntur in occulto ab eis, turpe est dicere.* Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id, quod est bestiale in homine, multo magis peccatum contra naturam, per quod etiam homo a natura bestiali decidit: *Osee 4. 7. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Deinde cum dicit, *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum etc.* exponit quod dixerat: et primo quantum ad feminas; secundo quantum ad masculos, ibi, *Similiter autem et masculi.* Dicit ergo primo: Ideo illos dico in passiones ignominiae traditos: *nam feminae eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam: 1. Cor. 11. 14. Nec ipsa natura docet vos: Isa. 24. 5. Mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum*, idest ius naturale.

Est autem considerandum, quod dupliciter est aliquid contra naturam hominis. Uno modo contra naturam differentiae constitutivae hominis, quae est rationale; et sic omne peccatum dicitur esse contra naturam hominis, inquantum est contra rationem rectam: unde et Damascenus dicit *in 2. Lib. de fide cap. 4. post princ.* quod Angelus peccans versus est ex eo, quod est secundum naturam in id, quod est praeter naturam. Alio modo dicitur esse aliquid contra naturam hominis ratione generis, quod est animal. Manifestum est autem, quod secundum naturae intentionem commixtio sexuum in animalibus ordinatur ad actum generationis. Unde omnis commixtionis modus ex quo generatio sequi non potest, est contra naturam hominis, inquantum est animal: et secundum hoc dicitur in Glossa, *Naturalis usus est ut vir, et mulier in uno concubitu coeant; contra naturam vero ut masculus masculum polluat*, et *mulier mulierem;* et eadem ratio est de omni actu coitus, ex quo generatio sequi non potest.

Deinde cum dicit, *Similiter autem et masculi*, exponit quantum ad mares; qui scilicet *relicto naturali usu feminae, exarserunt*, idest extra terminos naturae arserunt, secundum illud *Psalm. 117. 12. Exarserunt sicut ignis in spinis:* et hoc *in desideriis suis*, scilicet carnalibus, *invicem masculi in masculos turpitudinem operantes: Ezech. 16. 37. Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam.* Deinde cum dicit, *Et mercedem*, ostendit hanc poenam convenientem esse culpae, dicens: *Recipientes in semetipsis*, idest in deformatione suae naturae, *mercedem erroris sui*, scilicet quo Dei veritatem in mendacium commutaverunt: *mercedem*, idest retributionem, *quam oportuit*, scilicet eos recipere secundum iustitiae ordinem, ex qua debitum erat, ut qui in Dei naturam iniuriosi fuerant, id quod est proprium sibi, creaturis attribuendo, in sui naturam contumeliosi existerent. Et quamvis merces proprie videatur in bonum sonare; tamen hic sumitur communiter pro quacumque retributione, etiam in malis, secundum modum, quo dicitur *infra 6. 23. Stipendia peccati mors: Mich. 1. 7. Mercedes eorum igni comburentur.*

Et est notandum, quod satis rationabiliter Apostolus vitia contra naturam, quae sunt gravissima inter peccata carnalia, ponit idolatriae poenam, quia simul cum idolatria incepisse videntur, scilicet tempore Abrahae, quando creditur idolatria incepisse. Unde et tunc primo leguntur in Sodomitis punita esse, ut *Gen. 20.* Simul etiam idolatria crescente huiusmodi vitia creverunt: unde dicitur *2. Machab. 4.* quod Iason ausus est sub ipsa arce optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam et profectus gentilis, et alienigenae conversationis.

Deinde cum dicit, *Et sicut non probaverunt*, ostendit eos iniustitiae fuisse subiectos: et primo ostendit ex qua priori culpa in haec peccata devenerunt; secundo enumerat horum peccatorum differentias, ibi, *Repletos omni iniquitate.* Culpam autem praecedentem ponit cum dicit: *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia:* quod potest dupliciter intelligi. Uno modo, quia quamvis lumine rationis, et per creaturas visibiles veram Dei cognitionem habere potuerunt, tamen ut liberius possent peccare, *non probaverunt*, idest non approbaverunt ut ipsi haberent Deum in sui notitia: *Iob 21. 14. Dixerunt Deo: Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus.* Alio modo potest intelligi, quod ipsi non probaverunt, quod Deus in sua notitia haberet facta humana, secundum illud *Psal. 93. 7. Dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus.* Et secundum hunc sensum convenienter huic culpae respondet poena, cum subditur: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Dicitur autem hic sensus hominis, non exterior quo sensibilia cognoscuntur; sed interior, secundum quem iudicat de agendis, secundum illud *Sapient. 6. 16. Cogitare de illa sensus est consummatus.* Dicitur autem sensus reprobus, quo aliquis reprobandum iudicium habet de agendis, secundum illud *2. Tim. 3. 8. Homines mente corrupti, re-*

*probi circa fidem: Hier. 6. 30. Argentum reprobum vocate eos.* Et ideo subdit: *Ut faciant ea quae non conveniunt*, idest ea, quae a recta ratione discordant: *Sap. 5. 2. Inutilia opera eorum sunt.* Est autem conveniens, ut qui contra Dei notitiam peccaverunt, verum cognoscere nolentes, vel cum cognoscere non arbitrantes, in perversitatem sensus traderentur: unde et *Sap. 14. 31.* dicitur: *Peccantium poena perambulat semper iniustorum praevaricationem.* Deinde cum dicit, *Repletos omni iniquitate*, enumerat huiusmodi inconvenientia opera: et primo ponit id quod est generale, dicens: *Repletos omni iniquitate*, ut dicitur *1. Ioan. 5. omne peccatum est iniquitas.* Sicut enim omnis virtus, inquantum exequitur praeceptum legis, habet rationem iustitiae; ita etiam omne peccatum, inquantum a regula legis divinae discordat, habet rationem iniquitatis: et sic in sacra Scriptura praecipue peccata arguuntur. Dupliciter autem eorum culpam exaggerat. Primo quidem intensive, per hoc quod dicit, *Repletos:* ille enim videtur repleri iniquitate, cuius affectus est totaliter ad peccandum dispositus, secundum illud *Psal. 13. 3. Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est.* Secundo extensive, quia scilicet non tantum in uno peccaverunt, sed in omnibus: *Sap. 14. 27. Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est.* Consequenter cum dicit, *Malitia*, enumerat peccata in speciali: et primo quantum ad transgressionem, quae opponitur praeceptis negativis; secundo quantum ad omissionem, quae opponitur praeceptis affirmavis, ibi, *Superbos.* Circa primum duo facit. Primo ponit peccata, quibus aliquis deterioratur in seipso; secundo peccata, quibus aliquis fit nocivus proximo, ibi; *Nequitia.* Circa primum ponit quidem id primo quod est generale, cum dicit, *Malitia*, quae est habitus vitiosus virtuti oppositus: unde ex malitia peccare dicuntur, qui ex habitu peccant: *Psal. 51. 1. Quid gloriaris in malitia?* In speciali ponit peccatum, quo quis deordinatur circa appetitum corporalium delectationum, cum dicit, *Fornicatione.* Quamvis enim fornicatio proprie sit cum meretricibus, quae iuxta fornices, idest arcus triumphales, se publice prostituebant; tamen hic sumitur pro omni illicito concubitu: *Tob. 4. 13. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* Secundo ponit vitium per quod quis deordinatur circa appetitum rerum exteriorum, cum dicit, *Avaritia*, quae est immoderatus appetitus habendi: *Hebr. ult. 5. Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus.* Deinde ponuntur peccata, quae tendunt ad nocumentum proximi: et primo ponit id, quod est generale, cum dicit, *Nequitia*, dum scilicet attentat aliquis quod nequit implere; quod maxime contingit circa nocumenta proximorum, quibus non potest aliquis aliquando pro voto nocere: *Psal. 7. 11. Consumetur nequitia peccatorum.* Consequenter ponit radicem horum peccatorum, dicens, *Plenos invidia*, quae est dolor de alieno bono, ex quo aliquis incitatur ad nocendum alteri: *Sapient. 2. 24. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Postea ponuntur nocumenta, et primo manifeste, et quantum ad facta, cum dicit, *Homicidiis*, quae sunt praecipua nocumenta: *Oseae 4. 2. Maledictum, mendacium, et homicidium, furtum, et adulterium inundaverunt.* Dicit autem pluraliter, *Homicidiis:* quia homicidium non solum consistit in opere, sed etiam in voluntate: *1. Ioan. 3. 15. Qui odit fratrem, homicida est*, qui scilicet odit ad occidendum. Et quantum ad verba, cum dicit, *Contentione.* Est autem contentio impugnatio veritatis cum confidentia clamoris: *Proverb. 20. 3. Honor est homini qui se separat a contentionibus.* Deinde ponit nocumenta occulta; et primo illud quod est generale, cum dicit, *Dolo*, quando scilicet aliud simulatur, et aliud agitur: *Hier. 9. 8. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ei ponit insidias.* Post haec ponit radicem horum nocumentorum, cum dicit, *Malignitate*, quae importat malum ignem, idest malum affectum in corde, secundum illud *Psal. 27. 3. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus: Psalm. 5. 6. Non habitabit iuxta te malignus.* Consequenter ponit nocumenta occulta, quae praecipue fiunt verbis, cum dicit, *Susurrones*, qui scilicet occulte susurrant in auribus hominum ad seminandum inter eos discordias: *Eccli. 28. 15. Susurro, et bilinguis maledictus in populo: multos enim turbavit pacem habentes. Detractores*, qui scilicet detrahunt famae alicuius occulte, idest eo ignorante, mala dicentes de eo: *Eccle. 10. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Et ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur, subdit, *Deo odibiles:* impugnant enim id maxime quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem: *Ioan. 15. 12. Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem.* Unde dicitur *Proverb. 6. 16. Sex sunt quae odit Deus, et septimum detestatur anima eius*, scilicet *qui seminat inter fratres discordias.* Addit autem, *Contumeliosos*, qui scilicet mala in faciem inferunt: *1. Tim. 1. 13. Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus.* Sic ergo haec tria vitia in materia conveniunt, quia omnes mala dicunt de proximo; differunt autem in fine, nam susurro intendit discordiam, detractor infamiam, contumeliosus iniuriam. Consequenter ponit peccata quae pertinent ad omissionem: et primo ponit radicem horum peccatorum, cum dicit, *Superbos.* Dicuntur enim superbi, quasi super se euntes per inordinatum appetitum excellentiae: volunt enim praeesse, non subesse alienae regulae, et ideo praecepta omittunt: *Eccli. 10. 17. Initium omnis peccati superbia:* quod verum est quantum ad aversionem a Deo, non quantum ad conversionem ad bonum commutabile: dicitur enim *1. Tim. ult. 10.* quod radix omnium malorum est *cupiditas.* Secundo ponit processum superbiae, ex quo primo in corde nascitur elatio, ut scilicet homo se super alios efferat: *Luc. 18. 11. Non sum sicut ceteri hominum.* Unde dicitur contra elatos illud *Psalm. 130. 1. Neque elati sunt oculi mei.* Secundo ex superbia in opere nascitur novitatum praesumptio; et quantum ad hoc subdit, *Inventores malorum:* quia enim bona iam a Deo, et ab hominibus sunt instituta, consequens est ut ipsi de novo adinveniant mala: *Isa. 3. 8. Adinventiones eorum contra Dominum.* Consequenter ponuntur ipsae omissiones, et primo respectu superiorum: quantum ad parentes dicit, *Parentibus non obedientibus:* contra id quod dicitur *Ephes. 6. 1. Filii, obedite parentibus vestris in Domino.* Quantum autem ad Deum dicit, *Insipientes*, idest contra divinam reverentiam agentes: *Iob 28. 28.*

*Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia.* Secundo ponit omissionem, quantum ad seipsum, cum dicit, *Incompositos*, in habitu, et in incessu: *Eccli. 19. 27. Amictus corporis, et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo.* Quidam tamen inculpantur *Is. 3.* de hoc quod composito gradu incedebant: quia illa compositio excedebat modum communem hominum inter quos conversabantur. Tertio ponit omissionem quantum ad pares, ad quos debemus habere primo affectum in corde, contra quod dicit, *Sine affectione: Proverb. 12. 10. Viscera impiorum crudelia: Tim. 3. 2. Erunt homines seipsos amantes*, scilicet et non alios. Secundo debet homo eis exhibere socialem conversationem, contra quod subdit, *Absque foedere*, quo scilicet aliis socialiter non convivunt: *Iudic. 18. 27. Percusserunt eos in ore gladii.... eo quod cum nullo hominum haberent quidquam societatis, ac negotii: Eccle. 4. 10. Vae soli, quoniam cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Quarto quantum ad inferiores subdit, *Sine misericordia*, quam debemus miseris exhibere: *Iac. 2. 13. Iudicium sine misericordia fiet illi qui non facit misericordiam.* Deinde cum dicit, *Qui cum iustitiam Dei cognovissent*, ostendit eos esse obnoxios irae, sive vindictae divinae. Circa quod tria sunt consideranda. Primo naturalis eorum affectus: quia cum cognoscerent Deum iustum, et omnes alias perfectiones habentem, non crediderunt quod pro peccatis poenam inferret: *Sophon. 1. 12. Dicunt in cordibus suis: Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male.* Et hoc est quod dicit: *Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt.* Secundo poena peccatis eorum debita, cum dicit: *Digni sunt morte: Infra 6. 23. Stipendia peccati, mors est.* Dignum est enim quod anima quae deserit Deum, a corpore suo deseratur per mortem corporalem, et finaliter deseratur a Deo per mortem aeternam, de qua dicitur *in Ps. 33. 22. Mors peccatorum pessima:* et *Apocal. 20. 6. In his mors secunda non habebit potestatem.* Tertio considerandum est quibus talis poena debetur. Et primo his qui talia agunt, scilicet praedicta peccata, secundum illud *Psal. 5. 7. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et *non solum illis qui faciunt, sed etiam his qui consentiunt facientibus.* Et hoc dupliciter. Uno modo directe, vel laudando peccatum, secundum illud *Psal. 9. 24. Laudatur peccator in desideriis animae suae:* vel etiam praebendo consilium, et favorem, secundum illud *2. Paral. 19. 2. Impio praebes auxilium.* Alio modo indirecte, quando non reprehendit, aut impedit quocumque modo, si potest; et praecipue si ex officio incumbat, sicut peccata filiorum imputantur Heli, sicut patet *1. Reg. 4.* Haec etiam specialiter Apostolus dicit propter quosdam sapientes Gentilium, qui etsi idola non colebant, tamen colentibus non resistebant.

# CAPITIS SECUNDI

## LECTIO PRIMA

Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis quae iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem o homo qui iudicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei.

Postquam Apostolus ostendit quod Gentiles iustificati non sunt ex veritatis cognitione quam habuerunt; hic ostendit quod neque etiam Iudaei iustificati sunt ex his in quibus gloriabantur; et sic utriusque est necessaria ad salutem virtus evangelicae gratiae. Primo ergo dicit, quod Iudaei non sunt iustificati ex lege; secundo quod non sunt iustificati ex genere, de quo gloriabantur, *3. cap. Quid ergo est amplius?* tertio quod non sunt iustificati ex circumcisione, *4. cap. Quid ergo dicemus?* Circa primum considerandum est, quod Iudaei, et Gentiles ad fidem conversi se invicem iudicabant de priori vita: Iudaei enim Gentibus obiiciebant, quod sine Dei lege viventes idolis immolabant; Gentes autem obiiciebant Iudaeis, quod lege Dei accepta, eam non servabant. Primo ergo utrosque arguit de inordinato iudicio; secundo specialiter ostendit quod Iudaei non erant digni praemio: quia ea in quibus gloriabantur, non sufficiebant ad salutem, ibi, *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur.* Circa primum duo facit. Primo confutat humanum iudicium; secundo astruit, et commendat divinum, ibi, *Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem.* Circa primum duo facit. Primo proponit mutuo se iudicantes inexcusabiles esse; secundo assignat rationem, ibi, *In quo enim alterum iudicas.* Primo ergo concludit ex praemissis, dicens: *Propter quod* Gentiles veritatem de Deo cognitam in iniustitia detinuerunt, *o homo qui iudicas* alium hominem, *inexcusabilis es*, sicut supra *1.* dixit: *Ita ut sint inexcusabiles.* Addit autem, *Omnis;* quasi dicat: Quicumque sis, sive Gentilis, sive Iudaeus: quia etiam Gentilis, de quo magis videbatur, non potest excusari per ignorantiam, sicut supra ostensum est: *1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare.* Deinde cum dicit, *In quo enim*, assignat rationem, excludendo causam excusationis: primo quidem ignorantiam; secundo innocentiam, ibi, *Eadem enim agis.* Ignorantia quidem excluditur per iudicium: quicumque enim iudicat aliquem quasi male agentem, demonstrat se agnoscere illud esse malum, et ex hoc ostendit esse condemnabilem; et hoc est quod dicit: Ideo, inquam, es inexcusabilis: *In quo*

*enim iudicas alterum*, quasi male agentem, *teipsum condemnas*, idest ostendis te esse condemnabilem: *Matth. 7. 1. Nolite iudicare, et non iudicabimini.* Non tamen credendum est, quod omne iudicium sit condemnationis causa. Est enim triplex iudicium. Unum quidem iustum, quod scilicet fit secundum regulam iustitiae: *Sap. 1. 1. Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* Aliud est iudicium non iustum, quod scilicet fit contra regulam iustitiae: *Sap. 6. 5. Cum essetis ministri regni eius, non recte iudicastis.* Est autem tertium iudicium temerarium, contra quod dicitur *Eccle. 5. 1. Ne temere quid loquaris.* Quod quidem dupliciter committitur. Uno modo, quando aliquis procedit circa id, quod est sibi commissum iudicium absque debita veritatis cognitione, contra id quod dicitur *Iob 29. 16. Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam.* Alio modo, quando aliquis usurpat sibi iudicium de occultis, de quibus solus Deus iudicare habet, contra id quod dicitur *1. Corinth. 4. 5. Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* Est autem aliquid occultum, non solum quoad nos, sed secundum sui naturam, ad solam Dei cognitionem pertinens. Primo quidem cogitatio cordis, secundum illud *Hier. 17. 9. Pravum est cor hominis, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, et probans renes.* Secundo contingens futurum, secundum illud *Isa. 41. 23. Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et dicemus quia dii estis vos.* Et ideo, sicut dicit Augustinus *de sermone Domini in monte serm. 2. cap. 28.* duo sunt, in quibus temerarium iudicium cavere debemus: cum incertum est quo animo quidque factum fuerit; vel cum incertum est qualis quisque futurus est, qui tunc vel bonus, vel malus apparet. Primum ergo iudicium non est condemnationis causa, sed secundum, et tertium. Deinde cum dicit, *Eadem enim agis quae iudicas*, excludit aliam excusationis causam, scilicet innocentiam, quasi dicat: Ideo tu qui iudicas alios, teipsum condemnas, quia tu eadem agis quae iudicas, idest de quibus alios condemnas: et ita videtur, quod contra conscientiam agis: *Matth. 7. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Est tamen sciendum, quod non semper cum aliquis aliquem iudicat de peccato quod ipse committit, per hoc ipsum semper sibi condemnationem acquirit: quia non semper mortaliter peccat sic iudicando, semper tamen suam damnationem manifestat. Si enim publice sit in peccato, de quo alium iudicat, videtur scandalizare iudicando; nisi forte humiliter se simul cum illo reprehendat, pro suo peccato ingemiscens. Si vero sit in eodem peccato occulte, non peccat iudicando alium de peccato eodem, maxime cum humilitate, et conatu ad resurgendum, ut Augustinus dicit *in Libro 2. cap. 19. de sermone Domini in monte: Primum cogitemus cum aliquem reprehendere necessitas nos cogit, utrum tale sit vitium, quod numquam habuimus, et tunc cogitemus nos etiam habere potuisse: vel tale quod habuimus, et iam non habemus; et tunc tangat memoriam fragilitas communis, ut illam correctionem, non odium, sed misericordia praecedat. Si autem invenimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, et ad pariter condolendum invitemus.* Deinde cum dicit, *Scimus enim*, astruit, et commendat divinum iudicium; et circa hoc tria facit. Primo ponit divini iudicii veritatem; secundo excludit contrariam opinionem, ibi, *Existimas;* tertio manifestat veritatem, ibi, *Qui reddet unicuique.* Dicit ergo primo: Ideo dico, quod teipsum condemnas, cum eadem agis quae iudicas: *scimus enim*, idest pro certo tenemus, *quoniam iudicium Dei est in eos qui talia agunt*, idest imminet eis divinum iudicium: *Iob 19. 29. Ultor iniquitatis est gladius, et scitote esse iudicium: Eccle. ult. 14. Cuncta quae fiunt, adducet Deus in iudicium.* Item scimus, quod hoc iudicium est secundum veritatem: *Psal. 95. 13. Iudicabit orbem terrae in aequitate.* Hominis autem iudicium, etiam si iuste iudicet, non semper est secundum veritatem negotii, sed secundum dicta testium, quae quandoque dissonant a veritate. Sed hoc non est in divino iudicio: quia, ut ipse dicit *Hier. 29. 23. Ego sum iudex, et testis.* Non etiam fallitur falsis allegationibus, secundum illud *Iob 41. 3. Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.* Deinde cum dicit, *Existimas autem,* excludit opinionem contrariam: et primo ponit eam; secundo assignat causam, ibi, *An divitias;* tertio improbat, ibi, *Ignoras.* Dicit ergo primo: Ita dixi, quod iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Sed numquid *o homo*, quicumque es, *qui iudicas eos qui talia agunt, et* tamen *facis ea*, superioris iudicium non times? *Existimas quia tu effugies iudicium Dei?* Quasi dicat: Si hoc existimas, falsa est aestimatio tua: *Psal. 138. 7. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Iob 11. 20. Effugium peribit ab eis.* Deinde cum dicit, *An divitias;* ostendit causam huius falsae aestimationis. Quia enim homo non statim punitur a Deo pro peccato, aestimat se non esse puniendum, contra id quod dicitur *Eccli. 5. 4. Ne dixeris in corde tuo: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor;* et *Eccle. 8. 11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, non debet contemnere, sed advertere, quod est bonum timentibus eum. Et ideo hic dicit, *An contemnis?* secundum illud *Prover. 18. 3. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Divitias*, idest abundantiam: *Ephes. 2. 4. Deus qui dives est in misericordia. Bonitatis eius*, per quam scilicet in nos diffundit bona, secundum illud *Psal. 103. 28. Aperis tu manum tuam, et omnia imples bonitate.* Nam bonum diffusionis rationem importat, secundum Dionysium: *Thren. 3. 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum. Et patientiae*, per quam scilicet sustinet graviter, et ex malitia peccantes: *Psal. 7. 12. Deus iudex iustus, et patiens, numquid irascitur per singulos dies? Et longanimitatis*, per quam scilicet diu sustinet homines ex infirmitate peccantes, diu tamen in peccato permanentes: *2. Petr. ult. 15. Longanimitatem Domini nostri Iesu Christi, salutem arbitramini.* Deinde cum dicit, *Ignoras*, improbat praedictam causam, scilicet contemptum divinae patientiae: et primo fructum divinae patientiae demonstrat; secundo periculum contemptus, ibi, *Secundum duritiam autem.* Dicit ergo primo: Mirum est quod contemnis. Numquid igitur ignoras, quoniam *benignitas Dei*, differentis poenam, *ad poeniten-*

*liam te adducit? 2. Petr. 3. 9. Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti: Isa. 30. 18. Expectat vos Deus ut misereatur vestri.*

Videtur autem Apostolus, ut in Glossa dicitur, tres gradus peccatorum tetigisse: primo quidem impunitatem sibi promittentium; secundo contemnentium Dei bonitatem: tertio vero ignorantium. Unde dicit Glossa: *Peccas o homo, dum tibi impunitatem promittis; gravius peccas, quia contemnis; et gravissime peccas, quia ignoras.* Sed videtur hoc esse falsum: nam ignorantia alleviat peccatum magis quam aggravet. Est igitur secundum quosdam intelligendum, Gravissime, idest periculosissime: quia qui ignorat peccatum, non quaerit remedium. Vel gravissime propter ignorantiae speciem, quae ad infidelitatem pertinet, quae est gravissimum peccatum. Unde dicitur *1. Corinth. 14. 38. Si quis ignorat, ignorabitur.* Vel gravissime in genere ingratitudinis. Augustinus: *Magis enim est ingratus qui beneficium non cognoscit, quam qui diminuit: quod est contemnere.*

Deinde cum dicit, *Secundum duritiam,* ostendit periculum contemptus, dicens: *Secundum autem duritiam:* quia scilicet ob beneficia divinae bonitatis non emollitur: *Eccli. 3. 27. Cor durum male habebit in novissimo: et cor impoenitens,* quod scilicet ad poenitentiam non flectitur ex Dei patientia, et longanimitate: *Hier. 8. 6. Nullus est, qui agat poenitentiam super peccato suo: thesaurizas tibi iram,* idest multiplicas tibi reatum poenae: *Iac. 5. 3. Thesaurizastis vobis iram novissimis diebus.* Unde et hic sequitur: *In die irae,* idest in die iudicii, de qua dicitur *Sophon. 1. 15. Dies illa, dies irae:* quia scilicet nunc Deus vindictam non infert, quam tunc inferet, secundum illud *Psal. 74. 3. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo: et revelationis iusti iudicii Dei:* quia tunc revelabitur iustitia divini iudicii, quod nunc non creditur esse, aut non videtur esse iustum: *Isa. 56. 1. Iuxta est salus mea ut veniat; et iustitia mea ut reveletur.*

Et quia Glossa *Hier. sup. Matt. cap. 12.* hic dicit, quod per duritiam, et cor impoenitens significatur peccatum in Spiritum sanctum, quod est irremissibile; ideo oportet videre quid est peccatum in Spiritum sanctum, et quomodo sit irremissibile. Est igitur sciendum, quod secundum antiquos Doctores Ecclesiae, qui fuerunt ante Augustinum, scilicet Athanasium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, et Chrysostomum, peccatum in Spiritum sanctum dicitur blasphemia, qua opera Spiritus sancti spiritui immundo attribuuntur, ut patet *Matth. 12.* quod quidem dicitur irremissibile et in hoc saeculo et in futuro: quia pro hoc peccato puniti sunt Iudaei, et in hoc saeculo per Romanos, et in futuro per daemones: vel quia non habet aliquam rationem excusationis, sicut habebat blasphemia quam dicebant in Christum, inquantum erat filius hominis, secundum illud *Matth. 11. 19. Ecce homo vorax, et potator vini:* ad quod poterant induci per infirmitatem carnis: sicut et in veteri testamento, quia filii Israel murmuraverunt pro defectu panis, et aquae, ut legitur *Exod. 16.* quasi humanum fuit, et facile remissibile; sed quod postea dixerunt coram idolo, ut *Exod. 32. 4. Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* peccaverunt in Spiritum sanctum, scilicet opus Dei daemonibus attribuentes: unde et eorum peccatum dicitur irremissibile, cum Dominus subdit *ibid. 34. Ego autem in die ultionis visitabo peccatum eorum.* Augustinus autem dicit *in expositione Epistolae ad Rom. circa finem, et de Verb. Domini serm. 11.* peccatum in Spiritum sanctum esse verbum, vel blasphemiam, quam quis dicit contra Spiritum sanctum, per quem fit remissio peccatorum, secundum illud *Ioann. 20. 23. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et hoc quidem corde, ore, et opere, dum aliquis perseverat in peccato usque in finem ultimum. Et sic finalis impoenitentia est peccatum in Spiritum sanctum, de quo manifestum est esse irremissibile. Magistri vero sequentes dicunt peccatum in Spiritum sanctum, scilicet quod committitur ex certa malitia, quae contrariatur appropriato Spiritui sancto, scilicet bonitati; sicut et peccatum in Filium Dei, quod est ex ignorantia, quae opponitur sapientiae, quae appropriatur Filio. Et similiter peccatum in Patrem potest dici quod fit ex infirmitate, quae contrariatur potentiae, quae est appropriatum Patris. Sic ergo peccatum, quod est in Patrem, vel in Filium, dicitur remissibile: quia ex hoc ipso peccatum videtur aliquam excusationem habere, quia ex ignorantia, vel ex infirmitate committitur. Quod autem ex certa malitia committitur, nullam in se habet excusationis causam; et ideo dicitur irremissibile, quia non habet in se unde remittatur; licet quandoque Deus illud ex sua bonitate remittat, sicut quandoque ex sua virtute curat morbum, qui est de se incurabilis. Et secundum hoc assignantur sex species peccati in Spiritum sanctum, excludentes ea per quae peccatum remittitur: quorum prima duo accipiuntur per respectum ad ea, quae se tenent ex parte Dei, scilicet spes divinae misericordiae, cui opponitur desperatio, et timor divinae iustitiae, cui opponitur praesumptio; alia vero duo accipiuntur ex parte hominis, scilicet contemptus boni commutabilis, cui opponitur obstinatio, quae hic duritia dicitur, per quam scilicet aliquis firmat animum suum ad peccatum; et destinatio aversionis a Deo, cui opponitur cor impoenitens, quod scilicet numquam proponit per poenitentiam reverti ad Deum; alia vero accipiuntur ex parte donorum Dei: quorum unum est fides, secundum illud *Prov. 15. 27. Per fidem purgantur peccata;* et huic opponitur impugnatio veritatis agnitae: aliud autem est caritas, secundum illud *Prov. 10. 12. Universa delicta operit caritas;* et huic opponitur invidentia fraternae gratiae.

## LECTIO II.

Qui reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; his autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, et indignatio. Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis

malum, Iudaei primum, et Graeci, gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum, et Graeco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.

Postquam Apostolus proposuit veritatem divini iudicii, exclusa contraria opinione; hic manifestat divini iudicii veritatem: et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *His quidem qui secundum patientiam.* Proponit autem primo veritatem divini iudicii quantum ad duo, scilicet quantum ad opera, et quantum ad personas. Quantum ad opera quidem, quia in praesenti non reddit secundum opera, sed quandoque male agentibus gratiam largitur; sicut ipsi Paulo Apostolo, qui prius blasphemus, et persecutor misericordiam consequutus est, ut dicitur *1. Tim. 1.* Sed hoc non erit in die iudicii, quando erit tempus secundum iustitiam iudicandi: *Psal. 74. 3. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et ideo alibi dicitur *in Psal. 27. 4. Secundum opera manuum eorum tribue illis.* Quantum ad personas attenditur veritas divini iudicii, quia retributionis aequalitas servabitur quantum ad omnes: *2. Cor. 5. 10. Omnes manifestari oportet.*

Videtur autem, quod non sit secundum opera retributio futura, quia peccato temporali poena aeterna retribuetur. Sed dicendum est, quod sicut Augustinus dicit *21. de Civitate Dei cap. 21.* in retributione iustitiae non consideratur aequalitas temporis inter culpam et poenam, quia etiam secundum humanum iudicium pro culpa adulterii, quae brevi hora committitur, infligitur poena mortis; in qua non attendit legislator moram occisionis, sed potius quod per mortem perpetuo excluditur a societate viventium: et sic etiam suo modo, homo pro culpa temporali punitur poena aeterna. Et ideo non est mirum, si peccata commissa contra caritatem, per quam scilicet est societas inter Deum et homines, aeternaliter divino iudicio puniuntur. Et hoc quidem esse iustum ex tribus appareret. Ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur: tanto enim quis gravius peccat, quanto maior est dignitas personae in quam peccatur; sicut plus peccat qui percutit principem, quam qui percutit privatam personam. Et sic cum culpa peccati mortalis sit quodammodo infinita, oportet quod ei infinita poena respondeat. Et sic cum non possit esse infinita secundum intensionem, relinquitur quod sit infinita secundum durationem. Secundo apparet ex voluntate per quam peccatur: quicumque enim mortaliter peccat, aversus ab incommutabili bono, finem constituit in bono commutabili; sicut fornicator in delectatione carnis, avarus in pecunia. Et quia finis per se appetitur, quicumque appetit finem, fertur in illud, volens illud semper obtinere, si aliquid aliud non obsistat. Unde ille, qui peccat mortaliter, voluntatem habet perpetuo in peccato manendi; nisi forte per accidens, sicut quando timet poenam, vel aliquod aliud impedimentum. Unde conveniens est, ut ex quo homo secundum suam voluntatem peccatum perpetuo obtinendum appetit, quod aeternaliter pro illo puniatur: Deus enim qui est inspector cordis, praecipue voluntatem peccantis attendit. Tertio ex parte effectus peccati, qui est subtractio gratiae, ex qua sequitur quod homo, quantum est de se, perpetuo maneat in peccato, a quo exire non potest nisi per auxilium gratiae. Non est autem conveniens ut durante culpa, cesset poena; et ideo in perpetuum durat poena. Quod autem dicitur reddere unicuique secundum opera sua, non est intelligendum secundum aequalitatem operum, quia praemium excedit meritum, sed secundum proportionem: quia bonis retribuet bona, et melioribus meliora. Et eadem ratio est de malis.

Deinde cum dicit, *His quidem, qui secundum patientiam*, manifestat propositum: et primo quantum ad opera; secundo quantum ad personas, ibi, *In omnem animam hominis operantis malum.* Quantum autem ad opera ostendit veritatem divini iudicii primo quidem in bonis; secundo in malis, ibi, *His autem qui ex contentione.* Circa primum duo consideranda sunt, scilicet meritum, et praemium.

Ad meritum tria concurrunt. Primo quidem patientia: quod potest intelligi uno modo de patientia Dei, de qua supra dictum est: *An divitias bonitatis, et patientiae, et longanimitatis contemnis?* ut intelligantur illi esse *secundum patientiam boni operis*, scilicet dispositi, qui bene patientia Dei utuntur bene operando. Alio modo potest intelligi de patientia hominis: quod etiam intelligi potest dupliciter. Uno modo secundum quod patientia importat tolerantiam adversorum, cum aequanimitate cordis. Hoc autem necessarium est, quod aliquis a bono opere non desistat propter mala quae patitur; et hoc est quod dicit, *Secundum patientiam boni operis: Iac. 1. 4. Patientia opus perfectum habet: Luc. 21. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Secundo potest intelligi patientia pro longanimitate, sive pro perseverantia, ut scilicet aliquis a bono opere propter taedium non recedat: *Iac. ult. 7. Patientes estote fratres usque ad adventum Domini: Ad Heb. 10. 36. Patientia vobis necessaria est.* Secundum est bonitas operis; quod quidem dicitur bonum secundum ordinem ad debitum finem, et secundum quod convenit regulae debitae, quae est lex Dei, et ratio humana: *Galat. ult. 9. Bonum facientes non deficiamus.* Tertio tangitur rectitudo intentionis quaerentis vitam aeternam, ut scilicet in malis quae homo patitur, vel in bonis quae agit, non quaerat aliquid temporale, sed aeternum: *Matth. 6. 33. Primum quaerite regnum Dei.*

Ex parte etiam praemii tangit tria: quorum primum est gloria, quae significat claritatem sanctorum, etiam intrinsecam, qua replebuntur in mente, secundum illud *Isai. 58. 11. Implebit splendoribus animam tuam;* et exteriorem, qua splendebunt in corpore: *Matth. 13. 43. Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum: Psal. 149. 5. Exultabunt sancti in gloria.* Secundo tangitur honor, per quem significatur sanctorum dignitas, et reverentia quae eis exhibetur ab omni creatura. Erunt enim reges, et sacerdotes: *Apocalypsis 5. 10. Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Et ulterius computabuntur inter filios Dei, secundum illud *Sapient. 5. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: Psal. 138. 17. Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Tertio tangitur incorruptio: quia scilicet illa gloria, et honor non erunt transitoria, sicut ea quae sunt in hoc mundo: *1. Corinth. 9. 25. Illi*

*quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Deinde cum dicit, *His autem*, ostendit veritatem divini iudicii in malis, in quibus etiam tangitur culpa, et poena. Et quantum ad culpam tanguntur tria, quorum primum est contentionis pertinacia: quae quidem primo potest intelligi hominis ad Deum, beneficiis ad se vocantem, contra quem homo contendere videtur divinis beneficiis resistendo: *Deuteron. 31. 27. Adhuc vivente me, et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum.* Secundo potest intelligi de contentione hominis contra fidem: *2. Timoth. 2. 1. Noli vobis contendere.* Tertio potest intelligi de contentione hominum ad invicem quae contrariatur caritati, quae est mater virtutum: *Iacob. 3. 6. Ubi zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Secundo ponitur duritia eorum, scilicet qui non acquiescunt veritati: quod potest uno modo intelligi de veritate fidei: *Ioan. 8. 45. Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Alio modo de veritate divinae iustitiae, cui non acquiescunt, veritatem divini iudicii non credentes: *Ezech. 18. 25. Dixistis: Non est aequa via Domini.* Tertio potest intelligi de veritate vitae, cui non acquiescunt qui perverse vivunt: *Ioan. 3. 21. Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Tertio autem tangitur malitia in hoc quod dicit, *Credunt autem iniquitati:* vel quia consentiunt persuadentibus iniquitatem: *Prover. 17. 4. Malus obedit linguae iniquae:* vel quia credunt impunitatem peccatorum, quae in divinam iniquitatem redundaret: *Eccli. 5. 4. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste?* Vel *credunt iniquati*, idest infidelitati, scilicet doctrinae, quae est contra fidem: *2. Thess. 2. 12. Iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Ex parte autem poenae quatuor ponuntur, quae quidem dupliciter distingui possunt. Uno modo ut ira, idest poena, et vindicta corporalis, intelligatur esse post iudicium: *Sophon. 1. 15. Dies illa, dies irae.* Indignatio autem in iudicio, quando impii sibi ipsis indignabuntur, fit ex peccatis quae commiserunt: *Sapient. 5. 6. Erravimus a via veritatis.* Tribulatio autem, et angustia pertinent ad animam separatam a corpore ante resurrectionem: *Proverb. 1. 27. Quando venit super vos tribulatio, et angustia.* Vel alio modo possunt distingui, ut prima duo accipiantur ex parte Dei, cuius ira dicitur dispositio ad puniendum, quae est malis horribilis: *Apocal. 6. 16. Dicent montibus, et petris, Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Indignatio eius refertur ad hoc quod peccatores indignos reputabit vita aeterna: *Psal. 94. 11. Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Alia vero accipiuntur ex parte hominis. Et tribulatio quidem dicitur a tribulo, qui pungit: unde ad tribulationem potest pertinere omne quod dolorem infert: *Sophon. 1. 14. Vox diei Domini amara: tribulatur ibi fortis.* Angusta autem dicitur ex hoc quod animus hominis angustiatur, non valens invenire remedium contra mala quae timet, vel iam patitur: *Dan. 13. 22. Angustiae mihi sunt undique:* et *Philip. 1. 22. Quid eligam ignoro: Iob 27. 9. Numquid clamorem illius audiet Deus, cum venerit super illum angustia?*

Deinde cum dicit, *In omnem animam*, ostendit veritatem divini iudicii quantum ad personas: et primo proponit huius aequitatem; secundo rationem assignat, ibi, *Non est enim acceptio personarum;* tertio rationem manifestat, ibi, *Quicumque enim.* Veritatem quidem divini iudicii quantum ad personas ostendit primo in malis, cum dicit: *In omnem animam hominis operantis malum*, idest contra omnem animam: quia sicut gloria sanctorum ab anima ad corpus devenit, ita reproborum poena primo et principaliter est in anima, et secundo in corpore, quod propter defectum, vel culpam animae resurget passibile: *Ezech. 18. 20. Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Dicit autem: *Iudaei primum, et Graeci:* quia Iudaeis maior poena debebatur, tamquam cognoscentibus Dei voluntatem per legem: *Luc. 12. 47. Servus qui sciens voluntatem domini sui, non fecit secundum voluntatem eius, digne plagis vapulabit multis.* Et similiter Christiani, quantum ad idem peccatum, puta adulterium, vel furtum, graviori poena puniuntur quam infideles: *Heb. 10. 29. Quanto magis putatis maiora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?* Sed quantum ad totam poenam, gravior est poena infidelium propter peccatum infidelitatis, quod est gravissimum. Unde dicitur *1. Pet. 3.* quod super incredulos ira Dei manet. Secundo manifestat in bonis: et ponit primo duo, quae supra dixit gloriam, et honorem; tertium vero, scilicet pacem, ponit loco incorruptionis, quam includit pax, et multa alia comprehendit. Non enim potest esse pax hominis perfecta quamdiu aliquis timet se amissurum bona quae habet; sed tunc aliquis habet veram pacem cordis, quando habet omnia quae concupiscit, et ea perdere non timet: *Isa. 32. 17. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Et in his etiam primatum Iudaeis attribuit: quia eis sunt primo promissa, et in eorum promissiones Gentes introierunt: *Ioan. 4. 38. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.*

Deinde cum dicit, *Non enim est*, assignat rationem dictorum: quia scilicet *non est personarum acceptio apud Deum: Act. 10. 34. Non est personarum acceptor Deus.* Opponitur autem personarum acceptio iustitiae distributivae, per quam aliquis distribuit unicuique secundum dignitatem personarum. Ergo acceptio est quando praeter dignitatem datur alicui plus vel minus. Tunc autem hoc fit praeter dignitatem quando hoc fit non propter conditionem personae, quae facit ad causam, hoc est enim causam accipere, scilicet quasi regulam operandi, sed propter personam, quasi ipsa persona accipiatur ut causa aliquid faciendi: puta si aliquis det alicui propter consanguinitatem plus de bonis patrimonialibus, non est acceptio personarum, quia consanguinitas est conveniens causa, propter quam de talibus bonis debeat habere. Si autem propter consanguinitatem aliquis praelatus det alicui plus de bonis Ecclesiasticis, potest hoc ad acceptionem personarum pertinere, si alia idoneitas non concurrat: non enim consanguinitas est ratio conveniens distributionis bonorum spiritualium. Quia igitur Deus omnia convenientissima ratione facit, non cadit in ipsum personarum acceptio: dicitur enim *Sap. 8.* quod disponit omnia suaviter.

Sed videtur acceptor personarum : quia peccatorum quosdam in suis peccatis relinquit, quosdam ad se vocat. Sed dicendum , quod personarum acceptio opponitur iustitiae, unde locum habet in iis quae dantur ex debito , quod attendit iustitia; Deus autem non ex debito , sed gratis peccatores ad poenitentiam vocat : si enim ex operibus , iam non ex gratia , ut dicitur *infra 11.* et *Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos , sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* In talibus autem beneficiis gratis datis, non solum Deo , sed etiam homini liberum est dare cui voluerit: *Matth. 20 15. An non licet mihi quod volo facere ?*

Deinde cum dicit , *Quicumque enim*, exponit praedictam rationem : quod enim non sit personarum acceptio apud Deum, patet per hoc quod omnes qui peccant puniuntur. Unde primo loquitur quantum ad illos qui legem non susceperunt , dicens, quod *quicumque peccaverit sine lege*, scilicet Moysi accepta a Deo, *sine lige peribit* , idest condemnabitur, non propter legis transgressionem : *Iob 4. 20. Quia nullus intelligit , in aeternum peribunt.* Secundo loquitur quantum ad illos qui legem scriptam acceperunt, et dicit, quod *quicumque peccaverunt in lege,*idest post legem scriptam , *iudicabuntur per legem* , idest propter hoc quod transgressi sunt praeceptum legis: *Ioan. 12. 48. Sermo quem loquutus sum vobis, ille iudicabit eum in novissimo die.*

Quidam autem ex hoc modo loquendi occasionem erroris sumpserunt. Quia enim Apostolus non dicit, Quicumque in lege peccaverit, per legem peribit, sicut dixerat de his qui sunt sine lege, quod *sine lege peribunt;* crediderunt, quod illi qui post legem susceptam peccant , iudicentur aliqualiter , scilicet in praesenti, non tamen pereunt. Sed , sicut dicit Glossa , quis Christianus dicat, quod tolerabilius erit Sodomae in die iudicii , quam eis ? ut habetur *Matth. 10.* Unde *Ezech. 18. 32. Nolo mortem peccatoris.* Utitur autem tali diversitate in loquendo, quia, ut Gregorius dicit *in Moralibus Lib. 26. cap. 24. super illud Iob 36. 6. Iudicium pauperibus tribuit* , quidam in futuro iudicio peribunt , sed non iudicabuntur , idest impii, qui sunt sine fide , et lege Dei: *Psal. 1. 5. Non resurgent impii in iudicio :* quia scilicet non est locus disceptandi contra eum qui totaliter alienus est a Deo: *Ioan. 3. 18. Qui non credit , iam iudicatus est.* Alii vero qui lege Dei , et fide suscepta peccant , ita peribunt quod etiam iudicabuntur , quasi quadam disceptatione cum eis facta : unde *Ezech. 34. 17.* dicitur : *Ecce ego iudico inter pecus et pecus , arietum , et hyrcorum.* Sicut et Rex, ut Gregorius dicit, hostes condemnat absque audientia , cives autem cum diligenti audientia.

## LECTIO III.

**Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum , sed factores legis iustificabuntur. Cum enim Gentes , quae legem non habent , naturaliter ea quae legis sunt faciunt , eiusmodi legem non habentes , ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis , testimonium reddente illis conscientia ipsorum , et inter se invicem cogitationum accusantium , aut etiam defendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum , secundum Evangelium meum , per Iesum Christum.**

Postquam Apostolus confutavit humanum iudicium , quo se Gentiles , et Iudaei mutuo iudicabant, et divinum iudicium commendavit ; hic procedit ad ostendendum , ea quibus Iudaei gloriabantur , eis non sufficere ad salutem : et primo ostendit propositum; secundo solvit ea quae in contrarium dici possent, *3. cap. ibi, Quid ergo amplius Iudaeo est ?* De duobus Iudaei gloriabantur , scilicet de lege, et circumcisione, quae non erat ex lege Moysi , sed ex patribus, ut dicitur *Ioan. 7.* Primo ergo ostendit quod lex audita , sive recepta non sufficiebat ad salutem ; secundo ostendit idem de circumcisione , ibi , *Circumcisio quidem prodest , si legem observes.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Cum enim Gentes.* Circa primum proponit duo : unum excludendo, alterum asserendo. Excludit enim quod Iudaei opinabantur, scilicet se per solum legis auditum iustificari: unde dicit: Ita dictum est: Peccantes in lege, iudicentur per legem: *non enim auditores legis,* ex hoc ipso quod legem audiunt , *iusti sunt apud Deum* , etsi apud homines iusti reputantur: *Matth. 7. 29. Qui audit verba mea , et non facit ea , similis est viro stulto: Iac. 1. 23. Si quis auditor est verbi , et non factor , hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo.* Secundo astruit quod factores legis sunt iusti , cum dicit : *Sed factores legis iustificabuntur : Matth. 7. 24. Omnis qui audit verba mea , et facit ea , assimilabitur viro sapienti: Iac. 1. 22. Estote factores verbi , et non auditores tantum :* et *Psalm. 110. 10. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Sed circa secundum videtur esse quod infra *3. 20.* dicitur : *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo.* Non ergo aliqui ex hoc quod opera legis faciunt , iustificantur.

Sed dicendum est, quod iustificari tripliciter accipi potest. Uno modo potest accipi quantum ad reputationem , ut tunc aliquis iustificari dicatur quando iustus reputatur : *Ezech. 16. 51. Iustificasti sorores tuas ,* scilicet per reputationem : et secundum hoc potest intelligi , *Factores legis iustificabuntur* , idest iusti apud Deum , et homines reputabuntur. Secundo per executionem iustitiae , inquantum scilicet opera iustitiae exequuntur : *Luc. 18. 14. Descendit hic iustificatus in domum suam :* quia scilicet publicanus opus iustitiae fecerat confitendo peccatum. Et hoc modo verificatur quod hic dicitur , *Factores legis iustificabuntur,* scilicet legis iustitiam exequendo. Tertio modo potest accipi iustificatio quantum ad causam iustitiae , ut scilicet ille dicatur iustificari qui iustitiam de novo accipit , sicut infra *5. Iustificati pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Sic autem non intelligitur hic quod factores legis iustificentur , quasi per opera legis iustitiam acquirant. Hoc quidem esse non potest neque quantum ad opera caeremonialia , quae gratiam iustificantem non conferebant , neque etiam quantum ad moralia , ex quibus habitus

iustitiae non acquiritur; sed potius per habitum iustitiae infusum huiusmodi opera facimus.

Deinde cum dicit, *Cum enim Gentes*, manifestat propositum: et primo ostendit quod factores legis, etiam si non sint auditores, iustificantur; secundo quod auditores legis sine legis observantia non iustificantur, ibi, *Si autem Iudaeus*. Circa primum tria facit. Primo proponit dignitatem eorum qui legem absque auditu observant; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Qui ostendunt opus legis*; tertio probat, ibi, *Testimonium reddente illis*. Circa primum tria tangit quantum ad Gentiles. Primo carentiam legis, dicens: *Cum enim Gentes, quae legem non habent*, scilicet divinam, quam non acceperunt: non enim Gentibus data est lex, sed Iudaeis, secundum illud *Eccli. 24. 33. Legem mandavit Moyses in praeceptis iustitiarum, et haereditatem domui Iacob, et Israel promissiones:* et *in Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi: Deut. 33. 4. Legem praecepit nobis Moyses haereditatem multitudinis Iacob.* Ex quo patet quod Gentiles non peccabant non observando caeremonialia legis. Secundo commendat in eis legis observantiam, cum dicit: *Naturaliter faciunt quae sunt legis*, idest quae lex mandat, scilicet quantum ad praecepta moralia, quae sunt de dictamine rationis naturalis: sicut et de Iob dicitur *Iob 1.* quod erat iustus, et rectus ac timens Deum, et recedens a malo. Unde ipse dicit *cap. 23. 11. Vestigia eius sequutus est pes meus, vias eius custodivi.*

Sed quod dicit *naturaliter*, dubitationem habet: videtur enim patrocinari Pelagianis, qui dicebant, quod homo per sua naturalia poterat omnia praecepta legis servare. Unde exponendum est, *Naturaliter*, idest per naturam gratia reformatam, loquitur enim de Gentilibus ad fidem conversis, qui auxilio gratiae Christi coeperant moralia legis servare. Vel potest dici *naturaliter*, idest per legem naturalem ostendentem eis quid sit agendum, secundum illud *Psal. 4. 6. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* quod est lumen rationis naturalis, in qua est imago Dei; et tamen non excluditur quin necessaria sit gratia ad movendum affectum: sicut etiam per legem est cognitio peccati, ut dicitur *infra 3.* et tamen ulterius requiritur gratia ad movendum affectum.

Tertio ostendit eorum dignitatem, in hoc scilicet quod *huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, inquantum scilicet funguntur officio legis ad seipsos, instruendo se, et inducendo ad bonum: quia, ut Philosophus dicit *10. Ethicor. cap. 15.* lex est sermo coactionem habens, ab aliqua prudentia, et intellectu procedens. Et ideo dicitur *1. Timoth. 1.* quod iusto lex non est posita, idest exteriori lege non cogitur; sed posita est iniustis, qui indigent exterius cogi. Et iste est supremus gradus dignitatis in hominibus, ut scilicet non ab aliis, sed a seipsis inducantur ad bonum; secundus vero gradus est eorum, qui inducuntur ab alio, sed sine coactione; tertius autem est eorum, qui coactione indigent ad hoc, quod fiant boni; quartus est eorum, qui nec coactione ad bonum dirigi possunt: *Hierem. 2. 30. Frustra percussi filios vestros; disciplinam non receperunt.* Deinde cum dicit, *Qui ostendunt*, ostendit quomodo ipsi sunt sibi lex: quod quidem accipere possumus ad similitudinem legis, quae ab exteriori homine proponitur, quae scilicet consuevit, ad firmitatem, et memoriam, scripto tradi; et similiter illi qui legem observant, absque exteriori auditu legis, ostendunt opus legis scriptum, non quidem atramento, sed primo quidem, et principaliter spiritu Dei vivi, ut dicitur *1. Cor. 3.* secundo etiam humano studio: *Proverb. 3. 3. Describe ea in tabulis cordis tui*, scilicet praecepta sapientiae. Unde et hic sequitur, *In cordibus suis:* non pergameno, aut tabulis lapideis, sive aereis: *Hierem. 31. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum superscribam eam.*

Deinde cum dicit, *Testimonium reddente*, probat quod dixerat, scilicet quod opus legis sit in cordibus eorum inscriptum per quaedam opera, quae huiusmodi scriptum annuntiant: et primo ponit illa opera, quorum unum est testimonium conscientiae, quod tangit dicens: *Testimonium reddente illis conscientia;* quae quidem nihil aliud est quam applicatio cognitionis habitae ad iudicandum de aliquo opere utrum sit bene, vel male factum. Unde huiusmodi conscientia quandoque testimonium perhibet de bono, secundum illud *2. Cor. 1. 12. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae:* quandoque autem de malo: *Eccle. 7. 23. Scit conscientia tua, quia et tu crebro male dixisti aliis.* Non autem potest aliquis perhibere testimonium de aliquo opere, quod sit bonum vel malum, nisi per hoc quod habet legis notitiam: unde hoc ipsum quod conscientia testimonium reddit de bono, vel malo, est evidens signum, quod in corde hominis sit opus legis descriptum. Aliud autem opus est accusatio, et defensio, quae sine notitia legis esse non possunt; et quantum ad hoc dicit, *Et cogitationem*, idest cogitationibus, *accusantium, aut etiam defendentium*, idest accusantibus, vel defendentibus, more Graecorum qui genitivis loco ablativorum utuntur; et hoc *inter se invicem.* Insurgit enim homini circa aliquod factum aliqua cogitatio accusans, dum propter rationem aliquam cogitat se male fecisse: *Psal. 49. 21. Arguam te, et statuam contra faciem tuam: Isa. 3. 9. Agnitio vultus eorum respondebit eis.* Quandoque etiam insurgit aliqua cogitatio defendens, dum per aliquam rationem cogitat se fecisse bene, secundum illud *Iob 27. 6. Non reprehendet me cor in omni vita mea.* Et inter hanc accusationem, et defensionem locum habet testimonium conscientiae, cui statur. Potest et aliter legi, ut dicatur: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* quae scilicet conscientia, non solum est operum, sed etiam cogitationum, de quibus scilicet homo conscientiam habet. Sed primum melius est. Sed quia testimonium, accusatio, et defensio in iudicio locum habent, agit secundo de huiusmodi iudicio, ostendens tempus, cum dicit, *In die*, quod dicit non ad designandum temporis qualitatem, sed absconditorum manifestationem: *1. Corinth. 4. 5. Illuminabit abscondita tenebrarum.* Quandoque tamen dicitur nox propter incertitudinem horae illius: *Matth. 25. 6. Media nocte clamor factus est.* Dicuntur autem cogitationes accusantes, vel defendentes in die iudicii, non illae quae tunc erunt, quia tunc unicuique manifesta erit salus, vel damnatio, sed defensio, vel accusatio cogitationem, quae nunc sunt, et testimonium conscientiae quod nunc est, repraesentabitur

homini in illa die, virtute divina faciente, ut dicit Augustinus *de Civitate Dei*. Notitia autem illarum cogitationum, quae remanent in anima, nihil esse aliud videtur, ut dicit Glossa, quam reatus poenae, vel meritum ex eis consequens. Ostendit etiam auctorem iudicii, dicens, *Cum iudicabit Deus : Psal. 95. 13. Iudicabit orbem terrarum in aequitate.* Determinat etiam de quibus erit iudicium, cum dicit, *Occulta hominum*, de quibus nunc homines iudicare non possunt: *1. Cor. 4. 5. Illuminabit abscondita tenebrarum.* Ostendit etiam doctrinam, ex qua habetur fides de hoc iudicio, cum dicit, *Secundum Evangelium meum*, idest a me praedicatum : *Matth. 12. 36. Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Dicit autem, *Evangelium meum*, quamvis non possit dicere baptismum suum, et sit utriusque minister : quia in baptismo nihil operatur industria hominis, sed in Evangelio praedicando multum industria praedicatoris operatur: *Ephes. 3. 4. Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in ministerio.* Postea ponit cui datum est iudicium, cum subdit, *Per Iesum Christum*, qui scilicet est constitutus a Deo iudex vivorum, et mortuorum, ut dicitur *Act. 10.* et *Ioan. 5. 22. Pater omne iudicium dedit Filio*, qui scilicet in iudicio apparebit bonis, et malis ; sed bonis secundum gloriam divinitatis : *Isa. 33. 17. Regem in decore suo videbunt :* malis autem secundum naturam humanitatis : *Apoc. 1. 7. Videbit eum omnis caro.*

## LECTIO IV.

Si autem ut Iudaeus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem eius, et probas utiliora, instructus per legem, confidis teipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae, et veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces ? Qui praedicas non furandum, furaris ? Qui dicis non moechandum, moecharis ? Qui abominaris idola, sacrilegium facis ? Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras ? Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest, si legem observes ; si autem praevaricator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est. Si igitur praeputium iustitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur ; et iudicabit id quod ex natura est praeputium, legem consummans, te qui per litteram, et circumcisionem praevaricator legis es. Non enim qui in manifesto, Iudaeus est, neque quae in manifesto in carne, est circumcisio ; sed qui in abscondito, Iudaeus est, et circumcisio cordis in spiritu non in littera ; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Ostenso quod factores legis iustificantur etiam sine hoc, quod sint auditores, quod pertinebat ad Gentiles ; hic ostendit quod auditores non iustificantur nisi sint factores, quod pertinet ad Iudaeos. Primo ergo ostendit praerogativam Iudaeorum, quantum ad legis susceptionem ; secundo ponit eorum defectum, quantum ad legis transgressionem, ibi, *Qui ergo alium doces.* Ponit autem eorum praerogativam tripliciter. Primo quantum ad gentem, cui data est lex ; secundo quantum ad legem, ibi, *Et requiescis in lege ;* tertio quantum ad legis effectum, sive factum, ibi, *Et nosti voluntatem eius.* Quantum autem ad gentem dicit : *Si autem ut Iudaeus cognominaris*, quod est nomen honorabile, secundum illud *Psal. 113. 2. Facta est Iudaea sanctificatio eius : Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.* Dicuntur autem Iudaei, non a Iuda Machabaeo, ut quidam dicunt, forte propter hoc quod Iudas Machabaeus gentem illam in dispersione existentem congregavit, et protexit, secundum illud *1. Mach. 3. 2. Praeliabatur praelia Israel cum laetitia, et dilatavit gloriam populo suo.* Invenitur enim nomen Iudaeorum ante Iudam Machabaeum, secundum illud *Esther 8. 16. Iudaeis nova lux oriri visa est.* Et ideo dicendum est, quod Iudaei denominantur a Iuda Patriarcha : *Gen. 49. 8. Iuda, te laudabunt fratres tui.* Cum enim tempore Roboam decem tribus ab eius regno se segregantes, vitulum aureum adorarent, in transmigrationem sunt ductae ab Assiriis, ut habetur *4. Reg. 17.* Nec de eorum reversione facit mentionem Scriptura; sed potius terra remansit occupata ab alienigenis, qui postmodum Samaritani sunt dicti. Duae autem tribus, scilicet Iudae, et Beniamin, adhaerentes regno Roboam, perseveraverunt in cultu Dei. Et quamvis in captivitatem Babylonis fuerint ductae, postmodum tamen per Cyrum Regem Persarum sunt reducti in terram suam, ut dicitur *1. Esd. 1.* Et quia tribus Iudae maior erat, ab ea gens tota illa denominabatur; et non solum illi, qui erant ex tribu Beniamin, sed etiam de aliis tribubus revertentibus, qui se illis adiunxerunt. Consequenter cum dicit, *Et requiescis in lege*, ponit eorum praerogativam quantum ad legem. Et primo quidem quantum ad ipsam legem, cum dicit, *Et requiescis in lege*, quasi per eam certificatus in credendis, et in agendis. Dubitans enim intellectu non quiescit, sed utrinque solicitatur ; qui autem sapientiae certitudinem accipit, mente quiescit : *Sap. 8. 16. Intrans in domum meam conquiescam cum illa.* Secundo quantum ad legislatorem, cum subdit: *Et gloriaris in Deo*, idest in cultu, et notitia unius Dei : *Hier. 9. 24. In hoc glorietur, scire, et nosse me : I. Cor. 1.* et *2. Cor. 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Deinde cum subdit, *Et nosti voluntatem eius*, ponit praerogativam eorum quantum ad fructum legis : et primo quantum ad hominem respectu suiipsius ; secundo respectu aliorum, ibi, *Confidis.* Ponit autem duplicem fructum. Primum quidem respondentem gloriae quam de Deo habebant, cum dicit : *Nosti voluntatem eius*, quid scilicet Deus velit nos facere: *Infra 12. 2. Ut probetis quae sit voluntas Dei.* Secundum fructum ponit, qui respondit quiescenti in lege Dei, cum dicit, *Et probas utiliora*, idest scis approbare eligendo non solum mala a bonis, sed etiam meliora a minus bonis : unde quaerebat quidam *Matt. 22. 35. Quod est*

*mandatum magnum?* et hoc *instructus per legem: Psal. 93. 12. Beatus homo quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.* Consequenter ponit fructus per respectum ad alios : qui quidem tripliciter se habent ad notitiam legis. Quidam enim sunt omnino in legis ignorantia constituti. Uno quidem modo per defectum naturalis ingenii, sicut et homo corporaliter dicitur caecus per defectum interioris potentiae visivae : *Isa. 59. Palpavimus ut caeci parietem.* Huiusmodi autem hominibus non potest homo lumen scientiae praebere, ut ipsi per se videre possint quid sit agendum; sed praebet eis homo ducatum ut caecis, mandando eis quid facere debeant, quamvis mandatorum rationem non cognoscant : *Iob 29. 15. Oculus fui caeco :* de quibus tamen dicitur *Matth. 15. 14. Caeci sunt, et duces caecorum.* Alio modo sunt in ignorantia per defectum disciplinae, qui sunt quasi in tenebris exterioribus non illuminati per doctrinam, quibus sapiens praebere potest lumen disciplinae, ut intelligant quae mandantur ; et hoc est quod dicit : *Lumen eorum qui in tenebris sunt : Luc. 1. 79. Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Secundo autem tangit illos, qui sunt in via perveniendi ad scientiam, quam nondum attigerunt : et hoc uno modo per defectum plenae instructionis ; et hoc est quod dicit, *Eruditorem insipientium*, idest eorum qui nondum sapientiam acceperunt, qui dicuntur erudiri, quasi erui a ruditate, quae a principio inest omnibus cum primo instruuntur: *Eccli. 7. 25. Filii tibi sunt? Erudi eos.* Alio modo per defectum aetatis, sicut sunt pueri; et quantum ad hoc dicit, *Magistrum infantium: Isa. 33. 18. Ubi est doctor parvuloruu ?* Tertii vero sunt qui iam sunt in scientia provecti ; et isti indigent a sapientibus informari, ut habeant sapientium dicta in auctoritate, quasi quamdam regulam seu formam ; et quantum ad hoc dicit : *Habentem formam scientiae : 2. Tim. 1. 13. Formam habe bonorum verborum, quae a me audisti :* et *Phil. 3. 17. Observate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Oportet autem eos qui sic informantur, auctoritate maiorum instrui, ut sciant quid sit in lege traditum: et ideo dicit, *Scientiae : Sapient. 10. 10. Dedit illi scientiam sanctorum :* et etiam ut sciant, qui sit verus intellectus eorum, quae traduntur in lege ; et quantum ad hoc dicit, *Veritatis : Psal. 42. 3. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.*

Deinde cum dicit, *Qui ergo alium doces*, ostendit defectum eorum secundum transgressionem legis, et primo hominis ad seipsum, cum dicit, *Qui ergo alium doces*, dirigendo ipsum ad bonum, *te ipsum non doces* dirigendo? Et potest legi vel interrogative, quasi cum quadam indignatione; vel remisse, quasi asserendo eorum malitiam: et simile est in sequentibus: *Iob 4. 3. Ecce docuisti plurimos :* et *infra 5. Nunc tetigit te plaga, et defecisti.* Secundo tangit defectum quantum ad proximum : primo quidem quantum ad res, quae furto subtrahuntur, cum dicit: *Qui praedicas non furandum, furaris? Isa. 1. 13. Principes tui infideles, socii furum :* secundo quantum ad personam coniunctam, quae per adulterium polluitur ; et quantum ad hoc dicit : *Qui doces non moechandum, moecharis : Osee 7. 4. Omnes adulterantes, quasi clibanus: Hier. 5. 8. Unusquisque ad uxorem proximi sui.* Tertio autem ostendit eorum defectum per comparationem eorum ad Deum : et primo quidem quantum ad hoc, quod peccabant contra ipsius cultum ; et quantum ad hoc dicit : *Qui abominaris idola*, cognoscens scilicet ex praecepto legis ea non esse colenda, *sacrilegium facis?* abutendo scilicet his quae pertinent ad divinum cultum. Quod quidem primo fecerunt in statu legis : *Malach. 1. 12. Dicitis : Mensa Domini contaminata est:* et postmodum blasphemando: *Luc. 2. 15. In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Secundo quantum ad ipsam gloriam, cum dicit: *Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras?* Sicut enim legis observantia in bonis operibus est occasio videntibus ut honorent Deum, ita etiam transgressio legis per mala opera occasio est videntibus blasphemandi : *1. Petr. 2. 12. Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* E contra autem dicitur *1. Tim. 6. 1. Quicumque sunt sub iugo servitutis, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, et doctrina fidei blasphemetur.* Et ideo *in Psal. 128. 158.* dicitur: *Vidi praevaricantes, et tabescebam.* Et ad hoc inducit auctoritatem, subdens: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes :* quia scilicet Gentes videntes Iudaeorum malam conversationem, reputabant hoc provenire ex mala instructione legis a Deo traditae. Dicit autem, *Sicut scriptum est*, scilicet *Isa. 52. 5. Dominatores eius inique agunt, et iugiter tota die nomen meum blasphematur:* et *Ezech. 36. 21.* secundum aliam litteram, ubi nostra sic habet : *Non propter vos faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus.* Deinde cum dicit, *Circumcisio quidem prodest etc.* ostendit quod nec circumcisio sufficit ad salutem eadem ratione qua nec lex, quia scilicet observantia legis sine circumcisione valet, sine qua tamen circumcisio non prodest, sicut superius dictum est. Et circa hoc tria facit. Primo comparat circumcisionem ad Iudaeos circumcisos ; secundo ad Gentes incircumcisas, ibi, *Si igitur praeputium;* tertio manifestat quod dixerat, ibi, *Non enim qui in manifesto.* Circa primum duo facit. Primo ostendit qualiter circumcisio prosit ; secundo qualiter non prosit, ibi, *Si autem praevaricator legis sis etc.* Dicit ergo primo: Circumcisio quidem prodest quantum ad remissionem peccati originalis : unde dicitur *Genes. 17. 14. Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Sed tibi adulto tunc finaliter prodest, si legem observes; sicut religiosis prodest professio, si regulam observent. Circumcisio enim erat quasi quaedam professio obligans homines ad observantiam legis : *Gal. 5. 3. Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* Quod autem Apostolus dixit *Gal. 5. 2. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*, loquitur quantum ad tempus post gratiam Evangelii divulgatam; hic autem loquitur quantum ad tempus ante passionem Christi, in quo circumcisio statum habebat. Secundo ibi, *Si autem praevaricator legis sis*, ostendit quomodo circumcisio non prosit, dicens: *Si* tu, Iudaee adulte, *praevaricator es legis, circumcisio tua praeputium facta est*, idest non plus valet tibi quam praeputium, quia non servas quod per circumcisionem profiteris: *Hierem. 9. 26. Omnes Gentes praeputium habent, domus autem Israel incir-*

*cumcisi sunt corde.* Quinimmo ex hoc sunt magis rei, quia non servant quod promiserunt: *displicet enim stulta, et infidelis promissio*, ut dicitur *Eccle. 5. 3.* Deinde cum dicit, *Si ergo praeputium*, comparat circumcisionem ad Gentiles; et hoc dupliciter. Primo quidem quantum ad hoc quod eius fructum habent Gentiles observando legem: unde dicit: Si circumcisio prodest cum observatione legis, non autem sine ea; *igitur si praeputium*, idest Gentilis incircumcisus, *custodiat iustitias legis*, idest iusta praecepta legis, *Psalm. 108. 86. Omnia mandata tua veritas: nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur?* quasi dicat: Fructum verae circumcisionis habebit. Ad hoc enim homo exterius circumciditur in carne, ut scilicet se circumcidat in corde: *Hier. 4. 4. Circumcidimini Domino, et auferte praeputia cordium vestrorum.* Secundo ibi, *Et iudicabit id quod ex natura est praeputium*, comparat circumcisionem Gentili, eum ostendens propter observantiam legis Iudaeo praeferri: unde dicit: *Et praeputium*, idest Gentilis incircumcisus, *consummans*, idest implens mandata legis, *ex natura*, idest per naturalem rationem, ut supra dictum est, quod naturaliter quae sunt legis faciunt, *iudicabit*, per comparationem, *te*, scilicet Iudaeum circumcisum, *qui es praevaricator legis*, transgrediendo praecepta eius, *per litteram*, idest habentem legem litteris descriptam, *et circumcisionem*, scilicet carnis. Unde de hoc comparationis iudicio dicitur *Matth. 12. 41. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam.*

Deinde cum dicit, *Non enim qui in manifesto, Iudaeus est*, assignat rationem dictorum: et primo ponit rationem; secundo probat eam, ibi, *Cuius laus.* Circa primum duo facit. Primo assignat rationem quare circumcisio, vel Iudaismus sine legis observatione non prosit; secundo assignat rationem quare observantia legis prosit sine Iudaismo, et circumcisione, ibi, *Sed qui in abscondito.* Dicit ergo, quod ideo circumcisio praevaricantis legem fit praeputium, et iudicatur a praeputio custodiente legem: non enim est verus Iudaeus ille qui in manifesto est Iudaeus secundum carnalem generationem: *Infra 9. 6. Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitae, sed qui filii sunt promissionis.* Et similiter etiam non est vera circumcisio illa quae est manifesta in carne: illa enim est signum, ut dicitur *Genes. 17. 11. Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis.* Non autem est signum verum, nisi ei respondeat signatum: unde si quis Iudaeus esset transgressor foederis, non esset eius vera circumcisio; et ideo reputatur in praeputium. Deinde cum dicit, *Sed qui in abscondito*, assignat rationem quare praeputium custodientis legem reputetur in circumcisionem, et iudicet circumcisionem carnalem: quia scilicet ille vere est Iudaeus qui est in abscondito, idest qui habet in affectu cordis mandata legis quam Iudaei profitentur: *Matth. 6. 6. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi:* et similiter circumcisio vera est quae est *cordis in spiritu*, idest per spiritum facta, per quam superfluae cogitationes a corde praeciduntur. Vel *in spiritu*, idest per spiritualem intellectum legis, non litteralem: *Philip. 3. 3. Nos sumus circumcisio qui spiritu Deo servimus.* Deinde cum dicit, *Cuius laus non ex hominibus*, probat praemissam rationem. Manifestum est enim quod in omnibus iudicium divinum praeferendum est humano. Ea vero quae exterius apparent, sive sit Iudaismus, sive circumcisio, laudantur ab hominibus; sed ea quae sunt in abscondito, laudantur secundum iudicium divinum: quia, ut dicitur *1. Reg. 16. 7. homines vident quae parent, Deus autem intuetur cor.* Unde relinquitur quod interior Iudaismus, et circumcisio praevalet exteriori; et hoc est quod dicit: *Cuius*, scilicet interioris circumcisionis, *laus non est ex hominibus, sed ex Deo: 2. Cor. 10. 18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

# CAPITIS TERTII

## LECTIO PRIMA

Quid ergo amplius Iudaeo est, aut quae utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit, secundum hominem dico. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tamquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio iusta est.

Postquam Apostolus ostendit quod Iudaismus, ad quem pertinet legis susceptio, et circumcisio, non sufficiunt ad salutem sine legis custodia, per quam Gentilis, sine exteriori Iudaismo, et circumcisione, fructum utriusque consequitur; hic obiicit contra praemissa: et primo quidem proponit obiectionem; secundo solvit, ibi, *Multum quidem.* Obiicit ergo primo sic. Si ita esset, sicut dictum est, quod non est verus Iudaeus, nec vera circumcisio in manifesto, sed in occulto cordis; *quid ergo amplius est Iudaeo*, idest quid amplius datum est quam ceteris? Videtur quod nihil: et hoc est inconveniens, cum Dominus dixerit *Deut. 7. 6. Te elegit Dominus Deus tuus ut sis populus peculiaris. Aut quae utilitas circumcisionis?* scilicet exterioris. Videtur ex praemissis quod nulla: quod est inconveniens, cum sit a Deo tradita, qui dicit *Is. 48. 17. Ego Dominus docens te utilia.* Deinde cum dicit, *Multum quidem*, solvit praemissam obiectionem: et primo quantum ad praerogativam Iudaismi; secundo quantum ad utilitatem circumcisonis, *4. cap.* ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo ostendit Iudaeorum praerogativam; secundo excludit eorum gloriam, qua se Gentibus superbe praeferebant, ibi, *Quid ergo? Praecellimus eos?* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat, ibi, *Primum quidem;* tertio excludit obiectionem, *Quid enim si quidam.* Dicit ergo primo: Quae-

situm est quid amplius sit Iudaeo. Est autem ei amplius, et quantum ad quantitatem, quae significatur cum dicit, *Multum*, et quantum ad numerum, qui significatur cum dicit, *Per omnem modum*. Habent enim amplius aliquid et in contemplatione divinorum, secundum illud *Psalm. 75. 1. Notus in Iudaea Deus:* et secundum dispositionem temporalium: *Psalm. 147. 20. Non fecit taliter omni nationi*. Habent etiam amplius quantum ad patres, quantum ad promissiones, et quantum ad prolem: *Infra 9. 4. Quorum est adoptio filiorum Dei, et gloria, et testamentum*. Et in quolibet eorum non est parva excellentia, sed magna, et praecipua; quod pertinet ad id quod dicit, *Multum*. Maximum enim bonum hominis est in Dei cognitione, in hoc quod Deo adhaereat, et a Deo instruatur: *Psalm. 93. 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine*. Deinde cum dicit, *Primum quidem etc.* manifestat quod dixerat, dicens: *Primum quidem*, idest praecipue, amplius est Iudaeis, *quia eloquia Dei sunt credita illis*, quasi amicis: *Ioan. 15. 15. Vos dixi amicos*. Et hoc est multum, quia eloquia Dei sunt honesta: *Ps. 18. 10. Eloquia Domini vera, iustificata in semetipsa*. Sunt delectabilia: *Psal. 118. 103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*. Sunt etiam utilia ad non peccandum: *Psalm. eodem 11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Deinde cum dicit, *Quid enim si quidam*, excludit obiectionem: et primo ponit eam; secundo excludit ipsam, ducendo ad inconveniens, ibi, *Numquid incredulitas;* tertio ostendit esse inconveniens id ad quod inducitur, ibi, *Est autem Deus verax*. Posset aliquis praerogativae Iudaeorum derogare, opponendo ingratitudinem eorum, per quam viderentur dignitatem eloquiorum Dei amisisse: unde dicit: *Quid autem, si quidam illorum non crediderunt?* Numquid per hoc concluditur, quod nihil amplius sit Iudaeo? secundum illud *2. Pet. 2. 21. Melius erat eis non cognoscere viam iustitiae quam post cognitam retrorsum converti*. Non crediderunt autem primo quidem legislatori: *Psal. 105. 25. Non crediderunt in verbo eius:* Secundo non crediderunt Prophetis: *Ezech. 2. 6. Incredduli, et subversores sunt tecum:* tertio non crediderunt ipsi Filio: *Ioan. 8. 45. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Deinde cum dicit, *Numquid incredulitas*, excludit dictam obiectionem, ducendo ad inconveniens: quia si propter incredulitatem aliquorum praerogativa Iudaeorum tolleretur, sequeretur quod incredulitas hominis fidem Dei evacuaret; quod est inconveniens; et hoc est quod dicit: *Numquid incredulitas eorum*, scilicet qui non crediderunt, *evacuavit fidem Dei?* Quod potest dupliciter intelligi. Uno modo de fide, qua creditur in Deum. Non enim per hoc quod quidam non crediderunt, evacuatur fides illorum qui crediderunt: malum enim quorumdam in societate existentium non evacuat bonum aliorum: *Eccli. 53. 12. Ex ipsis benedixit, et exaltavit, sanctificavit, et ad se applicavit; et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum:* quod est contra illos, contra quos Augustinus dicit *in epistola ad plebem Hipponensem: Ad quid aliud sedent isti, et quid aliud tractant, nisi ut cum Episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari?* Alio modo potest intelligi de fide qua Deus fidelis est implens promissa: *Heb. 10. 23. Fidelis enim est qui repromisit*. Haec autem fidelitas evacuaretur, si propter quorumdam incredulitatem accideret quod nihil amplius esset Iudaeo. Promisit enim Deus populum illum multiplicare, et magnificare, ut patet *Genes. 22. 17. Multiplicabo semen tuum*. Deinde cum dicit, *Absit*, ostendit hoc esse inconveniens, quod fides Dei evacuaretur propter hominum incredulitatem: et primo quidem ad hoc inducit rationem; secundo auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est;* tertio excludit falsum sensum auctoris, ibi, *Si autem iniquitas*. Ratio autem sumitur ex hoc quod *Deus* secundum se *verax est: Hierem. 10. 10. Dominus autem Deus verax est: 1. Ioan. ult. 20. Hic est verus Deus, et vita aeterna*. Et tamen *omnis homo est mendax: Psalm. 115. 11. Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax*. Unde patet quod mendacium hominis, sive infidelitas veritati non adhaerens, Dei veritatem, sive fidem non evacuat.

Ad horum evidentiam sciendum est, quod veritas importat adaequationem rei ad intellectum. Aliter autem adaequatur res ad intellectum nostrum, aliter ad intellectum divinum. Noster intellectus cognitionem accipit a rebus; et ideo causa, et mensura veritatis ipsius est esse rei: ex eo enim quod res est, vel non est, oratio dicitur vel vera, vel falsa, secundum Philosophum *2. Perhier. cap. de oratione*. Unde intellectus noster potest esse verus, vel falsus, inquantum potest adaequari, vel non adaequari. Quod autem potest esse, et non esse, indiget alio agente ad hoc quod sit, sine quo remanet non ens: sicut enim aer sine illuminante remanet tenebrosus, ita et intellectus noster, nisi a prima veritate illuminetur, de se in mendacio remanet. Unde quantum est de se, omnis homo est mendax secundum intellectum, sed solum est verus, inquantum veritatem divinam participat: *Psal. 42. 3. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*. Intellectus autem divinus est causa, et mensura rerum; et propter hoc secundum seipsum est indeficienter verax, et unaquaeque res est vera, inquantum ei conformatur. Similiter secundum quod accipitur veritas ex parte rei, homo de se non habet veritatem, quia natura sua vertibilis est in nihilum; sed solum natura divina, quae nec est ex nihilo, nec vertibilis in nihilum, de se veritatem habet.

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat idem per auctoritatem *Psalmi 50. 6.* in quo sic legitur, *Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris:* quod qualiter ad propositum faciat, videri potest, si praecedentia Psalmi considerentur: praemittitur enim, *Tibi soli peccavi;* et tunc sequitur: *Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris*. Promiserat enim Deus per Nathan Prophetam David, quod eius regnum in aeternum stabiliret in semine suo, ut habetur *2. Reg. 7*. Postea vero cum in grave peccatum incideret, adulterii scilicet, et homicidii, ut legitur *2. Reg. 11*. propter huiusmodi peccatum dicebatur a quibusdam, quod Deus non esset ei promissionem observaturus. Intentio ergo Psalmistae est duo dicere. Primo quidem quod propter peccatum eius non mutatur iustitia Dei, ad quam pertinet ut suos ser-

mones impleret ; et quantum ad hoc dicit, *Ut iustificeris in sermonibus tuis*, idest, ut ex hoc appareas in sermonibus tuis iustus, quia propter mea peccata eos non praeteris : *Prov. 8. 16. Recti sunt omnes sermones mei: Psal. 114. 16. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Secundo quod divina promissio imitetur humanum iudicium ; et hoc est quod dicit, *Vincas*, scilicet promissionem tuam servando, *cum iudicaris*, scilicet ab hominibus, quod eam propter mea peccata non sis impleturus : *Infra 12. 21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Hoc dicitur homini, quod multo magis competit Deo. Est autem considerandum, quod promissio facta David a Deo, erat implenda de Christi incarnatione : unde pertinebat ad prophetiam praedestinationis, secundum quam aliquid promittitur quasi omnibus modis implendum ; quod vero promittitur, vel pronuntiatur secundum prophetiam comminationis, non praedicitur quasi omnibus modis implendum, sed secundum quod exigunt humana merita, quae possunt mutari. Et ideo si non factum fuisset, quod promissum est David, praeiudicaret divinae iustitiae. Si vero non fiat quod promittitur per prophetiam comminationis, non praeiudicat divinae iustitiae, sed designat mutationem meritorum: unde dicit *Hier. 18. 7. Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et dispersam, et dissipem. Si egerit poenitentiam gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, poenitentiam agam et ego super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Sic ergo patet secundum hunc sensum, quod peccatum hominis divinam fidelitatem non excludit. Pomuntur autem et alii sensus auctoritatis huius in Glossa, qui non ita pertinent ad intentionem Apostoli; quorum primus est ut haec verba quae hic ponuntur, continuentur cum his quae ante Psalmista praemiserat, *Amplius lava me ab iniquitate mea*, ad hoc scilicet *ut iustificeris*, idest iustus appareas, *in sermonibus tuis*, in quibus veniam peccatoribus promisisti, non solum *Ezech. 18.* quia haec verba Psalmi prius fuerunt dicta ; sed etiam *Levit. 26. 41. Orabunt pro impietatibus suis, et recordabor foederis mei :* et *Deut. 30. 1. Si ductus poenitudine cordis reversus fueris ad Deum, reducet te Dominus Deus tuus; et miserebitur tibi.* Et sic *vincas cum iudicaris* ab hominibus, quod mihi veniam dare non debeas. Secundo continuantur haec verba cum eo quod dictum est, *Tibi soli peccavi*, idest per comparationem ad te, qui solus es iustus; et hoc est quod dicit, *Ut iustificeris*, idest ex comparatione mei, et aliorum peccatorum iustus appareas: *Psalm. 10. 8. Iustus Dominus, et iustitias dilexit:* et hoc non solum in factis, sed etiam in sermonibus ; quod est maximum, secundum illud *Iacob. 3. 2. Si quis in verbo non offendit, perfectus est. Et vincas cum iudicaris*, idest dum cuicumque alii in iudicio compararis : *Isa. 5. 3. Iudicate inter me, et vineam meam etc.* Tertio referuntur haec verba ad Christum, qui solus est sine peccato, secundum illud *1. Pet. 2. 22. Qui peccatum non fecit, nec inventus est in ore eius dolus :* et sic iustificatur in sermonibus in comparatione ad omnes homines. *Et vincas*, scilicet peccatum, mortem, et diabolum: *Apoc. 5. 5. Ecce vicit leo.* Et hoc *dum iudicaris*, scilicet iniuste a Pilato, *Iob 36. 17. Causa tua quasi impii iudicata est.*

Deinde cum dicit, *Si autem iniquitas nostra*, excludit falsum intellectum auctoritatis inductae. Posset enim aliquis intelligere praemissa verba secundum hunc sensum, ut haec dictio *ut* poneretur causaliter, et non solum consecutive; et sic sequeretur quod peccatum hominis directe ordinaretur ad commendandum Dei iustitiam. Sed Apostolus ostendit hoc esse falsum; ut sic det intelligere quod ly *ut* ponitur consecutive, quia scilicet David peccante, consecutum est quod divina iustitia manifestetur; non autem causaliter, quasi peccatum hominis commendet Dei iustitiam: quod quidem probat ducendo ad inconveniens ; et hoc dupliciter : primo quidem ex parte iudicii divini; secundo ex parte iudicii humani. Circa primum tria facit. Primo ponit sensum falsum ; secundo ostendit inconveniens, quod ex hoc sequitur, ibi, *Quid dicemus? Numquid iniquus est Deus?* tertio ostendit hoc esse inconveniens, ibi, *Absit.* Est considerandum, quod supra Apostolus duas comparationes fecerat : unam quidem veritatis divinae ad humanum mendacium, cum dixerat : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax:* aliam iustitiae Dei ad peccatum humanum, secundum verba *Psal. 50. 6.* quibus dicit: *Tibi soli peccavi . . . ut iustificeris.* Et quantum ad comparationem secundam dicit : Si haec verba sunt intelligenda, quod iniquitas nostra directe commendat Dei iustitiam, *quid dicemus?* idest, non poterimus sustinere inconvenientia quae sequuntur. Non enim peccatum est Deo necessarium ad eius iustitiam commendandam: *Eccli. 25. 22. Non concupiscit multitudinem infidelium filiorum, et inutilium.* Exprimit autem inconveniens quod sequitur, dicens: *Numquid Deus qui infert iram*, idest vindictam pro peccato, *est iniquus ?* Hoc enim sequitur ex eo quod dictum est. Si enim peccatum directe ordinaretur ad commendandam iustitiam, non esset dignum poena, sed praemio ; et sic Deus puniens homines pro peccato, esset iniquus, contra illud *Deut. 32. 4. Deus autem fidelis est absque ulla iniquitate.* Excludit autem consequenter hoc inconveniens, cum subdit, *Absit*, scilicet quod Deus sit iniquus. *Secundum hominem dico*, idest quod haec verba protuli, non ex meo sensu, sed ex hominis errantis sensu protuli, sicut dicitur *1. Corinth. 3. 3. Cum sint inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis?* Hoc autem non esse dicendum ostendit, subdens : *Alioquin*, scilicet si Deus est iniquus, *quomodo iudicabit hunc mundum ?* idest quomodo convenient, quod ipse sit universalis, et supremus mundi iudex ? Oportet enim, quod est primum et supremum in quolibet genere, esse infallibile, sicut primum movens est immutabile. Unde *in Psal. 95. 13.* dicitur: *Iudicabit orbem terrae in aequitate.* Et simile argumentum ponitur *Iob 34. 12.* ubi dicitur : *Vere Deus non condemnat frustra, nec Omnipotens subvertit iudicium. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ?* scilicet, quia si ipse non iuste iudicaret, oporteret dicere alium esse iudicem mundi.

Deinde cum dicit, *Si enim veritas*, ostendit idem per humanum iudicium: et circa hoc etiam tria facit. Primo proponit falsum intellectum praedictorum ver-

borum; secundo ponit inconveniens, quod sequitur, ibi, *Quid adhuc* ; tertio ostendit illud esse inconveniens , ibi , *Quorum damnatio.* Exprimit autem falsum sensum , secundum illam comparationem , quae est divinae veritatis ad humanum mendacium, cum dicit: *Si enim in meo mendacio* , idest propter meum mendacium , *veritas Dei* , manifesta scilicet , *abundavit in gloriam ipsius* , ita quod mendacium hominis directe pertineat ad augmentum gloriae , contra id quod dicitur *Iob 13. 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio?* Subdit autem consequenter duo inconvenientia quae sequuntur ; quorum unum est quod homo non deberet reputari peccator propter mendacium , ex quo in Dei gloriam directe ordinatur; et hoc est quod dicit: *Quid adhuc* , idest cur etiam nunc , *et ego iudicor,* scilicet ab hominibus peccator pro mendacio? *Sapient. 17. 10. Cum sit timida nequitia , data est in omnium condemnationem* , quia scilicet peccatores ab omnibus iudicio condemnantur. Aliud autem inconveniens est, quod locum habeat verbum falsum , quod Apostolis imponebatur ; quia enim praedicabant , quod per abundantiam gratiae Christi solvebatur abundantia peccatorum, secundum illud *infra 5. 20. Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* , blasphemabant Apostolos , quasi dicerent, quod homines deberent facere mala, ut consequerentur bona; quod sequeretur, si mendacium hominis directe commendaret Dei gratiam , et veritatem; et hoc est quod dicit : Nos *faciamus mala* , peccando scilicet , et mendacium docendo , *ut veniant bona,* scilicet ut Dei veritas , et iustitia commendetur , *sicut blasphemamur* , idest , sicut quidam blasphemando nobis imponent : *infra 1. Corinth. 4. 13. Blasphemamur, et obsecramus; et sicut quidam aiunt nos dicere,* verba nostra depravando: *2. Petr. ult. 16. Quae indocti, et instabiles depravunt.* Haec autem excludit subdens , *Quorum condemnatio iusta est* , idest eorum qui faciunt mala ut veniant bona : sicut enim non est verum syllogizandum ex falsis , ita non est perveniendum ad bonum finem per mala : *Hierem. 12. 1. Bene est omnibus qui praevaricantur , et inique agunt:* quod dicitur ex persona impiorum. Vel *quorum* , scilicet haec nobis false imponentium, *damnatio iusta est:* iuste enim condemnantur perversores sacrae doctrinae: *Apocal. ult. 18. Si quis apposuerit ad haec , apponet Deus plagas scriptas in libro isto.*

## LECTIO II.

Quid igitur? Praecellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus Iudaeos, et Graecos, omnes sub peccato esse, sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum : omnes declinaverunt , simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant , venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os maledictione , et amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio, et infelicitas in viis eorum , et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quaecumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo : per legem enim cognitio peccati.

Postquam Apostolus ostendit praerogativam Iudaeorum supra Gentiles quantum ad divina beneficia ; hic excludit eorum inanem gloriam , qua se Gentibus ad fidem conversis praeferebant : et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Causati enim sumus.* Dicit ergo primo : Ita dictum est : *Quid amplius est Iudaeo? Primum quidem, quia tradita sunt illis eloquia Dei.* Quid igitur dicemus nos Iudaei ad fidem conversi? *Numquid praecellimus eos* , scilicet Gentiles ad fidem conversos? de quo erat inter eos contentio : *Luc. 22. 23. Facta est contentio inter discipulos Iesu, quis esset maior.* Et respondens subdit, *Nequaquam.*

Sed hoc videtur contra praemissa, in quibus dictum est: *Multum per omnem modum* amplius est Iudaeo. Sed ad hoc respondetur in Glossa, quod illud fuit dictum quantum ad esse, quod habebant Iudaei tempore legis ; hoc autem nunc dicit Apostolus secundum statum gratiae: quia, ut dicitur *Coloss. 3. 11. in Christo non est Gentilis, et Iudaeus, circumcisio, et praeputium:* quia scilicet non faciunt differentiam quantum ad statum gratiae. Sed haec responsio non videtur esse omnino secundum intentionem Apostoli : quia infra ostendet, quod etiam dum sub lege erant, peccatis subiacebant, sicut et Gentiles, vel amplius: *Ezech. 5 5. Ista est Hierusalem : in medio Gentium posui eam , et in circuitu eius terras; et contempsit iudicia mea , ut magis esset impia quam Gentes.* Sic igitur dicendum est, quod supra ostendit praerogativam divinorum beneficiorum: unde non dixit, quod Iudaeus esset excellentior , sed quod aliquid esset Iudaeo amplius donatum; hic autem excludit excellentiam personarum : quia illi, qui divina beneficia acceperunt, non sunt illis debite usi.

Deinde cum dicit, *Causati enim sumus,* ostendit propositum: et primo quod Iudaei non excedunt Gentiles quantum ad statum peccati ; secundo quod non excedunt quantum ad statum iustitiae , ibi , *Nunc autem sine lege.* Primum ostendit dupliciter : primo quidem ex his quae supra dicta sunt ; secundo per auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est.* Dicit ergo: *Causati enim sumus,* idest causando rationibus ostendimus, *Iudaeos, atque Graecos,* idest Gentiles, *omnes sub peccato esse: Isa. 1. 6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Ostendit enim primo quod Gentiles veritatem Dei cognitam in impietate , et in iniustitia detinebant ; secundo quod Iudaei lege suscepta per praevaricationem legis Deum inhonorabant. Deinde cum dicit , *Sicut scriptum est* , ostendit propositum per auctoritatem Psalmistae : et primo inducit auctoritatem; secundo manifestat eam, ibi, *Scimus autem.* Circa primum duo facit. Primo ponit peccata omissionis ; secundo peccata commissionis , ibi , *Sepulcrum patens.* Peccata autem omissionis tangit dupliciter: primo quidem removendo principia bonorum operum ; secundo ipsa bona opera , ibi , *Omnes declinaverunt.* Sunt au-

tem tria bonorum operum principia : quorum unum pertinet ad ipsam operis rectitudinem ; et hoc est iustitia, quam excludit dicens , *Sicut scriptum est*, scilicet *in Psalm. 14. 2. Et periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Quod quidem dupliciter potest intelligi. Uno modo quod intelligatur : Nullus est iustus in se ex seipso; sed ex se quilibet est peccator, ex solo autem Deo habet iustitiam: *Exod. 34. 6. Dominator Domine Deus misericors, et clemens . . . qui aufers iniquitatem, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est.* Alio modo quod nullus est quantum ad omnia iustus, quin aliquod peccatum habeat, secundum illud *Proverb. 20. 9. Quis potest dicere: Mundum est cor meum? Eccle. 7. 21. Non est homo iustus in terra , qui faciat bonum , et non peccet.* Tertio etiam potest intelligi , ut referatur ad populum malorum, inter quos nullus est iustus: est enim consuetudo Scripturae , ut quandoque loquatur de toto populo ratione malorum, quandoque ratione bonorum, ut patet *Hier. 26. 8.* ubi dicitur, quod *cum complesset Hieremias loqui omnia , quae praeceperat ei Dominus ut loqueretur ad universum populum , apprehenderunt eum sacerdotes , et prophetae, et omnis populus dicentes , Morte moriatur:* et postea subditur *16. Dixerunt principes , et omnis populus : Non est viro huic iudicium mortis.* Sed primi duo sensus magis sunt secundum intentionem Apostoli; et hoc idem dicendum est in sequentibus. Secundum autem principium boni operis est discretio rationis ; et hoc excludit subdens , *Non est intelligens: Psalm. 81. 5. Nescierunt , neque intellexerunt:* et alibi *Psal. 35. 4. Noluit intelligere.* Tertium principium est rectitudo intentionis , quam excludit subdens : *Non est requirens Deum* , intentionem suam scilicet dirigendo ad ipsum: *Osee 10. 12. Tempus inquirendi Dominum , qui cum venerit , docebit iustitiam.* Consequenter excludit ipsa bona opera: et primo quidem quantum ad offensionem divinae legis, cum dicit , *Omnes declinaverunt* , scilicet a regula divinae legis: *Isa. 56. 11. Omnes in viam suam declinaverunt.* Secundo quantum ad ostensionem finis; unde subdit: *Simul inutiles facti sunt :* hoc enim inutile dicimus, quod non consequitur finem suum; et ideo cum homines a Deo declinant , propter quem facti sunt , redduntur inutiles: *Sapient. 4. 3. Impiorum multitudo non est utilis.* Tertio excludit ipsa bona opera , cum subdit : *Non est qui faciat bonum : Hier. 4. 22. Sapientes sunt ut faciant mala , bene autem facere nescierunt.* Subdit autem , *Usque ad unum ;* quod potest uno modo intelligi exclusive: quasi diceret, Praeter unum, qui scilicet solus fecit bonum, redimendo humanum genus: *Eccle. 7. 29. Virum de mille unum reperi , mulierem non inveni.* Vel potest intelligi inclusive ; quasi dicat : Nec etiam unus est purus homo qui faciat bonum, scilicet perfectum: *Hier. 5. 1. Quaerite in plateis eius an inveniatis virum facientem iudicium , et quaerentem fidem.*

Deinde cum dicit , *Sepulcrum patens ,* ponit peccata commissionis ; et primo peccata oris ; secundo peccata operis, ibi, *Veloces pedes eorum.* Peccata vero cordis ex his peccatis deprehenduntur. Circa peccatum oris quatuor ponit. Primo promptitudinem , seu turpitudinem , cum dicit: *Sepulcrum patens est guttur eorum :* sepulcrum enim patens duo habet : est enim paratum ad recipiendum mortuum ; et secundum hoc guttur hominis dicitur esse sepulcrum patens, quando est paratum ad dicendum mortifera , per quem modum dicitur *Hier. 5. 16. Pharetra eius quasi sepulcrum patens :* secundo exhalat foetorem : *Matth. 23. 27. Similes sunt sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa , et intus sunt plena ossibus mortuorum , et omni spurcitia.* Eorum ergo guttur est sepulcrum patens, ex quorum ore procedit turpiloquii foetor : *Apocalyp. 9. 17. Et de ore ipsorum procedit ignis , et fumus, et sulphur.* Secundo tangit circa peccatum oris fraudem , cum dicit : *Linguis suis dolose agebant* , aliud scilicet habendo in corde, aliud in ore: *Hier. 9. 8. Sagitta vulnerans lingua eorum , dolum loquuta est.* Tertio ponit verborum noxietatem, cum dicit : *Venenum aspidum sub labiis eorum :* quia scilicet talia verba evomunt, quae insanabiliter proximos occidunt vel spiritualiter, vel corporaliter: *Deut. 32. 33. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Quarto designat abundantiam horum peccatorum , cum dicit : *Quorum os maledictione plenum est , et amaritudine :* quia scilicet in talibus semper abundat maledictio , quia scilicet maledicunt de aliis detrahendo , contra id quod dicitur *infra 12. 14. Benedicite , et nolite maledicere. Et amaritudine*, inquantum scilicet non verentur in faciem proximi dicere iniuriosa verba , quibus ad amaritudinem provocantur , contra id quod dicitur *Ephes. 4. 31. Omnis amaritudo tollatur a vobis.* Deinde cum dicit , *Veloces pedes eorum,* tangit peccata operis; circa quae tria tangit. Primo quidem promptitudinem ad male agendum : unde dicit *: Veloces pedes eorum:* prompti sunt pedes, idest affectus eorum , *ad effundendum sanguinem*, idest ad faciendum quaecumque gravia peccata : quia inter cetera quae committimus in proximum , homicidium est gravius : *Proverb. 1. 16. Pedes eorum in malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Secundo tangit multitudinem nocumentorum quae aliis inferunt , cum subdit : *In viis eorum* , idest in operibus eorum , est *contritio* : quia scilicet alios conterunt opprimendo eos : *Isa. 10. 7. Ad conterendum erit cor eius: et infelicitas* , inquantum scilicet privant homines bonis suis , ad miseriam eos deducendo , *Iob 24. 7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes.* Possunt tamen haec duo intelligi esse posita ad designandum poenam potius quam culpam , ut sit sensus : *In viis eorum* est *contritio , et infelicitas ;* idest opera eorum, quae per vias designantur, ducunt eos ad contritionem, et infelicitatem; ita quod contritio referatur ad oppressionem poenae , qua pro peccatis punientur: *Isa. 30. 14. Comminuentur sicut conteritur lagena figuli ;* infelicitas autem referenda est ad poenam damni , qua felicitate aeterna privabuntur : *Sap. 15. 10. Infelices autem sunt , et inter mortuos spes eorum.* Tertio ostendit eorum culpae obstinationem ad malum; a qua quidem aliqui revocantur dupliciter. Uno modo per hoc quod volunt ab hominibus pacem habere; sed contra hoc dicitur : *Et viam pacis non cognoverunt* , idest non acceptaverunt : *Ps. 119. 7. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Alio modo intuitu divini timoris ; sed isti nec Deum timent , nec hominem reverentur , ut dicitur *Luc. 18.* unde subditur : *Non est timor Dei ante oculos eorum* , idest ante i-

psorum considerationem : *Eccli. 1. 27. Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Potest autem et hoc specialiter dici contra Iudaeos Christo non credentes, quod non cognoverunt viam pacis, idest Christum, de quo dicitur *Ephes. 2. 14. Ipse est pax nostra.*

Deinde cum dicit, *Scimus autem quia quaecumque*, manifestat auctoritatem inductam tripliciter. Primo quidem exponendo sensum eius; secundo exponendo intentionem ipsius, ibi, *Ut omne os;* tertio assigando rationem dictorum in ipsa, ibi, *Quoniam ex operibus.* Circa primum considerandum est, quod Iudaei, contra quos Apostolus hic loquebatur, poterant ad sui excusationem pervertere sensum auctoritatis inductae, dicendo, quod praemissa verba sunt intelligenda de Gentibus, non de Iudaeis. Sed hoc excludit Apostolus dicens: *Scimus quod quaecumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur*, idest ad quos lex datur, et qui legem profitentur : *Deuter. 33. 4. Legem praecepit nobis Moyses.* Gentiles autem non erant sub lege; et secundum hoc praedicta verba pertinent ad Iudaeos.

Est hic autem duplex obiectio. Prima quidem, quia verba supra inducta non sunt assumpta de lege, sed de Psalmis. Sed ad hoc dicendum est, quod quandoque nomen legis sumitur pro toto veteri testamento, non pro quinque libris Moysi tantum, secundum illud *Ioan. 15. 25. Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis:* quod scriptum est in veteri testamento, non in quinque libris Moysi, qui proprie lex dicuntur. Et sic etiam lex accipitur hic. Quandoque autem totum vetus testamentum dividitur in tria, scilicet in Legem, Psalmos, et Prophetas, secundum illud *Luc. ult. 44. Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, Psalmis, et Prophetis de me.* Aliquando vero totum vetus testamentum dividitur in duo, scilicet in Legem, et Prophetas, secundum illud *Matth. 22. 40. In his duobus mandatis pendet omnis Lex, et Prophetae.* Et secundum hunc modum Psalterium sub Prophetis continetur.

Secunda obiectio est, quia in lege, idest in veteri testamento, multa dicuntur pertinentia ad alias gentes, sicut patet in pluribus locis Isaiae, et Hieremiae, ubi dicuntur multa contra Babylones, et similiter contra alias nationes. Non ergo quaecumque loquitur lex, loquitur his, et de his qui in lege sunt. Sed dicendum, quod quaecumque indeterminate loquitur, ad eos pertinere videntur quibus lex datur; quando vero Scriptura de aliis loquitur, speciali titulo designat alios, sicut cum dicitur: Onus Babylonis, et onus Tyri etc. Quae contra alias gentes in veteri testamento dicuntur, aliquo modo ad Iudaeos pertinebant, inquantum eorum infortunia ad eorum consolationem, vel terrorem praenuntiabantur; sicut etiam praedicator ea debet dicere quae pertinent ad eos quibus praedicat, non autem quae pertinent ad alios : *Isa. 58. 1. Annuntia populo meo peccata eorum;* quasi diceret: Non quae sunt aliorum.

Deinde cum dicit, *Ut omne os obstruatur,* assignat intentionem praedictae auctoritatis. Propter duo enim sacra Scriptura omnes de iniustitia arguit. Primo quidem ad reprimendum eorum iactantiam, qua se iustos arbitrabantur, secundum illud *Luc. 18. 12. Ieiuno bis in sabbato:* et quantum ad hoc dicit: *Ut omne os obstruatur,* quod scilicet sibi iustitiam praesumptuose adscribebat: *Psal. 62. 12. Obstructum est os loquentium iniqua: 1. Reg. 2. 3. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Secundo ut suam culpam recognoscentes se Deo subiiciant, sicut infirmus medico: unde subdit : *Et subditus fiat omnis mundus Deo*, idest non solum Gentilis, sed etiam Iudaeus, culpam suam recognoscentes : *Psal. 61. 2. Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Deinde cum dicit, *Quoniam ex operibus legis*, assignat rationem praemissorum verborum : et primo ponit rationem ; secundo manifestat eam, ibi, *Per legem etc.* Dicit ergo primo : Ideo non est iustus quisquam, *quoniam omnis caro*, idest omnis homo, *non iustificatur coram illo*, idest secundum eius iudicium, *ex operibus legis:* quia, ut dicitur *Gal. 2. 21. si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est:* et *ad Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Est autem duplex opus legis: quoddam quidem est proprium legis Mosaicae, sicut observatio caeremonialium praeceptorum ; quoddam est opus legis naturae, quia pertinet ad legem naturalem, sicut. Non occidas, non furtum facias. Quidam ergo hoc intelligunt dictum esse de primis legis operibus, scilicet quod caeremonialia gratiam non conferebant per quam homines iustificantur. Non tamen ista videtur esse intentio Apostoli : quod patet ex hoc quod statim subdit : *Per legem enim cognitio peccati.* Manifestum est autem quod peccata cognoscuntur per prohibitionem moralium praeceptorum; et ita Apostolus intendit quod ex omnibus operibus legis, etiam quae per praecepta moralia mandantur, non iustificatur homo, ita quod ex operibus in eo causetur iustitia : quia, ut dicitur *infra 2. 6. Si enim gratia, iam non ex operibus.* Deinde cum dicit, *Per legem*, probat quod dixerat, scilicet quod opera legis non iustificent: lex enim datur ut homo cognoscat quid debeat agere, quid vitare : *Psal. 147. 20. Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis : Proverb. 6. 23. Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitae.* Ex hoc autem quod homo cognoscit peccatum, quod vitare debet tamquam prohibitum, non statim sequitur quod illud vitet, quod pertinet ad rationem iustitiae : quia concupiscentia subvertit iudicium rationis in particulari operabili. Et ideo lex non sufficit ad iustificandum, sed est necessarium aliud remedium, per quod concupiscentia reprimatur.

## LECTIO III.

Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata a lege, et Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempo-

re; ut sit ipse iustus, et iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.

Postquam ostendit Apostolus, Iudaeos, et Gentiles aequales esse quantum ad statum culpae praecedentis; hic ostendit eos aequales quantum ad statum gratiae subsequentis: et circa hoc tria facit. Primo ostendit propositum; secundo ostendit quoddam quod supposuerat, ibi, *An Iudaeorum Deus tantum?* tertio respondet obiectioni, ibi, *Legem ergo destruimus?* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Non est distinctio;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ubi est gloriatio tua?* Circa primum tria facit. Primo proponit habitudinem iustitiae ad legem; secundo assignat causam iustitiae, ibi, *Iustitia autem Dei;* tertio assignat huiusmodi iustitiae communitatem, ibi, *In omnes, et super omnes.* Ponit autem primo duplicem comparationem, seu habitudinem iustitiae ad legem. Primo quidem quia non est ex lege causata; et hoc est quod dicit: Dictum est, quod olim per opera legis non poterat esse iustitia Dei, vel qua ipse iustus est adimplens promissa de iustificatione hominum: *infra 15. 8. Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei:* vel potius iustitia Dei, qua aliquis iustificatur a Deo, de qua dicitur *infra 10. 3. Ignorantes Dei iustitiam.* Haec, inquam, *Dei iustitia nunc,* idest tempore gratiae, *manifestata est,* tum per Christi doctrinam, tum per eius miracula, tum etiam per facti evidentiam, inquantum evidens est multos esse divinitus iustificatos; et hoc *sine lege,* scilicet causante iustitiam: *Gal. 5. 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis: Isai. 56. 1. Prope est salus mea ut veniat, et iustitia mea ut reveletur.* Et ne aliquis credat hanc iustitiam legi esse contrariam, secundo ponit aliam habitudinem iustitiae ad legem: *Testificata a lege, et Prophetis.* Lex quidem Christi iustitiam testificata est praenuntiando, et praefigurando: *Ioan. 5. 46. Si crederetis Moysi, forsitan et mihi credaretis: de me enim ille scripsit:* et etiam per effectum: quia cum ipsa iustificare non posset, testimonium perhibebat, aliunde quaerendam esse iustitiam. Prophetae autem testificati sunt eam praenuntiando: *Act. 10. 43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* Consequenter autem assignat causam huius iustitiae, et dicit: *Iustitia autem Dei est per fidem Iesu Christi,* idest quam ipse tradidit: *Heb. 12. 2. Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum.* Vel etiam quae de ipso habetur: *infra 10. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Dicitur autem iustitia Dei esse per fidem Iesu Christi, non quasi per fidem mereamur iustificari, quasi ipsa fides ex nobis existat, et per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt; sed quia in ipsa iustificatione qua iustificamur a Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem. *Accedentem enim ad Deum oportet credere,* ut dicitur *Heb. 11. 6.* Unde et ipsa fides, quasi prima pars iustitiae, est nobis a Deo: *Ephes. 2. 8. Gratia estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Haec autem fides, ex qua est iustitia, non est fides informis, de qua dicitur *Iac. 2. 26. Fides sine operibus mortua est;* sed est fides per caritatem formata, de qua dicitur *Gal. 5. 6. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,* sine fide, per quam in nobis habitat Christus: *Eph. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris:* quod sine caritate non fit: *1. Ioan. 4. 16. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Haec est etiam fides de qua dicitur *Act. 15. 9. Fide purificans corda eorum:* quae quidem purificatio non fit sine caritate: *Prover. 10. 12. Universa delicta operit caritas.* Et ne aliquis diceret per hanc fidem solos Iudaeos iustificari, tertio ostendit communitatem huius iustitiae, cum subdit, *In omnes,* scilicet ista iustitia est in corde, non in carnalibus observantiis, de quibus dicitur *Hebr. 9.* quod carnales observantiae erant ad iustificationem carnis usque ad tempus correctionis impositae: *et super omnes:* quia videlicet facultatem humanam, ac merita excedit: *2. Corinth. 3. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis.* Addit autem, *Qui credunt in eum;* quod pertinet ad fidem formatam, per quam homo iustificatur, ut dictum est.

Deinde cum dicit, *Non est enim distinctio,* manifestat quod dixerat: et primo quantum ad communitatem iustitiae; secundo quantum ad causam eius, ibi, *Iustificati gratis;* tertio quantum ad manifestationem ipsius, ibi, *Ad ostensionem.* Dicit ergo primo: Dictum est: Iustificatio Dei est in omnes, et super omnes qui credunt in Christum: *non enim est* quantum ad hoc *distinctio* inter Iudaeum et Gentilem: *Coloss. 3. 11. In Christo Iesu non est Gentilis, et Iudaeus,* scilicet distinctionem aliquam habens, quasi Iudaeus non indigeat iustificari a Deo, sicut Gentilis: *omnes enim peccaverunt,* sicut supra ostensum est: *Isai. 53. 6. Omnes nos quasi oves erravimus: et* per hoc *egent gloria Dei,* idest iustificatione, quae in gloriam Dei cedit. Non autem sibi debet homo hanc gloriam adscribere: *Psal. 103. 9. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: Psal. 67. 35. Date gloriam Deo.* Sic igitur quia omnes peccaverunt, et ex se iustificari non possunt, restat ut per aliam causam iustificentur, quam consequenter ostendit subdens, *Iustificati.* Ubi primo ostendit quod huiusmodi iustificatio est sine lege, idest quod non est ex operibus legis, cum dicit: *Iustificati gratis,* idest absque merito praecedentium operum: *Isai. 52. 3. Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* Et hoc *per gratiam ipsius,* scilicet Dei, cui ex hoc debetur gloria: *1. Corinth. 15. 10. Gratia Dei sum id quod sum.* Secundo ostendit quae sit causa iustificationis: et primo ponit ipsam causam, cum dicit: *Per redemptionem.* Ut enim dicitur *Ioan. 8. 34. qui facit peccatum servus est peccati:* ex qua quidem servitute homo redimitur, si pro peccato satisfaciat: sicut si aliquis ob culpam commissam obnoxius esset Regi ad solvendam pecuniam, ille eum redimere diceretur a noxa qui pro eo pecuniam solveret. Haec autem noxa ad totum humanum genus pertinebat, quod erat infectum per peccatum primi parentis. Unde nullus alius pro peccato totius humani generis satisfacere poterat, nisi solus Christus, qui ab omni peccato erat immunis. Unde subdit: *Quae est in Christo Iesu;* quasi dicat: In alio non poterat nobis esse redemptio: *1.*

*Pet. 1. 18. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis.* Secundo ostendit unde ista redemptio efficaciam habuit, cum dicit: *Quem proposuit Deus propitiatorem:* ex hoc enim Christi satisfactio efficaciam ad iustificandum habuit, et ad redimendum, quia eum Deus ad hoc ordinaverat secundum suum propositum; quod designat, cum dicit, *Quem proposuit Deus propitiatorem: Ephes. 1. 11. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Vel *proposuit*, idest pro omnibus posuit: quia humanum genus non habebat unde satisfacere posset, nisi ipse Deus eis redemptorem, et satisfactorem daret: *Psal. 110. 9. Redemptionem misit Dominus populo suo.* Et sic dum satisfaciendo nos redimit a noxa peccati, Deum peccatis nostris propitium facit; quod petebat Psalmista dicens *Psal. 78. 9. Propitius esto peccatis nostris:* et ideo dicit eum propitiatorem: *1. Ioan. 2. 2. Propitiatio.* In cuius figura *Exodi 25.* mandatur, quod fiat propitiatorium, idest Christus; quod ponebatur super arcam, idest Ecclesiam. Tertio ostendit per quod redemptionis effectus ad nos perveniat, cum dicit: *Per fidem in sanguine eius*, idest quae est de sanguine eius pro nobis effuso. Ut enim pro nobis satisfaceret, congruebat ut poenam mortis pro nobis subiret, quam homo per peccatum incurrerat, secundum illud *Genes. 2. 17. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Unde dicitur *1. Pet. 3. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Haec autem mors Christi nobis applicatur per fidem, qua eum credimus per suam mortem mundum redemisse: *Galat. 2. 20. In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me:* nam et apud homines satisfactio unius alteri non valeret, nisi eam ratam haberet. Et sic patet quomodo sit iustitia per fidem Iesu Christi, ut supra dictum est. Sed quia etiam supra dixit, iustitiam Dei esse nunc manifestatam, agit consequenter de hac manifestatione; et primo tangit modum manifestationis, dicens, *Ad ostensionem;* quasi dicat: Hoc, inquam, factum est, ut iustificaremur per redemptionem Christi, et per fidem sanguinis eius, *ad ostensionem iustitiae suae*, idest ad hoc quod suam iustitiam Deus ostenderet; et hoc *propter remissionem praecedentium delictorum:* in hoc enim quod praecedentia delicta Deus remisit, quae lex remittere non poterat, nec homines propria virtute ab eis se praecavere poterant, ostendit quod necessaria est hominibus iustitia, qua iustificentur a Deo. Solum autem per sanguinem Christi potuerunt remitti peccata non solum praesentia, sed praeterita: quia virtus sanguinis Christi operatur per fidem hominis; quam quidem fidem habuerunt illi qui praecesserunt Christi passionem, sicut et nos habemus: *2. Corinth. 4. 13. Habentes eumdem spiritum fidei .... credimus.* Unde et legitur aliter, ut dicatur: *Propter remissionem delictorum*, quae sunt hominum praecedentium Christi passionem. Unde dicitur *Mich. ult. 19. Deponet iniquitates nostras, et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Secundo ostendit tempus manifestationis eius, cum subdit: *In sustentatione Dei ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore;* quasi diceret: Praecedentia delicta erant ante Christi passionem *in sustentatione Dei*, quasi in quadam divina Dei sustinentia: quia nec pro eis credentes, et poenitentes damnat, nec ab eis totaliter reddit absolutos, ut scilicet eis non obstantibus, possint introire in gloriam. Vel secundum aliam litteram potest intelligi, quod ipsi sancti patres erant *in sustentatione Dei*, quia detinebantur in limbo, non quidem patientes poenam sensibilem, sed expectantes introire in gloriam per Christi passionem: *Eccli. 2. 5. Sustine sustentationes Dei.* Ad hoc, inquam, praecedentia delicta, vel praecedentes patres erant *in sustentatione Dei, ad ostensionem* scilicet *iustitiae eius in hoc tempore*, idest, ut in hoc tempore gratiae suam iustitiam perfecte ostenderet, plenam remissionem peccatorum tribuendo: *Psal. 101. 14. Venit tempus miserendi eius:* et *2. Corinth. 4. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et hoc est quod supra dixerat nunc esse iustitiam Dei manifestatam. Oportuit autem ut praecedentia peccata usque ad hoc tempus essent in Dei sustentatione, ut primo convinceretur homo de defectu scientiae, quia tempore legis naturae in errores, et turpia peccata incidit; et etiam de defectu potentiae, quia post legem scriptam, quae fecit cognitionem peccati, adhuc homo per infirmitatem peccavit. Tertio ostendit quod per remissionem peccatorum Dei iustitia ostendatur; sive accipiatur Dei iustitia qua ipse est iustus, sive qua alios iustificat: unde subdit: *Ut sit ipse iustus*, idest, ut per remissionem peccatorum Deus appareat esse iustus in seipso, tum quia remittit peccata, sicut promiserat, tum quia ad iustitiam Dei pertinet quod peccata destruat, homines ad iustitiam Dei reducendo: *Psal. 10. 8. Iustus Dominus, et iustitias dilexit:* et etiam ut *sit iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi*, idest qui per fidem Iesu Christi accedit ad Deum: *Accedentem enim ad Deum oportet credere: Heb. 11. 6.*

## LECTIO IV.

Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Immo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.

Postquam Apostolus ostendit quod Iudaei non praecedunt Gentiles neque quantum ad statum culpae, neque quantum ad statum iustitiae; hic concludit conclusionem intentam, excludendo scilicet eorum gloriam, qua Gentibus se praeferebant; et circa hoc tria facit. Primo proponit huius gloriae exclusionem; secundo exclusionis causam, ibi, *Per quam legem;* tertio ostendit modum quo excludit, ibi, *Arbitramur enim etc.* Circa primum duo facit Primo proponit quaestionem, dicens. Ex quo communiter es sub peccato tu Iudaeus, sicut et Gentilis, et ex quo Gentilis iustificatur per fidem, sicut et tu, *ubi est gloriatio tua?* qua scilicet in lege gloriaris, ut supra 2, dictum est, et per hoc te Gentili vis praeferre: *1. Corinth. 5. 6. Non est bona gloriatio vestra: Gal. 5. 26. Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Secundo huic quaestioni respondet dicens, *Exclusa est,*

idest sublata est: *1. Reg. 4. 21. Et ablata est gloria de Israel: Osee 4. 7. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Vel *exclusa*, idest expresse manifestata est: gloriabantur enim Iudaei in gloria, et cultu unius Dei: et hanc eorum gloriam dicit exclusam, idest expressam per Christum; sicut artifices qui aliquam imaginem in argento exprimunt, exclusores vocantur, secundum illud *Psal. 62. 31. Ut excludant eos qui probati sunt argento.* Sed primus sensus est magis litteralis. Cum autem dicit, *Per quam legem*, ostendit causam huius exclusionis. Quia autem Iudaeorum gloriatio erat in lege, ut supra dictum est, ideo oportere videbatur quod per aliquid eiusdem generis, idest per aliquam legem, eorum gloriatio excluderetur. Et ideo interrogando quaerens subdit, *Per quam?* scilicet est eorum gloriatio exclusa. Posset autem aliquis credere quod eorum gloriationem exclusam Apostolus diceret per aliqua praecepta legalia, quibus quaedam maiora opera mandarentur; et ideo interrogando subdit, *Factorum?* quasi dicat: Numquid per aliquam legem factorum eorum gloriationem exclusam dico? Et respondet quod *non, sed per legem fidei.* Et sic patet quod duplicem legem hic inducit Apostolus, scilicet factorum, et fidei. Et in promptu esse videtur quod per legem factorum intelligitur lex vetus, et per legem fidei lex nova, per quam Gentilis aequiparatur Iudaeo.

Sed dubitatur de hac distinctione. Nam et in veteri lege necessaria erat fides, sicut et in nova: *Eccli. 2. 8. Qui timetis Dominum, credite illi*, et *Psal. 125. 1. Credidi, propter quod loquutus sum.* Immo etiam in nova lege facta quaedam requiruntur, et quorumdam sacramentorum, secundum illud *Luc. 22. 19. Hoc facite in meam commemorationem:* et etiam moralium observationum: *Iac. 1. 22. Estote factores verbi, et non auditores tantum.*

Dicendum est igitur, quod legem factorum dicit legem exterius propositam, et descriptam, per quam exteriora facta hominum ordinantur, dum praecipitur quid fieri debeat, et per prohibitionem ostenditur a quo debeat abstineri. Legem autem fidei vocat legem interius descriptam, per quam non solum exteriora facta, sed etiam ipsi motus cordium disponuntur, inter quos primus est motus fidei: *corde enim creditur ad iustitiam*, ut dicitur hic *cap. 10.* Et de hac lege loquitur *infra 8. 2. Lex spiritus vitae quae est in Christo Iesu.*

Deinde cum dicit, *Arbitramur enim*, ostendit modum quo per legem fidei gloria Iudaeorum excluditur, dicens: *Arbitramur enim*, nos Apostoli veritatem a Christo edocti, *hominem* quemcumque, sive Iudaeum, sive Gentilem, *iustificari per fidem: Act. 15. 9. Fide purificans corda eorum;* et hoc *sine operibus legis:* non autem solum sine operibus caeremonialibus, quae gratiam non conferebant, sed solum significabant, sed etiam sine operibus moralium praeceptorum, secundum illud *ad Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos etc.* ita tamen quod hoc intelligas sine operibus praecedentibus iustitiam, non autem sine operibus consequentibus: quia, ut dicitur *Iac. 2. 26. fides sine operibus*, scilicet subsequentibus, *mortua est*, et ideo iustificare non potest.

Deinde cum dicit, *An Iudaeorum?* ostendit quoddam quod praesupposuerat, scilicet quod iustitia fidei communiter se haberet ad omnes. Et prius quidem hoc manifestaverat ratione accepta ex parte causae materialis, cum supra dixerat, *Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei*, idest peccatores sunt, quos oportet per gratiam fidei iustificari. Sed probatio, quae est ex sola causa materiali, non sufficit, quia materia non movetur per se ad formam sine causa agente; et ideo hic subiungit rationem acceptam ex parte causae agentis, idest iustificantis, qui est Deus: *Infra 8. 33. Deus qui iustificat.* Manifestum est autem quod Deus noster illos iustificando salvat, quorum est Deus, secundum illud *Psal. 67. 21. Deus noster, Deus salvos faciendi.* Non est autem Iudaeorum tantum Deus, sed et Gentium! Ergo utrosque iustificat. Circa hoc ergo tria facit. Primo proponit quaestionem de Iudaeis, cum dicit: *An Iudaeorum tantum* est *Deus?* quod quidem videri posset alicui per hoc quod dicitur *Exod. 3. 3. Deus Hebraeorum vocavit nos.* Dicendum est ergo, quod Iudaeorum Deus tantum erat per specialem cultum ab eis Deo exhibitum: unde *in Psal. 75. 1.* dicitur, *Notus in Iudaea Deus:* erat tamen Deus omnium per commune regimen universorum, secundum illud *Psal. 46. 8. Rex omnis terrae Deus.* Secundo proponit quaestionem ex parte Gentilium, dicens: *Nonne et Gentium*, scilicet est Deus? et respondet, *Immo et Gentium*, quas scilicet gubernat et regit, secundum illud *Hier. 10. 7. Quis non timebit te, o Rex Gentium?* Tertio, ibi, *Quoniam quidem*, manifestat per signum quod dixerat; quasi dicat: Ex hoc manifestum est quod Deus est non solum Iudaeorum, sed et Gentilium, *quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem*, idest Iudaeos, *ex fide:* ut enim dicitur *Galat. 5. 6. in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium.* Quod autem dicit *ex fide*, et *per fidem*, secundum Glossam est omnino idem; potest tamen aliqua differentia attendi: nam haec praepositio *ex* designat aliquando causam remotam, haec praepositio *per* propinquam. Iudaei ergo iustificari dicuntur *ex fide*, quia fides fuit prima causa ex qua processit circumcisio, et cetera sacramenta legalia; et ita Iudaeos iustificat fides, sicut quaedam causa primaria per quasdam medias causas; sed Gentiles per ipsam fidem immediate iustificantur.

Deinde cum dicit, *Legem ergo*, excludit quamdam obiectionem: posset enim aliquis dicere, quod praedictam legem destrueret; et ideo quaerit dicens: *Legem ergo destruimus per fidem?* ex hoc scilicet quod dicimus homines iustificari sine operibus legis. Et respondet, *Absit*, secundum illud *Matth. 5. 18. Non praeteribit iota unum, aut unus apex a lege.* Subdit autem, *Sed legem statuimus*, idest per fidem legem perficimus, et adimplemus, secundum illud *Matth. 5. 17. Non veni solvere legem, sed adimplere;* et hoc quantum ad praecepta caeremonialia, quae cum essent figuralia, per hoc statuuntur, et adimplentur quod veritas significata per ea in fide Christi exhibetur; et etiam quantum ad moralia, quia fides Christi auxilium gratiae confert ad implenda moralia praecepta legis: addit etiam quaedam consilia, per quae praecepta moralia tutius, et firmius conservantur

# CAPITIS QUARTI

## LECTIO PRIMA

Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei, sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio? Dicimus enim quia reputata est fides Abrahae ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione, an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio.

Postquam Apostolus excludit Iudaeorum gloriam quam habebant in lege, per eam se Gentibus praeferentes; hic excludit eorum gloriam quantum ad circumcisionem; et circa hoc duo facit. Primo resumit quaestionem quam supra posuerat dicens: *Quae est utilitas circumcisionis?* Et quia Abraham primus mandatum de circumcisione accepit, ut dicitur *Genes. 17.* ideo quaestionem iterat in persona ipsius Abrahae, dicens: Si ita est quod Deus iustificat praeputium sicut et circumcisionem: *quid ergo dicemus invenisse* utilitatis *Abraham patrem nostrum secundum carnem?* idest secundum circumcisionem carnalem, et secundum alias observantias carnales. Videtur esse inconveniens si dicatur, quod nihil utilitatis invenerit, cum dicatur *Isai. 48. 17. Ego Dominus docens te utilia.* Secundo ibi, *Si enim Abraham etc.* respondet propositae quaestioni, et duo facit. Primo ostendit quod Abraham non hoc invenerit per circumcisionem, et cetera legis opera, quod per eam iustificaretur, sed magis per fidem; secundo commendat fidem ipsius, ibi, *Qui contra spem etc.* Circa primum duo facit. Primo ostendit propositum ratione accepta ex parte divinae acceptationis; secundo ratione divinae promissionis, ibi, *Non enim per legem promissio Abrahae.* Circa primum tria facit. Primo proponit quamdam conditionalem; secundo probat destructionem consequentis, ibi, *Quid enim dicit Scriptura?* tertio probat ipsam conditionalem, ibi, *Sicut et David dicit.* Circa primum intendit Apostolus sic argumentari: Si Abraham iustificatus esset ex operibus legis, non haberet gloriam apud Deum: ergo non ex operibus iustificatus est. Proponit ergo conditionalem dicens: Quaesitum est, quid Abraham invenit secundum carnalem circumcisionem: et manifestum est, quod hoc non invenit, ut iustificatus sit ex operibus legis, ita scilicet, quod eius iustitia in operibus legis consistat. *Habet* quidem *gloriam*, scilicet apud homines, qui exteriora facta vident, *sed non apud Deum*, qui videt in occulto, secundum illud *1. Reg. 16. 7. Deus autem intuetur cor: 1. Corinth. 3. 11. Nemo vestrum glorietur in hominibus.* Unde contra quosdam dicitur *Ioan. 12. 43. Dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.*

Sed contra hoc potest obiici, quia ex consuetudine operum exteriorum generatur interior habitus, secundum quem etiam cor hominis bene disponitur ut sit promptum ad bene operandum, et in bonis operibus delectetur, sicut Philosophus docet *in 2. Ethic.*

Sed dicendum est, quod hoc habet locum in iustitia humana, per quam scilicet homo ordinatur ad bonum humanum: huius enim iustitiae habitus per opera humana potest acquiri; sed iustitia quae habet gloriam apud Deum, ordinatur ad bonum divinum, scilicet futurae gloriae, quae facultatem humanam excedit, secundum illud *1. Corinth. 2. 9. In cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Et ideo opera hominis non sunt proportionata ad huius iustitiae habitum causandum; sed oportet prius iustificari interius cor hominis a Deo, ut opera faciat proportionata divinae gloriae.

Deinde cum dicit, *Quid enim dicit Scriptura?* destruit consequens, quod fuit negativum, probando affirmationem oppositam, scilicet quod Abraham habebat gloriam apud Deum. Et hoc probat per auctoritatem Scripturae: quam primo Apostolus ponit; secundo exponit, ibi, *Ei autem qui operatur.* Dicit ergo primo: Dico Abraham sic iustificatum esse quod habet gloriam apud Deum: *quid enim Scriptura dicit? Genes. 15. 6. Credidit Abraham Deo* promittenti sibi seminis multiplicationem: *Eccli. 2. 6. Crede Deo, et recuperabit te: et reputatum est illi, scilicet a Deo, ad iustitiam: 1. Machab. 2. 52. Abraham in tentatione inventus est fidelis.* Et sic patet quod apud Deum, a quo est ei reputatum ad iustitiam, quod credidit, gloriam habet.

Est autem considerandum, quod iustitia, quam Deus reputat, scriptam expressit non in aliquo exteriori opere, sed in interiori fide cordis; quam solus Deus intuetur. Cum autem dicatur triplex esse actus fidei, scilicet credere Deum, Deo, et in Deum, posuit hunc actum, qui est credere Deo, qui est proprius actus fidei, eius speciem demonstrans. Nam credere in Deum, demonstrat ordinem fidei ad finem, qui est per caritatem: nam credere in Deum est credendo in Deum ire, quod caritas facit; et sic sequitur speciem fidei. Credere autem Deum, demonstrat fidei materiam, secundum quod est virtus theologica, habens Deum pro obiecto; et ideo hic actus nondum attingit ad speciem fidei: quia si aliquis credat Deum esse per aliquas rationes humanas, et naturalia signa, nondum dicitur fidem habere, de qua loquimur, sed solum quando ex hac ratione credit, quod est a Deo dictum; quod designatur per hoc quod dicitur credere Deo: et ex hoc fides specificatur, sicut et quilibet cognoscitivus habitus speciem habet ex ratione per quam assentitur in aliquid: alia enim ratione inclinatur ad assentiendum habens habitum scien-

tiae, scilicet per demonstrationem, et alia ratione habens habitum opinionis, scilicet per syllogismum dialecticum.

Deinde cum dicit, *Ei autem qui operatur etc.* exponit praedictam auctoritatem quantum ad hoc quod dicit, *Reputatum est illi ad iustitiam.* Et tangitur in Glossa duplex horum verborum expositio. Prima est secundum quod referuntur ad finalem mercedem; de qua primo ostenditur qualiter se habeat ad opera; secundo qualiter ad fidem, ibi, *Ei vero qui operatur etc.* Dicit ergo primo, quod *ei qui operatur*, scilicet opera iustitiae, *merces*, aeternae retributionis, de qua dicitur *Isai. 40. 10. Ecce merces eius cum eo, non reputatur secundum gratiam* tantum, *sed secundum debitum:* secundum illud *Matth. 20. 13. Nonne ex denario convenisti mecum?*

Sed contra est quod dicitur *infra 6. 23. Gratia Dei vita aeterna:* et *infra 8. 18. Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Sic igitur illa retributio non fit secundum debitum, sed secundum gratiam.

Sed dicendum est, quod opera humana possunt considerari dupliciter. Uno modo secundum substantiam operum; et sic non habent aliquid condignum ut eis merces aeternae gloriae reddatur. Alio modo possunt considerari secundum suum principium, prout scilicet ex impulsu Dei aguntur, secundum propositum Dei praedestinantis; et secundum hoc eis debetur merces praedicta secundum debitum: quia, ut *infra 8. 14.* dicitur, *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; si autem filii, et haeredes.*

Deinde cum dicit, *Ei vero qui non operatur*, ostendit qualiter se habeat merces aeterna ad fidem, dicens: *Ei vero qui non operatur*, scilicet exteriora opera, puta quia non habet tempus operandi, sicut patet in baptizato statim mortuo, *credenti in eum qui iustificat impium*, scilicet in Deum, de quo dicitur *infra 8. 33. Deus qui iustificat, reputabitur fides eius*, scilicet sola sine operibus exterioribus, *ad iustitiam*, idest, ut per eam iustus dicatur, et iustitiae praemium accipiat, sicut si opera iustitiae fecisset, secundum illud *infra 10. 10. Corde creditur ad iustitiam;* et hoc *secundum propositum gratiae Dei*, idest secundum quod Deus proponit ex gratia sua homines salvare: *Infra 8. 28. His qui secundum propositum vocati sunt sancti: Ephes. 1. 11. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*

Alia expositio est ut hoc referatur ad hominis iustificationem. Dicit ergo: *Ei autem qui operatur*, idest, si aliquis per opera iustificetur, ipsa iustitia imputaretur, quasi *merces*, *non secundum gratiam, sed secundum debitum: Infra 11. 6. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Ei vero qui non operatur*, ut scilicet per sua opera iustificetur, *credenti autem in eum qui iustificat impium*, computabitur haec eius fides ad iustitiam, *secundum propositum gratiae Dei:* non quidem ita quod per fidem iustitiam mereatur, sed quia ipsum credere est primus actus iustitiae, quam Deus in eo operatur: ex eo enim quod credit in Deum iustificantem, iustificationi eius subiicit se, et sic recipit eius effectum. Et haec expositio est litteralis, et secundum intentionem Apostoli, qui facit vim in hoc quod *in Genes. 15. 6.* dictum est: *Reputatum est illi ad iustitiam;* quod consuevit dici quando id quod minus est ex parte alicuius, reputatur ei gratis, ac si totum fecisset. Et ideo Apostolus dicit, quod haec reputatio locum non haberet, si iustitia esset ex operibus; sed solum habet locum, secundum quod est ex fide.

Deinde cum dicit, *Sicut et David dicit etc.* probat conditionalem praemissae ex auctoritate Psalmi, cuius primo praemittit sensum; secundo ponit verba eius, ibi, *Beati quorum etc.* tertio excludit falsum intellectum, ibi, *Beatitudo etc.* Dicit ergo: *Sicut et David dicit*, idest asserit, *beatitudinem hominis* esse, illius scilicet *cui Deus fert*, idest dat, *iustitiam accepto*, idest gratis, *sine operibus* praecedentibus: *Ad Titum 3. 5. Non enim ex operibus iustitiae, quae fecimus nos.* Beatitudo autem hominis est a Deo, secundum illud *Psal. 39. 5. Beatus vir cuius est Dominus Deus spes eius.* Sic igitur manifestum est illum habere gloriam apud Deum, qui non ex operibus legis iustificatur, ut dictum est. Deinde cum dicit, *Beati quorum remissae sunt iniquitates*, ponit verba David praedictam sententiam continentia, et dicit eos esse beatos quorum remittuntur peccata. Et sic patet quod non habuerunt prius bona opera ex quibus iustitiam, seu beatitudinem consequerentur. Est autem triplex peccatum, scilicet originale, actuale mortale, et actuale veniale. Primo ergo quantum ad originale dicit: *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Ubi considerandum est, quod peccatum originale iniquitas dicitur, quia est carentia originalis iustitiae, per quam secundum aequitatem ratio hominis subiiciebatur Deo, inferiores vires rationi, et corpus animae. Sed per peccatum originale haec aequitas tollitur: quia postquam ratio desiit esse subiecta Deo, inferiores vires rationi rebellant, et corpus ab obedientia animae subducitur per corruptionem, et mortem. Unde *in Psal. 50. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Utrobique autem peccatum originale pluraliter significatur: vel propter plures homines, in quibus multiplicatur originale peccatum; vel potius quia virtute continet in se quodammodo omnia peccata. Huiusmodi autem peccatum originale remitti dicitur, quia transit reatus superveniente gratia, sed remanet actu remanente fomite, sive concupiscentia, quae non tollitur totaliter in hac vita, sed remittitur, sive mitigatur. Secundo quantum ad actuale mortale dicit: *Et quorum tecta sunt peccata.* Dicuntur autem peccata tegi divino conspectui, inquantum non inspicit ea ad puniendum: *Psal. 84. 3. Operuisti omnia peccata eorum.* Tertio quantum ad veniale dicit: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum:* ut scilicet per peccatum intelligantur peccata venialia; quae licet levia sint, tamen per multa homo separatur, et elongatur a Deo: *2. Paral. 30. 18. Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt illum, et non imputabitur illis quod minus sancti sunt.*

Possunt autem et haec tria aliter distingui. Sunt enim in peccato tria: quorum unum est offensa Dei; et quantum ad hoc dicit: *Beati quorum remissae sunt iniquitates:* secundum quod homo dicitur remittere offensam sibi factam: *Isai. 40. 2. Dimissa est iniquitas illius.* Aliud autem est ipse actus inordinatus culpae, qui non potest non fuisse factus ex quo se-

mel perpetratus est ; sed tegitur manu misericordiae divinae, ut quasi pro non facto habeatur. Tertium vero est reatus poenae ; et quantum ad hoc dicit : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* , scilicet ad poenam.

Deinde cum dicit , *Beatitudo ergo haec etc.* excludit falsum intellectum auctoritatis praedictae. Posset enim Iudaeus sic intelligere quod praedicta gratia remissionis peccatorum non fieret nisi circumcisis. Ad hoc ergo excludendum, primo Apostolus quaestionem movet dicens, *Beatitudo haec*, qua scilicet Deus dat iustitiam sine operibus , *manet tantum in circumcisione* , idest habet locum solum in circumcisis ; *an etiam in praeputio* , idest in Gentilibus? Manifestum est quod in utrisque , secundum illud quod dicit *infra 10. 12. Idem Dominus , dives in omnes qui invocant illum.* Secundo ibi , *Dicimus enim* , ad hoc ostendendum assumit auctoritatem Scripturae ; quasi dicat : Hoc ideo quaero : *dicimus enim , quod reputatur fides Abrahae ad iustitiam : Gen. 15.* Tertio ex hac auctoritate concludit solutionem praemissae quaestionis , sub interrogatione tamen, dicens: *Quomodo ergo reputata est?* scilicet fides Abrahae ad iustitiam : *in circumcisione*, idest quando erat circumcisus , *an in praeputio* , idest quando erat incircumcisus ? Et respondet : *Non in circumcisione , sed in praeputio.* Et hoc manifestum est ex serie narrationis Scripturae : nam *Gen. 15.* legitur quod fides reputata est Abrahae ad iustitiam ; circumcisionem autem accepisse legitur *Gen. 17.* Si igitur Abraham adhuc incircumcisus existens , iustificatus est per fidem, manifestum est quod iustitia fidei, per quam gratis remittuntur peccata , non est solum in circumcisione, sed etiam in praeputio, idest in gentilitate.

## LECTIO II.

Et signum accepit circumcisionis , signaculum iustitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium , ut reputetur et illis ad iustitiam; et sit pater circumcisionis , non his tantum qui sunt ex circumcisione , sed et his qui sectantur vestigia fidei , quae est in praeputio patris nostri Abrahae. Non enim per legem promissio Abrahae , aut semini eius , ut haeres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, haeredes sunt, exinanita est fides , abolita est promissio. Lex enim iram operatur : ubi enim non est lex , nec praevaricatio.

Ostenso quod beatitudo remissionis peccatorum non solum est in circumcisione , sed etiam in praeputio , exemplo Abrahae, qui tempore praeputii est iustificatus; hic respondet cuidam obiectioni: posset enim aliquis dicere: Si Abraham iustificatus est ante circumcisionem, ergo sine causa, et frustra circumcisus est. Ad hanc ergo obiectionem excludendam, primo proponit quod circumcisio non erat causa iustitiae , sed signum ; secundo ostendit quid ex hoc signo consequatur, ibi, *Ut sit pater omnium credentium;* tertio ostendit modum quo consequatur, *Non his tantum etc* Circa primum duo facit. Primo proponit circumcisionem esse signum: *Genes. 17. 11. Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos.* Secundo ostendit cuius rei sit signum , dicens , quod sit *signaculum iustitiae fidei*, idest quae est per fidem; quae quidem fides est in praeputio, idest quam Abraham habuit adhuc incircumcisus existens.

Dicitur autem signaculum dupliciter. Uno modo quasi expressum signum, habens similitudinem rei signatae, secundum illud *Ezech. 28. 12. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore.* Habet autem circumcisio expressam similitudinem cum fide Abrahae: primo quidem quantum ad rem creditam : credidit enim multiplicationem sui seminis, et ideo congruenter accepit signum in membro generationis : secundo quantum ad effectum huius fidei , qui est remotio culpae, quae signatur per remotionem superfluae pelliculae. Alio modo signaculum dicitur signum aliquid occultans, quod revelandum est amicis, sicut patet de sigillo ; et secundum hoc dicitur *Apoc. 5. 9. Dignus est agnus qui occisus est, accipere librum, et aperire signacula eius.* Claudebatur ergo sub signaculo circumcisionis secretum incarnationis Christi ex semine Abrahae.

Consequenter ostendit quid consequatur ex dictis. Consequitur enim ex hoc quod Abraham in praeputio iustificatus per fidem, postea circumcisionem accepit , ut sit pater non solum circumcisorum, sed etiam credentium in praeputio ; et hoc est quod dicit , *Ut sit pater* , idest ex praedictis consequitur quod Abraham sit pater *omnium credentium per praeputium* , idest qui sunt in statu praeputii. Vel Abraham *sit pater per praeputium*, idest per id quod habuit in praeputio, *ut reputetur et illis ad iustitiam*, hoc scilicet quod credunt; sicut reputatum est Abrahae: et de hac paternitate dicitur *Matth. 3. 9. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae : Et sit pater circumcisionis*, idest circumcisorum, qui ex eo originem ducunt : unde *Ioan. 8. 9. Pater noster Abraham est.*

Deinde ostendit per quem modum sit pater etiam incircumcisorum, quia per imitationem; et hoc est quod dicit: *Ut sit*, inquam, *pater non his tantum qui sunt in circumcisione*, idest qui sunt circumcisi, *sed etiam his qui sectantur vestigia fidei patris nostrae Abrahae, quae est in praeputio* , idest quam Abraham habuit adhuc incircumcisus : *Ioan. 8. 39. Si filii Abrahae estis , opera eius facite.*

Et quia hic de circumcisione fit mentio, oportet circa ipsam tria considerare, scilicet quare sit instituta , quam vim habuit, et quare sit mutata.

Circa primum considerandum , quod circumcisio, sicut et aliae legis caeremoniae, est propter duo instituta. Primo quidem propter cultum divinum , ad quem homines secundum huiusmodi caeremonialia disponebantur; et secundum hoc circumcisio habet triplicem institutionis causam; quarum prima est ad significandum fidem, et obedientiam qua Abraham se Deo subiecit , ut scilicet illi qui circumcisionem acciperent Abrahae, traditam fidem, et obedientiam ipsius observarent. Dicitur enim *Hebr. 11. Fide Abraham circumcisus est.* Et ideo facta est circumcisio in membro generationis, ad significandum fidem ipsius circa prolem futuram , ut dictum est. Secunda est ad exprimendum in signo cor-

porali id quod spiritualiter erat faciendum; ut scilicet sicut a membro generationis, quod principaliter concupiscentiae deservit, abscindebatur superflua pellicula, ita etiam a corde hominis omnis superflua concupiscentia tolleretur, secundum illud *Hierem. 4. 4. Circumcidimini Domino, et auferte praeputia cordium vestrorum.* Tertia est, ut per hoc signum populus ille Deum colens ab omnibus aliis populis distingueretur. Et inde est quod *Iosue 5.* mandavit Dominus circumcidi filios Israel, qui inter alias nationes erant habitaturi, qui prius in deserto solitarii manentes, circumcisi non erant. Alia autem ratio circumcisionis, et omnium caeremonialium accipitur per comparationem ad Christum, ad quem comparatur sicut figura ad veritatem, et umbra ad corpus, secundum illud *Col. 2. 17. Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Sic igitur per circumcisionem corporalem significatur circumcisio spiritualis fienda per Christum: primo quidem in anima, inquantum per ipsum peccatorum reatus, et concupiscentiae praescinduntur: *Colos. 2. 2. In quo*, scilicet Christo, *circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Domini nostri Iesu Christi*; secundo vero quantum ad corpus, quando scilicet etiam in resurrectione ab electorum corporibus omnis passibilitas, et mortalitas auferetur: et ideo circumcisio fiebat octavo die, qui significat octavam aetatem resurgentium: nam septima est quiescentium in Christo. Sex autem aetates sunt quibus saeculum currit. Unde et circumcisio facta legitur cultellis petrinis, *Iosue 5.* et *Exod. 4.* ad significandum quod spiritualis circumcisio fienda erat per petram, qui est Christus, ut dicitur *1. Corinth. 10.* Non tamen hoc generaliter observabatur, quod necesse esset circumcisionem fieri cum petra.

Circa secundum vero est sciendum, quod, sicut hic Glossa dicit, et est Bedae, idem salutare curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus praebebat quod baptismus agere tempore revelatae gratiae consuevit. Ex quo patet quod virtus circumcisionis se extendebat ad deletionem originalis peccati. Quidam tamen dicunt, quod gratia in circumcisione non conferebatur: non enim potest esse Dei gratia sine iustitia. Argumentatur autem Apostolus *Galat. 2. 21. Si iustitia est per legem, ergo Christus gratis mortuus est*, idest sine causa. Et eodem modo argumentari possumus: Si ex circumcisione est gratia iustificans, Christus gratis mortuus est. Sed hoc non potest esse: nam remissio peccati numquam fit sine gratia: *Infra 5. 1. Iustificati igitur gratia ipsius, pacem habeamus ad Deum.* Et ideo alii dicunt, quod in circumcisione dabatur gratia quantum ad effectus privativos, scilicet remotionis culpae, non autem quantum ad effectus positivos, puta operationem iustitiae. Sed hoc etiam conveniens non videtur: effectus enim positivi alicuius formae ordine naturae praecedunt effectus privativos: non enim lumen pellit tenebras nisi per hoc quod illuminat. Et ita gratia per hoc culpam pellit quod iustificat. Remoto autem priori, removetur posterius. Et ideo melius dicendum est, quod circumcisio ex ipso opere operato non habebat virtutem effectivam neque quantum ad remotionem culpae, neque quantum ad operationem iustitiae; sed erat solum iustitiae signum, ut hic Apostolus dicit: sed per fidem Christi, cuius circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale, et conferebatur auxilium gratiae ad recte agendum.

Circa tertium vero manifestum est iam ex dictis quare oportuit circumcisionem mutari. Nam circumcisio erat signum futuri. Non autem idem signum convenit praesenti, sive praeterito, et futuro; et ideo baptismus est signum praesentis gratiae, qui copiosiorem, et utiliorem effectum habet gratiae: quia quanto agens est propinquius et praesentius, tanto efficacius operatur.

Deinde cum dicit, *Non enim per legem promissio Abrahae*, ostendit propositum, scilicet quod circumcisio, sive quodcumque opus legis, non iustificet ex divina promissione: et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Si enim qui ex lege, haeredes sunt etc.* Supponit ergo Apostolus primo ex auctoritate Genesis promissionem factam Abrahae, et semini eius, *ut haeres esset mundi*, idest ut omnes gentes mundi in ipso benedicerentur, secundum illud *Genes. 12. 3. In te benedicentur universae cognationes terrae.* Dicit autem, *Ac semini eius*, quia huiusmodi promissio etsi in ipso non est completa, complenda tamen erat in semine eius; dicitur enim *Genes. 22. 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Hoc autem semen principaliter intelligitur Christus, secundum illud *Galat. 3. 16. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius. Non dicit, In seminibus, quasi in multis; sed, In semine, quasi in uno:* quia scilicet in uno, in quo completur, ostenditur ut sit haeres mundi, secundum illud *Psal. 2. 8. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Secundario autem completur in illis qui per gratiam Christi sunt spiritualiter semen Abrahae: *Infra 9. 8. Qui filii sunt promissionis aestimantur in semine;* qui etiam per Christum sunt haeredes mundi, inquantum omnia in gloriam electorum cedunt: *1. Cor. 22. Omnia vestra sunt.* Circa hanc promissionem unum negat, et unum asserit. Negat huiusmodi promissionem esse factam per legem: quod quidem non dicitur propter ipsam promissionem, quia tempore promissionis lex data non erat; sed propter promissionis impletionem, ut sit sensus, quod talis promissio facta erat Abrahae, non quasi implenda per legem; quia, ut dicitur *Hebr. 7. 19. nihil ad perfectum adduxit lex.* Aliud autem adstruit, quod scilicet huiusmodi promissio sit implenda per iustitiam fidei: quia *sancti per fidem vicerunt regna: Hebr. 11. 33.* Deinde cum dicit, *Si enim qui ex lege, haeredes sunt etc.* ostendit propositum: et primo quantum ad hoc, quod promissio non sit implenda per legem; secundo quantum ad hoc, quod sit implenda per iustitiam fidei, ibi, *Ideo ex fide etc.* Circa primum ponit talem rationem. Si promissio facta Abrahae esset implenda per legem, fides Abrahae credentis promissioni esset inanis, quia promissio ei facta aboleretur. Sed hoc est inconveniens. Ergo et primum. Circa hoc duo facit. Primo proponit conditionalem; secundo probat eam, ibi, *Lex enim iram operatur.* Destructio autem consequentis est manifesta. Dicit ergo primo, quod promissio non est facta per legem: *si enim qui ex lege sunt haeredes*, idest si ad hoc quod aliqui haereditatem promissam percipiant, requiritur quod ex legis obser-

vantia hoc consequantur, *exinanita est fides*, idest vacua facta est fides qua Abraham credidit Deo promittenti, ut dicitur *Genes. 15.* Et hoc est inconveniens, secundum quod dicitur *1. Corinth. 15. 14. Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Et quare sit inanis, ostendit subdens, *Abolita*, idest cassata, *est promissio:* quia non consequitur suum effectum, contra id quod dicitur *Heb. 11. 11. Fidelem credidit eum esse qui repromiserat:* et hic *infra in praesenti cap.* dicitur: *Quaecumque promisit Deus, potens est et facere.* Deinde cum dicit, *Lex enim*, probat conditionalem praemissam per effectum, sive eventum legis: et primo proponit legis effectum, sive eventum; secundo probat, ibi, *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio.* Probat autem conditionalem sic. Si aliqua promissio sit implenda per id, quod impletionem promissionis impedit, talis promissio aboletur, et fides credentis exinanitur. Sed lex impedit consecutionem haereditatis, *lex enim iram operatur.* Ergo si per legem sit adimplenda promissio, *exinanita est fides, abolita est promissio.* Dicitur autem lex operari iram, idest vindictam: quia per legem facti sunt homines digni Dei vindicta: *4. Reg. 22. 13. Magna ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patris nostri verba libri huius*, scilicet legis, *ut facerent omne quod scriptum est nobis.* Posset autem aliquis intelligere, quod lex iram operatur quantum ad caeremonialia tempore gratiae observata, secundum illud *Gal. 5. 2. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Sed quod hic dicitur, intelligendum est etiam quantum ad moralia: non quidem quod legis praecepta moralia praecipiant aliquid quod qui observant dignos ira Dei efficiat, sed occasionaliter, quia praecipit, et gratiam adimplendi non praebet, secundum illud *2. Corinth. 3. 6. Littera occidit, spiritus autem vivificat:* quia scilicet interius adiuvat infirmitatem nostram, ut dicit *infra 8.* Deinde cum dicit, *Ubi enim non est lex*, ostendit qualiter iram operatur, dicens: *Ubi non est lex, non praevaricatio:* quia etsi aliquis lege non data peccare possit, contra id quod naturaliter iustum est faciendo; non tamen praevaricator dicitur nisi legem transgrediens: *Psal. 118. 158. Vidi praevaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Et tamen omnis peccator potest dici praevaricator, inquantum legem naturalem transgreditur: *Psal. 118. 119. Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae.* Gravius est tamen transgredi simul legem naturae, et legem scriptam, quam solam legem naturae; et ideo lege data sine gratia adiuvante, praevaricatio crevit, et maiorem iram promeruit.

## LECTIO III.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui pater est omnium nostrum; sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti; qui vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum sicut stellae caeli, et arena maris. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quaecumque promisit Deus potens est et facere. Ideo et reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.

Ostenso quod promissio facta Abrahae, et semini eius non sit implenda per legem; hic ostendit quod sit implenda per fidem: et circa hoc tria facit. Primo ostendit per quid sit huiusmodi promissio adimplenda; secundo ostendit in quibus sit adimplenda, ibi, *Omni semini etc.* tertio a quo sit implenda, ibi, *Qui vivificat mortuos etc.* Primo ergo concludit propositum, quasi ex divisione. Videtur enim necessarium esse quod promissio adimpleatur vel per fidem, vel per legem; non autem per legem, quia promissio aboleretur: unde concludit, *Ideo ex fide*, scilicet consequimur promissionem, ut haeredes simus mundi: *1. Ioan. 5. 4. Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra.* Et hoc confirmat per contrarium medium ei quod supra assumpserat. Dictum est enim, quod si iustitia ex lege esset, promissio aboleretur; sed si sit ex fide, remanet firma promissio propter virtutem divinae gratiae iustificantis hominem per fidem; et hoc est quod dicit: *Ut promissio Dei sit firma:* non quidem per operationes hominum, quae possunt deficere, sed *secundum gratiam*, quae infallibilis est: *2. Cor. 12. 20. Sufficit tibi gratia mea:* et *ibid. 1. 9. Quotquot sunt promissiones, in illo sunt*, idest veritatem habent.

Deinde cum dicit, *Omni semini etc.* ostendit in quibus impleatur praedicta promissio: et primo proponit quod intendit; et dicit, quod praedicta promissio sic implenda per fidem est firma per gratiam *omni semini*, idest omni homini qui fuerit qualitercumque semen Abrahae: *Eccli. 44. 11. Cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum.* Secundo ibi, *Non ei qui ex lege est solum*, exponit quod dixerat, *Omni semini.* Est enim quoddam semen carnale, secundum illud *Ioan. 8. 33. Semen Abrahae sumus:* est aliud semen spirituale, secundum illud *Matth. 3. 9. Potens est Deus de lapidibus his*, idest de Gentibus, *suscitare filios Abrahae.* Solum autem semen Abrahae carnale legem servavit; sed fidem eius etiam imitatur semen spirituale. Et sic si per solam legem esset promissio, non impleretur in omni semine, sed solum in carnali. Quia vero impletur per fidem, quae est omnibus communis, planum est quod impletur in omni semine. Tertio ibi, *Qui est pater omnium nostrum*; probat quod supposuerat, scilicet quod semen Abrahae sit non solum quod est ex lege, sed etiam

quod est ex fide, per auctoritatem Scripturae : cuius primo ponit sensum, dicens: *Qui*, scilicet Abraham, *est pater omnium nostrum*, idest omnium credentium, sive Iudaeorum, sive Gentilium. Supra eodem: *Ut sit pater omnium credentium : Isai. 51. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Secundo inducit auctoritatem, dicens : *Sicut scriptum est, Gen. 17. 3., Quia patrem multarum gentium posui te.* Littera alia habet, *Constitui te:* quod sensum non variat: *Eccli. 44. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium.* Tertium ibi, *Ante Deum*, exponit quod dixerat : sic enim dictum est, *Posui te*, quasi iam esset impletum, quod longe postea erat implendum. Sed quae sunt futura in seipsis, in Dei providentia sunt praesentia, secundum illud *Eccli. 23. 29. Domino Deo nostro, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sicut et post perfectum respicit omnia.* Et ideo Apostolus dicit, quod hoc quod dictum est, *Posui te*, intelligendum est, *ante Deum*, idest in eius praesentia, *cui credidisti.* Crediderat enim Abraham Deo futura praenuntianti, ac si videret praesentia : quia, ut dicitur *Heb. 11. 1. fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Deinde cum dicit, *Qui vivificat mortuos etc.* ostendit a quo sit implenda huiusmodi promissio, dicens : *Qui*, scilicet Deus, *vivificat mortuos*, idest Iudaeos, qui erant mortui in peccatis, contra legem agentes, vivificat per fidem, et gratiam, ut promissionem Abrahae consequantur : *Ioan. 5. 21. Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Et ea quae non sunt*, idest Gentiles, *vocat*, scilicet ad gratiam, *tamquam ea quae sunt*, idest tamquam Iudaeos : *Infra 9. 25. Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam.* Significat autem Gentiles per ea quae non sunt, quia erant omnino alienati a Deo, sicut *1. Corinth. 13. 2.* dicitur : *Si caritatem non habuero, nihil sum.* Et sic per huiusmodi vocationem implebitur promissio Abrahae etiam in Gentilibus. Vel quod dicit, *Et vocat ea quae non sunt*, non intelligitur de vocatione temporali, sed de vocatione praedestinationis aeternae, qua vocantur, et eliguntur etiam qui non sunt, ac si essent : *Ephes. 1. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et de hac vocatione dicitur *infra 9. 12. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior serviet minori.* Vel vocationem hic dicit simplicem Dei notitiam, vel cognitionem, qua cognoscit futura, quae non sunt in actu sicut praesentia. Et hoc modo vocatio *in Psal. 146. 4.* accipitur, cum dicitur : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Et secundum hunc sensum, quod hic dicitur, inducitur propter id quod supra dictum est : *Ante Deum, cui credidisti.* Duo enim videbantur obstare ei quod dictum est : *Patrem multarum gentium posui te* : quorum unum erat quia ipse idem Abraham erat quasi emortuus prae senectute, ut infra dicetur ; et contra hoc dicit : *Qui vivificat mortuos.* Aliud autem est, quia illae multae gentes nondum erant; et contra hoc subdit: *Et vocat ea quae non sunt.*

Deinde cum dicit, *Qui contra spem*, commendat fidem Abrahae: et primo ostendit magnitudinem fidei eius ; secundo efficaciam, vel fructum eius, ibi, *Ideo et reputatum est illi ad iustitiam.* Circa primum duo facit. Primo ostendit magnitudinem fidei Abrahae quantum ad promissionem seminis multiplicandi ; secundo quantum ad promissionem seminis exaltandi, ibi, *In repromissione etc.* Circa primum duo facit. Primo ostendit fidem eius fuisse magnam ; secundo ostendit eam fuisse firmam, ibi, *Et non infirmatus est in fide.* Circa primum duo facit. Primo proponit magnitudinem fidei Abrahae, dicens: *Qui*, scilicet Abraham, *in* hanc *spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*, sed *contra* aliam *spem.* Circa quod considerandum est, quod spes importat certam expectationem boni futuri: quae quidem certitudo est quandoque ex causa humana, sive naturali, secundum illud *1. Cor. 9. 10. Debet in spe qui arat, arare ;* quandoque vero certitudo expectantis est ex causa divina, secundum illud *Psal. 30. 2. In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Hoc ergo bonum, quod Abraham fieret pater multarum gentium, certitudinem habebat ex parte Dei promittentis ; sed contrarium apparebat ex causa naturali, sive humana : ideo dicit: *Qui contra spem*, causae naturalis, vel humanae, *credidit in spem*, scilicet divinae promissionis : quam quidem secundo ponit dicens : *Secundum quod dictum est ei*, scilicet *Gen. 22. 17. Sic erit semen tuum sicut stellae caeli, et sicut arena maris.* Utrumque autem horum inducitur propter similitudinem innumerabilis multitudinis: nam quantum ad stellas dicitur *Deuter. 1. 10. Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellae caeli;* quantum ad arenam dicitur *3. Reg. 4. 20. Iuda, et Israel innumerabiles sicut arena maris sunt.* Potest tamen aliqua differentia inter utrumque attendi, ut stellis comparentur iusti, qui fuerunt ex semine Abrahae: *Dan. 12. 3. Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates;* arenae autem comparantur peccatores, quia fluctibus mundi, quasi cuiusdam maris, opprimuntur : *Hier. 5. 22. Posui arenam terminum maris.*

Deinde cum dicit, *Et non infirmatus est*, ostendit firmitatem Abrahae, quam primo proponit, dicens : *Et non infirmatus est.* Sicut enim temperantia ostenditur non esse infirma, quae magnis concupiscibilibus non vincitur, ita fides ostenditur non esse infirma, sed fortis, quae a magnis difficultatibus non superatur : *1. Pet. 5. 9. Cui resistite fortes in fide.* Secundo ibi, *Nec consideravit etc.* ponit difficultates, ex quibus ostenditur fidem eius non fuisse infirmam. Et primo quidem ex parte ipsius Abrahae, cum dicit: *Non consideravit*, scilicet ad discredendum promissionem, *corpus suum emortuum*, scilicet quia iam mortificata erat in eo vis generativa propter senectutem: unde dicit : *Cum iam fere centum annorum esset.* Abrahae enim centenario existenti natus est Isaac, ut habetur *Genes. 21.* Per annum autem ante fuerat sibi filius promissus, secundum illud *Gen. 18. 10. Revertens veniam ad te tempore isto, et erit Sarae filius.*

Sed videtur quod non fuit corpus eius emortuum quantum ad vim generativam, quia etiam post mortem Sarae duxit Cethuram uxorem, quae genuit ei filios, ut dicitur *Gen. 25.*

Dicunt ergo quidam, quod mortua erat in eo vis generativa quantum ad hoc quod ex muliere antiqua generaret, non quantum ad hoc quod generaret filium

ex iuvencula: solent enim senes ex iuvenculis mulieribus prolem gignere, non autem ex antiquis, quae sunt minus aptae ad concipiendum. Sed melius dicendum videtur, quod Abrahae miraculose restituta erat vis generandi et quantum ad Saram, et quantum ad omnes mulieres.

Secundo ponit difficultatem ex parte uxoris, cum dicit: *Et emortuam vulvam Sarae*, scilicet non consideravit ut discrederet. Dicit autem emortuam quantum ad actum generandi, tum propter sterilitatem, tum propter senectutem: iam enim desierant ei fieri muliebria, ut dicitur *Gen. 18.* Et ideo *Isa. 51. 2.* ubi dicitur, *Attendite ad Abraham vestrum, et ad Saram quae vos peperit*, ut ostenderet utriusque mortificationem, et frigiditatem, praemisit dicens *1. Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis.*

Deinde cum dicit, *In repromissione etiam Dei etc.* commendat fidem Abrahae quantum ad iteratam promissionem de seminis exaltatione: et primo ponit fidei firmitatem; secundo firmitatis causam, ibi, *Dans gloriam Deo.* Dicit ergo primo: *In repromissione etiam Dei*, idest in iterata eius promissione, quam promisit primo quidem *Genes. 15. 5.* dicens: *Suspice caelum, et numera stellas si potes*, et *infra 17. 5. Eris pater multarum gentium:* et iterum *infra 22. 17. Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli.* Vel intelligendum est, *In repromissione Dei*, idest in iterata promissione de exaltatione seminis eius: quia cum dixisset, *Multiplicabo semen tuum*, statim subdit: *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* In hac quidem Dei repromissione *non haesitavit*, idest non dubitavit, *diffidentia*, scilicet de veritate divinae promissionis: *Iacob. 1. 6. Qui haesitat, similis est fluctui maris: Sed confortatus est fide*, idest fortiter fidei adhaesit: *1. Pet. ult. 5. Cui resistite fortes in fide.*

Consequenter cum dicit, *Dans gloriam Deo*, assignat rationem firmitatis fidei eius, dicens: *Confortatus est*, inquam, *fide, dans gloriam Deo*, inquantum scilicet consideravit omnipotentiam eius: *Psalm. 146. Magna virtus eius.* Unde et hic subditur: *Plenissime sciens quia quaecumque promisit Deus, potens est et facere: Sap. 12. 18. Subest tibi enim, cum volueris, posse.* Ex quo patet quod quicumque non est firmus in fide Dei, quantum est in se, divinae gloriae derogat, vel quantum ad eius veritatem, vel quantum ad eius potentiam.

Deinde cum dicit, *Et reputatum est ei ad iustitiam*, commendat fidem Abrahae quantum ad eius effectum: et primo ponit effectum quem in ipso habuit, dicens: *Ideo*, scilicet quia Abraham tam perfecte hoc ipsum credidit, *reputatum est illi ad iustitiam: 1. Mach. 2. 52. Et reputatum est ei ad iustitiam.* Secundo ostendit effectum quem fides eius habet etiam in aliis: et circa hoc tria facit. Primo ponit similitudinem effectus, dicens: *Non autem scriptum est tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam;* ut scilicet reputemus quod soli Abrahae fides ad iustitiam reputata sit; *sed* scriptum est *propter nos, quibus reputabitur*, scilicet fides ad iustitiam: *Infra 15. 4. Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Sic ergo scriptum est propter eum, ut sit nobis in exemplum, et propter nos, ut sit nobis in iustificationis spem. Secundo ibi, *Credentibus in eum*, ostendit similitudinem fidei. Reputata est enim ad iustiam fides Abrahae credenti, quod corpus suum emortuum, et emortua vulva Sarae posset vivificari ad filiorum procreationem: reputabitur et nobis credentibus in eum, qui sucitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis, et in Deum Patrem, cui ipse dicit *in Psal. 40. 11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me.* Et quia eadem est virtus Patris, et Filii, ipse etiam in propria virtute surrexit. Quod autem haec fides iustificet, habetur *infra 10. 9. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Tertio ibi, *Qui traditus est etc.* assignat causam quare fides resurrectionis Christi iustificet, dicens: *Qui*, scilicet Christus, *traditus est*, scilicet in mortem a Deo Patre: *Infra 8. 52. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* et a seipso: *Ephes. 5. 2. Tradidit semetipsum pro nobis:* et a Iuda: *Ioan. 19. 11. Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet:* et a Iudaeis: *Matth. 20. 19. Tradent eum Gentibus ad illudendum. Et resurrexit propter iustificationem nostram*, idest ut nos resurgendo iustificaret: *Infra 6. 4. Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Et quod propter delicta nostra sit traditus in mortem, manifestum videtur ex hoc quod sua morte meruit nobis deletionem peccatorum; sed resurgendo non meruit, quia in statu resurrectionis non fuit viator, sed comprehensor. Et ideo dicendum est, quod mors Christi fuit nobis salutaris, non solum per modum meriti, sed etiam per modum cuiusdam efficientiae. Cum enim humanitas Christi esset quodammodo instrumentum divinitatis eius, ut Damascenus dicit, omnes passiones, et actiones humanitatis Christi fuerunt nobis salutiferae, utpote ex virtute divinitatis provenientes. Sed quia effectus habet aliqualiter similitudinem causae, mortem Christi, qua extincta est in eo mortalis vita, dicit esse causam extinctionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem eius, qua rediit ad novam vitam gloriae, dicit esse causam iustificationis nostrae, per quam redimus ad novitatem iustitiae.

## CAPITIS QUINTI

### LECTIO PRIMA

Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Postquam Apostolus ostendit necessitatem gratiae Christi, quia sine ea nec cognitio veritatis Gentibus, nec circumcisio, et lex Iudaeis profuerunt ad salutem; hic incipit commendare virtutem gratiae: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quae bona per gratiam consequamur; secundo a quibus malis per eam liberemur, ibi, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit modum perveniendi, seu viam qua venimus ad gratiam; secundo ostendit bona, quae per gratiam consequimur, ibi, *Et gloriamur in spe gloriae etc.* Circa primum duo facit. Primo exhortatur ad debitum gratiae usum; secundo ostendit nobis gratiae aditum, ibi, *Per quem accessum habemus etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod fides reputabitur omnibus ad iustitiam credentibus resurrectionem Christi, quae est causa nostrae iustificationis. *Iustificati igitur ex fide*, inquantum scilicet per fidem resurrectionis effectum eius participamus, *habeamus pacem ad Deum*, scilicet subiiciendo nos, et obediendo ei: *Iob 22. 21. Acquiesce igitur ei, et habeto pacem: Ibid. 9. 4. Quis restitit ei, et pacem habuit?* Et hoc *per Iesum Christum Dominum nostrum*, qui nos ad istam pacem perduxit: *Ephes. 2. 14. Ipse est pax nostra.* Unde subdit: *Per quem*, Christum, *accessum habemus*, scilicet tamquam per mediatorem: *1. Tim. 2. 5. Mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus: Ephes. 2. 18. Per ipsum accessum habemus ambo in uno spiritu ad Patrem. Accessum*, inquam, *in gratiam istam*, idest in statum gratiae: *Ioan. 1. 17. Gratia, et veritas per Iesum Christum facta est. In qua*, idest per quam gratiam, non solum resurreximus a peccatis, sed etiam *stamus* fixi, et erecti per affectum in caelestibus: *Ps. 121. 2. Stantes erant pedes nostri:* et iterum *Psal. 19. 9. Nos autem surreximus, et erecti sumus.* Et hoc *per fidem*, per quam scilicet gratiam consequamur: non quia fides praecedat gratiam, cum potius per gratiam sit fides: *Ephes. 2. 8. Gratia estis salvati per fidem*, scilicet quia primus effectus gratiae in nobis est fides.

Deinde cum dicit, *Gloriamur in spe gloriae etc.* ostendit quae bona nobis per gratiam provenerunt. Primo dicit, quod per gratiam habemus gloriae spem; secundo quod per gratiam habemus gloriam Dei, ibi, *Non solum autem, sed et gloriamur in Deo.* Circa primum tria facit. Primo ostendit magnitudinem spei in qua gloriamur; secundo eius vehementiam, ibi, *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus;* tertio eius firmitatem, ibi, *Spes autem non confundit.* Magnitudo autem spei consideratur ex magnitudine rei speratae, quam ponit, dicens: *Et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei*, idest ex hoc quod speramus nos adepturos gloriam filiorum Dei. Per gratiam enim Christi adepti sumus spiritum adoptionis filiorum Dei, ut dicitur *Infra 8.* et *Sapient. 5. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Filiis autem debetur haereditas patris: *Infra 8. 17. Si autem filii, et haeredes.* Haec autem haereditas est gloria, quam Deus habet in seipso: *Iob 40. 4. Si habes brachium ut Deus, et si voce simili tonas?* Et huiusmodi spes indita est nobis per Christum: *1. Petr. 1. 3. Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem.* Et haec gloria, quae in futuro in nobis complebitur, interim nunc in nobis inchoatur per spem: *Infra 8. 24. Spe salvi facti sumus: Psal. 5. 13. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Deinde cum dicit, *Non solum autem etc.* ostendit vehementiam huius spei. Qui enim vehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia, et amara; sicut infirmus, si vehementer sperat sanitatem, libenter bibit potionem amaram, ut sanetur per ipsam. Signum ergo vehementis spei, quam habemus propter Christum, est quod *non solum gloriamur*, ex spe futurae gloriae, sed etiam de malis, quae pro ipsa patimur: unde dicit: *Non solum autem gloriamur*, scilicet in spe gloriae, sed *etiam gloriamur in tribulationibus*, per quas ad gloriam pervenimus: *Act. 14. 21. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum caelorum: Iac. 1. 2. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et causam ostendit consequenter, dicens: *Scientes etc.* Ubi quatuor per ordinem ponit: quorum primum est tribulatio, de qua dicitur, quod *tribulatio patientiam operatur:* non quidem sic quod tribulatio sit eius causa effectiva, sed quia tribulatio est materia, et occasio exercendi patientiae actum: *Infra 12. 12. In tribulatione patientes.* Secundo ponit patientiae effectum, cum dicit: *Patientia probationem: Eccli. 2. 5. In igne probatur aurum, et argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Manifestum est enim quod detrimentum alicuius rei de facili sustinemus propter rem quam magis amamus: unde si aliquis in rebus corporalibus, et temporalibus patienter sustinet propter bona consequenda aeterna, sufficienter ex hoc probatur quod talis plus amet bona aeterna quam temporalia.

Sed contra id quod hic dicitur est illud *Iac. 1. 3. Probatio fidei vestrae patientiam operatur.* Dicendum est autem, quod probatio dupliciter potest intelligi. Uno modo secundum quod est in probato; et sic probatio est ipsa tribulatio, per quam homo probatur: unde idem est dictu, quod tribulatio patientiam operatur, et quod tribulatio probat patientiam. Alio modo accipitur probatio pro probatum esse; et ita accipitur hic quod patientia probationem operatur: quia ex hoc quod homo patienter tribulationem sustinet, redditur iam probatus.

Tertio subdit tertium, dicens, *Probatio vero spem*, scilicet operatur: quia scilicet per hoc quod aliquis iam probatus est, potest de eo spes haberi, et ab ipso, et ab aliis quod ad haereditatem Dei admittatur: *Sap. 3. 5. Deus probavit illos, et invenit illos dignos se.* Sic igitur de primo ad ultimum patet quod tribulatio viam parat ad spem: unde si aliquis vehementer gloriatur de spe, consequens est ut de ipsis tribulationibus glorietur. Deinde cum dicit, *Spes autem non confundit*, ostendit huiusmodi spei firmitatem: et primo ponit eam, dicens: *Spes autem*, scilicet haec qua speramus gloriam filiorum Dei, *non confundit*, idest non deficit, nisi homo ei deficiat: ille enim dicitur a spe sua confundi qui deficit ab eo quod sperat: *Psalm. 30. 2. In te Domine speravi, non confundar in aeternum: Eccli. 2. 11. Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Secundo ibi, *Quia caritas Dei diffusa est*, ponit certitudinis spei duplex argumentum: quorum primum est ex dono Spiritus sancti; secundum ex morte

Christi, ibi, *Ut quid enim Christus .... mortuus est?* Dicit ergo primo: Ex hoc possumus scire quod spes non confundit, *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Caritas Dei dupliciter accipi potest. Uno modo pro caritate qua diligit nos Deus: *Hier. 31. 3. Caritate perpetua dilexi te.* Alio modo potest dici caritas Dei, qua nos Deum diligimus: *Infra 8. 38. Certus sum quod neque mors, neque vita .... separabit nos a caritate Dei.* Utraque autem caritas Dei in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Spiritum enim sanctum, qui est amor Patris, et Filii, dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus sanctus: a qua quidem participatione efficimur Dei amatores. Et hoc quod ipsum amamus, signum est quod ipse nos amet: *Prov. 8. 17. Ego diligentes me diligo ... Non quasi nos primo dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, ut dicitur *1. Ioan. 4. 10.* Dicitur autem caritas qua nos Deus diligit, in cordibus nostris diffusa esse, quia est in cordibus nostris patenter ostensa per donum sancti Spiritus nobis impressum: *1. Ioan. 3. 24. In hoc scimus quoniam manet in nobis Deus, de spiritu quem dedit nobis.* Caritas autem qua nos Deum diligimus, dicitur in cordibus nostris diffusa, idest quia ad omnes mores, et actus animae perficiendos se extendit: nam, ut dicitur *1. Corinth. 13. 4. caritas patiens est, benigna est etc.* Ex utroque autem intellectu horum verborum concluditur quod *spes non confundit.* Si enim accipiatur caritas Dei, qua nos diligit Deus, manifestum est quod his quos diligit, seipsum non negabit: *Deut. 33. 3. Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt.* Similiter etiam si caritas Dei accipiatur qua nos Deum diligimus, manifestum est quod se diligentibus bona aeterna praeparavit: *Ioan. 14. 11. Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.*

## LECTIO II.

Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori? Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo ergo magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.

Postquam Apostolus ostendit firmitatem spei per donum Spiritus sancti; hic ostendit idem per mortem Christi: et primo proponit quaestionem; secundo ostendit difficultatem, ibi, *Vix enim pro iusto quis moritur;* tertio determinat quaestionis veritatem, ibi, *Commendat autem suam caritatem Deus.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod spes non confundit: quod quidem apparet hoc consideranti. *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus*, scilicet infirmitate peccati, *Ps. 6. 3. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, mortuus est?* Nam sicut per corporalem infirmitatem dissolvitur humorum debita harmonia, ita etiam per peccatum debitus ordo affectionum excluditur. *Cum* ergo *adhuc infirmi essemus, Christus mortuus est pro impiis: 1. Pet. 3. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis:* et hoc *secundum tempus*, idest, ut certo tempore in morte moraretur, die scilicet tertia surrecturus: *Matth. 12. 40. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae.* Hoc ergo magnum est, si consideremus quis mortuus sit; magnum etiam est, si consideremus pro quibus est mortuus. Non potest autem esse tam magnum quid nisi fiat propter aliquem certum fructum, secundum illud *Psal. 29. 10. Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* quasi dicat: Nulla; si non sequatur humani generis salus.

Deinde cum dicit, *Vix enim pro iusto quis moritur*, ostendit praedictae quaestionis difficultatem ex parte eorum pro quibus Christus mortuus est, scilicet pro impiis, dicens: *Vix enim quis*, idest aliquis, *moritur pro* homine *iusto* liberando; quinimmo, ut dicitur *Isai. 57. 1. Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Ideo dico: *Vix moritur: nam forsitan quis*, idest aliquis rarus ex zelo virtutis, *audeat mori pro bono* homine. Rarum enim est propter hoc quod est maximum: ut enim dicitur *Ioan. 15. 13. maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Illud autem quod Christus fecit, ut quis moriatur pro impiis et iniustis, numquam invenitur; et ideo merito admirandum est quare Christus hoc fecerit. Potest autem et aliter legi, ut pro iusto intelligamus aliquem in virtute exercitatum, per bonum autem hominem innocentem. Et quamvis secundum hoc iustus sit praestantior bono, tamen pro iusto vix aliquis moritur. Cuius ratio est, quia innocens, qui per bonum intelligitur, magis miserandus videtur propter defectum aetatis, vel alicuius huiusmodi. Iustus autem, quia perfectus est, et absque defectu, non habet in se misericordiae materiam. Quod ergo aliquis moriatur pro innocente, potest ex compassione misericordiae provenire; sed quod aliquis moriatur pro iusto, provenit ex zelo virtutis, qui in paucioribus invenitur quam misericordiae passio.

Deinde cum dicit, *Commendat autem etc.* respondet praemissae quaestioni; et primo ponit responsionem; secundo ex hoc arguit ad propositum, ibi, *Multo ergo magis etc.* tertio ostendit necessitatem consequentiae, ibi, *Si enim cum inimici essemus etc.* Dicit ergo primo: Quaesitum est quare Christus pro impiis mortuus est; et ad hoc est responsio, quia per hoc Deus suam caritatem commendat in nobis, idest per hoc ostendit se nos maxime diligere: quoniam, *cum adhuc peccatores essemus, Christus mortuus est pro nobis:* et hoc *secundum tempus*, sicut supra expositum est. Ipsa autem mors Christi pro nobis caritatem ostendit Dei, quia dedit Filium suum, ut pro nobis satisfaciens moreretur: *Ioan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Et ita si-

cut caritas Dei Patris ad nos ostenditur per hoc quod Spiritum suum dedit nobis, ut supra dictum est; ita et per hoc quod dedit Filium suum, ut hic dicitur. Sed in hoc quod dicit, *Commendat*, immensitatem quamdam divinae caritatis assignat: quae quidem ostenditur tum ex ipso facto, quia scilicet dedit Filium suum, ut moreretur pro nobis, tum ex parte nostrae conditionis, quia hoc non fecit provocatus nostris meritis, cum adhuc peccatores essemus: *Ephes. 2. 5. Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*

Consequenter cum dicit, *Multo ergo magis etc.* concludit propositum ex praemissis, dicens: *Si Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus, multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius*, sicut *supra 5. 25.* habitum est; *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem per sanguinem ipsius, salvi erimus ab ira*, idest a vindicta damnationis aeternae, quam propter peccata homines incurrunt: *Matth. 3. 7. Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?*

Deinde cum dicit, *Si enim cum inimici essemus etc.* ostendit necessitatem praedictae consequentiae, quae procedit a minori ad maius, affirmando. Et est ibi observanda duplex comparatio minoris ad maius: una quidem ex parte nostra; alia ex parte Christi. Ex parte quidem nostra comparat inimicos reconciliatis: minus enim videtur quod aliquis benefaciat inimicis quam iam reconciliatis. Ex parte Christi comparat mortem vitae: potentior enim vita eius videtur quam mors: quia, ut dicitur *1. Corinth. ult. 4. mortuus est ex infirmitate*, scilicet carnis nostrae, *sed vivit ex virtute Dei.* Et ideo dicit: Ratione conclusum est quod *multo magis vivificati, salvi erimus per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo*, et hoc *per mortem Filii eius; multo magis* iam nos *reconciliati salvi erimus:* et hoc *in vita ipsius.*

Est autem considerandum, quod homo dicitur inimicus Deo dupliciter. Uno modo, quia contra Deum inimicitiam excercet dum eius mandatis renititur: *Iob 15. 26. Cucurrit adversus Deum erecto collo.* Alio modo per hoc quod Deus homines odio habet: non quidem secundum ipsum quod fecit, quia quantum ad hoc dicitur *Sap. 11. 25. Dilexisti omnia, et nihil odisti eorum quae fecisti;* sed quantum ad hoc quod in homine inimicus homo, idest diabolus, fecit, idest quantum ad peccatum: *Sapient. 14. 9. Similiter odio sunt Deo impius, et impietas eius*, et *Eccli. 12. 3. Altissimus odio habet peccatores.* Subtracta inimicitae causa, scilicet peccato, per Christum, sequitur reconciliatio per ipsum: *2. Corinth. 5. 19. Deus erat in ipso, mundum reconcilians sibi.* Peccatum autem nostrum sublatum est per mortem Filii eius.

Circa quod considerandum est, quod mors Christi tripliciter considerari potest. Uno modo secundum ipsam rationem mortis; et sic dicitur *Sap. 1. 13. Deus mortem non fecit*, in humana natura, sed per peccatum inducta. Et ideo mors Christi ex communi mortis ratione non fuit sic Deo accepta ut per ipsam reconciliaretur: quia Deus non laetatur in perditione vivorum, ut dicitur *Sap. 1.* Alio modo potest mors Christi considerari secundum quod est in actione occidentium, quae maxime Deo displicuit: unde contra eos Petrus dicit *Act. 3. 14. Vos sanctum, et iustum negastis, et petistis homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interfecistis.* Unde mors Christi sic considerata non potuit esse reconciliationis causa, sed magis indignationis. Tertio modo potest considerari secundum quod processit ex voluntate Christi patientis; quae quidem voluntas informata fuit ad mortem sustinendam cum ex obedientia ad Patrem: *Philip. 2. 8. Factus est obediens Patri usque ad mortem:* tum etiam ex caritate ad homines: *Ephes. 5. 2. Dilexit nos, et tradidit se pro nobis.* Et ex hoc mors Christi fuit meritoria, et satisfactoria pro peccatis nostris, et intantum Deo accepta quod suffecit ad reconciliationem omnium hominum, etiam occidentium Christum, ex quibus aliqui sunt salvati ipso orante, quando dixit *Lucae 23. 34. Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Deinde cum dicit, *Non solum autem etc.* ostendit quae bona iam re consequimur per gratiam dicens: *Non solum autem gloriamur* in spe gloriae quam in futuro expectamus, *sed in Deo*, idest in hoc quod sumus etiam nunc Deo coniuncti per fidem, et caritatem: *1. Corinth. 1.* et *2. Corin. 10. 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et hoc quidem *per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem* etiam nunc in praesenti tempore *reconciliationem accepimus*, ut de inimicis facti simus amici: *Coloss. 1. 20. Per eum placuit reconciliare omnia.* Posset autem et continuari cum eo quod dictum est, *Salvi erimus in vita ipsius* a peccato, et a poena; et non solum salvi erimus a malis, *sed etiam gloriamur in Deo*, idest per hoc quod erimus idem in futuro cum ipso: *Ioan. 17. 22. Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.*

## LECTIO III.

**Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.**

Postquam Apostolus ostendit quae bona per gratiam Christi consequuti sumus; hic consequenter ostendit a quibus malis per eam liberemur: et circa hoc tria facit: primo enim ostendit quod per gratiam Christi liberati sumus a servitute peccati; secundo ostendit quod per gratiam eius sumus liberati a servitute legis, *7. cap.* ibi, *An ignoratis, fratres . . . quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?* tertio ostendit quod per gratiam Christi liberamur a damnatione, *8. cap.* ibi, *Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur ab originali peccato praeterito; secundo ostendit quod ea tuti, tegimur contra peccata futura, ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo agit de processu peccati; secundo de processu gratiae destruentis peccatum, ibi, *Sed non sicut delictum etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit processum peccati; secundo manifestat, ibi, *Usque ad legem etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit processum peccati; secundo ostendit eius universalitatem, ibi, *Et ita in om-*

*nes homines mors pertransiit.* Circa primum duo facit. Primo ostendit peccati originem; secundo originem mortis, ibi, *Et per peccatum mors.* Dicit ergo primo, quod per Christum reconciliationem accepimus: ita enim a Christo reconciliatio procedit in mundum, *sicut per unum hominem*, scilicet per Adam, *peccatum intravit in hunc mundum: 1. Cor. 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Est autem hic considerandum, quod haeretici Pelagiani, peccatum originale in parvulis esse negantes, haec verba Apostoli dicebant esse intelligenda de peccato actuali: quod quidem secundum eos in hunc mundum intravit per Adam, inquantum omnes peccatum Adae imitantur, secundum illud *Osee 6. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi praevaricati sunt in me.* Sed, sicut dicit Augustinus *de pec. mer. et rem. Lib. 1. cap. 19.*, contra eos, si de introitu peccati actualis, qui est per imitationem, hic Apostolus loqueretur, non diceret peccatum per hominem in hunc mundum intrasse, sed magis per diabolum, quem peccantes imitantur, secundum illud *Sap. 2. 24. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Est ergo intelligendum quod per Adam peccatum in hunc mundum intravit, non solum imitatione, sed etiam propagatione, idest per carnis originem vitiatam, secundum illud *Ephes. 2. 3. Eramus natura filii irae;* et *in Psalm. 50. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Sed videtur hoc esse impossibile, quod per originem carnis peccatum ab uno in alium traducatur. Peccatum enim est in anima rationali, quae non traducitur per originem carnis: tum quia intellectus non est alicuius corporis actus, et ita non potest per virtutem corporalis seminis causari, ut Philosophus dicit *in Libro de Generatione animaliam:* tum etiam quia cum anima rationalis sit quaedam res subsistens, ut puta per se operationem habens, et corpore corrupto non corrumpatur, consequens est quod non generetur corpore generato, sicut aliae formae, quae non possunt per se subsistere, sed potius causatur a Deo. Consequens igitur videtur quod nec peccatum, quod est accidens animae, possit per carnis originem traduci.

Ad hoc autem rationabiliter respondetur, quod licet in semine non sit anima, est tamen in semine virtus dispositiva corporis ad animae receptionem, quae cum corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, eo quod omne receptum est in recipiente per modum recipientis. Et exinde videmus quod filii similantur parentibus, non solum in defectibus corporalibus; sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum, sed etiam in defectibus animae; sicut iracundus iracundum, et amentes ex amentibus nascuntur. Quamvis enim pes, qui est subiectum podagrae, non sit in semine, nec anima, quae est subiectum irae, vel amentiae; est tamen in semine virtus formativa corporalium membrorum, et dispositiva ad animam.

Sed adhuc remanet dubitatio: quia defectus qui ex vitiata origine trahuntur, non habent rationem culpae: non enim merentur poenam, sed magis misericordiam, sicut Philosophus dicit de eo qui nascitur caecus, vel quocumque alio modo aliter orbatus: et hoc ideo quia de ratione culpae est quod sit voluntaria, et in potestate hominis, cui culpa imputatur. Sic igitur si aliquis defectus in nos pervenit per originem primi parentis, non videntur in nobis habere rationem culpae, sed poenae.

Et ideo dicendum est, quod sicut peccatum actuale est peccatum personae, quia per voluntatem personae peccantis committitur; ita peccatum originale est peccatum naturae, quod per voluntatem principii humanae naturae commissum est. Est enim considerandum quod sicut diversa corporis membra partes sunt personae unius hominis, ita omnes homines sunt partes, et quasi quaedam membra humanae naturae. Unde et Prophyrius dicit *cap. de specie*, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo. Videmus autem quod actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum, vel pedem, non habet rationem culpae ex voluntate manus, vel pedis, sed ex voluntate totius hominis, a quo sicut a quodam principio derivatur motus peccati ad singula membra. Et similiter a voluntate Adae, qui fuit principium humanae naturae, tota inordinatio naturae habet culpae rationem in omnibus ad quos pervenit, quantum ad hoc quod susceptivi sunt culpae. Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum personae, trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem, ita peccatum originale trahitur ad singulos homines per actum naturae, qui est generatio. Et ita sicut per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humanae naturae, qui est consequutus ex peccato primi parentis. Est autem hic defectus carentia originalis iustitiae, quae erat primo homini divinitus collata, non solum ut erat persona quaedam singularis, sed etiam ut erat principium humanae naturae, ut scilicet eam simul cum natura in posteros traduceret. Et ideo simili modo amissionem huius originalis iustitiae per peccatum ad posteros transmittit, habentem in eis rationem culpae, ratione iam dicta. Et ideo dicitur, quod in processu originalis peccati persona infecit naturam, scilicet Adam peccans vitiavit humanam naturam; sed postmodum in aliis natura vitiata inficit personam, dum scilicet genito imputatur ad culpam naturae vitium propter voluntatem primi parentis, ut dictum est. Ex hoc autem patet quod licet primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros, alia tamen eius peccata, vel etiam aliorum hominum, in filios non traducuntur: quia per solum primum peccatum sublatum est bonum naturae, quod erat per originem naturae traducendum; per alia vero peccata subtrahitur bonum gratiae personalis, quod non transit ad alios posteros: et inde etiam est quod quamvis peccatum Adae deletum fuerit per suam poenitentiam, iuxta illud *Sapient. 10. 2. Eduxit illum a delicto suo;* non tamen eius poenitentia delere potuit peccatum posterorum: quia eius poenitentia fuit per actum personalem, quia ultra eius personam non se extendebat. Et propter hoc est unum tantum originale peccatum: quia solus defectus consequens primum peccatum originaliter derivatur ad posteros. Et ideo Apostolus singulariter dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit:* non autem dixit pluraliter peccata, quod fuisset dicendum, si de actualibus loqueretur. Dicitur autem quandoque pluraliter, Peccata originalia, sicut *in Psalm. 50. 7. In peccatis*

*concepit me mater mea:* quia continet virtualiter multa peccata, inquantum ex corruptione fomitis inclinamur ad multa peccata.

Sed videtur quod peccatum originale non intraverit in hunc mundum per unum hominem, scilicet Adam, sed magis per unam mulierem, scilicet Evam, quae primo peccavit, secundum illud *Eccli. 25. 33. A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur.*

Ad hoc respondetur in Glossa dupliciter. Uno modo quia consuetudo Scripturae est ut genealogiae non per mulieres, sed per viros texantur, sicut patet *Matth. 1.* et *Luc. 3.* Et ideo Apostolus hic volens quasi genealogiam quamdam peccati ostendere, non fecit mentionem de muliere, sed solum de viro. Alio modo quia etiam mulier de viro sumpta est; et ideo quod est mulieris, attribuitur viro. Potest enim alio modo dici, et melius, quod cum peccatum originale traducatur simul cum natura, sicut dictum est; sicut per virtutem activam viri, muliere materiam ministrante, natura traducitur, ita et peccatum originale. Unde si Adam non peccasset, Eva peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros. Illa enim est causa quare Christus peccatum originale non traxit, quia ex sola femina sine virili semine carnem accepit.

Per hoc verbum Apostoli Augustinus *cont. Iulian. lib. 3. cap. 24.* respondet Iuliano haeretico in hunc modum quaerenti: *Non peccat iste qui nascitur, non peccat iste qui genuit, non peccat ille qui condidit: per quas igitur rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum fingis ingressum?* Sed Augustinus *de nupt. et concup. lib. 2. cap. 28.* respondet: *Quid quaeris latentem rimam, cum habeas apertissimam ianuam? Nam, secundum Apostolum, per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Consequenter tangit ingressum mortis in mundum, cum dicit, *Et per peccatum mors*, scilicet in hunc mundum intravit, secundum illud *Sap. 1. 15. Iniustitia mortis est acquisitio.*

Videtur autem quod mors non sit ex peccato, sed magis ex natura, utpote proveniens ex necessitate materiae: est enim corpus humanum ex contrariis compositum: unde est naturaliter corruptibile.

Dicendum est autem, quod natura humana dupliciter potest considerari. Uno modo secundum principia intrinseca; et sic mors est ei naturalis: unde Seneca dicit *in Lib. de Rem. fortuit.* quod mors natura est hominis, non poena. Alio modo potest considerari natura hominis secundum quod per divinam providentiam fuit ei per iustitiam originalem provisum: quae quidem iustitia erat quaedam rectitudo, ut mens hominis esset sub Deo, et inferiores vires essent sub mente, et corpus sub anima, et omnia exteriora sub homine; ita scilicet quod quamdiu mens hominis Deo subderetur, vires inferiores subderentur rationi, et corpus animae, indeficienter ab ea vitam recipiens, et exteriora homini, ut scilicet omnia servirent, et nullum ex eis nocumentum sentiret. Hoc autem providentia divina disposuit propter dignitatem animae rationalis, quae cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus. Sed quia corpus, quod est ex contrariis compositum, oportebat esse organum sensus, et tale corpus secundum naturam suam incorruptibile esse non potest; supplevit potentia divina quod deerat naturae humanae, dans animae virtutem continendi corpus incorruptibiliter: sicut faber si posset, daret ferro ex quo cultellum fabricat, virtutem ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo postquam mens hominis per peccatum est a Deo aversa, amisit virtutem continendi inferiores vires, et etiam corpus, et exteriora; et sic incurrit mortem naturalem a causis intrinsecis, et violentiam ab exterioribus nocumentis.

Deinde cum dicit, *Et ita in omnes homines mors pertransiit*, ostendit universalitatem huius processus et quantum ad mortem, et quantum ad peccatum; ordine tamen retrogrado: nam supra prius egit de ingressu peccati, qui est causa ingressus mortis; nunc autem prius agit de universalitate mortis, tamquam de manifestori; et hoc est quod dicit: *Et ita mors*, vel peccatum primi parentis, *pertransiit in omnes*, quia scilicet per originem vitiatam contrahunt homines necessitatem moriendi: *2. Reg. 14. 14. Omnes morimur: Psal. 88. 49. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* Deinde tangit universalitatem processus peccati, cum dicit: *In quo omnes peccaverunt:* quod, sicut Augustinus dicit *in Glossa*, potest dupliciter intelligi. Uno modo: *In quo*, scilicet primo homine, vel *in quo* scilicet peccato: quia scilicet eo peccante, quodammodo omnes peccaverunt, inquantum in eo erant sicut in prima sua origine.

Sed cum Christus etiam originem ex Adam traxerit, ut patet *Luc. 3.* videtur quod etiam ipse, eo peccante, peccaverit.

Ad hoc respondet Augustinus *super Genes. ad litteram*, quod Christus non omni modo fuit in Adam quo nos fuimus: nos enim fuimus et secundum corpulentam substantiam, et secundum seminalem rationem; Christus autem fuit in eo solum secundum corpulentam substantiam. Quod quidam male intelligentes putaverunt quod tota substantia corporum humanorum, quae pertinet ad veritatem humanae naturae, fuerit actu in Adam, et per quamdam multiplicationem divina virtute factam, quod sumptum est ab Adam, sit in tanta corporum quantitate ampliatum. Sed hoc est inconveniens opera naturae miraculo attribuere; praesertim quia videmus quod corpus humanum, quantumcumque sit de veritate humanae naturae, corrumpitur, et accipit aliam formam. Unde quia omne generabile est corruptibile, et e converso; oportet dicere quod materia quae ante generationem hominis sub alia forma quam humana fuit, formam humanae carnis assumpserit; et sic non totum quod est in corporibus nostris ad veritatem naturae pertinens, fuit actu in eodem, sed solum secundum originem, prout scilicet effectus est in principio activo. Secundum hoc ergo intelligendum est, quod cum in nostra generatione sit et materia corporalis, quam femina ministrat, et vis activa, quae est in semine maris, utrumque per originem ducitur ab Adam sicut a primo principio. Et ideo dicimur in eo fuisse et secundum rationem seminalem, et secundum corpulentam substantiam: quia scilicet utrumque ab eo processit. In generatione autem Christi fuit corpulenta substantia, quam traxit de virgine, loco autem rationis seminalis fuit virtus activa Spiritus sancti, quae non derivatur ab Adam; et ideo non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed

tantum secundum substantiam corpulentam. Sic igitur nos accipimus peccatum ab Adam, et trahimus; atque naturam humanam ab eo accipimus, sicut a principio activo, quod est esse in eo secundum seminalem rationem: quod quidem non competit Christo, ut dictum est.

Videtur ulterius quod peccatum originale non transeat in omnes: quia baptizati a peccato originali purgantur per baptismum; et ita videtur quod non possint in posteros peccatum transmittere, quod non habent.

Dicendum est autem, quod per baptismum homo liberatur a peccato originali quantum ad mentem; sed remanet peccati infectio quantum ad carnem: unde *infra 7. 25.* dicit Apostolus: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Homo autem non generat mente carnales filios, sed carne; et ideo non transmittit novitatem Christi, sed vetustatem Adae.

## LECTIO IV.

**Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur cum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.**

Postquam Apostolus ostendit originem peccati, et mortis, sive ingressum utriusque in mundum; hic manifestat quod dixerat: et primo manifestat ipsum dictum; secundo manfestat similitudinem quam innuebat, dicens, ibi, *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit;* tertio exponit similitudinem, ibi, *Qui est forma futuri.* Dixerat autem quod peccatum, et mors in omnes transierunt; et hoc quidem secundum expositionem Augustini manifestare intendit per hoc quod etiam sub lege peccatum remansit, quasi lege illud excludere non valente. Circa quod duo facit. Primo manifestat propositum quantum ad peccatum; secundo quantum ad mortem, ibi, *Sed regnavit mors.* Circa primum duo facit. Primo ostendit peccatum fuisse etiam sub lege; secundo quid circa peccatum lex facit, ibi, *Peccatum autem non imputabatur etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod omnes peccaverunt in Adam, quia nec etiam lex peccatum abstulit: *usque ad legem enim*, idest etiam sub lege, ut ly *usque* teneatur inclusive, *peccatum erat in mundo:* quod quidem potest intelligi et de lege naturae, et de lege Moysi; similiter et de peccato actuali, et de peccato originali. Peccatum enim originale erat in parvulo usque ad legem naturae, idest usque ad usum rationis, per quem homo huiusmodi leges advertit: *Psalm. 50. 7. In peccatis concepit me mater mea.* Nec tamen cessat hoc peccatum, lege naturali adveniente, in homine, sed magis exercscit per additionem peccati actualis: quia, ut dicitur *Eccle. 7. 21. non est homo iustus in terra qui faciat bonum, et non peccet.* Sed si intelligamus de lege Moysi, tunc quod dicitur, peccatum fuisse in mundo usque ad legem, potest intelligi non solum de originali, sed etiam de actuali: quia et ante legem, et sub lege peccatum utrumque permansit: *Proverb. 20. 9. Quis potest dicere: Mundum est cor meum?* Quamvis autem lex peccatum non auferret, peccati tamen cognitionem fecit, quod antea non cognoscebatur: unde subdit: *Peccatum autem non imputabatur:* quod quidem planum est, si intelligatur de lege naturali. Quamvis enim peccatum originale sit in parvulo ante legem naturalem, et reputetur ei a Deo, non tamen imputatur ei apud homines. Si autem intelligatur de lege Moysi, planum est, quantum ad aliqua peccata actualia, quod non imputabantur ante legem, sicut illa quae specialiter sunt per legem prohibita, quae homines peccata non reputabant, sicut quod dicitur *Exod. 20. 17. Non concupisces etc.* Imputabantur tamen quaedam peccata, prout erant contra legem naturae. Unde et *Gen. 39.* Ioseph legitur in carcerem missus propter adulterium sibi impositum.

Consequenter agit de morte, dicens: Quamvis peccata ante legem non imputarentur, tamen *mors*, scilicet spiritualis, idest peccatum, vel aeterna damnatio, de qua dicitur *in Psal. 33. 22. Mors peccatorum pessima, regnavit*, idest potestatem suam exercuit in homines, ducendo eos in damnationem, *ab Adam*, per quem peccatum intravit in mundum, *usque ad Moysem*, sub quo data est lex: *Ioan. 1. 17. Lex per Moysem data est;* non solum in eos qui peccaverunt actualiter, sed *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, qui actualiter peccavit: *Osee 6. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi praevaricati sunt in me:* quia etiam pueri damnationem incurrebant. Potest etiam et sub hoc sensu intelligi de morte corporali, per quam manifestatur peccatum fuisse etiam cum non imputabatur; quasi dicat: *Peccatum autem non imputabatur* ante legem; sed ex hoc deprehenditur fuisse, quia *regnavit mors*, scilicet corporalis: primo quidem aliquas passiones inducendo, puta famem, et sitim, et aegritudinem; et tandem totaliter dissolvendo: *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, idest in pueros, qui non peccaverunt actualiter: quoniam etiam isti mortem corporalem antea, et postea patiuntur, secundum illud *Psal. 88. 49. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?*

Ambrosius autem aliter ista verba exposuit, scilicet de peccato actuali tantum, et de lege Moysi; et secundum eum inducuntur haec verba ad manifestandum quod per primum parentem peccatum in hunc mundum intravit, et in omnes transivit: *usque enim ad legem*, idest ante legem Moysi, *peccatum erat in mundo*, scilicet peccatum actuale: homines enim multipliciter peccabant contra legem naturae: unde dicitur *Genes. 13. 13. Homines Sodomitae pessimi erant. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset:* quod est intelligendum non quin imputaretur quasi puniendum apud homines, cum quidem legantur ante legem puniti ab hominibus pro peccatis, ut patet *Gen. 29. et 40.* sed non imputabatur quasi a Deo puniendum: tunc enim non credebant homines quod Deus humana facta vel puniret, vel praemiaret, secundum illud *Iob 22. 14. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat.* Sed postea lege divinitus data innotuit quod peccata imputantur a Deo ad poenam, et non solum ab hominibus. Et ideo quia homines non credebant se puniendos a Deo pro peccatis, libere et

absque freno peccabant, ubi humanam iudicium non timebant. Et ideo subdit: *Sed mors*, idest peccatum, *regnavit*, idest omnimodam suam potestatem exercuit, *ab Adam usque ad Moysem*, exclusive: nam per Moysem data est lex, quae incepit regnum peccati diminuere, incutiens timorem divini iudicii, secundum illud *Deuter. 5. 29. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea?* Regnavit, inquam, peccatum usque ad Moysem, non tamen in omnes, sed *in eos qui peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Dicit enim Ambrosius, in libris antiquis non inveniri hanc negationem *non*, unde credit a corruptoribus appositam. Adam quippe magis credidit promissioni diaboli, quam commonitioni divinae, ut patet *Gen. 3.* et ita quodammodo diabolum praetulit Deo. Sic igitur in similitudinem praevaricationis Adae praevaricantur idolatrae, qui, relicto Dei cultu, diabolum colunt. In tales ergo mors, idest peccatum, totaliter regnavit, quia eos omnino possedit. Fuerunt autem ante legem Moysi veri Dei cultores, qui etsi peccarent, non tamen peccatum in eis regnabat: quia non totaliter eos a Deo separabat; sed peccabant sub Deo, idest sub fide unius Dei, etiam si peccarent mortaliter; vel sub caritate Dei, cum peccabant venialiter.

Ex utraque harum expositionum potest conflari tertia, quae magis videtur ad intentionem Apostoli pertinere. Dixerat enim, quod *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Et quia peccatum est transgressio legis divinae, posset alicui videri quod hoc non esset verum quantum ad tempus ante legem; praesertim cum *supra 4. 15.* dixerat: *Ubi non est lex, nec praevaricatio.* Et ideo posset aliquis credere, quod non per unum hominem peccatum in mundum intravit, sed magis per legem. Et ideo ad hoc excludendum dicit, quod *usque ad legem*, idest tempus ante legem, *peccatum erat in mundo*, et originale, et actuale; non tamen erat peccatum cognitum, praesertim quasi a Deo puniendum; et hoc est quod subdit: *Peccatum autem non imputabatur*, scilicet quasi contra Deum existens, *cum lex*, scilicet divinitus, *data non esset.* Fuerunt enim aliqui, ut dicit Philosophus *in 5. Ethic. cap. 8.* qui crediderunt quod nihil est iustum naturaliter, et per consequens nec iniustum, sed per solam positionem legis humanae; et secundum hoc non imputabatur aliquod peccatum, quasi contra Deum existens, et praecipue peccatum originale, idest non cognoscebatur. Sed quod ista reputatio hominum esset falsa, ostenditur per effectum: quia mors corporalis regnavit ab Adam, per quem intravit originale peccatum in mundum, usque ad Moysem, sub quod data fuit lex: et ita cum mors sit effectus peccati, praecipue originalis, manifestum est quod ante legem fuit peccatum originale in mundo. Et ne aliquis dicat quod moriebantur propter peccata actualia, ad hoc excludendum dicit, quod *regnavit etiam in eos qui non peccaverunt*, proprio actu, scilicet pueros, et etiam in iustos qui non peccaverunt mortaliter; qui tamen peccaverunt in primo homine, ut supra dictum est. Et ideo subdit, *In similitudinem praevaricationis Adae*, inquantum similitudinem illius peccati traxerunt per originem simul cum similitudine naturae; quasi dicat: Quod moriebantur absque proprio peccato, demonstrat quod in eis erat diffusa similitudo peccati Adae per originem. Et hoc est quod Apostolus manifestare intendit, scilicet quod per Adam peccatum originale in mundum intravit.

Deinde cum dicit, *Qui est forma futuri*, exponit similitudinem, quae intelligebatur in adverbio *sicut:* unde dicit: *Qui*, scilicet Adam, *est forma*, idest figura quaedam, *futuri*, idest Christi, tamen per contrarium: nam sicut per Adam peccatum, et mors in mundum intravit, ita per Christum intravit iustitia, et vita: *1. Corinth. 15. 47. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.* Sunt autem et aliae similitudines inter Christum et Adam, quod scilicet sicut corpus Adae formatum fuit sine coitu, ita et corpus Christi de virgine; et sicut de latere Adae dormientis sumpta est mulier, ita ex latere Christi dormientis in cruce fluxit sanguis et aqua, ut dicitur *Ioan. 19.* quae significant sacramenta, quibus est formata Ecclesia.

## LECTIO V.

**Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum, in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes in vita, regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi.**

Postquam Apostolus posuit ingressum peccati in hunc mundum; hic agit de progressu gratiae abolentis peccatum: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo per Christi gratiam remotum est peccatum, quod per unum hominem in mundum intravit; secundo ostendit quomodo per gratiam Christi peccatum est remotum, quod lege adveniente superabundaverat, ibi, *Lex autem subintravit etc.* Ostendit autem quod per gratiam Christi removetur peccatum per Adam introductum in mundum, comparando gratiam Christi peccato Adae: quia scilicet plus potest gratia Christi in bono, quam peccatum Adae in malo. Et circa hoc duo facit. Primo comparat ipsas causas, scilicet gratiam Christi peccato Adae; secundo ponit comparationem earum quantum ad effectus, ibi, *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum.* Circa primum duo facit. Primo proponit comparationem; secundo manifestat eam, ibi, *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum.... in plures abundavit.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod Adam est forma futuri; *sed non sicut delictum, ita et donum;* quasi dicat: Non est aestimandum quod tantae effica-

ciae sit delictum Adae, quantae est efficaciae donum Christi. Cuius ratio est ista: quia peccatum procedit ex infirmate voluntatis humanae, gratia autem procedit ex immensitate bonitatis divinae; quam manifestum est voluntati humanae, praesertim infirmae, praeferri: et ideo virtus gratiae Dei excedit omne peccatum. Et idcirco dicebat David *Psal. 50. 1. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Et propter hoc iuste reprobatur verbum Cain *Genes. 4. 13.* dicentis: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Deinde cum dicit, *Si enim unius hominis delicto multi mortui sunt etc.* manifestat quod dixerat, scilicet quod donum gratiae excedit delictum Adae dicens: *Si enim delicto unius*, scilicet Adae, *multi mortui sunt*, idest si ex delicto Adae peccatum, et mors transivit in multos alios, quia in omnes qui in eo peccaverunt, *multo magis gratia Dei, et donum*, idest gratuitum Dei donum, ut ly *et* expositive teneatur: vel gratia Dei refertur ad remissionem peccati: supra eodem: *Iustificati gratis per gratiam ipsius:* donum autem refertur ad bona superaddita ultra remissionem peccatorum, ut dicitur *Psal. 67. 19.* secundum aliam litteram: *Dedit Dominus dona hominibus; multo*, inquam, *magis* huiusmodi gratia, et donum, *abundavit in plures*, idest in multos: quanto enim aliquid est potentius, tanto magis se potest ad multa extendere. Peccatum autem Adae ad multos se extendit, quod probatur per mortem: unde signanter dicit, quod *unius delicto multi mortui sunt:* mors enim argumentum est peccati originalis, ut *supra* dictum est. Adae dixit Deus *Gen. 2. 17. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gratia igitur Dei, quae est fortior, multo amplius ad multos extenditur: *Hebr. 2. 10. Qui multos filios in gloriam adduxit.* Notandum est autem, quod dicit, *Abundavit*, quia non solum gratia Dei processit in multos ad deletionem peccati per Adam inducti, sed etiam ad peccata actualia delenda, et multa alia bona consequenda: *2. Corint. 9. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Sicut enim peccatum ex uno homine abundavit in multos ex prima suggestione diaboli, ita et gratia Dei per unum hominem processit ad multos: unde signanter addit: *In gratia*, idest per gratiam, *unius hominis Iesu Christi.* Sic enim a Deo gratia in multos effunditur ut eam per Christum accipiant, in quo omnis plenitudo gratiarum invenitur, secundum illud *Ioan. 1. 19. De plenitudine eius omnes accepimus; gratiam pro gratia.* Sic autem legenda est littera secundum expositionem Augustini, ut hoc quod dicitur, *Plures*, non accipiatur comparative, sed absolute: et ita vult quod attendatur comparatio quantum ad hoc quod si delictum unius Adae processit in multos, multo magis gratia unius Christi in multos. Sed secundum Ambrosium ly *plures* accipitur comparative, ut sit sensus, quod *delicto*, idest peccato actuali, *unius*, scilicet Adae, *multi*, non omnes, *mortui sunt*, scilicet morte peccati, imitando scilicet peccatum ipsius Adae per idolatriam, ut supra expositum est: *Sap. 15. 10.* dicitur de idolatris: *Infelices autem sunt, et inter mortuos spes eorum.* Et *multo magis gratia Dei abundavit in plures*, scilicet quam idolatris, qui peccaverunt in similitudinem Adae: quia non solum eorum peccata tolluntur per gratiam Christi, sed etiam peccata eorum qui in fide unius Dei permanserunt: *Mich. ult. 19. Deponet iniquitates nostras, et proiiciet omnia peccata nostra.*

Deinde cum dicit, *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum*, comparat Christi gratiam peccato Adae, quantum ad effectum: quia non solum utrumque in multos redundat, sed etiam maiorem effectum habet gratia Christi quam peccatum Adae: et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem;* tertio probat, ibi, *Si enim unius delicto mors regnavit per unum etc.* Dicit ergo primo: Non solum hoc dictum est, scilicet quod Christi gratia magis abundat in multos quam peccatum Adae; sed etiam in eis maiorem effectum facit; et hoc est quod dicit: *Et non sicut per unum peccatum, ita et donum;* quasi dicat: Non tantus effectus sequitur per unum peccatum Adae in multis, quantus consequitur in multis per donum gratiae Christi: potentioris enim causae potentior est effectus. Unde cum dictum sit, gratiam esse potentiorem quam peccatum Adae, consequens est quod maiorem effectum efficiat. Deinde cum dicit, *Nam iudicium quidem ex uno*, manifestat quod dixerat, dicens: *Nam iudicium*, idest divina punitio, procedit *quidem ex uno*, scilicet peccato primi parentis, *in condemnationem*, scilicet omnium hominum, quia in illo peccante peccaverunt, secundum illud quod supra dictum est, quod *mors in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt; gratia autem Dei*, quae datur per Christum, procedit *ex multis delictis*, idest non solum ex illo uno originali, sed etiam ex multis actualibus, *in iustificationem*, idest perfectam emundationem: *1. Corinth. 6. 11. Et haec quidem fuistis aliquando; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Deinde cum dicit, *Si enim unius delicto etc.* probat quod dixerat, scilicet quod gratia Christi procedit ex multis delictis in iustificationem: et primo quidem hoc probat ex posteriori; secundo ex priori, ibi, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis etc.* Circa primum considerandum est, quod Apostolus in praemissa comparatione non ponit sibi respondentia, scilicet res eiusdem generis: nam ex parte peccati ponit condemnationem, quae pertinet ad poenam; ex parte autem gratiae ponit iustificationem, quae non pertinet ad praemium, sed magis ad statum meriti. Sic igitur Apostolus intendit per hoc quod peccatum inducit condemnationem, ostendere quod gratia inducat iustificationem: et utitur tali ratione. Sicut condemnatio mortis procedit ex peccato primi parentis, ita regnum vitae procedit ex gratia Christi: haec enim duo uniformiter sibi correspondent. Sed ad regnum vitae nullus potest pervenire, nisi per iustitiam. Ergo per gratiam Christi homines iustificantur. Primo ergo ponit praemissas; secundo infert conclusionem intentam, ibi, *Igitur sicut per unius delictum etc.* Primam autem propositionem proponit, dicens: *Si enim ex delicto unius* hominis *mors regnavit* per unum hominem: quia, sicut supra eodem dictum est, *per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors: multo magis* homines regnabunt, *in vita*, scilicet aeterna, *per unum Iesum Christum*, qui dicit *Ioan. 10. 10. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*, participando scilicet aeternitatem vitae: quae quidem abundantia

hic per regnum designatur : unde dicitur *Apoc. 20. 6.* quod *regnabunt cum Christo annis mille*, idest aeterno tempore. Minorem autem designat interponendo, *Abundantiam gratiae* Christi, *et donationis, et iustitiae accipientes;* quasi diceret : Ad regnum vitae homines pervenire non possunt, nisi hoc accipiendo ; ita quod gratia Christi referatur ad dimissionem peccati, quam nulla merita praecedere possunt ; et ideo omnino gratiae deputatur : si enim ex operibus, iam non ex gratia, ut dicitur *infra 11.* Quod autem dicitur, *Donationis*, referendum est ad dona gratiarum, quibus homines promoventur in bona: *Esther 2. 18. Largitus est dona iuxta magnificentiam principalem.* Quod autem dicitur, *Iustitiae*, referendum est ad rectitudinem operum : *1. Corinth. 1. 30. Qui factus est nobis a Deo iustitia.* Deinde cum dicit, *Igitur sicut etc.* infert conclusionem intentam, quae idem continet cum eo quod supra praemissum est, videlicet quod *sicut per unius delictum* Adae, divinum iudicium processit *in omnes homines*, qui carnaliter ex eo nascuntur, *in condemnationem mortis ; sic et per unius iustitiam*, scilicet Christi, divina gratia *in omnes homines in iustificationem vitae*, idest quae ducit ad vitam.

Sed videtur hoc esse falsum : non enim omnes homines iustificantur per Christum, sicut omnes homines moriuntur per Adam.

Sed dicendum, quod intelligendum est quod sicut omnes homines qui nascuntur carnaliter ex Adam, incurrunt condemnationem per eius peccatum; ita omnes qui renascuntur spiritualiter per Christum, adipiscuntur iustificationem vitae: quia, ut dicitur *Ioan. 3. 5. nisi quis natus fuerit denuo ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quamvis posset dicit, quod iustificatio Christi transit in iustificationem omnium hominum quantum ad sufficientiam, licet quantum ad efficientiam procedat in solos fideles: unde dicitur *1. Tim. 4. 10. Qui est Salvator omnium hominum, maxime autem fidelium.* Ex hoc autem quod hic dicitur, accipere debemus, quod sicut nullus moritur nisi per peccatum Adae, ita nullus iustificatur nisi per iustitiam Christi: quae quidem est per fidem ipsius, secundum illud quod *supra 3.* dictum est: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt in eum.* In eum autem crediderunt homines, non solum qui sunt post eius incarnationem, sed etiam qui eius incarnationem praecesserunt. Sicut enim nos credimus eum natum, et passum; ita ipsi crediderunt nasciturum, et passurum. Unde eadem est fides nostra et eorum : *2. Corinth. 4. 13. Habentes eumdem fidei spiritum, sicut scriptum est; Credidi, propter quod loquutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur.*

Sic igitur probatum est quod gratia Christi procedit ad multorum iustificationem ex posteriori, scilicet ex regno vitae. Consequenter cum dicit, *Sicut enim etc.* probat idem ex priori. Causae enim similes sunt suis effectibus. Inobedientia autem primi parentis, quae habet rationem iniustitiae, constituit peccatores, et iniustos. Igitur obedientia Christi, quae habet rationem iustitiae, constituit iustos. Et hoc est quod supra dictum est, quod gratia procedit in omnes homines *in iustificationem.*

Sed videtur esse dubium quod dicitur, quod *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, idest omnes qui ab eo nascuntur secundum rationem seminalem. Primum enim eius peccatum videtur fuisse superbia, magis quam inobedientia, secundum illud *Eccli. 10. 15. Initium omnis peccati superbia.*

Sed dicendum est, quod, sicut ibidem dicitur, *initium superbiae facit homines apostatare a Deo :* quia scilicet prima pars superbiae consistit in hoc quod homo non vult subiici praeceptis divinis, quod ad inobedientiam pertinet. Unde primum hominis peccatum fuisse videtur inobedientia, non secundum actum exteriorem, sed secundum interiorem motum superbiae, quo voluit divino praecepto contraire. Unde eius inobedientiam Dominus arguit *Gen. 3. 17. Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.* Obedientia autem hic dicitur secundum quam praecepto Patris obediens, mortem sustinuit pro salute nostra, secundum illud *Phil. 2. 8. Factus est obediens usque ad mortem.* Nec est contrarium quod alibi dicitur, Christus ex caritate mortuus est, ut patet *Ephes. 5.* quia hoc ipsum quod obedivit, processit ex dilectione quam habuit ad Patrem, et ad nos. Et est attendendum, quod per obedientiam, et inobedientiam probat nos per unum peccatores effici, et per unum iustificari: quia iustitia legalis, quae est omnis virtus, attenditur in observatione praeceptorum legis, quod pertinet ad rationem obedientiae; iniustitia autem illegalis, quae est omnis malitia, ut dicitur *5. Ethic.* attenditur in transgressione mandatorum legis, quae pertinet ad rationem inobedientiae. Sic ergo convenienter dicitur, quod per obedientiam constituuntur homines iusti, et per inobedientiam peccatores.

## LECTIO VI.

**Lex autem subintravit, ut abundaret delictum, Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum.**

Postquam Apostolus ostendit quod per donum gratiae subtrahitur peccatum, quod per Adam in hunc mundum intraverat; hic ostendit quod per gratiam Christi tollitur peccatum, quod lege superveniente abundaverat: et circa hoc duo facit. Primo ponit abundantiam peccati, quae fuit per legem; secundo absolutionem peccati, quae est per gratiam Christi, ibi, *Ubi abundavit delictum etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod per obedientiam unius hominis iusti constituuntur multi, non autem lex hoc facere potuit, sed potius *lex subintravit, ut superabundaret delictum.*

Circa quod Apostoli dictum duplex occurrit dubitatio. Primo quidem de hoc quod dicit legem subintrasse, idest latenter intrasse, post culpam originalem, et actualem, vel post naturalem legem, ut Glossa dicit : non enim lex occulte intravit, sed manifeste data fuit, secundum illud *Isai. 45. 19. Non in abscondito loquutus sum.*

Dicendum est ergo, quod licet ipsa legislatio fuerit data in manifesto, tamen mysteria legis erant in occulto, et praecipue quoad intentionem Dei circa legem ferendam, quae peccatum ostenderet, non sanaret, secundum illud *infra 11. 54. Quis cognovit sensum Domini?* Potest etiam dici quod *lex subintravit*, idest quasi media intravit inter peccatum hominis et donum gratiae Christi, quorum utrumque supra dixerat per unum ad plures transisse.

Secunda autem dubitatio est de hoc quod dicit legem subintrasse, *ut abundaret delictum*: sic enim videtur quod abundantia delicti sit finis legis; et ita sequitur quod lex sit mala: quia cuius finis malus est, ipsum quoque malum est; et hoc est contra illud *1. Tim. 1. 8. Scimus quidem quod lex bona est.*

Ad hoc autem respondetur in Glossa tripliciter. Primo quidem ut dicamus quod ly *ut* non ponitur causaliter, sed consecutive: non enim ad hoc fuit data lex ut peccatum abundaret; quin potius lex, quantum in se fuit, peccatum prohibuit, secundum illud *Psal. 118. 11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Sed lege data consequuta est abundantia delictorum dupliciter. Uno quidem modo quantum ad peccatorum multitudinem: lex enim licet peccatum demonstraret, peccati tamem concupiscentiam non auferebat. Cum autem alicui prohibetur id quod concupiscit, vehementius in concupiscentiam illius exardescit; sicut et fluvius apposito obice fortius fluit, et obicem frangit. Cuius ratio potest esse triplex. Una quidem, quia illud quod subiacet hominis potestati non reputat aliquis pro magno; sed illud quod est extra hominis potestatem, apprehenditur ab homine quasi magnum. Prohibitio autem eius quod concupiscitur, ponit illud quod prohibetur quasi extra hominis potestatem; et ideo concupiscentia magis exardescit in rem concupitam dum prohibetur. Secunda ratio est, quia interiores affectiones quando interius retinentur, ita quod exterius non deriventur, ex hoc ipso magis interius incenduntur; sicut patet in dolore, et ira, quae dum interius clausa tenentur, magis augentur; si autem exterius quo modo procedant, eorum virtus diminuitur. Prohibitio autem propter timorem poenae cogit hominem ut concupiscentiam suam ad exteriora non perducat; et ideo ipsa concupiscentia interius retenta magis inflammatur. Tertia ratio est, quia illud quod non est nobis prohibitum, apprehendimus quasi possibile fieri, quandocumque nobis placuerit, et ideo multoties opportunitate existente illud vitamus; sed quando aliquid est prohibitum, apprehenditur a nobis, ut non semper a nobis haberi possit; et ideo quando opportunitas datur sine timore poenae illud consequendi, promptiores ad hoc sumus. Et inde est quod data lege, quae concupiscentiae usum prohibebat, et tamen ipsam concupiscentiam non mitigabat, concupiscentia ipsa magis ferventer homines ad peccata ducebat: unde dicitur *Ezech. 5. 5. Ista est Hierusalem: in medio Gentium posui eam, et in circuitu eius terras: et contempsit iudicia mea, ut plus esset impia quam Gentes.*

Sed secundum hoc videtur quod omnis lex humana, quae gratiam non confert diminuentem concupiscentiam, faciat abundare peccata; quod est contra intentiones legislatorum, qui ab hoc tendunt, ut cives faciant bonos, ut patet per Philosophum *2. Ethic. cap. 1.*

Sed dicendum est, quod alia est intentio legis humanae, et alia legis divinae: lex enim humana refertur ad humanum iudicium, quod est de exterioribus actibus; sed lex divina refertur ad divinum iudicium, quod est de interioribus motibus cordis, secundum illud *1. Reg. 16. 7. Homo videt ea quae parent, sed Deus intuetur cor.* Sic igitur lex humana suam intentionem consequitur, dum per prohibitionem, et poenae comminationem impedit ne multiplicentur exteriores actus peccati, licet concupiscentia interior magis augeatur; sed quantum ad legem divinam etiam interiores concupiscentiae malae imputantur ad peccatum, quae abundant lege prohibente, et non auferente concupiscentiam. Sciendum tamen, quod sicut Philosophus dicit *in 10. Ethic. cap. 11.* prohibitio legis, licet illos qui sunt male dispositi, cohibeat ab exterioribus peccatis solo poenae timore; quosdam tamen bene dispositos inducit per amorem virtutis. Sed ista bona dispositio quantum ad aliquid potest esse a natura, sed eius perfectio non est nisi per gratiam, ex qua contingit quod etiam lege veteri data, non in omnibus peccatum abundat, sed in pluribus; quidam vero lege prohibente, et gratia ulterius adiuvante, ad perfectionem virtutum tandem pervenerunt, secundum illud *Eccli. 44. 1. Laudemus viros gloriosos*, et *infra 5. Homines magnos virtute.* Secundo superabundavit delictum lege superveniente, quantum ad gravitatem reatus: gravius enim fuit peccatum, ubi accessit praevaricatio, non tantum legis naturae, sed etiam legis scriptae: unde *supra 4. 15.* dictum est, quod *ubi non est lex, nec praevaricatio.* Secundo autem potest responderi, ut dicatur quod ly *ut* teneatur causaliter: ita tamen quod loquatur Apostolus de abundantia delicti, secundum quod est in nostra cognitione, ut sit sensus: *Lex subintravit ut abundaret delictum*, idest ut abundantius delictum cognosceretur, secundum modum loquendi quo dicitur aliquid fieri, cum innotescit. Unde supra dictum est, quod *per legem est cognitio peccati.* Tertio modo potest exponi ita, quod ly *ut* teneatur causaliter; ita tamen quod abundantia delicti non intelligatur finis legis subintrantis, sed id quod ex abundantia delicti sequitur, scilicet humiliatio hominis: lege enim subintrante abundavit delictum, ut dictum est in prima expositione: ex qua quidem delicti abundantia consecutum est quod homo infirmitatem suam recognoscens humilietur. Dicebat enim homo superbus, de viribus suis praesumens: Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat, secundum illud *Exod. 24. 7. Omnia quae loquutus est Dominus, faciemus, et ei obediemus.* Sed quando lege data, consequuta est multitudo delictorum, homo suam infirmitatem cognovit ad observantiam legis, secundum illud *Sap. 9. 5. Infirmus homo, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii, et legum.* Intentio ergo Dei legem dantis non terminatur ad abundantiam peccatorum, sed ad humilitatem hominis, propter quam permisit abundare delicta. Sic ergo quia hoc erat occultum, signanter quantum ad hoc dicit, quod *lex subintravit.*

Quia vero hic agitur de lege, et fine legis, duo consideranda occurrunt. Primo quidem quot modis lex dicatur; secundo quis sit finis legis.

Circa primum sciendum est, quod lex uno modo dicitur tota Scriptura veteris testamenti, secundum illud *Ioan. 15. 25. Ut impleatur sermo eorum, qui in lege eorum scriptus est, et quia odio habuerunt me gratis;* cum tamen hoc scriptum sit in Psalmis. Quandoque vero dicitur lex Scriptura quinque librorum Moysis, secundum illud *Deut. 33. 4. Legem praecepit nobis Moyses.* Tertio dicitur Decalogus praeceptorum, secundum illud *Exod. 24. 12. Dabo tibi duas tabulas lapideas, et legem, ac mandata quae scripsi, ut doceas.* Quarto dicitur lex tota continentia caeremonialium, secundum illud *Hebr. 10. 1. Umbram habens lex futurorum boncrum.* Quinto dicitur lex aliquod speciale praeceptum caeremoniale, secundum illud *Lev. 7. 11. Haec est lex hostiae pacificorum.* Sumitur autem hic lex communiter ab Apostolo quantum ad totam doctrinam legis Moysi, idest quantum ad moralia, et caeremonialia praecepta: quia scilicet per caeremonias legis non dabatur gratia, per quam homo adiuvaretur ad implenda praecepta moralia, concupiscentia diminuta.

Circa finem autem legis sciendum est, quod in populo Iudaeorum tria fuerunt hominum genera, sicut et in quolibet alio populo, scilicet duri, idest peccatores et rebelles, proficientes, et perfecti. Quantum igitur ad duros, lex fuit data in flagellum, et quantum ad praecepta moralia, ad quorum observantiam cogebantur per poenae comminationem, ut patet *Levit. 2.* et quantum ad caeremonialia, quae ideo sunt multiplicata, ne liceret eis diis alienis alium cultum superaddere, *Ezech. 20. 34. In manu valida, et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.* Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in paedagogum, secundum illud *Gal. 3. 24. Lex paedagogus noster fuit in Christo.* Et hoc quantum ad caeremonialia, quibus continebantur in divino cultu, et quantum ad moralia, quibus ad iustitiam promovebantur. Perfectis autem fuit quantum ad caeremonialia quidem in signum, secundum illud *Ezech. 20. 12. Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos:* quantum ad moralia vero in solatium, secundum illud *infra 7. 22. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.*

Deinde cum dicit, *Ubi abundavit delictum etc.* ostendit quomodo per gratiam tollitur abundantia delictorum: et primo ponit gratiae abundantiam; secundo ostendit abundantis gratiae effectum, ibi, *Ut sicut regnavit peccatum etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod lege subintrante, *abundavit delictum;* nec tamen propter hoc impeditur divinum propositum de salute Iudaeorum, et totius humani generis: quia *ubi abundavit delictum*, scilicet in humano genere, et specialiter in Iudaeis, *superabundavit et gratia*, scilicet Christi condonantis peccata: *2. Corinth. 9. 8. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Eius autem quod hic dicitur, duplex ratio assignari potest. Una quidem ex effectu gratiae. Sicut enim magnitudinem morbi non sanat nisi fortis et efficax medicina; ita requirebatur abundans gratia ad hoc ut sanaret abundantiam delictorum: *Luc. 7. 47. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit mundum.* Alia ratio sumi potest ex dispositione peccantis, qui dum magnitudinem peccatorum suorum recognoscit, quandoque quidem desperat, et contemnit, secundum illud *Prov. 18. 3. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit:* quandoque vero per auxilium divinum, ex consideratione suorum peccatorum magis humiliatur, et maiorem consequitur gratiam, secundum illud *Psal. 15. 4. Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

Deinde cum dicit, *Ut sicut regnavit peccatum in mortem etc.* ostendit effectum gratiae abundantis: qui quidem est per oppositum respondens effectui peccati: *ut* scilicet *sicut peccatum* introductum per primum hominem, et abundans per legem, *regnavit*, idest plenum dominium in homines obtinuit, et hoc quousque duceret eos *in mortem* temporalem, et aeternam, *infra 6. 23. Stipendia peccati mors: ita et gratia Dei regnet*, idest plene dominetur in nobis, *per iustitiam*, quam scilicet in nobis facit: supra eodem: *Iustificati gratis per gratiam ipsius:* et hoc quousque nos ducat *in vitam aeternam*, secundum illud *infra 6. 23. Gratia Dei vita aeterna:* et totum est *per Iesum Christum Dominum nostrum*, qui est dator gratiae, secundum illud *Ioan. 1. 17. Gratia, et veritas per Iesum Christum facta est:* et etiam iustitia: *1. Corinth. 1. 30. Qui factus est nobis iustitia a Deo:* et dator vitae aeternae: *Ioan. 10. 28. Ego vitam aeternam do eis.*

## CAPITIS SEXTI

### LECTIO PRIMA.

Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato praeterito, tam introducto per primum hominem, quam etiam abundante per legem; hic ostendit quod per gratiam Christi datur nobis facultas ad resistendum peccatis futuris: et circa hoc duo facit. Primo ponit quaestionem ex praemissis ortam; secundo solvit eam, ibi, *Absit etc.* Dixerat autem *supra 5. 20.* quod *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia:* quod quidem aliquis posset male intelligere, quasi abundantia delicti esset causa superabundantiae gratiarum; et ideo inducit quaestionem, dicens: *Quid ergo dicemus? Numquid permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Quod quidem oporteret dicere, si abundantia delicti esset causa gratiae abundantis, et non sola occasio, ut supra dictum est. Unde et *supra 3. 8.* Apostolus dicit: *Sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, ut eveniant bona: Hier. 12. 1. Bene est omnibus qui praevaricantur, et inique agunt.*

Deinde cum dicit, *Absit etc.* solvit inductam quae-

stionem: et primo assignat rationem quare non est nobis permanendum sub peccato ; secundo concludit exhortationem intentam, ibi, *Non ergo regnet peccatum.* Circa primum duo facit. Primo assignat rationem quare non sit in peccato permanendum; secundo ostendit nobis inesse facultatem ad hoc quod non sub peccato maneamus, ibi, *Hoc scientes etc.* Circa primum ponit talem rationem. Si sumus mortui peccato, non debemus vivere in illo. Sed mortui sumus peccato. Ergo non debemus vivere in peccato. Circa hoc ergo quatuor facit. Primo ponit conditionalem ; secundo probat antecedens, ibi, *An ignoratis etc.* tertio concludit consequens, ibi, *Ut quomodo Christus surrexit etc.* quarto probat necessitatem consequentiae, ibi, *Si enim complantati facti sumus similitudini morti eius, et resurrectionis erimus.* Dicit ergo primo: *Absit*, scilicet quod hac intentione permanendum sit in peccato, *ut gratia abundet:* quia, ut dicitur *Eccli. 15. 21. nemini mandavit Deus impie agere.* Et huius ratio est. *Si enim mortui sumus peccato*, per hoc scilicet quod peccatum est mortificatum in nobis , *quomodo adhuc in illo vivemus ?* Non enim naturalis ordo rerum habet ut e morte redeatur ad vitam: *Isai. 26. 14. Morientes non vivant, gigantes non resurgant: Cant. 5. 3. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Deinde cum dicit, *An ignoratis?* probat antecedens , scilicet quod fideles sunt mortui peccato : et primo proponit medium ad propositum ostendendum; secundo manifestat medium inductum, ibi, *Consepulti enim sumus etc.* Dicit ergo primo: *An ignoratis?* quasi dicat : Quod vobis proponendum est , est adeo manifestum , quod illud vobis ignorare non licet: *1. Corinth. 14. 38. Si quis ignorat, ignorabitur:* quia *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu:* quod intelligitur tripliciter. Uno modo secundum institutionem Iesu Christi: *Matth. ult. 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii , et Spiritus sancti.* Secundo per invocationem Iesu Christi : *Act. 8. 12. In nomine Iesu Christi baptizantur viri , ac mulieres.* Tertio *in Christo Iesu* , idest in quadam conformitate ad Christum Iesum: *Galat. 3. 27. Quicumque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. In morte ipsius baptizati sumus,* idest in similitudinem mortis eius , quasi ipsam mortem Christi in nobis repraesentantes : *2. Corinth. 2. 10. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes : Galat. ult. 17. Stigmata Iesu in corpore meo porto.* Vel *in morte ipsius*, idest per virtutem mortis eius : *Apoc. 1. 5. Lavit nos a peccatis nostris.* Unde de latere Christi pendentis in cruce post mortem fluxit sanguis, et aqua , ut dicitur *Ioan. 19.* Sicut igitur eius morti configuramur, inquantum peccato morimur; sic ipse mortuus est vitae mortali , in qua erat similitudo peccati, licet non esset ibi peccatum. Ergo omnes qui baptizati sumus, mortui sumus peccato. Deinde cum dicit, *Consepulti enim sumus etc.* probat propositum medium , scilicet quod omnes baptizemur in conformitate ad mortem Christi , dicens : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem;* quasi dicat: Sepultura non nisi mortuis debetur: *Matth. 8. 22. Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Per baptismum autem homines sepeliuntur Christo, idest conformantur sepulturae ipsius. Sicut enim ille qui sepelitur , ponitur sub terra , ita ille qui baptizatur , immergitur sub aqua: unde et in baptismo fit trina immersio, non solum propter fidem Trinitatis, sed etiam ad repraesentandum triduum sepulturae Christi. Et sicut triduum sepulturae non facit nisi unam sepulturam, ita trina immersio non facit nisi unum baptisma. Et inde etiam est quod in sabbato sancto solemnis baptismus in Ecclesia celebratur , quando commemoratur sepultura Christi; sicut et in vigilia Pentecostes, quando solemnizatur de Spiritu sancto, ex cuius virtute aqua baptismi accipit vim purgandi, ut dicitur *Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua , et Spiritu sancto , non potest introire in regnum Dei.*

Est tamen considerandum, quod corporaliter aliquis prius moritur , et postea sepelitur; sed spiritualiter sepultura baptismi causat mortem peccati : quia sacramentum novae legis efficit quod signat. Unde cum sepultura , quae fit per baptismum , sit signum mortis peccati , mortem efficit in baptizato : et hoc est quod dicit , quod *sumus sepulti in mortem*, ut per hoc ipsum quod signum sepulturae Christi in nobis accipimus , consequamur mortem peccati.

Deinde cum dicit, *Ut quomodo Christus surrexit etc.* infert consequens , scilicet quod non debeamus vivere in peccato. Ad hoc quidem inducit similitudinem ex resurrectione Christi, dicens: *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris* , idest per virtutem Patris , ex qua ipse Pater glorificatur , secundum illud *Psal. 56. 9. Exurge gloria mea; ita et nos in novitate vitae ambulemus* , idest per bona opera vitae procedamus : vita enim peccati vetustatem habet, quia in corruptionem nos ducit : *Hebr. 8. 13. Quod antiquatur, et senescit, prope interitum est.* Unde et dicitur *Baruch 3. 10. Quid est quod in terra inimicorum es ? Inveterasti in terra aliena , coinquinatus es cum mortuis.* Unde et novitas vitae dicitur per quam aliquis redit ad integritatem , ut scilicet sit sine peccato : *Psal. 102. 5. Renovabitur ut aquila iuventus tua : Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestrae.* Deinde cum dicit, *Si enim*, probat necessitatem consequentiae. Christus enim postquam fuit mortuus , resurrexit : unde conveniens est ut illi qui conformantur Christo quantum ad mortem in baptismo , conformentur etiam resurrectioni eius per innocentiam vitae: et hoc est quod dicit : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius* , idest si in nobis assumamus similitudinem mortis eius, ut ei incorporemur, sicut ramus qui inseritur plantae, ut quasi nos in ipsa passionem Christi inseramur; *simul et resurrectionis erimus* , scilicet similitudini eius complantati , ut scilicet in praesenti innocenter vivamus , et in futuro ad similem gloriam perveniamus : *Philip. 3. 21. Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae : 2. Tim. 11. 11. Si commortui sumus, et convivemus.* Sic igitur sicut Apostolus per similitudinem mortis Christi probavit quod sumus mortui peccato , quod praemiserat quasi antecedens ; sic per similitudinem resurrectionis eius probavit quod non debemus vivere in peccato , quod quasi consequens superius introduxit.

## LECTIO II.

Hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu.

Postquam Apostolus ostendit quod non est nobis in peccato permanendum, ex eo quod per baptismum mortui sumus peccato; hic ulterius ostendit adesse nobis facultatem ad hoc observandum: et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Qui enim mortuus est etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit beneficium quod consequuti sumus; secundo huius beneficii effectum, ibi, *Ut destruatur corpus peccati.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod debemus in novitate ambulare, scilicet desistendo a peccato. Et ne hoc aliquis forte impossibile diceret, dicit quod sumus *hoc scientes, quia vetus homo noster*, idest vetustas hominis per peccatum inducta, *simul*, scilicet cum Christo, *crucifixus est*, idest per crucem Christi est mortificatus; sicut enim supra dictum est, vetustas hominis per peccatum inducta est, inquantum per peccatum bonum naturae corrumpitur: quae quidem vetustas in homine principatur, quamdiu homo peccato subiacet. Et quia id quod est principale in homine, dicitur esse ipse homo, inde est quod in eo qui peccato subiicitur, ipsa vetustas peccati dicitur esse vetus homo. Vetustas autem peccati potest intelligi vel ipse reatus, seu macula actualium peccatorum; vel etiam consuetudo peccandi, quae quamdam necessitatem ingerit ad peccandum; vel etiam ipse fomes peccati proveniens ex peccato primi parentis. Sic igitur vetus homo noster dicitur esse simul crucifixus cum Christo, inquantum praedicta vetustas virtute Christi sublata est; vel quia totaliter est amota, sicut totaliter amovetur in baptismo reatus, et macula peccati; vel quia diminuitur virtus eius, sicut virtus fomitis, vel etiam consuetudinis peccandi: *Coloss. 2. 14. Delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Deinde cum dicit, *Ut destruatur corpus peccati*, ponit effectum praedicti beneficii duplicem: quorum primus est remotio praecedentium delictorum; et hoc est quod dicit: *Ut destruatur corpus peccati:* dicitur enim corpus peccati ipsa congeries malorum operum; sicut ipsa congeries membrorum facit unum corpus naturale: *Iob 41. 6. Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squammis se prementibus;* secundus autem effectus est ut caveamus a peccatis in futurum; et hoc est quod subdit dicens: *Ut ultra non serviamus peccato:* tunc enim homo peccato servit, quando concupiscentiae peccati obedit per consensum, et corporis executionem: *Ioan. 8. 34. Qui facit peccatum, servus est peccati.*

Deinde cum dicit, *Qui enim mortuus est etc.* manifestat quod dixerat: et primo quantum ad primum effectum; secundo quantum ad secundum, ibi, *Si autem mortui sumus cum Christo.* Circa primum considerandum est, quod congeries peccatorum destruitur quando peccata homini remittuntur. Sic igitur destructionem corporis peccati manifestat dicens: *Qui enim mortuus est*, peccato scilicet per baptismum, quo Christo commoritur, *iustificatus est a peccato*, idest remissis peccatis translatus est in statum iustitiae: *1. Cor. 6. 11. Et haec quidem fuistis aliquando; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Quia igitur per crucem Christi homo peccato moritur, consequens est quod a peccato iustificetur, et ita quod corpus peccati destruatur. Deinde cum dicit, *Si autem mortui sumus etc.* manifestat secundum effectum per conformitatem ad vitam Christi tali ratione. Ille qui Christo morienti commoritur, simul convivit et resurgenti. Christus autem sic resurrexit a mortuis tamquam numquam de cetero moriturus. Ergo ille qui mortificatus est peccato, sic Christo resurgenti convivit quod habet facultatem numquam de cetero ad peccatum redeundi. Circa hoc ergo tria facit. Primo ostendit conformitatem hominis fidelis ad vitam Christi resurgentis; secundo ponit conditionem vitae resurgentis, ibi, *Scientes quod Christus etc.* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ita et vos etc.* Dicit ergo primo: *Si enim mortui sumus cum Christo*, idest si virtute mortis Christi sumus mortui peccato, *credimus, quia etiam simul vivemus cum illo*, idest ad similitudinem vitae eius. Vivemus, inquam, hic vita gratiae, et in futuro vita gloriae: *Ephes. 2. 5. Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Deinde cum dicit, *Scientes*, ponit conditionem vitae Christi resurgentis: et primo ponit eam; secundo probat, ibi, *Quod enim mortuus est etc.* Dicit ergo primo: Hoc, inquam, quod dictum est credimus, *scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, sed vivit vita perpetua: *Apoc. 1. 18. Fui mortuus, et sum vivens in saecula saeculorum:* et quod plus est, *mors illi ultra non dominabitur*, quae scilicet in homine dominatur, non solum dum moritur per separationem animae a corpore, sed etiam ante mortem, dum patitur aegritudinem, famem, et sitim, et alia huiusmodi, per quae pervenitur ad mortem; sed ab his libera est vita Christi resurgentis; et ideo non subiicitur dominio mortis, sed potius ipse habet dominium super mortem: *Apoc. 1. 18. Habet clavem mortis, et inferni.* Deinde cum dicit, *Quod enim mortuus est etc.* probat propositum, scilicet quod Christus resurgens ulterius non moriatur: et hoc dupliciter. Primo quidem ratione accepta ex parte mortis, quam sustinuit, dicens: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Non autem intelligitur quod ipse mortuus est peccato quod ipse commisit, vel contraxit: quia in eo nullo modo peccatum locum habuit: *1. Pet. 11. 22. Qui peccatum non fecit;* sed dicitur mortuus esse peccato dupliciter: uno modo quia mortuus est pro peccato tollendo: *2. Corinth. 5. 21. Eum qui non novit*

*peccatum*, *pro nobis Deus fecit peccatum*, idest hostiam pro peccato: alio modo, quia mortuus est similitudini carnis peccati, idest vitae passibili, et mortali: *infra 8. 3. Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Utroque autem modo concludi potest quod Christus mortuus sit semel, ex hoc quod mortuus est peccato. Quantum enim ad primum manifestum est quod per unam mortem omnia peccata delevit, secundum illud *Hebr. 10. 14. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ideo non restat ut adhuc pro peccato moriatur: *1. Pet. 3. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Quantum ad secundum autem idem potest concludi. Si enim Christus mortem sustinuit, ut deficeret in eo similitudo carnis peccati, debuit eius mors conformari aliis gerentibus carnem peccati, qui semel moritur: unde dicitur *Hebr. 9. 27. Quemadmodum statutum est hominibus semel mori .... sic Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Secundo ostendit idem ex conditione vitae quam resurgendo adeptus est, dicens: *Quod autem vivit, vivit Deo*, idest ad conformitatem Dei. Dicitur enim *2. Cor. ult. 1. Quod si crucifixus est ex infirmitate, vivit ex virtute Dei.* Effectus autem conformatur causae: unde et vita quam Christus resurgens acquisivit, est deiformis. Sicut ergo vita Dei est sempiterna, et absque corruptione, secundum illud *1. Tim. ult. 16. Qui solus habet immortalitatem;* ita et vita Christi est immortalis. Deinde cum dicit, *Ita et vos etc.* infert conclusionem intentam, ut conformemur vitae Christi resurgentis, et quantum ad hoc quod mortuus est peccato, idest mortali vitae, quae habet similitudinem peccati, numquam ad eam rediturus, et quantum ad hoc quod vivit ad conformitatem Dei; et quantum ad primum dicit: *Ita et vos existimate vos quidem mortuos esse peccato*, scilicet tamquam ad peccatum numquam sitis redituri: *Isa. 26. 14. Morientes non vivant:* quantum ad secundum dicit, *Viventes Deo*, idest ad honorem, vel similitudinem Dei, ut scilicet numquam per peccatum moriamur: *Gal. 2. 20. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Et ideo subdit: *In Christo Iesu Domino nostro*, idest per Iesum Christum, per quem et peccatis morimur, et Deo vivimus. Vel *in Christo Iesu*, idest tamquam incorporati Christo Iesu, ut per eius mortem moriamur peccato, et per eius resurrectionem vivamus Deo: *Ephes. 2. 5. Convivificavit nos in Christo, cuius gratia salvati estis.*

## LECTIO III.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quoniam cum exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae.

Postquam Apostolus ostendit quod non est nobis permanendum in peccato, et quod huius rei facultatem habemus; et hic concludit moralem exhortationem: et circa hoc tria facit. Primo proponit admonitionem; secundo rationem assignat, ibi, *Peccatum enim etc.* tertio movet quaestionem, et solvit, ibi, *Quid ergo? Peccabimus etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit admonitionem; secundo exponit eam, ibi, *Ut obediatis etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod *vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*, per quod datur intelligi quod virtus peccati intantum diminuta est ut nobis dominari non possit: ergo peccatum de cetero *non regnet in vestro mortali corpore.* Non autem dicit, Non sit peccatum in vestro mortali corpore: quia quamdiu corpus nostrum est mortale, idest necessitati mortis addictum, non potest esse quin in corpore nostro sit peccatum, idest fomes peccati. Sed ex quo a Deo liberati sumus a regno peccati, debemus conari quod peccatum in corpore nostro dominium iam amissum in nobis non recuperet; et hoc est quod dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et hoc quidem necessarium est cavere, dum corpus mortale gerimus, quia dicitur *Sap. 9. 15. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Deinde cum dicit, *Ut obediatis etc.* exponit admonitionem praemissam. Circa quod considerandum est, quod dupliciter peccatum regnat in homine. Uno modo per interiorem consensum mentis, et hoc removendo, dicit: *Ut obediatis concupiscentiis eius:* obedire enim per consensum mentis concupiscentiis peccati est peccatum regnare in nobis: *Eccli. 18. 30. Post concupiscentias tuas non eas.* Secundo modo regnat in nobis peccatum per operis executionem; et ad hoc excludendum subdit: *Sed neque exhibeatis membra vestra peccato*, idest fomiti peccati, *arma iniquitatis*, idest instrumenta ad iniquitatem exequendam: homo enim cum per membra sua peccatum exequitur, ad iniquitatem exequitur; et hoc ipso pugnare videtur ad restituendum dominium peccati, quod per consuetudinem peccati in nobis convalescit: *Ezech. 32. 27. Cum armis suis ad inferos descenderunt.* Deinde cum dicit, *Sed exhibete vos Deo etc.* exhortatur ad contrarium, ut scilicet exhibeamus nos Deo. Et primo quantum ad interiorem affectum, cum dicit, *Sed exhibeatis vos Deo*, ut scilicet mens vestra ei subdatur: *Deut. 10. 12. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius?* Et hoc facere debetis *tamquam ex mortuis viventes*, idest tamquam reducti ad vitam gratiae de morte culpae. Nam et ideo iustum est *ut qui vivit, iam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est, 2. Cor. 5. 15.* Secundo quantum ad exteriorem actum: unde dicit: *Exhibete membra vestra Deo*, idest ad eius obsequium, *arma iustitiae*, idest instrumenta quaedam ad iustitiam exequendam, quibus scilicet pugnetis contra inimicos Dei: *Ephes. ult. 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

Deinde cum dicit, *Peccatum enim etc.* assignat rationem admonitionis praedictae. Posset enim aliquis seipsum excusare, allegans peccati dominium, per quod assereret se ab observatione admonitionis praedictae impediri. Hoc ergo Apostolus primo excludit dicens: *Peccatum enim vobis non dominabitur*, scilicet si cooperetis peccato resistere, et vos Deo exhibere, secundum illud *Iac. 4. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis: resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Quasi dicat: Ideo potestis praedicta observare, quia non invenitis peccatum in vos dominari, per quod retrahi possitis: sumus enim liberati a Christo, secundum illud *Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Secundo manifestat quod dixerat, dicens: *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Ubi considerandum est, quod non loquitur hic de lege solum quantum ad caeremonialia, sed etiam quantum ad moralia, sub qua quidem aliquis dicitur esse dupliciter. Uno modo quasi legis observantiae voluntarie subiectus; et hoc modo etiam Christus fuit sub lege, secundum illud *Gal. 4. 4. Factum sub lege:* quia scilicet legem observavit non solum quantum ad moralia, sed etiam quantum ad caeremonialia; fideles autem Christi sunt quidem hoc modo sub lege quantum ad moralia, non autem quantum ad caeremonialia. Alio modo dicitur aliquis esse sub lege, quasi a lege coactus; et sic dicitur esse sub lege qui non voluntarie ex amore, sed timore cogitur legem observare. Talis autem caret gratia, quae si adesset, inclinaret voluntatem ad observantiam legis, ut ex amore moralia eius praecepta impleret. Sic igitur quamdiu aliquis sic est sub lege ut non impleat voluntarie legem, peccatum in eo dominatur, ex quo voluntas hominis inclinatur ut velit id quod est contrarium legi. Sed per gratiam tale dominium tollitur, ut scilicet homo servet legem, non quasi sub lege existens, sed sicut liber: *Galat. 4. 31. Non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.* Hanc autem gratiam facientem homines libere legem implere, non conferebant legalia sacramenta, sed conferunt eam sacramenta Christi. Et ideo illi qui se caeremoniis legis subiiciebant, quantum pertinet ad virtutem ipsorum sacramentorum legalium, non erant sub gratia, sed sub lege; nisi forte per fidem Christi gratiam adipiscerentur. Illi vero qui se sacramentis Christi subiiciunt, ex eorum virtute gratiam consequuntur, ut non sint sub lege, sed sub gratia; nisi forte per suam culpam se subiiciant servituti peccati.

Deinde cum dicit, *Quid ergo?* movet quaestionem contra id quod dictum est: et circa hoc tria facit. Primo proponit quaestionem; secundo solvit eam, ducendo ad inconveniens, ibi, *Absit. An nescitis etc.* tertio ostendit esse inconveniens id ad quod duxerat, ibi, *Gratias ago Deo etc.* Circa primum considerandum est, quod verbum praemissum poterat male intelligi ab aliquibus, ut scilicet fideles Christi non sint sub lege quantum ad debitum observandi praecepta moralia; ex quo sequeretur, quod fidelibus Christi licitum esset peccare, scilicet contra praecepta moralia faciendo: et ideo sub hoc sensu quaestionem movet, dicens: *Quid ergo* dicemus? Numquid *peccabimus*, scilicet contra praecepta moralia legis faciendo, quoniam dictum est quod *non sumus sub lege, sed sub gratia?* Et hunc sensum Apostolus improbat *ad Gal. 5. 13.* dicens: *Vos in libertatem vocati estis, fratres mei: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Et ideo hic etiam respondens, subdit, *Absit,* scilicet ut peccemus, quia sumus a lege liberati: quia si peccaremus, sequeretur hoc inconveniens, quod iterum redigeremur in servitutem peccati; hoc est quod dicit: *An nescitis quoniam cui vos exhibetis* propria voluntate *servos ad obediendum,* spontanee *servi estis eius cui obedistis?* Obedire enim debitum est, quod servi dominis debent: *Ephes. 6. 5. Servi, obedite dominis carnalibus.* Unde cum aliquis obedit alicui, se servum profitetur eius, obediendo. Diverso tamen stipendio diversis dominis obeditur. Qui enim obedit peccato, per servitutem peccati ducitur in mortem; et hoc est quod dicit: *Sive peccati*, scilicet servi estis, ei obediendo; et hoc *in mortem*, idest aeternam damnationem, praecipitandi: de qua dicitur *Apoc. 20. 6. In his mors secunda non habet locum.* Qui vero obedit Deo, efficitur huius obedientiae servus: quia per assuetudinem obediendi mens eius magis ac magis ad obediendum inclinatur, et ex hoc iustitiam perficit: et hoc est quod dicit: *Sive obeditionis*, scilicet divinorum praeceptorum, servi estis *ad iustitiam* implendam, secundum illud *supra 2. 13. Factores legis iustificabuntur.* Et satis convenienter obeditionem peccato opponit, eo quod sicut Ambrosius dicit, peccatum est transgressio legis divinae, et caelestium inobedientia mandatorum. Deinde cum dicit, *Gratias autem Deo*, ostendit hoc esse inconveniens, scilicet quod obediendo peccato iterum reducamur in servitutem peccati. Primo quidem ratione accepta ex beneficio quod consequuti sumus. Si enim aliquis per gratiam alicuius a servitute liberatur, inconveniens est quod se spontaneum subiiciat servituti: unde cum nos per gratiam Dei simus liberati a peccato, inconveniens est quod iterum nos sponte retrudamus in servitutem peccati. Secundo ex conditione in quam ducti sumus post libertatem peccati, ut scilicet simus servi iustitiae. Non licet autem servo alicuius se contrarii domini servituti subiicere: unde nobis non licet, ex quo sumus facti servi iustitiae, iterum redire ad servitutem peccati. Utramque rationem Apostolus simul tangit, dicens: *Gratias ago Deo:* sic et vos gratias agere debetis, quod *cum essetis servi peccati:* quia *qui facit peccatum, servus est peccati, Ioan. 8. 34. obedistis*, scilicet credendo: *supra 1. 5. Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus:* et hoc non coacti, sed *ex corde: infra 10. 10. Corde creditur ad iustitiam: in eam formam doctrinae*, idest in doctrinam catholicae fidei, *2. Tim. 1. 13. Formam habe sanorum verborum quae a me audisti: in quam traditi estis*, idest cui vos totaliter subdidistis: *2. Cor. 8. 5. Semetipsos dederunt primum Deo, deinde nobis per voluntatem Dei.* Et per hoc *liberati* estis *a peccato*, et ita non convenit quod in servitutem peccati redeatis: et *servi facti estis iustitiae;* et ita non convenit quod iustitiam deseratis: *1. Corinth. 7. 23. Pretio empti estis, et non estis vestri.*

## LECTIO IV.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuistis membra vestra ser-

vire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati liberi fuistis iustitiae. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati mors ; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro.

Postquam Apostolus ostendit ratione accepta ex beneficio divino quod non est nobis in peccato permanendum, sed Deo serviendum ; hic ostendit idem ratione accepta ex prioris vitae consuetudine: et circa hoc tria facit. Primo proponit suppositi documenti conditionem quod subdit ; secundo ponit documenti expressionem, ibi, *Sicut enim exhibuistis etc.* tertio documenti rationem assignat, ibi, *Cum enim servi essetis peccati etc.* Dicit ergo primo : Monui quod exhibeatis vos Deo : adhuc dico vobis quoddam humanum, idest congruens imbecillitati humanae. Sic enim quandoque homo accipitur in Scriptura, prout scilicet significat conditionem infirmitatis humanae : *Sap. 9. 5. Homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii, et legum: 1. Corinth. 3. 3. Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Causam autem assignat, subdens, *Propter infirmitatem.* Perfectis enim sunt perfectiora praecepta tradenda: *1. Corinth. 2. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos: Hebr. 5. 14. Perfectorum est solidus cibus:* infirmioribus sunt danda leviora praecepta: *1. Corinth. 3. 1. Tamquam parvulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam: Hebr. 5. 12. Facti estis quibus lac opus est.* Haec autem infirmitas non ex spiritu, sed ex carne venit: quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* ut dicitur *Sapient. 9. 15.* et ideo subditur, *Carnis vestrae : Mat. 26. 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Deinde cum dicit, *Sicut enim exhibuistis etc.* ponit documentum, quod dicit esse humanum, in quo docet corpus esse aequaliter exhibendum ad serviendum iustitiae, secundum quod nos exhibuimus ipsum ad serviendum peccato : et hoc est quod dicit : *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire*, scilicet per executionem mali operis, *immunditiae, et iniquitati* corde conceptae, ut immunditia referatur ad peccata carnalia, *Ephes. 5. 3. Omnis fornicatio ; aut immunditia nec nominetur in vobis ;* iniquitas autem referatur ad peccata spiritualia, et praecipue quibus laeditur proximus : *Psal. 35. 5. Iniquitatem meditatus est in cubili.* Quibus in corde conceptis, membra serviunt *ad iniquitatem*, scilicet opere exequendam. Et ponit iniquitatem hic pro immunditia, et iniquitate, secundum quod omne peccatum est iniquitas, *infra 13.* et hoc inquantum discordat ab aequitate legis divinae. *Ita nunc,* scilicet liberati a peccato, *exhibete membra vestra,* scilicet per executionem operum, *servire iustitiae,* in lege divina nobis propositae; et hoc *in sanctificationem,* idest in executionem, et augmentum sanctitatis: *Apoc. ult. 11. Sanctus sanctificetur adhuc.* Dicit autem hoc esse humanum : quia secundum rectum iudicium exigeretur ut homo multo plus serviret iustitiae quam ante servierit peccato: *Baruch 4. 28. Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

Huius documenti rationem consequenter assignat, dicens : *Cum enim servi essetis peccati etc.* et circa hoc duo facit. Primo proponit rationem praedictorum ; secundo probat quod supposuerat, ibi, *Stipendia peccati mors.* Ostendit autem rationem praemissorum, praeferendo statum gratiae statui culpae. Si enim plura nobis bona ex iustitia proveniunt quam ex culpa, magis debemus insistere ad serviendum iustitiae quam studuerimus ad serviendum peccato. Primo ergo ponit conditionem status peccati; secundo conditionem status iustitiae, ibi, *Nunc vero liberati etc.* Circa primum tria facit. Primo ponit conditionem peccati ; secundo effectum peccati, ibi, *Quem ergo fructum habuistis ?* tertio finem, ibi, *Nam finis illorum mors est.*

Circa primum considerandum est, quod homo naturaliter est liberi arbitrii propter rationem, et voluntatem, quae cogi non potest, inclinari tamen ab aliquibus potest. Semper ergo homo, quantum ad arbitrium rationis, remanet liber a coactione, non tamen semper est liber ab inclinatione. Quandoque enim liberum arbitrium inclinatur ad bonum per habitum gratiae, vel iustitiae; et tunc habet servitutem iustitiae, et est liber a peccato. Quandoque autem arbitrium inclinatur ad malum per habitum peccati ; et tunc habet servitutem peccati, et libertatem iustitiae: servitutem quidem peccati dico, qua trahitur ad consentiendum peccato contra iudicium rationis: *Ioan. 8. 34. Qui facit peccatum, servus est peccati :* et quantum ad hoc dicit : *Cum enim servi essetis peccati ;* libertatem vero a iustitia quantum ad hoc quod homo absque freno iustitiae praecipitat se in peccatum: et quantum ad hoc dicit : *Liberi fuistis iustitiae :* quod praecipue contingit his qui ex certo proposito peccant: nam illi qui ex infirmitate, vel ex passione peccant, aliquo freno iustitiae retinentur, ut non videantur a iustitia omnino liberi : *Hierem. 2. 20. A saeculo fregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, Non serviam : Iob. 11. 12. Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri, liberum se putat.* Sciendum est tamen, quod iste status habet veram servitutem, libertatem autem non veram, sed apparentem. Cum enim homo sit id quod est secundum rationem, tunc homo vere est servus, quando ab aliquo extraneo abducitur ab eo quod est rationis. Sed quod aliquis freno rationis non cohibeatur a sequela concupiscentiae, est libertas quantum ad opinionem illius qui summum bonum putat concupita sequi.

Deinde cum dicit, *Quem ergo fructum habuistis ?* ostendit effectum peccati. Et unum quidem effectum excludit, scilicet effectum fructuosum, cum dicit: *Quem ergo fructum habuistis*, scilicet cum peccabatis, *in illis*, scilicet peccatis ? Sunt enim infructuosa peccati opera, quia non adiuvant hominem ad beatitudinem consequendam : *Isa. 59. 6. Opera eorum, opera inutilia : Mich. 2. 1. Vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Adstruit autem effectum confusibilem, dicens : *In quibus*, scilicet peccatis, idest de quibus, *nunc*, scilicet in statu poenitentiae, *erubescitis*, propter eorum turpitudinem : *Hier.*

*31. 19. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum confusione, et erubui: Isa. 1. 29. Erubescetis super hortis*, scilicet voluptatis, *quos elegeratis.* Deinde cum dicit, *Nam finis etc.* ponit finem peccati, dicens: *Nam finis illorum*, scilicet peccatorum, *mors est:* quae quidem etsi non sit finis operantis peccatum, quia peccando non intendit mortem incurrere; est tamen finis ipsorum peccatorum, quia de se nata sunt mortem inducere: et temporalem, quia cum anima a se Deum separat, dignum est ut ab ea corpus suum separetur; et aeternam, quia cum aliquis ad tempus vult separari a Deo propter concupiscentiam peccati, dignum est ut ab eo aeternaliter separetur, quod est mors aeterna: *Supra 1. ult. Qui talia agunt, digni sunt morte.* Deinde cum dicit, *Nunc vero liberati etc.* ostendit qualitatem status iustitiae: et primo ponit conditionem status iustitiae; secundo effectum, ibi, *Habetis fructum vestrum etc.* tertio ponit finem, ibi, *Finem vero vitam aeternam.* Circa primum considerandum est, quod sicut quamdiu aliquis a peccato inclinatur ad malum, est liber a iustitia; ita cum aliquis ex habitu iustitiae, et gratiae inclinatur ad bonum, est liber a peccato, ut scilicet ab eo non superetur usque ad consensum: unde dicit: *Nunc vero*, scilicet in statu iustitiae, *liberati a peccato: Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Similiter e contra sicut in statu peccati est aliquis servus peccati, cui obedit, ita in statu iustitiae est aliquis servus Dei, voluntarie obediens, secundum illud *Psalm. 99. 1. Servite Domino in laetitia.* Et hoc est quod subdit: *Servi autem facti Deo: Psalm. 115. 16. O Domine, quia ego servus tuus.* Haec autem vera est libertas, et optima servitus: quia per iustitiam homo inclinatur ad id quod convenit ipsi, quod est proprium hominis, et avertitur ab eo quod convenit concupiscentiae, quod est maxime bestiale. Deinde cum dicit, *Habetis fructum*, ponit effectum iustitiae, dicens: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*, idest ipsa sanctificatio, hoc est executio sanctitatis per bona opera, est fructus vester, inquantum scilicet hoc spiritualiter, et sancte vos delectat: *Eccli. 24. 23. Flores mei fructus honoris, et honestatis: Galat. 5. 22. Fructus spiritus est gaudium, pax etc.* Consequenter ponit finem, dicens: *Finem vero*, habetis, *vitam aeternam:* quae quidem est finis et ipsorum iustorum, qui propter vitam aeternam habendam omnia operantur: *Matth. 6. 33. Primum quaerite regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis:* et etiam ipsorum operum, quae cum ex obedientia Dei fiant, et ad Dei imitationem, vitam aeternam merentur: *Ioan. 10. 27. Oves meae vocem meam audiunt, et sequuntur me, et vitam aeternam do eis.*

Deinde cum dicit, *Stipendia enim peccati mors*, manifestat quod dixerat de finibus malorum, et bonorum; et primo quantum ad mala dicit: Dictum est, quod finis peccatorum est mors; *stipendia enim peccati mors.* Dicuntur autem stipendia mercedes militum a stipe pendenda, idest ponderanda: quia pecunia distribuenda militibus ponderabatur. Quia ergo peccatores peccato militant, membra sua exhibentes arma peccato, ut supra dictum est; mors dicitur esse stipendium peccati, idest retributio quam retribuit sibi servientibus. Et ex hoc manifestum est quod mors sit finis peccatorum, non quem peccantes quaerunt, sed qui eis retribuitur: *Psal. 10. 7. Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Quantum vero ad bona dicit: *Gratia Dei vita aeterna.* Quia enim dixerat iustos homines habere vitam aeternam, quam certum est non posse haberi nisi per gratiam; ideo hoc ipsum quod bona operamur, et quod opus nostrum est dignum vita aeterna, est a gratia Dei: unde et *in Psal. 83. 12.* dicitur: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus.* Sic igitur opera nostra, si considerentur in sui natura, et secundum quod procedunt ex libero arbitrio hominis, non merentur ex condigno vitam aeternam, sed solum secundum quod procedunt ex gratia Spiritus sancti. Unde dicitur *Ioan. 4. 14.* quod *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam:* et hoc sit *in Christo Iesu Domino nostro*, idest per Christum; vel inquantum in ipso sumus per fidem, et caritatem: *Ioan. 6. 40. Omnis qui videt Filium, et credit in eum, habet vitam aeternam.*

## CAPITIS SEPTIMI

### LECTIO PRIMA

An ignoratis, fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato; hic ostendit quod per eamdem gratiam Christi liberamur a servitute legis; et circa hoc duo facit. Primo ponit propositum; secundo excludit obiectionem, ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur a servitute legis; secundo ostendit utilitatem huius liberationis, ibi, *Ut fructificemus Deo.* Circa primum tria facit. Primo proponit documentum, ex quo arguitur ad propositum ostendendum; secundo manifestat ipsum, ibi, *Nam quae sub viro est etc.* tertio concludit, ibi, *Itaque fratres mei etc.* Documentum autem proponit eis quasi notum: unde dicit: *An ignoratis fratres?* quasi diceret: Hoc ignorare non debetis: *1. Cor. 14. 38. Si quis ignorat, ignorabitur.* Et causam quare non debent ignorare, ostendit subdens: *Scientibus enim legem loquor.*

Sed cum Romani Gentiles essent, et legem Moysi

ignorarent, videtur eis non competere quod hic dicitur; et ideo quidam exposuerunt hoc de lege naturali, quae Gentibus non erat incognita, secundum illud *supra 2. 14. Cum Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Unde et subditur: *Quia lex in homine dominatur*, scilicet naturalis, *quanto tempore* scilicet *vivit* lex in homine: quae quidem vivit, quamdiu ratio naturalis efficacitur in homine viget. Moritur autem lex naturalis in homine quando ratio naturalis passionibus succumbit: *Isa. 24. 5. Dissipaverunt foedus sempiternum*, scilicet legis naturalis.

Sed hoc non videtur esse secundum intentionem Apostoli, qui absolute, et indeterminate de lege loquens, semper loquitur de lege Moysi. Et ideo dicendum est, quod Romani fideles non erant solum Gentes, sed inter eos erant multi Iudaei: unde habetur *Act. 18. 2. Paulus Corinthi invenit quemdam Iudaeum, nomine Aquilam, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem eius: eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma. Lex* ergo hoc modo *dominatur in homine quanto tempore vivit*, scilicet homo: data est enim lex ad dirigendum homines in via huius vitae, secundum illud *Psal. 24. 12. Legem statuit ei in via quam elegit.* Ideo legis obligatio morte solvitur.

Deinde cum dicit, *Nam quae sub viro est mulier etc.* manifestat quod dixerat per exemplum in lege matrimonii: et primo ponit exemplum; secundo manifestat per signum, ibi, *Ergo vivente viro etc.* Circa primum duo facit. Primo in exemplo ponit quomodo obligatio legis durat, vita durante, dicens: *Nam mulier, quae sub viro*, idest sub viri potestate, *est*, ex lege divina, qua dictum est *Gen. 3. 16. Sub viri potestate eris, alligata est legi*, scilicet qua tenetur convivere viro, secundum illud *Matth. 19. 6. Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et haec quidem inseparabilitas matrimonii praecipue causatur, inquantum est sacramentum coniunctionis indissolubilis Christi et Ecclesiae, vel Verbi et humanae naturae in persona Christi: *Ephes. 5. 32. Sacramentum hoc magnum est in Christo, et Ecclesia.* Secundo ibi, *Si autem mortuus fuerit vir eius*, manifestat in exemplo quomodo obligatio legis solvitur post mortem, dicens: *Si autem vir*, scilicet mulieris, *fuerit mortuus*, mulier post mortem viri *soluta est a lege mariti*, idest a lege matrimonii, qua obligabatur viro. Cum enim, ut Augustinus ait *lib. de Nupt. et concup. lib. 1. cap. 18.* nuptiae sint bona mortalium, non se extendit obligatio nuptiarum post vitam mortalem. Et propter hoc in resurrectione, quando erit vita immortalis, neque nubent, neque nubentur, ut dicitur *Matth. 22.* Ex quo patet quod si aliquis moriatur, et resurgat, sicut in Lazaro accidit, non erit uxor, quae fuerat, nisi de novo cum ipso contrahat.

Sed contra hoc inducitur quod habetur *Heb. 11. 35. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.*

Sed sciendum est, quod mulieres non receperunt maritos suos, sed filios suos; sicut mulier quaedam per Eliam, ut habetur *3. Reg. 17.* et alia per Eliseum, ut habetur *4. Reg. 4.* Aliter autem se habet in sacramentis quae imprimunt characterem, qui est quaedam consecratio animae immortalis. Omnis autem consecratio manet, quamdiu manet res consecrata; sicut patet in consecratione Ecclesiae, vel altaris. Et ideo si baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, et resurgat, non debet iterum eadem sacramenta accipere.

Deinde cum dicit, *Ergo vivente viro etc.* manifestat quod dixerat, per signum: et primo quantum ad obligationem matrimonii, quae durat in muliere, vivente viro; cuius signum est quod vocatur adultera si fuerit cum alio viro, scilicet ei carnaliter commixta, vivente viro suo: *Hier. 3. 1. Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum; numquid non polluta, et contaminata est mulier illa?* Secundo ibi, *Si autem mortuus fuerit vir eius*, inducit signum quantum ad hoc quod obligatio legis matrimonii solvitur per mortem, dicens, quod *si vir eius*, scilicet mulieris, *mortuus fuerit, liberata est* mulier *a lege viri*, qua obligabatur viro, *ut non sit adultera, si fuerit cum alio*, carnaliter ei commixta, praesertim si ei matrimonialiter coniungatur: *1. Cor. 7. 39. Si dormierit vir eius*, scilicet mulieris, *liberata est: cui vult, nubat.* Ex quo patet quod secundae nuptiae, vel tertiae, vel quartae, sunt secundum se licitae, et non solum per dispensationem, ut videtur dicere Chrysostomus, qui super Matthaeum dicit, quod sicut Moyses permisit libellum repudii, ita Apostolus permisit secundas nuptias: nulla est enim ratio, si lex matrimonialis solvitur per mortem, quare non liceat coniugi remanenti ad secunda vota transire. Quod autem Apostolus dicit *1. Timoth. 3. 2.* quod *oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, non hoc dicitur, quia secundae nuptiae sint illicitae, sed propter defectum sacramenti: quia non esset unus unius, sicut Christus est sponsus unius Ecclesiae.

Deinde cum dicit, *Itaque fratres mei etc.* concludit principale propositum, dicens: *Itaque fratres mei*, idest per hoc quod estis facti membra corporis Christi, simul cum eo mortui, et sepulti, ut supra est habitum, *mortificati estis legi*, idest quantum ad hoc quod cessat in vobis obligatio legis, ita scilicet *ut iam sitis alterius*, scilicet Christi, eius legi subiecti, *qui ex mortuis resurrexit*, in quo et vos resurgentes novam vitam assumpsistis. Et ita non lege prioris vitae, sed lege novae vitae tenemini obligati.

Videtur autem esse dissimilitudo quantum ad hoc quod in praecedenti exemplo vir moriebatur, et remanebat mulier absque obligatione legis; hic autem ille qui solvitur ab obligatione, dicitur mori.

Sed si recte consideremus, utrumque est eiusdem rationis: quia cum matrimonium sit inter duos, sicut quaedam relatio, non referet quicumque eorum moriatur, ad hoc quod tollatur lex matrimonii: utrumlibet enim contingat, manifestum est quod per mortem qua commorimur Christo, cessat obligatio veteris legis.

Deinde cum dicit, *Ut fructificemus*, ostendit utilitatem praedictae liberationis: et circa hoc tria facit. Primo ponit utilitatem, dicens: *Ut fructificemus Deo*: per hoc enim quod sumus facti membra Christi, in Christo manentes, possumus fructum boni operis facere ad honorem Dei: *Ioan. 15. 4. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite;*

*sic nec vos nisi in me manseritis.* Secundo ibi, *Cum enim essemus*, ostendit quod iste fructus impediebatur quando eramus sub servitute legis, dicens: *Cum essemus in carne*, idest subditi concupiscentiis carnis: *infra 8. 9. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: passiones*, et affectiones *peccatorum*, *quae* quidem *erant per legem* vel notificatae, vel augmentatae occasionaliter, ut supra patuit, *operabantur in membris nostris*, idest movebant membra nostra: *Iacob. 4. 1. Unde bella, et lites? Nonne ex concupiscentiis?* Et hoc *ut fructificarent morti*, idest ut fructum facerent mortis: *Iacob. 1. 15. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Tertio ibi, *Nunc autem soluti*, ostendit quod praedicta utilitas acquiritur ab his qui sunt liberati a servitute legis, dicens: *Nunc autem soluti sumus* per gratiam Christi *a lege mortis*, idest a servitute legis Moysi: quae dicitur lex mortis, vel quia corporaliter occidebat absque misericordia: *Heb. 10. 28. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur:* vel potius dicitur lex mortis, quia spiritualiter occidebat per occasionem, secundum illud *2. Corinth. 3. 6. Littera occidit.* In qua lege nos tenebamur, quasi servi sub lege: *Gal. 3. 23. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur:* ita scilicet sumus soluti, *ut serviamus in novitate spiritus*, idest spiritu renovati per gratiam Christi: *Ezech. 36. 26. Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: non in vetustate litterae*, idest non secundum veterem legem. Vel non in vetustate peccati, quam littera legis auferre non potuit: *Psal. 6. 8. Inveteravi inter omnes inimicos meos.*

## LECTIO II.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum, et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a servitute legis, et quod ista liberatio est utilis; hic respondet cuidam obiectioni, quae ex praemissis occasionem habet, per quam videtur quod lex vetus non sit bona: et circa hoc duo facit. Primo solvit obiectionem, per quam videtur legem non esse bonam; secundo ostendit legem esse bonam, *Scimus enim etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit obiectionem quantum ad ipsam legem; secundo solvit, ibi, *Itaque lex quidem sancta.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod passiones peccatorum erant per legem, et quod est lex mortis: *quid ergo dicemus* ex his sequi? Numquid dicemus, quod *lex est peccatum?* Quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quod lex peccatum doceat, sicut dicitur *Hier. 10. 3. Leges populorum vanae sunt*, quia scilicet vanitatem docent; alio modo ut lex dicatur peccatum, quia ille qui legem dedit, peccaverit, talem legem ferendo: et haec duo invicem se consequuntur: quia si lex peccatum docet, legislator legem ferendo peccat: *Isai. 10. 1. Vae qui condunt leges iniquas.* Videtur autem quod lex peccatum doceat, si passiones peccatorum sunt per legem, et si lex ducit ad mortem. Deinde cum dicit, *Absit*, solvit praedictam obiectionem. Circa quod sciendum est, quod si lex per se directe causaret passiones peccatorum, vel mortem, sequeretur quod lex esset peccatum altero modorum dictorum; non autem si lex est occasio passionum peccati, et mortis. Circa hoc ergo duo facit. Primo ostendit quid lex per se facit; secundo ostendit quid ex ea occasionaliter sequatur, ibi, *Occasione autem accepta etc.* Circa primum tria facit. Primo respondet ad quaestionem, dicens, *Absit*, scilicet quod lex sit peccatum: neque enim ipsa docet peccatum, secundum illud *Psal. 18. 8. Lex Domini immaculata:* neque legislator peccavit, quasi iniustam legem ferens, secundum illud *Proverb. 8. 15. Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Secundo ibi, *Sed peccatum non cognovi etc.* ponit id quod per se pertinet ad legem, scilicet notificare peccatum, et non auferre; et hoc est quod dicit: *Sed peccatum non cognovi nisi per legem: Supra 3, 20. Per legem enim cognitio peccati.* Et si quidem hoc intelligitur de lege naturali, manifestum est quod dicitur, quia per legem naturalem homo diiudicat inter bonum et malum: *Eccli. 18. 6. Sensu implevit corda illorum, et bona, et mala ostendit illis.* Sed Apostolus hic videtur loqui de lege veteri, quam significavit supra, dicens, *Non in vetustate litterae.* Dicendum est ergo, quod sine lege poterat quidem peccatum cognosci, secundum quod habet rationem inhonesti, idest contra rationem existens; non autem secundum quod importat offensam divinam, quia per legem divinitus datam manifestatur homini quod Deo displicent peccata humana in hoc quod ea prohibet, et mandat puniri. Tertio ibi, *Nam concupiscentiam nesciebam*, probat quod dixerat, dicens: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

Circa quod considerandum est, quod hoc quod dixerat, *Peccatum non cognovi nisi per legem*, posset aliquis referre ad ipsum actum peccati, quem lex in notitiam hominis ducit dum prohibet; et hoc quidem verum est quantum ad aliqua peccata. Dicitur enim *Levit. 18. 23. Mulier non succumbet iumento.* Sed quod hic non sit intellectus Apostoli, patet ex his quae hic dicuntur: nullus enim est qui ipsum actum concupiscentiae ignoret, cum omnes ipsum experiantur. Est ergo intelligendum, sicut supra diximus, quod peccatum non cognoscitur nisi per legem, quantum ad reatum poenae, et offensam Dei. Ideo autem hoc probat per concupiscentiam, quia concupiscentia prava communiter se habet ad omnia peccata. Unde Glossa di-

cit, et Augustinus *de Verb. Apost. serm. 15. Hic elegit Apostolus quod est generale peccatum, scilicet concupiscentiam. Bona est ergo lex, quae dum concupiscentias prohibet, omnia mala prohibet.* Potest autem intelligi quod concupiscentia sit generale peccatum, secundum quod sumitur pro concupiscentia rei illicitae, quae est de essentia cuiuslibet peccati. Non autem sic appellavit Augustinus concupiscentiam generale peccatum; sed quia est radix, et causa omnis peccati aliqua concupiscentia specialis. Unde et Glossa dicit, quod concupiscentia est generale peccatum, unde omnia mala veniunt. Inducit enim Apostolus praeceptum legis, quod habetur *Exod. 20. 17.* ubi specialiter prohibetur, *Non concupisces rem proximi tui*, quae est concupiscentia avaritiae, de qua loquitur *1. Tim. 6. 10. Radix omnium malorum est cupiditas:* et hoc ideo, quia pecuniae obediunt omnia, ut dicitur *Eccle. 10.* Et ideo concupiscentia, de qua hic loquitur, est generale malum, non communitate generis, vel speciei, sed communitate causalitatis. Nec est contrarium quod habetur *Eccli. 10. 15. Initium omnis peccati superbia:* nam superbia est initium peccati ex parte aversionis; cupiditas autem est principium peccatorum ex parte conversionis ad bonum commutabile. Potest autem dici, quod Apostolus specialiter assumit concupiscentiam ad propositi manifestationem: quia vult ostendere quod sine lege peccatum non cognoscebatur, inquantum scilicet pertinet ad offensam Dei: et hoc maxime patet in hoc quod lex Dei prohibet concupiscentiam, quae ab homine non prohibetur: nam solus Deus hominem reum reputat propter concupiscentiam cordis, secundum illud *1. Reg. 16. 7. Homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor.* Ideo autem lex Dei potius prohibuit concupiscentiam rei alienae quae furto aufertur, et uxoris alienae, quae per adulterium violatur, quam concupiscentiam aliorum peccatorum: quia ista peccata etiam in ipsa concupiscentia habent quamdam delectationem, quod non contingit de aliis peccatis.

Deinde cum dicit, *Occasione autem accepta etc.* ostendit quid ex lege occasionaliter consequatur: et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Dicit ergo primo, quod *peccatum, occasione accepta per mandatum*, scilicet legis prohibentis peccatum, *operatum est in me omnem concupiscentiam.* Per peccatum autem potest hic intelligi diabolus secundum emphaticam locutionem, quia ipse est peccati initium; et secundum hoc in homine operatur omnem concupiscentiam peccati: *1. Ioan. 3. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* Sed quia Apostolus hic de diabolo mentionem non fecerat, potest dici, quod peccatum actuale quodcumque, prout est cogitatione apprehensum, operatur in homine sui concupiscentiam, secundum illud *Iacob. 1. 14. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua:* deinde concupiscentia parit peccatum. Sed melius est quod hoc referamus ad peccatum, quod supra dixerat *cap. 5.* per unum hominem in hunc mundum ingressum, scilicet ad peccatum originale: quod scilicet ante gratiam Christi est in homine secundum culpam, et poenam; sed veniente gratia, transit reatu, et remanet actu quantum ad fomitem peccati, vel concupiscentiam habitualem, quae operatur in homine omnem concupiscentiam actualem: sive hoc referatur ad concupiscentias diversorum peccatorum, alia enim est concupiscentia furti, alia adulterii, et sic de aliis, sive referatur ad diversos concupiscentiae gradus, prout consistit in cogitatione, delectatione, consensu, et opere. Sed ad hunc effectum in homine operandum, peccatum accipit occasionem ex lege; et hoc est quod dicit, *Occasione accepta:* vel quia adveniente mandato additur ratio praevaricationis, quia *ubi non est lex, nec praevaricatio:* ut *supra 4. 1.* dictum est: vel quia crescit desiderium peccati prohibiti, rationibus supra positis.

Et est notandum, quod non dicit, quod lex dederit occasionem peccandi, sed quia ipsum peccatum occasionem acceperit ex lege. Ille enim qui dat occasionem, scandalizat, et per consequens peccat: quod quidem fit quando aliquis facit aliquod opus minus rectum, unde proximus offenditur, aut scandalizatur; puta si quis loca inhonesta frequentaret, licet non mala intentione. Unde dicitur *infra 14. 13. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus*, vel scandalum. Sed si quis rectum opus faciat, puta si det eleemosynam, et alius inde scandalizatur, ipse non dat occasionem scandalizandi, unde nec scandalizat, nec peccat; sed alius accipit occasionem qui scandalizatur, et ille peccat. Sic igitur lex rectum aliquid facit, quia peccatum prohibuit, unde occasionem non dedit peccandi; sed homo occasionem ex lege accipit: et propter hoc sequitur quod lex non sit peccatum, sed magis quod peccatum sit ex parte hominis.

Sic igitur intelligendum est, quod passiones peccatorum, quae pertinent ad concupiscentiam peccati, non sunt per legem, quasi lex illas operetur; sed peccatum illas operatur, accepta occasione ex lege. Et eadem ratione dicitur lex mortis, non quia lex mortem operetur, sed quia peccatum mortem operatur occasione accepta ex lege. Potest autem eodem sensu littera aliter ordinari, ut dicatur quod *peccatum operatum est per mandatum legis omnem concupiscentiam*, et hoc *occasione accepta* ab ipso mandato. Sed prima expositio simplicior, et melior est.

Deinde cum dicit, *Sine lege enim*, manifestat quod dixerat, et hoc per experientiam effectus: et primo proponit effectum; secundo resumit causam, ibi, *Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me.* Circa primum tria facit. Primo describit statum ante legem; secundo statum sub lege, ibi, *Sed cum venisset mandatum;* tertio ex comparatione utriusque status concludit eventum legis, ibi, *Et inventum est mihi mandatum etc.* Dicit ergo primo, quod *peccatum, occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam:* quod ex hoc apparet: *sine lege enim peccatum erat mortuum:* non quidem sic quod peccatum non esset, quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit ante legem, ut *supra 2.* dictum est; sed intelligitur quod erat mortuum vel quantum ad cognitionem hominis, qui quaedam in lege prohibita nesciebat esse peccata, puta concupiscentiam: vel quia erat mortuum quantum ad efficaciam moriendi, per comparationem ad id quod postea fuit: non enim habebat tantam virtutem inducendi hominem ad mortem, quantam postea habuit occasione accepta sub

lege. Habetur enim quasi mortuum quod est debilitatum virtute: *Coloss. 3. 5. Mortificate membra vestra, quae sunt super terram.* Talis ergo erat status ante legem quantum ad peccatum ; sed qualis esset quantum ad hominem, ostendit subdens: *Ego autem vivebam sine lege aliquando:* quod etiam dupliciter potest intelligi. Uno modo quantum ad id quod homini videbatur ex seipso quod viveret , dum ignorabat peccatum esse id per quod mortuus erat: *Apoc. 3. 1. Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.* Vel hoc dicitur per comparationem ad mortem quae consequuta est occasione legis: dicuntur enim minus peccantes vivere, in comparatione ad eos qui magis peccant.

Deinde cum dicit, *Sed cum venisset mandatum etc.* describit statum sub lege; et primo quantum ad peccatum, cum dicit: *Sed cum venisset mandatum*, data scilicet lege, *revixit peccatum:* quod potest dupliciter intelligi. Uno modo quantum ad cognitionem hominis , qui incepit cognoscere peccatum in se esse, quod prius non cognoverat: *Hier. 31. 19. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, et erubui.* Et signanter dixit, *Revixit:* quia in paradiso plenam notitiam homo habuerat de peccato , licet non habuerit per experientiam. Vel *revixit*, quantum ad virtutem , quia data lege , occasionaliter augmentata est virtus peccati: *1. Cor. 15. 56. Virtus peccati , lex.* Secundo quantum ad ipsum hominem, cum dicit : *Ego autem mortuus sum;* quod etiam dupliciter potest intelligi. Uno modo secundum cognitionem, ut sit sensus: *Mortuus sum;* idest cognovi me mortuum: alio modo per comparationem ad statum priorem, ut sit sensus: *Mortuus sum*, idest magis morti obligatus sum quam ante. Unde aliqualiter verum est quod dictum est Moysi, et Aaron *Num. 16. 41. Vos interfecistis populum Domini.*

Deinde cum dicit, *Et inventum est mihi mandatum etc.* concludit ex comparatione utriusque status eventum legis, dicens: *Et inventum est* , secundum praedicta, *mandatum quod erat ad vitam:* primo quidem, secundum intentionem dantis legem; secundo quantum ad ipsam mandati honestatem, et devotionem obedientis: *Ezech. 20. 11. Dedi eis praecepta bona, et iudicia quae faciens homo, vivet in eis: hoc esse* mihi *ad mortem*, occasionaliter scilicet per peccatum quod in homine erat: *Iob 20. 14. Panis eius in utero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Deinde cum dicit, *Nam peccatum etc.* resumit causam; quasi manifestans per eventum praemissum, dicens: Hoc ideo contingit, scilicet quod mandatum quod erat ad vitam, inveniretur ad mortem esse: nam *peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me* , scilicet per concupiscentiam, quam in me operatum est, ut dictum est *Dan. 13. 56. Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum: et per illud*, scilicet mandatum, occasionaliter peccatum *me occidit: 5. Cor. 3. 6, Littera occidit.*

Deinde cum dicit, *Itaque lex quidem sancta* , concludit conclusionem intentam, scilicet quod lex non solum non sit peccatum, sed ulterius quod sit bona, tamquam faciens cognoscere peccatum, et prohibens ipsum: et primo concludit quantum ad totam legem, dicens , sicut ex praemissis patet: *Lex quidem est sancta: Psal. 18. 8. Lex Domini immaculata : 1. Tim. 1. 8. Scimus quia bona est lex* ; secundo quantum ad praecepta caeremonialia , quibus homines ordinantur ad Dei cultum: *Lev. 20. 26. Sancti estote, quia ego sanctus sum: et iustum*, quantum ad praecepta iudicialia, quibus homo debito modo ordinatur ad proximum: *Psa. 18. 10. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: et bonum*, idest honestum, quantum ad praecepta moralia: *Ps. 118. 72. Bonum est mihi lex oris tui super millia auri , et argenti.* Quia tamen omnia ista praecepta ordinant nos in Deum , ideo totam legem sanctam nominavit.

Deinde cum dicit, *Quod ergo bonum est etc.* movet quaestionem quantum ad legis effectum: et primo ponit quaestionem, dicens: *Quod ergo bonum est* , scilicet in se, *factum est mihi mors* , idest per se causa mortis ? Quod quidem aliquis poterat falso intelligere ex eo quod supra dictum est; *Inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam , hoc esse ad mortem.* Secundo solvit per interemptionem , dicens , *Absit.* Non potest id quod est secundum se bonum, et vivificum, esse causa mali, et mortis, secundum illud *Matth. 7. 18. Non potest arbor bona fructus malos facere.*

Tertio ibi, *Sed peccatum etc.* concordat id quod nunc dicitur, cum eo quod supra dictum est: non enim mandatum sic invenitur esse ad mortem quod ipsum mortem operetur: et hoc est quod dicit : *Sed peccatum , ut appareat peccatum*, idest ex hoc apparet esse peccatum , per legis *bonum* , idest per mandatum legis , quia ex hoc ipso bonum est quod facit cognitionem peccati, *operatum est mihi mortem;* et hoc occasionaliter, inquantum manifestat peccatum. Non autem sic intelligitur peccatum per legem operatum esse mortem , quasi sine lege mors non fuisset, dictum est enim supra quod *regnavit mors ab Adam usque ad Moysem*, scilicet cum lex non esset, sed intelligitur quod peccatum per legem operatur mortem, quia damnatio mortis est augmentata lege adveniente: et hoc est quod subditur: Ita dico, quod peccatum operatum est mortem per bonum, *ut peccatum fiat peccans*, idest peccare faciens per mandatum legis occasionaliter; et hoc *supra modum* quo antea peccabat , vel quia accessit reatus praevaricationis , vel quia crevit concupiscentia peccati, ut supra dictum est, veniente prohibitione legis. Peccatum autem hic intelligitur, sicut supra diximus, vel diabolus, vel potius fomes peccati.

## LECTIO III.

Scimus enim quod lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum , venumdatus sub peccato. Quod enim operor , non intelligo: non enim quod volo bonum , hoc ago ; sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo , illud facio , consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud , sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me , hoc est in carne mea , bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum , hoc facio , sed quod nolo malum , hoc ago. Si autem quod nolo , illud facio , iam non ego operor illud , sed quod habitat in me peccatum.

Postquam Apostolus exclusit illa ex quibus lex videbatur esse mala, et mali effectus; hic probat legem esse bonam: et circa hoc duo facit. Primo probat bonitatem legis ex ipsa repugnantia quae in homine invenitur ad bonum, quam lex tollere non potest; secundo ostendit per quod huiusmodi legis repugnantia tolli potest, ibi, *Infelix ego homo etc.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Quod enim operor etc.* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Invenio igitur aliam legem.* Circa primum duo facit. Primo proponit legis bonitatem; secundo hominis conditionem, ibi, *Ego autem carnalis sum.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod lex est sancta; et hoc dixi: *Scimus enim*, nos quod sumus in divinis sapientes, *quod lex*, scilicet vetus, *spiritualis est*, scilicet spiritu homines concordans: *Psal. 18. 8. Lex Domini immaculata.* Vel *spiritualis est*, idest a Spiritu sancto data, qui digitus Dei dicitur in Scripturis: *Lucae 11. 20. Si in digito Dei eiicio daemonia.* Unde dicitur *Exod. 31. 18. Dedit Dominus Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Lex tamen nova non solum dicitur lex spiritualis, sed lex spiritus, ut patet *infra 8.* quia non solum a Spiritu sancto est, sed Spiritus sanctus eam imprimit cordi quod inhabitat. Deinde cum dicit, *Ego autem carnalis sum*, ostendit conditionem hominis; et potest hoc verbum dupliciter exponi. Uno quidem modo, ut Apostolus loquatur in persona hominis in peccato existentis; et ita hoc Augustinus exponit *in lib. 83. Quaest. quaest. 66.* Postea vero *in lib. contra Iulian. lib. 3. cap. 26.* exponit hoc, ut Apostolus intelligatur loqui in persona sua, idest hominis sub gratia constituti. Prosequamur ergo declarando qualiter haec verba, et sequentia diversimode possunt utroque modo exponi, quamvis secunda expositio melior sit. Quod ergo dicitur primo, *Ego autem carnalis sum*, sic intelligendum est ut ly *ego* pro ratione hominis intelligatur, quae est principale in homine: unde videtur unusquisque homo esse sua ratio, vel suus intellectus; sicut civitas videtur esse rector civitatis, ita ut quod ille facit, civitas facere videatur. Dicitur tamen homo carnalis, quia eius ratio carnalis est; quae dicitur carnalis dupliciter. Uno modo ex eo quod subditur carni, consentiens his ad quae caro instigat, secundum illud *1. Corinth. 3. 3. Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis?* et hoc modo intelligitur de homine nondum per gratiam reparato. Alio modo dicitur ratio esse carnalis ex eo quod a carne impugnatur, secundum illud *Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum:* et hoc modo intelligitur esse carnalis ratio etiam hominis sub gratia constituti: utraque enim carnalitas provenit ex peccato: unde subdit: *Venumdatus sub peccato.*

Sed tamen notandum, quod carnalitas, quae importat rebellionem carnis ad spiritum, provenit ex peccato primi parentis: quia hoc pertinet ad fomitem, cuius corruptio ex illo peccato derivatur; carnalitas autem, quae importat subiectionem ad carnem, provenit non solum ex peccato originali, sed etiam actuali, per quod homo obediendo concupiscentiis carnis, servum se carnis constituit: unde subdit: *Venumdatus sub peccato*, scilicet vel primi parentis, vel proprio. Et dicit, *Venumdatus*, quia peccator seipsum vendit in servum peccati, pretio propriae voluntatis implendae: *Isai. 50. 1. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.*

Deinde cum dicit, *Quod enim operor, non intelligo*, ostendit quod proposuerat: et primo quod lex sit spiritualis; secundo quod homo sit carnalis, venumdatus sub peccato, ibi, *Nunc autem iam non ego operor illud.* Circa primum duo facit. Primo proponit probationem; secundo inducit conclusionem, ibi, *Si autem quod nolo, illud facio etc.* Sumitur autem probatio ex hominis infirmitate, quam primo proponit; secundo adducit probationem, ibi, *Non enim quod volo bonum, hoc ago.* Infirmitas autem hominis est manifesta ex hoc quod operatur id quod intelligit non esse operandum: unde dicitur: *Quod enim operor, non intelligo*, scilicet esse operandum: quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo de eo qui est subiectus peccato; qui quidem in universali intelligit non esse operandum peccatum, tamen victus suggestione daemonis, vel passione, vel inclinatione perversi habitus, operatur illud: et ideo dicitur operari quod intelligit non esse operandum, contra conscientiam faciens, sicut dicitur *Luc. 12. 41. Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, digne plagis vapulabit multis.* Alio modo potest intelligi de eo qui est in gratia constitutus; qui quidem operatur malum, non quidem exequendo in opere, vel consentiente mente, sed solum concupiscendo secundum passionem sensibilis appetitus: et illa concupiscentia est praeter rationem, et intellectum, quia praevenit eius iudicium, quo adveniente, talis operatio impeditur. Et ideo signanter non dicit, Intelligo non esse faciendum, sed *non intelligo:* quia scilicet intellectu nondum deliberato, aut praecipiente, talis operatio concupiscentiae insurgit: *Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Deinde cum dicit, *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, probat quod dixerat et per divisionem, et per effectum. Per divisionem quidem eius quod dixit, *Quod enim operor.* Sub quo duo continentur, scilicet non agere bonum, et agere malum: quia etiam ille qui non agit bonum, dicitur operari peccatum peccato omissionis. Ex parte autem eius quod dixit, *Non intelligo*, probat per effectum: quia enim intellectus movet voluntatem, velle est effectus eius quod est intelligere. Dicit ergo primo quantum ad omissionem boni: *Non enim ago hoc bonum*, quod volo agere: quod quidem uno modo potest intelligi de homine sub peccato constituto: et sic hoc quod dicit, *Ago*, est accipiendum secundum actionem completam, quae exterius opere exercetur per rationis consensum; quod autem dicit, *Volo*, est intelligendum, non quidem de voluntate completa, quae est operis praeceptiva, sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt, sicut in universali habent rectum iudicium de bono; tamen per habitum, vel passionem perversam pervertitur hoc iudicium, et depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat quod in universali intelligit agendum, et agere vellet. Secundum autem quod intelligitur de homine per gratiam reparato, e converso oportet intelligere per hoc quod dicit, *Volo*, voluntatem completam perdurantem in electione particularis operationis, ut per hoc quod dicit, *Ago*, intelligatur actio incompleta, quae consistit tantum in appetitu sensitivo, non perveniens usque ad rationis

consensum. Homo enim sub gratia constitutus vult quidem mentem suam a pravis concupiscentiis conservare, sed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiscentiae, insurgentes in appetitu sensitivo. Et simile est quod dicit *Gal. 5. 17. Ut non quaecumque vultis, illa faciatis.* Secundo quantum ad perpetrationem mali subdit: *Sed quod odi malum, illud facio:* quod quidem si intelligatur de homine peccatore, per hoc quod dicit, *Odi*, intelligatur quoddam odium imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum; per hoc autem quod dicit, *Facio*, intelligatur actio perfecta per operis executionem secundum rationis consensum: nam illud odium mali in universali tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus, vel passionis. Si vero intelligitur de homine sub gratia constituto, per hoc quod dicit, *Facio*, intelligitur e converso actio imperfecta, quae consistit in sola concupiscentia appetitus sensitivi; per hoc autem quod dicit, *Odi*, intelligitur odium perfectum quo quis perseverat in detestationem mali usque ad finalem reprobationem ipsius, de quo dicitur *in Psal. 138. 22. Perfecto odio oderam illos*, scilicet malos, inquantum sunt peccatores: *2. Machab. 3. 1. Cum leges adhuc optimae custodirentur propter Oniae pontificis pietatem, et alios odio habentes malum.* Deinde cum dicit, *Si autem quod nolo, illud facio*, concludit ex praemissa dispositione hominis, quod lex sit bona, dicens: *Si autem quod nolo, illud facio*, quocumque dictorum modorum intelligitur hoc ipso quod nolo malum, *consentio legi quoniam bona est*, in hoc quod prohibet malum, quod ego naturaliter nolo. Manifestum est enim quod inclinatio hominis secundum rationem ad volendum bonum, et fugiendum malum, est secundum naturam, vel gratiam; et utraque est bona. Unde et lex, quae huic inclinationi consentit praecipiendo bonum, et prohibendo malum, eadem ratione est bona: *Prov. 4. 2. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.*

Deinde cum dicit, *Nunc autem iam non ego operor illud*, probat quod dixerat de conditione hominis, scilicet quod sit carnalis venumdatus sub peccato: et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Scio enim etc.* tertio concludit intentum, ibi, *Si autem quod nolo, illud facio etc.* Quod autem homo carnalis venumdatus sub peccato, quasi aliqualiter sit servus peccati, ex hoc apparet quod ipse non agit, sed agitur a peccato: ille enim qui est liber, ipse per seipsum agit, et non ab alio agitur. Et ideo dicit: Dictum est, quod per intellectum, et voluntatem *consentio legi;* nunc autem dum contra legem facio, *ego iam non operor illud*, quod facio contra legem, *sed peccatum quod in me habitat:* et sic patet me esse servum peccati, inquantum peccatum in me quasi dominium habens operatur. Et hoc quidem recte, ac faciliter potest intelligi de homine sub gratia constituto: quod enim concupiscit malum secundum appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit ex opere rationis, sed ex inclinatione fomitis. Illud autem homo dicitur operari quod ratio operatur, quia homo est id quod est secundum rationem: unde motus concupiscentiae, qui non sunt a ratione, sed a fomite, non operatur homo, sed fomes peccati, qui hic peccatum nominatur: *Iacob. 4. 1. Unde bella, et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris?* Sed de homine sub peccato constituto hoc proprie intelligi non potest, quia eius ratio peccato consentit, et ideo ipsemet operatur: unde dicit Augustinus, et habetur in Glossa: *Multum fallitur homo qui consentiens est concupiscentiae suae, et quod illa desiderat decernens facere, et statuens, putat sibi adhuc esse dicendum: Non ego operor illud.* Potest tamen licet extorte, exponi etiam de homine peccatore. Actio enim maxime attribuitur principali agenti, quod secundum proprietatem suam movet; non autem agenti quod movet, vel agit secundum proprietatem alterius a quo movetur. Manifestum est autem quod ratio hominis, secundum illud quod est proprium sibi, non inclinatur ad malum, sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideo operatio mali quam ratio facit, prout est a concupiscentia victa, non attribuitur principaliter rationi, quae hic per hominem intelligitur, sed potius ipsi concupiscentiae, vel habitui ex quo ratio inclinatur ad malum. Dicitur autem peccatum habitare in homine, non quasi peccatum sit res aliqua, cum sit privatio boni; sed designatur permanentia huiusmodi defectus in homine. Deinde cum dicit, *Scio enim*, probat quod peccatum habitans in homine operatur malum quod homo facit; et primo ponit medium ad probandum propositum; secundo illud medium manifestat, ibi, *Nam velle adiacet mihi.* Probat ergo primo quod peccatum habitans in homine operatur malum quod homo facit; quae quidem probatio manifesta est secundum quod verba referuntur ad hominem sub gratia constitutum, qui est liberatus a peccato per gratiam Christi, ut *supra 4.* habitum est. Quantum ergo ad eum in quo Christi gratia non habitat, nondum est liberatus a peccato. In carne autem gratia Christi non habitat, sed habitat in mente: unde *infra 8. 10.* dicitur, quod *si Christus in vobis est, corpus quidem mortuus est propter peccatum, spiritus autem vivit propter iustificationem.* Igitur adhuc in carne dominatur peccatum, quod operatur concupiscentia carnis: carnem enim hic accipit simul cum viribus sensitivis: sic enim caro distinguitur contra spiritum, et ei repugnat, inquantum appetitus sensitivus tendit in contrarium eius quod ratio appetit, secundum illud *Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum.* Dicit ergo: Dictum est, quod *in me*, etiam per gratiam reparato, *peccatum operatur;* sed intelligendum est *in me* secundum carnem simul cum appetitu sensitivo: *scio enim* per rationem, et experimentum, quod *bonum*, scilicet gratiae, quo reformatus sum, *non habitat in me.* Sed ne intelligatur secundum rationem, secundum modum superius positum exponit: *Hoc est in carne mea:* nam in me, idest in corde meo, hoc bonum habitat, secundum illud *Ephes. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Et per hoc patet quod hoc verbum non patrocinatur Manichaeis, qui volunt carnem non esse bonam secundum naturam; et ita non esse creaturam Dei boni, cum scriptum sit *1. Tim. 4. 4. Omnis creatura Dei bona est.* Non enim hic Apostolus agit de bono naturae, sed de bono gratiae, quo a peccato liberamur. Si vero hoc referatur ad hominem sub peccato existentem, superflue additur quod dicit, *Hoc est in carne mea:* quia in homine pecca-

tore bonum gratiae non habitat nec quantum ad carnem, nec quantum ad mentem; nisi forte quis extorte velit exponere hoc esse dictum, quia peccatum, quod est privatio gratiae, quodam modo a carne derivatur ad mentem. Deinde cum dicit, *Nam velle adiacet mihi*, manifestat quod dixerat: et primo ex hominis facultate; secundo ex hominis actione, quae facultatem demonstrat, ibi, *Non enim quod volo bonum, hoc facio.* Facultas autem hominis primo describitur quantum ad voluntatem, quae videtur in hominis esse potestate: unde dicit: *Nam velle adiacet mihi*, idest propinquum est mihi, quasi sub mea potestate existens: nihil enim est tam in hominis voluntate constitutum quam hominis voluntas, ut Augustinus dicit *de lib. Arbitr. lib. 3. cap. 5.* Secundo ponit facultatem hominis, vel potius difficultatem, quantum ad consummationem effectus, cum subdit: *Perficere autem bonum non invenio*, scilicet in mea potestate existens, secundum illud *Prov. 16. 1. Hominis est praeparare animum:* et iterum *ibidem 9. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Hoc autem verbum patrocinari videtur Pelagianis, qui dicebant, quod initium boni operis est ex nobis, inquantum bonum volumus; et hoc est quod videtur Apostolus dicere: *Perficere autem bonum non invenio.* Sed hunc sensum excludit Apostolus *Phil. 2. 13.* dicens: *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere.* Quod ergo dicit, *Velle adiacet mihi*, scilicet per gratiam iam reparato, est ex operatione divinae gratiae; per quam quidem gratiam non solum volo bonum, sed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiscentiae, et contra eam ago ductus spiritu; sed non invenio in mea potestate quomodo illud bonum perficiam, ut scilicet totaliter concupiscentiam excludam. Et per hoc manifestatur quod bonum gratiae non habitat in carne: quia si in carne habitaret, sicut habeo facultatem volendi bonum per gratiam habitantem in mente, ita haberem facultatem perficiendi bonum per gratiam habitantem in carne. Si vero referatur ad hominem sub peccato constitutum, sic exponi poterit ut *velle* accipiatur pro voluntate incompleta, quae ex instinctu naturae in quibuscumque peccantibus est ad bonum; sed illud *velle* adiacet homini, idest iuxta hominem iacet, quasi infirmum, nisi gratia voluntati tribuat efficaciam ad perficiendum. Deinde cum dicit, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, manifestat quod dixerat ex actione hominis, quae est signum, et effectus facultatis humanae. Ex hoc enim apparet quod homo non invenit perficere bonum, quia non agit bonum quod vult, sed facit malum quod non vult; et hoc quidem supra expositum est.

Deinde cum dicit, *Si autem quod nolo, illud facio*, concludit illud quod supra proposuerat, dicens: *Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum:* et hoc etiam supra expositum est. Sed notandum est, quod ex uno et eodem medio, scilicet *quod nolo illud facio*, Apostolus duo concludit quae supra posuerat, scilicet legis bonitatem, cum dicit: *Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi Dei quoniam bona est;* et iterum dominium peccati in homine, cum dicit hic: *Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* quarum duarum conclusionum prima pertinet ad hoc quod dixerat, *Lex spiritualis est*; secunda ad hoc quod dixerat, *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Sed primam conclusionem, quae est de bonitate legis, elicit ex illo medio ratione eius quod dicit, *Nolo*: quia eius ratio non vult illud quod lex prohibet; et ex hoc patet legem esse bonam; sed ex parte eius quod dicit, *Illud facio*, concludit in homine dominari peccatum, quod contra voluntatem rationis operatur.

## LECTIO IV.

Invenio igitur aliam legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

Postquam Apostolus ostendit legem esse bonam ex eo quod rationi concordat; hic infert duas conclusiones secundum duo quae posuerat. Secunda ponitur ibi, *Video autem aliam legem in membris meis.* Circa primum duo facit. Primo infert conclusionem ex dictis; secundo ponit signum ad maiorem manifestationem, ibi, *Condelector enim legi Dei.* Duo autem supra posuerat. Primum quidem, quod lex spiritualis est; quo iam probato, concludit sic: *Invenio igitur*, scilicet per experimentum, *legem* Moysi consonam esse *mihi volenti facere bonum*, idest rationi meae, per quam bonum adprobo, et malum detestor, dum et ipsa lex bonum mandat, et malum prohibet: *Deut. 30. 14. Iuxta te est verbum valde in ore tuo, et in corde tuo; ut facias illud.* Et hoc modo necessarium fuit quod, idest *quia malum*, idest peccatum, vel fomes peccati, *mihi adiacet*, idest iuxta rationem meam iacet, quasi carnem meam inhabitans: *Mich. 7. 5. Ab ea quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui*, idest a carne. Deinde cum dicit, *Condelector enim legi Dei*, ponit signum, per quod ostenditur quod lex rationi consentiat. Nullus enim delectatur nisi in eo quod est sibi conveniens. Homo autem secundum rationem delectatur in lege Dei. Ergo lex Dei est conveniens rationi; et hoc est quod dicit: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, idest secundum rationem, et mentem: quae interior homo dicitur: non quod anima sit effigiata secundum formam hominis, ut Tertullianus posuit, vel quod ipsa sola sit homo, ut Plato posuit, quod homo est anima utens corpore; sed quia id quod est principalius in homine, dicitur homo, ut supra dictum est. Est autem in homine principalius secundum apparentiam quidem id quod est exterius, scilicet corpus sic effigiatum, quod dicitur homo exterior; secundum veritatem autem id quod est intrinsecum, scilicet mens, vel ratio, quae hic dicitur homo interior: *Psal. 118. 103. Quam dulcia faucibus meis e-*

*loquia tua! 1. Mach. 12. 9. Habentes solatio libros sanctos, qui in manibus nostris sunt.*

Deinde cum dicit, *Video autem etc.* ponit aliam conclusionem, quae respondet ei quod supra secundo posuerat, dicens: *Ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato:* dicens: *Video aliam legem in membris meis*, quae est fomes peccati: quae quidem potest dici lex duplici ratione. Uno modo propter similes effectus, quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum; alio modo per comparationem ad causam. Cum autem fomes sit quaedam poena peccati, duplicem causam habet. Una quidem ipsum peccatum, quod in peccante dominium accepit, et ei legem imposuit, quae est fomes, sicut dominus servo victo legem imponit. Alia causa fomitis est Deus, qui hanc poenam homini peccanti indidit, ut rationi eius inferiores vires non obedirent. Et secundum hoc ipsa inobedientia inferiorum virium, quae dicitur fomes, lex dicitur, inquantum est per legem divinae iustitiae introducta; sicut iusti iudicis sententia quasi lex habetur, secundum illud *1. Reg. 30. 25. Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum, et praefinitum, et quasi lex in Israel usque ad diem hanc.* Haec autem lex originaliter quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusive invenitur in omnibus membris, quae deserviunt concupiscentiae ad peccandum: *Supra 6. 19. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* Et ideo dicit, *In membris meis.* Haec autem lex duos effectus in homine habet. Primo namque resistit rationi; et quantum ad hoc dicit: *Repugnantem legi mentis meae*, idest legi Moysi, quae dicitur lex mentis, inquantum consonat menti; vel legi naturali, quae dicitur lex mentis, quia naturaliter menti indita est: *Supra 2. 15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et de hac repugnantia *Gal. 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum.* Secundus effectus est quod hominem in servitutem redigit; et quantum ad hoc subdit: *Et captivantem me*, vel *captivum me ducentem* secundum aliam litteram, *in lege peccati, quae est in membris meis,* idest in meipso, more Hebraicae locutionis, secundum quam ponuntur nomina loco pronominum. Lex autem peccati captivat hominem dupliciter: uno modo hominem peccatorem per consensum, et operationem; alio modo hominem sub gratia constitutum, quantum ad concupiscentiae motum. De hac captivitate dicitur *in Psal. 125. 1. In convertendo Dominus captivitatem Sion.*

Deinde cum dicit, *Infelix ego homo etc.* agit de liberatione a lege peccati; et tria circa hoc facit. Primo quidem ponit quaestionem; secundo ponit responsionem, ibi, *Gratia Dei etc.* tertio infert conclusionem, ibi, *Igitur ego ipse mente servio legi Dei.* Circa primum duo facit. Unum quidem confitetur, scilicet suam miseriam, cum dicit, *Infelix ego homo:* quod quidem est per peccatum quod in homine habitat, sive quantum ad carnem tantum, sicut in iusto, sive etiam quantum ad mentem, sicut in peccatore: *Prov. 14. 34. Miseros facit populos peccatum: Psal. 37. 7. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem.* Aliud autem quaerit dicens: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* quae quidem videtur quaestio esse desiderantis, secundum illud *Psal. 141. 8. Educ de carcere animam meam.* Sciendum est tamen, quod in corpore hominis considerari potest natura ipsa corporis, quae est conveniens animae, unde ab ea non vult separari: *2. Cor. 5. 5. Nolumus expoliari, sed supervestiri:* et iterum corruptio corporis, quae aggravat animam, secundum illud *Sap. 9. 15. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et ideo signanter dicit, *De corpore mortis huius.* Deinde cum dicit, *Gratia Dei etc.* respondet quaestioni: non enim homo propriis viribus potest liberari a corporis corruptione, nec etiam animae, quamvis consentiat rationi contra peccatum, sed solum per gratiam Christi, secundum illud *Ioan. 8. 26. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Et ideo sequitur: *Gratia Dei,* scilicet me liberabit, quae datur *per Iesum Christum: Ioan. 1. 17. Gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.* Haec autem liberat a corpore mortis huius dupliciter: uno modo ut corruptio corporis menti non dominetur, trahens eam ad peccandum; alio modo ut corruptio corporis totaliter tollatur. Quantum ergo ad primum convenit dicere peccatori: Gratia liberavit me *de corpore mortis huius,* idest liberavit me a peccato, in quod est anima inducta ex corporis corruptione, sed ab hoc iam iustus liberatus est; unde ei competit dicere quantum ad secundum: Gratia Dei liberavit me *de corpore mortis huius,* ut scilicet in corpore meo non sit corruptio peccati, aut mortis; quod erit in resurrectione. Deinde cum dicit, *Igitur ego ipse etc.* infert conclusionem, quae secundum duas praemissas expositiones diversimode ex praemissis infertur. Secundum enim quod praemissa verba exponuntur in persona peccatoris, sic inferenda est conclusio. Dictum est, quod gratia Dei liberabit me a corpore mortis huius, ut scilicet ab ea non deducar in peccatum: ergo quando ero iam liberatus, *mente servio legi Dei,* secundum carnem autem *legi peccati:* quae quidem in carne remanet quantum ad fomitem, per quem caro concupiscit adversus spiritum. Si autem praemissa verba intelligantur ex persona iusti, sic est inferendum: *Gratia Dei per Iesum Christum,* liberavit me *de corpore mortis huius;* ita scilicet ut in me non sit corruptio peccati, et mortis. *Igitur ego ipse,* unus et idem antequam liberer, *mente servio legi Dei,* ei consentiens; *carne autem servio legi peccati,* inquantum caro mea secundum legem carnis movetur ad concupiscendum.

## CAPITIS OCTAVI

### LECTIO PRIMA

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati, et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt,

quae carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt: nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, et pax.

Postquam Apostolus ostendit quod per gratiam Christi liberamur a peccato, et lege; hic ostendit quod per eamdem gratiam liberamur a damnatione: et primo ostendit quod per gratiam Christi liberamur a damnatione culpae; secundo quod per eamdem gratiam liberamur a damnatione poenae, ibi, *Si autem Christus in vobis est etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Lex enim spiritus vitae etc.* Circa primum duo facit. Primo proponit beneficium quod gratia confert, concludens ex praemissis ita. Gratia Dei per Iesum Christum liberavit me de corpore mortis huius, in qua existit nostra redemptio. *Ergo nunc*, ex quo sumus per gratiam liberati, *nihil damnationis est* residuum: quia et tollitur damnatio quantum ad culpam, et quantum ad poenam: *Iob 34. 29. Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?* Secundo ostendit quibus hoc beneficium concedatur; et ponit duas conditiones quae ad hoc requiruntur: quarum primam ponit, dicens: *His qui sunt in Christo Iesu,* idest qui sunt ei incorporati per fidem, et dilectionem, et fidei sacramentum: *Gal. 3. 27. Omnes quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: Ioan. 15. 4. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Illis vero qui non sunt in Christo Iesu, damnatio debetur: unde *ibidem 6.* subditur: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Secundam conditionem ponit, dicens: *Qui non secundum carnem ambulant*, idest concupiscentiam carnis non sequntur: *2. Cor. 10. 3. In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.*

Ex his autem verbis aliqui volunt accipere, quod in infidelibus, qui non sunt in Christo Iesu, etiam primi motus sint peccata mortalia, quamvis eis non consentiant; quod est secundum carnem ambulare. Si enim illi qui non secundum carnem ambulant, ex hoc non eis damnabile est quod carne serviunt legi peccati secundum primos concupiscentiae motus, quia sunt in Christo Iesu; sequitur a contrario sensu, quod illis qui non sunt in Christo Iesu, hoc sit damnabile. Ad hoc etiam rationem inducunt: dicunt enim quod necesse est actum damnabilem esse qui procedit ex habitu damnabilis peccati. Peccatum autem originale est damnabile, quia privat hominem aeterna vita, cuius habitus manet in infideli, cui non est originalis culpa dimissa. Quilibet ergo motus concupiscentiae ex originali peccato proveniens, est in eis peccatum damnabile.

Primo autem ostendendum est hanc positionem esse falsam. Primus enim motus habet quod non sit peccatum mortale ex eo quod rationem non attingit, in qua completur ratio peccati. Ista autem causa etiam in infidelibus manet. Unde in infidelibus primi motus non possunt esse peccata mortalia. Praeterea in eadem specie peccati gravius peccat fidelis quam infidelis, secundum illud *Hebr. 10. 29. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Si ergo primi motus in infidelibus essent peccata mortalia, multo magis in fidelibus.

Secundo respondendum est ad eorum rationes. Nam primo quidem ex littera Apostoli hoc habere non possunt. Non enim dicit Apostolus, quod hoc solum non sit damnabile his qui sunt in Christo Iesu, quod carne serviunt legi peccati secundum concupiscentiae motus, sed quod omnino nihil est eis damnationis; illis autem qui non sunt in Christo Iesu, est hoc ipsum damnabile. Praeterea si hoc ad primos motus referatur, his qui non sunt in Christo Iesu, sunt damnabiles huiusmodi motus, secundum damnationem originalis peccati, quae adhuc in eis manet, a qua sunt liberati hi qui sunt in Christo Iesu; non autem sic quod per huiusmodi motus nova addatur eis damnatio. Quod etiam secundo obiiciunt, non ex necessitate concludit quod intendunt. Non enim verum est quod actus quilibet procedens ex habitu peccati damnabilis, sit etiam et ipse damnabilis, sed solum quando est actus perfectus per consensum rationis. Si enim in aliquo sit habitus adulterii, motus concupiscentiae adulterii, qui est actus imperfectus, non est in eo peccatum mortale; sed solum motus perfectus, qui est per consensum rationis: et praeterea actus ex tali habitu procedens, non habet aliam rationem damnationis ab ea quae est secundum rationem habitus. Et secundum hoc primi motus in infidelibus, ex eo quod procedunt a peccato originali, non afferunt damnationem peccati mortalis, sed solum originalis.

Deinde cum dicit, *Lex enim spiritus vitae etc.* probat quod dixerat: et primo quantum ad primam conditionem, qua dixerat, nihil esse damnationis his qui sunt in Christo Iesu; secundo quantum ad secundam conditionem, qua dixerat, *Qui non secundum carnem ambulant*, ibi, *Qui non secundum carnem ambulamus etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit probationem; secundo manifestat quod supposuerat per causam, ibi, *Nam quod impossibile erat legi etc.* Circa primum ponit talem rationem. Lex spiritus liberat hominem a peccato, et morte. Sed lex spiritus est in Iesu Christo. Ergo per hoc quod aliquis est in Christo Iesu, liberatur a peccato, et morte. Quod autem lex spiritus liberet a peccato, et morte, sic probat. Lex spiritus est causa vitae. Sed per vitam excluditur peccatum, et mors, quae est effectus peccati: nam et ipsum peccatum est spiritualis mors animae. Ergo lex spiritus liberat hominem a peccato, et morte. Damnatio autem non est nisi per peccatum, et mortem. Ergo his qui sunt in Christo Iesu, nihil damnationis existit. Hoc est ergo quod dicit: *Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati, et mortis*: quae quidem lex potest dici uno modo Spiritus sanctus, ut sit sensus: *Lex spiritus*, idest lex quae est Spiritus: lex enim ad hoc datur ut per eam homines inducantur ad bonum: unde et Philosophus *in 2. Ethic. cap. 1.* dicit, quod intentio legislatoris est cives facere bonos: quod quidem lex humana facit, solum notificando quid fieri debeat; sed Spiritus sanctus mentem inhabitans non solum docet quid oporteat fieri, intellectum illuminando de agendis, sed etiam affectum inclinat ad recte agendum: *Ioan. 14. 26. Paraclitus*

*autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, quantum ad primum *et suggeret vobis omnia* quantum ad secundum *quaecumque dixero vobis.* Alio modo lex spiritus potest dici proprius effectus Spiritus sancti, scilicet fides per dilectionem operans: quae quidem et docet interius de agendis, secundum illud *infra 1. Ioan. 2. 27. Unctio docebit vos de omnibus:* et inclinat affectum ad agendum, secundum illud *2. Corinth. 5. 14. Caritas Christi urget nos.* Et haec quidem lex spiritus dicitur lex nova, quae vel est ipse Spiritus sanctus, vel eam in cordibus nostris Spiritus sanctus facit: *Hier. 31. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum superscribam eam.* De lege autem veteri supra dixit solum, quod erat spiritualis, idest a Spiritu sancto data: et sic praedicta considerantes inveniemus quatuor leges ab Apostolo esse inductas. Primo legem Moysi, de qua dicit *supra 7. 22. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Secundo legem fomitis, de qua dicit *ibidem 23. Video aliam legem in membris meis.* Tertio legem naturalem secundum unum sensum, de qua subdit *ibid. 23. Repugnantem legi mentis meae.* Quarto tradit legem novam, cum dicit, *Lex spiritus:* et addit, *Vitae*, quia sicut spiritus naturalis facit vitam naturae, sic Spiritus divinus facit vitam gratiae: *Ioan. 6. 64. Spiritus est qui vivificat: Ezech. 1. 20. Spiritus vitae erat in rotis.* Addit autem, *In Christo Iesu*, quia scilicet iste Spiritus non datur nisi his qui sunt in Christo Iesu: sicut enim spiritus naturalis non pervenit ad membrum quod non habet connexionem ad caput, ita Spiritus sanctus: *1. Ioan. 3. 24. In hoc scimus quod ipse manet in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis: Act. 5. 32. Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.* Haec, inquam, lex, eo quod est in Christo Iesu, *liberavit me: Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Et hoc *a lege peccati*, idest a consensu, et operatione peccati, quod hominem tenet ligatum per modum legis. Per Spiritum enim sanctum remittitur peccatum: *Ioan. 20. 22. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et mortis,* non solum spiritualis, sed etiam corporalis, ut infra probabitur. Et hoc ideo quia est spiritus vitae: *Ezech. 37. 9. A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Deinde cum dicit, *Nam quod impossibile erat legi etc.* manifestat quod dixerat, scilicet quod lex vitae quae est in Christo Iesu, liberat a peccato. Nam quod liberet a morte, infra probabit: et hoc probat per causam, quae sumitur ex incarnatione Christi: circa quam tria ponit. Primo necessitatem incarnationis; secundo modum incarnationis, ibi, *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati;* tertio incarnationis fructum, ibi, *Et de peccato damnavit peccatum.* Et ut planior fiat expositio, accipiemus primo secundum, secundo tertium, tertio primum, hoc modo: Recte dico, quod lex spiritus vitae in Christo Iesu liberat a peccato: *nam Deus* Pater *Filium suum*, idest proprium, consubstantialem sibi, et coaeternum: *Psal. 2. 7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: mittens*, non de novo creans, vel faciens; sed quasi praeexistentem misit: *Matth. 21. 37. Novissime misit ad eos filium suum;* non quidem ut esset ubi non erat, quia, ut dicitur *Ioan. 1. 10. in mundo erat*, sed ut esset modo quo non erat in mundo, idest visibiliter per carnem assumptam: unde *ibidem* sequitur *14. Verbum caro factum est..et vidimus gloriam eius: Bar. 3. 38. Post haec in terris visus est.* Et ideo hic subditur: *In similitudinem carnis peccati:* quod non est sic intelligendum quasi veram carnem non habuerit, sed solum carnis similitudinem quasi phantasticam, sicut Manichaei dicunt; cum ipse Dominus dicat *Luc. ult. 39. Spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Unde non subdit solum, *In similitudinem carnis*, sed *in similitudinem carnis peccati:* non enim habuit carnem peccati, idest cum peccato conceptam, quia caro eius fuit concepta per Spiritum sanctum, qui tollit peccatum: *Matth. 1. 20. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Unde *Psal. 25. 2,* dicit: *Ego in innocentia mea ingressus sum*, scilicet in mundum. Sed habuit similitudinem carnis peccati, idest similem carni peccatrici in hoc quod erat passibilis; nam caro hominis ante peccatum passioni subiecta non erat: *Heb. 2. 17. Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Subdit autem duplicem effectum incarnationis: quorum primus est remotio peccati, quam ponit dicens: *De peccato damnavit peccatum in carne:* quod quidem potest legi: *De peccato*, idest pro peccato commisso in carne Christi, diabolo instigante, ab occisoribus eius, *damnavit*, idest destruxit, *peccatum:* quia cum diabolus innocentem, in quo nihil iuris habebat, attentavit morti tradere, iustum fuit ut potestatem amitteret. Et ideo per suam passionem, et mortem dicitur peccatum destruxisse: *Col. 2. 15. Expolians*, scilicet in cruce, *principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Sed melius est ut dicatur: *Damnavit peccatum in carne*, idest debilitavit fomitem peccati in carne nostra, *de peccato*, idest ex virtute passionis suae, et mortis; quae dicitur peccatum propter similitudinem peccati, ut dictum est; vel quia per hoc factus est hostia pro peccato, quae in sacra Scriptura dicitur peccatum: *Osee 4. 8, Peccata populi mei comedent.* Unde dicit *2. Corinth. 6. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum*, idest hostiam pro peccato. Et ita satisfaciendo pro nostro peccato, abstulit peccatum mundi: *Ioan. 1, 29. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundum effectum ponit consequenter, dicens: *Ut iustificatio legis*, idest iustitia quam lex promittebat, et quam ex lege aliqui sperabant, *impleretur*, idest perficeretur, *in nobis*, existentibus scilicet in Christo Iesu: *Infra 9. 30. Gentes quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam quae est ex fide:* et *2. Corinth. 5. 21,* cum dixisset, *Eum qui non noverat peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum,* subdit: *Ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Hoc aliter fieri non poterat quam per Christum; et ideo praemisit, quod scilicet damnare potest peccatum in carne, et implere iustificationem, *quod erat impossibile legi* Moysi: *Hebr. 7. 19. Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et hoc quidem erat legi impossibile, non propter defectum legis, *sed in quo*, idest inquantum, *infirmabatur per carnem*, idest propter infirmitatem carnis, quae erat in homine ex corruptione fomitis, ex qua proveniebat quod, etiam lege data, homo a concupiscentia vincebatur: *Matth. 26. 41. Spiritus qui-*

*dem promptus est, caro autem infirma:* et *supra 6. 19. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae.* Et ex hoc patet quod necesse fuit Christum incarnari: unde et *Galat. 2. 11.* dicitur: *Si per legem est iustitia, Christus gratis mortuus est*, idest sine causa. Ideo ergo necessarium fuit Christum incarnari, quia lex iustificare non poterat.

Deinde cum dicit, *Qui non secundum carnem ambulamus*, probat propositum quantum ad secundam conditionem, ostendens quod ad hoc quod aliqui damnationem evadant; requiritur quod non secundum carnem ambulent: et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt;* tertio manifestat quoddam quod in probatione supposuerat, ibi, *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod iustificatio legis impletur in nobis, qui scilicet non solum sumus in Christo Iesu, sed etiam non ambulamus secundum carnem, sed secundum spiritum, idest qui non sequimur concupiscentias carnis, sed instinctum Spiritus sancti: *Galat. 5. 16. Spiritu ambulate.* Deinde cum dicit, *Qui enim secundum carnem sunt etc.* probat quod dixerat, et inducit duos syllogismos: unum quidem ex parte carnis, qui est talis. Quicumque sequuntur prudentiam carnis, ducuntur ad mortem. Sed quicumque sunt secundum carnem, sequuntur prudentiam carnis. Ergo quicumque sunt secundum carnem, ducuntur ad mortem. Alium syllogismum ponit ex parte spiritus, qui est talis. Quicumque sequuntur prudentiam spiritus, consequuntur vitam, et pacem. Sed quicumque sunt secundum spiritum, sequuntur prudentiam spiritus. Ergo quicumque sunt secundum spiritum, sequuntur vitam, et pacem. Et sic patet quod illi qui non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, liberantur a lege peccati, et mortis. Primo ergo ponit minorem primi syllogismi, dicens: *Qui enim secundum carnem*, idest qui carni subduntur quasi ei subiecti: *infra 16. 18. Huiusmodi Domino non serviunt, sed suo ventri: sapiunt ea quae sunt carnis;* ac si dicat, Habent sapientiam carnis: sapere enim quae sunt carnis, est adprobare, et iudicare bona esse quae sunt secundum carnem: *Matth. 16. 23. Non sapis quae Dei sunt, sed quae hominis: Hier. 4. 22. Sapientes sunt ut faciant mala.* Secundo ponit minorem secundi syllogismi, dicens: *Qui vero sunt secundum spiritum*, idest qui Spiritum sanctum sequuntur, et secundum eum ducuntur, secundum illud *Galat. 5. 18. Si spiritu ducimini, non estis sub lege, sentiunt ea quae sunt spiritus*, idest habent rectum sensum in rebus spiritualibus, secundum illud *Sap. 1. 1. Sentite de Domino in bonitate.* Et horum ratio est, quia, sicut Philosophus dicit *in 3. Ethic. cap. 13.* qualis est unusquisque, talis finis videtur ei. Unde illi cuius est animus informatus per habitum bonum, vel malum, existimat de fine secundum exigentiam illius habitus. Tertio ponit maiorem primi syllogismi, dicens: *Nam prudentia carnis mors est.* Ad cuius intellectum oportet scire quod prudentia est recta ratio agibilium, ut dicit Philosophus *6. Ethic. cap. 4.* Recta autem ratio agendorum unum praesupponit, et tria facit: praesupponit enim finem, qui est sicut principium in agendis, sicut et ratio speculativa praesupponit principia, ex quibus demonstrat; facit autem recta ratio agibilium tria: nam primo recte consiliatur; secundo recte iudicat de consiliatis; tertio recte, et constanter praecipit quod consiliatum est. Sic ergo ad prudentiam carnis requiritur quod aliquis praesupponat pro fine delectabile carnis, et quod consilietur, et iudicet, et praecipiat ea quae conveniunt ad hunc finem: unde talis prudentia *est mors*, idest causa mortis aeternae: *Gal. ult. 8. Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.* Quarto ponit maiorem secundi syllogismi, dicens: *Prudentia autem spiritus, vita, et pax.* Dicitur autem secundum praedicta, prudentia spiritus, quando aliquis praesupposito fine spiritualis boni, consiliatur, et iudicat, et praecipit quae ordinantur convenienter ad hunc finem: unde talis prudentia est *vita*, idest causa vitae, gratiae, et gloriae: *Gal. ult. 8. Qui seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam aeternam:* et est *pax*, idest causa pacis: nam pax causatur a Spiritu sancto: *Psal. 118. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, Domine: Gal. 5. 22. Fructus Spiritus caritas, gaudium, et pax.*

## LECTIO II.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic nen est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Supposuerat Apostolus in praecedentibus quod prudentia carnis mors est; et hoc quidem nunc probare intendit: et primo probat propositum; secundo ostendit fideles quibus scribit, a tali prudentia esse alienos, ibi, *Vos autem in carne non estis.* Circa primum duo facit. Primo propositum probat de prudentia carnis in abstracto; secundo id quod de prudentia carnis dixerat, adaptat eis qui prudentiam carnis sequuntur, ibi, *Qui autem in carne sunt etc.* Circa primum ponit tria media, quorum posterius probat prius. Per primum autem probat id quod supra positum est, scilicet quod prudentia carnis sit mors, hoc modo. Qui inimicatur Deo, incurrit mortem, *Luc. 19. 27. Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, et interficite ante me.* Et hoc quia Deus vita nostra est: *Deut. 30. 20. Ipse est enim vita tua.* Et ideo ille qui inimicatur Deo, incurrit mortem. Sed *prudentia carnis inimica est Deo.* Ergo prudentia carnis est causa mortis.

Ubi notandum est, quod id quod supra dixerat pru-

dentiam carnis, nunc nominat carnis sapientiam, non quod idem sit sapientia simpliciter, et prudentia; sed quia in rebus humanis est prudentia: *Prov. 10. 23. Sapientia est viro prudentia.* Ad cuius intellectum sciendum, quod sapiens simpliciter dicitur qui cognoscit causam altissimam, ex qua omnia dependent; causa autem suprema omnium Deus est: unde sapientia simpliciter est cognitio divinarum rerum, ut Augustinus dicit *in lib. 14. de Trinit. cap. 1. 1. Cor. 2. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Dicitur autem sapiens in unoquoque genere qui cognoscit altissimam causam illius generis; sicut in arte aedificatoria dicitur sapiens, non ille qui scit dolare ligna, et lapides, sed ille qui concipit, et disponit convenientem formam domus: ex hoc enim totum artificium dependet: unde et Apostolus dicit *1. Cor. 3. 10. Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Sic igitur sapiens in rebus humanis dicitur qui bonam aestimationem habens de fine humanae vitae, secundum hoc ordinat totam humanam vitam, quod pertinet ad prudentiam. Et ita sapientia carnis est idem quod carnis prudentia. De hac sapientia dicitur *Iac. 3. 15. Non est desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

Dicitur autem haec sapientia Deo inimica, quia contra legem Dei hominem inclinat: *Iob 15. 26. Currit adversus Deum collo erecto, et pingui cervice.* Et ideo ad hoc probandum inducit aliud medium, subdens: *Legi enim Dei non est subiecta.* Non enim potest aliquis Deum odire, secundum quod in se est, cum Deus sit ipsa essentia bonitatis; sed secundum hoc aliquis peccator Deum odit, quod praeceptum divinae legis est contrarium suae voluntati; sicut adulter odit Deum, inquantum odit hoc praeceptum, Non moechaberis. Et sic omnes peccatores, inquantum nolunt subiici legi Dei, sunt inimici Dei; *2. Paralip. 19. 2. His qui oderunt Deum, amicitia iungeris.* Unde convenienter probat quod prudentia, vel sapientia carnis sit inimica Deo, quia non est subiecta legi Dei. Probat autem hoc per tertium medium, dicens: *Nec enim potest.* Prudentia enim carnis vitium est quoddam, ut ex praedictis patet. Quamquam autem ille qui subiectus est vitio, possit liberari a vitio, et subiici Deo, secundum illud *supra 6. 22. Liberati a peccato, servi facti Deo;* tamen ipsum vitium Deo subiici non potest, cum ipsum vitium sit aversio a Deo, vel a lege Dei: sicut ille qui est niger, potest fieri albus, sed ipsa nigredo numquam potest fieri alba. Et secundum hoc dicitur *Matth. 7. 18. Non potest arbor mala fructus bonos facere.* Ex quo patet quod non recte Manichaei ad confirmationem sui erroris haec verba assumunt, volentes per haec verba ostendere naturam carnis non esse a Deo, cum sit inimica Deo, nec possit Deo subiici: non enim agit Apostolus hic de carne ista, quae est creatura Dei, sed de prudentia carnis, quae est vitium hominis, ut dictum est. Deinde cum dicit, *Qui autem in carne sunt etc.* adaptat quod dixerat de prudentia carnis, ad homines quibus prudentia carnis dominatur, dicens: *Qui autem in carne sunt*, idest qui concupiscentias carnis sequuntur per prudentiam carnis, quamdiu tales sunt, *Deo placere non possunt:* quia, ut *in Psalm. 146. 11.* dicitur, *beneplacitum est Deo super timentes eum.* Unde illi qui ei non subiiciuntur, non possunt ei placere, quamdiu tales sunt; possunt autem desinere esse in carne secundum modum praedictum, et tunc Deo placebunt.

Deinde cum dicit, *Vos autem in carne non estis*, ostendit eos quibus loquitur, esse immunes a prudentia carnis: et circa hoc tria facit. Primo ponit fidelium statum, dicens: *Vos autem non estis in carne:* et sic patet non esse intelligendum de carnis natura: Romani enim, quibus loquebatur, mortales erant carne induti. Sed carnem accipit pro vitiis carnis, secundum illud *1. Corinth. 6. 50. Caro, et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Unde dicit: *Vos non estis in carne*, idest non estis in vitiis carnis, quasi secundum carnem viventes: *2. Cor. 10. 3. In carne viventes, non secundum carnem militamus: sed in spiritu*, idest spiritum sequimini: *Apoc. 1. 10. Fui in spiritu dominica die.* Secundo apponit conditionem, dicens: *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, scilicet per caritatem, *1. Cor. 3. 16. Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis.* Apponit autem hanc conditionem: quia quamvis in baptismo Spiritum sanctum receperint, potuisset tamen contingere quod per peccatum superveniens Spiritum sanctum amisissent: de quo dicitur *Sap. 1.* quod corripitur a superveniente iniquitate. Tertio ostendit conditionem hanc oportere in eis extare, dicens: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius:* sicut non est membrum Christi qui Spiritum Christi non habet: *1. Ioan. 4. 15. In hoc scimus quoniam manet in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Est autem notandum, quod idem est Spiritus Christi, et Dei Patris; sed dicitur Dei Patris, inquantum a Patre procedit; dicitur Spiritus Christi, inquantum procedit a Filio. Unde etiam Dominus ubique attribuit eum simul sibi, et Patri, sicut *Ioan. 14. 26. Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Item *15. 26. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.*

Deinde cum dicit, *Si autem Christus in vobis est*, ostendit quod per gratiam Christi, sive per Spiritum sanctum, liberamur a poena: et primo ostendit quod liberamur per Spiritum sanctum in futuro a morte corporali; secundo quod interim in hac vita adiuvamur a Spiritu sancto contra infirmitates praesentis vitae, ibi, *Similiter autem Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo ex hoc infert quoddam corollarium, ibi, *Ergo, fratres debitores etc.* tertio probat propositum, ibi, *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Circa primum considerandum est, quod supra mentionem fecerat de Spiritu Dei, et de Spiritu Christi, quamvis sit unus et idem Spiritus. Primo ergo ostendit quid consequamur ex Spiritu ex hoc quod est Christi; secundo ostendit quid consequamur ex eo, inquantum est Spiritus Dei Patris, ibi, *Quod si Spiritus eius etc.* Dicit ergo: Dictum est, quod *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius:* unde cum vos sitis Christi, Spiritum Christi habetis, et ipsum Christum in vobis habitantem per fidem, secundum illud *Ephes. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Si autem Christus sic in vobis est, oportet vos Christo esse conformes. Christus autem sic venit in mundum ut quantum ad spiritum esset plenus gratia, et veritate, et tamen quantum ad corpus, habet similitudinem carnis peccati, ut supra dictum est,

Unde et hoc oportet esse in vobis, quod *corpus quidem* vestrum, *propter peccatum*, quod adhuc manet in carne vestra, *mortuum est*, idest necessitati mortis addictum, sicut *Genes. 2. 17.* dicitur: *Quacumque die comederitis, morte moriemini*, idest necessitati mortis addicti eritis; *spiritus vero* vester, qui iam renovatus est a peccato, secundum illud *Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestrae, vivit* vita gratiae, *propter iustificationem*, per quam iustificatur a Deo: *Galat. 2. 20. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei: Supra 1. 17. Iustus ex fide vivit.* Deinde cum dicit, *Quod si Spiritus eius etc.* ostendit quid consequamur ex Spiritu sancto, inquantum est Spiritus Patris, dicens: *Quod si habitat in vobis Spiritus eius*, scilicet Dei Patris, *qui suscitavit Iesum Christum a mortuis: Ps. 40. 11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me: Act. 3. 15. Hunc Deus suscitavit a mortuis:* et tamen ipse Christus propria virtute resurrexit, quia eadem est virtus Patris et Filii: consequens est quod id quod Deus Pater fecit in Christo, faciat etiam in nobis; et hoc est quod subdit: *Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Non dicit mortua, sed *mortalia:* quia in resurrectione non solum a corporibus nostris auferetur quod sint mortua, idest necessitatem mortis habentia, sed etiam quod sint mortalia, idest potentia mori, quale fuit corpus Adam ante peccatum: nam post resurrectionem corpora nostra erunt penitus immortalia: *Isa. 26. 19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: Osee 6. 3. Vivificabit nos post duos dies.* Et hoc *propter inhabitantem Spiritum eius in nobis*, idest in virtute Spiritus sancti in nobis habitantis: *Ezech. 37. 5. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vobis spiritum, et vivetis.* Et hoc *propter inhabitantem Spiritum*, idest propter dignitatem quam corpora nostra habent, eo quod fuerunt receptacula Spiritus sancti: *1. Corinth. 6. 19. Nescitis quod membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Illi vero quorum membra non fuerunt templum Spiritus sancti, resurgent, sed habebunt corpora passibilia,

Deinde cum dicit, *Ergo debitores sumus etc.* concludit corollarium ex dictis: et primo ponit conclusionem; secundo rationem assignat, ibi, *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod per Spiritum sanctum multa bona nobis proveniunt, et quod ex prudentia carnis sequitur mors: *ergo debitores sumus* Spiritui sancto propter beneficia ab eo recepta, ut vivamus secundum spiritum, et non secundum carnem: *Gal. 5. 25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Deinde cum dicit, *Si enim secundum carnem vixeritis etc.* assignat rationem conclusionis praemissae: et primo quantum ad carnem, dicens: *Si enim secundum carnem vixeritis*, scilicet sequendo concupiscentias carnis, *moriemini*, scilicet morte culpae in praesenti, et morte damnationis in futuro: *1. Timoth. 5. 6. Quae in deliciis vivens, mortua est.* Secundo assignat rationem quantum ad spiritum, dicens: *Si autem spiritu*, idest per spiritum, *mortificaveritis facta carnis*, idest opera quae ex concupiscentia carnis proveniunt, *vivetis*, vita gratiae in praesenti, et vita gloriae in futuro: *Coloss. 3. 5. Mortificate membra vestra quae sunt super terram: Galat. 5. 24. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.*

## LECTIO III.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut et glorificemur.

Postquam Apostolus ostendit, quod per Spiritum sanctum dabitur nobis vita gloriosa, quae omnem mortalitatem a corporibus nostris excludet; hic probationem inducit: et primo ostendit, quod per Spiritum sanctum huiusmodi gloriosa vita datur; secundo ostendit causam quare differtur, ibi, *Si tamen compatimur, ut et glorificemur* Circa primum ponit talem rationem. Quicumque sunt filii Dei, consequuntur haereditatem gloriosae vitae. Sed quicumque reguntur Spiritu sancto, sunt filii Dei. Ergo quicumque reguntur Spiritu sancto, consequuntur haereditatem gloriosae vitae. Primo ergo ponit minorem praedictae rationis; secundo maiorem, ibi, *Si autem filii, et haeredes.* Circa primum duo facit. Primo proponit, quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Non enim accepistis spiritum servitutis.*

Circa primum duo consideranda sunt. Primo quidem quomodo aliqui aguntur a Spiritu Dei; et potest sic intelligi. *Quicumque Spiritu Dei aguntur*, idest reguntur, sicut a quodam ductore, et directore: quod quidem in nobis facit Spiritus, scilicet inquantum illuminat nos interius quid facere debeamus: *Psal. 142. 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Sed quia ille, qui ducitur, ex seipso non operatur; homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu sancto quid agere debeat, sed etiam cor eius a Spiritu sancto movetur; ideo plus intelligendum est in hoc quod dicitur: *Quicumque Spiritu Dei aguntur.* Illa enim agi dicuntur, quae quodam superiori instinctu moventur: unde de brutis dicimus, quod non agunt, sed aguntur, quia a natura moventur, et non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriae voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud *Isa. 59. 19. Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Dei cogit:* et *Luc. 4.* quod Christus agebatur a Spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales per voluntatem, et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis, et liberi arbitrii Spiritus sanctus in eis causat, secundum illum *Phil. 2. 4. Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Secundo considerandum est, quomodo illi qui Spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei. Et hoc est manifestum ex similitudine filiorum carnalium, qui per semen carnale a patre procedens generantur. Semen autem spirituale a Patre procedens est Spiritus sanctus; et ideo per hoc semen aliqui homines in filios Dei generantur: *1. Ioan. 3. 1. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen Dei manet in eo.*

Deinde cum dicit, *Non enim accepistis spiritum servitutis*, probat propositum, scilicet quod Spiritum sanctum accipientes, sint homines filii Dei; et hoc tripliciter. Primo quidem ex distinctione donorum Spiritus sancti; secundo ex confessione nostra, ibi, *In quo clamamus, Abba, pater;* tertio ex testimonio Spiritus, ibi, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.*

Circa primum considerandum est, quod Spiritus sanctus duos effectus facit in nobis: unum quidem timoris: *Isa. 11. 3. Replebit eum Spiritus timoris Domini*: alium amoris: *supra 5. 5. Caritas Dei diffusa est per Spiritum sanctum in cordibus nostris, qui datus est nobis.* Timor autem facit servos, non autem amor. Ad cuius evidentiam considerare oportet, quod timor habet duo obiecta, scilicet malum, quod quis timendo refugit, et illud a quo sibi hoc malum imminere videt: dicitur enim homo timere et occisionem, et Regem, qui potest occidere. Contingit autem quandoque quod malum quod quis refugit, est contrarium bono corporali, vel temporali, quod quis interdum inordinate amat, et refugit pati ab aliquo homine temporali: et hic est timor humanus, vel mundanus; et hic non est a Spiritu sancto; et hunc prohibet Dominus *Matth. 10. 28. Nolite timere eos qui corpus occidunt.* Alius autem est timor qui refugit malum quod contrariatur naturae creatae, scilicet malum poenae; sed tamen refugit hoc pati a causa spirituali, scilicet a Deo; et hic timor est laudabilis quantum ad hoc saltem quod Deum timet: *Deut. 5. 29. Quis det eos talem habere mentem ut timeant me?* et secundum hoc a Spiritu sancto est. Sed inquantum talis timor non refugit malum quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum, sed solum poenam, non est laudabilis; et istum defectum non habet a Spiritu sancto, sed ex culpa hominis: sicut et fides informis, quantum ad id quod est fidei, est a Spiritu sancto, non autem eius informitas. Unde etsi per huiusmodi timorem aliquis bonum facit, non tamen bene facit: quia non facit sponte, sed coactus metu poenae, quod proprie est servorum. Et ideo timor iste proprie dicitur servilis, quia serviliter facit hominem operari. Est autem tertius timor qui refugit malum quod opponitur bono spirituali, scilicet peccata, vel separationem a Deo, et hoc quidem timet incurrere ex iusta Dei vindicta: et sic quantum ad utrumque obiectum, respicit rem spiritualem; sed tamen cum hoc habet oculum ad poenam: et iste timor dicitur esse initialis, quia solet esse in hominibus in initio suae conversionis: timent enim poenam propter peccata praeterita, et timent separari a Deo per peccatum propter gratiam caritatis infusam: et de hoc dicitur *in Psalm. 110. 10. Initium sapientiae timor Domini.* Est autem quartus timor qui ex utraque parte oculum habet solum ad rem spiritualem, quia nihil timet nisi a Deo separari; et iste timor est sanctus, qui permanet in saeculum saeculi, ut *in Psalm. 18.* dicitur. Sicut autem timor initialis causatur ex caritate imperfecta, ita hic timor causatur ex caritate perfecta: *1. Ioan. 4. 18. Perfecta caritas foras mittit timorem.* Et ideo timor initialis, et timor castus, non distinguuntur contra amorem caritatis, qui est causa utriusque, sed solum timor poenae: quia sicut hic timor facit servitutem, ita amor caritatis facit libertatem filiorum: facit enim hominem voluntarie ad honorem Dei operari, quod est proprie filiorum. Lex igitur vetus data est in timore: quod significabant tonitrua, et alia huiusmodi quae facta sunt in datione veteris legis, ut dicitur *Exod. 19.* et ideo dicitur *Heb. 12. 21. Et ita terribile erat quod videbatur.* Et ideo lex vetus per inflictionem poenarum, inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis: unde dicitur *Gal. 4. 24. Unum quidem in monte Sina in servitutem generans.* Et ideo hic dicit: Recte dictum est, quod qui *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: non enim iterum* in nova lege, sicut in veteri lege fuit, *accepistis spiritum servitutis in timore*, scilicet poenarum, quem timorem Spiritus sanctus faciebat; *sed accepistis spiritum*, scilicet caritatis, qui est *adoptionis filiorum*, idest per quem adoptamur in filios Dei: *Gal. 4. 5. Ut adoptionem filiorum reciperemus.* Non autem hoc dicitur, quasi sit alius, et alius Spiritus, sed quia idem est Spiritus, scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem quasi imperfectum, in aliis facit amorem, quasi quoddam perfectum.

Deinde cum dicit, *In quo clamamus etc.* manifestat idem per nostram confessionem: profitemur enim nos patrem habere Deum instructi a Domino, cum dicimus orantes: *Pater noster qui es in caelis*, ut habetur *Matth. 6. 9.* Hoc autem convenit dicere non solum Iudaeis, sed etiam Gentibus; et ideo duo ponit idem significantia, scilicet *Abba*, quod est Hebraeum, et *Pater*, quod est Latinum, vel Graecum, ut ostendat hoc ad utrumque populum pertinere. Unde et Dominus *Mar. 14. 36. Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi: Hier. 3. 19. Patrem vocabis me.* Hoc autem dicimus non tantum sono vocis, quantum intentione cordis: quae quidem propter sui magnitudinem clamor dicitur; sicut et ad Moysem tacentem dicitur *Exod. 14. 15. Quid ad me?* scilicet intentione cordis. Sed ista magnitudo intentionis ex affectu filialis amoris procedit, quem in nobis Spiritus facit; et ideo dicit: *In quo*, scilicet Spiritu sancto, *clamamus, Abba, pater.* Unde *Isa. 6.* dicitur, quod Seraphim, qui interpretantur ardentes, quasi igne Spiritus sancti, clamabant alter ad alterum.

Deinde cum dicit, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit*, ostendit idem ex testimonio Spiritus sancti, ne forte aliquis dicat, quod in nostra confessione decipimur: unde dicit: Ideo dico, quod in Spiritu sancto *clamamus Abba, Pater: ipse enim Spiritus testimonium reddit, quod sumus filii Dei.* Hic autem testimonium reddit, non quidem exteriori voce ad aures hominum, sicut Pater protestatus est de Filio suo *Matth. 3.* sed reddit testimonium per effectum amoris filialis, quem in nobis facit; et ideo dicit, quod *testimonium reddit*, non auribus, *sed spiritui nostro, quod sumus filii Dei: Act. 5. 15. Nos testes sumus horum verborum.*

Deinde cum dicit, *Si autem filii, et haeredes*, ponit maiorem: et primo ostendit quod filiis debetur haereditas, dicens: Si autem aliqui filii, per spiritum scilicet, sequitur etiam quod sint haeredes, quia non solum filio naturali, sed etiam adoptivo debetur haereditas: *1. Pet. 1. 3. Regeneravit nos in spem vivam.... in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem: Psal. 15. 6. Haereditas mea praeclara est mihi.* Secundo ostendit quae sit ista haeredi-

tas: et primo describit eam quantum ad Deum Patrem, dicens: *Haeredes quidem Dei.* Dicitur autem aliquis haeres alicuius existere qui principalia eius bona percipit, seu adipiscitur, non autem qui aliqua munuscula recipit, sicut legitur *Genes. 25. 5.* quod *Abraham dedit cuncta quae possedit, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera.* Bonum autem principale quo Deus dives est, est ipsemet: est enim dives per seipsum, et non per aliquid aliud: quia extrinsecorum bonorum non indiget, ut dicitur *in Psal. 15.* Unde ipsum adipiscuntur filii Dei pro haereditate: unde *Psalm. 15. 5. Dominus pars haereditatis meae: Thren. 3. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea.*

Sed cum filius haereditatem non adipiscatur nisi pater defuncto, videtur quod homo non possit esse haeres Dei, qui numquam decedit.

Dicendum est autem, quod illud habet locum in bonis corporalibus, quae simul a multis possideri non possunt; et ideo necesse est unum decedere, ut alius succedat; sed bona spiritalia simul a multis haberi possunt; et ideo non oportet patrem decedere, ut filii sint haeredes. Potest tamen dici, quod Deus decedit nobis, inquantum est in nobis per fidem; erit autem nostra haereditas, inquantum videbimus eum per speciem.

Secundo describit hanc haereditatem ex parte Christi, dicens: *Cohaeredes autem Christi:* quia ipse cum sit principalis Filius, a quo nos filiationem participamus, ita est principalis haeres, cui in haereditate coniungimur: *Matth. 21. 38. Hic est haeres etc. Mich. 1. 15. Adhuc haeredem adducam tibi.*

Deinde cum dicit, *Si tamen compatimur, ut et glorificemur*, ostendit causam dilationis huius vitae gloriosae: et primo ponit causam ex parte passionum; secundo ponit praeeminentiam gloriae ad passiones, ibi, *Existimo enim etc.* Circa primum considerandum est, quod Christus, qui est principalis haeres, ad haereditatem gloriae pervenit per passiones: *Luc. ult. 26. Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Non autem nos faciliori modo debemus haereditatem adipisci; et ideo nos etiam oportet per passiones ad illam haereditatem pervenire: *Act. 14. 21. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei:* non enim statim immortale, et impassibile corpus accipimus, ut simul cum Christo pati possimus: unde dicit: *Si tamen compatimur,* idest simul cum Christo patienter sustinemus tribulationes huius mundi, *ut et* cum Christo *glorificemur: 2. Tim. 11. 11. Si commortui sumus, et conregnabimus.*

## LECTIO IV.

Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.

Postquam Apostolus demonstravit, et dixit, quod per gratiam Christi liberamur; nunc assignat causam dilationis immortalis vitae, quae est haereditas filiorum Dei, ex eo quod oportet nos Christo compati, ut ad eius gloriae societatem perveniamus. Et quia posset aliquis dicere, onerosam esse haereditatem huiusmodi, ad quam non potest nisi per tolerantiam passionum perveniri; ideo hic ostendit excellentiam futurae gloriae ad passiones praesentis temporis: et primo ponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi., *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod oportet nos pati, ut et glorificemur, nec debemus refugere passiones, ut gloriam habeamus: *existimo enim* ego, qui utrumque expertus sum: *Eccli. 34. 9. Vir in multis expertus, cogitabit multa.* Ipse abundanter passiones sustinuit, secundum illud *2. Corinth. 11. 23. In laboribus, et carceribus abundantius.* Ipse etiam futurae gloriae contemplator fuit, secundum illud *2. Corinth. 12. 4. Raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* Hoc, inquam, existimo, quod *passiones huius temporis non sunt* passiones *condignae ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Ubi quatuor ponit ad ostendendum excellentiam illius gloriae. Primo quidem designat eius aeternitatem, cum dicit, *Ad futuram*, scilicet post hoc tempus; nihil autem est post hoc tempus nisi aeternitas: unde illa gloria excedit passiones huius temporis, sicut aeternum temporale: *2. Cor. 4. 17. Id enim quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Secundo designat eius dignitatem, cum dicit, *Gloriam*, quae claritatem quamdam dignitatis insinuat: *Psal. 149. 5. Exultabunt sancti in gloria.* Tertio designat manifestationem, cum dicit, *Quae revelabitur.* Nunc enim gloriam quidem habent sancti, sed occultatam in conscientia: *2. Corinth. 1. 12. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae:* tunc autem gloria illa in conspectu omnium revelabitur, et bonorum, et malorum, de quibus dicitur *Sapient. 5. 2. Mirabuntur in subitatione insperatae salutis.* Quarto designat eius veritatem, cum dicit, *In nobis.* Gloria enim huius mundi vana est, quia est in his quae sunt extra hominem, puta in apparatu divitiarum, et in opinione hominum: *Psal. 48. 7. In multitudine divitiarum suarum gloriantur:* sed illa gloria erit de eo quod est intra hominem, secundum illud *Luc. 17. 21. Regnum Dei intra vos est.* Sic igitur passiones huius temporis, si secundum se considerantur, multum deficiunt a quantitate huius gloriae: *Isa. 54. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Sed si considerantur huiusmodi passiones, inquantum eas aliquis voluntarie sustinet propter Deum ex caritate, quam in nobis Spiritus sanctus facit, sic ex condigno per huiusmodi passiones homo meretur vitam aeternam: nam Spiritus sanctus est fons, cuius aquae, idest effectus, saliunt in vitam aeternam, ut dicitur *Ioan. 4.*

Deinde cum dicit, *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat,* ostendit propositum per excellentiam illius gloriae: et primo ex expectatione creaturae; secundo ex expectatione Apostolorum, ibi,

*Non solum autem etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit expectationem creaturae; secundo manifestat eam, ibi, *Vanitati enim creatura subiecta est non volens.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod etiam futura gloria excedit passiones praesentes: et tamen hoc manifestum est: *nam expectatio creaturae*, idest ipsa creatura expectans, *expectat revelationem filiorum Dei:* quia, ut dicitur *1. Ioan. 3. 2, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Occultatur enim dignitas divinae filiationis in sanctis propter exteriores passiones; sed postmodum revelabitur illa dignitas, quando immortalem, et gloriosam vitam suscipient; ita quod ex persona impiorum dicitur *Sap. 5. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Dicit autem, *Expectatio expectat*, ut talis geminatio intensionem expectationis designet, secundum illud *Psal. 39. 2. Expectans expectavi Dominum.*

Sciendum est autem, quod creatura hic tripliciter accipi potest. Uno modo homines iusti, qui specialiter creatura Dei dicuntur, vel quia permanent in bono in quo creati sunt, vel propter excellentiam, quia omnis creatura quodammodo eis deservit: *Iacob. 1. 18. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius.* Haec autem creatura, idest homo iustus, expectat revelationem gloriae filiorum Dei tamquam praemium sibi repromissum: *Tit. 2. 12. Expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei.* Secundo potest dici creatura ipsa humana natura, quae subiicitur bonis gratiae: quae quidem in hominibus iniustis nondum formata est, sed est sicut informis; in hominibus autem iam iustificatis est quidem partim formata per gratiam, sed tamen est adhuc informis respectu illius formae quam est acceptura per gloriam. Sic igitur ipsa creatura, idest nos ipsi, secundum quod consideramur in bonis naturae, *expectat revelationem gloriae filiorum Dei;* quod etiam nobis competit per gratiam; sicut si dicamus quod materia expectat formam, vel colores expectant completionem imaginis, sicut dicit Glossa: *Iob 14. 14. Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Tertio modo potest intelligi de ipsa creatura sensibili, sicut sunt elementa huius mundi, secundum illud *Sapient. 13. 5. A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit eorum creator videri.* Huiusmodi autem creatura dupliciter aliquid expectat: nam expectatio creaturae sensibilis, secundum quod est a Deo, ordinatur ad aliquem finem: quod quidem contingit dupliciter. Uno modo secundum quod Deus imprimit aliquam formam, et virtutem naturalem huiusmodi creaturae, ex qua inclinatur ad aliquem finem naturalem; puta si dicamus, quod arbor expectat fructificationem, et ignis expectat locum sursum. Alio modo creatura sensibilis ordinatur a Deo ad aliquem finem qui superexcedit formam naturalem ipsius. Sicut enim humanum corpus inducitur quaedam forma gloriae supernaturali, ita tota creatura sensibilis in illa gloria filiorum Dei quamdam novitatem gloriae consequetur, secundum illud *Apocal. 21. 1. Vidi caelum novum, et terram novam.* Et per hunc modum creatura sensibilis expectat revelationem gloriae filiorum Dei.

Deinde cum dicit, *Vanitati enim creatura subiecta est*, manifestat praedictam expectationem: et primo ponit necessitatem expectandi; secundo expectationis terminum, ibi, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis;* tertio expectationis signum, ibi, *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* Necessitas autem expectandi est ex defectu, cui subiacet creatura: cui enim nihil deficit, non habet necesse aliquid expectare. Defectum autem creaturae ostendit, dicens: *Vanitati enim creatura subiecta est.* Et si quidem per creaturam intelligatur homo iustus, sic intelligitur subiici vanitati, idest istis rebus corporalibus, quae sunt mutabilia, et caduca: unde dicuntur vana, secundum illud *Eccle. 1. 2. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Subiicitur autem eis propter necessitatem praesentis vitae, circa ea occupationem habens; *non* tamen *volens*, quia huiusmodi temporalia non amat, sicut illi contra quos dicitur *in Psalm. 4. 3. Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Sed tamen huiusmodi vanitati subiicitur talis creatura *propter eum*, idest propter ordinationem Dei, *qui subiecit eum*, idest hominem iustum huiusmodi sensibilibus creaturis; et tamen *in spe*, ut scilicet quandoque a tali occupatione homo liberetur, in resurrectione scilicet, quando *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in caelo, Matth. 22. 30.* Si vero intelligatur creatura ipsa humana natura, sic *est subiecta vanitati*, idest passibilitati, secundum illud *Psalm. 38. 6. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Non* tamen *volens*, quia talis vanitas est humanae naturae in poenam inflicta; poena autem est involuntaria, sicut et culpa voluntaria. Sed tamen huiusmodi passionibus humana natura subiicitur, *propter eum*, idest propter sententiam Dei, *qui subiecit eam*, scilicet humanam naturam defectibus; sed tamen *in spe* quandoque evadendi huiusmodi passiones: *Isai. 28. 28. Non in perpetuum triturans triturabit.* Si autem intelligatur de creatura sensibili, sic talis creatura *subiecta est vanitati*, idest mutabilitati, *non volens.* Huiusmodi enim defectus, qui consequuntur mutabilitatem, sicut corruptio, et senium, et alia huiusmodi, sunt contra naturam particularem huius, vel illius rei, cuius appetitus est ad conservationem, licet sint secundum naturam universalem. Sed nihilominus huiusmodi vanitati creatura sensibilis subiicitur *propter eum*, idest propter ordinationem Dei, *qui subiecit eam in spe*, idest in expectatione gloriosae novitatis, ut supra dictum est.

Deinde cum dicit, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, ostendit terminum praedictae expectationis: non enim est vana eius expectatio, vel spes: *quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Et si quidem per creaturam intelligatur homo iustus, per servitutem corruptionis intelligitur cura quaerendi victum, et vestitum, et alia quibus servitur nostrae mortalitati, quae est quaedam servitus, a qua liberabuntur sancti tendentes in libertatem gloriae filiorum Dei; qui, quamvis nunc habeant libertatem iustitiae, quae est a servitute peccati, nondum tamen habent libertatem gloriae, quae est a servitute miseriae: *Iob 39. 5. Quis dimisit onagrum liberum?* Si vero per creaturam intelligatur humana natura, *ipsa liberabitur a servitute corruptionis*, idest ad litteram, a passibilitate, et corruptione: et hoc tendens *in libertatem gloriae filiorum Dei*, quae est non solum a culpa, sed etiam

a morte, secundum illud *1. Corinth. 15 54. Absorpta est mors in victoria.* Si vero intelligatur de creatura sensibili, sic *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, idest mutabilitatis: quia in qualibet mutatione est aliqua corruptio, ut Augustinus dicit, et etiam libertati gloriae filiorum Dei congruit, ut sicut ipsi sunt innovati, ita etiam eorum habitatio innovetur: *Isa. 65. 17. Ego creabo caelos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora*, idest prior mutabilitas creaturae. Dicit autem, *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, secundum primum sensum, ac si dicat: Non solum nos Apostoli, sed etiam alii iusti: in sensu autem secundo, non solum iusti, sed etiam ipsa humana natura, quae in quibusdam nondum est renovata per gratiam: in tertio autem sensu intelligendum est, ac si dicatur: Non solum homines, sed alia creatura.

Deinde cum dicit, *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit*, ponit signum expectationis, dicens: *Scimus enim, nos* Apostoli per Spiritum sanctum instructi, et etiam per experimentum, *quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.*

Quod quidem si intelligatur de creatura sensibili, habet difficultatem. Primo quidem quantum ad hoc quod dicit, *Ingemiscit, et parturit:* hoc enim convenire videtur nonnisi creaturae rationali. Sed potest sic exponi, ut hoc quod dicit, *Ingemiscit*, idem sit ei quod dixit, *Non volens:* in illis enim ingemiscimus, quae nostrae voluntati repugnant. Sic ergo inquantum defectus creaturae sensibilis sunt contra naturalem appetitum particularis naturae, dicitur ipsa creatura sensibilis ingemiscere. Quod autem dicit, *Parturit*, idem ei quod supra dixerat, *Expectat:* nam parturitio est via ad prolem producendam.

Secundum autem dubium est in hoc quod dicit, *Omnis creatura:* quia sic etiam includerentur corpora caelestia: unde et Glossa dicit, quod sol, et luna non sine labore statuta sibi implent spatia. Sed exponendum est, ut labor accipiatur pro motu, sicut et requies quandoque accipitur pro cessatione ab opere, sicut Deus die septima requievisse dicitur *Genes. 1.* Et secundum hoc per gemitum intelligitur corruptio, quae admiscetur motui locali, prout scilicet desinit esse in hoc ubi, et incipit esse in alio. Per parturitionem autem intelligitur ordinatio caelestium corporum ad eorum innovationem.

Si vero exponatur de hominibus, sic dicitur humana natura *omnis creatura*, quia participat cum omni creatura: cum spirituali quidem quantum ad intellectum, cum animali quantum ad corporis animationem, cum corporali quantum ad corpus. Haec ergo creatura, idest homo, *ingemiscit*, partim propter mala quae patitur, partim propter bona sperata quae differuntur: *Thren. 1. 22. Multi gemitus mei. Parturit* autem, quia cum quadam afflictione animi sustinet dilationem gloriae expectatae: *Prover. 13. 12. Spes quae differtur affligit animam: Ioan. 16. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet: Psalm. 47. 8. Ibi dolores ut parturientis.* Dicit autem, *Usque adhuc*, quia iste gemitus non est ablatus per nostram iustificationem, sed manet *usque adhuc*, idest usque ad mortem: vel *usque adhuc*, quia non solum antiqui patres, qui fuerunt ante Christum, sed etiam adhuc tempore gratiae eadem patimur: *2. Pet. 3. 4.* dicitur ex persona impiorum: *Ubi est nunc promissio, aut adventus eius? Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.*

Est autem sciendum, quod quia creatura Dei potest dici omne illud quod sub Deo est, aliqui voluerunt praedicta verba exponere de qualibet creatura, etiam de Angelis sanctis. Sed valde inconveniens est ut ipsi dicantur vanitati subiecti, aut ingemiscere, et parturire, cum ipsi iam habeant gloriam eius cuius similitudinem expectamus, secundum illud *Matth. 22. 30. Erunt sicut Angeli Dei in caelis.* Et ideo convenientius secundum praedicta exponitur.

## LECTIO V.

**Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quae videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.**

Supra ostendit Apostolus excellentiam futurae gloriae ex expectatione creaturae; nunc ostendit idem ex expectatione Apostolorum. Non autem potest esse parvum quod a magnis viris expectatur tam anxie; et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Spe enim salvi facti sumus.* Circa primum tria facit. Primo proponit dignitatem expectantium, cum dicit: *Non solum autem illa*, scilicet creatura, expectat gloriam filiorum Dei, *sed et nos ipsi*, scilicet Apostoli, *habentes primitias Spiritus* sancti: quia scilicet Spiritum sanctum et tempore prius, et ceteris abundantius Apostoli habuerunt; sicut et in fructibus terrae, illud quod primo ad maturitatem pervenit, est pinguius, et magis acceptum: *Hierem. 2. 3. Sanctus Israel Domino primitiae frugum eius: Heb. 12. 23. Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis.* Ex quo patet quod Apostoli sunt omnibus aliis sanctis, quacumque praerogativa praefulgeant, sive virginitatis, sive doctrinae, sive martyrii, praeferendi, tamquam abundantius Spiritum sanctum habentes.

Sed potest aliquis dicere, quod quidam alii sancti maiora tormenta sustinuerunt, et maiores austeritates propter Christum, quam Apostoli. Sed dicendum est quod magnitudo meriti principaliter, et respectu essentialis praemii, attenditur secundum caritatem: consistit enim praemium essentiale in gaudio quod habetur de Deo. Manifestum est autem quod de Deo plus gaudebunt qui plus amant: unde et illam visionem beatam Do-

minus suo dilecto promittit, dicens *Ioan. 14. 21. Si quis diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Sed secundum quantitatem operum meretur homo praemium accidentale, quod est gaudium de talibus operibus. Apostoli ergo illa opera quae fecerunt, ex maiori caritate fecerunt, ex qua habebant cor ad multa maiora faciendа, si fuisset opportunum.

Si autem dicat aliquis: Potest tantum quis conari quod habebit aequalem caritatem cum Apostolis; dicendum quod caritas hominis non est a seipso, sed ex gratia Dei, quae datur unicuique secundum mensuram donationis Christi, ut dicitur *Ephes. 4.* Unicuique autem dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur; sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus ut eius natura in unitatem personae divinae assumeretur; et post eum habuit maximam plenitudinem gratiae Beata Maria, quae ad hoc est electa ut esset mater Christi. Inter ceteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, ut scilicet immediate ab ipso Christo accipientes, aliis traderent ea quae pertinent ad salutem; et sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur, secundum illud *Apocal. 21. 14. Murus habebat fundamenta duodecim, et nomina Apostolorum erant in eis scripta.* Et ideo dicitur *1. Corinth. 12. 28. Deus posuit in Ecclesia primum quidem Apostolos.* Et ideo Deus eis abundantiorem gratiam prae ceteris tribuit.

Secundo ponit anxietatem expectationis, cum dicit: *Et ipsi intra nos gemimus:* qui quidem gemitus designant afflictionem ex dilatione rei cum magno desiderio expectatae, secundum illud *Prov. 13. 12. Spes quae differtur, affligit animam: Ps. 6. 7. Laboravi in gemitu meo.* Iste autem gemitus non est tam exterius quam interius: tum quia ex interiori cordis affectu procedit, tum quia est propter interiora bona: unde signanter dicit, *Intra nos: Thren. 1. 22. Multi gemitus mei.* Tertio ponit rem expectatam, dicens: *Adoptionem filiorum Dei expectantes*, idest completionem huius adoptionis: inchoata enim est huiusmodi adoptio per Spiritum sanctum iustificantem animam: supra eodem: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum;* consummabitur autem per ipsius corporis glorificationem: unde *supra 5. 2. Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Et hoc est quod subdit: *Redemptionem corporis nostri;* ut scilicet sicut spiritus noster redemptus est a peccato, ita corpus nostrum redimatur a corruptione, et morte: *Osee 13. 14. De morte redimam eos: Phil. 3. 21. Reformabit corpus humilitatis nostrae.*

Deinde cum dicit, *Spe enim salvi facti sumus*, probat quod dixerat tali ratione. Spes est de his quae non praesentialiter videntur, sed in futuro expectantur. Sed nos sumus salvi facti per spem. Ergo expectamus in futurum complementum salutis. Primo ergo ponit minorem, dicens: Nos enim Apostoli, et ceteri fideles, *spe salvi facti sumus*, quia scilicet spem nostrae salutis habemus: *1. Pet. 1. 3. Regeneravit nos in spem vivam: Psal. 61. 9. Sperate in eum omnis congregatio populi.* Secundo ponit maiorem, dicens: *Spes autem*, idest res sperata, *quae videtur*, quasi praesentialiter habita, *non est spes*, idest non est res sperata, sed habita: spes enim est expectatio futuri: *Soph. 3. 8. Expecta me in die resurrectionis meae in futurum.* Tertio ponit probationem maioris, dicens: *Nam quod videt quis, quid*, idest cur, *sperat?* quasi dicat: Spes importat motum animae in aliquid non habitum tendentem. Cum autem aliquid iam habetur, non est necessarium ut in id aliquis moveatur. Et est notandum, quod quia spes ex fide quodammodo oritur, attribuit spei opus illud quod est fidei, scilicet esse de non visis, secundum illud *Hcb. 11. 1. Fides est argumentum non apparentium.* Quarto ponit conclusionem, dicens: *Si autem quod non videmus speramus*, sequitur quod *per patientiam expectamus.* Unde notandum est, quod proprie patientia importat tolerantiam tribulationum cum quadam aequanimitate: *Infra 12. 12. In tribulatione patientes.* Quia vero dilatio boni habet quamdam rationem mali, inde est quod etiam diutina expectatio bonorum absentium cum tranquillitate animi, attribuitur patientiae; sed haec maxime ad longanimitatem pertinet, secundum illud *Iac. 5. 7. Patientes estote fratres usque ad adventum Domini.* Utroque autem modo patientia hic accipitur: quia Apostoli expectabant aequanimiter gloriam, et cum dilatione, et tribulatione.

Deinde cum dicit, *Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, ostendit quomodo per Spiritum sanctum adiuvamur in defectibus vitae praesentis: et primo quantum ad completionem desideriorum; secundo quantum ad directionem exteriorum eventuum, ibi, *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam quid oremus, sicut oportet nescimus.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod per Spiritum sanctum vivificabuntur nostra mortalia corpora, quando auferetur a nobis nostra infirmitas: *similiter autem* et in statu huius vitae, in quo adhuc infirmitati subiicimur, *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram*, etsi non totaliter eam tollat: *Ezech. 3. 14. Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit me; et abii amarus in indignatione spiritus mei*, quasi infirmitate nondum totaliter cessante, *manus enim Domini erat mecum confortans me: et in hoc spiritus me assumpsit: Matth. 26. 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Deinde cum dicit, *Nam quid oremus, sicut oportet nescimus*, manifestat quod dixerat: et primo ostendit necessitatem auxilii Spiritus, quod pertinet ad infirmitatem praesentis vitae; secundo ostendit modum auxilii, ibi, *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis;* tertio ostendit efficaciam auxilii, ibi, *Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus.* Dicit ergo primo: Recte dico, quod *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram:* nam in hoc patimur infirmitatem quod *nescimus quid oremus, sicut oportet: Iob 5. 25. Viro cuius abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.*

Et est considerandum, quod duo dicit nos Apostolus nescire, scilicet quid orando petamus, et modum quo petere oporteat; sed utrumque videtur esse falsum. Nam primo scimus quid oremus, quia hoc nos Dominus docuit *Matth. 6. 9. Sanctificetur nomen tuum etc.*

Sed dicendum, quod in generali quidem possumus scire quid convenienter oremus, sed in speciali hoc

non possumus scire. Primo quidem quia si desideramus aliquod opus virtutis facere, quod est implere voluntatem Dei sicut in caelo, et in terra, potest contingere quod illud opus virtutis non est huic, vel illi congruum: sicut alicui qui utiliter posset in actione proficere, non expedit contemplationis quies, et e converso, ut Gregorius dicit *in Mor. Lib. 6. cap. 28. super illud Iob 5. 26. Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Unde dicitur *Proverb. 14. 12. Est via quae videtur homini iusta, novissima autem illius ducunt ad mortem.* Secundo aliquis desiderat aliquod temporale bonum ad sustentationem vitae, quod est petere panem quotidianum, quod tamen sibi vertitur in periculum mortis: multi enim propter divitias perierunt: *Eccle. 5. 12. Divitiae conservatae in malum domini sui.* Tertio aliquis desiderat liberari ab aliqua molestia tentationis, quae tamen est sibi ad custodiam humilitatis, sicut Paulus petiit amoveri a se stimulum, qui tamen erat ei datus ne eum magnitudo revelationum extolleret, ut dicitur *2. Corinth. 12.*

Similiter etiam videtur quod sciamus sicut nos oportet orare, secundum illud *Iacob. 1. 6. Postulet in fide nihil haesitans.*

Et ad hoc dicendum, quod in generali hoc scire possumus, sed in speciali motus cordis nostri usquequaque discernere non possumus; ut puta, utrum petamus aliquid ex ira, vel ex zelo iustitiae: unde et *Matth. 20.* reprobata est petitio filiorum Zebedaei, quia licet viderentur participationem divinae gloriae postulare, tamen ex quadam vana gloria, seu elatione procedebat eorum petitio.

Deinde cum dicit, *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis*, ponit modum auxilii Spiritus sancti, dicens, quod *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod quidem videtur suffragari errori Arii, et Macedonii, qui posuerunt Spiritum sanctum esse creaturam, et minorem Patre, et Filio: postulare enim est minoris. Sed si ex eo quod dicit eum postulare, intelligamus eum esse passibilem creaturam, et Patre minorem, consequens est etiam quod ex eo quod dicit gemitibus postulare, intelligamus eum esse passibilem creaturam beatitudine carentem, quod nullus umquam haereticus dixit: nam gemitus ex dolore est, qui ad miseriam pertinet. Et ideo exponendum est: *Postulat*, idest postulantes nos facit; sicut et *Gen. 22. 4. Nunc cognovi quod timeas Dominum*, idest cognoscere feci. Facit autem Spiritus sanctus nos postulare, inquantum in nobis recta desideria causat: nam postulatio est quaedam desideriorum explicatio; desideria autem recta ex ardore caritatis proveniunt, quam in nobis Spiritus facit: *Supra 5. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Spiritu autem sancto dirigente, et instigante cor nostrum, et nostra desideria non possunt esse nisi nobis utilia: *Isaiae 48. 17. Ego Dominus docens te utilia.* Et ideo subdit, *Pro nobis.* Eius autem quod multum desideramus, et desideranter petimus, dilationem cum dolore, et gemitibus patimur; et ideo subdit, *Gemitibus*, quos Spiritus in corde nostro causat, inquantum scilicet nos facit caelestia desiderare, quae differuntur animae. Iste est gemitus columbae, quem Spiritus sanctus in nobis facit: *Nahum 2. 7. Minabantur gementes ut columbae.* Dicit autem, *Inenarrabilibus*, aut quia sunt propter rem inenarrabilem, scilicet caelestem gloriam: *2. Cor. 12. 4. Audivit arcana verba, quae non licet homini loqui*: aut quia ipsi motus cordis sufficienter enarrari non possunt, secundum quod a Spiritu sancto procedunt: *Iob 38. 37. Quis enarrabit caelorum rationem?*

Deinde cum dicit, *Qui autem scrutatur corda etc.* ostendit efficaciam auxilii, quo Spiritus sanctus nos adiuvat, dicens: *Qui autem scrutatur corda*, idest Deus, cui proprium est corda scrutari: *Psal. 7. 11. Scrutans corda, et renes Deus.* Dicitur autem Deus scrutari corda; non quod inquirendo occulta cordis cognoscat, sed quia manifeste scit ea, quae in corde latent: *Sophon. 1. 12. Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Deus, inquam, scrutans corda, *scit*, idest adprobat, secundum illud *2. Tim. 2. 19. Novit Dominus qui sunt eius, quid desideret Spiritus*, idest quid desiderare nos faciat: *Psalm. 37. 10. Domine, ante te omne desiderium meum.* Ideo autem desideria spiritus, quae in sanctis facit Spiritus sanctus, sunt Deo accepta, quia *postulat pro sanctis*, idest postulare eos facit, *secundum Deum*, idest quod convenit divino beneplacito: *Prov. 11. 23. Desiderium iustorum omne bonum:* in cuius exemplum Dominus Patri dicebat *Matth. 26. 39. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

## LECTIO VI.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

Ostendit supra Apostolus quod Spiritus sanctus adiuvat nos in infirmitatibus praesentis vitae quantum ad impletionem nostrorum desideriorum; hic ostendit qualiter nos iuvat quantum ad exteriores eventus, dirigendo in bonum nostrum; et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Nam quos praescivit, et praedestinavit;* tertio infert quamdam conlusionem ex dictis, ibi, *Quis ergo separabit nos a caritate Christi?*

Circa primum duo consideranda occurrunt. Primo quidem magnitudo beneficii, quod nobis a Spiritu sancto confertur, ut scilicet omnia nobis cooperentur in bonum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod quicquid fit in mundo, etiam si malum sit, cedit in bonum universi: quia, ut Augustinus dicit *in Ench. cap. 11. Deus est adeo bonus quod nihil mali esse permitteret, nisi esset adeo potens quod ex quolibet malo posset elicere aliquod bonum.* Non autem semper cedit malum in bonum eius in quo est; sicut corruptio unius animalis cedit quidem in bonum univer-

si, inquantum per corruptionem unius generatur aliud, non tamen in bonum eius quod corrumpitur; quia bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi. Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes, quia malum aliarum partium ordinatur in bonum nobilissimarum. Sed quicquid fit contra nobilissimas partes, non ordinatur nisi in bonum ipsarum: quia de eis propter se cura habetur, de aliis autem propter ipsas, sicut medicus infirmitatem pedis sustinet, ut curet caput. Inter omnes autem partes universi excellunt sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur *Matth. 24. 47. Super omnia bona sua constituet eum.* Et ideo quicquid accidit vel circa ipsos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit; ita quod verificatur quod dicitur *Prov. 11. 29. Qui stultus est, serviet sapienti:* quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum iustorum cedunt: unde et Deus specialem curam de iustis habere dicitur, secundum illud *Psalm. 33. 16. Oculi Domini super iustos*, inquantum scilicet sic de eis curat quod nihil mali circa eos esse permittit, quod non in eorum bonum convertat. Et hoc quidem manifestum est quantum ad mala poenalia, quae patiuntur: unde in Glossa dicitur, quod ipsorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia, contradictione sapientia, odio benevolentia: unde *1. Pet. 3. 14. Si quid patimini propter iustitiam, beati.*

Sed numquid etiam eis peccata cooperantur in bonum? Quidam dicunt, quod peccata non continentur sub hoc quod dicit *omnia:* quia, secundum Augustinum, peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant. Sed contra hoc est quod in Glossa sequitur: *Usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum.* Unde *in Psal. 36. 24.* dicitur: *Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Sed secundum hoc videtur, quod semper tales in maiori caritate resurgant, quia bonum hominis in caritate consistit, quam si non habeat, Apostolus se nihil esse recognoscit, *1. Corinth. 13.*

Sed dicendum est, quod bonum hominis non solum consistit in quantitate caritatis, sed praecipue in ipsius perseverantia usque ad mortem, secundum illud *Matth. 24. 13. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ex hoc autem quod iustus cadit, resurgit cautior, et humilior: unde in Glossa subditur, postquam dixerat, quod hoc ipsum faciat eis in bonum proficere, quia sibi humiliores redeunt, atque doctiores: discunt enim cum tremore se exultare debere; non quasi arrogando sibi, tamquam de sua virtute fiduciam permanendi.

Secundo oportet considerare, quibus hoc beneficium competat: circa quod primo attenditur aliud ex parte hominis, cum dicit, *Diligentibus Deum:* Dei enim dilectio est in nobis per inhabitantem Spiritum, ut habitum est *supra 5. Ipse* autem Spiritus sanctus est qui nos dirigit in viam rectam, ut dicitur *in Psal. 24.* Unde dicitur *1. Petr. 3. 13. Quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis? Psalm. 118. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Et hoc rationabiliter; quia, ut dicitur *Prov. 8, 17. ego diligentes me diligo.* Diligere est bonum velle dilecto; Dei autem velle est operari: omnia enim quaecumque voluit, fecit: ut *in Psal. 133.* dicitur. Et ideo Deus omnia convertit in bonum his qui eum diligunt. Secundo attenditur id quod est ex parte Dei, qui primo fideles ab aeterno praedestinavit, secundo ex tempore vocat, tertio sanctificat; et haec tria tangit cum dicit: *His qui secundum propositum vocati sunt sancti*, idest praedestinatis, vocatis, et sanctificatis; ut propositum referatur ad praedestinationem, quae, secundum Augustinum, est propositum miserendi: *Ephes. 1. 11. Praedestinati secundum propositum eius.* Quod dicit, *Vocati*, ad vocationem pertinet: *Isai. 41. 2. Vocavit eum, ut sequeretur se.* Quod dicit, *Sancti*, ad sanctificationem, secundum illud *Levit. 21. 23. Ego Dominus, qui sanctifico eos.* Hoc autem Apostolus se scire dicit ex persona sanctorum, dicens, *Scimus: Sap. 10. 10. Dedit illi scientiam sanctorum.* Procedit autem haec scientia tum ex experimento, tum etiam ex consideratione efficaciae caritatis: *Cantic. 8. 6. Fortis est ut mors dilectio:* et etiam praedestinationis aeternae: *Isai. 46. 10. Omnis voluntas mea implebitur, et omne consilium meum fiet.*

Deinde cum dicit, *Nam quos praescivit etc.* probat quod dixerat tali ratione. Nullus potest nocere his quos Deus promovet. Sed praedestinatos diligentes Deum Deus promovet. Ergo nihil potest eis nocere, sed omnia cedunt eis in bonum. Primo ergo probat minorem; scilicet quod eos Deus promoveat; secundo maiorem, scilicet quod promotis a Deo nihil potest esse nocivum, ibi, *Quid ergo dicemus ad haec?* Circa primum duo facit. Primo proponit ea quae sunt ad promotionem sanctorum ab aeterno; secundo ea quae sunt ex tempore, ibi, *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit.* Ponit autem duo circa primum, scilicet praescientiam, et praedestinationem, cum dicit: *Nam quos praescivit, et praedestinavit.*

Dicunt autem quidam, quod praedestinatio hic accipitur pro praeparatione quae est in tempore, qua scilicet Deus praeparat sanctos ad gratiam; et hoc dicitur ad distinguendum praescientiam a praedestinatione. Sed si recte consideretur, utrumque est aeternum, et differunt ratione: nam, sicut dictum est *supra 1, sup. illud Qui praedest.* praedestinatio importat praeordinationem quamdam in animo eorum quae quis est facturus; ab aeterno autem Deus praedestinavit beneficia quae sanctis suis erat daturus: unde praedestinatio est aeterna. Differt autem a praescientia secundum rationem: quia praescientia importat solam notitiam futurorum, sed praedestinatio importat causalitatem quamdam respectu eorum: et ideo Deus habet praescientiam etiam de peccatis; sed praedestinatio est de bonis salutaribus: unde Apostolus *ad Ephes. 1. 11.* dicit: *Praedestinati secundum propositum eius..., ut simus in laudem gloriae eius.*

Circa ordinem autem praescientiae, et praedestinationis dicunt quidam, quod praescientia meritorum bonorum, et malorum est ratio praedestinationis, et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus praedestinet aliquos, quia praescit eos bene operaturos, et in Christum credituros; et secundum hoc littera sic legitur: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii eius, hos praedestinavit.* Et hoc quidem rationabiliter

diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis; sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum: unde eadem ratione omnia beneficia quae nobis confert ex tempore, praeparavit nobis ab aeterno. Unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cuius praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium bonorum operum est ex nobis, et consummatio est ex Deo. Unde convenientius sic ordinatur littera: *Quos praescivit, hos et praedestinavit fieri conformes imaginis Filii sui:* ut ista conformitas non sit ratio praedestinationis, sed terminus, vel effectus. Dicit enim Apostolus *Ephes. 1. 5. Praedestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Nihil enim aliud est adoptio filiorum quam illa conformitas: ille enim qui adoptatur in filium Dei, conformatur vero Filio eius: primo quidem in iure participandae haereditatis, sicut supra eodem dictum est: *Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*: secundo in participatione splendoris ipsius: ipse enim est genitus a Patre tamquam splendor gloriae eius, *Heb. 1.* Unde per hoc quod sanctos illuminat de lumine sapientiae, et gratiae, facit eos fieri conformes sibi; unde *in Psal. 109. 3.* dicitur: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*, idest profundentem omnem splendorem sanctorum.

Quod autem dicit, *Imaginis Filii eius*, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut sit constructio appositiva, ut sit sensus: *Conformes imaginis Filii eius*, qui est imago: *Coloss. 1. 15. Qui est imago invisibilis Dei.* Alio modo potest intelligi ut sit constructio transitiva, ut sit sensus: Praedestinavit nos fieri conformes Filio quo in hoc quod portemus eius imaginem: *2. Cor. 15. 49. Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem caelestis.* Dicit autem, *Quos praescivit, et praedestinavit;* non quia omnes praescitos praedestinet, sed quia eos praedestinare non poterat, nisi praesciret: *Hier. 1. 5. Priusquam te formarem in utero, novi te.* Quid autem ex hac praedestinatione sequatur, subiungit: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sicut enim Deus suam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participando eis similitudinem suae bonitatis, ut non solum sit bonus, sed etiam auctor bonorum; ita Filius Dei voluit conformitatem suae filiationis aliis communicare ut non solum sit ipse Filius, sed etiam primogenitus filiorum: et sic qui per generationem aeternam est unigenitus, secundum illud *Ioan. 1. 18. Unigenitus qui est in sinu Patris*, secundum collationem gratiae *sit primogenitus in multis fratribus: Apoc. 1. 5. Qui est primogenitus mortuorum, et princeps Regum terrae.* Habet igitur Christus nos fratres, tum quia nobis similitudinem suae filiationis communicavit, sicut hic dicitur; tum quia similitudinem nostrae naturae assumpsit, secundum illud *Hebr. 2. 17. Debuit per omnia fratribus assimilari.*

Deinde cum dicit, *Quos autem praedestinavit etc.* ponit ea quae ex tempore sancti divinitus consequuntur: et primo ponit vocationem, cum dicit, *Quos praedestinavit, hos et vocavit.* Praedestinatio autem eius irrita esse non potest, secundum illud *Isai. 14. 24. Iuravit Dominus exercituum, dicens: Si non ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet.* Primum autem in quo incipit praedestinatio impleri, est vocatio hominis; quae quidem est duplex. Una exterior, quae fit ore praedicatoris: *Proverb. 9. 3. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Hoc modo Deus vocavit Petrum et Andream, ut dicitur *Matthaei 4.* Alia vero vocatio est interior, quae nihil aliud est quam quidam mentis instinctus quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum iis quae sunt fidei, vel virtutis: *Isai. 41. 2. Quis suscitavit ab oriente iustum, et vocavit eum ut sequeretur se?* Et haec vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret: *Ioan. 6. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: Thren. 5. 21. Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Et etiam haec vocatio est efficax in praedestinatis, quia huiusmodi vocationi assentiunt: *Ioan. 6. 45. Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me.* Unde secundo ponit iustificationem, cum dicit: *Quos vocavit, hos et iustificavit*, scilicet gratiam infundendo: *supra 5. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Haec autem iustificatio etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant usque ad finem; in praedestinatis tamen numquam frustratur; unde tertio ponit magnificationem, cum subdit: *Hos et magnificavit:* et hoc dupliciter, scilicet uno quidem modo per profectum virtutis et gratiae; alio autem modo per exaltationem gloriae: *Sapient. ult. 21. In omnibus Domine magnificasti populum tuum, et honorasti.* Ponit autem praeteritum pro futuro, si intelligatur de magnificatione gloriae, vel propter certitudinem futuri, vel quia quod in quibusdam est futurum, in aliis est completum.

Deinde cum dicit, *Quid ergo dicemus ad haec?* manifestat maiorem, scilicet quod promotis a Deo nullus potest nocere: et primo ostendit quod non possint pati detrimentum per malum poenae; secundo quod nec per malum culpae, ibi, *Quis accusabit adversus electos Dei?* Malum poenae est duplex. Unum quidem consistit in illatione malorum; aliud in subtractione bonorum. Primo ostendit quod illi qui promoventur a Deo, non patiuntur detrimentum per conatum alicuius persequentis, dicens: *Quid ergo dicemus?* quasi dicat: Cum tot bona Deus suis electis praestet, quid potest dici contra haec, ut scilicet praedicta Dei beneficia annullentur? quasi diceret, nihil: *Proverb. 21. 30. Non est sapientia, et non est prudentia, et non est consilium contra Dominum.* Vel *quid dicemus ad haec?* scilicet aspicientes oportet nos obstupescere: *Habac. 3. 1.* secundum aliam litteram: *Consideravi opera tua, et expavi.* Vel *quid dicemus ad haec?* idest quid poterimus Deo retribuere tot beneficiis dignum? *Psal. 115. 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Et subiungit: *Si Deus pro nobis* est, scilicet praedestinando, vocando, iustificando, et magnificando, *quis contra nos*, scilicet esse poterit efficaciter? *Isai. 50. 8. Stemus simul: quis est adversarius meus? Iob 17. 3. Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.* Secundo ostendit quod sancti Dei non possunt pati detrimentum ex subtractione bonorum, dicens: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit.* Cum autem supra de multis filiis mentionem fecisset, dicens, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*, ab omnibus il-

lis hunc Filium separat, dicens, *Proprio Filio suo*, idest non adoptato, ut haeretici mentiuntur, sed naturali, et coaeterno: *1. Ioan. ult. 20. Ut simus in vero Filio eius Iesu Christo*: de quo Pater dicit *Matth. 3. 17. Hic est Filius meus dilectus.* Quod autem dicit, *Non pepercit*, intelligendum est quod cum a poena non exemit: nam culpa in eo non fuit, cui parci potuisset: *Prov. 13. 24. Qui parcit virgae, odit filium suum.* Non tamen Deus Pater Filio suo non pepercit ut ei aliud accresceret, qui est per omnia Deus perfectus; sed propter nostram utilitatem eum passioni subiecit: et hoc est quod subdit: *Sed pro nobis omnibus tradidit illum*, idest exposuit eum passioni pro expiatione peccatorum nostrorum: *Supra 4. 25. Traditus est propter delicta nostra: Isai. 53. 6. Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari, et pati statuendo, et humanae eius voluntati inspirando caritatis affectum, qua passionem spontaneus subiret: unde ipse seipsum tradidisse dicitur *Ephes. 5. 2. Tradidit semetipsum pro nobis.* Tradidit etiam eum Iudas, et Iudaei, exterius aliud operando, ut *supra 5.* habitum est. Est autem notandum quod dicit, *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit*; quasi dicat: Non solum alios sanctos pro salute hominum tribulationi exposuit, secundum illud *Osee 6. 5. Propter hoc dolavi in Prophetis: 2. Cor. 1. 6. Cum tribulamur pro vestra exhortatione, et salute*: sed etiam proprium Filium suum. In ipso autem Filio Dei omnia existunt, sicut in primordiali, et pracoperativa causa: *Colos. 1. 17. Ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant.* Unde eo tradito nobis, omnia sunt data nobis: unde subdit: *Quomodo non etiam cum illo*, scilicet dato nobis, *omnia donavit* nobis? ut scilicet omnia cedant in bonum nostrum superiora quidem, scilicet divinae personae, ad fruendum, rationales spiritus ad convivendum, omnia inferiora ad utendum, non solum prospera, sed etiam adversa: *1. Cor. 3. 22. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Unde patet quod, sicut in *Psalm. 33. 10.* dicitur, *nihil deest timentibus eum.*

## LECTIO VII.

Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.

Postquam Apostolus ostendit quod sancti, quos Deus promovet, nullum detrimentum pati possunt, quasi a malo poenae; hic ostendit quod nullum detrimentum pati possunt, quasi a malo culpae: et primo ostendit propositum; secundo excludit quamdam obviationem, ibi, *Christus Iesus etc.* Circa primum considerandum est, quod aliquis propter culpam laeditur a duobus. Primo quidem ab accusatione; secundo a iudice condemnante. Primo ergo ostendit quod nulla accusatio possit esse sanctis Dei nociva, et hoc ratione divinae electionis. Qui enim aliquem eligit, ex hoc ipso eum adprobare videtur; sancti autem sunt electi a Deo: *Eph. 1. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Qui autem accusat, improbat eum quem accusat; non autem valet alicuius accusatio contra Dei adprobationem; et ideo dicit: *Quis accusabit*, scilicet efficaciter, *adversus electos Dei?* idest adversus eos quos Deus elegit ut sint sancti: unde dicitur *Apoc. 12. 10. Proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Secundo ostendit quod nullius accusatio potest esse sanctis nociva; et hoc etiam ostendit ex alio Dei beneficio, quo scilicet Deus nos iustificat: quod quidem beneficium praemittit dicens, *Deus*, scilicet est, *qui iustificat*, secundum illud quod supra dictum est, *Quos vocavit, hos et iustificavit: 1. Corinth. 6. 11. Sed iustificati estis.* Condemnatio autem contra iniustos locum habet, *quis est* ergo *qui condemnet* iustificatos a Deo? *Iob 34. 29. Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?*

Deinde cum dicit, *Christus Iesus*, excludit obviationem. Posset aliquis timere ne a Christo Iesu aliquis accusaretur, et condemnaretur tamquam transgressor mandati ipsius Christi, sicut et de Moyse Dominus dicit *Ioan. 5. 45. Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis*: et quod etiam ab ipso condemnaretur, eo quod ipse est constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum, ut dicitur *Act. 10.* Ipse etiam est immunis a peccato: *1. Petri 2. 22. Qui peccatum non fecit*: et ideo idoneus videtur ad accusandum, et condemnandum, secundum illud *Ioan. 8. 7. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Et ideo dicit, *Christus Iesus?* quasi diceret: Numquid Christus Iesus accusabit adversus electos Dei, vel etiam eos condemnabit? Et ostendit quod non, quia etiam ipse secundum humanitatem suam magna beneficia sanctis confert, sicut et secundum suam divinitatem: et ponit quatuor humanitatis ipsius beneficia. Primo quidem mortem, cum dicit, *Qui mortuus est*, scilicet pro nostra salute: *1. Petri 3. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Secundo resurrectionem, per quam scilicet nos vivificat, et nunc vita spirituali, et tandem vita corporali: unde subdit, *Qui et resurrexit*, ut *supra 4. 25. Resurrexit propter iustificationem nostram.* Addit autem *immo*, quia potius est nunc commemorandus ex virtute resurrectionis quam ex infirmitate passionis: *2. Corinth. ult. 4. Nam si crucifixus est ex infirmitate nostra, vivit ex virtute Dei.* Tertio ipsam Patris consessionem, cum dicit, *Qui est a dextris Dei*, idest in aequalitate Dei Patris secundum naturam divinam, et in potioribus bonis eius secundum naturam humanam: et hoc etiam est ad gloriam nostram: quia, ut dicitur *Eph. 2. 6. Consedere nos fecit in caelestibus in Christo Iesu*: inquantum enim nos membra eius sumus,

nos in ipso Deo Patri consedemus: *Apoc. 3. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.* Quarto interpellationem eius, cum dicit, *Qui etiam interpellat pro nobis*, quasi advocatus noster existens: *1. Ioan. 2. 1. Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Ad officium advocati pertinet, non quod accuset, vel condemnet, sed magis accusatorem repellat, et condemnationem impediat. Dicitur autem pro nobis interpellare dupliciter. Uno modo pro nobis orando, secundum illud *Ioan. 17. 20. Non pro his rogo tantum*, scilicet Apostolis, *sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Nunc autem eius interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute: *Ioan. 17. 24. Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam, et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando: *Hebr. 2. 24. Introivit in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Deinde cum dicit, *Quis ergo nos separabit a caritate Christi?* infert conclusionem ex dictis. Et quia haec conclusio quasi incredibilis videtur inexpertis, proponit eam per modum quaestionis: unde tria facit. Primo proponit quaestionem; secundo ostendit necessitatem quaestionis propositae, ibi, *Sicut scriptum est etc.* tertio ponit solutionem, ibi, *In his omnibus superamus.* Potest autem haec quaestio ex praemissis duplici ratione concludi. Primo quidem sic. Tot beneficia sunt nobis divinitus collata, et tam efficacia, ut nullus contra ea possit. Omnia autem praedicta beneficia ad hoc tendunt ut nos simus in caritate radicati, et fundati, ut dicitur *Rom. 8. 35. Quis ergo nos separabit a caritate Christi?* qua scilicet Christum diligimus, et proximum, secundum quod ipse praecepit *Ioan. 13. 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Alio modo sic. Dictum est, quod magna beneficia Deus sanctis suis confert, ex quorum consideratione adeo caritas Christi in cordibus nostris fervet quod nihil eam extinguere potest: *Cant. ult. 7. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem.* Proponit autem mala, per quorum passionem aliquis cogi posset ut caritatem Christi desereret: et primo ponit ea quae pertinent ad vitam; secundo id quod pertinet ad mortem. Circa vero ea quae in vita imminent sustinenda, primo ponit mala praesentia, secundo futura. Circa praesentia vero primo ponit ea quae pertinent ad tolerantiam malorum; secundo ea quae pertinent ad defectum bonorum. Mala autem perpessa considerari possunt dupliciter. Uno modo secundum quod sunt in patiente, qui dupliciter ab eis affligitur, scilicet exterius secundum corpus; et ad hoc pertinet tribulatio, dicitur enim a tribulis, quae sunt herbae pungitivae: *Genes. 3. 18. Spinas, et tribulos germinabit tibi:* unde aliquis tribulari dicitur cum exterius pungitur. Nec tamen propter hoc iusti vincuntur: *Psalm. 33. 20. Multae tribulationes iustorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus.* Affligitur etiam homo ab eis per interiorem anxietatem cordis, dum scilicet aliquis non videt quo divertat, vel quomodo evadat; et quantum ad hoc subdit, *An angustia? Dan. 13. 22. Angustiae mihi sunt undique, et quid eligam ignoro.* Alio modo huiusmodi mala considerari possunt secundum quod sunt in agente; et quantum ad hoc subdit, *An persecutio?* Quamvis enim persecutio ad hoc proprie pertinere videatur quod aliquis alium persequitur effugando, secundum illud *Math. 10. 23. Si vero persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam;* tamen communiter persecutio accipi potest pro inflictione cuiuslibet nocumenti: *Psal. 118. 157. Multi qui persequuntur me, tribulant me.* Deinde ponit mala quae pertinent ad subtractionem bonorum quae sunt necessaria vitae, scilicet cibus, et vestimenta, secundum illud *1. Timoth. 6. 8. Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Ad subtractionem autem cibi pertinet fames: unde subdit, *An fames?* Ad subtractionem autem vestitus pertinet nuditas: unde subdit, *An nuditas? 1. Cor. 4. 11. Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Quantum ad mala futura subdit, *An periculum?* scilicet imminens in futurum: *2. Corinth. 11. 26. Periculis fluminum, periculis latronum.* Quantum autem ad mortem subdit, *An gladius? Heb. 11. 37. In occisione gladii mortui sunt.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est etc.* ostendit huius quaestionis necessitatem per hoc quod dicit, quod sanctis omnia ista imminebant patienda propter Christi caritatem; et inducit verba Psalmistae, quasi in persona martyrum proposita: in quibus primo ponit causam passionis: martyrem enim non facit poena, sed causa, ut dicit Augustinus *epist. 61.* unde dicit, *Propter te: Matth. 10. 39: Qui perdiderit animam suam*, idest vitam, *propter me, inveniet eam: 1. Pet. 4. 15. Nemo vestrum patiatur ut fur, aut homicida .... Si autem ut Christianus, non erubescat.* Patitur etiam propter Christum non solum qui patitur propter fidem Christi, sed etiam qui patitur pro quocumque iustitiae opere pro amore Christi: *Matth. 5. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Secundo ponit gravitatem passionis, cum dicit, *Mortificamur*, idest morti tradimur: *Esther 7. 4. Traditi sumus ego, et populus meus, ut conteramur, et iugulemur, et pereamus.* Tertio continuitatem persecutionis, cum dicit, *Tota die*, idest per totum tempus vitae: *2. Corinth. 4. 11. Semper nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum.* Quarto promptitudinem persequentium ad occidendum, cum dicit: *Æstimati sumus ut oves occisionis*, idest deputatae ut occidantur in macello, quae cum studio occiduntur: ita et sancti ex proposito, et cum studio occidebantur: *Ioan. 16. 2. Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo: Zach. 11. 4. Pasce pecora occisionis, quae qui possidebant, occidebant.*

Deinde cum dicit, *Sed in his omnibus superamus*, solvit quaestionem: et primo proponit solutionem, dicens: *Sed in his omnibus*, scilicet malis quae supra posuit, *superamus*, dum scilicet circa omnia illibatam caritatem servamus: *Sapient. 10. 12. Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Et hoc non nostra virtute, sed per auxilium Christi: unde subdit: *Propter eum qui dilexit nos*, idest propter eius auxilium, vel propter affectum quem ad eum habemus: *non quasi nos primo dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, ut dicitur *1. Ioan. 4. 10.* et *1. Corinth. 15. 57. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per*

*Iesum Christum.* Secundo ibi, *Certus sum*, manifestat solutionem, ostendens inseparabilem esse sanctorum caritatem: et primo ostendit quod non potest separari a creaturis quae sunt; secundo quod nec etiam a creaturis quae non sunt, sed esse possent, ibi, *Neque creatura alia.* Circa primum duo facit. Primo ponit ea quae sunt in homine, dicens: *Certus sum enim, quia neque mors*, quae est praecipuum inter terribilia, *neque vita*, quae est praecipuum inter appetibilia, scilicet poterit nos separare a caritate Dei: *Infra 14. 8. Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur.* In his autem duobus includuntur omnia quae supra posuit: nam sex praecedentia pertinent ad vitam; unum autem, scilicet gladius, pertinet ad mortem, ut supra dictum est. Deinde ponit ea quae sunt exterius; inter quae primo ponit spirituales creaturas, dicens, *Neque Angeli*, qui scilicet sunt minores deputati ad custodiam hominum singulorum: *Psalm. 90. 11. Angelis suis mandavit de te: neque Principatus*, scilicet qui sunt deputati ad custodiam Gentium: *Daniel. 10. 20. Nunc revertar, ut praelier adversus principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens; et nemo est adiutor meus nisi Michael noster princeps.* Addit autem, *Neque virtutes*, qui est supremus ordo ministrantium: *Luc. 21. 26. Virtutes caelorum movebuntur.* Potest autem hoc intelligi dupliciter. Uno modo de malis angelis, qui contra sanctos decertant: *Ephes. 6. 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates.* Alio modo potest intelligi de bonis; et secundum hoc, ut Chrystomus dicit *in lib. de compunctione cordis*, hoc dicebat, non quod Angeli affectare possent aliquando eum a Christo separare, sed etiam ea quae sunt impossibilia, verbi gratia, fieri posse dixit magis quam se ab amore Christi seiungi; ut per hoc quanta in eo vis esset divinae caritatis ostenderet, atque omnibus ante oculos poneret. Hic enim amantium mos est ut amorem suum silentio tegere nequeant; sed necessariis suis, et caris afferunt, et produnt, et flammas suas infra pectus cohibere non possunt: enarrant eas frequentius, ut ipsa assiduitate narrandi amoris sui solatium capiant, et refrigeria immensi ardoris assumant. Sic ergo facit beatus hic eximius amator Christi, omnia quae sunt, et quae erunt, quaeque accidere possunt, et quae omnino non possunt, simul uno sermone complectitur. Et simile est quod dicitur *Gal. 1. 8. Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavi vobis, anathema sit.* Deinde posuit etiam creaturas sensibiles; quarum duplicem diversitatem ponit. Primo quidem secundum tempus, quo diversificantur secundum praesens, et futurum: unde dicit, *Neque instantia*, idest praesentia, sive dolorem, sive delectationem inferant: *2. Cor. 4. 16. Non contemplantibus nobis ea quae videntur.* Addit autem, *Neque futura*, quorum nec timor, nec desiderium potest nos separare a Christo: unde ipse dicebat *Act. 21. 13. Ego non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Deinde ponit diversitatem sensibilium creaturarum ex parte magnitudinis: et primo tangit magnitudinem virtutis, cum dicit, *Neque fortitudo*, idest neque quaecumque creatura fortis potest me separare a Christo, puta fortis ignis, aut fortis aqua: quia, ut *Cant. 8. 6.* dicitur, *fortis est ut mors dilectio.* Deinde ponit magnitudinem dilectionis, describens eam secundum ea quae proprie conveniunt corporibus, scilicet altum, et profundum: unde dicit, *Neque altitudo*, ex qua scilicet aliquis mihi minaretur praecipitium; sicut dicitur *Luc. 4.* quod duxerunt Iesum usque ad supercilium montis, ut praecipitarent eum: *neque profundum*, in quo aliquis submersionem minaretur: *Psal. 68. 3. Infixus sum in limo profundi.* Possent etiam haec tria ad res humanas referri: tripliciter enim aliquis homo posset a Deo aliquem avertere. Uno modo cogendo per fortitudinem; sed, sicut dicitur *1. Reg. 2. 2. non est fortis sicut Deus noster:* secundo stupefaciendo per altitudinem auctoritatis; sed de eo dicitur *in Psal. 82. 19. Tu solus altissimus super omnem terram:* tertio seducendo per profundum sapientiae; sed de eo dicitur *Iob 11. 8. Profundior inferno, et unde cognosces?* Possunt etiam haec duo, altitudo, et profundum, ad prospera, et adversa referri, secundum illud *2. Corinth. 6. 6. Per arma iustitiae a dextris, et a sinistris.* Vel secundum Chrysostomum *in lib. de comp. cord.* qui ait: *Altitudo, et profundum non mihi aliud indicare videntur quam regnum caelorum, et gehennam.* Quasi dicat: Nec si a regno decidere me necesse sit, aut etiam in gehennam trahi pro Christo, nec hoc mihi quidem metuendum est. Quantum autem ad ea quae non sunt, sed possunt esse, subdit, *Neque creatura alia:* quod utique, secundum Chrysostomum *ibid.* de his dicitur quae non sunt; quasi illi non sufficiant omnia quae sunt, sed illa quae non sunt provocet quodammodo ad certamen. Nihil, inquit, istorum *poterit nos separare a caritate Dei: 1. Corinth. 13. 8. Caritas numquam excidit:* quae quidem caritas Dei *est in Christo Iesu Domino nostro*, quia scilicet per eum data est nobis, inquantum Spiritum sanctum nobis dedit: *Luc. 12. 49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*

Sed cum scriptum sit *Eccle. 9. 1. Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta:* quid est hoc quod dicit se esse certum quod nihil possit eum a caritate separare?

Ad quod dici potest, quod Apostolus non loquitur singulariter de seipso, sed loquitur in persona omnium praedestinatorum, de quibus propter certitudinem praedestinationis annuntiat quod nihil eos a caritate possit separare. Potest etiam ista certitudo causari ex virtute caritatis, quae quantum in se est, ab aliquibus non potest separari, cum Deum super omnia diligat. Quod autem aliquis interdum a caritate recedat, non est propter defectum caritatis, sed propter defectum liberi arbitrii. Si autem Paulus hoc dicit de seipso, de hoc certus esse non poterat, nisi forte per revelationem: quia dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea, 2. Corinth. 12. 9.* Nam quantum ad possibilitatem liberi arbitrii ipse alibi dicit *1. ad Corinth. 9. 27. Ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

# CAPITIS NONI

## LECTIO PRIMA

Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa; quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Apostolus supra necessitatem, et virtutem gratiae demonstravit; hic incipit agere de origine gratiae, utrum ex sola Dei electione detur, aut detur ex meritis praecedentium operum, occasione accepta ex eo quod Iudaei, qui videbantur divinis obsequiis mancipati, exciderant a gratia, Gentiles autem ad eam erant admissi, qui prius fuerant a Deo alieni. Primo igitur agit de electione Gentium; secundo de casu Iudaeorum *cap. 10. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* Circa primum duo facit. Primo commemorat dignitatem Iudaeorum; secundo ostendit quomodo Gentiles ad illam dignitatem sunt assumpti, ibi, *Non autem quod exciderit verbum Dei.* Circa primum duo facit. Primo Apostolus ostendit affectum suum ad gentem Iudaeorum, ne ea quae contra eos dixit, vel dicturus est, ex odio dicere videatur; secundo eorum dignitatem ostendit, ibi, *Qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum.* Circa primum duo facit. Primo confirmat ea quae dicturus est; secundo demonstrat suum affectum, ibi, *Quoniam mihi tristitia magna est.* Circa primum duo facit. Primo confirmat dicenda per simplicem assertionem, dicens, *Veritatem dico*, quod maxime convenit praedicatori, qui est testis veritatis: *Prover. 8. 7. Veritatem meditabitur guttur meum: Zach. 8. 19. Pacem, et veritatem diligite.* Et quia quandoque aliquis veritati, quam loquitur, aliquod mendacium interserit, ad hoc excludendum subdit, *Non mentior: Ephes. 4. 25. Deponentes mendacium loquimini veritatem.* Secundo confirmat quae dicenda sunt per iuramentum, quae est quaedam confirmatio per testimonium infallibilis veritatis. Tales autem sunt testes sanctorum. Primo quidem Deus, secundum *Iob 16. 20. Ecce in caelo testis meus.* Et ideo dicit, *In Christo Iesu*, idest per Christum Iesum, qui est veritas absque mendacio: *2. Corinth. 1. 19. Dei enim Filius, qui praedicatus est in vobis, non fuit in illo Est, et Non.* Secundo testis infallibilis sanctorum est eorum conscientia: unde subdit: *Testimonium perhibente mihi conscientia mea: 2. Cor. 1. 12. Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae.* Et quia interdum conscientia errat, nisi per Spiritum sanctum rectificetur, subdit, *In Spiritu sancto: Supra 8. 16. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.*

Deinde cum dicit, *Quoniam tristitia mihi magna est*, ostendit suum affectum ad Iudaeos per dolorem quem de eorum casu patiebatur: quem quidem primo exponit; secundo eius signum ponit, cum dicit: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Exaggerat autem suum dolorem tripliciter. Primo quidem ex eius magnitudine: *Quoniam mihi tristitia est magna*, quia scilicet est de magno malo, idest de excidio tantae gentis: *Thren. 2. 13. Magna est velut mare contritio tua.*

Sed contra hoc videtur esse quod dicitur *Eccli. 30. 22. Tristitiam non des animae tuae:* quod videtur sententiae Stoicorum consonare, qui tristitiam omnino ab animo sapientis propellebant: cum enim tristitia sit de malo praesenti, non potest sapienti competere, cui nullum malum est praesens: non enim aestimabant aliquid esse bonum nisi honestum, et malum nisi peccatum.

Sed haec opinio refellitur dupliciter. Primo quidem quia corporales defectus, licet non sint simpliciter mala, quibus scilicet homines fiant mali, sunt tamen quaedam mala, quae natura abhorret: unde et Dominus pro his tristatus legitur *Matth. 26. 38. Tristis est anima mea usque ad mortem.* Secundo cum ex caritate homo debeat suum diligere proximum sicut seipsum, imminet sapienti tristitia laudabilis de peccato proximi, sicut de peccato sui ipsius: unde Apostolus dicit *2. Cor. 12. 21. Et lugeam multos ex eis qui peccaverunt.* Sic igitur reprobatur saeculi tristitia, quae mortem operatur, procedens ex amore saeculi; sed tristitia quae est secundum Deum, utpote ex divina caritate procedens, salutem operatur, ut dicitur *2. Cor. 7.* Et talis fuit ista tristitia.

Secundo exaggerat eam ex continuitate: unde subdit, *Et continuus dolor:* non quod continuo actu doleret, sed secundum habitum: *Hier. 9. 1. Ut plorem die, ac nocte interfectos populi mei.* Tertio exaggerat eam ex sui veritate, cum dicit, *Cordi meo:* non enim erat superficialis, sed in corde radicata: *Thren. 1. 22. Multi gemitus mei, et cor meum moerens.* Deinde cum dicit, *Optabam enim etc.* ponit signum doloris, dicens: *Optabam enim ego ipse*, qui tam fervens sum in caritate Christi, ut supra ostensum est, *anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ubi primo sciendum est, quod anathema est Graecum, et componitur ab ana, quod est sursum, et thesis, quod est positio; ut dicatur anathema quasi sursum positum: quia scilicet cum capiebatur aliquid in praeda quod nolebant esse in usu hominum, suspendebant illud in templo: et inolevit usque adhuc ut ea quae sunt separata ab hominum communi usu, anathemata vocarentur: unde *Iosue 6. 17.* dicitur: *Sit civitas haec anathema, et omnia quae in ea sunt, Domino.* Dicit ergo: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo*, idest separatus ab eo: quod quidem fit dupliciter. Uno modo per culpam, per quam aliquis a caritate Christi separatur, eius praeceptum non servans: *Ioan. 14. 15. Si diligitis me, mandata mea servate.* Sic autem Apostolus non poterat optare esse anathema a Christo pro quacumque causa, ut ex supradictis *in 8. cap.* patet: est enim hoc contra ordinem caritatis, quo quis tenetur Deum super omnia diligere, et salutem suam plusquam salutem aliorum. Et ideo non dicit, Opto,

sed *optabam*, scilicet tempore infidelitatis. Sed secundum hoc, nihil magnum dicit Apostolus : quia tunc etiam propter se volebat esse separatus a Christo. Unde et quaedam Glossa exponit quod dicit, *Tristitia magna est mihi*, de tristitia qua dolebat de praeterito statu peccati, in quo a Christo voluerat esse separatus. Alio modo potest aliquis esse separatus a Christo, idest a fruitione Christi, quae habetur in gloria. Sic autem separari a Christo volebat Apostolus pro salute Gentilium, nedum pro conversione Iudaeorum, secundum illud *Phil. 1. 23. Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse multo melius ; permanere in carne necessarium propter vos.* Et hoc modo dicebat, *Optabam*, scilicet si fieri posset, *anathema esse*, idest separatus a gloria, vel simpliciter, vel ad tempus, propter honorem Christi, qui est ex conversione Iudaeorum, secundum illud *Prov. 14. 28. In multitudine populi dignitas Regis.* Unde Chrysostomus *in libro de comp. cord. Ita totam eius mentem devicit amor, ut etiam quod prae ceteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursum idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret ; sed et caelorum regna, quod videbatur laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus cedere pateretur.* Et causam tanti affectus ostendit subdens, *Pro fratribus meis.* Unde *Eccli. 25. 1.* dicitur, quod *tria sunt probata coram Deo, et hominibus, concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene consentientes.* Et ne hoc intelligeretur de his qui erant spiritualiter in Christo fratres, secundum illud *Matth. 23. 8. Omnes vos fratres estis*, subiungit: *Qui sunt cognati mei secundum carnem : 2. Cor. 11. 22. Semen Abrahae sunt, et ego.*

Deinde cum dicit, *Qui sunt Israelitae*, ostendit dignitatem Iudaeorum, ut eius tristitia videretur esse rationabilis propter pristinam dignitatem populi pereuntis, propensius enim est malum dignitatem perdidisse, quam numquam habuisse, ut dicit Glossa, et non solum ex affectu carnali procedens. Ostendit autem eorum dignitatem tripliciter. Primo quidem quantum ad suam gentem, cum dicit, *Qui sunt Israelitae*, idest a genere Iacob descendentes, qui est dictus Israel *Genes. 32.* et *2. Cor. 11. 22. Israelitae sunt, et ego.* Et hoc ad dignitatem pertinet : dicitur enim *Deut. 4. 7. Non est alia natio tam grandis quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Secundo ostendit dignitatem illius gentis ex Dei beneficiis : inter quae primo ponit spiritualia beneficia, quorum unum respicit praesens ; et quantum ad hoc dicit : *Quorum est adoptio filiorum Dei.* Unde dicitur *Exod. 4. 22. Primogenitus meus Israel.* Et hoc quidem dicitur quantum ad spirituales viros, qui fuerunt in illo populo. Quantum ad carnales vero *supra 8.* innuit quod acceperunt spiritum servitutis in timore. Aliud vero beneficium ponit quod respicit futurum, cum dicit, *Et gloria*, scilicet filiorum Dei eis repromissa : in cuius signum legitur *Exod. ult.* quod gloria Domini implevit tabernaculum. Deinde ponit alia beneficia figuralia : quorum tria sunt figura praesentis spiritualis beneficii ; et horum primum est *testamentum*, idest pactum circumcisionis Abrahae datum, ut dicitur *Genes. 17.* quamvis hoc possit referri ad testamentum novum, quod primo Iudaeis est praedicatum. Unde et Dominus dicebat *Matth. 15. 24. Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel :* et *Hierem. 31. 31.* dicitur *: Feriam domui Israel faedus novum.* Secundum est lex data Moysi : unde subdit, *Et Legislatio: Eccli. 24. 33. Legem mandavit nobis Moyses.* Tertium est cultus divinus, cum dicit, *Et obsequium*, quo scilicet Deo serviebant, omnibus aliis gentibus servientibus idolis : *Isai. 44. 1. Et nunc audi serve meus Iacob, et Israel quem elegi.* Deinde ponit id quod pertinet ad futuram gloriam, cum dicit, *Et promissa :* promissiones enim factae in veteri testamento, impletae per Christum, Iudaeis praecipue factae videntur : unde dicitur *infra 15. 8. Dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum.* Fuerunt autem eis multae promissiones factae de bonis terrenis, ut patet *Levit. 26.* et *Deut. 18.* sed per illa temporalia bona spiritualia figurabantur. Tertio autem describit dignitatem Iudaeorum ex origine, cum dicit, *Quorum patres :* quia scilicet secundum carnem sunt progeniti ab illis patribus, qui fuerunt maxime Deo accepti: *Deut. 4. 37. Dilexi patres tuos, et elegi semen eorum: Osee 9. 10. Quasi prima poma ficulneae eius vidi patres eorum.* Quarto ostendit dignitatem eorum ex prole, cum dicit: *Ex quibus est Christus secundum carnem :* sicut ipse dicit *Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.* Et ne hoc parum videatur, ostendit Christi dignitatem, dicens : *Qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen : 1. Ioan. ult. 20. Hic est verus Deus, et vita aeterna.* In quibus verbis quatuor haereses destruuntur. Primo quidem Manichaei, qui dicebat Christum habuisse corpus phantasticum, et non verum ; quod removet per hoc quod dicit, *Secundum carnem :* habet enim veram carnem, secundum illud *Luc. ult. 39. Spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Secundo haeresis Valentini, qui dixit, Christum non de massa humani generis, sed de caelo corpus attulisse : quod quidem excludit in hoc quod dicit Christum ex Iudaeis secundum carnem esse, secundum illud *Matth. 1. 1. Liber generationis Iesu Christi filii David.* Tertio haeresis Nestorii, qui posuit alium esse filium hominis, alium Dei : contra quem Apostolus hic dicit, quod ille est ex patribus secundum carnem qui est Deus super omnia. Quarto excluditur haeresis Arii, qui dicebat Christum esse minorem Patre, et quod est creatus ex nihilo : contra quorum primum dicit, quod est super omnia, contra secundum, quod est benedictus per omnia saecula: hoc enim de solo Deo dicendum est, quod eius bonitas duret in saecula.

## LECTIO II.

Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitae, neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen: idest non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et erit Sarae filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubitu ha-

bens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori; sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Postquam Apostolus posuit dignitatem Iudaeorum, nunc ostendit quod ista dignitas non pertinet ad eos qui carnaliter processerunt ab antiquis patribus, sed ad spirituale semen, quod est a Deo electum: et primo ostendit quod huiusmodi dignitas proveniat ex electione divina; secundo ostendit quod haec electio communiter pertinet ad Iudaeos, et ad Gentiles, ibi, *Quos et vocavit non solum ex Iudaeis, sed etiam ex Gentibus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo ex electione divina homines spiritualem dignitatem consequuntur; secundo movet quaestionem de iustitia divinae electionis, ibi, *Quid ergo dicemus?* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo ostendit propositum, ibi, *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Circa primum duo facit. Primo ponit firmitatem divinae electionis; secundo ostendit in quibus impleatur, ibi, *Non enim omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitae.* Dicit ergo primo: Ita dictum est, quod eorum sunt promissa, et adoptio filiorum, et gloria, pro quorum casu est mihi magna tristitia, et continuus dolor. Non autem est hoc sic intelligendum, quod *verbum Dei exciderit*, idest frustratum sit: quia etsi non habet locum in quibusdam, qui exciderunt, habet tamen locum in aliis: *Isai. 55. 11. Verbum quod egreditur ex ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui: Psal. 118. 89. In aeternum, Domine, permanet verbum tuum.* Deinde cum dicit, *Non enim omnes etc.* ostendit quomodo, et in quibus verbum Dei exciderit. Circa quod considerandum est, quod Iudaei de duobus praecipue gloriabantur, videlicet de Abraham, qui primo accepit pactum circumcisionis a Domino, ut dicitur *Gen. 17.* et de Iacob, sive Israel, cuius tota posteritas in populo Dei connumerabatur. Non autem ita fuit de Isaac: nam posteritas filii eius Esau ad populum Dei non pertinebat: unde Apostolus ostendit propositum, primum quidem per comparationem ad Iacob, dicens: *Non enim omnes qui sunt ex Israel*, idest ex Iacob secundum carnem progeniti, *hi sunt* veri *Israelitae*, ad quos pertinent Dei promissa; sed illi qui sunt recti, et videntes Deum per fidem: *Isai. 44. 2. Rectissime, quem elegi.* Unde et Dominus dicit Nathanaeli *Ioan. 1. 47. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Hoc autem nomen Israel impositum fuit Iacob ab Angelo, ut patet *Gen. 32.* Secundo ostendit idem per comparationem ad Abraham dicens: *Neque omnes qui sunt* carnale *semen Abrahae*, sunt spirituales Abrahae *filii*, quibus Deus benedictionem repromisit; sed solum illi qui eius fidem, et opera imitantur: *Ioan. 8. 39. Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite.*

Deinde cum dicit, *Sed in Isaac vocabitur tibi semen*, manifestat propositum: et primo quantum ad Abraham; secundo quantum ad Iacob, ibi, *Non solum autem illa etc.* Circa primum tria facit. Primo proponit auctoritatem Scripturae, dicens: *Sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Hoc Dominus dixit Abrahae, ut habetur *Gen. 21.* ubi agebatur de expulsione Ismaelis; quasi dicat: Non omnes qui nati sunt carnaliter ab Abraham, pertinent ad illud semen cui facta est repromissio, secundum illud *Gal. 3. 16. Abrahae dictae sunt promissiones, et semini eius;* sed illi qui similes sunt Isaac. Deinde cum dicit, *Idest non qui filii carnis, hi filii Dei*, exponit auctoritatem inductam, secundum quod facit ad propositum. Ad cuius evidentiam accipiendum est quod Apostolus dicit *Gal. 4. 22. Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera; sed qui de ancilla*, scilicet Ismael, *secundum carnem natus est*, quia scilicet secundum legem, et consuetudinem carnis ex iuvencula natus est, *qui autem ex libera*, scilicet Isaac, *per repromissionem*, et non secundum carnis legem, et consuetudinem; quia natus est ex sterili, et vetula, ut habetur *Genes. 18.* quamvis sit natus secundum carnem, idest secundum substantiam carnis, quam accepit a parentibus. Ex quo Apostolus hic accipit quod illi non adoptantur in filios Dei *qui sunt filii carnis*, idest ex hoc ipso quod secundum carnem progeniti sunt ab Abraham; sed illi *aestimantur in semine*, quibus facta est repromissio, *qui sunt filii promissionis*, idest illi qui ex gratia promissionis divinae facti sunt filii Abrahae secundum imitationem fidei, secundum illud *Matth. 3. 9. Potens est Deus de lapidibus his suscitare filios Abrahae:* sicut etiam Ismael secundum carnem natus, non est computatus in semine, sed Isaac per repromissionem natus. Tertio ibi, *Promissionis enim verbum hoc est*, probat convenientem fuisse suam expositionem, qua per Isaac significari dixit eos qui sunt filii repromissionis, quia scilicet Isaac per promissionem natus est: unde dicit: *Promissionis enim hoc verbum est*, quod Angelus, immo Dominus in Angelo dixit ad Abrahaam *Gen. 18. 10. Secundum hoc tempus veniam:* quo significatur tempus gratiae: *Gal. 4. 4. Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum: Et erit Sarae filius*, scilicet per gratiam repromissionis: unde et *Gal. 4. 5.* dicitur: *Ut adoptionem filiorum reciperemus.* Deinde cum dicit, *Non solum autem illa etc.* manifestat propositum quantum ad Iacob: et primo ponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Cum enim nondum nati fuissent etc.* Dicit ergo primo: *Non solum illa*, scilicet Sara, habuit filium de quo facta est promissio; *sed et Rebecca habens* in utero duos filios, quorum unus pertinebat ad promissionem, alius ad carnem solum; et hoc *ex uno concubitu Isaac patris nostri:* dicitur enim *Gen. 25.* quod Isaac rogavit pro uxore sua, eo quod sterilis esset; et dedit Dominus conceptum Rebeccae, et collidebantur in ventre eius parvuli. Et est notandum, quod hoc Apostolus inducit contra Iudaeos, qui reputabant se Dei gratiam adepturos propter merita patrum, contra quos dicit de viris iustis *Ezech. 14.* quod filium, et filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabuntur. Unde et Ioannes Iudaeis dicebat *Matth. 3. 9. Ne coeperitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Contra horum opinionem ergo primo induxerat quod de filiis Abrahae unus erat electus, et alius reprobatus. Possent autem hoc adscribere vel diversitati matrum, quia Ismael natus de ancilla,

et Isaac de libera; vel diversitati meritorum patris, quia Ismaelem genuit incircumcisus, Isaac autem circumcisus. Ut igitur omne subterfugium excludatur, inducit exempla, ubi unus eligitur, et alius reprobatur eorum qui non solum ab uno patre, sed etiam ab una matre sunt geniti, et eodem tempore, immo ex uno concubitu. Deinde cum dicit, *Cum nondum nati fuissent*, ostendit propositum: et primo per auctoritatem *Gen. 28.* secundo per auctoritatem Prophetae, ibi, *Sicut scriptum est etc.* Circa primum tria facit. Primo designat tempus promissionis, et dicit per repromissionem est unus filiorum Rebeccae alii praelatus, *cum nondum nati fuissent.* Et sicut per superiora exclusit opinionem Iudaeorum de meritis patris confidentium, ita etiam per hoc excludit errorem Manichaeorum, qui diversitatem eorum quae hominibus accidunt, nativitati adscribunt, ut scilicet uniuscuiusque vita, et mors disponatur secundum constellationem sub qua natus est; contra quod dicitur *Hierem. 10. 2. A signis caeli nolite metuere, quae Gentes timent.* Subdit autem: *Aut aliquid egissent boni, aut mali:* ubi excluditur error Pelagianorum, qui dicunt, secundum merita praecedentia gratiam dari, cum tamen scriptum sit *Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Utrumque horum ostenditur falsum per hoc quod ante nativitatem, et ante opera unus filiorum Rebeccae alteri est praelatus. Excluditur per hoc etiam error Origenis, qui posuit, animas hominum simul cum Angelis esse creatas, et quod pro meritis eorum quae ibi egerunt bene, vel male, diversitatem vitae sortiuntur: secundum quem non posset esse verum quod hic dicitur: *Cum nondum aliquid mali, vel boni egissent.* Contra hoc autem est quod dicitur *Iob 38. 7. Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei?* Posset enim secundum Origenis errorem responderi: Eram inter ipsos Dei filios iubilantes. Secundo ostendit quid accipi posset ex ipsa promissione, quia unus geminorum in utero existentium alteri est praelatus, dicens: *Ut propositum Dei*, scilicet volentis unum prae alio magnificare, *maneret*, idest firmum esset; et hoc non secundum merita, sed *secundum electionem*, idest inquantum ipse Deus spontanea voluntate unum alteri praeelegit, non quia sanctus erat, sed ut sanctus esset, secundum illud *Ephes. 1. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Hoc autem est propositum praedestinationis, de quo *ibidem* dicitur: *Praedestinati secundum propositum voluntatis eius.* Tertio ponit promissionem, dicens: *Non ex operibus*, quae nulla praecesserunt, ut dictum est, *sed ex vocante*, idest ex ipsa gratia vocantis, de quo *supra 8. 30.* dictum est, *Quos praedestinavit, hos et vocavit*, dictum est ei, scilicet Rebeccae, *quia maior*, scilicet Esau, *serviet minori*, scilicet Iacob. Quod quidem tripliciter potest intelligi. Uno modo secundum eorum personas; et sic intelligitur Esau servisse Iacob, non directe, sed occasionaliter, inquantum persecutio quam ei intulit, in eius bonum cessit, secundum illud *Pro. 11. 29. Qui stultus est, serviet sapienti.* Secundo potest referri ad populos ex utroque progenitos: quia Idumaei aliquando fuerunt subiecti Israelitis, secundum illud *Psalm. 49. 10. In Idumaeam extendam calceamentum meum.* Et hoc videtur competere his quae praemittuntur *in Gen. 25.* Praemittitur enim *23. Duo populi ex ventre tuo dividentur; populus populum superabit, et maior minori serviet.* Tertio potest intelligi figuraliter dictum, ut per maiorem intelligatur populus Iudaeorum, qui primo adoptionem filiationis accepit, secundum illud *Exod. 4. 22. Primogenitus meus Israel;* per minorem autem figuratur populus Gentilium, qui posterius est ad fidem vocatus, qui etiam figuratur per filium prodigum *Luc. 15.* Maior ergo populus servit minori; inquantum Iudaei sunt nostri capsarii, custodientes libros ex quibus nostrae fidei testimonium perhibetur: *Ioan. 5. 39. Scrutamini Scripturas.* Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat propositum ex auctoritate Prophetae, dicens: *Sicut scriptum est*, scilicet *1. cap.* Malachiae Prophetae ex persona Dei dicentis: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Dicit autem hic quaedam Glossa, quod id quod supra dictum est, *Maior serviet minori*, dictum est secundum praescientiam; quod autem hic dicit, est intelligendum secundum iudicium: quia scilicet Deus propter bona opera dilexit Iacob, sicut et omnes sanctos diligit: *Proverb. 8. 17. Ego diligentes me diligo;* Esau vero odio habuit propter peccata, sicut scriptum est *Eccli. 12. 7. Altissimus odio peccatores habuit.* Sed quia dilectio hominis praevenitur a dilectione Dei, secundum illud *1. Ioan. 4. 10. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*; oportet dicere, quod ante Iacob dilectus sit a Deo quam ipse Deum dilexerit. Nec potest dici quod Deus ex tempore eum diligere inceperit, alioquin eius affectus esset mutabilis: et ideo oportet dicere, quod Deus ab aeterno Iacob dilexit, ut dicitur *Hierem. 31. In caritate perpetua dilexi te.*

Est autem in his verbis Apostoli considerandum, quod tria ponit in Deo pertinentia ad sanctos, videlicet electionem, per quam intelligitur praedestinatio, et dilectio Dei; quae quidem realiter sunt idem in Deo, sed differunt ratione: nam ipsa Dei dilectio dicitur secundum quod vult bonum alicui absolute; electio autem dicitur secundum quod per bonum quod alicui vult, eum alteri praefert; praedestinatio autem est secundum quod hominem dirigit in id bonum quod ei vult, diligendo, et eligendo: et ideo secundum rationem praedestinatio sequitur dilectionem; sicut et voluntas de fine naturaliter praecedit directionem aliquorum in finem. Electio autem, et dilectio aliter ordinantur in Deo, et in homine. In homine enim electio praecedit dilectionem: voluntas enim hominis movetur ad amandum ex bono quod in re amata considerat, ratione cuius ipsam praeelegit alteri, et praelectae suum amorem impendit. Sed voluntas Dei est causa omnis boni quod est in creatura; et ideo bonum per quod una creatura praefertur alteri per modum electionis, consequitur voluntatem Dei, quae est de bono illius, quae pertinet ad rationem dilectionis. Unde non propter aliquod bonum, quod in homine eligat, Deus eum diligit; sed potius eo quod ipsum diligit, praefert eum aliis, eligendo. Sicut autem dilectio, de qua hic loquitur, pertinet ad aeternam Dei praedestinationem; ita etiam odium, de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores. Nec est dicendum, quod ista reprobatio sit temporalis, quia nihi

temporale est in voluntate divina, sed est ab aeterno; quae quidem quantum ad aliquid convenit cum dilectione, vel praedestinatione, quantum autem ad aliquid differt. Convenit quidem quantum ad hoc quod sicut praedestinatio est praeparatio gloriae, ita reprobatio est praeparatio poenae: *Isai. 30. 33. Praeparata est ab heri Thophet, a Rege praeparata.* Differt autem quantum ad hoc quod praedestinatio importat praeparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat praeparationem peccatorum, quibus pervenitur ad poenam. Et ideo praescientia meritorum non potest esse aliqua ratio praedestinationis, quia merita praescita cadunt sub praedestinatione; sed praescientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte poenae, quae praeparatur reprobatis: inquantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quae a seipsis habent, non a Deo; iustos autem proponit se praemiaturum propter merita quae a seipsis non habent: *Osee 13. 9. Perditio tua ex te, Israel; tantum in me auxilium tuum.*

## LECTIO III.

**Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cui misertus sum, et misericordiam praestabo cui miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat.**

Postquam praemisit Apostolus quod secundum Dei electionem unus alteri praefertur, non ex operibus, sed ex gratia vocantis; hic inquirit de iustitia huius electionis: et primo proponit dubitationem; secundo solvit, ibi, *Absit;* tertio obiicit contra solutionem, ibi, *Dicis itaque mihi: Quid adhuc quaeritur?* Dicit ergo primo: Dictum est quod Deus sine merito praecedente unum eligit, et alterum reprobat. *Quid ergo dicemus? Numquid* per hoc probari potest quod sit *iniquitas apud Deum?* Videtur quod sic: pertinet enim ad iustitiam in distributionibus, ut aequaliter aequalibus distribuatur; homines autem remota differentia meritorum, sunt aequales: si ergo absque consideratione meritorum Deus inaequaliter distribuit, unum eligens, et alium reprobans, videtur quod sit in eo iniquitas: quod est contra illud quod dicitur *Deuter. 32. 4. Deus fidelis, et absque ulla iniquitate: Psalm. 118. 137. Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum.*

Est autem sciendum, quod Origenes hanc obiectionem solvere volens, incidit in errorem: ponit enim *in suo Periarchon,* Deum ab initio solum creaturas spirituales fecisse, et omnes aequales, ne ex eorum inaequalitate posset secundum rationem praedictam iniquitas Deo adscribi; sed postea creaturarum diversitas subsequuta est ex diversitate meritorum: nam illarum creaturarum spiritualium quaedam per amorem conversae sunt ad Deum plus vel minus, et secundum hoc distincti sunt diversi ordines Angelorum; quaedam vero aversae sunt a Deo plus vel minus, et secundum hoc alligatae sunt corporibus vel nobilibus, vel ignobilibus; quaedam quidem caelestibus corporibus, quaedam autem corporibus hominum: et secundum hoc ratio condendi, et distinguendi creaturas corporeas est peccatum spiritualis creaturae: quod est contra id quod *Genes. 1. 31.* dicitur: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Per quod datur intelligi quod causa producendi creaturas corporales est bonitas, ut dicit Augustinus *11. de Civit. Dei.*

Et ideo hac opinione reiecta, videndum est qualiter Apostolus dubitationem solvat, cum dicit: *Absit. Moysi enim dicit etc.* Et circa hoc duo facit. Primo solvit obiectionem praedictam quantum ad dilectionem sanctorum; secundo quantum ad odium, seu reprobationem malorum, ibi, *Dicit enim Scriptura Pharaoni.* Circa primum duo facit. Primo proponit auctoritatem Scripturae, ex qua procedit solutio; secundo ex ea conclusionem inducit, ibi, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Inducit autem auctoritatem quae habetur *Exod. 33. 19.* ubi dixit Dominus Moysi secundum litteram nostram: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuero.* Sed Apostolus inducit eam secundum litteram LXX. dicens: *Moysi enim dicit,* Dominus: *Miserebor cui misereor, et misericordiam praestabo cui miserebor:* ubi secundum superficiem litterae, omnia bona nostra Dei misericordiae adscribuntur, secundum illud *Isai. 63. 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quae reddidit nobis:* et *Thren. 3. 23. Misericordiae Domini quod non sumus consumpti: multae enim sunt miserationes eius.* Exponitur autem haec auctoritas in Glossa dupliciter; et secundum hoc ex auctoritate hac dupliciter solvitur quaestio, et obiectio. Uno modo sic: *Miserebor cui misereor,* idest illi qui est dignus misericordia; et ad maiorem expressionem iterat, dicens: *Misericordiam praestabo cui misereor,* idest cui dignum iudico misereri; sicut et *in Psalm. 102. 13.* dicitur: *Misertus est Dominus timentibus se.* Et secundum hoc, licet misericorditer sua impendat, tamen ab iniustitia excusatur: quia dat quibus dandum est, et quia non dat cui dandum non est, secundum rectitudinem sui iudicii.

Sed misereri cui dignum est, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut intelligatur aliquis dignus misericordia propter opera praeexistentia in hac vita, licet non in alia, ut posuit Origenes: quod pertinet ad haeresim Pelagianorum, qui posuerunt gratiam Dei hominibus secundum merita dari. Sed hoc stare non potest: quia, sicut dictum est, ipsa etiam bona merita sunt homini a Deo, et sunt praedestinationis effectus.

Alio modo potest intelligi ut aliquis dicatur dignus misericordia, non propter aliqua merita praecedentia gratiam, sed propter merita subsequentia, puta ut dicamus, quod Deus dat alicui gratiam, et proposuit eam ab aeterno illi se daturum quem praescivit ea bene fore usurum; et secundum hoc intelligit Glossa quod miseretur cui miserendum est: unde dicit: *Miserebor cui misertus ero; idest, illi miserebor vocando, et gratiam apponendo, cui praescius ero quod misericordiam daturus essem, sciens illum convertendum, et apud me permansurum.* Sed videtur quod nec hoc convenienter dici possit: manifestum est enim quod nihil potest poni ut ratio praedestinationis quod est praedestinatio-

nis effectus, etiamsi accipiatur prout est in Dei praescientia: quia ratio praedestinationis praeintelligitur praedestinationi, effectus autem in ipsa includitur. Manifestum est autem quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est divinae praedestinationis effectus. Divinum autem beneficium non solum extendit se ad infusionem gratiae qua homo iustificatur, sed etiam ad gratiae usum; sicut etiam in rebus naturalibus non solum Deus causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus, et operationes formarum: eo quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante a movendo, ex formis nullus motus, vel operatio sequitur. Sicut autem se habet habitus gratiae, vel virtutis in anima ad usum ipsius, sic se habet forma naturalis ad suam operationem; et ideo dicitur *Isa. 26. 12. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles *9. Metaph. text. 3. 4.* et *10.* de operibus voluntatis humanae. Cum enim homo habeat potentiam ad opposita, puta ad sedendum, vel non sedendum, oportet quod reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo unum oppositorum praeeligit alteri. Sed cum iterum homo habeat potentiam consiliandi, vel non consiliandi, oportebit esse aliquod per quod reducatur in actum consilii: et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moveat ad consiliandum; et hoc non est aliud quam Deus. Sic igitur ipse usus gratiae est a Deo, nec propter hoc superfluit habitus gratiae; sicut nec superfluunt formae naturales, quamvis Deus in omnibus operetur: quia, sicut dicitur *Sapien. 8. 1. ipse disponit omnia suaviter:* quia scilicet per suas formas omnia inclinantur quasi sponte in id ad quod ordinantur a Deo. Sic igitur non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi, aut praedestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat. Manifestum est enim quod iustitia distributiva locum habet in his quae dantur ex debito, puta si aliqui meruerunt mercedem, ut plus laborantibus maior merces donetur; non autem habet locum in his quae sponte, et misericorditer aliquis dat; puta si aliquis duos pauperes in via inveniens, det uni quod potest, vel disponit in elemosynam dare, non est iniquus, sed misericors. Similiter si aliquis duobus aeque ipsum offendentibus, uni dimittat offensam, et non alteri, est misericors uni, et iustus ad alterum, neutri vero iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii; quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: et sic quibusdam est misericors, quos liberat; quibusdam autem iustus, quos non liberat; neutris autem iniquus. Et ideo Apostolus quaestionem solvit per auctoritatem quae omnia divinae misericordiae adscribit.

Sciendum est tamen, quod Dei mirericordia secundum tria attenditur. Primo quidem secundum praedestinationem, qua ab aeterno proposuit aliquos liberare: *Psalm. 102. 16. Misericordia eius ab aeterno et usque in aeternum.* Secundo secundum vocationem, et iustificationem, quibus homines salvat ex tempore: *Tit. 3. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tertio magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria: *Psalm. 102. 4. Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.* Et ideo dicit: *Miserebor*, scilicet vocando, et iustificando, *cui misereor* praedestinando; et *misericordiam praestabo*, finaliter glorificando eum *cui misereor*, vocando, et iustificando. Et hic sensus magis concordat cum nostra littera, quae dicit *loc. cit. Miserebor cui voluero, et clemens ero cui mihi placet.* Ubi manifeste non meritis, sed soli divinae voluntati adscribitur divina misericordia.

Deinde cum dicit, *Igitur non volentis etc.* concludit propositum ex praemissa auctoritate. Et potest haec conclusio multipliciter intelligi. Uno modo sic. Igitur ipsa salus hominis *non est volentis, neque currentis*, idest non debetur alicui per aliquam eius voluntatem, vel exteriorem operationem, quae dicitur cursus, secundum illud *1. Cor. 9. 24. Sic currite ut comprehendatis: sed est miserentis Dei*, idest procedit ex sola Dei misericordia, ut maxime sequitur ex auctoritate inducta: *Deuter. 9. 4. Ne dicas in corde tuo... Propter iustitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem.* Potest autem et aliter intelligi, ut sit sensus. Omnia procedunt ex Dei misericordia: igitur *non est volentis*, scilicet velle, *neque currentis*, scilicet currere; *sed* utrumque *est miserentis Dei*, secundum illud *1. Corinth. 15. 10. Non autem ego, sed gratia Dei mecum:* et *Ioan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.*

Sed si hoc solum in hoc verbo intellexisset Apostolus, cum etiam gratia sine libero arbitrio hominis non velit, neque currat, potuisset e converso dicere: Non est miserentis Dei, sed volentis, et currentis: quod aures piae non ferunt. Unde plus aliquid est ex his verbis intelligendum, ut scilicet principalitas gratiae Dei attribuatur: semper enim actio magis attribuitur principali agenti quam secundario; puta, si dicamus, quod securis non facit arcam, sed artifex per securim. Voluntas autem hominis movetur a Deo ad bonum: unde *supra 8. 14.* dictum est: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Et ideo hominis operatio interior non est homini principaliter, sed Deo attribuenda: *Phil. 2. 13. Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.*

Sed si non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei moventis ad hoc hominem; videtur quod homo non sit dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii. Et ideo dicendum est, quod Deus omnia movet, sed diversimode, inquantum scilicet unumquodque movetur ab eo secundum modum naturae suae: et sic homo movetur a Deo ad volendum, et currendum per modum liberae voluntatis. Sic ergo velle, et currere est hominis ut libere agentis, non autem est hominis ut principaliter moventis, sed Dei.

Deinde cum dicit, *Dicit enim Scriptura Pharaoni*, solvit questionem praemissam quantum ad reprobationem malorum: et primo inducit auctoritatem; secundo infert conclusionem, ibi, *Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Dicit ergo: Ita ostensum est quod non est iniquitas apud Deum quantum ad hoc quod ab aeterno diligit iustos, sed etiam nec quantum ad hoc quod ab aeterno reprobat malos: *dicit enim Scriptura* ex ore Dei *Exod. 9. 16. Quia in hoc ipsum excitavi te*, vel *servavi te*, secundum aliam lit-

teram, *ut ostendam in te virtutem meam, ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Nostra autem littera sic habet: *Et idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, ut enarretur nomen meum in omni terra.* Ubi primo considerandum est quid Deus circa reprobos faciat: quod ostendit, dicens: *In hoc ipsum servavi te*, idest dignum eras mori propter mala quae feceras, *supra 1. 32. Qui talia agunt, digni sunt morte;* sed tamen non statim tibi mortem induxi, sed servavi te in vita eo fine quo sequitur, *ut* scilicet *ostendam in te virtutem meam.* Et in hoc etiam sensu potest legi quod dicitur, *Excitavi te*, idest cum apud me pro tuis meritis mortuus esses, concessi tibi vitam, quasi te excitarem. In quo appareret quod Deus iniquitatem in reprobis non facit, cum ipsi ex suis meritis essent digni statim consumi; sed hoc ipsum quod eos servat in vita, procedit ex nimia sua bonitate: *Hier. 10. 24. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* Alio modo potest intelligi, *Excitavi te*, in peccatum, ut deterior fias: quod quidem non est intelligendum hoc modo quod Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissive, quia scilicet ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter praecedentes iniquitates, sicut *supra 1. 28.* dictum est: *Tradidit eos Deus in reprobum sensum.*

Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum: quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines a Deo ad bonum, et ad malum: unde Augustinus dicit *in lib. de Gratia et libero Arbitrio cap. 20.* quod *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Unde et Deus dicitur saepius suscitare aliquos ad bonum, secundum illud *Daniel. 13. 45. Suscitavit Deus spiritum pueri iunioris:* dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, secundum illud *Isa. 13. 17. Suscitabo Medos, qui sagittis parvulos interficiant.* Aliter tamen ad bona, aliter ad mala: nam ad bona inclinat hominum voluntates directe et per se, tamquam actor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum: *Supra 2. 4. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit; secundum autem duritiam tuam, et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae?* Et *Iob 24. 23. Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam.* Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum, puta Regem ad defendendum iura regni sui, vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc patet *Isai. 10. 6.* ubi dicitur de Assur: *Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat praedam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum:* et post: *Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita aestimabit; sed ad conterendum erit cor eius.* Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusum est hac excitatione in crudelitatem.

Secundo oportet considerare, quo fine Deus ista partim faciat, et partim permittat: est enim considerandum, quod Deus operatur in creaturis ad suam manifestationem, secundum illud *supra 1. 20. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Unde et huiusmodi excitatio in hoc ipsum ordinatur, et quantum ad praesentes, *ut ostendam in te virtutem meam: Exod. 14. 31. Viderunt filii Israel manum magnam, quam exercuerat Dominus contra Ægyptios:* et quantum ad absentes, *ut annuntietur nomen meum in universa terra: Psal. 45. 3. Annuntiate inter gentes gloriam eius.* Sic igitur patet quod quantum ad hoc non est iniquitas apud Deum, quia utitur creatura sua secundum eius merita ad gloriam suam; et in hoc eodem sensu potest exponi, si dicatur, *Posui te*, idest ordinavi malitiam tuam ad gloriam meam: Deus enim malitiam ordinat, sed non causat.

Deinde cum dicit, *Ergo cuius vult miseretur*, infert conclusionem quamdam ex utraque auctoritate supra inducta: nam ex eo quod dictum est, *Miserebor cui misereor*, concludit, *Ergo cuius vult miseretur: Psal. 102. 23. Misertus est Dominus timentibus se:* ex eo vero quod dictum est, *In hoc ipsum excitavi te*, concludit, *Et quem vult indurat: Isai. 63. 17. Indurasti cor nostrum ne timeremus te: Eccli. 33. 12. Ex ipsis benedixit, et exaltavit, et ex ipsis maledixit, et humiliavit.*

Et quidem quod dicit de Dei misericordia, dubitationem non habet, suppositis his quae praemissa sunt; sed circa indurationem videtur esse duplex dubitatio. Primo quidem quia duritia cordis ad culpam pertinere videtur, secundum illud *Eccli. 3. 27. Cor durum male habebit in novissimo.* Si ergo Deus indurat, sequitur quod sit auctor culpae: contra quod dicitur *Iacob. 1. 13. Deus intentator malorum est.*

Ad quod dicendum, quod Deus non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causat malitiam, sed indirecte, inquantum scilicet ex his quae facit in homine, intus, vel extra, homo sumit occasionem peccati; et hoc ipse Deus permittit. Unde non dicitur indurare, quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam.

Secunda dubitatio est, quia ipsa obduratio non videtur divinae voluntati posse adscribi, cum scriptum sit *1. Thess. 4. 3. Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra:* et *1. Timoth. 2. 4. Qui vult omnes homines salvos fieri.*

Ad quod dicendum est, quod tam misericordia quam iustitia dispositionem voluntatis important: unde sicut miseratio attribuitur divinae voluntati, ita et id quod est iustitiae. Sic ergo intelligendum est: *Cuius vult miseretur*, scilicet per suam misericordiam, *et quem vult indurat*, per suam iustitiam: quia illi quos indurat, hoc merentur ut indurentur ab ipso, ut *supra 1. cap.* dictum est.

## LECTIO IV.

Dicit itaque mihi: Quid adhuc quaeritur? Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis

es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.

Posita solutione praemissae quaestionis, hic Apostolus contra ipsam solutionem obiicit: et praecipue contra ultimam conclusionem, qua dictum est: *Cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Primo ergo ponit obiectionem; secundo solutionem, ibi, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod Deus cuius vult miseretur, et quem vult indurat. *Dicit itaque mihi: Quid adhuc quaeritur?* idest quid oportet ulterius quaerere de causa bonorum, et malorum quae hic aguntur, cum omnia voluntati divinae attribuantur, quae est causa sufficiens, eo quod nullus potest ei resistere? Unde sequitur: *Voluntati eius quis resistit? Eccle. 1. 13. Proposui in animo meo quaerere, et investigare sapienter de omnibus quae fiunt sub sole.* Vel aliter. *Quid adhuc queritur*, idest conqueritur Deus de hominibus, quando peccant? sicut *Isa. 1. 2. Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me?* Ideo autem videtur iustam querimoniam non habere, quia ex voluntate eius totum procedit, cui nullus potest resistere: unde subdit: *Voluntati eius quis resistit?* Vel aliter. *Quid adhuc quaeritur*, scilicet ab homine, ut faciat bonum, vel vitet malum? *Mich. 6. 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et solicitum ambulare cum Deo tuo.* Frustra autem requiritur ab aliquo quod non est in eius potestate. Nihil autem in hominis potestate esse videtur secundum praedicta, quibus omnia divinae voluntati videntur adscribi, cui resisti non potest: unde sequitur; *Voluntati enim eius quis resistit?* quasi diceret, nullus: *Esther 13. 9. Non est qui tuae possit resistere voluntati.* Et haec videtur esse intentio Apostoli.

Deinde cum dicit, *O homo, tu quis es?* respondet praemissae quaestioni. Ad cuius responsionis intellectum considerandum est, quod circa electionem bonorum, et reprobationem malorum duplex quaestio potest moveri: una quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare, et quorumdam misereri; alia vero in speciali, quare velit huius misereri, et hunc, vel illum indurare. Et potest quidem ratio huius quaestionis assignari; secundae autem quaestionis non potest assignari ratio, nisi simplex Dei voluntas; cuius exemplum patet in rebus humanis. Si enim aliquis aedificare volens, haberet multos lapides similes, et aequales congregatos, posset ratio assignari quare quosdam ponat in summo, et quosdam in imo ex parte finis: quia ad perfectionem domus, quam facere intendit, requiritur et fundamentum, quod habet lapides in imo, et cacumen parietis, quod habet lapides in summo. Sed quare ponat hos lapides in summo, et hos in imo, non habet aliquam rationem, nisi quia artifex voluit.

Primo igitur Apostolus respondet dubitationi quantum ad quaestionem secundam, quare scilicet huius hominis misereatur, et illum induret; secundo quantum ad quaestionem primam, quare scilicet quibusdam misereatur, et quosdam induret, ibi, *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae etc.* Circa primum tria facit. Primo arguit praesumptionem quaerentis; secundo inducit auctoritatem quae quaestionem solvit, ibi, *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?* tertio exponit auctoritatem, ibi, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Dicit ergo primo: *O homo*, qui es fragilis, et ignorans, *tu quis es, qui respondeas Deo?* Unde sufficis ad respondendum ei, si voluerit tecum iudicio contendere? *Iob 9. 3. Si voluerit contendere iudicio cum illo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Et sicut dicitur *Iob 39. 32. Qui arguit Deum, debet ei respondere.* In quo datur intelligi quod homo non debet scrutari rationem divinorum iudiciorum cum intentione comprehendendi, eo quod excedant rationem humanam: *Eccli. 3. 22. Altiora te ne quaesieris: Prov. 25. 27. Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria.* Deinde cum dicit, *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?* inducit auctoritatem, quae habetur *Isa. 45. 9. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis? et, Opus tuum sine manibus est?* Ubi considerandum est, quod si aliquis artifex ex materia vili faciat vas pulchrum, et nobilibus actibus accommodatum, totum adscribitur bonitati artificis, puta, si ex luto faciat scutellas, et urceos ad nobilem mensam decentes; si vero ex vili materia, puta ex luto, faciat vas accommodatum vilibus usibus, puta coquinae, vel huiusmodi officiis, non posset vas conqueri, si rationem haberet. Posset enim conqueri, si ex materia pretiosa, quae praeiacet artificis operationi, puta ex auro, et lapidibus pretiosis, faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex sua materia: quia, ut dicitur *Genes. 2. 7. fecit Deus hominem de limo terrae;* sed maiorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quae per unum hominem in hunc mundum intravit. Et ideo homo luto merito comparatur *Iob 30. 19. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillae, et cineri.* Unde quidquid boni habet homo, debet bonitati divinae, quasi principali agenti, adscribere: *Isa. 64. 8. Nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; fictor noster tu, et opus manuum tuarum omnes nos.* Si vero Deus hominem ad meliora non promoveat, sed in sua infirmitate eum dimittens, deputet eum ad infimum usum, nullam ei facit iniuriam, ut possit iuste de Deo conqueri. Deinde cum dicit, *An non habet potestatem figulus luti?* exponit Apostolus verba Prophetae, quasi dicat: Hoc est dictum: Figmentum, idest vas fictile, non posset dicere fictori, *Quid me fecisti sic?* quia figulus liberam potestatem habet ex materia luti opus facere quodcumque sibi placuerit. Unde dicit: *An non habet potestatem*, scilicet liberam, *figulus luti*, qui scilicet operatur in vili materia, *ex eadem massa*, scilicet vilis materiae, *facere*, absque alicuius iniuria, *aliud quidem vas in honorem*, idest in honorabiles usus, *aliud vero in contumeliam*, idest in usus viliores? *2. Timoth. 2.*

*20. In magna enim domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed etiam lignea, et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* Et similiter Deus liberam potestatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis, sicut ex quodam luto, nulli faciendo iniuriam, quosdam homines praeparatos in gloriam, quosdam autem in miseria derelictos: *Hierem. 18. 6. Sicut lutum in manu figuli, ita in manu mea vos, domus Israel.*

Deinde cum dicit, *Quod si volens Deus ostendere iram etc.* solvit primam quaestionem, scilicet quare Deus velit quibusdam misereri, et quosdam in miseria derelinquere; sive quosdam eligere, et quosdam reprobare. Circa quod considerandum est, quod finis omnium divinorum operum est manifestatio divinae bonitatis: *Proverb. 16. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Unde *supra 1. 20.* dictum est, quod *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Tanta est autem divinae bonitatis excellentia, quod non potest uno modo, nec in una creatura sufficienter manifestari: et ideo diversas creaturas condidit, in quibus diversimode manifestatur: praecipue autem in creaturis rationalibus, in quibus eius iustitia manifestatur quantum ad illos quos pro eorum meritis punit; misericordia vero in illis quos ex sua gratia liberat. Et ideo ut utrumque in hominibus manifestaretur, quosdam misericorditer liberavit, sed non omnes. Primo ergo ponit rationem reprobationis malorum; secundo ponit rationem electionis bonorum, ibi, *Ut ostenderet divitias gloriae suae.* Est autem in utrisque triplex differentia attendenda. Prima quidem secundum finem, secunda secundum usum, tertia secundum divinum actum. Finis autem reprobationis, vel obdurationis malorum, est manifestatio divinae iustitiae, et virtutis: et quantum ad hoc dicit: *Quod*, idest sed, *si Deus volens ostendere iram suam*, idest iustitiam vindicativam: non enim dicitur ira in Deo secundum affectus commotionem, sed secundum effectus vindictae: *Supra 1. 18. Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem.* Addit autem, *Et notam facere potentiam suam:* quia Deus contra malos non solum utitur ira, idest vindicta, puniendo eos sibi subiectos, sed etiam sua potentia subiiciendo sibi: *Philipp. 3. 21. Secundum operationem, qua potest etiam sibi subiicere omnia: Exod. 14. 31. Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* Usus autem malorum, ad quem utitur eis Deus, est ira, idest poena: et ideo vocat eos *vasa irae*, idest iustitiae instrumenta, quibus Deus utitur ad ostendendam iram, idest iustitiam vindicativam: *Ephes. 2. 3. Eramus natura filii irae.* Actus vero quem Deus erga eos exercet, non est quod disponat eos ad malum, quia ipsi de se habent dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati: unde dicit: *Vasa apta in interitum*, idest in se habentia aptitudinem ad aeternam damnationem: *Gen. 6. 5. Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Hoc autem solum Deus circa eos agit quod eos permittit agere quae concupiscunt: unde signanter dicit, *Sustinuit.* Et hoc eius patientiam demonstrat, quod non statim vindictam infert: unde addit, *In multa patientia: Eccli. 5. 4. Altissimus est patiens redditor.* Deinde ex parte bonorum similiter tria ponit. Primo quidem finem, cum dicit: *Ut ostenderet divitias gloriae suae.* Finis enim electionis, et miserationis bonorum est, ut manifestaret in eis abundantiam bonitatis suae, revocando eos a malo, et ad iustitiam eos trahendo, et finaliter eos perducendo in gloriam: et hoc est quod dicit: *Ut ostenderet divitias gloriae suae:* de quibus divitiis *supra 2. 4. An divitias bonitatis eius contemnis? Ephes. 2. 4. Deus autem qui dives est in misericordia.* Signanter autem dicit: *Ut ostenderet divitias gloriae suae:* quia ipsa condemnatio, et reprobatio malorum, quae est secundum Dei iustitiam, manifestat, et commendat sanctorum gloriam, qui ab ipsa tali miseria liberantur. Secundo describit usum eorum, cum dicit, *In vasa misericordiae.* Nominat autem bonos vasa misericordiae, quia utitur eis Deus quasi instrumentis ad suam misericordiam manifestandam: *Eccli. 44. 10. Isti sunt viri misericordiae.* Tertio ponit actum, quem circa eos Deus exercet: non enim Deus eos solum sustinet, quasi de se aptos existentes ad bonum, sed eos praeparat, et disponit vocando ad gloriam: unde dicit: *Quae praeparavit in gloriam: Psal. 64. 8. Praeparans montes in virtute tua.* Est autem constructio defectiva, et suspensiva usque huc, ut sit sensus. Si volens Deus hoc facere, quibusdam miseretur, et quosdam indurat; quid contra hoc iuste poterit dici? quasi dicat, nihil. Non enim sic quos vult indurat ut eos peccare compellat; sed sustinet eos, ut secundum suam inclinationem tendant in malum.

## LECTIO V.

Quos et vocavit, non solum ex Iudaeis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam, et non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam. Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient. Verbum enim consummans, et abbrevians in aequitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut praedixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus? Quod Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quae ex fide est. Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali; et omnis qui credit in eum, non confundetur.

Postquam Apostolus ostendit quod Dei gratia datur hominibus ex divina electione, per quam homines ad gratiam vocantur; hic ostendit quod praedicta electio,

sive vocatio non solum pertinet ad Iudaeos ut ipsi poterant gloriari, propter hoc quod dicitur *Deut. 4. 37. Dilexi patres tuos,* sed etiam ad Gentes: et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Sicut in Osee dicit;* tertio ex dictis infert conclusionem, ibi, *Quid ergo dicemus?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod sanctos praeparavit in gloriam: *quos et vocavit*, scilicet per gratiam suam, *non solum ex Iudaeis, sed etiam ex Gentibus: Supra 3. 29. An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Sophon. 2. 11. Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae Gentium.* Deinde cum dicit, *Sicut in Osee dicit,* probat propositum: et primo quantum ad Gentiles; secundo quantum ad Iudaeos, ibi, *Isaias autem clamat.* Circa primum ponit duas auctoritates Oseae loquentis pro Gentibus; quarum prima promittit eis dona Dei, secunda ipsam divinam filiationem, ibi, *Et erit in loco ubi dictum est eis etc.* Dicit ergo primo: *Sicut* Dominus *dicit in Osee:* quia ipse erat qui loquebatur in Prophetis: *2. Reg. 23. 2. Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo eius per linguam meam.* Unde et *Osee 1. 2.* dicitur: *Principium loquendi Domino in Osee.* Est autem considerandum, quod a tribus bonis quae in Iudaeis eminebant, Gentiles erant alieni; quorum primum erat divinus cultus, ratione cuius dicebantur populus Dei, quasi ei servientes, et eius praeceptis obedientes. Unde *in Ps. 94. 4.* dicitur: *Nos autem populus eius, et oves pascuae eius.* Sed ab huius populi societate Gentiles erant alieni, secundum illud *Ephes. 2. 12. Alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum.* Sed per Christum facti sunt populus Dei: *Tit. 2. 14. Dedit semetipsum pro nobis, ut emundaret sibi populum acceptabilem.* Et hoc est quod dicit: *Vocabo non plebem meam,* idest gentilitatem, quae non erat plebs mea, *plebem meam*, idest ad hoc ut sit plebs mea. Secundum est privilegium dilectionis divinae: *Osee 3. 1. Diligit Dominus filios Israel*, in eo scilicet quod eis multa beneficia inducentia ad specialem gratiam praestabat; a qua quidem dilectione Gentiles olim erant exclusi: *Ephes. 4. 14. Alienati a veritate Dei propter ignorantiam, quae est in illis.* Et ideo dicit: *Et non dilectam* meam, scilicet gentilitatem, vocabo *dilectam* meam: *Ephes. 2. 13. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi: Supra 5. 10. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* Tertium est libertas a peccato originali, quae Iudaeis in circumcisione conferebatur: *Isa. 14. 1. Miserebitur Dominus Iacob.* Sed huius miserationis Gentiles non erant participes: *Ezech. 16. 4. Quando nata es, in die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus:* et *infra: Non pepercit super te oculus ut faceret tibi unum de his, misertus tui.* Sed postea per Christum sunt misericordiam consecuti; ideo sequitur: *Et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; Tit. 3. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Haec autem auctoritas habetur *Osee 2.* secundum Septuaginta, loco cuius littera nostra habet *ibid. 25. Miserebor eius quae fuit absque misericordia, et dicam non populo meo, Populus meus es tu.* Deinde cum dicit, *Et erit in loco etc.* inducit aliam auctoritatem, quae habetur *Osee 1.* in qua eis repromittitur dignitas filiorum Dei, de qua Iudaei gloriabantur propter id quod dicitur *Isa. 1. 2. Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me:* et *Deuteron. 32. 6. Nonne ipse est pater tuus?* Gentiles autem non solum non dicebantur filii, quod pertinet ad eos qui ex amore Deo serviunt, et spiritu Dei aguntur, ut *supra 8.* dictum est; sed nec etiam digni erant ut populi Dei dicerentur, quod pertinere poterat etiam ad eos qui spiritum servitutis acceperant in timore. Unde dicit: *Et erit in loco*, idest in Iudaea, *ubi dictum est eis*, scilicet Gentilibus a Iudaeis, quasi ex persona Dei loquentibus, *Non plebs mea vos*, quia non reputabant eos populum Dei, *ibi*, idest etiam apud Iudaeos credentes, *vocabuntur filii Dei.* Vel *in loco*, idest toto mundo, in quo convertentur ad fidem; ut detur intelligi quod non hos modo convertentur, sicut proselyti, quos Iudaei faciebant, qui suis locis derelictis in Iudaeam pergebant. Hoc autem non ita futurum esse in his qui ad Christum convertendi erant, ostenditur *Sophon. 2. 11. Adorabunt eum viri de loco suo.* Unicuique ergo in loco suo habitanti, *ubi dictum est eis*, olim ex divina sententia, *Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei*, per divinam adoptionem: *Ioan. 1. 12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.*

Deinde cum dicit, *Isaias autem dicit etc.* probat propositum quantum ad Iudaeos per auctoritatem Isaiae: et ponit duas auctoritates; quarum prima videtur pertinere ad omnes credentes ex Iudaeis, secunda specialiter ad Apostolos, ibi: *Et sicut praedixit Isaias.* Dicit ergo primo: Dictum est per Osee pro Gentibus; *Isaias autem clamat*, idest aperte loquitur, *pro* conversione *Israel: cap. 58. 1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* In hac autem prima auctoritate primo ponit paucitatem conversorum Israel, dicens: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris*, idest innumerabiles prae multitudine Gentium: *Gen. 22. 17. Multiplicabo semen tuum velut arenam maris: 3. Reg. 4. 20. Iuda, et Israel innumerabiles quasi arena maris: reliquiae salvae fient*, idest non omnes, nec maior pars, sed aliqui pauci qui relinquentur ex excidio aliorum: *Mich. 7. 1. Factus sum sicut qui collegit in autumno racemos vindemiae: Infra 11. 5. Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.*

Secundo ibi, *Verbum enim consummans etc.* assignat causam salutis: et primo ponit efficaciam evangelici verbi, dicens: *Verbum enim consummans, et abbrevians in aequitate.* Ubi notatur duplex efficacia evangelici verbi. Prima est, quia est *consummans*, idest perficiens: ut enim dicitur *Hebr. 7. 19. nihil ad perfectum adduxit lex*, Dominus autem dicit *Matth. 5. 17. Non veni solvere legem, sed adimplere:* tum quia figuris legis veritatem adhibuit, tum quia praecepta legis moralia debito modo exposuit: et occasiones transgrediendi abstulit, et etiam eis consilia perfectionis adiunxit: unde et iuveni diviti *Matth. 19. 21.* qui omnia mandata legis servaverat, dixit: *Unum tibi deest: si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus.* Et propter hoc discipulis suis dicebat *Matth. 5. 48. Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Secunda efficacia est abbreviandi, et haec convenienter primae adiungitur: quia quanto aliquod verbum est magis perfectum, tanto

est altius, et per consequens magis simplex, et breve. Est autem verbum Evangelii abbrevians verba legis: quia omnia sacrificia figuralia legis in uno vero sacrificio comprehendit, quo Christus obtulit seipsum pro nobis hostiam, ut dicitur *Ephes. 5.* Omnia vero praecepta legis moralia in duobus praeceptis caritatis concludit: *Mat. 22. 40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetae.* Unde dicit: *Abbrevians in aequitate:* vel quia nihil est praetermissum de multitudine figurarum, et praeceptorum legis, quin sub brevitate Evangelii comprehenderetur, vel quia nihil ipsorum remanet observandum quod est aequum secundum dictamen rationis naturalis: *Ps. 118. 172. Omnia mandata tua aequitas.* Subaudiendum est autem, Erit, ut sit sensus: Verbum Evangelii erit abbrevians, et consummans in aequitate.

Secundo cum dicit, *Quia verbum etc.* assignat rationem praedictae efficaciae, dicens: *Quia Dominus super terram*, existens, idest in terris tamquam homo inhabitans, secundum illud *Bar. 3. 38. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est: faciet verbum breviatum.* Perfectius enim debet esse verbum et maioris virtutis, quod ipse Dominus. Deus carnem indutus, loquutus est per semetipsum, quam verba quae loquutus est per Prophetas, secundum illud *Hebr. 1. 1. Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime loquutus est nobis in Filio.* Vel aliter. *Quia Dominus*, scilicet Deus Pater, *faciet super terram verbum breviatum*, idest incarnatum: quia Filius Dei exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Dicitur autem exinanitum, vel breviatum, non quia aliquid subtractum sit plenitudini, vel magnitudini divinitatis ipsius; sed quia nostram exilitatem, et parvitatem suscepit. Habetur autem haec auctoritas *Isa. 10. 22.* ubi secundum litteram nostram sic dicitur. *Si fuerit populus tuus, Israel, quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit iustitiam: consummationem enim, et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae.*

Deinde cum dicit, *Et sicut praedixit Isaias etc.* inducit auctoritatem pertinentem specialiter ad Apostolos, dicens: *Et sicut praedixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth*, idest exercituum, vel virtutum, *reliquisset nobis*, scilicet ex sua misericordia, *semen*, idest verbum Evangelii: *Luc. 8. 11. Semen est verbum Dei:* vel *semen*, idest Christum: *Galat. 3. 16. Et semini tuo, qui est Christus:* vel *semen*, idest Apostolos: *Isa. 6. 13. Semen sanctum erit id quod steterit in ea: sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.* Gravius enim fuit peccatum Iudaeorum quam Sodomorum: *Thren. 4. 6. Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum:* et *Ezech. 16. 48. Non fecit Sodoma ipsa, et filiae eius, sicut fecisti tu, et filiae tuae.* Et ideo quod Iudaei non sunt totaliter exterminati sicut Sodomitae, est divinae misericordiae imputandum: *Thren. 3. 22. Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.*

Deinde cum dicit, *Quid ergo dicemus?* infert conclusionem ex dictis: et primo quantum ad Gentes; secundo quantum ad Iudaeos, ibi, *Israel vero sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit.* Circa primum duo facit. Primo concludit quod intendit, dicens: *Quid ergo dicemus* ex consideratione praedictorum? Hoc, inquam, quod *Gentes apprehenderunt*, idest consecutae sunt, *iustitiam*, scilicet, qua vocantur filii: *1. Cor. 6. 11. Et haec quidem fuistis, sed iustificati estis.* Et hoc quidem ex vocatione divinae electionis, non ex meritis: quod patet per hoc quod dicit: *Quae non sectabantur iustitiam:* secundum illud *Ephes. 2. 12. Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel.* Secundo exponit quod dixerat: *Iustitiam autem quae ex fide est*, non eam quae in operibus consistit. Non enim ad hoc Gentes conversae sunt ut iustitiam legalem observent, sed ut iustificentur per Christi fidem: *Supra 3. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.* Deinde cum dicit, *Israel vero etc.* inducit conclusionem quantum ad Iudaeos: et primo concludit quod intendit, dicens: *Israel vero*, idest populus Iudaeorum, *sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit.* Dicitur lex iustitiae lex spiritus vitae, per quam homines iustificantur, ad quam Iudaeorum populus non pervenit; quam tamen sectabatur observando umbram huius spiritualis legis, quae consistit in observationibus legalibus: *Hebr. 10. 1. Umbram habens lex futurorum bonorum.* Vel *sectando legem iustitiae*, idest legem Moysi, quae est lex iustitiae, si sit bene intellecta, quia docet iustitiam. Vel dicitur lex iustitiae, quia facit homines iustos non vere, sed exterius, dum peccata vitantur non ex amore, sed ex timore poenae, quam lex infligebat: *Isa. 51. 1. Audite me qui sequimini quod iustum est, et quaeritis Dominum:* et *in eodem 7. Audite me qui scitis iustum, populus meus, lex mea in cordibus eorum.* Secundo assignat causam, dicens: *Quare*, scilicet dum sectarentur legem, ad legem iustitiae non pervenerunt? Quia scilicet non per debitam viam sectabantur: et hoc est quod subdit: *Quia non ex fide*, scilicet Christi, quaerebant iustificari, *sed quasi ex operibus* legis. Sequebantur enim figuram, et repudiaverunt veritatem: *Supra 3. 20. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Tertio manifestat causam propositam: et primo proponit manifestationem, dicens: *Offenderunt enim in lapidem offensionis*, idest ad Christum, qui assimilatur lapidi offensionis in hoc quod sicut lapis in quem homo offendit, non cavetur propter suam parvitatem; ita Iudaei videntes Christum infirmitate nostra contentum, non caverunt in eum offendere: *Isa. 53. 3. Quasi absconditus vultus eius, et despectus: unde non reputavimus eum: Hier. 13. 16. Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos*, idest ad Christum, et eius Apostolos; qui dicuntur montes caliginosi propter hoc quod eorum dignitas, et magnitudo latebat. Secundo ad hoc inducit auctoritatem, dicens: *Sicut scriptum est*, in Isaia scilicet. Componit autem Apostolus verba Isaiae in diversis locis scripta: nam *Isa. 28. 16.* dicitur: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet:* et hinc sumitur principium auctoritatis: *Ecce ponam in Sion lapidem*, scilicet quasi fundamentum, in quo designatur quod Christus divina ordinatione constitutus erat Ecclesiae fundamentum: *1. Corinth. 3. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Legitur etiam *Isa. 8. 14. In lapidem*

*autem offensionis, et petram scandali duabus domibus Israel:* et hinc sumitur medium auctoritatis, quo dicit: *Lapidem offensionis, et petram scandali:* ut offensio referatur ad ignorantiam: quia, ut dicitur *1. Cor. 2. 8. si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent;* scandalum autem referendum est ad impactionem, et casum, quo per infidelitatem ceciderunt, Christum, et eius Apostolos persequentes: *1. Corinth. 1. 23. Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum: Luc. 2. 34. Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Finis autem auctoritatis sumitur *Isaiae 28. 16. Qui crediderit, non festinet:* loco cuius hic dicitur: *Omnis qui credit in eum, non confundetur,* quia scilicet consequetur mercedem ab eo: *Eccl. 2. 8. Qui timetis Deum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.* Ponit autem Apostolus haec verba secundum litteram Septuaginta: et ad hunc sensum pertinet quod in littera nostra dicitur, *Qui crediderit, non festinet:* ille enim festinare videtur qui delusum se reputat, quia cito non adipiscitur quod sperabat.

## CAPITIS DECIMI

### LECTIO PRIMA.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quod aemulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam; ignorantes enim iustitiam Dei, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quae ex lege est qui fecerit homo, vivet in ea. Quae autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in caelum? idest Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei quod praedicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

Postquam Apostolus ostendit quomodo per electionem gratiae Dei Gentiles sunt ad fidem vocati, et etiam aliqui ex Iudaeis de maiori parte populi Iudaici offendentibus, et scandalizatis; hic agit specialiter de casu Iudaeorum: et circa hoc tria facit. Primo manifestat causam casus eorum, quem supra tetigerat, ex qua ostenditur casus eorum esse miserandus; secundo ostendit casum eorum non esse universalem *11. cap.* ibi, *Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum?* tertio ostendit casum eorum non esse inutilem, neque irreparabilem, ibi, *cap. 11. vers. 2. Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent?* Circa primum duo facit. Primo ostendit casum eorum esse miserandum ex sua causa; secundo ostendit quod non est totaliter excusabilis, ibi, *Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum.* Circa primum duo facit. Primo ostendit se ad Iudaeos habere miserationis affectum; secundo ostendit causam miserationis, ibi, *Testimonium enim illis perhibeo, quod aemulationem Dei habent.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod Iudaei in legem iustitiae non pervenerunt, propter hoc quod offenderunt in lapidem offensionis; nec tamen contra eos indignor, sed eorum misereor; et ideo dico vobis: *O fratres*, qui conversi estis tam ex Gentibus, quam ex Iudaeis: *Matth. 23. 8. Omnes vos fratres estis: Voluntas quidem cordis mei*, idest ex intimo cordis affectu procedens, est ad salutem eorum, ut scilicet ipsi salventur, sicut et ego salvatus sum: *1. Corinth. 7. 7. Volo omnes homines esse sicut meipsum: Actor. 26. 29. Opto apud Deum omnes qui audiunt tales fieri qualis et ego sum.* Et in hoc Deo conformabatur, qui, ut dicitur *1. Timoth. 2. 4. vult omnes homines salvos fieri.* Nec sola voluntas est in salutem eorum, sed etiam voluntatis effectus: unde subdit: *Et obsecratio*, scilicet mea, *fit ad Deum pro illis in salutem: 1. Reg. 12. 23. Absit a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis: Iacob. ult. 16. Orate pro invicem, ut salvemini.* Et ex hoc patet quod orandum est pro infidelibus ut salventur, quia et ipsa fides est donum Dei: *Ephes. 2. 8. Gratia salvati estis per fidem, et non ex vobis, Dei enim donum est.*

Deinde cum dicit, *Testimonium enim perhibeo illis*, assignat causam suae miserationis, quia scilicet non ex certa malitia, sed ex ignorantia peccabant: et circa hoc tria facit. Primo enim proponit eorum ignorantiam; secundo ostendit quid ignorabant, ibi, *Ignorantes enim Dei iustitiam etc.* tertio ostendit veritatem eorum uae ignorabant, ibi, *Moyses enim dicit, quoniam iustitiam quae ex lege est qui fecerit homo, vivet in ea.* Dicit ergo primo: Ideo salutem eorum volo, et propter hoc oro, misertus eorum, quia testimonium perhibeo de illis, quod *aemulationem quidem Dei habent*, scilicet quia zelo Dei, Christum, et eius membra persequuntur: *Ioan. 16. 2. Venit hora in qua omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* Et huius rei testis esse poterat, quia et ipse aliquando fuerat in simili causa: *Philip. 3. 6. Secundum aemulationem persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed non secundum scientiam*, quia scilicet eorum zelus per rectam scientiam non ordinatur, dum ignorant veritatem: *Isa. 5. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, 1. Corinth. 14. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

Deinde cum dicit, *Ignorantes enim iustitiam Dei*, ostendit cuius rei scientiam non haberent: et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Finis enim legis Christus.* Dicit ergo primo: Recte dico, quod non secundum scientiam: *ignorantes enim Dei iustitiam*, scilicet qua Deus per fidem iustificat: *supra 3. 22. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi: et quaerentes statuere*, idest firmare, *suam*, scilicet iustitiam quae consistit in operibus legis, quae secundum eorum opinionum non expectabat aliud a Deo, sed solum ex arbitrio operantium erat. Et ideo dicit eorum esse iustitiam, quasi humanam, et non divinam, secundum illud *supra 4. 2. Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam,*

scilicet apud homines, *sed non apud Deum. Iustitiae Dei non sunt subiecti*, idest nolunt subiici Christo, per cuius fidem iustificantur homines a Deo: *Psal. 61. 2. Nonne Deo subiecta erit anima mea? Supra 5. 19. Ut subditus fiat omnis mundus Deo: Exod. 10. 3. Usquequo non vis subiici mihi?* Deinde cum dicit, *Finis legis Christus etc.* manifestat quod dixerat, scilicet eos Dei iustitiam ignorare, et quod ei subiici nolunt, cum tamen iustitiam legalem statuere velint. Circa quod considerandum est, quod, sicut etiam Philosophi dicunt, intentio cuiuslibet legislatoris est facere homines iustos: unde multo magis lex vetus hominibus divinitus data ordinabatur ad faciendum homines iustos. Hanc tamen iustitiam lex per semetipsam facere non poterat: quia *neminem ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur *Heb. 7. 19.* Sed ordinabat homines in Christum, quem promittebat, et praefigurabat: *Galat. 3. 24. Lex praedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur:* et hoc est quod dicit: *Christus enim est finis legis*, ad quem scilicet tota lex ordinatur: *Psalm. 118. 96. Omnis consummationis vidi finem. Finis*, inquam, *ad iustitiam*, ut scilicet homines per Christum iustitiam consequantur, quam lex intendebat: *Supra 8. 2. Quod impossibile erat legi . . . mittens Deus Filium suum . . . damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis.* Et hoc dico *omni credenti*, quia per fidem suos iustificat: *Ioan. 1. 12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Deinde cum dicit, *Moyses enim scripsit etc.* probat veritatem eorum quae Iudaei ignorabant, scilicet quod iustitia Dei sit perfectior quam iustitia legalis; et hoc auctoritate ipsius Moysi veteris legislatoris. Primo ergo per eius verba ostendit conditionem iustitiae legalis; secundo conditionem iustitiae fidei, ibi, *Quae autem ex fide est iustitia, sic dicit etc.* Dicit ergo primo: Recte distinxi iustitiam humanam a iustitia Dei: *Moyses enim scripsit Levit. 18. 5. quoniam homo qui fecerit iustitiam, quae ex lege est, vivet in ea;* ubi sic littera nostra habet: *Custodite leges meas, atque iudicia, quae faciens homo vivet in eis:* et *Ezech. 20. 13. Iudicia mea proiecerunt, quae faciens homo vivit in eis:* quia scilicet hoc commoditatis consequebatur homo per legis observantiam, ne occideretur tamquam legis transgressor: *Hebr. 10. 28. Irritam quis faciens legem Moysi, absque ulla misericordia moritur: Levit. 20. 9. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur:* et sic de aliis. Possumus ulterius dicere, quod per legis observationem homo ordinatur in vita praesenti: promittebat enim lex temporalia bona, et quaedam mandabat quae ad ordinationem carnalis vitae pertinebant: *Hebr. 9. 10. Iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.*

Sed contra videtur esse quod Dominus dicit *Matth. 19. 16.* quaerenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* Respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Unde et *supra 5. 20. super illud, Lex autem subintravit*, dicit quaedam Glossa: *Iustitia legis suo tempore custodita, non solum bona temporalia, sed et vitam conferebat aeternam.* Sed haec intelligenda sunt secundum spiritualem sensum legis, qui pertinet ad fidem Christi; sed quod hic dicitur, refertur ad interiorem legis sensum, secundum quem lex de vita aeterna mentionem non faciebat.

Deinde cum dicit, *Quae autem ex fide est iustitia sic dicit*, inducit auctoritatem Moysi de iustitia fidei. Et primo Moyses ostendit certitudinem fidei, quae debet esse in corde hominis; secundo fidei effectum, ibi, *Sed quid dicit Scriptura?* Dicit ergo primo: Non solum loquitur Moyses de iustitia legis, sed etiam ipse sic dicit de iustitia quae est ex fide: *Quae autem est ex fide iustitia sic dicit*, idest sic loquitur in corde hominis: *Ne dixeris in corde tuo*, scilicet dubitando, *Quis ascendit in caelum?* quasi hoc impossibile reputans, sicut et *Proverb. 30. 4.* quaeritur: *Quis ascendit in caelum, atque descendit:* quia scilicet hoc tenere quasi impossibile, est *deducere Christum a caelo*, idest asserere quod Christus non sit in caelo, contra id quod dicitur *Ioan. 3. 13. Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo: Ephes. 4. 10. Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos.* Aut etiam ne dixeris: *Quis descendit in abyssum?* idest in infernum, quasi reputans hoc esse impossibile: hoc enim negare, est *revocare Christum ex mortuis*, scilicet negare eum non esse mortuum: ipse enim moriens in abyssum descendit: *Eccli. 24. 45. Penetrabo inferiores partes terrae.* Et secundum hoc prohibet dubitari de duobus articulis fidei Christi, scilicet de eius ascensione, et de eius morte, et descensu ad inferos; quorum primum pertinet ad maximam Christi exaltationem, secundum ad maximam eius humilitatem. Potest autem et aliter exponi, ut dicatur nobis certitudo duorum articulorum: primo quidem incarnationis, qua de caelis ad terram descendit; ut sit sensus: *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendit in caelum?* et exponitur supplendo: *Idest Christum deducere;* quasi dicat: Quis ascendit in caelum ad deducendum Christum ad nos; quod quidem non fuit necessarium, quia ipse propria virtute descendit: secundo autem resurrectionis, cum subdit: *Aut* etiam ne dixeris, *Quis descendit in abyssum?* et supplendo additur: *Hoc est Christum ex mortuis revocare;* quasi dicat: Illuc descendit, ut inde posset Christum revocare, sicut ex persona insipientium dicitur *Sapient. 2. 1. Non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Et hic sensus congruit verbis Moysi: dicitur enim *Deuteron. 30. 11.* secundum litteram nostram: *Mandatum quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in caelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad caelum conscendere, ut deferat illud ad nos?* Nec est inconveniens, si quod Moyses dixit de mandato legis, hoc Apostolus attribuit Christo: quia Christus est Verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata. Sic ergo intelligendum est quod dixit, *Quis ascendit in caelum, idest Christum deducere;* ac si dicat; Quis potest in caelum conscendere, ut Verbum Dei inde deferat ad nos? Et idem est dicendum in alio quod sequitur.

Deinde cum dicit: *Sed quid dicit Scriptura?* ostendit fructum fidei per eiusdem auctoritatem: et primo proponit auctoritatem: secundo exponit eam, ibi, *Hoc est verbum fidei quod praedicamus;* tertio probat expositionem esse convenientem, ibi, *Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Di-

cit ergo primo : *Sed quid dicit Scriptura ?* Hoc inquam : *Prope est verbum in ore tuo , et in corde tuo.* Sic enim post praemissa verba Deuteronomii sequitur *vers. 14. Iuxta te est sermo valde, in ore tuo , et in corde tuo.* Quasi dicat : Non soliciteris , quod tibi desit verbum fidei iustificantis , propter hoc quod Christus est in caelo secundum naturam divinam , aut quod descendit in infernum propter mortem humanitatis : quia ipse descendens de caelo , et resurgens ab inferis , impressit verbum fidei in ore tuo , et in corde tuo. Unde quod dicit , *Prope est* , potest referri ad hoc quod verbum Dei sumus adepti per Christum incarnatum , et resurgentem : *Hebr. 2. 3. Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt , in nos confirmata est : Hier. 1. 9. Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Vel secundum Glossam , quod dicit , *Prope* , referendum est ad utilitatem, secundum quod dicimus , prope apud nos esse quod nobis est commodum et utile : verbo enim Dei cor nostrum mundatur : *Ioan. 15. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Vel potest referri ad hoc quod verba fidei, etsi sint supra rationem, *Eccli. 3. 25. Plurima supra sensum hominis monstrata sunt tibi ;* non tamen sunt contra rationem , quia veritas non potest esse veritati contraria : *Psal. 92. 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Deinde cum dicit , *Hoc est verbum etc.* exponit auctoritatem praedictam : et primo ostendit quod sit illud verbum de quo Moyses loquitur , dicens : *Hoc est verbum fidei , quod praedicamus : 2. Timoth. 4. 2. Praedica verbum : Hierem. 23. 28. Qui habet sermonem meum , loquatur sermonem vere.* Secundo exponit quomodo hoc verbum est in ore per confessionem , et in corde per fidem; et hoc est quod subdit: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum ,* scilicet recognoscens eum Dominum , subiiciendo sibi tuum affectum , secundum quod dicitur *1. Corinth. 12. 3. Nemo potest dicere , Dominus Iesus , nisi in Spiritu sancto :* et iterum *si credideris in corde tuo ,* scilicet fide formata , quae per dilectionem operatur , ut dicitur *Galat. 5.* quod *Deus illum suscitavit a mortuis : Psal. 40. 11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me,* quia , ut dicitur *2. Corinth. ult. 4. resurrexit ex virtute Dei* , quae est communis sibi , et Patri , *salvus eris* , scilicet salute aeterna ; de qua dicitur *Isa. 45. 17. Salvatus est Israel in Domino salute aeterna.* Quod autem dicit, *Dominum Iesum,* ad mysterium incarnationis refertur. Quod autem sequitur , *Christum,* manifeste ad resurrectionem refertur : de quibus duobus articulis supra fecerat mentionem.

## LECTIO II.

Corde enim creditur ad iustitiam ; ore autem confessio fit ad salutem: dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudaei , et Graeci : nam idem Dominus omnium , dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt ; aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante ? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur ? Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona ! Sed non omnes obediunt Evangelio: Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu , auditus autem per verbum Christi.

Postquam praemiserat Apostolus exponendo verbum Moysi , quod confessio oris , et fides cordis operantur salutem , proponens hoc causa exempli in duobus articulis , de quibus videbatur Moyses fecisse mentionem ; hic probat quod dixerat in universali : et circa hoc tria facit. Primo ostendit quod per fidem, et confessionem homo consequitur salutem; secundo ponit salutis ordinem, ibi, *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt ?* tertio infert quandam conclusionem ex dictis , ibi , *Ergo fides ex auditu.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit , dicens : Recte dico , quod si confitearis ore, et credas corde, salvus eris : *corde enim creditur* , ab homine , *ad iustitiam* , idest ad hoc ut iustitiam per fidem consequatur : *Supra 3. 1. Iustificati igitur ex fide.* Signanter autem dicit , *Corde creditur,* idest voluntate: nam cetera , quae ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens , sed credere non potest nisi volens: intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis , sicut intellectus , sed ex voluntate ; et ideo scire non pertinet ad iustitiam hominis , quae est in voluntate , sed credere : *Gen. 15. 6. Credidit Abraham Deo , et reputatum est illi ad iustitiam.* Postquam autem homo est iustificatus per fidem , oportet quod eius fides per dilectionem operetur ad consequendam salutem : unde subdit : *Ore autem confessio fit ad salutem* , scilicet aeternam consequendam: *Isa. 51. 6. Salus autem mea in sempiternum erit.* Est autem triplex confessio necessaria ad salutem. Primo quidem confessio propriae iniquitatis , secundum illud *Psalm. 31. 5. Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino;* quae est confessio poenitentis. Secunda confessio est per quam homo confitetur Dei bonitatem misericorditer beneficia praestantis: *Psa. 117. 1. Confitemini Domino , quoniam bonus ;* et haec est confessio gratias agentis. Tertia est confessio divinae veritatis : *Matth. 10. 32. Omnis qui confitebitur me coram hominibus , confitebor et ego eum coram Patre meo;* et haec confessio est credentis , de qua nunc Apostolus loquitur. Haec autem est necessaria ad salutem pro loco , et tempore , quando scilicet exposcitur fides alicuius, scilicet a persecutore fidei ; vel quando periclitatur fides aliena , sicut praecipue praelati debent praedicare fidem subditis suis. Et ideo baptizati liniuntur chrismate in fronte signo crucis , ut ipsum Crucifixum confiteri non erubescant: *Supra 1. 16. Non enim erubesco Evangelium.* Ita est autem et de omnibus virtutum actibus , qui pro loco , et tempore sunt necessarii ad salutem: nam praecepta affirmativa, quae de his dantur , obligant semper , sed non ad semper. Secundo ibi , *Dicit enim Scriptura etc.* probat per auctorita-

tem, dicens: *Dicit enim Scriptura*, scilicet *Isaiae 28. 16. Omnis qui credit in illum*, fide scilicet formata, *non confundetur*, scilicet quasi deficiens a salute: *Eccli. 2. 8. Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.* Littera vero nostra habet *Isai. loc. cit. Qui crediderit, non festinet*, ut supra dictum est. Tertio ibi, *Non enim est distinctio etc.* probat hoc esse universaliter intelligendum, cum Isaias indefinite hoc proferat: et primo proponit quod intendit, dicens: Ideo dictum est: *Omnis qui credit in illum, non confundetur: non enim est distinctio*, quantum ad hoc, *Iudaei, et Graeci: Coloss. 3. 11. Ubi non est Gentilis, et Iudaeus, circumcisio, et praeputium.* Secundo probat per rationem, quae duplici medio innititur; quorum primum tangit dicens: *Nam idem Dominus omnium: Supra 3. 29. An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Psalm. 46. 8. Rex omnis terrae Deus.* Et ideo ad ipsum pertinet providere omnium saluti. Secundum medium tangit dicens: *Dives in omnes qui invocant illum.* Si enim non esset tantae bonitatis quod sufficeret ad sanctificationem utriusque, posset putari quod non omnibus credentibus provideret; sed divitiae bonitatis eius, et misericordiae indeficientes sunt: *Supra 2. 4. An divitias bonitatis eius contemnis? Ephes. 2. 4. Deus autem, qui dives est in misericordia.* Tertio probat idem per auctoritatem, quae habetur *Ioel. 2. 32. Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Est autem invocare, in se vocare per affectum, et devotum cultum: *Psal. 90. 15. Invocabit me, et ego exaudiam eum.*

Deinde cum dicit, *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* ponit ordinem, quo quis vocatur in salutem quae est ex fide: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod ea quae sunt posteriora in hoc ordine, sine prioribus esse non possunt; secundo ostendit quod positis prioribus, non est necessarium posteriora poni, ibi, *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Circa primum duo facit. Primo ponit ordinem eorum quae requiruntur ad salutem; secundo confirmat quod supposuerat per auctoritatem, ibi, *Sicut scriptum est.* Ponit autem primo quinque per ordinem, incipiens ab invocatione; ad quam, secundum auctoritatem Prophetae, sequitur salus. Dicit ergo: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* quasi dicat: Sine dubio invocatio salutem facere non potest, nisi fide praecedente. Pertinet autem invocatio ad confessionem oris, quae ex fide cordis procedit: *Psalm. 115. 10. Credidi, propter quod locutus sum: 2. Corinth. 4. 13. Nos credimus, propter quod et loquimur.* Secundo a fide ascendit, vel procedit ad auditum, dicens: *Aut quomodo credent ei quem non audierunt?* Illa enim homo credere dicitur quae sibi ab aliis dicuntur, quae ipse non videt: *Ioan. 4. 42. Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Est autem duplex auditus: unus quidem interior, quo quis audit a Deo revelante: *Psalm. 84. 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:* alius autem auditus est quo aliquis audit ab homine exterius loquente: *Act. 10. 4. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Primus autem auditus non communiter pertinet ad omnes, sed proprie pertinet ad gratiam prophetiae, quae est gratia gratis data distincte aliquibus, sed non omnibus, secundum illud *1. Corinth. 12. 4. Divisiones gratiarum sunt.* Sed quia nunc loquitur de eo quod indistincte ad omnes pertinere potest, secundum illud quod supra dixit, *Non enim est distinctio;* ideo relinquitur quod hoc sit intelligendum de secundo auditu: et ideo subdit: *Quomodo ergo audient sine praedicante?* Auditus enim exterior est passio quaedam audientis, quae absque actione loquentis esse non potest: unde et Dominus mandavit discipulis *Marc. ult. 15. Euntes in universum mundum praedicate Evangelium omni creaturae.* Ea vero quae fidei sunt, praedicatores a semetipsis non habent, sed a Deo: *Isa. 21. 10. Quae audivi a Domino Deo exercituum, annuntiavi vobis: 1. Cor. 11. 23. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Et ideo Apostolus quarto subdit: *Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?* quasi dicat, Non digne: *Hier. 23. 31. Non mittebam eos, et ipsi currebant.* Mittuntur aliqui a Domino dupliciter. Uno modo immediate ab ipso Deo per inspirationem internam: *Isa. 48. 16. Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus eius.* Huius autem missionis signum quandoque quidem est sacrae Scripturae auctoritas; unde Ioannes Baptista, cum quaereretur ab eo quis esset, auctoritatem Prophetae induxit, dicens: *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*, ut legitur *Ioan. 1. 23.* Quandoque autem signum huius missionis est veritas eorum quae annuntiantur: unde per contrarium dicitur *Deut. 18. 22.* quod hoc habebit signum, *Quod in nomine Domini Propheta praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est loquutus.* Quandoque vero signum huius missionis est operatio miraculi: unde dicitur *Exod. 4.* quod cum dixisset Moyses Domino *vers. 1. Non credent mihi, non audient vocem meam*, scilicet illi ad quos mittor, Dominus dedit ei potestatem signa faciendi. Nec tamen ista duo ultima sufficienter demonstrant Dei missionem, praesertim cum aliquis annuntiat aliquid contra fidem: dicitur enim *Deut. 13. 1. Si surrexerit in medio tui Propheta, et praedixerit signum, atque portentum, et evenerit quod loquutus est, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur Deos alienos, non audies verba illius.* Alio modo mittuntur aliqui a Deo mediante auctoritate praelatorum, qui gerunt vicem Dei: *2. Corinth. 8. 18. Misimus cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, inducit auctoritatem ad probandum hoc ultimum, quod dixerat de missione praedicatorum, dicens: *Sicut scriptum est, Isai. 52. 7. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* ubi littera nostra sic habet: *Quam pulchri supra montes pedes praedicantis, et annuntiantis pacem, annuntiantis bonum!* Et similiter habetur *Nahum 1. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem.* In his autem verbis primo commendatur processus praedicatorum, cum dicit, *Quam speciosi pedes!* quod dupliciter potest intelligi. Uno modo ut per pedes intelligantur eorum processus, quia scilicet ordinate procedunt, non usurpantes sibi praedicationis officium: *Cant. 7. 1. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Alio modo possunt intelligi per pedes affe-

ctus, qui rectitudinem habent, dum non intentione laudis, aut lucri, verbum Dei annuntiant, sed propter hominum salutem, et Dei gloriam: *Ezech. 1. 7. Pedes eorum, pedes recti.* Secundo tangit praedicationis materiam; quae quidem est duplex. Praedicant enim ea quae sunt utilia ad vitam praesentem; quod designat cum dicit, *Evangelizantium pacem*, scilicet triplicem. Primo quidem annuntiant pacem, quam Christus fecit inter homines et Deum: *2. Corint. 5. 19. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi .... et posuit in nobis verbum reconciliationis*: *Supra 5. 1. Pacem habeamus per Iesum Christum ad Dominum.* Secundo annuntiant pacem habendam cum omnibus hominibus: *Infra 12. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Tertio annuntiant ea per quae homo potest habere pacem in semetipso: *Psal. 118. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, Domine.* Et sub his tribus continentur omnia quae in hac vita sunt utilia ad salutem, vel quantum ad Deum, vel quantum ad proximum, vel quantum ad semetipsum. Praedicant etiam ea quae speramus habere in alia vita; et quantum ad hoc dicit, *Evangelizantium bona: Luc. 12. 44. Super omnia bona sua constituet eum.*

Deinde cum dicit, *Sed non omnes obediunt Evangelio*, ostendit ex prioribus non semper sequi posteriora. Licet enim non possit esse quod quis credat, nisi audiat a praedicante; non tamen quicumque audit a praedicante, credit; et hoc est quod subdit: *Sed non omnes obediunt Evangelio: 2. Thess. 3. 2. Non enim omnium est fides.* Hoc autem dicit ideo ut ostendatur quod verbum exterius loquentis non est causa sufficiens fidei, nisi cor hominis attrahatur interius virtute Dei loquentis: *Ioan. 6. 45. Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me.* Et sic quod homines credunt, non est attribuendum praedicatoris industriae. Per hoc etiam ostenditur quod omnes increduli non excusantur a peccato, sed illi qui non audiunt, et non credunt: *Ioan. 15. 22. Si non venissem, et loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et hoc etiam magis consonat his quae Apostolus posterius dicet. Secundo ad hoc inducit auctoritatem, cum subdit: *Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* quasi diceret, rarus: *Ezech. 2. 6. Increduli, et subversores sunt tecum: Mich. 7. 1. Factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae.* Quod quidem Isaias dixit praevidens Iudaeorum infidelitatem futuram: *Eccli. 48. 27. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion.* Dicit autem, *Auditui nostro*, vel propter id quod a Deo audierunt, sicut dicitur *in Abdia 1. Auditum audivimus a Domino, et legatos ad Gentes misit*: vel propter id quod homines ab Apostolis audiebant: *Ezech. 33. 31. Audiunt verba tua, et non faciunt ea.*

Deinde cum dicit, *Ergo fides ex auditu*, infert conclusionem ex dictis, dicens: *Ergo* ex quo aliqui non credunt, nisi audierint, *fides* est *ex auditu: Psalm. 17. 45. In auditu auris obedivit mihi.*

Sed contra videtur esse quod fides est virtus infusa divinitus: *Phil. 1. 29. Vobis datum est ut in ipsum credatis.*

Dicendum est ergo, quod ad fidem duo requiruntur: quorum unum est cordis inclinatio ad credendum, et hoc non est auditu, sed ex dono gratiae; aliud autem est determinatio de credibili, et istud ex auditu. Et ideo Cornelius, qui habebat cor inclinatum ad credendum, necesse habuit ut ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret quid esset credendum *Act. 10.*

Ex eo vero quod dixerat, *Quomodo audient sine praedicante, et quomodo praedicabunt nisi mittantur?* concludit: *Auditus autem*, scilicet credentium est per verbum praedicatorum, quod est *verbum Christi*: vel quia est de Christo: *1. Corinth. 1. 23. Nos praedicamus Christum Iesum:* vel quia a Christo habent quod mittantur: *1. Corinth. 1. 23. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

## LECTIO III.

Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Sed dico: Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.

Postquam Apostolus ostendit casum Iudaeorum esse miserandum, quia ex ignorantia peccaverunt; hic ostendit quod eorum talis casus non est excusabilis ex toto, quia eorum ignorantia non fuit invincibilis, vel ex necessitate existens, sed quodammodo voluntaria: et hoc quidem ostendit dupliciter. Primo quidem per hoc quod audierunt ex doctrina Apostolorum; secundo per hoc quod cognoverunt ex doctrina legis, et Prophetarum, ibi, *Sed dico: Numquid Israel non cognovit?* Circa primum duo facit. Primo proponit quaestionem, dicens: Dictum est, quod fides est ex auditu, et non possunt homines credere ei quem non audierunt. Dico ergo: *Numquid non audierunt?* ut scilicet per hoc possint excusari totaliter ab incredulitate, secundum illud *Ioan. 15. 22. Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Secundo ad quaestionem respondet interimendo per auctoritatem Psalmistae dicentis: *In omnem terram exivit sonus eorum*, scilicet Apostolorum, idest fama eorum exivit in omnem terram, non solum Iudaeorum, sed etiam omnium Gentium: *Iob 28. 22. Perditio, et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius*, scilicet sapientiam per Apostolos praedicatam. Et Dominus eis praeceperat *Marc. ult. 15. Euntes in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae. Et verba eorum*, scilicet eorum doctrina, exierunt *in fines orbis terrae:* ad litteram, usque ad fines mundi: *Isa. 24. 16. A finibus terrae laudes audivimus, gloriam iusti:* et *49. 6. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.*

Et est notandum, quod secundum Augustinum *epist. 80.* haec verba nondum erant completa, quando

Apostolus talia loquebatur, sed praevidebat ea esse complenda; et ideo utitur praeterito pro futuro propter certitudinem divinae praeordinationis; sicut etiam David, cuius verba assumit Apostolus, manifeste utebatur praeterito pro futuro. Et ideo hoc dicit Augustinus, quia adhuc tempore suo dicit fuisse quasdam gentes in Africae partibus, quibus non erat fides Christi praedicata. Chrysostomus autem *super Matth. hom. 76.* e contrario dicit, hoc quod hic dicitur, completum fuisse tempore Apostolorum, exponens sic quod habetur *Matth. 24. 14. Et oportet hoc Evangelium praedicari in universo orbe ... et tunc veniet consummatio*, idest destructio Hierusalem. Utrumque autem est aliqualiter verum: tempore enim Apostolorum ad omnes gentes, etiam usque ad fines mundi, pervenit aliqua fama de praedicatione Apostolorum per ipsos Apostolos, vel discipulos eorum: Matthaeus enim praedicavit in Aethiopia, Thomas in India, Petrus et Paulus in Occidente: et hoc est quod Chrysostomus dicere intendit. Non tamen sic fuit impletum tempore Apostolorum quod in omnibus gentibus Ecclesia aedificaretur; quod tamen est implendum ante finem mundi, ut dicit Augustinus *in Epistola ad Hesychium*. Magis tamen praesenti intentioni Apostoli congruit expositio Chrysostomi, quam Augustini. Nulla enim ratio esset auferendi excusationem infidelibus per hoc quod in futurum erant aduituri. Per hoc tamen non habetur quod ad singulos homines fama praedicationis apostolicae pervenerit, licet pervenerit ad omnes gentes.

Numquid ergo illi ad quos non pervenit, utpote si fuerunt nutriti in sylvis, excusationem habent de peccato infidelitatis?

Ad hoc dicendum est, quod secundum sententiam Domini, quae habetur *Ioan. 15.* illi qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis; non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet iustificentur ab aliis peccatis, vel quae nascendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt: et pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio *Act. 10.* et Paulum Macedonibus, ut habetur *Act. 16.* Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum: *Thren. 5. 21. Converte nos Domine ad te, et convertemur.*

Deinde cum dicit, *Sed dico: Numquid Israel non cognovit?* ostendit eos esse inexcusabiles propter notitiam quam habuerunt ex lege, et Prophetis: et primo movet quaestionem dicens: *Sed dico*, adhuc inquirendo: *Numquid Israel*, idest populus Iudaeorum? Plane cognovit: *Supra 11. 18. Instructus per legem: Psalm. 147. 20. Non fecit taliter omni nationi: Bar. 4. 4. Beati sumus, o Israel, quoniam quae placita sunt Deo, manifesta sunt nobis.* Secundo cum dicit ibi, *Primus Moyses dicit*, solvit quaestionem, et ostendit eos cognovisse, primo quidem per doctrinam legis, dicens: *Primus Moyses dicit;* qui est legislator: quod non est sic intelligendum per hoc quod inducit, *Primus*, quod fuerint duo Moyses, quorum primus hoc dixit; sed quia Moyses fuit primus, idest praecipuus inter doctores Iudaeorum: *Deuteron. ult. 10. Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses.* Vel primus fuit in ordine talia dicendi, quia ipse primus inter alios hoc dixit: *Deut. 32. 21. Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam:* ubi littera nostra sic habet: *Ego provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo eos.* Ubi duplex est distinctio attendenda. Prima quidem ex parte gentilitatis, quam vocat non gentem, quasi non dignam vocari gentem, eo quod non erat adunata in cultu unius Dei: *Eccli. 50. 27. Tertia non est gens, quam oderim.* Eamdem autem gentilitatem vocat gentem insipientem: et si aliqualiter gens dici posset, secundum quod adiuvatur, et gubernatur lege humana; dicitur tamen insipiens, quasi privata vera sapientia, quae in cognitione, et cultu Dei consistit, *Ephes. 4. 17. Sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei.* Et sic refertur ad gentilitatem secundum statum ante conversionem. Possunt haec etiam duo attribui gentilitati post conversionem, quae dicitur non gens, idest non gentiliter vivens, sicut Apostolus dicit ibidem: *Iam non amplius ambuletis sicut et Gentes.* Dicitur etiam gentilitas conversa gens insipiens, secundum opinionem infidelium: *1. Corinth. 3. 18. Si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Secunda differentia attenditur quantum ad hoc quod primo ponit aemulationem, scilicet invidiae, qua Iudaei invidebant Gentilibus conversis: *Galat. 4. 17. Æmulantur vos non bene.* Secundo ponit iram qua contra eos irascuntur: *Psalm. 36. 12. Observabit peccator iustum, et stridebit super eum dentibus suis.* Et haec duo congrue coniunguntur, quia ex invidia causatur ira: unde *Iob 5. 2.* dicitur: *Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Dicitur autem Deus in aemulationem inducere, et in iram mittere, non quidem in eis causando malitiam, sed subtrahendo gratiam; vel potius faciendo conversionem Gentium, unde Iudaei occasionem irae, et invidiae sumunt.

Secundo ostendit eos cognovisse per doctrinam Prophetarum; et inducit Isaiam primo quidem praenuntiantem conversionem Gentium, dicens: *Isaias autem audet, et dicit*, idest audacter Iudaeis annuntiat veritatem, quamvis ei periculum mortis immineret: *Iob 39. 21. Audacter in occursum pergit armatis.* Et dicit *Isai. 65. 1. Inventus sum a* Gentibus *non quaerentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant:* ubi littera nostra sic habet: *Quaesierunt me qui ante non interrogabant; invenerunt qui non inquisierunt me.* In his autem verbis primo designat conversionem Gentium, dicens: *Inventus sum a* Gentibus *non quaerentibus me:* et ideo praeter merita, et intentionem Gentilium ostenditur fuisse eorum conversio: *Infra 15. 9. Gentes autem super misericordia honorare Deum.* De hac autem intentione dicitur *Matth. 13. 44. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum.* Secundo ostendit causam, et modum conversionis eorum. Causam quidem, quia non casu factum est ut invenirent quod non quaerebant, sed ex gratia eius qui eis voluit apparere: quod designatur in hoc quod dicit, *Apparui: Tit. 2. 11. Apparuit gratia Salvatoris*

*nostri Dei omnibus hominibus.* Modum autem, quia non apparuit Christus Gentilibus in aenigmatibus, et figuris legis, sed in manifesta veritate: unde dicit, *Palam: Ioan. 16. 29. Ecce palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Palam,* inquit, *apparui eis,* scilicet Gentilibus, *qui me non interrogabant,* idest qui meam doctrinam non quaerebant: *Isa. 45. 20. Rogant Deum non salvantem.* Secundo ostendit quod Isaias praenuntiavit incredulitatem Iudaeorum, dicens: *Ad Israel autem,* idest contra Israel *dicit, Isa. 65. 2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi:* ubi nostra littera sic habet: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, populus qui ad iracundiam provocat me.* Quod autem dicit, *Expandi manus meas,* potest uno modo intelligi de expansione manuum Christi in cruce: quae quidem dicitur fuisse in cruce tota die, idest principali parte totius diei, scilicet ab hora sexta usque ad vesperas, *Matth. 27.* Et quamvis eo expandente manus in cruce, sol sit obscuratus, petrae scissae, monumenta aperta; Iudaei tamen in sua incredulitate permanserunt, eum blasphemantes, ut dicitur *Matth. 27.* Unde subdit: *Ad populum non credentem, sed contradicentem mihi: Hebr. 12. 3. Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Alio modo potest referri ad extensionem manus Dei in miraculis faciendis: *Act. 4. 30. In eo quod manum tuam extendis ad sanitates, et signa, et prodigia fieri per nomen sanctum Filii tui Iesu:* ut sit sensus. *Tota die,* idest toto tempore praedicationis meae, *expandi manus meas,* miracula faciendo, *ad populum non credentem* etiam miraculis visis: *Ioan. 15. 24. Si opera non fecissem quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: sed contradicentem mihi,* idest meis miraculis detrahentem, secundum illud *Matth. 12. 24. In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia: Osee 4. 4. Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti.* Tertio potest intelligi de extensione manus Dei ad beneficia illi populo exhibita, secundum illud *Proverb. 1. 24. Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret:* ut sit sensus. *Tota die,* idest toto tempore legis, et Prophetarum *expandi manus meas,* ad dandum beneficia, *ad populum non credentem, sed contradicentem mihi: Deuter. 31. 27. Semper contentiose egistis contra Dominum.*

## CAPITIS UNDECIMI

### LECTIO PRIMA

Dico ergo: Numquid repulit Dominus Deus populum suum? Absit: nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt; et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiae, secundum electionem gratiae Dei, salvae factae sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? Quod quaerebat Israel, hoc non est consequutus; electio autem consequuta est: ceteri vero excaecati sunt; sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et David dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis: obscurentur oculi eorum ne videant; et dorsum eorum semper incurva.

Postquam Apostolus ostendit Iudaeorum casum esse miserandum, non tamen totaliter excusabilem; hic ostendit casum Iudaeorum non esse universalem: et primo movet quaestionem; secundo solvit, ibi, *Absit;* tertio infert conclusionem, ibi, *Quid ergo? Quod quaerebat Israel, hoc non est consequutus.* Dicit ergo primo: *Dico* adhuc inquirendo: *Numquid Deus repulit,* totaliter, *populum suum?* scilicet Iudaeorum, quia vocat eum non credentem, sed contradicentem. Et hoc Psalmista etiam inquirit, dicens *Psal. 73. 1. Ut quid Deus repulisti in finem? Thren. 2. 7. Repulit Dominus altare suum.*

Deinde cum dicit, *Absit,* solvit quaestionem, ostendens quod Deus non totaliter repulit populum Iudaeorum; et hoc est quod dicit, *Absit,* ut scilicet populus Iudaeorum sit totaliter repulsus: et hoc quidem primo probat quantum ad personam suam, dicens; *Nam et ego,* scilicet in fide Christi existens, *Israelita sum,* scilicet gente: *2. Cor. 11. 22. Israelitae sunt, et ego.* Et quia in populo Israel erant aliqui proselyti, qui non descenderunt secundum carnem ex Patriarchis, secundo hoc de se excludit, subdens, *Ex semine Abrahae: 2. Cor. 11. 22. Semen Abrahae sunt, et ego.* Erant autem in populo Iudaeorum Tribus distinctae secundum filios Iacob, quorum quidam fuerunt filii ancillarum, quidam uxorum; Ioseph autem, et Beniamin filii Rachel praedilectae uxoris. Unde tertio suam excellentiam in populo Iudaeorum ostendens dicit, *Ex tribu Beniamin: Phil. 3. 5. Ex genere Israel de tribu Beniamin.* Unde et de eo exponitur a quibusdam quod legitur *Gen. penult. 27. Beniamin lupus rapax, mane comedet praedam, et vespere dividet spolia.* Secundo ibi, *Non repulit Deus plebem suam,* ostendit populum non esse repulsum a Deo, etiam quantum ad multos electos suos: et primo proponit quod intendit; secundo inducit similitudinem, dicens, *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura?* tertio adaptat eam, ibi, *Sic ergo et in hoc tempore.* Dicit ergo primo: Non solum ego non sum repulsus, sed *Deus non repulit plebem suam,* totam, *quam praescivit,* idest praedestinavit: *Supra 8. 29. Quos praescivit, hos et praedestinavit: Psal. 93. 14. Non repellet Dominus plebem suam:* quod Apostolus hic exponit quantum ad praedestinatos. Deinde cum dicit, *An nescitis etc.* inducit similitudinem de his quae contigerunt tempore Eliae, quando etiam totus po-

pulus videbatur a cultu unius Dei aberrasse: ubi primo ponit interpellationem Eliae; secundo responsionem Domini, ibi, *Sed quid dicit Scriptura divina?* Dicit ergo primo: *An nescitis quid Scriptura* sacra *dicat in Elia*, idest de Elia? *3. Reg. 19.* vel *in Elia*, idest in libro de Elia scripto: totus enim Liber Regum est principaliter scriptus ad notificandum dicta, et facta Prophetarum: unde et inter Libros propheticos computatur, ut Hieronymus dicit *in Prologo Libri Regum: quemadmodum*, scilicet ipse Elias, *interpellat Deum adversus Israel.*

Contra quod videtur esse verbum Samuelis dicentis *1. Reg. 12. 23. Absit hoc peccatum a me in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Multo ergo minus est contra populum interpellandum.

Sed intelligendum est, quod Prophetae contra populum aliquem interpellant tripliciter. Uno modo conformando voluntatem suam voluntati divinae eis revelatae, sicut et *in Psal. 57. 11.* dicitur: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Alio modo interpellando contra regnum peccati, ut scilicet non homines, sed peccata hominum destruantur. Tertio modo interpellatio, vel oratio est interpetranda per modum denuntiationis, secundum illud *Hier. 17. 18. Confundantur qui me persequuntur*, scilicet confundentur.

Duo autem in hac sua interpellatione contra eos allegat. Primo quidem impietatem, quam commiserant contra cultum Dei. Uno quidem modo persequendo ministros eius; quod tangit dicens: *Domine, Prophetas tuos occiderunt: 3. Reg. 18. 13. Numquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini? Act. 7. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Alio modo quantum ad loca Deo sanctificata, secundum illud *Psal. 68. 7. Incenderunt igni sanctuarium tuum:* et quantum ad hoc dicit: *Altaria tua suffoderunt.* Unde notandum est quod *Deuter. 12. 5.* Dominus mandavit dicens: *Ad locum quem elegerit Dominus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis, et offeretis in illo loco holocausta, et victimas vestras.* Tamen ante aedificationem templi permittebatur populo ut in diversis locis altaria construeret ad cultum divinum: quod quia erat contra legem, aedificato iam templo, Ezechias Rex piissimus omnia huiusmodi altaria destrui fecit; et hoc est quod dicitur *4. Reg. 18. 22. Nonne iste est Ezechias, qui abstulit excelsa, et altaria, et praecepit Iudae, et Hierusalem: Ante altare hoc adorabitis in Hierusalem?* Quod ergo Ezechias fecit ex pietate, hoc fecit Achab, et Iezabel ex impietate, volentes cultum Dei totaliter extirpare. Secundo allegat contra eos impietatem quam facere intendebant, dicens: *Et relictus sum ego solus,* scilicet in cultu unius Dei: quod quidem dixit Elias, eo quod alii non ita aperte manifestabant se esse Dei cultores: dicitur enim de eo *Eccli. 48. 1. Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. Et quaerunt animam meam,* scilicet ut auferant eam. Miserat enim Iezabel ad Eliam *3. Reg. 19. 2.* dicens: *Haec mihi faciant dii, et haec addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis,* scilicet Prophetis Baal, quos occiderat Elias.

Deinde cum dicit, *Sed quid dicit etc.* ponit divinum responsum, dicens: *Sed quid dicit* Scriptura ibidem, scilicet dixisse *illi*, scilicet Eliae, *responsum divinum?* Hoc, inquam, quod sequitur: *Reliqui mihi*, idest in cultu meo, non permittendo eos cadere in peccatum, *septem millia virorum* (ponitur certum pro incerto, propter perfectionem septenarii, et milliarii) *qui non curvaverunt genua ante Baal*, idest qui cultum Dei non deseruerunt: *Isa. 43. 7. Omnis qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

Deinde cum dicit, *Sic ergo etc.* adaptat quod dixerat, ad propositum: et primo ponit adaptationem, dicens: *Sic ergo et in hoc tempore,* in quo videtur multitudo populi deviasse, *reliquiae*, idest multi qui sunt relicti ab illo excidio, *salvae fient*, vel *salvae factae sunt, secundum electionem gratiae Dei*, idest secundum gratuitam electionem Dei: *Ioan. 15. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Secundo ex hoc infert conclusionem, dicens: *Si autem gratia*, salvi facti sunt, *iam non ex operibus*, eorum: *Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tertio ostendit sequi conclusionem ex praemissis, dicens: *Alioquin*, scilicet si gratia est ex operibus, *iam non est gratia*, quae dicitur ex eo quod gratis datur: *Supra 3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius.*

Deinde cum dicit, *Quid ergo?* infert conclusionem intentam: et primo ponit eam, dicens: *Quid ergo* secundum praemissa dicemus? Hoc scilicet quod *Israel*, quantum ad maiorem multitudinem populi, *non est consecutus quod quaerebat*, scilicet iustitiam. Et hoc modo intelligendum est quod *supra 9. 31.* dictum est: *Israel sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit: Ioan. 7. 34. Quaeretis me, et non invenietis:* ita tamen quod *electio*, idest electi ex Iudaeis, *consecuta est*, iustitiam: *Ephes. 1. 4. Elegit nos in ipso, ut essemus sancti: ceteri vero*, idest alia pars populi, *excaecati sunt*, propter suam malitiam: *Sap. 2. 21. Excaecavit eos malitia eorum.* Secundo ibi, *Sicut scriptum est*, manifestat conclusionem quantum ad ultimam partem: et primo per auctoritatem Isaiae, secundo per auctoritatem David, ibi, *Et David dicit.* Circa primum notandum, quod Apostolus componit auctoritatem ex duabus. Legitur enim *Isa. 29. 10. Miscui vobis spiritum soporis;* et quantum ad hoc dicit: *Dedit Deus spiritum compunctionis;* quod pertinet ad perversitatem affectus: compunctio enim importat quamdam cordis punctionem, sive dolorem. Est ergo quaedam bona compunctio, qua quis dolet de propriis peccatis, secundum illud *Psal. 59. 5. Potasti nos vino compunctionis.* Est autem et mala compunctio, scilicet invidiae, qua quis dolet de bonis aliorum. Hunc ergo compunctionis, idest invidiae, spiritum eis dedit Deus, non quidem immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, sicut *supra 10. 19.* dictum est: *Ego ad aemulationem adducam vos in non gentem.* Item legitur *Isaiae 6. 10. Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat.* Et quantum ad hoc, designans defectum cognitivae virtutis, subdit: *Oculos ut non videant*, scilicet per seipsos quantum ad miracula, quae Christus eis videntibus fecit; *et aures ut non audiant*, scilicet fructuose doctrinam Christi, et Apostolorum: *Isa. 42. 20. Qui vides multa, nonne cu-*

*stodies ? Qui apertas aures habes, nonne audies ?* Addit autem Apostolus de suo, *Usque in hodiernum diem:* quia in fine mundi videbunt, et audient, quando convertentur corda filiorum ad patres eorum, ut dicitur *Malach. ult.* Deinde cum dicit, *Et David dicit*, ponit ad idem auctoritatem David : in qua primo tangit occasionem defectus Iudaeorum, dicens : *Fiat mensa eorum*, idest malitia, qua peccatores reficiuntur: *Iob 20. 12. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua.* Quae quidem mensa est *coram ipsis*, quando ex certa malitia peccant. Hoc quidem fit *in laqueum*, quando ex ea paratur tentatio ad peccandum: *Isa. 24. 18. Qui explicaverit se de fovea, tenebitur laqueo: et in captionem*, quando delectationi succumbit per consensum : *Isa. 8. 15. Capientur et irretientur : et in scandalum*, idest compactionem casus, quando ruunt de peccato in peccatum: *Psal. 118. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum: et in retributionem illis*, quando scilicet punientur pro suis peccatis. Vel quia hoc ipsum est retributio delictorum, quia Deus eos permittit sic cadere: *Psalm. 93. 2. Redde retributionem superbis.* Vel mensa est sacra Scriptura Iudaeis apposita: *Prov. 9. 2. Proposuit mensam suam.* Quae quidem fit *in laqueum*, quando occurrit aliquod ambiguum ; *in captionem*, quando male intelligitur ; *in scandalum*, quando ruit in pertinaciam erroris ; *et in retributionem*, ut supra. Secundo ponit ipsum defectum quantum ad cognitivam virtutem, cum dicit : *Obscurentur oculi eorum ne videant:* quod magis praenuntiando, quam optando dicitur: *Ephes. 4. 18. Tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et quantum ad affectum, cum dicit : *Et dorsum eorum*, idest liberum arbitrium, quod portat ad bona, et ad mala, *semper incurva*, idest incurvari permitte ab aeternis ad temporalia, a rectitudine iustitiae ad iniquitatem : *Isa. 51. 23. Incurvare ut transeamus.*

## LECTIO II.

**Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent ? Absit. Sed illorum delicto salus est Gentibus, ut illos aemulentur. Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae Gentium ; quanto magis plenitudo eorum ? Vobis enim dico Gentibus : quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad aemulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi : quae assumptio nisi vita ex mortuis ? Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami.**

Postquam Apostolus ostendit quod casus Iudaeorum non est universalis ; hic incipit ostendere quod casus eorum non est inutilis, neque irreparabilis : et circa hoc duo facit. Primo ostendit casum Iudaeorum esse utilem, et reparabilem ; secundo excludit gloriam Gentilium Iudaeis insultantium, ibi, *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, noli gloriari adversus ramos.* Circa primum duo facit. Primo proponit quaestionem; secundo solvit, ibi, *Absit.* Dicit ergo primo : Dictum est, et probatum, quod ceteri Iudaei praeter electos sunt excaecati. *Dico ergo*, quaestionem movens : *Numquid sic offenderunt ut caderent?* Quod potest dupliciter intelligi. Uno modo sic. Numquid Deus permisit eos offendere solum *ut caderent?* idest propter nullam aliam utilitatem inde consequentem, sed solum volens eos cadere : quod quidem esset contra bonitatem divinam, quae tanta est, ut Augustinus dicit *in Enchir. cap. 11.* quod numquam permitteret aliquid mali fieri, nisi propter bonum quod ex malo elicit. Unde et *Iob 34. 24.* dicitur : *Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis :* et *Apoc. 3. 11.* dicitur : *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam :* quia scilicet Deus aliquos sic permittit cadere ut quorumdam casus sit aliorum salutis occasio. Alio modo potest intelligi sic. *Numquid sic offenderunt ut caderent ?* idest perpetuo in casu remanerent : *Psalm. 40. 9. Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat ?*

Deinde cum dicit, *Absit*, solvit quaestionem: et primo secundum primum intellectum, ostendens casum Iudaeorum fuisse utilem ; secundo solvit quaestionem quantum ad secundum intellectum, ostendens casum Iudaeorum esse reparabilem, ibi, *Quod si delictum illorum divitiae sunt mundi . . . quanto magis plenitudo eorum ?* Dicit ergo primo: *Absit*, ut scilicet inutiliter caderent; *sed* magis *illorum*, scilicet Iudaeorum, *delicto salus Gentibus* facta *est* occasionaliter. Unde et Dominus dicit *Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.* Quod quidem potest intelligi tripliciter. Primo modo quia per delictum, quod in occisione Christi commiserunt, est subsequuta salus Gentium per redemptionem sanguinis Christi: *1. Petr. 1. 18. Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Secundo modo potest intelligi de delicto quo doctrinam Apostolorum repulerunt, ex quo consequutum est ut Apostoli Gentibus praedicarent, secundum illud *Act. 13. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud... ecce convertimur ad Gentes.* Tertio modo potest intelligi de hoc quod propter suam impoenitentiam sunt in omnes Gentes dispersi ; et sic Christus, et Ecclesia ubique a Libris Iudaeorum testimonium habuit fidei christianae, ad convertendos Gentiles, qui suspicari potuissent prophetias de Christo, quas praedicatores fidei inducebant, esse confictas, nisi probarentur testimonio Iudaeorum : unde *in Psal. 58. 12.* dicitur : *Ostendit mihi super inimicos meos*, scilicet Iudaeos, *ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua.* Sequitur: *Ut illos aemulentur.* Et quia non dicit qui, vel quos, cum etiam sit duplex aemulatio, scilicet indignationis, et imitationis ; potest hoc quatuor modis exponi. Primo modo ut intelligatur sic, *ut* Gentiles *illos*, scilicet Iudaeos, *aemuletur*, idest imitentur in cultu unius Dei : *Ephes. 2. 12. Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel:* et postea subdit: *Nunc autem vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi : 1. Thess. 2. 14. Vos imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea.* Vel *ut* Gentiles *aemulentur* Iudaeos, idest indignentur contra eos propter incredulitatem eorum: *Psalm. 118. 158. Vidi praevaricantes,*

*et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Tertio modo potest intelligi sic, *ut* Iudaei *aemulentur*, idest imitentur Gentiles, quando ubique et nunc aliqui eorum particulariter convertuntur ad fidem, imitantes fidem Gentium, et finaliter omnis Israel salvus fiet, cum plenitudo Gentium intraverit; et sic impleatur quod dicitur *Deuter. 28. 44. Ille erit in caput, et tu eris in caudam.* Quarto modo potest exponi sic *ut* Iudaei *aemulentur* Gentiles, idest contra eos ex invidia turbentur, dum vident ad eos eorum gloriam translatam: *Deut. 32. 21. Ego provocabo eos in eo qui non est populus.*

Deinde cum dicit, *Quod si delictum eorum divitiae sunt mundi etc.* solvit quaestionem quantum ad secundum intellectum, ostendens casum Iudaeorum esse reparabilem: quod quidem ostendit tripliciter. Primo ex utilitate; secundo ex Apostoli intentione, ibi, *Vobis enim dico Gentibus;* tertio ex conditione illius populi, ibi, *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Circa primum ponit talem rationem. Bonum est potentius ad utilitatem inferendam, quam malum. Sed malum Iudaeorum magnam utilitatem Gentibus contulit. Ergo multo maiorem confert mundo eorum bonum. Hoc est ergo quod dicit: Dictum est, quod eorum delicto salus Gentibus facta est: *quod*, pro sed, *illorum*, scilicet Iudaeorum, *delictum divitiae sunt mundi*, idest Gentilium, quia scilicet delictum Iudaeorum redundavit in spirituales divitias Gentilium, de quibus dicitur *Isa. 33. 6. Divitiae salutis sapientia, et scientia:* quod quidem refert ad eorum culpam. *Et diminutio eorum*, qua scilicet deciderunt ab illa celsitudine gloriae quam habebant, quod pertinet ad poenam: *Dan. 3. 37. Imminuti sumus plusquam omnes Gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.* Sunt autem divitiae Gentium per occasionem, ut dictum est. Vel *diminutio eorum*, idest aliqui minimi, et abiecti ex Iudaeis, Gentes spiritualiter ditaverunt, scilicet Apostoli, de quibus dicitur *1. Corinth. 1. 27. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Quanto magis plenitudo eorum*, idest abundantia eorum spiritualis, vel multitudo eorum ad Deum conversa, in divitias Gentium redundabit? *Eccli. 24. 16. In plenitudine sanctorum detentio mea.* Et sic si Deus propter utilitatem totius mundi permisit Iudaeos delinquere, et diminui; multo magis implebit ruinas eorum propter totius mundi utilitatem. Deinde cum dicit, *Vobis enim dico Gentibus*, ostendit idem ex sua intentione: quam primo proponit; secundo eius rationem assignat, ibi, *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi; quae assumptio nisi vita ex mortuis?* Circa primum considerandum est, quod cum in superioribus huius Epistolae partibus loquutus fuerit omnibus fidelibus existentibus Romae, sive fuerint ex Gentibus, sive ex Iudaeis, nunc specialiter sermonem suum dirigit ad Gentiles conversos. Dicit ergo: Dixi quod plenitudo eorum divitiae mundi essent; in huius enim signum *dico vobis Gentibus*, idest Gentilibus ad fidem conversis: *Isa. 65. 1. Dixi: Ecce ego ad Gentes quae non invocabant nomen meum:* hoc, inquam, vobis dico *quamdiu ego sum Gentium Apostolus*, quarum cura specialiter mihi incumbit ex iniuncto officio: *Galat. 2. 9. Dexteras dederunt mihi, et Barnabae societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: 1. Tim. 2. 7. In quo positus sum ego praedicator, et Apostolus, veritatem enim dico in Christo Iesu, non mentior, doctor Gentium in fide, et veritate. Ministerium meum honorificabo,* non quidem his quae ad saecularem honorem pertinent; sed primo quidem ornando ipsum bonis moribus: *2. Corinth. 6. 4. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* Secundo per supererogationem operum, ad quae non tenebatur: *1. Corinth. 9. 18. Quae est ergo merces mea? Ut Evangelium Christi praedicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Tertio ampliando solicitudinem ad omnium salutem: *2. Corinth. 11. 28. Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Unde et hic subdit: *Si quo modo ad aemulandum provocem carnem meam,* idest Iudaeos, qui sunt mihi cognati secundum carnem, ut *supra 9.* dictum est: *Isai. 58. 7. Carnem tuam ne despexeris:* et hoc ad aemulandum bona aemulatione, secundum illud *1. Corinth. 12. 31. Æmulamini charismata meliora:* et per hunc modum, *ut salvos faciam aliquos ex illis,* scilicet ex Iudaeis: *1. Corinth. 10. 33. Non quaerens quod mihi utile est; sed quod multis, ut salvi fiant.*

Sed contra est quod ipse dicit *2. Corinth. 10. 13. Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos.* Non autem acceperat mensuram sui ministerii nisi super Gentes. Non ergo debebat se intromittere de Iudaeis.

Dicunt autem quidam, quod Iudaei in Iudaea habitantes non pertinebant ad eius Apostolatum, sed Petri, Iacobi, et Ioannis, ut dicitur *Galat. 2.* sed Iudaei inter Gentes habitantes ad eius Apostolatum pertinebant, et eorum saluti insistebat. Sed hoc videtur contra intentionem litterae: si enim illi Iudaei ad eius Apostolatum pertinebant in hoc quod eorum conversioni intendebat, non honorificasset suum ministerium. Et ideo dicendum est, quod sic erat sibi commissa praedicatio Gentilium, ut ad eam ex necessitate teneretur, sicut ipse dicit *1. Corinth. 9. 16. Si non evangelizavero, vae mihi: necessitas enim mihi incumbit.* Nec tamen erat ei prohibitum Iudaeis praedicare, quamvis ad hoc eorum saluti insistendo, ministerium suum honorificabat: quod quidem non faceret, si casum eorum irreparabilem reputaret: unde ipsum Apostoli studium, quod adhibebat ad conversionem Iudaeorum, inducit pro signo quod casus Iudaeorum sit reparabilis.

Deinde cum dicit, *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi etc.* assignat rationem suae intentionis, quia scilicet videbat quod conversio Iudaeorum proveniebat in salutem Gentium: unde dicit: *Si enim amissio eorum*, idest incredulitas, et inobedientia eorum; sicut dicitur servus amissus, quando sub cura, et obedientia domini refugit esse: *Hier. 50. 6. Grex perditus factus est populus meus:* si, inquam, ista Iudaeorum amissio est occasionaliter *reconciliatio mundi*, inquantum per mortem Christi sumus reconciliati Deo; *quae assumptio nisi vita ex mortuis?* idest quod Iudaei resumantur a Deo, secundum illud *Zachar. 11. 7. Sumpsi mihi duas virgas.* Quid, inquam, faciet talis assumptio, nisi quod Gentiles resurgere faciet ad vitam? Gentiles enim sunt fideles qui tepescent: *Mat-*

*th. 24. 12. Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Vel etiam qui totaliter cadent decepti ab Antichristo, Iudaeis conversis, in pristinum fervorem restituentur; et etiam sicut Iudaeis cadentibus Gentiles post inimicitias sunt reconciliati, ita post conversionem Iudaeorum, imminente iam fine mundi, erit resurrectio generalis, per quam homines ex mortuis ad vitam immortalem redibunt.

Deinde cum dicit, *Quod si delibatio sancta est, et massa*, ostendit idem ex conditione ipsius gentis Iudaeorum; et hoc quidem dupliciter. Primo ex parte Apostolorum, cum dicit: *Quod si delibatio sancta est, et massa.* Dicitur autem delibatio id quod ex massa pastae sumitur, quasi ad probandum: sunt autem Apostoli ex gente Iudaeorum assumpti a Deo, sicut delibatio ex massa; et ideo si Apostoli sunt sancti, consequens est quod gens Iudaeorum sit sancta: *1. Petr. 2. 9. Gens sancta, populus acquisitionis.* Secundo probat idem ex parte Patriarcharum, qui comparantur ad Iudaeos, sicut radix ad ramos: unde et *Isa. 11. 1.* dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse.* Si ergo Patriarchae, qui sunt radix, sunt sancti; et Iudaei qui ex eis processerunt, sicut rami, sunt sancti: *Osee 14. 6. Erumpet radix eius ut Libani: ibunt rami eius, et erit quasi oliva gloria eius.*

Sed contra est quod dicitur *Ezech. 18. 5. Vir si fuerit iustus, vita vivet.* Sic ergo non sequitur quod si radix est sancta, et rami. *Ib.* etiam subditur *14. Quod si filius videns peccata patris sui timuerit, et non fecerit simile, non morietur, sed vita vivet.* Unde etiam videtur non sequi quod si delibatio sancta est, et massa.

Sed dicendum, quod Apostolus hic non loquitur de actuali sanctitate: non enim intendit ostendere Iudaeos incredulos esse sanctos; sed de sanctitate potentiali. Nihil enim prohibet eos reparari in sanctitate, quorum patres, et quorum filii sunt sancti. Vel potest dici, quod illi sunt specialiter rami Patriarcharum qui eos imitantur, secundum illud *Ioan. 8. 39. Si filii estis Abrahae, opera Abrahae facite.*

## LECTIO III.

**Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivae factus es; noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris. Sed et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis hi, qui secundum naturam inserentur suae olivae?**

Postquam Apostolus ostendit casum Iudaeorum fuisse utilem, et reparabilem; hic excludit gloriationem Gentilium contra Iudaeos: et circa hoc duo facit. Primo ostendit Gentilibus conversis non esse gloriandum contra Iudaeos; secundo respondet obiectioni Gentilium, ibi, *Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar.* Circa primum duo facit. Primo prohibet Gentiles contra Iudaeos gloriari; secundo rationem prohibitionis assignat, ibi, *Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Videbatur autem ex duabus partibus imminere Gentilibus gloriandi occasio contra Iudaeos. Primo quidem ex defectu Iudaeorum, dicens: Dictum est, quod si radix est sancta, et rami. Sed *si aliqui ex ramis*, idest ex Iudaeis, non omnes tamen, *sunt fracti*, idest divisi a fide patrum, qui comparantur radici, *noli gloriari*: *Iob 15. 30. Ramos eius arefecit flamma: Sap. 4. 5. Confringentur rami inconsumpti.* Secundo videbatur eis imminere materia gloriandi ex parte promotionis eorum. Promotio autem alicuius tanto magis consuevit eum extollere in vanam gloriam, quanto ex viliori statu elevatur, secundum illud *Prov. 30. 21. Propter tria movetur terra, et quartum non poterit sustinere: per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit haeres dominae suae.* Et ideo praemittit abiectum statum, de quo assumpti erant, dicens: *Tu autem*, Gentilis, *cum* in statu gentilitatis *oleaster esses*, idest arbor infructuosa: *Hier. 17. 6. Erunt quasi myricae in deserto: Matth. 3. 6. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Deinde ponit eorum promotionem: et primo quidem quantum ad hoc quod sunt assumpti in dignitatem illius gentis; unde dicit: *Insertus es in illis*, idest loco illorum: *Iob 34. 24. Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.* Secundo per hoc quod sunt consociati Patriarchis, quos supra radici comparaverat: unde dicit: *Et socius radicis factus es*, idest consociatus es Patriarchis, et Prophetis: *Matth. 8. 11. Multi venient ab oriente, et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno caelorum.* Tertio per comparationem ad gloriam Apostolorum, cum dicit: *Et socius pinguedinis olivae factus es.* Oliva quidem dicitur ipsa gens Iudaeorum propter uberes fructus spirituales, quos attulit: *Hier. 11. 16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Deus nomen tuum: Psal. 51. 10. Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Sicut autem huius olivae radix sunt Patriarchae, et Prophetae; ita etiam pinguedo huius olivae est abundantia gratiae Spiritus sancti, quam prae omnibus Apostoli habuerunt, ut Glossa dicit: unde *Iudic. 9. 9.* oliva dixisse inducitur: *Numquid possum deserere pinguedinem meam? Psal. 62. 6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Sic ergo promoti sunt Gentiles ad societatem illius populi, scilicet Patriarcharum, et Apostolorum, et Prophetarum: *Ephes. 2. 19. Estis cives sanctorum, et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* Et licet has occasiones gloriandi habere videaris Gentilis, *noli* tamen *gloriari adversus ramos*, idest adversus Iudaeos: *1. Corinth. 5. 6. Non est bona gloriatio vestra.* Deinde cum dicit, *Quod si gloriaris etc.* assignat ratio-

nem suae admonitionis, dicens: *Quod si*, non obstante hac admonitione, *gloriaris*, insultando Iudaeis stantibus, vel excisis; hoc consideres ad repressionem gloriae tuae, quod tu *radicem non portas, sed radix te;* idest Iudaea non accepit a Gentilitate salutem, sed potius e converso: *Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.* Unde et Abrahae promissum est *Genes. 22.* quod in ipso benedicerentur omnes cognationes terrae.

Deinde cum dicit, *Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar*, excludit obiectionem Gentilium: et primo proponit obiectionem; secundo excludit eam ex consideratione divini iudicii, ibi, *Bene propter incredulitatem fracti sunt;* tertio inducit eos in diligentem considerationem divinorum iudiciorum, ibi, *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei.* Dicit ergo primo: *Ergo* tu Gentilis, qui gloriaris contra Iudaeos, forte *dicis: Fracti sunt rami, ut ego inserar*, idest ad hoc Deus permisit Iudaeos a fide excidere, ut ego ad fidem intrarem. Nullus autem sustinet detrimentum unius rei nisi propter rem pretiosiorem, et magis dilectam; sicut medicus permittit infirmitatem esse in pede, ut sanet oculum. Sic igitur ex hoc ipso videtur Gentilitas esse pretiosior, et magis Deo accepta quam Iudaea: unde *Malach. 1. 10.* dicitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Deus, et munus non accipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus:* et *Isa. 49. 6. Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob ... dedi te in lucem Gentium.* Deinde cum dicit, *Bene etc.* excludit obiectionem: et primo assignat causam defectus Iudaeorum, et promotionis Gentilium, dicens: *Bene* in hoc dicis, quod Deus permisit frangi ramos, ut tu inseraris, sed considera causam fractionis ramorum. *Propter incredulitatem*, inquam, *fracti sunt*, quia scilicet in Christum credere noluerunt: *Ezech. 2. 6. Increduli, et subversores sunt tecum: Ioan. 8. 46. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Tu autem*, scilicet Gentilis, *stas in fide*, idest credendo in Christum, in quo gratiam consecutus es: *2. Cor. 1. 23. Nam fide statis: 1. Corinth. 15. 1. Notum facio vobis Evangelium ..... in quo statis, per quod et salvamini.* Secundo inducit admonitionem, dicens: *Noli altum sapere*, idest noli de te ultra te ipsum praesumere: *Infra 12. 16. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes: Psal. 130. 1. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Sed time*, ne scilicet etiam tu frangaris per incredulitatem; quod pertinet ad timorem castum: *Proverb. 28. 14. Beatus homo qui semper est pavidus; qui vero mentis est durae, corruet in malum: Eccli. 1. 27. Timor Domini expellit peccatum.* Tertio assignat rationem suae admonitionis, dicens; *Si enim naturalibus ramis*, idest Iudaeis, qui naturali origine ex Patriarchis descenderunt, *non pepercit Deus*, quin eos frangi permitteret; time *ne forte nec tibi parcat*, quin scilicet te permittat per incredulitatem excidere: *Proverb. 6. 34. Zelus, et furor viri non parcet in die vindictae: Hier. 13. 14. Non parcam, neque miserebor, ut non dispergam eos.* In hoc ergo consistit solutio Apostoli, quod cum aliquis videt se gratiam adeptum, alio cadente, non debet extolli contra cadentem, sed magis timere sibi ipsi: quia ipsa superbia est causa praecipitii, et timor est causa custodiae, et cautelae. Deinde cum dicit, *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei*, inducit eos in diligentem considerationem divinorum iudiciorum: et primo inducit eos ad considerandum; secundo instruit eos quasi per se considerare non valentes, ibi, *Nolo enim vos ignorare, fratres etc.* tertio, quasi nec ipse perfecte sufficeret ad istorum investigationem, exclamat admirando divinam sapientiam, ibi, *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei!* Circa primum tria facit. Primo ostendit quid considerari oporteat, dicens: *Vide ergo*, idest diligenter considera, *bonitatem Dei*, miserentis: *Psal. 72. 1. Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! supra 2. 4. An divitias bonitatis eius contemnis? et severitatem* ipsius punientis: *Psal. 93. 1. Deus ultionum Dominus: Nahum 1. 2. Deus aemulator, et ulciscens Dominus.* Prima enim consideratio tribuit spem, secunda timorem; ut vitetur desperatio, et praesumptio. Secundo ostendit in quibus utrumque dictorum sit considerandum quantum ad praedicta, dicens: *In eos quidem*, scilicet Iudaeos, *qui ceciderunt, severitatem: Thren. 2. 2. Praecipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob destruxit: in te autem*, scilicet Gentilem, qui insertus es, *bonitatem: Psal. 118. 65. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine.* Tertio ostendit quo tenore possint in praedictis haec considerari, quia non immobiliter, sicut quod potest mutari in futurum. Et primo ostendit quantum ad Gentiles, dicens: *In te*, dico, vide *bonitatem Dei*, operantem, eo tamen tenore si permanseris in bonitate: *Ioan. 15. 9. Manete in dilectione mea. Alioquin*, si tu non dederis operam ad permanendum per timorem, et humilitatem, *et tu excideris: Matth. 3. 10. Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur.* Secundo ostendit idem quantum ad Iudaeos: et primo proponit quod intendit, dicens: *Sed et illi*, scilicet Iudaei, *si non permanserint in incredulitate, inserentur*, idest in suum statum restituentur: *Hier. 3. 1. Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Secundo probat quod dixerat; et primo ex divina potentia, dicens: *Potens est enim Dominus Deus iterum inserere illos;* et ideo non est de eorum salute desperandum: *Isa. 59. 1. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit.* Secundo probat idem per locum a minori, dicens: *Nam si tu*, Gentilis, *excisus es ex naturali oleastro*, idest ex gentilitate, quae naturaliter erat infructuosa, non quidem prout Dominus fecit naturam, sed secundum quod corrupta est per peccatum: *Sap. 12. 10. Iniqua est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum: Ephes. 2. 3. Eramus natura filii irae: et insertus in bonam olivam*, idest in fidem Iudaeorum, *contra naturam*, idest contra communem cursum naturae: non enim consuevit ramus arboris malae inseri in bonam arborem, sed potius e converso. Id autem quod Deus facit, non est contra naturam, sed simpliciter est naturale. Dicimus enim esse naturale quod fit ab agente cui naturaliter subditur patiens, quamvis etiam non sit secuudum propriam naturam patientis: sicut enim fluxus, et refluxus maris est naturalis, propter hoc quod causatur ex motu lunae, cui naturaliter subditur aqua, quamvis non sit naturalis secundum formam aquae; ita etiam cum omnis creatura sit naturaliter Deo subiecta, quidquid Deus facit in creatura, est simpliciter naturale,

licet forte non sit naturale secundum propriam et particularem naturam rei in qua fit ; puta, cum caecus illuminatur, et mortuus resuscitatur. Si, inquam, hoc factum est contra naturam; *quanto magis hi qui* sunt *secundum naturam*, idest qui naturali origine pertinent ad gentem Iudaeorum, *inserentur suae olivae ?* idest reducentur ad dignitatem gentis suae: *Malach. ult. 6. Convertet corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres eorum.*

## LECTIO IV.

Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret ; sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob : et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem carissimi propter patres. Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum ; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.

Postquam Apostolus induxit Gentiles in cognitionem divinorum iudiciorum, in quibus divina bonitas, et severitas manifestatur ; hic quasi eis adhuc non sufficientibus considerare praedicta, exponit, quid sibi circa haec videatur: et primo proponit factum; secundo probat, ibi, *Sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob ;* tertio rationem assignat, ibi, *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo etc.* Circa primum tria facit. Primo proponit suam intentionem, dicens: Ideo induxi vos ad considerandum bonitatem, et severitatem Dei: *nolo enim, o fratres, ignorare vos mysterium hoc :* non enim omnia mysteria capere potestis : hoc est enim perfectorum, quibus Dominus dicit *Lucae 8. 10. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: Sap. 6. 24. Non abscondam a vobis sacramenta Dei.* Sed ignorantiam huius mysterii esset vobis damnosa : *1. Corinth. 14. 38. Si quis ignorat, ignorabitur.* Secundo assignat suae intentionis rationem : *Ut non sitis vobismetipsis sapientes*, idest non de sensu vestro praesumatis, et ex vestro sensu alios condemnantes, vos eis praeferatis: *Infra 12. 16. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos : Isa. 5. 21. Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Tertio proponit quod intendit. Primo quidem quantum ad casum particularium Iudaeorum, cum dicit: *Quia caecitas contigit in Israel*, non universaliter, sed *ex* aliqua *parte*, ut supra ostensum est : *Isa. 6. 10. Excaeca cor populi huius.* Secundo ponit terminum huius caecitatis, dicens: *Donec intraret*, ad fidem, *plenitudo Gentium;* idest non solum aliqui particulariter ex Gentibus, sicut tunc convertebantur; sed vel pro toto, vel pro maiori parte in omnibus Gentibus Ecclesia fundaretur : *Psal. 23. 1. Domini est terra, et plenitudo eius.* Dicuntur autem Gentiles ad fidem conversi intrare, quasi ex exterioribus, et visibilibus rebus, quae venerabantur, in spirituales voluntate divina: *Psal. 99. 2. Introite in conspectu eius in exultatione.* Et est notandum, quod hoc adverbium *donec* potest designare causam excaecationis Iudaeorum : propter hoc enim permisit Deus eos excaecari, ut plenitudo Gentium intraret, sicut patet ex supra dictis. Potest etiam designare terminum, quia videlicet usque tunc caecitas Iudaeorum durabit, quousque plenitudo Gentium ad fidem intrabit : et huic concordat quod infra subdit de futuro remedio Iudaeorum, cum dicit: *Et tunc*, scilicet cum plenitudo Gentium intraverit, *omnis Israel salvus fiet*, non particulariter, sicut modo, sed universaliter omnes: *Osee 1. 7. Salvabo eos in Domino Deo suo: Mich. ult. 19. Revertetur, et miserebitur nostri.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est etc.* probat quod dixerat de futura salute Iudaeorum : et primo probat hoc per auctoritatem ; secundo per rationem, ibi, *Secundum Evangelium etc.* Dicit ergo primo : Dico, quod omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est *Isa. 59. 20.* ubi nostra littera sic habet : *Venit ex Sion Redemptor, et eis qui redeunt ad Iacob : hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus.* Sed Apostolus hoc inducit secundum litteram Septuaginta ; et tangit tria verba hic posita. Primo Salvatoris adventum, cum dicit : *Veniet*, Deus scilicet humanatus ad salvandum nos, *ex Sion*, idest ex populo Iudaeorum, qui significatur per Sion, quae erat arx Hierusalem, quae est metropolis Iudae : unde dicitur *Zach. 9. 9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem : ecce Rex tuus venit tibi iustus, et salvator: Ioan. 4. 22. Salus ex Iudaeis est.* Vel dicit, *ex Sion* eum venire, non quia sit ibi natus ; sed quia inde doctrina eius exivit in universum mundum, per hoc quod Apostoli in coenaculo Sion Spiritum sanctum receperunt: *Isa. 2. 3. De Sion exibit lex.* Secundo ponit salutem per Christum Iudaeis oblatam, dicens: *Qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob.* Et potest ereptio referri ad liberationem a poena: *Psal. 55. 14. Eripiet animam meam de morte.* Quod vero dicit, *Avertat impietatem a Iacob*, potest referri ad liberationem a culpa: *Psal. 52. 7. Avertet Dominus captivitatem plebis suae.* Vel utrumque refertur ad liberationem a culpa ; sed dicit, *Qui eripiat*, propter paucos qui nunc difficulter quasi cum quadam violentia convertuntur: *Amos 3. 12. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculae ; sic eruentur filii Israel.* Dicit autem, *avertat impietatem a Iacob*, ad ostendendum facilitatem conversionis Iudaeorum in fine mundi: *Mich. ult. 18. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transfers peccatum reliquiarum haereditatis tuae ?* Tertio ostendit modum salutis cum dicit : *Et hoc testamentum*, scilicet novum, erit *illis a me, cum abstulero peccata eorum.* Vetus enim testamentum peccata non auferebat : quia, ut dicitur *Hebr. 10. 4. impossibile est sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata :* et ideo propter imperfectionem veteris testamenti promittitur eis novum testamentum: *Hier. 31. 31. Feriam domui Israel, et domui Iuda foedus*

*novum* : quod quidem habebit efficaciam ad remissionem peccati per sanguinem Christi: *Matth. 26. 28. Hic sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Mich. ult. 19. Deponet iniquitates nostras, et proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Deinde cum dicit, *Secundum Evangelium*, probat propositum per rationem : et primo inducit probationem ; secundo removet obiectionem, ibi, *Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei.* Dicit ergo primo, quod eorum peccata auferentur, et quod postquam peccata habent, manifestum est quod sunt inimici Christi. *Secundum Evangelium quidem inimici*, idest quantum ad doctrinam Evangelii pertinet, quam impugnant, *propter vos*, idest ad utilitatem vestri cedit, ut supra dictum est: unde dicitur *Luc. 19. 27. Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me: Ioan. 15. 24. Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Vel *secundum Evangelium* dicit, quod eorum inimicitia ad utilitatem Evangelii pertinet, cuius praedicatio occasione talis inimicitiae ubique diffunditur: *Col. 1. 5. In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, fructificat, et crescit.* Sed sunt *carissimi Deo propter patres ;* et hoc *secundum electionem*, quia scilicet ob gratiam patrum eorum semen elegit: *Deut. 4. 37. Dilexit patres suos, et elegit semen eorum post eos.* Quod non est sic intelligendum, quasi merita praestita patribus fuerint causa aeternae electionis filiorum ; sed quia Deus ab aeterno elegit gratis et patres, et filios ; hoc tamen ordine ut filii propter patres consequerentur salutem : non quasi merita patrum sufficerent ad filiorum salutem ; sed per quamdam abundantiam divinae gratiae, et misericordiae hoc dicit, quae intantum patribus est exhibita ut propter promissiones eis factas etiam filii salvarentur. Vel intelligendum est *secundum electionem*, idest quantum ad electos ex illo populo, sicut supra dictum est, electio consecuta est. Si autem sunt Domino carissimi, rationabile est quod a Deo salventur, secundum illud *Isa. 64. 4. Oculus non vidit, Deus, absque te quae praeparasti expectantibus te.* Deinde cum dicit, *Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei*, excludit obviationem. Posset enim aliquis obviando dicere, quod Iudaei, etsi olim fuerint carissimi propter patres, tamen inimicitia quam contra Evangelium exercent, prohibet ne in futurum salventur. Sed hoc Apostolus falsum esse asserit, dicens : *Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei ;* quasi dicat : Quod Deus aliquid aliquibus donet, vel aliquos vocet, hoc est *sine poenitentia*, quia de hoc Deum non poenitet, secundum illud *1. Reg. 15. 29. Triumphator in Israel non parcet, nec poenitudine flectetur: Psalm. 109. 4. Iuravit Dominus, et non poenitebit eum.*

Sed videtur falsum : dicit enim Dominus *Genes. 6. 6. Poenitet me fecisse hominem :* et *Hier. 18. 9. Loquar de gente, et de regno, ut aedificem, et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis... poenitentiam agam super bonum quod locutus sum ut facerem ei.*

Sed dicendum est, quod sicut Dominus irasci dicitur, non propter hoc quod in eo sit commotio irae, sed quia ad modum irati se habet quantum ad punitionis effectum ; ita quandoque poenitere dicitur, non quasi in eo sit poenitentiae commutatio, sed quia ad modum poenitentis se habet, dum mutat quod fecerat.

Sed adhuc videtur secundum hoc quod dona, et vocatio non sint sine poenitentia : quia dona divinitus concessa frequenter amittuntur, secundum illud *Matth. 25. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.* Vocatio enim Dei etiam quandoque mutari videtur, cum scriptum sit *Matth. 22. 14. Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Sed dicendum est, quod donum hic accipitur pro promissione, quae fit secundum Dei praescientiam, vel praedestinationem ; vocatio autem hic accipitur pro electione : quia propter certitudinem utriusque, quod Deus promittit, iam quodammodo dat, et quos elegit iam quodammodo vocat. Et tamen ipsum temporale Dei donum, et temporalis vocatio non irritatur per mutationem Dei, quasi poenitentis, sed per mutationem hominis, qui gratiam Dei abiicit, secundum illud *Hebr. 12. 15. Contemplantes ne quis desit gratiae Dei.*

Potest etiam quod hic dicitur aliter intelligi, ut dicamus, quod dona Dei, quae dantur in baptismo, et vocatio qua baptizatus vocatur ad gratiam, sunt sine poenitentia hominis baptizati : quod quidem hic inducitur, ne aliquis desperet de futura Iudaeorum salute, propter hoc quod non videntur de peccato suo poenitere.

Sed contra hoc quod dicitur, est quod Petrus dicit *Act. 2. 38. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

Sed dicendum est, quod duplex est poenitentia: interior, et exterior. Interior quidem consistit in contritione cordis, qua quis dolet de peccatis praeteritis; et talis poenitentia requiritur a baptizato : quia, ut Augustinus dicit *in Lib. de Poenitentia cap. 11. nemo suae voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare, nisi poeniteat eum veteris vitae : alioquin fictus ad baptismum accedit.* Exterior vero poenitentia consistit in exteriori satisfactione, quae a baptizato non requiritur, quia per gratiam baptismalem liberatur homo non solum a culpa, sed etiam a tota poena per virtutem passionis Christi, qui pro peccatis omnium satisfecit, sicut *supra 6. 3.* dictum est : *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Unde dicitur *Tit. 3. 5. Per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.*

Sed cum claves Ecclesiae, et omnia alia sacramenta in virtute passionis Christi operentur, videtur quod pari ratione omnia alia sacramenta liberent hominem a culpa, et a tota poena,

Sed dicendum est, quod passio Christi operatur in baptismo per modum cuiusdam generationis, quae requirit ut homo totaliter priori vitae moriatur, ad hoc ut novam vitam accipiat ; et ideo tollitur in baptismo totus reatus poenae, qui pertinet ad vetustatem prioris vitae. Sed in aliis sacramentis operatur virtus passionis Christi per modum sanationis, ut in poenitentia. Sanatio autem non requirit ut statim omnis infirmitatis reliquiae auferantur. Et eadem ratio est in aliis sacramentis.

Sed cum confessio peccatorum pertineat ad exteriorum poenitentiam ; quaeri potest utrum a baptizato confessio peccatorum requiratur. Et videtur quod sic:

dicitur enim *Matth. 3.* quod baptizabantur homines a Ioanne, confitentes peccata sua.

Sed dicendum est, quod baptismus Ioannis erat baptismus poenitentiae, quia scilicet accipiendo illum baptismum quodammodo se profitebantur poenitentiam accepturos de peccato suo; et ideo conveniens erat ut confiterentur, ut secundum modum peccati eis poenitentia statueretur. Sed baptismus Christi est baptismus remissionis omnium peccatorum, ita quod non restat baptizato aliqua satisfactio pro peccatis praeteritis: propter quod nulla est confessionis vocalis necessitas. Ad hoc enim necessaria est confessio in sacramento poenitentiae, ut Sacerdos per potestatem clavium convenienter poenitentem solvat, vel liget.

Deinde cum dicit, *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo*, assignat rationem futurae salutis Iudaeorum post eorum incredulitatem: et primo ponit similitudinem inter utriusque populi salutem; secundo huius similitudinis causam ostendit, ibi, *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate.* Dicit ergo primo: Ita dico quod omnis Israel salvus fiet, quamvis nunc sint inimici. *Sicut enim et vos* Gentiles *aliquando non credidistis Deo, Ephes. 2. 12. Eratis illo tempore sine Deo in hoc mundo: nunc autem misericordiam consecuti estis: infra 15. 23. Miserebor eius quae fuit absque misericordia:* et hoc *propter eorum incredulitatem*, quae scilicet fuit occasio vestrae salutis, ut supra dictum est: *ita et isti*, scilicet Iudaei, *nunc*, scilicet tempore gratiae, *non crediderunt*, scilicet Christo, *Ioan. 8. 46. Quare non creditis mihi?* Et hoc est quod subdit, *In vestram misericordiam*, idest in gratiam Christi, per quam misericordiam consecuti estis: *Tit. 3. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Vel *non crediderunt*, ut per hoc pervenirent *in vestram misericordiam.* Vel *non crediderunt*, quod *in vestram misericordiam* occasionaliter cessit, *ut et ipsi* quandoque *misericordiam consequantur: Isa. 14. 1. Miserebitur Dominus Iacob.* Deinde cum dicit, *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate*, assignat rationem huius similitudinis, quia scilicet Deus voluit ut sua misericordia in omnibus locum haberet; et hoc est quod subdit: *Conclusit enim Deus*, idest concludi permisit, *omnia*, idest omne hominum genus, tam Iudaeos, quam Gentiles, *in incredulitate*, sicut in quadam catena erroris: *Sap. 17. 17. Una catena tenebrarum omnes erant colligati, ut omnium misereatur*, idest ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat: *Sap. 11. 24. Misereris omnium Domine.* Quod quidem non est extendendum ad daemones, secundum errorem Origenis, nec etiam quantum ad omnes homines singillatim, sed ad omnia genera hominum: fit enim hic distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum. Ideo autem Deus vult omnes per suam misericordiam salvari, ut ex hoc humilientur, et suam salutem non sibi, sed Deo adscribant: *Osee 13. 9. Perditio tua in te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum: Supra 3. 19. Ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo.*

## LECTIO V.

O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit; aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Supra Apostolus conatus fuit assignare rationem divinorum iudiciorum, quibus tam Gentes, quam Iudaei post incredulitatem misericordiam consequuntur; nunc quasi ad haec investiganda se insufficientem recognoscens, exclamando, divinam excellentiam admiratur: et primo admiratur divinam excellentiam; secundo probat quod dixerat, ibi, *Quis enim cognovit sensum Domini.* Circa primum duo facit. Primo admiratur excellentiam divinae sapientiae secundum se consideratae; secundo per comparationem ad nos, ibi, *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Excellentiam divinae cognitionis admiratur primo quantum ad altitudinem, dicens, *O altitudo! Eccle. 7. 25. Alta profunditas, quis inveniet eam? Hierem. 17. 12. Solium gloriae altitudinis a principio.* Haec autem altitudo attenditur quantum ad tria. Uno quidem modo quantum ad rem cognitam, inquantum scilicet Deus seipsum perfecte cognoscit: *Eccli. 24. 7. Ego in altissimis habito.* Alio modo quantum ad modum cognoscendi, inquantum scilicet per seipsum omnia cognoscit: *Psal. 101. 20. Prospexit de excelso sancto suo Dominus, de caelo in terram aspexit.* Tertio quantum ad certitudinem cognitionis: *Eccli. 23. 28. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Secundo admiratur excellentiam divinae cognitionis quantum ad eius plenitudinem, cum dicit, *Divitiarum: Isai. 33. 6. Divitiae salutis sapientia, et scientia.* Quae quidem plenitudo attenditur in tribus. Uno modo in multitudine cognitorum, quia scilicet omnia novit: *Ioan. ult. 17. Domine, tu omnia scis: Colos. 2. 3. In ipso sunt omnes thesauri sapientiae Dei absconditi.* Alio modo quantum ad facilitatem cognoscendi, quia statim omnia intuetur sine inquisitione, et difficultate: *Hebr. 4. 13. Omnia nuda et aperta sunt oculis eius.* Tertio quantum ad copiam cognitionis, quia eam omnibus communicat affluenter: *Iacob. 1. 5. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Tertio admiratur divinam excellentiam quantum ad perfectionem, cum dicit, *Sapientiae, et scientiae.* Habet enim sapientiam de divinis: *Iob 12. 13. Apud ipsum est fortitudo, et sapientia:* et scientiam de rebus creatis: *Baruch 3. 32. Qui scit universa, novit eam.* Deinde cum dicit, *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* ostendit excellentiam divinae sapientiae per comparationem ad nostrum intellectum: et primo quantum ad sapientiam, ad quam pertinet iudicare, et ordinare: unde dicit, *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* quia scilicet homo non potest comprehendere rationem divinorum iudiciorum, quia in sapientia Dei latent: *Psal. 35. 7. Iudicia tua abyssus multa: Iob 11. 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et Omnipotentem usque ad perfectum reperies?* Secundo quantum ad scientiam, per quam in rebus operatur: unde subdit: *Et investigabiles*, idest non perfecte ab homine vestigabiles, *viae eius*, idest pro-

cessus eius, quibus in creaturis operatur. Etsi enim ipsae creaturae sint homini notae; tamen modi quibus Deus in creaturis operatur, ab homine comprehendi non possunt: *Psal. 76. 20. In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur: Iob 38. 24. Per quam viam spargitur lux numquid aspexisti?*

Deinde cum dicit, *Quis enim cognovit sensum Domini?* probat quod dixerat; ad quod inducit duas auctoritates, quarum una habetur *Isa. 40. 13.* ubi secundum litteram nostram sic legitur: *Quis adiuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* loco cuius hic dicitur: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Alia auctoritas habetur *Iob 41. 2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* ex loco cuius hic dicitur: *Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* In his autem verbis, et sequentibus Apostolus tria facit. Primo ostendit excellentiam divinae sapientiae per comparationem ad intellectum nostrum, dicens: Dictum est, quod *incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius: quis enim cognovit sensum Domini*, per quem scilicet iudicat, et operando procedit? quasi dicat: Nullus, nisi eo revelante: *Sap. 9. 17. Sensum tuum quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* et *1. Cor. 2. 11. Quae sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Secundo ostendit excellentiam divinae sapientiae secundum quod in se habet altitudinem; quae quidem est altitudo, quae est supremi principii, ad quod duo pertinent: primo quod non sit ab alio, secundo quod alia sint ab eo: et haec ostendit ibi, *Quoniam ex ipso.* Quod autem sapientia Dei non dependet ab altiori principio, ostendit dupliciter. Primo quidem per hoc quod non est instructa alieno consilio: unde dicit, *Aut quis consiliarius eius fuit?* quasi diceret, nullus: ille enim consilio indiget qui non plene cognoscit qualiter sit agendum: quod Deo non competit: *Iob 26. 3. Cui dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet sapientiam? Hierem. 23. 18. Quis affuit in consilio Domini?* Secundo per hoc quod non est adiuta alieno dono: unde subdit: *Aut quis prior dedit illi*, et per hoc *retribuetur ei*, quasi prius danti? quasi dicat, nullus: non enim potest homo dare Deo nisi quae a Deo accepit: *1. Paral. ult. 14. Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi: Iob 35. 7. Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

Deinde cum dicit, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*, ostendit altitudinem Dei quantum ad hoc quod ex ipso sunt omnia: et primo ostendit eius causalitatem; secundo eius dignitatem, ibi, *Ipsi honor, et gloria;* tertio eius perpetuitatem, ibi, *In saecula saeculorum. Amen.* Dicit ergo primo: Recte dixi quod nullus prior dedit illi: *quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia;* et ita nihil potest esse nisi a Deo acceptum. Ad designandum autem Dei causalitatem utitur tribus praepositionibus, quae sunt, *ex, per,* et *in.* Haec autem praepositio *ex* denotat principium motus; et hoc tripliciter: primo quidem ipsum principium agens, vel movens; alio modo ipsam materiam; tertio modo ipsum contrarium oppositum, quod est terminus a quo incipit motus: dicimus enim, cultellum fieri ex fabro, et ex ferro, et ex infigurato. Universitas autem creaturarum non est facta ex praeexistenti materia, et ipsa materia est effectus Dei. Et secundum hoc omnia creata non dicuntur ex aliquo esse, sed sicut ex opposito dicuntur esse ex nihilo: quia nihil erant antequam crearentur ut essent: *Sap. 2. 2. Ex nihilo nati sumus.* Ex Deo autem sunt omnia sicut ex primo agente: *1. Corinth. 11. 12. Omnia autem ex Deo.*

Notandum tamen, quod haec praepositio *de* easdem habitudines designare videtur, hoc tamen superaddit, quia semper designat causam consubstantialem: dicimus enim cultellum esse de ferro, non autem de artifice. Quia igitur Filius procedit a Patre, ut ei consubstantialis, dicimus Filium esse de Patre. Creaturae vero non procedunt a Deo tamquam ei consubstantiales: unde non dicuntur esse de ipso, sed solum ex ipso. Haec autem praepositio *per* designat causam operationis. Sed quia operatio est medium inter faciens et factum, dupliciter haec praepositio *per* potest operationis causam designare. Uno modo secundum quod operatio exit ab operante; sicut aliquid dicitur per se operari quod est sibi causa ut operetur. Hoc autem est uno quidem modo forma; sicut dicimus, quod ignis calefacit per calorem. Alio modo aliquid superius agens; puta si dicamus, quod homo generat per virtutem solis, vel potius Dei. Sic igitur omnia dicuntur dupliciter esse *per ipsum.* Uno modo sicut per primum agens, cuius virtute omnia alia agunt: *Prov. 8. 15. Per me reges regnant:* alio modo inquantum eius sapientia, quae est eius essentia, est forma per quam Deus omnia fecit, secundum illud *Proverb. 3. 19. Dominus sapientia fundavit terram.* Alio vero modo haec praepositio *per* designat causam operationis; non quidem secundum quod exit ab operante, sed secundum quod terminatur ad opera, sicut dicimus, quod faber fecit cultellum per martellum: quod non est sic intelligendum, quod martellus sic cum fabro operetur, sicut in prioribus intelligebatur; sed quia cultellus fit ex operatione fabri per martellum. Et ideo dicitur quod haec praepositio *per* quandoque designat auctoritatem in recto, sicut cum dicimus, Rex operatur per balivum, quod pertinet ad hoc quod nunc dicitur; quandoque autem in causali, sicut cum dicitur, Balivus per Regem operatur, quod pertinet ad praecedentem modum. Hoc autem modo, de quo nunc loquimur, dicuntur omnia esse facta a Patre per Filium, secundum illud *Ioan. 1. 3. Omnia per ipsum facta sunt:* non ita quod Pater habeat a Filio hoc quod facit res, sed potius quia virtutem faciendi Filius accipit a Patre; non tamen instrumentalem, aut diminutam, aut aliam, sed principalem, et aequalem, et eamdem: *Ioan. 5. 19. Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Unde licet omnia sint facta a Patre per Filium; non tamen Filius est instrumentum, vel minister Patris. Haec autem praepositio *in* designat etiam triplicem habitudinem causae. Uno quidem modo designat materiam, sicut dicimus, animam esse in corpore, et formam in materia; hoc autem modo non dicitur, quod omnia sint in Deo, quia ipse non est causa materialis rerum. Alio modo designat habitu-

dinem causae efficientis, in cuius potestate est effectus suos disponere; et secundum hoc dicuntur omnia esse in ipso, secundum quod omnia in eius potestate, et dispositione consistunt, secundum illud *Psal. 94. 4. In manu eius sunt omnes fines terrae:* et *Act. 17. 28. In ipso vivimus, movemur, et sumus.* Tertio modo designat habitudinem causae finalis, secundum quod totum bonum rei, et conservatio ipsius consistit in suo optimo; et secundum hoc dicuntur omnia esse in Deo, sicut in bonitate conservante: *Col. 1. 17. Et omnia in ipso constant.* Quod autem dicit, *Omnia,* est absolute accipiendum pro omnibus quae habent verum esse. Peccata autem non habent verum esse; sed inquantum sunt peccata, dicuntur per defectum alicuius entis: eo quod malum nihil est, nisi privatio boni. Et ideo cum dicitur, *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia,* non est intelligendum de peccatis, quia secundum Augustinum *in Psal. 57,* et *Lib. 1. Conf. cap. 16.* peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Quicquid tamen entitatis est in peccato, totum est a Deo. Sic igitur secundum praemissa, omnia sunt *ex ipso,* scilicet Deo, sicut ex prima operatrice potentia; omnia autem sunt *per ipsum,* inquantum omnia facit per suam sapientiam; omnia sunt *in ipso,* sicut in bonitate conservante. Haec autem tria, scilicet potentia, sapientia, et bonitas, communia sunt tribus personis: unde hoc quod dicitur, *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso*, potest attribui cuilibet trium personarum; sed tamen potentia, quae habet rationem principii, appropriatur Patri, qui est principium totius divinitatis; sapientia Filio, qui procedit ut Verbum, quod nihil aliud est quam sapientia genita; bonitas appropriatur Spiritui sancto, qui procedit ut amor, cuius obiectum est bonitas. Et ideo appropriando dicere possumus, *Ex ipso,* scilicet ex Patre, *per ipsum,* scilicet per Filium, *in ipso,* scilicet in Spiritu sancto, *omnia sunt.*

Deinde cum dicit, *Ipsi honor, et gloria*, ostendit Dei dignitatem, quae consistit in duobus, quae praemissa sunt: nam ex eo quod *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia,* debetur ei honor, et reverentia, et subiectio a tota creatura: *Malach. 1. 6. Si ego pater, ubi est honor meus?* Ex eo vero quod ab alio non accepit nec consilium, nec donum, debetur ei gloria: sicut e contrario dicitur homini *1. Corinth. 4. 7. Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quia hoc est proprium Dei, dicitur *Isai. 42. 8. Gloriam meam alteri non dabo.* Ultimo ponit eius aeternitatem, cum dicit, *In saecula saeculorum:* quia eius gloria non est transitoria, sicut gloria hominis de qua dicitur *Isa. 40. 6. Omnis gloria eius quasi flos agri,* sed durat *in saecula saeculorum,* idest per omnia saecula succedentia saeculis, prout saeculum dicitur duratio uniuscuiusque rei. Vel *saecula saeculorum* dicuntur saecula, idest durationes rerum incorruptibilium, quae continent saecula corruptibilium rerum, et praecipue ipsa Dei aeternitas; quae tamen pluraliter dici potest, licet in se sit una et simplex, propter multitudinem, et diversitatem contentorum, ut sit sensus, in saecula contentiva saeculorum: *Psalm. 144. 13. Regnum tuum, regnum omnium saeculorum.* Addit autem ad confirmationem, *Amen:* quasi dicat: Vere ita est. Et sic accipitur in Evangeliis, ubi dicitur, *Amen dico vobis.* Quandoque tamen accipitur pro Fiat: unde in Psalterio Hieronymi dicitur, *Dicet omnis populus, Amen, amen:* ubi nos habemus, *Fiat fiat.*

# CAPITIS DUODECIMI

## LECTIO PRIMA

Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Dico enim per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

Postquam Apostolus ostendit necessitatem, virtutem, et originem gratiae; hic docet gratiae usum, quod pertinet ad instructionem moralem: et circa hoc duo facit. Primo ponit doctrinam moralem in generali; secundo specialiter descendit ad quaedam particularia pertinentia ad eos quibus scribit, circa medium *15. cap.* ibi, *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis.* Circa primum duo facit. Primo docet usum gratiae quantum ad hoc quod sit homo perfectus; secundo quantum ad hoc quod perfectus imperfectum sustineat, *14. cap.* ibi, *Infirmum autem in fide assumite.* Circa primum tria facit. Primo inducit ad perfectionem vitae quantum ad sanctitatem quam homo servat Deo; secundo quantum ad iustitiam quam quis exhibet proximo, *13. cap.* ibi, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* tertio quantum ad puritatem quam homo conservat in seipso, circa finem *13. cap.* ibi, *Et hoc scientes tempus.* Circa primum duo facit. Primo monet ut homo se exhibeat Deo sanctum; secundo docet qualiter aliquis uti debeat donis gratiae Dei, quibus sanctificatur, ibi, *Dico enim per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos.* Circa primum duo facit. Primo docet qualiter aliquis se debeat exhibere Deo quantum ad corpus; secundo quantum ad animam, ibi, *Et nolite conformari huic saeculo.* Circa primum duo facit. Primo inducit observantiam eorum quae docentur; et hoc dupliciter. Uno quidem modo ex parte sui ipsius, cum dicit: *Obsecro itaque vos fratres;* quasi dicat: Dictum est incomprehensibilia esse iudicia Dei, et investigabiles vias eius. Itaque *obsecro vos fratres,* ut scilicet observetis ea quae dicentur. Utitur autem obsecratione propter tria. Primo quidem ad demonstrandam suam humilitatem: *Prov. 18. 23. Cum obsecrationibus loquitur pauper:* qui scilicet de sua abundantia non confidit et ideo non ex eo quod suum est, sed ex eo quod Dei est, homines conatur inducere ad bonum: nam obsecrare est ob sacra contestari. Secundo ut magis ex amore moveat rogando, quam ex timore auctoritative imperando. Unde

dicitur *ad Philem. 8. Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro: Gal. ult. 1. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Tertio propter reverentiam Romanorum, quibus scribebat: *1. Tim. 5. 1. Seniorem non increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Alio modo inducit eos ex parte Dei, cum dicit, *Per misericordiam Dei*, per quam scilicet salvati estis: *Tit. 2. 5. Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ideo ex consideratione divinae misericordiae debemus facere quod monemur: *Matth. 18. 33. Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Vel potest dici: *Per misericordiam Dei*, idest auctoritate Apostolatus mihi misericorditer commissi: *1. Cor. 7. 25. Misericordiam consequutus sum a Domino, ut sim fidelis.* Secundo ponit admonitionem, cum dicit: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.*

Circa quod sciendum est, quod, sicut Augustinus dicit *10. de Civit. Dei cap. 5. visibile sacrificium, quod exterius Deo offertur, signum est invisibilis sacrificii, quo quis se, et sua in Dei obsequium exhibet.* Habet autem homo triplex bonum. Primo quidem bonum animae, quod exhibet Deo per devotionis, et contritionis humilitatem, secundum illud *Psal. 50. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Secundo habet homo exteriora bona, quae exhibet Deo per eleemosynarum largitionem: unde dicitur *Hebr. ult. 16. Beneficentiae, et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Tertio habet homo bonum proprii corporis; et quantum ad hoc dicit: *Ut exhibeatis*, scilicet Deo, *corpora vestra*, sicut quamdam spiritualem hostiam. Dicebatur autem animal Deo immolatum hostia, vel quia pro victoria hostium offerebatur, seu pro securitate ab hostibus; vel quia ad ostium tabernaculi immolabatur. Exhibet autem homo Deo corpus suum ut hostiam tripliciter. Uno quidem modo quando aliquis corpus suum exponit passioni, et morti propter Deum, sicut dicitur de Christo *Ephes. 5. 2. Tradidit semetipsum oblationem, et hostiam Deo:* et Apostolus dicit de se *Phil. 2. 17. Si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestrae, gaudeo.* Secundo per hoc quod homo corpus suum ieiuniis, et vigiliis macerat ad serviendum Deo, secundum illud *1. Corinth. 9. 27. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Tertio per hoc quod homo corpus suum exhibet ad opera iustitiae, et divini cultus exequenda: *Supra 6. 19. Exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.*

Est autem considerandum, quod hostia quae Deo immolabatur, quatuor habebat. Primo namque ipsa oblatio debebat esse integra, et incorrupta: unde dicitur *Malach. 1. 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino.* Et propter hoc dicit, *Viventem*, ut scilicet hostia nostri corporis, quam Deo offerimus, sit vivens per fidem formatam caritate: *Gal. 2. 20. Quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Est autem attendendum, quod materialis hostia, quae prius viva erat, occidebatur ut immolaretur, ad ostendendum quod adhuc mors regnabat in homine, regnante peccato, ut *supra 5.* dictum est. Sed haec hostia spiritualis semper vivit, et in vita proficit, secundum illud *Ioan. 10. 10. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant:* quia iam peccatum ablatum est per Christum: nisi dicamus, quod hostia corporis nostri vivit quidem Deo per iustitiam fidei, sed mortificatur concupiscentiis carnis: *Colos. 3. 5. Mortificate membra vestra quae sunt super terram.* Secundo vero hostia Deo oblata in ipsa immolatione sanctificabatur: unde dicitur *Lev. 22. 3. Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et ideo subdit, *Sanctam*, scilicet per devotionem, qua corpus nostrum Dei servitio mancipatur: *Lev. 20. 7. Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sanctus Dominus Deus vester.* Proprie autem sanctitas dicitur per respectum ad Deum, inquantum scilicet homo servat ea quae sunt iusta quoad Deum. Tertio quantum ad ipsam sacrificii consumptionem dicebatur sacrificium suave, et acceptum Domino, secundum illud *Lev. 1. 13. Oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum et in odorem suavissimum Domino.* Unde hic dicit, *Deo placentem*, scilicet per rectitudinem intentionis: *Psal. 55. 14. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Quarto in ipsa sacrificii praeparatione apponebatur sal: unde *Lev. 2. 13. Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies:* et *Marc. 9. 8.* dicitur: *Omnis victima sale salietur.* Sal autem discretionem sapientiae significat: unde dicitur *Coloss. ult. 5. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. Sermo vester semper in gratia sit sale conditus.* Unde et hic sequitur: *Rationabile obsequium vestrum*, scilicet cum discretione corpora vestra Deo exhibeatis hostiam vel per martyrium, vel per abstinentiam, vel per quodcumque opus iustitiae: *1. Corinth. 14. 40. Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis:* et *in Psalm. 98. 3. Honor Regis iudicium diligit.*

Aliter se habet homo iustus ad interiores actus, quibus Deo obsequitur, et ad exteriores: nam bonum hominis, et iustitia eius principaliter in interioribus actibus consistit, quibus scilicet homo credit, sperat, et diligit: unde dicitur *Luc. 17. 21. Regnum Dei intra vos est:* non autem principaliter consistit in exterioribus actibus: *Infra 14. 17. Non est regnum Dei esca, et potus.* Unde interiores actus se habent per modum finis, qui secundum se quaeritur; exteriores vero actus, ad quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea quae sunt ad finem. In eo autem quod quaeritur tamquam finis, nulla mensura adhibetur; sed quanto maius fuerit, tanto melius se habet: in eo autem quod quaeritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem; sicut medicus sanitatem facit quantum potest, medicinam autem non tantum dat quantum potest, sed quantum videt expedire ad sanitatem consequendam. Et similiter homo in fide, in spe, et in caritate nullam mensuram debet adhibere, sed quanto plus credit, sperat, et diligit, tanto melius est: propter quod dicitur *Deuter. 6, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Sed in exterioribus actibus est adhibenda discretionis mensura per comparationem ad caritatem: unde dicit Hieronymus *epist. ad Rustic. et ad Roman. Nonne rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium, vel vigilias praefert sensus integritati, ut propter Psalmorum, atque officiorum decan-*

*tationem, amentiae, vel tristitiae quis notam incurrat.*

Deinde cum dicit, *Et nolite conformari huic saeculo*, ostendit qualiter se debeat homo exhibere Deo quantum ad animam : et primo prohibet saeculi conformitatem, cum dicit, *Et nolite conformari huic saeculo*, idest rebus quae temporaliter transeunt: nam saeculum praesens est quaedam mensura eorum quae temporaliter labuntur. Rebus autem temporalibus homo conformatur per affectum, eis amore inhaerendo: *Osee 9. 10. Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt: Iac. 1. 27. Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est, immaculatum se custodire ab hoc saeculo.* Conformatur etiam huic saeculo qui vitam saeculariter viventium imitatur: *Ephes. 4. 17. Testificor in Domino, ut iam non amplius ambuletis, sicut et Gentes ambulant.* Secundo mandat interiorem mentis reformationem, cum dicit : *Sed reformamini in novitate sensus vestri.* Sensus autem hominis hic dicitur ratio, secundum quod per eam homo iudicat de agendis. Hunc autem sensum homo in sua creatione habuit integrum, et vigentem: unde dicitur *Eccli. 17. 6. Sensu implevit corda illorum, et bona, et mala ostendit illis.* Sed per peccatum hic sensus est corruptus, et quasi inveteratus : *Baruch 3. 11. Inveterasti in terra aliena :* et per consequens pulchritudinem, et decorem suum amisit : *Thren. 1. 6. Egressus est a filia Sion omnis decor eius.* Monet ergo Apostolus ut reformemur, idest iterato formam, et decorem mentis assumamus, quem nostra mens habuit : quod quidem fit per gratiam Spiritus sancti, ad quam participandam homo studium habere debet ; ita scilicet ut qui eam nondum perceperunt, eam percipiant; et qui illam perceperunt, in ea proficiant : *Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestrae : Psalm. 102. 5. Renovabitur ut aquilae iuventus tua.* Vel aliter. *Reformamini*, scilicet in exterioribus actibus, *in novitate sensus vestri*, idest secundum novitatem gratiae, quam mente percepistis. Tertio assignat rationem admonitionis praedictae, cum dicit : *Ut probetis quae sit voluntas Dei.* Circa quod considerandum est, quod sicut homo qui habet gustum infectum, non habet rectum iudicium de saporibus ; sed ea quae sunt suavia, interdum abominatur, ea vero quae sunt abominabilia, appetit; qui autem habet gustum sanum, rectum iudicium de saporibus habet : ita homo qui habet corruptum affectum, quasi conformatum rebus saecularibus, non habet rectum iudicium de bono; sed ille qui habet sanum affectum, sensu eius innovato per gratiam, rectum iudicium habet de bono. Ideo ergo dixit: *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis*, idest experimento cognoscatis : *Psal. 33. 9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: quae sit voluntas Dei*, qua scilicet vult vos esse salvos: *1. Thess. 4. 3. Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra: bona*, idest qua vult bonum honestum nos velle, et ad hoc suis praeceptis nos inducit: *Mich. 6. 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum; et quid Deus requirat a te: et beneplacens*, inquantum scilicet bene disposito est delectabile id quod Deus vult nos velle: *Psalm. 18. 9. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda:* et non tantum utilis ad finem consequendum, sed etiam *perfecta*, quasi coniungens nos fini : *Matth. 5. 48. Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est : Genes. 17. 1. Ambula coram me, et esto perfectus.* Talem ergo experiuntur Dei voluntatem illi qui non conformantur huic saeculo, sed reformantur in novitate sensus sui ; illi autem qui in vetustate permanent, saeculo conformati, iudicant Dei voluntatem non esse bonam, sed gravem, et inutilem : *Eccli. 6. 21. Quam aspera est sapientia indoctis hominibus.*

Deinde cum dicit, *Dico enim per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos*, docet qualiter donis Dei homo debeat uti: et primo docet hoc quantum ad dona quae non sunt omnibus communia, sicut sunt gratiae gratis datae; secundo quantum ad donum caritatis, quod est omnibus commune, ibi, *Dilectio sine simulatione etc.* Circa primum duo facit. Primo docet in generali quomodo debeat homo uti gratiis gratis datis; secundo exequitur hoc per partes, ibi, *Habentes autem donationes.* Circa primum duo facit. Primo proponit documentum; secundo rationem assignat, ibi, *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus.* Circa primum tria facit. Primo excludit superfluum, dicens : Monui quod reformemini in novitate sensus vestri, quod quidem moderate facere debetis : *dico enim*, idest mando *per gratiam* Apostolatus, et auctoritate apostolica, *quae data est mihi: Gal. 2. 9. Cum cognovissent gratiam quae data est mihi inter Gentes : Ephes. 3. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in Gentibus evangelizare divitias Christi. Omnibus qui sunt inter vos:* quia omnibus est hoc utile : *1. Corinth. 7. 7. Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Hoc, inquam, mando: *Non plus sapere quam oportet sapere*, idest nullus praesumat de sensu, aut sapientia sua, confidens supra suam mensuram: *Eccle. 7. 17. Non plus sapias quam necesse est: Psalm. 130. 2. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Secundo hortatur ad id quod est medium, dicens: *Sed sapere ad sobrietatem*, scilicet mando vobis ut mensurate sapiatis, secundum gratiam vobis datam : sobrietas enim mensuram importat; et quamvis proprie dicatur circa potum vini, potest tamen accipi circa quamlibet materiam, in qua homo debitam mensuram observat : *Tit. 2. 12. Sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo.* Tertio docet secundum quid accipienda sit mensura medii, dicens : Et hoc, inquam, *sicut Deus unicuique divisit*, idest distribuit, *mensuram fidei*, idest mensuram donorum suorum, quae ordinatur ad fidei aedificationem: *1. Corinth. 12. 7. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Dat enim Deus huiusmodi dona, non eadem omnibus, sed diversa diversis distribuit, secundum illud *1. Corinth. 12. 4. Divisiones gratiarum sunt.* Nec omnibus aequaliter dat, sed unicuique secundum certam mensuram : *Ephes. 4. 7. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et ideo Apostolus sobrie sapiens, secundum hanc mensuram dicebat *2. Corinth. 10. 13. Non autem in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulae qua mensus est nobis Deus.* Soli autem Christo datus est Spiritus non ad mensuram, ut dicitur *Ioan. 3.* Non solum autem alias gratias gratis datas dat Deus mensurate, sed etiam ipsam fidem, quae per dilectionem operatur : unde *Luc. 17. 5.* discipuli Christo dixerunt: *Domine adauge nobis fidem.*

## LECTIO II.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quae data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando; qui tribuit, in simplicitate; qui praeest, in solicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhaerentes bono, caritatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes, solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.

Praemissa admonitione, hic Apostolus rationem assignat sumptam ex similitudine corporis mystici ad corpus naturale: et primo in corpore naturali tangit tria. Primo quidem corporis unitatem, cum dicit, *Sicut enim in uno corpore;* secundo membrorum pluralitatem, cum dicit, *Multa membra habemus:* est enim corpus humanum organicum ex diversitate membrorum constitutum; tertio officiorum diversitatem, cum dicit: *Omnia autem membra non eumdem actum habent:* frustra enim esset membrorum diversitas, nisi ad diversos actus ordinarentur. Deinde aptat haec tria ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia: *Ephes. 1. 22. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius.* Circa quod etiam tria tangit. Primo quidem fidelium quasi membrorum multitudinem, cum dicit: *Ita multi unum corpus sumus in Christo: Luc. 14. 16. Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos: Isa. 54. 1. Multi filii desertae.* Quamvis enim sint pauci per comparationem ad infructuosam multitudinem damnatorum, secundum illud *Matth. 7. 14. Arcta est via quae ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam;* tamen absolute loquendo sunt multi: *Apoc. 7. 9. Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Secundo tangit corporis mystici unitatem, cum dicit, *Unum corpus sumus: Ephes. 2. 16. Ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Huius autem corporis mystici est unitas spiritualis, per quam fide, et affectu caritatis invicem unimur, et Deo, secundum illud *Ephes. 4. 4. Unum corpus, et unus spiritus.* Et quia spiritus unitatis a Christo in nos derivatur, *supra 8. 9. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius;* ideo subdit, *In Christo,* qui per spiritum suum, quem dat nobis, nos invicem unit, et Deo: *Ioan. 17. 22. Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Tertio tangit officiorum diversitatem ad utilitatem communem reductam, dicens: *Singuli autem alter alterius membra.* Membrorum enim quodlibet proprium actum habet, et virtutem. Inquantum ergo unum membrum sua virtute, et actu alteri prodest, dicitur membrum alterius; sicut pes dicitur membrum oculi, inquantum oculum defert, et oculus dicitur membrum pedis, inquantum dirigit pedem: *1. Cor. 12. 21. Non potest dicere oculus manui, Opera tua non indigeo.* Ita etiam in corpore mystico ille qui accepit gratiam prophetiae, indiget illo qui accepit gratiam sanitatum; et ita est in omnibus aliis. Unde dum unusquisque fidelis secundum gratiam sibi datam alteri servit, efficitur alterius membrum: *Galat. ultim. 2. Alter alterius onera portate: 1. Pet. 4. 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.*

Deinde cum dicit, *Habentes autem donationes*, sequitur per partes monitionem, quam supra posuerat de sobrio, et moderato gratiae usu; et primo ponit gratiarum diversitatem, dicens: Sumus, inquam, *alter alterius membra*, non secundum eamdem gratiam, sed *habentes* diversas *donationes*, differentes, non ex diversitate meritorum, sed *secundum gratiam quae data est nobis: 1. Cor. 7. 7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo: unus quidem sic, alius vero sic: Matth. 25. 14. Vocavit servos suos et tradidit illis bona sua; et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* Secundo docet diversarum gratiarum usum: et primo in rebus divinis quantum ad cognitionem quidem dicens, *Sive prophetiam*, quam habentes utamur ea secundum rationem fidei. Dicitur autem prophetia quaedam apparitio ex revelatione divina eorum quae sunt procul: unde *1. Reg. 9. 9.* dicitur: *Qui Propheta hodie dicitur, vocabatur olim Videns.* Sunt autem procul a cognitione nostra, secundum se quidem futura contingentia, quae propter defectum sui esse cognoscibilia non sunt; sed res divinae sunt procul a nostra cognitione, non secundum se, cum sint maxime cognoscibiles: quia, ut dicitur *1. Ioan. 1. 5. Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;* sed propter defectum intellectus nostri, qui se habet ad ea quae sunt in seipsis manifestissima, sicut oculus noctuae ad lucem solis. Et quia unumquodque magis proprie dicitur tale quod est secundum se tale, quam quod est tale secundum aliud; inde est quod magis proprie dicuntur esse procul a cognitione nostra futura contingentia: et propter hoc horum proprie est prophetia: *Amos 3. 7. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Dicitur tamen prophetia communiter etiam revelatio quorumcumque occultorum. Hoc autem donum prophetiae non solum fuit in veteri testamento, sed etiam in novo: *Ioel. 2. 28. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri.* Dicuntur etiam Prophetae in novo testamento qui prophetica dicta exponunt: quia sacra Scriptura eodem Spiritu interpretatur quo est condita: *Eccli. 24. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam.* Ordinatur autem prophetiae donum, sicut et aliae gratiae gratis datae, ad fidei aedificationem: *1. Corinth. 12. 7. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: Hebr. 2. 4. Confirmata est,* scilicet doctrina fidei, *contestante Deo signis, et prodigiis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus.* Et ideo prophetia est utendum *secundum rationem fidei,* idest non in vanum, sed ut per hoc fides confirmetur; non autem contra fidem. Unde dicitur: *Deut. 13. 1. Si surrexerit*

*in medio tui Propheta, et dixerit tibi, Eamus, et sequamur deos alienos, non audies verba Prophetae illius:* quia scilicet prophetizat contra rationem fidei. Quantum ad sacramenta ministranda subdit: *Sive ministerium in ministrando*, idest si quis accepit gratiam, vel officium ministerii, puta ut sit Episcopus, vel Sacerdos, qui dicuntur ministri Dei: *Isa. 61. 6. Vos Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis:* exequatur illud, diligenter exequendo in ministrando: *2. Timoth. 4. 5. Ministerium tuum imple.* Secundo tangit ea quae pertinent ad res humanas, in quibus potest aliquis alteri subvenire. Primo quidem quantum ad cognitionem vel speculativam, vel practicam. Quantum ergo ad speculativam primo dicit: *Sive qui docet*, idest qui habet officium, vel gratiam docendi, utatur *in doctrina*, idest ut studiose, et fideliter doceat: *Iob 4. 3. Ecce docuisti plurimos: Matth. ult. 19. Euntes docete omnes gentes.* Quantum autem ad cognitionem practicam subdit: *Qui exhortatur*, idest qui habet officium, vel gratiam exhortandi homines ad bonum, utatur illo *in exhortando: 1. Thess. 2. 3. Exhortatio nostra non fuit de errore, neque de immunditia, neque in dolo: Tit. 2. 15. Haec loquere, et exhortare.* Deinde ponit ea quae pertinent ad exteriora opera, in quibus quandoque aliquis subvenit alicui aliquod donum dando; et quantum ad hoc dicit: *Qui tribuit*, idest qui habet facultatem tribuendi, et gratiam, exequatur hoc *in simplicitate*, ut scilicet nihil mali ex illo intendat, quasi donis homines ad malum alliciens: vel etiam cum aliquis ex modico dato intendit multo maiora acquirere: *Eccli. 20. 14. Datum insipientis non erit tibi utile: oculi enim illius septemplices sunt: exigua dabit, et multa improperabit:* et *Proverb. 2. 3. Simplicitas iustorum diriget eos.* Quandoque autem aliquis subvenit alteri eius curam habendo; et quantum ad hoc dicit: *Qui praest*, idest qui est in praelationis officio constitutus, utatur illo officio *in solicitudine: Hebr. ultim. 17. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris: 2. Corinth. 2. 28. Solicitudo omnium Ecclesiarum.* Quandoque autem subvenit aliquis alicui revelando eius miseriam; et quantum ad hoc dicit: *Qui miseretur*, idest qui habet facultatem, et affectum miserendi, exequatur hoc *in hilaritate*, quasi libenter hoc faciens: *2. Corinth. 9. 7. Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus: Eccli. 35. 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum.*

Deinde cum dicit, *Dilectio sine simulatione etc.* docet usum doni gratuiti, quod est omnibus commune, scilicet caritatis: et primo ponit ea quae pertinent ad caritatem in generali; secundo ponit quaedam specialiter pertinentia ad dilectionem quorumdam, ibi, *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Circa primum tria facit. Primo ostendit qualis debeat esse dilectio caritatis ex parte diligentis; secundo qualiter se debeat habere ad proximum, ibi, *Caritatem fraternitatis;* tertio qualiter se debeat habere ad Deum, ibi, *Solicitudine non pigri.* Circa qualitatem autem caritatis tria docet. Primo quod dilectio debet esse vera: unde dicit, *Dilectio sine simulatione*, ut scilicet non tantum in verbo, aut in exteriori apparentia, sed sit in vero cordis affectu, et efficacia operis: *1. Ioan. 3. 18. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate: Eccli. 6. 15. Amico fideli nulla est comparatio.* Secundo docet quod dilectio debet esse pura, cum dicit, *Odientes malum.* Tunc enim est pura dilectio, quando homo non consentit amico suo in malum, sed ita diligit hominem ut eius vitium odiat: unde dicitur: *1. Corinth. 12. 6. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Psal. 118. 113. Iniquos odio habui.* Tertio docet quod dilectio debet esse honesta, cum dicit, *Adhaerens bono*, ut scilicet aliquis adhaereat alteri propter bonum virtutis: *Galat. 4. 18. Bonum autem aemulamini in bono semper.* Haec est pulchra dilectio, de qua dicitur *Eccli. 24. 24. Ego mater pulchrae dilectionis.* Deinde cum dicit, *Caritatem fraternitatis*, ostendit qualiter caritas se debet habere ad proximum: et primo quantum ad interiorem affectum, cum dicit: *Caritatem fraternitatis invicem diligentes:* ut scilicet non solum fratres diligamus per caritatem, sed etiam diligamus ipsam caritatem, qua eos diligimus, et ab eis diligimur: sic enim si caram habemus caritatem, non de facili eam dissolvi faciemus: *Hebr. ult. 1. Caritas fraternitatis maneat in vobis: Cantic. ult. 7. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, tamquam nihil despiciet illam.* Secundo quantum ad exteriorem effectum, cum dicit: *Honore invicem praevenientes:* in quo tria designantur. Primo quidem quod homo proximum in reverentia debet habere, quod pertinet ad rationem honoris: nullus enim potest vere diligere eum quem despicit: *Phil. 2. 3. In humilitate superiores invicem arbitrantes.* Quod quidem fit dum aliquis suum defectum considerat, et bonum proximi. In honore autem non solum reverentia intelligitur, sed etiam necessariorum subventio; sicut cum dicitur *Exod. 20. 12. Honora patrem tuum, et matrem tuam*, praecipitur necessariorum subventio; sicut patet per hoc quod Dominus *Matt. 3.* arguit pharisaeos contra hoc praeceptum impedientes filios a subventione parentum. Secundo designatur quod effectus dilectionis debet mutuo exhiberi, ut scilicet homo non solum velit beneficia recipere, sed etiam exhibere: *Eccli. 4. 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta:* et *14. 16. In divisione sortis da, et accipe.* Et hoc designat cum dicit, *Invicem.* Tertio designatur quod effectus dilectionis debet esse promptus, et velox; quod designatur cum dicit, *Praevenientes*, ut scilicet aliquis praeveniat amicum in beneficiis: *Eccli. 57. 1. Omnis amicus dicit: Et ego amicitiam copulavi.* Deinde cum dicit, *Solicitudine non pigri*, ostendit qualiter se debeat habere dilectio caritatis ad Deum: et primo incipit ab ipsa rationis attentione, cum dicit: *Solicitudine* sitis *non pigri*, scilicet ad serviendum Deo: *Mich. 6. 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te;* postea subdit *ibid. Solicite ambulare cum Deo tuo: 2. Timoth. 2. 15. Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo.* Secundo quantum ad effectum, cum dicit: *Spiritu* sitis *ferventes*, scilicet in Dei dilectione. Procedit autem fervor ex abundantia caloris. Unde fervor spiritus dicitur, quia propter abundantiam divinae dilectionis totus homo fervet in Deum: *Act. 18.* dicitur, quod Apollo fervens spiritu loquebatur: *1. Thess. ult. 19. Spiritum nolite extinguere.* Tertio quantum ad exterius obsequium, cum dicit, *Domino ser-*

*vientes*, scilicet servitute latriae, quae soli Deo debetur: *Deut. 6. 13. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies: Psal. 2. 11. Servite Domino in timore.* Vel secundum aliam litteram, *Tempori servientes*, ut scilicet Dei servitium congruo tempore faciamus: *Eccle. 8. 6. Omni negotio tempus est, et opportunitas.* Quarto quantum ad mercedem servitutis, cum dicit, *Spe gaudentes*, scilicet mercedis, quae est Dei fruitio: *Gen. 15. 1. Ego Dominus merces tua magna nimis: Supra 5. 2. Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Facit autem spes hominem gaudentem ratione certitudinis, sed tamen affligit ratione dilationis: *Prov. 13. 12. Spes quae differtur, affligit animam.* Quinto quantum ad difficultatem, quam homo patitur in Dei servitio: unde subdit: *In tribulatione*, scilicet quam propter Deum sustinetis, sitis *patientes: Supra 5. 3. Tribulatio patientiam operatur.* Sexto quantum ad omnia praedicta dicit, *Orationi instantes;* in quo orationis assiduitas designatur: *Luc. 8. 1. Oportet semper orare, et numquam deficere: 1. Thess. 5. 17. Sine intermissione orate.* Per orationem enim in nobis solicitudo excitatur, fervor accenditur, ad Dei servitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, et auxilium in tribulatione promeremur: *Psal. 119. 1. Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.*

Deinde cum dicit, *Necessitatibus sanctorum communicantes*, determinat de caritate quantum ad speciales quasdam personas: et primo quidem quantum ad indigentes; secundo quantum ad inimicos, ibi, *Benedicite persequentibus vos.* Circa primum duo facit. Primo inducit ad exhibenda beneficia caritatis indigentibus in universali, cum dicit: *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Ubi tria sunt notanda. Primo quidem quod eleemosynae ex caritate sunt impendendae indigentibus, sive necessitatem patientibus: *Ephes 4. 28. Laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Secundo quod potius est subveniendum iustis, et sanctis, quam aliis: unde dicit, *Necessitatibus sanctorum: Eccli. 12. 5. Da iusto, et non recipias peccatorem.* Quod quidem non sic est intelligendum, quin etiam in necessitatibus sit peccatoribus subveniendum; sed quia non est eis subveniendum ad fomentum peccati: utilius tamen est subvenire iustis, quia talis eleemosyna fructuosa est non solum ex parte dantis, sed etiam ex suffragio recipientis: *Luc. 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*, scilicet suis suffragiis. Secundo in speciali admonet ad hospitalitatem, dicens, *Hospitalitatem sectantes*, quia scilicet in hoc misericordiae opere alia misericordiae opera includuntur: nam hospes non solum domum exhibet ad manendum, sed etiam alia necessaria subministrat: *Hebr. ult. 2. Hospitalitatem nolite oblivisci: 1. Petr. 4. 9. Hospitales invicem sine murmuratione.*

## LECTIO III.

Benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae: scriptum est enim: Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Supra Apostolus ostendit qualiter caritas sit exhibenda indigentibus; nunc ostendit qualiter sit exhibenda etiam inimicis: et primo ponit admonitionem; secundo probat quod dixit, ibi, *Scriptum est enim etc.* Circa primum considerandum est, quod ad caritatem tria pertinent. Primo quidem benevolentia, quae consistit in hoc quod aliquis velit bonum alteri, et malum eius nolit; secundo concordia, quae consistit in hoc quod amicorum sit idem nolle, et velle; tertio beneficentia, quae consistit in hoc quod aliquis benefaciat ei quem amat, et eum non laedat. Primo ergo ponit ea quae pertinent ad benevolentiam; secundo ea quae pertinent ad concordiam, ibi, *Gaudere cum gaudentibus;* tertio ea quae pertinent ad beneficentiam, ibi, *Nulli malum pro malo reddentes.* Circa primum duo facit. Primo monet ut benevolentia sit ampla, quae se extendat etiam ad inimicos, cum dicit: *Benedicite persequentibus vos.*

Circa quod notandum est, quod benedicere est bonum dicere. Contingit autem bonum dicere tripliciter. Uno modo enuntiando, puta cum quis bonum alterius laudat: *Eccli. 31. 28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, et testimonium veritatis illius fidele.* Alio modo imperando; et sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cuius imperio bonum ad creaturas derivatur; ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum invocant: *Num. 6. 23. Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem:* et post 27. *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Tertio benedicit aliquis optando: *Psal. 128. 8. Et non dixerunt qui praeteribant: Benedictio Domini super vos.* Et secundum hoc benedicere est bonum alicui velle, et quasi bonum pro aliquo precari: et hoc modo accipitur hic: unde in hoc quod dicitur, *Benedicite persequentibus vos*, datur intelligi quod etiam ad inimicos, et persecutores debemus esse benevoli, eis bona optando, et pro eis orando: *Matth. 5. 44. Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*

Quod autem hic dicitur, quodam quidem modo est in praecepto, quodam autem modo est in consilio: quod enim aliquis in generali dilectionis affectum impendat inimicis, non excludendo eos a communi dilectione proximorum, et a communi oratione quam quis pro fidelibus facit, pertinet ad necessitatem praecepti. Similiter etiam quod aliquis in articulo necessitatis inimico dilectionis effectum particulariter impendat, per-

tinet ad necessitatem praecepti : unde dicitur *Exod. 23. 4. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reducas eum.* Sed quod aliquis in speciali dilectionis effectum, et orationis suffragium, aut qualecumque subventionis beneficium exhibeat inimico, interdum etiam extra articulum manifestae necessitatis, pertinet ad perfectionem consiliorum : quia per hoc ostenditur tam perfecta caritas hominis ad Deum, quod omne humanum odium superet. Ille autem qui poenitet, et misericordiam petit, iam non est inter inimicos, aut persecutores computandus ; unde ei absque omni difficultate sunt caritatis indicia ostendenda: *Eccli. 28. 2. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.*

Secundo docet quod benevolentia, sive benedictio, sit pura, idest absque permixtione contrarii; unde dicit : *Benedicite, et nolite maledicere*, idest ita benedicatis quod nullo modo maledicatis : quod est contra quosdam qui ore benedicunt, et corde maledicunt, secundum illud *Psalm. 27. 3. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum:* et etiam contra illos qui quandoque benedicunt, quandoque maledicunt ; vel quibusdam benedicunt, quibusdam maledicunt : *Iac. 3. 10. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio. Non oportet, fratres mei, haec ita fieri: 1. Pet. 3. 9. Non reddentes maledictum pro maledicto.*

Sed contra hoc videtur esse quod in sacra Scriptura plures maledictiones inveniuntur: dicitur enim *Deut. 27. 27. Maledictus qui non permanserit in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.*

Ad quod dicendum est, quod maledicere est malum dicere : quod quidem tripliciter contingit, sicut et benedicere, scilicet enuntiando, imperando, et optando; et secundum quodlibet horum modorum potest bene, et male fieri. Si enim id quod est materialiter malum, dicatur malum, quolibet praedictorum modorum sub ratione boni, non est illicitum : quia hoc est magis benedicere, quam maledicere : unumquodque enim magis iudicatur secundum suam formam quam secundum suam materiam. Si vero aliquis dicat malum sub ratione mali, formaliter maledicit : unde est omnino illicitum. Utrumque autem horum contingit in hoc, quod aliquis enuntiando malum profert : quandoque enim aliquis enuntiat malum alicuius ad notificandum necessariam veritatem ; et sic dicit malum sub ratione veri necessarii, quod est bonum, unde est licitum; et hoc modo *Iob 3.* dicitur, quod Iob maledixit diei suae, enuntians malitiam praesentis vitae, sicut Apostolus dicit *Ephes. 5. 16. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Quandoque autem aliquis enuntiat malum alterius sub ratione mali, scilicet intentione detrahendi ; et hoc est illicitum : dicitur enim *1. Corinth. 6. 10. Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Similiter etiam in eo quod quis dicit malum imperando. Contingit autem quandoque quod aliquis dicit id quod est materialiter malum sub ratione boni ; puta cum ex imperio alicuius provenit alicui malum poenae propter iustitiam ; quod quidem est licitum : et hoc modo transgressores legis maledicuntur, idest poenae secundum iustitiam deputantur. Quandoque vero aliquis imperando dicit malum alterius iniuste, puta propter odium, et vindictam ; et talis maledictio est illicita: *Exod. 21. 17. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et idem est etiam circa id quod aliquis dicit, malum optando. Si enim hoc optet sub ratione boni, puta ut per adversitatem aliquis perveniat ad spiritualem profectum, hoc licitum est : *Iob 5. 3. Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini eius statim.* Si vero hoc homo faciat propter odium, vel vindictam, est omnino illicitum : *1. Reg. 17. 43. Maledixit Philisthaeus David in diis suis.*

Deinde cum dicit, *Gaudere cum gaudentibus*, ponit ea quae pertinent ad concordiam : et primo ponit concordiae documenta; secundo removet impedimenta, ibi, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Concordia autem potest dupliciter attendi. Uno modo quantum ad affectum in bonis et in malis: in bonis quidem, ut aliquis bonis aliorum congaudeat : unde dicit : *Gaudere*, scilicet debetis, *cum gaudentibus : ad Philip. 2. 17. Gaudeo, et congratulor omnibus vobis.* Sed hoc est intelligendum quando quis gaudet de bono. Sunt autem quidam qui gaudent de malo, secundum illud *Proverb. 2. 14. Laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Et istis non est congaudendum : *1. Cor. 13. 6.* dicitur de caritate, quod *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* In malis autem, ut aliquis tristetur de malis alterius : unde subdit : *Flere*, scilicet debetis, *cum flentibus : Iob 30. 25. Flebam quondam super eo qui afflictus erat: Eccli. 7. 38. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Ipsa enim compassio amici condolentis consolationem in tristitiis affert dupliciter. Primo quidem quia ex hoc colligitur efficax amicitiae argumentum: *Eccli. 12. 9. In malitia illius*, idest in infortunio, *amicus cognitus est.* Et hoc ipsum est delectabile, cognoscere aliquem sibi esse verum amicum. Alio modo quia ex hoc ipso quod amicus condolet, videtur se offerre ad simul portandum onus adversitatis, quod tristitiam causat: et quidem levius portatur quod portatur a pluribus, quam ab uno solo. Secundo concordia consistit in unitate sententiae ; et quantum ad hoc dicit : *Idipsum*, idest idem sitis, *invicem sententes*, ut scilicet in eadem sententia conveniatis: *1. Corinth. 1. 10. Sitis perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia: Philip. 2. 2. Eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes.*

Sciendum est tamen, quod duplex est sententia. Una quidem quae pertinet ad iudicium intellectus circa speculabilia; puta circa considerationes geometricas, vel naturales. Dissentire autem in talibus non repugnat amicitiae, vel caritati : quia caritas in voluntate est ; huiusmodi autem iudicia non proveniunt ex voluntate, sed ex necessitate rationis. Alia vero sententia pertinet ad iudicium rationis circa agenda ; et in talibus dissensio amicitiae contrariatur : quia talis dissensio habet contrarietatem voluntatis. Et quia fides non solum est speculativa, sed etiam practica, inquantum per dilectionem operatur, ut dicitur *Gal. 5.* ideo etiam dissentire a recta fide, est contrarium caritati.

Deinde cum dicit, *Non alta sapientes etc.* excludit impedimenta concordiae ; quae quidem sunt duo. Primum est superbia, ex qua contingit quod dum aliquis

inordinate suam excellentiam quaerit, et subiectionem refugit, vult alium subiici, et eius excellentiam impedire; et ex hoc sequitur discordia: *Proverb. 13. 10. Inter superbos semper iurgia sunt.* Et ideo ad hoc removendum dicit: *Non* sitis *alta sapientes*, ut scilicet inordinate vestram excellentiam appetatis: *Supra 2. Noli altum sapere, sed time: Eccli. 3. 22. Altiora te ne quaesieris. Sed* sitis *consentientes humilibus*, idest his quae sunt humilia, idest quae abiecta videntur non recusetis, cum oportuerit: *Psalm. 83. 11. Elegi abiectus esse in domo Dei mei: 1. Pet. ult. 6. Humiliamini sub potenti manu Dei.* Secundum impedimentum concordiae est praesumptio sapientiae, vel etiam prudentiae, ex qua contingit quod aliquis aliorum sententiae non credit: ad quod removendum dicit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, ut scilicet iudicetis solum id esse prudentiae quod vobis videtur: *Isa. 5. 12. Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes: Supra 11. 25. Ut non sitis vobismetipsis sapientes.*

Deinde cum dicit, *Nulli malum pro malo reddentes*, docet illa quae pertinent ad beneficentiam, excludendo contrarium: et primo docet quod non sit alicui malefaciendum ratione vindictae; secundo docet quod non sit alicui malefaciendum ratione defensionis, ibi, *Non vosmetipsos defendentes.* Circa primum tria facit. Primo prohibet vindictam, dicens: *Nulli malum pro malo reddentes*, scilicet sitis: *Psal. 7. 5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: 1. Pet. 3. 9. Non reddentes malum pro malo.* Sed hoc est intelligendum formaliter, sicut supra dictum est de maledicto: prohibemur enim affectu odii, vel vindictae reddere malum pro malo, ita quod in malo alterius delectemur; sed si pro malo culpae, quod quis facit, reddat iudex malum poenae secundum iustitiam ad compensandam malitiam, materialiter quidem infert malum, sed formaliter et per se infert bonum: unde cum iudex suspendit latronem pro homicidio, non reddit malum pro malo, sed magis bonum pro malo. Et hoc modo Apostolus quemdam pro peccato incestus tradidit satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, ut habetur *1. Corinth. 5.* Secundo docet quod etiam bona sint proximis exhibenda, dicens: *Providentes*, scilicet sitis, *bona non tantum coram Deo*, ut scilicet curetis satisfacere conscientiae vestrae coram Deo, *sed etiam coram omnibus hominibus*, ut scilicet ea faciatis quae hominibus placeant: *1. Cor. 10. 32. Sine offensione estote Iudaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei; sicut et ego per omnia omnibus placeo: 2. Corinth. 8. 21. Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hoc tamen contingit et bene, et male fieri: si enim hoc fiat propter favorem humanum, non bene agitur: *Matth. 6. 1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis;* si autem hoc fiat ad gloriam Dei, bene agitur, secundum illud *Matth. 5. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Tertio assignat rationem utriusque dictorum. Ad hoc enim debemus abstinere a retributione malorum, et coram hominibus bona providere, ut cum hominibus pacem habeamus; et ideo subdit: *Cum omnibus hominibus pacem habentes: Hebr. 12. 14. Pacem sequimini cum omnibus.* Sed hic addit duo: quorum primum est quod dicit, *Si fieri potest.* Quandoque enim malitia aliorum impedit ne cum eis pacem habere possimus, quia scilicet cum eis pax haberi non potest, nisi eorum malitiae consentiatur; quam quidem pacem constat esse illicitam: unde Dominus dicit *Matth. 10. 34. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Aliud autem addit dicens, *Quod ex vobis est;* scilicet, etsi ipsi contra pacem agant, tamen quod in nobis est, facere nos debemus, ut eorum pacem quaeramus: *Psal. 119. 6 Cum his qui oderunt pacem eram pacificus:* et alibi *Psal. 33. 15. Inquire pacem, et persequere eam.*

Deinde cum dicit, *Non vosmetipsos defendentes etc.* ostendit quod non sunt mala proximis inferenda per modum defensionis: et primo ponit documentum, dicens: *Non* sitis *vosmetipsos defendentes*, o carissimi, sicut de Christo dicitur *Isa. 50. 6. Dedi corpus meum percutientibus, et genas meas vellentibus:* et *53. 7. Quasi agnus coram tondente se obmutuit.* Unde et ipse Dominus mandavit *Matth. 5. 39. Si quis te percusserit in una maxilla, praebe ei etiam alteram.* Sed, sicut Augustinus dicit *in Lib. contra mendacium cap. 15.* ea quae in novo testamento a sanctis facta sunt, valent ad exempla intelligendarum Scripturarum, quae in praeceptis data sunt. Ipse autem Dominus cum alapa percussus esset, non ait, Ecce altera maxilla; sed *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis? Io. 18. 23.* Ubi ostendit praeparationem alterius maxillae in corde esse faciendam. Paratus enim fuit Dominus non solum in altera caedi pro salute hominis, sed in toto corpore crucifigi. Et sicut Augustinus dicit *ad Marcel. epist. 5.* tunc quidem hoc mandatum recte fit, cum ei creditur profuturum esse propter quem fit ad operandam in eo correctionem, atque concordiam, etiam si alius exitus consequatur. Sunt igitur ista praecepta patientiae semper in cordis praeparatione retinenda; et ipsa benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem et multa etiam cum invitis, benigna quadam asperitate plectendis. Secundo assignat rationem, cum dicit: *Sed date locum irae*, idest divino iudicio, quasi diceret: Committatis vos Deo, qui suo iudicio potest vos defendere, et vindicare, secundum illud *1. Pet. ult. 7. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Sed haec intelligenda sunt in casu in quo nobis non adest facultas aliter faciendi secundum iustitiam. Sed quia, ut dicitur *Deuter. 1. 17. Domini est iudicium*, cum aliquis auctoritate iudicis, vel vindictam quaerit ad comprimendam malitiam, et non propter odium; vel etiam cum auctoritate alicuius superioris suam defensionem procurat, intelligitur locum dare irae, idest divino iudicio, cuius ministri sunt Principes, ut dicitur *infra 13.* Unde etiam Paulus procuravit se per armatos defendi contra insidias Iudaeorum, ut patet *Act. 23.*

Deinde cum dicit, *Sicut scriptum est*, probat quod dixerat: et primo per auctoritatem; secundo per rationem, ibi, *Noli vinci a malo etc.* Circa primum duo facit. Primo probat quod dictum est de prohibitione vindictae, dicens: Dictum est: *Date locum irae*, idest

divino iudicio: *scriptum est enim Deuter. 32. 53. Mihi vindictam*, scilicet servate ; *et ego retribuam, dicit Dominus.* Nostra littera sic habet: *Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore : Psal. 93. 1. Deus ultionum Dominus: Nahum 1. 2. Deus aemulator, et ulciscens Dominus.* Secundo probat per auctoritatem quod dictum est de benevolentia exhibenda inimicis. In qua quidem auctoritate primo ponit documentum, ut subveniamus inimicis in articulo necessitatis, quia hoc est de necessitate praecepti, ut supra dictum est; et hoc est quod dicit: *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi : Matth. 5. 44. Benefacite his qui oderunt vos.* Secundo rationem assignat, dicens: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Quod quidem uno modo potest intelligi in malum, ut sit sensus: Si tu ei benefacias, bonum tuum vertetur ei in malum, quia ex hoc incurret combustionem ignis aeterni per suam ingratitudinem. Sed iste sensus repugnat caritati, contra quam ageret qui alicui subveniret, ut ei proveniret in malum : et ideo est exponendum in bonum, ut sit sensus: *Hoc enim faciens,* idest in necessitate ei subveniens, *carbones ignis*, idest amorem caritatis, de qua dicitur *Cant. 8. 6. Lampades eius ut lampades ignis, atque flammarum, congeres,* idest congregabis, *super caput*, idest super mentem, *eius:* quia, ut Augustinus dicit *in Lib. de catechizandis rud. cap. 4. nulla est maior provocatio ad amandum quam praevenire amando. Nimis enim durus animus qui dilectionem etsi nolebat impendere, nolit rependere.* Deinde cum dicit, *Noli vinci a malo etc.* probat quod dixit per rationem. Naturale est enim homini, ut velit adversarium vincere, et non vinci ab eo. Illud autem ab aliquo vincitur quod ad illud trahitur ; sicut aqua vincitur ab igne, quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo bonus aliquis homo propter malum quod sibi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc quod ei malefaciat; bonus a malo vincitur. Si autem e contrario propter beneficium, quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat ; bonus malum vincit. Dicit ergo : *Noli vinci a malo*, scilicet eius qui te persequitur, ut tu eum persequaris ; *sed in bono* tuo *vince malum* illius, ut scilicet ei benefaciendo, eum a malo trahas: *1. Ioan. ult. 4. Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra: Hier. 15. 19. Ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos.*

## CAPITIS DECIMITERTII

### LECTIO PRIMA

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem.

Postquam Apostolus ostendit qualiter se debeat homo exhibere Deo, utendo donis gratiae eius; hic ostendit quomodo debeat se exhibere proximo: et primo quantum ad superiores ; secundo quantum ad omnes, ibi, *Nemini quidquam debeatis.* Circa primum duo facit. Primo inducit homines ad subiectionem quam debent superioribus; secundo ad exhibendum subiectionis signum, ibi, *Ideo et tributa praestatis.* Circa primum tria facit. Primo proponit documentum ; secundo rationem assignat, ibi, *Non enim est potestas nisi a Deo ;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Circa primum considerandum est, quod quidam fideles in primitiva Ecclesia dicebant, terrenis potestatibus se subiici non debere, propter libertatem quam consecuti erant a Christo, secundum illud *Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Sed libertas per Christum concessa est libertas spiritus, qua liberamur a peccato, et morte, sicut *supra 8. 2.* dictum est : *Lex spiritus in Christo Iesu liberavit me a lege peccati, et mortis.* Caro autem adhuc remanet servituti obnoxia, sicut *supra 7.* dictum est. Et ideo tunc nulli subiectioni homo per Christum liberatus erit obnoxius, nec spirituali scilicet, nec carnali, ut dicitur *1. Corinth. 15. 24. cum tradiderit Christus regnum Deo Patri, et evacuaverit omnem principatum, et potestatem.* Interim autem dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus subiacere : unde dicitur *Ephes. 6. 5. Servi obedite dominis carnalibus* : et hoc est etiam quod hic Apostolus dicit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Potestates autem sublimiores hic dicuntur homines in potestatibus constituti, quibus secundum iustitiae ordinem subiici debemus: *1. Petr. 2. 13. Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Dicit autem indefinite, *Potestatibus sublimioribus*, ut ratione sublimitatis officii eis subiiciamur, etiamsi sint mali. Unde *1. Petr. 2. 18.* subditur : *Subiecti estote, non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis.* Quod autem dicitur, *Omnis anima,* per synecdochem intelligitur omnis homo, sicut et *Gen. 17. 14. Delebitur anima illa de populo suo.* Utitur autem hoc modo loquendi, quia subiectionem superioribus debemus ex animo, idest ex pura voluntate, secundum illud *Ephes. 6. 6. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo cum bona voluntate.* Deinde cum dicit, *Non est enim potestas nisi a Deo,* ponit rationem admonitionis praemissae : primo quidem ex parte honesti ; secundo ex parte necessarii, ibi, *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Circa primum duo facit.

Primo praemittit duo principia; secundo ex eis concludit, ibi, *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Primo enim praemittit originem potestatis, dicens: *Non est enim potestas nisi a Deo.* Quidquid enim communiter de Deo, et creaturis dicitur, a Deo in creaturas derivatur, sicut patet de sapientia, *Eccli. 1. 1. Omnis sapientia a Domino Deo est.* Potestas autem de Deo, et de hominibus dicitur: *Iob 36. 5. Deus potestates non abiicit, cum ipse sit potens.* Unde consequens est quod omnis humana potestas sit a Deo: *Dan. 4. 14. Dominabitur excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud: Ioan. 19. 11. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

Sed contra hoc esse videtur quod dicitur *Osee 8. 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et non cognovi.*

Ad hoc dicendum est, quod regia potestas, vel cuiuscumque alterius dignitatis, potest considerari quantum ad tria. Uno quidem modo quantum ad ipsam potestatem; et sic est a Deo, per quem Reges regnant, ut dicitur *Prov. 8.* Alio modo potest considerari quantum ad modum adipiscendi potestatem; et sic quandoque potestas est a Deo, quando scilicet aliquis ordinate potestatem adipiscitur, secundum illud *Hebr. 5. 4. Nemo sibi honorem assumit, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron:* quandoque vero non est a Deo, sed ex perverso hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur: *Amos 6. 14. Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Tertio modo potest considerari quantum ad usum ipsius; et sic quandoque est a Deo, puta cum aliquis secundum praecepta divinae iustitiae utitur concessa sibi potestate, secundum illud *Proverb. 8. 15. Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt:* quandoque autem non est a Deo, puta cum aliqui potestate sibi data utuntur contra divinam iustitiam, secundum illud *Psalm. 2. 2. Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.*

Dubitatur etiam de potestate peccandi, utrum sit a Deo: ad quod dicendum est, quod ipsa potentia qua peccatur, a Deo est, eadem enim potentia est qua peccatur, et qua recte agitur, sed quod in bonum ordinetur; a Deo est; quod autem ordinetur ad peccandum, est ex defectu creaturae, inquantum est ex nihilo.

Secundo ponit quod ea quae sunt, a Deo ordinata sunt: cuius ratio est, quia Deus omnia per suam sapientiam fecit, secundum illud *Psalm. 103. 24. Omnia in sapientia fecisti.* Est autem proprium sapientiae ordinate omnia disponere: *Sapient. 8. 1. Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et ideo oportet effectus divinos ordinatos esse: *Iob 38. 33. Numquid nosti ordinem caeli, et pones rationem eius in terra?* Duplicem autem ordinem Deus in suis effectibus instituit: unum quidem quo omnia ordinantur in ipsum: *Prov. 14. 4. Universa propter semetipsum operatus est Deus:* alium vero quo effectus divini ordinantur ad invicem, sicut dicitur *Deut. 4.* de sole, et luna, et stellis, quod fecit ea in ministerium cunctis gentibus. Deinde cum dicit, *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit,* ex duabus praemissis concludit propositum. Si enim potestas Principum, inquantum talis est, a Deo est, et nihil est a Deo sine ordine; consequens est quod etiam ordo quo inferiores potestatibus superioribus subiiciuntur, sit a Deo. Itaque qui contra hunc ordinem, *resistit potestati, Dei ordinationi resistit: 1. Reg. 8. 7. Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: Luc. 10. 16. Qui vos spernit, me spernit.* Resistere autem divinae ordinationi contrariatur honestati virtutis: unde contra virtutem agit quicumque potestati resistit in eo quod pertinet ad ordinem suae potestatis.

Deinde cum dicit, *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* ostendit huiusmodi subiectionem non solum esse honestam, sed necessariam: et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:* quod quidem secundum se est vitandum, tamquam contrarium virtuti. Multi tamen sunt qui amorem virtutis non habentes, ea quae sunt contraria virtuti, non detestantur: unde tales cogendi sunt ad vitationem malorum per poenas; et quantum ad hoc subdit: *Qui autem resistunt*, scilicet divinae ordinationi, *sibi damnationem acquirunt,* contra potestatis ordinem agendo. Quod quidem potest intelligi uno modo de damnatione aeterna, quam merentur qui potestatibus subiici nolunt in eo quod debent: in cuius exemplum Dathan, et Abiron, qui Moysi, et Aaron restiterunt, sunt a terra absorpti, ut habetur *Numer. 16.* Alio modo potest intelligi de damnatione poenae, quae per ipsos Principe infertur: *Proverb. 20. 2. Sicut rugitus leonis, ita et terror Regis: qui provocant eum, peccant in animam suam.*

Sed contra hoc videtur esse quod Apostoli, et martyres Principibus et potestatibus restiterunt; et ex hoc non damnationem a Deo, sed praemium acquisierunt.

Sed dicendum est, quod Apostolus hic loquitur de eo qui resistit potestati, secundum quod est a Deo ordinata. Habet autem hoc divina ordinatio, ut potestati inferiori non obediatur contra superiorem; sicut etiam in rebus humanis, ut proconsuli non obediatur contra Imperatorem, nec balivo contra Regem. Et omnis potestas humana sub potestate Dei ordinatur, et nulli potestati humanae est contra Deum obediendum, secundum illud *Act. 5, 29. Oportet obedire magis Deo quam hominibus.*

Deinde cum dicit, *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali,* assignat rationem eius quod dixerat: et primo ponit rationem; secundo ex ratione posita quoddam utile documentum trahit, ibi, *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac;* tertio huius documenti necessitatem assignat, ibi, *Si autem male feceris, time.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod *qui resistunt potestati, sibi damnationem acquirunt: nam Principes*, qui hic potestates dicuntur, *non sunt timori*, idest in timorem, *boni operis*, idest propter bonum opus, *sed mali*, idest propter malum. Quod quidem videtur esse intelligendum secundum causam instituendi Principes: ad hoc enim sunt instituti Principes, ut illi qui amore virtutis non provocantur ad vitandum malum, et faciendum bonum, cogantur ad hoc timore poenae: *Proverb. 20. 8. Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Et

secundum hoc dicitur, quod *Principes non sunt timori boni operis, sed mali*, quantum ad id quod Principi ex officio competit; sicut et *Isai. 32. 8.* dicitur: *Princeps ea quae sunt digna Principe cogitabit.* Potest autem hoc referri etiam ad malos Principes, qui non sunt timori boni operis, sed mali: quia etsi interdum iniuste persequntur bene operantes, non tamen illi qui bene operantur, causam habent timendi: quia hoc ipsum, si patienter sustinent, in eorum bonum cedit, secundum illud *1. Pet. 3. 14. Si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini.* Ex hoc autem quod hic dicitur, assignari potest ratio quare qui potestati resistunt, sibi damnationem acquirant: sive intelligatur de damnatione punitionis, qua Principes rebelles puniunt, sive de damnatione qua homines puniuntur a Deo. Si enim Principes sunt timori mali operis, consequens est quod si aliquis potestati resistat, male operetur; et ita ipse homo male agendo, est sibi causa punitionis temporalis, et aeternae.

Deinde cum dicit, *Vis autem non timere potestatem?* ex eo quod dixerat, quoddam utile documentum tradit, scilicet vitandi timorem Principum. Et primo insinuat sua interrogatione hoc esse desiderabile, dicens: *Vis non timere potestatem?* quasi dicat: Hoc debet homini esse placitum: *Prov. 20. 2. Sicut rugitus leonis, ita et terror Regis.* Secundo docet medium ad hoc perveniendi, dicens, *Bonum fac:* quia, ut dicitur *Prov. 16. 13. voluntas Regum, labia iusta:* et *in Psal. 100. 6. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Tertio ostendit huius effectum, dicens: Et si benefeceris, non solum timorem vitabis, sed etiam *habebis laudem ex illa*, scilicet potestate: quod planum est, si accipiatur secundum finem, ad quem institutae sunt potestates: ad hoc enim institutae sunt ut non solum a malis timore poenarum retrahant, sed etiam ut ad bonum per praemia alliciant, secundum illud *1. Pet. 2. 14. Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum.* Verificatur hoc etiam de malis Principibus, quorum iniustam persecutionem dum boni patienter sustinent, laudantur: *Iacob. 5. 11. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.* Quarto rationem assignat, dicens: *Dei enim minister est tibi in bonum:* quod quidem manifeste patet quantum ad debitum ordinem Principum: sunt enim sub regimine Dei, quasi supremi Principis, tamquam ministri ordinati: *Sapient. 6. 5. Cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis.* Ad idem autem tendit minister, et dominus: *Eccli. 10. 2. Secundum iudicem populi, sic et ministri eius.* Et ideo sicut Deus operatur in bonum his qui bonum agunt; ita et Principes, si recte ministerium suum impleant. Sed et mali Principes ministri Dei sunt secundum ordinationem Dei ad inferendas poenas, licet hoc sit praeter intentum eorum, secundum illud *Isa. 10. 5. Assur virga furoris mei, et baculus ipse in manu mea est. . . . . Ipse autem non sic arbitrabitur:* et *Hierem. 25. 9. Assumam universam cognationem aquilonis, et Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum, et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius, et super omnes cognationes quae in circuitu illius sunt, et interficiam eas:* et quia tales mali Principes interdum, Deo permittente, bonos affligunt, quod in bonum eorum cedit, secundum illud *supra 8. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Deinde cum dicit, *Si autem male feceris, time*, ostendit necessitatem praemissi documenti. Dictum est enim, quod benefaciendo non timebis potestatem; *si autem male feceris, time:* quia causam timoris habes: *Prov. 10. 29. Pavor his qui operantur malum: Sapient. 17. 10. Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem.* Secundo assignat rationem, dicens: *Non enim sine causa gladium portat.* Loquitur autem secundum consuetudinem Principum, qui quasi insignia suae potestatis, deferebant instrumenta puniendi, puta fasces virgarum ad verberandum, et secures, vel gladios ad occidendum: *Iob 19. 29. Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius.* Tertio rationem exponit, dicens: *Portat*, inquam, *gladium quia est minister Dei, vindex*, idest vindictam exercens, *in iram*, idest ad exequendam iram Dei, idest iustum iudicium eius, *ei qui malum agit*, idest contra malefactorem: *Ezech. 16. 37. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, et iudicabo te in iudiciis adulterorum, et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum: Prover. 16. 12. Abominabiles Regi qui impie agunt, quoniam iustitia firmatur solium.* Ex quo patet quod non solum est licitum, sed etiam meritorium Principibus qui zelo iustitiae vindictam exercent in malos: unde dicitur *Ezech. 29. 19. Erit merces exercitui illius, et operi quo servivit mihi adversus eam.*

Deinde cum dicit, *Ideoque necessitate subditi estote*, infert conclusionem principaliter intentam, dicens: *Ideoque*, propter praedictas rationes, *subditi estote*, Principibus, ex *necessitate*, quia scilicet hoc est ex necessitate salutis: vel *subditi estote* voluntarie *necessitati* quae nobis imminet potentia Principum, ut faciatis de necessitate virtutem; non solum *propter iram*, idest vindictam vitandam, quod pertinet ad secundam rationem, *sed etiam propter conscientiam*, bonam conservandam, quod pertinet ad primam rationem: quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: Tit. 3. 1. Admone illos, Principibus, et potestatibus subditos esse.*

Deinde cum dicit, *Ideo enim et tributa praestatis*, inducit homines ad exhibendum suis superioribus signum subiectionis: et primo ponit signum subiectionis; secundo inducit ad eius exhibitionem, ibi, *Reddite ergo omnibus debita.* Circa primum duo facit. Primo ponit subiectionis signum, dicens: *Ideo enim*, idest quod debetis esse subiecti, *et tributa praestatis*, idest praestare debetis, in signum scilicet subiectionis. Et ideo conquerendo dicitur *Thren. 1. 1. Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Dicuntur autem tributa, eo quod subditi dominis ea tribuunt. Secundo assignat rationem, dicens: *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum*, idest pro hoc ipso, scilicet tributo, recipiendo, *servientes*, scilicet Deo et populo; quasi dicat: Unusquisque de suo ministerio vivere debet, secundum illud *1. Corinth. 9. 7. Quis pascit gregem, et de lacte eius non edit?* Et ideo cum Principes nostri suo regimine Deo ministrent, a populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerii; non autem ita quod hoc debeant sibi computare pro praemio: proprium enim praemium Principis est laus, et honor,

ut Philosophus dicit *in 5. Ethic.* et cum hoc non sufficit, tyrannus fit. Sed hoc non est intelligendum de laude humana solum, vel honore, quia tale praemium esset vanum ; sed de laude , et honore divino , qui Principibus bene gubernantibus exhibetur: *Sapient. 6. 22. O Reges populi , diligite sapientiam , ut in perpetuum regnetis.* Huiusmodi autem tributa recipiunt ad sustentationem. Laborant autem Principes ad omnium pacem: unde dicitur *2. Tim. 2. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro Regibus , et omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam ac tranquillam vitam agamus : Baruch 1. 11. Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis , ut vivamus sub umbra eius.* Ab hoc tamen debito liberi sunt clerici ex privilegio Principum ; quod quidem acquitatem naturalem habet : unde etiam apud Gentiles liberi erant a tributis illi qui vacabant rebus divinis : legitur enim *Gen. 47.* quod Ioseph subiecit Pharaoni totam terram Ægypti , praeter terram sacerdotum , quae a Rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur: et *infra loc. cit.* dicitur, quod in universa terra Ægypti quinta pars solvitur absque terra sacerdotali, quae libera erat ab hac conditione. Hoc autem ideo aequum est, quia sicut Reges solicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus : et sic per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant , recompensant Regi quod pro eorum pace laborat.

Sed attendendum est , cum tributa dicat Regibus esse debita , quasi laboris stipendium , quod dupliciter peccare possunt Principes accipiendo tributa. Primo quidem si utilitatem populi non procurent, sed solum ad diripiendum eorum bona intendant : unde dicitur *Ezech. 34. 3. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Alio modo ex eo quod violenter diripiunt supra statutam legem , quae est quasi quoddam pactum inter Regem et populum , et supra populi facultatem : unde dicitur *Mich. 3. 1. Audite Principes Iacob , et duces domus Israel :* et postea subdit: *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnes eorum desuper ossibus eorum.*

Deinde cum dicit , *Reddite ergo omnibus debita* , monet ad reddendum praedictum subiectionis signum : et primo quidem in generali , dicens : Ex quo tributum debetur Principibus tamquam Dei ministris , *reddite ergo omnibus debita.* Ex quo patet quod ex necessitate iustitiae tenentur subditi sua iura Principibus exhibere: *Matth. 18. 24. Oblatus est Regi unus qui debebat decem millia talenta :* et *22. 21. Reddite quae sunt Caesaris Caesari.* Secundo specificat ; et primo ea quae sunt exteriora , dicens : *Cui tributum* , scilicet debetis , reddite *tributum* , quod scilicet Principi tribuitur pro generali regimine , quo patriam in pace, et quiete gubernat : *Gen. 49. 15. Vidit requiem, quod esset bona . . . factusque est tributis serviens. Cui vectigal* , scilicet debitis, reddite *vectigal*, quod scilicet redditur Principi in aliquibus certis locis de mercimoniis quae deferuntur , pro reparatione viarum, et custodia. Vel vectigal dicitur quod datur Principi , quando per patriam devehitur , sicut sunt procurationes , et alia huiusmodi. Secundo ponit ea quae sunt interius exhibenda. Est autem considerandum , quod Principi debetur et timor , et honor : timor quidem, inquantum est dominus sua potestate malos coercens a malis : *Malach. 1. 6. Si ego Dominus, ubi est timor meus ?* Et ideo dicit: *Cui timorem* , scilicet debetis , reddite *timorem : Proverb. 24. 21. Deum time fili mi.* Inquantum autem quasi pater providet bonis quae sunt in laudem eorum , debetur illi honor : *Malach. 1. 6. Si ego pater , ubi honor meus ?* Et ideo subdit : *Cui honorem*, debetis, reddite *honorem : 1. Pet. 2. 17. Regem honorificate ?*

Sed contra est quod dicitur *Lev. 19. 15. Non honores vultum potentis.* Sed hoc est intelligendum quantum ad hoc ut pro eo a iustitia non declines : unde subditur *ibid. Iuste iudica proximo tuo.*

## LECTIO III.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam Non adulterabis , Non occides, Non furaberis , Non falsum testimonium dices, Non concupisces , et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur , Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Supra Apostolus ostendit qualiter debeant fideles ad superiores iustitiam observare ; hic ostendit quid debeant omnibus communiter exhibere : et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo reddit rationem, ibi, *Qui enim diligit proximum , legem implevit.* Dicit ergo primo : Dictum est, *Reddite omnibus debita* , non quidem particulariter , sed integraliter : et hoc est quod subdit : *Nemini quidquam debeatis ;* quasi dicat : Ita plene omnibus omnia debita persolvatis ut nihil remaneat quod solvere debeatis. Et hoc quidem propter duo. Primo quia in ipsa mora reddendi peccatum committitur , dum homo iniuste detinet rem alienam : unde dicitur *Lev. 19. 13. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Et eadem est ratio de aliis debitis. Secundo quia quamdiu aliquis debet , est quodammodo servus , et cui debet, obligatur : *Proverb. 22. 7. Qui accipit mutuum , servus est fenerantis.* Sunt tamen quaedam debita, a quibus homo numquam potest se absolvere; et hoc contingit dupliciter. Uno quidem modo propter excellentiam beneficii , cui aequivalens recompensari non potest, sicut Philosophus dicit de honore qui exhibetur Deo , vel parentibus , secundum illud *Psal. 115. 12. Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi ?* Alio modo propter causam debendi , quae semper manet ; vel etiam propter hoc quod illud quod redditur , numquam exhauritur , sed semper in reddendo crescit. Et propter has causas debitum dilectionis fraternae ita solvitur quod semper debetur. Primo quidem quia dilectionem proximo debemus propter Deum, cui sufficienter recompensare non possumus: dicitur enim *1. Ioan. 4. 21. Hoc mandatum habemus a Deo , ut qui diligit Deum , diligat et fratrem suum.* Secundo quia causa dilectionis semper manet, quae est similitudo naturae, et gratiae : *Eccli. 13. 19. Omne animal diligit sibi simile ; et omnis homo proximum*

*sibi*. Tertio quia caritas in diligendo non deficit, sed proficit : *Philip. 1. 9. Hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet.* Ideo dicit : *Nisi ut invicem diligatis :* quia scilicet dilectionis debitum ita semel redditur ut tamen semper maneat sub debito praecepti : *Ioan. 15. 12. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.*

Deinde cum dicit, *Qui enim diligit proximum, legem implevit*, assignat causam eius quod dixerat, debito dilectionis nos numquam absolvi, quia scilicet in dilectione tota legis impletio consistit : unde circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit ; secundo manifestat propositum, ibi, *Nam non adulterabis etc.* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Dicit ergo primo. Ideo dictum est, quod non intendamus nos expedire a debito dilectionis, sicut ab aliis debitis : *qui enim diligit proximum, legem implevit*, idest tota impletio legis ex proximi dilectione dependet.

Sed hoc non videtur verum : dicitur enim *1. Timoth. 1. 5.* quod *finis praecepti caritas est.* Unumquodque enim perficitur cum ad finem pervenit : et ideo tota legis perfectio in caritate consistit. Sed caritas duos habet actus, scilicet dilectionem Dei, et dilectionem proximi : unde et Dominus dixit *Matth. 22.* quod tota lex, et Prophetae pendet in duobus mandatis caritatis ; quorum unum est de dilectione Dei, aliud de dilectione proximi. Non ergo videtur quod qui proximum diligit, impleat totam legem.

Sed dicendum est, quod illa dilectio proximi ad caritatem pertinet, et legem implet, qua proximus diligitur propter Deum ; et ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu: dicitur enim *1. Ioan. 4. 21. Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Et e converso dilectio proximi includitur in dilectione Dei, sicut effectus in causa : unde ibidem dicitur : *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est.* Et inde est quod in sacra Scriptura quandoque fit mentio solum de dilectione Dei, quasi sufficiat ad salutem, secundum illud *Deut. 10. 12. Et nunc Israel audi: quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum !* quandoque autem fit mentio solum de dilectione proximi : *Ioan. 15. 17. Hoc vobis mando, ut diligatis invicem.*

Deinde cum dicit, *Nam non adulterabis etc.* probat propositum : primo quidem per inductionem ; secundo vero per medium syllogismi, ibi, *Dilectio proximi malum non operatur.* Circa primum, more inducentium, enumerat quaedam praecepta quae dilectionem proximi implent. Et quia praecepta tria primae tabulae immediatius ordinantur ad dilectionem Dei, non facit mentionem hic de eis, quamvis et ipsa impleantur in dilectione proximi, prout dilectio Dei includitur in dilectione proximi. Enumerat autem mandata secundae tabulae ; praetermittit tamen praeceptum affirmativum tantum, quod est de honore parentum, in quo etiam intelligitur ut omnibus reddamus quae debemus ; enumerat autem praecepta negativa, per quae aliquis prohibetur malum proximis inferre ; et hoc duplici ratione. Primo quidem quia praecepta negativa sunt magis universalia et quantum ad tempora, et quantum ad personas. Quantum ad tempora quidem, quia praecepta negativa obligant semper, et ad semper : nullo enim tempore est furandum, et adulterandum : praecepta autem affirmativa obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco, et tempore : non enim tenetur homo ut omni tempore honoret parentes, sed pro loco, et tempore. Quantum ad personas autem, quia nulli hominum est nocendum. Non autem sufficientes sumus ut unus homo possit omnibus hominibus servire. Secundo quia magis manifestum est quod per dilectionem proximi implentur praecepta negativa quam affirmativa : qui enim diligit aliquem, magis abstinet a nocumento illius, quam ei beneficia impendat, a quo quandoque homo impeditur per impotentiam. Tripliciter autem aliquis nocumentum proximo inferre potest. Uno modo, facto; alio modo, verbo ; tertio desiderio. Facto quidem tripliciter. Uno modo quantum ad personam ipsius proximi; et hoc prohibetur cum dicitur, *Non occides :* in quo etiam intelligitur prohiberi omnis iniuria in personam proximi illata : *1. Ioan. 3. 15. Omnis homicida non habet vitam aeternam in se ipso.* Secundo quantum ad personam coniunctam, scilicet uxorem ; et hoc prohibetur cum dicitur, *Non adulterabis :* in quo etiam intelligitur prohiberi fornicatio, et omnis illicitus usus genitalium membrorum: *Hebr. ult. 4. Fornicatores, et adulteros iudicabit Deus.* Tertio quantum ad res exteriores : quod prohibetur cum dicitur, *Non furaberis :* in quo etiam prohibetur omnis iniusta subtractio rei alienae, sive per vim, sive per dolum: *Zach. 5. 3. Omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur.* Nocumentum autem quod quis proximo infert verbo, prohibetur cum dicitur : *Non falsum testimonium dices :* quod non solum prohibetur in iudicio, sed etiam extra iudicium, sive per modum detractionis, sive per modum contumeliae: *Proverb. 19. 9. Testis falsus non erit impunitus ; et qui mendacia loquitur, non effugiet.* Nocumentum autem quod quis infert proximo, solo desiderio, prohibetur cum dicitur: *Non concupisces rem proximi tui :* ubi etiam intelligitur prohiberi concupiscentia uxoris : *Supra 7. 7. Nam concupiscentiam nesciebam*, scilicet esse peccatum, *nisi lex diceret, Non concupisces.* Ponuntur autem haec mandata *Exod. 20.* Enumeratis autem pluribus praeceptis, colligit omnia alia in communi, dicens: *Et si quod est aliud mandatum*, affirmativum, vel negativum, vel ad Deum, vel ad proximum pertinens, per modum supra dictum, *instauratur*, idest perficitur, et impletur, *in hoc verbo, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quod quidem ponitur *Lev. 19. 18.* ubi nos habemus : *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Quod autem dicit, *Proximum tuum*, referendum est ad omnem hominem, et etiam ad sanctos Angelos, ut Augustinus probat *in 1. de Doctrina Christ. c. 30.* Nomine enim proximi intelligitur quicumque facit alicui misericordiam, secundum illud *Luc. 10. 36. Quis tibi videtur illi proximus fuisse qui incidit in latrones? Et ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.* Et quia proximus est proximo proximus, consequens est quod etiam ille qui ab aliquo misericordiam recipit, proximus ei dicatur. Sancti autem Angeli nobis misericordiam impendunt, et nos omnibus hominibus misericordiam debemus impendere, et ab eis, cum necesse fuerit, recipere : unde patet quod sancti Angeli, et om-

nes homines proximi nobis dicuntur, quia beatitudinem ad quam nos tendimus, vel iam habent, vel ad eam nobiscum tendunt. Ex quo patet quod daemones non sunt secundum hanc rationem proximi nobis, nec sub hoc praecepto eorum dilectio nobis iniungitur: quia sunt totaliter a dilectione Dei exclusi, et non sunt computandi in numero proximorum, sed in numero hostium. Quod autem dicit, *Sicut teipsum*, non est referendum ad aequalitatem dilectionis, ut scilicet aliquis teneatur diligere proximum aequaliter sibi: hoc enim esset contra ordinem caritatis, quo quilibet plus tenetur suam, quam aliorum salutem curare: *Cant. 2. 4. Ordinavit in me caritatem;* sed est referendum ad similitudinem dilectionis, ut scilicet similiter diligamus proximum sicut nosipsos; et hoc tripliciter. Primo quidem quantum ad finem dilectionis, ut scilicet nos, et proximum diligamus propter Deum. Secundo quantum ad formam dilectionis, ut scilicet sicut aliquis seipsum diligit, quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei bona volens. Qui autem diligit proximum ad hoc solum ut eius utilitate, vel delectatione potiatur, non vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum: quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum, vel aquam, ut scilicet eis utatur. Tertio quantum ad effectum dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, sicut sibi; et quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem.

Deinde cum dicit, *Dilectio proximi malum non operatur*, manifestat propositum medio syllogismi per hunc modum. Qui diligit proximum, nullum malum operatur ad ipsum. Sed ad hoc tendit omne legis praeceptum, ut abstineatur a malo. Qui ergo diligit proximum, legem implevit. Quod autem dilectio proximi malum non operetur, habetur *1. Corinth. 13. 4. Caritas non agit perperam.* Quocumque autem modo accipiatur hic malum, vel pro malo transgressionis, vel etiam omissionis; poterit hoc referri non solum ad praecepta negativa, sed etiam ad affirmativa. Inquantum vero dilectio proximi excludit malum, non solum quod est contra proximum, sed etiam quod est contra Deum. Et sic includuntur etiam praecepta tabulae primae.

Ultimo autem infert conclusionem principaliter intentam, dicens: *Plenitudo ergo legis est dilectio*, idest per dilectionem lex impletur, et perficitur: *Eccli. 24. 16. In plenitudine sanctorum detentio mea: Coloss. 3. 14. Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

## LECTIO III.

Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et aemulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum; et carnis curam ne feceritis in desideriis.

Postquam Apostolus ostendit quomodo homo debet se Deo exhibere pium, convenienter eius donis utendo et proximo iuste, ei debita reddendo; hic ostendit quomodo in seipso debeat honestatem conservare: et circa hoc duo facit. Primo proponit temporis congruitatem: secundo exhortatur ad honestatem operum, ibi, *Abiiciamus ergo opera tenebrarum.* Circa primum tria facit. Primo ponit temporis congruitatem; secundo assignat rationem, ibi, *Nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus;* tertio adhibet similitudinem, ibi, *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Dicit ergo primo: Dictum est quae debetis observare, et hoc non solum propter ea quae dicta sunt, sed etiam *scientes hoc tempus*, idest per hoc quod debetis considerare huius temporis conditionem: quia, ut dicitur *Eccle. 8. 6. omni negotio tempus est, et opportunitas: Hier. 8. 7. Milvus in caelo cognovit tempus suum, turtur, et hyrundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Ad quid autem congruum sit hoc tempus, ostendit subdens: *Quia hora est iam nos de somno surgere:* quod quidem intelligendum est, non de somno naturae, quod quandoque dicitur mors, secundum illud *1. Thess. 4. 12. Nolumus vos ignorare de dormientibus:* quandoque autem est quies animalium virtutum, secundum illud *Ioan. 11. 12. Si dormit, salvus erit.* Nec etiam intelligendum est de somno gratiae, quod quandoque dicitur quies aeternae gloriae, secundum illud *Psalm. 4. 9. In pace in idipsum dormiam, et requiescam:* quandoque autem est quies contemplationis etiam in hac vita: *Cant. 5. 2. Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sed intelligitur de somno culpae, secundum illud *Ephes. 5. 14. Exurge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus:* vel etiam negligentiae, secundum illud *Proverb. 6. 9. Usquequo piger dormies?* Tempus ergo est surgendi a somno culpae per poenitentiam: *Psal. 126. 2. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris:* a somno vero negligentiae per solicitudinem bene operandi: *Isa. 21. 5. Surgite Principes, accipite clypeum: Eccli. 32. 15. Hora surgendi non tetrices.* Deinde cum dicit, *Nunc enim propior est salus nostra*, assignat rationem eius quod dixerat, dicens: *Nunc enim propior est salus nostra, quam cum credidimus:* quod quidem secundum intentionem Apostoli intelligitur de salute vitae aeternae, de qua dicitur *Isa. 51. 1. Salus autem mea in sempiternum erit.* Ad hanc autem salutem homo ordinatur primo quidem per fidem: *Mar. ult. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed semper magis ac magis homo accedit ad eam per bona opera, et caritatis augmentum: unde dicitur *Iacob. 4. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Hoc est ergo quod Apostolus dicit: Ideo *hora est iam nos de somno surgere: nunc enim*, quando scilicet per opera bona, et per caritatis augmentum profecimus, *propior*, idest propinquior, *est*, scilicet nobis, *nostra salus*, scilicet vitae aeternae, de qua dicitur *Isa. 51. 8. Salus autem mea in sempiternum erit: quam cum credidimus*, idest quam cum a principio fidem accepimus. Et potest hic intelligi duplex propinquitas. Una quidem secundum tempus: quia viri sancti in operibus iustitiae proficientes, magis appropinquant ad terminum vitae

huius, in quo mercedem accipiunt. Alia vero est propinquitas dispositionis, vel praeparationis: quia per augmentum caritatis, et operationem iustitiae homo praeparatur ad illam salutem: *Matth. 25. 10. Quae paratae erant, intrarerunt cum eo ad nuptias.* Sed secundum quod Ecclesia haec verba adventus tempore legit, videntur haec verba esse referenda ad salutem quam Christus fecit in suo primo adventu, ut intelligamus Apostolum loquentem, quasi ex persona omnium fidelium, qui fuerunt ab initio mundi. Appropinquante enim iam tempore incarnationis Christi, quo vaticinia Prophetarum crebrescebant, quod tempus repraesentat Ecclesia, poterit dici: *Nunc propior est nostra salus*, scilicet Christus, *quam cum credidimus*, idest cum homines a principio credere coeperunt Christi adventum futurum: *Isa. 56. 1. Iuxta est salus mea ut veniat; et iustitia mea ut reveletur.* Posset etiam assumi ad tempus misericordiae, quo quis incipit velle a praeteritis peccatis discedere: tunc enim magis appropinquat suae saluti, quam a principio, dum haberet fidem informem: *Iac. 4. 7. Resistite diabolo, et fugiet a vobis; appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Deinde cum dicit, *Nox praecessit, dies autem appropinquavit*, ponit ad propositum similitudinem: quod quidem secundum intentionem Apostoli sic videtur esse intelligendum, ut totum tempus vitae praesentis nocti comparetur propter ignorantiae tenebras, quibus praesens vita gravatur: *Iob 37. 19. Omnes quippe involvimur tenebris:* et de hac nocte dicitur *Isa. 26. 9. Anima mea desideravit te in nocte.* Diei autem comparatur status futurae beatitudinis propter claritatem Dei, qua sancti illustrantur: *Isa. 60. 19. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Ad quem diem refertur quod dicitur *in Psal. 117. 24. Haec dies quam fecit Dominus, exultemus, et laetemur in ea.* Alio modo potest intelligi quod status culpae nocti comparetur propter tenebras culpae, de quibus dicitur *in Psal. 81. 5. Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant:* et de hac nocte dicitur *Sap. 17. 20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quae superventura erat illis.* Dies autem dicitur status gratiae propter lumen spiritualis intelligentiae, quod iusti habent, sed impiis deest: *Psal. 96. 11. Lux orta est iusto: Sap. 5. 6. Sol intelligentiae non est ortus nobis.* Tertio modo potest intelligi quod comparetur nocti tempus praecedens Christi incarnationem, quia nondum erat manifestata, sed sub quadam caligine: *2. Pet. 1. 19. Habetis propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.* Et de hac nocte dicitur *Is. 21. 4. Custos quid de nocte?* Unde sicut in nocte apparent umbrae, ita etiam illo tempore eminebant legalia, quae sunt umbra futurorum, ut dicitur *Coloss. 11.* Tempus autem ab incarnatione Christi comparatur diei propter praesentiam spiritualis solis in mundo, de quo dicitur *Malac. ult. 2. Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiae.* Unde et ipse Dominus dicit *Ioan. 9. 4. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est:* et postea subdit: *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Quod ergo dicitur, *Nox praecessit*, indifferenter accipi potest pro qualibet praedictarum trium nocctium. Iam enim praecesserat eos quibus scribebat et magna pars temporis huius vitae; et, quod verius est, praecesserat nox culpae; praecesserat etiam tempus legis, quod fuit ante Christum. Quod autem subdit, *Dies autem appropinquavit*, videtur secundum intentionem Apostoli referendum esse ad diem futurae gloriae; qui licet nondum advenisset fidelibus Christi, quibus scribebat, tamen in propinquo erat eis. Secundum praedicta posset etiam intelligi tempus gratiae Christi, quod etsi iam advenerit secundum temporum cursum, appropinquare tamen nobis dicitur per fidem, et devotionem, sicut et *Philip. 4. 5.* dicitur: *Dominus prope est:* et *in Psal. 144. 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Potest etiam hoc congruere his qui de peccatis poenitere incipiunt, quibus dies gratiae appropinquat.

Deinde cum dicit, *Abiiciamus ergo opera tenebrarum*, concludit exhortationem de honestate vitae: et primo ponit exhortationem; secundo exponit eam, ibi, *Non in comessationibus, et ebrietatibus etc.* Circa honestatem vitae tria tangit. Primo quidem remotionem vitiorum, concludens ex praemissis: Si *nox praecessit*, ut dictum est, *Abiiciamus opera tenebrarum:* quia, ut dicitur *Eccle. 8. 6 omni negotio tempus est, et opportunitas.* Unde recedente nocte, cessare debent opera noctis. Dicuntur autem opera tenebrarum opera peccatorum: primo quidem quia in seipsis privata sunt lumine rationis, quo illustrari debent humana opera: *Eccle. 2. 14. Sapientis oculi in capite eius; stultus in tenebris ambulat*: secundo quia in tenebris aguntur: *Iob 24. 15. Oculus adulteri observat caliginem:* tertio quia per ea homo ad tenebras ducitur, secundum illud *Matth. 22. 13. Mittite eum in tenebras exteriores.* Secundo inducit ad assumendas virtutes; quasi dicat: Ex quo dies appropinquavit, assumentes ea quae congruunt diei, *induamur arma lucis*, idest virtutes, quae et arma dicuntur, inquantum nos muniunt: *Ephes. ult. 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et dicuntur lucis arma, tum quia lumine rationis decorantur, et perficiuntur; unde dicitur *Prov. 4. 18. Iustorum semita quasi lux splendens procedit:* tum quia lucis examen requirunt: *Ioan. 3. 21. Qui facit veritatem, venit ad lucem:* tum quia per opera virtutum alii illuminantur: *Matth. 5. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona.* Tertio exhortatur ad usum virtutum, et profectum, cum dicit: *Sicut in die honeste ambulemus:* haec enim duo videntur diei congruere. Primo quidem honestas: nam in die unusquisque seipsum studet componere, ut coram aliis honestus appareat; in nocte autem non sic: unde dicitur *1. Thess. 5. 7. Qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii sumus.* Unde *1. Corinth. 14. 40.* dicitur: *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis.* Secundo homo in die ambulat, non in nocte: unde dicitur *Ioan. 11. 10. Qui ambulat in nocte, offendit.* Et ideo quia dies est, oportet quod ambulemus, idest de bono in melius procedamus: unde dicitur *Ioan. 12. 35. Ambulate dum lucem habetis.* Deinde cum dicit, *Non in comessationibus et ebrietatibus*, exponit quod dixerat: et primo exponit quomodo sunt abiicienda opera tenebrarum, quae sunt opera

peccatorum: de quibus quaedam enumerat, primo ponens ea quae pertinent ad corruptionem concupiscibilis, cuius corruptio est intemperantia, quae est circa delectationes tactus, et circa cibos: unde primo excludit intemperantiam ciborum, cum dicit, *Non in comessationibus.* Dicuntur comessationes superfluae, et nimis accuratae comestiones: *Prov. 23. 20. Noli esse in conviviis peccatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.* Quod quidem potest esse peccatum mortale ex hoc quod secundum legem pro hac culpa aliquis damnatur ad mortem. Dicitur enim de filio protervo *Deut. 21. 20. Comessationibus vacat, et luxuriae, atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur.* Dicitur aliquis vacare comessationibus, atque conviviis, non quidem si comedat magnifice secundum statum suae dignitatis, sicut dicitur *Esther 11.* quod Assuerus iussit praeparari convivium magnificum propter coniunctionem Esther, iuxta magnificentiam principalem; sed quando aliquis hoc facit praeter decentiam sui status, et praecipue si ad hoc principalis eius cura existat; sicut illi de quibus dicitur *infra ult. 18. Huiusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri:* et *Phil. 3. 19. Quorum deus venter est.* Secundo excludit intemperantiam circa potum, cum subdit, *Et ebrietatibus*, quae pertinent ad superfluitatem potus extra mensuram rationis hominem ponentis: *Eccli. 31. 31. Vinum in iucunditatem creatum est, et non in ebrietatem.*

Et est considerandum, quod ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur: quia videtur praeferre delectationem vini integritati rationis: unde dicitur *Isa. 5. 22. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Si vero aliquis inebrietur praeter intentionem, non ex proposito; puta quia ignorat virtutem vini, vel quia non aestimat se tanto potu inebriandum, non est peccatum mortale: quia non per se inebriatur, sed per accidens, idest praeter intentionem: quod quidem non potest contingere in his qui frequenter inebriantur; et ideo dicit Augustinus *in sermon. de Purgat. serm. 41. de Sanct.* quod ebrietas est peccatum mortale, si assidua fuerit. Unde signanter hic Apostolus in plurali numero dicit: *Non in comessationibus, et ebrietatibus.*

Tertio excludit intemperantiam circa corporalem quietem, cum dicit, *Non in cubilibus*, idest non in superflua dormitione; quam convenienter post comessationem, et ebrietatem prohibet, quia sequitur ex illis; et potest esse in hoc peccatum mortale, quando propter quietem corporalem, et somnum, omittit homo quae facere debet, et inclinatur ad aliqua mala facienda: *Mich. 2. 1. Vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Potest etiam quod dicit, *Non in cubilibus*, referri ad apparatum luxuriae: unde dicitur in persona meretricis *Prov. 7. 17. Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo: Gen. 49. 4. Ascendisti cubile patris tui.* Et ideo convenienter quarto excludit intemperantiam circa venerea, cum subdit, *Et impudicitiis*, idest quibuscumque venereis actibus; qui dicuntur impudici, quia non cavent id quod est maxime pudore, vel confusione dignum: tum quia omnes delectationes tactus, gulae, et luxuriae sunt communes nobis et brutis; unde qui eis inordinate insistit, brutalis efficitur: *Psalm. 31. 9. Nolite fieri sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus:* tum etiam quia specialiter in actibus venereis ratio hominis totaliter absorbetur a delectatione, ut non possit homo tunc aliquid intelligere, sicut Aristoteles dicit *in lib. 4. Ethic. cap. 22.* Unde et *Osee 4. 2.* dicitur: *Fornicatio, et ebrietas, et vinum auferunt cor: 2. Cor. 12. 21. Non egerunt poenitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt.* Deinde excludit ea quae pertinent ad corruptionem irascibilis, cum dicit, *Non in contentione:* quae quidem, ut Ambrosius dicit *in epist. 2. ad Tim. cap. 4.* est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Potest autem intelligi quod per hoc prohibetur omnis rixa non solum verborum, sed et factorum, quae ut plurimum a verbis incipit, *Proverb. 20. 3. Honor est homini qui separat se a contentionibus.* Solet autem contentio ex invidia generari; et ideo subdit, *Et aemulatione.* Unde *Iac. 3. 16.* dicitur: *Ubi zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.*

Secundo exponit quomodo debeamus induere arma lucis, dicens: *Sed induimini Dominum Iesum Christum:* in quo scilicet abundantissime fuerunt omnes virtutes, secundum illud *Isa. 4. 1. Apprehendent septem mulieres virum unum.* Induimus autem Iesum Christum primo quidem per sacramenti susceptionem: *Galat. 3. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Secundo per imitationem: *Coloss. 3. 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum:* et *Ephes. 4. 24. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis.* Dicitur autem induere Christum qui Christum imitatur: quia sicut homo continetur vestimento, et sub eius colore videtur; ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Per hoc ergo induimur arma lucis, quando induimur Christum.

Tertio exponit quod dixerat, *Sicut in die honeste ambulemus*, per hoc quod subdit: *Et carnis curam ne feceritis in desideriis.* In hoc enim pulchritudo honestatis consistit, ut homo non carnem spiritui, sed spiritum praeferat carni: *Supra 8. 12. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Sed notandum, quod non dicit simpliciter, *Carnis curam ne feceritis:* quia quilibet tenetur ut carnis curam gerat ad sustentandam naturam, secundum illud *Ephes. 5. 29. Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam.* Sed addit, *In desideriis*, ut scilicet inordinata carnis desideria, idest concupiscentias, non sequamur: unde dicitur *Gal. 5. 16. Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.*

# CAPITIS DECIMIQUARTI

## LECTIO PRIMA

Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducât, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit; et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut vivorum, et mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem iudicemus.

Postquam Apostolus ostendit quomodo aliquis debeat perfectus fieri; hic ostendit quomodo perfecti debeant se habere ad imperfectos: et primo ostendit quod non debent eos scandalizare, vel iudicare; secundo ostendit quomodo debent eos sustentare *15. cap. ibi*, *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Circa primum duo facit. Primo prohibet inordinata iudicia; secundo prohibet infirmorum scandala, ibi, *Sed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri.* Circa primum tria facit. Primo proponit admonitionem; secundo exponit eam, ibi, *Alius enim credit se manducare omnia*; tertio rationem assignat, ibi, *Deus enim illum assumpsit.* Circa primum considerandum est, quod in primitiva Ecclesia aliqui ex Iudaeis conversi ad Christum, credebant legalia cum Evangelio esse servanda, ut patet *Actor. 15.* et hos Apostolus vocat infirmos in fide Christi, quasi nondum perfecte credentes quod fides Christi sufficiat ad salutem; perfectos autem, vel firmos in fide vocat eos qui fidem Christi sine legalibus credebant esse servandam. De utrisque tamen erant aliqui Romae inter fideles Christi. Alloquitur ergo Apostolus perfectos in fide, dicens: Dictum est, quod sic debetis induere Dominum Iesum Christum; *assumite autem*, idest affectu caritatis vobis coniungite ad supportandum, *infirmum in fide*, sicut expositum est; de quo potest intelligi illud *Sap. 9. 5. Infirmus homo, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii, et legum: Infra 15. 7. Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos: Eccli. 29. 12. Propter mandatum assume pauperem.* Et hoc *non in disceptationibus cogitationum*, idest non disceptando propter hoc quod unus contra alium cogitat, dum scilicet illi qui legalia servabant, iudicabant tamquam trasgressores eos qui non servabant; et illi qui non servabant, contemnebant tamquam errantes, et ignorantes qui servabant, *supra 2. 15. Cogitationum invicem accusantium, aut defendentium.* Deinde cum dicit, *Alius enim credit se manducare omnia*, exponit quod dixerat: et primo ostendit qui sunt infirmi in fide; secundo ostendit qualiter sint disceptationes cogitationum vitandae, ibi, *Is qui manducat, manducantem non iudicet.* Circa primum considerandum est, quod inter ceteras legales observantias una erat discretio ciborum, propter aliquos cibos in lege prohibitos, ut patet *Levit. 11.* et hac quidem observantia quotidie erat utendum, vel non utendum. Et ideo de hoc mentionem fecit specialiter Apostolus, dicens: *Alius enim*, inter vos, qui scilicet est perfectus in fide, *credit se* posse licite *manducare omnia*, eo quod non reputat se adstrictum ad legales observantias: *Matth. 15. 11. Quod intrat in os, non coinquinat hominem: 1. Tim. 4. 4. Omnis creatura Dei bona est, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione accipitur.* In veteri autem lege prohibebantur aliqui cibi, non quia naturaliter essent immundi. Sicut enim in verbis hoc nomen stultus significat aliquod malum, quamvis hoc nomen sit bonum; ita in rebus quoddam animal bonum est secundum naturam, sed significatione est malum, sicut porcus, qui significat immunditiam; et ideo prohibitus est antiquis esus illarum carnium, ut significaretur in eorum vitatione vitatio immunditiae: tota enim illius veteris populi vita figuralis erat, ut Augustinus dicit *in lib. contra Faustum lib. 4. cap. 2. et 7.* Veniente autem Christo, qui est veritas, cessaverunt figurae. Subdit autem quantum ad infirmum: *Qui autem infirmus est; olus manducet;* quasi dicat: Illis cibis utatur quibus non occurrit aliquod immundum in lege prohibitum. In singulis enim generibus animalium, puta terrestribus, volatilibus, et aquaticis, quaedam genera erant concessa, et quaedam prohibita; sed in herbis, et arboribus nihil erat prohibitum, ut patet *Levit. 11.* Et huius potest esse ratio duplex. Una est quia terrae nascentia fuerunt a principio concessa homini ad edendum, secundum illud *Gen. 1. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Sed post diluvium primo legitur homini concessus carnium esus: unde dicitur *Gen. 9. 3. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, scilicet animalium genera. Alia ratio est, quia primam prohibitionem de abstinendo a quibusdam terrae nascentibus homo in paradiso transgressus fuerat, ut patet *Gen. 3.* et propter hoc non erat ei similis prohibitio iteranda.

Sed cum legalia cessaverint in Christi passione, videtur quod non inconvenienter Apostolus infirmis in fide permittat quod a cibis prohibitis in lege abstineant; quod nunc in Christianis non sustinetur ab Ecclesia.

Sed distinguendum est triplex tempus, secundum

Augustinum *epist. 19.* quantum ad legalia. Quorum primum est tempus ante passionem Christi, in quo legalia suum robur obtinebant quasi adhuc viventia. Secundum autem tempus est post passionem Christi ante divulgationem Evangelii: in quo quidem tempore legalia mortua erant, quia nullus ad ea tenebatur, nec observata aliquid conferebant alicui; nondum tamen erant mortifera, quia sine peccato poterant Iudaei ad Christum conversi legalia observare: et pro illo tempore loquitur hic Apostolus. Tertium autem tempus est post divulgationem Evangelii, in quo legalia non solum sunt mortua, sed mortifera, ut quisquis ea observet, peccet mortaliter. Exponitur autem et aliter in Glossa; ut dicatur *infirmus* qui est ad lapsum vitiorum carnalium pronus; et huic consulendum est quod comedat *olus*, idest tenues, et aridos cibos, qui non sunt fomentum vitiorum, et abstineat ab illis quibus excitatur libido. Sed alius qui est fortior, credit se absque periculo posse omnia manducare. Et haec differentia apparet *Matth. 9.* inter discipulos Christi, qui non ieiunabant tamquam confortati praesentia Christi, et discipulos Ioannis Baptistae, qui ieiunabant. Unde et poenitentiam agentes a quibusdam cibis abstinent, non propter eorum immunditiam, sed ad libidinem refrenandam.

Deinde cum dicit, *Is qui manducat, manducantem non iudicet*, exponit quomodo sunt vitandae disceptationes cogitationum: et primo quantum ad perfectos, dicens: *Is qui manducat*, scilicet cum secura conscientia omnia, vel etiam sine periculo libidinis, *non spernat non manducantem*, scilicet indifferenter omnia, tamquam infirmum in fide, vel quasi pronum ad vitia: *Isa. 33. 1. Vae qui spernis, nonne et ipse sperneris? Luc. 10. 16. Qui vos spernit, me spernit.* Secundo loquitur quantum ad infirmos, dicens: *Et qui non manducat*, scilicet indifferenter omnia, vel quia est infirmus in fide, de quo loquitur Apostolus, vel etiam quia pronus est ad libidinem, *non iudicet manducantem*, scilicet indifferenter omnia, quasi transgressorem legis, vel quasi in libidinem praecipitem: *Matth. 7. 1. Nolite iudicare, et non iudicabimini: Supra 2. 1. Inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas.*

Deinde cum dicit, *Deus enim illum assumpsit*, assignat tres rationes propter quas debemus a falso iudicio abstinere. Secunda ponitur, ibi, *Suo Domino stat, aut cadit*; tertia ibi, *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* Prima ratio sumitur ex auctoritate iudicantis: unde primo ostendit hanc auctoritatem Deo competere; secundo concludit quod iudicium ad homines non pertinet, ibi, *Tu quis es qui iudicas alienum servum?* Dicit ergo primo: Recte dictum est, quod *qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim assumpsit illum*, scilicet in servum a se iudicandum. *Zach. 11. 7. Assumpsi mihi duas virgas*, idest duos populos: *Psalm. 17. 17. Assumpsit me de aquis multis.* Ille autem qui assumitur ad superioris iudicium, non debet ab inferiori iudicari; et ideo concludit: *Tu quis es*, idest cuius auctoritatis, vel virtutis es, *qui iudicas alienum servum*, idest proximum tuum, qui est servus Dei? Requiritur enim in iudicante auctoritas, secundum illud *Exod. 2. 14. Quis constituit te principem, et iudicem super nos?* et *Luc. 12. 14. Quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?*

Sed ex hac ratione sequi videtur hominis iudicium de alio homine esse illicitum.

Sed dicendum est, quod intantum hominis iudicium licitum est, inquantum agitur auctoritate concessa divinitus: unde dicitur *Deut. 1. 16. Audite illos, et quod iustum est iudicate:* et postea sequitur *17. Quia Dei est iudicium*, idest auctoritate divina agitur. Si quis vero velit sibi usurpare iudicium super ea quae non sunt ei divinitus concessa ad iudicandum, est iudicium temerarium; sicut si quis iudex delegatus a Papa vellet in iudicando transgredi mandati fines. Deus autem soli sibi reservavit iudicare occulta, quae praecipue sunt cogitationes cordium, et futura: et ideo si quis de his iudicare praesumpserit, est temerarium iudicium. Unde Augustinus dicit *in lib. de Sermone Domini in monte: In his duobus temerarium est iudicium, cum videlicet incertum sit quo animo quid factum sit; vel incertum qualis futurus sit qui nunc vel bonus, vel malus apparet.*

Deinde cum dicit, *Suo Domino stat, aut cadit*, ponit secundam rationem; quae quidem sumitur ex fine meriti, vel demeriti. Posset aliquis dicere, quod licet homo non habeat iudiciariam auctoritatem, tamen intromittere se debet iudicio alterius propter damnum, vel fructum qui inde provenit. Sed Apostolus ostendit hoc ad Deum magis quam ad homines pertinere: et sic etiam propter hoc debemus Deo proximorum iudicia relinquere, nisi inquantum vice ipsius fungimur in iudicando, per auctoritatem nobis commissam. Circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo exemplificat, ibi, *Nam alius iudicat diem inter diem;* tertio probat propositum, ibi, *Qui sapit diem, domino sapit.* Circa primum duo proponit. Primo quod quidquid circa hominem accidit, ad Deum pertinet, cum dicit, *Suo Domino stat*, scilicet recte agendo: *Psal. 121. 2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem: aut cadit*, scilicet peccando: *Amos 5. 1. Domus Israel cecidit, et non adiiciet ut resurgat.* Ponit autem sub disiunctione, *Stat, aut cadit*, propter incertitudinem: quia multi videntur cadere qui stant, et e converso, secundum illud *Eccle. 8. 10. Vidi impios sepultos, qui cum adhuc vivcrent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi justorum operum.* Loquitur autem hic Apostolus secundum similitudinem hominis servi, ad cuius dominum pertinet omne quod circa servum agitur. Nec intelligendum est quod Deo aliquid proficiat, vel noccat, si homo stet, aut cadat: dicitur enim *Iob 35. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis?... Porro si iuste egeris, quid ei donabis?* Sed quantum ad homines, id quod iuste agimus, ad gloriam Dei spectat: *Matth. 5. 16. Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Quod autem cadimus peccando, est hominibus occasio blasphemandi Deum: *Supra 2. 21. Nomen Dei propter vos blasphematur inter Gentes.* Vel quod dicit, *Suo Domino stat, aut cadit*, exponendum est in iudicio Domini sui: *1. Corinth. 4. 4. Qui iudicat me, Dominus est.* Secundo ostendit quod hominis statum iudicare ad Deum pertinet, dicens, *Stabit autem;* quasi dicat: Etsi aliquis nunc cadat per peccatum, tamen potest esse quod iterum stabit; et hoc omnino implebitur, si est praedestinatus: *Psal. 40. 9. Numquid qui dormit non adiiciet ut resurgat? Mich. 7. 8. Ne*

*laeteris, inimica mea, quia cecidi: resurgam.* Et propter hoc si videmus aliquem manifeste cadentem, non debemus eum despicere, temerarie iudicando de eo, quod numquam resurget; sed magis debemus praesumere quod iterum stabit, non ex consideratione conditionis humanae, sed considerando virtutem divinam. Unde cum dicit, *Potens est Deus statuere illum*, propter eius bonitatem praesumere debemus quod iterum statuet eum: *Ezech. 3. 24. Ingressus est in me spiritus, et statuit me supra pedes meos:* sicut et *supra 11. 23.* dictum est: *Si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens enim est Deus iterum inserere illos.*

Deinde cum dicit, *Nam alius iudicat diem inter diem*, exemplificat quod dictum est: et primo proponit diversitatem humanae sententiae, dicens: Ideo dico quod *suo Domino stat, aut cadit: nam alius iudicat inter diem et diem*, idest iudicat inter unum diem et alium, ut scilicet uno die abstineat, et non alio. Quod quidem videtur pertinere ad infirmum in fide, qui reputat adhuc legalia esse observanda: dicitur enim *Levit. 23. 27. Decimo die mensis septimi, dies expiationum erit... affligetisque animas vestras in eo:* et *Iudith. 8.* dicitur, quod Iudith ieiunabat omnibus diebus vitae suae praeter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. *Alius autem iudicat omnem diem* indifferenter esse observandum, quantum ad caeremonialia legis, quae iam cessaverunt. Unde hoc videtur pertinere ad eum qui est perfectus in fide: *Ps. 144. 2. Per singulos dies benedicam tibi.* Potest hoc etiam referri ad abstinentias quae fiunt causa cohibendae libidinis, quibus omni die aliqui vacant; puta qui perpetuo a carnibus, vel vino abstinent, vel ieiunant; quidam autem interpositis diebus abstinent, et ab abstinentia cessant, secundum illud *Eccle. 3. 1. Omnia tempus habent.* Secundo ostendit haec omnia posse ad Dei gloriam pertinere, dicens: *Unusquisque in sensu suo abundet*, idest suo sensui dimittatur: abundare enim in sensu suo est sensum suum sequi: *Eccli. 15. 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Vel *in sensu suo*, idest secundum sensum suum studeat abundare ad gloriam Dei, secundum illud *1. Corinth. 14. 12. Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis.*

Sed hoc videtur locum habere in his quae non sunt secundum se mala; in his autem quae sunt secundum se mala, non est homo suo sensui relinquendus. Quod autem aliquis iudicet diem inter diem, videtur esse secundum se malum, secundum primam expositionem: dicitur enim *Gal. 4. 10. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo ne sine causa laboraverim in vobis.* Et loquitur ibi ad litteram de his qui dixerunt dies observandos secundum caeremonias legis.

Sed dicendum, quod Apostolus hic loquitur secundum tempus illud in quo Iudaeis ad fidem conversis licitum erat legalia observare, ut dictum est; sed quantum ad secundam expositionem videtur esse illicitum quod dicit, *Alius iudicat omnem diem:* sunt enim quidam dies in quibus non est licitum ieiunare: dicit enim Augustinus *in epist. 86. ad Casulanum: Quisquis diem dominicum ieiunio decernendum esse putarit, non parvo scandalo erit Ecclesiae.* Nec immerito: illis enim diebus quibus nihil certi statuit Ecclesia, vel Scriptura divina, mos populi Dei, et instituta maiorum pro lege tenenda sunt: et *in Decretis* dicitur *dist. 30. Si quis propter publicam poenitentiam a sacerdote acceptam, absque alia necessitate, die dominica pro quadam religione ieiunaverit, sicut Manichaei; anathema sit.* Sed intelligendum est quod hic Apostolus loquitur quantum ad illas abstinentias quae quolibet die licite fieri possunt absque dissonantia communis consuetudinis, vel eorum quae sunt a maioribus instituta.

Deinde cum dicit, *Qui sapit diem, Domino sapit*, probat propositum, quod scilicet unusquisque suo Domino stet, aut cadat; et hoc tripliciter. Primo per actum fidelium; secundo per intentionem eorum, ibi, *Nemo enim nostrum sibi vivit;* tertio per eorum conditionem, ibi, *Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Probat ergo primo quomodo unusquisque fidelium suo Domino stat, aut cadit, per hoc quod de omnibus quae fecit secundum suam conscientiam, gratias agit Deo: unde dicit: *Qui sapit diem*, ut scilicet uno die abstineat, et alio die ab abstinentia cesset, *Domino sapit*, idest ad reverentiam Dei cibos discernit; sicut etiam nos discernimus vigilias festorum in quibus ieiunamus, a diebus festis quibus ieiunium solvimus propter reverentiam Dei: *Eccli. 33. 7. Quare dies diem superat, et iterum lux lucem?* Deinde loquitur quantum ad illos qui iudicant omnem diem, quorum quidam omni die a ieiunio cessabant, sicut dicitur *Matth. 9.* quod discipuli Christi non ieiunabant. Unde dicit: *Et qui manducat*, scilicet omni die, *Domino manducat*, idest ad gloriam Domini: quod per hoc patet: *Gratias enim agit Deo*, scilicet de cibo assumpto: *1. Tim. 4. 3. Abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus: Psal. 21. 27. Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum.* Ulterius quantum ad eum qui sic iudicat omnem diem, ut scilicet omni die abstineat, subdit: *Et qui non manducat*, idest abstinet omni die, *Domino*, idest ad honorem Domini, *non manducat.* Et hoc patet per hoc quod gratias agit Deo, qui sibi dedit voluntatem, et virtutem abstinendi: *1. Thess. ult. 18. In omnibus gratias agite.* Sed quod hic dicit Apostolus de his qui in omni die vel abstinebant, vel ab abstinentia cessabant, debet intelligi quantum ad illud tempus in quo hoc non erat contrarium statutis maiorum, nec communi consuetudini populi Dei.

Deinde cum dicit, *Nemo enim nostrum sibi vivit etc.* probat idem ex intentione fidelium: et primo excludit inordinatam intentionem, dicens: Recte dico, quod unusquisque Domino suo stat, aut cadit: *Nemo enim nostrum sibi vivit*, vel naturali vita, vel spirituali, de qua dicitur *Habac. 2. 4. Iustus autem meus ex fide vivit. Sibi*, idest propter seipsum, quia hoc esset frui seipso: *1. Corinth. 10. 33. Non quaerens quod mihi utile est: Psalm. 113. 9. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Vel *sibi*, idest secundum suam regulam, sicut qui dicunt *Sap. 2. 11. Sit fortitudo nostra lex iustitiae.* Vel *sibi*, idest suo iudicio: *1. Corinth. 4. 3. Sed neque meipsum iudico. Et nemo moritur*, scilicet morte corporali, vel morte spirituali peccando, vel etiam morte spirituali, qua quis moritur vitiis, puta in baptismo, secundum illud *supra 6. 7. Qui mortuus est, iustificatus est a peccato.* Vel *sibi*, idest suo iudicio, vel propter seipsum, aut suo

exemplo ; sed exemplo Christi moritur aliquis a vitiis : *Supra 6. 10. Quod enim mortuus est peccato , mortuus est semel :* et *infra 11. Ita et vos existimate vos mortuos esse peccato.* Secundo ostendit qualis sit recta intentio fidelium, dicens: *Sive enim vivimus* , vita corporali , *Domino vivimus* , idest ad gloriam Domini : *sive morimur* , morte corporali , *Domino morimur*, idest ad honorem Domini: *Philip. 1. 20. Magnificabitur Christus in corpore meo sive per mortem, sive per vitam.* Vel si exponatur quod dicit, *Vivimus* , et *morimur* , de vita, et morte spirituali ; exponendum est quod dicit, *Domino*, idest iudicio Domini , *qui constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum* , ut dicitur *Act. 10. 42.* Deinde cum dicit , *Sive ergo vivimus etc.* ostendit propositum ex conditione fidelium : et primo concludit ex praemissis conditionem fidelium , scilicet quod non sunt sui, sed alterius : illi enim qui sui sunt, sicut liberi homines, sibi vivunt , et sibi moriuntur. Quia ergo dictum est , quod fideles non sibi vivunt , aut moriuntur , sed Domino ; concludit sic: *Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus*, quasi servi eius qui habet potestatem vitae, et mortis : *1. Cor. 7. 23. Pretio empti estis ; nolite fieri servi :* et *6. 20. Empti enim estis pretio magno : 1. Paralip. 12. 18. Tui sumus , o David , et tecum fili Isai.* Secundo assignat causam huius conditionis , dicens: *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit*, idest hoc adeptus est sua morte, et resurrectione , ut vivorum dominaretur , quia resurrexit vitam novam , et perpetuam inchoando , et mortuorum , quia mortem nostram moriendo destruxit : *2. Corinth. 5. 15. Pro omnibus mortuus est Christus: ut qui vivunt iam non sibi vivant , sed ei qui pro eis mortuus est, et resurrexit.* Sic igitur per omnia praedicta Apostolus probavit quod unusquisque Domino suo stat , aut cadit , per hoc scilicet quod fideles gratias agunt Deo, et quod Domino vivunt , et moriuntur, et quod Domini sunt et in morte , et in vita.

Deinde cum dicit , *Tu autem quid iudicas ?* ponit tertiam rationem , quae sumitur ex futuro iudicio : et circa hoc tria facit. Primo proponit superfluitatem praesentis iudicii , dicens : *Tu autem quid iudicas* , idest qua utilitate , vel necessitate iudicas , *fratrem tuum* , temere de occultis, quae tuo iudicio non sunt commissa ? Aut tu alius qui iudicaris, quare spernis fratrem tuum , pro nullo reputans ab eo iudicari ? *Malach. 2. 10. Quare despicit unusquisque fratrem suum?* Secundo praenuntiat futurum Christi iudicium ; quasi dicat: Recte dico, *Cur iudicas?* quia non debes timere quod absque iudicio remaneat : *omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Dicitur enim tribunal Christi eius iudiciaria potestas, sicut et *Matth. 25. 31.* dicitur: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua , tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* Dicit autem, *Omnes stabimus* , quasi iudicandi, tam boni, quam mali, quantum ad remunerationem, vel punitionem: *2. Corinth. 5. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum , sive malum.* Sed quantum ad discussionem non omnes stabunt ut iudicandi , sed quidam consedebunt ut iudices : *Matth. 19. 28. Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* Tertio ibi, *Scriptum est enim etc.* probat quod dixerat : et primo inducit auctoritatem ; secundo infert conclusionem, ibi, *Itaque unusquisque etc.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod omnes stabimus ante tribunal Christi, et hoc patet per auctoritatem sacrae Scripturae : *scriptum est enim : Isai. 45. 14. Vivo ego, dicit Dominus , quoniam mihi flectetur omne genu , et omnis lingua confitebitur Deo :* littera nostra sic habet : *In memetipso iuravi , quia mihi curvabitur omne genu . et iurabit omnis lingua.* Tria autem in his verbis ponuntur. Primo quidem iuramentum, quod interdum in verbis Dei ponitur ad ostendendum id quod dicitur , firmum esse immutabilitate divini consilii; non autem esse mutabile sicut ea quae praenuntiantur secundum causas inferiores , ut prophetia comminationis : unde dicitur *in Psal. 109. 4. Iuravit Dominus, et non poenitebit eum.* Homines autem, ut Apostolus dicit *Hebr. 6. 16. per maiorem sui iurant.* Quia vero Deus non habet maiorem , in quo maior firmitas consistat veritatis, per seipsum iurat. Ipse autem est ipsa vita, et fons vitae, secundum illud *Deut. 30. 20. Ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra , pro qua iuravit Dominus patribus tuis : Psalm. 35. 10. Apud te est fons vitae.* Et ideo forma iuramenti Domini est , *Vivo ego ;* quasi dicat : Iuro per vitam , qua ego singulariter vivo. Secundo praenuntiatur subiectio communis creaturae ad Christum, cum dicitur : *Quoniam mihi*, scilicet Christo , *flectetur omne genu :* in quo designatur perfecta subiectio rationalis creaturae ad Christum: solent enim homines in signum subiectionis maioribus flectere genua: unde *Philip. 2. 10.* dicitur : *In nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.* Tertio praenuntiat fidei confessionem , qua omnes gloriam Christi confitebuntur: unde sequitur: *Et omnis lingua confitebitur Deo* , idest confitebitur Christum esse Dominum , secundum illud *Philip. 2. 11. Omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Omnis autem lingua intelligi potest expressio cognitionis sive hominum, sive Angelorum, secundum illud *1. Corinth. 13. 1. Si linguis hominum loquar , et Angelorum.* Hoc autem impletur nunc in hac vita, non quantum ad singulos homines , sed quantum ad genera singulorum: de quolibet enim genere hominum nunc aliqui Christo subiiciuntur , et ei confitentur per fidem; sed in futuro iudicio omnes, et singuli ei subiicientur, boni quidem voluntarie, mali autem inviti. Unde dicitur *Hebr. 2. 8. In eo quod ei omnia subiecit , nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.*

Deinde cum dicit , *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo* , infert conclusionem ex dictis : et primo conclusionem intentam ex eo quod immediate dixerat, dicens : *Itaque* ex quo Christo flectitur omne genu , *unusquisque nostrum per se reddet rationem Deo* , scilicet ante tribunal Christi : *Matth. 12. 36. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines , reddent Deo rationem in die iudicii :* et *18. 23. Assimilatum est regnum caelorum homini regi , qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

Sed videtur quod non quilibet per se rationem reddet, sed unus pro alio : *Hebr. ult. 17. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Sed di-

cendum, quod in hoc ipso quod praelati pro aliis rationem reddent, reddent rationem pro suis actibus, quos circa subditos agere debuerunt. Si enim fecerunt quod competebat eorum officio, non eis imputabitur si subditi pereant. Imputaretur autem eis, si negligerent facere quod eorum officium requirebat: unde dicitur *Ezech. 3. 18. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei; ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Secundo infert conclusionem principaliter intentam in tota praecedenti parte, dicens: *Non ergo amplius invicem iudicemus*, scilicet temerario iudicio, quod includitur rationibus supra dictis: *1. Corinth. 4. 5. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus.*

## LECTIO II.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Scio, et confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca, et potus; sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei.

Postquam Apostolus prohibuit humana iudicia; hic prohibet scandalum proximorum: et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Si enim propter cibum frater tuus contristatur etc.* Circa primum proponit tria. Primo enim docet scandala esse vitanda, dicens: Dixi, quod non iudicetis invicem, sed unusquisque de suis actibus iudicare debet, ne sint in scandalum aliorum; et hoc est quod dicit: *Sed hoc iudicate magis, ne ponatis fratribus offendiculum, vel scandalum.* Scandalum autem, sicut dicit Hieronymus *sup. Matth.* notat offendiculum, vel ruinam, quam impactionem pedis possumus dicere. Unde scandalum est factum, vel dictum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae, ad similitudinem lapidis, ad quem in via positum homo impingit, et cadit. Maius autem aliquid videtur esse scandalum quam offendiculum: nam offendiculum potest esse quidquid retinet, seu retardat motum procedentis; scandalum autem, idest impactio, videtur esse cum aliquis disponitur ad casum. Non ergo debemus fratri ponere offendiculum, ut aliquid faciamus unde impediatur proximus a via iustitiae: *Isai. 57. 14. Auferte offendiculum de via populi mei.* Neque etiam debemus fratri ponere scandalum, aliquid faciendo unde ipse inclinetur ad peccatum: *Matth. 18. 7. Vae homini illi per quem scandalum venit.* Secundo docet id ex quo scandalum parabatur, esse secundum suam naturam, sive secundum se licitum. Circa quod sciendum est, quod, sicut supra dictum est, apud Romanos erant quidam ex Iudaeis ad fidem Christi conversi, qui cibos secundum legem discernebant; alii vero habentes fidem perfectam, indifferenter omnibus cibis utebantur, quod quidem secundum se licitum erat. Unde dicit: *Scio, et confido in Domino Iesu, quia nihil est commune per ipsum.* Circa quod notandum est, quod, sicut dicit Hieronymus *super Matthaeum*, populus Iudaeorum, partem Dei se esse iactans, communes cibos vocat quibus omnes utuntur homines; verbi gratia suillam carnem, lepores, et huiusmodi: et quia ceterae gentes, quae talibus utebantur cibis, non erant de parte Dei; ideo talis cibus immundus appellabatur. Quod ergo dicit, *Nihil commune est*, idem est ac si diceret, Nihil immundum est. Et hoc quidem Apostolus primum dicit se scire, quia ita est secundum rerum naturam, secundum illud *1. Timoth. 4. 4. Omnis creatura Dei bona, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Secundo dicit se confidere in Christo Iesu, quia per ipsum nihil est commune: quia scilicet cibi secundum suam naturam numquam fuerunt immundi; vitabantur tamen aliquo tempore ut immundi secundum legis praeceptum propter figuram; sed hoc Christus removit implendo omnes figuras: et ideo Apostolus per fiduciam quam habet in Domino Iesu, asserit, quod *nihil est commune*, vel immundum, *per ipsum*, idest ipso hoc faciente: *Act. 10. 15. Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris.* Tertio ostendit quomodo hoc posset esse per accidens illicitum, inquantum scilicet est contra conscientiam manducantis: unde dicit: Dictum est, quod nihil est commune. Sed hoc intelligendum est, nisi ei *qui* erronea conscientia *aestimat quid*, idest aliquid ciborum, *commune esse*, idest ita est illicitum sibi, ac si esset secundum se immundum: *Tit. 1. 15. Omnia munda mundis; coinquinatis autem, et infidelibus nihil mundum est, sed inquinata est eorum mens, et conscientia.* Et sic apparet quod aliquid quod est secundum se licitum, efficitur illicitum ei qui id contra suam conscientiam agit, licet conscientia sua sit erronea: quod rationabiliter accidit: nam actus iudicantur secundum voluntatem agentium; voluntas autem movetur a re apprehensa: unde in id voluntas tendit quod ei vis apprehensiva repraesentat: et secundum hoc qualificatur, vel specificatur actio. Si igitur ratio alicuius iudicet aliquid esse peccatum, et voluntas feratur in id faciendum; manifestum est quod homo habet voluntatem faciendi peccatum, et ita actio eius exterior, quae informatur ex voluntate, est peccatum. Et eadem ratione si aliquis aestimet, id quod est veniale peccatum, esse mortale peccatum, si hac conscientia durante illud faciat; manifestum est quod eligit peccare mortaliter, et ita actio eius propter suam electionem est peccatum mortale. Si tamen post factum habeat conscientiam erroneam, per quam credat, id quod est licitum, a se factum fuisse peccatum, vel quod est veniale, fuisse mortale; non propter hoc efficitur id quod est prius, vel peccatum, vel mortale: quia voluntas, et actio non informantur ex apprehensione sequenti, sed ex praecedenti.

Haec autem quae dicta sunt, dubitationem non ha-

bent; sed dubium potest esse utrum si aliquis habeat erroneam conscientiam ut credat esse necessarium ad salutem quod est peccatum mortale, puta si aliquis aestimet se peccare mortaliter nisi furetur, vel fornicetur; utrum talis conscientia eum liget, ita scilicet quod sit contra conscientiam agat, mortaliter peccet.

Et videtur quod non. Primo quidem quia lex Dei, quae prohibet fornicationem, et furtum, fortius ligat quam conscientia. Secundo quia hoc posito esset perplexus: peccaret enim et fornicando, et non fornicando.

Sed dicendum est, quod etiam in per se malis conscientia erronea ligat. Intantum enim conscientia ligat, ut dictum est, inquantum ex hoc quod aliquis contra conscientiam agit, sequitur quod habeat voluntatem peccandi; et ita si aliquis credat non fornicari esse peccatum mortale, dum eligit non fornicari, eligit peccare mortaliter, et ita mortaliter peccat. Et ad hoc etiam facit quod hic dicit Apostolus. Manifestum est enim quod discernere cibos, quasi necessarium ad salutem, erat illicitum: quia nec Iudaeis conversis etiam ante divulgationem Evangelii licebat servare legalia spem ponendo in eis, quasi essent necessaria ad salutem, ut Augustinus dicit *epist. 19.* et tamen Apostolus hic dicit, quod si quis habens conscientiam cogentem discernere cibos, quod est aestimare aliquid esse commune, et non discernit eos, scilicet abstinendo ab eis, peccat ac si manducaret immundum. Et ita etiam in per se illicitis conscientia erronea ligat.

Nec obstat quod primo obiicitur de lege Dei: quia idem est ligamen conscientiae etiam erroneae, et legis Dei. Non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum, vel vitandum, nisi quia credit hoc esse contra, vel secundum legem Dei: non enim lex nostris actibus applicatur, nisi mediante conscientia nostra. Similiter etiam nec obstat quod secundo obiicitur. Nihil enim prohibet aliquem esse perplexum, aliquo supposito; licet nullus sit perplexus simpliciter: sicut sacerdos fornicarius, sive celebret missam, sive non celebret, quando debet ex officio, peccat mortaliter; non tamen est perplexus simpliciter, quia potest peccatum dimittere, et celebrare. Et simpliciter potest aliquis conscientiam erroneam dimittere, et a peccato abstinere.

Est autem adhuc alia dubitatio. Non enim dicitur scandalizare qui facit opus rectum, licet etiam ex eo aliquis sumat materiam scandali: legitur enim *Matth. 15.* quod pharisaei, audito verbo Christi, scandalizati sunt. Sed non discernere cibos est opus rectum. Ergo non est dimittendum propter scandalum eius qui perversam conscientiam habet, errans in fide. Nam secundum hoc catholici deberent abstinere a carnibus, et matrimonio, ne inde haeretici scandalizarentur secundum erroneam conscientiam.

Sed dicendum est, quod aliquis scandalizare alium potest, non solum faciendo aliquod malum, sed etiam aliquid faciendo quod habet speciem mali, secundum illud *1. Thess. ult. 22. Ab omni specie mali abstinete vos.* Dicitur autem aliquod habere speciem mali dupliciter. Primo videlicet secundum opinionem eorum qui sunt ab Ecclesia praecisi; secundo secundum opinionem eorum qui adhuc ab Ecclesia tolerantur. Infirmi autem in fide existimantes legalia esse observanda, adhuc tolerabantur ab Ecclesia ante Evangelii divulgationem; et ideo non erat comedendum cum eorum scandalo de cibis in lege prohibitis. Haeretici autem non tolerantur ab Ecclesia; et ideo de eis non est similis ratio.

Deinde cum dicit, *Si enim propter cibum frater tuus contristatur*, manifestat quod dixerat: et primo primum, scilicet quod non sit ponendum scandalum fratribus; secundo secundum, et tertium, quomodo scilicet sit aliquid commune, ibi, *Omnia quidem munda sunt.*

Circa primum ponit quatuor rationes, quarum prima sumitur ex parte caritatis, dicens: *Si enim frater tuus contristatur*, de hoc quod reputat te peccare propter cibum quem tu comedis, quem ipse reputat immundum, *iam non secundum caritatem ambulas*, secundum quam aliquis proximum suum diligit sicut seipsum; et ita vitat eius contristationem, et non praefert cibum quieti fratris: quia, ut dicitur *2. Corinth. 13. 5. caritas non quaerit quae sua sunt.*

Secundam rationem ponit ibi, *Noli cibo tuo illum perdere;* quae sumitur ex parte mortis Christi. Videtur enim parum appretiare mortem Christi, qui pro cibo fructum eius evacuare non recusat: unde dicit: *Noli cibo tuo*, quem tu scilicet indifferenter comedis, non discernendo cibos, *illum perdere*, idest scandalizare, *pro quo*, idest pro cuius salute, *Christus mortuus est: 1. Pet. 7. 18. Christus semel mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis.* Dicit autem illum perdi qui scandalizatur, quia scandalum passivum sine peccato scandalizati esse non potest: ille enim scandalizatur qui occasionem sumit ruinae: *1. Corinth. 8. 11. Peribit infirmus in tua conscientia frater, pro quo Christus mortuus est.*

Tertiam rationem ponit ibi, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum:* quae sumitur ex donis spiritualis gratiae: et primo ostendit inconveniens quod sequitur contra huiusmodi dona ex eo quod alios scandalizamus; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Non enim est regnum Dei esca, et potus;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Itaque quae pacis sunt sectemur.* Circa primum considerandum est, quod ex hoc quod aliqui indifferenter cibis utebantur in primitiva Ecclesia cum scandalo infirmorum, hoc inconveniens sequebatur quod infirmi fidem Christi blasphemabant, dicentes, eam voracitatem ciborum inducere contra legis mandatum. Et ideo Apostolus dicit: Ex quo per Dominum Iesum factum est quod nihil est commune, *non ergo bonum nostrum*, idest fides, vel gratia Christi, per quam libertatem a caeremoniis consequuti estis, *blasphemetur* ab infirmis dicentibus, eam gulae hominum indulgere: *Iac. 2. 17. Ipsi blasphemant nomen bonum, quod invocatum est super vos.* De hoc bono dicitur *in Psal. 72. 27. Mihi adhaerere Deo, bonum est.* Deinde cum dicit, *Non enim est regnum Dei esca, et potus*, manifestat quod dixerat, scilicet in quo bonum nostrum consistat: et primo ostendit in quo non consistat, dicens: *Non enim est regnum Dei esca, et potus.* Regnum autem Dei dicitur hic id per quod Deus regnat in nobis, et per quod ad regnum ipsius pervenimus: de quo dicitur *Matth. 6. 10. Adveniat regnum tuum:* et *Mich. 4. 7. Regnabit Dominus super omnes in monte Sion.* Deo autem coniungimur, et subdimur per interiorem intellectum, et affectum, ut dicitur *Ioan. 4.*

*24. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate adorare oportet.* Et inde est quod regnum Dei principaliter consideratur secundum interiora hominis, non secundum exteriora: unde dicitur *Luc. 17. 21. Regnum Dei intra vos est.* Ea vero quae sunt exteriora ad corpus pertinentia, intantum ad regnum Dei pertinent, inquantum per ea ordinatur, vel deordinatur interior affectus, secundum ea in quibus principaliter consistit regnum Dei. Et ideo cum esca, et potus ad corpus pertineant, ipsa secundum se non pertinent ad regnum Dei, nisi secundum quod eis utimur, vel ab eis abstinemus: unde dicitur *1. Corinth. 8. 3. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus.* Pertinet tamen usus, vel abstinentia escae, et potus ad regnum Dei, inquantum affectus hominis circa hoc ordinatur, vel deordinatur: unde Augustinus dicit *in lib. de Quaestionibus Evang.* et habetur hic in Glossa: *Iustificatur sapientia a filiis suis, qui intelligunt non in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in aequanimitate tolerandi inopiam, et in temperantia non se corrumpendi per abundantiam, atque importunitatem sumendi.* Non enim interest quomodo, ut in Glossa dicitur, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personae suae, et pro valetudinis suae necessitate; sed quanta facultate, et severitate animi careat his, vel cum oportet, vel cum necesse est his carere. Secundo ostendit in quo consistat bonum nostrum, quod regnum Dei vocat, dicens: *Sed regnum Dei est iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto:* ut iustitia referatur ad exteriora opera, quibus homo unicuique reddit quod suum est, et ad voluntatem huiusmodi opera faciendi, ut dicitur *Matth. 6. 33. Primum quaerite regnum Dei, et iustitiam eius;* pax autem referatur ad effectum iustitiae: per hoc enim pax maxime perturbatur, quod unus homo non exhibet alteri quod ei debet: unde dicitur *Isai. 32. 17. Opus iustitiae pax.* Gaudium autem referendum est ad modum quo sunt iustitiae opera perficienda: ut enim dicit Philosophus *in 1. Ethic. non est iustus qui non gaudet iusta operatione*: unde et *in Psal. 19. 1.* dicitur: *Servite Domino in laetitia.* Causam autem huius gaudii exprimit, dicens, *In Spiritu sancto:* est enim Spiritus sanctus, quo caritas Dei diffunditur in nobis, ut dicitur *supra 5.* Illud enim est *gaudium in Spiritu sancto* quod caritas parit; puta cum aliquis gaudet de bonis Dei, et proximorum. Unde *1. Corinth. 13. 6.* dicitur, quod *caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati:* et *Gal. 5. 22.* dicitur: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax.* Haec autem tria, quae hic tanguntur, imperfecte quidem in hac vita habentur, perfecte autem quando sancti possidebunt regnum Dei sibi paratum, ut dicitur *Matth. 25.* Ibi erit perfecta iustitia absque omni peccato: *Isa. 60. 21. Populus tuus omnes iusti.* Ibi erit pax absque omni perturbatione timoris: *Isai. 32. 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae.* Ibi erit gaudium: *Isa. 35. 10. Gaudium, et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Tertio probat quod dixerat, scilicet quod in his regnum Dei consistit. Ille enim homo videtur ad regnum Dei pertinere qui placet Deo, et a sanctis hominibus adprobatur. Sed hoc illi contingit in quo invenitur iustitia, pax, et gaudium. Ergo in his est regnum Dei. Dicit ergo: Dictum est, quod regnum Dei *est iustitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Qui ergo *in hoc servit Christo*, qui est Rex huius regni, secundum illud *Col. 1. 13. Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suae;* ut scilicet vivat in iustitia, pace, et spirituali gaudio: *placet Deo*, qui est huius regni auctor: *Sap. 4. 10. Placens Deo factus est dilectus: et probatus est hominibus*, idest ab eis adprobatur qui sunt huius regni participes: *Eccli. 31. 10. Qui probatus est in illo, et perfectus inventus est.* Deinde cum dicit, *Itaque quae pacis sunt sectemur*, infert admonitionem intentam, dicens: Ex quo regnum Dei consistit in iustitia, pace, et spirituali gaudio, itaque ut ad regnum Dei pervenire possimus, *sectemur ea quae pacis sunt*, idest ea studeamus adimplere per quae Christianorum pacem conservemus: *Hebr. 12. 14. Pacem sequimini, et sanctimoniam cum omnibus. Custodiamus invicem ea quae sunt aedificationis*, idest ea, per quae invicem nos aedificemus, idest bonum conservemus; et in melius provocemur: *1. Corinth. 14. 12. Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis:* quod quidem fiet, si in iustitia, et spirituali gaudio vixerimus.

Quartam rationem ponit ibi, *Noli propter escam destruere opus Dei;* quae sumitur ex reverentia divinorum operum, quibus hoc reverentiae debemus, ut ea quae Deus operatur, non debeamus destruere propter aliquod commodum corporale: et hoc est quod dicit: *Noli propter escam*, quae ad corporis utilitatem pertinet, *destruere opus Dei:* quod quidem non intelligitur de quocumque Dei opere: nam omnia quae in cibum hominis veniunt, Dei opera sunt, sicut terrae nascentia, et animalium carnes, quae sunt hominibus in cibum a Deo concessa, ut patet *Gen. 1.* et *9.* sed intelligitur de opere gratiae, quod in nobis ipsis specialiter operatur: *Philip. 2. 13. Deus enim est qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Hoc igitur opus Dei non debemus in proximo destruere propter escam nostram; sicut facere videbantur illi qui cum turbatione, et scandalo proximorum indifferentibus utebantur.

## LECTIO III.

Omnia quidem munda sunt; sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Postquam Apostolus posuit rationem ad ostendendum quod non debemus cum scandalo proximorum indifferenter sumere omnia; hic ostendit qualiter aliqui cibi possunt esse mundi, et immundi: et circa hoc duo fa-

cit. Primo proponit quae sunt munda ex sua natura, dicens : *Omnia quidem*, quae scilicet ad escam hominis pertinere possunt, *munda sunt*, scilicet ex sui natura, quia ex sui natura non habent quod animam hominis inquinent, secundum illud *Matth. 15. 11. Non enim omne quod intrat in os, coinquinat hominem : 1. Tim. 4. 4. Omnis creatura Dei bona est.* Dicebantur autem in lege quaedam immunda non natura, sed significatione, ut patet *Lev. 6.* Sed et hanc immunditiam Christus removit implendo veteris legis figuras : unde dictum est Petro *Acto. 10. 15. Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*, idest immundum. Secundo ibi, *Sed malum est homini etc.* ostendit qualiter aliquis cibus homini possit fieri immundus, ut scilicet ex eius esu secundum animam inquinetur: quod quidem ostendit fieri dupliciter. Primo ex eo quod aliquis cibum quemcumque cum scandalo proximorum manducat ; secundo ex eo quod contra conscientiam manducat, ibi, *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quid circa esum ciborum sit malum, dicens: Licet omnia ex sui natura sint munda, *sed* tamen *malum est homini qui manducat* quemcumque cibum *per offendiculum*, idest cum confusione, et scandalo proximorum : *Matth. 18. 7. Vae homini illi per quem scandalum venit.* Secundo ostendit quid circa huiusmodi usum ciborum sit bonum, dicens : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum :* quorum primum praecipuum esse videtur inter cibos, secundum inter potus. Et ab his quidem abstinere ponit bonum esse, vel propter carnis concupiscentiam edomandam, secundum illud *Ephes. 5. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria :* vel etiam ut homo reddatur habilior ad spiritualia contemplanda, secundum illud *Eccle. 2. 3. Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.* Sed hoc non intendit hic Apostolus dicere, sed quod bonum est his non uti cum scandalo proximorum : quod quidem apparet ex hoc quod subditur: *Neque in quo frater tuus offenditur ;* quasi dicat : Non solum dico de vino, et carnibus, quod bonum est eis non uti, sed quocumque alio cibo *frater tuus offenditur*, idest turbatur contra te, quasi illicite agentem, per quod pax eius perturbatur ; *aut scandalizatur*, idest ad casum peccati provocatur, propter quod laeditur eius iustitia; *aut infirmatur*, idest saltem in dubitationem venit utrum hoc qnod agitur sit licitum, per quod eius spirituale gaudium diminuitur. Unde et ipse Apostolus dicit *1. Corinth. 8. 13. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Sed cum licitum sit his cibis uti, si est ab his abstinendum propter hoc quod vitetur scandalum proximorum, videtur pari ratione quod ab omnibus licitis quae non sunt necessaria ad salutem, sicut sunt necessaria iustitia, pax, et spirituale gaudium, sit propter proximorum scandalum abstinendum. Et ita videtur quod homini non liceat sua repetere cum scandalo proximi.

Sed dicendum est, quod si scandalum ex infirmitate, vel ex ignorantia proveniat eorum qui propter hoc scandalizantur, ad vitandum hoc scandalum debet homo a licitis abstinere, si non sunt necessaria ad salutem : hoc enim est scandalum pusillorum, quod Dominus vitari iubet *Matth. 18. 10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Si vero huiusmodi scandalum ex malitia proveniat eorum qui scandalizantur, tale scandalum est quasi pharisaeorum, quod Dominus *Matth. 15.* docuit esse contemnendum. Unde ad vitandum huiusmodi scandalum, non oportet a licitis abstinere.

Sed tamen circa scandalum pusillorum attendendum est, quod propter illud vitandum tenetur homo usum licitorum differre quousque, reddita ratione, hoc scandalum amoveri possit. Si vero ratione reddita adhuc scandalum maneat, iam non videtur ex ignorantia, vel ex infirmitate procedere, sed ex malitia ; et sic iam pertinebit ad scandalum pharisaeorum.

Tertio excludit quamdam excusationem. Posset enim aliquis dicere : Licet proximus scandalizetur de hoc quod indifferenter ego cibis utor, tamen ad ostensionem meae fidei, per quam certum est hoc mihi licere, volo indifferenter cibis uti. Sed hanc rationem excludens Apostolus dicit : *Tu*, qui scilicet indifferenter cibis uteris, *fidem habes* rectam *apud temetipsum*, per quam constat licitum esse his cibis uti. Bona quidem, et laudabilis est fides ista ; sed *habe* eam in occulto *coram Deo*, cui talis fides placet : *Eccli. 1. 34. Beneplacitum est Deo fides, et mansuetudo.* Quasi dicat : Non oportet quod fidem istam manifestes per operis executionem, ubi hoc fit cum scandalo proximorum.

Sed contra videtur esse quod dicitur *supra 10. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Non ergo videtur quod sufficiat corde solum coram Deo fidem habere, sed oportet huiusmodi fidem proximo manifestare, confitendo.

Dicendum est autem, quod eorum quae sunt fidei, quaedam sunt quae non sunt perfecte per Ecclesiam manifestata, sicut in primitiva Ecclesia nondum erat perfecte declaratum apud homines quod illi qui erant ex Iudaeis conversi, non tenerentur legalia observare, et sicut tempore Augustini nondum erat per Ecclesiam declaratum quod anima non esset ex traduce. Unde in huiusmodi sufficit homini quod fidem habeat coram Deo; nec oportet quod fidem suam propalet cum scandalo proximorum, nisi forte apud eos qui habent de fide determinare. Quaedam vero sunt ad fidem pertinentia iam per Ecclesiam determinata ; et in talibus non sufficit fidem habere coram Deo, sed oportet quod coram proximo fidem quis confiteatur, quantumcumque ex hoc aliquis scandalizetur : quia veritas doctrinae non est dimittenda propter scandalum, sicut nec Christus veritatem suae doctrinae propter scandalum pharisaeorum dimisit, ut habetur *Matth. 15.*

Sciendum etiam, quod licet circa talia oporteat quod homo fidem suam manifestet confessione verborum ; non tamen oportet quod eam manifestet executione operis, sicut si aliquis tenet fide, uti matrimonio esse licitum, non requiritur ab eo quod matrimonio utatur ad fidei suae manifestationem: et sic etiam non requirebatur ab eis qui rectam fidem habebant, quod fidem suam usu ciborum manifestarent : poterant enim manifestare verbo tenus confitendo.

Deinde cum dicit, *Beatus qui non iudicat se*, ostendit quomodo ciborum usus efficitur aliquibus im-

mundus ex eo quod est contra conscientiam : et circa hoc tria facit. Primo ostendit quid circa hoc sit bonum , ut scilicet de eo quod homo facit , non habeat conscientiam remordentem: unde dicit: *Beatus qui non iudicat semetipsum* , idest cuius conscientia eum non reprehendit , vel condemnat, *in eo quod probat*, idest adprobat esse faciendum. Sed hoc est intelligendum , si recta fide adprobet esse aliquid faciendum. Si autem falsa opinione adprobat aliquid esse faciendum , puta si arbitratur obsequium se praestare Deo de eo quod discipulos Christi interficit, ut dicitur *Ioan. 16.* non excusatur ex eo quod circa hoc non iudicat semetipsum ; immo beatior esset , si circa hoc eum conscientia reprehenderet , inquantum per hoc a peccato magis prohiberetur. Sed in his quae sunt licita , est intelligendum quod hic Apostolus dicit. Hoc enim ad gloriam hominis pertinet quod eum sua conscientia non reprehendat : *2. Corinth. 1. 12. Gloria nostra haec est , testimonium conscientiae nostrae : Iob 28. 6. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Secundo ostendit quid circa hoc sit malum, ut scilicet contra conscientiam agat : unde dicit : *Qui autem discernit* , idest qui habet opinionem falsam, quod oporteat cibos discernere , *si manducaverit* , scilicet cibos quos reputat esse illicitos, *damnatus est*, ex hoc quod, quantum in ipso est , habet voluntatem faciendi quod est illicitum ; et sic delinquit proprio iudicio condemnatus , ut dicitur *Tit. 3.* Tertio assignat causam eius quod dixerat , dicens, *Quia non ex fide :* ideo scilicet condemnatus est. Potest autem hic fides dupliciter accipi. Uno modo de fide quae est virtus; alio modo secundum quod fides dicitur conscientia : et hae duae acceptiones non differunt nisi secundum differentiam particularis , et universalis. Id enim quod universaliter fide tenemus , puta usum ciborum esse licitum, vel illicitum, conscientia applicat ad opus quod est factum, vel faciendum. Dicitur ergo, ideo eum qui manducat, et discernit esse condemnatum , quia hoc non est ex fide , immo est contra fidem , idest contra veritatem fidei, et contra conscientiam facientis: *Hebr. 11. 6. Sine fide impossibile est placere Deo.* Et quod haec sit sufficiens causa condemnationis, ostendit subdens: *Omne autem quod non est fide , peccatum est.*

Ex quo videtur quod , sicut dicitur in Glossa, omnis vita infidelium peccatum sit , sicut omnis vita fidelium est meritoria , inquantum ad Dei gloriam ordinatur , secundum illud *1. Cor. 10. 31. Sive manducatis , sive bibitis , sive aliquid aliud facitis , omnia in gloriam Dei facite.*

Sed dicendum est , quod aliter se habet fidelis ad bonum, et infidelis ad malum: nam in homine qui habet fidem formatam nihil est damnationis , ut *supra 8.* dictum est ; sed in homine infideli, cum infidelitate est bonum naturae. Et ideo cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit , non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus eius est meritorium , quia non est gratia informatum. Et hoc est quod in Glossa dicitur : *Nihil bonum est sine summo bono* , idest nullum bonum meritorium est sine gratia Dei, et ubi deest agnitio vitae aeternae , et incommutabilis veritatis, quae scilicet est per fidem, falsa virtus est in optimis moribus , inquantum scilicet non refertur ad finem beatitudinis aeternae. Cum vero homo infidelis aliquid agit ex eo quod infidelis est , manifestum est quod peccat. Unde cum in Glossa dicitur , Opus *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, sic est intelligendum : Omne quod est contra fidem , vel contra conscientiam , peccatum est , etsi ex genere suo bonum esse videatur : puta, si paganus ad honorem suorum deorum virginitatem servet , vel eleemosinam det , hoc ipso peccat : *Tit. 1. 15. Coinquinatis , et infidelibus nihil mundum est; sed inquinatae sunt eorum et mens , et conscientia.*

# CAPITIS DECIMIQUINTI

## LECTIO PRIMA

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit ; sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quaecumque enim scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt , ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiae , et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum , ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite invicem , sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei , ad confirmandas promissiones patrum ; Gentes autem super misericordia honorare Deum; sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine , et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit ; Lactamini Gentes cum plebe eius. Et iterum : Laudate omnes Gentes Dominum, et magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait. Erit radix Iesse , et qui exurget regere Gentes : in eum Gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio , et pace in credendo , ut abundetis in spe , et virtute Spiritus sancti.

Supra Apostolus docuit quod maiores debent scandala infirmorum vitare ; hic docet quod maiores debent etiam infirmitates minorum sustinere : et circa hoc duo facit. Primo proponit admonitionem ; secundo manifestat eam, ibi, *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum.* Ista admonitio duo continet , quorum primum pertinet ad exteriorem exhibitionem: unde dicit : Non solum debemus scandala infirmorum vitare , sed etiam *nos* , qui sumus *firmiores* in fide, *debemus sustinere imbecillitates infirmorum.* Sicut enim in materiali aedificio eliguntur aliqua firmiora ad sustinendum totum aedificii pondus , quod ex fragiliori materia superponitur , sicut sunt fundamenta , et columnae ; ita etiam in spirituali Ecclesiae aedificio non solum eliguntur , sed efficiuntur aliqui firmiores , ut sustineant pondus aliorum. Unde *in Psal. 74. 4.* di-

citur : *Ego confirmavi columnas eius :* et *Gal. 6. 2. Alter alterius onera portate.* Sustinent autem firmiores imbecillitates infirmorum, dum eorum defectus patienter ferunt, et pro posse sublevare nituntur. Secundum autem pertinet ad interiorem intentionem : unde dicitur : *Et non* debemus *nobis placere*, ita scilicet ut semper illud velimus impleri quod nobis placet ; sed debemus condescendere voluntatibus aliorum, ut faciamus ea quae aliis placent, et quae eis sunt utilia : *1. Corinth. 10. 23. Sicut et ego per omnia omnibus placeo.*

Deinde cum dicit, *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum*, manifestat propositam admonitionem : et primo quantum ad secundam partem ; secundo quantum ad primam, ibi, *Propter quod suscipite invicem etc.* Circa primum duo facit. Primo exponit quod dixerat; secundo rationem inducit, ibi, *Etenim Christus non sibi placuit.* Dicit ergo primo : Ita dictum est, quod nos non debemus nobis placere ; et hoc quidem est, quia unusquisque nostrum, qui sumus firmiores, debet placere proximo suo infirmo, idest condescendere ei in his quae ei placent, non tamen in his quae mala sunt, sicut *Isa. 30. 10.* quidam requirunt : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et ideo subdit, *In bonum.* Similiter etiam non debemus intendere ut hominibus placeamus propter humanum favorem, vel gloriam, cum *in Ps. 52. 6.* dicatur : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent ;* sed ad honorem Dei, et utilitatem proximorum : unde subdit, *Ad aedificationem*, idest propter hoc quod aliorum voluntati condescendentibus, ipsi aedificentur in fide, et dilectione Christi : *Supra 14. 19. Quae aedificationis sunt, invicem custodiamus.*

Deinde cum dicit, *Etenim Christus non sibi placuit*, assignat rationem eius quod dixerat, exemplo Christi : et primo proponit exemplum Christi ; secundo ostendit eius exemplum esse a nobis imitandum, ibi, *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ;* tertio subiungit orationem ut id implere possimus, ibi, *Deus autem patientiae, et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum.*

Circa primum duo facit. Primo proponit exemplum, dicens : Dictum est, quod non debemus nobis placere, scilicet secundum nostram privatam voluntatem : *etenim Christus*, qui est caput nostrum, *non sibi placuit*, dum elegit pati pro nostra salute, et ea quae suae propriae voluntati erant contraria, scilicet naturali voluntati humanae, ut impleret divinam, quae sibi, et Patri erat communis, secundum illud *Luc. 22. 42. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Secundo ad hoc auctoritatem inducit, dicens : *Sed sicut scriptum est, in Psal. 68. 10.* ex persona Christi, dicentis ad Patrem : O Pater, *improperia* Iudaeorum *improperantium tibi*, idest te blasphemantium per sua mala opera, et per hoc quod veritati tuae doctrinae contradicunt, *ceciderunt super me :* quia videlicet opprimere me voluerunt, quia voluntatem tuam eis proponebam, et eorum mala opera redarguebam : *Ioan. 15. 24. Sed oderunt me, et Patrem meum.* Potest et hoc referri ad peccata totius humani generis : quia omnia peccata quodammodo sunt improperia Dei, inquantum per ea lex Dei contemnitur : *Isa. 1. 14. Dereliquerunt Dominum : blasphemaverunt Sanctum Israel.* Sic ergo improperia improperantium Deo ceciderunt super Christum, inquantum ipse pro peccatis omnium mortuus est : *Isa. 53. 6. Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum : 1. Petr. 2. 24. Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.*

Deinde cum dicit, *Quaecumque enim scripta sunt etc.* ostendit quod hoc exemplum Christi sit nobis imitandum, dicens : *Quaecumque enim scripta sunt*, in sacra Scriptura vel de Christo, vel de membris eius, *scripta sunt ad nostram doctrinam :* nulla enim necessitas fuit haec scribere nisi propter nos, ut ex his instruamur : *2. Tim. 5. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, et erudiendum, ad arguendum, et corripiendum.* Quid autem in Scripturis ad nostram doctrinam contineatur, ostendit subdens : *Uti per patientiam, et consolationem Scripturarum*, idest quas Scripturae continent : continetur enim in sacra Scriptura patientia sanctorum in malis sustinendis : *Iacob. ult. 2. Patientiam Iob audistis.* Continetur etiam in eis consolatio quam Deus eis exhibuit, secundum illud *Psal. 93. 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Unde et *1. Pet. 1. 11.* dicitur : *Praenuntians eas quae in Christo sunt passiones*, quod pertinet ad patientiam, *et posteriores glorias*, quod pertinet ad consolationem. Quem autem fructum ex hac doctrina suscipiamus, ostendit subdens, *Spem habeamus.* Per hoc enim quod ex sacra Scriptura instruimur, eos qui patienter propter Deum tribulationes sustinuerunt, divinitus consolatos fuisse, spem accipimus ut et ipsi consolemur, si in ipsis fuerimus patientes : *Iob 13. 15. Et si occiderit me, in ipso sperabo.*

Deinde cum dicit, *Deus autem patientiae etc.* quia videbatur nimis arduum ut purus homo possit exemplum Christi imitari, secundum illud *Eccle. 2. 12. Quid est homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* ideo adhibet orationis suffragium, dicens : *Deus autem patientiae,* scilicet dator : *Psal. 70. 5. Tu es patientia mea : et solatii*, idest qui spiritualem consolationem largitur : *2. Corinth. 1. 3. Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis : det vobis*, a quo est omne datum optimum, ut dicitur *Iacob. 1. idipsum sapere in alterutrum*, idest ut invicem idem sapiatis : *2. Corinth. ult. 11. Idem sapite, pacem habete:* non quidem secundum consensum in peccatum, sed *secundum Iesum Christum*, de quo dicitur *Ephes. 2. 14. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum :* ut per hoc quod idem sapitis, *unanimes* existentes per fidei, et caritatis consensum, secundum illud *Psal. 67. 7.* secundum aliam litteram, *Qui habitare facit unanimes in domo; uno ore*, idest una oris confessione, quae ex unitate fidei procedit : *1. Corinth. 1. 10. Idipsum dicatis omnes :* et pro conformitate cordis, et oris *honorificetis Deum* omnium creatorem, idipsum etiam existentem *Patrem Domini nostri Iesu Christi*, per quem nos sibi in filios adoptavit : *1. Reg. 2. 30. Qui honorificaverit me, honorificabo eum : Malach. 1. 6. Si ego pater, ubi est honor meus?*

Deinde cum dicit, *Propter quod suscipite invicem*, manifestat primam partem admonitionis, in qua dixerat, quod firmiores debent imbecillitatem infirmorum sustinere : et circa hoc duo facit. Primo resumit ad-

monitionem ; secundo inducit rationem exemplo Christi, ibi, *Sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei;* tertio subiungit orationem , ibi , *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo.* Dicit ergo primo : *Propter quod*, idest quia ea quae scripta sunt, ad nostram doctrinam ordinantur, scilicet exemplo Christi , et aliorum sanctorum ; consequenter *suscipite invicem* , secundum caritatis affectum , ut scilicet unus sustineat ea quae sunt alterius, sicut et vult se sustineri quantum caritas permittit , et unus alium etiam suscipiat ad adiuvandum, et promovendum: *Supra 14. 1. Infirmum in fide suscipite.* Deinde cum dicit , *Sicut et Christus suscepit vos* , assignat rationem exemplo Christi : et primo ponit eius exemplum , dicens : *Sicut et Christus suscepit vos* , scilicet in sua protectione, et cura : *Isa. 42. 1. Ecce servus meus, suscipiam eum : Luc. 1. 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.* Et hoc *in honorem Dei*, in quem omnia referebat: *Ioan. 8. 49. Honorifico Patrem meum , et vos inhonorastis me.* Ex quo datur intelligi quod nos invicem debemus suscipere in his quae pertinent ad honorem Dei. Secundo ibi , *Dico enim Christum etc.* manifestat quod dixerat : et primo quidem quantum ad Iudaeos ; secundo quantum ad Gentiles , ibi , *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Dicit ergo primo : Dictum est , quod Christus vos suscepit, qui estis congregati in unitate fidei ex Iudaeis, et Gentibus : et hoc patet quantum ad utrosque. *Dico* ergo, *Christum ministrum fuisse circumcisionis :* est enim ipse auctor fidei quantum ad omnes, secundum illud *Hebr. 12. 2. Aspicientes in auctorem fidei , et consummatorem Iesum.* Sed in propria persona non exhibuit seipsum nisi Iudaeis, secundum illud *Matth. 15. 24. Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel: Isa. 42. 2. Non audietur vox eius foris.* Et hoc quidem *propter veritatem Dei* , ut scilicet veritas Dei promittentis comprobaretur *: supra 3. 4. Est autem Deus verax.* Unde subdit : *Ad confirmandas promissiones patrum* , idest, ut per hoc implerentur promissiones patribus factae : *Luc. 1. 69. Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui; sicut locutus est per os sanctorum: 2. Corinth. 1. 20. Quotquot sunt promissiones Dei , in illo Est.* Deinde cum dicit , *Gentes autem super misericordia honorare Deum* , ostendit etiam Gentes susceptas a Christo: et primo proponit quod intendit ; secundo confirmat per auctoritatem , ibi , *Sicut scriptum est.* Dicit ergo: Ita dictum est , quod Christus suscepit Iudaeos propter veritatem Dei , ut promissiones patrum implerentur ; Gentibus autem non erant promissiones factae *;* unde hoc non habet locum quantum ad Gentiles , sed sunt propter misericordiam suscepti: et hoc est quod dicit: *Gentes autem* debent *honorare Deum super misericordia* eis exhibita per Christum: quia licet eis personaliter non praedicaverit , ad eos tamen discipulos suos misit , qui in Gentibus ministerium exercuerunt, sicut ipse exercuerat in Iudaeis, secundum illud *Matth. ult. 19. Euntes docete omnes Gentes.* Et de hac misericordia dicitur *in Psal. 32. 5. Misericordia Domini plena est terra: Luc. 1. 50. Misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* Sic ergo Apostolus conversionem Iudaeorum attribuit veritati divinae, conversionem Gentilium divinae misericordiae.

Contra quod videtur esse quod dicitur *in Psal. 43. 10. Universae viae Domini misericordia , et veritas.* Sed dicendum est, quod per hoc quod adscribit vocationem Iudaeorum divinae veritati , non excludit misericordiam : quia et Apostolus ex Iudaeis natus dicit *1. Tim. 1. 13. Misericordiam consecutus sum.* Et hoc ipsum misericordiae fuit quod Deus patribus promissiones fecit de posterorum salute. Similiter etiam per hoc quod vocationem Gentium adscribit divinae misericordiae, non excludit totaliter divinam veritatem: quia hoc ipsum ad divinam veritatem pertinebat quod propositum suum de salvatione Gentium implevit ; quod *ad Ephes 5.* dicit Apostolus , esse sacramentum absconditum a saeculis in Deo. Sed aliquis modus veritatis , scilicet pro impletione promissorum , consideratur in vocatione Iudaeorum , qui non consideratur in vocatione Gentium, quibus promissiones non sunt factae.

Deinde cum dicit , *Sicut scriptum est etc.* confirmat quod dixerat de conversione Gentium , per auctoritatem. Licet enim Gentibus non fuerit repromissa vocatio ad fidem Christi, non tamen ex improviso accidit, sed fuit praenuntiata vaticiniis Prophetarum. Inducit autem quatuor auctoritates , quarum prima continet gratiarum actiones Christi ad Patrem pro conversione Gentium per ipsum facta: unde dicit : *Sicut scriptum est, in Psal. 17. 44.* ex persona Christi *: Constitues me in caput Gentium :* et *49. Ab insurgentibus in me* Iudaeis *exaltabis me:* O Deus Pater, ego Christus *confitebor tibi* , confessione gratiarum actionis , *in Gentibus*, idest pro Gentium conversione per me facta , *et cantabo* , nova quadam mentis exultatione, *nomini tuo*, quod eis manifestatum est, secundum illud *Ioan. 17. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Vel aliter. *Confitebor tibi in Gentibus*, idest faciam quod tibi Gentes confitentur confessione fidei : *Psalm. 66. 6. Confiteantur tibi populi , Deus , confiteantur tibi populi omnes : et nomini tuo cantabo* , idest faciam quod Gentes cantent tibi canticum , quod consistit in exultatione spiritus renovati *: Psal. 95. 1. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Secunda auctoritas continet adunationem Gentium, et Iudaeorum: unde subdit : *Et iterum dicit* , Scriptura , *Isa. ult. 10. O Gentes* , quae eratis alienae a conversatione Israel , ut dicitur *Ephes. 2. laetamini cum plebe eius*, idest simul communem exultationem assumatis cum Iudaeis, qui olim erant plebs eius : *Isa. 9. 5. Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe : Ioan. 10. 16. Fiet unum ovile , et unus pastor.* Nostra autem littera habet : *Laetamini cum Hierusalem , et exultate in ea omnes qui diligitis eam.* Tertia auctoritas continet devotionem Gentium ad Deum : unde subdit , *Et iterum* , scriptum est *in Psalm. 106. Laudate omnes Gentes Dominum*, scilicet eius bonitatem confitentes : *Psal. 112. 3. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini: et omnes populi* , non solum populus Iudaeorum , *magnificate eum* , idest credite esse magnum, idest quod sua magnitudine omnem laudem excedat: *Eccli. 43. 33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude : Malach. 1. 11. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* Quarta auctoritas continet reverentiam Gentium ad Christum : unde subditur : *Et rursus Isaias*

*ait 11. Erit radix Iesse:* in quo praenuntiat Christi originem ex David semine nascituri: Iesse namque fuit pater David. Dicit ergo: *Erit radix Iesse*, ex cuius semine Christus nascetur: *Isa. 11. 1. Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Vel Christus *erit radix Iesse*, quia licet ex Iesse processerit secundum carnis originem, tamen sua virtute Iesse sustentavit, et gratiam ei influxit: *Supra 11. 18. Non tu radicem portas, sed radix te.* Deinde tangit Christi officium, subdens: *Et qui exsurget*, in tantam gratiae excellentiam ut possit *regere Gentes*, eos divino cultui subiugando; quod nullus ante eum facere potuit: *Psal. 2. 8. Dabo tibi Gentes haereditatem tuam.. Reges eos in virga ferrea.* Ultimo ponit devotionem Gentium ad Christum, dicens: *In eum Gentes sperabunt*, ut scilicet per eum haereditatem caelestis gloriae consequantur: *1. Pet. 1. 3. Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

Deinde cum dicit, *Deus autem spei etc.* subiungit orationem, dicens: Dictum est, quod in Christum Gentes sperabunt: *Deus autem spei*, idest qui nobis hanc spem infundit, secundum illud *Psal. 70. 5. Spes mea Domine:* vel *Deus spei*, idest in quo sperandum est, *repleat vos omni gaudio*, scilicet spirituali, quod est de Deo: *Nehem. 8. 10. Gaudium enim Domini est fortitudo vestra:* per quam homo in se ipso, et ad Deum, et ad proximum est pacatus: *Psal. 118. 165. Pax multa diligentibus legem tuam Domine. In credendo;* quasi dicat: Ut cum hoc quod creditis, etiam pacem, et gaudium habeatis; quae quidem sunt caritatis effectus, secundum illud *Gal. 5. 22. Fructus autem Spiritus sunt caritas, gaudium, pax.* Unde patet quod a Deo, qui est dator spei, optat eis ut cum fide habeant caritatem, per quam fides operatur, ut habetur *Gal. 5.* ne fides eorum sit informis, et mortua: quia fides sine operibus mortua est, ut dicitur *Iac. 2.* et ut sic per plenitudinem harum virtutum, *abundetis*, proficiendo de bono in melius, non solum *in spe*, sed etiam in *virtute Spiritus sancti*, idest in caritate, quae in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum, ut *supra 5.* dictum est: *2. Corinth. 9. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.*

## LECTIO II.

Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quae data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu, in Gentibus sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non effecit Christus in obedientiam Gentium in verbo, et factis, in virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti; ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem; sed sicut scriptum est: Quoniam quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt de eo, intelligent.

Postquam Apostolus generalibus admonitionibus Romanos instruxerat; hic incipit eis quaedam familiaria scribere: et primo quaedam pertinentia ad seipsum; secundo quaedam pertinentia ad alios, *16. cap.* ibi, *Commendo autem vobis Phoeben etc.* Circa primum tria facit. Primo excusat praesumptionem de hoc quod eos instruxerat, et reprehenderat; secundo excusat suam tarditatem circa visitationem eorum, ibi, *Propter quod plurimum impediebar venire ad vos;* tertio petit suffragia orationum ipsorum, ibi, *Obsecro autem vos fratres etc.* Et circa primum duo facit. Primo excludit oppositam causam instruendi, et arguendi eos; secundo assignat veram causam, ibi, *Audacius enim scripsi vobis, fratres, ex parte.* Circa primum considerandum est, quod aliquis posset credere Apostolum ideo scripsisse Romanis, quia aestimaret nullum esse apud Romanos qui posset instruere, et corrigere. Sed hoc ipse excludit, dicens: *Certus sum enim, fratres mei*, per ea quae de vobis audivi, quoniam idonei estis ad admonendum eos qui inter vos admonitione indigent. Ad hoc autem ut aliquis recte admoneat, duo requiruntur: quorum primum est ut non ex odio, vel ira, sed ex dilectione moneat, secundum illud *Psal. 140. 5. Corripiet me iustus in misericordia:* et *Gal. 6. 1. Vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis:* et quantum ad hoc dicit: *Quoniam et ipsi pleni estis dilectione: Ezech. 10. 2. Imple manum tuam prunis ignis, quae sunt inter Cherubim:* qui est ignis caritatis. Secundo requiritur scientia veritatis, eo quod quidam habent zelum Dei in corrigendo, sed non secundum scientiam, ut *supra 10.* dictum est: et ideo subdit: *Repleti omni scientia*, scilicet et humana, et divina, et veteris, et novae legis: *1. Corinth. 1. 5. In omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et in omni scientia.* Et ex hoc concludit sic: *Ita ut possitis*, convenienter propter dilectionem, et scientiam, *alterutrum monere.* Quia enim in multis offendimus omnes, ut dicitur *Iac. 3.* oportet ut invicem moneamus: quia, ut dicitur *Eccli. 17. 12. unicuique mandavit Deus de proximo suo.*

Deinde cum dicit, *Audacius autem scripsi vobis*, assignat veram causam quare eos admonuerat, et correxerat: et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod hoc pertinebat ad auctoritatem Apostolatus sibi commissam; secundo ostendit qualiter hac potestate usus fuerit, ibi, *Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum.* Dicit ergo: *Audacius autem*, idest securius, *scripsi vobis*, errores, et defectus vestros arguendo: quod quidem ad audaciae praesumptionem posset adscribi propter hoc quod offensionem vestram non timui: *Iob 39. 21. Audacter in occursum pergit armatis.* Sed haec praesumptio excusatur ex tribus. Primo quidem ex conditione eorum quibus scribebat: quia etsi inter Romanos essent aliqui respectu quorum talis reprehensio audax, et praesumptuosa videretur, e-

rant tamen etiam aliqui qui indigebant dura reprehensione propter contentionum insolentiam : *Tit. 1. 13. Increpa illos dure.* Et hoc est quod dicit, *Ex parte;* quasi dicat : Non videtur mea scriptura esse audax quantum ad omnes vos, sed quantum ad partem aliquam vestrum. Vel potest intelligi, *Ex parte* Epistolae in qua eos reprehendit. Potest intelligi etiam ex parte Ecclesiae, quae scilicet mecum est. Secundo excusatur praedicta audacia ex intentione Apostoli : non enim scripsit eis tamquam reputans eos ignorantes, sed in memoriam eos reducens cognitorum : et hoc est quod subdit : *Tamquam in memoriam vos reducens*, quasi oblitos eorum quae sciebatis, sicut et *Phil. 4. 10.* dicitur : *Occupati autem eratis: Hebr. 10. 32. Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.* Tertio excusatur ex auctoritate Apostoli quae hoc requirebat : unde subdit, *Propter gratiam*, scilicet Apostolatus mihi commissi : *1. Corinth. 15. 10. Gratia Dei sum id quod sum.* Huius autem gratiae primo describit auctoritatem, cum dicit : *Quae data est mihi a Deo;* quasi diceret, Non ab hominibus: *ad Galat. 1. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem.* Secundo specificat istam gratiam, cum dicit : *Ut sim minister Christi Iesu in Gentibus*, idest ut serviam Christo in Gentium conversione : *1. Corinth. 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi: Supra 11. 15. Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Tertio ostendit huius gratiae actum, cum dicit : *Sanctificans Evangelium Dei*, idest sanctum esse ostendens et verbo veritatis, et opere bonae conversationis, et miraculorum : *Col. 1. 5. In verbo veritatis Evangelii quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit: Proverb. 8. 8. Recti sunt sermones mei.* Quarto ponit finem huius gratiae, cum dicit : *Ut fiat oblatio Gentium*, idest Gentes per meum ministerium conversae: in quo quasi quoddam sacrificium et oblationem Deo obtuli, secundum illud *Phil. 2. 17. Et si immolor super sacrificium, et obsequium fidei vestrae, gaudeo, et congratulor omnibus vobis. Fiat accepta,* scilicet Deo per rectitudinem intentionis: *Psal. 50. 21. Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta: et sanctificata in Spiritu sancto*, idest per caritatem, et alia Spiritus sancti dona : *1. Corinth. 6. 11. Sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

Deinde cum dicit, *Habeo igitur gloriam etc.* ostendit quomodo auctoritate apostolica fuerat usus: et primo ponit fructum quem fecit; secundo ostendit huius fructus magnitudinem, ibi, *Ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi;* tertio ostendit difficultatem, ibi, *Sic autem praedicavi hoc, non ubi nominatus est Christus etc.* Circa primum tria facit. Primo dat gloriam Deo de fructu quem fecit, dicens : *Igitur* quia talem gratiam accepi, et diligenter executus sum id ad quod mihi haec gratia data est, *habeo gloriam*, idest meritum dignum gloriae, sicut fidelis minister: *1. Corinth. 9. 15. Melius est mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Sed hanc gloriam non mihi principaliter attribuo, sed eam habeo *in Christo Iesu*, idest per Christum, cuius virtute fructificare potui : *Ioan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.* Et quia ipsi omnia tradita sunt a Patre, ut dicitur *Matth. 11.* et *Pater in eo manens, ipse facit opera, Ioan. 14. 10.* ideo ulterius hanc gloriam refert ad Patrem, dicens, *Ad Deum*, scilicet Patrem : *Psalm. 113. 1. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Assignat autem rationem eius quod dixerat, subdens: *Non enim audeo loqui aliquid eorum quae per me non effecit Christus;* quasi dicat : Nihil referam de fructu per me facto quod per me factum non sit. Alioquin gloriam non haberem apud Deum, etsi apud homines. Quae quidem refero, non tamquam per me principaliter facta, sed sicut quae per me Christus fecit : et ideo hanc gloriam dixi me habere in Christo Iesu : *Isa. 26. 12. Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Secundo ponit ipsum fructum, dicens: *In obedientiam Gentium;* quasi dicat : Gloria mea haec est pro eo quod feci Gentes fidei obedire : *Supra 1. 5. Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus : Psalm. 17. 45. In auditu auris obedivit mihi.* Tertio ostendit quomodo Gentes ad hanc obedientiam adduxerit. Quia autem *supra 10. 17.* dictum est: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi :* ideo dicit, *In verbo*, idest per verbum praedicationis fidei. Argumenta autem fidei praedicatae sunt bona conversatio praedicantis ; et quantum ad hoc subdit, *Et factis;* quasi scilicet per recta opera vos ad fidem allexi : *Matth. 5. 16. Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est:* et opera miraculorum, quibus Deus dat testimonium doctrinae praedicatae, secundum illud *Marc. ult. 20. Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Unde subdit: *In virtute signorum*, idest miraculorum minorum, puta sanationes aegritudinum, *et prodigiorum*, idest maiorum miraculorum, quae ex sua magnitudine aliquid magni portendunt, idest ostendunt. Sed hoc totum non sufficeret, nisi Spiritus sanctus intus corda audientium ad fidem commoveret: unde dicitur *Act. 10.* quod loquente Petro verba fidei, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et ideo subdit, *In virtute Spiritus sancti : Heb. 2. 4. Contestante Deo signis, et prodigiis, et variis Spiritus sancti distributionibus.* Deinde cum dicit, *Ita ut ab Hierusalem*, ostendit magnitudinem fructus ex multitudine locorum in quibus praedicavit, dicens, *Ita ut incipiens ab Hierusalem*, ubi in principio suae conversionis praedicavit in synagogis Iudaeorum, ut dicitur *Act. 9.* ut sic impleret quod dicitur *Isa. 2. 3. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem : usque ad Illyricum*, quod est mare Adriaticum ex parte opposita Italiae, *repleverim Evangelium Christi*, idest omnia illa loca replevi praedicatione Evangelii. Et ne aliquis intelligat quod solum vadens per rectam viam a Hierusalem in Illyricum praedicaverit Evangelium, addit, *Per circuitum*, quia scilicet Gentibus circumquaque praedicavit, et eas ad fidem convertit : unde sibi potest competere quod dicitur *Iob 38. 25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* Deinde cum dicit, *Sic autem praedicavit etc.* ostendit difficultatem huius fructus faciendi: difficile enim est omnino ignaros ad fidem convertere. Primo igitur difficultatem se passum ostendit, dicens: *Sic autem praedicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus*, idest non apud illos qui nomen Christi au-

diverant: *Psal. 17. 45. Populus quem non cognovi, servivit mihi: Isa. 55. 5. Ecce gentes quas nesciebas, vocabis, et gentes quae te non cognoverunt, ad te current.* Subdit autem rationem, dicens: *Ne super alienum fundamentum aedificarem.* Potest autem alienum fundamentum dupliciter intelligi. Uno modo doctrina haeretica, quae est aliena a verae fidei fundamento; et sic hoc quod dicit *ne*, ponitur causaliter. Ea enim intentione Apostolus voluit praedicare illis qui nomen Christi non audierant; ne si praeventi essent a doctrina pseudoapostolorum, difficilius esset eos ad veritatem reducere. Unde *Matth. 7.* dicitur: Stultus est qui aedificat domum suam super arenam, cui comparatur falsa doctrina. Alio modo per alienum fundamentum potest intelligi doctrina verae fidei ab aliis praedicata; et sic potest sumi ly *ne* consecutive. Non enim vitavit Apostolus praedicare illis quibus ante fuerat ab aliis praedicatum, sicut ipsis Romanis specialiter praedicavit, quos prius Petrus instruxerat; sed eo praedicante illis qui nihil de Christo audierant, consecutum est ut non aedificaret super alienum fundamentum, sed ipse iaceret prima fidei fundamenta, secundum illud *1. Corinth. 3. 10. Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Secundo ad hoc quod dixerat, auctoritatem inducit, dicens: *Sicut scriptum est, Isa. 52. 15. Quoniam quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, contemplati sunt:* in quibus verbis Propheta videtur praedicere quoniam Gentiles excellentiori modo ad cognitionem Dei essent perventuri quam Iudaei, qui ante cognoverant. Ostendit ergo primo excellentiam quantum ad causam cognitionis; quae scilicet duplex est, scilicet verba audita, et res visae: hi enim duo sensus sunt disciplinabiles. Iudaei ergo in notitiam mysteriorum Christi pervenerunt per verba annuntiata eis a Prophetis: *1. Pet. 1. 10. Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, praenuntians eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Sed Gentiles huiusmodi Christi mysteria iam realiter impleta vident; ideo dicitur: *Quoniam*, Gentes, *quibus non est annuntiatum*, per Prophetas, *de eo*, idest de Christo, sicut fuit annuntiatum Iudaeis, *videbunt*, res iam impletas: *Luc. 10. 24. Multi Reges, et Prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt.* Secundo ostendit excellentiam quantum ad modum cognoscendi: quia Iudaei ex annuntiatione Prophetarum solum auditum habebant: *Abdiae 1. Auditum audivimus a Domino, et legatos ad Gentes misit:* sed Gentiles ex visione intellectum perceperunt: unde dicitur: *Et*, Gentiles scilicet, *qui ante non audierunt*, praenuntiari Christum per Prophetas, *intelligent*, scilicet fidei veritatem: *Psalm. 2. 10. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.*

## LECTIO III.

Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis, cum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia, et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et caritatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudaea, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

Postquam Apostolus se excusavit de praesumptione, quae ei potuisset adscribi ex hoc quod Romanos instruxerat, et correxerat; hic se excusat de eo quod eos visitare distulerat: et circa hoc tria facit. Primo ponit impedimentum visitationis praeteritum; secundo ponit visitandi propositum, ibi, *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus . . . . spero quod praeteriens videam vos;* tertio promittit visitationis fructum, ibi, *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.* Dicit ergo primo: Dictum est: Praedicavi Evangelium per multa loca, in quibus Christus non fuerat nominatus: *propter quod* hactenus *impediebar plurimum* ex huiusmodi occupatione *venire ad vos.* Et istud impedimentum usque nunc duravit: unde subdit: *Et prohibitus sum usque adhuc:* quod quidem potest referri ad multitudinem occupationum quas in aliis locis habuerat; vel etiam ad divinam providentiam, per quam Apostoli impediebantur ne pervenirent ad quosdam, et dirigebantur in salutem aliorum, secundum illud *Act. 16. 6. Transeuntes Phrygiam, et Galatiae regionem, vetati sumus a Spiritu sancto loqui verbum in Asia.* Unde et *supra 1.* dictum est: *Saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.* Et hoc est quod dicitur *Iob 37. 12.* de nubibus per quas praedicatores intelliguntur: *Lustrant cuncta per circuitum, quocumque eos voluntas gubernantis duxerit.*

Deinde cum dicit, *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus etc.* manifestat propositum suum de eorum visitatione: et primo promittit eis suam visitationem; secundo assignat causam quare oporteat eam differre, ibi, *Nunc igitur proficiscar etc.* tertio assignat eis visitationis terminum, ibi, *Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc.* Dicit ergo primo ita: *Usque modo sum prohibitus; nunc vero*, iam peragratis omnibus his locis, *ulterius non habens locum*, idest necessitatem permanendi, *in*

*his regionibus* ; in quibus iam per me fundata est fides , *cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis*, secundum illud *supra 1. 11. Desidero enim videre vos , ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis : cum in Hispaniam proficisci coepero* , quo scilicet ire intendebat ; ut etiam in extremis terrae fundamenta fidei collocaret, secundum illud *Isa. 49. 6. Dedi te in lucem Gentium , ut sis salus mea usque ad extremum terrae: spero quod praeteriens videbo vos:* per quod dat intelligere quod non intendebat ad eos principaliter ire, quia reputabat eis sufficere doctrinam Petri, qui primus inter Apostolos Romanis fidem praedicavit. Et quia tunc Romani dominabantur in toto occidente , eorum auxilio, et ducatu se sperabat in Hispaniam proficisci : unde subdit : *Et a vobis deducar illuc.* Intendebat tamen aliquam moram apud eos contrahere: unde subdit: *Si vobis fruitus fuero*, idest consolatus, secundum illud quod *supra 1. 12.* dictum est, *Simul consolari in vobis ;* et hoc *ex parte* , scilicet temporis , quia per aliquod tempus intendebat cum eis consolari.

Sed contra est quod Augustinus dicit *in lib. 1. cap. 5. de Doctr. Christ.* quod illis solis rebus fruendum est quae nos beatos faciunt , scilicet Patre , Filio , et Spiritu sancto. Inconvenienter ergo dicit se fruiturum esse Romanis.

Sed dicendum est, quod , sicut Augustinus dicit *ib.* homine in se non esse fruendum , sed in Deo, secundum illud *ad Philem. 20. Ita frater, ego te fruar in Domino;* quod est delectari in homine propter Deum. Et sic intelligendum est quod dicit , *Si fuero fruitus vobis* , scilicet in Deo. Vel quod dicit , *Ex parte,* potest referri ad bonos, quibus poterat frui in Deo: nam alia parte , scilicet malis , non poterat frui , sed magis de eis dolere , sicut dicitur *2. Corinth. 12. 21. Ne cum venero , humiliet me Deus apud vos , et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt.*

Deinde cum dicit , *Nunc igitur proficiscar,* assignat rationem quare differebat visitationem : et circa hoc tria facit. Primo ponit causam dicens : *Nunc igitur proficiscar* , idest ideo non statim venio ad vos , quia proficiscor *Hierusalem ministrare sanctis.* Circa quod sciendum est , quod sicut legitur *Act. 4.* illi qui ex Iudaeis a principio convertebantur ad fidem , venditis possessionibus suis , de pretio communiter vivebant : quod cum defecisset, maxime quadam magna fame imminente , ut legitur *Act. 11.* discipuli , scilicet Christiani , ex diversis partibus mundi , prout quisque habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudaea fratribus; quod et fecerunt , mittentes ad seniores per manus Barnabae , et Sauli. Ministerium igitur sanctorum hic dicit eleemosynam, quam fidelibus Christi attulit in Hierusalem, secundum illud *1. Corinth. ult. 3. Quos probaveritis, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem: quod si dignum fuerit ut et ego eam , mecum ibunt.* Secundo exponit quod dixerat de ministerio sanctorum , dicens: *Probaverunt enim* , idest adprobaverunt, *Macedonia , et Achaia* , idest fideles utriusque regionis per eum conversi ; *collectionem aliquam facere*, idest aliquam collectam, *in pauperes* Christi, idest ad usum pauperum, qui sunt de numero sanctorum , secundum illud *Eccli. 12. 4. Da iusto , et non recipias peccatorem: qui sunt in Hierusalem* , in paupertate viventes, *2. Cor. 9. 1. De ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones.* Tertio assignat rationes dictorum : quorum prima est beneplacitum: unde dicitur*: Placuit enim illis: 2. Corint. 9. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.* Secunda causa est debitum: unde subdit: *Et debitores sunt eorum: Supra 13. 7. Reddite omnibus debita.* Rationem autem debiti assignat , dicens : *Nam si Gentiles facti sunt participes bonorum spiritualium*, quae erant specialiter *eorum* , idest Iudaeorum, scilicet notitiae divinae , et promissionum, et gratiae, secundum illud *supra 9. 4. Quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum , et legislatio , et obsequium , et promissa:* et *supra 11. 17. Socius radicis, et pinguedinis olivae factus es:* sunt etiam facti participes spiritualium eorum per hoc quod illi praedicatores eis miserunt : *debent et in carnalibus ministrare illis* , secundum illud *Eccli. 14. 15. In divisione sortis da , et accipe :* et *Psal. 8. 3. Sumite psalmum*, idest spiritualia, *et date tympanum*, idest temporalia. Et ex hoc sumitur argumentum, quod debentur sumptus non solum illis qui praedicant , sed etiam eis qui praedicatores mittunt.

Deinde cum dicit , *Hoc igitur cum consummavero* , praefigit terminum quo ad eos sit venturus , dicens : *Hoc igitur cum consummavero* , scilicet ministerium sanctorum , *et assignavero eis fructum hunc* , idest eleemosynam Gentilium , quae est quidam fructus conversionis eorum : *Osee 10. 1. Vitis frondosa Israel , fructus est ei adaequatus : proficiscar per vos in Hispaniam.*

Sed videtur hic Apostolus falsum dicere: numquam enim in Hispaniam ivisse legitur: in Hierusalem enim captus fuit , et exinde Romam perlatus est in vinculis , ut habetur *Act. ult.* ubi est occisus simul cum Petro.

Dicunt ergo quidam , quod , sicut dicitur *Act. ult.* cum venisset Romam Paulus , permissum est ei manere sibimet cum custodiente se milite ; et postea dicitur , quod mansit biennio toto in suo conductu , et in illo spatio dicunt eum in Hispaniam ivisse. Sed quia hoc certum non est; potest melius dici, quod Apostolus falsum non dixit , quia proponebat se facturum quod dicebat; et sic verba eius erant intelligenda quasi insinuantia eius propositum, non autem futurum eventum , qui ei erat incertus : unde non poterat hoc praedicere , nisi forte sub conditione quam Iacobus dicit apponendam : *Iac. 4. 15. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit , et si vixerimus, faciemus hoc , aut illud.* Et sic etiam Apostolus se excusat *2. Corinth. 1.* 17. de hoc quod ad eos non iverat , sicut promiserat, dicens : *Cum ergo volui, numquid levitate usus sum? Aut quae cogito , secundum carnem cogito , ut sit apud me est , et Non?* Et si ex hoc quod ex iusta causa praetermisit facere quod promiserat , se immunem dicit a levitate , carnalitate, et falsitate. Et sic etiam solvit hoc Gelasius Papa , et habetur *in decret. 22. qu. 11. Beatus*, inquit, *Paulus Apostolus non ideo, quod absit , fefellisse credendum est , aut sibi extitisse contrarius, quoniam cum ad Hispaniam se promisisset iturum dispositione divina maioribus occupatis causis ,*

*implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit quod revera voluisset efficere ; quantum vero ad divini secreta consilii , quae ut homo non potuit , licet spiritu Dei plenus, agnoscere, superna praetermisit dispositione praeventus. Licet enim propheticum spiritum habuerit, tamen Prophetis non omnia revelantur:* ut patet *4. Reg. 4. 27.* ubi Elisaeus dixit : *Anima eius in amaritudine est , et Dominus celavit a me , et non indicavit mihi.*

Deinde cum dicit , *Scio autem etc.* praenuntiat eis fructum suae visitationis , dicens : *Scio autem* , scilicet ex fiducia divinae gratiae, *quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam*, idest Christus abundantius suam benedictionem dabit vobis in meo adventu ; de qua dicitur *in Ps. 35. 8. Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem.* Et sic Laban dixit ad Iacob *Genes. 30. 27. Experimento didici quod benedixerit mihi Deus propter te.*

Deinde cum dicit , *Obsecro ergo vos, fratres per Dominum nostrum Iesum Christum* , petit ab eis orationis suffragia: et primo petit eorum orationes; secundo ipse pro eis rogat , ibi , *Deus pacis sit cum omnibus vobis.* Circa primum tria facit. Primo inducit eos ad orandum pro se ex tribus. Primo quidem ex superna caritate, cum dicit : *Obsecro vos ergo fratres: ad Philem. 9. Propter caritatem autem magis obsecro.* Secundo ex reverentia Christi , cuius ipse erat minister, dicens : *Per Dominum nostrum Iesum Christum :* in quo omnes unum sumus , ut *supra 12.* dictum est. Tertio ex dono Spiritus sancti , quod eius ministerio tradebatur : unde subdit: *Per caritatem Spiritus sancti;* quam Spiritus sanctus in cordibus nostris diffundit, ut *supra 5.* dictum est. Secundo petit auxilium orationis eorum , dicens : *Ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, scilicet pro me fusis : *Proverb. 18. 19. Frater qui iuvatur a fratre , quasi civitas firma.* Hoc autem , ut Glossa dicit , non ideo dicit Apostolus, quia ipse minus mereatur quam alii minores , sed ordinem sequitur. Primo quidem ut ab Ecclesia pro rectore suo fiat oratio , secundum illud *1. Tim. 2. 1. Obsecro igitur primum omnium , fieri obsecrationes , orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus , pro Regibus , et omnibus qui sunt in sublimitate constituti.* Secundo quia multi minimi dum congregatur unanimes , magis merentur ; et ideo impossibile est ut multorum preces non impetrent: *Matt. 18. 19. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui est in caelis.* Tertio ut dum multi orant , multi etiam gratias agant exauditi , secundum illud *2. Corinth. 1. 11. Adiuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut per multos gratiae agantur Deo.* Tertio ponit ea quae vult sibi impetrari ; quorum primum pertinet ad hostes , quos habebat in Iudaea : unde dicit: *Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudaea ,* qui praecipue Paulum impugnabant , et odiebant , quia fiducialiter praedicabat cessationem legalium : *Act. 21. 22. Audierunt de te quod discessionem doces a Moyse eorum qui per Gentes sunt Iudaeorum ; dicens non debere eos circumcidere filios suos neque secundum consuetudinem ingredi.* Secundum pertinebat ad eos in quorum ministerium ibat ; et hoc est quod subdit: *Et oblatio obsequii mei* , idest eleemosyna , in qua eis ministro, *fiat accepta sanctis qui sunt in Hierusalem* , scilicet ut ex hac provocentur ad gratias agendum Deo, et ad orandum pro ipsis Gentibus, a quibus recipiunt: *Eccli. 31. 28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Tertium pertinet ad ipsos , quibus scribebat : unde subdit : *Ut veniam ad vos in gaudio ;* et hoc per *voluntatem Dei*, contra quam nihil agere volebat: *supra 1. 10. Obsecrans si quo modo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos: et refrigerer vobiscum*, idest ut ex vestra praesentia refrigerium tribulationum mearum accipiam.

Deinde cum dicit , *Deus autem pacis etc.* ostendit quod pro eis orat , dicens : *Deus autem* dator *pacis sit cum omnibus vobis* , per hoc scilicet quod vos ad invicem pacem habeatis: *2. Corinth. ultim. 11. Idipsum sapite, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.* Subdit, *Amen*, idest fiat: *Psalm. 105. 48. Et dicet omnis populus , Fiat , fiat.*

## CAPITIS DECIMISEXTI

### LECTIO PRIMA

Commendo autem vobis Phaeben sororem nostram , quae est in ministerio Ecclesiae quae est in Cenchris , ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis , et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit : etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam, et Aquilam adiutores meos in Christo Iesu , qui pro anima mea suas cervices supposuerunt; quibus non solum ego gratias ago , sed et cunctae Ecclesiae Gentium ; et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epoenetum dilectum mihi , qui est primitivus Ecclesiae Asiae , in Christo Iesu. Salutate Mariam , quae multum laboravit in vobis. Salutate Andronicum. et Iuliam, cognatos, et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis , qui et ante me fuerunt in Christo Iesu. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu , et Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo , qui sunt in Domino. Salutate Tryphaenam, et Tryphosam, quae laborant in Domino. Salutate Persidem carissimam, quae multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino , et matrem eius , et meam. Salutate Asineretum , et Phlegontem, Hermen , Patrobam , Hermam , et qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, et Iuliam, Nereum, et sororem eius, et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.

Postquam Apostolus proposuit fidelibus Romanis, quibus scribebat, quaedam familiaria pertinentia ad suam personam; hic ponit quaedam familiaria pertinentia ad alios: et circa hoc tria facit. Primo monet quid ad alios debeant facere; secundo ostendit quid alii ad eos agant, ibi, *Salutat vos Timotheus adiutor meus etc.* tertio epistolam finit in gratiarum actione, ibi, *Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quos debeant salutare; secundo ostendit quos debeant vitare, ibi, *Rogo autem vos fratres.* Circa primum mandat quasdam personas salutari in speciali; secundo ponit in generali modum salutationis, ibi, *Salutate invicem in osculo sancto;* tertio salutat eos in communi ex parte fidelium, ibi, *Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.* Circa primum primo loquitur de quadam muliere Corinthia, quae Romam ibat, quam eis recommendat, describens eam primo ex nomine, dicens: *Commendo autem vobis Phoeben*, quae licet esset Deo devota, non tamen erat tantae auctoritatis ut commendatitiis litteris non egeret; sicut ipse de se dicit *2. Corinth. 3. 1. Aut numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis litteris?* Secundo describit eam ex fidei religione, dicens, *Sororem nostram:* omnes enim mulieres fideles sorores vocantur, sicut et omnes viri fratres: *Matth. 23. 8. Omnes vos fratres estis.* Tertio ex officio pietatis, cum dicit: *Quae est in ministerio Ecclesiae quae est in Cenchris*, portu Corinthiorum, ubi aliqui Christiani erant congregati, quibus dicta mulier serviebat; sicut et de ipso Christo *Luc. 8.* dicitur, quod quaedam mulieres ministrabant ei de facultatibus suis: et de vidua eligenda dicitur *1. Tim. 5. 10. Si hospitio recepit, si pedes sanctorum lavit.* Deinde dicit duo, in quibus vult eam commendatam haberi: quorum primum est ut honeste recipiatur; et hoc est quod dicit: *Ut suscipiatis eam in Domino*, idest propter amorem Dei, *digne sanctis*, idest secundum quod dignum est recipi sanctos, secundum illud *Matth. 10. 41. Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti recipiet.* Quidam libri habent, *Digne satis*, idest convenienter; tamen littera non concordat cum Graeco. Secundum est, ut eam solicite adiuvent: unde subdit: *Ut assistatis ei*, scilicet consilium, et auxilium ferendo, *in quocumque negotio vestri indiguerit:* habebat enim forte aliquid expedire in curia Caesaris.

Sed contra hoc videtur esse quod dicitur *1. Thessal. 4. 2. Vestrum negotium agatis;* quasi dicat: Non intromittatis vos de negotiis alienis.

Sed dicendum est, quod assistere negotiis alienis contingit dupliciter. Uno modo saeculariter, idest propter favorem hominum, vel lucra; et hoc non convenit servis Dei: *2. Timoth. 2. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* Alio modo assistit aliquis negotiis alienis ex pietate, puta in auxilium indigentium, et miserorum; et hoc est religiosum, secundum illud *Iacob. 1. 27. Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est, visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum.* Et hoc modo Apostolus hic loquitur.

Ultimo autem ostendit Apostolus meritum eius, quare hoc sibi debeatur, dicens: *Etenim ipsa quoque multis astitit, et mihi ipsi: Isa. 3. 10. Dicite iusto, quoniam bene... Retributio enim manuum eius fiet ei: Matth. 5. 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Deinde mandat salutari quasdam alias personas sibi coniunctas, dicens: *Salutate Priscam, et Aquilam*, qui erat vir Priscae; sed mulierem praeponit, forte propter maiorem fidei devotionem: *adiutores meos in Christo Iesu*, idest in fide Christi praedicanda: apud enim eos Corinthi hospitabatur, ut habetur *Act. 18. Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt*, idest seipsos mortis periculo exposuerunt pro vita mea conservanda, quod est indicium maximae caritatis: *Ioan. 15. 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoc autem videtur factum fuisse Corinthi, ubi Paulus persecutionem est passus, sicut habetur *Actor. 18.* Vel forte melius dicendum est, quod alii se periculo pro Apostolo exposuerunt: nam illud quod legitur *Actor. 18.* factum fuit, quando Prisca, et Aquila de Roma recedentes Corinthum venerunt, ut ibidem dicitur. Sed hoc scribebat Apostolus, quando adhuc aestimabat eos esse Romae. Vita autem Apostoli non tam sibi, quam aliis necessaria erat, secundum illud *Philip. 1. 24. Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Et ideo subdit: *Quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctae Ecclesiae Gentium:* quarum sum Apostolus, et doctor: *1. Tim. 2. 7. Doctor Gentium in fide, et veritate.* Et etiam salutate *domesticam Ecclesiam eorum:* habebant enim in domo sua multos fideles congregatos. Deinde vult alium salutari sibi dilectione coniunctum, dicens: *Salutate Epaenetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiae in Christo:* primus enim in tota Asia fuit ad fidem Christi conversus, quod erat ei ad magnam dignitatem: *Heb. 12. 23. Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis.* Tunc autem erat Romae. Deinde dicit: *Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis*, ad hoc ut eos ad concordiam revocaret; quae cum hoc facere non posset, significavit Apostolo: *Sap. 3. 15. Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Deinde dicit: *Salutate Andronicum, et Iuliam:* quos primo describit ex genere, cum dicit, *Cognatos meos:* in quo ostendit eos fuisse Iudaeos, de quibus *supra 9. 3. Qui sunt cognati mei secundum carnem.* Secundo ex passione pro Christo suscepta, dicens: *Et concaptivos meos:* fuerant enim aliquando cum Apostolo Christi incarcerati: *2. Corinth. 11. 23. In carceribus abundantius.* Tertio ex auctoritate, cum dicit: *Qui sunt nobiles in Apostolis*, idest nobiles inter praedicatores, secundum illud *Proverb. ult. 23. Nobilis in portis vir eius.* Quarto ex tempore, cum dicit: *Et ante me fuerunt in Christo Iesu:* prius enim fuerunt conversi quam ipse Apostolus; et ex hoc eis maior reverentia debebatur: *1. Tim. 5. 1. Seniorem te ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Deinde dicit: *Salutate Ampliatum dilectum meum in Domino*, scilicet dilectione caritatis, quae est in Christo: *Phil. 1. 8. Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos esse in visceribus Christi.* Deinde dicit: *Salutate Urbanum adiutorem nostrum in Christo*, scilicet in praedicatione fidei: *Proverb. 19. 19. Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma. Et Stachyn dilectum meum:* quos coniungit, quia forte simul habitabant, vel aliqua alia necessitudine erant

coniuncti. Deinde dicit: *Salutate Apellen probum in Christo*, idest adprobatum in Christo, forte per aliquas tribulationes: *Iob 23. 10. Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Deinde dicit: *Salutate omnes qui sunt ex domo*, idest ex familia, *Aristoboli*, in cuius domo multi fideles erant congregati; quem non salutat, quia forte ex aliqua causa erat absens. Deinde dicit: *Salutate Herodionem cognatum meum*, qui ex hoc ipso dicitur fuisse Iudaeus. Deinde dicit: *Salutate omnes qui sunt ex domo Narcissi*, qui dicitur fuisse presbyter, et peregrinabatur per deserta loca, ut fideles Christi confortaret: unde quia tunc eum absentem noverat esse Apostolus, non mandat eum salutari, sed familiam eius. Erant tamen in eius familia aliqui infideles; et ideo ad discretionem subdit: *Qui sunt in Domino:* quia solos fideles salutari mandat: *2. Ioan. 1. 10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave dixeritis ei.* Deinde dicit: *Salutate Tryphaenam, et Tryphosam quae laboraverunt in Domino*, idest in ministerio sanctorum, quod Dominus sibi reputat fieri, secundum illud *Matth. 25. 40. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Deinde dicit: *Salutate Perfidem carissimam meam*, quam scilicet Apostolus propter eius devotionem specialiter diligebat: unde subdit: *Quae multum laboravit in Domino*, scilicet exhortando alios, et ministrando sanctis, et etiam in paupertate, et aliis spiritualibus laboribus: *2. Corinth. 11. 27. In laboribus, in ieiuniis, in vigiliis etc.* Deinde dicit: *Salutate Rufum electum in Domino*, idest in gratia Christi: *Ephes. 1. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: et matrem eius*, scilicet carne, *et meam*, quia fuit mater beneficio: aliquando enim servierat Apostolo, licet tunc Romae non esset: *1. Tim. 5. 2. Anus ut matres, iuvenculas ut sorores in omni castitate.* Deinde dicit, *Salutate Asineretum, et Phlegontem, Hermen, Patrobam, Herman, et qui cum eis sunt fratres*: quos simul salutat, quia simul concorditer habitabant: *Psalm. 67. 7. Qui habitare facit unius moris in domo.* Deinde dicit: *Salutate Philologum, et Iuliam, Nereum, et sororem eius; et Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos*, idest in fide Christi sanctificatos: *1. Corinth. 6. 11. Abluti estis, et sanctificati estis.*

Deinde ostendit modum quo se generaliter salutent, dicens: *Salutate invicem in osculo sancto;* quod dicitur ad differentiam osculi libidinosi, de quo dicitur *Prover. 7. 13. Apprehensum deosculatur iuvenem:* et etiam dolosi, de quo dicitur *Proverb. 27. 6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulentia oscula inimici.* Osculum autem sanctum est quod in signum sanctae Trinitatis datur: *Cant. 1. 1. Osculetur me osculo oris sui.* Exinde autem mos in Ecclesia inolevit ut fideles inter missarum solemnia invicem dent oscula pacis. Deinde salutat eos ex parte aliarum Ecclesiarum, dicens: *Salutant vos omnes Ecclesiae Christi*, idest in nomine, et fide Christi congregatae, quia omnes vestram salutem optant, et pro vobis orant: *Iacob. ult. 16. Orate pro invicem, ut salvemini.*

## LECTIO II.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones, et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, et Lucius, et Iason, et Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus frater. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum, et praedicationem Iesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei, ad obeditionem fidei, in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Postquam Apostolus mandavit quos salutarent; hic ostendit eis quos debeant vitare: et circa hoc tria facit. Primo docet quos debeant vitare; secundo rationem assignat, ibi, *Huiusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt;* tertio promittit eis divinum auxilium ad hoc implendum, ibi, *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris.* Et quia illi quos vitari volebat, fraudulenter incedebant, decipientes sub specie pietatis, secundum illud *Matth. 7. 15. Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:* ideo primo inducit eos ad cautelam habendam, dicens: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones, et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Ubi primo considerandum est, quod observare nihil aliud est quam diligenter considerare: quod quidem quandoque in bono sumitur, quandoque in malo. In malo quidem sumitur, quando aliquis diligenter considerat conditionem, et processum alicuius ad nocendum, secundum illud *Psal. 36. 12. Observabit peccator iustum, et stridebit super eum dentibus suis:* et *Luc. 14. 10.* dicitur: *Et ipsi observabant eum.* In bono autem accipitur uno modo quando quis considerat praecepta Dei ad faciendum: *Exod. 23. 21. Observa igitur eum, et audi vocem eius.* Alio modo quando diligenter considerat bonos ad imitandum, secundum illud *Phil. 3. 17. Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Tertio observantur mali ad cavendum; et ita accipitur hic. Erant enim quidam ad fidem conversi ex Iudaeis qui praedicabant le-

galia esse observanda, et ex hoc, primo quidem in Ecclesia sequebantur dissensiones, et sectae, dum quidam eorum errori adhaererent, alii vero in vera fide persisterent: *Galat. 5. 20. Dissensiones, sectae, invidiae, homicidia etc.* secundo sequebantur offendicula, et scandala, de quibus *supra 15.* actum est, dum quidam alios iudicarent, et alii alios spernerent, qui dissensiones, et offendicula faciunt: *Isa. 57. 14. Auferte offendicula de medio populi mei.* Dicit autem, *Praeter doctrinam quam vos didicistis* a veteribus Christi Apostolis, ut ostendat quod huiusmodi dissensiones, et scandala ex falsitate doctrinae proveniebant: *Gal. 1. 9. Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.* Secundo monet ut cogniti vitentur, dicens: *Et declinate ab illis*, idest eorum doctrinam, et consortia fugiatis: *Psal. 118. 115. Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.*

Deinde cum dicit, *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt*, assignat eius quod dixerat, duas rationes; quarum prima sumitur ex parte eorum quos vult vitari. Et primo describit eorum intentionem, dicens: *Huiuscemodi enim* homines *non serviunt Christo Domino, sed suo ventri:* non enim praedicabant propter gloriam Christi, sed propter quaestum, ut suum ventrem implerent: *Phil. 3. 18. Multi ambulant quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum deus venter est.* Secundo describit eorum deceptionem, dicens: *Et per dulces sermones seducunt corda innocentium*, idest simplicium, et imperitorum: *Proverb. 14. 15. Innocens credit omni verbo. Per dulces sermones*, in quibus sanctitatem praetendunt, secundum illud *Psal. 27. 3. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: et benedictiones*, quibus scilicet benedicunt, et adulantur illis qui eos sequntur: *Isa. 3. 12. Populo meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt: Malach. 2. 2. Maledicam benedictionibus vestris.* Secundam rationem assignat ex conditione Romanorum, qui faciles se exhibebant ad sequendum bonum et malum. Unde primo commendat eos de facilitate ad bonum, dicens: *Vestra enim obedientia*, qua de facili fidei obedistis; *in omni loco divulgata est*, propter dominium quod tunc Romani obtinebant super alias nationes: unde quod a Romanis fiebat, de facili divulgabatur ad alios: *Supra 1. 8. Fides vestra in universo mundo annuntiatur. Gaudeo igitur in vobis*, quia scilicet fidei obedistis; et hoc in caritate, de qua dicitur *1. Corint. 13. 6.* quod *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Secundo reddit eos cautos contra malum, dicens: *Sed volo vos esse sapientes in bono*, ut scilicet ei quod bonum est inhaereatis: *1. Thess. ult. 21. Quod bonum est, tenete: et simplices in malo*, ne scilicet per aliquam simplicitatem declinetis ad malum; ut talis sit vobis simplicitas quod nullum decipiatis in malum: *Matth. 10. 16. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* E converso de quibusdam dicitur *Hierem. 4. 22. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere ne sciunt.*

Deinde cum dicit, *Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris*, promittit eis divinum auxilium contra huiusmodi deceptores. Et primo ponitur promissio, cum dicit: *Deus autem pacis*, scilicet auctor, qui dissentiones odit, quas isti faciunt, *conterat satanam*, idest diabolum, qui per istos pseudoapostolos vos decipere conatur, *sub pedibus vestris*, quia scilicet per vestram sapientiam eum vincetis; et hoc fiet *velociter*, scilicet in adventu meo: *Luc. 10. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici: Malach. ult. 3. Calcabitis impios, cum fuerint sicut cinis sub planta pedum vestrorum.* Secundo ponitur oratio ad hoc obtinendum, cum dicit: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum*, quae scilicet sufficit ad vos tuendos: *2. Corinth. 12. 9. Sufficit tibi gratia mea.*

Deinde cum dicit, *Salutat vos etc.* salutat eos ex parte aliorum, dicens: *Salutat vos Timotheus adiutor meus*, scilicet in praedicatione Evangelii: *1. Cor. 4. 17. Misi ad vos Timotheum, qui est filius carissimus, et fidelis in Domino.* Addit autem: *Et Lucius, et Iason, et Sosipater, cognati mei*, qui Iudaei erant, scilicet vos salutant. Erat autem quidam notarius Pauli nomine Tertius, cui Paulus concessit ut ex sua persona Romanos salutaret: unde subditur: *Ego Tertius, qui scripsi hanc epistolam, saluto vos in Domino* Deinde dicit: *Salutat vos Caius hospes*, cui scribitur Ioannis tertia canonica, in qua commendatur de caritate quam exhibebat sanctis: *et universa Ecclesia*, scilicet quae erat in domo eius congregata, vel quae erat in illa provincia. Deinde dicit: *Salutat vos Erastus arcarius civitatis*, qui scilicet custodiebat arcam communem, idest communes redditus civitatis, et quidam *frater*, idest fidelis nomine *Quartus.* Deinde salutat eos ex parte sua, dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen*: et finit Epistolam cum gratiarum actione, dicens: *Ei autem*, scilicet Deo, qui est Trinitas, *qui potens est vos confirmare: 1. Pet. ult. 10. Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Et hoc in fide, quae est *Iuxta Evangelium meum*, idest secundum Evangelium quod ego praedico: *1. Corinth. 15. 11. Sive ego, sive illi, sic praedicavimus, et sic credidistis.* Et etiam secundum *praedicationem Iesu Christi*, qui primo Evangelium praedicavit, secundum illud *Hebr. 2. 3. Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum.* Unde *Matth. 4.* dicitur, quod circuibat Iesus praedicans Evangelium regni. Subditur autem, *In revelatione mysterii*, idest secreti: quod quidem potest referri ad id quod dixerat: *Iuxta Evangelium meum:* vel quia in ipso Evangelio revelatur secretum incarnationis divinae, secundum illud *supra 1. 17. Iustitia Dei revelatur in eo:* vel quia ipsi Apostolo est Evangelium revelatum: *1. Corinth. 2. 10. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* De hoc autem secreto dicitur *Isa. 24. 16. Secretum meum mihi.* Vel potest melius hoc referri ad hoc quod dixerat, *Confirmare:* quasi dicat: Deus potest vos confirmare in Evangelio meo, et praedicatione; et hoc *secundum revelationem mysterii*, idest secreti, scilicet de conversione Gentium, sicut habetur *Ephes. 3. 8. Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia haec in Gentibus . : . . illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Unde et hic subdit, *Temporibus aeternis taciti*, quia videlicet occultum erat apud homines quod Gentes essent convertendae ad fidem. Vocat autem haec tempora aeterna, quasi diu durantia, quia

a principio mundi hoc fuit occultum, sicut et *in Psalm. 65. 5.* dicitur: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.* Et potest dici, quod tempora aeterna dicuntur ipsa aeternitas, de qua dicitur *Isa. 57. 15. Excelsus, et sublimis habitans aeternitatem:* ut sicut simplex Dei essentia per quamdam similitudinem dimensionibus corporalibus describitur, secundum illud *Iob 11. 9. Longior terra mensura eius, et latior mari;* ita et simplex eius aeternitas per tempora aeterna designetur, inquantum omnia tempora continet. Subdit autem: *Quod*, scilicet mysterium, *nunc patefactum est*, de conversione Gentium, *per Scripturas Prophetarum*, idest secundum quod Prophetae praedixerunt, ut patuit supra *15.* unde *ad Eph. 3.* dicitur: *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc manifestum est sanctis Apostolis eius, et Prophetis in spiritu, esse Gentes cohaeredes, et concorporales, et comparticipes promissionis eius in Christo per Evangelium.* Est autem patefactum per operis impletionem ex praecepto Dei: unde *Secundum praeceptum aeterni Dei;* qui scilicet aeterno proposito ea quae vult temporaliter facit: quod quidem praeceptum Dei *ad obeditionem fidei* est *in cunctis gentibus*, idest ut omnes gentes obediant fidei: *Supra 1. 5. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Si autem loquamur de mysterio incarnationis, sic construenda est littera. *Mysterii*, inquam, *temporibus aeternis taciti*, quia antea non erat ita manifestum: *quod*, inquam, mysterium, *nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*, qui hoc praedixerunt, *secundum praeceptum aeterni Dei*, qui voluit mysterium incarnationis patefieri: et hoc *ad obedientiam fidei in cunctis gentibus. Mysterii*, inquam, licet *taciti* apud homines, tamen *cogniti soli Deo sapienti*, quia ipse solus hoc cognovit, et quibus hoc voluit revelare: quia, ut dicitur *1. Corint. 2. 11. quae sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Vel potest intelligi de eo qui solus est sapiens, scilicet per essentiam, sicut dicitur *Matth. 19.* et *Marc. 10. 18. Nemo bonus nisi solus Deus.* Nec excluditur per hoc Filius, quia eadem est perfectio totius Trinitatis; sicut e converso cum dicitur *Matth. 11. 27. Nemo novit Patrem nisi Filius*, non excluditur Pater a notitia sui ipsius. Subdit autem, *Per Iesum Christum:* quod non sic est intelligendum quod Deus Pater sit sapiens per Iesum Christum: quia cum Deo sit idem sapere quod esse, sequeretur quod Pater esset per Filium, quod est inconveniens; sed hoc referendum est ad hoc quod supra dixerat, *Nunc patefactum est*, scilicet per Iesum Christum, cui Iesu Christo *est honor* per reverentiam totius creaturae, secundum illud *Philip. 2. 10. In nomine Iesu omne genuflectatur: et gloria*, scilicet quantum ad plenam divinitatem, sicut ibi subditur: *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Et hoc non ad tempus, sed *in saecula saeculorum: Hebr. ult. 8. Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula.* Addit autem ad confirmationem veritatis. *Amen.* Vel potest sic construi. *Cogniti soli sapienti Deo, cui per Iesum Christum est gloria*, qui Deum glorificavit, secundum illud *Ioan. 17. 4. Ego clarificavi te super terram.* Est autem advertendum, quod haec constructio est defectiva, et est sic supplenda. *Ei qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum*, sit honor, et gloria *per Iesum Christum, cui est honor et gloria.* Si autem non sit ibi ly *cui*, erit constructio plana.

FINIS PRIMI TOMI.

ANGELICI DOCTORIS

# DIVI THOMÆ AQUINATIS

# COMMENTARIA

## IN EPISTOLAS OMNES D. PAULI

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM IN EPISTOLAM **AD CORINTHIOS I.**

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLVI.

# D. THOMAE AQUINATIS

## DOCTORIS ANGELICI

IN EXPOSITIONEM

# D. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS I.

## PROLOGUS.

NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI, SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, ET PONAM IN LUCEM SCIENTIAM ILLIUS, ET NON PRAETERIBO VERITATEM: *Sap. 6. 24.*

Sacramenti nomen dupliciter accipi consuevit : nam quandoque sacramentum dicitur quodcumque secretum, et praecipue de rebus sacris ; quandoque sacramentum dicitur sacrae rei signum, ita quod et eius imaginem gerat, et causa existat; secundum quod nos dicimus septem sacramenta Ecclesiae, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium. In qua quidem significatione sacramenti etiam prima significatio continetur. Nam in his Ecclesiae sacramentis divina virtus secretius operatur salutem, ut Augustinus dicit. Haec igitur sacramenta Dei praelatus, seu doctor Ecclesiae fidelibus Christi non debet abscondere, sed manifestare, propter tria. Primo quidem quia hoc pertinet ad honorem Dei, secundum illud *Tob. 12. 7. Sacramentum Regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare, et confiteri, honorificum est.* Secundo quia hoc pertinet ad salutem hominum, qui per horum ignorantiam in desperationem labi possent, sicut de quibusdam dicitur *Sap. 2. 22.* quod *nescierunt sacramenta Dei, nec speraverunt mercedem iustitiae :* quia per sacramenta homines purificantur, ut sint praeparati ad recipiendum mercedem iustitiae. Tertio quia hoc pertinet ad debitum officium praelati, vel doctoris, secundum illud *Ephes. 3. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec . . . . . illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Sic ergo praedicta verba demonstrant nobis materiam huius Epistolae, in qua Apostolus agit de sacramentis Ecclesiae. Cum enim in Epistola ad Romanos gratiam Dei commendasset, quae in sacramentis Ecclesiae operatur; hic, scilicet in prima Epistola ad Corinthios, de ipsis Ecclesiae sacramentis agit; in secunda vero de ministris Sacramentorum. Videamus ergo primo textum.

# EXPOSITIO EPISTOLAE

# AD CORINTHIOS I.

## CAPITIS PRIMI

### LECTIO PRIMA

PAULUS vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiae Dei quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, et nostro. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quae data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis; ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem Filii eius Domini nostri Iesu Christi.

Dividitur ergo haec Epistola in partes duas. In prima parte ponit epistolarem salutationem; in secunda prosequitur suam intentionem, ibi, *Gratias ago Deo meo*. Circa primum tria facit. Primo ponit personas salutantes; secundo personas salutatas, ibi, *Ecclesiae Dei quae est Corinthi;* tertio bona salutifera optat, ibi, *Gratia vobis et pax*. Circa primum duo facit. Primo ponit personam principalem, quam describit ex nomine, dicens, *Paulus;* de quo quidem nomine satis dictum est in Epistola ad Romanos; hic autem sufficiat dicere, quod hoc nomen praemittit in signum humilitatis: nam Paulus idem est, quod modicus; quod ad humilitatem pertinet: *1. Reg. 15. 17. Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: Matth. 11. 25. Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Consequenter describit eam a dignitate: et primo ponit modum adipiscendae dignitatis, cum dicit, *Vocatus*, secundum illud *Hebr. 5. 4. Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Secundo ponit ipsam dignitatem, dicens, *Apostolus Iesu Christi:* quae quidem est prima dignitas in Ecclesia, et interpretatur Missus: quia fuerunt missi a Deo, ut vice eius fungerentur in terris: unde dicit *Luc. 6.* quod elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit: et *infra 12. 28. Deus posuit in Ecclesia quosdam, primum quidem Apostolos etc.* Tertio ponit originem, sive causam huius dignitatis, cum dicit, *Per voluntatem Dei:* quod est intelligendum de voluntate beneplaciti, ex qua praeficiuntur illi qui multipliciter praesunt Ecclesiis: *Eccli. 10. 4. In manibus Dei potestas terrae: utilem rectorem in tempore suscitabit super illam.* Et de praedicta voluntate sub figura nubium dicitur *Iob 37. 12. Quae lustrant cuncta per circuitum, quocumque voluntas gubernantis perduxerit.* Dimittit autem Deus aliquos praefici propter subditorum peccata, secundum illud *Iob 34. 30. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Talis autem rector non dicitur esse secundum voluntatem Dei, sed secundum eius indignationem, secundum illud *Osee 13. 11. Dabo tibi Regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* Secundo ponit personam adiunctam, cum dicit, *Et Sosthenes frater:* quem sibi in salutando adiungit, quia ad Apostolum detulerat contentiones, et alios Corinthiorum defectus, ne hoc videretur ex odio fecisse; et ideo nominat eum fratrem, ut ostendat quod ex zelo caritatis hoc fecerat: *Prov. 9. 8. Argue sapientem, et diliget te.*

Deinde ponit personae salutatas, cum dicit: *Ecclesiae Dei quae est Corinthi:* et primo ponit principales personas, quas describit tripliciter. Primo quidem ex loco, cum dicit: *Ecclesiae Dei quae est Corinthi*, idest fidelibus Christi Corinthi congregatis: *Psal. 34. 18. Confitebor tibi in Ecclesia magna.* Secundo ex munere gratiae, cum dicit: *Sanctificatis in Christo Iesu*, idest in fide, passione, et sacramento Christi Iesu: *Infra 6. 2. Sed abluti estis, sed sanctificati estis:*

*Heb. ult. 12. Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Tertio ponit originem gratiae, cum dicit, *Vocatis sanctis:* quia scilicet ad sanctitatem per gratiam vocationis pervenerunt: *Rom. 8. 30. Quos praedestinavit, hos et vocavit: 1. Pet. 2. 9. De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Secundo ponit personas secundarias, fideles scilicet qui non erant in ipsa civitate, sed habitabant in dioecesi civitatis, vel districtu: unde subdit: *Vobis,* inquam, qui estis Corinthi scribo, *cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi*, scilicet per veram fidei confessionem: *Ioel. 2. 32. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et hoc *in omni loco ipsorum,* idest eorum iurisdictioni subiecto, *et nostro:* quia per hoc quod subiiciebantur Episcopo civitatis, non eximebantur a potestate Apostoli; quinimmo magis erant ipsi Apostolo subiecti quam his quibus ipse eos subiecerat: *Ps. 102. 22. In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Ultimo autem in salutatione ponit bona salutifera quae eis optat; quorum primum est *gratia,* per quam iustificamur a peccatis: *Rom. 3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ultimum autem est *pax,* quae perficitur in felicitate aeterna: *Ps. 147. 14. Qui posuit fines tuos pacem: Isa. 32. 18. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Per haec autem duo omnia alia includit: unde dicit: *Gratia, et pax.* Causam eorum ostendit, subdens, *A Deo Patre nostro*, secundum illud *Iac. 1. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Addit autem, *Et Domino Iesu Christo, per quem,* ut dicitur *2. Pet. 1. 4. maxima, et pretiosa promissa donavit nobis Deus: Ioan. 1. 17. Gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.* Quod autem dicit, *A Deo Patre nostro*, potest intelligi de tota Trinitate, a qua creati sumus, et in filios adoptati. Additur autem, *Et Domino Iesu Christo*, non quia sit persona alia, vel hypostasis, praeter tres personas, sed propter aliam naturam. Vel quod dicitur, *A Deo Patre nostro*, per quamdam appropriationem accipitur pro persona Patris, sicut *Ioan. 20. 17. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* In hoc autem quod subdit: *Et Domino Iesu Christo*, manifestatur persona Filii. Tacetur autem de Spiritu sancto, quia est nexus Patris et Filii, et intellectus ex ambobus: vel quia est donum utriusque, intelligitur in donis, de quibus dicit, *Gratia, et pax,* quae per Spiritum sanctum dantur: *Infra 12. 11. Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus.*

Deinde cum dicit, *Gratias ago Deo méo*, incipit epistolarem tractatum: et primo gratias agit de bonis eorum, ut correctionem suorum defectuum tolerabilius ferant; secundo ponit eorum instructionem, ibi, *Obsecro vos autem fratres.* Circa primum duo facit. Primo gratias agit de bonis quae iam acceperant; secundo de bonis quae in futurum expectabant, ibi, *Expectantibus revelationem.* Circa primum duo facit. Primo ponit gratiarum actionem, cum dicit: *Gratias ago Deo méo:* qui scilicet etsi sit Deus omnium per creationem, et gubernationem; tamen est eius, et cuiuslibet iusti per fidem, et devotionem: *Ps. 117. 28. Deus meus es tu, et confitebor tibi.* Ostendit etiam quando gratias agit, cum dicit, *Semper:* quia haec gratiarum actio ex caritatis affectu procedit, qui in eius corde assiduus erat: *Prov. 17. 17. Omni tempore diligit qui amicus est.* Et quamvis omni tempore eos diligeret, et pro eorum bonis gratias ageret actualiter; tamen etiam pro eis gratias agebat omnibus horis quas habebat orationi deputatas. Ostendit etiam pro quibus gratias agit, cum dicit, *Pro vobis*, de quorum scilicet bonis propter caritatis unionem gaudebat sicut de suis: *3. Ioan. 4. 4. Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Secundo ostendit materiam gratiarum actionis: et primo in generali, cum dicit: *In gratia Dei*, idest per gratiam Dei, *quae data est vobis in Christo Iesu*, idest per Christum Iesum: *Ioan. 1. 16. De plenitudine eius omnes nos accepimus: gratiam pro gratia.* Secundo in speciali: ubi primo ostendit gratiae abundantiam, cum dicit: *Quia in omnibus*; scilicet quae pertinent ad salutem, *divites,* idest abundantes, *facti estis in illo*, idest per Christum, secundum illud *2. Cor. 8. 9. Propter vos egenus factus est, ut illius inopia divites essetis.* Et exponit in quibus sint divites facti, cum dicit, *In omni verbo:* vel quia omnibus generibus linguarum loquebantur; vel quia in verbo doctrinae abundabant. Verbum autem non proferretur ordinate nisi ex scientia procederet; et ideo subdit, *In omni scientia*, idest intelligentia omnium Scripturarum, et universaliter omnium quae pertinent ad salutem: *Sap. 10. 10. Dedit illi scientiam sanctorum.* Hoc autem quod dicit Apostolus, referendum est ad eos qui erant in Ecclesia perfectiores, in quibus etiam alii minores has divitias possidebant, sicut Augustinus dicit *super Ioan. Si amas unitatem, cui haeret, habes quidquid in illa alter habet. Tolle invidiam, et tuum est quod alius habet: quos enim cupiditas, et invidia separat, caritas iungit.* Secundo ostendit rectitudinem, dicens: *Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Non esset rectum verbum doctrinae, neque recta scientia, si a testimonio Christi discordaret, vel si etiam Christi testimonium non firmiter per fidem cordibus inhaereret: quia, ut dicitur *Iacob. 1. 6. qui haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur.* Testimonium autem Christi dicit, vel quia de ipso Prophetae praenuntiaverunt, secundum illud *Act. 10. 43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent:* vel quia ipse Christus testimonium perhibuit, secundum illud *Ioan. 8. 14. Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum:* vel etiam quia Apostolus in sua praedicatione Christo testimonium dedit: *Act. 22. 18. Non recipient testimonium tuum de me.* Tertio tangit gratiae perfectionem, cum dicit: *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia:* quia scilicet in diversis personis omnes gratias gratis datas habebant. Ad divinam enim providentiam pertinet ut absque defectu necessaria largiatur: *Ps. 33. 10. Nihil deest timentibus eum:* et *iterum 2. Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Deinde ponit bona in futurum expectanda: et circa hoc tria facit. Primo ponit futuri boni expectationem, dicens: *Vobis*, inquam, non solum habentibus gratiam in praesenti, sed etiam *expectantibus* in futurum *revelationem Domini nostri Iesu Christi,* quia scilicet sanctis suis revelabitur, non solum per gloriam humanitatis, secun-

dum illud *Isa. 33. 17. Regem in decore suo videbunt;* sed etiam per gloriam divinitatis, secundum illud *Isa. 40. 5. Revelabitur gloria Domini:* quae quidem revelatio homines beatos facit: *1. Ioan. 3. 2. Cum autem apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Et in hoc vita aeterna consistit, secundum illud *Ioan. 17. 3. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Sicut autem illi quibus Christus revelatur, sunt beati in re; ita illi qui hoc expectant, sunt beati in spe: *Isa. 30. 18. Beati omnes qui expectant eum.* Et ideo de ipsa expectatione gratias agit. Secundo ostendit quod haec expectatio non est vana ex auxilio divinae gratiae: unde subdit: *Qui*, scilicet Christus, qui spem dedit vobis huiusmodi revelationis, etiam *confirmabit vos*, in gratia accepta: *1. Pet. ult. 10. Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solitabitque:* et hoc *usque in finem*, scilicet vitae vestrae: *Matth. 10. 22. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non autem ut sitis sine peccato: quia *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est*, ut dicitur *1. Ioan. 1. 8.* Sed ut sitis *sine crimine*, idest sine peccato mortali: *1. Tim. 3. 10. Ministrent nullum crimen habentes.* Et hoc, inquam, erit *in die adventus Domini nostri Iesu Christi:* quia scilicet qui sine crimine invenitur in die mortis, sine crimine perveniet ad diem iudicii, secundum illud *Eccle. 11. 3. Si cediderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Nisi autem sine crimine nunc inveniatur, frustra illam revelationem expectaret. Tertio rationem suae promissionis assignat, dicens, quod Deus vos confirmabit; quod debetis sperare, quia *Deus* est *fidelis: Deut. 32. 4. Deus fidelis, et absque ulla iniquitate. Per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri*, ut scilicet habeatis societatem ad Christum, et in praesenti per similitudinem gratiae, secundum illud *1. Ioan. 1. Si in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habemus cum eo ad invicem;* et in futuro per participationem gloriae: *Rom. 8. 17. Si compatimur, ut et simul glorificemur.* Non autem videretur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem Filii, et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quae pervenire ad eum possemus: unde *Iosue 1. 5.* dicit: *Non te deseram, neque derelinquam.*

## LECTIO II.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sunt in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Cloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli; Ego autem Apollo: Ego vero Cephae; Ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Chrispum, et Caium, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanae domum: ceterum nescio si quem alium vestrum baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.

Praemissa salutatione, et gratiarum actione; hic incipit eos instruere: et primo ponitur instructio de his quae ad omnes communiter pertinent, scilicet de his quae pertinent ad ecclesiastica sacramenta; secundo instruit eos de his quae ad quosdam pertinebant, *cap. 16. De collectis autem quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite.* In sacramentis autem tria sunt consideranda. Primo quidem ipsum sacramentum, sicut baptismus; secundo id quod est res significata, et contenta, scilicet gratia; tertio id quod est res significata, et non contenta, scilicet gloria resurrectionis. Primo ergo agit de ipsis sacramentis; secundo de ipsis gratiis, *12. cap. De spiritualibus autem nolo vos ignorare*; tertio de gloria resurrectionis, *infra 15.* ibi, *Notum autem vobis facio.* Circa primum tria facit. Primo determinat ea quae pertinent ad sacramentum baptismi; secundo ea quae pertinent ad sacramentum matrimonii, *5. cap.* ibi, *Omnino auditur inter vos fornicatio;* tertio ea quae pertinent ad sacramentum eucharistiae, *8. cap.* ibi, *De his autem quae idolis sacrificantur.* Dominus autem *Mat. ult. 19.* discipulis praeceptum dedit de doctrina simul, et baptismo dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et ideo Apostolus in prima parte simul cum baptismo agit de doctrina.

Est autem sciendum, quod inter Corinthios fideles erat quaedam dissensio propter baptistas, et doctores. Illi enim qui erant instructi, contemnebant alios, quasi qui meliorem doctrinam acceperint, et meliorem baptismum. Unde circa primum duo facit. Primo removet contentionem; secundo contentionis causam, quae erat in hoc quod gloriabantur de quibusdam, et alios Christi ministros contemnebant: *Infra 3. cap. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Circa primum tria facit. Primo proponit admonitionem; secundo admonitionis necessitatem ostendit, ibi, *Significatum est enim mihi etc.* tertio rationem admonitionis assignat, ibi, *Divisus est Christus?* Circa primum duo consideranda sunt. Primum quidem quod eos inducit ad admonitionem servandam uno modo per propriam humilitatem, cum dicit: *Obsecro autem vos: Prov. 18. 23. Cum obsecrationibus loquitur pauper.* Alio modo per fraternam caritatem, cum dicit, *Fratres:* quia scilicet ex affectu fraternae caritatis hoc dicebat: *Prov. 18. 19. Frater qui iuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Tertio per reverentiam Christi, cum dicit: *Per nomen Domini nostri Iesu Christi:* quod est ab omnibus honorandum, et cui oportet omnes esse subiectos: *Phil. 2. 10. In nomine Iesu omne genuflectatur.* Secundo considerandum est, quod inducit eos ad tria. Primo quidem ad concordiam, cum dicit: *Ut ipsum dicatis omnes*, idest omnes eamdem fidem confiteamini, et eamdem sententiam profe-

ratis de his quae sunt communiter agenda : *Rom. 15. 6. Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Secundo prohibet vitium contrarium virtuti, cum dicit: *Et non sint in vobis schismata :* quia unitas ecclesiastica dividi non debet ; in cuius signum milites de tunica inconsutili *Ioan. 19 24.* dixerunt : *Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit.* Sunt autem proprie schismata, quando vel propter diversam fidei confessionem, vel propter diversas sententias de agendis, homines unius collegii in diversas separantur partes: *Isa. 22. 9. Scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt.* Tertio inducit eos ad id per quod possunt schismata vitare, scilicet ad perfectionem. Est enim divisionis causa dum unusquisque partiale bonum quaerit, praetermisso perfecto bono, quod est bonum totius. Et ideo dicit : *Sitis autem perfecti in eodem sensu*, scilicet quod iudicatur de agendis, *et in eadem scientia*, qua iudicatur de cognoscendis ; quasi dicat : Per haec perfecti esse poteritis, si in unitate persistatis : *Coloss. 3. 14. Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis : Matth. 5. 48. Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* Deinde cum dicit, *Significatum est mihi*, ostendit necessitatem praedictae admonitionis, quia scilicet contentionis vitio laborabant, quasi dicat : Ideo necesse est vos ad hoc inducere, *quia significatum est mihi, fratres mei, ab his qui sunt Cloes*, idest in quadam villa Corinthiorum iurisdictioni subiecta : vel Cloes potest esse nomen matronae, in cuius domo erant multi fideles congregati : *quia contentiones sunt inter vos:* contra id quod dicitur *Prov. 20. 3. Honor est homini qui separat se a contentionibus :* et modum contentionis exponit, subdens : *Hoc autem dico*, idest contentionem nomino, *quod unusquisque vestrum* nominat se ab eo a quo est baptizatus, et instructus, et *dicit, Ego quidem sum Pauli*, quia erat a Paulo baptizatus, et instructus : alius, *Ego autem Apollo*, qui scilicet Corinthiis praedicaverat, ut habetur *Act. 19.* alius, *Ego vero Cephae*, idest Petri, cui dictum est *Ioan. 1. 42. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quod quidem ideo dicebant, quod putabant a meliori baptista meliorem baptismum dari, quasi virtus baptistae in baptizatis operaretur. Et de hoc pseudoapostoli gloriabantur, secundum illud *Psal. 48. 12. Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Alius autem dicit, *Ego autem sum Christi :* qui solus bene dicit, quia solius Christi virtus operatur in baptismo Christi : *Ioan. 1. 33. Super quem videris Spiritum descendere, et manere, ipse est qui baptizat.* Et ideo baptizati, a solo Christo denominantur Christiani, non autem a Paulo Paulini: *Isa. 4. 1. Tantummodo invocetur nomen tuum super nos.*

Ad huius autem erroris vitationem, dicuntur Graeci hac forma in baptizando uti : Baptizetur servus Christi Nicolaus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : ut detur intelligi quod homo non baptizat interius, sed baptizatur a Christo. Quia tamen etiam homo baptizat ministerio, ut membrum, et minister Christi; ideo Ecclesia utitur hac forma in baptizando: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: quod quidem est expressius secundum formam a Christo traditam, qui dixit discipulis *Matth. ult. 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :* ubi ipsos Apostolos dicit baptizantes, secundum quem modum sacramenti minister dicit, Ego te baptizo.

Deinde cum dicit, *Divisus est Christus ?* ponit rationem praedictae admonitionis, quare inter eos scissurae, et contentiones esse non debebant: et primo ex parte baptismi ; secundo ex parte doctrinae, ibi, *Non in sapientia verbi.* Circa primum tria facit. Primo ponit inconveniens quod ex praedicta contentione sequitur ; secundo manifestat quare illud inconveniens sequatur, ibi, *Numquid Paulus crucifixus est ?* tertio excludit quamdam falsam suspicionem, ibi, *Gratias ago Deo meo.* Dicit ergo primo: Dixi, quod unusquisque vestrum dicit, *Ego sum Pauli, Ego Apollo ;* et ex hoc sequitur quod Christus est divisus. Nec refert utrum interrogative, vel remissive legatur. Hoc autem potest intelligi uno modo, quasi diceret: Per hoc quod inter vos contenditur, Christus est divisus a vobis, qui non nisi in pace habitat, secundum illud *Psal. 75. 3. In pace factus est locus eius: Is. 59. 2. Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Sed melius aliter hoc potest intelligi, ut sit sensus : Per hoc quod creditis baptismum esse meliorem qui a meliori baptista datur, sequitur quod Christus, qui principaliter, et interius baptizat, sit divisus, idest differens, in sua virtute, et effectu, secundum differentiam ministrorum : quod patet esse falsum per id quod dicitur *Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Sed adhuc melius hoc intelligitur quod Apostolus dicit. Ex hoc quod ea quae sunt propria Christi, aliis attribuitis, quodammodo Christum dividitis, plures Christos facientes, contra id quod dicitur *Matth. 23. 10. Magister vester unus est Christus : Isa. 45. 22. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terrae : quia ego Dominus, et non est alius.* Est autem sciendum, quod Christus in sacramento baptismi duplicem habet virtutem sibi propriam. Unam quidem divinam, qua simul cum Patre, et Spiritu sancto interius mundat a peccato ; et hoc nulli creaturae potuit communicari. Alia autem est propria virtus secundum humanam naturam, quae est potestas excellentiae in sacramentis, et consistit in quatuor: quorum unum est quod ipse sacramenta instituit; secundum est quod potuit effectum sacramentorum sine sacramento conferre; tertium est quod meritum passionis eius operatur in baptismo, et aliis sacramentis; quartum est quod ad invocationem nominis eius sacramenta conferuntur. Hanc autem potestatem excellentiae, et maxime quantum ad hoc ultimum, conferre potuit ministris baptismi, ut scilicet eorum nominibus consecraretur baptismus ; sed noluit, ne schisma ex hoc in Ecclesia fieret, dum tot reputarentur baptismi, quot essent baptistae. Et hoc est quod secundum expositum Augustini, Ioannes Baptista de Christo nescisse fatetur, *Ioan. 3.* utrum scilicet hanc potestatem sibi retineret.

Deinde cum dicit, *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ?* ostendit praedictum inconveniens sequi ex eorum errore, quo diversum baptisma esse aestimabant, secundum differentiam baptistarum : hoc enim esset, si a baptistis baptismus efficaciam haberet :

quod quidem solius est Christi. Hoc autem ostendit dupliciter. Primo quidem ex parte passionis Christi, in cuius virtute baptismus operatur, secundum illud *Rom. 6. 3. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et ideo dicit: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* quasi dicat: Numquid passio Pauli causa est nostrae salutis, ut secundum ipsum baptismus habeat virtutem salvandi? quasi dicat, non. Hoc enim proprium est Christo ut sua passione, et morte nostram salutem operatus fuerit: *Ioan. 11. 50. Expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat: 2. Corinth. 5. 14. Unus pro omnibus mortuus est.*

Sed contra videtur esse quod Apostolus dicit *Col. 1. 24. Gaudeo in passionibus meis pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

Sed dicendum, quod passio Christi fuit nobis salutifera, non solum per modum exempli, secundum illud *1. Petr. 2. 21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius;* sed etiam per modum meriti, et per modum efficaciae, inquantum eius sanguine redempti, et iustificati sumus, secundum illud *Heb. ult. 12. Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Sed passio aliorum nobis est salutifera solum per modum exempli, secundum illud *2. Corinth. 1. 6. Sive tribulamur, pro vestra exhortatione, et salute.*

Secundo ostendit idem ex virtute nominis Christi, qui in baptismo invocatur: unde subdit: *Aut in nomine Pauli baptizati estis?* quasi dicat, non. Ut enim dicitur *Act. 4. 12. non est aliud nomen datum hominibus per quod oporteat nos salvos fieri.* Unde et *Isa. 26. 8.* dicitur: *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae.*

Sed videtur quod in nomine Christi homines non baptizentur: dicitur enim *Matth. ult. 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Dicendum est autem, quod in primitiva Ecclesia, quia nomen Christi multum erat odiosum, ut venerabile redderetur, Apostoli in nomine Christi baptizabant ex speciali ordinatione Spiritus sancti: unde dicitur *Act. 8.* quod in nomine Christi baptizati sunt viri, et mulieres. Et tamen, ut Ambrosius dicit *lib. 1. de Spiritu sancto cap. 14.* in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Christus enim interpretatur unctus, in quo intelligitur non solum ille qui ungitur, qui est Filius Dei, sed etiam ipsa unctio, quae est Spiritus sanctus, et ipse ungens, qui est Pater, secundum illud *Psalm. 44. 8. Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Nunc autem quia nomen Christi iam est magnum in gentibus ab ortu solis usque ad occasum, ut dicitur *Malach. 1.* Ecclesia utitur forma prius instituta a Christo, baptizans in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et tamen quicumque in hac forma baptizantur, in nomine eius qui est vere Filius Dei, baptizantur, secundum illud *1. Ioan. ult. 20. Ut simus in vero Filio eius Iesu Christo.* Baptizantur etiam omnes fideles in nomine Christi, idest fide, et confessione nominis Christi, secundum illud *Ioel. 2. 32. Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Unde baptizati a Christo Christiani nominantur: quia, ut dicitur *Gal. 3. 27. quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sic ergo si solius Christi passio, si solius Christi nomen virtutem confert baptismo ad salvandum; verum est proprium esse Christo, ut ex eo baptismus habeat sanctificandi virtutem. Unde qui hoc aliis attribuit, dividit Christum in plures.

Deinde cum dicit, *Gratias ago Deo meo*, excludit quamdam suspicionem. Quia ibi dixerat: *Numquid enim Paulus crucifixus est pro vobis?* posset aliquis credere quod etsi non auctoritate, ministerio tamen plures baptizaverit. Et circa hoc tria facit. Primo gratias agit de hoc quod paucos baptizavit; secundo quibusdam paucis nominatis, quosdam alios addit, ibi, *Baptizavi autem et Stephanae domum;* tertio assignat rationem quare non multos baptizaverit, ibi, *Non enim misit me Deus baptizare, sed evangelizare.* Dicit ergo primo: *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum:* de quo *Act. 18. 8. Crispus archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: et Caium,* ad quem scribitur tertia Canonica Ioannis. Et quia gratiarum actio locum non habet nisi in beneficiis perceptis; consequenter Apostolus ostendit qualiter de hoc gratias agat, cum subdit: *Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.* Est enim optabile sanctis viris ne ex bonis quae ipsi faciunt, alii sumant occasionem erroris sui, sive peccati. Et quia Corinthii in eum errorem devenerant, ut se a suis baptistis nominarent, dicentes, *Ego sum Pauli, et Apollo*, ac si in eorum nominibus essent baptizati; ideo gratias agit de hoc quod de suo ministerio talis error consecutus non fuerit: et ideo signanter dicit se baptizasse illos, qui ab hoc errore immunes erant. Deinde cum dicit, *Baptizavi autem et Stephanae domum,* ponit quosdam alios a se baptizatos, ne in eius verbis aliquid veritatis minus appareret: unde dicit: *Baptizavi et domum,* idest familiam, *Stephanae*, scilicet cuiusdam matronae. Et quia circa particularia facta memoria hominum labilis est, subdit: *Ceterum nescio*, idest in memoria non habeo, *si quem alium baptizaverim*, in propria persona. Deinde cum dicit, *Non enim misit me Deus baptizare,* assignat rationem quare paucos baptizaverit, dicens: *Non enim misit me Deus baptizare, sed evangelizare.*

Contra quod videtur esse quod dicitur *Matth. ult. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Sed dicendum est, quod Christus Apostolos misit ad utrumque, ita tamen quod ipsi per seipsos praedicarent, secundum quod ipsi dicebant *Act. 6. 2. Non est aequum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis:* baptizarent autem per inferiores ministros; et hoc ideo quia in baptismo nihil operatur industria, vel virtus baptizantis: nam indifferens est utrum per maiorem vel minorem ministrum detur baptismus; sed in praedicatione Evangelii multum operatur sapientia, et virtus praedicantis; et ideo praedicationis officium per seipsos Apostoli tamquam maiores ministri exercebant, sicut et de ipso Christo dicitur *Ioan. 4. 2.* quod ipse *non baptizabat, sed discipuli eius;* qui tamen de seipso dicit *Luc. 4. 43. Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum: Isa. 61. 1. Ad annuntiandum mansuetis misit me.*

## LECTIO III.

Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Postquam Apostolus improbavit Corinthiorum contentionem rationa sumpta ex parte baptismi; hic excludit eorum contentionem ratione sumpta ex parte doctrinae. Quidam enim eorum gloriabantur de doctrina pseudoapostolorum, qui ornatis verbis, et humanae sapientiae rationibus veritatem fidei corrumpebant. Et ideo Apostolus primo ostendit hunc modum convenientem non esse doctrinae fidei; secundo ostendit hoc modo docendi se usum apud eos non fuisse, *2. cap.* ibi, *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Ut non evacuetur crux Christi.* Dicit ergo primo: Dixi, quod misit me Christus evangelizare, non tamen ita quod ego *in sapientia verbi* evangelizem, idest in sapientia mundana, quae verbosos facit, inquantum per eam multis vanis rationibus homines utuntur: *Eccles. 6. 11. Ubi verba sunt plurima, multam in disputando habent vanitatem: Prov. 14. 23. Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Vel sapientiam verbi nominat rhetoricam, quae docet ornate loqui, ex quo alliciuntur interdum homines ad assentiendum erroribus, et falsitatibus. Unde *Rom. 16. 18. Per dulces sermones seducunt corda innocentium:* et de meretrice dicitur *Prov. 2. 16.* in figura haereticae doctrinae: *Ut eruaris a muliere aliena, et extranea, quae mollit sermones suos.* Sed contra dicitur *Isa. 33. 19. Populum imprudentem non videbis,* scilicet in catholica Ecclesia, *et populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae eius, in quo nulla est sapientia.* Sed quia in Graeco ponitur logos, quod rationem, et sermonem significat; posset convenientius intelligi sapientia verbi, idest humanae rationis, quia illa quae sunt fidei humanam rationem excedunt, secundum illud *Eccli. 3. 25. Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.*

Sed contra hoc videtur esse, quod multi doctores Ecclesiae in doctrina fidei, sapientia, et rationibus humanis, et ornatu verborum sunt usi. Dicit enim Hieronymus *in epist. ad Magnum oratorem urbis Romae,* quod omnes doctores fidei in ornatu Philosophiae doctrinis, atque scientiis suos referserunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem saeculi, an scientiam Scripturarum. Et Augustinus dicit *in 4. de Doctrina Christiana cap. 5. Sunt viri Ecclesiastici, qui divina eloquia non solum sapienter, sed etiam suaviter tractaverunt.*

Dicendum est ergo, quod aliud est docere in sapientia verbi, quocumque modo intelligatur, et aliud uti sapientia verbi in docendo. Ille in sapientia verbi docet, qui sapientiam verbi accipit pro principali radice suae doctrinae, ita scilicet quod ea solum adprobet quae verbi sapientiam continent, reprobet autem ea quae sapientiam verbi non habent; et hoc fidei est corruptivum. Utitur autem sapientia verbi qui suppositis verae fidei fundamentis, si qua vera in doctrinis Philosophorum inveniat, in obsequium fidei assumit: unde Augustinus dicit *in 2. de Doctrina Christiana cap. 40.* quod si qua Philosophi dixerunt fidei nostrae accommoda, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tamquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda: et *in 4. de Doctrina Christiana cap. 2.* dicit: *Cum posita sit in medio facultas eloquii, quae ad persuadendum seu prava, seu recta valeat plurimum; cur non bonorum studio comparetur ut militet veritati, si eam mali in usum iniquitatis, et erroris usurpant?*

Deinde cum dicit, *Ut non evacuetur crux Christi,* probat quod dixerat: et primo quidem ex parte materiae; secundo ex parte ipsorum docentium, ibi, *Videte enim vocationem vestram.* Circa primum tria facit. Primo ostendit modum docendi, qui est in sapientia verbi, non esse congruum fidei christianae; secundo probat quod supposuerat, ibi, *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est;* tertio probationem manifestat, ibi, *Quoniam Iudaei signa petunt.*

Circa primum considerandum est, quod etiam in philosophicis doctrinis non est idem modus conveniens cuilibet doctrinae: unde sermones secundum materiam sunt accipiendi, ut dicitur *1. Ethic. lect. 3.* Tunc autem maxime modus aliquis docendi est materiae incongruus, quando per talem modum destruitur id quod est principale in materia illa; puta si quis in rebus intellectualibus velit metaphoricis demonstrationibus uti, quae non transcendunt res imaginatas, ad quae non oportet intelligentem adduci, ut Boetius ostendit *in libro de Trin.* Principale autem in doctrina fidei christianae est salus per crucem Christi facta: unde *in 2. cap. vers. 2.* dicit: *Non iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.* Qui autem principaliter innititur in docendo sapientiae verbi, quantum in se est, evacuat crucem Christi. Ergo docere in sapientia verbi non est modus conveniens fidei Christianae: hoc est ergo quod dicit: *Ut non evacuetur crux Christi*, idest ne si in sapientia verbi praedicare voluero, tollatur fides de virtute crucis Christi: *Gal. 5. 11. Ergo evacuatum est scandalum crucis: Psal. 136. 7. Qui dicunt: Exinanite usque ad fundamentum in ea.*

Deinde cum dicit, *Verbum crucis pereuntibus qui-*

*dem stultitia est*, probat quod per doctrinam, quae est in sapientia verbi, crux Christi evacuetur: et circa hoc duo facit. Primo inducit probationem; secundo assignat causam dictorum, ibi, *Scriptum est enim etc.* Dicit ergo primo: Ideo dixi, quod si per sapientiam verbi doctrina fidei proponeretur, evacuaretur crux Christi: *verbum* enim *crucis*, idest annuntiatio crucis Christi, *stultitia est*, idest stultum aliquod videtur, *pereuntibus quidem*, idest infidelibus, qui se secundum mundum existimant sapientes: eo quod praedicatio crucis Christi aliquid continet quod secundum humanam sapientiam impossibile videtur; puta quod Deus moriatur, quod Omnipotens violentorum manibus subiiciatur. Continet etiam quaedam quae prudentiae huius mundi contraria videntur; puta quod aliquis non refugiat confusiones, cum possit, et alia huiusmodi. Et ideo Paulo huiusmodi annuntianti dixit Festus, ut legitur *Act. 26. 24. Insanis, Paule: multae litterae ad insaniam te adducunt.* Et ipse Paulus dicit *inf. 4. 10. Nos stulti propter Christum.* Et ne credatur revera verbum crucis stultitiam continere, subdit: *His autem qui salvi fiunt, idest nobis*, scilicet Christifidelibus, qui ab eo salvamur, secundum illud *Matth. 1. 21. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, virtus Dei est:* quia ipsi in cruce Christi virtutem Dei cognoscunt, qua diabolum vicit, et mundum: *Apoc. 5. 5. Ecce vicit leo de tribu Iuda:* item virtutem quam in seipsis experiuntur, dum simul cum Christo vitiis, et concupiscentiis moriuntur, secundum illud *Gal. 5. 24. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.* Unde *in Psal. 109. 2.* dicitur: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: Luc. 6. 19. Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

Deinde cum dicit, *Scriptum est enim*, ostendit praedictorum causam; et ponit primo quare verbum crucis sit hominibus stultitia; secundo ostendit quare ista stultitia sit virtus Dei his qui salvantur, ibi, *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Circa primum duo facit. Primo inducit auctoritatem praenuntiantem quod quaeritur; secundo ostendit hoc esse impletum, ibi, *Ubi sapiens?* Circa primum considerandum, quod id quod est in se bonum, non potest alicui stultum videri, nisi propter defectum sapientiae. Haec est ergo causa quare verbum crucis, quod est salutiferum credentibus, quibusdam videtur stultitia, quia sunt ipsi sapientia privati; et hoc est quod dicit: *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Potest autem hoc sumi ex duobus locis: nam in Abdia dicitur *vers. 8. Perdam sapientiam de Idumaea, et prudentiam de monte Esau*: expressius autem habetur *Isa. 29. 14. Peribit sapientia a sapientibus, et intellectus prudentium eius abscondetur.* Differunt autem sapientia, et prudentia: nam sapientia est cognitio divinarum rerum, unde pertinet ad contemplationem: *Iob 28. 28. Timor Dei ipsa est sapientia;* prudentia vero proprie est cognitio rerum humanarum: unde dicitur *Prov. 10. 23. Sapientia est viro prudentia:* quia scilicet scientia humanarum rerum prudentia dicitur. Unde et Philosophus *6. Eth.* dicit, quod prudentia est recta ratio agibilium; et sic prudentia ad rationem pertinet. Est autem considerandum, quod homines quantumcumque mali, non totaliter donis Dei privantur; nec in eis dona Dei reprobantur, sed in eis reprobatur, et perditur quod ex eorum malitia procedit. Et ideo non dicit simpliciter, *Perdam sapientiam:* quia *omnis sapientia a Domino Deo est*, ut dicitur *Eccli. 1. 1.* sed, *Perdam sapientiam sapientium*, idest quam sapientes huius mundi adinvenerunt sibi contra veram sapientiam Dei: quia, ut dicitur *Iacob. 3. 15. non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Similiter non dicit, *Reprobabo prudentiam*, nam veram prudentiam sapientia Dei docet: sed dicit, *Prudentiam prudentium*, idest quam illi qui se prudentes aestimant in rebus mundanis, prudentiam reputant, ut scilicet bonis huius mundi inhaereant: vel quia, ut dicitur *Rom. 8. 6. prudentia carnis mors est.* Et sic propter defectum sapientiae reputant impossibile Deum hominem fieri, mortem pati secundum humanam naturam; propter defectum autem prudentiae reputant inconveniens fuisse quod homo sustineret crucem confusione contempta, ut dicitur *Hebr. 12.*

Deinde cum dicit, *Ubi sapiens?* ostendit esse impletum quod de reprobatione humanae sapientiae, et prudentiae fuerat probatum: et primo ponit medium sub interrogatione; secundo conclusionem infert, ibi, *Nonne stultam Deus fecit sapientiam huius mundi?* Dicit ergo primo, *Ubi sapiens?* quasi dicat: Non invenitur in congregatione fidelium, qui salvantur. Per sapientem intelligit illum qui secretas naturae causas scrutatur: *Isa. 19. 11. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego?* Et hoc refertur ad Gentiles, qui huius mundi sapientiae studebant. *Ubi scriba?* idest peritus in lege; et hoc refertur ad Iudaeos; quasi diceret: Non est in coetu fidelium: *Ioan. 7. 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum? Ubi inquisitor huius saeculi?* qui scilicet per prudentiam exquirit quae sit convenientia vitae humanae in rebus huius saeculi; quasi dicat: Non invenitur inter fideles: et hoc refertur ad utrosque, scilicet Iudaeos, et Gentes: *Baruch. 3. 23. Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam quae de terra est.* Videtur autem Apostolus hanc interrogationem sumere ab eo quod dicitur *Isa. 33. 18. Ubi est litteratus?* pro quo ponit sapientem. *Ubi est verba legis ponderans?* pro quo ponit scribam. *Ubi est doctor parvulorum?* pro quo ponit inquisitorem huius saeculi: quia parvuli maxime solent instrui de his quae pertinent ad disciplinam moralis vitae. Deinde cum dicit, *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* infert conclusionem sub interrogatione; quasi dicat: Cum illi qui sapientes mundi reputantur, a via salutis defecerint, *nonne Deus sapientiam huius mundi fecit stultam*, idest demonstravit esse stultam, dum illi qui in hac sapientia pollebant, tam stulti inventi sunt ut viam salutis non acciperent: *Hier. 10.* et *51. 17. Stultus factus est omnis homo a scientia sua: Isa. 47. 10. Sapientia tua, et scientia tua haec decepit te.* Potest autem et aliter intelligi quod dictum est; ac si diceret: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo*, idest eligam eam in primis meis praedicatoribus, secundum illud *Prov. 30. 1. Visio quam locutus est vir cum quo est Deus:* et *infra 11. Stultissimus sum*

*virorum, et sapientia hominum non est mecum. Ubi sapiens?* quasi dicat: Inter praedicatores fidei non invenitur: *Mat. 11. 25. Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Nonne Deus stultam fecit*, idest demonstravit, *sapientiam huius mundi?* faciendo quod ipsi impossibile reputabatur, scilicet dictum esse, hominem mortuum resurgere, et alia huiusmodi.

Deinde cum dicit, *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum etc.* assignat rationem quare per praedicationis stultitiam salventur fideles; et hoc est quod dictum est, quod verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, virtus vero salvationis credentibus: *nam placuit Deo per stultitiam praedicationis*, idest per praedicationem quam humana sapientia stultam reputat, *salvos facere credentes;* et hoc ideo, *quia mundus*, idest mundani, *non cognoverunt Deum per sapientiam* ex rebus mundi acceptam; et hoc *in Dei sapientia:* divina enim sapientia faciens mundum, sua indicia in rebus mundi instituit, secundum illud *Eccli. 1. 10. Effudit illam super omnia opera sua:* ita quod ipsae creaturae per sapientiam Dei factae, se habent ad Dei sapientiam, cuius indicia gerunt, sicut verba hominis ad sapientiam eius, quam significant. Et sicut discipulus pervenit ad cognoscendum magistri sapientiam per verba quae ab ipso audit; ita homo poterat ad cognoscendum Dei sapientiam per creaturas ab ipso factas inspiciendo pervenire, secundum illud *Rom. 1. 20. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed homo propter sui cordis vanitatem a rectitudine divinae cognitionis deviavit: unde dicitur *Ioan. 1. 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Et ideo Deus per quaedam alia ad sui cognitionem salutiferam fideles adduxit, quae in ipsis rationibus creaturarum non inveniuntur; propter quod a mundanis hominibus, qui solas humanarum rerum considerant rationes, reputantur stulta: et huiusmodi sunt fidei documenta. Et est simile sicut si aliquis magister considerans sensum suum ab auditoribus non accipi per verba quae protulit, studeat aliis verbis uti, per quae possit manifestare quae habet in corde.

Deinde cum dicit, *Quoniam Iudaei signa petunt*, manifestat probationem praemissorum: et primo quantum ad id quod dixerat, *Verbum crucis pereuntibus stultitia est*; secundo quantum ad id quod dixerat, *His qui salvi fiunt, virtus Dei est.. Ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis.* Circa primum duo facit. Primo ponit pereuntium differens studium, et intentionem; secundo ex hoc rationem assignat eius quod dixerat, ibi, *Nos autem praedicamus Christum.* Pereuntium autem, idest infidelium, quidam erant Iudaei, quidam Gentiles. Dicit ergo: Dictum est, quod *verbum crucis pereuntibus est stultitia;* et hoc ideo quoniam *Iudaei signa petunt:* erant enim Iudaei consueti divinitus instrui, secundum illud *Deuter. 32. 10. Erudivit eum, et docuit.* Quae quidem doctrina cum esset a Deo per multa mirabilia manifestata, secundum illud *Psalm. 77. 12. Fecit mirabilia in terra Ægypti:* ideo ab afferentibus quamcumque doctrinam signa quaerebant, secundum illud *Matth. 12. 38. Magister volumus a te signum aliquod videre:* et *in Psal. 73. 9.* dicitur: *Signa nostra non vidimus.* Sed *Graeci sapientiam quaerunt*, utpote in studio sapientiae exercitati: sapientiam, dico, quae per rationes rerum mundanarum accipitur, de qua dicitur *Hierem. 9. 23. Non glorietur sapiens in sapientia.* Per Graecos autem omnes Gentiles dat intelligere, qui a Graecis mundanam sapientiam acceperunt. Quaerebant igitur sapientiam, volentes omnem doctrinam eis propositam secundum regulam humanae sapientiae iudicare. Deinde concludit, quare verbum crucis sit eis stultitia, dicens: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum*, secundum illud *infra 11. 26. Mortem Domini annuntiabitis donec veniat: Iudaeis scandalum,* quia scilicet desiderabant virtutem miracula facientem, et videbant infirmitatem crucem patientem: nam, ut dicitur *2. Corinth. ultim. 4. Crucifixus est ex infirmitate: Gentibus autem stultitiam:* quia contra rationem humanae sapientiae videtur quod Deus moriatur, et quod homo iustus, et sapiens se voluntarie turpissimae morti exponat.

Deinde cum dicit, *Ipsis autem vocatis*, manifestat quod dixerat, *His autem qui salvi fiunt, virtus Dei est:* et primo manifestat hoc; secundo rationem assignat, ibi, *Quia quod stultum est Dei, sapientibus est hominibus.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod *praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis scandalum, et Gentibus stultitiam;* sed praedicamus *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam ipsis vocatis Iudaeis, et Graecis*, idest his qui ex Iudaeis, et Gentibus ad fidem Christi vocati sunt, qui in cruce Christi recognoscunt Dei virtutem, per quam et daemones superantur, peccata remittuntur, et homines salvantur: *Psal. 20. 14. Exaltare Domine in virtute tua:* et hoc dicit contra scandalum Iudaeorum, qui de infirmitate Christi scandalizabantur: et recognoscunt in cruce Dei sapientiam, inquantum per crucem convenientissimo modo humanum genus liberat: *Sap. 9. 19. Per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi a principio.* Dicitur autem Dei virtus, et Dei sapientia per quamdam appropriationem. Virtus quidem inquantum per eum Pater omnia operatur: *Ioan. 1. 3. Omnia per ipsum facta sunt:* sapientia vero inquantum ipsum Verbum, quod est Filius, nihil est aliud quam sapientia genita, vel concepta: *Eccli. 24. 5. Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Non autem sic est intelligendum quod Deus Pater sit fortis, et sapiens virtute, aut sapientia genita: quia, ut Augustinus probat *4. de Trin. cap. 1.* sequeretur quod Pater haberet esse a Filio, quia hoc est Deo esse quod fortem, et sapientem esse. Deinde cum dicit, *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, assignat rationem eius quod dixerat, dicens, quomodo id quod est infirmum, et stultum, possit esse virtus, vel sapientia Dei: quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus;* quasi dicat: Iam aliquod divinum videtur esse stultum, non quia deficiat a sapientia, sed quia superexcedit sapientiam humanam. Homines enim quidam consueverunt stultum reputare quod eorum sensum excedit: *Eccli. 3. 25. Plurima super sensum hominis ostensa sunt tibi. Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus;* quia scilicet non dicitur aliquid infirmum in Deo per defectum virtutis, sed per excessum humanae virtutis; sicut etiam dicitur invisibilis, inquantum excedit sensum

humanum : *Sap. 12. 17. Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus.* Quamvis hoc possit referri ad incarnationis mysterium : quia id quod reputatur stultum, et infirmum in Deo ex parte naturae assumptae, transcendit omnem sapientiam, et virtutem : *Exod. 15. 11. Quis similis tui in fortibus, Domine ?*

## LECTIO IV.

Videte enim vocationem vestram, fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut quae sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.

Supra ostendit Apostolus quod modus docendi qui est in sapientia verbi, non convenit doctrinae christianae, ratione materiae, quae est ipsa crux Christi; hic ostendit quod praedictus docendi modus non convenit doctrinae christianae, ratione doctorum, secundum illud *Prov. 26. 7. In derisum est in ore stulti parabola:* et *Eccli. 20. 22. Ex ore fatui reprobabitur parabola.* Quia igitur primi doctores fidei non fuerunt sapientes sapientia carnali, non erat eis conveniens ut in sapientia verbi docerent. Circa hoc ergo duo facit. Primo ostendit quomodo primi doctores fidei non fuerunt sapientes sapientia carnali, et in rebus humanis defectum patiebantur; secundo ostendit quomodo talis defectus est in eis per Christum suppletus, ibi, *Ex ipso autem vos estis.* Circa primum tria facit. Primo excludit a fidei primis doctoribus excellentiam saecularem; secundo adstruit eorum abiectionem quantum ad saeculum, ibi, *Sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus:* tertio rationem assignat, ibi, *Ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Dicit ergo primo : Dictum est : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus;* et hoc considerare potestis in ipsa vestra conversione : *videte enim*, idest diligenter considerate, *vocationem vestram*, quomodo scilicet vocati estis: non enim per vos ipsos accessistis, sed ab eo vocati estis : *Rom. 8. 30. Quos praedestinavit, hos et vocavit : 1. Petr. 2. 9. De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Inducit autem eos ut considerent modum suae vocationis quantum ad eos per quos vocati sunt, sicut *Isa. 51. 2.* dicitur : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae genuit vos.* A quibus vocationis ministris primo excludit sapientiam, cum dicit: *Quia non multi* eorum, per quos vocati estis, *sapientes secundum carnem*, idest in carnali sapientia, et terrena : *Iacob. 3. 15. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica : Baruch 3. 23. Filii Agar exquisierunt sapientiam quae de terra est.* Dicit, *Non multi :* quia aliqui pauci erant etiam in sapientia mundana instructi, sicut ipse, et Barnabas, velut Moyses in veteri testamento, de quo dicitur *Act. 7.* quod eruditus erat Moyses in omni sapientia Ægyptiorum. Secundo excludit saecularem potentiam, cum dicit : *Non multi potentes*, scilicet secundum saeculum: unde et *Ioan. 7. 48.* dicitur : *Numquid aliquis ex principibus credidit in eum ?* et *Baruch 3. 16.* dicitur: *Ubi sunt principes gentium ? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Tertio excludit excellentiam generis, cum dicit : *Non multi nobiles.* Et aliqui inter eos nobiles fuerunt, sicut ipse Paulus, qui in civitate Romana se natum dicit *Act. 22.* et *Rom. ult 7.* de quibusdam dicit : *Qui sunt nobiles in Apostolis.* Deinde cum dicit: *Sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus*, ponit e converso eorum abiectionem quantum ad mundum: et primo defectum contrarium sapientiae, cum dicit : *Quae stulta sunt mundi*, idest eos qui secundum mundum stulti videbantur, *elegit Deus*, ad praedicationis officium, scilicet piscatores illiteratos, secundum illud *Act. 4. 13. Comperto quod homines essent sine litteris, et idiotae, admirabantur : Isa. 33. 18. Ubi est litteratus, ubi verba legis ponderans?* Et hoc *ut confundat sapientes*, idest eos qui de sapientia mundi confidunt, dum ipsi non cognoverunt quae sunt simplicibus revelata : *Matth. 11. 25. Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis : Isa 19. 12. Ubi sunt nunc sapientes tui ? Annuntient tibi.* Secundo ponit defectum contrarium potentiae, dicens : *Et infirma mundi*, idest homines impotentes secundum mundum, puta rusticos, et plebeios, *elegit Deus*, ad praedicationis officium : in cuius figura dicitur *3. Reg. 20. 15. Ego tradens eos in manu tua, per pedissequos principum provinciarum :* et *Prov. 9. 3.* dicitur, quod *sapientia misit ancillas, ut vocarent ad arcem.* In utrisque autem primorum praedicatorum infirmitas designatur. Et hoc ideo *ut confundat fortia*, idest potentes huius mundi : *Isa. 2. 17. Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.* Tertio ponit defectum contrarium nobilitati ; in quo possunt tria considerari. Primo quidem claritas generis, quam ipsum nomen nobilitatis designat; et contra hoc dicit, *Et ignobilia mundi*, idest qui secundum mundum sunt ignobiles : *Infra 6. 10. Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Secundo circa nobilitatem considerantur honor, et reverentia, quae talibus exhibentur; et contra hoc dicit, *Et contemptibilia*, idest homines contemptibiles in hoc mundo, *elegit Deus*, ad praedicationis officium, secundum illud *Psal. 78. 4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, et his qui in circuitu nostro sunt.* Tertio in nobilitate consideratur magna opinio quam homines de eis habent ; et contra hoc dicit : *Et ea quae non sunt*, idest quae non videntur esse in saeculo, *elegit Deus*, ad praedicationis officium: *Iob 30. 2. Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vitâ ipsa putabantur indigni.* Et hoc ideo *ut destrueret ea quae sunt*, idest eos qui in hoc mundo aliquid esse videntur: *Isa. 23. 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae.* Deinde assignat causam dictorum, dicens : Ideo non elegit in saeculo excellentes, sed abiectos, *ut non glorietur omnis caro in conspectu eius*, idest ut nullus pro quacumque carnis excellentia glorietur per compa-

rationem ad Dominum : *Icrem. 9. 23. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Ex hoc enim quod Deus mundum suae fidei subiecit, non per sublimes in mundo, sive in saeculo, sed per abiectos, non potest gloriari homo, quod per aliquam carnalem excellentiam salvatus sit mundus. Videretur autem non esse a Deo excellentia mundana, si Deus ea non uteretur ad suum obsequium; et ideo in principio quidem paucos, postremo vero plures saeculariter excellentes Deus elegit ad praedicationis officium: unde in Glossa dicitur, quod nisi fideliter praecederet piscator, non humiliter sequeretur orator. Et etiam ad gloriam Dei pertinet, dum per abiectos sublimes in saeculo ad se trahit.

Deinde cum dicit, *Ex ipso autem vos estis*, ne praedicatores fidei tamquam non excellentes, sed abiecti in saeculo, contemnerentur, ostendit quomodo Deus praedictum defectum in eis supplet: et circa hoc tria facit. Primo ostendit cui sit attribuenda salus mundi, quae praedicatorum ministerio facta est, dicens: Dictum est, quod vocati estis non per excellentes, sed per abiectos in saeculo: ex quo patet quod vestra conversio non est homini attribuenda, sed Deo: et hoc est quod dicit: *Ex ipso autem*, idest ex virtute Dei, *vocati estis in Christo Iesu*, idest ei iuncti, et incorporati per gratiam: *Eph. 2. 10. Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Deinde ostendit quomodo Deus praedictos defectus in praedicatoribus suis supplet per Christum: et primo quantum ad defectum sapientiae, cum dicit: *Qui*, scilicet Christus, *factus est nobis*, praedicantibus fidem, et per nos omnibus fidelibus, *sapientia:* quia ei inhaerendo qui est Dei sapientia, et participando ipsum per gratiam, sapientes facti sumus, et hoc *a Deo*, qui nobis Christum dedit, et nos ad ipsum traxit, secundum illud *Ioan. 6. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum: Deut. 4. 6. Haec est vera sapientia, et intellectus coram populis.* Secundo quantum ad defectum potentiae dicit, *Et iustitia*, quae propter sui fortitudinem thoraci comparatur: *Sap. 5. 19. Induet pro thorace iustitiam.* Dicitur autem Christus nobis factus iustitia, inquantum per eius fidem iustificamur, secundum illud *Rom. 3. 22. Iustitia autem Dei per fidem Christi Iesu.* Tertio quantum ad defectum nobilitatis subdit: *Et sanctificatio, et redemptio:* sanctificamur enim per Christum, inquantum per eum Deo coniungimur, in quo consistit vera nobilitas, secundum illud *1. Reg. 2. 30. Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Unde dicitur *Hebr. ult. 12. Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Factus est autem nobis redemptio, inquantum per ipsum redempti sumus de servitute peccati, in quo vere ignobilitas consistit: unde *in Psal. 30. 6.* dicitur: *Redemisti me Deus veritatis.* Tertio assignat dictorum causam, cum dicit: *Ut quemadmodum scriptum est, Hierem. 9. 24. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur:* ubi nostra littera habet: *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Dicit enim: Si salus hominis non provenit ex aliqua excellentia humana, sed ex sola virtute divina, non debetur homini gloria, sed Deo, secundum illud *Psal. 113. 1. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: Eccl. ult. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.*

## CAPITIS SECUNDI

### LECTIO PRIMA

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, non veni in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi: non enim iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos; et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram.

Postquam Apostolus ostendit quis sit conveniens modus doctrinae christianae; hic ostendit se illum modum observasse: et circa hoc tria facit. Primo ostendit se non fuisse usum apud eos aliqua excellentia saeculari; secundo ostendit apud quos excellentia spirituali utatur, ibi, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos;* tertio rationem assignat, ibi, *Quae etiam loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus.* Circa primum tria facit. Primo dicit, quod non ostendit apud eos excellentiam saecularis sapientiae; secundo quod non praetendit excellentiam potentiae saecularis, ibi, *Et ego in infirmitate... fui apud vos;* tertio non praetendit excellentiam eloquentiae, ibi, *Et sermo meus.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo rationem assignat, ibi, *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum.* Dicit ergo primo: Quia dictum est, quod Christus misit me evangelizare, non in sapientia verbi, et quod non sunt multi sapientes, *et ego, fratres,* quamvis sapientiam saecularem habeam, secundum illud *2. Corinth. 11. 6. Et si imperitus sermone, sed non scientia: cum venissem ad vos,* convertendos ad Christum, ut habetur *Act. 17. veni annuntians vobis testimonium Christi*, secundum illud *Act. 4. 33. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu Christi*: et hoc *non in sublimitate sermonis, aut sapientiae.* Attenditur autem sublimitas sapientiae in consideratione aliquorum sublimium, et elevatorum supra rationem et sensum hominum: *Eccli. 24. 7. Ego in altissimis habitavi.* Sublimitas autem sermonis potest referri vel ad verba significantia sapientiae conceptiones, secundum illud *Eccli. ult. 11. Verba sapientum quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi:* vel ad modum ratiocinandi per aliquas subtiles vias: nam in Graeco habetur logos, quod et verbum, et rationem significat, ut Hierony-

mus dicit. Hoc autem dicit Apostolus, quia fidem Christi per huiusmodi sublimitates sermonis, aut sapientiae confirmare nolebat: *1. Reg. 2. 3. Nolite multiplicare sublimia.* Deinde huius rationem assignat, dicens: *Non enim iudicavi me scire aliquid nisi Christum Iesum:* non enim ad hoc opus erat ut sapientiam ostentaret, sed ut demonstraret eius virtutem, secundum illud *2. Cor. 4. 5. Non enim praedicamus nosmetipsos, sed Iesum Christum.* Et ideo solum utebatur his quae ad demonstrandam virtutem Christi pertinebant, existimans se, ac si nihil sciret quam Iesum Christum: *Hier. 9. 24. In hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me.* In Christo autem Iesu, ut dicitur *Coloss. 2.* sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi, et quantum ad plenitudinem deitatis, et quantum ad plenitudinem sapientiae, et gratiae, et etiam quantum ad profundas incarnationis rationes; quae tamen Apostolus eis non annuntiavit, sed solum ea quae erant manifestiora et inferiora in Christo Iesu: et ideo subdit, *Et hunc crucifixum;* quasi dicat: Sic vobis me exhibui, ac si nihil aliud scirem quam crucem Christi: unde *Gal. ult. 14.* dicit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quia igitur per sapientiam verbi evacuatur crux Christi, ut dictum est, ideo ipse Apostolus non venerat in sublimitate sermonis, aut sapientiae. Deinde cum dicit, *Et ego in infirmitate etc.* ostendit quod non praetenderit apud eos potentiam, sed potius contrarium, et foris, et intus. Unde quantum ad id quod foris est, dicit: *Et ego fui apud vos in infirmitate*, idest tribulationes apud vos patiens: *Gal. 4. 13. Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis iampridem: Psal. 15. 4. Multiplicatae sunt infirmitates eorum.* Quantum vero ad id quod intus est, dicit: *Et timore*, scilicet de malis imminentibus, *Et tremore*, inquantum scilicet timor interior redundat ad corpus: *2. Cor. 7. 5. Foris pugnae, intus timores.* Deinde cum dicit, *Et sermo meus*, ostendit quod non praetenderit apud eos excellentiam eloquentiae: et circa hoc tria facit. Primo excludit indebitum modum praedicandi, dicens: *Et sermo meus*, quo scilicet privatim, et singulariter aliquos instruebam: *Ephes. 4. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem fidei: et praedicatio mea*, qua scilicet publice docebam, *non fuit in verbis persuasibilibus humanae sapientiae*, idest per rhetoricam, quae componit ad persuadendum: ut scilicet supra dixit, quod non fuit intentionis quod sua praedicatio niteretur philosophicis rationibus, ita nunc dicit non fuisse suae intentionis niti rhetoricis persuasionibus: *Isa. 33. 19. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae eius, in quo nulla est sapientia.* Secundo ostendit debitum modum, quo usus fuit in praedicando, dicens: Sermo meus fuit *in ostensione spiritus, et virtutis:* quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo quantum ad hoc quod credentibus praedicationi eius dabatur Spiritus sanctus, secundum illud *Act. 10. 44. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Similiter etiam suam praedicationem confirmabat faciendo virtutes, idest miracula, secundum illud *Marc. ult. 20. Sermonem confirmante sequentibus signis.* Unde *Galat. 3. 5. Qui tribuit vobis spiritum, et operatur in vobis.* Alio modo potest intelligi quantum ad hoc quod ipse per Spiritum loquebatur, quod sublimitas, et affluentia doctrinae ostendit: *2. Reg. 23. 2. Spiritus Domini locutus est per me*: et *2. Cor. 4. 13. Habentes eumdem spiritum fidei credimus, propter quod et loquimur.* Confirmat etiam suam praedicationem ostendendo in sua conversatione multa opera virtuosa: *1. Thess. 2. 10. Vos enim testes estis, et Deus, quam sancte et iuste sine querela vobis qui credidistis, affuimus.* Tertio assignat rationem dictorum, dicens: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum*, idest non innitatur sapientiae humanae, quae plerumque decipit homines, secundum illud *Isa. 47. 10. Sapientia tua, et scientia tua haec decepit te. Sed in virtute Dei*, ut scilicet virtuti divinae fides innitatur, et sic non possit deficere: *Rom. 1. 16. Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti.*

Deinde cum dicit, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, ostendit apud quos excellentia spiritualis sapientiae utatur: et primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Sapientiam vero non huius saeculi.* Dicit ergo: Apud vos solum Christum crucifixum praedicavi. *Sapientiam autem*, idest profundam doctrinam, *loquimur inter perfectos.* Dicuntur autem aliqui perfecti dupliciter. Uno modo secundum intellectum; alio modo secundum voluntatem: hae enim inter potentias animae sunt propriae hominis, et ideo secundum eas oportet hominis perfectionem considerari. Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia, et sensibilia, qui spiritualia, et intelligibilia capere possunt, de quibus dicitur *Hebr. 5. 14. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem mali, et boni.* Perfecti autem secundum voluntatem sunt, quorum voluntas super omnia temporalia elevata soli Deo inhaeret, et eius praeceptis. Unde *Matth. 5. 48.* propositis dilectionis mandatis, subditur: *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Quia igitur doctrina fidei ad hoc ordinatur ut fides per dilectionem operetur, ut habetur *Galat. 5.* necesse est eum qui in doctrina fidei instruitur, non solum secundum intellectum bene disponi ad capiendum, et credendum, sed etiam secundum voluntatem, et affectum bene disponi ad diligendum, et operandum.

Deinde cum dicit, *Sapientiam vero non huius saeculi*, exponit qualis sit sapientia de qua mentionem fecit: et primo ponit expositionem; secundo ratione expositionem confirmat, ibi, *Quoniam nemo principum huius saeculi cognovit.* Circa primum duo facit. Primo exponit qualis sit ista sapientia per comparationem ad infideles; secundo per comparationem ad fideles, ibi, *Sed loquimur Dei sapientiam.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod *sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero*, dico, *non huius saeculi*, idest de rebus saecularibus, vel quae est per rationes humanas, *neque* etiam *principum huius saeculi;* et sic separat eam a sapientia mundana, et quantum ad modum et materiam inquirendi, et quantum ad auctores, qui sunt principes huius saeculi: quod potest intelligi de triplici genere principum, secundum triplicem sapientiam humanam. Primo possunt dici principes huius saeculi

Reges, et potentes saeculares, secundum illud *Psalm. 2. 2. Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius:* a quibus principibus venit sapientia humanarum legum, per quas res huius mundi in vita humana dispensantur. Secundo possunt dici principes daemones: *Ioan. 14. 30. Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam:* et ab his principibus venit sapientia culturae daemonum, scilicet negromantia, et magicae artes, et huiusmodi. Tertio possunt intelligi principes huius saeculi Philosophi, qui quasi principes se exhibuerunt hominibus in docendo, de quibus dicitur *Isa. 19. 11. Stulti principes Taneos; sapientes consiliari Pharaonis:* et ab his principibus processit tota humana Philosophia. Horum autem principum, homines destruuntur per mortem, et per amissionem potestatis, et auctoritatis; daemones vero non per mortem, sed per amissionem potestatis, et auctoritatis, secundum illud *Ioan. 12. 31. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras:* de hominibus autem dicitur *Baruch 3. 16. Ubi sunt principes gentium?* et postea subdit *19. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Sicut autem ipsi non sunt stabiles, ita et eorum sapientia non potest esse firma; et ideo non ei innitendum est.

Deinde cum dicit, *Sed loquimur Dei sapientiam*, exponit qualis sit sapientia per comparationem ad fideles: et primo describit eam quantum ad materiam, vel auctoritatem, cum dicit: *Sed loquimur Dei sapientiam*, idest quae est Deus, et a Deo: quamvis enim omnis sapientia a Deo sit, ut dicitur *Eccli. 1.* tamen speciali quodam modo haec sapientia, quae est de Deo, est etiam a Deo per revelationem, secundum illud *Sap. 9. 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de altissimis?* Secundo ostendit qualitatem eius, dicens: *In mysterio, quae abscondita est:* haec enim sapientia abscondita est ab hominibus, inquantum hominis intellectum excedit, secundum illud *Eccli. 3. 25. Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi: Iob 28. 21. Abscondita est ab oculis omnium viventium.* Et quia modus docendi doctrinae debet esse conveniens; ideo dicitur, quod loquitur eam in *mysterio*, idest in aliquo occulto vel verbo, vel signo: *Infra 14. 2. Spiritus loquitur mysteria.* Tertio ostendit fructum huius sapientiae, *Quam Deus praedestinavit*, idest praeparavit, *in gloriam nostram*, idest praedicatorum fidei, quibus ex praedicatione tam altae sapientiae gloria magna debetur et apud Deum, et apud homines: *Prover. 3. 35. Gloriam sapientes possidebunt.* Et quod dicit, *In gloriam nostram*, exponendum est, Omnium fidelium; quorum gloria haec est, ut in plena luce cognoscant ea quae nunc in mysterio praedicantur, secundum illud *Ioan. 17. 3. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.*

## LECTIO II.

Quam nemo principum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.

Posita expositiono de sapientia quam Apostolus loquitur inter perfectos; hic rationem assignat expositionis praedictae; et primo quantum ad hoc quod eam descripserat per comparationem ad infideles; secundo quantum ad hoc quod eam descripserat per comparationem ad fideles, ibi, *Nobis autem revelavit Deus.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod sapientia quam loquimur, non est *principum huius saeculi:* haec enim sapientia est, *quam nemo principum huius saeculi cognovit:* quod verum est, de quibuscumque principibus intelligatur: saeculares enim principes hanc sapientiam non cognoverunt, quia excedit rationem humani regiminis: *Iob 12. 24. Qui immutat cor principum populi terrae, et decipit eos, ut frustra incedant per invium.* Philosophi etiam eam non cognoveverunt, quia excedit rationem humanam: unde dicitur *Bar. 3. 23. Exquisitores prudentiae, et scientiae viam sapientiae nescierunt.* Daemones etiam eam non cognoscunt, quia excedit omnem creatam sapientiam: unde dicitur *Iob 28. 21. Volucres caeli quoque latet. Perditio, et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam eius.* Deinde cum dicit, *Si enim cognovissent etc.* probat quod dixerat: et primo quidem probat per signum, quod non cognoverunt principes Dei sapientiam, secundum quod est in se abscondita; secundo probat per auctoritatem quod non cognoverunt eam, secundum quod praeparata est in gloriam nostram, ibi, *Sicut scriptum est.* Dicit ergo primo: Recte dico, quod principes huius saeculi Dei sapientiam non cognoverunt: *si enim cognovissent* Dei sapientiam, cognovissent utique Christum esse Deum, qui in hac sapientia continetur; quo cognito, *numquam crucifixissent Dominum gloriae*, idest ipsum Christum Dominum dantem gloriam suis, secundum illud *Ps. 23. 10. Dominus virtutum ipse est Rex gloriae:* et *Hebr. 2. 10. Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Cum enim creaturae rationali sit naturaliter appetibilis gloria, non potest in voluntatem humanam cadere quod auctorem gloriae interimat. Quod autem principes crucifixerint Iesum Christum, certum est si intelligatur de principibus qui potestatem habent inter homines: dicitur enim *in Psal. 2. 2. Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius:* quod *Act. 4.* exponitur de Herode, et Pilato, et principibus Iudaeorum, qui consenserunt in mortem Christi. Sed etiam daemones operati sunt in mortem Christi, persuadendo, secundum illud *Ioan. 13. 2. Cum diabolus iam misisset in cor ut eum traderet Iudas Simonis Iscariotae.* Sed et pharisaei, et scribae in lege periti, qui studium sapientiae

dabant, operati sunt ad mortem Christi instigando, et adprobando.

Sed circa hoc duplex oritur dubitatio: quarum prima est de hoc quod dicit Deum gloriae crucifixum. Non enim divinitas Christi aliquid pati potuit, secundum quod dicitur Christus Dominus gloriae.

Sed dicendum, quod Christus est una persona, et hypostasis in utraque natura consistens, divina scilicet, et humana: unde potest utriusque naturae nomine designari; et quocumque nomine significetur, potest praedicari de eo id quod est utriusque naturae, quia utrique non supponitur nisi una hypostasis: et per hunc modum possumus dicere, quod homo creavit stellas, et quod Dominus gloriae est crucifixus; et tamen non creavit stellas secundum quod homo, sed secundum quod Deus; nec est crucifixus secundum quod est Deus, sed inquantum homo. Unde ex hoc verbo destruitur error Nestorii, qui dixerat unam naturam esse in Christo, Dei, et hominis: quia secundum hoc nullo modo posset verificari quod Dominus gloriae sit crucifixus.

Secunda dubitatio est de hoc quod videtur supponere, quod principes Iudaeorum, vel daemones non cognoverunt Christum esse Deum. Et quidem quantum ad principes Iudaeorum videtur hoc adstrui per hoc quod dicit Petrus *Act. 3. 17. Scio quia per ignorantiam hoc feceritis, sicut et principes vestri.* Videtur autem esse contrarium quod dicitur *Matth. 20. 38. Agricolae videntes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres: venite, occidamus eum:* quod exponens Chrysostomus dicit: *Manifeste Dominus probat his verbis, Iudaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam Dei Filium crucifixisse.*

Solvitur in Glossa *in 2. expos. quae attribuitur Chrysostomo hom. 40. ibid.* quod sciebant principes Iudaeorum eum esse qui promissus erat in lege, non tamen mysterium eius, quod Filius Dei erat, neque sciebant sacramentum incarnationis, et redemptionis. Sed contra hoc esse videtur quod Chrysostomus dicit, quod cognoverunt eum esse Filium Dei. Dicendum est ergo, quod principes Iudaeorum pro certo sciebant eum esse Christum promissum in lege, quod populus ignorabat; ipsum autem esse verum Filium Dei non pro certo sciebant, sed aliqualiter coniecturabant; sed haec coniecturalis cognitio obscurabatur in eis ex invidia, et ex cupiditate propriae gloriae, quam per excellentiam Christi minui videbant.

Similiter etiam videtur esse de daemonibus dubitatio: dicitur enim *Marc. 1.* et *Luc. 4. 34.* quod daemonium clamavit, dicens: *Scio quod sis Sanctus Dei.* Et ne hoc praesumptioni daemonum adscribatur, qui se iactant scire quod nesciunt, eorum notitia quam habebant de Christo, per ipsos Evangelistas asseritur: *In Mar. 1. 34.* quidem sic scribitur: *Non sinebat ea loqui,* scilicet daemonia, *quoniam sciebant eum Christum esse:* et *Luc. 4. 41.* dicit: *Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum.*

Et ad hoc respondetur *in Libro de Quaestionibus novi, et veteris testamenti,* quod daemonia sciebant ipsum esse qui per legem fuit repromissus, quia omnia signa videbant in eo quae dixerunt Prophetae; mysterium autem divinitatis eius ignorabant. Sed contra hoc videtur esse quod Athanasius dicit, quod daemonia dicebant Christum esse Sanctum Dei, quasi singulariter sanctum: ipse enim naturaliter est sanctus, cuius participatione omnes alii sancti vocantur. Dicendum est autem, quod, sicut Chrysostomus dicit, non habebant adventus Dei firmam, et certam notitiam, sed quasdam coniecturas: unde Augustinus dicit *in 9. de civit. Dei cap. 21.* quod innotuit daemonibus non per id quod est vita aeterna, sed per quaedam temporalia sua virtute effecta.

Deinde cum dicit, *Sed sicut scriptum est,* probat per auctoritatem quod principes huius saeculi Dei sapientiam non cognoverunt quantum ad hoc quod praedestinata est in gloriam fidelium, dicens: *Sed sicut scriptum est: Isa. 44. 4.* ubi littera nostra habet: *Oculus non vidit, Deus, absque te quae praeparasti his qui diligunt te.* Ostenditur autem illa gloria visionis aperte ab hominibus ignorari dupliciter. Primo quidem quia non subiacet humanis sensibus, a quibus omnibus humana cognitio initium sumit. Et ponit duos sensus. Primo visionis, quae deservit inventioni, cum dicit, *Quod oculus non vidit: Iob 28. 7. Semitam eius ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Et hoc ideo quia non est aliquid coloratum, et visibile. Secundo ponit sensum auditus, qui deservit disciplinae, dicens: *Nec auris audivit,* scilicet ipsam gloriam, quia non est sonus, aut vox sensibilis: *Ioan. 5. 37. Neque speciem eius vidistis, neque vocem eius audistis.* Deinde excludit notitiam eius intellectualem, cum dicit: *Neque in cor hominis ascendit:* quod quidem potest intelligi uno modo ut ascendere in cor hominis dicatur quidquid quocumque modo cognoscitur ab homine, secundum illud *Hier. 51. 5. Hierusalem ascendat super cor vestrum:* et sic oportet quod cor hominis accipiatur pro corde hominis carnalis, secundum illud quod dicitur *infra 3. 3. Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Est ergo sensus, quod illa gloria non solum sensu non percipitur; sed nec corde hominis carnalis, secundum illud *Ioan. 14. 17. Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* Alio modo potest exponi, secundum quod proprie dicitur in cor hominis ascendere id quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum, puta a sensibilibus, de quibus prius fecerat mentionem. Res enim sunt in intellectu secundum modum eius: res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo quam in seipsis; et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo in cor ascendunt: unde dicitur *Isa. 65. 17. Non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor.* Illa vero quae sunt in intellectu superiora, altiori modo sunt in seipsis quam in intellectu: et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo descendunt: *Iacob. 1. 17. Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Quia igitur illius gloriae notitia non accipitur a sensibilibus, sed ex revelatione divina, ideo signanter dicit: *Nec in cor hominis ascendit,* sed descendit, id scilicet *quod praeparavit Deus,* idest praedestinavit, *diligentibus se:* quia essentiale praemium aeternae gloriae caritati debetur, secundum illud *Ioan. 14. 21. Si quis diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum:* in quo perfectio aeternae gloriae consistit: et *Iob 36. 33. Annuntiat de ea,* idest de luce gloriae, *amico suo, quod possessio eius sit.* Ceterae autem virtutes accipiunt ef-

ficaciam merendi vitam aeternam, inquantum informantur caritate.

Deinde cum dicit, *Nobis autem revelavit Deus*, probat praedictam expositionem de sapientia divina per comparationem ad fideles: et primo proponit quod intendit; secundo probat propositum, ibi, *Spiritus enim omnia scrutatur*. Dicit ergo primo: Dictum est, quod sapientiam Dei nemo principum huius saeculi cognovit. *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum*, quem scilicet nobis misit, secundum illud *Ioan. 14. 26. Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: Iob 32. 8. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Quia enim Spiritus sanctus est spiritus veritatis, utpote a Filio procedens, qui est veritas Patris, his quibus mittitur, inspirat veritatem, sicut et Filius a Patre missus notificat Patrem, secundum illud *Matth. 11. 27. Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*.

Deinde cum dicit, *Spiritus enim omnia scrutatur*, probat quod dixerat, scilicet quod per Spiritum sanctum sit sapientia fidelibus revelata: et primo ostendit quod Spiritus sanctus ad hoc sit efficax; secundo probat quod hoc in discipulis Christi fecerat, ibi, *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus*. Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat propositum, ibi, *Quis enim scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod per Spiritum sanctum revelavit nobis Deus suam sapientiam; et hoc fieri potuit: *Spiritus enim* sanctus *omnia scrutatur:* quod non est sic intelligendum, quasi inquirendo quomodo fiant, sed quia perfecte, et etiam intima quarumlibet rerum novit, sicut homo quod aliquando diligenter scrutatur. Unde dicitur *Sap. 7.* quod spiritus intelligentiae sanctus est omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mundos, subtiles; et non solum res creatas, sed etiam profunda Dei perfecte cognoscit. Dicuntur autem profunda ea quae in ipso latent, et non ea quae de ipso per creaturas cognoscuntur, quae quasi superficie tenus videntur esse, secundum illud *Sap. 13. 5. A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Deinde cum dicit, *Quis enim scit hominum?* probat quod dixerat de Spiritu Dei per similitudinem humani spiritus, dicens: *Quis enim scit hominum ea quae sunt hominis*, idest ea quae latent in corde, *nisi spiritus hominis, qui in eo est?* idest intellectus. Et ideo quae interius latent, videri non possunt. Signanter autem dicit, *Quis hominum?* ne ab horum cognitione etiam Deus videatur excludi: dicitur enim *Hierem. 17. 9. Pravum est cor hominis, et quis cognoscet illud? Ego Deus probans corda, et scrutans renes:* quia scilicet secretorum cordis solus Deus est cognitor. Manifesta autem est ratio quare homo ea quae in corde alterius latent, scire non potest: quia cognitio hominis a sensu accipitur; et ideo ea quae sunt in corde alterius, homo cognoscere non potest, nisi quatenus per signa sensibilia manifestantur, secundum illud *1. Reg. 16. 7. Homo videt quae foris parent, Deus autem intuetur cor*. Sed nec Angelus bonus, nec malus ea quae in corde hominis latent, scire potest nisi inquantum per alios effectus manifestantur: cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit ea ratione spiritum hominis cognoscere quae in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem neque bonus, neque malus illabitur menti humanae, ut in ipso corde hominis sit, et intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est: unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis, secundum illud *Iob 16. 20. Ecce in caelo testis meus, et in excelsis conscius meus*. Secundo similitudinem adaptat ad Spiritum Dei, dicens: *Ita et quae Dei sunt*, idest quae in ipso Deo latent, *nemo cognoscit nisi Spiritus Dei:* secundum illud *Iob 36. 26. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Sed sicut ea quae sunt in corde unius hominis alteri manifestantur per sensibilia signa, ita ea quae sunt Dei possunt esse nota homini per sensibiles effectus, secundum illud *Sap. 13. 5. A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Sed Spiritus sanctus, qui est in ipso Deo, utpote Patri, et Filio consubstantialis, secreta divinitatis per seipsum videt, secundum illud *Sap. 7. 22. Est enim in illa*, scilicet sapientia, *Spiritus intelligentiae sanctus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens*. Deinde cum dicit, *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus*, ostendit quomodo cognitio Spiritus sancti percipiatur, dicens: Licet nullus hominum per se possit scire quae sunt Dei; *nos autem*, Spiritu sancto scilicet repleti, *non accepimus spiritum huius mundi, sed Spiritum qui a Deo est*. Nomine autem spiritus vis quaedam vitalis, et cognitiva, et motiva intelligitur. Spiritus ergo huius mundi potest dici sapientia huius mundi, et amor mundi, quo impellitur homo ad agendum ea quae mundi sunt. Hunc autem spiritum sancti Apostoli non receperunt, mundum abiicientes, et contemnentes; sed receperunt Spiritum sanctum, quo corda eorum illuminata sunt, et inflammata ad amorem Dei, secundum illud *Ioan. 14. 27. Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia:* et *Num. 14. 24. Servum meum Caleph, qui plenus est alio spiritu, et secutus est me, introducam in terram hanc*. Spiritus autem huius mundi errare facit, secundum illud *Isa. 19. 3. Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, et consilium eius praecipitabo*. Ex divino autem Spiritu eius consecuti sumus *ut sciamus quae a Deo data sunt nobis*, idest ut sciamus de rebus divinis quantum unicuique Deus donavit: quia, sicut dicitur *Ephes. 4. 7. unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Vel potest intelligi, Spiritum Dei donatum sanctis, ut dona spiritualia cognoscant, quae non habentes eumdem Spiritum ignorant, secundum illud *Apoc. 2. 17. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit*. Ex hoc autem accipi potest quod sicut nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare, ut dicitur *Matth. 11.* ita nemo novit quae sunt Dei Patris, et Filii, nisi Spiritus sanctus, et qui ipsum acceperunt; et hoc ideo, quia sicut Filius consubstantialis est Patri, ita Spiritus sanctus Patri, et Filio.

## LECTIO III.

Quae et loquimur, non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem

homo non percepit ea quae sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur; sicut scriptum est : Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruit eum ? Nos autem sensum Christi habemus.

Dixerat supra Apostolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Postquam ergo manifestavit qualis sit haec sapientia, quia mundanis hominibus incognita, cognita autem sanctis; hic manifestat qua ratione hanc sapientiam sancti inter perfectos loquuntur : et primo proponit quod intendit ; secundo assignat rationem, ibi, *Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.* Circa primum primo proponit revelatorum manifestationem, dicens : Dictum est, quod Spiritum Dei accepimus, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis : *quae*, scilicet nobis per Spiritum revelata sunt, *loquimur :* sunt enim eis revelata ad utilitatem : unde et *Act. 2. 4.* dicitur : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui.* Secundo tangit modum enarrandi, excludens modum inconvenientem, dicens: *Non in doctis humanae sapientiae verbis,* idest non nitimur ad probandam nostram doctrinam per verba composita ex humana sapientia, sive quantum ad ornatum verborum, sive quantum ad subtilitatem rationum : *Isa. 33. 19. Populum alti sermonis non videbis.* Adstruit autem modum convenientem, cum dicit : *Sed in doctrina Spiritus*, idest prout Spiritus Sanctus nos loquentes interius docet, et auditorum corda ad capiendum illustrat : *Ioan. 16. 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Tertio determinat auditores, dicens : *Spiritualibus spiritualia comparantes ;* quasi dicat : Recta comparatione spiritualia documenta tradimus spiritualibus viris, quibus sunt convenientia : *2. Tim. 2. 2. Haec commenda fidelibus viris, qui idonei erunt et alios docere.* Eosdem autem hic nominat spirituales quos supra perfectos: quia per Spiritum sanctum homines perficiuntur in virtute, secundum illud *Psal. 32. 6. Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Deinde cum dicit, *Animalis homo etc.* assignat rationem dictorum: et primo ostendit quare spiritualia non sunt tradenda animalibus hominibus; secundo quare sunt tradenda spiritualibus, ibi, *Spiritualis autem iudicat omnia.* Circa primum duo facit. Primo ponit rationem ; secundo manifestat eam, ibi, *Stultitia enim est illi.* Ratio ergo talis est. Nulli sunt tradenda documenta quae capere non potest. Sed homines animales non possunt capere spiritualia documenta. Ergo non sunt eis tradenda. Hoc est ergo quod dicit : *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei.* Et ideo recta ratione non possunt tradi eis.

Ubi primo considerandum est quis homo dicatur animalis. Est ergo considerandum, quod anima est forma corporis. Unde proprie animae intelliguntur illae vires quae sunt actus corporalium organorum, scilicet vires sensitivae. Dicuntur ergo homines animales qui huiusmodi vires sequuntur, inter quas est vis apprehensiva, et appetitiva ; et ideo potest dici homo dupliciter animalis. Uno modo quantum ad vim apprehensivam, et hic dicitur animalis sensu, qui, sicut dicitur in Glossa, de Deo iuxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam iudicat, quae secundum vires sensitivas accipiuntur. Alio modo dicitur quis animalis quantum ad vim appetitivam, quae scilicet afficitur solum ad ea quae sunt secundum appetitum sensitivum ; et talis dicitur animalis vita, qui, sicut dicitur in Glossa, sequitur dissolutam lasciviam animae suae, quam inter naturalis ordinis metas spiritus rector non continet. Unde dicitur *in Canonica Iudae vers. 19. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

Secundo autem videndum quare tales non possunt percipere ea quae sunt Spiritus Dei : quod quidem manifestum est et quantum ad animalem sensum, et quantum ad animalem vitam. Ea enim de quibus Spiritus sanctus illustrat mentem, sunt supra sensum, et rationem humanam, secundum illud *Eccli. 3. 25. Plura supra sensum hominis ostensa sunt tibi;* et ideo ab eo capi non possunt qui soli cognitioni sensitivae innititur. Spiritus etiam sanctus accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis; et ideo ille qui est animalis vitae, non potest capere huiusmodi spiritualia bona, quia Philosophus dicit *in 4. Ethic. lect. 15.* quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei : *Prov. 18. 2. Non recipit stultus verba prudentiae, nisi ei dixeris quae versantur in corde eius : Eccli. 22. 9. Cum dormiente loquitur qui narrat sapientiam stulto.*

Deinde cum dicit, *Stultitia enim est illi*, manifestat quod dixerat per signum: cum enim aliquis aliqua sapienter dicta reprobat quasi stulta, signum est quod ea non capiat. Quia igitur animalis homo ea quae sunt Spiritus Dei reputat stulta, ex hoc manifestatur quod ea non capit : et hoc est quod dicit, *Stultitia enim est illi*, scilicet animali: iudicat enim esse stulta quae secundum Spiritum Dei aguntur: *Eccle. 10. 3. In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat.* Quod autem homini animali, quae secundum spiritum sunt, videantur stulta, non procedit ex rectitudine sensus, sicut sapientes aliqua iudicant esse stulta quae stultis videntur sapientia ; sed propter defectum intellectus : quia homo sensui deditus non potest intelligere ea quae supra sensum sunt, et homo carnalibus affectus non intelligit esse bonum nisi quod est delectabile secundum carnem : et hoc est quod sequitur : *Et non potest intelligere : Psal. 81. 5. Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris ambulant.* Quare autem non possint intelligere, ostendit subdens: *Quia spiritualiter examinatur,* idest spiritualium examinatio fit spiritualiter: numquam enim inferior potest examinare, et iudicare ea quae sunt superioris, sicut sensus non potest examinare ea quae sunt intellectus; et similiter neque sensus, neque ratio humana potest iudicare ea quae sunt Spiritus Dei : et ita relinquitur quod huiusmodi solo Spiritu sancto examinantur, secundum illud *Psal. 17. 31. Eloquia Domini igne examinata,* probata scilicet a Spiritu sancto. Quia ergo animalis homo caret Spiritu sancto, non potest spiritualia examinare, et per consequens nec ea intelligere.

Deinde cum dicit, *Spiritualis autem iudicat omnia,* assignat rationem quare spiritualibus spiritualia tradantur: et primo ponit rationem; secundo manifestat eam,

ibi, *Quis enim novit sensum Domini?* assignat autem talem rationem. Illi tradenda sunt spiritualia qui potest iudicare, secundum illud *Iob 12. 2. Auris verba diiudicat.* Sed spiritualis est huiusmodi. Ergo ei spiritualia sunt tradenda: et hoc est quod dicit: *Spiritualis autem iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur.*

Ubi primo videndum est quis homo dicatur spiritualis. Est autem notandum, quod spiritus nominare consuevimus substantias incorporeas. Quia igitur aliqua pars animae est quae non est alicuius organi corporei actus, scilicet pars intellectiva comprehendens intellectum, et voluntatem; huiusmodi pars animae spiritus hominis dicitur, quae tamen a Spiritu Dei et illuminatur secundum intellectum, et inflammatur secundum affectum, et voluntatem. Dupliciter ergo dicitur homo spiritualis. Uno modo ex parte intellectus, Spiritu Dei illustrante; et secundum hoc in Glossa dicitur, quod homo spiritualis est qui Spiritui Dei subiectus certissime, ac fideliter spiritualia cognoscit. Alio modo ex parte voluntatis, Spiritu Dei inflammante; et hoc modo dicitur in Glossa, quod spiritualis vita est quae Spiritum Dei habens rectorem, animam regit, idest animales vires: *Galat. ult. 1. Vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.*

Secundo considerandum est quare spiritualis diiudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur. Ubi notandum est, quod in omnibus ille qui recte se habet, rectum iudicium habet circa singula; ille autem qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in iudicando: vigilans enim recte iudicat et se vigilare, et alium dormire; sed dormiens non habet rectum iudicium de se, nec de vigilante. Unde non sunt res tales quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano, et infirmo circa iudicium saporum: et de debili, et forti circa iudicium ponderum; et de virtuoso, et vitioso circa agibilia. Unde et Philosophus dicit *in 5. Ethic. lect. 3.* quod virtuosus est regula, et mensura omnium humanorum, quia scilicet in rebus humanis talia sunt singularia, qualia virtuosus iudicat ea esse; et secundum hunc modum Apostolus hic dicit, quod *spiritualis iudicat omnia*, quia scilicet homo habens intellectum illustratum, et affectum ordinatum per Spiritum sanctum, de singulis quae pertinent ad salutem, rectum iudicium habet. Ille autem qui non est spiritualis, habet etiam intellectum obscuratum, et affectum inordinatum circa spiritualia bona; et ideo ab homine non spirituali spiritualis homo iudicari non potest, sicut nec vigilans a dormiente. Quantum ergo ad primum horum dicitur *Sap. 3.* quod iudicabunt iusti nationes; quantum ad secundum dicitur *infra 4. 3. Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die.*

Deinde cum dicit, *Quis enim novit sensum Domini?* manifestat rationem inductam: et primo inducit auctoritatem; secundo adaptat ad propositum, ibi, *Nos autem sensum Christi habemus.* Est autem considerandum, quod ad hoc quod aliquis possit de aliquo homine iudicare, duo requiruntur. Primo ut iudicans cognoscat ea quae sunt iudicati: quia, ut dicitur *1. Ethic. cap. 3.* unusquisque bene iudicat quae cognoscit, et horum est optimus iudex. Ex quo patet quod sensum, idest sapientiam Dei omnia iudicantem, nullus possit diiudicare: ideo dicit: *Quis enim novit sensum Domini?* quasi dicat, nullus: quia sapientia Dei excedit omnem capacitatem hominis: *Eccli. 1. 3. Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit? Sap. 9. 17. Sensum autem tuum quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam?* Secundo requiritur quod iudicans sit superior iudicato: unde dominus habet iudicium de servo, magister de discipulo. Ex quo etiam patet quod nullus potest sensum Dei iudicare: propter quod sequitur: *Aut quis instruxit eum?* quasi dicat, nullus. Non enim habet scientiam ab aliquo acceptam, sed potius fontem omnis scientiae: *Iob 26. 3. Cui dedisti consilium? Forsitan ei qui non habet sapientiam?* Videntur autem verba haec assumpta ex eo quod dicitur *Isa. 40. 13. Quis adiuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? cum quo iniit consilium, et instruxit eum?* Deinde adaptat quod dixerat ad propositum, dicens: *Nos autem*, scilicet spirituales viri, *sensum Christi habemus*, idest recipimus in nobis sapientiam Christi ad iudicandum: *Eccli. 17. 6. Creavit illis scientiam spiritus, sensu adimplevit corda illorum: Luc. ultim. 45.* dicitur, quod *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Et ita, quia sensus Christi diiudicari non potest, conveniens est quod spiritualis, qui sensum Christi habet, a nemine iudicetur.

## CAPITIS TERTII

### LECTIO PRIMA

Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo; nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius cui credidistis; et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt.

Supra Apostolus ostenderat contentionem, et divisionem Corinthiorum, qui propter ministros Christi, a quibus baptizati, et docti erant, ad invicem disceptabant; hic incipit eorum iudicium, quod habebant de ministris, improbare; ex quo iudicio contentiones in eis procedebant: et circa hoc duo facit. Primo improbat eorum iudicium, quantum ad hoc quod quibusdam ministrorum, de quibus gloriabantur, plus attribuebant quam deberent; secundo quantum ad hoc quod alios Christi ministros contemnebant: *4. cap.* ibi, *Sic nos existimet homo.* Circa primum duo facit. Primo ostendit detrimentum quod patiebantur propter contentiones ex perverso iudicio provenientes; secundo improbat eorum perversum iudicium, ibi, *Quid igitur*

*est Apollo ?* Circa primum duo facit. Primo ponit detrimentum quod hactenus passi erant propter eorum defectum : secundo ostendit quod adhuc idem patiuntur, ibi , *Sed nec nunc quidem potestis.* Circa primum tria facit. Primo ponit detrimentum quod hactenus passi erant propter eorum defectum. Dixerat enim supra, quod Apostoli quidem spiritualia documenta spiritualibus tradebant , quae animales homines percipere non poterant ; quod eis adaptat dicens : *Et ego , fratres ,* qui scilicet inter alios Apostolos spiritualibus spiritualia loquor, *non potui*, scilicet convenienter, *vobis loqui quasi spiritualibus* , ut scilicet traderem vobis spiritualia documenta, *sed quasi carnalibus*, scilicet loquutus sum vobis: eosdem enim carnales dicit quos supra animales, quibus oportet tradi ea quae sunt infirmitati eorum accommoda: *Isa. 28. 9. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus,* idest a carnali conversatione, et sensu. Secundo adhibet similitudinem, dicens: *Tamquam parvulis in Christo*, idest parum adhuc introductis in perfectam doctrinam fidei, quae spiritualibus debetur : *Hebr. 5. 13. Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonum iustitiae , parvulus enim est; perfectorum autem est solidus cibus.* Tertio rationem assignat , ne credatur ex invidia eis spiritualem doctrinam subtraxisse; contra quod dicitur *Sap. 7. 13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.* Unde subditur : *Nondum enim poteratis;* quasi dicat : Non subtraxi vobis escam propter meam invidiam, sed propter vestram impotentiam : quia verba spiritualia *nondum* bene *poteratis* capere , secundum illud *Ioan. 16. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Deinde cum dicit , *Sed nec nunc quidem potestis,* ostendit quod adhuc idem detrimentum patiuntur : et primo quidem ponit impotentiam cui adhuc subiacebant, dicens : *Sed nec nunc quidem potestis ;* quasi dicat : Quod a principio perfectam doctrinam capere non poteratis , non mirum fuit : quia hoc vestrae novitati competebat, secundum illud *1. Pet. 2. 2. Sicut modo geniti infantes lac concupiscite.* Sed hoc videtur esse culpabile quod post tantum tempus in quo proficere debuistis, eamdem impotentiam retinetis, secundum illud *Hebr. 5. 13. Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis doceri quae sunt elementa sermonum Dei.* Secundo assignat praedictae impotentiae rationem, dicens: *Adhuc enim carnales estis,* scilicet vita, et sensu : et ideo quae sunt spiritus, capere non potestis; sed sapitis ea quae sunt carnis, secundum illud *Rom. 8. 5. Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt.* Tertio ponit rationem probationis inductae, dicens : *Cum enim inter vos sit zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?*

Ubi considerandum est, quod recte coniungit zelum, et contentionem: quia zelus, idest invidia, est contentionis materia : invidus enim tristatur de bono alterius, quod ille nititur promovere , et ex hoc sequitur contentio. Unde *Iacob. 3. 16. Ubi zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Et similiter e converso caritas , per quam quis diligit bonum alterius , est materia pacis. Secundo considerandum est , quod zelus, et contentio non habent locum nisi in carnalibus hominibus : quia ipsi ad bona corporalia afficiuntur , quae simul a pluribus integre possideri non possunt : et ideo propter hoc quod aliquis aliquid bonum corporale possidet , alius impeditur a plena possessione illius; et ex hoc sequitur invidia, et per consequens contentio. Sed spiritualia bona quibus spirituales afficiuntur, simul a pluribus possideri possunt ; et ideo bonum unius non est alterius impedimentum : et propter hoc in talibus nec invidia, nec contentio locum habet. Unde *Sap. 7. 13. Sine invidia communico.* Tertio considerandum est , quare homines carnales dicit secundum hominem ambulare , cum tamen homo ex spiritu , et carne componatur. Quia naturae humanae consonum est ut spiritus cognitionem a sensibus carnis accipiat : unde consequenter affectus rationis humanae secundum ea quae sunt carnis, movetur , nisi spiritus hominis per Spiritum Dei supra hominem elevetur. Unde dicitur *Eccli. 34. 6. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.* Est ergo sensus. *Secundum hominem*, idest secundum naturam humanam sibi a Dei Spiritu derelictam, sicut et *in Psalm. 4. 3.* dicitur : *Filii hominum usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Quarto manifestat probationem inductam, dicens : *Cum enim quis*, idest aliquis vestrum, *dicit , Ego quidem sum Pauli*, quia a Paulo baptizatus, et doctus ; *alius autem , Ego Apollo*, genitivi casus; per quod denotatur in vobis esse zelus, et contentio; *nonne homines estis* , scilicet carnales, et non spirituales , utpote zelum , et contentionem habentes pro rebus humanis? Qualis enim homo est, talibus rebus afficitur, et per affectum inhaeret , secundum illud *Osee 9. 10. Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.*

Deinde cum dicit , *Quid igitur est Apollo ?* improbat eorum iudicium , quantum ad hoc quod plus ministris attribuebant quam deberent : et primo ostendit veritatem ; secundo excludit errorem, ibi , *Nemo vos seducat;* tertio infert conclusionem intentam, ibi , *Itaque nemo glorietur in hominibus.* Circa primum duo facit. Primo ostendit conditionem ministrorum; secundo agit de eorum mercede , ibi , *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Circa primum tria facit. Primo ponit ministrorum conditionem; secundo ponit similitudinem, ibi , *Ego plantavi , Apollo rigavit;* tertio ostendit intentum, ibi, *Itaque neque qui plantat.* Circa conditionem autem ministrorum duo tangit. Primo quod non sunt domini, sed ministri, dicens : Vos de Paulo, et Apollo gloriamini. Igitur quaero a vobis : *Quid est Apollo, et quid Paulus*, idest cuius dignitatis, vel potestatis , ut digne de eis gloriari possitis ? Et respondet: *Ministri eius,* scilicet Dei, sunt; quasi dicat: Quod agunt in baptismo , et in doctrina , non principaliter agunt sicut domini, sed sicut ministri eius, secundum illud *Isa. 61. 6. Ministri Dei , dicetur vobis.* Posset autem alicui videri magnum esse, ministrum Dei esse, et gloriandum esse in hominibus de ministeriis Dei. Et vere esset, si sine hominibus non pateret accessus ad Deum, sicut illi qui solent gloriari de ministris Regis, sine quibus non patet aditus ad Regem. Sed hoc hic locum non habet , quia fideles Christi per fidem habent accessum ad Deum, secundum illud *Rom. 5. 2. Per quem accessum habemus ad Deum per fidem , et gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe*

*gloriae filiorum Dei.* Ideo signanter addit, *Cui credidistis;* quasi dicat: Per fidem iam estis coniuncti Deo, non hominibus: unde *supra 2. 5.* dictum est: *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et ideo primo de Deo est vobis gaudendum quam de hominibus. Contingit autem quod ministri hominum, vel dominorum, vel artificum primo habeant a seipsis aliquam dignitatem, vel virtutem, ex qua idonei ad ministerium fiunt; sed hoc non est de ministris Dei: et ideo secundo ostendit quod tota dignitas, et virtus ministrorum est a Deo, dicens: *Et unicuique sicut Deus divisit*; quasi dicat: Intantum aliquis, et unusquisque nostrum habet de virtute ministrandi, inquantum ei Deus dedit: unde nec sic nobis est gloriandum: *2. Corinth. 3. 5. Sufficientia nostra a Deo est, qui idoneos nos fecit ministros novi testamenti.*

Deinde cum dicit, *Ego plantavi*, ponit similitudinem ministrorum ex similitudine agricolarum: ubi duplex differentia operationum intelligitur. Una operationis unius ministri ad operationem alterius; et quantum ad hoc dicit: *Ego plantavi*, idest in praedicatione ad modum plantantis me habui, quia scilicet primo vobis praedicavi fidem: *Isa. 51. 16. Posui verba mea in ore tuo, ut plantes caelos. Apollo rigavit*, idest ad modum rigantis se habuit, qui aquam plantis exhibet ad hoc ut nutriantur, et crescant. Et similiter legitur *Actor. 18.* quod cum Paulus multos Corinthiorum convertisset, supervenit Apollo, qui multum contulit his qui crediderunt, publice ostendens per Scripturam esse Iesum Christum: *Eccli. 24. 42.* dicitur: *Rigabo hortum meum plantationum.* Secunda differentia est operationis ministrorum, qui exterius operantur plantando, et rigando, ad operationem Dei, qui interius operatur: unde subdit: *Sed Deus incrementum dedit*, interius scilicet operando: *2. Corinth. 9. 10. Augebit incrementa frugum iustitiae vestrae.* Sic etiam in rebus corporalibus plantantes, et rigantes exterius operantur; sed Deus operatur interius per operationem naturae ad incrementa plantarum.

Deinde cum dicit, *Itaque neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid*, infert ex praemissis duas conclusiones: quarum prima infertur secundum comparationem ministrorum ad Deum, dicens: Ex quo Paulus plantavit, et Apollo rigavit, non sunt nisi ministri Dei, et non habent aliquid nisi a Deo, et non operantur nisi exterius, Deo interius operante. *Itaque neque qui plantat est aliquid*, scilicet principaliter, et magnum, de quo sit gloriandum: *neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus:* ipse enim per se est aliquid principale, et magnum, de quo est gloriandum: actio enim non attribuitur instrumento, cui comparatur minister, sed principali agenti. Unde *Isa. 40. 17.* dicitur: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Secundam conclusionem infert pertinentem ad comparationem ministrorum ad invicem, dicens: *Qui plantat autem, et qui rigat,* cum sint ministri Dei, et nihil nisi a Deo habentes, et solum exterius operantes, *unum sunt,* ex conditione naturae, et ministerii ratione, quia scilicet non potest unus alteri praeferri nisi secundum donum Dei; et ita, quantum in seipsis est, unum sunt. Et quia consequenter in intentione ministrandi Deo unum sunt per concordiam voluntatis, ideo stultum est de his qui unum sunt dissentire: *Psalm. 132. 1. Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum: Rom. 12. 5. Multi unum corpus sumus in Christo.*

## LECTIO II.

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis. Secundum gratiam Dei quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Supra Apostolus ostendit qualis sit conditio ministrorum; hic agit de remuneratione eorum: et primo agit de mercede bonorum ministrorum; secundo agit de punitione malorum, ibi, *Nescitis quia templum Dei estis?* Circa primum tria facit. Primo promittit ministris mercedem propriam; secundo rationem assignat, ibi, *Dei enim sumus adiutores;* tertio agit de diversitate mercedis, ibi, *Secundum gratiam Dei.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; non tamen inutiliter plantat, vel rigat; sed *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Quamvis enim qui incrementum dat, sit Deus, et ipse solus interius operetur; exterius tamen laborantibus mercedem tribuit, secundum illud *Hierem. 31. 16. Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia merces est operi tuo.* Quae quidem merces est ipse Deus, secundum illud *Genes. 15. 1. Ego protector tuus sum, et merces tua multa nimis.* Pro qua mercede laborantes mercenarii laudantur, secundum illud *Luc. 15. 17. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* Alioquin si pro alia mercede in opere Dei aliquis laborat, laudandus non est, secundum illud *Ioan. 10. 12. Mercenarius autem, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et fugit.* Haec autem merces et communis est omnibus, et propria singulorum: communis quidem, quia idem est quod omnes videbunt, et quo omnes fruentur, scilicet Deus, secundum illud *Iob 22. 26. Super omnipotentem deliciis affluues, et levabis ad Deum faciem tuam: Isa. 28. 5. In illa die erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis populo suo:* et ideo *Matth. 20.* omnibus laborantibus in vinea datur unus denarius: propria vero merces erit singulorum, quia unus alio clarius videbit, et plenius fruetur, secundum determinatam sibi mensuram. Unde et *Daniel. 12. 3.* illi qui docti sunt, comparantur splendori firmamenti: *Qui ad*

*iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellae.* Hinc est quod *Ioan. 14. 2.* dicitur: *In domo Patris mei mansiones multae sunt:* propter quod etiam hic dicitur: *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Ostendit autem secundum quid attendatur mensura propriae mercedis, cum subdit, *Secundum suum laborem.* Unde et *in Psal. 127. 2.* dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* Non tamen per hoc designatur aequalitas secundum quantitatem laboris ad mercedem: quia, ut dicitur *2. Corinth. 4. 17. quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operabitur in nobis*; sed aequalitatem designat proportionis, ut scilicet ubi est potior labor, ibi sit potior merces. Potest autem intelligi labor esse potior tripliciter. Primo quidem secundum formam caritatis, cui respondet merces essentialis praemii, scilicet fruitionis, et visionis divinae: unde dicitur *Ioan. 14. 21. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Unde qui ex maiori caritate laborat, licet minorem laborem patiatur, plus de praemio essentiali accipiet. Secundo ex specie operis; sicut enim in rebus humanis ille magis praemiatur qui in digniori opere laborat, sicut architectus, quam artifex manualis, licet minus laboret corporaliter; ita etiam in rebus divinis ille qui in nobiliori opere occupatur, maius praemium accipiet quantum ad aliquam praerogativam praemii accidentalis, licet forte minus corporaliter laboret: unde aureola datur doctoribus, virginibus, et martyribus. Tertio ex quantitate laboris: quod quidem contingit dupliciter. Nam quandoque maior labor maiorem mercedem meretur, praecipue quantum ad remissionem poenae, puta quod diutius ieiunat, vel longius peregrinatur; et etiam quantum ad gaudium quod percipiet de maiori labore: unde *Sap. 10. 17.* dicitur: *Reddidit Deus,* scilicet iustis, *mercedem laborum suorum.* Quandoque vero est maior labor ex defectu voluntatis: in his enim quae propria voluntate facimus, minorem laborem sentimus. Et talis magnitudo laboris non augebit, sed minuet mercedem: unde dicitur *Isa. 40. 31. Assument pennas ut aquilae; current, et non laborabunt; volabunt, et non deficient:* et ibi praemittitur: *Deficient pueri, et laborabunt.*

Deinde cum dicit, *Dei enim sumus,* assignat rationem eius quod dixerat: et primo ponit rationem; secundo adhibet similitudinem, ibi, *Dei agricultura estis.* Dicit ergo primo: Recte quilibet nostrum mercedem accipiet: *Dei enim sumus adiutores,* scilicet secundum nostros labores.

Contra quod videtur esse quod dicitur *Iob 26. 2. Cuius adiutor es? Numquid imbecillis?* et *Psa. 40. 13. Quis adiuvit Spiritum Domini?*

Dicendum est autem, quod dupliciter aliquis alium adiuvat. Uno modo augendo eius virtutem; et sic nullus potest esse Dei adiutor: unde et post praemissa verba Iob subditur: *Et sustentas brachium eius qui non est fortis?* Alio modo obsequendo operationi alterius, sicut si minister dicatur domini adiutor, inquantum exequitur opus eius, aut ministerium artificis; et hoc modo ministri Dei sunt eius adiutores, secundum illud *2. Corinth. 6. 1. Adiuvantes autem exhortamur.* Sicut ergo ministri hominum exequentes eorum opera, mercedem ab eis accipiunt secundum suum laborem, ita et minister Dei.

Secundo adhibet similitudinem simplicis operis, scilicet agriculturae, et aedificationis. Populus quidem fidelis ager est, a Deo cultus, inquantum per operationem divinam fructum boni operis Deo acceptum producit, secundum illud *Rom. 7. 4. Sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo:* et *Ioan. 15. 1.* dicitur: *Pater meus agricola est.* Et hoc est quod primo dicitur: *Dei agricultura estis,* idest quasi ager a Deo cultus, et fructum ferens eius opere; et populus fidelis est quasi domus a Deo aedificata, inquantum scilicet Deus in eis habitat, secundum illud *Ephes. 2. 22. Et vos coaedificamini in habitaculum Dei:* ideo secundo dicitur: *Dei aedificatio estis,* idest aedificium a Deo constructum, secundum illud *Psal. 126. 1. Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam.* Sic igitur ministri Dei sunt adiutores, inquantum laborant in agricultura et aedificatione fidelis populi.

Deinde cum dicit, *Secundum gratiam Dei,* agit de diversitate mercedis. Et quia merces distinguitur secundum distinctionem laboris, ut dictum est; ideo primo agit de diversitate laboris; secundo de diversitate mercedis, ibi, *Si quis superaedificat.* Circa primum duo facit. Primo ponit distinctionem laborum; secundo subiungit admonitionem, ibi, *Unusquisque autem videat quomodo superaedificet.* Circa primum duo facit. Primo, relicta similitudine agriculturae, quam supra prosequutus fuerat, sub similitudine aedificationis suum proprium laborem describit, dicens: *Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.* Ubi considerandum est, quod architectus dicitur principalis artifex, et maxime aedificii, ad quem pertinet comprehendere summam dispositionem totius operis, quae perficitur per operationem manualium artificum: et ideo dicitur sapiens in aedificio qui simpliciter sapiens est, quia summam causam cognoscit, scilicet Deum, et alios secundum Deum ordinat. Ita sapiens in aedificio dicitur qui principalem causam aedificii, scilicet finem, considerat, et ordinat inferioribus artificibus quid sit propter finem agendum. Manifestum est autem quod tota structura aedificii ex fundamento dependet; et ideo ad sapientem architectum pertinet idoneum fundamentum collocare. Ipse autem Paulus fundamentum spiritualis aedificii collocavit Corinthiis: unde supra dixit, *Ego plantavi:* sicut enim se habet fundamentum in aedificio, sic plantatio in plantis: per utrumque enim significatur spiritualiter prima praedicatio fidei: unde et ipse dicit *Rom. 15. 20. Sic autem praedicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem:* et ideo se comparat sapienti architecto. Hoc autem non suae virtuti attribuit, sed gratiae Dei; et hoc est quod dicit: *Secundum gratiam Dei quae data est mihi,* qui scilicet me aptum et idoneum ad hoc ministerium fecit: *Infra 15. 10. Abundantius omnibus laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Secundo describit laborem aliorum, dicens: *Alius autem,* idest quicumque inter vos laborat, *superaedificat,* fundamento a me posito: quod quidem potest ad duo referri. Uno quidem modo inquantum aliquis superaedificat fidei in seipso fundatae profectum

caritatis, et bonorum operum: *1. Pet. 2. 5. Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini.* Alio modo ad doctrinam, qua quis fundatam fidem in aliis perfectius manifestat: unde *Hier. 1. 10.* dicitur: *Ut aedifices, et plantes:* et secundum hoc idem significat haec superaedificatio quod supra rigatio. Deinde cum dicit, *Unusquisque autem videat quomodo superaedificet,* subiungit monitionem, dicens: Dictum est, quod ad alios pertinet superaedificare; *unusquisque autem videat*, idest diligenter attendat, *quomodo superaedificet,* idest qualem doctrinam fidei fundatam in aliis superaddat, vel qualia opera fidei in se fundatae habet: *Prov. 4. 25. Oculi tui videant recta, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos.* Secundo respondet tacitae quaestioni, quare scilicet admoneat alios de superaedificatione, et non de fundatione; vel potius assignat rationem quare dixerit, quod ad alios pertinet superaedificare, dicens: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est,* scilicet a me, *quod est Iesus Christus,* qui habitat in cordibus vestris per fidem, ut dicitur *Ephes. 3.* Et de fundamento dicitur *Isa. 28. 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum.*

Sed contra videtur esse quod dicitur *Apoc. 21. 14. Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina Apostolorum.* Non ergo solus Christus est fundamentum.

Dicendum est autem, quod duplex est fundamentum. Unum quidem quod per se habet soliditatem, sicut rupes aliqua, supra quam aedificium construitur; et huic fundamento Christus comparatur: ipse enim est petra, de qua dicitur *Matth. 7. 25. Fundata enim erat supra firmam petram.* Aliud est fundamentum quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subiecto, sicut lapides qui primo superponuntur petrae solidae; et hoc modo dicuntur Apostoli esse fundamentum Ecclesiae, quia ipsi primo superaedificati sunt Christo per fidem, et caritatem: unde dicitur *Eph. 2. 20. Superaedificati supra fundamentum Apostolorum.*

Deinde cum dicit, *Si quis superaedificat etc.* agit de mercedis differentia quantum ad hoc quod quidam eam accipiunt sine detrimento, quidam cum detrimento: et circa hoc tria facit. Primo docet quod diversitas operationum manifestatur ex retributione; secundo ostendit quando manifestatur, ibi, *Dies enim Domini declarabit;* tertio ostendit quomodo manifestatur, ibi, *Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet.*

Circa primum considerandum est, quod Apostolus intendens ostendere diversitatem superaedificationis, sex ponit, videlicet tria contra tria: ex una quidem parte aurum, argentum, et lapides pretiosos; et ex alia parte lignum, fenum, et stipulam: quorum tria, scilicet aurum, argentum, et lapides pretiosi, habent quamdam inclitam claritatem, simul et inconsumptibilitatem, et pretiositatem; alia vero tria obscura sunt, et facile ab igne consumuntur, et vilia sunt. Unde per aurum, argentum, et lapides pretiosos intelligitur aliquid praeclarum, et stabile; per lignum vero, fenum, et stipulam aliquid materiale, et transitorium. Dictum est autem supra, quod superaedificatio potest intelligi et quantum ad opera quae unusquisque superaedificat fidei fundamento, et quantum ad doctrinam quam aliquis doctor, vel praedicator superaedificat in fundamento fidei ab Apostolo fundatae. Unde ista diversitas quam hic Apostolus tangit, ad utramque superaedificationem referri potest. Quidam ergo referentes haec ad superaedificationem operum, dixerunt, quod per aurum, et argentum, et lapides pretiosos intelliguntur bona quae quis fidei superaddit; sed per lignum, fenum, et stipulam debent intelligi peccata mortalia, quae quis facit post fidem susceptam. Sed ista expositio penitus stare non potest. Primo quidem quia peccata mortalia sunt opera mortua, secundum illud *Hebr. 9. 14. Mundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* In hoc autem aedificio nihil aedificatur nisi vivum, secundum illud *1. Petr. 2. 5. Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini.* Unde qui cum fide habet peccata mortalia, non superaedificat, sed magis destruit, vel violat; contra quem dicitur infra eodem: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Secundo quia peccata mortalia magis comparantur ferro, vel plumbo, vel lapidi, tum propter gravitatem, tum quia etiam non renovantur per ignem, sed semper in eo manent in quo sunt; peccata vero venialia comparantur ligno, feno, et stipulae, tum propter levitatem, tum etiam quia ab eis aliquis de facili expurgatur per ignem. Tertio quia secundum hanc expositionem videtur sequi quod ille qui moritur in peccato mortali, dummodo fidem retinet, finaliter salutem consequatur, licet primo aliquas poenas sustineat: sic enim sequitur: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* quod quidem contrariatur manifeste sententiae Apostoli, qua dicitur infra *6. 9. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt:* et *Galat. 5. 21. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Non est autem alicui salus nisi in regno Dei: nam qui ab eo excluduntur, mittuntur in ignem aeternum, ut dicitur *Matth. 25.* Quarto quia fides non potest dici fundamentum, nisi quia per eam Christus habitat in nobis, cum supra dictum sit, quod fundamentum est ipse Christus Iesus: non enim habitat Christus in nobis per fidem informem; alioquin habitaret in daemonibus, de quibus scriptum est *Iacob. 2. 19. Et daemones credunt, et contremiscunt.* Unde quod dicitur *Ephes. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus nostris,* oportet intelligi de fide per caritatem formata, cum scriptum sit *1. Ioan. 4. 16. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Haec est fides quae per dilectionem operatur, ut dicitur *infra 13. 4. Caritas non agit perperam.* Unde manifestum est quod illi qui operantur peccata mortalia, non habent fidem formatam, et ita non habent fundamentum. Oportet ergo intelligere quod tam ille qui superaedificat fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos, quam etiam ille qui superaedificat lignum, fenum, stipulam, vitet peccata mortalia.

Ad horum ergo distinctionem intelligendum est, quod actus humani ex obiectis speciem habent. Duplex est autem obiectum humani actus, scilicet res spiritualis, et res corporalis: quae quidem obiecta differunt tripliciter. Primo quidem quantum ad hoc quod res spi-

rituales sunt perpetuae, res autem corporales sunt transitoriae: unde *2. Corinth. 4. 18. Quae videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna.* Secundo quantum ad hoc quod res spirituales in seipsis claritatem habent, secundum illud *Sap. 6. 13. Clara est, et quae numquam marcescit, sapientia.* Res corporales obscuritatem habent ex materia: unde dicitur *Sap. 2. 5. Umbrae transitus est tempus nostrum.* Tertio quantum ad hoc quod res spirituales sunt pretiosiores, et nobiliores rebus corporalibus: unde *Prov. 3. 15.* dicitur de sapientia: *Pretiosior est cunctis opibus:* et *Sap. 7. 9. Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius.* Et ideo opera quibus homo innititur rebus spiritualibus, et divinis, comparantur auro, argento, et lapidi pretioso, quae sunt solida, clara, et pretiosa: ita tamen quod per aurum designentur ea quibus homo tendit in ipsum Deum per contemplationem, et amorem: unde dicitur *Cant. 5. 11. Caput eius aurum optimum:* caput enim Christi est Deus, ut dicitur *infra 11.* de quo auro dicitur *Apoc. 3. 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum,* idest sapientiam cum caritate. Per argentum significantur actus quibus homo adhaeret spiritualibus credendis, et amandis, et contemplandis; unde in Glossa refertur argentum ad dilectionem proximi, propter quod et *in Psalm. 67.* pennae columbae describuntur deargentatae, cuius superior pars, idest posteriora, describuntur esse in pallore auri. Sed per lapides pretiosos designantur opera diversarum virtutum, quibus anima humana ornatur: unde dicitur *Eccli. 50. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Vel etiam mandata legis Dei, secundum illud *Psalm. 118. 127. Dilexi mandata tua super aurum, et topazion.* Opera vero humana, quibus homo intendit rebus corporalibus procurandis, comparantur stipulis, quae viles sunt, namque fulgent; et facile comburuntur; habent tamen quosdam gradus, prout quaedam sunt aliis stabiliora, quaedam vero facilius consumptibilia. Nam ipsi homines inter creaturas carnales digniores sunt, et per successionem conservantur: unde comparantur ligni, secundum illud *Iudic. 9. 6. Ierunt ligna sylvarum ut eligerent super se regem.* Caro autem hominis facilius corrumpitur per infirmitatem, et mortem: unde comparatur feno, secundum illud *Isa. 40. 6. Omnis caro fenum.* Ea vero quae pertinent ad gloriam huius mundi, facillime transeunt, unde stipulae comparantur: unde *in Psalm. 82. 14.* dicitur: *Pone illos ut rotam, et ut stipulam ante faciem venti.* Sic ergo superaedificore aurum et argentum, et lapides pretiosos, est superaedificare fidei fundamento ea quae pertinent ad contemplationem sapientiae divinorum, et amorem Dei, et devotionem sanctorum, et obsequium proximorum, et ad exercitium virtutum; superaedificare vero lignum, fenum, et stipulam, est superaddere fidei fundamento ea quae pertinent ad dispositionem humanarum rerum, et ad curam carnis, et ad exteriorem gloriam.

Sciendum tamen, quod contingit aliquem hominem id intendere tripliciter. Uno modo ita quod in his finem constituat; et cum hoc sit peccatum mortale, per hoc homo non superaedificat, sed e converso, fundamento aliud fundamentum collocat: nam finis est fundamentum in rebus appetibilibus, quae quaeruntur propter finem. Alio modo aliquis intendit uti praedictis rebus, totaliter ordinans eas in Dei gloriam. Et quia opera specificantur ex fine intento, hoc iam non erit aedificare lignum, fenum, et stipulam; sed aurum, argentum, et lapides pretiosos. Tertio modo aliquis, licet in his finem non constituat, nec vellet propter ista contra Deum facere; afficitur tamen istis magis quam deberet, ita quod per haec retardetur ab his quae Dei sunt; quod est peccare venialiter: et hoc proprie est superaedificare lignum, fenum, stipulam: non quia ipsa superaedificentur proprie loquendo, sed quia opera ad temporalium curam pertinentia habent venialia adiuncta propter vehementiorem affectum ad ipsa: quae quidem affectio, secundum quod magis et minus inhaeret, ligno, feno, et stipulae comparatur. Et dupliciter potest distingui. Uno modo secundum permanentiam rerum spiritualium, ut prius dictum est; alio modo secundum vehementiam adhaesionis. Sciendum tamen, quod et illi qui spiritualibus rebus intendunt, non omnino possunt absolvi a cura rerum temporalium, nec etiam qui in caritate rebus temporalibus intendunt, sunt omnino a rebus spiritualibus vacui; sed studio diversificantur: nam quidam studium vitae suae ordinant ad spiritualia; temporalibus vero non intendunt, nisi inquantum requirit necessitas corporalis vitae: quidam vero studium vitae suae applicant ad temporalia procuranda; utuntur tamen spiritualibus rebus ad directionem vitae suae. Primi igitur superaedificant aurum, argentum, et lapides pretiosos; secundi vero superaedificant fenum, lignum, et stipulam. Ex quo patet quod illi qui superaedificant aurum, argentum, et lapides pretiosos, habent aliquid de peccatis venialibus, sed non in quantitate notabili, propter hoc quod modicum attingunt de cura temporalium rerum: illi etiam qui supraedificant lignum, fenum, stipulam, habent aliquid stabile pretiosum, et praeclarum, sed in minori quantitate, scilicet inquantum diriguntur per bona spiritualia. Potest autem et haec diversitas referri ad superaedificationem doctrinae. Nam illi qui fidei ab Apostolis fundatae per suam doctrinam superaedificant solidam veritatem, et claram, sive manifestam, et ad ornamentum Ecclesiae pertinentem, superaedificant aurum, argentum, lapides pretiosos: unde *Proverb. 10. 20. Argentum electum labia iusti:* illi vero qui fidei ab Apostolis fundatae superaddunt in doctrina sua aliqua inutilia, et quae non sunt manifestata, nec veritatis ratione firmantur, sed sunt vana, et inania, superaedificant lignum, fenum, stipulam: unde dicitur *Hier. 23. 28. Qui habet somnium, narret somnium; et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum?* Qui vero falsitatem doceret, non superaedificaret, sed magis subverteret fundamentum.

Dicit ergo: *Si quis superaedificat*, vel operando, vel docendo, *super fundamentum hoc*, idest super fidem formatam in corde, vel super fidem fundatam ab Apostolis, et praedicatam, *aurum, argentum, aut lapides pretiosos*, idest spiritualia opera, vel praeclaram doctrinam, vel *lignum, fenum, stipulam*, idest corporalia opera, vel frivolam doctrinam: *unusquisque opus manifestum erit*, scilicet in divino iudicio, quale sit: non enim latet per humanam ignorantiam. Nam qui-

dam videntur superaedificare aurum, argentum, lapidem pretiosum ; qui tamen superaedificant lignum fenum , stipulam, in rebus spiritualibus corporalia meditantes , puta lucrum , vel favorem humanum. Quidam vero videntur superaedificare lignum, fenum, stipulam ; qui tamen aedificant aurum, argentum, et lapidem pretiosum, quia in administratione temporalium nihil nisi spiritualia cogitant. Unde et *Sophon. 1. 12.* dicitur : *Scrutabor Hierusalem in lucernis :* et *Luc 12. 2. Nihil opertum quod non revelctur.*

Deinde cum dicit, *Dies enim Domini declarabit*, ostendit quando haec manifestantur : et primo ponit tempus manifestationis, cum dicit : *Dies enim Domini declarabit.* Circa quod sciendum est , quod tunc dicitur esse tempus, et dies alicuius rei, quando est in optimo statu , et maximo sui posse : unde *Eccle. 3. 1.* dicitur : *Omnia tempus habent.* Quando ergo homo suam voluntatem implet , etiam contra Deum , tunc est dies hominis : unde dicitur *Hier. 17. 16. Diem hominis non desideravi , tu scis.* Dies vero Domini dicitur, quando voluntas Domini completur de hominibus, qui per eius iustitiam vel praemiabuntur , vel damnabuntur, secundum illud *Psalm. 74. 3. Cum accepero tempus , ego iustitias iudicabo.* Unde secundum triplex Dei iudicium tripliciter potest intelligi dies Domini. Erit enim quoddam iudicium generale omnium , secundum illud *Matth. 12. 41. Viri Ninivitae surgent in iudicio* : et secundum hoc dies Domini dicitur novissimus dies iudicii , de quo *2. Thess. 2. 2. Non terreamini, quasi instet dies Domini.* Et secundum hoc intelligitur , *Dies Domini declarabit* , quia in die iudicii manifestabitur differentia humanorum meritorum: *Rom. 2. 16. In die quando iudicabit Dominus occulta hominum.* Aliud autem est particulare iudicium, quod fit de unoquoque in morte ipsius , de quo habetur *Luc. 16. 22. Mortuus est dives , et sepultus est in inferno; mortuus est autem mendicus , et portatus est ab Angelis in sinum Abrahae.* Et secundum hoc dies Domini potest intelligi dies mortis , secundum illud *1. Thess. 5. 2. Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Sic ergo dies Domini declarabit, quia in morte uniuscuiusque eius merita patent: unde dicitur *Prov. 11. 7. Mortuo homine impio nulla erit ultra spes:* et ibidem *14. 7. Sperat autem iustus in morte sua.* Tertium autem est iudicium in hac vita, inquantum Deus per tribulationes huius vitae interdum homines probat: unde dicitur *infra 11. 32. Cum iudicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Et secundum hoc dicitur dies Domini dies temporalis tribulationis , de quo dicitur *Sophon. 1. 14. Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis.* Dies ergo Domini declarabit, quia in tempore tribulationis affectus hominis probatur : *Eccli. 27. 6. Vasa figuli probat fornax , et homines iustos tentatio tribulationis.* Secundo ostendit per quod fiet ista declaratio , quia per ignem : unde sequitur : *Quia in igne revelabitur*, scilicet dies Domini: nam dies iudicii revelabitur in igne, qui praecedet faciem iudicis , exurens faciem mundi , et involvens reprobos , et iustos purgans : de quo dicitur *in Psal. 96. 3. Ignis ante ipsum praecedet , et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Dies autem Domini , qui est dies mortis , revelabitur in igne purgatorii , per quem purgabitur , si quid in electis invenietur purgandum ; de quo potest intelligi quod dicitur *Iob 23. 1. Probabit me quasi aurum quod per ignem transit.* Dies vero qui est dies tribulationis divino iudicio permissae , revelabitur in igne tribulationis ; de quo dicitur *Eccli. 2. 5. In igne probatur aurum , et argentum ; homines vero acceptabiles in camino tribulationis.* Tertio ponit effectum manifestationis, cum subdit: *Et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit :* quia scilicet per quemlibet ignium praedictorum probantur merita hominis , vel demerita : unde *in Psal. 16. 3.* dicitur *: Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* In his tribus , quae hic Apostolus ponit, primum est conclusio duorum sequentium. Si enim dies Domini revelatur in igne, et ignis probat quale sit uniuscuiusque opus , consequens est quod dies Domini declaret differentiam operum humanorum.

Deinde cum dicit, *Si cuius opus manserit*, ostendit modum praedictae manifestationis ; et primo quantum ad bona opera , cum dicit : *Si cuius* , idest alicuius , *opus*, quod ipse superaedificavit , *manserit*, scilicet in igne ; ille , scilicet *qui superaedificavit, mercedem accipiet : Hierem. 31. 16. Est merces operi tuo :* et *Isa. 40. 10. Ecce merces eius cum eo.* Dicitur autem aliquod opus in igne permanere illaesum dupliciter. Uno modo ex parte ipsius operantis : quia scilicet ille qui hoc facit opus, scilicet bonae doctrinae, vel quodcumque bonorum operum, propter huiusmodi opus non punitur, inquantum scilicet nec torquebitur igne purgatorii , nec igne qui praecedet faciem iudicis , nec etiam aestuat igne tribulationis. Qui enim non immoderate temporalia dilexit, consequens est quod non nimis doleat de eorum amissione : dolor enim causatur ex amore rei quae amittitur , unde superfluus amor superfluum generat dolorem. Alio modo potest intelligi ex parte ipsius operis: quolibet enim praedictorum ignium superveniente homini , permanet opus bonae doctrinae , vel quodcumque aliud bonum opus : nam igne tribulationis superveniente , non cessat homo neque a vera doctrina , neque a bono opere virtutis; utrumque autem horum permanet homini quantum ad meritum et in igne purgatorii , et in igne qui praecedit faciem iudicis. Secundo ostendit diem quantum ad mala opera , dicens : *Si cuius* , idest alicuius , *opus arserit* , scilicet per aliquem ignium praedictorum, *detrimentum patietur* , scilicet qui hoc operatus est, non tamen usque ad damnationem : unde subdit: *Ipse autem salvus erit* , scilicet salute aeterna , secundum illud *Isa. 45. 17. Salvatus est Israel in Domino salute aeterna ; sic tamen quasi per ignem* , quem scilicet prius sustinuit vel in hac vita , vel in fine huius vitae , vel in fine mundi : unde dicitur *in Psal. 65. 12. Transivimus per ignem, et aquam , et eduxisti nos in refrigerium :* et *Isa. 43. 2. Cum transieris per ignem, non combureris, et flamma non comburet te, quia ego Dominus Deus salvator tuus.* Dicitur autem opus alicuius ardere dupliciter. Uno modo ex parte operantis, inquantum scilicet aliquis affligitur igne tribulationis propter immoderatum affectum , quo superflue terrena diligit, et punitur igne purgatorii, vel igne qui praecedet faciem iudicis propter peccata venialia, quae circa curam temporalium commisit , sive etiam per frivola , et vana quae docuit. Alio modo ardet opus in

igne ex parte ipsius operis, quia scilicet tribulatione superveniente, homo non potest vacare nec doctrinae vanae, nec terrenis operibus, secundum illud *Psal. 145. 4. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Nec etiam igne purgatorii, vel praecedente faciem iudicis, remanebit ei aliquid praedictorum vel ad remedium, vel ad meritum. Et similiter dupliciter patitur detrimentum, vel inquantum ipse punitur, vel inquantum perdit id quod fecit; et quantum ad hoc dicitur *Eccli. 14. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui operatur illud, ibit cum illo; et omne opus electum in fine iustificabitur, et qui operatur illud, honorificabitur in illo:* quorum primum pertinet ad eum qui superaedificat lignum, fenum, et stipulam, quod est opus in igne ardens; secundum autem pertinet ad eum qui superaedificat aurum, argentum, et lapides pretiosos, quod est opus manens in igne absque detrimento.

## LECTIO III.

Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum: et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanae sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

Supra ostendit Apostolus quae sit merces bene laborantium; hic agit de poena male laborantium, sive destruentium: et circa hoc duo facit. Primo demonstrat poenam; secundo excludit errorem contrarium, ibi, *Nemo vos seducat.* Ostendit autem poenam operantium ad destructionem, prosequens similitudinem aedificii spiritualis: et circa hoc tria facit. Primo ostendit dignitatem spiritualis aedificii; secundo determinat poenam destruentium, ibi, *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus;* tertio assignat rationem poenae, ibi, *Templum enim Dei sanctum est.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod ille qui superaedificat, mercedem salutis accipiet vel sine detrimento, vel cum detrimento. Sed ut possitis agnoscere quae sit poena male in vobis laborantium, oportet vos vestram dignitatem agnoscere: quam primo ponit dicens: *An* vos *nescitis quia* vos fideles Christi *estis templum Dei? Eph. 2. 21. In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei.* Secundo probat quod fideles sint templum Dei. Est enim de ratione templi quod sit habitaculum Dei, secundum illud *Psal. 10. 5. Deus in templo sancto suo:* unde omne illud in quo Deus habitat, potest dici templum. Habitat autem Deus principaliter in seipso, quia ipse solus se comprehendit: unde et ipse Deus templum Dei dicitur *Apoc. 21. 22. Dominus Deus omnipotens templum illius est.* Habitat etiam Deus in domo sacrata per specialem cultum qui in ea sibi exhibetur; et ideo domus sacrata dicitur templum, secundum illud *Psal. 5. 8. Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Habitat etiam Deus in hominibus per fidem, quae per dilectionem operatur, secundum illud *Ephes. 3. 17. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Unde et ad probandum quod fideles sint templum Dei, subiungit quod inhabitantur a Deo, cum dicit: *Et Spiritus Dei habitat in vobis:* et *Rom. 8. 11.* dictum est: *Spiritus qui suscitavit Iesum Christum, habitabit in vobis: Ezech. 36. 27. Spiritum meum ponam in medio vestri.* Ex quo patet quod Spiritus sanctus est Deus, per cuius inhabitationem fideles dicuntur templum Dei: sola enim inhabitatio Dei templum Dei facit, ut dictum est.

Est autem considerandum, quod Deus est in omnibus creaturis, in quibus est per essentiam, potentiam, et praesentiam, implens omnia bonitatibus suis, secundum illud *Hier. 23. 24. Caelum, et terram ego impleo;* sed spiritualiter dicitur Deus inhabitare, tamquam in familiari domo, in sanctis, quorum mens capax est Dei per cognitionem, et amorem, etiamsi ipsi in actu non cognoscant, et diligant, dummodo habeant per gratiam habitum fidei, et caritatis; sicut patet de pueris baptizatis: et cognitio sine dilectione non sufficit ad inhabitationem Dei, secundum illud *1. Ioan. 4. 16. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Inde est quod multi cognoscunt Deum vel per naturalem cognitionem, vel per fidem informem; quos tamen non inhabitat Spiritus Dei.

Deinde cum dicit, *Si quis autem templum Dei violaverit*, subiungit poenam male operantium secundum convenientiam praedictorum, dicens: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Violatur autem templum Dei dupliciter. Uno modo per falsam doctrinam, quae non superaedificatur fundamento, sed magis subruit fundamentum, et destruit aedificium: unde dicitur *Ezech. 13. 19.* de falsis prophetis: *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis.* Alio modo violat aliquis templum Dei per peccatum mortale, per quod aliquis vel seipsum corrumpit, vel alium opere, vel exemplo: unde dicitur *Malach. 2. 11. Contaminavit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit.* Sic autem dignum est ut disperdatur ille a Deo per damnationem aeternam, qui violat spirituale templum Dei, vel qualitercumque polluit: unde dicitur *Malach. 2. 12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum, et discipulum:* et *in Psalm. 11. 4. Disperdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

Deinde cum dicit, *Templum enim Dei sanctum est*, assignat rationem eius quod dixerat de sanctitate templi. Qui enim aliquam rem sacram violat, sacrilegium committit: unde dignum est ut disperdatur. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, sicut supra dictum est: et *in Psal. 64. 6.* dicitur: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate:* et alibi *Psal. 92. 5. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Et quidem in materiali templo est quaedam sacramentalis

sanctitas, prout templum divino cultui dedicatur ; sed in fidelibus Christi est sanctitas gratiae, quam consequuti sunt per baptismum, secundum illud *infra 6. 11. Abluti estis , sanctificati estis.*

Deinde cum dicit, *Nemo vos seducat*, excludit errorem contrarium : et primo monet fideles ut sibi caveant a seductione errorum ; secundo docet modum cavendi , ibi , *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat* ; tertio rationem assignat , ibi , *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* Circa primum sciendum. quod quidam dixerunt, quod Deus neque punit , neque remunerat hominum facta, ex quorum persona dicitur *Soph. 1. 12. Qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus , et non faciet male :* et *Thren. 3. 37. Quis est iste qui dixit ut fieret Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredietur bonum , neque malum ?* Ad hunc ergo errorem excludendum dicit : *Nemo vos seducat* , asserens scilicet, quod ille qui templum Dei violat , non disperdatur a Deo, sicut *Ephes. 5. 7.* dicitur : *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiae.*

Deinde cum dicit, *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat*, docet modum cavendi huiusmodi seductionem. Ubi sciendum est, quod quidam dixerunt Deum non punire peccata hominum, innitentes rationibus humanae sapientiae ; puta , quod Deus non cognoscat singularia quae fiunt hic : ex quorum persona dicitur *Iob 22. 14. Circa cardines caeli perambulat, nec nostra considerat.* Ad hoc ergo vitandum dicit : *Si quis inter vos videtur esse sapiens in hoc saeculo*, idest sapientia sacculari, quae in eo quod contrariatur veritati fidei, non est sapientia , licet videatur esse, *stultus fiat* , abiiciendo istam sapientiam apparentem , *ut sit sapiens*, scilicet secundum sapientiam divinam , quae est vera sapientia. Et hoc etiam observandum est non solum in his in quibus saecularis sapientia contrariatur veritati fidei, sed etiam in omnibus in quibus contrariatur honestati morum : unde *Prov. 30. 1.* dicitur : *Deo secum morante confortatus est.*

Deinde cum dicit, *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*, assignat rationem eius quod dixerat: et primo ponit rationem. Videbatur enim ineptam monitionem fecisse, ut aliquis fieret stultus: et vere inepta esset, si stultitia illa de qua loquebatur, esset per abnegationem verae sapientiae; sed non est ita: *sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* Dicitur autem sapientia huius mundi, quae principaliter mundo innititur : nam illa quae per res huius mundi ad Deum attingit , non est sapientia mundi , sed sapientia Dei, secundum illud *Rom. 1. 19. Deus enim illis revelavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt , intellecta conspiciuntur. Sapientia* ergo *mundi*, quae sic rebus mundi intendit ut ad divinam veritatem non pertingat , *stultitia est apud Deum* , idest stultitia reputatur secundum divinum iudicium: *Isa. 19. 11. Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Secundo probat quod dixerat per duas auctoritates; quarum prima scribitur *Iob 5. 13.* unde dicit: *Scriptum est: Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Comprehendit autem sapientes Dominus in astutia eorum , quia per hoc ipsum quod astute cogitant contra Deum , impedit Deus eorum conatum , et implet suum propositum; sicut per malitiam fratrum Ioseph volentium impedire eius principatum , impletum est per divinam ordinationem quod Ioseph in Ægypto venditus principaretur. Unde et ante praemissa verba dicit Iob: *Qui dissipat cogitationes eorum*, scilicet malignorum , *ne possint implere manus eorum quod coeperant :* quia, ut dicitur *Proverb. 21. 30. non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum.* Secunda auctoritas sumitur ex Psalmis; unde dicit : *Et iterum scriptum est : Dominus novit cogitationes sapientium*, idest secundum sapientiam mundi, *quoniam vanae sunt* , quia scilicet non pertingunt ad fidem cognitionis humanae, quae est cognitio veritatis divinae. Unde dicitur *Sap. 13. 1. Vani sunt homines in quibus non subest scientia Dei.*

Deinde cum dicit , *Itaque nemo glorietur in hominibus*, infert conclusionem principaliter intentam , scilicet quod non debeant gloriari de ministris Dei : et primo concludit propositum ex praedictis, dicens: *Itaque*, ex quo ministri nihil sunt, sed laborant pro mercede, *nemo glorietur in hominibus:* sicut et *in Psalm. 145. 3.* dicitur : *Nolite confidere in principibus , neque in filiis hominum , in quibus non est salus :* et *Hier. 17. 5. Maledictus vir qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum ?* Secundo rationem assignat ex dignitate fidelium Christi , assignans ordinem fidelium in rebus : et primo ponit ordinem rerum ad fideles Christi, dicens *: Omnia vestra sunt ;* quasi dicat : Sicut homo non gloriatur de rebus sibi subiectis, ita et vos gloriari non debetis de rebus huius mundi, quae omnia sunt vobis data a Deo , secundum illud *Psalm. 8. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Exponit autem quae omnia ; inter quae primo ponit ministros Christi, qui sunt divinitus ordinati ad ministerium fidelium, secundum illud *2. Corinth. 4. 5. Nos autem servos vestros per Iesum :* et hoc est quod dicit : *Sive Paulus* , qui plantavit, *sive Apollo* , qui rigavit, *sive Cephas* , idest Petrus , qui est universalis pastor ovium Christi, ut dicitur *Ioan. ult.* Post haec ponit res exteriores, cum dicit, *Sive mundus* , qui est continentia omnium creaturarum : qui quidem est fidelium Christi , eo quod homo per res huius mundi iuvatur vel quantum ad necessitatem corporalem , vel quantum ad cognitionem Dei, secundum illud *Sap. 13. 5. A magnitudine speciei , et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Consequenter ponit ea quae pertinent ad ipsam hominis dispositionem, dicens: *Sive vita, sive mors:* quia scilicet fidelibus Christi et vita est utilis, in qua merentur, et mors , per quam ad praemia perveniunt , secundum illud *Rom. 14. 8. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus :* et *Philip. 1. 21. Mihi vivere Christus est , et mori lucrum.* Ad haec autem duo reducuntur omnia bona, vel mala huius mundi: quia per bona conservatur vita, per mala pervenitur ad mortem. Ultimo ponit quae pertinent ad statum hominis praesentem, vel futurum, dicens : *Sive praesentia* , idest res huius vitae , quibus iuvamur ad merendum, *sive futura*, quae nobis reservantur ad praemium. *Non enim habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ut dicitur *Heb. ult. 14. Omnia*, inquit, *vestra sunt*, idest vestrae uti-

litati deservientia, secundum illud *Rom. 8. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sic ergo primus ordo est rerum Christi ad fideles; secundus vero fidelium Christi ad Christum; quos ponit subdens: *Vos autem Christi* estis, quia scilicet sua morte vos redemit: *Rom. 4. 8. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus:* tertius ordo est Christi, secundum quod homo, ad Deum; ideo addit: *Christus autem*, secundum quod homo, *Dei est.* Unde cum Deum, et Dominum *in Psalm. 7. 1.* nominat, dicens: *Domine Deus meus, in te speravi*: ut nomine Dei tota Trinitas intelligatur. Quia ergo nullus debet gloriari de eo quod infra ipsum est, sed de eo quod est supra ipsum; ideo non debent fideles Christi gloriari de ministris, sed magis ministri de ipsis: *2. Corinth. 7. 4. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis.* Sed fideles Christi debent gloriari de Christo, secundum illud *Galat. ult. 14. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi;* sicut Christus de Patre, secundum illud *Sap. 2. 16. Gloriatur se Patrem habere Deum.*

# CAPITIS QUARTI

## LECTIO PRIMA

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.

Superius redarguit Apostolus Corinthios de hoc quod de quibusdam ministris gloriabantur; hic autem arguit eos, quod alios ministros contemnebant: et circa hoc duo facit. Primo arguit eorum culpam; secundo instat ad eorum correctionem, ibi, *Non ut confundam vos, haec scribo.* Circa primum duo facit. Primo arguit eorum temeritatem, qua male de ministris iudicabant; secundo arguit eorum elationem, qua Christi ministros contemnebant, ibi, *Haec autem, fratres, transfigurari in me, et Apollo propter vos.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quid sit de ministris Christi firmiter sentiendum; secundo quod non sit de eis temere iudicandum, ibi, *Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Dicit ergo primo: Dixi quod nullus vestrum debet gloriari de hominibus; tamen quilibet vestrum debet cognoscere auctoritatem officii nostri, ad quod pertinet quod sumus mediatores inter Christum cui servimus; ad quos pertinet quod dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi: Isa. 61. 6. Sacerdotes Dei vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis:* et inter membra eius, quae sunt fideles Ecclesiae, quibus dona Christi dispensant; ad quos pertinet quod subditur: *Et dispensatores mysteriorum Dei,* idest secretorum eius: quae quidem sunt spiritualia eius documenta, secundum illud *infra 14. 2. Spiritus eius qui loquitur mysteria:* vel etiam ecclesiastica sacramenta, in quibus divina virtus secretius operatur salutem: unde et in forma consecrationis eucharistiae dicitur, *Mysterium fidei.* Pertinet ergo ad officium praelatorum Ecclesiae, quod in gubernatione subditorum soli Christo servire desiderent, cuius amore oves eius pascunt, secundum illud *Ioan. ult. 17. Si diligis me, pasce oves meas.* Pertinet etiam ad eos ut divina populo dispensent, secundum illud *infra 9. 17. Dispensatio mihi credita est:* et secundum hoc sunt mediatores inter Christum et populum, secundum illud *Deut. 5. 5. Ego sequester fui, et medius illo tempore inter Deum et vos.* Haec autem aestimatio de praelatis Ecclesiae necessaria est ad salutem fidelium: nisi enim eos recognoscerent ministros Christi, non eis obedirent tamquam Christo, secundum illud *Galat. 4. 14. Sicut Angelum Dei excepistis me sicut Iesum Christum.* Rursum si eos non cognoscerent dispensatores, recusarent ab eis dona recipere, contra illud quod idem Apostolus dicit *2. Corinth. 2. 10. Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi donavi.*

Deinde cum dicit, *Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*, ostendit circa ministros Christi temere iudicari non debere: et circa hoc tria facit. Primo ponit quoddam per quod iudicare satagunt de fidelitate ministrorum; secundo ostendit de hoc iudicio se non curare, sed Deo reservare, ibi, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer;* tertio concludit prohibitionem temerarii iudicii, ibi, *Itaque nolite ante tempus iudicare.* Circa primum considerandum est, quod ministrorum, et dispensatorum Christi quidam sunt fideles, quidam infideles. Infideles dispensatores sunt qui in dispensandis divinis mysteriis non intendunt utilitatem populi, et honorem Christi, et utilitatem membrorum eius, secundum illud *Luc. 16. 11. In iniquo mammona fideles non fuistis.* Fideles autem qui in omnibus intendunt honorem Dei, et utilitatem membrorum eius, secundum illud *Luc. 12. 42. Quis putas est fidelis servus, et prudens quem constituit dominus super familiam suam?* Qui autem sunt fideles, divino iudicio manifestabuntur in futuro. Sed Corinthii temere volebant discutere qui dispensatores essent fideles, vel infideles; et hoc est quod dicit: *Hic,* hoc est inter vos, *iam,* idest praesenti tempore, *quaeritur,* idest discutitur, *ut quis,* idest aliquis, *inter dispensatores fidelis inveniatur.* Iudicabant enim plures esse infideles, vix aliquem virum putantes esse fidelem, secundum illud *Prov. 20. 6. Multi viri misericordes vocantur; virum autem fidelem quis inveniet?* Deinde cum dicit, *Mihi autem pro minimo est,* ostendit se hoc iudicium reputare nihil: et circa hoc tria facit. Primo ponit quod non curat circa hoc ab aliis iudicari, dicens: *Mihi autem,* qui sum minimus inter dispensatores, *pro minimo est,* idest minima bona reputo, *ut a vobis iudicer*, scilicet esse fidelis, vel infidelis. Et ne putarent ab Apostolo haec dici in eorum contemptum, ac si eorum iudicium despiceret, quasi vilium personarum, subiungit: *Aut ab humano* intellectu, qui est dies hominis, secundum illud *Ioan. 11. 9. Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt:* vel ad litteram, *aut ab humano die,*

idest ab intellectu in hoc tempore iudicantium; quasi dicat: Vestrum, vel quorumcumque hominum iudicium parum curo: *Hierem. 17. 16. Diem hominis non desideravi, tu scis.*

Est autem sciendum, quod de iudicio hominum dupliciter debet curari. Uno modo quantum ad alios, qui ex eorum bono vel aedificantur, vel scandalizantur; et sic sancti non pro minimo, sed pro magno habent ab hominibus iudicari, cum Dominus dicat *Matth. 6. 16. Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Alio modo quantum ad seipsos; et sic non curant multum, quia nec gloriam humanam concupiscunt, secundum illud *1. Thess. 2. 6. Neque gloriam ab hominibus quaerentes, neque aliquid a vobis, neque ab aliis:* neque opprobrium hominis timent, secundum illud *Isa. 51. 7. Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne timeatis.* Unde Apostolus signanter dicit, *Mihi autem*, idest quantum ad me pertinet. Non autem id pro nullo est, sed pro minimo: quia bona temporalia, inter quae bona fama computatur, non sunt nulla bona, sed minima, ut Augustinus dicit *in lib. 1. cap. 15.* et *16. de libero Arbitrio.* Unde et *Sap. 7. 9. Omne aurum in comparatione illius arena est exigua.*

Secundo ostendit quod neque seipsum iudicare praesumit, dicens: *Sed neque meipsum iudico.*

Videtur autem hoc esse contra id quod *infra 11. 31.* dicitur: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Debet ergo quilibet iudicare seipsum.

Sed sciendum est, quod iudicio discussionis, de quo Apostolus hic loquitur, quilibet debet iudicare seipsum, secundum illud *Psalm. 76. 7. Exercitabar, et scopebam spiritum meum:* et similiter iudicio condemnationis, et reprehensionis in manifestis malis, secundum illud *Iob 13. 15. Arguam coram eo vias meas.* Sed iudicio absolutionis non debet aliquis praesumere se iudicare ut innocentem: unde dicitur *Iob 9. 20. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, pravum me comprobabit.* Cuius rationem assignat, dicens: *Nihil mihi conscius sum*, idest non habeo alicuius peccati mortalis conscientiam, secundum illud *Iob 27. 6. Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea; sed non in hoc iustificatus sum*, idest non sufficit ad hoc quod me iustum pronuntiem, quia possunt aliqua peccata in me latere, quae ignoro, secundum illud *Psalm. 18. 13. Delicta quis intelligit?* et *Iob 9. 21.* dicitur: *Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

Tertio concludit cui hoc iudicium reservetur, dicens: *Qui autem iudicat me, Dominus est*, idest ad solum Deum pertinet iudicare utrum sim fidelis minister, an non: hoc enim pertinet ad intentionem cordis, quam solus Deus ponderare potest, secundum illud *Prov. 16. 2. Spirituum ponderator est Dominus:* et *Hierem. 17. 9. Pravum est cor hominis, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus probans renes, et scrutans corda.*

Deinde cum dicit, *Itaque nolite ante tempus iudicare*, concludit prohibitionem temerarii iudicii: et circa hoc tria facit. Primo prohibet praevenire divinum iudicium, dicens: *Itaque*, exemplo meo, qui neque ab aliis iudicari curo, sed iudicium meum Deo reservo, *nolite ante tempus iudicare:* quia, ut dicitur *Eccle. 8. 6. omni negotio tempus est, et opportunitas: quoadusque veniat Dominus*, scilicet ad iudicandum, secundum illud *Isa. 3. 14. Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui.* Unde et Dominus dixit *Matth. 7. 1. Nolite iudicare.* Sed hoc intelligendum est de occultis; de manifestis autem iudicare commissum est a Deo hominibus, secundum illud *Deut. 1. 16. Audite illos, et quod iustum est iudicate.* Sunt enim aliqua manifesta non solum per evidentiam facti, sicut notoria, sed etiam propter confessionem, aut testium probationem. Occulta vero Deus suo reservat iudicio. Sunt autem occulta nobis quae latent in corde, vel etiam in abscondito fiunt; et de his dicitur *in Psalm. 4. 5. Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Unde homo quidem de his est temerarius iudex, sicut iudex delegatus, qui excedit formam mandati iudicii, de causa non sibi commissa. Est ergo temerarium iudicium, quando aliquis de dubiis iudicat; perversum autem, quando falsum iudicium profert. Et quamvis non sit iudicandum circa personas, puta ut aliquis iudicet malum hominem qui bonus est; tamen multo gravius est ut iudicium pervertatur de rebus ipsis, puta, si quis diceret virginitatem esse malam, et fornicationem bonam; contra quod dicitur *Isa. 5. 20. Vae qui dicitis bonum malum, et malum bonum.* Secundo describit perfectionem futuri divini iudicii, dicens: *Qui*, scilicet Dominus ad iudicandum veniens, *illuminabit abscondita tenebrarum*, idest faciet esse lucida, et manifesta ea quae occulte in tenebris facta sunt; *et manifestabit consilia cordium*, idest omnia cordis occulta, secundum illud *Iob 12. 22. Qui revelat occulta de tenebris, et producit in lucem umbram mortis:* et *Sophon. 1. 12. Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Quod quidem est intelligendum tam de bonis, quam de malis quae non sunt per poenitentiam tecta, secundum illud *Psalm. 31. 1. Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Tertio ponit fructum quem boni reportabunt de divino iudicio, dicens; *Et tunc laus erit unicuique*, scilicet bonorum, *a Deo:* quae quidem laus vera erit, quia Deus nec decipi, nec decipere potest: *Rom. 2. 29. Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est:* et *2. Corinth. 10. 18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

## LECTIO II.

Haec autem, fratres, transfiguravi in me, et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Iam divites facti estis: sine nobis regnatis; et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles,

nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus. Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.

Postquam Apostolus reprehendit in Corinthiis temeritatem, qua ministros Christi iudicabant; hic arguit eorum elationem, qua ministros Christi contemnebant: et circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit, secundo rationem assignat, ibi, *Quis enim te discernit?* tertio eorum contemptum ironice loquens irridet, ibi, *Iam saturati estis.* Circa primum considerandum est, quod Apostolus supra volens reprimere contentiones Corinthiorum, quas habebant ratione ministrorum, usus fuerat nominibus bonorum ministrorum Christi, sicut *supra 1. 12.* dixit: *Unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae:* et *supra 3. 22.* ubi dixit: *Sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas:* et tamen non gloriabantur de bonis ministris Christi, nec propter eos dissidebant, sed propter pseudoapostolos: quos nominare noluit, ne videretur ex odio, vel invidia contra eos loqui; sed loco eorum posuerat nomen suum, et aliorum bonorum praedicatorum; et hoc est quod dicit: *Haec autem, fratres*, scilicet quae dixi de ministris de quibus gloriamini, et pro quibus contenditis, *transfiguravi*, idest figuraliter loquens transtuli, *in me, et Apollo.* Dicitur enim *Proverb. 1. 6. Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientum, et aenigmata eorum.* Et hoc *propter vos*, idest vestram utilitatem: *2. Corinth. 4. 15. Omnia propter vos: ut in nobis discatis, ne unus vestrum infletur*, idest superbia adversus alium proximum suum, *pro alio*, scilicet pro quocumque ministro Christi, *supra quam scriptum est*, idest ultra formam vobis in praemissis descriptam. Dicitur enim *Sap. 4. 19. Disrumpet illos inflatos sine voce.*

Deinde cum dicit, *Quis enim te discernit?* assignat rationem quare unus non debeat contra alium inflari: et primo ponit rationem, dicens: *Quis enim te discernit?* Quod potest intelligi dupliciter. Uno modo sic. *Quis enim te discernit* a massa perditorum? Tu teipsum discernere non potes: unde non habes in te unde contra alium superbias. Et de hac discretione dicitur *in Psalm. 47. 1. Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Alio modo potest intelligi: *Quis te discernit?* scilicet superiorem faciens proximo tuo: hoc quod tu facere non potes: unde contra eum superbire non debes. Et de hac discretione dicitur *Eccli. 35. 2. In multitudine disciplinae Dominus separavit eos, et immutavit vias illorum.* Sed inter homines, inquantum sunt fideles Christi, non est discretio: quia, ut dicitur *Rom. 12. 5. multi unum corpus sumus in Christo:* et *Act. 15. 9.* dicit Petrus: *Nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.* Secundo excludit quamdam rationem. Posset enim aliquis discerni a bonis, vel a malis, melior eis existens propter bona quae habet, puta fidem, sapientiam, et huiusmodi. Sed hoc excludit Apostolus, dicens: *Quid autem habes quod non accepisti?* quasi dicat, nihil: omnia enim bona sunt a Deo, secundum illud *Psalm. 103. 28. Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate:* et *1. Paral. 29. 14. Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et ex hoc concludit propositum, dicens: *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ille igitur gloriatur quasi non accipiens, qui de seipso gloriatur, et non de Deo, sicut de quibusdam dicitur *in Psalm. 48. 7. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Et ad hoc pertinet prima species superbiae, qua scilicet aliquis superbiendo, quod habet, dicit a seipso habere, iuxta illud *Ps. 11. 5. Labia nostra a nobis sunt: quis noster dominus est?* Ille autem gloriatur quasi accipiens, qui omnia Deo adscribens gloriatur de ipso, sicut *supra 1. 31.* dictum est: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sic autem gloriari non est superbire, sed humiliari sub Deo, cui homo dat gloriam, secundum illud *Eccli. ult. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.*

Deinde cum dicit, *Iam saturati estis*, irridet eorum superbiam, qui Apostolos Christi contemnebant: et primo in generali; secundo in speciali, ibi, *Nos stulti* sumus *propter Christum.* Circa primum duo facit. Primo irridet in eis quod de se nimis praesumebant; secundo deridet in eis quod Apostolos contemnebant, ibi, *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos.* Circa primum duo facit. Primo irridet eos de praesumptione qua sibi attribuebant quod non habebant; secundo irridet eos de hoc quod sibi singulariter attribuebant quod singulariter non habebant, ibi, *Sine nobis regnatis.* Attribuebant autem sibi abundantiam bonorum; quorum quaedam sunt interiora; et quantum ad hoc dicit: *Iam saturatis estis*, idest vobis videtur quod saturati estis, idest abundanter refecti spirituali dulcedine, de qua dicitur *in Psalm. 16. 15. Satiabor cum manifestabitur gloria tua.* Poterat autem eis secundum veritatem dici, quod *iam saturati estis*, non plenitudine, sed fastidio, secundum illud *Prov. 27. 7. Anima satiata calcabit favum.* Quaedam vero sunt bona exteriora; et quantum ad hoc dicit: *Iam divites facti estis*, sicut vobis videtur, scilicet divitiis spiritualibus, de quibus dicitur *Isa. 33. 6. Divitiae salutis, sapientia, et scientia.* Simile est quod dicitur *Apoc. 3. 17. Dicis, quia dives sum, et locuples valde, et nullius egeo.*

Sed contra hoc videtur illud quod supra dixit in principio, dicens *cap. 1. 5. Quia in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et in omni scientia.*

Sed dicendum est, quod supra dixit quantum ab bonos qui inter eos erant; hic autem dicit quantum ad praesumptuosos qui superbiebant de eo quod non habebant. Potest et aliter distingui satietas, et divitiae, ut saturitas referatur ad usum gratiae, quo quis spiritualibus fruitur; divitiae autem ad ipsos habitus gratiarum.

Secundo, cum dicit, *Sine nobis regnatis*, irridet eos, quod sibi singulariter attribuebant quod non habebant: unde dicit: *Sine nobis regnatis*, idest ita vobis videtur quod regnum ad vos pertineat, non ad nos. Sic enim erant decepti a pseudoapostolis ut crederent se solos habere fidei veritatem, quae in regno Dei con-

sistit; Apostolum autem, et sequaces eius errare: contra quos dicitur *Isa. 5. 8. Numquid habitabitis vos soli in medio terrae?* Et ne videatur Apostolus ex invidia hoc dicere, subiungit : *Utinam regnetis.* Optat enim ut veram fidem habeant, secundum illud *Act. 26. 29. Opto omnes qui audiunt, tales fieri qualis et ego sum, exceptis vinculis his.* Et ut eis exempla humilitatis praebeat, subiungit : *Ut et nos regnemus vobiscum*; quasi dicat : Si aliquam excellentiam habetis, non dedignamur vos sequi, sicut vos dedignamini sequi nos, contra illud quod dicitur *Gal. 4. 18. Quod bonum est aemulamini in bono semper.*

Et est advertendum, quod Apostolus hic quatuor species superbiae tangit : quarum prima est quando aliquis reputat se non habere a Deo quod habet; quam tangit dicens : *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et hoc etiam potest reduci ad secundam speciem, qua aliquis existimat propriis meritis accepisse. Tertia species est qua quis iactat se habere quod non habet; et quantum ad hoc dicit : *Iam saturati estis, iam divites facti estis.* Quarta species, quando aliquis, despectis ceteris, singulariter vult videri; et ad hoc pertinet quod dicit : *Sine nobis regnatis.*

Deinde cum dicit, *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit*, irridet eos de hoc quod Apostolos Christi contemnebant: et primo irrisorie ponit contemptum; secundo causam contemptus, ibi, *Quia spectaculum facti sumus.* Dicit ergo primo : Prius dixi, quod sine nobis regnatis : *puto enim*, idest vos putare videmini, *quod Deus nos Apostolos ostendit novissimos*, cum tamen *infra 12.* dicatur, quod Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos : sic enim impletur quod dicitur *Matth. 20. 16. Erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Et ponit exemplum : *Tamquam morti destinatos :* ille enim qui sunt condemnati ad mortem, novissimi habentur inter homines, utpote quos indignum sit vivere; et tales Apostoli reputantur a mundanis hominibus, secundum illud *Psal. 43. 22. Aestimati sumus sicut oves occisionis.* Deinde cum dicit, *Quia spectaculum facti sumus*, assignat causam contemptus. Circa quod considerandum est, quod quando aliqui sunt condemnati ad mortem, convocantur homines ad eorum occisionem, quasi ad spectaculum; et hoc maxime fiebat circa eos qui damnabantur ad bestias. Et quia Apostoli erant quasi morti destinati, subiungit: *Quia spectaculum facti sumus mundo;* quasi totus mundus concurrat ad spectandum nostram occisionem, secundum illud *Ps. 43. 14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris.* Exponit autem quid nomine mundi intelligat, cum subdit : *Et Angelis, et hominibus*, scilicet bonis, et malis. Concurrebant enim ad eorum spectaculum boni homines ad compatiendum, et exemplum patientiae sumendum, mali homines ad persequendum, et irridendum.

Deinde cum dicit, *Nos stulti propter Christum*, irridet eos in speciali, quod Apostolos contemnebant: et circa hoc duo facit. Primo ponit contemptum; secundo causam contemptus, ibi, *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus etc.* Circa primum irridet eorum contemptum quantum ad hoc quod sibi excellentiam, Apostolis defectum attribuebant : et primo quantum ad perfectionem intellectus; et quantum ad hoc dicit : *Nos stulti* sumus *propter Christum*, idest stulti reputamur, quia crucem Christi praedicamus : *supra 1. 18. Verbum crucis pereuntibus stultitia est :* et etiam quia propter Christum opprobria, et contentiones sustinemus, secundum illud *Sap. 5. 4. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam:* item ut legitur *Act. 26. 24. Festus dixit Paulo : Insanis Paule : multae te litterae ad insaniam adducunt. Vos*, secundum vestram reputationem, estis *prudentes in Christo:* quia scilicet nec crucem eius publice confiteri audetis, nec persecutionem pro eo sustinetis : *Prover. 26. 16. Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias.* Secundo quantum ad potestatem actionis, cum dicit : *Nos infirmi* reputamur, scilicet in exterioribus, propter afflictiones quas sustinemus : *2. Corinth. 2. 9. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Vos autem*, scilicet secundum vestram reputationem, estis *fortes*, scilicet in rebus corporalibus, quia secure vivitis sine tribulatione: *Isa. 5. 22. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Vos nobiles*, scilicet estis secundum vestram aestimationem, idest honore digni, qui exterius contumelias non patimini : *Isa. 19. 11. Filius sapientium ego, filius Regum antiquorum : nos autem ignobiles* sumus, secundum vestram, et aliorum reputationem, quia contemptibiles habemur: *supra 1. 28. Quae contemptibilia sunt mundi, et ignobilia elegit Deus.* Et tamen secundum rei veritatem est e converso : soli enim contemptibiles illi sunt qui Deum contemnunt, secundum illud *1. Reg. 2. 30. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Deinde cum dicit, *Usque in hanc horam esurimus*, assignat causam contemptus : et primo ponit pro causa defectum bonorum temporalium; secundo mala quae in eis intelligebantur, ibi, *Maledicimur, et benedicimus;* tertio concludit intentum, ibi, *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Circa primum duo facit. Primo ponit defectum quem patiebantur in rebus necessariis : unde quantum ad ea quae pertinent ad victum dicit : *Usque in hanc horam*, idest continue a conversione nostra usque in praesens tempus, *esurimus, et sitimus : 2. Corinth. 11. 17. In fame, et siti.* Quantum vero ad vestitum subdit : *Et nudi sumus*, idest propter vestimentorum inopiam, quia etiam interdum expoliabantur : *Iob 24. 7. Nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.*

Sed contra est quod dicitur *in Psal. 26. 24. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem*

Sed dicendum est, quod ita patiebantur, quia divina providentia moderabatur in eis et abundantiam, et inopiam quantum eis expediebat ad virtutis exercitium: unde et Apostolus *Philipp. 4. 12. Ubique et in omnibus institutus sum, et saturari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat.*

Secundo ponit defectum eorum quae pertinent ad bene esse humanae vitae : quorum primum est reverentia ab hominibus exhibita : contra quod dicit : *Et colaphis caedimur :* quod quidem fit magis ad opprobrium, quam ad poenam : unde de Christo legimus *Matth. 26.* quod expuerunt in faciem suam, et colaphis eum ceciderunt. Secundo requiritur quies in loco, contra quod dicitur : *Et instabiles sumus :* tum

quia expellebantur a persecutoribus de loco in locum, secundum illud *Matth. 10. 23. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam:* tum etiam quia pro executione sui officii discurrebant ubique, secundum illud *Ioan. 15. 16. Posui vos ut eatis.* Tertio requiritur ministrantium auxilium, contra quod dicitur: *Et laboramus operantes manibus nostris:* tum quia aliquando nullus dabat eis unde possent sustentari; tum etiam quia labore manuum suarum victum acquirebant, vel ad vitandum fidelium gravamen, vel ad repellendum pseudoapostolos, qui propter quaestum praedicabant, ut habetur *2. Corinth. 12.* tum etiam ut darent otiosis laborandi exemplum, ut habet *2. Thess. 3.* unde dicit Paulus *Act. 20. 34. Ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae.*

Deinde cum dicit, *Maledicimur etc.* ponit mala quae Apostoli patiebantur: et primo in verbis, cum dicit: *Maledicimur*, idest mala de nobis dicunt homines, vel ad detrahendum, vel ad contumelias inferendum, vel etiam mala imprecando: *Hier. 15. 10. Omnes maledicunt mihi:* et *benedicimus*, idest reddimus bonum pro malo, secundum illud *1. Petr. 3. 9. Non reddentes maledictum pro maledicto, sed e contra benedicentes.* Secundo in factis; et quantum ad hoc dicit: *Persecutionem patimur*, non solum quantum ad hoc quod fugamur de loco ad locum, quod proprie persecutio dicitur, sed quantum ad hoc quod multipliciter tribulamur, secundum illud *Psalm. 118. 157. Multi qui persequuntur me, et tribulant me: et sustinemus*, in Christo scilicet omnia patienter: *Eccli. 1. 29. Usque ad tempus sustinebit patiens.* Tertio tangit causam utriusque, cum dicit: *Blasphemamur*, idest blasphemiae imponuntur nobis, dum dicimur magi, vel malefici, et reputamur Dei inimici, secundum illud *Ioan. 16. 2. Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo:* et *Rom. 3. 8. Sicut blasphemamur, et aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, ut veniant bona:* tamen *obsecramus* Deum pro his qui nos persequuntur, et blasphemabant, secundum illud *Matth. 5. 44. Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*

Deinde cum dicit, *Tamquam purgamenta facti sumus*, concludit ex omnibus praemissis eorum contemptum, dicens: Et propter omnia praedicta *facti sumus tamquam purgamenta huius mundi*, idest reputati sumus et a Iudaeis, et a Gentilibus, ut per nos mundus inquinetur; et propter nostram occisionem mundus purgetur, et tamquam simus *peripsema* omnium. Dicitur autem peripsema quodcumque purgamentum, puta vel pomi, vel ferri, vel cuiuscumque alterius rei. Et hoc *usque adhuc*, quia scilicet continue hoc patimur. Sed quandoque deficiet, secundum illud *Sap. 5. 3.* ubi ex ore impiorum dicitur: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii:* et *postea 5.* subditur: *Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei?*

## LECTIO III.

Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos carissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui. Rogo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quae sunt in Christo Iesu, sicut ubique in omni Ecclesia docco. Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. Veniam ad vos cito, si Dominus voluerit, et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem: non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid multis? In virga veniam ad vos, an in caritate, et in spiritu mansuetudinis.

Postquam Apostolus reprehendit Corinthios de hoc quod Apostolos temere iudicabant, et praesumptuose contemnebant; hic instat ad eorum correctionem: et primo admonitionis verbo; secundo exemplo, ibi, *Rogo ergo vos*, fratres, *imitatores mei estote;* tertio correctionis flagello, ibi, *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam.* Circa primum tria facit. Primo ponit admonitionis modum, dicens: *Haec*, scilicet quae in serie Epistolae hucusque vobis dixi, *scribo, non ut confundam vos*, scilicet mala confusione, quae in desperationem mittit; quamvis velim vos confundi confusione quae peccatum vitat, secundum illud *Eccli. 4. 25. Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam, et gloriam. Sed* praedicta *moneo* vos, *ut filios: Eccli. 7. 25. Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia eorum.* Secundo ostendit debitum admonendi modum, dicens: *Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.* Ubi considerandum est, quod pater est qui primo generat; paedagogus autem est qui iam natum nutrit, et erudit: *Galat. 3. 14. Lex paedagogus noster fuit in Christo.* Dicit ergo Apostolus se patrem eorum in Christo, quia eis primo Evangelium praedicavit. Unde assignans rationem eius quod dixerat, subdit: *Nam in Christo Iesu per Evangelium vos genui.* Est autem generatio processus ad vitam; homo autem vivit in Christo per fidem: *Galat. 2. 20. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei:* fides autem, ut dicitur *Rom. 10. 17. ex auditu, auditus autem per verbum.* Unde verbum Dei est semen quo Apostolus eos genuit in Christo: unde *Iac. 1. 18. Voluntarie nos genuit verbo veritatis.* Alios autem dicit paedagogos, quia postquam fidem receperant, eos adiuvarunt; ut intelligatur esse eadem comparatio, quantum ad praedicationem Evangelii, paedagogi ad patrem, et quae *supra 3.* posita est, rigatoris ad plantatorem, et superaedificatoris ad fundatorem.

Deinde cum dicit, *Rogo ergo vos*, fratres, instat ad corrigendum eos suo exemplo: et primo hortatur eos ad imitandum suum exemplum, dicens: *Ergo* ex quo estis filii, cum bonorum filiorum sit imitari patres, *rogo vos, imitatores mei estote*, scilicet ut non temere iudicetis; sicut nec ego, quia neque meipsum iudicare praesumo; et de vobis humilia sentiatis, et de aliis maiora. Unde non sine causa tali modo loquendi usus est: *Nos infirmi, vos fortes: 2. Thess. 3. 9. Ut*

*formam nosmetipsos daremus vobis ad imitandum.* Advertendum est autem, quod eosdem quos supra filios nominavit, nunc nominat fratres. Dixerat autem suos filios in Christo, quia eos non sibi, sed Christo genuerat; et quia ipse genitus erat a Christo, ex consequenti eos habebat ut fratres, et filios. Intantum ergo debebant eum imitari ut patrem, inquantum et ipse Christum imitabatur, qui est omnium principalis pater. Et per hoc subtrahitur subditis occasio de adhaerendo malis exemplis praelatorum. Unde in hoc subditi solum praelatos imitari debent, in quo ipsi Christum imitantur, qui est infallibilis regula veritatis: unde seipsum Apostolis in exemplum posuit: *Ioan. 13. 15. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Quod quidem exemplum Paulus sequebatur, secundum illud *Iob 23. 11. Vestigia eius secutus est pes meus; viam eius custodivi, et non declinavi ab ea.* Secundo removet excusationem ignorantiae, dicens: *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino*, secundum illud *Philip. 2. 10.* de Timotheo loquens: *Neminem habeo ita unanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit: qui vos commonefaciat vias meas*, idest qui vos doceat meos processus, idest omnia opera, et moneat vos ad ea sequendum, secundum illud *Hier. 6. 16. Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea. Quae* quidem viae *sunt in Christo;* et ideo non debetis dedignari eas sequi, secundum illud *Psalm. 24. 4. Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Et non videatur vobis hoc onerosum, quia hoc communiter omnibus impono. Unde subdit: *Sicut ubique in Ecclesia doceo: Coloss. 1. 5. Audistis veritatis Evangelium, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo.* Vel hoc quod dicit, *Vias meas*, referendum est ad opera; quod vero dicit, *Sicut et ubique*, ad documenta. Ad hoc enim missus erat Timotheus, ut induceret eos ad imitanda opera, et tenenda Apostoli documenta.

Deinde cum dicit, *Tamquam non venturus sim ad vos*, comminatur eis correctionis flagellum: et primo ostendit eos esse dignos correctionis flagello, dicens: *Tamquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam*, scilicet vestrum, quasi non timentes per me de sua superbia convinci, et tamen digni sunt flagellis: nam humiles solis verbis corriguntur, superbi flagellis indigent, secundum illud *Iob 40. 7. Respice cunctos superbos, et confunde eos.* Secundo praenuntiat eis suum adventum, quo veniet ad iudicandum: ubi primo praenuntiat adventum, dicens: *Veniam autem cito ad vos.* Et quia dicitur *Proverb. 16. 9. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius;* ideo subdit: *Si Dominus voluerit: Iac. 4. 15. Si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Secundo praenuntiat eis suam iudiciariam cognitionem, cum dicit: *Et cognoscam*, scilicet ordine iudiciario, secundum illud *Iob 29. 16. Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam: non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem;* quasi dicat: Non propter haec ex mea examinatione adprobabuntur qui abundant in verbis, sed si abundarent in virtute: quia, ut dicitur *Prov. 14. 23. ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Tertio rationem assignat, dicens: *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*, idest non ideo aliqui pertinent ad regnum Dei, quia abundant in sermone, secundum illud *Matth. 7. 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Ultimo comminatur eis erectionem, reservans tamen correctionem arbitrio eorum, dicens: *Quid vultis? In virga*, scilicet disciplinae, *veniam ad vos*, scilicet castigandos, *an in caritate*, idest ostensione amoris, *et in spiritu mansuetudinis?* ut scilicet nihil durius vobiscum agam: hoc enim pendet ex vobis. Nam si vos in via stultitiae permanetis, oportet me ad vos cum virga venire, secundum illud *Proverb. 22. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam.* Si vero vos correxeritis, ostendam vobis caritatem, et mansuetudinem: *Galat. ult. 1. Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.* Hoc autem non dicit, quin si in virga veniens, non cum caritate veniret, cum scriptum sit *Proverb. 13. 24. Qui parcit virgae, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit;* sed quia ille qui castigatur virga, non sentit interdum dulcedinem caritatis, sicut illi quos blande consolatur.

## CAPITIS QUINTI

### LECTIO PRIMA

**Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu iam iudicavi ut praesens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.**

Postquam Apostolus prosecutus est ea quae pertinent ad baptismi sacramentum; hic incipit prosequi ea quae pertinent ad matrimonium: et primo arguit peccatum contrarium matrimonio, scilicet fornicationem; secundo agit de ipso matrimonio *capit. 7.* ibi, *De quibus autem scripsistis mihi etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit culpam; secundo redarguit eam, ibi, *Non est bona gloriatio vestra.* Circa primum duo facit. Primo ponit culpam cuiusdam fornicarii; secundo culpam aliorum qui peccatum fornicarii tolerabant, ibi, *Et vos inflati estis etc.* Circa primum primo ponit tria, quae pertinent ad culpae gravitatem. Primo namque ostendit peccatum esse notorium, dicens: Non sine causa quaesivi an velitis quod in virga veniam ad vos: est enim in vobis aliquid dignum virga disciplinae: quia *fornicatio auditur inter vos omnino*, secundum publicam famam; contra quod dicitur *Ephes. 5. 3. Fornicatio autem nec nominetur in vobis: Isa. 3. 9. Peccatum suum, quasi Sodoma, praedicaverunt, nec absconderunt.* Secundo aggravat peccatum ex comparatione, cum dicit: *Et talis fornicatio qualis nec*

*inter Gentes*, licita reputatur, vel invenitur. Apud Gentiles enim simplex fornicatio non reputabatur peccatum: unde Apostoli *Act. 15.* ad hunc errorem excludendum, Gentilibus ad fidem conversis imposuerant quod abstineant se a fornicatione. Erat tamen quaedam fornicationis species, quae et apud Gentiles illicita habebatur; et ideo dicit: *Ita ut uxorem patris sui aliquis habeat;* sicut dicitur *Gen. 49. 4. Effusus es sicut aqua, non crescas quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum eius.* Hoc autem erat horribile etiam apud Gentiles, utpote contrarium naturali rationi existens. Per naturalem enim reverentiam filii ad parentes, secundum omnem statum, et legem, pater, et mater a matrimonio excluditur, ut sic etiam possit intelligi quod habetur *Genes. 2. 24. Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem*, scilicet in contractu matrimonii, *et adhaerebit uxori suae.* Sicut autem ibi subditur, vir, et mulier *erunt duo in carne una.* Et ideo uxor patris repellitur a matrimonio, sicut persona patris, vel matris, secundum illud *Levit. 18. 8. Turpitudinem uxoris patris tui ne discooperias: turpitudo enim patris tui est.*

Deinde cum dicit, *Vos inflati estis*, ponit culpam eorum qui hoc peccatum tolerabant: et primo reprehendit eorum tolerantiam; secundo supplet quod illi negligebant, ibi, *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi.* Circa primum notat in eis tria vitia. Primo superbiam, cum dicit, *Et vos inflati estis*, scilicet vento superbiae, reputantes vos innocentes ex comparatione peccatoris; sicut *Luc. 18. 21.* pharisaeus dicebat: *Non sum sicut ceteri hominum .. velut etiam hic publicanus: Sap. 4. 19. Disrumpet illos inflatos sine voce.* Secundo tangit eorum iniustitiam, cum dicit: *Et non magis luctum habuistis*, scilicet patiendo causa peccatoris, sicut *Hier. 9. 1.* dicitur: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte interfectos filiae populi mei?* Vera enim iustitia, ut dicit Gregorius *hom. 34. super Evang.* compassionem habet, non dedignationem. Tertio tangit eorum iudicii negligentiam: *Ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Talis enim compassio viri iusti ad peccatorem vulnerat, et liberat, secundum illud *Proverb. 23. 14. Tu virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis.* Per hoc etiam alii corriguntur, secundum illud *Proverb. 19. 25. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Unde *Eccle. 8. 11. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Debet autem ad correctionem aliorum interdum peccator separari, ubi de contagione timetur, secundum illud *Proverb. 10. 22. Eiice derisorem, et exibit cum eo iurgium, cessabuntque causae, et contumeliae.*

Deinde cum dicit, *Ego quidem absens corpore ... iam iudicavi*, supplet eorum negligentiam, sententiam proferens contra peccatorem: et circa hoc tria facit. Primo ponit auctoritatem iudicantis; secundo modum iudicandi, ibi, *Congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini Iesu;* tertio sententiam iudicis, ibi, *Tradere huiusmodi hominem satanae.* Circa primum duo facit. Primo ponit auctoritatem ministri, scilicet sui ipsius.

Videbatur autem contra iudiciarium ordinem, ut condemnaret absentem, secundum illud *Act. 25. 16. Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem, priusquam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores.* Sed hoc Apostolus excusat, dicens: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu*, idest affectu, et solicitudine mentis, secundum illud *Coloss. 2. 5. Et si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens, et videns ordinem vestrum.* Vel *praesens spiritu*, quia per spiritum cognoscebat ea quae apud ipsos agebantur, ac si praesens esset, sicut et Eliseus dixit *4. Reg. 5. 26. Nonne cor meum in praesenti erat, quando reversus est homo de curru suo?* Et quia sum spiritu praesens, *iam iudicavi*, idest sententiam condemnationis ordinavi in eum qui sic operatus est.

Secundo ponit auctoritatem principalis Domini, dicens: *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, idest vice, et auctoritate, seu cum virtute, et invocatione nominis eius, secundum illud *Coloss. 3. 17. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Deinde cum dicit, *Congregatis vobis in unum*, ostendit modum iudicandi: ubi tria tangit. Primo fidelium congregationem, cum dicit: *Congregatis vobis.* Ea enim quae gravia sunt, multorum concordi deliberatione punienda sunt: unde et antiquitus iudices sedebant in portis, ubi populus congregabatur, secundum illud *Deut. 16. 18. Iudices constitues in omnibus portis tuis.* Unde dicitur *in Psalm. 110. 1. In consilio iustorum, et congregatione, magna opera Domini:* et *Matth. 18. 20. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio.* Secundo adhibet suum assensum, cum dicit, *Et meo spiritu*, idest mea voluntate, et auctoritate, secundum illud quod dixerat: *Praesens autem spiritu.* Tertio adhibet auctoritatem principalis Domini, scilicet Christi, dicens: *Cum virtute Domini nostri Iesu Christi:* ex qua iudicium Ecclesiae habet robur firmitatis, secundum illud *Matth. 18. 18. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis.* Deinde cum dicit, *Tradere huiusmodi hominem satanae*, ponit condemnationis sententiam: circa quam tria ponit. Primo poenam, cum dicit, *Tradere huiusmodi satanae:* supple, iudicavi: quod potest dupliciter intelligi. Primo quod, sicut *Matth. 10.* Dominus dedit Apostolis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, per eamdem potestatem poterant imperare spiritibus immundis, ut vexarent corporaliter quos hac poena iudicabant dignos. Mandavit ergo Apostolus Corinthiis in eius auctoritate tradere praedictum fornicarium satanae corporaliter vexandum. Unde ponit secundo huius sententiae effectum, cum dicit, *In interitum carnis*, idest ad vexationem carnis, et afflictionem, in qua peccavit, secundum illud *Sap. 11. 17. Per quae peccat quis, per haec et torquetur.* Tertio ponit fructum, cum dicit: *Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi*, idest ut salutem consequatur in die mortis, vel in die iudicii, sicut *supra 3.* expositum est: et sic impletur quod ibi *15.* subditur: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, poenae scilicet temporalis. Non enim Apostolus satanae tradidit peccatorem, ut eius potestati perpetuo subiaceret, sed ut carnis vexatione ad poenitentiam converteretur, secundum illud *Isa. 28. 19. Sola vexatio intellectum dat auditui.* Est autem haec sententia Apostoli, quam Domi-

nus servavit *Iob 2. 6.* ubi satanae dixit: *Ecce in manu tua est*, scilicet caro eius; *verumtamen animam illius serva*, scilicet illaesam. Alio modo intelligi potest quod dicitur, *Tradere huiusmodi satanae*, scilicet per excommunicationis sententiam, per quam aliquis separatur a communione fidelium, et a participatione sacramentorum, et privatur Ecclesiae suffragiis, quibus homo munitur contra impugnationem satanae; propter quod de Ecclesia dicitur *Cant. 6. 9. Terribilis ut castrorum acies ordinata*, scilicet daemonibus. Quod autem subditur, *In interitum carnis*, intelligitur, ut scilicet ab Ecclesia separatus, et tentationibus satanae expositus, liberius ruat in peccatum, secundum illud *Apoc. ult. 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Vocat autem peccata mortalia carnis interitum: quia, ut dicitur *Galat. ult. 8. qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.* Subdit autem: *Ut spiritus salvus sit*, ut scilicet peccatorum turpitudinem cognoscens, confundatur, et poeniteat, et sic sanetur, secundum illud *Hier. 31. 19. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae.* Potest etiam intelligi, *ut spiritus eius*, scilicet Ecclesiae, idest Spiritus sanctus Ecclesiae, *salvus sit*, fidelibus, in die iudicii, ne scilicet perdant eum per contagium peccatoris: quia, ut dicitur *Sap. 1. 5. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu.*

## LECTIO II.

**Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, et nequitiae, sed in azymis sinceritatis, et veritatis.**

Supra Apostolus memoravit duplicem culpam, scilicet Corinthii fornicatoris, et aliorum qui eius peccatum tolerabant; hic utramque culpam redarguit. Primo culpam tolerantium eius peccatum; secundo culpam fornicatoris, ibi, *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Circa primum duo facit. Primo redarguit in Corinthiis negligentiam iudicii; secundo redarguit in eis quaedam alia vitia circa iudicium, *6. cap. Audet aliquis vestrum . . . iudicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Circa primum duo facit. Primo redarguit eos qui fornicatorem a se non separaverant; secundo reprobat falsum intellectum quem ex verbis suis conceperant, ibi, *Scripsi vobis in Epistola etc.* Circa primum duo facit. Primo reprehendit quod fecerant; secundo ostendit quid faciendum sit, ibi, *Expurgate vetus fermentum.* Circa primum duo facit. Primo reprehendit culpam praeteritam quantum ad suam radicem: dixerat enim supra, quod ex inflatione sequitur in eis compassio, et ex incompassione correctionis negligentia. Arguit ergo primo Corinthiorum elationem, dicens: *Non est bona gloriatio vestra*, qua scilicet de defectibus aliorum gloriamini, quasi vos sitis innocentes: debet enim unusquisque in Domino gloriari de bonis sibi divinitus datis, non de aliis, secundum illud *Galat. 6. 4. Opus autem suum unusquisque probet; et sic in semetipso gloriam habebit, et non in alio.* Praecipue autem malum est de malis aliorum gloriari: dicitur enim *in Psalm. 51. 3. Quid gloriaris in malitia?* Secundo assignat rationem eius quod dixerat, dicens: *An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* quasi dicat: Hoc ignorare non potestis.

Est autem sciendum, quod in fermento duo possunt considerari. Primo sapor quem tribuit pani; et secundum hoc per fermentum significatur sapientia Dei, per quam omnia quae sunt hominis, sapida redduntur; et secundum hoc dicitur *Matth. 13. 33. Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.* Secundo in fermento potest considerari corruptio; et secundum hoc per fermentum potest intelligi uno modo peccatum, quia scilicet per unum hominis peccatum omnia opera eius corrupta redduntur, puta per peccatum simulationis, quod comparatur fermento *Luc. 12. 1. Attendite a fermento pharisaeorum, quod est hypocrisis.* Alio modo per fermentum potest intelligi homo peccator; et ad hoc inducitur haec similitudo: sicut enim per modicum fermentum tota massa pastae corrumpitur, ita per unum peccatorem tota societas inquinatur: unde *Eccli. 11. 34. Ab una scintilla augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis.* Et hoc quidem contingit dum per peccatum unius alii provocantur aliqualiter ad peccandum; vel etiam dum peccanti consentiunt, saltem non corrigendo dum possunt corrigere, secundum illud *Rom. 1. 32. Digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et ideo Corinthiis non erat gloriandum de peccato unius, sed magis cavendum ne peccato unius omnes inquinarentur ex eius consortio, secundum illud *Cant. 2. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* ubi dicit Glossa: *Non fuit bonus qui malos tolerare non potuit.*

Deinde cum dicit, *Expurgate vetus fermentum*, ostendit quid de cetero sit faciendum: et primo ponit documentum; secundo rationem assignat, ibi, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Dicit ergo primo: Quia, *modicum fermentum totam massam corrumpit*, ideo, *expurgate vetus fermentum*, idest expurgate vos, abiiciendo a vobis vetus fermentum, idest fornicarium, qui peccando rediit in vetustatem corruptionis antiquae, secundum illud *Baruch 3. 2. Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis.* Quod quidem dicit, quia per separationem unius peccatoris tota societas expurgatur: unde et egresso Iuda Dominus dixit *Ioan. 13. 31. Nunc clarificatus est Filius hominis.* Potest etiam per vetus fermentum intelligi antiquus error, secundum illud *Isa. 26. 3. Vetus error abiit*: vel etiam corruptio originalis peccati, secundum illud *Rom. 6. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est*: vel etiam quodcumque peccatum actuale, secundum illud *Coloss. 3. 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*: horum enim amotione homo expurgatur. Ponit autem consequenter purgationis effectum, dicens: *Ut sitis nova conspersio.* Dicitur autem conspersio commixtio aquae, et farinae novae, antequam admisceatur fermentum. Remoto ergo fermento a fidelibus, idest peccatore, vel peccato, remanent sicut nova conspersio, idest in puritate suae novitatis,

secundum illud *Psalm. 102. 5. Renovamini spiritu mentis vestrae.* Deinde ponit modum debitum expurgationis, cum dicit: *Sicut estis azymi*, idest sine fermento peccati: dicitur enim ab *a*, quod est sine, et *zima*, quod est fermentum. Unde Dominus *Matth. 16. 11.* dixit discipulis: *Cavete a fermento pharisaeorum, et sadducaeorum.*

Deinde cum dicit, *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*, assignat rationem eius quod dixerat, scilicet quare fideles debent esse azymi: quae quidem ratio sumitur ex mysterio passionis Christi: unde primo proponit ipsum mysterium; secundo concludit propositum, ibi, *Itaque epulemur ... in azymis sinceritatis, et veritatis.* Circa primum considerandum est, quod inter cetera sacramenta legalia celeberrimum erat agnus paschalis, qui, ut praecipitur *Exod. 12.* immolabatur ab universa multitudine filiorum Israel in memoriam illius beneficii quo Angelus percutiens primogenita Ægypti pertransivit domos Iudaeorum, quorum fores linitae essent sanguine agni: unde nomen paschae sumitur, secundum quod ibi dicitur *vers. 2. Est enim phase, idest transitus Domini:* et ultimo virtute huius beneficii transivit populus mare rubrum, ut dicitur *Exod. 14.* Ille enim agnus figura fuit Christi innocentis, de quo dicitur *Ioan. 1. 3. Ecce Agnus Dei.* Sicut ergo ille agnus figuralis immolabatur a filiis Israel, ut populus Dei liberaretur ab Angelo percutiente, et ut transirent mare rubrum liberati de servitute Ægypti; ita Christus est occisus a filiis Israel, per cuius sanguinem populus Dei liberatur a diaboli impugnatione, et servitute peccati per baptismum, quasi per mare rubrum. Ille autem agnus figuralis pascha Iudaeorum dicebatur, quia in signum transitus immolabatur: unde dicitur *Matth. 26. 17. Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* idest agnum paschalem. Dicit ergo Apostolus: Ideo debetis esse azymi: *etenim*, idest quia, sicut figurale pascha veteris populi est agnus immolatus, ita *pascha nostrum*, idest novi populi, *est Christus immolatus:* cuius etiam immolationi convenit nomen paschae, tum significatione linguae Hebraeae, quod significat transitum: *Exod. 12. 11. Est enim phase, idest transitus:* tum significatione linguae Graecae, prout nomen paschae significat passionem: Christus enim per passionem, qua fuit immolatus, transivit ex hoc mundo ad Patrem, ut dicitur *Ioan. 13.*

Deinde cum dicit, *Itaque epulemur*, concludit propositum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod, sicut legitur *Exod. 12.* agnus paschalis post immolationem manducabatur cum azymis panibus. Sicut ergo agnus figuralis fuit figura nostri paschae immolati, ita figuralis observantia paschalis debet conformari observantiae novi paschae. Ergo quia Christus immolatus est pascha nostrum, *itaque epulemur*, scilicet manducantes Christum non solum sacramentaliter, secundum illud *Ioan. 6. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* sed spiritualiter, fruendo sapientia eius, secundum illud *Eccli. 24. 29. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient:* et sic cum gaudio spirituali, secundum illud *Psal. 41. 5. In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.* Deinde determinat modum epulandi, secundum conformitatem veritatis ad figuram, dicens: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, et nequitiae.* Mandabatur enim *Exod. 12.* quod omne fermentum non inveniretur in domibus manducantium agnum paschalem. Fermentum autem habet et vetustatem, et corruptionem: unde per remotionem fermenti primo quidem potest intelligi amotio observantiae praeceptorum veteris legis, quae per passionem Christi est mortificata, secundum illud *Levit. 26. 10. Vetera, novis supervenientibus, proiicietis.* Secundo per remotionem fermenti potest intelligi remotio corruptionis peccati, sicut supra dictum est, quod modicum fermentum totam corrumpit massam; et quantum ad hoc subdit: *Neque in fermento malitiae, et nequitiae:* ut malitia referatur ad perversitatem operis, secundum illud *Iac. 1. 21. Abiicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiae;* per nequitiam vero intelligitur fraudulenta machinatio: *Proverb. 26. 25. Quando sumpserit vocem suam, non credideris ei, quoniam septem nequitiae sunt in corde eius.* Vel secundum Glossam, cum dicit, *Non in fermento veteri*, removet vetustatem peccati in communi; quod autem subdit, *Neque in fermento malitiae, et nequitiae*, explicat peccatum per partes; ut malitia dicatur peccatum quod committitur in seipsum, nequitia peccatum quod committitur in alium. Excluso ergo modo indebito epulandi, determinat modum conveniente, subdens: *Sed in azymis sinceritatis, et veritatis*, idest in sinceritate, et veritate, quae significantur per azyma. Ponitur autem sinceritas contra corruptionem peccati: quod significavit cum dixit: *Non in fermento malitiae, et nequitiae:* nam sincerum dicitur quod est sine corruptione: unde *2. Corinth. 2. 17.* dicitur: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate in Christo loquimur.* Veritas vero ponitur contra figuras veteris legis, sicut *Ioan. 1. 17.* dicitur: *Veritas, et gratia per Iesum Christum facta est:* quia scilicet verum pascha cum veritate, et non cum figuris celebrare debemus. Unde, secundum Glossam, per sinceritatem intelligitur innocentia a vitiis, seu novitas vitae; per veritatem autem iustitia bonorum operum, vel rectitudo, quae fraudem excludit.

## LECTIO III.

Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nonne de his qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

Induxerat supra Apostolus Corinthios ad hoc quod a seipsis peccatorem separarent; quod quidem praetermiserant propter falsum intellectum cuiusdam verbi

quod continebatur in Epistola quadam quam eis prius miserat : et ideo pravum sensum quem ex verbis conceperant, nunc excludit : unde circa hoc tria facit. Primo resumit verbum prioris Epistolae ; secundo excludit falsum intellectum , ibi , *Non utique fornicariis ;* tertio exponit verum intellectum , ibi , *Nunc autem scripsi vobis.* Dicit ergo primo: Dixi *vobis in Epistola* quadam alia, quae in canone non habetur, *ne commisceamini fornicariis*, idest non habeatis cum eis societatem , vel communionem , secundum illud *Prov. 1. 15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum: Eccli. 9. 6. Non des fornicariis animam tuam in ullo.*

Deinde cum dicit , *Non utique fornicariis*, excludit falsum intellectum praedicti verbi : et primo proponit quod intendit : secundo concludit propositum, ibi, *Alioquin debueratis de hoc mundo exisse.* Circa primum considerandum est , quod in praedicto verbo Apostoli dupliciter falsum intellectum conceperant Corinthii. Primo quantum ad hoc quod intelligebant illud esse dictum de fornicariis infidelibus; sed illud excludit Apostolus, dicens : *Non utique* intendo dicere, quod non commisceamini *fornicariis huius mundi.* Vocat autem infideles nomine mundi , secundum quod dicitur *Ioan. 1. 10. Mundus eum non cognovit: supra 1. 21. Non cognovit mundus per sapientiam Deum.* Secundo conceperant falsum intellectum quantum ad hoc quod putabant prohibuisse Apostolum solum de fornicariis, non autem de aliis peccatoribus: et ideo ad hoc excludendum subdit , *Aut avaris* , qui scilicet iniuste detinent aliena : *Ephes. 5. 5. Avaritia, quae est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi, et Dei: aut rapacibus* , qui scilicet violenter diripiunt aliena : infra eodem : *Neque rapaces regnum Dei possidebunt: aut idolis servientibus* ; contra quos dicitur *Sap. 14. 27. Nefandorum enim idolorum cultura omnis malitiae causa est, et initium, et finis.* Et est sensus. Non solum vobis prohibui societatem fornicatorum, sed etiam omnium aliorum peccatorum. Et est advertendum, quod per fornicationem quis peccat contra seipsum ; per avaritiam autem , et rapacitatem contra proximum; per idolorum autem culturam contra Deum: et in his quae ponit , omne peccati genus intelligitur. Deinde cum dicit , *Alioquin etc.* assignat rationem propositi, dicens: *Alioquin* , si scilicet sit intelligendum verbum praedictum de fornicariis huius mundi , *debueratis de hoc mundo exisse :* quia scilicet totus mundus talibus plenus est : unde non possetis tales fornicarios vitare , nisi de hoc mundo exeundo : dicitur enim *1. Ioan. 5. 19. Totus mundus in maligno positus est.* Vel aliter. *Debueratis de hoc mundo exisse ;* quasi dicat: A tempore conversionis vestrae debueratis ab infidelibus mundi separari : unde non oportet vos super hoc moneri : dicitur enim *Ioan. 15. 19. Ego elegi vos de mundo.* Vel aliter. *Debueratis de hoc mundo exisse* , scilicet per mortem : melius est enim hominibus mori, quam peccatoribus in peccatis consentire: unde dicitur *infra 9. 15. Melius est enim mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet.*

Deinde cum dicit, *Nunc autem scripsi vobis*, exponit eis verum intellectum : et primo proponit quod intendit ; secundo rationem assignat , ibi , *Quid enim mihi de his qui foris sunt ?* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Auferte malum ex vobis ipsis.* Dicit ergo primo : Nunc autem sic expono quod olim scripsi vobis , *Non commisceamini* , scilicet fornicariis , et aliis peccatoribus. *Si is qui inter vos frater nominatur*, eo modo quo Dominus dicit *Matth. 23. 8. Omnes vos fratres estis.* Non tamen dicit , Si is qui frater est ; sed *si is qui frater nominatur*, quia per peccatum mortale aliquis a caritate recedit , quae est spiritualis fraternitatis causa : unde *Heb. ult. 1.* dicitur : *Caritas fraternitatis maneat in vobis.* Nominatur ergo frater propter fidei veritatem ; non autem est vere frater propter caritatis defectum, qui est ex peccato. Unde subditur : *Aut fornicator , aut avarus , aut idolis serviens, aut maledicus, aut rapax, aut ebriosus; cum huiusmodi nec cibum sumere* , scilicet debetis , secundum illud *Ioan. 2. Canon. vers. 10. Si quis venit ad vos , et hanc doctrinam non affert , nolite eum recipere in domo vestra , nec Ave dixeritis ei* ; quasi dicat : Per hoc quod dixi, non debere vos misceri peccatoribus , intellexi de fidelibus , qui nominantur fratres, et sunt inter vos. Non autem per hoc intelligendum est, sicut dicit Augustinus *in lib. 3. cap. 1.* contra Parmenianum , et habetur in Glossa hic , quod aliquis extraordinario iudicio debeat a communione aliorum separari : quia frequenter posset errare ; sed potius hoc debet fieri secundum ordinem Ecclesiae quando aliquis a communione repellitur, ut convictus, vel sponte confessus : et ideo signanter dicit: *Si is qui nominatur* , ut eam nominationem intelligamus quae fit per sententiam Ecclesiae ordine iudiciario contra aliquem prolatam. Illi autem qui sic a communione pelluntur , sunt vitandi quantum ad mensam, sicut hic dicitur , et quantum ad salutationem , ut dicitur in praedicta auctoritate Ioannis , et ulterius quantum ad sacram communionem : unde in versu dicitur :

*Os , orare, vale , communio , mensa negatur* , scilicet excommunicato.

Sed notandum , quod Apostolus supra non numeravit nisi peccata mortalia, in signum quod pro solo peccato mortali debet aliquis excommunicari. Et de aliis quidem quae ponit manifestum est ; sed de ebrietate potest esse dubium , quae non semper videtur esse peccatum mortale : dicit enim Augustinus *in sermone de Purgatorio inter serm. de sanct. serm. 41.* quod ebrietas nisi sit frequens , non est peccatum mortale. Quod credo ideo esse, quia ebrietas ex suo genere est peccatum mortale. Quod enim aliquis propter delectationem vini velit perdere usum rationis , exponens se periculo multa alia peccata perpetrandi , videtur esse contrarium caritati. Contingit tamen per accidens , ebrietatem non esse peccatum mortale propter ignorantiam vini fortitudinis , vel debilitatis proprii capitis ; quae tamen excusatio tollitur per frequentem experientiam : et ideo Apostolus signanter non dicit , Ebrius , sed *ebriosus.*

Addit autem duo peccata his quae supra posuerat , scilicet ebriosum, et maledicum. Refertur autem ebrietas ad genus peccati quod committitur contra seipsum , sub quo continetur non solum luxuria , sed etiam gula ; maledicus autem refertur ad genus peccati quod committitur contra proximum , cui nocet aliquis non solum facto , sed etiam verbo, mala imprecando, vel male diffamando , quod pertinet ad detractionem;

vel mala in faciem dicendo, quod pertinet ad contumeliam : et hoc totum pertinet ad rationem maledici, ut supra dictum est.

Deinde cum dicit, *Quid enim mihi est?* assignat rationem eius quod dixerat : et circa hoc tria facit. Primo assignat rationem, dicens : Dixi hoc esse intelligendum de fratribus, et non de infidelibus : *quid enim mihi est*, idest quid ad me pertinet, *iudicare*, idest sententiam condemnationis ferre, *de his qui foris sunt*, idest de infidelibus, qui sunt omnino extra Ecclesiam ? Praelati enim Ecclesiarum accipiunt spiritualem potestatem super eos tantum qui se fidei subdiderunt, secundum illud *2. Corinth. 10. 7. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia.* Indirecte tamen praelati Ecclesiarum habent potestatem super eos qui foris sunt, inquantum propter eorum culpam, prohibent fideles, ne illis communicent. Secundo adhibet similitudinem, dicens : *Nonne de his qui intus sunt, vos iudicatis?* quasi dicat : Eadem auctoritate vos iudicatis qua et ego : unde sicut vos non iudicatis nisi de vestris, ita et ego. Dicitur *Eccli. 10. 1. Iudex sapiens iudicabit populum suum.* Tertio respondet tacitae dubitationi. Posset enim videri quod infideles essent meliores, qui propter peccata praedicta non condemnantur. Sed hoc excludit, dicens : Ideo nihil mihi de his qui foris sunt, iudicare; *nam eos qui foris sunt*, idest infideles, *iudicabit Deus*, scilicet iudicio condemnationis, non examinationis : quia, ut Gregorius dicit *in Moralibus*, infideles damnabuntur sine iudicio discussionis, et examinationis; et quantum ad hoc dicitur *Ioan. 3. 18. Qui non credit, iam iudicatus est*, idest manifestam in se habet causam condemnationis. Et hoc gravius reservatur Dei iudicio, secundum illud *Heb. 10. 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Deinde cum dicit, *Auferte malum ex vobis ipsis*, infert conclusionem principaliter intentam, dicens : Ex quo hoc quod dixi, *Non commisceamini fornicariis*, intelligendum est de fidelibus, non de his qui foris sunt : ergo *auferte malum*, scilicet hominem, *ex vobis ipsis*, idest de vestra societate eiicite, secundum illud *Deut. 13. 5. Auferes malum de medio tui.*

Est ergo considerandum ex praemissis Apostoli verbis, quod non prohibemur communicare infidelibus qui numquam fidem receperunt, propter eorum poenam. Est tamen hoc cavendum aliquibus, scilicet infirmis, propter eorum cautelam, ne seducantur. Illi vero qui sunt firmi in fide, possunt eis licite communicare, et dare operam conversioni eorum, ut dicitur *infra 10. 27. Si quis infidelium vocat vos ad coenam, et vultis ire ; omne quod appositum fuerit, manducate.* Infidelibus autem qui aliquando fideles fuerunt, vel sacramentum fidei receperunt, sicut haereticis, et apostatantibus a fide, subtrahitur omnino communio fidelium; et hoc in eorum poenam, sicut et ceteris peccatoribus, qui adhuc subduntur potestati Ecclesiae.

# CAPITIS SEXTI

## LECTIO PRIMA

Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt; et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis ? Nescitis quoniam angelos iudicabimus ? quanto magis saecularia ? Saecularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum ? Sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles.

Supra Apostolus reprehenderat Corinthios de negligentia iudicii ; hic reprehendit in eis quaedam alia peccata circa iudicia : et primo quantum ad iudices eorum, coram quibus litigabant : secundo quantum ad ipsa iudicia, ibi, *Iam quidem omnino delictum est in vobis.* Circa primum tria facit. Primo arguit eos de inordinatione ; secundo rationem reprehensionis assignat, ibi, *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt ?* tertio remedium adhibet, ibi, *Saecularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Dicit ergo primo: Ita negligitis in iudicando vestros, sed tamen praesumptuosi estis subire infidelium iudicia ; et hoc est quod dicit : *Audet*, idest praesumit, *aliquis vestrum habens negotium*, scilicet saeculare, *adversus alium, iudicari apud iniquos*, idest subire iudicium infidelium, *et non apud sanctos*, idest apud fideles, qui sunt sacramentis fidei sanctificati. Hoc enim est inordinatum multipliciter. Primo quidem quia per hoc derogatur auctoritati fidelium. Secundo quia derogatur dignitati fidelium quantum ad hoc quod infidelium iudicia subeunt. Tertio quia per hoc datur occasio infidelibus iudicibus contemnendi fideles, quos dissentire vident. Quarto quia per hoc datur occasio infidelibus iudicibus calumniandi, et opprimendi fideles, quos odio habent propter fidem, et ritus diversitatem. Et ideo dicitur *Deuter. 1. 15. Tuli de tribubus vestris viros sapientes, et nobiles... praecepique eis, dicens : Audite illos, et quod iustum est, iudicate :* et *ibid. 17. 25. Non poteris alterius gentis facere Regem qui non sit frater tuus.*

Sed videtur esse contra id quod dicitur *1. Pet. 2. 13. Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi tamquam praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis :* pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra ius divinum prohibere quod eius iudicio non stetur, si sit infidelis.

Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet quin fideles sub infidelibus Principibus constituti, eorum iudicio compareant, si vocentur : hoc enim esset contra subiectionem quae debetur Principibus ; sed prohibet quod fideles non eligant voluntarie infidelium iudicium.

Deinde cum dicit, *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* assignat rationem contra id quod illi faciebant, sumptam ex hoc quod derogabant auctoritati sanctorum: et primo quantum ad auctoritatem quam habent super res mundanas; secundo quantum ad auctoritatem quam habent ad res supermundanas, idest super angelos, ibi, *An nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Dicit ergo primo: Inordinatum est iudicium apud infideles, quia fideles habent auctoritatem iudicandi. *An nescitis quia sancti de hoc mundo iudicabunt?* idest de hominibus mundanis huius mundi: quod quidem impletur tripliciter. Primo quidem secundum comparationem, scilicet secundum quod non solum boni iudicabunt malos, et sancti mundanos, sed etiam secundum quod boni iudicabuntur a melioribus, et mali iudicabunt peiores, secundum illud *Matth. 12. 41. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam.* Secundo iudicabunt adprobando sententiam iudicis, scilicet Christi; et hoc erit proprie iustorum, secundum illud *Psal. 57. 11. Laetabitur iustus cum viderit vindictam.* Unde *Sap. 5. 8.* dicitur: *Iudicabunt sancti nationes.* Tertio modo per sententiae prolationem; et hoc erit Apostolorum, et similium, qui contemptis rebus mundi, solis spiritualibus inhaeserunt. *Spiritualis enim iudicat omnia*, ut dictum est *supra 2. 15.* unde et *Matth. 19. 28.* dicitur: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel:* et *in Psal. 149. 6.* dicitur: *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Intelligitur autem ista prolatio sententiae non vocalis, sed spiritualis, inquantum per superiores sanctos, inferiores, vel etiam peccatores, spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales poenae, et qualia praemia eis debeantur; sicut etiam nunc homines illuminantur ab angelis, vel etiam inferiores angeli a superioribus. Secundo ex hoc quod dictum est, argumentatur ad propositum, dicens: *Et si in vobis*, idest per vos, *iudicabitur mundus*, idest mundani homines, *numquid indigni estis qui iudicetis de minimis?* scilicet de negotiis saecularibus: *Luc. 16. 10. Qui in modicum iniquus est, et in maiori iniquus erit.* Deinde cum dicit, *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* argumentatur ad idem ex auctoritate sanctorum super angelos: et primo ponit eam, dicens: *An nescitis quoniam* nos, scilicet fideles Christi, *iudicabimus angelos?* quod quidem potest intelligi de malis angelis, qui condemnabuntur a sanctis, quorum virtute sunt victi. Unde *Luc. 10. 19.* Dominus dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et super omnem virtutem inimici:* et *Psalm. 90. 13. Super aspidem, et basiliscum ambulabis.* Potest etiam hoc intelligi de bonis Angelis, quorum plurimi in comparatione quadam inveniuntur Paulo, et similibus sibi, inferiores. Unde signanter non dicit, Iudicabitis, sed *iudicabimus.* Quamvis etiam dici possit, quod ex consequenti, si sancti iudicabunt homines bonos, et malos, erit iudicium de bonis angelis, quorum accidentale praemium augetur ex praemio sanctorum per angelos illuminatorum; et etiam de malis angelis, quorum poena augetur ex poena hominum per eos seductorum. Secundo argumentatur ad propositum, dicens: *Quanto magis saecularia*, scilicet iudicia, idonei erimus iudicare: qui enim est idoneus ad maiora, multo magis est idoneus ad minora. Unde et dominus, cui commiserat quinque talenta, postmodum commisit unum, ut habetur *Matth. 25.*

Deinde cum dicit, *Saecularia igitur iudicia*, assignat remedium contra culpam eorum: et primo ponit remedium; secundo exponit, ibi, *Ad verecundiam vestram dico.* Dicit ergo primo: *Ergo* ex quo sancti de hoc mundo iudicabunt, *si habueritis inter vos saecularia iudicia:* quae tamen habere non debetis: *illos qui sunt contemptibiles in Ecclesia, constituite ad iudicandum*, potius scilicet quam iudicemini apud infideles. Unde et *in Psal. 140. 5.* dicitur: *Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:* et *Eccle. 9. 4.* dicitur: *Melius est canis vivus leone mortuo.* Deinde cum dicit, *Ad verecundiam vestram dico*, exponit quo sensu praedicta dixit. Posset enim aliquis credere, quod ad litteram essent eligendi contemptibiliores ad iudicandum; sed hoc excludit, dicens: *Ad verecundiam vestram dico;* quasi dicat: Non hoc dixi, ut ita fiat, sed ut vos faciam verecundari, illa scilicet confusione quae adduceit gratiam, et gloriam, ut dicitur *Eccli. 4.* Contemptibiles enim in Ecclesia essent eligendi ad iudicandum, si non invenirentur inter vos sapientes; quod esset vobis verecundum: unde subdit: *Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem et fratrem? Sed frater cum fratre in iudicio contendit, et hoc apud infideles?* Potius autem quam hoc faceretis, deberetis constituere contemptibiles qui sunt in Ecclesia, ad iudicandum, et supplendum defectum sapientium; qui tamen non est apud vos, secundum illud quod *supra 1. 5.* dixerat: *Divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia.* Vel aliter ab illo loco *Saecularia etc.* Dixerat enim, quod sancti idonei sunt ad iudicandum saecularia; et ideo vult ostendere per quos iudicia saecularia debeant exerceri, scilicet per contemptibiles qui sunt in Ecclesia. Vocat autem contemptibiles illos qui sunt sapientes in rebus mundanis, per comparationem ad illos qui sunt sapientes in rebus divinis; quibus est reverentia exhibenda, quia in rebus temporalibus non occupantur, ut solis spiritualibus vacent; et hoc est quod subditur: *Ad verecundiam vestram dico:* secundum aliam litteram *Ad reverentiam vestram.* Unde et Apostoli dixerunt *Act. 6. 2. Non est aequum relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis.* Postmodum autem redit ad id quod supra reprehenderat, scilicet, quod Corinthii sub infidelibus iudicibus litigabant, dicens: *Sic non est inter vos sapiens quisquam?* scilicet in rebus temporalibus, quem supra contemptibilem dixit. Unde alia non mutantur a prima expositione, quae tamen videtur esse magis litteralis.

## LECTIO II.

Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque mol-

les, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec aliquando quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent; sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc, et has destruet.

Postquam Apostolus reprehendit Corinthios de hoc quod coram infidelibus iudicibus litigabant; hic reprehendit eos quantum ad ipsa iudicia: et circa hoc duo facit. Primo ponit in quo peccabant circa iudicia; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *An nescitis quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt?* Circa primum duo facit. Primo reprehendit in eis circa iudicia id quod est licitum, sed non expediens; secundo id quod est penitus illicitum, ibi, *Sed vos iniuriam facitis, et fraudatis.* Circa primum duo facit. Primo ponit reprehensionem; secundo removet excusationem, ibi, *Quare non magis fraudem patimini?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod frater cum fratre in iudicio contendit; quod non solum malum est, quod apud infideles contendit, sed *iam quidem* post conversionem vestram *omnino delictum est in vobis*, idest ad delictum vobis reputatur quod *iudicia habetis inter vos*, inter quos scilicet debet esse pax: quia, ut dicitur *2. Timoth. 2. 24. Servus Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.*

Apparet autem ex hoc, ut dicit hic Glossa Augustini *de serm. Domini in mon. lib. 2. cap. 13.* et *in Enchir. cap. 78.* quod peccatum est iudicium habere contra aliquem. Sed hoc videtur esse falsum: quia si peccatum est iudicium habere, videtur sequi quod etiam peccatum sit iudices constituere, cum hoc sit occasionem dare iudicium habentibus; cum tamen dicatur *Deuter. 1. 16. Audite illos; et quod iustum est iudicate:* et postea subditur: *quia Dei iudicium est.* Solvitur autem in Glossa, quod infirmis permittitur in iudicio sua repetere, non autem perfectis; quibus licet sua repetere, sed non in iudicio.

Est autem sciendum hic, quod aliquid est perfectis illicitum, aliquid autem omnibus. Perfecti quidem proprium non habent, secundum illud *Matth. 19. 21. Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus; et veni sequere me:* et ideo non licet eis in iudicio repetere quasi propria, cum eis non liceat habere proprium; licet tamen eis in iudicio repetere ea quae sunt communia: non enim hoc faciendo peccant, sed magis merentur: est enim opus caritatis, defendere, vel recuperare res pauperum, secundum illud *Psal. 81. 4. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Sed iudicium adversus aliquem est illicitum omnibus quantum ad quatuor. Primo quidem quantum ad causam ex qua aliquis iudicium habet, puta ex cupiditate, et avaritia. Unde *Luc. 12.* cum quidem de turba Domino dixisset: *Dic fratri meo ut dividat mecum haereditatem*, Dominus dixit: *Quis me constituit iudicem ad dividendum inter vos?* postea subdit: *Videte, et cavete ab omni avaritia.* Secundo quantum ad modum iudicii, quia scilicet cum contentione, et detrimento pacis iudicium prosequuntur: ut enim dicitur *Iac. 3. 16. ubi zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Et hoc videtur Apostolus in eis reprehendere, ut patet ex hoc quod supra dixit: *Frater cum fratre in iudicio contendit.* Tertio ex perversitate iudicii, puta cum aliquis iniuste, et fraudulenter in iudicio procedit, secundum illud *Isa. 10. 2. Ut opprimerent pauperem, et vim facerent causae humilium populi mei.* Et hoc etiam Apostolus in eis reprehendit, ut patet per id quod subdit: *Sed vos iniuriam facitis.* Quarto propter scandalum quod sequitur: unde et Dominus mandat *Matth. 5. 40. Qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Ex caritate vero, sua in iudicio repetere licitum est: unde Gregorius dicit *in Moralibus: Cum curam rerum nobis necessitas imponit, quidam dum ea rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam vero servata caritate sunt prohibendi, scilicet ne rapientes non sua, semetipsos perdant.*

Deinde cum dicit, *Quare non magis fraudem patimini?* tollit excusationem. Possent enim dicere: Necessitas nos inducit ad iudicia habenda, ut scilicet resistamus iniuriis, et fraudibus aliorum. Sed hoc excludit subdens quantum ad primum: *Quare non magis iniuriam*, scilicet manifestam, *accipitis?* scilicet patienter sustinendo, secundum illud quod Dominus dicit *Matth. 5. 39. Si quis te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram.* Quantum vero ad secundum subdit: *Quare non magis fraudem patimini?* idest dolosam seductionem, secundum illud *Matth. 5. 41. Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Sed, sicut Augustinus dicit *in libro de Sermone Domini in monte*, haec praecepta Domini non sunt semper observanda in executione operis, sed semper sunt habenda in praeparatione animi, ut scilicet simus parati hoc facere, vel sustinere potius quam aliquid agere contra caritatem fraternam.

Deinde cum dicit, *Sed vos iniuriam facitis*, reprehendit in eis id quod est omnino illicitum: et primo arguit in eis manifestam iniustitiam, cum dicit: *Sed vos iniuriam facitis*, scilicet manifeste loquendo contra iustitiam aliorum vel in iudicio, vel extra iudicium: *Eccli. 9. 17. Non placeat tibi iniuria iniustorum:* secundo dolosam deceptionem, cum subdit, *Et fraudatis: Proverb. 12. 5. Consilia impiorum fraudulenta:* tertio aggravat utrumque, cum subdit, *Et hoc fratribus*, idest fidelibus, ad quos debemus bonum maxime operari, secundum illud *Gal. ult. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et ideo contra quosdam dicitur *Hier. 9. 4. Omnis frater supplantans supplantabit; et omnis amicus fraudulenter incedet.*

Deinde cum dicit, *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* manifestat quod dixerat: et primo quantum ad id quod est licitum, sed non expediens, ibi, *Omnia mihi licent.* Circa primum duo facit. Primo movet quaestionem; secundo determinat eam, ibi, *Nolite errare.* Dicit ergo primo: Dixi, quod vos iniuriam facitis, et defraudatis, quod est iniquitatem committere; sed *an nescitis quod iniqui regnum Dei non possidebunt?* quasi dicat: Videmini haec nescire, dum ab iniquitate non receditis, cum tamen in

*Psalm. 6. 9.* et *Matth. 7.* dicitur: *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Deinde cum dicit, *Nolite errare*, determinat veritatem: et primo ostendit periculum quod imminet iniquis; secundo ostendit quomodo ipsi hoc periculum evaserunt, ut timeant iterum in ipsum incidere, ibi, *Et haec quidem aliquando fuistis.* Dicit ergo primo: *Nolite errare:* quod signanter dicit, quia circa impunitatem peccatorum aliqui multipliciter errabant, secundum illud *Sapient. 2. 12. Et cogitaverunt, et erraverunt.* Quidam enim Philosophi erraverunt credentes Deum non habere curam rerum humanarum, secundum illud *Sophon. 1. 12. Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male.* Quidam vero credentes solam fidem sufficientem esse ad salutem, secundum illud *Ioan. 11. 26. Qui credit in me, non morietur in aeternum.* Quidam vero credentes per sola Christi sacramenta salvari, propter id quod dicitur *Matth. ult. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit:* et *Ioann. 6. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Quidam vero propter sola opera misericordiae se impune peccare arbitrantur, propter illud quod dicitur *Luc. 11. 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Nec intelligunt quod haec omnia sine caritate non prosunt, secundum illud quod dicitur *infra 13. 2. Si habuero omnem fidem, et distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* et ideo subdit, quod peccata contraria caritati a regno Dei excludunt, in quod sola caritas introducit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri*, de quibus dicitur *Hebr. ultim. 4. Fornicatores, et adulteros iudicabit Deus: neque molles*, idest mares muliebria patientes: *neque masculorum concubitores*, quantum ad agentes in illo vitio, de quibus dicitur *Genes. 13. 13. Homines Sodomitae pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis: neque avari, neque fures*, de quibus dicitur *Zach. 5. 3. Omnis fur, sicut scriptum est, iudicabitur: neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt:* dicitur enim *Isai. 35. 8. Via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus:* et *Apocal. 21. 27. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, faciens abominationem.*

Et est advertendum, quod hic enumerat eadem vitia quae in praecedenti capitulo posuerat; addit autem quaedam in genere luxuriae, scilicet adulterium, et vitium contra naturam; in genere autem iniustitiae furtum.

Deinde cum dicit, *Et haec quidem aliquando fuistis*, ostendit quomodo praedictum periculum evaserunt: et primo commemorat statum praeteritum, dicens: *Et haec quidem aliquando fuistis*, scilicet fornicarii, et idolis servientes etc. Et ideo specialiter haec vitia commemorat, quia in eis abundaverant, secundum illud *Ephes. 5. 8. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Secundo ostendit quomodo ab his vitiis fuerunt liberati, dicens: *Sed abluti estis*, scilicet virtute sanguinis Christi in baptismo, secundum illud *Apoc. 1. 5. Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: sed sanctificati estis*, virtute sanguinis Christi per gratiam consecrati, secundum illud *Heb. ult. 12. Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: sed iustificati estis*, ad statum iustitiae, et virtutis, secundum illud *Rom. 8. 30. Quos vocavit, hos et iustificavit.* Subditur autem horum beneficiorum causa: et primo ex parte humanitatis Christi, cum dicit: *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, idest in fide, et invocatione nominis Christi, secundum illud *Act. 4. 12. Non est aliud nomen datum sub caelo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri:* secundo ex parte divinitatis, cum subdit: *Et in spiritu Dei nostri*, secundum illud *Ezech. 36. 5. Ecce ego mittam in vos spiritum, et vivetis.* Quia igitur tam potenti virtute liberati estis, ad eadem redire non debetis.

Deinde cum dicit, *Omnia mihi licent etc.* manifestat id quod dixerat de prohibitione iudicii, ostendens quo sensu id reprehenderit, quia scilicet non reprehendit illud quasi omnino illicitum, sed quasi non expediens, et nocivum: et circa hoc duo facit. Primo proponit quod intendit; secundo rationem assignat, ibi, *Esca ventri, et venter escis.* Circa primum duo facit. Primo proponit, quod reprehenderat, esse licitum, sed non expediens, dicens: *Omnia mihi licent.* Dicuntur autem illa licita quae homo facere non prohibetur. Est autem duplex prohibitio: una coactionis: alia praecepti: et secundum hoc quidam intellexerunt illa licere a quibus non prohibentur aliqua necessitate cogente: et ideo quia arbitrium hominis naturaliter liberum est a coactione, intellexerunt Apostolum eo sensu dicere, *Omnia mihi licent*, quia scilicet libero arbitrio hominis subiacent; sive sint bona, sive sint mala, secundum illud *Eccli. 15. 18. Ante hominem bonum, et malum, vita, et mors: quodcumque voluerit, dabitur ei.* Sed hic modus loquendi alienus est a Scriptura sacra, in qua dicitur, non licere ea quae divina lege prohibentur, secundum illud *Matth. 14. 4. Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et ideo quod hic Apostolus dicit, *Omnia mihi licent*, non potest absolute intelligi, sed ut sit accommoda distributio, sub hoc sensu: Omnia mihi licent, quae scilicet divina lege non prohibentur. Et potest hoc ad tria referri. Primo quidem ad id quod dixerat de iudiciis, quia scilicet unicuique licet omnia sua iudicio repetere, cum non sit lege divina prohibitum. Alio modo potest referri ad id quod *infra 8.* dicturus est de indifferenti usu ciborum, ut sit sensus: Licitum est mihi omnes cibos comedere, secundum illud *Tit. 1. 15. Omnia munda mundis.* Tertio potest referri ad id quod dicturus est *infra 14.* de sumptibus accipiendis; ut sit sensus: *Omnia mihi licent*, scilicet accipere ad necessitatem vitae, sicut coapostolis meis. Subdit autem: *Sed non omnia expediunt.* Dicitur autem illud expedire quod est sine impedimento finem consequendi. Contingit autem quod aliquid non totaliter excludit finem, sed impedimentum aliquod affert; sicut matrimonium non excludit hominem a regno Dei, impedimentum tamen affert, quia scilicet, ut *infra 7. 34.* dicit, *quae sub viro est mulier, cogitat quomodo placeat viro.* Unde *Matth. 19. 10.* discipuli dicunt: *Si ita est causa hominis cum uxore sua, non expedit nubere.* Sic ergo fornicari nec licet, nec expedit, quia totaliter excludit finem, qui est vita aeterna; matrimonium autem est licitum, sed non expediens. Secundum igitur hunc modum sua in iudicio repetere, indifferenter omnibus cibis uti, sumptus

accipere ab his quibus praedicatur, est quidem licitum, quia non est contra iustitiam, nec aliqua prohibetur lege; non tamen est expediens: quia vel impeditur pax ad proximum, vel infirmis scandalum aliquod generatur, vel aliqua maledicendi occasio praebetur: unde *Eccli. 37. 31. Non omnia omnibus expediunt.* Aljo modo potest intelligi non absolute, sed sub conditione; ut sit sensus: Dixi, quod neque fornicarii, neque idolis servientes etc. regnum Dei possidebunt: et ideo haec non licent, quia finem excludunt. Sed si omnia licerent mihi, *non omnia expediunt:* quia per ea praestatur impedimentum vitae humanae. Unde in persona impiorum dicitur *Sap. 5. 7. Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Secundo ostendit esse nocivum id quod supra reprehendit, dicens: *Omnia mihi licent*, ut supra expositum est; *sed* tamen *ego sub nullius redigar potestate*, scilicet hominis. Ille enim qui utitur eo quod non expedit, sive licitum, sive illicitum, quodammodo redigitur sub potestate rei alicuius, vel hominis. Rei quidem, quia qui nimis rem aliquam amat, quodammodo servus illius rei efficitur, secundum illud *Rom. ult. 18. Huiusmodi non Christo Domino serviunt, sed suo ventri:* hominis autem, quia dum aliquis facit quod non expedit, quodammodo subiicitur iudicio aliorum, et specialiter ille qui sua in iudicio repetit, subiicitur potestati iudicis: *Infra 10. 29. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?*

Deinde cum dicit, *Esca ventri etc.* assignat rationem eius quod dixerat: et primo quare omnia licent, dicens: *Esca ventri*, scilicet debetur, ut scilicet in ventre decocta in nutrimentum totius corporis cedat; *et venter escis*, scilicet recipiendis, et decoquendis deservit. Quia igitur ex Dei ordinatione venter est solicitus ad escas recipiendas, et escae ad hoc deputatae sunt quod in ventre ponantur, secundum illud *Genes. 1. 29. Ecce dedi vobis omnem escam et cunctis animantibus, ut habeant ad vescendum;* non est illicitum quod homo res suas repetat, vel praedicator stipendia accipiat propter necessitatem escarum, vel ut etiam homo omnibus escis utatur. Secundo ibi, *Deus autem et hunc, et has destruet*, assignat rationem quare omnia non expediunt. Non enim expedit quod homo patiatur aliquod detrimentum in eo quod numquam corrumpitur, scilicet in regno caelesti, propter id quod corrumpitur. Et hoc accidit de esca, et de ventre. Cessabit enim post hanc vitam escarum usus, et ventris: quia corpora resurgentium conservabuntur absque cibo, Deo id faciente; et hoc est quod dicit: *Deus autem destruet*, idest cessare faciet, *hunc*, scilicet ventrem, non quidem quantum ad essentiam, sed quantum ad effectum quem nunc habet; *et has*, scilicet escas, quantum pertinent ad usum hominis: quia in resurrectione homines erunt sicut Angeli in caelo, ut dicitur *Matth. 22.*

## LECTIO III.

**Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate, et portate Deum in corpore vestro.**

Supra Apostolus tripliciter reprehendit Corinthios circa iudicia; nunc autem redit ad reprehendendum peccatum fornicarii, cuius *supra 5.* mentionem fecerat, et in cuius iudicio Corinthii negligentes erant. Improbat autem fornicationem quatuor rationibus: quarum prima sumitur ex divina ordinatione; secunda ex unione ad Christum, ibi, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* tertia ex corporis inquinatione, ibi, *Fugite fornicationem;* quarta ex gratiae dignitate, ibi, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Circa primum duo facit. Primo ponit divinam ordinationem; secundo ordinationis finem, ibi, *Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit.* Circa primum considerandum est, quod aliqui argumentum suae lasciviae sumunt ex ordinatione Dei. Qui enim fornicantur, utuntur suo corpore ad usum a Deo institutum. Sed hoc excludit, dicens, quod esca est ordinata ad ventrem, et venter ad escas; *corpus autem* hominis, *non fornicationi*, idest non est ordinatum ad fornicandum; *sed Domino*, idest ad hoc est ordinatum, ut sit Domini nostri Iesu Christi; et *Dominus corpori*, idest Dominus Iesus Christus ad hoc datus est hominibus, ut humana corpora suae gloriae conformet, secundum illud *Philip. 3. 21. Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.*

Sed contra hoc videtur esse quod sicut venter ordinatus est a Deo ad usum ciborum; ita quaedam membra humani corporis sunt ordinata a Deo ad usum generationis, quibus fornicatio exercetur.

Sed attendenda est differentia quantum ad duo. Primo quidem quod Apostolus supra locutus est de uno corporis membro, scilicet de ventre; hic autem loquitur de toto corpore, quod sicut non est ordinatum ad fornicandum, ita nec ad escas sumendum; sed potius usus escarum est propter corpus, corpus autem propter animam, a qua percipit vitam, secundum eius conditionem. Et quia omnia ordinantur in Deum sicut in finem; ideo corpus debet esse subiectum Domino, et ei dedicatum. Et quia supra locutus est de usu escarum in communi absque inordinatione; fornicatio autem est usus inordinatus ex membro fornicatoris. Unde nec ipsa membra sunt propter fornicationem, sed propter usum generationis ordinata ratione, cui omnia membra corporis deservire debent; sicut etiam venter non propter crapulam, et ebrietatem, sed propter convenientem usum ciborum.

Deinde cum dicit, *Deus vero et Christum suscitavit, et nos suscitabit*, ponit finem ordinationis prae-

dictae : et primo ponit quid Deus circa Dominum fecerit, dicens : *Deus vero et Dominum*, scilicet Dominum Iesum Christum, *suscitavit* a mortuis, a quo ipse Christus petit *in Psalm. 40. 11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me.* Deus autem est et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Unde et ipse Christus, qui est Filius Dei, se suscitavit, et sua virtute resurrexit, secundum illud *Psalm. 3. 6. Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me:* et *2. Corinth. ult. 4. Si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Secundo ponit quid circa nos facturus sit, dicens, quod *nos suscitabit*, Deus, *per virtutem suam*, per quam scilicet Christum suscitavit, secundum illud *Rom. 8. 11. Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* Et est advertendum, quod supra de escis, et ventre loquens, quae pertinent ad usum animalis vitae, dixit eas a Deo destruendas; nunc autem loquens de corpore, et Domino, facit mentionem de resurrectione, quia scilicet animali vita cessante, natura corporis in melius reformabitur. Unde patet quod non est utendum corpore ad fornicationem, quae impedit futuram incorruptionem, secundum illud *Galat. ult. 8. Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.*

Deinde cum dicit, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* ponit secundam rationem quae sumitur ex affinitate humani corporis ad Christum, quae talis est. Membra hominis fornicantis sunt membra meretricis. Sed membra hominis sunt membra Christi. Ergo per fornicationem fiunt membra Christi membra meretricis, quod est inconveniens. Circa quod quatuor facit. Primo ponit maiorem, dicens : *An nescitis quoniam corpora vestra sunt membra Christi?* quasi dicat: Hoc non debetis nescire, quia quicumque estis regenerati in Christo, membra Christi estis effecti, secundum illud *infra 12. 27. Vos estis corpus Christi, et membra de membro:* et hoc non solum quantum ad animas, quae ab eo iustificantur, sed etiam ad corpora, quae ab eo resuscitabuntur, ut dictum est. Secundo ponit conclusionem, dicens: *Tollens ergo membra Christi*, idest iniuste subtrahens servitio Christi, cui debent deputari, secundum illud *Rom. 6. 13. Exhibeatis membra vestra arma iustitiae Deo: faciam*, scilicet eadem, *membra meretricis* esse fornicando? *Absit:* hoc enim est horrendum sacrilegium : unde dicitur *Malach. 2. 11. Contaminavit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni.* Tertio ponit minorem, dicens: *An nescitis quia qui adhaeret meretrici*, scilicet fornicando, *unum corpus efficitur?* scilicet per immundam commixtionem. Et ad hoc probandum inducit auctoritatem Genesis, dicens : *Inquit enim Scriptura*, scilicet *Genes. 2. Erunt duo*, scilicet vir, et mulier, *in carne una*, idest per mixtionem carnalem una caro efficiuntur, et sic membra unius fiunt membra alterius. Sunt enim haec verba Adae de viro, et uxore loquentis, quae Apostolus hic etiam ad fornicationem refert, quia secundum speciem naturae non differunt utriusque actus. Est autem intelligendum quod, sicut dicit *Philosophus in lib. de Generatione animalium*, in masculo est principium activum generationis, in femina est passivum. Et sicut in planta, cuius vita principaliter ordinatur ad generationem, semper est unum corpus, in quo utrumque principium unitur; ita in animalibus, quae ordinantur ad altiores actus vitae, non semper est unum corpus habens haec duo principia, sed ex duobus fit unum in actu generationis ; quod quidem non est tantum viri : quia, sicut *infra 7. 4.* dicitur, *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Secundo probat minorem, dicens : *Qui autem adhaeret Domino*, scilicet per fidem, et caritatem, *est unus spiritus*, cum illo, quia scilicet unitur ei unitate spirituali, non corporali. Unde et *Rom. 8. 9.* dicitur : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: et *Ioan. 17. 22. Ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus*, scilicet per connexionem Spiritus. Et quia corpus deservit spiritui; consequens est ut etiam corpora nostra membra eius sint cui per spiritum unimur, non quidem carnali coniunctione, sed spirituali. Potest autem ex praemissis duabus rationibus una ratio conflari, ut scilicet quia corpus nostrum non est deputatum fornicationi, sed Domino, hoc scilicet modo quod membra nostra sunt membra Christi, ut postmodum exponit, non faciamus ea membra meretricis fornicando.

Deinde cum dicit, *Fugite fornicationem*, ponit tertiam rationem, quae sumitur ex corporis inquinatione. Primo ponit conclusionem intentam, dicens: *Fugite fornicationem.* Ubi notandum, quod cetera vitia vincuntur resistendo : quia quanto magis homo particularia considerat, et tractat, tanto minus in eis invenit unde delectetur, sed magis anxietur ; sed vitium fornicationis non vincitur resistendo : quia quanto magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur ; sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, et quaslibet occasiones, ut dicitur *Zach. 2. 6. Fugite de terra aquilonis, dicit Dominus.* Secundo assignat rationem, dicens : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est.* Ad cuius evidentiam sciendum, quod quaedam peccata non consummantur in carnali delectatione, sed in sola spirituali; ideo spiritualia vitia dicuntur, sicut superbia, avaritia, accidia : fornicatio autem completur maxime in carnali delectatione ; et secundum hoc posset intelligi quod hic dicitur: *Omne peccatum, quodcumqae fecerit homo, extra corpus est*, quia scilicet completur praeter sui corporis delectationem ; *qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, quia scilicet eius peccatum in carne consummatur.

Sed huic expòsitioni contrarium videtur esse quod etiam peccatum gulae consummatur in delectatione corporis.

Ad quod posset dici, quod peccatum gulae sub luxuria continetur, inquantum ad ipsam ordinatur, secundum illud *Ephes. 5. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed melius potest dici, quod Apostolus non dicit: *Qui fornicatur*, corpore suo peccat, quod congrueret primae expositioni; sed *peccat in corpus suum*, idest contra corpus suum, corrumpendo, et inquinando illud praeter usum rationis. Unde et *Apoc. 3. 4. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua*, idest corpus : et *ibid. 14. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Vel aliter secundum Augustinum hic *in Glossa. Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, quia anima eius totaliter carni in illo actu subiicitur, ita quod

non possit aliud ibi cogitare: unde *in Psalm. 31. 9.* dicitur: *Nolite fieri sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus.* Vel aliter: *In corpus suum peccat*, idest contra uxorem suam, quae dicitur corpus viri, contra quam non ita directe sunt alia peccata, sicut viri fornicatio: unde et *1. Thessal. 4. 4.* dicitur: *Ut sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in sanctificatione*, idest uxorem suam. Vel secundum Augustinum *lib. 1. Retract. cap. 19.* potest intelligi de fornicatione spirituali, per quam anima adhaeret per amorem mundo, et recedit a Deo, secundum illud *Psalm. 72. 26. Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Est ergo sensus. *Qui fornicatur*, recedens a Deo propter amorem mundi, *in corpus suum peccat*, idest per corporalem concupiscentiam. Omne autem aliud peccatum, puta quod homo committit ex oblivione, vel ex ignorantia, seu negligentia, *est extra corpus*, idest corporalem concupiscentiam.

Deinde cum dicit, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* ponit quartam rationem, quae sumitur ex dignitate gratiae: quae quidem ex duobus consurgit, scilicet ex gratia Spiritus sancti, et ex redemptione sanguinis Christi. Circa hoc igitur tria facit. Primo proponit dignitatem corporis nostri, quam habet ex gratia Spiritus sancti, dicens: *An nescitis*, quasi dicat, ignorare non debetis, *quoniam membra vestra*, scilicet corporalia, *templum sunt Spiritus sancti?* sicut *supra 3. 16.* dictum est: *Nescitis quia templum Dei estis?* Et huius rationem assignat, subdens, *Qui in vobis est.* Dicitur autem templum domus Dei. Quia igitur Spiritus sanctus Deus est, conveniens est quod in quocumque est Spiritus sanctus, templum Dei dicatur. Est autem Spiritus sanctus principaliter quidem in cordibus hominum, in quibus caritas Dei diffunditur per Spiritum sanctum, ut dicitur *Roman. 5.* sed secundario etiam est in membris corporalibus, inquantum exequntur opera caritatis: unde *in Psalm. 83. 3.* dicitur: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et ne hanc dignitatem sibi adscriberent, subdit: *Quem habetis a Deo, non ex vobis.* Unde *Ioel. 2. 28. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem:* et *Actor. 5. 32. Spiritum suum dedit obedientibus sibi.* Secundo ponit dignitatem quam habent corpora nostra ex redemptione sanguinis Christi, dicens: *Et non estis vestri*, sed Iesu Christi, secundum illud *Roman. 14. 8. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus: 1. Corinth. 5. 15. Qui vivit, iam non sibi vivat.* Rationem huius assignat, dicens: *Empti estis pretio magno;* et ideo servi estis eius qui vos redemit de servitute peccati: unde *infra 7. 22.* dicitur: *Qui liber vocatus est, servus est Christi: pretio enim empti estis:* et *in Psalm. 30. 6. Redemisti me Domine Deus veritatis.* Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed aeternam habens virtutem, cum sit sanguis ipsius Dei aeterni: unde *1. Petr. 1. 18. Redempti estis de vana vestra conversatione, non corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine agni immaculati, et incontaminati, Iesu Christi.* Tertio infert conclusionem intentam, dicens: *Glorificate ergo, et portate Deum in corpore vestro.* Quia enim membra vestra sunt templum Dei, in corpore vestro nihil debet apparere nisi quod ad gloriam Dei pertinet; et hoc est glorificare Deum in corpore vestro: quia *Psalm. 28. 9.* dicitur: *In templo eius omnes dicent gloriam: Exod. ult. 32.* dicitur: *Operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.* Quia vero non estis vestri, sed estis servi Dei, debet corpus vestrum portare Deum, sicut equus, vel aliud animal portat dominum suum. Unde *in Psalm. 72. 22.* dicitur: *Ut iumentum factus sum apud te.* Portat autem corpus nostrum Dominum, inquantum divino ministerio deputatur. Sic ergo homo debet vitare ne in corpus suum peccet fornicando, quod est contra gloriam Dei, et contra ministerium quod corpus nostrum debet Deo.

## CAPITIS SEPTIMI

### LECTIO PRIMA

De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis, et viduis. Bonum est illis, si sic permanserint, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri.

Postquam Apostolus reprehendit fornicarium, et sustinentes eum; hic accedit ad tractandum de matrimonio: et circa hoc tria facit. Primo determinat de coniugatis, et matrimonio iunctis; secundo de virginibus, ibi, *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo;* tertio de viduis, ibi, *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit.* Circa primum duo facit. Primo instruit eos qui non sunt matrimonio iuncti, utrum scilicet debeant matrimonium contrahere; secundo manifestat quod dixerat, ibi, *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Circa primum duo facit. Primo manifestat quid circa hoc sit per se bonum; secundo quid necessarium, ibi, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Circa primum considerandum est, quod in detestationem fornicationis, contra quam locutus iam fuerat, aliqui non habentes zelum Dei secundum scientiam, in tantum procedebant quod etiam matrimonium condemnabant, secundum illud *1. Timoth. 4. 2. In hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Et quia hoc durum Corinthiis videbatur fidelibus, super hoc Apostolo scripserunt, eius sententiam requirentes; et ideo Apostolus eis respondet: Ita reprehendi ea quae facitis; *de qui-*

*bus autem scripsistis mihi*, respondeo quantum ad matrimonium : *Bonum est homini mulierem non tangere.*

Circa quod notandum, quod mulier data est viro ad adiutorium generationis : et in hoc differt vis generativa a nutritiva, quia vis nutritiva deservit homini ad conservationem individui : unde bonum est homini nutrimento uti, quia per hoc eius vita conservatur; generativa autem non deservit homini ad conservationem individui, sed ad conservationem speciei : unde non potest dici, quod *bonum est homini*, ad suum individuum, *mulierem tangere.* Primo quidem quantum ad animam, quia, ut Augustinus dicit *in Soliloquiis Lib. 1. cap. 1. Nihil sic deiicit animam ab arce virtutis suae, sicut contractus ille corporum, sine quo uxor haberi non potest.* Et ideo *Exod. 19. 15.* dicitur populo accepturo legem Dei : *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris : 1. Reg. 21. 4.* dixit Abimelech ad David: *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, manducent panem sanctum.* Secundo quantum ad corpus quod vir subiicit per matrimonium potestati uxoris, se ex libero servum constituens. Servitus autem haec prae omnibus aliis est amara : unde et *Eccles. 7. 27.* dicitur : *Inveni amariorem morte mulierem.* Tertio quantum ad res exteriores, quarum occupatione necesse est hominem implicari, qui habet uxorem, et filios nutriendos ; cum tamen dicatur *2. Timoth. 2. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

Deinde cum dicit, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, ostendit quid circa hoc sit necessarium, primo quantum ad contractum matrimonii ; secundo quantum ad actum matrimonii iam contracti, ibi, *Uxori vir debitum reddat.* Circa primum considerandum est, quod actus generativae virtutis ordinatur ad conservationem speciei per generationem filiorum: et quia mulier data est viro in adiutorium generationis, primà necessitas tangendi mulierem est propter procreationem filiorum : unde *Genes. 1 27.* dicitur : *Masculum, et feminam creavit eos ; et benedixit eis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Sed haec necessitas fuit circa institutionem humani generis, quamdiu oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis. Sed Apostolus considerans humanum genus iam multiplicatum, et populum Dei iam esse augmentatum, non propagatione carnis, sed generatione quae est ex aqua, et Spiritu sancto, ut dicitur *Ioan. 3.* praetermisit hanc necessitatem, qua scilicet primitus institutum fuerat matrimonium in officium naturae, et proponit secundam necessitatem, secundum quam institutum est in remedium culpae. Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum in fidelibus remanet, licet non dominetur, instigat homines maxime ad actus venereos, propter vehementiam delectationis. Et quia maioris virtutis est, totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit hominibus convenire, secundum illud *Matth. 19. 11. Non omnes capiunt verbum hoc*, necessarium est quod in parte concupiscentiae cedatur, et in parte superetur : quod quidem fit dum actus generationis ratione ordinatur, et non totaliter homo concupiscentia ducitur, sed magis concupiscentia subditur rationi. Habet autem hoc ratio naturalis, quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi, et educationi filiorum. Hoc autem in brutis animalibus invenitur, quod in quibuscumque speciebus animalium sola femina non sufficit ad educationem prolis, masculus simul nutrit prolem cum femina ; et ad hoc exigitur quod masculus cognoscat propriam prolem : et ideo in omnibus talibus animalibus, ut patet in columbis, turturibus, et huiusmodi, naturaliter indita est solicitudo de educatione prolis; et propter hoc in huiusmodi non sunt vagi, et indifferentes concubitus, ex quibus sequeretur incertitudo prolis ; sed masculus determinatus determinatae feminae coniungitur, non indifferenter quaelibet cuilibet ; sicut accidit in canibus, et aliis huiusmodi animalibus, in quibus sola femina nutrit prolem. Maxime autem in specie humana masculus requiritur ad prolis educationem, quae non solum attenditur secundum corporis nutrimentum, sed magis secundum nutrimentum animae, secundum illud *Hebr. 12. 9. Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos.* Et ideo ratio naturalis dictat quod in specie humana non sint vagi, et incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarii; sed sint determinati viri ad determinatam feminam : quae quidem determinatio fit per legem matrimonii. Sic igitur triplex bonum habet matrimonium. Primum quidem quod est in officium naturae, prout scilicet ordinatur ad generationem, et educationem prolis ; et hoc bonum est bonum prolis. Secundum bonum habet, prout est in remedium concupiscentiae, quae scilicet coarctatur ad determinatam personam ; et hoc bonum dicitur fides, quam scilicet vir servat uxori suae, non accedens ad aliam, et similiter uxor viro. Tertium bonum habet, prout in fide contrahitur Christi; quod quidem bonum dicitur sacramentum, inquantum significat coniunctionem Christi, et Ecclesiae, secundum illud *Ephes. 5. 32. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et Ecclesia.* Hoc est ergo quod dicit : Dictum est, quod *bonum est homini mulierem non tangere ;* sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, unusquisque vir, *propter fornicationem*, scilicet vitandam, *suam uxorem habeat*, idest sibi determinatam, ut tollantur vagi, et incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem. Unde et *Proverb. 5. 18. Laetare cum muliere adolescentiae tuae.* Et postea subditur *vers. 20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena ?*

Deinde cum dicit, *Uxori vir debitum reddat*, agit de usu matrimonii contracti : et primo agit de debito reddendo ; secundo de debiti intermissione, ibi, *Nolite fraudare invicem.* Circa primum duo facit. Primo proponit quod intendit, dicens : Dictum est, quod *vir habeat uxorem*, et uxor virum : habendi autem haec est ratio, ut vir *reddat debitum uxori*, scilicet de suo corpore per carnalem commixtionem ; similiter autem *et uxor viro*, quia quantum ad hoc pares iudicantur. Unde mulier non est formata de pedibus viri tamquam ancilla, nec de capite tamquam domina, sed de latere tamquam socia, ut legitur *Genes. 2.* Unde et mutuo debent sibi debitum reddere, secundum illud *Rom. 13. 7. Reddite omnibus debita.* Secundo assignat debiti rationem, dicens : *Mulier non habet potestatem sui corporis*, scilicet ad actum generationis, ut scilicet possit proprio arbitrio vel continere se, vel alteri se tra-

dere ; *sed vir*, scilicet habet potestatem sui corporis, quantum scilicet ad usum carnalis copulae : et ideo uxor debet viro proprii corporis officium offerre. *Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier :* unde et ipse debet sui corporis officium offerre uxori, legitimo impedimento cessante. Unde et *Genes. 2. 24.* dicitur: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Deinde cum dicit, *Nolite fraudare invicem*, agit de intermissione debiti reddendi : et primo ostendit qualiter intermitti debeat actus coniugalis: circa quod docet unum esse cavendum, ne scilicet hoc per fraudem fiat, dicens : *Nolite fraudare invicem*, ut scilicet velit vir continere invita uxore ; aut etiam e converso : quod Apostolus fraudem nominat, quia unus subtrahit alteri quod ei debetur; quod ad fraudem pertinet, non minus in actu matrimonii quam in aliis rebus. Unde et *Prover. 12. 27.* dicitur : *Non inveniet fraudulentus lucrum :* quia scilicet ille qui tali fraude continentiam Deo offert, non lucratur meritum vitae aeternae. Sicut enim dicit Augustinus *epist. 129.* non vult Deus tale lucrum tali damno compensari, ut dum unus coniugum continet altero invito, ille incidat in damnabiles corruptelas. Tria autem docet observanda in tali intermissione : quorum primum est ut fiat ex communi consensu : unde dicit : *Nisi forte ex consensu.* Unde dicitur *Eccli. 25. 1. In tribus beneplacitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo, et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Secundum est ut sit ad certum tempus : unde subdit : *Nisi forte ad tempus*, secundum illud *Eccle. 3. 5. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.* Tertium est ut hoc fiat propter debitum finem, scilicet causa spiritualium actuum ad quos continentia reddit magis aptos : unde subdit : *Ut vacetis orationi*, secundum illud *Ioel. 2. 14. Sacrificium, et libamen Domino Deo nostro :* et postea subdit *16. Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.* Secundo agit de reiteratione coniugalis actus : et primo ponit documentum, dicens: *Iterum revertimini in idipsum*, ut scilicet vobis invicem debitum reddatis, finito tempore orationis : unde et *3. Reg. 8.* dicitur, quod celebratis dedicationis solemniis, profecti sunt in tabernacula sua laetantes. Secundo assignat rationem documenti : non enim hoc dicit, quasi sit necessarium ad salutem, sed ad periculum vitandum; unde subdit: *Ne tentet vos satanas*, idest ne sua tentatione vos prosternat, sicut etiam dicitur *1. Thessal. 3. 5. Ne forte vos tentaverit is qui tentat, et inanis sit labor noster.* Tentatio autem satanae non est fortibus timenda, de quibus dicitur *1. Ioan. 2. 14. Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.* Est autem timenda debilibus : unde subdit : *Propter incontinentiam vestram*, idest propter pronitatem ad incontinentiam, ex qua contingit quod diabolus hominem tentando prosternit, et provocatur, ad tentandum, secundum illud *1. Pet. ultim. 8. Circuit quaerens quem devoret.*

Deinde cum dicit, *Hoc autem dico etc.* manifestat quo sensu praedicta sunt accipienda : et primo facit quod dictum est; secundo rationem assignat, ibi, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum;* tertio exponit quod dixerat, ibi, *Dico autem non nuptis, et viduis.* Dicit ergo primo : Dixi, quod unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque mulier virum suum ; et iterum quod post continentiam determinati temporis iterum revertamini in idipsum ; *hoc autem dico secundum indulgentiam*, idest parcens infirmitati vestrae, *non secundum imperium*, quasi scilicet vobis necessarium ad salutem. Subditis enim sunt quaedam eorum infirmitati indulgenda, et non ad bona imperio cogendi. Unde contra quosdam praelatos dicitur *Ezech. 34. 4. Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, et dispersi sunt greges mei.*

Sed videtur Apostolus inconvenienter loqui. Indulgentia enim non est nisi de peccato. Per hoc ergo quod Apostolus secundum indulgentiam se dicit matrimonium concessisse, videtur exprimere quod matrimonium sit peccatum.

Sed ad hoc potest responderi dupliciter. Uno modo ut indulgentia sumatur hic pro permissione. Est autem duplex permissio. Una quidem de minus malo, sicut dicitur *Matth. 19.* quod Moyses permisit Iudaeis dare libellum repudii propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum uxoricidium, ad quod erant proni. Talis autem permissio non fit in novo testamento propter sui perfectionem, secundum illud *Heb. 6. 1. Ad perfectum feramur.* Alia autem est permissio de minus bono, cum scilicet homo praecepto non cogitur ad maius bonum ; et hoc modo Apostolus hic indulget, idest permittit, matrimonium, quod est minus bonum quam virginitas, quae non praecipitur, et quae est maius bonum. Alio modo potest accipi indulgentia prout respicit culpam, secundum illud *Isai. 26. 15. Indulsisti Domine, indulsisti genti:* et secundum hoc indulgentia refertur ad actum coniugalem, secundum quod habet adnexam culpam venialem, tamen propter bona matrimonii, sine quibus esset mortalis. Unde considerandum est, quod actus coniugalis quandoque quidem est meritorius, et absque omni culpa mortali, vel veniali, puta cum ordinatur ad bonum prolis procreandae, et educandae ad cultum Dei, sic enim est actus religionis: vel cum fit causa reddendi debitum, sic enim est actus iustitiae. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si sit cum caritate. Quandoque vero est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quae tamen infra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus. Quandoque vero est culpa mortalis, puta cum concupiscentia fertur extra limites matrimonii, scilicet cum aliquis accedit ad uxorem, aeque libenter, vel libentius ad aliam accessurus. Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam ; secundo modo habet indulgentiam, inquantum aliquis consentiens concupiscentiae in uxorem, non fit reus peccati mortalis ; tertio modo omnino indulgentiam non habet.

Deinde cum dicit, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, assignat rationem eius quod dixerat : et primo quare non loquatur secundum imperium; secundo quare loquatur secundum indulgentiam, ibi, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Circa primum considerandum est, quod nullus sapiens praecipit illud cuius contrarium magis vult fieri. Ideo Apostolus non praecipit quod homines matrimonium

contrahant, vel matrimonio contracto utantur, quia magis vult quod homines contineant; et hoc est quod dicit: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, ut scilicet contineant, sicut ego contineo: et similiter dicit *Act. 26. 29. Opto apud Deum omnes qui audiunt, fieri tales qualis ego sum.*

Sed contra hoc videtur esse, quia si omnes homines continerent, sicut Apostolus continebat, cessasset generatio; et sic non fuisset impletus numerus electorum: quod erat contra dispositionem divinam.

Dicunt quidam, quod Apostolo revelatum erat, quod si omnes homines salvarentur in continentia viventes, sicut ipse vivebat, sufficiebat ad implendum numerum electorum. Sed hoc nulla auctoritate fulcitur; et ideo potest dici, quod Apostolus volebat omnes homines esse continentes, quia scilicet volebat hoc de singulis, non tamen volebat quod omnes simul continerent. Vel potest dici, et melius, quod volebat omnes homines esse continentes voluntate antecedente, sicut ipse dicit *1. Timoth. 2.* quod Deus vult omnes homines salvos fieri, non autem voluntate consequente, qua Deus vult quosdam salvare, scilicet praedestinatos, et quosdam damnare, scilicet reprobatos, secundum illud *Malach. 1. 2. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Est autem voluntas antecedens de eo quod absolute consideratum est melius: sicut omnes homines esse salvos vel continentes. Voluntas autem consequens est de eo quod est melius, consideratis circumstantiis personarum, et negotiorum: et secundum hoc Deus vult quosdam damnari, et Apostolus quosdam matrimonio iungi.

Deinde cum dicit, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo*, assignat rationem quare secundum indulgentiam matrimonium permiserit, quia scilicet non quilibet tantae virtutis donum accepit a Deo, ut scilicet possit totaliter continere, sicut et Dominus dixit *Matth. 19. 11. Non omnes capiunt verbum hoc; sed qui capere potest, capiat:* et hoc est quod dicit: Vellem quidem omnes esse continentes; *sed unusquisque proprium*, idest secundum certam mensuram, *habet donum ex Deo, alius quidem sic*, puta in virginitate Deo serviat, *alius vero sic*, idest ut Deo serviat in matrimonio, secundum illud *Matth. 25. 15. Uni dedit quinque talenta, alii vero duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem:* et *Sapient. 8. 21. Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum.*

Deinde cum dicit, *Dico autem non nuptis, et viduis*, exponit quod obscure dixerat: et primo quantum ad hoc quod dixerat, *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, quia scilicet hoc est absolute melius: unde dicit: *Dico autem*, scilicet exponendo, *non nuptis*, idest virginibus, *et viduis: Bonum est illis, si sic permanserint*, scilicet continentes, *sicut ego:* secundum illud *Sapient. 4. 1. Quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Secundo quantum ad hoc quod dixerat, *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo;* quasi dicat: Quia non quilibet hoc donum accepit a Deo ut contineat. Unde dicit: *Quod si non continent*, idest si donum continendi non acceperunt, *nubant*, idest matrimonio iungantur, secundum illud *1. Timoth. 5. 14. Volo iuvenes nubere:* et assignat rationem subdens: *Melius est enim nubere quam uri*, idest concupiscentia superari. Concupiscentia enim est calor quidam noxius: qui ergo concupiscentia impugnatur, calescit quidem, sed non uritur, nisi humorem gratiae perdat a concupiscentia superatus. Unde *Iob 31. 12.* dicitur: *Ignis est usque ad consummationem devorans, et universa eradicans germina.* Est autem hic attendendum, quod Apostolus utitur abusiva comparatione. Nam nubere bonum est, licet minus, uri autem est malum. Melius est ergo, idest magis tolerandum, quod homo minus bonum habeat, quam quod incurrat incontinentiae malum; et hoc est quod supra dixit: *Propter fornicationem*, scilicet vitandam, *unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat:* et postmodum: *Ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.*

## LECTIO II.

His autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris dico ego, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.

Supra Apostolus posuit documenta de contractu matrimonii; hic instruit eos qui iam matrimonium contraxerunt de matrimonio non dissolvendo: et primo docet eos qui sunt in matrimonio iuncti, ut in matrimonio maneant; secundo ponit utilem doctrinam quantum ad omnes status, vel conditiones hominum, ibi, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* Circa primum duo facit. Primo agit de indissolubilitate matrimonii quantum ad eos qui sunt unius cultus; secundo quantum ad eos qui sunt in dispari cultu, ibi, *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Circa primum duo facit. Primo ponit praeceptum de indissolubilitate matrimonii; secundo docet quid sit servandum quando matrimonium quodammodo separatur, ibi, *Quod si discesserit, manere innuptam.* Dicit ergo primo: Dix non nuptis, idest virginibus, et viduis, quod melius est eis si sic permanserint; *his autem qui matrimonio sunt iuncti* non patet eadem conditio: his enim *praecipio non ego*, scilicet indicta mihi auctoritate, *sed Dominus* hoc praecipit, dicens *Matth. 19. 6. Quos Deus coniunxit, homo non separet: praecipio*, inquam, *uxorem a viro non discedere*, et subintelligendum est, excepta causa fornicationis, quam Christus excepit, et hic tacetur, quia notissima est. Hanc solam excepit Dominus, ceteras omnes molestias iubet pro fide coniugii fortiter sustineri: *Matth. 19. 9. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, excepta causa fornicationis, moechatur.* Hoc autem quod dicitur hic, secundum Glossam Augustini intelli-

gitur de coniunctis matrimonialiter, quorum uterque fidelis est. *Quod si discesserit*, scilicet propter causam fornicationis, *praecipio*, inquam, *manere innuptam*, vivente marito: quia si solvitur matrimonium quoad torum, non tamen quoad vinculum: *aut viro suo reconciliari*, scilicet si vir non continet. *Et* similiter *vir uxorem non dimittat*, nisi ob causam fornicationis. Similis forma in viro, et in muliere servatur: unde supplendum est quod de uxore praemisit, scilicet quod si omnino dimiserit, non ducat aliam, vel reconcilietur uxori.

Sed contrarium videtur dicere Ambrosius *super hunc locum*, ubi dicit: *Ideo non subdit de viro, sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere, quia inferior non omnino hac lege utitur qua et superior* Sed Magister dicit a falsariis esse appositum; et deo nullatenus est tenendum.

Notandum est hic, quod septem sunt casus in quibus vir non potest ob causam fornicationis uxorem dimittere. Primus casus quando ipsemet eam prostituit; secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit; tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, aut quia non vult reddere debitum; quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum, alteri nupsit; quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit; sextus quando sub specie viri sui ab altero cognita fuit; septimus quando fuit a viro post adulterium manifeste deprehensum nihilominus retenta.

Deinde cum dicit, *Nam ceteris dico ego, non Dominus*, agit de inseparabilitate matrimonii personarum disparis cultus, cum alter est fidelis, alter non: ubi primo dicit, quod fidelis non dimittat infidelem, volentem sine contumelia Creatoris cohabitare; secundo quod si non vult fidelis, non tenetur eum sequi, sed potest alteri nubere, ibi, *Quod si infidelis discedit, discedat*; tertio quod nisi infidelis prior recedat, fidelis debet patienter commanere, ibi, *Unde enim mulier scis si virum salvum facies?* In prima primo ponit admonitionem; secundo admonitionis rationem, ibi, *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* In prima primo loquitur generaliter tam viris quam feminis; secundo specialiter viris, ibi, *Si quis frater uxorem habet infidelem etc.* tertio specialiter feminis, ibi, *Et si qua mulier fidelis virum habet infidelem.* Dicit ergo: *Nam ceteris*, idest ubi non uterque fidelis est, sed alter fidelis, alter infidelis, *dico ego*, consulendo, non praecipiendo, *non Dominus*, dixit hoc proprio ore; ac si dicat: Et hoc dico ex Deo, licet ipse non dicat hoc ore proprio: dico, inquam, hoc, *Si quis frater fidelis*, conversus scilicet ad fidem in coniugio. Intelligitur enim hoc de his qui in infidelitate contraxerunt, non de his qui in dispari cultu: tunc enim nullum esset matrimonium, sed essent separandi, sicut fecit Esdras *1. Esdrae 10. Si quis*, inquam, *habet* talem *uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo*, sine contumelia scilicet Creatoris, *non dimittat illam:* consilium est, non praeceptum, ut qui contrarium agit, non sit transgressor, secundum Glossam. Deinde cum dicit, *Et si qua mulier*, hic loquitur specialiter feminis: ubi primo supponit fidem in aliquo, cum dixit, *Et si qua mulier:* secundo infidelitatem in altero, cum addit, *Virum infidelem;* tertio infidelis voluntatem cohabitandi, ibi, *Et hic consentit;* quarto consulit fideli commanere illi, ibi, *Non dimittat.* Dicit ergo: *Et* similiter *si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et consentit habitare cum illa*, sine contumelia Creatoris: nam si nollet cohabitare sine contumelia nominis Christi, debet fidelis eum dimittere, quia contumelia Creatoris solvit matrimonium, secundum Glossam, et potest fidelis contrahere: si, inquam, ita est, *non dimittat virum:* consilium est, non praeceptum: licet enim infidelem fideli dimittere; sed tunc non expediebat.

Deinde cum dicit, *Sanctificatus est vir*, posita admonitione, hic ponit admonitionis rationem: ubi primo allegat exemplum; secundo periculum, ibi, *Alioquin filii vestri immundi essent;* tertio fructum, ibi, *Nunc autem sancti sunt.* In prima primo exemplificat de viro infideli; secundo de muliere, ibi, *Et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Dicit ergo: *Sanctificatus est;* quasi dicat: Fidelis infidelem volentem cohabitare non dimittat: hoc ideo dico: *sanctificatus est enim vir infidelis* aliquando *per mulierem fidelem*, idest aliquando contingit quod unus per alium convertitur ad fidem, et sic sanctificatur; et hoc iam forte contingerat, sicut Sisinnius per Theodoram Romae tempore Clementis conversus est: et similiter *sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, scilicet per ipsius admonitionem, et doctrinam. Alio modo legitur sic. Ita fidelis infidelem non dimittat: *sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*, idest nullam immunditiam contrahit fidelis ex cohabitatione, vel ex commixtione cum infideli, sed servat veram pudicitiam, secundum Augustinum. Deinde cum dicit, *Alioquin filii vestri immundi essent*, hoc legitur dupliciter: uno modo de filiis nascituris, alio modo de iam natis. Primo modo sic. *Alioquin*, scilicet si disceditis, et vos aliis copulatis, *filii vestri*, qui de hac copula nascerentur, *immundi essent*, scilicet spurii, quia non de legitimo matrimonio. Nunc autem, si permanetis, *sancti sunt*, idest mundi, quia de legitimis coniugiis nati. Secundo modo legitur sic. *Alioquin*, scilicet si disceditis, *filii vestri*, iam nati, *immundi essent*, idest in infidelitate remanerent, sequentes scilicet maiorem partem, quae tunc erat infidelium. *Nunc autem*, si permanetis, *sancti sunt*, idest Christiani fiunt.

Deinde cum dicit, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, thema in festo beatae Ceciliae, quae convertit virum suum ad fidem. Inter omnia quae regunt hominem in via salutis, praecipuum est sequi societatem sanctorum. Hoc ostendit Psalmista verbo, cum dicit *Psal. 17. 26. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.* Hoc ostendit Cecilia facto, secundum quod hic dicitur: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* In quibus verbis tria commendant ipsam, scilicet natura, gratia, et doctrina. Natura humana, quae notatur in muliere, gratia, quae notatur in viri sanctificatione, ut sibi sit nobilis per naturam, Deo humilis per fidem, proximo utilis per doctrinam. Doctrina autem redditur commendabilior consideranti actum, obiectum, et oppositum. Actus est sanctificare, obiectum est vir, oppositum est infidelitas. Infidelitas est culpa tenacior, virilitas sexus robustior, sanctificare actus difficilior. Et tamen cum esset mulier, per doctrinam suam convertit incredulum, emollivit robustum, mundavit immundum; et sic san-

ctificavit infidelem virum. Multae vero sunt proprietates mulieris commendabiles, quae huic conveniunt, ut sint tres proprietates quoad actum cordis, tres quoad actum oris, et tres quoad actum operis. Tres primae sunt sapientia ex parte rationalis: *Prover. 19. Sapiens mulier aedificat sibi domum.* Munditia ex parte concupiscibilis: *Eccli. 40. 19. Ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super eam mulier immaculata computabitur.* Constantia ex parte irascibilis: *Ruth 3. 11. Scit omnis .... populus te esse mulierem virtutis.* Tres secundae sunt modestia contra multiloquium: *Eccli. 26. 18. Mulier sensata, et tacita, non est immutatio animae eruditae.* Veritas contra mendacium: *Iudith 8. 28. Omnia quae loquuta es, vera sunt.* Discretio contra stultiloquium: *1. Reg. 25. 3. Erat mulier prudentissima, et speciosissima: Iudith 11. 19. Non est talis mulier super terram in aspectu, et in pulchritudine, et in sensu verborum.* Tres ultimae sunt sanctimonia in facto: *Iudith 8. 29. Ora pro populo, quia mulier sancta es.* Verecundia in signo: *Eccli. 26. 19. Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata.* Gratia in conversando: *Proverb. 11. 16. Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Propter eminentiam horum dicitur de Beata Virgine Maria, *Benedicta tu in mulieribus.*

## LECTIO III.

Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, vel soror in eiusmodi. In pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis mulier si virum salvum facies? Aut unde scis vir si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat praeputium. In praeputio aliquis vocatus est? Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Superius ostendit quod fidelis non debet dimittere infidelem cohabitare volentem; hic autem dicit, quod si non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere: ubi primo ponitur ipsa concessio; secundo concessionis ratio duplex. Prima est libertas, ibi, *Non est enim servituti subiectus frater;* secunda est pacis tranquillitas, ibi, *In pace autem vocavit nos Deus.* Dicit ergo: *Quod si infidelis,* vir, vel mulier, *discedit,* a fideli, odio fidei, *discedat:* et potest fidelis, qui dimittitur, contrahere: primum enim matrimonium dissolubile erat, quia numquam fuit ratum. *Non enim servituti,* scilicet coniugali, *subiectus est frater, aut soror,* fidelis, idest non cogitur sequi infidelem odio fidei discedentem, sicut dicit Glossa *Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. In pace autem;* quasi dicat: Ideo discedat fidelis, quia *in pace vocavit nos Deus,* idest ideo non debemus litigare cum eo qui odio dei discedit. Vel sic. Quamvis ita sit quod fidelis non est subiectus servituti, nihilominus tamen non debet occasionem discordiae et dissidii praebere, sed pacem servare: *In pace autem vocavit nos Deus: non est enim Deus dissensionis, sed pacis: infra 14. 33.*

Deinde cum dicit, *Unde enim scis mulier si virum salvum facies?* hic dicit, quod si infidelis non discedat, fidelis debet patienter commanere: ad quod allegat primo spem alienae conversionis; secundo permanentiam in statu propriae vocationis, ibi, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet;* tertio exemplum in ritu conversationis, ibi, *Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat praeputium;* quarto exemplum in statu conditionis, ibi, *Servus vocatus es? Non sit tibi curae.* In prima primo innuit quod mulier fidelis commanendo, virum ad fidem potest convertere; secundo quod similiter vir fidelis mulierem infidelem potest salvare, ibi, *Aut unde scis vir si mulierem salvam facies?* tertio quod ideo debent patienter commanere, ibi, *Nisi unicuique sicut divisit Dominus etc.* Dicit ergo: *Unde enim scis?* quasi dicat: Vere debet manere fidelis cum infideli, quia *unde scis,* idest scire potes, o tu *mulier* fidelis, *si virum* infidelem *salvum facies,* eum scilicet commonendo, et convertendo ad fidem? quasi dicat: Hoc potest contingere. Ambrosius *super hunc locum: Hoc ideo dicit, quia forsan potest credere qui horret nomen Christi. Aut unde scis,* idest scire potes, o tu *vir* fidelis, *si mulierem* infidelem *salvam facies,* eam ad fidem convertendo? quia hoc sperare debes. *Nisi unicuique:* hoc dupliciter legitur. Uno modo sic. Unde scis hoc, *nisi* ita habeas te, supple ad tuum comparem, *sicut Dominus divisit unicuique,* scilicet viro praeesse, et mulieri subesse. Secundo modo sic. Unde scis hoc, *nisi,* supple, patienter expectes fieri, *sicut divisit Dominus unicuique,* idest ordinavit de unoquoque quando credat, et quando salvetur. Ergo tu debes expectare, et commanere: *Rom. 12. 3. Unicuique sicut divisit Dominus.*

Deinde cum dicit, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet,* hic ostendit quod fidelis debet manere cum infideli coniuge, allegans permanentiam in statu propriae vocationis. Primo ergo allegat divinam vocationem; secundo suam auctoritatem, *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Dicit ergo: *Unumquemque:* quasi dicat: Et quomodo scis hoc, o vir, et mulier, nisi quilibet *ambulet* perseveranter, *ita sicut Deus vocavit unumquemque,* idest in eo statu in quo Deus vocavit unumquemque, non autem quomodo sunt: quasi dicat: Et hoc ita praedico in Ecclesia vestra, sicut in omnibus Ecclesiis. Turpis enim est pars quae suo toti non convenit. Est ergo sua ratio talis. Unusquisque debet manere in eo statu in quem Deus vocavit. Ergo si vocavit aliquos in coniugium, debent manere in ipso. Haymo: *Si habeas uxorem, maneas cum ea; et si non habeas, ducere non concupiscas.*

Deinde cum dicit, *Circumcisus aliquis vocatus est?* hoc ponit exemplum: ubi primo ponit ipsum exemplum; secundo exempli rationem, ibi, *Circumcisio enim nihil est;* tertio regulam generalem, ibi, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est.* Ponit autem exemplum in ritu vivendi, primo Iudaeorum; secundo Gentilium, ibi, *In praeputio aliquis vocatus est? Non circumcidatur.* Dicit ergo: *Circumcisus aliquis vocatus est?* quasi dicat: Unusquisque ambulet in eo statu in quo vocatus est; verbi gratia, *circumcisus quis voca-*

*tus est*, idest in ritu Iudaico? *Non adducat*, idest non cogatur adducere *praeputium*, idest ritum Gentilium. *In praeputio*, idest in ritu Gentili, *quis vocatus est? Non circumcidatur*, idest non cogatur ad ritus Iudaicos. Augustinus *de adult. Coniug. lib. 2. cap. 11. Servat ubique Apostolus quod congruit Ecclesiis, sive Iudaeorum, sive Gentilium: numquam enim aufert consuetudinem, quae servata, non impedit salutem.* Ergo si coniugium non impediat, debent vocati in coniugio commanere.

Deinde cum dicit, *Circumcisio enim nihil est*, subdit rationem exempli, quae talis est. Ritus non impediens salutem non debet mutari propter vocationem ad fidem. Sed ritus tam Iudaicus, quam Gentilis est huiusmodi. Ergo etc. A simili ergo arguit in matrimonio. Primo ergo tangit quod est ad salutem indifferens; secundo quod est necessarium, et expediens, ibi, *Sed observatio mandatorum Dei.* Dicit igitur: *Circumcisio nihil est*, idest nihil prodest, *et praeputium nihil est*, idest nihil prodest, vel obest; quasi dicat: Talis, vel talis ritus vivendi nihil proficit ad salutem: *Galat. ultim. 15. In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed nova creatura.* Ambrosius *super hunc locum: Ad salutem nec prodest, nec obest Iudaicus, aut Gentilis ritus. Sed observatio mandatorum Dei aliquid prodest: Sapient. 6. 19. Custoditio legum, consummatio est incorruptionis.*

Deinde cum dicit, *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, hic concludit regulam generalem, dicens, *Unusquisque;* quasi dicat: Ita Gentilis non inducatur ad circumcisionem, nec e converso; sed potius *unusquisque in qua conditione vocatus est, in ea*, scilicet conditione, vocationi non repugnante, *permaneat:* et *in qua*, non a qua. In Glossa Augustini *epist. 119.* Hoc enim ad eas consuetudines vitae retulit quae nihil obsunt fidei, bonisque moribus: sicut enim coniux, sic et latro ad fidem vocatur: sed ille in coniugio manet, non a coniugio revocatur; iste vero a latrocinio revocatur, et in latrocinio non manet. Non enim necesse est ut coniuges desinant esse coniuges propter Christi fidem, sicut necesse est ut latrones desinant esse latrones.

Haec quaeritur *super illud, Uxorem a viro non discedere*, quare solam causam fornicationis Dominus excipit, ceteras vero omnes molestias iubet fortiter sustineri. Contra *Levit. 13.* praecipit lex leprosum extra castra eiicere: ergo pro lepra debet uxor a viro discedere. Respondeo. Licet possit ob lepram discedere a cohabitatione, non tamen a toro, quin aliquando teneatur reddere debitum, prope eum manendo.

Item. *Aut viro suo reconciliari.* Contra *Deuter. 24.* dicitur, quod semel repudiata, non potest amplius reconciliari. Respondeo. Illud habebat locum in repudio legali, istud vero in divortio evangelico: lex enim erat severitatis, sed Evangelium pietatis.

Item *super illud, Vir uxorem non dimittat*, Glossa notabilis: *Non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere.* Contra Augustinus *de adult. Coniug. lib. 2. cap. 8.* dicit, quod similis forma debet servari in viro, et muliere. Respondeo. Illud primum in Libris Ambrosii a falsariis creditur additum. Vel dicendum, quod illud Ambrosii intelligitur in repudio, hoc autem in divortio. Nam in repudio legali licebat viro contrahere, non uxori: quia licebat antiquitus uni viro habere plures uxores, non e converso: quia per repudium illud solvebatur matrimonium, non autem per divortium.

Item: *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Contra *Luc. 10. 16. Qui vos audit me audit.* Respondeo. Non Dominus dicit ore proprio, sed inspirando.

Item super illud, *Si quis frater habet uxorem*, Glossa: *Coniux fidelis licite potest dimittere infidelem.* Contra. Catholica non potest dimittere haereticum. Glossa loquitur de infideli, qui caret sacramento fidei, non solum habitu.

Item ibidem Glossa: *Non est reputandum matrimonium quod extra decretum Dei factum est.* Contra. Ergo matrimonium contractum causa voluptatis non est matrimonium. Respondeo; Extra decretum Dei matrimonium contrahi dicitur quando contrahitur inter personas lege prohibitas.

Item. *Si qua mulier habet virum infidelem .... non dimittat virum.* Contra. Ergo Iudaea conversa non debet dimittere virum Iudaeum, cohabitare volentem. Respondeo: Secus est hodie, quam tempore primitivae Ecclesiae: quia tunc erat spes conversionis, nunc autem potius est spes subversionis propter obstinationem infidelium.

Item *super illud, Quod si infidelis discedat*, Glossa: *Recte dimittitur mulier, si dicat viro: Non ero mulier tua, nisi de latrocinio divitias mihi augeas.* Contra: *Matth. 19.* excipitur sola causa fornicationis. Respondeo: Tunc debet dimitti, ne scandalum ad tempus exortum sit in perpetuum.

Item *super illud, Non est enim servituti subiectus frater*, Glossa: *Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii in eo qui relinquit.* Contra. Matrimonium semper est inter duos: ergo in utroque solvitur, vel in nullo. Respondeo: Matrimonium solvitur in utroque; sed impedimentum ex matrimonio resultans manet in discedente solum.

Item *Circumcisio nihil est.* Contra: *Rom. 2. 25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Respondeo: Ante Christum proderat, sed post non prodest.

Item *super illud, Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, Glossa: *Ad salutem nihil prodest, vel obest Iudaicus, vel Gentilis ritus.* Contra: *Gal. 5. 2. Si circumcidimini, Christus vobis nihil prodest.* Respondeo: Glossa loquitur de ritu conversandi inter homines, non de ritu Deum colendi.

## LECTIO IV.

**Servus vocatus es? Non sit tibi curae; sed, et si potes fieri liber, magis utere: qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum.**

Superius ostendit quod si infidelis coniux non discedat, fidelis debet patienter commanere, primo ad hoc allegando spem conversionis infidelis; secundo permanentiam in statu propriae vocationis; tertio exemplum

in ritu conversationis, hic. Quarto allegat exemplum in statu conditionis, ubi primo ipsum exemplum ponit; secundo rationem exempli subdit, ibi, *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini;* tertio ex hoc regulam generalem concludit, ibi, *Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat.* In prima primo proponit in aliquo statum servilem; secundo proponit libertatis possibilitatem, ibi, *Sed et si potes fieri liber*; tertio horum praeeminentiam ad salutem, ibi, *Magis utere.* Dicit ergo: *Servus vocatus es? Non sit tibi curae;* quasi dicat: Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Verbi gratia, *servus vocatus es*, ad fidem scilicet Christi? *Non sit tibi curae*, ut scilicet velis servitutem effugere. Unde Onesymum servum Philemonis, qui ad eum confugerat, cum precibus remittit ad dominum, ut patet in Epistola ad Philemonem; *Sed* potius *si potes fieri liber*, maneas in servitute, quia causa est humilitatis: et, sicut ait Ambrosius *in Psal. 118. quanto quis despectior est in hoc saeculo propter Dominum, tanto magis exaltabitur in futuro.* Gregorius *ser. 14. Quanto quis Deo pretiosior est, tanto propter eum vilior.* Boetius: *Cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera quam adversa.*

Deinde cum dicit, *Qui enim in Domino vocatus est*, hic subdit rationem exempli: et primo ponit rationem exempli ex parte servorum; secundo ex parte liberorum, ibi, *Similiter qui liber est.* Et est ratio talis in generali. Servitus, et libertas sunt in Domino ad salutem. Sed solum debemus esse soliciti de pertinentibus ad salutem. Ergo pro indifferenti debet esse nobis servitus, et libertas. Dicit ergo: *Qui enim in Domino;* quasi dicat: Et vere non debes curare: *etenim*, pro quia, *qui in Domino*, idest in fide Domini, *vocatus est servus*, servitute corporali, *libertus est Domini*, quia scilicet a Domino manumissus, liber est libertate spirituali. Est autem libertus a servitute liberatus, et talis a servitute peccati a Domino est liberatus; ideo Domini libertus: *Ioan. 8. 36. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

Deinde cum dicit, *Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi*, hic ponit rationem ex parte liberorum: ubi primo tangit in liberis cum servis pro Christo debitam servitutem; secundo servitutis rationem, ibi, *Pretio empti estis;* tertio servitutis obligationem, ibi, *Nolite fieri servi hominum.* Dicit ergo: *Similiter et qui liber vocatus est*, libertate corporali, *servus est Christi*, servitute spirituali: *Rom. 1. 1. Paulus servus Christi Iesu etc.* quia sive servus, sive liber, omnes tamen servi; et hoc iustum est, quia *pretio empti estis.* Hoc dicitur, quia pretio inaestimabili sanguine Christi: *1. Petr. 1. 18. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vestra vana conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Et quia tanto *pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*, postponendo servitium Dei, et vos humanis superstitionibus occupando: hoc enim faciebant isti: *Supra 1. 12. Ego sum Pauli, ego autem Apollo. Unusquisque ergo*, et circumcisus, et praeputiatus, servus, et liber, *in quo* statu *vocatus est frater*, idest fidelis, *in hoc permaneat apud Deum*, scilicet observando divina mandata: *qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matth. 24. 13.* Ergo si coniugatus vocatus est ad fidem, manet coniugatus servando fidem.

## LECTIO V.

De virginibus autem praeceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Deo, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco.

A principio huius capituli egit de matrimonio; hic incipit pars secunda, in qua agit de virginitate: ubi primo agit de virginibus; secundo de virginum custodibus, ibi, *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua... quod vult faciat.* In prima primo proponit virginibus permanendi in virginitate consilium; secundo nubentibus dat bene vivendi modum, ibi, *Hoc itaque dico, fratres;* tertio ostendit quod magis expedit servare continentiae propositum, ibi, *Volo autem vos sine solicitudine esse.* In prima parte virginitatem consulit, et laudat; secundo matrimonium iam contractum concedit, et adprobat, ibi, *Alligatus es uxori? Noli quaerere solutionem;* tertio matrimonium contrahendum defendit, et a peccato excusat, ibi, *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* In prima dicit duo de virginitate: primo quod non est servanda ex praecepto; secundo quod est servanda ex consilio, ibi, *Consilium autem do.* Ubi ponit duplicem rationem, quare istud consilium est servandum. Prima est consiliarii auctoritas; secunda rei consultae dignitas, ibi, *Existimo enim hoc bonum.* Dicit ergo: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo;* quasi dicat: De coniugatis non separandis praeceptum Dei est: *de virginibus autem praeceptum Domini non habeo*, ut scilicet contineant, vel ut nubant. Quod enim de hoc dixit Dominus *Matth. 19. 12.* dixit consulendo. *Qui potest*, inquit, *capere capiat.* Virginitas autem, secundum Augustinum, res est non praecepta: suaderi potest, imperari non potest. *Consilium autem do*, scilicet de continendo, consilium mihi a Spiritu sancto inspiratum: *Tob. 4. 19. Consilium semper a sapiente perquire. Consilium*, inquam, *do*, et hoc *tamquam consecutus a Domino misericordiam*, idest Apostolatum mihi misericorditer concessum. *Consecutus*, inquam, ad hoc *ut sim fidelis*, in dispensatione mihi credita. Unde credendum est mihi in consiliis: *Luc. 12. 42. Quis putas est fideles servus?* Haymo: *Quia ei mandatum fuit ut esset fidelis consiliator, non debuit consilium indigentibus abscondere. Et est argumentum quia est acquiescendum consilio praelati.*

Deinde cum dicit, *Existimo ergo hoc bonum esse*, hic tangitur dignitas eius quod consulitur; haec duplex: una, quia expediens bonum; secunda, quia honestum, ibi, *Quoniam bonum est homini sic esse.* Dicit ergo: *Existimo enim hoc bonum esse;* quasi dicat: Quia fidelis consiliarius sum, *existimo hoc bonum esse*, sci-

licet manere in virginitate, et hoc *propter instantem necessitatem*, coniugium scilicet vitandum, quia multae necessitates instant: unde dicuntur esse in mola, *Luc. 17.* Unde vulgariter dicitur, quod matrimonium habet magnum os. *Existimo*, inquam, et vere, *quia bonum est homini sic esse*, scilicet in virginitate. Bonum scilicet honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, utile propter mercedem: quia ei debetur aureola, et fructus centesimus, *Luc. 8.* Augustinus in Glossa: *Supergreditur virginitas conditionem humanae naturae, per quam homines angelis assimilantur. Maior tamen victoria virginum quam angelorum: angeli enim sine carne vivunt, virgines autem in carne triumphant.*

Deinde cum dicit, *Alligatus es uxori?* hic matrimonium contractum concedit, et adprobat: ubi primo dicit, quod coniugatus non debet quaerere divortium; secundo consulit quod solutus non quaerat coniugium, ibi, *Solutus es ab uxore? Noli quaerere uxorem.* Dicit ergo: *Alligatus es uxori?* quasi dicat: Licet continere sit bonum, tamen *alligatus es uxori, noli quaerere solutionem*, maxime si bona est: *Eccli. 7. 21. Noli discedere a muliere sensata.* Et dicit, *Alligatus*, quasi duplici vinculo ligatus, scilicet consensu per matrimonium initiatum, et copula carnali per matrimonium consummatum. Si enim tantum uno vinculo, scilicet solo consensu, ligatus esset, posset quaerere solutionem, scilicet intrando religionem. *Solutus es ab uxore? Noli quaerere uxorem*, si potest continere: quia, sicut dicunt Apostoli *Matth. 19. 10. si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.*

Deinde cum dicit, *Si autem acceperis uxorem non peccasti*, hic excusat matrimonium contrahendum a peccato: ubi primo ostendit quod matrimonium potest contrahi sine peccato: secundo quod levius est esse sine coniugio, ibi, *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* In prima primo proponit veritatem de non virgine; secundo de virgine, ibi, *Et si nupserit virgo, non peccavit.* Dicit ergo: Si autem solutus es, *noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem*, scilicet bono fine, non ad expletionem libidinis, *non peccasti.* Hic autem est argumentum evidens contra haereticos, qui contemnunt matrimonium, de quibus *1. Timoth. 4. 3. Prohibentes nubere.* Et similiter *si nupserit virgo;* non virgo Deo dicata, quia secundum Hieronymum, voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere peccatum est; *non peccavit*, scilicet nubendo: alioquin peccasset Beata Virgo, cum desponsata esset *Ioseph. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, scilicet coniugati, idest afflictionem pro rebus necessariis procurandis et sibi, et filiis suis, et aliis. Unde levius est esse sine coniugio. *Ego autem vobis parco;* quasi dicat: Consulo evitare coniugium; quod tamen concedo parcendo infirmitati vestrae. Vel sic. *Ego autem vobis parco* in hoc quod consulo cavere tribulationes carnis.

Notandum est hic, quod sancta virginitas magnum bonum est propter multa. Primo quia carnis munditiam conservat: *Apoc. 14. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur agnum, quocumque ierit;* sicut bonum est sal, quia conservat carnem a corruptione. Secundo quia animam decorat, et ornat: unde frequenter in Scriptura iungitur virgo pulchra: *Sap. 4. 1. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Cant. 4. 7. Tota pulchra es amica mea.* Tertio quia angelis caeli assimilatur, sicut dicit hic Glossa: et *Matth. 22. 30. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei.* Hieronymus: *In carne praeter carnem vivere, ultra homines est.* Quarto quia Christo desponsat: *2. Corinth. 11. 2. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quinto quia iungit, et approximat Deo: *Psalm. 44. 15. Adducentur Regi virgines post eam: Sap. 6. 20. Incorruptio facit proximum Deo: Hierem. 3. 4. Dux virginitatis meae tu es.* Sexto quia ceteris statibus praeponderat: *Eccli. 26. 20. Non est digna ponderatio animae continentis:* infra eodem: *Qui matrimonio iungit virginem, bene facit; et qui non iungit, melius facit.* Septimo quia odorem bonae famae spirat: *Luc. 1. 27.* dicitur: *Et nomen virginis Maria: Cant. 2. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Hierusalem.* Octavo quia ad nuptias aeternas invitat: *Matth. 25. 10. Quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Sed heu, quia ad conservandum difficiles: ideo *Eccli. 42. 9. Filia patris abscondita est vigilia, et solicitudo eius aufert somnum.* Et hoc quia diabolus suggerit contrarium, corruptio inclinat ad actum, pulchritudo allicit ad consensum.

## LECTIO VI.

Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi.

Haec est secunda pars, ubi nubentibus, sive nuptis, ostendit bene vivendi modum: docens primo qualiter utantur uxoribus; secundo qualiter fortunae casibus, sive eventibus, ibi, *Et qui flent, tamquam non flentes;* tertio qualiter mundi rebus, sive possessionibus, ibi, *Et qui emunt, tamquam non possidentes;* quarto subdit rationem in his admonitionibus, ibi, *Praeterit enim figura huius mundi.* In prima implicat tria, scilicet auctoritatem consiliarii, *Hoc itaque dico;* necessitatem consulendi, *Tempus breve est;* formam consilii, *Reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Dicit ergo: *Hoc itaque dico;* quasi dicat: Quia non est peccatum nubere, *hoc itaque dico, fratres:* si coniugii *tempus breve est*, quo scilicet non generatione carnali propagandus est populus Dei, sed generatione spirituali colligendus, secundum Glossam: et quia *tempus breve est, reliquum est*, idest hoc solum restat agendum, *ut qui habent uxores, sint tamquam non habentes*, studendo servitio Dei, non autem operi carnali, debitum scilicet exigendo: unde dicitur: *Sint tamquam non habentes*; non dicit, Tamquam non habenti, sicut erant antiqui patres: propter quod dicit Augustinus *de Bono coniug. cap. 21.* quod celi-

batus Ioannis non praefertur coniugio Abrahae. Sed hodie faciunt e converso : quia qui non habent, sunt tamquam habentes.

Est autem notandum, quod tamquam non habens uxorem est qui vel uxori debitum reddit, nec exigit; vel propter infirmitatem uxorem ducit dolens quod sine ea esse nequit; vel pari affectu continentiam custodit; vel causa generandae prolis ad cultum Dei uxorem propriam cognoscit.

*Et qui flent*, pro casibus coniugii, vel pro aliqua tristitia saeculi, sint tamquam *non flentes*, consolati scilicet spe appropinquantis boni futuri: *Proverb. 12. 21. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit. Et qui gaudent*, pro aliqua prosperitate saeculi, *tamquam non gaudentes*, sed tamquam in timore existentes imminentis mali periculi: *Eccli. 11. 27. In die bonorum ne immemor sis malorum.*

Deinde cum dicit, *Et qui emunt, tamquam non possidentes*, hic ostendit qualiter utantur mundi rebus, sive possessionibus : et primo qualiter uti debeant acquirendis ; secundo qualiter acquisitis, ibi, *Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Dicit ergo: *Qui emunt tamquam non possidentes*, idest post haec terrena non sedentes, scilicet supple non apponendo cor rebus perituris: *Psalm. 61. 11. Divitiae si affluant, nolite cor apponere: Ezech. 7. 12. Qui emit non laetetur, et qui vendit non lugeat.* Et, ut universaliter colligam, *qui utuntur hoc mundo*, idest rebus mundanis, non dico fruuntur, ut mali, qui de eis malum faciunt finem, qui dicunt *Sapient. 2. 6. Fruamur bonis quae sunt*, idest praesentibus ; sed qui utuntur eis ad finem debitum referendo, sint *tamquam non utantur*, idest non adhaereant eis nimia delectatione: *1. Timoth. 6. 8. Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Praeter actum ergo coniugalem ponit quatuor differentias actuum circa solicitudinem mundanorum, scilicet flere, gaudere, emere, uti. Duo primi pertinent ad affectum, duo alii ad effectum. Ex humana vero solicitudine generatur duplex effectus, scilicet emendi respectu habendorum, et utendi respectu habitorum ; et secundum hoc ponit Apostolus consilium temperantiae in his quatuor actibus.

Deinde cum dicit, *Praeterit enim figura huius mundi*, hic subdit rationem praedictarum admonitionum, quae talis est. Transitoria sunt reputanda quasi non sint. Sed talia sunt mundana peritura. Ergo quasi non sint, sunt reputanda: et hoc est quod dicit, quod ideo mundana quasi non sint, existimanda sunt, quia *praeterit figura*, idest exterior pulchritudo, vel quod est ibi fragile conveniens statui fragilitatis. Transibunt enim qualitates mortales, et remanebunt immortales. Ideo transibit mundus, et concupiscentia eius. Omnia notanda, quia *figura*, non substantia, *mundi*, non paradisi, *praeterit*, non sistit.

Hic quaeritur super illud, *Si potest fieri liber.* Glossa : *Quanto quis propter Deum despectior est in hoc saeculo, tanto magis exaltabitur in futuro.* Contra. Ergo magis exaltabitur bonus subditus, quam bonus praelatus. Respondeo: Glossa intelligenda est ceteris paribus.

Item super illud, *Unusquisque in quo vocatus est*, Glossa, *statu.* Contra. Ergo qui vocatus est in statu saeculari, non debet intrare religionem. Respondeo : Apostolus loquitur de statibus promoventibus ad salutem, non de impedientibus.

Item super illud, *Existimo hoc bonum esse:* Glossa: *Maior est victoria virginum quam angelorum.* Contra. Ergo maior corona : ergo homines erunt maiores angelis, non solum aequales. Respondeo : Maior extensive, idest multiplicative, quia habent aureolam, non solum aureum.

Item super illud, *Bonum est homini sic esse*, Glossa, *in virginitate.* Contra. *Genes. 1. 28. Crescite, et multiplicamini.* Virginitas autem contraria est huic praecepto. Respondeo : Illud praeceptum non est perpetuum, sed datum usque ad tempus sufficientis multiplicationis humani generis.

Item super illud, *Qui habent uxores*, Glossa : *Beatiora coniugia iudicanda sunt, quae, prole concepta, pari consensu continentiam servare potuerunt.* Contra. Unumquodque tanto beatius est, quanto magis convenit fini suo ; finis autem coniugii est generatio prolis. Respondeo : Expone coniugia, idest coniuges. Vel dicendum est, quod ille non est ultimus finis coniugii, sed adimpletio numeri electorum, qui citius impleretur, si omnes continerent.

Item super illud, *Praeterit figura huius mundi*, Glossa : *In iudicio mundanorum ignium flagratione huius mundi peribit non substantia, sed figura.* Contra. *2. Petr. 3. 10. Per quem caeli magno impetu transient.* Respondeo : Ille transitus, et illa solutio accidentalis est, non substantialis, idest secundum qualitatem, non secundum substantiam.

## LECTIO VII.

Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo ; qui autem cum uxore est, solicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu ; quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniiciam ; sed ad id quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Superius dedit primo virginibus consilium continendi, secundo nubentibus documentum bene vivendi; hic tertio ostendit quod magis expedit tempus continendi: et hoc ostendit primo ratione maioris tranquillitatis ; secundo ratione maioris sanctitatis, ibi, *Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt ;* tertio ratione maioris utilitatis, ibi, *Porro hoc ad utilitatem vestram dico.* Prima ratio talis est. Tranquillitas in amore solius Dei praeferenda est solicitudini mundanorum. Sed continentes habent tranquillitatem, coniugati solicitudinem mundi. Ergo status continentium praeferendus est statui coniugatorum. Primo ergo dehortatur solicitudinem mundi ; secundo subdit quod continentes non sunt soliciti nisi in his quae sunt Dei, ibi, *Quoniam qui sine uxore est, solicitus est quae*

*Domini sunt ;* tertio ostendit quod coniugatos oportet esse solicitos in his quae sunt mundi , ibi , *Qui autem cum uxore , solicitus est quae sunt mundi.* Dicit ergo : *Volo autem ;* quasi dicat : Si nubitis, praedicta facere consulo; sed magis *volo vos esse sine solicitudine* rei uxoriae *: Philip. 4. 6. Nihil soliciti sitis.* Nota, quod dehortatur nos Scriptura a solicitudine triplici , scilicet circa mulierem , ut hic , *Volo vos sine solicitudine esse ;* circa ventrem , *Matth. 6. 25. Ne soliciti sitis animae vestrae quid manducetis , neque corpori vestro quid induamini ;* circa bursam , *Proverb. 11. 7. Expectatio solicitorum peribit.* Et recte hoc volo , quia *qui sine uxore est, solicitus est quae Domini sunt*, ut complaceat ei. Non enim habet excusationem illorum qui dicunt *Luc. 14. 20. Uxorem duxi; et non possum venire. Solicitus*, inquam, scilicet *quomodo placeat Deo*, interiori scilicet pulchritudine sua. Felix cuius votum est uxorem fugere, cuius solicitudo est Domino servire , cuius intentio est Deo placere.

Deinde cum dicit , *Qui autem cum uxore est, solicitus est quae sunt mundi*, hic ostendit quomodo coniugatos oportet esse solicitos in his quae sunt mundi, ubi implicantur quatuor gravia. Primo vinculum coniugale , ibi , *Qui cum uxore est ;* studium mundiale, ibi , *Solicitus est ;* subiectio uxoris , ibi , *Quomodo placeat uxori ;* operis divisio, ibi , *Et divisus est.* Dicit ergo : *Qui autem cum uxore est* , scilicet in matrimonio , *solicitus est quae sunt mundi* , idest de regimine familiae , et huiusmodi : unde Iacob acceptis uxoribus ait *Genes. 30. 30. Iustum est ut aliquando provideam domui meae* , idest solicitus sim quomodo placeam uxori. Et hoc fine potest se licite ornare : nam , secundum Glossam , magna amaritudo in domo est uxor tristis : et talis *divisus est* , non natura , sed actu , scilicet divisione officii , non intentionis principalis: unde Glossa: *Partim servit Deo, partim mundo.*

Deinde cum dicit , *Et mulier innupta , et virgo cogitat quae Domini sunt*, hic ponitur secunda ratio probans quod magis expedit servare propositum continentiae quam nubere , ratione maioris sanctitatis : et est ratio sua talis. Continens studet sanctitati , et divinitati, et amori Dei. Nupta vero mundo. Ergo illa praeferenda est isti. Primo ergo tangit studium innuptae, quia cogitat totaliter placere Deo ; secundo studium nuptae , quia cogitat partim placere mundo, ibi, *Quae autem nupta est , cogitat quae sunt mundi.* In prima implicat tria , scilicet continentium statum, cogitatum, et fructum. Statum honestum, quia *innupta est virgo;* cogitatum rectum , quia *cogitat quae Domini sunt ;* multiplicatum fructum , quia *ut sit sancta etc.* Dicit ergo : Et similiter *mulier innupta*, idest vidua, *et virgo cogitat* , idest maiorem habet facultatem cogitandi , *quae Domini sunt* , idest spiritualia , et aeterna. *Cogitat* , inquam, *ut sit sancta*, magis quam nupta. Multae enim nuptae sunt sanctae. Augustinus *de Bono coniug. cap. 11. Ampliorem non nuptarum et in corpore, et in spiritu sanctificationem intelligi voluit; non tamen nuptias omnino sanctificatione privavit. Sancta*, inquam, *corpore* , idest corporalibus actionibus, *et spiritu* , idest spiritualibus actionibus. Vel *sancta corpore* contra vitia carnalia , *et spiritu* contra spiritualia.

Deinde cum dicit , *Quae autem nupta est*, hic tangit solicitudinem nuptarum , ubi implicat tria. Primo coniugium ; secundo solicitudinem , ibi , *Cogitat quae sunt mundi* ; tertio coniugii studium , ibi , *Quomodo placeat viro.* Dicit ergo : *Quae autem nupta est , cogitat quae mundi sunt* , scilicet de cura filiorum , de regimine domus, et huiusmodi. Unde parentes monuerunt Saram honorare socrum , diligere maritum , gubernare domum , regere familiam , et se ipsam irreprehensibilem exhibere , *Tob. 10. Cogitat* , inquam , *quomodo placeat viro :* unde hoc fine ornantes se non peccant : verumtamen magis debent studere ei placere ornatu morum quam vestimentorum : *1. Timoth. 2. 9. Mulieres in habitu ornato ornantes se , non in tortis crinibus , aut auro , aut margaritis , vel veste pretiosa.*

Deinde cum dicit, *Porro hoc ad utilitatem vestram dico* , hic allegat tertiam rationem , scilicet maiorem utilitatem : et est ratio talis. Illud quod est utilius , magis expedit. Sed continere est utilius quam nubere. Ergo magis expedit eligere continentiam quam nuptias. Primo ergo ostendit quod utile est continere ; secundo quod honestum est , ibi , *Sed id quod est honestum ;* tertio quod facile , ibi , *Et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Dicit ergo : *Porro hoc ad utilitatem vestram dico ;* quasi dicat : Consulo non nubere. *Porro hoc ad utilitatem vestram*, maiorem scilicet , *dico* , ut expeditius Deo serviatis : quia sic mortificatur caro , quae est inimica spiritus. Augustinus *serm. 44. Sicut inimicus occisus non facit tibi iniuriam ; sic caro mortificata non turbat animam. Dico* , inquam , *non ut laqueum* fornicationis, scilicet incontinentibus, *vobis iniiciam,* aliquid difficile super hoc faciendo : immo potius laqueus poneretur, si consuleret nubere : quia de muliere dicitur *Eccle.* 7. quod laqueus venatorum est, sed potius intendens inducere omnes ad *id quod honestum est* , scilicet ad sanctitatem corporis , et animae : non quia coniugalis status non sit honestus , sed quia minus honestus: Augustinus *de Bono vid. cap. 5. Non matrimonium turpe esse monstravit , sed quod honestius erat , generalis honesti nomine commendavit:* et monens ad illud *quod facultatem praebeat* alicui observandi se in Domino , idest ad servitutem Domini ; et hoc *sine impedimento* , quod est in coniugio: *2. Corinth. 11. 2. Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Vere eligendus est status continentiae : ubi maius commodum , quia *hoc ad utilitatem :* ubi minus periculum , quia *non ut laqueum :* maior honestas, quia *id quod honestum :* liberior facultas serviendi Deo , quia *facultatem praebet sine impedimento Dominum obsecrandi.*

Notandum est hic, quod multiplex solicitudo est bona. Prima praelationis, sicut nauta solicitus est de regimine navis, pater de filiis : *Rom. 12. 8. Qui praeest, in solicitudine.* Secunda praedicationis , sicut paedagogus solicitus est de puero , doctor de discipulis : *1. Thess. 2. 2. Fiduciam habuimus loqui ad vos verbum Dei in multa solicitudine.* Tertia dilectionis , sicut amicus verus solicitus est de conservatione amoris : *Ephes. 4. 3. Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Quarta compassionis , sicut vir misericors solicitus est de egenis, et afflictis : *2. Timoth. 1. 17. Cum venisset Romam , solicite me quaesivit, et invenit.* Quinta devotionis, sicut servus solicitus est de pla-

cendo domino, religiosus Deo: *Mich. 6. 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum:* et post: *Solicite ambulare cum Deo tuo.* Sexta circumspectionis, sicut speculator solicitus est de castro custodiendo: *Deut. 4. 15. Custodite animas vestras solicite:* corpus enim cum organis, anima cum potentiis, quoddam castrum est. Septima actionis, sicut agricola solicitus est de opere perficiendo: *Luc. 10. 41. Martha solicita es: 2. Timoth. 2. 15. Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo.* Octava provisionis, sicut dispensator de domo, mercator de computo, pauper de pane quaerendo: *Rom. 12. 11. Solicitudine non pigri.*

## LECTIO VIII.

Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita fieri oportet; quod vult faciat: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; et qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit. Quod si dormierit vir eius, liberata est a lege. Cui autem vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

Superius egit de virginibus; hic agit de virginum custodibus: ostendens primo quod licet eis virgines suas coniugio copulare; secundo quod non similiter nuptis licet nisi post mortem viri contrahere, ibi, *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit.* In prima primo ostendit quod custos potest dare virginem suam in coniugio: secundo quod non peccat hoc faciendo, ibi, *Non peccat, si nubat;* tertio quod etiam bene facit servando, ibi, *Nam qui statuit... servare virginem suam, bene facit;* quarto quod licet utrumque sit bonum, tamen hoc est melius illo, ibi, *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* In prima primo supponit in virgine aetatem nubilem: secundo voluntatem nubendi, ibi, *Et ita oportet fieri;* tertio dat nubendi licentiam, ibi, *Quod vult faciat.* Dicit ergo: *Si quis autem turpem se videri existimat;* quasi dicat: Esse sine coniugio honestius est, et expeditius: sed tamen *si quis turpem se videri existimat*, apud iudicium hominum, *super virgine sua*, timens ne corrumpatur; eo *quod sit superadulta*, idest ultra pubertatem, et iam in nubilibus annis; *et ita oportet fieri* ut nubat, quia non vult continere: *quod vult* virgo, *faciat* custos: *Eccli. 7. 27. Trade filiam tuam, et grande opus fecisti; et homini sensato da illam.* Nec *peccat* custos, *si nubat* virgo. Hoc ideo dicit secundum Glossam, ne, etsi virgo non peccet, custos videatur peccare. Augustinus *de Bono vid. cap. 8. Quae si non continet, nubat; quae non cepit, deliberet; quae egressa est, perseveret. Nulla adversario detur occasio, sed falsa retrahatur oblatio.*

Deinde cum dicit, *Nam qui statuit etc.* hic ostendit quod custos virginis bene facit, eam in statu virginali servando: ubi implicatur quadruplex conditio ad hoc expediens. Prima quod custos *firmus* sit in proposito eam virginem custodiendi; secunda quod non timeat de casu virginali, ibi, *Non habens necessitatem;* tertia quod cognoscat in virgine propositum continendi, ibi, *Potestatem autem habens suae voluntatis;* quarta faciat ex deliberatione, ibi, *Et hoc iudicavit.* Dicit ergo: *Nam qui statuit... servare virginem suam, bene facit;* quasi dicat: Ideo autem dico, quod non peccat qui tradit virginem: nam de alio qui servat eam, patet quod bene faciat: *nam qui statuit in corde servare virginem suam, firmus* in proposito suo, non curans sobolem, vel aliud huiusmodi, *non habens necessitatem* tradendi eam, cum virgo velit continere, *potestatem autem habens*, secundum alumnae continentiam, *voluntatis suae* perficiendae, *et hoc iudicavit in corde suo*, idest ex iudicio rationis, non ex levitate mentis, discernit esse bonum: *1. Tim. 5. 21. Sine praeiudicio nihil facias. Iudicavit*, inquam, *servare virginem suam.* Ambrosius *super hunc locum: Non ingerens ei fomitem nuptiarum: Eccli. 7. 26. Filiae tibi sunt? Serva corpus illarum.* Qui facit inquam, sic, *bene facit.*

Deinde cum dicit, *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit,* hic ostendit quod licet utrumque sit bonum, tamen virginitas est melior matrimonio: ut primo adprobat statum coniugalem; secundo praeponit statum virginalem, ibi, *Qui non iungit, melius facit.* Dicit ergo: *Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit;* quasi dicat: Quia oportet fieri ut diximus: *igitur et qui matrimonio iungit virginem, bene facit*, quia licitum est quod facit; *et qui non iungit*, cum virgo acquiescat continere, *melius facit.* Glossa: *Melius facit qui apud Deum meritum suum collocat, et a sollicitudine liberat eam.* Melius est enim quod licet, et expedit, quam quod licet, et non expedit. Hic enim bene utitur malo, ibi vero bene utitur bono. Bene utitur quis bono continentiam dedicans Deo; male utitur quis bono continentiam dedicans idolo; male utitur quis malo, concupiscentiam relaxans adulterio; bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Bonum est pudicitia coniugalis, sed melius est continentia virginalis, vel vidualis, secundum Glossam.

Deinde cum dicit, *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit*, hic ostendit quod non similiter coniugata, nisi viro mortuo, potest contrahere: ubi primo ostendit quod coniugata non potest nubere viro vivente; secundo quod viro mortuo potest alii nubere, ibi, *Quod si dormierit vir eius, liberata est a lege;* tertio quod melius est illi continere, ibi, *Beatior autem erit, si sic permanserit;* quarto quod debet consilio eius credere, ibi, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.* Dicit ergo: *Mulier alligata est legi etc.* quasi dicat: Qui non iungit virginem suam, melius facit; et vere melius, quia *mulier alligata est legi etc.* Vel sic. Virgo quocumque tempore potest nubere, sed uxorata non, quia *mulier alligata est legi*, ita ut non possit nubere alteri, *quanto tempore vir eius vivit: Rom. 7. 2. Quae autem sub viro est mulier, vivente viro est alligata legi viri.* Deinde cum dicit, *Quod si dormierit*, somno mortis: de qua dormitio-

ne *Ioann. 11. 11. Lazarus amicus noster dormit: vir eius.* Augustinus *de Bono vid. cap. 4. et 12. Non dicit primus, secundus, vel tertius, vel quartus, vel quousque licet. Nec nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde nec ullas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. Si dormierit,* inquam, *liberata est a lege viri:* unde permittitur ei nubere. Hinc patet quod resurgenti non tenetur copulari; *sed cui vult nubat.* Invitae enim nuptiae solent habere malos proventus; ideo dicitur *Gen. 24. 57. Vocemus puellam, et quaeramus voluntatem eius. Nubat,* inquam, *tantum in Domino,* idest viro suae religionis: nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium, *Deuteron. 7.* Per hanc licentiam Apostoli, revocatae sunt omnes poenae, et infamiae, quae secundum leges infligebantur olim mulieri secundo nubenti infra tempus luctus, scilicet intra annum. Ergo in nuptiis exigitur personarum legitimitas, unde dicitur, *Liberata est:* consensus libertas, unde addit, *Cui vult nubat*: cultus paritas, unde subdit, *Tantum in Domino.*

Deinde cum dicit, *Beatior autem erit, si sic permanserit,* hic ostendit quod melius est illi continere quam nubere, dicens: Quamvis liceat ei nubere, *tamen beatior erit, si sic permanserit,* scilicet innupta: et hoc est consilium meum, supra eodem datum: habebit enim fructum sexagesimum, qui debetur viduis, *Matth. 13.* Augustinus *de Bono vid. cap. 4. Satis ostendit beatam esse post mortem viri et secundo nubentem; sed beatior est non nubens.* Deinde cum dicit, *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam,* hic ultimo ostendit quod debent consilio eius credere, quia inspirante Spiritu sancto hoc consulit: et hoc est quod dicit: *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam;* quasi dicat: Faciendum est *secundum consilium meum,* quia *puto quod et ego,* sicut ceteri Apostoli, *Spiritum Dei habeam: Rom. 8. 23. Sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes.* Hoc ergo consilium debet impleri et propter fructum sequentem, quia *beatior erit,* et propter consulentis auctoritatem, quia *secundum consilium meum,* et propter Spiritum Dei inspirantem, quia *puto quod et ego Spiritum Dei habeam.*

Hic quaeritur super illo verbo, *Volo vos sine sollicitudine esse.* Contra. *Rom. 12. 11. Solicitudine non pigri.* Responsio. Ibi loquitur de solicitudine spirituali, hic de temporali.

Item super illo, *Divisus est.* Contra. *Osee 10. 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Responsio. Ibi loquitur de divisione intentionis principalis, hic de divisione actionis.

Item Glossa ibidem: *Partim servit Deo, partim mundo.* Contra. *Matth. 6. 24. Nemo potest duobus dominis servire.* Responsio. Verum est, ita quod aequaliter serviat utrique in eo quod duo, idest contrarii, sunt.

Item super illud, *Mulier innupta cogitat quae Domini sunt,* Glossa: *Non cogitat, ne damnetur a Deo.* Contra. Damnari potest, ut patet in parabola de fatuis virginibus. Responsio. Non cogitat hoc solum, sed cum hoc etiam ne offendat sponsum.

Item super illud, *Ut sit sancta corpore, et spiritu,* Glossa: *Non potest fieri ut non sit sanctum corpus quo utitur sanctificator Spiritus.* Contra. Spiritus sanctus usus est lingua Caiphae non sancta, *Ioan. 11.* Responsio. Utebatur ea ut spiritus, non ut sanctificator.

Item. *Sed ad id quod honestum est.* Contra. Ergo matrimonium turpe. Responsio, secundum Glossam. Positivum posuit pro comparativo.

Item super illud, *Qui non iungit, melius facit,* Glossa: *Hic,* scilicet in coniugio, *bene utitur homo malo.* Contra. Cuius usus bonus est, ipsum quoque bonum est. Responsio. Illud intelligitur de usu rei per se, scilicet ad quem ordinata est, non per accidens, scilicet ad quem ex prudentia utentis ordinatur.

Item Glossa ibidem: *Melius est bene uti bono, quam bene uti malo.* Contra. Hoc difficilius illo. Responsio. Loquitur hic de malo vitii, non supplicii.

Item super illo verbo in Glossa, *Duae permissae.* Contra. Ergo duae nuptiae non sunt a Deo. Responsio. Non ex eo quod duae, nisi ex consequenti.

Item. *Si dormierit vir:* quid dicendum est, si resuscitatur? Responsio. Requiritur consensus novus ad hoc quod sit matrimonium.

Item super illud, *Puto quod Spiritum Dei habeam.* Contra. *Rom. 8. 28. Certus sum quod neque mors, neque vita... Poterunt nos separare a caritate Dei.* Responsio, secundum Glossam. Non dicit hoc dubitando, sed quasi increpando.

# CAPITIS OCTAVI

## LECTIO PRIMA

De his autem quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero aedificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi unus. Nam et si sunt qui dicantur dii sive in caelo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant; et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo: neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus.

Excluso errore circa correctionem criminum, *cap. 5. et 6.* item circa virginitatem, et matrimonium, *cap. 7.* hic excludit errorem circa esum, et abstinentiam ciborum *cap. isto, et 9. et 10.* loquens de his quae idolis immolabantur; a quibus, quamvis in se licitis, abstinere monet, primo allegando eis scandalum infirmorum *cap. isto;* secundo exemplum sui, qui propter alios abstinet a receptione sumptuum licitorum, *cap. 9.* tertio exemplum poenae Iudaeorum post tanta

beneficia Dei in deserto prostratorum, *cap. 10.* Ergo propter scandalum proximi, exemplo Apostoli, non propter timorem supplicii, debemus abstinere a cibis aliquando licitis. In primo ostendit quod in se licita est comestio idolothytorum; secundo monet nihilominus abstinere propter scandalum fratrum infirmorum, ibi, *Videte ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* In prima primo proponit quod maiores eorum habent scientiam de idolothytis; secundo ostendit qualem scientiam habent de eis, ibi, *De escis autem quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo;* tertio quod quidam infirmi hac scientia carent, ibi, *Sed non in omnibus est scientia*; quarto quod alii coram eis idolothyta edere non debent, ibi, *Esca autem nos non commendat Deo.* In prima primo dicit, quod de idolothytis scientiam habent; secundo quod eam sine caritate inutiliter habent, ibi, *Scientia inflat, caritas autem aedificat;* tertio ostendit a quibus habeatur haec scientia insufficienter, ibi, *Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire;* quarto a quibus sufficienter, ibi, *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Dicit ergo: *De his autem quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus;* quasi dicat: De praedictis quaesivistis a me, scilicet de pertinentibus ad matrimonium: de aliis autem, ut de immolatis idolo, non fuit necesse quaerere: quia omnes scitis super hoc veritatem: et hoc est quod dicit: *De his autem quae idolis sacrificantur*, an liceat edere, vel non, *scimus*, ego et vos, quod liceat ea comedere, secundum illud *ad Titum 1. 15. Omnia munda mundis: scimus quia omnes scientiam habemus*, ego scilicet, et vos perfecti inter alios, scilicet scientiam de Creatore, et creaturis: et ideo minus excusabiles, si male facimus.

Deinde cum dicit, *Scientia inflat*, hic ostendit quomodo sine caritate scientiam inutiliter habent; quasi dicat: Habetis quidem scientiam; sed non valet vobis, quia inde superbitis contra ignaros. *Scientia* autem, si sola est, *inflat: Eccle. 1. 18. In multa sapientia multa est indignatio: Act. 26. 24. Multae litterae te faciunt insanire.* Haec enim fuit plaga Ægyptiorum, idest sapientium huius mundi, vesicae turgentes, *Exod. 9. Caritas vero aedificat*, infirmos; quae quod eis obesse potest, dimittit, quia non quaerit quae sua sunt. Unde addenda est scientiae caritas. Augustinus *epist. 119. Addite ergo scientiae caritatem, et utilis erit scientia.* Per se quidem est inutilis, ex caritate vero utilis: Philosophus *2. Ethic. cap. 4. Scire aut nihil, aut parum prodest ad virtutem.*

Deinde cum dicit, *Si quis autem existimat se scire aliquid etc.* hic ostendit a quibus haec scientia habetur insufficienter, quia ab illis qui ea utuntur in nocumentum proximi: et est sua ratio talis. Quicumque habet scientiam, non modum utendi ea, habet scientiam insufficienter. Sed qui habet scientiam sine caritate, est huiusmodi. Ergo qui habet scientiam sine caritate, habet insufficienter scientiam. Primo ergo supponit scientiam sine caritate; secundo ostendit insufficientiam talis scientiae, ibi, *Nondum cognovi;* tertio rationem insufficientiae, ibi, *Quemadmodum oporteat eum scire.* Dicit ergo: *Si quis autem existimat se scire;* quasi dicat: Habetis scientiam, sed non sufficientem: quia *si quis* vestrum *existimat se scire*, habens scientiam sine caritate, aliquid scit, scilicet quod liceat comedere idolothyta, *nondum tamen cognovit:* quia non se cognoscere facto ostendit, *quomodo oporteat eum scire*, idest qualiter debeat uti scientia, quia in aedificationem, non in nocumentum aliorum. Scire autem contingit dupliciter, scilicet habere scientiam, et uti scientia; sicut videre, habere visum, et uti visu. Glossa Bernardi: *Hic non adprobat Apostolus multa scientem, si modum sciendi nescierit. Modus enim sciendi est uti scias quo ordine, quo studio, quo fine scire quaeque oporteat: quo ordine, ut id prius quod maturius ad salutem; quo studio ut id ardentius quod efficacius est ad amorem; quo fine, ut non ad inanem gloriam, vel curiositatem velle aliquid, sed ad aedificationem tui, et proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et curiositas est; quidam ut sciantur, et vanitas est; quidam ut scientiam vendant, et turpis quaestus est; quidam ut aedificentur, et prudentia est; quidam ut aedificent, et caritas est.*

Deinde cum dicit, *Si quis autem diligit Deum, is cognitus est ab eo*, hic ostendit a quibus haec scientia habetur sufficienter, quia ab illis qui utuntur ea ex caritate. Primo ergo supponit scientiam cum caritate; secundo ostendit sufficientiam talis scientiae, ibi, *Hic cognitus est.* Dicit ergo: *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo;* quasi dicat: Ille perfecte non scit qui nescit quemadmodum oporteat eum scire. *Si quis autem diligit Deum*, et ita cum scientia habet caritatem, *hic cognitus*, idest adprobatus, *est ab eo: novit enim Dominus qui sunt eius, 2. Timoth. 11. 19.* Unde talis vere scit Deo adprobante, quia bene utitur scientia propter caritatem adnexam.

Notandum est hic, quod ad hoc quod aliquis sciat quemadmodum oporteat scire, novem sunt necessaria. Primo humiliter sine inflatione: *Philippens. 4. 12. Scio humiliari: Psal. 130. 2. Si non humiliter sentiebam.* Secundo sobrie sine praesumptione: *supra 2. 2. Non iudicavi me scire: Rom. 12. 3. Non plus sapere quam oportet.* Tertio certitudinaliter sine haesitatione: *2. Timoth. 1. 12. Scio cui credidi, et certus sum.* Quarto veraciter, et sine errore: *2. Tim. 3. 7. Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Quinto simpliciter sine deceptione: *1. Timoth. 6. 20. Oppositiones falsi nominis scientiae.* Sexto salubriter cum caritate, et dilectione, *infra 13. 2. Si habuero omnem scientiam .... caritatem autem non habuero, nihil sum.* Septimo utiliter cum proximorum aedificatione: *infra 12. 8. Alii datur sermo scientiae in eodem Spiritu.* Octavo liberaliter cum gratuita communicatione: *Sapient. 6. 24. Ponam in lucem sapientiam eius.* Nono efficaciter cum bona operatione: *Scienti enim bonum, et non facienti, peccatum est illi, Iac. 4. 17.* Primum, scilicet humilitas scientiae, arguit sapientes superbos; sobrietas curiosos; certitudo dubiosos; veritas haereticos; simplicitas advocatos; salubritas magos; utilitas iniquos; liberalitas avaros; efficacia otiosos.

Deinde cum dicit, *De escis autem quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo*, hic ostendit qualem scientiam habent de idolothytis, ostendens primo quod sciunt idolum nihil esse; secun-

do quod sciunt omnia a Deo esse, ibi, *Nam etsi sunt qui dicantur dii . . . . nobis tamen unus Deus.* In prima primo dicit idolum nihil esse ; secundo iuxta hoc ad declarationem ostendit Deum non nisi unum esse, ibi , *Et quod nullus Deus nisi unus.* Dicit ergo : *De escis autem quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo ;* quasi dicat : Praedictis modis non valet scientia, sed tamen *de escis quae immolantur idolis, scimus* , scientia vera , scilicet quod in se sunt licitae , nec propter idolum sunt immundae : et hoc quia *idolum nihil est in mundo.* Hoc tripliciter exponitur. Primo sic. *Idolum nihil est in mundo,* idest inter creaturas mundi , quantum ad formam idoli: licet enim materia idoli sit aliquid, scilicet aurum, vel argentum, vel huiusmodi; tamen nihil est forma, scilicet quae creditur ibi esse ab idololatris, qui credunt idolum esse Deum : *Is. 41. 24. Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est.* Secundo modo sic. *Idolum nihil est,* scilicet persona subsistens ex simulacro, et spiritu praesidente. Ex istis enim duobus nihil fit , sicut ab idololatris putatur : *Hier. 10. 14. Confusus est omnis artifex in sculptili , quia falsum est quod conflavit , et non est spiritus in eo.* Tertio modo sic. *Idolum nihil est in mundo,* idest nullius rei quae sit in mundo habet similitudinem. Est enim differentia inter idolum et simulacrum, quia simulacrum dicitur quod fit ad similitudinem rei alicuius naturalis; idolum autem ad nullius rei est similitudinem, ut si corpori humano addatur caput equinum : *Is. 40. 18. Cui similem fecistis Deum ? Aut quam imaginem ponetis ei ? Et* scimus etiam *quod nullus Deus nisi unus : Deuter. 6. 4. Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est.*

Deinde cum dicit , *Nam etsi sunt qui dicantur dii . . . . nobis tamen unus Deus,* hic ostendit quod sciunt omnia a Deo esse, non a diis nuncupativis , vel adoptivis, ut sunt idola , vel sancti; sed ab uno summo. Primo ergo dicit quomodo potest intelligi deorum pluralitas, scilicet per adoptionem , vel nuncupationem ; secundo quomodo est divinitatis unitas, scilicet per essentiam , ibi , *Nobis tamen unus Deus Pater:* ubi primo tangit unitatem in Patre; secundo in Filio, ibi, *Et unus Dominus Iesus Christus.* In primo tangit tria, scilicet essentiam , quia *unus Deus ;* personam , quia *Pater;* potentiam, *ex qua omnia ;* clementiam , quia *et nos in illo.* Similiter ista tangit in Filio. Dicit ergo: *Nam etsi sunt qui dicantur dii . . . nobis tamen unus Deus ;* quasi dicat : Et vere non est nisi unus Deus : *nam etsi sunt qui dicantur dii,* vere, participatione divinitatis, ut sancti : *Psalm. 81. 6. Ego dixi , Dii estis : sive in caelo ,* ut sancti comprehensores , *sive in terra ,* ut sancti viatores , *siquidem sunt dii multi,* vere, participatione divinitatis, ut sancti, *et multi domini,* ut Apostoli, et praelati, *nobis tamen unus Deus.* Alio modo legitur sic. *Nam etsi sunt qui dicantur dii* a gentibus, scilicet falsa nuncupatione, *sive in caelo,* ut sol, et luna; *sive in terra,* ut Mercurius, et Diana, *siquidem sunt dii multi,* sola scilicet nuncupatione , secundum gentiles : *Psalm. 95. 5. Dii gentium daemonia ; et domini multi ,* qui aliis praesunt; *nobis tamen* tantum *unus est Deus* essentialiter, scilicet *Pater, ex quo omnia* secundum naturam , et per paternam auctoritatem: *Rom. 11. 36. Ex quo omnia: et nos in illo* , per gratiam: *Act. 17 28. In ipso vivimus, movemur, et sumus : et unus* cum Patre Deus *Dominus Iesus Christus: Ioan. 10. 30. Ego et Pater unum sumus : per quem omnia,* scilicet facta sunt secundum naturam: *Ioan. 1. 3. Omnia per ipsum facta sunt: et nos per illum,* scilicet sumus in Deo per gratiam : *Rom. 1. 5. Per quem accepimus gratiam , et apostolatum.* Ergo unus est altissimus Creator omnium omnipotens. Ex his elicitur talis ratio. Non est nisi unus Deus, qui fecit omnia. Sed multa sunt idola. Ergo non sunt Deus, qui fecit omnia, nec creduntur aliquid: ergo nihil.

*Sed in omnibus est scientia.* Habito quod maiores illorum habent scientiam de idolothytis ; hic ostendit quod minores hac scientia carent. Ubi primo ostendit quod in quibusdam defuit praedicta de idolothytis scientia; secundo quod propter hunc esum idolothytorum polluitur eorum conscientia. Ubi primo tangit pollutae conscientiae rationem; secundo ipsam pollutionem, ibi, *Et conscientia ipsorum . . . polluitur.* Dicit ergo: *Sed non in omnibus est scientia;* quasi dicat: Hoc scimus nos, scilicet quod idolum nihil est ; *sed non in omnibus,* ut in infirmis, *est scientia* haec: et vere *non est in omnibus ; quidam tamen cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant.* Vel sic. *Nos* scimus, quod idolum nihil est in mundo : *quidam tamen cum conscientia idoli* , quia scilicet putant idolum aliquid divinum esse , *usque nunc* , idest post conversionem, sicut ante, *manducant idolothytum,* idest de sanctificatis idolis; et hoc non quasi cibum simpliciter, sed *quasi idolothytum* , scilicet ad reverentiam idoli. *Et conscientia illorum, cum sit infirma, polluitur per illos,* scilicet qui habent rectam scientiam, sed non cum caritate , per quos in hunc errorem infirmi inducuntur : *Deut. 27. 18. Maledictus qui errare facit caecum in itinere.* Hic innuit, quod non cibus, sed conscientia polluitur per peccatum , comedendo ad exemplum malorum.

Deinde cum dicit, *Esca autem non commendat nos Deo* , hic quarto ostendit quod coram eis idolothyta comedere non debent. Ubi primo ostendit quod huiusmodi comestio nihil prodest apud Deum; secundo probat quod non praestat aliquod bonum augmentum, ibi, *Neque enim si manducaverimus, deficiemus.* Dicit ergo: *Esca autem nos non commendat Deo;* quasi dicat: Illis nocet vestra comestio, vobis autem non prodest: *esca enim nos non commendat Deo* , sed recta fides in edendo. Nam nec Esau esu lenticulae iustificatus est , nec Elias esu carnium pollutus est : *Rom. 14. 17. Non est regnum Dei esca, et potus: Heb. ult. 9. Bonum est gratia stabilire cor , non escis.*

Deinde cum dicit , *Neque enim si non manducaverimus , deficiemus ,* hic probat quod proposuit ; et est sua ratio talis. Non comedere idodothytum non diminuit bonum. Comedere non auget. Ergo talis esca sumpta , vel non sumpta nihil prodest apud Deum : et hoc est quod dicit : *Neque enim si non manducaverimus , deficiemus ,* idest minus ab eo habebimus ; *neque si manducaverimus , abundabimus,* in virtutibus: quia esca ventri , non menti proficit: et ita cum non sit de veritate vitae, iustitiae, et doctrinae , dimittenda est propter scandalum.

## LECTIO II.

Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta; et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.

Haec est secunda pars huius capituli: superius enim ostendit quod in se licita est comestio idolothytorum; hic monet abstinere ab ea propter scandalum infirmorum. Ubi primo monet ne offendant fratres sua comestione; secundo quod potest offendere, ibi, *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem etc.* tertio ostendit malum quod inde potest accidere, ibi, *Et peribit infirmus in tua scientia frater;* quarto praebet se in exemplum abstinentium, ibi, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.* Dicit ergo: Videte, quia quantum ad nos nihil prodest, vel obest esca ipsa; sed tamen *videte ne forte haec licentia vestra*, qua scitis licere vobis comedere de idolothytis, *offendiculum fiat infirmis* in fide, qui nondum sciunt idolum nihil esse: *Lev. 19. 14. Coram caeco non pones offendiculum.* Deinde cum dicit, *Si quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem etc.* hic ostendit quomodo possunt offendere, quia comedendo idolothytum coram infirmis; ubi implicantur tria concurrentia ad scandalum. Primo maior scientia; secundo comestio idolothyti publica, ibi, *In idolio recumbentem;* tertio occasio scandali accepti, ibi, *Nonne conscientia eius... aedificabitur ad manducandum?* Dicit ergo: *Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem etc.* quasi dicat: Et vere potest esse offendiculum: *si enim quis* infirmus *viderit eum qui habet scientiam recumbentem in idolio*, idest in praesentia idoli, *nonne conscientia eius, cum sit infirma*, per te *aedificabitur*, idest per factum tuum, *ad manducandum idolothyta*, idest sacrificata in reverentiam idoli? quasi dicat sic, Videns enim quis fratrem peritum, in idolio sacrificata comedere, incipit ipse edere, non illa conscientia qua ille, scilicet peritiae causa; sed id putat esse numen, in cuius reverentia hoc fiat.

Deinde cum dicit, *Et peribit infirmus*, hic ostendit malum quod inde potest accidere; et hoc duplex. Primo scandalum proximi; secundo offensam proximi, ibi, *Sic autem peccantes in fratres, in Christum peccatis.* In prima implicantur tria. Peccantis conditio, quia *infirmus;* peccandi occasio, quia *in tua conscientia?* peccati exaggeratio: quia *propter quem Christus mortuus est.* Dicit ergo: Et ita *peribit infirmus*, in fide, *in tua scientia frater*, idest occasione accepta a tua scientia: quia te sapientem videt comedere, putans quod sub idoli veneratione comedas: *propter quem* salvandum *Christus mortuus est:* et ita graviter peccas: *Rom. 14. 15. Noli cibo perdere illum pro quo mortuus est Christus. Sic autem peccantes in fratres*, peccato scandali, et *percutientes conscientiam eorum infirmam*, gladio mali exempli: *Amos 9. 1. Percute cardinem*, idest conscientiam, *et commovebuntur superliminaria*, idest intellectus, et affectus: *In Christo peccatis*, cuius membra sunt. Non ait, In Christum, secundum Glossam: quia in Christum peccare, est Christum negare, idest peccare in fide; in Christo peccare est in his quae Christi sunt peccare, scilicet in moribus; sicut ille qui in lege est, dicitur in lege peccare; qui autem in lege non est, dicitur peccare in legem.

Deinde cum dicit, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum*, hic ultimo proponit se in exemplum abstinentiae: ubi primo implicat scandalum; secundo ex hoc explicat abstinentiae propositum, ibi, *Non manducabo carnem in aeternum;* tertio praevenit dubium, ibi, *Ne fratrem meum scandalizem.* Dicit ergo: *Quapropter*, ne scilicet peccem in Christum, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem* aliquam, non solum idolothyta, *in aeternum.* Si ergo propter scandalum fratrum abstinendum est quasi a necessariis vitae, multo magis a superfluis: et hoc non ideo quod esca in se mala sit, sed *ne scandalizem fratrem meum.* Nam *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur in collo eius mola asinaria, et demergatur in profundum maris, Matth. 18. 6. Rom. 14. 20. Omnia munda mundis; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.*

Hic quaeritur *super illud, Scientia inflat.* Glossa: *Scientia per se inutilis est.* Contra. Per se bona est: ergo et utilis. Responsio. Inutilis est ad salutem, utilis tamen ad multa alia.

Item. *Caritas aedificat.* Contra. Sicut scientia inflat, non per causam, sed per occasionem; sic et caritas. Responsio. Non est simile: quia scientia habenti se manifestat; sed non sic caritas: quia nemo certus est de caritate.

Item *super illud, Idolum nihil est*, Glossa: *Naturam Deus formavit, sed stultitia hominum formam dedit.* Contra. Omne esse est a Deo: ergo omnis forma. Responsio. Glossa loquitur de forma putativa in natura, non de vera.

Item ibidem Glossa: *Forma hominis in idolo non est facta per Verbum.* Contra. *Ioan. 1. 3. Omnia per ipsum facta sunt.* Responsio. Quamvis forma hominis in illo sit facta per Verbum, non tamen in idolo, idest ad colendum.

Item ibidem Glossa: *Idolum nihil est, quia nullius rei quae sit in mundo, similitudinem habet.* Contra. Non potest artifex cogitare, vel formare nisi qualia vidit. Responsio. Non habet similitudinem in toto, sed in partibus.

Item *super illud, Nullus Deus nisi unus*, Glossa: *Hoc dicit, ne putetur esse Deus in idolo.* Contra. Deus, licet sit unus, tamen est ubique. Responsio. In idolo est per potentiam, non per praesidentiam, vel unionem, ut putabant Gentiles.

Item ibidem Glossa: *Pars Trinitatis non potest esse*

*quicumque unus in tribus.* Contra. Cuiuslibet numeri pars est unitas. Responsio. Trinitas non est numerus simpliciter, sed numerus personarum.

Item *super illud, Et si sunt qui dicuntur dii*, Glossa, *Participatione divinitatis.* Contra. Divinitas est imparticipabilis. Responsio. Participatio haec per causam est, non per essentiam.

Item ibidem Glossa: *Quaeritur utrum angeli vocandi sint dii.* Responsio. Quamvis participent divinitatem, tamen, secundum Glossam, non sunt dicendi dii propter periculum adorationis.

Item *super illud, Nobis tamen unus Pater*, Glossa: *Trinitas est nobis unus Pater, non tamen ille qui tertia in Trinitate persona alius.* Contra. Idem, et diversum dividunt ens. Respondeo, quod quamvis idem, et diversum dividant ens creatum, non tamen increatum: quia ibi est identitas in essentia cum diversitate in personis.

Item. *Non in omnibus est scientia.* Contra. Supra eodem, *Omnes scientiam habemus.* Responsio. Illud non intelligitur universaliter, sed de maioribus.

Item *super illud, Esca non commendat nos Deo*, dicit Glossa, *Sumpta, vel non sumpta.* Contra. Ergo abstinentia nihil meretur. Responsio. Non virtus escae, sed virtus abstinentiae prodest.

Item. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.* Contra. Ergo pro scandalo fratris a pane, et vino abstinendum est in perpetuum. Responsio. Non est simile de necessariis, et superfluis. Vel loquitur hic de scandalo activo, non passivo. Vel perfectionis est hoc, non necessitatis.

Notandum est hic *super illud, Unus Deus*, quod Deus potest accipi multipliciter, scilicet falsa nuncupatione; et sic idola dicuntur dii: *Psalm. 95. 5. Omnes dii gentium daemonia: Hierem. 10. 11. Dii qui caelum, et terram non fecerunt, pereant de terra.* Vera adoptione; et sic sancti dicuntur dii: *Psalm. 81. 6. Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini.* Mundana praelatione; et sic praelati dicuntur dii: *Exod. 22. 28. Diis non detrahes: Ioan. 10. 35. Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.* Essentiae proprietate; et sic Trinitas dicitur Deus: *Deuteron. 6. 4. Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est.*

Item notandum, quod Christus unus sine pari multipliciter dicitur. Primo unus Deus propter naturam divinitatis: unde sic nullus est Deus nisi unus. Secundo unus Creator propter infinitatem potestatis: *Eccli. 1. 8. Unus est altissimus Creator omnium.* Tertio unus homo propter singularem eminentiam sanctitatis: *Psalm. 13. 1. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: Ioan. 11. 1. Expedit ut unus moriatur homo.* Quarto unus Dominus propter gubernationem praelationis: *Ephes. 4. 5. Unus Dominus, una fides, et unum baptisma:* et hoc modo unus Dominus Iesus Christus. Quinto unus magister propter infusionem cognitionis: *Matth. 23. 10. Non vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Sexto unus pater propter productionem universitatis: *Matth. 23. 9. Unus est enim Pater vester, qui in caelis est.* Septimo unus pastor propter generalem refectionem populi fidelis: *Ioan. 10. 16. Fiet unum ovile, et unus pastor.* Octavo una hostia propter singulare pretium nostrae redemptionis: *Hebr. 10. 14. Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos.*

## CAPITIS NONI

### LECTIO PRIMA

Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. Mea defensio apud eos qui me interrogant, haec est. Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi? Numquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? Aut solus ego, et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit. Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi triturani. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique haec dicit? Nam propter nos utique scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.

Supra monuit cavere ab edendo idolothyta coram infirmis propter scandalum fratrum infirmorum; hic proponit se in exemplum, quia propter alios abstinet se a sibi licitis, scilicet ab acceptione sumptuum: ubi primo proponit multipliciter quia licitum est sumptus accipere; secundo quod nihilominus non vult accipere, ibi, *Ego autem nullo horum usus sum.* In prima parte, quod licitum sit sumptus accipere, probat tripliciter. Primo per auctoritatem; secundo per rationem, ibi, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* tertio per exemplorum similitudinem, ibi, *Nescitis quod hi qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt?* In prima primo probat per auctoritatem apostolicae dignitatis; secundo per auctoritatem humanae consuetudinis, ibi, *Quis militat suis stipendiis umquam?* tertio per auctoritatem divinae legis, ibi, *Numquid secundum hominem haec dico?* In prima primo probat quod sit Apostolus generaliter; secundo quod sit Apostolus eorum specialiter, ibi, *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum;* tertio quod potest accipere sumptus licite, ibi, *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi?* In prima primo quaerit an habeat libertatem accipiendi sumptus; secundo an sit Apostolus, ibi, *Non sum Apostolus?* tertio probat duplici ratione quod sit liber, et Apostolus, ibi, *Nonne Dominum Iesum Christum vidi?* Dicit ergo: *Non sum liber?* quasi dicat: Abstinete ab hoc licito, scilicet ab esu idolothytorum, quia ego etiam

abstineo a stipendiis, cum tamen habeam libertatem accipiendi. Numquid enim *non sum Apostolus?* Immo vere sum Apostolus: *Gal. 2. 8. Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Est ergo ratio sua talis. Omnis Apostolus ratione sui Apostolatus habet libertatem accipiendi sumptus. Sed ego sum Apostolus, utrumque probat postea. Ergo etc.

Deinde cum dicit, *Nonne Dominum Iesum Christum vidi?* hic probat duplici ratione quod sit Apostolus. Primo per causam; secundo per effectum, ibi, *Nonne opus meum vos estis in Domino?* Prima ratio sumitur ex parte Christi mittentis; secunda ex parte Corinthiorum, quibus mittitur. Prima ratio est. Ego vidi Dominum, qui me misit ad praedicandum: ergo sum Apostolus: et hoc est quod dicit: *Nonne Dominum Iesum Christum vidi?* quasi dicat: Vere sum Apostolus. *Nonne Dominum Iesum Christum vidi?* Hoc dicit propter pseudoapostolos, qui dicebant ipsum non esse Apostolum, quia non fuerat in societate Domini, sicut ceteri Apostoli. Ipse autem vidit eum iam immortalem, secundum Glossam, vel in via, *Act. 9.* vel in templo, *Act. 22.* Unde *Act. 9. 27. Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit quomodo in via vidisset Dominum: Infra 15. 8. Novissime omnium tamquam abortivo visus est et mihi. Nonne opus meum vos estis in Domino?* Ecce secunda ratio talis. Vos estis conversi ad fidem per me missum ad hoc: ergo sum Apostolus. *Nonne opus meum vos estis*, o Corinthii, sicut templum architecti? *Sup. 3. 10. Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Item ut filius opus genitoris: *Sup. 4. 15. In Christo Iesu per Evangelium vos genui. Opus*, inquam, *meum*, et hoc *in Domino*, idest Domino cooperante. Vel *in Domino*, idest ad gloriam Domini; quasi dicat, Sic estis.

Deinde cum dicit, *Et si aliis Apostolus non sum, sed tamen vobis sum*, hic probat quod est Apostolus eorum specialiter; secundo probat hoc per effectum, ibi, *Nam signaculum Apostolatus mei vos estis;* tertio ostendit quod per effectum illum defendit se esse Apostolum, ibi, *Mea defensio ad vos qui me interrogant haec est.* Dicit ergo: *Et si aliis non sum Apostolus, vobis tamen sum;* quasi dicat: Vere opus meum estis, quia *et si aliis*, scilicet Iudaeis, quorum legem evacuo, *non sum*, idest non videor esse, *Apostolus; sed tamen vobis sum*, qui per me conversi estis specialiter: *Rom. 11. 13. Quamdiu Gentium sum Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Et vere vobis sum Apostolus: nam *vos estis signaculum apostolatus mei*, idest forma, et sigillum: quia apostolatus meus impressus est in vobis, sicut forma sigilli in cera. Glossa: *In vobis apparet quod sum Apostolus, dum habetis per me quod etiam per alios Apostolos: 2. Corinth. 12. 12. Signa apostolatus mei facta sunt super vos. Vos estis*, inquam, *in Domino*, idest Domino principali actore. Et vere ita est, quia *mea defensio ad eos qui me interrogant*, utrum scilicet sim Apostolus, *haec est*, scilicet estis vos: per vos enim ostendo, me esse Apostolum.

Deinde cum dicit, *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi?* hic ostendit quod potest accipere sumptus licenter: ubi primo quaerit an habeat hanc potestatem generaliter; secundo quantum ad personas determinatas specialiter, ibi, *Numquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi?* tertio an ipse, et Barnabas sint hac potestate privati singulariter, ibi, *An ego solus, et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Dicit ergo: *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi?* quasi dicat: Nam cum sim Apostolus, *numquid non habemus*, ego et mei, *potestatem manducandi, et bibendi* nostra, idest vivendi stipendiis nostris? Augustinus: *Permisit Dominus, non iussit Apostolis accipere necessaria a subditis. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem*, scilicet fide, *circumducendi* nobiscum, propter sumptus ministrandos? Ambrosius in Glossa: *Mulieres desiderio doctrinae dominicae, et virtutum cupidae, Apostolos sequebantur, et ministrabant eis sumptus, et servitia.* Et similiter sequuntae sunt: *Luc. 8.* et *23 Sicut ceteri Apostoli*, ut habetur *Act. 6.* et sicut *fratres*, idest cognati, *Domini*, qui maiores sunt: *Galat. 2. 9. Iacobus, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi, et Barnabae societatis: et Cephas*, qui maximus est inter Apostolus: unde Cephas interpretatur caput. Ambrosius: *Non hos reprehendit Apostolus, sed eorum more sibi probat licere.* Idcirco autem, ut ait Augustinus, Dominus mulieres ministraturas sequi voluit, ostendens quid debetur a plebibus Evangelistis. Vel ideo etiam, ne viderentur alienae a salute. Aut *Numquid ego solus, et Barnabas:* isti enim fuerunt coniuncti ad praedicandum Gentibus: *Act. 13. 2. Segregate mihi Barnabam, et Paulum in opus ad quod assumpsi eos: non habemus*, secundum opinionem vestram, *potestatem hoc operandi*, scilicet mulieres circumducendi, et sumptus accipiendi? quasi dicat: Immo habemus sicut alii; sed omnes alii licite accipiunt: ergo et nobis licet.

Deinde cum dicit, *Quis militat suis stipendiis?* hic secundo probat quod licet accipere sumptus per auctoritatem humanae consuetudinis: et primo in statu militis; secundo agricolae, ibi, *Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit?* tertio pastoris, ibi, *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Militi comparatur praelatus propter subsidium, agricolae propter verbum, pastori propter exemplum. Debet enim subditos defendere suffragio, plantare verbo, pascere exemplo. Primum respicit extra Ecclesiam existentes, secundum Ecclesiam intrantes, tertium in Ecclesia commorantes. Dicit ergo: *Quis militat suis stipendiis umquam?* quasi dicat: Utique habemus potestatem accipiendi sumptus, et merito. *Quis militat suis stipendiis umquam?* quasi dicat, nullus. Dabantur enim militibus stipendia de republica: unde Ioannes dicit *Luc. 3. 14. Contenti estote stipendiis vestris.* Sic praedicatores, et praelati accipere possunt sumptus a subditis: *1. Timoth. 1. 18. Ut milites in illis militiam bonam. Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit?* Vinea Domini est Ecclesia: *Isai. 5. 7. Vinea Domini sabaoth, domus Israel est.* Apostoli autem fuerunt plantatores huius vineae: *supra 3. Ego plantavi, Apollo rigavit. Quis* etiam *pascit gregem, et de lacte eius non manducat?* quasi dicat, nullus. Grex Domini sunt fideles: *Ezech. 34. 31. Vos greges pascuae meae.* Huius gregis pastores sunt praelati, et

praedicatores. Unde primo praelato dictum est *Ioan. 21. 17. Pasce oves meas.* Tales possunt pasci de lacte gregis, quia possunt accipere sumptus a subditis. Si ergo defendimus, plantamus, et pascimus, more boni militis, boni agricolae, boni pastoris, licet nobis sumptus accipere. Sed hodie multi sunt qui stipendia accipiunt, et non militant; edunt fructum vineae, et non plantant; lac comedunt, et gregem non pascunt: *Ezech. 34. 3. Lac comedebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

Notandum *super illud, Nonne Dominum Iesum vidi?* quod multiplicem Domini legimus visionem. Unam corporalem, quae praeteriit, de qua *Baruch 3. 38. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Secundam spiritualem, quae praesens est: *Psalm. 45. 11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Tertiam aeternalem, quae futura est, de qua *Ioan. 17. 24. Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam: Iob 19. 26. In carne mea videbo Deum.* Quartam momentaneam, quae etiam futura est, de qua *Lucae 21. 27. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna.* Prima fuit in mundo, secunda est in animo, tertia in caelo erit, quarta erit in iudicio. Prima visio dat exemplum vivendi, secunda adiutorium proficiendi, tertia desiderium perveniendi, quarta odium peccandi. Prima dat exemplum vivendi tripliciter. Quia visus est pauper, et poenosus, ut refrenetur cupiditas divitiarum: *Psalm. 68. 30. Ego sum pauper, et dolens: salus tua, Deus, suscepit me:* et *ibid. 33. Videant pauperes, et laetentur.* Sic viderunt pastores, *Lucae 2.* Vilis, et abiectus, ut refrenetur ambitio bonorum: *Isa. 53. 2. Vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum virum despectum.* Ideo dicitur *Matth. 11. 29. Discite a me, quia mitis, et humilis sum.* Afflictus, et passus, ut refrenetur concupiscentia voluptatum: *Thren. 1. 12. O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor sicut dolor meus.* Secunda visio dat adiutorium proficiendi tripliciter: quia dat robur poenitentibus, culpas, et poenas ostendendo, sicut Sol atomos: *Daniel. 5. 5. Vidit Balthassar manum scribentis: Iob 42. 5. Nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere.* Spem certantibus, mercedem manifestando, sicut dominus operanti: *Act. 7. 55. Ecce video caelos apertos.* Laetitiam contemplantibus, praegustationes offerendo, sicut tabernarius modicum vini: *Psalm. 33. 9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: Gen. 32. 30. Vidi Dominum facie ad faciem;* sicut Paulus hic. Tertia visio aeternalis dat desiderium perveniendi propter tria: videlicet propter veram iucunditatem: *Isa. ultim. 14. Videbitis, et gaudebit cor vestrum... quia dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem, Eccle. 11. 7.* Hoc significatum est *Ioan. 20. 20. Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Propter iucunditatis multiplicitatem, sive pluralitatem: *Isa. 60. 5. Tunc videbis, et afflues, mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Quippe quia videbimus eum sicuti est, et ipse erit omnia in omnibus: erit enim rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriae continuatio aeternitatis. Propter puritatis aeternitatem: *Apocal. ult. 3. Servi eius servient illi, et videbunt faciem eius, et regnabunt in saecula saeculorum: Psalm. 15. 11. Adimplebis me laetitia cum vultu tuo.* Quarta visio dat odium, sive terrorem peccandi, propter tria: videlicet propter furtum propalandum coram iudice vidente; *Malach. 3. 2. Ecce veniet; et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.* Propter malefactorum severam ultionem: latro enim videns socium suum suspendi, plus timet furari: *Hierem. 7. 12. Ite ad locum meum in Silo, et videte quid fecerim ibi.* Silo interpretatur avulsa: *Apocal. 1. 13. Vidi similem Filio hominis:* et *infra 16. Ex ore eius quasi gladius ex utraque parte acutus exibat, et facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* Propter visam bonorum praemiationem: videns enim clericus alium praebendari, quia bonus, cavet a malo: *Psalm. 106. 42. Videbunt iusti, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.*

Deinde cum dicit, *Numquid secundum hominem haec dico?* hic probat tertio quod licet sumptus accipere per auctoritatem divinae legis: ubi primo proponit quod lex haec dicit; secundo verbum legis ponit, ibi, *Scriptum est enim in lege Moysi etc.* tertio qualiter intelligendum sit, ostendit ibi, *Numquid de bobus cura est Deo?* Dicit ergo: *Numquid secundum hominem haec dico?* quasi dicat: Probavi ratione humanae consuetudinis, quod licet nobis sumptus accipere; sed *numquid secundum hominem*, idest secundum humanam consuetudinem, vel similitudinem tantum, *dico hoc, an non lex*, Moysi divinitus promulgata, *hoc dicit?* Quasi dicat: Immo dicit: *scriptum est enim in lege Moysi, Deuteron. 25. 4.* et habetur idem *1. Timoth. 5. 18. Non alligabis os bovi triturani*, ut possit vivere de labore suo, idest non prohibebis praedicatorem vivere de Evangelio. Triturare enim est separare granum a paleis: quod facit praedicator abstrahendo animas a terrenis, discernendo virtutes a vitiis, separando utilia a vanis: *Hierem. 15. 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Deinde cum dicit, *Numquid de bobus cura est Deo?* hic ostendit qualiter dicta auctoritas intelligenda sit: et primo quod intelligenda sit litteraliter de bobus; secundo quod non tantum litteraliter de bobus, sed spiritualiter de praedicatoribus, ibi, *An propter nos utique haec dicit?* tertio replicat, quod licet accipere sumptus, ibi, *Nam propter nos utique scripta sunt.* Dicit ergo: *Numquid de bobus cura est Deo?* quasi dicat: Haec auctoritas de bobus spiritualibus, idest praedicatoribus, intelligitur: *numquid enim de bobus* materialibus *cura est Deo*, ut de eis lege praecipiat? *An propter nos haec utique dicit?* quasi dicat: Hoc utique propter nos dicit: *nam propter nos scripta sunt haec*, et similia: *Roman. 15. 4. Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Propter nos*, inquam, idcirco, *quoniam* praedicator, qui corda aperit ad fidem, *debet arare in spe*, stipendiorum temporalium, non tamen propter spem hanc: debet enim primum quaerere regnum Dei: *et qui triturat*, idest bonos a malis, quasi grana a paleis, discernit, praedicando scilicet ad mores, debet hoc facere *in spe, fructus percipiendi: 2. Timoth. 2. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere: Eccli. 6. 19. Is qui arat, et qui seminat, accedit ad illam, et sustinet bonos fructus illius.*

## LECTIO II.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ? Si alii potestatis vestrae participes sunt , quare non potius nos ? Sed non usi sumus hac potestate ; sed omnia sustinemus , ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur , quae de sacrario sunt edunt ? Et qui altari deserviunt , cum altari participant ? Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

Superius probavit per auctoritatem quod licet accipere sumptus ; hic probat idem per rationem : et primo probat hoc ex eorum obligatione; secundo ex pseudoapostolorum accipientium ab eis comparatione, ibi , *Si alii potestatis vestrae participes sunt , quare non potius nos ?* tertio dicit , quod nihilominus noluit uti hac potestate , ibi , *Sed non usi sumus hac potestate.* Prima ratio talis est. Maius est dare spiritualia quam accipere temporalia. Ergo si Apostolus dat spiritualia, licet ei accipere temporalia. Primo ergo explicat beneficium impensum ; secundo explicat stipendium exhibendum , ibi , *Magnum est , si nos carnalia vestra metamus ?* Dicit ergo : *Si nos vobis spiritualia seminavimus ;* quasi dicat : Vere habemus potestatem accipiendi sumptus a vobis : *si* enim *nos seminavimus vobis spiritualia* , fidem scilicet, et sacramenta spiritum alentia, a Spiritu sancto ministrata; *magnum est, si nos metamus,* ad sustentationem nostram, *carnalia,* idest ad carnis sustentationem concessa ? Quasi dicat: Non est magnum : *Rom. 15. 27. Si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles , debent in carnalibus ministrare.*

Deinde cum dicit , *Si autem alii potestatis vestrae participes sunt,* ecce secunda ratio ad idem talis. Veri Apostoli licentius participant bona subditorum , quam pseudo. Sed pseudoapostoli participant. Ergo multo plus veri Apostoli participare debent. Primo ergo ponit antecedens ; secundo consequens, ibi, *Quare non potius nos ?* Dicit ergo : *Si autem alii,* scilicet pseudo, quos non exprimit ex nomine , ne confundantur. Vocat eos alios , quasi a consortio alienos Ecclesiae: omnes enim catholici unum sunt , *Ioan. 17. 22. Ut sint unum , sicut et nos unum sumus. Si,* inquam, *alii potestatis vestrae participes sunt* , idest tam potenter utuntur bonis vestris, *quare non potius nos,* Apostoli qui causa salutis vestrae laboramus : *Eccli. 12. 5. Da bono, et ne receperis peccatorem.*

Deinde cum dicit, *Sed non usi sumus hac potestate* , hic ostendit quod noluit uti hac potestate ; ubi dicit primo se sumptus non accepisse ; secundo dicit, se nihilominus indiguisse , ibi , *Sed omnia sustinemus ;* tertio rationem utriusque assignat , ibi , *Ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Dicit ergo : *Sed non usi sumus ;* quasi dicat : Ecce patet quod licet nobis sumptus accipere; *sed* tamen *usi non sumus hac potestate : Supra 6. 12. Omnia mihi licent , sed non omnia expediunt. Non sumus* , inquam, *usi,* non quia non indigeamus ; *sed omnia sustinemus :* quia etsi penuriam patiamur, tamen patienter sustinemus: *2. Corinth. 11. 9. Cum essem apud vos , et egerem , nulli onerosus fui.* Et hoc feci ideo , *ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Hoc autem posset accidere , vel quia pseudoapostolis daret exemplum accipiendi ; vel quia Corinthii avari erant , et scandalizarentur, si ab eis acciperet. Vel forte putarent se emisse licentiam peccandi , et diminueretur in Apostolo auctoritas arguendi ; et his modis daret offendiculum Evangelio Christi: *Proverb. 15. 19. Via iustorum absque offendiculo.*

Deinde cum dicit , *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur , quae de sacrario sunt edunt ?* probat quod licet sumptus accipere, primo per auctoritatem ; secundo per rationem; tertio idem probat hic per exemplorum multitudinem. Ubi primo inducit similitudinem eorum qui templa reparant; secundo eorum qui templo ministrant , ibi , *Et qui altari deserviunt , cum altari participant;* tertio adaptat similitudinem his qui praedicant , ibi, *Et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere ;* quasi dicat: Et vere licet mihi sumptus accipere. *Nescitis quoniam qui in sacrario* , idest in templo Iudaeorum, vel Gentilium , *operantur,* ut artifices , *quae de sacrario sunt edunt ?* Sustentabantur enim artifices de denariis qui in gazophylacio templi offerebantur, ut patet tempore *Ioas , 4. Reg. 12. Et qui altari* templi Hierosolymitani , vel etiam ipsi templo, ut sacerdotes, *deserviunt,* idest devote serviunt, una enim de duodecim abusionibus est irreverentia coram altari, *cum altari participant* , quia partem habent de his quae offeruntur in altari , ut patet per totum Leviticum , et maxime *6.* et *7. cap.* Et sicut fit hic , *ita et Dominus ordinavit* , idest rationabiliter disposuit, *his qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere.* Hoc ordinavit , dicens *Matth. 10.* et *Luc. 10. 7. Dignus est enim operarius mercede sua.*

Notandum est hic , quod Apostolus nominibus multorum officiorum praedicatorem hic designat : quia vocat eum primo militem , propter officium Ecclesiam contra adversarios defendendi : *2. Cor. 10. 4. Arma militiae nostrae non carnalia sunt , sed potentia Deo ad destructionem munitionum : 2. Timoth. 2. 3. Labora sicut bonus miles Christi.* Secundo vinitorem , propter officium palmites superfluos , idest malos , resecandi : *Osee 2. 15. Dabo ei vinitores eius ex eodem loco.* Sed heu: *Cant. 1. 5.* dicitur: *Vineam meam non custodivi.* Tertio pastorem , propter officium subditos bono exemplo pascendi : *1. Petr. 5. 2. Pascite qui in vobis est gregem.* Sed heu ! quia hodie impletur illud *Zach. 11. 17. O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Quarto bovem , propter officium maturitatis in omnibus procedendi : *Proverb. 14. 4. Ubi non sunt boves, praesepe vacuum est : Iob 1. 14. Boves arabant, et asinae pascebantur iuxta eos.* Quinto aratorem , propter officium corda ad fidem , et poenitentiam aperiendi : *Osee 10. 11. Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.* Sexto trituratorem , propter officium malos a bonis discernendi: *Isa. 41. 15. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum , habens rostra serrantia ; et triturabis montes , et comminues.* Septimo seminatorem , propter officium frequenter , et

utiliter praedicandi: *Luc. 8. 5. Exiit qui seminat seminare semen suum : Psal. 125. 6. Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.* Octavo templi architectum , propter officium Ecclesiam construendi , et reparandi : *Sup. 3. 10. Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Nono altaris ministrum , propter officium Deo devotum impendendum: *supra 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi.*

Quaeritur hic super illud , *Non sum liber?* Glossa : *Ipse enim apostolica dignitate potestatem habet , non operari manibus, sed de Evangelio vivere.* Contra. Ergo qui praedicant , non habentes apostolicam dignitatem, non possunt sine opere manuum de Evangelio vivere: Responsio. Glossa loquitur de potestate qua potest invitos ad hoc cogere, non de spontanea, qua potest a voluntarie dantibus petere , et accipere.

Item ex dicta Glossa videtur quod praelati non teneantur manibus operari. Contra. *Genes. 3. 19. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ipsi non sunt exempti ab hac maledictione : ergo etc. Reponsio. Tenentur ad laborem spiritualem , non corporalem. Tamen bene facerent , si occuparent se in honestis, antequam vacarent.

Item super illud , *Nonne opus meum vos estis ?* Glossa , *Perfectum.* Contra. Ipsi erant imperfecti. Responsio. Opus perfectum dicebatur , quia eis Apostolus praedicaverat, vel quia eos perfecte docuerat quantum in se erat.

Item super illud, *Numquid non habemus potestatem manducandi?* Contra. *Matth. 10. 8. Gratis accepistis, gratis date.* Responsio. *Gratis* , idest sine pretio, sed non sine stipendio.

Item super illud , *Quis pascit gregem , et de lacte gregis non manducat ?* Glossa : *Ex Evangelio viventes panem gratuitum manducabant.* Contra. Subditi tenebantur dare. Responsio. Gratuitus erat ex parte recipientium, quia humiliter, non potestative recipiebant, licet debitus ex parte dantium.

Item. *Numquid de bobus cura est Deo?* Quasi dicat , non. Contra. *Sapient. 6. 8. Cura est illi de omnibus.* Respondeo. Ibi loquitur de cura generali , scilicet providentiae , hic de speciali , scilicet disciplinae.

Item. *Debet in spe , qui arat, arare.* Contra. Spes non est de visibilibus , sed aeternis. Responsio. Spes accipitur aequivoce.

Item. *In spe fructus percipiendi.* Contra. Non debet poni lucerna praedicationis sub modio rei temporalis. Respondeo. Praedicare in spe rei temporalis , non est ponere lucernam sub modio , sed praedicare propter spem.

Item. *Si nos vobis seminavimus spiritualia, magnum est , si nos carnalia vestra metamus ?* Contra. *Galat. 6. 8 Quae seminaverit homo , haec et metet.* Ergo qui seminat spiritualia , debet metere spiritualia , non carnalia. Respondeo. Ibi loquitur de messione mercedis , hic de messione stipendii.

## LECTIO III.

**Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi haec, ut ita fiat in me. Bonum est enim** mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam etsi evangelizavero , non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit, vae enim mihi est si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago , mercedem habeo ; si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quae est ergo merces mea? Ut Evangelium praedicans sine sumptu , ponam Evangelium , ut non abutar potestate mea in Evangelio.

Superius multipliciter probavit quod sibi licet accipere sumptus ; hic ostendit quod nihilominus non vult accipere , sed abstinere tribus rationibus. Primo propter intentionem praemii ; secundo propter dilectionem Evangelii , ibi , *Nam cum liber essem ex omnibus , omnium me servum feci* ; tertio propter expeditionem cursus sui , ibi , *Nescitis quod hi qui in stadio currunt , omnes quidem currunt , sed unus accipit bravium ?* In prima primo dicit quare non vult accipere, scilicet ne gloria sua evacuetur; secundo ostendit quod accipiendo evacuaretur , ibi , *Nam si evangelizavero , non est mihi gloria* ; tertio quod non accipiendo conservabitur , ibi , *Quae est ergo merces mea ?* In prima primo ostendit quod potestate accipiendi uti noluit; secundo quod uti non intendit, ibi, *Non autem scripsi haec, ut ita fiat in me.* Dicit ergo: *Ego autem nullo horum usus sum ;* quasi dicat: Tot modis constat quod licet mihi sumptus accipere ; sed tamen ego nulla horum auctoritate , ratione , exemplo , ad accipiendum, *usus sum.* Ipse enim vel ab aliis Ecclesiis accipiebat, ut *2. Corinth. 11. 8. Alias Ecclesias spoliavi , accipiens stipendium ad ministerium vestrum :* vel manibus operabatur , *Act. 20. 8. Non autem scripsi haec, ut ita fiat in me;* quasi dicat : *Non sum usus* , nec uti volo : *non enim scripsi haec* , scilicet quod licet mihi accipere , *ut ita fiat in me* , sicut scripsi, idest ut ego accipiam, quia non quaero datum, sed fructum.

Deinde cum dicit, *Bonum est mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet,* hic ostendit quare hoc fecit , scilicet ne gloria sua evacuetur. Ubi primo multiplicat afflictionem corporalem ; secundo supponit ei gloriae diminutionem , ibi , *Quam ut gloriam meam quis evacuet.* Dicit ergo: *Bonum est mihi magis mori etc.* quasi diceret : Non accipiam ; nam si acciperem, gloriam meam evacuarem : quod nullatenus facerem. *Bonum est enim mihi mori,* non solum sumptuum egestate affligi , *magis quam ut gloriam meam* , quam habeo de gratuita sinceritate praedicationis , de praemio supererogationis, abstinendo a licitis, *quis evacuet,* ab aliquo importune accipiendo , vel propter sumptus evangelicos. Multi tamen moderni doctores gloriam istam evacuant vel propter intentionem sumptuum, vel propter favorem humanum , dicente *Iob 12. 19. Ducit sacerdotes inglorios , et optimates supplantat.*

Notandum est hic, quod gloria amittitur septempliciter propter septem vitia. Nam gloria gulosorum evacuatur : unde hic dicitur : *Bonum est enim mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Gloria luxuriosorum maculatur : *Eccli. 47. 21. Inclinasti femora tua mulieribus, dedisti maculam in gloria tua.* Gloria superborum captivatur: *1. Machab. 2. 9. Vasa gloriae eius captiva ducta sunt.* Gloria iracundorum

intermittitur : *Psal. 7. 5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis :* et post: *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam:* et post: *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Gloria invidorum excluditur : *Rom. 3. 27. Ubi est gloriatio tua?* Gloria avarorum annihilatur : *Psalm. 48. 17. Ne timueris dum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* Gloria accidiosorum culpatur : *1. Machab. 9. 10. Moriamur in virtute propter fratres nostros, et non feramus crimen gloriae nostrae : Eccli. 33. 23. Praecellens esto in operibus tuis, et ne dederis maculam in gloria tua.* Ergo per gulam evacuatur gloria sobrietatis : per luxuriam maculatur gloria castitatis; per superbiam captivatur gloria humilitatis : per iracundiam intermittitur gloria mansuetudinis : per invidiam excluditur gloria caritatis : per avaritiam annihilatur gloria liberalitatis : per accidiam culpatur gloria strenuitatis. De istis dicitur *Osee 4. 7. Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* De primo exemplum in Esau, *Gen. 25.* in Holoferne, *Iudith. 13.* De secundo in Salomone, *3. Reg. 11.* De tertio in Lucifero, *Isa 14.* De quarto in Achitophel, *2. Reg. 16.* De quinto in Cain, *Genes. 4.* De sexto in Giezi, *4. Reg. 5.* De septimo in exploratoribus, *Num. 13.* et *14.*

*Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria.* Hic ostendit quod accipiendo sumptus, evacuaretur gloria eius, quia non supererogaret. Et est sua ratio talis. Gloria quae est praemium supererogationis, non debetur operibus necessitatis, ad quae tenemur ex praecepto. Sed evangelizare tenebatur ex praecepto, Ergo ex hoc non habebat gloriam supererogationis ; sed potius ex hoc quod non accipiebat sumptus. Primo ergo tangit gloriae evacuationem ; secundo evacuationis rationem, ibi, *Necessitas enim mihi est;* tertio rationis declarationem, ibi, *Vae enim mihi est, si non evangelizavero ;* quarto recte evangelizantium mercedem, ibi, *Si volens hoc ago, mercedem habeo.* Dicit ergo: *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria;* quasi diceret : Vere evacuaretur gloria mea : *nam si evangelizavero*, ita quod sumptus accipiam, *non est mihi gloria*, idest supererogationis praemium : *necessitas enim mihi incumbit : Act. 22. 21. Vade, quoniam ad nationes longe mittam te.* Et vere necessitas : *vae enim mihi est*, idest poenam transgressionis in me manet, *si non evangelizavero: Isa. 6. 5. Vae mihi, quia tacui.* Aliter legitur secundum Glossam ; et hoc dupliciter. Primo modo sic. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria ;* quasi dicat : Utique evacuaretur gloria mea, coelestis scilicet, si ideo praedicarem ut sumptus acciperem : *nam si evangelizavero* tantum, ita quod non ex dilectione Dei et proximi hoc faciam, nec libera voluntate, *non est mihi gloria* apud Deum: *necessitas enim* praecepti, quod non audeo omittere, *mihi incumbit.* Unde si solo timore servili praedico, *vae*, idest aeterna damnatio, *mihi est si non evangelizavero*, sicut mihi iunctum est. *Si autem volens hoc ago, mercedem habeo* ; quasi dicat : Si necessitate hoc facio, non est mihi gloria ; *si autem volens hoc ago*, idest si voluntatem adiungo necessitati, *mercedem* aeternam *habeo :* ideo *Psal. 53. 8.* dicitur: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine. Si autem invitus*, idest solo praecepto coactus, evangelizo, *dispensatio mihi credita est*, sicut servo, ut scilicet dispensem ad aliorum utilitatem, non meam ; quasi dicat : Aliis proficio, non mihi. Intelligit enim hoc de dispensatione servili, non filiali, secundum Glossam Augustini *serm. 34. ad Fratres in erem. Nemo invitus bene facit ; etsi bonum est quod facit : infra 13. 1. Si caritatem non habuero, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.* Secundo modo legitur sic. *Nam si evangelizavero*, pro sumptibus accipiendis: *non est mihi gloria*, de supererogatione in praedicando. Peto enim contra me : *Matth. 10. 8. Gratis accepistis, gratis date. Necessitas enim* vitae sustentandae *mihi incumbit*, quia pro necessitate vitae praedico : *vae enim mihi est*, idest famis cruciatio, si non evangelizavero. *Si autem volens*, idest si non pro victus necessitate, sed pro caritate, *hoc ago, mercedem* aeternam *habeo ; si autem invitus*, idest pro necessitate coactus, *dispensatio mihi credita est*, sicut servo.

Deinde cum dicit, *Quae est ergo merces mea?* hic ostendit quia non capiendo sumptus, gloria eius conservatur : ubi primo quaerit ; secundo solvit, ibi, *Ut Evangelium praedicans sine sumptu ponam Evangelium.* Dicit ergo : *Quae est merces mea?* idest qui faciendo mercedem accipiam, quia hoc est meritum mercedis ? *Ut* scilicet ego *praedicans Evangelium sine sumptu, ponam*, idest stabiliam, *Evangelium: Isa. 28. 25. Ponet triticum per ordinem, et hordeum, milium, et viciam in finibus suis.* Hoc autem faciebat secundum Glossam, ne Evangelium venale putaretur. *Sine sumptu*, inquam, et hoc *ut non abutar potestate mea*, idest mihi commissa, *in Evangelio* praedicando; quod esset si acciperem indistincte : quia perderem auctoritatem libere arguendi : quia *Eccli. 20. 31. Xenia, et dona excaecant oculos iudicum, et quasi mutus in ore avertet correptionem.* Ecclesiastica ergo utilitas implicatur in hac solutione, scilicet confirmatio boni, quia *ut Evangelium praedicans ;* et declinatio mali, quia *ne abutar potestate.*

Et notandum, quod quatuor tetigit differentias eorum qui tenentur praedicare. Quidam enim tenentur, sed non evangelizant: hi merentur, sed poenam. Quidam tenentur, et evangelizant, sed coacti: hi non merentur mercedem, sed vitant poenam. Quidam tenentur, et evangelizant voluntarie, sed accipiunt sumptus: et hi merentur mercedem, et vitant poenam, sed non habent supererogationis gloriam. Quidam tenentur, et evangelizant voluntarie, nec accipiunt sumptus : et hi mercedem merentur, et vitant poenam, et habent supererogationis gloriam. Primum statum tangit ibi, *Vae mihi est, si non evangelizavero ;* secundum ibi, *Nam si invitus, dispensatio mihi credita est ;* tertium ibi, *Si autem volens hoc ago, mercedem habeo ;* quartum ibi, *Quae est ergo merces mea ?*

## LECTIO IV.

Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem : et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer ; his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui

sub lege erant, lucrifacerem; his qui sine lege erant, tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps eius efficiar.

Superius ostendit quod non vult sumptus accipere, et hoc propter intentionem praemii; hic ostendit quod idem fecit propter amorem Evangelii: ubi primo dicit, quod omnium se servum fecit; secundo quod omnibus se contemperare studuit, ibi, *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus;* tertio subdit causam quare hoc fecit, ibi, *Omnia autem facio propter Evangelium.* In prima implicat triplicem conditionem commendabilem in servitio; quae sunt generalitas, liberalitas, utilitas. Servit ergo gratis, sive liberaliter, ibi, *Cum essem liber ex omnibus;* generaliter, ibi, *Omnium me servum feci;* utiliter, ibi, *Ut plures lucrifacerem.* Dicit ergo: *Nam cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci;* quasi dicat: Sine sumptu ponam Evangelium: nam et maius feci, scilicet, *cum liber essem ex omnibus*, idest nullius meritis obnoxius, *omnium me servum feci*, omnibus me contemperando per utilitatem, et quasi debitorem constituendo: *2. Corinth. 4. 5. Nos autem servos vestros per Iesum:* et hoc *ut plures lucrifacerem*, idest lucrum meae praedicationis, et servitutis facerem. Quaerebat enim non res, sed animas: *2. Corinth. 12. 14. Non quaero vestra, sed vos.* Si enim commendabile est servire in temporalibus propter lucrum temporale, quanto plus in spiritualibus propter lucrum spirituale?

Deinde cum dicit, *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus*, hic ostendit quod omnibus se contemperare studuit: et primo dicit, quod contemperavit se nondum conversis; secundo quod etiam iam conversis, ibi, *Factus sum infirmis infirmus;* tertio quod generaliter universis, ibi, *Omnibus omnia factus sum.* In prima primo dicit, quod contemperavit se Iudaeis; secundo quod Samaritanis, ibi, *Et his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem;* tertio quod Gentilibus, ibi, *His qui sine lege erant, tamquam sine lege essem.* In prima primo tangit contemperationem; secundo contemperationis rationem, ibi, *Ut Iudaeos lucrarer.* Dicit ergo: *Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus*, scilicet aliqua legalia servando, sicut in discretione ciborum, in circumcisione Timothei, *Act. 15.* in purificatione legali, *Act. 21.* Potest autem hoc intelligi dupliciter. Uno modo secundum Hieronymum *ad August. epist. 11. Factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus*, per simulatoriam dispensationem. Simulabat enim se servare legalia aliqua, quae tamen non servabat. Alio modo secundum Augustinum *epist. 19. Factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus.* Vere enim condescendebat eis in observatione aliquorum legalium propter piam compassionem; et hoc fecit, ut Iudaeos lucraretur Christo, idest eos ad fidem Christi converteret.

Deinde cum dicit, *Et his qui sub lege sunt quasi sub lege essem*, hic dicit, quod contemperabat se Samaritanis: ubi notantur tria de ipso. Primo eius sagacitas in hoc quod se contemperabat; secundo eius libertas in hoc quod sub lege non erat; tertio eius utilitas in hoc quod lucrifaciebat. Dicit ergo: Sum etiam his qui sub lege Moysi sunt, idest Samaritanis, qui non sunt Iudaei, sed Assyrii, qui fuerunt adducti ad inhabitandum terram Israel, *4. Reg. 17.* Isti etiam erant sub lege Moysi, quia tantum quinque libros Moysi recipiebant. His ergo *factus sum quasi sub lege essem*, adprobando scilicet legem, et ex ea docendo Christum; *cum* tamen *ipse sub lege non essem*, secundum litteralem observantiam, vel serviliter: quia *iusto non est lex posita, 1. Timoth. 1. 9.* Et hoc ideo feci, *ut eos qui sub lege erant*, scilicet ipsos Samaritanos, *lucrifacerem*, eos ad fidem Christi convertendo.

Deinde cum dicit, *His qui sine lege erant, tamquam sine lege essem*, hic dicit, quod contemperavit se Gentilibus: ubi primo tangit suam conformitatem; secundo suae fidei veritatem, ibi, *Cum* tamen *sine lege Dei non essem;* tertio suae intentionis rectitudinem, ibi, *Ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Et hoc est *Et factus sum his qui sine lege erant*, idest Gentibus, *Rom. 2. 14. Cum enim Gentes, quae legem non habent, tamquam sine lege essem*, idest assentiendo rationibus eorum, et bonis positionibus Philosophorum, ut patet *Act. 17. cum* tamen *sine lege Dei non essem: Rom. 7. 25. Mente servio legi Dei: sed in lege essem*, non Iudaica, sed *Christi*, qui est Deus; non autem Moyses: de qua *Gal. 6. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Et hoc ideo feci, *ut lucrifacerem eos qui sine lege erant*, Gentiles ad fidem convertendo. Gregorius: *O felix zelator! Nullum tale sacrificium, quale zelus animarum.*

Deinde cum dicit, *Factus sum infirmis infirmus*, hic ostendit quod se contemperavit iam conversis. Ubi primo ponit modum bonum; secundo finem debitum, ibi, *Ut infirmos lucrifacerem.* Dicit ergo: *Factus sum* etiam *infirmis* in fide, *infirmus*, a licitis abstinendo: *2. Corinth. 2. 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Sic facit bonus medicus, qui comedit cibum infirmi, ut eum provocet ad comedendum, et sic sanet. Et hoc feci, *ut infirmos lucrifacerem*, eos in fide roborando. Et breviter *omnibus omnia factus sum*, quasi essem omnium sectarum. Ideo dicitur *infra 10. 33. Sicut et ego per omnia omnibus placeo.* Et hoc *ut omnes facerem salvos: Sap. 18. 24. In vestimento poderis*, quod habebat Aaron, *totus orbis terrarum erat descriptus.* Et *4. Reg. 4.* Eliseus contraxit se ad modum pueri, et sic suscitavit illum. Et quia, secundum Boetium, omnis alteritas discors, similitudo vero appetenda est; ideo viri spirituales salva vitae, et religionis suae observantia, omnibus se debent conformare. Deinde dicit: *Omnia facio propter Evangelium.* Superius ostendit quod omnibus se contemperare studuit; hic subdit rationem quare hoc facit: et hanc duplicem; unam ex parte Evangelii, scilicet ut cursum liberum habeat: aliam ex parte sui, scilicet ut promissum praemium obtineat, ibi, *Ut particeps eius efficiar.* Et hoc est quod dicit: *Omnia autem facio propter Evangelium*, sine impedimento praedicandum: *ut particeps eius*, idest promissionum quae in eo continentur, *efficiar: Matth. 5. 19. Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

## LECTIO V.

Nescitis quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.

Superius ostendit quod proposuit a sumptibus abstinere, primo propter intentionem praemii; secundo propter amorem Evangelii; hic tertio propter expeditionem cursus, et agonis sui. Primo quidem ostendit quod oportet in stadio expedite currere; secundo quod similiter oportet in agone expedite certare, ibi, *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet;* tertio quod ipse facit utrumque, ibi, *Ego igitur sic curro non quasi in incertum.* In prima primo ponit exemplum expedite currentium; secundo monet eos ad similiter currendum, ibi, *Sic currite ut comprehendatis.* In prima primo tangit currendi exercitium; secundo convenientiam currentium, ibi, *Omnes quidem currunt;* tertio differentiam pervenientium, ibi, *Sed unus accipit bravium.* In primo notatur conditio viatorum; in secundo multitudo vocatorum; in tertio paucitas electorum: *Matth. 20. 16. Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Conditionem vero viatorum describit a tribus: a certitudine, cum quaerit, *Nescitis:* a brevitate, cum addit, *In stadio:* a labore, cum subdit, *Currunt.* Dicit ergo, *Nescitis:* quod tripliciter continuatur. Primo modo sic; quasi dicat: Recte abstineo a sumptibus sumendis, ut particeps efficiar: nam si non abstinerem a contrariis Evangelio, non essem eius particeps. *Nescitis* enim *quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Vel sic. *Nescitis* quod hoc facio ut particeps Evangelii efficiar, et utique possum esse particeps. Nam non sic est de Evangelii praemio ut de cursus bravio: quia hic unus accipit bravium, ibi vero omnes accipere possunt. Tertio modo sic. *Nescitis;* quasi diceret: Ideo autem sic curro, quia licet multi currentes sint, pauci tamen sunt pervenientes. *Nescitis* enim *quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt*, in labore pares sunt, *sed unus* tantum *accipit bravium?* idest praemium cursus. Stadium enim est spatium in quo pedites currunt, quod Hercules dicitur statuisse. Perficiunt autem stadium, centum viginti quinque passus. Et dicitur stadium a stando, quia Hercules tot passus currebat, et postea stabat, et respirabat. In fine huius spatii ponebatur aliquid quod erat praemium cursus, ut equus, aut pannus purpureus; et hoc dicitur bravium. Et licet in hoc stadio omnes currerent, unus tamen solus accipiebat bravium, scilicet qui citius perveniebat. Sic in cursu spirituali unus tantum, scilicet perseverans, accipit bravium: quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matth. 24. 13.*

Deinde cum dicit, *Sic currite ut comprehendatis*, monet eos ad currendum. Ubi implicat tria: actum strenuum, *Currite;* modum debitum, *Sic;* finem optimum, *Ut comprehendatis.* Dicit ergo: *Sic currite ut comprehendatis;* quasi diceret: Quia unus accipit bravium, *sic currite*, per viam veritatis perseverantes, *ut comprehendatis* bravium vitae aeternae: *Hebr. 12. 1. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.*

Deinde cum dicit, *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, ostendit quod in agone oportet expedite certare. Ubi primo tangit agonizantium pugnam; secundo pugnandi formam firmam, ibi, *Ab omnibus se abstinet;* tertio sic pugnantium mercedem debitam, ibi, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant.* Primum est necessitatis, scilicet pugnare; secundum virtutis, scilicet abstinere; tertium felicitatis, scilicet coronam accipere. Dicit ergo: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet;* quasi diceret: Vere sic agendum est, quod patet exemplo, quia *omnis qui in agone contendit, ab omnibus* impedientibus *se abstinet.* Unde et nudi agonizabant in palestra. Attende, ut Augustinus ait *in Psalm. 51.* quod de rebus non laudandis multae trahuntur similitudines.

Deinde cum dicit, *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*, tangit pugnantium mercedem: et primo pugnantium materialiter; secundo pugnantium spiritualiter, ibi, *Nos autem incorruptam.* Dicit ergo: *Et illi quidem* abstinent, *ut corruptibilem coronam accipiant*, quod modicum est; *nos autem* abstinere debemus, ut accipiamus *incorruptam*, scilicet coronam vitae, de qua *Iacob. 1. 2. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.*

Deinde cum dicit, *Ego igitur sic curro non quasi in incertum*, ponit exemplum utriusque, scilicet currendi, et pugnandi. Ubi primo tangit cursum suum in profectu boni; secundo pugnam suam in victoria mali, ibi, *Sic pugno non quasi aerem verberans;* tertio rationem utriusque facti, ibi, *Sed castigo corpus meum.* Dicit ergo: *Ego igitur sic curro non quasi in incertum;* quasi dicat: Quia talis corona servatur, igitur *ego sic curro*, bonum operando, *non quasi in incertum*, idest ut sim incertus de praemio. In incertum enim currit qui talia facit ut de quibusdam sperare, ex aliis vero possit desperare. Omnia instruunt ad bonum, et persona apostolica, quae notatur ibi, *Ego*, et forma implicita, quae notatur ibi, *Sic*, et actio strenua, quae notatur ibi, *Curro*, et merces sperata, quae notatur ibi, *Non quasi in incertum: Phil. 2. 16. Non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboravi. Sic pugno*, contra hostes, decertando contra malum, *non quasi aerem verberans*, idest non verbis tantum, sed factis. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute, supra 4. 20.* Vel *non quasi aerem verberans*, idest non inaniter me fatigando, adversarium non laedendo. Sic erit perfectus homo, si sic se habeat ut sit intentus in confessione: *Isa. 38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae:* devotus in oratione: *Matth. 6. 9. Sic ergo orabitis: Pater noster qui es in caelis etc.* efficax in praedicatione: *Iacob. 2. 12. Sic loquimini, et sic fa-*

*cite.* Haec tria pertinent ad actum oris recti ; ita tamen quod confessio dirigitur Deo , et proximo, oratio soli Deo , praedicatio soli proximo. Fortis in pugnando : unde *sic pugno non quasi aerem verberans: Apocal. 3. 5. Qui vicerit sic , vestietur veste alba :* patiens in sustinendo , *Iudith 8. 23. Sic Isaac, sic Iacob , sic Moyses , et omnes qui placuerunt Deo , per multas tribulationes transierunt fideles :* cautus in servando: *Ios. 2. 16. Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus , donec redeant ; et sic ibitis viam vestram.* Primum propter malum culpae , scilicet pugna ; secundum contra malum poenae, scilicet patientia; tertium contra malum tentationis , scilicet cautela. Benignus in condonando : *Matth. 18. 14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum , qui in caelis est , ut pereat unus de pusillis istis:* inutilem se reputando: *Luc. 17. 10. Sic et vos cum feceritis omnia , quae praecepta sunt vobis , dicite : Servi inutiles sumus :* solicitus se discutiendo : *infra 11. 28. Probet autem se ipsum homo , et sic de pane illo edat , et de calice bibat.* Primum reprobat malitiam proximi; secundum probat bonitatem Dei; tertium dubietatem status proprii. Humilis in obsequendo : *Matth. 3. 15. Sic decet nos implere omnem iustitiam :* agilis in proficiendo : unde hic , *Sic currite,* idest proficite in bono , *ut comprehendatis :* constans in perseverando : unde hic , *Sic currite : Phil. 4. 1. Sic state in Domino , carissimi:* famosus in conversando: *supra 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Primum respicit incipientes , secundum proficientes, tertium perseverantes , quartum perfectos.

Deinde cum dicit , *Sed castigo corpus meum* , tangit rationem praedictorum utriusque. Ubi primo tangit austeritatem vitae ; secundo commendationem doctrinae , ibi , *Ne forte cum aliis praedicaverim ;* tertio rationem concordiae utriusque, ibi, *Ipse reprobus efficiar.* Ergo implet facto quod docet verbo, ne se damnet ore proprio : et hoc est quod dicit : *Sed castigo corpus meum* , per declinationem mali , motus carnis illicitos reprimendo. *Castigo* ergo, non occido , *corpus meum* , non tantum alienum : *Rom. 12. 1. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, et sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum : et in servitutem redigo* , per operationem boni , corpus scilicet spiritui servire cogendo, et sensualitatem rationi subiiciendo ; sicut de beato Martino legitur: *Carnem spiritui servire cogebat;* et hoc facio , *ne forte cum aliis praedicaverim , ipse reprobus efficiar.* Augustinus *de Verb. Apost. serm. 21. Suo timore nos terruit Apostolus : quid enim faciet agnus , ubi aries timet , et tremit ? Ipse reprobus* , idest a Deo reprobatus , *efficiar ;* quod turpe esset : *Rom. 2. 21. Qui praedicas non furandum, furaris.* De huiusmodi posset vere dici illud *Iob 4. 3. Ecce docuisti plurimos, et manus lassas roborasti ... Nunc autem venit super te plaga, et defecisti.*

Hic quaeritur , ibi , *Melius est mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet.* Contra. Gloria non evacuatur nisi per peccatum : ergo accipere esset ei peccatum : non ergo licitum. Respondeo. Gloria essentialis per hoc non evacuaretur , sed gloria accidentalis de hoc opere supererogationis.

Item. *Si evangelizavero , non est mihi gloria.* Contra. Evangelizanti , et sumptus accipienti debetur et aurea , et aureola. Sed Glossa exponit , quando evangelizatur ex necessitate timoris, vel ex cupiditate mercedis temporalis.

Item super illud, *Dispensatio mihi credita est,* Glossa : *Non debemus evangelizare, ut manducemus.* Contra. Ergo praedicatores quaestuarii peccant mortaliter, quia faciunt quod non debent. Respondeo. Si propter quaestum principaliter faciunt , peccant ; sed si propter fructum spiritualem inde provenientem , bene faciunt.

Item ibidem Glossa : *Propter regnum Dei debemus operari omnia , non solum , sed cum regno Dei mercedem temporalem meditari.* Contra. Ergo qui vadunt ad Ecclesiam pro distributionibus, peccant. Respondeo. Verum est si solum , vel principaliter propter hoc vadant.

Item super hoc , *Ut non abutar potestate,* Glossa : *Quod esset si acciperet quod probavit supra eodem quod ei licet accipere.* Respondeo. Intelligendum est , si acciperetur indiscrete , et inordinate , et immoderate.

Item. *Omnium servum me feci.* Contra. *Supra 7. 23. Nolite servi effici hominum.* Respondeo. Hic loquitur de servitute caritatis , scilicet in bono, ibi de servitute iniquitatis , scilicet in malo.

Item. *Factus sum Iudaeis Iudaeus.* Glossa : *In cibis accipiendis , vel non accipiendis.* Contra. Glossa : *Iniuste ergo reprehendit Petrum de discretione ciborum : Galat. 2.* Immo bene: quia Petrus discernebat cum scandalo Gentium , scilicet in locis Gentilium , Paulus autem non.

Item ibidem Glossa: *Propter scandalum Iudaeorum circumcidit Timotheum , Act. 16.* Contra. Veritas doctrinae , vitae , et iustitiae non debet dimitti propter scandalum. Respondeo. Usque ad divulgationem Evangelii non erat de veritate doctrinae , sive vitae , ne homines circumciderentur , sed ne spem ponerent in circumcisione.

Item. *Ut omnes facerem salvos.* Contra. Sciebat non omnes salvandos. Respondeo. Volebat omnes in particulari , idest quemlibet per se, non omnes simul.

Item super illud , *Omnes quidem currunt,* Glossa : *In spirituali agone quotquot quidem currunt , si spiritualiter currunt , accipiunt; et qui prior venerit expectat , ut coronetur cum posteriori.* Contra. Unusquisque in morte coronatur. Respondeo. Hoc intelligitur de gloria corporis , non animae.

Item super illud, *Ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* , Glossa : *Suo timore nos terret Apostolus.* Contra. *1. Ioan. 4. 18. Perfecta caritas foras mittit timorem.* Respondeo. Verum est timorem poenae , sed non timorem separationis , sive offensae.

# CAPITIS DECIMI

## LECTIO PRIMA

Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequentes eos petra; petra autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.

Superius monuit abstinere ab idolothytis, primo propter vitandum scandalum fratrum infirmorum, *cap. 8.* secundo propter exemplum suum, qui abstinet propter alios ab acceptione sumptuum, *cap. 9.* hic tertio monet ad idem ex consideratione poenae Iudaeorum in deserto idola venerantium: ubi exemplo poenae istorum, primo monet abstinere a perpetratione peccatorum similium; secundo specialiter a comestione idolis immolatorum, ibi, *Propter quod, carissimi, fugite ab idolorum cultura.* In prima primo ostendit quod antiquitus Iudaeis contigit; secundo propter quod, quia non propter se tantum, sed propter nos corrigendos ita evenit: *Haec autem in figura facta sunt nostri;* tertio ut exemplo eorum caveant, concludit, ibi, *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ergo poena timenda, causa memoranda, cautela adhibenda. In prima primo ponit beneficia gratiae eis impensa existentibus in Ægypto; secundo praestita in deserto, ibi, *Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt;* tertio flagella propter ingratitudinem inflicta, ibi, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* In prima tangit tria beneficia. Primum in protectione nubis; secundum in transitu maris rubri, ibi, *Et omnes mare transierunt;* tertium in purgatione baptismatis, ibi, *Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube.* Dicit ergo: *Nolo vos ignorare;* quasi dicat: Sic agendum est sicut monui. Non enim sufficiunt sacramenta Ecclesiae suscepta, vobis postea peccantibus, sicut nec Iudaeis Dei beneficia, quin postea punirentur. *Nolo enim vos ignorare etc.* Hoc dupliciter legitur. Uno modo de bonis, et malis communiter; alio modo de malis specialiter. Primo sic. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri*, institutores fidei nostrae, omnes, tam boni, quam mali, *sub nube* protegente *fuerunt: Exod. 13. 21. Dominus praecedebat eos ad ostendendum viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis.* Vel *sub nube*, idest sub figura, et umbra: *Hebr. 10. 1. Umbram habens lex futurorum bonorum: et omnes mare* rubrum submersis hostibus *transierunt:* non de una ripa ad ripam oppositam, sed ad eamdem: unde transierunt quemdam sinum maris: *et omnes in Moyse*, idest in ducatu Moysi, *baptizati sunt in nube, et in mari*, idest per visa signa illa purgati ab ignorantia, vel a vitiis per fidem, scilicet submersis Ægyptiis: *Exod. 14. 31. Timuit populus Dominum, et crediderunt Domino, et servo suo Moysi.* Vel *baptizati sunt*, idest signum baptismi receperunt: nam baptismus constat ex aqua, et Spiritu: *Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu.* Nubes autem symbolum erat Spiritus, mare vero aquae, ut dicit Damascenus. Deinde cum dicit, *Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, post beneficia exhibita Israel de Ægypto exeunti, hic tangit beneficia exhibita in deserto: et primo beneficium mannae; secundo beneficium aquae, ibi, *Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt;* tertio potus originem mirabilem, ibi, *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra;* quarto originis significationem, ibi, *Petra autem erat Christus.* Dicit ergo: *Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*, manna scilicet de caelo. Vocat autem eam spiritualem, cum esset corporalis, quia miraculose fuit data. De hoc habetur *Sap. 16. 20. Panem de caelo praestitisti eis. Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt*, idest aquam de petra: *Num. 20. 8. Loquimini ad petram, et ipsa dabit vobis aquam: Psalm. 77. 20. Percussit petram, et fluxerunt aquae. Bibebant autem de petra spirituali:* quae dicitur spiritalis propter effectum miraculosum, et propter futuri signum. *Petra consequente eos.* Dupliciter intelligitur. *Consequente*, idest satisfaciente voluntati eorum: *Psal. 77. 29. Desiderium eorum attulit eis.* Aquae enim ubique sequebantur eos: *Isa. 48. 21. Aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquae.* Vel *consequente eos*, idest veritatem sequentem significante. *Petra autem erat Christus*, non per substantiam, sed per significationem. Hic est lapis, quem reprobaverunt aedificantes. Alio modo legitur de bonis breviter sic. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri*, institutores fidei nostrae, *omnes* boni, spiritualiter, unde dicit patres nostri, non illorum, *sub nube fuerunt*, sicut prius; *et omnes eamdem escam manducaverunt spiritalem*, idest corpus Christi, in signo spiritualiter intellecto. Unde *eamdem escam spiritualem manducaverunt*, idem scilicet quod nos; sed aliam escam corporalem quam nos: et hoc quantum ad maiores in Christum credentes. Manducabant Christum spiritualiter, secundum illud Augustini *super Ioan. tract. 25. Crede et manducasti. Et omnes eumdem potum biberunt*, scilicet Christi sanguinem in signo. Sic loquitur de signo, et potu spirituali per fidem, non de corporali. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra;* sicut prius. Appetendus cibus, et potus, quia sufficiens: unde dicit, *Omnes manducaverunt;* indeficiens, quia *eumdem;* utilis, quia potus, et cibus spiritualis: quod notatur in ipso nomine spiritalis.

Deinde cum dicit, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, post beneficia tangit flagella: et primo offensam; secundo poenam, ibi, *Nam prostrati sunt.* Dicit ergo: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo;* quasi dicat: His omnibus beneficiis usi sunt Iudaei; *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, in illis scilicet qui Deum offenderunt, sed tantum in duobus, scilicet Caleph, et Iosue, quibus solis concessum est terram promissionis obtinere, *Num. 14. Malach. 1. 10. Non est mihi voluntas in vobis.*

## LECTIO II.

Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis; quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt.

Superius ostendit quid antiquis Iudaeis contigit; hic ostendit quod non propter se tantum, sed propter nos corrigendos, ita evenit. Ubi primo ostendit quod propter nos corrigendos a peccato, praedicta facta sunt; secundo quod propter hoc etiam scripta sunt, ibi, *Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correctionem nostram.* In prima ostendit quod ideo facta sunt ut cohibeamur a peccato: et primo a peccato cordis; secundo a peccato operis, ibi, *Neque idololatrae efficiamini;* tertio a peccato oris, ibi, *Neque murmuraveritis, sicut quidam ex ipsis.* In prima primo deterret per poenam; secundo ex hoc dehortatur culpam, ibi, *Ut non simus concupiscentes malorum;* tertio malos reducit ad memoriam, ibi, *Sicut et illi concupierunt.* Dicit ergo: *Haec autem in figura facta sunt nostri*, non ficta, sed vere facta. *In figura*, inquam, ideo scilicet ut nos considerantes illorum supplicia, *non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt,* de quibus *Psal. 105. 14. Concupierunt concupiscentiam in deserto. Num. 11.* dicitur, quod vulgus promiscuum flagravit desiderio carnium. Et notandum, quod sicut in bonis longe melius est quod figuratur quam ipsa figura, ut regnum caelorum quam terra promissionis; ita in malis longe peius est quod figuratur quam figura significans. Secundum autem Augustinum *in Psal. 77.* illa supplicia quae sustinuerunt, figura gehennae fuerunt, quae omni poena maior est. Haec autem pertinent ad sapientes inter Corinthios, qui desiderio carnes comedebant in idolio, et scandalizabant infirmos. Unde similes erant Iudaeis carnes desiderantibus in deserto: unde digni erant etiam simili poena.

Deinde cum dicit, *Neque idololatrae efficiamini*, dehortatur peccatum operis. Ubi tangit tria peccata. Primo idolatriae; secundo fornicationis, ibi, *Neque fornicemur;* tertio divinae tentationis, ibi, *Neque tentemus Christum.* In prima primo dissuadet idolatriae vitium; secundo deterret per exemplum, ibi, *Sicut quidam ex ipsis;* tertio explicat exemplum implicitum, ibi, *Quemadmodum scriptum est etc.* Dicit ergo: *Neque idololatrae efficiamini*, idolothytis vescendo in veneratione idoli, vel scandalum infirmorum; *sicut quidam illorum;* supple, idololatrae fuerunt, *Exod. 32.* et *Psal. 105. 19. Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile. Quemadmodum scriptum est, Exod. 32. 6. Sedit populus,* idest quidam de populo, *manducare et bibere*, coram idolo quibus similes sunt qui comedunt idolothyta, idola venerando, *et surrexerunt ludere*, idest ludos facere, sicut choreas, et huiusmodi in veneratione idoli. Vel *surrexerunt ludere*, idest idolum adorare; quod est simile ludo puerorum, qui faciunt imagines luteas. Deinde cum dicit, *Neque fornicemur*, tangit peccatum fornicationis. Ubi primo dissuadet tale peccatum; secundo deterret per exemplum culpae, ibi, *Sicut quidam ex ipsis fornicati sunt;* tertio poenae, ibi, *Et ceciderunt una die.* Dicit ergo: *Neque fornicemur*, ut quidam ex vobis: *supra 5. 1. Omnino auditur fornicatio inter vos: sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*, cum Madianitis scilicet, *Num. 25.* et ideo *ceciderunt una die viginti tria*, immo viginti quatuor, *millia;* sed maior numerus non excludit minorem: unde non dicitur hic cum praecisione: vel forte vitium scriptorum est. Deinde cum dicit, *Neque tentemus Christum*, tangit peccatum divinae tentationis: quod dissuadet primo, verbo; secundo, exemplo, ibi, *Sicut quidam eorum tentaverunt;* tertio, supplicio, ibi, *Et a serpentibus perierunt.* Dicit ergo: *Neque tentemus Christum*, diffidendo de eius potentia, sicut illi qui in vobis desperant de resurrectione; *sicut quidam eorum tentaveruut*, Deum, vel Christum in Moyse, dicentes *Psal. 77. 19. Numquid poterit parare mensam in deserto?* et ideo *a serpentibus perierunt*, donec scilicet serpens aeneus erectus est, ad cuius aspectum sanabantur. De hoc habetur *Num. 21.* et *Deut. 6. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Deinde cum dicit, *Neque murmuraveritis*, post peccatum cordis, et operis, dehortatur peccatum oris. Ubi primo dissuadet murmurationis vitium; secundo adducit quosdam in exemplum: et primo culpae, ibi, *Sicut quidam eorum murmuraverunt;* secundo poenae, ibi, *Et perierunt ab exterminatore.* Dicit ergo: *Neque murmuraveritis*, contra me, vel minores contra maiores: *Sap. 1. 11. Custodite vos a murmuratione: sicut quidam eorum murmuravernnt*, contra Moysen: *Num 16. 41. Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen:* et ideo *perierunt ab exterminatore*, ab Angelo scilicet, qui extra terminos terrae eos percussit: *Baruch 3. 19. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.*

Notandum super illud, *In Moyse baptizati sunt*, quod Damascenus *Lib. 4. cap. de baptismo* distinguit novem genera baptismatum, accipiendo baptismata large. Primum est aqua diluvii, de quo habetur *Gen. 6.* Secundum mare rubrum, de quo *Exod. 16.* Tertium aqua expiationis, de qua *Num. 19.* Quartum baptismus Ioannis, de quo *Matth. 3.* Quintum baptismus quo Christus baptizatus fuit, de quo *Luc. 3.* Sextum baptismus Spiritus sancti super discipulos: *Act. 1. 5. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Septimum baptismus poenitentiae, et contritionis, de quo *Eccli. 34. 30. Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Octavum baptismus sanguinis, de quo *Luc. 12. 50. Baptisma habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Nonum baptismus aquae, et Spiritus, de quo *Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu san-*

*cto , non potest introire in regnum Dei : Matth. ult. 19. Baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus sancti.*

Deinde cum dicit, *Haec autem omnia in figura contingebant illis* , habito quod propter nos praedicta facta sunt , hic ostendit quod propter nos etiam scripta sunt : et primo quod in significatione ; secundo quod in correctione , ibi , *Scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Dicit ergo: *Haec autem omnia in figura contingebant illis ;* quasi dicat: Ista contigerunt illis , et hoc non tantum propter sua peccata , aut pro se , sed *omnia in figura,* nostri scilicet, *contingebant illis :* erat enim tunc tempus figurarum. Deinde cum dicit , *Scripta sunt autem ad correptionem nostram* , tangit quod scripta sunt ad correctionem nostram. Ubi implicantur tria incitantia ad correctionem nostram. Primo antiquorum exempla , quae notantur in Scripturis ; secundo exemplorum causa, quae est correctio nostra ; tertio aetas novissima , quae est finis saeculorum. Dicit ergo : *Scripta sunt autem ad correptionem nostram :* quia *quaecumque scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt , Rom. 15. 4.* Nos, dico, *in quos fines saeculorum devenerunt,* idest sexta aetas, quae est ultima aetas laborantium : *1. Ioann. 2. 18. Filioli mei novissima hora est.* Quia ergo in ultima saeculi aetate sumus, tot exemplis priorum corrigi debemus. Vel *in quos fines saeculorum devenerunt,* idest in quibus per fidem, et amorem Christi finita est saecularitas : quia *Phil. 3. 20.* dicitur : *Conversatio nostra in caelis est.* Unde temporalia non promittuntur tempore gratiae, sicut tempore legis: unde nec in pactum deducuntur, sed adiiciuntur: *Matth. 6. 33. Primum quaerite regnum Dei , et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* Sed antiquitus erant in pactum: *Isa. 1. 19. Si volueritis , et audieritis me, bona terrae comedetis.* Ecce ergo exempla certa , quia *scripta sunt ;* utilia , quia *ad correptionem nostram;* durabilia, quia *in quos fines saeculorum devenerunt.*

## LECTIO III.

Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat , nisi humana. Fidelis autem Deus est , qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum , ut possitis sustinere.

Habita in primo Iudaeorum punitione , secundo punitionis ratione; hic tertio concludit quod exemplo eorum debent a malo cavere : ubi primo monet ut caveant casum; secundo cavendi docet modum, ibi, *Tentatio vos non apprehendat etc.* tertio promittit firmum adiutorium , ibi , *Fidelis autem Deus est etc.* In primo implicat quatuor solicitantia sapientem, scilicet multitudinem cadentium , cum dicit, *Itaque ;* incertitudinem stantium , cum subdit , *Qui se existimat stare ;* necessitatem cautelae, cum addit, *Videat ;* facilitatem ruinae , cum dicit , *Ne cadat.* Dicit ergo: *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat ;* quasi dicat: Illi, etsi beneficiis Dei usi sunt , nihilominus propter peccata perierunt. *Itaque* , ex eorum consideratione , *qui existimat* , aliqua coniecturatione, *se stare,* idest quod sit in gratia , et caritate, *videat,* diligenti attentione, *ne cadat* , peccando, vel alios faciendo peccare : *Isa. 14. 12. Quomodo cecidisti Lucifer ? Psal. 90. 7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Ideo *Ephes. 5. 15. Videte quomodo caute ambuletis.*

Deinde cum dicit , *Tentatio vos non apprehendat ,* docet modum cavendi casum , scilicet cavendo tentationem : ubi primo docet aliquam tentationem fugiendam ; secundo aliquam sustinendam, ibi , *Nisi humana.* Primo notificat quia pulsat ut introeat : unde dicitur , *Tentatio;* secundo quia impugnat ut praevaleat: unde subditur: *Non vos apprehendat.* Dicit ergo : *Tentatio vos non apprehendat* ; quasi diceret : Ne cadatis , *tentatio* , scilicet peccati , *non vos apprehendat* , trahendo in consensum peccati: *Nisi humana.* Hoc dupliciter exponit. Uno modo de tentatione interiori mali ; et tunc est permissio ; quasi dicat : Nulla peccati dilectio vos apprehendat, nisi forte de malis, sine qua vita humana non ducitur : non enim est homo qui semper faciat bonum, et non peccet , *3. Reg. 8.* et *2. Paralip. 6.* Alio modo exponitur de tentatione exterioris boni ; et tunc est exhortatio, sic. *Tentatio vos non apprehendat , nisi humana,* scilicet tribulationum praesentium propter Christum tolerantia. Augustinus *in Quaest. nov. et vet. testam. quaest. 99. Propter Christum pati, humana tentatio est: Tob. 12. 13. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*

Deinde cum dicit , *Fidelis Deus,* ostendit paratum adiutorium in tentatione. Ubi commendat Deum adiutorem, qui dat nobis resistendi potentiam , quod notatur ibi , *Sed faciet cum tentatione proventum;* perseverantiam , quod notatur ibi , *Ut possitis sustinere.* Vere fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur , constantiam ut vincamus. Dicit ergo : *Fidelis Deus ;* quasi diceret : Vos ad hoc hortor , et moneo quod potestis. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis , Psalm. 144. 13. Qui non patietur vos tentari supra id quod potestis:* quod utique posset diabolus , si permitteretur : *quia non est potestas super terram quae ei comparetur , Iob. 41. 24.* et *Isa. 40. 29. Dat lasso virtutem.* Ideo *Iacob. 1. 2. Omne gaudium existimate , fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Augustinus *in Psalm. 61. cir. fin. Qui dat diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentationis misericordiam. Proventum* , inquam , ita *ut possitis sustinere* , ne deficiatis in lucta , sed vincatis : quod fit per humilitatem , ut dicit Augustinus. Illi enim non crepant in fornace, qui non habent ventum superbiae.

Notandum est super illud , *Qui se existimat stare, videat ne cadat* , quod ad casum impellunt nos primo debilitas virium , sicut cadunt pueri , decrepiti , infirmi : *Isa. 40. 30. In infirmitate cadent:* quod contingit per tepiditatem bene operandi , et instabilitatem. Secundo onus peccatorum, sicut cadunt asini sub onere nimio *: Psalm. 35. 13. Ceciderunt qui operantur iniquitatem :* quod contingit per negligentiam poenitendi : quia peccatum quod per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Tertio multitudo trahentium , sicut arbor, vel pomus multis trahentibus deorsum cadit : supra eodem : *Neque fornicemur , sicut quidam ex ipsis fornicati sunt:* quod contingit per impulsum hostium. Quarto lubricitas viarum , sicut incauti cadunt in lubrico : *Eccli. 28. 30. Attende ne*

*forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi;* quod contingit per incautam custodiam sensuum. Quinto varietas offendiculorum, sicut avis capta in medio laqueorum: *Psalm. 19. 8. Hi in curribus, et hi in equis: Prov. 24. 16. Septies in die cadit iustus:* quod contingit per corruptionem creaturarum. Sexto ignorantia agendorum, sicut caeci cadunt de facili: *Matth. 15. 14. Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt:* quod contingit per negligentiam addiscendi necessaria. Septimo exempla cadentium, sicut angeli ad exemplum Luciferi: *Psal. 90. 7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: Prov. 25. 26. Fons turbatus pede, et vena corrupta, iustus cadens coram impio:* quod contingit per imitationem malorum. Octavo ponderositas corporum: corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, sicut lapis in collo natantis: *Iob 14. 18. Mons cadens defluit:* quod contingit per carnis fomentum superfluum.

## LECTIO IV.

**Propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.**

Superius ex consideratione Iudaeorum poenae, monuit abstinere a perpetratione peccatorum similium; hic specialiter monet cavere a comestione idolis immolatorum. Ubi primo ponit commonitionem cavendi ab idolothytis; secundo subdit causam commonitionis, ibi, *Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid?* tertio docet modum cavendi a dictis, ibi, *Omne quod in macello venit, manducate.* In prima cavere ab idolothytorum comestione monet primo ex timore poenae consimilis; secundo ex communione sancti altaris, ibi, *Ut prudentibus loquor;* tertio ex similitudine sacrificii legalis, ibi, *Videte Israel secundum carnem.* In prima, ut eius obediant dictis, primo arguit inferendo, cum dicit, *Propter quod;* secundo allicit blandiendo, cum subdit, *Carissimi mei;* tertio instruit exhortando, cum addit, *Fugite ab idolorum cultura.* Dicit ergo: *Propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura;* quasi diceret: Quia sacramenta sola non salvant, et qui cadit punitur, auxilium Dei non deest: *propter quod, carissimi mei, fugite ab idolorum cultura*, idest ab omni idoli veneratione: Glossa: *Ideo hos Apostolus hortatur fugere ab idolatriae superstitione, vel ne sapientes comedant idolothyta cum offendiculo infirmorum, quibus idolatrare viderentur: vel ne ipsi infirmi idolatrae sint, edendo in idoli veneratione. Fugite ergo ab idolorum cultura, vel putativa quoad esum sapientium, vel vera quoad esum infirmorum.*

Deinde cum dicit, *Ut prudentibus loquor*, monet cavere ab idolothytorum comestione ex communione sacramenti altaris. Ubi primo quod dicturus est supponit eorum iudicio; secundo ostendit quid est illud, scilicet quod per communionem eucharistiae efficimur unum cum Christo, ibi, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? etc.* tertio probat quod ita est, quod omnes sumus unum in corpore eius mystico, ibi, *Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus.* Dicit ergo: *Ut prudentibus loquor:* quasi dicat. Ut fugiatis, *loquor* vobis *ut prudentibus.* Vel sic. *Loquor* vobis altum quid, scilicet quod sequitur, *ut prudentibus.* Vel sic. Loquor infirmis, scilicet qui sunt inter vos, ut supra locutus sum prudentibus. Et ideo *vos ipsi* maiores *iudicate quod dico: Iob 31. 13. Si contempsi subire iudicium cum servo meo. Iudicate*, inquam, hoc quod sequitur. *Calix benedictionis*, idest potus calicis, per quem participantes benedicuntur: *Luc. 22. 20. Similiter et calicem postquam coenavit, dicens: Hic calix est novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur: cui benedicimus*, idest quod nos fideles exaltamus credendo, et gratias agendo: vel *cui benedicimus*, idest quem nos sacerdotes consecramus: *nonne communicatio sanguinis Christi est?* faciens nos unum cum ipso, secundum illud Augustini: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* Est ergo sua ratio talis. Sicut participans calicem Domini fit unum cum eo, sic participans calicem daemoniorum fit unum cum eis. Sed daemonum unitas est maxime fugienda. Ergo et participatio idolothytorum in eorum venerationem. Et ideo fugite ab idolorum cultura. *Et panis quem frangimus*, idest sumptio panis fracti in altari, *nonne participatio corporis Domini est?* faciens nos unum cum Christo: quia sub specie panis sumitur corpus Christi.

Deinde cum dicit, *Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus*, ostendit quod omnes sumus unum in corpore eius mystico. Ubi proponit primo unitatem; secundo subdit unitatis rationem, ibi, *Omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.* In prima tangit duplicem unitatem. Primam incorporationis, qua in Christum transformamur, cum dicit, *Unus panis;* aliam vitae, et sensus, quam a Christo capite accipimus, cum addit, *Et unum corpus multi sumus.* Dicit ergo: *Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus;* quasi dicat: Per hoc patet quod unum sumus cum Christo, quoniam *unus panis*, unione fidei, spei, et caritatis, *et unum corpus multi sumus*, per subministrationem operum caritatis: corpus scilicet illius capitis, qui est Christus. *Multi*, dico, scilicet *omnes qui de uno pane*, idest corporis Christi, *et de uno calice*, idest sanguine, *participamus* digna participatione, scilicet spirituali, non tantum sacramentali. Augustinus *super Iaan. tract. 25. Accipite, quia unus panis, et unum corpus Ecclesia Christi dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur; sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus caritate copulatis connectitur.* De ista unitate *infra 12.* dicitur.

Hic quaeritur super illo, *Omnes in Moyse baptizati.* Glossa: *Per visa illa legalia purgati.* Contra. Legalia non iustificabant. Respondeo. Iustificabant dispositive a remotis, non causative: quia per modum signi, non causae.

Item super illud, *Petra autem erat Christus.* Glossa: *Non petra dedit aquas, sed Christus.* Contra. *Num. 20. 8. Loquimini ad petram, et ipsa dabit vobis aquas.* Respondeo. Petra dabat originaliter, non effective.

Item super illud, *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt*, Glossa: *Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum, Ioan. 6. 52. scilicet, qui manducat corde, non qui premit ore.* Contra. Ergo non oportet sacramentaliter manducare. Respondeo. Non qui premit ore, solum scilicet.

Item super illud, *Eumdem potum spiritualem biberunt*, Glossa: *Ideo est effectus in illis sacramentis, sed non tantum quantum in nostris.* Contra. Sacramenta vetera non efficiebant quod figurabant. Respondeo. Idem est effectus, sed aliter; nam illorum per modum signi, nostrorum per modum causae.

Item super illud, *Haec autem in figura facta sunt.* Glossa: *Omnes poenae minores sunt gehenna.* Contra. Carentia visionis Dei maior est quam gehenna, secundum Chrysostomum. Respondeo. Loquitur de poenis temporalibus.

Item super illud, *Qui stat, videat ne cadat*, Glossa: *Non quod sit aliquis sine casu.* Contra. Multi sunt sine mortali. Respondeo. Duplex est casus, unus a Domino per mortale, alter in Domino per veniale.

Item super illud, *Fidelis Deus*, Glossa: *Qui dat tentandi diabolo licentiam, dat tentatis misericordiam.* Contra. Quod fit de licentia, licite fit: ergo licet diabolo tentare. Respondeo. Licentia accipitur hic pro permissione, non pro concessione.

Item. *Vos ipsi iudicate.* Contra. Non est inferiorum iudicare de factis superiorum. Respondeo. Non debent iudicare iudicio superordinationis; sed licet iudicio discretionis.

Item super illud, *Benedicimus*, Glossa: *Nos sacerdotes.* Contra. Quod minus est, a maiori benedicitur. Respondeo. In sacramento altaris benedictio sacerdotis fertur super terminum a quo, idest super panem, non super terminum ad quem, idest corpus Christi.

Item. *Panis quem frangimus.* Contra. Iam tunc non est ibi panis. Respondeo. Ponitur significatum pro signo, idest panis pro specie panis.

Item super illud, *Nonne participatio corporis Domini est?* Glossa: *Per partes manducatur in sacramento, et manet integer in caelo.* Contra. Christus sub sacramento est impartibilis. Respondeo. Manducatur per partes sacramenti, non sui.

Item ibidem Glossa: *In illo sacramento corpus suum, et sanguinem commendavit: quod est, fecit nos ipsos.* Contra. Non fecit nos corpus Christi verum. Respondeo. Quod, idest cuius significatum: unde relatio est simplex.

## LECTIO V.

Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quae immolant Gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum. An aemulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius.

Superius monuit abstinere a comestione idolothytorum, primo ex timore poenae consimilis; secundo ex communione altaris; hic tertio monet ad idem ex similitudine sacrificii legalis: ubi primo excitat attentionem; secundo ostendit propositum, ibi, *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Dicit ergo, *Videte.* Hoc dupliciter legitur. Uno modo de sacrificiis Iudaeorum; alio modo de ritu Gentilium. Primo modo hoc quod dico *Israel*, est accusativi casus; alio modo vocativi. Primo modo sic; quasi dicat: *Multi unum corpus sumus, qui de uno pane, et de uno calice participamus:* et hoc patet per hanc similitudinem. *Videte Israel secundum carnem*; supple, ambulantem, idest carnalibus sacrificiis deservientem. Hoc dicit ad differentiam Israel secundum spiritum. De utroque *Rom. 2. 28. Non enim qui in manifesto, Iudaeus est. Nonne qui edunt hostias* legales, *participes sunt altaris* legalis? sicut qui edunt carnem Christi, et sanguinem, participes sunt corporis eius. Secundo modo legitur sic. *Videte*, o *Israel*, o vos qui estis Israel spiritualis, videns scilicet Deum: *videte*, inquam, ea quae sunt *secundum carnem*, idest in idolatriae ritu carnali. *Nonne qui edunt hostias*, idolis scilicet immolatas, *participes sunt altaris*, daemonum, et idolorum? Quasi dicat, sic. Est ergo sua ratio talis. *Qui edunt hostias* oblatas altari, *participes sunt altaris;* a simili, qui edunt hostias immolatas idolis, participes sunt idolorum, sive daemoniorum.

Deinde cum dicit, *Quid ergo? etc.* superius posuit monitionem cavendi ab idolothytorum comestione, hic ponit causam admonitionis. Ponit autem quatuor causas quare debent ab idolothytis abstinere. Primo propter vitandam daemonis societatem; secundo propter vitandam sacrae communionis exclusionem, ibi, *Quia non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum;* tertio propter vitandam Dei indignationem, ibi, *An aemulamur Dominum?* quarto propter fratrum laesionem, ibi, *Omnia mihi licent etc.* In prima primo ostendit per hoc, quod non dicit hoc, eo quod alicuius virtutis reputet idolum, vel idolothytum; secundo quod potius ideo quia daemonibus est immolatum, ibi, *Sed quae immolant Gentes, daemoniis immolant;* tertio quod non vult eos esse socios daemonum, ibi, *Nolo autem vos socios esse daemonum.* Dicit ergo: *Quid ergo?* Quasi dicat: Moneo cavere ab idolothytis. *Quid ergo dico?* idest quid dicere videor hoc monendo? Numquid hoc, supple quod illud *quod idolis est immolatum sit aliquid*, vel alicuius virtutis, ut noceat; *aut quod idolum sit aliquid* veneratione dignum? Quasi dicat, non: *Ps. 134. 17. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Sed* hoc potius dico, quod *quae immolant Gentes* idolo, *daemoniis immolant, et non Deo: Ps. 95. 5. Omnes dii Gentium daemonia: Deut. 32. 17. Immolaverunt daemonibus, et non Deo.*

Deinde cum dicit, *Nolo autem vos fieri socios dae-*

*moniorum*, ostendit quod non vult eos fieri socios daemonum; quod fieret si communicarent mensae idolorum: et hoc est quod dicit: *Nolo autem vos*, qui fidelis estis, *socios fieri daemonum*, edendo scilicet de his quae idolis immolantur: *2. Corinth. 6. 14. Quae societas lucis ad tenebras, aut quae conventio Christi ad Belial?*

Deinde cum dicit, *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum*, ecce secunda ratio quare abstinendum est ab idolothytis; quae est talis. Omne quod excludit a communione corporis, et sanguinis Christi, vitandum est. Comestio idolothytorum est huiusmodi. Ergo vitanda est. Primo ergo ostendit quod huiusmodi comestio excludit a communione sanguinis Christi; secundo quod et a communione corporis Christi, ibi, *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Dicit ergo: *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum;* quasi dicat, *Nolo vos fieri socios daemoniorum.* Hoc autem ideo dico, quia *non potestis calicem Domini bibere*, potu spirituali, vel sacramentali tantum: *Psalm. 115. 13. Calicem salutaris accipiam: et calicem daemoniorum* simul, et hoc quoad sacramentum sanguinis: *non potestis mensae Domini participes esse*, quoad sacramentum corporis, *et mensae daemoniorum: Matth. 6. 24. Nemo potest duobus dominis servire.* Ecce ergo calix fructuosus, quia ad bibendum; spiritualiter pretiosus, quia Domini; specialiter purus, et mundus, quia non datur immundis utiliter. Similiter potest dici de mensa.

Deinde cum dicit, *An aemulamur Dominum?* ecce tertia ratio talis. Omne illud quod provocat iram Dei, vitandum est. Comestio idolothytorum est huiusmodi. Ergo vitanda est. Primo ergo ostendit quod Deus provocatur ex tali comestione; secundo quod stultum est eum provocare, ibi, *Numquid fortiores illo sumus?* Dicit ergo: *An aemulamur*, idest ad iram provocare volumus, *Dominum*, comedendo idolothyta? Vel sic. *An aemulamur Dominum*, idest invidemus ei, ut quasi in contemptum eius hoc faciamus? *Deut. 32. 16. Provocaverunt eum in diis. Numquid?* quasi dicat: Non debemus eum provocare: *numquid illo fortiores sumus?* quasi dicat, non: *Iob 9. 19. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est*: fatuum est enim provocare fortiorem se.

Notandum super illud, *Nolo autem vos socios fieri*, quod est societas bona, et mala; et utraque quadruplex. Est ergo societas bona, prima personarum divinarum, de qua *1. Ioan. 1. 3. Ut societatem habeamus cum Deo, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo.* Et hoc exigit summa iucunditas, quia nullius rei sine socio iucunda est possessio. Secunda angelorum sanctorum, da qua *Tobiae 5. 27. Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur ei.* Et hoc exigit hominis dignitas. Hieronymus: *Magna est dignitas animarum.* Tertia virorum iustorum, de qua *Galat. 2. 9. Iacobus, et Ioannes dexteras dederunt mihi, et Barnabae societatis.* Et hoc exigit nostra utilitas: *Eccle. 4. 9. Melius est duos esse simul: habent enim emolumentum societatis suae.* Quarto beatorum, de qua *Apocal. 1. 9. Ego Ioannes socius vester, et frater in tribulatione, et regno.* Et hoc exigit communis felicitas: *quia si socii sumus passionis, erimus et consolationis, 2. Corint. 1. 7.* Societas mala similiter quadruplex. Prima a parte malorum, de qua *Isa. 1. 23. Principes tui infideles, socii furum.* Haec est societas Herodis, et Pilati in crucifixione Christi. Secunda hypocritarum, de qua *Iob 30. 29. Frater fui draconum, et socius struthionum*, quae alas habere videtur, et volare non potest. Haec est societas vulpis, et lupi. Tertia daemonum, de qua *Iob 18. 15. Habitent in tabernaculo eius socii eius qui non est.* Haec est societas catti et muris, carnificis et bovis. Quarta damnatorum, de qua *2. Corinth. 6. 14. Quae societas lucis ad tenebras?* Haec est societas incarceratorum in igne.

Deinde cum dicit, *Omnia mihi licent etc.* ponitur quarta ratio talis. Omne illud quod laedit proximorum salutem, vitandum est. Sed comestio idolothytorum est huiusmodi. Ergo vitanda est. Primo ostendit quod talis comestio comedenti non proficit; secundo quod alterum laedit, ibi, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Dicit ergo: *Omnia mihi licent;* quasi dicat: Si illos peccare dicam qui comedunt idolothyta, non tamen dico cibos in se illicitos: quia *omnia* quae ad escam pertinent, *mihi licent.* Vel etsi *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, idest adiuvant me in cursu meo. Simile *supra 6. Omnia mihi licent*, idest etsi omnia mihi licerent, *sed non omnia aedificant* proximos, sed ea quae caritatis sunt: *Supra 8. 1. Scientia inflat, caritas aedificat.* Et quia non omnia aedificant, *nemo quod suum est quaerat* tantum: *caritas* enim *non quae sua sunt quaerit: infra 13. 5. sed quod alterius*, idest quod alteri proficit. Sed heu! *Philip. 2. 21.* dicitur: *Omnes quae sunt sua quaerunt.* Audiendus est ergo Apostolus, qui et docet verum, et monet bonum. Docet verum duplex, scilicet expedientiae sibi, quia *omnia licent, sed non expediunt;* et aedificationis aliis, quia *omnia licent, sed non omnia aedificant.* Monet bonum duplex; scilicet expedientiae sibi, *Nemo quod suum est quaerat;* et aedificationis aliis, *sed quod alterius.*

## LECTIO VI.

Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad coenam, et vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?

Superius monuit cavere ab idolothytis, et posuit rationem quadruplicem suae monitionis; hic tertio docet modum cavendi a praedictis, ostendendo quomodo liceat edere, et quomodo non. Primo ergo ostendit an liceat edere; secundo quando non licet, ibi, *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite man-*

*ducare;* tertio quid in utrisque debent attendere, ibi, *Sive ergo manducatis, sive bibitis .... omnia in gloriam Dei facite.* In prima primo ponit duos casus in quibus licet idolothyta comedere. Primus quando comedit per se; secundus quando cum aliis, ibi, *Si quis autem infidelium vocat vos ad coenam, et vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate.* Vel primus quando nescit idolis immolatum; secundus quando non in proximi scandalum. In primo casu primo tangit comedendi licentiam; secundo comedendi praestat cautelam, ibi, *Nihil interrogantes.* Dicit ergo: *Omne quod in macello venit,* idest venditur, *manducate;* quasi dicat: Quia licet edere, sed non expedit aliquando, ideo sic edite. *Omne quod in macello venit*, idest venditur, *manducate*, si vultis. *Omnis enim creatura Dei bona, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, I. Timoth. 4. 4.* Vos, dico, *nihil interrogantes*, scilicet an sit idolis immolatum, vel non; et hoc *propter conscientiam,* adstantis infirmi. *Domini est terra, et plenitudo eius;* quasi dicat: Hoc secure potestis facere, quia *Domini est terra, et plenitudo eius*, idest omnia quibus terra impletur: *Psalm. 49. 10. Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum.* Ambrosius hoc in loco: *Non potest esse immundum quod Domini est.* Sed omnes carnes sunt Domini. Ergo de se mundae sunt, et licitae.

Deinde cum dicit, *Si quis autem vocat vos infidelium ad coenam*, ostendit quando licet comedere idolothyta cum aliis, quando scilicet dantur in convivio, et ignorantur ab infirmis, quod sint idolis immolata. Ubi implicantur quatuor expedientia cuilibet convivae: scilicet ne sit impudens se ingerendo, quod notatur, ibi, *Si quis vocat vos;* quod non sit offendens in respuendo, quod notatur, ibi, *Et vultis ire*; quod non sit onerosus in petendo, quod notatur ibi, *Omne quod vobis apponitur manducate;* quod non sit indiscretus in loquendo, ibi, *Nihil interrogantes.* Dicit ergo: *Si quis infidelium*, idest Gentilium: nam cum Iudaeis comedere prohibitum est *28. quaest. 1. cap. Omnes*, ubi sic dicitur: *Omnes deinceps sive clerici, sive laici, Iudaeorum convivia vitent, nec eos ad convivium quisquam recipiat: quia cum Iudaei apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum atque sacrilegum est, eorum cibos a Christianis sumi. Si quis ergo infidelium*, idest Gentilium, *vocat vos ad coenam, et vultis ire*, idest placet vobis invitatio, *omne* comestibile, *quod vobis apponitur*, *manducate.* Concessio est, non iussio: *Luc. 10. 8. Manducate quae vobis apponuntur.* Vos, dico, *nihil interrogantes* an sit immolatum idoli, vel non: et hoc *propter conscientiam* infirmorum.

Deinde cum dicit, *Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare*, ostendit quando non licet comedere. Ubi assignat triplicem causam quare non licet comedere. Primo propter alterius conscientiam; secundo propter damnationem propriam, ibi, *Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* tertio propter imperitorum blasphemiam, ibi, *Si cum gratia participo, quid blasphemor?* Prima ratio talis est. Nihil faciendum est scienter, quod laedat conscientiam eius qui facit. Sed comestio idolothyti est huiusmodi. Ergo nihil tale est faciendum. Primo ergo proponit idolothyti cognitionem; secundo dissuadet eius comestionem, ibi, *Nolite manducare;* tertio subdit huius rationem, ibi, *Propter illum qui indicavit.* Dicit ergo: *Si quis autem dixerit*, etiam non interrogatus, *Hoc est immolatum idolis, nolite manducare:* et hoc *propter illum qui indicavit* hoc esse immolatum idolis, ne scilicet credat te manducare sub veneratione idoli, non quod cibus de se sit immundus: *Rom. 14. 14. Scio, et confido in Domino quod nihil commune est per ipsum, nisi illi qui existimat aliquid commune esse.* Sed etiam *propter conscientiam* aliorum infirmorum. *Conscientiam autem, non tuam*, quae firma est, *sed alterius*, scilicet infirmi: *2. Corinth. 6. 3. Nemini dantes ullam offensionem.* Deinde cum dicit, *Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* ecce iam secunda ratio, quae est talis. Quod facit ad iudicium damnationis propriae, vitandum est. Sed comestio idolothyti cum scandalo proximi est huiusmodi. Ergo talis comestio vitanda est: et hoc est quod dicit: *Ut quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* quasi dicat: Nolite manducare propter conscientiam infirmi: *ut quid enim libertas mea*, idest quod liberum mihi est, *iudicatur ab aliena conscientia?* idest mihi fit damnabile propter conscientiam alienam ratione scandali; quasi dicat: Si comedo cum alterius scandalo, sic ago ut reddam me damnabilem: *Matth. 18. 6. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.* Ut quid ergo sic ago? quasi dicat, Male ago. Deinde cum dicit, *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor?* ecce ratio tertia talis. Cavendus est casus in blasphemiam, et vituperium aliorum. Sed comedendo idolothytum cum scandalo, comedo sic. Ergo etc. Ubi primo tangit modum edendi debitum; secundo nihilominus blasphemiam insipientium, ibi, *Quid blasphemor?* Dicit ergo: *Si ego cum gratia*, idest cum gratiarum actione, *participo*, idest comedo: sic enim semper sumendus est cibus: *Ioan. 6. 11. Gratias agens benedixit, et fregit: quid blasphemor* ab imperitis dicentibus idolatrare? Blasphemor, inquam, *pro eo quod gratias ago*, idest quod gratias agendo participo: *Rom. 14. 16. Non ergo blasphemetur bonum nomen vestrum.*

## LECTIO VII.

**Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Iudaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo; non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.**

Habito quando licet de idolothytis comedere, et quando non; hic ostendit quid in utroque debent intendere: et primo respectu Dei, quia debent quaerere eius gloriam; secundo quid respectu proximi, quia debent cavere eius offensam, ibi, *Sine offensione estote.* In prima primo inducit actum multiplicem; secundo persuadet actuum intentionem debitam, ibi, *Omnia in gloriam Dei facite.* Dicit ergo: *Sive ergo manducatis, sive bibitis... omnia in gloriam Dei facite;* quasi dicat: Quia haec mala contingunt: *ergo sive manduca-*

*tis, sive bibitis*, quae sunt opera necessitatis, *vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, et cum invocatione Creatoris, ea intentione ut Deus laudetur, et glorificetur: *Matth. 5. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est: Coloss. 3. 17. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in gloriam Dei facite.* Augustinus *in Psalm. 54. concione 2. in fine. Haec si recte fiunt, laudes Dei sunt. Non ergo solum vox tua sonet laudes Dei, sed etiam opera tua concordent cum voce tua. Cum enim Deus laudatur de bono opere, Deum laudas; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, Deum blasphemas*

Deinde cum dicit, *Sine offensione estote*, monet ut caveant ab offensa aliorum: et persuadet hoc primo, verbo; secundo, exemplo, ibi, *Sicut et ego per omnia omnibus placeo.* Ubi ponit se in exemplum primo pacificae conversationis; secundo fructuosae operationis, ibi, *Non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis;* tertio rectae intentionis, ibi, *Ut salvi fiant.* Felix cuius conversatio amabilis, operatio utilis, intentio salubris. Dicit ergo: *Sine offensione estote;* quasi dicat: Ut omnia in gloriam Dei fiant, *sine offensione estote Iudaeis*, qui non adorant idola, et ideo in tali comestione scandalizantur, *et Gentibus*, qui adorant idola, et ideo per huiusmodi comestionem in errore confirmantur, *et Ecclesiae Dei*, quantum ad infirmos in fide, qui inde offenduntur. Iudaei sunt sub lege, sed non sunt sub fide; Gentes nec sub lege, nec in fide; Ecclesia Dei et sub lege, et in fide: *Roman. 12. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Sicut et ego per omnia omnibus placeo*, tamquam conversans sine scandalo. *Ego*, inquam, *non quaerens quod mihi utile est* tantum, *sed quod multis.* Ecce optimus modus placendi omnibus, si omnium utilitas, non privatum commodum procuretur. Caritas, inquam, non quaerit quae sua sunt. Quod est utile, inquam, multis: et non hoc ad aliquod commodum temporale, *sed* ad hoc *ut salvi fiant: Philip. ult. 17. Non quaero datum, sed fructum.*

Notandum, quod multa sunt quae merito placere faciunt hominibus. Primum prudentia in consiliis; sicut advocatus clienti, dispensator Principi placet: *Genes. 41. 37. Placuit Pharaoni consilium et omnibus servis eius: Eccli. 20. 29. Vir prudens placebit magnatis.* Secundum munditia in factis; sicut coniux coniugi, instrumentum utenti placet: *1. Reg. 2. 26. Puer autem Samuel crescebat, et proficiebat, placens tam Deo, quam hominibus.* Non sic filii Heli. Tertium pietas in suffragiis; sicut medicus infirmanti, baculus seni placet. Unde de sepultura Abner dicitur *2. Reg. 3. 36. Placuerunt eis omnia quae fecit David in conspectu totius populi.* Quartum sapientia in verbis; sicut lumen viatori, viror visui placet: *Iosue 22. 33. Placuit sermo cunctis audientibus: Eccli. 20. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, et homo prudens placebit magnatis.* Quintum clementia in responsis; sicut sapor gustui, melodia auri placet: *2. Paralip. 10. 7. Si placueris populo huic, et lenieris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore.* Sextum fortitudo in bellis; sicut pugil conductori, miles Principi placet: *1. Reg. 18. 22. Dixerunt servi Saul ad David: Ecce places Regi, et omnes servi eius diligunt te.* Septimum largitas in beneficiis; sicut pluvia terrae arenti, sicut fons sitienti placet: *1. Machab. 14. 4.* de Simone: *Quaesivit bona gentis suae, et placuit illis potestas eius.*

Hic quaeritur super illud, *Nolo vos esse socios daemoniorum.* Glossa: *Ad hoc genus pertinent quae fiunt in quibusdam rebus suspendendis, vel alligandis.* Contra. Ergo suspensio herbarum ad collum, vel cartularum, quae fieri solet, ad idolatriam pertinet. Responsio. Aut herbae habent a natura vim naturalem ad effectum illum, aut non. In primo casu non pertinent ad idolatriam, sed in secundo. Similiter schedulae aut continent solum verba sacra, et ex hoc creduntur habere vim, aut non. In primo casu non pertinet ad idolatriam, sed in secundo.

Item super illud, *Omnia mihi licent*, Glossa: *Potestate liberi arbitrii, et doctrina legis naturalis.* Contra. Secundum legem naturalem multa sunt illicita. Respondeo. Hic loquitur de cibis specialiter.

Item ibidem Glossa: *Praecepto Domini illa prohibentur.* Respondeo. Illa praecepta ad tempus fuerunt, et revocata sunt.

Item. *Nihil interrogantes.* Contra: *Tob. 2. 21. Videte ne forte furtivus sit* Respondeo. Non est simile, quia cibum furtivum non est licitum in se comedere; sed idolo immolatum licet edere, nisi propter scandalum alterius.

Item. *Omnia in gloriam Dei facite.* Contra. Ergo nullus actus est indifferens. Respondeo. Relatio haec in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus.

Item. *Domini est terra et plenitudo eius.* Contra. Eadem ratio fuit sub lege: ergo si omnia sunt modo munda, quia Domini sunt, et tunc fuerunt. Respondeo. Reputatione legis immunda dicta sunt, sed non sui natura.

Item. *Sicut ego per omnia omnibus placeo.* Contra. *Galat. 1. 10. Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Item quomodo placebat persecutoribus suis? Respondeo ad primum. Placere volebat hominibus propter Deum, non propter se. Ad argumentum secundum, intelligitur hoc non de omnibus generaliter, sed de ecclesiasticis viris secundum Glossam.

## CAPITIS UNDECIMI

### LECTIO PRIMA

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.

Supra Apostolus removit a fidelibus id quod est contrarium Eucharistiae sacramento, scilicet participationem mensae idolorum; nunc autem instruit fideles de ipso eucharistiae sacramento: et primo praemittit quam-

dam admonitionem generalem; secundo accedit ad propositum, ibi, *Volo autem vos scire.* Circa primum duo facit. Primo proponit admonitionem ; secundo significat quomodo Corinthii ad praedictam admonitionem se habebant , ibi , *Laudo autem vos , fratres.* Circa primum considerandum est , quod ita se habet naturalis ordo rerum , quod ea quae sunt inferiora in entibus imitantur ea quae sunt superiora secundum suum posse : unde etiam naturale agens tamquam superius, assimilat sibi patiens. Primordiale autem principium totius processionis rerum est Filius Dei , secundum illud *Ioan. 1. 3. Omnia per ipsum facta sunt.* Et ideo ipse est primordiale exemplar , quod omnes creaturae imitantur tamquam veram et perfectam imaginem Patris : unde dicitur *Coloss. 1. 15. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quia in ipso condita sunt universa.* Speciali tamen quodam modo exemplar est spiritualium gratiarum , quibus spirituales creaturae illustrantur, secundum illud quod *in Psal. 109. 3.* dicitur ad Filium : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te :* quia scilicet genitus est ante omnem creaturam per gratiam lucentem, habens exemplariter in se splendores omnium sanctorum. Hoc autem exemplar Dei prius erat a nobis valde remotum , secundum illud *Eccle. 2. 12. Quid est homo ut sequi possit Regem factorem suum?* Et ideo homo fieri voluit , ut hominibus humanum exemplar praeberet : unde Augustinus dicit *in Libro de Agone christiano cap. 11. Qua perversitate non careat qui dicta , et facta illius hominis intueri diligit, et sectatur , in quo se nobis ad exemplum vitae praebuit Filius Dei?* Et sicut divinitatis eius exemplar primo quidem imitantur angeli , secundario vero reliquae creaturae , ut Dionysius dicit *10. cap. angelicae Hierarchiae ;* ita humanitatis exemplar principaliter quidem imitandum proponitur praelatis Ecclesiae tamquam superioribus : unde et Dominus apostolis dicit *Ioan. 13. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita et vos faciatis.* Secundario vero ipsi praelati informati exemplo Christi , proponuntur exemplar vitae subditis , secundum illud *1. Petr. ult. 3. Forma facti gregis ex animo :* et *2. Thessal. 3. 9. Ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Et ideo Apostolus signanter dicit : Dixi ut sine offensione omnibus sitis; et hoc quidem facere poteritis , si hoc quod dico servetis. *Imitatores mei estote , sicut et ego Christi* , scilicet sum imitator. Imitabatur enim eum primo quidem in mentis devotione : *Galat. 2. 20. Vivo ego , iam non ego , vivit vero in me Christus.* Secundo in subditorum solicitudine : unde dicebat *Philip. 2. 17. Si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestrae, gaudeo , et congratulor omnibus vobis... sicut et Christus obtulit semetipsum pro nobis,* ut dicitur *Ephes. 5. 2.* Tertio quantum ad passionis tolerantiam : *2. Corinth. 4. 10. Semper mortificationem Iesu in corpore circumferentes:* et *Galat. ult. 17. Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Est autem notandum , quod non simpliciter dicit, *Imitatores mei estote;* sed addit , *sicut et ego Christi :* quia scilicet subditi praelatos suos imitari non debent in omnibus , sed in quibus illi Christum imitantur , qui est indeficiens sanctitatis exemplar.

Deinde cum dicit, *Laudo autem vos, fratres,* ostendit qualiter Corinthii se habebant ad admonitionem praedictam. Circa quod considerandum est , quod subditi suos praelatos sequntur dupliciter , scilicet quantum ad facta , et dicta. Quantum quidem ad facta , dum subditi praelatorum exempla imitantur : unde dicitur *Iacob. 5. 10. Exemplum accipite , fratres mei, Prophetarum, qui locuti sunt in nomine Domini.* Quantum vero ad dicta , dum eorum praeceptis obediunt : *Proverb. 3. 21. Custodi praecepta mea , et vives.* In his autem Corinthii deficiebant , et maxime quantum ad maiorem multitudinem; et ideo Apostolus alloquens eos , dicit : *Laudo autem vos , fratres ;* quasi dicat : Super hoc laudandos vos praebere debetis, sed non facitis , *quod per omnia memores estis* , ad imitandum mea exempla : non enim possumus illorum exempla imitari , quorum memoriam non habemus: unde dicitur *Hebr. 13. 7. Mementote praepositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Quantum vero ad dicta subdit : *Et sicut tradidi vobis , praecepta mea tenetis;* quasi dicat : Eodem tenore observatis quo ego tradidi: hoc enim dicit, quia ab observantia praeceptorum eius recesserant : *Ioan. 15. 20. Si sermonem meum servaverunt , et vestrum servabunt.*

Sed videtur hic modus loquendi non esse conveniens veritati sacrae Scripturae , quae nihil patitur falsitatis , secundum illud *Proverb. 8. 8. Iusti sunt omnes sermones mei , et non est in eis pravum quid, neque perversum.*

Sed dicendum , quod ironica locutio est una de locutionibus figurativis, in quibus veritas non attenditur secundum sensum quem verba faciunt, sed secundum id quod loquens exprimere intendit per simile, vel contrarium, vel quocumque alio modo. Et ideo in ironica locutione veritas attenditur secundum contrarium eius quod verba sonant , sicut in metaphorica secundum simile.

Deinde cum dicit , *Volo autem vos scire , fratres* , accedit ad propositum, instruens scilicet fideles de Eucharistiae sacramento : et circa hoc tria facit. Primo redarguit eorum errores circa ritum huius sacramenti; secundo ostendit huius sacramenti dignitatem, ibi, *Ego enim accepi a Domino;* tertio docet convenientem ritum , ibi , *Itaque fratres mei.* Circa primum tria facit. Primo redarguit errorem, quo scilicet errabant in habitu , quia scilicet mulieres ad sacra mysteria conveniebant capite non velato ; secundo arguit errorem in conventu , quia scilicet dum convenirent ad sacra mysteria , contentionibus vacabant , ibi , *Haec autem praecipio non laudans ;* tertio quantum ad certum cibum , quia scilicet pransi ad sacra mysteria sumenda accedebant, ibi, *Convenientibus autem vobis etc.* Circa primum duo facit. Primo praemittit quoddam documentum , ex quo sumitur ratio subsequentis monitionis ; secundo ponit monitionem , ibi , *Omnis autem vir orans , aut prophetans velato capite , deturpat caput suum.* Circa primum ponit triplicem comparationem : quarum prima est Dei ad hominem, dicens: Dixi, quod praecepta mea tenetis per contrarium ; sed ut appareat vos irrationabiliter agere , *volo vos scire* , tamquam rem necessariam , secundum illud *Isa. 5. 13. Captivus ductus est populus meus , quia non habuit scientiam : quod omnis viri caput Christus est:* quod

quidem dicitur secundum similitudinem capitis naturalis, in quo quatuor considerantur. Primo quidem perfectio, quia cum cetera membra unum solum sensum habeant, scilicet tactum, in capite vigent omnes sensus: et similiter in aliis viris inveniuntur singulae gratiae, secundum illud quod dicitur *infra 12. 8. Alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae etc.* sed in homine Christo est plenitudo omnium gratiarum: non enim ad mensuram dat ei Deus spiritum, ut dicitur *Ioan. 3.* Secundo in capite inventur sublimitas: quia ut scilicet in homine est superius omnibus membris, ita etiam Christus supereminet non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus angelis, secundum illud *Ephes. 1. 20. Constituens illum ad dexteram suam in caelestibus super omnem Principatum, et Potestatem:* et *infra hoc cap. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Tertio in capite invenitur influentia, quia scilicet quodam modo influit ceteris membris sensum, et motum; ita a capite Christo in cetera membra Ecclesiae, motus, et sensus spiritualis derivatur, secundum illud *Coloss. 2. 19. Non tenens caput, ex quo totum corpus per nexum, et coniunctiones subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei.* Quarto in capite invenitur conformitas naturae ad cetera membra, et similiter in Christo ad alios homines, secundum illud *Philip. 2. 7. In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Secundam comparationem ponit hominis ad hominem, cum dicit: *Caput autem mulieris vir:* quod etiam secundum praedicta quatuor verificatur. Nam primo quidem vir est perfectior muliere, non solum quantum ad corpus, quia, ut Philosophus dicit *in Libro de generatione animalium Lib. 1. Phys. text. 81.* femina est masculus occasionatus; sed etiam quantum ad animae vigorem, secundum illud *Eccle. 7. 29. Virum ex mille reperi unum, mulierem ex omnibus non inveni.* Secundo quia vir naturaliter supereminet feminae, secundum illud *Ephes. 5. 22. Mulieres viris suis subiectae sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.* Tertio quia vir influit gubernando mulierem, secundum illud *Gen. 3. 16. Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Quarto vir et femina conformes sunt in natura, secundum illud *Gen. 2. 18. Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Tertiam comparationem ponit Dei ad Dominum, cum dicit: *Caput vero Christi Deus.* Est autem considerandum, quod hoc nomen *Christus* significat personam praedicatam ratione humanae naturae; et sic hoc nomen *Deus* non supponit solum personam Patris, sed totam Trinitatem, a qua in humanitatem Christi, sicut a perfectiori, omnia bona derivantur, et cui humanitas Christi subiicitur. Alio modo potest intelligi secundum quod hoc nomen *Christus* supponit dictam personam ratione divinae naturae: et sic hoc nomen *Deus* supponit solum personam Patris; quae dicitur caput Filii, non quidem secundum maiorem perfectionem, vel secundum aliquam suppositionem, sed secundum originem, et secundum conformitatem naturae, sicut *in Psa. 2. 7.* dicitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Possunt tamen haec mystice accipi, prout in anima est quoddam spirituale coniugium. Nam sensualitas feminae comparatur; ratio vero viro, per quem sensualitas regi debet: unde et caput eius dicitur. Vel potius ratio inferior, quae inhaeret temporalibus disponendis, mulieri comparatur; viro autem ratio superior, quae vacat contemplationi aeternorum: quae caput inferioris dicitur, quia secundum rationes aeternas sunt temporalia disponenda, secundum illud *Exod. 25. 40. Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Dicitur autem caput viri Christus, quia sola ratio secundum superiorem sui partem Deo inhaeret.

## LECTIO II.

Omnis autem vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum; omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum est enim ac si decalvetur. Nam et si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.

Praemisso documento, subiungit admonitionem, cuius ratio sumitur ex documento praedicto: et circa hoc duo facit. Primo ponit admonitionem ex parte viri; secundo ex parte mulieris, ibi, *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Dicit ergo primo: Dictum est, quod caput mulieris est vir; *omnis autem vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Circa quod considerandum est, quod quilibet homo iudici assistens, suam conditionem, vel dignitatem debet profiteri, et praecipue assistens Deo, qui est omnium iudex; et ideo qui Deo assistunt, ordinatissime, et convenientissime se gerere debent, secundum illud *Eccle. 4. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Dupliciter autem homo Deo assistit. Uno modo humana ad Deum referens, quod quidem fit orando, secundum illud *Eccli. 39. 6. In conspectu Altissimi deprecabitur, aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur.* Alio modo divina ad homines deferens, quod quidem fit prophetando, secundum illud *Ioel. 2. 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri:* unde signanter Apostolus dicit: *Vir orans, aut prophetans:* his enim duobus modis vir Deo tamquam iudici, vel domino assistit. Dicitur autem prophetans dupliciter. Uno modo inquantum homo aliis annuntiat quae ei divinitus revelantur, secundum illud *Luc. 1. 67. Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel etc.* Alio modo dicitur homo prophetans, inquantum profert ea quae sunt aliis revelata: unde illi qui in Ecclesia dicunt prophetias, vel alias sacras Scripturas legunt, dicuntur prophetantes: et sic accipitur *infra 14. 4. Qui prophetat, et Ecclesiam aedificat:* et ita etiam hic accipitur. Pertinet autem ad dignitatem viri, ut infra patebit, carere velamine capitis; et ideo dicit, quod *omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum*, idest rem inconvenientem sibi agit. Sicut enim in corpore pulchritudo dicitur ex debita pro-

portione membrorum in convenienti claritate, vel colore; ita in actibus humanis dicitur pulchritudo ex debita proportione verborum, vel factorum, in quibus lumen rationis resplendet. Unde et per oppositum turpitudo intelligitur, quando contra rationem aliquid agitur, et non observatur debita proportio in verbis, et factis: unde *supra 7. 36.* dictum est: *Si quis turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta.*

Sed contra hoc obiicitur: nam multi velato capite in Ecclesia orant absque omni turpitudine, secretius orare volentes.

Dicendum est autem, quod duplex est oratio: una privata, quam scilicet quis Deo offert in propria persona; alia publica, quam quis offert Deo in persona totius Ecclesiae, ut patet in orationibus qnae in Ecclesia per sacerdotes dicuntur: et de talibus orationibus Apostolus hic intelligit.

Item obiicitur de hoc quod dicit Glossa, quod prophetans dicitur Scripturas reserans, et secundum hoc ille qui praedicat, prophetat. Episcopi autem praedicant capite tecto mitra.

Sed dicendum est, quod ille qui praedicat, vel docet in scholis, ex propria persona loquitur: unde et Apostolus *Rom. 2.* nominat Evangelium suum, scilicet propter industriam qua utebatur in praedicatione Evangelii; sed ille qui sacram Scripturam in Ecclesia recitat, puta legendo lectionem, vel epistolam, vel Evangelium, ex persona totius Ecclesiae loquitur: et de tali prophetante intelligitur quod hic Apostolus dicit.

Sed tunc remanet obiectio de his qui cantant Psalmos in choro capite tecto. Sed dicendum, quod Psalmi non cantantur quasi ab uno singulariter se Deo praesentante, sed quasi a tota multitudine.

Deinde cum dicit, *Omnis autem mulier etc.* ponit admonitionem quantum ad mulieres, dicens: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans*, ut supra, *non velato capite*, quod repugnat propter conditionem eius, *deturpat caput suum*, idest rem inconvenientem facit circa sui capitis detectionem.

Sed contra hoc obiicitur, quia Apostolus dicit *1. Tim. 2. 12. Docere in Ecclesia mulieri non permitto.* Quomodo ergo competit mulieri ut oret, aut prophetet publica oratione, aut doctrina?

Sed dicendum est, hoc intelligendum esse de orationibus, ac lectionibus quas mulieres in suis collegiis proferunt.

Deinde cum dicit, *Unum est enim ac si decalvetur*, probat admonitionem praedictam: et primo inducit probationem; secundo probationis iudicium auditoribus committit, ibi, *Vos ipsi iudicate.* Circa primum duo facit. Primo inducit probationem; secundo excludit obiectionem, ibi, *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* Circa primum ponit triplicem probationem, quarum prima sumitur per comparationem ad humanam naturam; secunda per comparationem ad Deum, ibi, *Vir quidem non debet velare caput suum;* tertia per comparationem ad angelos, cum dicit, *Et propter angelos.* Circa primum considerandum est, quod natura quae ceteris animalibus providit auxilia sufficientia vitae, hominibus praebuit ea imperfecte, ut per rationem arte, usu, manu sibi ea perficerent: sicut tauris dedit cornua ad defensionem; homines autem arma defensionis sibi praeparant manuali artificio rationis: et inde est quod ars imitatur naturam, et perficit ea quae natura facere non potest. Sic igitur ad tegumentum capitis natura homini dedit capillos; sed quia hoc tegumentum sufficiens non est, per artem praeparat homo sibi aliud velamen. Eadem igitur ratio est de velamine naturali capillorum, et de velamine artificiali. Naturale autem est mulieri quod comam nutriat: habet enim ad hoc dispositionem naturalem, et ulterius inclinatio quaedam inest mulieribus ad comam nutriendam: in pluribus enim hoc accidit quod mulieres magis student ad nutriendam comam quam viri. Videtur ergo conditioni mulierum conveniens esse quod magis utantur artificiali velamine capitis quam viri. Circa hoc ergo tria facit. Primo ponit convenientiam velaminis naturalis, et artificialis, dicens: Dictum est: *Mulier non velans caput, deturpat caput suum: unum est enim*, scilicet unius rationis, privari scilicet velamine artificiali, *ac si decalvetur*, idest ac si privetur naturali velamine capillorum, quod in poenam quibusdam praedicitur *Isa. 3. 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et crimen earum nudabit.* Secundo ducit ad inconveniens, dicens: *Nam et si non velatur mulier, tondeatur;* quasi dicat: Si abiicit velamen artificiale, abiiciat pari ratione etiam naturale; quod est inconveniens.

Sed contra hoc videtur esse quod sanctimoniales tondentur. Ad quod dupliciter potest responderi. Primo quidem quia ex hoc ipso quod votum viduitatis, vel virginitatis assumunt, Christo desponsante, promoventur in dignitatem virilem, utpote liberatae a subiectione virorum, et immediate Christo coniunctae. Secundo quia assumunt poenitentiae lamentum religionem intrantes. Est autem consuetudo viris qnod tempore luctus comam nutriant, quasi hoc sit suae conditioni conveniens; mulieres autem e contrario tempore luctus comam deponunt: unde dicitur *Hierem. 7. 29. Capillum tuum tonde, et proiice, et sume in directum plantum.* Tertio concludit propositum, dicens: *Si vero turpe*, idest indecens, *est mulieri tonderi, aut decalvari*, idest privari naturali velamine arte, vel natura, *velet caput suum*, utens scilicet velamine artificiali.

Deinde cum dicit, *Vir quidem non debet velare caput suum*, ponit secundam probationem, quae accipitur per comparationem ad Deum: et primo inducit probationem; secundo probat quod supposuerat, ibi, *Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Circa primum duo facit. Primo ponit rationem eius quod est ex parte viri; secundo illud quod est ex parte mulieris, ibi, *Mulier autem gloria viri est.* Dicit ergo primo: Dictum est quod *turpe est mulieri tonderi*, sicut et non velari; viro autem non est turpe: cuius ratio est haec. *Vir quidem non debet velare caput suum, quia est imago, et gloria Dei.*

Per hoc autem quod dicit, *Est imago Dei*, excluditur quorumdam error dicentium, quod homo solum est ad imaginem Dei, non autem est imago; cuius contrarium hic Apostolus dicit. Dicebant autem, quod solus Filius est imago, secundum illud *Coloss. 1. 15. Qui est imago invisibilis Dei.* Est ergo dicendum, quod homo imago Dei dicitur, et ad imaginem:

est enim imago imperfecta: Filius autem dicitur imago, non ad imaginem, quia est imago perfecta.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod de ratione imaginis in communi duo sunt. Primo quidem similitudo, non in quibuscumque, sed vel in ipsa specie rei, sicut homo filius assimilatur patri suo; vel in aliquo quod sit signum speciei, sicut figura in rebus corporalibus. Unde qui figuram equi describunt, dicuntur imaginem eius depingere. Et hoc est quod dicit Hilarius *in lib. de Synodis*, quod imago est species indifferens. Secundo requiritur origo. Non enim duorum hominum qui sunt similes specie, unus imago alterius dicitur, nisi ex eo oriatur, sicut filius a patre: nam imago dicitur ab exemplari. Tertio ad rationem perfectae imaginis requiritur aequalitas. Quia igitur homo similatur Deo secundum memoriam, intelligentiam, et voluntatem mentis, quod pertinet ad speciem intellectualis naturae, et hoc habet a Deo, dicitur esse Dei imago: quia tamen deest aequalitas, est Dei imago imperfecta: et ideo dicitur ad imaginem, secundum illud *Gen. 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Sed Filius, qui est aequalis Patri, est imago perfecta, non autem ad imaginem.

Considerandum est etiam, quod gloria Dei dupliciter dicitur. Uno modo qua Deus in se gloriosus est; et sic homo non est gloria Dei, sed potius Deus est gloria hominis, secundum illud *Psal. 3. 4. Tu, Domine, susceptor meus es, et gloria mea.* Alio modo dicitur gloria Dei claritas eius ab eo derivata, secundum illud *Exod. ult. 32. Gloria Domini implevit illud.* Et hoc modo hic dicitur, quod vir est gloria Dei, inquantum claritas Dei immediate super virum refulget, secundum illud *Psalm. 4. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Deinde cum dicit, *Mulier autem etc.* ponit id quod est ex parte mulieris, dicens: *Mulier autem est gloria viri:* quia claritas mulieris derivatur a viro, secundum illud *Genes. 2. 23. Haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

Sed contra hoc obiicitur, quia imago Dei attenditur in homine secundum spiritum, in quo non est differentia maris, et feminae, ut dicitur *Coloss. 3.* non ergo magis debet dici, quod vir dicitur imago Dei quam mulier.

Dicendum est autem, quod vir dicitur hic specialiter imago Dei secundum quaedam exteriora, scilicet quia vir est principium totius sui generis, sicut Deus est principium totius universi, et quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt sacramenta sanguinis et aquae, a quibus fabricata est Ecclesia. Potest etiam quantum ab interiora dici, quod vir specialius dicitur imago Dei secundum mentem, inquantum in eo ratio magis viget. Sed melius dicendum est, quod Apostolus signanter loquitur: nam de viro dixit, quod vir imago, et gloria Dei est; de muliere autem non dixit, quod esset imago, et gloria viri, sed solum quod est gloria viri: ut detur intelligi quod esse imaginem Dei, commune est viro, et mulieri; esse autem gloriam Dei, immediate proprium est viri.

Restat autem considerandum, propter quid vir non debeat velare caput, sed mulier. Quod quidem dupliciter accipi potest. Primo quidem quia velamen quod capiti superponitur, designat potestatem alterius super caput existentis ordine naturae; et ideo vir sub Deo existens, non debet velamen habere super caput, ut ostendat se immediate Deo subesse; mulier autem debet velamen habere, ut ostendat se praeter Deum alteri naturaliter subesse. Unde cessat obiectio de servo, et subdito, quia haec subiectio non est naturalis. Secundo ad ostendendum quod gloria Dei non est occultanda, sed revelanda; gloria autem hominis est occultanda: unde *in Psal. 113. 1.* dicitur: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

## LECTIO III.

Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro: etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum: ideo debet mulier velamen habere super caput suum et propter angelos. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Vos ipsi iudicate. Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos. Quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

Praemiserat Apostolus quod mulier est gloria viri, quod hic probare intendit: et circa hoc tria facit. Primo ponit probationem; secundo assignat rationem eius quod dixerat, ibi, *Etenim non est creatus vir propter mulierem;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Ideo debet mulier velamen habere super caput suum.* Circa primum considerandum est, quod, sicut supra dictum est, mulier dicitur gloria viri per quamdam derivationem: et ideo ad hoc probandum subdit: *Non enim*, prima scilicet rerum conditione, *vir est ex muliere*, scilicet formatus, *sed mulier ex viro:* dicitur enim *Gen. 2. 22.* quod *aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* de viro autem dicitur *ibid. 6. Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae.*

Deinde cum dicit, *Etenim non est creatus vir propter mulierem*, assignat rationem eius quod dixerat. Ad cuius evidentiam considerandus est talis ordo perfecti, et imperfecti, quod imperfectum in uno et eodem subiecto prius est tempore quam perfectum: prius enim aliquis homo est puer quam vir: simpliciter tamen perfectum est prius imperfecto, tempore, et natura: nam puer producitur ex viro. Haec igitur est ratio quare mulier producta est ex viro, quia perfectior est muliere: quod ex hoc probat Apostolus, quia finis est perfectior eo quod est ad finem; vir autem est finis mulieris: et hoc est quod dicit: *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, in adiutorium scilicet generationis; sicut pa-

tiens est propter agens, et materia propter formam. Unde dicitur *Gen. 2. 18. Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.*

Deinde cum dicit, *Ideo debet mulier velamen habere,* infert conclusionem intentam, dicens: *Ideo,* scilicet quia vir est imago, et gloria Dei, mulier autem est gloria viri, *mulier debet habere velamen super caput suum*, quando scilicet Deo assistit orando, vel prophetando; ut per hoc ostendatur quod non immediate subest Deo, sed subiicitur etiam viro sub Deo: hoc enim significat velamen quod capiti superponitur: unde alia littera habet, quod *mulier debet habere potestatem super caput suum:* et idem est sensus: nam velamen est signum potestatis, secundum quod *in Psal. 65. 2* dicitur: *Imposuisti homines super capita nostra.*

Deinde cum dicit, *Et propter angelos*, assignat tertiam rationem, quae sumitur ex parte angelorum, dicens: *Et* etiam *mulier debet habere velamen super caput suum propter angelos:* quod quidem dupliciter intelligi potest. Uno modo de ipsis angelis caelestibus, qui conventus fidelium visitare creduntur, praecipue quando sacra mysteria celebrantur. Et ideo tunc tam mulieres quam viri ad reverentiam eorum honeste, et ordinate se debent habere, secundum illud *Psal. 137. 2. In conspectu angelorum psallam tibi.* Alio modo potest intelligi, secundum quod angeli dicuntur sacerdotes, inquantum divina populo annuntiant, secundum illud *Malach. 2. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Debet ergo mulier velamen habere semper in Ecclesia *propter angelos,* idest propter sacerdotes duplici ratione. Primo quidem propter eorum reverentiam, ad quam pertinet quod mulieres coram eis honeste se habeant: unde dicitur *Eccli. 7. 33. Honora Deum ex tota anima tua, et sacerdotes illius.* Secundo propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu mulierum non velatarum ad concupiscentiam provocentur: unde dicitur *Eccli. 9. 5. Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.*

Augustinus autem *Lib. 12. de Trinit. cap. 7.* aliter exponit praedicta: ostendit enim quod tam mulier quam vir est ad imaginem per hoc quod dicitur *Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem eius qui creavit eum, ubi non est masculus, et femina.* Et sic patet quod imago Dei attenditur in homine secundum spiritum, in quo non est differentia masculi, et feminae; et ideo mulier est imago Dei sicut et vir. Expresse enim dicitur *Genes. 1.* quod creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum, et feminam creavit eos. Et ideo Augustinus dicit hoc esse intelligendum in spirituali coniugio, quod est in anima nostra, in qua, sicut supra dictum est, sensualitas, vel etiam inferior ratio, se habet per modum mulieris; ratio autem superior per modum viri, in qua attenditur imago Dei: et secundum hoc mulier est ex viro, et propter virum: quia administratio rerum temporalium, vel sensibilium, cui intendit inferior ratio, vel etiam sensualitas, debent deduci ex contemplatione aeternorum, quae pertinent ad superiorem rationem, et ad eam ordinari. Et ideo mulier dicitur habere velamen, vel potestatem super caput suum, ad significandum quod circa temporalia dispensanda debet homo cohibitionem quamdam, et refrenationem habere, ne ultra modum homo progrediatur in eis diligendis: quae quidem cohibitio circa amorem Dei adhiberi non debet, cum praeceptum sit *Deut. 6. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nam circa desiderium finis non apponitur mensura, quam necesse est apponi circa ea quae sunt ad finem: medicus enim sanitatem inducit quanto perfectiorem potest; non tamen dat medicinam quanto maiorem potest, sed secundum determinatam mensuram. Sic vir non debet habere velamen super caput; et hoc debet propter angelos sanctos: quia, sicut in Glossa dicitur, gratuita est sanctis angelis sacrata et pia significatio. Unde et Augustinus dicit *De Civitate Dei Lib. 21. cap. 6.* quod daemones alliciuntur quibusdam sensibilibus rebus, non sicut animalis cibis, sed sicut spiritus signis.

Deinde cum dicit, *Verumtamen neque vir sine muliere etc.* excludit dubitationem quae posset ex dictis oriri. Quia enim dixerat, quod vir est gloria Dei, mulier autem est gloria viri; posset aliquis credere vel quod mulier non esset ex Deo, vel quod non haberet potestatem in gratia. Unde primo hoc excludit dicens Licet mulier sit gloria viri, qui est gloria Dei, *verumtamen neque vir est in Domino*, idest a Domino productus, *sine muliere, neque mulier sine viro:* utrumque enim Deus fecit, secundum illud *Gen. 1. 27. Masculum, et feminam creavit eos.* Vel aliter, *Neque vir est sine muliere in Domino,* scilicet in gratia Domini nostri Iesu Christi, *neque mulier sine viro:* quia uterque per gratiam Dei salvatur, secundum illud *Galat. 3. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis:* et postea subdit: *Non est masculus, neque femina*, scilicet differens in gratia Christi. Secundo assignat rationem dicens: *Nam sicut* in prima rerum institutione *mulier est de viro* formata, ita et in subsequentibus generationibus *vir per mulierem* productus est, secundum illud *Iob 14. 1. Homo natus de muliere.* Nam prima productio hominis fuit sine viro, et muliere, quando Deus formavit hominem de limo terrae, ut dicitur *Genes. 2.* Secunda autem fuit de viro sine muliere, quando formavit Evam de costa viri, ut ibidem legitur. Tertia autem est ex viro, et muliere, sicut Abel natus est ex Adam, et Eva, ut legitur *Genes. 4.* Quarta autem est ex muliere sine viro, ut Christus ex virgine, secundum illud *Galat. 4. 1. Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Tertio ostendit rationem esse convenientem, dicens: *Omnia autem ex Deo:* quia scilicet et hoc ipsum quod mulier primo fuit ex viro, et hoc quod postmodum vir est ex muliere, est ex operatione divina: unde ad Deum pertinent tam vir quam mulier. Unde dicitur *Rom. 11. 36. Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.*

Deinde cum dicit, *Vos ipsi iudicate,* committit iudicium eius quod dixerat, auditoribus; et circa hoc duo facit. Primo committit iudicium rationalibus auditoribus; secundo comprimit protervos auditores, ibi, *Si quis autem videtur contensiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* Circa primum quatuor facit. Primo committit auditoribus iudicium eius quod dixerat, more eius qui confidit se sufficienter probasse, dicens: *Vos ipsi iudicate.* Pertinet enim ad bonum auditorem iudicare de auditis: unde dicitur *Iob 6. 29.*

*Loquentes id quod iustum est iudicate:* et *12. 2. Nonne auris verba diiudicat?* Secundo proponit sub quaestione id de quo debet esse iudicium, dicens: *Decet mulierem non velatam orare Deum?* Hoc prohibetur *1. Petr. 3. 3.* ubi dicitur: *Quarum sit non exterius capillatura.* Tertio ostendit unde debeant sumere suum iudicium, quia ab ipsa natura; et hoc est quod dicit: *Nec ipsa natura docet vos.* Et vocat hic naturam, ipsam inclinationem naturalem quae inest mulieribus ad nutriendum comam, quae est naturale velamen, non autem viris. Quae quidem inclinatio naturalis esse ostenditur, quia in pluribus invenitur. Oportet autem ab ipsa natura doceri, quia est Dei opus, sicut in pictura instruitur aliquis artificio pictoris: et ideo contra quosdam dicitur *Isa. 24. 5. Transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum*, idest ius naturale. Quarto autem a natura sumit rationem, et primo ponit id quod est ex parte viri, dicens: *Quod vir quidem si comam nutriat*, more mulieris, *ignominia est illi*, idest ad ignominiam ei reputatur apud plures homines, quia per hoc videtur muliebris esse. Et ideo *Ezech. 44. 20.* dicitur: *Sacerdotes comam non nutriant.* Nec est instantia de quibusdam qui in veteri lege comam nutriebant: quia hoc erat signum quod tunc erat positum in lectione veteris testamenti, ut dicitur *2. Corinth. 3.* Secundo ponit id quod est ex parte mulieris, dicens: *Mulier et si comam nutriat, gloria est illi*, quia videtur ad ornatum eius pertinere: unde dicitur *Cantic. 7. 5. Comae capitis eius sicut purpura Regis.* Et assignat consequenter rationem, cum dicit: *Quoniam capilli dati sunt ei*, scilicet mulieri, *pro velamine:* et ideo eadem ratio est de capillis nutriendis, et de velamine artificiali apponendo: *Cantic. 4. 1. Capilli tui sicut grex caprarum.*

Deinde cum dicit, *Si quis autem contensiosus esse etc.* comprimit protervos auditores, dicens: *Si quis autem videtur contentiosus esse*, ut scilicet rationibus praedictis non acquiescat, sed confidentia clamoris veritatem impugnet, quod pertinet ad contentionem, ut Ambrosius dicit, contra id quod dicitur *Iob 6. 29. Respondete, obsecro, absque contentione:* et *Prov. 20. 3. Honor est ei qui separat se a contentionibus:* hoc sufficiat ad comprimendum talem, quod *nos*, Iudaei in Christum credentes, *talem consuetudinem non habemus*, scilicet quod mulieres orent non velato capite, *neque* etiam tota *Ecclesia Dei*, per Gentes diffusa. Unde si nulla esset ratio, hoc solum deberet sufficere ne aliquis ageret contra communem Ecclesiae consuetudinem. Dicitur enim *in Psal. 67. 7. Qui habitare facit unius moris in domo.* Unde Augustinus dicit *in epistola ad Casulanum*, quod in omnibus in quibus nihil certi definit sacra Scriptura, mos populi Dei, atque instituta maiorum pro lege habenda sunt.

## LECTIO IV.

**Hoc autem praecipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare. Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? An Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.**

Postquam Apostolus redarguit Corinthios de eorum errore in habitu, quia scilicet mulieres ad sacra mysteria conveniebant, capite non velato; consequenter arguit eorum errorem de scissuris in conventu, quia scilicet dum convenirent ad sacra mysteria, contentionibus vacabant: et primo tangit eorum defectum in generali; secundo in speciali, ibi, *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Dicit ergo primo: *Hoc autem*, quod dictum est supra, quod mulieres velatae sint in Ecclesiis, *praecipio:* ut sic tripliciter eos induceret ad huiusmodi observantiam: primo quidem ratione; secundo consuetudine; tertio praecepto, quod solum sine aliis necessitatem induceret: *Proverb. 3. 21. Custodi praecepta mea, et vives:* et *Eccle. 4. 12.* dicitur: *Funiculus triplex difficile rumpitur: non laudans*, sed magis vituperans, *quod* convenitis in Ecclesiam, *non in melius*, sicut deberet esse, *sed in deterius*, ex culpa vestra. Omnia enim animalia gregalia, puta columbae, grues, oves, naturali instinctu in unum conveniunt, ut sit eis corporaliter melius: unde et homo, cum sit animal gregale, vel sociale, ut Philosophus probat *1. Lib. Politic.* secundum rationem agere debet, ut multi in unum conveniant propter aliquod melius; sicut in rebus saecularibus multi in unitatem civitatis conveniunt, ut sit eis melius saeculariter, scilicet propter securitatem, et sufficientiam vitae. Et ideo fideles in unum convenire debent propter aliquod melius spirituale, secundum illud *Psal. 101. 23. In conveniendo populos in unum, et Reges ut serviant Domino;* et alibi *Psal. 110. 1. In consilio iustorum, et congregatione, magna opera Domini.* Sed isti in deterius conveniebant propter culpas quas committebant dum convenirent: *Isa. 1. 13. Iniqui sunt coetus vestri: Eccli. 21. 11. Stuppa collecta synagoga peccantium.*

Deinde cum dicit, *Primum quidem etc.* ponit in speciali quomodo in deterius convenirent: et ponit indicium culpae, dicens: *Primum quidem*, inter cetera scilicet quod in deterius convenitis? *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*, scilicet per contentiones quas exercebant: quod quidem Ecclesiae non convenit, quae in unitate constituitur, secundum illud *Ephes 4. 4. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Hoc tamen praedicitur *Isa. 21. 19. Scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt.* Dicit autem Glossa, quod dicendum, *Primum*, ostendit quod primum malum est dissensio, unde cetera oriuntur: ubi enim est dissensio, nihil rectum est.

Sed contra videtur esse quod dicitur *Eccli. 10. 15. Initium omnis peccati superbia:* et *1. Tim. ult. 10. Radix omnium malorum cupiditas.*

Dicendum est autem, quod hae auctoritates loqun-

tur quantum ad peccata personalia singularium hominum, quorum primum est superbia ex parte aversionis, et cupiditas ex parte conversionis. Sed Glossa hic loquitur de peccatis multitudinis, inter quae primum est dissensio, per quam solvitur rigor disciplinae. Unde dicitur *Iacob. 3. 16. Ubi est zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.*

Secundo ponit credulitatem auditorum, cum dicit: *Et ex parte credo*, idest quantum ad aliquos vestrum, qui erant ad contentionem proni, secundum illud quod dixerat supra *1. 11. Contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephae.* Alii vero non erant contentiosi, ex quorum persona ibi subditur: *Ego autem Christi.* Unde et *Cant. 2. 2.* dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, idest boni inter malos.

Tertio assignat rationem suae credulitatis, dicens, *Nam oportet*, non solum quascumque scissuras, sed etiam *haereses esse.* Ubi duo consideranda sunt. Primo quid sit haeresis; secundo quomodo oporteat haereses esse. Circa primum sciendum, quod, sicut Hieronymus dicit *super Epistolam ad Galatas*, haeresis Graece ab electione dicitur, quia scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam quam putat esse meliorem: ex quo duo accipi possunt. Primo quidem quod de ratione haeresis est quod aliquis privatam disciplinam sequatur, quasi per electionem propriam, non autem disciplinam publicam, quae divinitus traditur; secundo quod huic disciplinae aliquis pertinaciter inhaereat; nam electio firmam importat inhaesionem; et ideo haereticus dicitur qui spernens disciplinam fidei, quae divinitus traditur, pertinaciter proprium errorem sectatur. Pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directe, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur: unde error circa eos secundum se facit haereticum, si pertinacia adsit. Non possunt autem a tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, praecipue quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, et quae communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, nativitatis Christi, et alia huiusmodi. Quaedam vero indirecte pertinent ad fidei disciplinam, inquantum scilicet ipsa non proponuntur ut propter se credenda, sed ex negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei; sicut si negetur Isaac fuisse filius Abrahae, sequitur aliquid contrarium fidei, scilicet sacram Scripturam continere aliquid falsi. Ex talibus autem non iudicatur aliquis haereticus, nisi adeo pertinaciter perseveret quod ab errore non recedat, etiam viso quid ex hoc sequatur. Sic igitur pertinacia qua aliquis contemnit in his quae sunt fidei directe, vel indirecte, subire iudicium Ecclesiae, facit hominem haereticum. Talis autem pertinacia procedit ex radice superbiae, qua aliquis praefert sensum suum toti Ecclesiae. Unde Apostolus dicit *1. ad Tim. 6. 3. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones, et pugnas verborum.*

Secundo considerandum est, quomodo oporteat haereses esse. Si enim opportunum est haereticos esse, videtur quod sint commendabiles, et non sint extirpandi. Sed dicendum est, quod dupliciter de aliquo dicitur, quod oporteat illud esse. Uno modo ex intentione illius qui hoc agit; puta si dicamus, quod oportet iudicia esse, quia scilicet iudices iudicia exercentes intendunt iustitiam, et pacem in rebus humanis constituere. Alio modo ex intentione Dei, qui etiam mala ordinat in bonum, sicut persecutionem tyrannorum ordinavit in gloriam martyrum. Unde Augustinus dicit *in Enchyridion cap. 2. quod Deus est adeo bonus quod nullo modo permitteret fieri aliquod malum, nisi esset adeo potens quod de quolibet malo posset elicere bonum:* et secundum hoc dicitur *Matth. 18. 7. Necesse est ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit:* et secundum hoc hic dicit Apostolus, quod *oportet haereses esse*, ex eo quod Deus malitiam haereticorum ordinavit in bonum fidelium. Et hoc dicit primo quidem ad maiorem declarationem veritatis: unde dicit Augustinus *de Civ. Dei Lib. 16.* in Glossa: *Ab adversario mota quaestio, discendi existit occasio. Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine excogitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et praedicantur instantius.* Unde et *Prov. 27. 17. Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui.* Secundo ad manifestandam infirmitatem fidei in his qui recte credunt; et hoc est quod hic subdit Apostolus: *Ut qui probati*, idest adprobati sunt a Deo, *manifesti fiant in vobis*, idest inter vos: *Sap. 3. 6. Tamquam aurum in fornace probavit illos.*

Deinde cum dicit, *Convenientibus ergo vobis etc.* redarguit eos de tertio delicto, quia scilicet peccabant in modo, et origine sumendi corpus Christi. Et potest totum quod sequitur, dupliciter exponi. Secundum autem primam expositionem redarguuntur de hoc quod corpus Christi pransi accipiebant. Circa hoc ergo quatuor facit. Primo ponit detrimentum quod incurrebant; secundo ponit culpam, ibi, *Unusquisque enim suam coenam praesumit;* tertio inquirit de causa culpae, ibi, *Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum?* quarto concludit eorum vituperationem, ibi, *Quid dicam vobis?* Dicit ergo primo ita. *Convenientibus vobis*, scissurae sunt inter vos Ergo *convenientibus vobis in unum*, corpore, non animo, *iam* ad hoc advenistis quod *non est*, idest non licet, vel non competit vobis, *dominicam coenam manducare*, idest sumere eucharistiae sacramentum, quod Dominus in coena discipulis dedit. Hoc enim sacramentum, ut Augustinus dicit *super Ioan. tract. 26.* est sacramentum unitatis, et caritatis; et ideo non competit dissentientibus: *Cant. 5. 1. Comedite amici, et bibite, et inebriamini carissimi.* Vel melius potest referri ad ea quae sequntur, ut sit sensus. Non solum *convenientibus vobis* scissurae sunt inter vos, sed *vobis convenientibus, iam*, idest in praesenti, hoc determinatum habetis quod *non est*, idest non licet vobis, *dominicam coenam manducare*, ad quam pransi acceditis. Quia enim Dominus discipulis suis post coenam hoc sacramentum tradidit, ut legitur *Matth. 26.* volebant etiam Corinthii post communem coenam sumere corpus Christi. Sed Dominus hoc rationabiliter fecit propter tria. Primo quidem quia ordine congruo figura praecedit veritatem. Agnus autem paschalis erat figura, sive umbra huius sacramenti; et ideo post coe-

nam agni paschalis, Christus hoc sacramentum dedit. Dicitur enim *Coloss. 2. 17.* de omnibus legalibus, quod *sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Secundo ut ex hoc sacramento statim ad passionem transiret, cuius hoc sacramentum est memoriale; et ideo dixit discipulis *Ioan. 14. 31. Surgite, eamus hinc*, scilicet ad passionem. Tertio ut arctius imprimeretur hoc sacramentum cordibus discipulorum, quibus ipsum tradidit in ultimo suo recessu. Sed in reverentiam tanti sacramenti postmodum Ecclesia instituit, quod nonnisi a ieiunis sumatur; a quo excipiuntur infirmi, qui in necessitate, quae legem non habet, possunt non ieiuni sumere corpus Christi. Quia vero aqua non solvit ieiunium, existimaverunt quidam quod post potum aquae posset aliquis sumere hoc sacramentum; praesertim quia, ut dicunt, aqua non nutrit, sicut nec aliquod aliud simplex elementum. Quamvis autem aqua secundum se non nutriat, et ob hoc non solvat ieiunium Ecclesiae, secundum quod dicuntur aliqui ieiunantes; nutrit tamen aliis admixta, et ideo solvit ieiunium naturae: et secundum hoc dicuntur aliqui ieiuni, qui scilicet eadem die nihil sumpserunt nec cibi, nec potus. Et quia reliquiae cibi, quae in ore remanent, sumuntur per modum salivae, hoc non impedit aliquos esse ieiunos; similiter et non impedit aliquos esse ieiunos, si tota nocte nihil dormierint, vel si etiam non sint plene digesti, dummodo eadem die omnino cibi vel potus nihil sumpserint. Unde quia principium diei est sumendum secundum usum Ecclesiae a media nocte; ideo quicumque post mediam noctem aliquid sumpserit, quantumcumque modicum cibi, vel potus, non potest eadem die sumere hoc sacramentum.

Deinde cum dicit, *Unusquisque enim suam coenam praesumit*, ponit culpam: et primo secundum quod peccabant in Deum; secundo prout peccabant in proximum, ibi, *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Dicit ergo primo: Ideo dico, quod non licet vobis dominicam coenam manducare, quia *unusquisque* vestrum *praesumit*, idest ante sumit, *suam coenam*, scilicet ciborum communium, *ad manducandum.* Quilibet enim eorum portabat ad Ecclesiam fercula praeparata, et comedebat quilibet seorsum, antequam sumeret sacra mysteria: *Osee 4. 18. Separatum est convivium eorum; nunc interibunt: Eccli. 11. 19.* dicitur in persona parci: *Inveni requiem mihi, et comedebam de bonis meis solus.* Deinde cum dicit, *Et alius quidem esurit etc.* arguit culpam eorum inquantum erat contra proximum. Divites enim laute comedebant in Ecclesia, et bibebant usque ad ebrietatem; pauperibus autem nihil dabant, ita quod remanebant esurientes: et hoc est quod dicitur: *Et alius quidem esurit*, scilicet pauper, qui non habebat unde sibi praepararet, *alius autem ebrius est*, scilicet dives, qui superflue comedebat, et bibebat, contra id quod dicitur *Nehemen. 8. 10. Comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes eis qui non praeparaverunt sibi: Iob 31. 17. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

Deinde cum dicit, *Numquid domos non habetis?* inquirit de causa huius culpae: et primo excludit causam per quam poterant excusari: non enim est licitum domum Dei, quae est deputata sacris usibus, communibus usibus applicare: unde et Dominus eiiciens ementes, et vendentes de templo, dixit *Matth. 21. 13. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam domum negotiationis.* Et Augustinus dicit *in Regula: In oratorio nemo aliquid faciat nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit.* Tamen propter necessitatem, quando scilicet aliquis aliam domum non inveniret, licite posset Ecclesia uti ad manducandum, vel ad alios huiusmodi licitos usus. Hanc ergo excusationem excludit Apostolus, dicens: *Numquid non habetis domos*, scilicet proprias, *ad manducandum, et bibendum?* ut propter hoc excusemini, si in Ecclesia convivia celebretis, quae debetis in propriis domibus facere. Unde et *Luc. 5.* dicitur, quod Levi fecit Christo convivium magnum in domo sua. Secundo cum dicit, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* affert causam quae eos inexcusabiles reddit: quarum prima est contemptus Ecclesiae Dei; et hanc ponit, dicens: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et ideo in Ecclesia praesumitis coenam vestram ad manducandum. Et potest hic sumi Ecclesia tam pro congregatione fidelium, quam pro domo sacra, quae non est contemnenda, secundum illud *Ps. 92. 5. Domum tuam decet sanctitudo:* et *Hierem. 7. 11. Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris?* Isti autem utrumque contemnebant, dum praesente conventu fidelium, in loco sacro convivia celebrabant. Secundo ponit contemptum proximorum in hoc quod subditur: *Et confunditis eos qui non habent?* In hoc enim pauperes erubescebant, quod ipsi esuriebant in conspectu totius multitudinis, aliis laute comedentibus, et bibentibus. Dicitur autem *Prov. 17. 5. Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius:* et *Eccli. 14. 2. Animam esurientem ne despexeris.*

Deinde cum dicit, *Quid dicam vobis?* concludit eorum vituperationem, dicens: *Quid dicam vobis?* ex consideratione praedictorum. Numquid *laudo vos?* Et respondet: Et si in aliis factis laudo vos, *in hoc* tamen facto *non laudo.* Et est advertendum, quod *supra hoc cap.* dum de habitu mulierum loqueretur, saltem ironice laudavit eos, dicens: *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis.* Hic vero nec ironice vult eos laudare: quia in gravioribus delictis nullo modo sunt peccatores palpandi: unde et *in Psalm. 9. 24.* dicitur: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae, et iniquus benedicitur, exacerbavit Dominum peccator:* et *Isa. 3. 12. Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.*

Secundum aliam vero expositionem, arguuntur de alia culpa. In primitiva enim Ecclesia fideles panem, et vinum offerebant, quae consecrabantur in sanguinem, et corpus Christi, quibus iam consecratis, divites, qui multa obtulerant, eadem sibi repetebant; et sic ipsi abundanter sumebant, pauperibus nihil sumentibus, qui nihil obtulerant. De hac ergo culpa Apostolus eos hic reprehendit, dicens: *Convenientibus enim vobis in unum, iam non est*, idest non contingit inter vos, *dominicam coenam manducare.* Coena enim Domini est communis toti familiae. Unusquisque autem vestrum sumit eam, non quasi communem, sed quasi propriam, dum sibi vult vindicare quod Deo obtulit: et hoc est quod subdit: *Unusquisque praesumit*, idest praesumptuose attentat, *ad manducandum coenam*, sci-

licet Domini, idest panem, et vinum consecratum, quasi *suam*, idest quasi propriam, vindicans scilicet ea quae consecrata sunt Domino, in suos usus; et ita sequitur quod *alius*, scilicet pauper, qui nihil obtulit, *esurit*, nihil scilicet sumens de consecratis, *alius autem*, scilicet dives, qui multa obtulit, *ebrius est*, ad litteram, propter hoc quod nimium sumpsit de vino consecrato, quod scilicet quasi proprium repoposcit.

Sed videtur hoc esse impossibile, quod de vino consecrato aliquis inebrietur, vel etiam nutriatur de pane: quoniam post consecrationem sub speciebus panis, et vini nihil remanet nisi substantia corporis Christi, et sanguinis, quae non possunt converti in corpus hominis ad hoc quod ex eis nutriatur, aut inebrietur.

Dicunt ergo quidam, quod hoc non fit per aliquam conversionem, sed per solam immutationem sensuum hominis ab accidentibus panis, et vini, quae remanent post consecrationem. Consueverunt enim homines ex solo ciborum odore confortari, et quasi inebriari. Sed confortatio, vel stupefactio, quae provenit ex sola immutatione sensuum, parvo tempore durat; cum tamen post consecrationem panis, aut vini, si vinum in magna quantitate sumeretur, aut panis, diu sustentaretur homo propter panem, aut stupefieret propter vinum. Et praeterea manifestum est quod panis consecratus in aliam substantiam converti potest, ex hoc quod per putrefactionem resolvitur in pulveres, aut per combustionem in cineres. Unde nulla ratio est quare negetur posse nutrire, cum ad nutriendum nihil aliud requiratur quam, quod cibus convertatur in substantiam nutriti. Quidam ergo posuerunt, quod panis, aut vinum consecratum possunt converti in aliud, et sic nutrire, quia remanet ibi substantia panis, aut vini cum substantia corporis Christi, et sanguinis. Sed hoc repugnat verbis Scripturae: non enim verum esset quod Dominus dicit *Matth. 26 26. Hoc est enim corpus meum:* quia hoc demonstratum, est panis; sed potius esset dicendum, Hic, idest in hoc loco est corpus meum. Et praeterea corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem, quia iam desineret esse in caelo. Unde relinquitur quod ibi incipiat esse per conversionem alterius, scilicet panis, in ipsum: unde non potest esse quod remaneat substantia panis. Et ideo alii dixerunt, quod remanet ibi forma substantialis panis, ad quam pertinet operatio rei; et ideo nutrit, sicut et panis nutriret. Sed hoc non potest esse, quia nutrire est converti in substantiam nutriti; quod non competit nutrimento ratione formae, cuius est agere, sed magis ratione materiae, cuius est pati. Unde si esset ibi forma substantialis, panis nutrire non posset. Alii vero dixerunt, quod aer circumstans convertitur vel in substantiam nutriti, vel in quodcumque aliud huiusmodi. Sed hoc non posset fieri absque multa condensatione aeris, quae sensui latere non posset. Et ideo alii dixerunt, quod divina virtute ad hoc quod sacramentum non deprehendatur in huiusmodi conversionibus, redit substantia panis, et vini. Sed hoc videtur esse impossibile: quia cum substantia panis conversa sit in corpus Christi, non videtur quod possit substantia panis redire, nisi e converso corpus Christi converteretur in panem. Et praeterea si substantia panis redit, aut hoc est manentibus accidentibus panis; et sic simul erit ibi substantia panis, et substantia corporis Christi, quod supra improbatum est: nam tamdiu est ibi substantia corporis Christi, quamdiu species remanent; aut redit speciebus non manentibus, quod etiam est impossibile, quia sic esset substantia panis absque propriis accidentibus: nisi forte intelligatur quod Deus in termino conversionis causaret ibi quamdam materiam, quae sit subiectum huius conversionis.

Sed melius est ut dicatur, quod sicut virtute consecrationis miraculose confertur speciebus panis, et vini, ut subsistant sine subiecto ad modum substantiae; ita etiam eis miraculose confertur ex consequenti, quod agant, et patiantur quidquid agere, aut pati posset substantia panis, aut vini, si adesset. Et hac ratione species illae panis, et vini possunt nutrire, et inebriare, sicut si esset ibi substantia panis, et vini. Cetera non mutantur a prima expositione.

## LECTIO V.

Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.

Postquam Apostolus redarguit Corinthiorum inordinationes, quas committebant conveniendo ad eucharistiae sacramentum sumendum; hic agit de ipso sacramento: et primo agit de dignitate huius sacramenti; secundo inducit fideles ad reverenter sumendum, ibi, *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.* Circa primum duo facit. Primo commendat auctoritatem doctrinae quam daturus est; secundo ponit doctrinam de dignitate huius sacramenti, ibi, *Quoniam Dominus noster... accepit panem etc,* Circa primum duo facit. Primo commendat auctoritatem doctrinae ex parte auctoris, qui est Christus, dicens: Dixi, quod iam non est vobis dominicam coenam manducare, sacramentum eucharistiae dominicam coenam vocans: *ego enim accepi a Domino*, scilicet Christo, qui est auctor huius doctrinae, non ab aliquo puro homine: *Galat. 1. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum: Hebr. 2. 3. Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Secundo commendat auctoritatem doctrinae ex parte ministri, qui est ipse Paulus, cum subdit, *Quod et tradidi vobis: Isa. 21. 10. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis: Sap. 7. 13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.*

Deinde cum dicit, *Quoniam Dominus Iesus*, commendat dignitatem huius sacramenti, tradens institutionem ipsius: et primo ponit institutionem; secundo tempus institutionis, cum dicit, *In qua nocte tradebatur;* tertio modum instituendi, ibi, *Accepit panem, et gratias agens fregit etc.* Institutor autem sacramenti est ipse Christus: unde dicit: *Quoniam Dominus* noster *Iesus* Christus etc. Dictum est enim supra, cum de baptismo ageretur, quod Christus in sacramentis habet

excellentiae potestatem, ad quam quatuor pertinent: primo quidem quod virtus, et meritum eius operetur in sacramentis; secundo quod in nomine eius sanctificetur sacramentum; tertio quod effectum sacramenti sine sacramento praebere potest; quarto institutio novi sacramenti. Specialiter tamen congruebat ut hoc sacramentum ipse in sua persona institueret, in quo corpus, et sanguis eius communicatur: unde et ipse dicit *Ioan. 6. 52. Panis quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita.*

Deinde cum dicit, *In qua nocte tradebatur,* describit tempus institutionis huius Sacramenti, quod quidem congruum fuit. Primo quidem quantum ad qualitatem temporis: fuit enim in nocte: per virtutem enim huius sacramenti anima illuminatur: unde *1. Reg. 14.* dicitur, quod Ionathas intinxit virgam in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi eius: propter quod et *in Psal. 138. 11.* dicitur: *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Secundo quantum ad negotium quod in illo tempore gerebatur, quia scilicet quando tradebatur ad passionem, per quam transivit ad Patrem, hoc sacramentum, quod est memoriale passionis, instituit. Unde dicitur *Eccli. 29. 33. Transi hospes, et orna mensam, et quae in manu habes, ciba ceteros.*

Deinde cum dicit, *Accepit panem etc.* ostendit modum institutionis: et primo ponit ea quae fecit, et dixit Christus instituendo hoc sacramentum; secundo exponit, ibi, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Circa primum duo facit. Primo agit de institutione sacramenti huius quantum ad corpus Christi; secundo quantum ad eius sanguinem, ibi, *Similiter et calicem etc.*

Circa primum, ante expositionem litterae, oportet primo considerare necessitatem institutionis huius sacramenti. Est autem sciendum, quod sacramenta instituta sunt propter necessitatem vitae spiritualis. Et quia corporalia sunt quaedam similitudines spiritualium, oportet sacramenta proportionari eis quae sunt necessaria ad vitam corporalem: in qua primo invenitur generatio, cui proportionatur baptismus, per quem regeneratur aliquis in vitam spiritualem. Secundo ad vitam corporalem requiritur augmentum, per quod aliquis perducitur ad quantitatem, et virtutem perfectam; et huic proportionatur sacramentum confirmationis, in quo Spiritus sanctus datur ad robur. Tertio ad vitam corporalem requiritur alimentum, per quod corpus hominis sustentatur; et similiter vita spiritualis per sacramentum eucharistiae reficitur, secundum illud *Psal. 22. 2. In loco pascuae ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me.* Est autem notandum, quod generans non coniungitur genito secundum substantiam, sed solum secundum virtutem; sed cibus coniungitur nutrito secundum substantiam: unde in sacramento baptismi, quo Christus regenerat ad salutem, non est ipse Christus secundum suam substantiam, sed solum secundum suam virtutem. Sed in sacramento eucharistiae, quod est spirituale alimentum, Christus est secundum suam substantiam. Continetur autem sub alia specie propter tria. Primo quidem ne esset horribile fidelibus sumentibus hoc sacramentum, si in propria specie carnem hominis ederent, et sanguinem biberent; secundo ne hoc ipsum esset derisibile infidelibus; tertio ut cresceret meritum fidei, quae consistit in hoc quod creduntur ea quae non videntur. Traditur autem hoc sacramentum sub duplici specie propter tria. Primo quidem propter eius perfectionem: quia, cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum, et spiritualem potum: nam et corporalis refectio non perficitur sine potu, et cibo: unde et *supra 10. 3.* dictum est, quod *omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Secundo propter eius significationem: est enim memoriale dominicae passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore; et ideo in hoc sacramento seorsum offertur sanguis a corpore. Tertio propter huius sacramenti effectum salutarem: valet enim ad salutem corporis, et ideo offertur corpus; et valet ad salutem animae, et ideo offertur sanguis, nam anima in sanguine est, ut dicitur *Genes. 9.* Offertur autem specialiter hoc sacramentum sub specie panis, et vini. Primo quidem quia pane, et vino communius utuntur homines ad suam refectionem; et ideo assumuntur in sacramento haec, sicut aqua ad ablutionem in baptismo, et oleum ad unctionem. Secundo propter virtutem huius sacramenti: nam panis confirmat cor hominis, vinum vero laetificat. Tertio quia panis, qui ex multis granis fit, et vinum ex multis uvis, significat Ecclesiae unitatem, quae constituitur ex multis fidelibus. Est autem haec eucharistia specialiter sacramentum unitatis, et caritatis, ut dicit Augustinus *super Ioan. tract. 26.*

His autem visis, circa litteram expositionem primo considerandum est quid Christus fecerit; secundo quid dixerit, ibi, *Et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum.* Tria autem fecit. Primum quidem designatur cum dicit, *Accepit panem;* per quod duo significari possunt. Primo quidem quod ipse voluntarie passionem accepit, cuius hoc sacramentum est memoriale, secundum illud *Isa. 53. 7. Oblatus est, quia ipse voluit.* Secundo potest significari quod ipse accepit a Patre potestatem perficiendi hoc sacramentum, secundum illud *Matth. 11. 27. Omnia tradita sunt mihi a Patre meo.* Secundum tangit cum dicit, *Et gratias agens:* in quo datur nobis exemplum gratias agendi de omnibus quae nobis divinitus dantur, secundum illud *1. Thess. ult. 18. In omnibus gratias agite.* Tertium tangit cum dicit, *Fregit: Isa 58. 7. Frange esurienti panem tuum.*

Sed videtur hoc esse contrarium usui Ecclesiae, secundum quam prius consecratur corpus Christi, et postea frangitur; hic autem dicitur quod prius fregit, postea protulit verba consecrationis.

Et ideo quidam dixerunt, quod Christus consecravit prius verbis aliis, et postea protulit verba, quibus nos consecramus. Sed hoc non potest esse: quia sacerdos dum consecrat, non profert ista verba quasi ex persona sua, sed quasi ex persona Christi consecrantis: unde manifestum est quod eisdem verbis quibus nos consecramus, et Christus consecravit. Et ideo dicendum est, quod hoc quod hic dicitur, *Et dixit,* non est sumendum consequenter, quasi Christus acceperit panem, et gratias agens fregerit, et postea dixerit verba quae sequuntur; sed concomitanter, quod dum accepit per se panem, gratias agens fregit, et di-

xit. Et ideo cum *Matth. 26.* dicatur, quod Iesus accepit panem, et benedixit, ac fregit, Apostolus non curavit hic de benedictione facere mentionem, intelligens nihil aliud esse illam benedictionem quam hoc quod Dominus dixit, *Hoc est corpus meum.*

Deinde cum dicit, *Et dixit*, ostendit quid Christus dixerit instituendo hoc sacramentum. In verbis autem primo quidem iniunxit sacramenti usum; secundo expressit sacramenti veritatem; tertio docuit mysterium. Usum quidem sacramenti iniunxit, dicens, *Accipite;* quasi diceret: Non ex potestate, vel merito humano competit vobis usus huius sacramenti, sed ex eminenti Dei beneficio: *Sap. 16. 20. Angelorum esca nutristi populum tuum, Domine: Supra 4. 7. Quid habes quod non accepisti?* Et determinat speciem usus cum dicit, *Et manducate: Ioan. 6. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis: Iob 31. 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei? Quis det de carnibus eius, ut saturemur?* Sciendum est tamen, quod haec verba non sunt de forma consecrationis. Est enim haec differentia inter haec, et alia sacramenta, quod alia sacramenta perficiuntur, non quidem in consecratione materiae, sed in usu materiae consecratae, sicut in ablutione aquae, aut in unctione olei, seu chrismatis; et hoc ideo, quia in materiis aliorum sacramentorum non est aliqua natura rationalis, quae sit gratiae sanctificantis susceptiva; et ideo in forma aliorum sacramentorum fit mentio de usu sacramenti, sicut cum dicitur, *Ego te baptizo*, vel, *Confirmo te chrismate salutis etc.* Sed hoc sacramentum perficitur in ipsa consecratione materiae, in qua continetur ipse Christus, qui est finis totius gratiae sanctificantis; et ideo verba quae pertinent ad usum sacramenti, non sunt de substantia formae, sed solum illa quae continent veritatem, et continentiam sacramenti; quae consequenter ponit, subdens: *Hoc est corpus meum:* circa quae verba tria oportet considerare. Primo quidem de re significata per haec verba, quod scilicet sit ibi corpus Christi; secundo de veritate huius locutionis; tertio utrum haec sit conveniens forma huius sacramenti.

Circa primum considerandum est, quod quidam dixerunt, corpus Christi non esse in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo, sic exponentes quod hic dicitur, *Hoc est corpus meum*, idest hoc est signum, et figura corporis mei; sicut et *supra 10. 4.* dictum est: *Petra autem erat Christus*, idest figura Christi. Sed hoc est haereticum, cum expresse Dominus dicat *Ioan. 6. 56. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Unde alii dixerunt, quod est ibi vere corpus Christi, sed simul cum substantia panis: quod est impossibile, ut supra ostensum est. Unde alii dixerunt, quod est ibi solum corpus Christi, substantia panis non remanente, quae annihilatur, vel in praeiacentem materiam resolvitur. Sed hoc non potest esse, quia, sicut Augustinus dicit *in lib. 83. Quaest. cap. 21.* Deus non est auctor tendendi in non esse. Secundo quia etiam per hanc positionem tollitur hoc quod substantia panis convertatur in corpus Christi; et sic cum corpus Christi non incipiat esse in hoc sacramento per conversionem alterius in ipsum, relinquitur quod incipiat ibi esse per motum localem; quod est impossibile, ut supra dictum est.

Oportet igitur dicere, quod corpus Christi vere sit in hoc sacramento per conversionem panis in ipsum. Considerandum tamen, quod haec conversio differt ab omnibus conversionibus quae sunt in natura. Actio enim naturae praesupponit materiam; et ideo eius actio non se extendit nisi ad immutandum aliquid, secundum formam vel substantialem, vel accidentalem: unde omnis conversio naturalis dicitur esse formalis. Sed Deus, qui facit hanc conversionem, est auctor materiae, et formae; et ideo tota substantia panis, materia non remanente, potest converti in totam substantiam corporis Christi. Et quia materia est individuationis principium, totum hoc individuum signatum, quod est substantia particularis, convertitur in aliam substantiam particularem: propter quod dicitur ista conversio substantialis, seu transubstantiatio. Contingit igitur in hac conversione contrarium eius quod accidit in conversionibus naturalibus, in quibus manente subiecto fit transmutatio interdum circa accidentia: hic autem, transmutata substantia, manent accidentia sine subiecto virtute divina, quae sicut causa prima sustentat ea sine causa materiali, quae est substantia causata, ad hoc quod corpus Christi, et sanguis sumatur in specie aliena rationibus supradictis. Et quia ordine quodam accidentia referuntur ad substantiam; ideo dimensiones sine subiecto remanent, et alia accidentia remanent in ipsis dimensionibus, sicut in subiecto.

Si autem sub illis dimensionibus nulla substantia remaneat nisi corpus Christi, dubium potest esse de fractionibus hostiae consecratae, cum corpus Christi glorificatum sit, et per consequens infrangibile: unde non potest huic fractioni substare. Sed nec etiam aliud potest fingi quod subsistat, quia sacramentum veritatis non decet aliqua fictio: unde nihil sensu percipitur in hoc sacramento quod non sit ibi secundum veritatem. Sensibilia enim per se sunt qualitates, quae quidem remanent sicut prius fuerant in hoc sacramento, ut dictum est. Et ideo alii dixerunt, quod est quaedam ibi vere fractio sine subiecto, unde nihil ibi frangitur. Sed nec hoc dici potest, quia cum fractio sit in genere passionis, quae habet debilius esse quam qualitas, non potest esse in hoc sacramento sine subiecto, sicut nec qualitas. Unde restat dicendum, quod fractio illa fundatur sicut in subiecto in dimensionibus panis, et vini remanentibus: corpus autem Christi non attingitur ab huiusmodi fractione, quia totum remanet sub qualibet parte dimensionum dimissarum. Quod quidem hoc modo considerari potest. Nam corpus Christi est in hoc sacramento ex conversione substantiae panis in ipsum. Non autem fit conversio ratione dimensionum, nam dimensiones panis remanent, sed solum ratione substantiae. Unde et corpus Christi est ibi ratione suae substantiae, non autem ratione suarum dimensionum; licet dimensiones eius sint ibi ex consequenti, inquantum non separantur a substantia ipsius. Quantum autem ad naturam substantiae pertinet, tota est sub qualibet parte dimensionum. Unde sicut ante consecrationem tota veritas substantiae, et natura panis erat sub qualibet parte dimensionum; ita post consecrationem totum corpus Christi est sub qualibet parte panis divisi. Significat autem hostiae consecratae divisio primo quidem passionem Christi, per quam

corpus eius fuit vulneribus fractum, secundum illud *Psalm. 21. 18. Foderunt manus meas, et pedes meos.* Secundo distributionem donorum Christi ex ipso progredientium, secundum illud *infra 12. 4. Divisiones gratiarum sunt.* Tertio diversas partes Ecclesiae: nam eorum qui sunt membra Christi, quidam adhuc in hoc mundo peregrinantur; quidam vivunt in gloria cum Christo, et quantum ad animam, et quantum ad corpus; quidam autem expectant finalem resurrectionem in fine mundi; et hoc significat divisio hostiae in tres partes.

Secundo considerandum est de veritate huius locutionis: videtur enim haec locutio esse falsa, *Hoc est corpus meum:* conversio enim panis in corpus Christi fit in termino prolationis horum verborum, tunc enim completur significatio huius locutionis: formae enim sacramentorum significando efficiunt; et ideo sequitur quod in principio locutionis, quando dicitur, hoc, non sit ibi corpus Christi, sed sola substantia panis, quae demonstratur per hoc pronomen *hoc*, quod est demonstrativum substantiae. Idem est ergo *hoc*, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, ac si diceret. Substantia panis est corpus meum; quod manifeste falsum est.

Dixerunt ergo quidam, quod sacerdos haec verba materialiter, et recitative profert ex persona Christi; et ideo demonstratio huius pronominis non refertur ad praesentem materiam, ut ex hoc locutio falsa reddatur, secundum quod obiectio procedebat. Sed hoc non potest stare. Primo quidem quia si haec locutio non applicetur ad praesentem materiam, nihil faciet circa eam; quod est falsum. Dicit enim Augustinus *super Ioan. tract. 80. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Unde necesse est dicere, quod verba ista formaliter accipiantur, referendo ea ad praesentem materiam. Profert autem ea sacerdos ex persona Christi, a quo virtutem sumpserunt, ad ostendendum quod eamdem efficaciam nunc habent, sicut quando Christus ea protulit. Non enim virtus his verbis collata evanescit neque temporis diversitate, neque ministrorum varietate. Secundo quia eadem difficultas remanet de prima prolatione qua Christus ea protulit. Ideo alii dicunt, quod sensus huius est: *Hoc est corpus meum*, idest hic panis designat corpus meum, ut ly *hoc* designet id quod est in principio locutionis. Sed hoc etiam esse non potest: quia cum sacramenta efficiant quod figurant, haec verba nihil efficiunt, nisi quod significant. Secundo quia ex hoc sequeretur quod per haec verba nihil efficeretur quam quod corpus Christi esset ibi sicut sub signo, quod supra improbatum est. Et ideo alii dicunt quod ly *hoc* facit demonstrationem ad intellectum, et demonstrat id quod erit in fine locutionis, scilicet corpus Christi. Sed nec hoc videtur convenienter dici, quia secundum hoc sensus esset, Corpus meum est corpus meum; quod non fit per haec verba, cum hoc ante verba consecrationis fuerit verum.

Et ideo aliter dicendum est, quod formae sacramentorum non solum sunt significativae, sed etiam factivae, significando enim efficiunt. In omni autem factione oportet subiici aliquid commune tamquam principium. Commune autem in hac conversione non est aliqua substantia, sed accidentia, quae et prius fuerunt, et postea manent; et ideo ex parte subiecti in hac locutione non ponitur nomen, quod significat certam speciem substantiae, sed ponitur pronomen, quod significat substantiam sine determinata specie. Est ergo sensus: *Hoc*, idest contentum sub his accidentibus, *est corpus meum;* et hoc est quod fit per verba consecrationis: nam ante consecrationem id quod erat contentum sub his accidentibus, non erat corpus Christi; quod tamen fit corpus Christi per consecrationem.

Tertio autem oportet considerare quomodo est haec conveniens forma huius sacramenti. Nam hoc sacramentum, ut dictum est, non consistit in usu materiae, sed in consecratione ipsius. Consecratio autem non fit per hoc quod materia consecrata solum suscipiat aliquam virtutem spiritualem, sed per hoc quod transubstantiatur secundum esse in corpus Christi; et nullo alio verbo utendum fuit nisi verbo substantivo, ut dicatur: *Hoc est corpus meum:* per hoc enim significatur id quod est finis quod significando efficitur.

Deinde cum dicit, *Quod pro vobis tradetur*, tangit mysterium huius sacramenti: est enim hoc sacramentum repraesentativum divinae passionis, per quam corpus suum tradidit in mortem pro nobis, secundum illud *Isa. 50. 6. Corpus meum dedi percutientibus:* et *Ephes. 5. 2. Tradidit semetipsum pro nobis.* Et ut ostendat rationem frequentandi hoc mysterium, subiungit: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc recolendo, scilicet tam magnum beneficium, quo pro vobis me tradidi in mortem. Unde et *Thren. 3. 19.* dicitur: *Recordare paupertatis meae, absinthii, et fellis:* et *in Psal. 110. 4. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

## LECTIO VI.

Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

Postquam Apostolus posuit institutionem huius sacramenti quantum ad consecrationem corporis; hic ponit institutionem eius quantum ad sanguinis consecrationem: et primo ponit ordinem institutionis; secundo verba, cum dicit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Ordo autem attenditur quantum ad duo. Primo quantum ad concomitantiam utriusque speciei, cum dicit, *Similiter et calicem:* utrumque enim est de perfectione huius sacramenti, tum propter perfectionem refectionis, tum propter repraesentationem passionis, tum propter efficientiam salutis animae, et corporis, ut supra dictum est.

Sed si prius consecratur in hoc sacramento corpus Christi, et postea sanguis, videtur sequi quod ante consecrationem sanguinis corpus Christi in hoc sacramento sit exangue; quod quidam inconveniens repu-

tantes, dixerunt, quod duae formae se expectant in efficiendo, ita scilicet quod prima forma consecrationis corporis non consequitur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis sanguinis: sicut etiam dictum est, quod verba quae proferuntur in consecratione corporis, non consequuntur suum effectum usque ad finem prolationis verborum. Sed hoc non est simile. Nam significatio verborum quibus consecratur corpus Christi, non completur nisi in termino prolationis eorum. Et quia verba sacramentalia significando efficiunt; ideo non possunt habere effectum ante terminum prolationis. Tunc autem habent plenam significationem, etiam antequam proferantur verba consecrationis sanguinis; et ideo necesse est quod etiam tunc habeant suum effectum: alioquin sacerdos peccaret, statim post verba consecrationis, proponens hostiam non consecratam populo adorandam, nisi iam esset corpus Christi: quia induceret populum ad idolatriam.

Est ergo dicendum, quod ante consecrationem sanguinis est in hoc sacramento corpus Christi non sine sanguine. Sciendum est enim, quod in hoc sacramento dupliciter aliquid est. Uno modo ex vi consecrationis, illud scilicet in quod terminatur conversio panis, et vini, sicut per formam consecrationis significatur: et sic sub specie panis est corpus Christi. Alio modo est aliquid in hoc sacramento ex reali concomitantia, sicut divinitas Verbi est in hoc sacramento propter indissolubilem unionem ipsius ad corpus Christi, licet nullo modo substantia panis in divinitatem convertatur: et similiter est ibi anima, quae coniuncta est realiter ipsi corpori. Si vero in triduo mortis Christi fuisset corpus Christi ab aliquo Apostolorum consecratum, non fuisset ibi anima, quae tunc realiter erat a corpore separata. Et idem dicendum est de sanguine: nam sub speciebus panis ex vi consecrationis est corpus Christi, in quod substantia panis convertitur; sanguis autem est ibi ex reali concomitantia, quia nunc realiter sanguis Christi non est ab eius corpore separatus: et eadem ratione sub specie vini est sanguis Christi ex vi consecrationis; corpus autem ex reali concomitantia, ita quod sub utraque specie est totus Christus. Si vero tempore passionis, quando sanguis Christi erat ex corpore effusus, fuisset hoc sacramentum ab aliquo Apostolorum perfectum, sub panis specie fuisset solum corpus Christi exangue, sub speciebus autem vini fuisset solus sanguis Christi.

Secundo attenditur ordo per comparationem ad cibos materiales, qui praecesserant, ubi subdit, *Postquam coenavit*, quod videtur signanter addidisse: nam Christus corpus suum tradidit inter coenam: unde *Matth. 26. 26.* dicitur, quod *coenantibus illis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Sed sanguinem dedit expresse post coenam: unde et *Luc. 22. 20.* dicitur: *Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Cuius ratio est, quia corpus Christi repraesentat mysterium incarnationis, quae facta est adhuc legalibus observantiis statum habentibus, inter quas praecipua erat coena agni paschalis; sed sanguis Christi in sacramento directe repraesentat passionem, per quam est effusus, et per quam sunt terminata omnia legalia. Unde *Hebr. 9. 12.* dicitur, quod *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.*

Deinde ponit verba, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine:* et primo demonstrat veritatem huius sacramenti; secundo iniungit usum, ibi, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quantum ergo ad primum dicit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine:* quod quidem dupliciter sumi potest. Uno modo methonymice, ut scilicet ponatur continens pro contento; quasi dicat, Contentum in hoc calice; quod convenientius ponitur in consecratione vini, quod ratione suae humiditatis indiget aliis terminis contineri, quam in consecratione panis, qui ratione suae siccitatis propriis terminis continetur. Alio modo potest accipi metaphorice, ut sit sensus: Sicut calix inebriat, et perturbat, ita et passio. Unde *Matth. 20. 22.* dicit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* et *ibid. 26. 39. Transeat a me calix iste.* Est ergo sensus. *Hic calix*, idest contentum in hoc calice, vel haec mea passio, *est novum testamentum in meo sanguine.* Unde considerandum est, quod testamentum dupliciter sumitur in Scripturis. Uno modo communiter pro quolibet pacto, quod quidem testibus confirmatur; et sic considerandum est, quod Deus dupliciter pactum iniit cum humano genere. Uno modo promittendo bona temporalia, et a malis temporalibus liberando; et hoc vocatur vetus testamentum, vel pactum. Alio modo promittendo bona spiritualia, et a malis oppositis liberando; et hoc vocatur testamentum novum. Unde dicitur *Hierem. 31. 31. Feriam domui Israel, et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, ut educerem eos de terra Ægypti; sed hoc erit pactum: Dabo legem meam in visceribus eorum, et ero eis in Deum.* Est autem considerandum, quod apud antiquos erat consuetudo ut alicuius victimae sanguinem funderent ad confirmationem pacti: unde *Gen. 31.* legitur, quod postquam inierunt foedus Laban, et Iacob, immolatis victimis in monte, vocavit fratres suos. Unde et *Exod. 24.* legitur, quod Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, et ait *vers. 8. Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum.* Sicut ergo vetus testamentum, seu pactum, confirmatum est sanguine figurali taurorum, ita novum testamentum, seu pactum, confirmatum est in sanguine Christi, qui per passionem est effusus. Et in hoc calice sacramentum taliter continetur. Alio modo testamentum accipitur magis stricte pro dispositione haereditatis percipiendae, quam necesse est secundum leges certo numero testium confirmare. Non autem testamentum sic acceptum confirmatur nisi per mortem: quia, ut Apostolus dicit *Hebr. 9. 17. testamentum in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Deus autem primo quidem dispositionem fecerat de aeterna haereditate percipienda, sed sub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad vetus testamentum; sed postmodum fecit novum testamentum, expresse promittens haereditatem aeternam, quod quidem confirmatum est per sanguinem mortis Christi. Et ideo Dominus de hoc dicit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine;* quasi dicat: Per id quod in hoc calice continetur, commemoratur novum testamentum per Christi sanguinem confirmatum.

Est autem advertendum, quod eadem verba quae hic Apostolus ponit, habentur *Lucae 22. 21.* nisi quod ibi additur, *Qui pro vobis effundetur.* Lucas enim discipulus fuit Pauli, et eum in conscriptione Evangelii est secutus. Sed *Matth. 26. 28.* dicitur: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Eadem verba ponuntur *in Marc. 14.* Dicunt ergo quidam, quod quaecumque formae horum verborum proferantur, quae sunt scripta in canone, sufficiunt ad consecrationem. Probabilius autem dici videtur, quod illis solis verbis perficitur consecratio, quibus Ecclesia utitur ex traditione Apostolorum structa. Evangelistae enim verba Domini recitare intenderunt quantum pertinet ad rationem historiae, non autem secundum quod ordinantur ad consecrationem sacramentorum, quae in occulto habebant in primitiva Ecclesia propter infideles. Unde Dionysius dicit *in ult. cap. ecclesiasticae Hierarchiae: Perfectivas invocationes non est fas in Scripturis exponere, neque mysticum ipsarum, ante factas in ipsis ex Deo virtutes, ex occulto in communi adducere.*

Sed circa ista verba quibus Ecclesia utitur in consecratione sanguinis, quidam opinantur, quod non omnia sint de necessitate formae, sed solum quod dicitur, *Hic est calix sanguinis mei;* non autem residuum quod sequitur, *Novi, et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sed hoc non videtur convenienter dici: nam totum illud quod sequitur, est quaedam determinatio praedicti: unde et ad eiusdem locutionis sententiam, seu significationem, pertinet. Et quia, ut saepe dictum est, formae sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formae. Nec obstat ratio quam inducunt, quia in consecratione corporis sufficit quod dicitur, *Hoc est corpus meum:* quia sanguis seorsum consecratus specialiter repraesentat passionem Christi, per quam eius sanguis separatus est a corpore; et ideo in consecratione sanguinis oportuit exprimere Christi passionis virtutem: quae attenditur primo quidem respectu nostrae culpae, quam Christi passio abolet, secundum illud *Apoc. 1. 5. Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo:* et quantum ad hoc dicit: *Qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* effusus est siquidem sanguis in remissionem peccatorum, non solum pro multis, sed etiam pro omnibus, secundum illud *1. Ioan. 2. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Sed quia quidam se reddunt indignos ad recipiendum talem effectum, quantum ad efficaciam dicitur esse effusus pro multis, in quibus habet effectum passio Christi. Dicit autem signanter, *Pro vobis, et pro multis:* quia hoc sacramentum valet in remissionem peccatorum sumentibus per modum sacramenti; quod notatur signanter, cum dicit, *Pro vobis,* quibus dixerat, *Accipite.* Valet etiam per modum sacrificii multis non sumentibus, pro quibus offertur; quod significatur, cum dicitur, *Et pro multis.* Secundo virtus eius consideratur per comparationem ad vitam iustitiae, quam facit per fidem, secundum illud *Rom. 3. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius:* et quantum ad hoc dicit, Mysterium, idest occultum, fidei: quia scilicet fides passionis Christi erat occulta in omnibus sacrificiis veteris testamenti, sicut veritas in signo. Hoc autem Ecclesia habet ex traditione Apostolorum, cum in canone Scripturae non inveniatur. Tertio virtus eius attenditur quantum ad vitam gloriae, in quam per passionem Christi introducitur, secundum illud *Hebr. 10. 19. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi:* et quantum ad hoc dicit, *Novi, et aeterni testamenti.* Aeterni siquidem, quia est dispositio de haereditate aeterna; novi autem ad differentiam veteris, qui temporalia promittebat. Unde *Hebr. 9. 15.* dicitur: *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente... repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis.*

Deinde cum dicit, *Hoc facite,* iniungit usum huius sacramenti, dicens: *Hoc facite quotiescumque sumetis, in meam commemorationem,* scilicet in memoriam meae passionis. Unde et *Thren. 3. 20.* dicit Propheta: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea:* et *Isa. 63. 7. Miserationum Domini recordabor.*

Est autem notandum quod in calice principaliter quidem debet poni vinum rationibus supradictis; debet autem apponi et aqua. Probabile enim est quod Christus in coena vinum mixtum discipulis dederit propter consuetudinem terrae illius, in qua, ut temperetur fortitudo vini, ab omnibus vinum bibitur aqua mixtum. Unde et *Prov. 9. 5.* Sapientia dicit: *Bibite vinum quod miscui vobis.* Nihilominus tamen aqua vino mixta significat populum Christianum Christo per passionem coniunctum, secundum illud *Apoc. 17. 15. Aquae populi sunt, et gentes:* et participatio sanguinis Christi a fidelibus pertinet ad usum sacramenti, qui non est de necessitate huius sacramenti. Sed potest vinum consecrari absque aqua, licet peccet qui sic consecrat, non servans ritum Ecclesiae. Et ideo si sacerdos ante consecrationem vini advertat quod aqua non fuerit apposita calici, debet apponere; si vero post consecrationem advertat, non debet apponere, sed debet perficere sacramentum. Nihil enim post consecrationem est sanguini Christi miscendum, quia talis permixtio non posset esse sine qualicumque corruptione vini consecrati, quod pertinet ad crimen sacrilegii.

Dicunt autem quidam, quod cum de latere Christi pendentis in cruce fluxerit sanguis, et aqua, ut legitur *Ioan. 19.* sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua in aquam.

Sed hoc non competit, quia in illa aqua figuratur ablutio quae est per baptismum. Et ideo alii dicunt, quod facta conversione vini in sanguinem, aqua remanet in sua substantia, et circumtegitur accidentibus vini. Sed neque hoc competit, quia aqua admiscetur vino ante consecrationem, quando non differt ab alio vino: unde non seorsum manet, sed permiscetur.

Et ideo dicendum est, quod aqua convertitur in vinum, et sic totum convertitur in sanguinem Christi. Propter quod mos est modicum de aqua apponere, et praecipue si sit vinum debile, quod non potest nisi modicum aquae in seipsum convertere.

Deinde cum dicit, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc etc.* exponit verba Domini, quae dixerat, *Hoc facite in meam commemorationem,* di-

cens: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc.* Et dicit, *Panem*, propter species remanentes; dicit autem, *Hunc*, propter idem numero corpus significatum, et contentum. *Et calicem*, scilicet hunc, *bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, repraesentando scilicet eam per hoc sacramentum; et hoc *donec veniat*, idest usque ad ultimum eius adventum: in quo datur intelligi quod hic ritus Ecclesiae non cessabit usque ad finem mundi, secundum illud *Matth. ult. 20. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi:* et *Luc. 21. 23. Non praeteribit generatio haec*, scilicet Ecclesiae, *donec omnia fiant.*

## LECTIO VII.

**Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.**

Postquam Apostolus ostendit dignitatem huius sacramenti; hic excitat fideles ad sumendum illud reverenter: et primo ponit periculum quod imminet indigne sumentibus; secundo adhibet salutare remedium, ibi, *Probet autem seipsum homo.* Dicit ergo primo: *Itaque* ex quo hoc quod sacramentaliter manducatur, est corpus Christi, et quod bibitur, est sanguis Christi, *quicumque manducaverit hunc panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini.* In quibus verbis primo considerandum est, qualiter aliquis indigne manducat, et bibit: quod quidem secundum Glossam contingit tripliciter. Primo quidem quantum ad celebrationem huius sacramenti, quia scilicet aliquis aliter celebrat sacramentum eucharistiae quam a Christo traditum est; puta si offerat in hoc sacramento alium panem quam triticeum, vel alium liquorem quam vinum de vite. Unde *Levit. 10.* dicitur, quod Nadab, et Abiu, filii Aaron, obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat; egressusque ignis a Domino devoravit eos. Secundo ex hoc quod aliquis non devota mente accedit ad eucharistiam: quae quidem indevotio quandoque est veniale; puta cum aliquis distracta mente ad saecularia negotia, accedit ad hoc sacramentum, habitualiter retinens debitam reverentiam ad ipsum: et talis indevotio licet impediat fructum huius sacramenti, qui est spiritualis refectio, non tamen facit reum corporis, et sanguinis Domini, sicut hic Apostolus loquitur. Quaedam vero indevotio est peccatum mortale, quae scilicet est cum contemptu huius sacramenti, prout dicitur *Malach. 1. 12. Vos polluistis nomen meum in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur, contemptibile.* Et de tali indevotione loquitur Glossa. Tertio modo dicitur aliquis indignus ex eo quod cum voluntate peccandi mortaliter accedit ad eucharistiam. Dicitur enim *Levit. 21. 23. Non accedat ad altare, qui maculam habet.* Intelligitur aliquis maculam peccati habere, quamdiu est in voluntate peccandi, quae tamen tollitur per poenitentiam. Per contritionem quidem, quae tollit voluntatem peccandi, cum proposito confitendi, et satisfaciendi, quantum ad remissionem culpae, et poenae aeternae; per confessionem autem, et satisfactionem, quantum ad totalem remissionem poenae, et reconciliationem ad membra Ecclesiae. Et ideo in necessitate quidem, puta quando aliquis copiam confessoris habere non potest, sufficit contritio ad sumptionem huius sacramenti. Regulariter autem debet confessio praecedere cum aliqua satisfactione. Unde *in Lib. de eccl. Dogmatibus cap. 53.* dicitur: Communicaturus satisfaciat lacrymis, et orationibus, et confidens de Domino mundus accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico quem capitalia peccata, et mortalia non gravant: namque quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica poenitentia satisfacere, et ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si non vult ad condemnationem eucharistiam percipere.

Sed videtur quod peccatores non indigne accedant ad hoc sacramentum: nam in hoc sacramento sumitur Christus, qui est spiritualis medicus, qui de se dicit *Matth. 9. 12. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

Sed dicendum, quod hoc sacramentum est spirituale nutrimentum, sicut baptismus est spiritualis nativitas. Nascitur autem aliquis ad hoc ut vivat, sed non nutritur nisi iam vivus; et ideo hoc sacramentum non competit peccatoribus, qui nondum vivunt per gratiam; competit eis tamen baptismus. Et praeterea eucharistia est sacramentum caritatis et ecclesiasticae unitatis, ut dicit Augustinus *super Ioan. tract. 26.* Cum igitur peccator careat caritate, et sit separatus merito ab Ecclesiae unitate, si accedat ad hoc sacramentum, falsitatem committit, dum significat se habere caritatem quam non habet. Quia tamen peccator quandoque habet fidem huius sacramenti, licitum est ei hoc sacramentum inspicere, quod omnino infidelibus denegatur, ut Dionysius dicit *3. cap. ecclesiasticae Hierarchiae.*

Secundo considerandum est quomodo ille qui indigne sumit hoc sacramentum, sit reus corporis, et sanguinis Domini: quod quidem in Glossa tripliciter exponitur. Uno modo materialiter. Incurrit enim reatum ex peccato commisso circa corpus, et sanguinem Domini, prout in hoc sacramento continetur: quod indigne sumit, et ex hoc eius culpa aggravatur: tanto est enim culpa gravior, quanto maior est contra quem peccatur: *Hebr. 10. 29. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia eum qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit.* Secundo exponitur per similitudinem, ut sit sensus: *Reus erit corporis, et sanguinis Domini*, et mortis

Domini poenas dabit ; hoc est , ac si Christum occiderit , punietur , secundum illud *Heb. 6. 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei , et ostentui habentes.*

Sed secundum hoc videtur gravissimum esse peccatum eorum qui indigne sumunt corpus Christi.

Sed dicendum, quod peccatum aliquod habet gravitatem dupliciter. Uno modo ex ipsa specie peccati , quae sumitur ex obiecto ; et secundum hoc gravius est peccatum quod contra divinitatem committitur, puta infidelitas , blasphemia , vel aliquid huiusmodi , quam quod committitur contra humanitatem Christi : unde et ipse Dominus *Matth. 12.* dicit, quod qui dixerit verbum contra Filium hominis , remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum , non remittetur ei. Et iterum gravius est peccatum quod committitur contra humanitatem in propria specie quam sub specie sacramenti. Alio modo gravitas peccati attenditur ex parte peccantis. Magis autem peccat qui ex odio , aut invidia, vel ex quacumque malitia peccat , sicut peccaverunt illi qui Christum crucifixerunt, quam qui peccat ex infirmitate , sicut interdum peccant illi qui indigne sumunt hoc sacramentum. Non ergo per hoc intelligitur quod peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparetur peccato occidentium Christum secundum aequalitatem, sed secundum similitudinem speciei , quia utrumque est circa eumdem Christum.

Tertio modo exponitur : *Reus erit corporis, et sanguinis Domini ;* idest corpus , et sanguis Domini facient eum reum: ita enim bonum male sumptum nocet, sicut prodest malum, quo quis bene utitur, sicut stimulus satanae Paulo.

Per haec autem verba excluditur error quorumdam dicentium , quod quam statim hoc sacramentum tangitur a labiis peccatoris , desinit sub eo esse corpus Christi : contra quod est quod Apostolus dicit : *Quicumque manducaverit panem hunc , vel biberit calicem Domini indigne.* Secundum enim praedictam opinionem nullus indignus manducaret, vel biberet. Contrariatur autem praedicta opinio veritati huiusmodi sacramenti, secundum quam tamdiu corpus, et sanguis Christi manent in Sacramento, quamdiu remanent species , in quocumque loco existant.

Deinde cum dicit , *Probet autem seipsum homo* , adhibet remedium contra praedictum periculum : et primo ponit remedium ; secundo assignat rationem , ibi , *Qui enim manducat , et bibit indigne, iudicium sibi manducat , et bibit ;* tertio rationem manifestat per signum, ibi, *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles , et dormiunt multi.* Dicit ergo primo : Quia tantum reatum incurrit qui indigne sumit hoc sacramentum , ideo necesse est ut primo homo seipsum probet, idest diligenter examinet suam conscientiam , ne sit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum praeteritum , de quo non sufficienter poenituerit ; *et sic* , post diligentem examinationem , securus , *de pane illo edat , et de calice bibat :* quia digne sumentibus non est venenum, sed medicina : *Galat. ult. 4. Opus autem suum probet unusquisque : 2. Corint. 13. 5. Si estis in fide Christi, vos probate.*

Deinde cum dicit , *Quicumque enim manducaverit panem hunc etc.* assignat rationem praedicti medii, dicens : Ideo probatio praeexigitur : *qui indigne manducat , et bibit , iudicium ,* idest condemnationem , *sibi manducat , et bibit ;* sicut dicitur *Ioan. 5. 29. Resurgent qui male egerunt in resurrectionem iudicii: non diiudicans corpus Domini* , idest ex eo quod non discernit corpus Domini ab aliis , indifferenter ipsum assumens, sicut alios cibos: *Levit. 22. 3. Omnis homo qui accesserit ad ea quae consecrata sunt, in quo est immunditia , peribit coram Domino.*

Sed contra videtur esse quod dicit *Ioan. 6. 58. Qui manducat me , vivit propter me.*

Sed dicendum est , quod duplex est modus manducandi hoc sacramentum , scilicet spiritualis, et sacramentalis. Quidam ergo manducant sacramentaliter , et spiritualiter , qui scilicet ita sumunt hoc sacramentum, quod etiam rem sacramenti participant , scilicet caritatem , per quam est ecclesiastica unitas : et de talibus intelligitur verbum Domini inductum, *Qui manducat me , vivit propter me.* Quidam vero manducant sacramentaliter tantum, qui scilicet ita hoc sacramentum percipiunt , quod rem sacramenti , idest caritatem , non habent ; et de talibus intelligitur quod hic dicitur : *Qui manducat , et libit indigne , iudicium sibi manducat , et bibit.* Est autem praeter duos modos quibus sumitur sacramentum , hic tertius modus sumendi , quo manducatur per accidens , dum scilicet sumitur non ut sacramentum: quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, sicut quando aliquis fidelis sumit hostiam consecratam, quam non credit esse consecratam : talis enim habet habitum utendi hoc sacramento , sed non utitur eo actu ut sacramento. Alio modo, sicut quando hostiam consecratam sumit aliquis infidelis , qui nullam fidem habet huius sacramenti : talis enim non habet habitum utendi hoc sacramento , sed solum potentiam. Tertio modo , sicut quando hostiam sacratam comedit mus , vel quodlibet animal brutum , quod etiam non habet potentiam utendi hoc sacramento. Ex hoc igitur quod spiritualiter sumentes hoc sacramentum acquirunt vitam, alliciuntur quidam ad hoc quod frequenter hoc sacramentum assumant ; ex hoc autem quod indigne sumentes acquirunt sibi iudicium , plures deterrentur , ut rarius sumant ; et utrumque commendandum videtur. Legimus enim *Luc. 19.* quod Zachaeus recepit Christum gaudens in domum suam, in quo eius caritas commendatur : legitur etiam *ibidem 7. 6.* quod Centurio dixit Christo : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* , in quo commendatur honor , et reverentia eius ad Christum. Quia tamen amor praefertur timori , per se loquendo commendabilius esse videtur quod aliquis frequentius sumat quam quod rarius. Quia tamen quod est in se eligibilius, potest esse minus eligibile quantum ad hunc vel illum ; considerare quilibet in seipso debet quem effectum in se habeat frequens susceptio huius sacramenti : nam si aliquis sentiat se proficere in fervore dilectionis ad Christum , et in fortitudine resistendi peccatis , quae plurimum consequuntur homines, debet frequenter sumere ; si vero ex frequenti sumptione sentiat aliquis in se minus reverentiam huius sacramenti, monendus est ut rarius sumat. Unde et *in Lib. de ecclesiasticis Dogmatibus* dicitur : *Quotidie eucharistiam sumere nec laudo, nec vitupero.*

Deinde cum dicit , *Ideo inter vos multi infirmi etc.*

manifestat praedictam rationem per signum: et primo ponit signum; secundo assignat causam illius signi, ibi, *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Circa primum considerandum est, quod, sicut Augustinus dicit *in 1. de Civit. Dei cap. 8.* si omne peccatum nunc manifeste Deus plecteret poena, nihil ultimo iudicio reservari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret, nulla esse divina providentia crederetur. In signum ergo futuri iudicii Deus etiam in hoc mundo pro peccato quosdam temporaliter punit; quod maxime observatum videtur in principio legislationis tam novae quam veteris. Legimus enim *Exod. 22.* propter peccatum vituli aurei adorati multa millia hominum perempta. Rursum legitur *Act. 5.* propter peccatum mendacii, et furti, Ananiam, et Saphiram interiisse. Unde et propter peccatum huius sacramenti indigne sumpti aliqui in primitiva Ecclesia puniebantur a Deo infirmitate corporali, vel etiam morte: unde dicit: *Ideo*, scilicet in signum futuri iudicii, *inter vos multi*, indigne sumentes corpus Christi, sunt infirmi corporaliter: *Psal. 15. 2. Multiplicatae sunt infirmitates: et imbecilles*, idest longa invalitudine laborantes: *et dormiunt multi*, scilicet morte corporali, secundum quod sumitur dormitio: *1. ad Thess. 4. 12. Nolumus vos ignorare de dormientibus.* Deinde cum dicit, *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur*, assignat duplicem rationem praedicti signi: quarum prima sumitur ex parte nostri; secunda ex parte Dei, ibi, *Cum iudicamur autem a Domino, corripimur.* Ex parte autem nostra, causa divinae punitionis est a negligentia, quia in nobis ipsis peccata commissa punire negligimus. Unde dicit: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus*, redarguendo, et puniendo peccata nostra, *non utique iudicaremur*, idest non puniremur a Domino neque postmodum in futuro, neque etiam in praesenti.

Sed contra est quod *supra 4. 5.* dictum est: *Sed neque meipsum iudico:* et *Rom. 14. 22.* dicitur: *Beatus qui non iudicat semetipsum.*

Sed dicendum est, quod aliquis potest seipsum iudicare tripliciter. Uno modo discutiendo; et sic aliquis debet iudicare seipsum et quantum ad opera praeterita, et quantum ad futura, secundum illud *Galat. ultim. 4. Opus suum probet unusquisque.* Alio modo sententialiter, seipsum absolvendo, quasi iudicando se innocentem quantum ad praeterita; et secundum hoc nullus debet iudicare seipsum, ut scilicet se innocentem iudicet, secundum illud *Iob 9. 20. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit.* Tertio modo reprehendendo, ut scilicet faciat aliquid quod ipse iudicat esse malum; et hoc modo intelligitur quod inductum est, *Beatus est qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.* Sed quantum ad ea quae iam fecit, debet quilibet seipsum iudicare, reprehendendo, et puniendo pro maleficiis. Unde dicitur *Iob 13. 15. Vias meas in conspectu eius arguam:* et *23. 4. Ponam coram eo iudicium, et os meum replebo increpationibus:* et de hoc iudicio Augustinus dicit *in Lib. de Poenitentia*, et inducitur hic in Glossa: *Versetur ante oculos nostros imago futuri iudicii, et ascendat homo adversum se ante faciem suam; atque constituto in corde iudicio, adsit accusans cogitatio, et testis conscientia, et carnifex cor. Inde quidem sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participem corporis et sanguinis Domini.*

Deinde cum dicit, *Cum iudicamur autem*, ponit causam quae est ex parte Dei, dicens: *Cum iudicamur autem a Domino*, idest in hoc mundo punimur, *corripimur*, idest hoc fit ad correctionem nostram, ut scilicet quilibet propter poenam quam sustinuit, a peccato recedat. Unde et *Iob 5. 17.* dicitur: *Beatus vir qui corripitur a Domino:* et *Proverb. 3. 12. Quem diligit Dominus, corripit.* Vel etiam dum per poenam unius alius peccare desistit: *Proverb. 19. 25. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et hoc ideo *ut non damnemur*, aeterna damnatione in futuro, *cum hoc mundo*, idest cum hominibus mundanis.

Deinde cum dicit, *Itaque fratres mei etc.* reducit eos ad debitam observantiam: et primo ponitur id quod nunc ordinat; secundo ponitur promissio de ordinatione futura, ibi, *Cetera autem, cum venero, disponam.* Circa primum tria facit. Primo ponit ordinationem suam, dicens: *Itaque fratres mei*, ne unusquisque coenam suam praesumat ad manducandum, *cum convenitis*, scilicet in Ecclesiam, *ad manducandum*, scilicet corpus Christi, *invicem expectate*, ut scilicet simul homines sumatis. Unde *Exod. 12. 6. Immolabit haedum multitudo filiorum Israel.* Secundo excludit excusationem, dicens: *Si quis autem esurit*, et non potest tantum expectare, *donec manducet*, scilicet communes cibos, postmodum eucharistiam non sumpturus: *Eccli. 36. 20. Omnem escam manducabit venter.* Tertio rationem assignat, dicens: *Ut non conveniatis*, scilicet ad sumendum corpus Christi, *in iudicium*, idest in vestram condemnationem. Deinde ponitur promissio, cum dicit: *Cetera*, scilicet quae non sunt tanti periculi, *cum venero*, praesentialiter, *disponam*, qualiter scilicet ea conservare debeatis. Ex quo patet quod Ecclesia multa habet ex dispositione Apostolorum quae in sacra Scriptura non continentur: *Eccli. 10. 5. Civitates inhabitabuntur*, idest Ecclesiae disponentur, *per sensum prudentium*, scilicet Apostolorum.

## CAPITIS DUODECIMI

### LECTIO PRIMA

De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres. Scitis autem quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit, Anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

Postquam Apostolus prosecutus est de tribus sacramentis, scilicet baptismo, matrimonio, et eucharistia; hic incipit determinare de his quae pertinent ad rem

sacramentorum. Est autem duplex res sacramenti: una significata, et contenta, scilicet gratia, quae statim cum sacramento confertur; alia significata, et non contenta, scilicet gloria resurrectionis, quae in fine expectatur. Primo ergo agit de donis gratiarum; secundo de gloria resurrectionis, *15. cap.* ibi, *Notum autem vobis facio.* Circa primum primo agit de gratiis gratis datis; secundo praefert omnibus his caritatem, quae pertinet ad gratiam gratum facientem, *13. cap.* ibi, *Si linguis hominum loquar, et angelorum;* tertio comparat gratias datas ad invicem, *14. cap.* ibi, *Sectamini caritatem.* Circa primum duo facit. Primo prooemialiter exponit quid intendat, dicens: Dixi, quod cetera quae pertinent ad usum sacramentorum, cum venero, disponam; sed quaedam statim vobis tradere oportet; et hoc est quod dicit: *De spiritualibus autem*, idest de donis gratiarum, quae sunt a Spiritu sancto, o *fratres*, *nolo vos ignorare.* Est enim maximum genus ingratitudinis ignorare beneficia accepta, ut Seneca dicit *in Lib. de Beneficiis;* et ideo ut homo non sit Deo ingratus, non debet spirituales gratias ignorare: *Supra 2. 12. Spiritum accepimus qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis: Isa. 5. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, scilicet spiritualium. Secundo ibi, *Scitis quoniam cum Gentes esse tis etc.* prosequitur suam intentionem: et primo ostendit spiritualium necessitatem: secundo ponit gratiarum distributionem, ibi, *Divisiones vero gratiarum sunt.* Necessitas autem alicuius rei maxime cognoscitur ex defectu ipsius. Unde circa primum duo facit. Primo ponit defectum quem patiebantur ante susceptam gratiam; secundo concludit gratiae necessitatem, ibi, *Ideo notum vobis facio.* Dicit ergo primo: *Scitis*, quasi experti, *quoniam cum Gentes essetis*, idest gentiliter viventes, nondum suscepta gratia per baptismum: *Galat. 2. 15. Nos enim natura Iudaei, non ex Gentibus peccatores: Ephes. 4. 17. Gentes ambulant in vanitate sensus sui:* eratis *euntes*, quasi prompta mente, et assidue, secundum illud *Hierem. 8. 6. Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in praelium: Proverb. 1. 16. Pedes eorum ad malum currunt: ad simulacra muta*, scilicet adoranda, et colenda, secundum illud *Psalm. 113. 5. Os habent, et non loquentur.* Et ponit specialiter in eis defectum locutionis, quia locutio est proprius effectus cognitionis: unde ostenditur non intelligere simulacra, et per consequens nihil divinitatis habere, si sunt muta. Et hoc, *prout ducebamini*, idest sine aliqua resistentia. Ducebantur autem vel allecti ex pulchritudine simulacrorum: unde dicitur *in Epistola Hieremiae: Videbitis in Babilonia deos aureos, et argentos... Videte ne metus vos capiat in ipsis.* Aut etiam ex imperio alicuius Principis, sicut legitur *Dan. 3.* quod Nabuchodonosor cogebat homines adorare statuam auream: et *2. Machab. 6.* dicitur de quibusdam, quod ducebantur cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia. Vel etiam instinctu daemonum, qui ad hoc praecipue anhelant ut divinus cultus eis exhibeatur, secundum illud *Matth. 4. 9. Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Ibant ergo ad idola colenda prout ducebantur, idest sine aliqua resistentia, sicut de iuvene etiam vecorde dicitur *Proverb. 7. 22. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* Per hoc ergo apparet quod homo ante susceptam gratiam prompte currit in peccatum sine resistentia. Specialiter autem facit mentionem de peccato idolatriae propter tria. Primo quidem quia hoc est peccatum gravissimum, introducere alium Deum; sicut gravissime peccaret contra Regem qui alium Regem in regnum eius introduceret. Unde dicitur *Iob 31. 26. Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare, et osculatus sum manum meam*, scilicet quasi cultor solis, et lunae, *quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Secundo quia a peccato idolatriae omnia alia peccata oriebantur, secundum illud *Sap. 14. 27. Nefandorum idolorum cultura omnis mali causa est.* Tertio quia hoc peccatum apud Gentiles commune erat, et non reputabatur. Unde *in Psalm. 95. 5.* dicitur: *Omnes dii gentium daemonia.*

Est autem considerandum, quod quidam dixerunt hominem in peccato mortali existentem, sine gratia quidem non posse a peccato cui subiacet, liberari: quia remissio peccatorum non fit nisi per gratiam, secundum illud *Rom. 3. 24. Iustificati per gratiam eius;* posse autem se praeservare a peccato mortali sine gratia per liberum arbitrium. Sed haec positio non videtur vera. Primo quidem quia non potest aliquis se a peccato mortali praeservare, nisi omnia legis praecepta servando; cum nullus mortaliter peccet, nisi transgrediendo aliquod legis praeceptum; et ita posset aliquis observare omnia legis praecepta sine gratia, quod est haeresis Pelagiana. Secundo quia caritatem, per quam Deus diligitur super omnia, nullus potest habere sine gratia, secundum illud *Rom. 5. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non potest autem esse quod homo omnia peccata declinet, nisi Deum super omnia diligat; sicut illud magis contemnitur quod minus diligitur. Poterit ergo esse per aliquod tempus quod ille qui caret gratia, a peccato abstinebit, quousque occurrat illud propter quod Dei praeceptum contemnet, a quo ducitur ad peccandum. Signanter autem Apostolus dicit, *Prout ducebamini.*

Deinde cum dicit, *Ideo notum vobis facio etc.* concludit duos effectus gratiae: quorum primus est quod facit abstinere a peccato; secundus est quod facit operari bonum; et hoc ponit ibi, *Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Dicit ergo primo: Ex quo quando sine gratia eratis, prompte ad peccandum currebatis, *ideo notum vobis facio*, quod si gratiam habuissetis, hoc vobis non contigisset: *nemo enim in Spiritu Dei*, idest per Spiritum Dei, *loquens dicit, Anathema Iesu*, idest blasphemiam contra Iesum, secundum illud *1. Ioan. 4. 3. Omnis spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Notandum quod supra posuit gravissimum peccatum, quod est blasphemia, quod per gratiam declinatur, ut de aliis minoribus peccatis intelligatur. Potest autem per hoc quod dicitur, *Anathema Iesu*, intelligi quodlibet peccatum mortale. Anathema enim separationem significat: dicitur enim ab ana, quod est sursum, et thesis, quod est positio, quasi sursum positum: quia olim res quae ab usu hominum separabantur, suspendebantur in templis, vel in locis publicis. Omne autem peccatum mortale separat a Iesu, secundum illud *Isa. 59.*

*2. Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Quicumque ergo mortaliter peccat, dicit corde, vel ore, *Anathema*, idest separationem a Iesu. *Nemo* ergo *in Spiritu Dei loquens dicit, Anathema Iesu:* quia nullus per Spiritum Dei peccat mortaliter: quia, ut dicitur *Sap. 1. 5. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.*

Sed secundum hoc videtur quod quicumque habet Spiritum sanctum, non possit peccare mortaliter: quia, etiam dicitur *1. Ioan. 3. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

Sed dicendum est, quod quantum est ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, sed magis a peccato retrahitur; potest tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanae, quae Spiritui sancto resistit, secundum illud illud *Act. 7. 51. Vos autem semper Spiritui sancto restitistis.* Non enim per Spiritum sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi a libero arbitrio totaliter in vita praesenti; et ideo signanter Apostolus non dixit, Nemo Spiritum Dei habens; sed, *Nemo in Spiritu Dei loquens.*

Deinde cum dicit, *Et nemo potest dicere, Dominus Iesus etc.* ponit secundum effectum gratiae, scilicet quod sine ea homo non potest bonum operari. Dicit ergo: *Et nemo potest dicere*, quod *Iesus* est *Dominus, nisi in Spiritu sancto.*

Contra quod videtur esse, quia per Spiritum sanctum homo introducitur in regnum caelorum, secundum illud *Psal. 142. 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Dominus autem dicit *Matth. 7. 21. Non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.* Non omnis ergo qui dicit Dominum Iesum, dicit hoc in Spiritu sancto.

Dicendum est autem, quod dicere aliquid in Spiritu sancto potest intelligi dupliciter. Uno modo in Spiritu sancto movente, sed non habito. Movet enim Spiritus sanctus corda aliquorum ad loquendum quos non inhabitat; sicut legitur *Ioan. 11.* quod Caiphas hoc quod de utilitate mortis Christi praedixerat, a semetipso non dixit, sed per spiritum prophetiae: Balaam etiam multa vera praedixit motus a Spiritu sancto, ut legitur *Num. 23.* et *24.* licet eum non haberet. Secundum hoc ergo intelligendum est, quod nullus potest dicere quodcumque verum, nisi a Spiritu sancto motus, qui est Spiritus veritatis, de quo dicitur *Ioan. 16. 13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Unde et in Glossa Ambrosius hoc in loco dicit: *Omne verum, a quocumque dicatur, a Spiritu sancto est.* Et specialiter in illis quae sunt fidei, quae per specialem revelationem Spiritus sancti sunt habita, inter quae est quod Iesus sit omnium Dominus: unde *Act. 2. 36.* dicitur: *Certissime sciat omnis domus Israel, quia Deus fecit hunc Dominum Iesum, quem vos crucifixistis.* Alio modo loquitur aliquis in Spiritu sancto movente, et habito; et secundum hoc etiam potest verificari quod hic dicitur, ita tamen quod *dicere* accipiatur non solum ore, sed etiam corde, et opere. Dicitur enim aliquid corde, secundum illud *Psalm. 13. 1. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Dicit etiam aliquid opere, inquantum exteriori opere aliquis suum conceptum manifestat. *Nemo* ergo nisi habendo Spiritum sanctum *potest dicere Iesum Dominum*; ita scilicet quod non solum hoc ore confiteatur, sed etiam corde revereatur ipsum ut Dominum, et opere obediat ipsi quasi Domino. Sic igitur ex verbis praemissis tria circa gratiam considerare possumus. Primo quod sine ea peccatum homo vitare non potest, secundum illud *Psalm. 93. 17. Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus in inferno habitasset anima mea.* Secundo quod per eam vitatur peccatum, secundum illud *1. Ioan. 3. 9. Qui natus es ex Deo, non peccat.* Tertio quod sine ea non potest homo bonum facere, secundum illud *Ioan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.*

Deinde cum dicit, *Divisiones vero gratiarum sunt*, incipit distinguere gratias gratis datas: et primo distinguit eas in generali; secundo manifestat in speciali, ibi, *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* In his autem quae per gratiam Spiritus sancti conferuntur, tria oportet considerare. Primo quidem facultatem hominum ad operandum; secundo auctoritatem; tertio executionem utriusque. Facultas quidem habetur per donum gratiae, puta per prophetiam, vel potestatem faciendi miracula, aut per aliquid huiusmodi. Auctoritas autem habetur per aliquod ministerium, puta per Apostolatum, vel aliquid huiusmodi. Executio autem pertinet ad operationem. Primo ergo distinguit gratias; secundo ministeria; tertio operationes. Quantum ergo ad primum, ostendit necessitatem gratiae; quae tamen non totaliter advenit omnibus, nisi Christo, cui datus est Spiritus non ad mensuram, ut dicitur *Ioan. 3.* sed quantum ad alios sunt divisiones gratiarum: quia quidam abundant in una, quidam in alia. Sicut enim in corpore naturali caput habet omnes sensus, non autem alia membra; ita in Ecclesia solus Christus habet omnes gratias quae in aliis membris dividuntur, quod significatur *Gen. 2.* ubi dicitur, quod fluvius, scilicet gratiarum, egrediebatur ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita: et *Matth. 25.* dicitur, quod uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum. Et quamvis dona gratiarum sint diversa, quae a diversis habentur, non tamen procedunt a diversis auctoribus, sicut ponebant Gentiles, qui sapientiam attribuebant Minervae, locutionem Mercurio, et sic de aliis. Ad quod excludendum subdit: *Idem autem Spiritus*, scilicet sanctus, qui est auctor omnium gratiarum: *Ephes. 4. 4. Unum corpus, et unus Spiritus:* et *Sapient. 7. 22. Et spiritus unus et multiplex:* unus in substantia, multiplex in gratiis. Deinde ponit distinctiones ministrationum, dicens: *Et divisiones ministrationum sunt*, idest diversa ministeria, et officia requiruntur ad gubernationem Ecclesiae. Praelati enim Ecclesiae ministri dicuntur: *sup. 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Pertinet autem ad decorem, et perfectionem Ecclesiae ut in ea diversa ministeria sint, quae significantur per ordines ministrantium: quod mirabatur regina Saba in domo Salomonis, ut legitur *3. Reg. 10.* Omnes tamen uni Domino serviunt: unde subditur: *Idem autem Dominus. Supra 8. 6. Nobis unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Deinde ponit distinctionem operationum, dicens: *Et divisiones operationum sunt*, quibus aliquis in seipso bonum operatur, sicut per ministrationes ad proximum: *Psal. 103. 23. Exibit homo ad*

*opus suum*, scilicet sibi proprium : *Eccli. 33. 11. Immutavit*, idest distinxit, *vias*, idest operationes, *eorum :* quae tamen omnes procedunt ab uno principio : unde subdit : *Idem vero Deus, qui operatur omnia*, sicut prima causa creans omnes operationes. Ne tamen aliae causae videantur esse superfluae, subdit, *In omnibus*, quia in causis secundariis prima causa operatur : *Isa. 26. 12. Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Et notandum, quod Apostolus valde congrue gratias attribuit Spiritui, qui est amor, quia ex amore procedit quod aliquid gratis detur ministris a domino cui ministratur; operationes Deo sicut primae causae moventi. Et quod dicit, *Spiritus*, potest referri ad personam Spiritus sancti ; quod dicit, *Dominus*, ad personam Filii ; quod dicit, *Deus*, ad personam Patris. Vel haec tria possunt attribui Spiritui sancto, qui est Dominus Deus.

## LECTIO II.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae ; alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum; alteri vero fides in eodem Spiritu ; alii gratia sanitatum in uno Spiritu ; alii operatio virtutum ; alii prophetia ; alii discretio spirituum ; alii genera linguarum ; alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Posita in generali distinctione gratiarum, et ministrationum, et operationum ; hic manifestat ea quae dixerat, in speciali : et primo quantum ad divisionem gratiarum ; secundo quantum ad divisionem ministrationum, ibi, *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit distinctionem gratiarum in speciali ; secundo adhibet similitudinem, ibi, *Sicut enim corpus unum est, et multa habet membra.* Circa primum tria facit. Primo ponit conditionem gratiarum gratis datarum ; secundo ponit earum distinctionem, ibi, *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiae etc.* tertio describit earum auctorem, ibi, *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Dicit ergo primo : Dictum est, quod sunt divisiones gratiarum, *Unicuique autem datur*, in quo designatur earum subiectum : sicut enim nullum membrum est in corpore quod non participet aliquo modo sensum, vel motum a capite, ita nullus est in Ecclesia qui non aliquid de gratiis Spiritus sancti participet, secundum illud *Matth. 25. 15. Dedit unicuique secundum propriam virtutem :* et *Ephes. 4. 7. Unicuique nostrum data est gratia: Manifestatio Spiritus*, in quo designatur officium gratiae gratis datae. Pertinet autem ad gratiam gratum facientem, quod per eam Spiritus sanctus inhabitet ; quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, sed solum ut per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Unde *Ioan. 3. 8.* dicitur: *Vocem eius audis :* et *in Psal. 97. 2.* dicitur : *Notum fecit Dominus salutare suum.* Manifestatur autem per huiusmodi gratias Spiritus sanctus dupliciter. Uno modo ut inhabitans Ecclesiam, et docens, et sanctificans eam; puta cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus sanctus, facit miracula ad ostendendum quod fides Ecclesiae, quam ipse praedicat, sit vera : unde dicitur *Hebr. 2. 4. Contestante Deo signis, et variis Spiritus sancti distributionibus.* Alio modo manifestatur per huiusmodi gratias Spiritus sanctus ut inhabitans eum cui tales gratiae conceduntur : unde dicitur *Act. 6.* quod Stephanus plenus gratia faciebat prodigia, et signa multa, quem Spiritu sancto plenum elegerunt. Sic autem non conceduntur huiusmodi gratiae nisi sanctis. Et ne huiusmodi manifestatio vana videatur, subdit, *Ad utilitatem*, scilicet communem, in quo designatur finis harum: et hoc vel dum probatur vera doctrina Ecclesiae, et sic fideles confirmantur, et infideles convertuntur ; vel dum sanctitas alicuius proponitur aliis in exemplum : unde et *infra 14. 12. Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis:* et *supra 10. 33. Non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant.*

Deinde cum dicit, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae*, ponit distinctionem gratiarum; quae quidem, ut dictum est, dantur ad utilitatem communem. Et ideo oportet earum distinctionem accipere, secundum quod per unum potest aliorum salus procurari. Quod quidem homo non potest facere interius operando, hoc enim solius Dei est, sed solum exterius persuadendo. Ad quod quidem tria requiruntur. Primo quidem facultas persuadendi; secundo facultas persuasionem confirmandi; tertio persuasionem intelligibiliter proponendi. Ad facultatem autem persuadendi requiritur quod homo habeat peritiam conclusionum, et certitudinem principiorum circa ea in quibus debemus persuadere. Conclusiones autem in his quae pertinent ad salutem, quaedam sunt principales, scilicet res divinae ; et ad hoc pertinet sapientia, quae est cognitio divinarum rerum, ut Augustinus dicit *Lib. 13. de Trinit. cap. 1.* et quantum ad hoc dicitur : *Alii quidem per Spiritum*, scilicet sanctum, *datur sermo sapientiae*, ut possit persuadere ea quae ad cognitionem divinorum pertinent : *Luc. 21. 15. Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri : Supra 2. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos.* Secundariae conclusiones sunt quae pertinent ad notitiam creaturarum, quarum cognitio dicitur scientia, secundum Augustinum ibidem: et quantum ad hoc subdit : *Alii autem*, scilicet datur, *sermo scientiae, secundum eumdem Spiritum*, ut scilicet per creaturas ea quae sunt Dei manifestare possit. Huic enim scientiae attribuitur illud quo pia fides defenditur, et roboratur ; non autem quidquid curiositatis in humanis scientiis invenitur, ut Augustinus ibidem dicit : *Sap. 10. 10. Dedit illi scientiam sanctorum : Isa. 33. 6. Divitiae salutis, sapientia, et scientia.* Est tamen notandum, quod sapientia, et scientia inter septem dona Spiritus sancti computantur, sicut habetur *Isa. 11.* unde Apostolus signanter inter gratias gratis datas non ponit sapientiam, et scientiam, sed sermonem sapientiae, et scientiae, quae pertinent ad hoc ut homo aliis persuadere valeat per sermonem ea quae sunt sapientiae, et scientiae. Principia autem doctrinae salutis sunt articuli fidei ; et ideo quantum ad hoc subditur : *Alteri*, scilicet datur, *fides in eo-*

*dem Spiritu.* Non autem hic accipitur pro fidei virtute, quia hoc commune est omnibus membris Christi, secundum illud *Hebr. 11. 6. Sine fide impossibile est placere Deo;* sed accipitur pro sermone fidei, prout scilicet homo potest recte proponere ea quae fidei sunt; vel pro certitudine fidei, quam aliquis habet excelienter, secundum illud *Matth. 15. 28. Mulier, magna est fides tua.* Ea vero quae pertinent ad salutarem doctrinam, non possunt confirmari, seu probari ratione, quia rationem humanam excedunt, secundum illud *Eccl. 3. 25. Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi;* confirmantur autem, seu probantur signo divino: unde et Moyses mittendus ad populum Israel, signum accepit a Deo, per quod confirmaret ea quae ex parte Dei dicebat, ut patet *Exod. 4.* sicut et signo regio confirmatur quod aliquid sit de mandato Regis. Signum autem Dei sumitur uno quidem modo ab eo quod solus Deus facere potest; sicut sunt miracula, quae Apostolus hic in duo distinguit; nam primo dicit: *Alii*, scilicet datur, *gratia sanitatum*, idest per quam alicuius possit sanare infirmitatem, *in uno*, scilicet et eodem, *Spiritu: Hier. 17. 14. Sana me Domine, et sanabor.* Ex his enim persuadetur aliquis, non solum propter magnitudinem facti, sed etiam propter beneficium. Secundo autem dicit: *Alii* datur *operatio virtutum*, ex quibus aliquis persuadetur solum propter magnitudinem facti; puta, cum mare dividitur, ut legitur *Exod. 14.* vel quod sol, et luna stetit in caelo, sicut legitur *Iosue 10. Gal. 3. 5. Quis tribuit nobis spiritum, et operatur virtutes in nobis?* Alio autem modo accipitur signum divinum ab eo quod solus Deus cognoscere potest. Hoc autem est vel futurum contingens, secundum illud *Isa. 41. 23. Annuntiate quae ventura sunt, et sciemus quia dii estis vos:* et quantum ad hoc dicit: *Alii*, scilicet datur, *prophetia*, quae est divina revelatio rerum eventus immobili veritate denuntians: *Ioel. 2. 28. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri.* Aliud autem est cognitio humani cordis, secundum illud *Hierem. 17. 9. Pravum est cor hominis, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, et probans renes:* et quantum ad hoc subdit: *Alii discretio spirituum*, ut scilicet homo discernere possit quo spiritu aliquis moveatur ad loquendum, vel operandum; puta, utrum spiritu caritatis, vel spiritu invidiae: *1. Ioan. 4. 1. Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Facultas autem persuasionem pronuntiandi consistit in hoc quod homo possit loqui intelligibiliter aliis: quod quidem impeditur dupliciter. Uno modo per diversitatem idiomatum; contra quod remedium adhibetur per hoc quod dicit, *Alii*, scilicet dantur *genera linguarum*, ut scilicet possit loqui diversis linguis, ut intelligatur ab omnibus; sicut de Apostolis legitur *Act. 2.* quod loquebantur variis linguis. Alio modo per obscuritatem Scripturae inducendae; contra quod remedium datur per id quod subditur: *Alii interpretatio sermonum*, idest difficilium Scripturarum: *Dan. 5. 16. Audivi de te quod possis obscura interpretari: Gen. 40. 8. Numquid non Dei est interpretatio?*

Deinde cum dicit, *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*, determinat auctorem praedictarum gratiarum: circa quod tres errores excludit. Primo quidem Gentilium attribuentium diversa dona diversis diis; contra quod dicit: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus: Eph. 4. 4. Unum corpus, et unus spiritus.* Secundo errorem eorum qui Deo attribuebant solum universalem providentiam rerum, ponentes quod distinctiones particularium fiunt solum per causas secundas; contra quod subditur: *Dividens singulis prout vult: Eccli. 33. 11. In multitudine disciplinae Dominus separavit eos.* Tertio excludit errorem eorum qui diversitatem gratiarum attribuebant vel fato, vel humano merito, et non solum voluntati divinae; sicut Macedoniani, qui dicebant Spiritum sanctum esse ministrum Patris, et Filii: et hoc excludit per hoc quod subdit, *Prout vult: Ioan. 3. 8. Spiritus ubi vult spirat.*

## LECTIO III.

Sicut enim unum corpus est, membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore; non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarii. Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem solicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid om-

nes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Posita distinctione gratiarum; hic manifestat eam per similitudinem corporis naturalis: et primo ponit similitudinem in generali; secundo explicat eam in speciali, ibi, *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.* Circa primum duo facit. Primo ponitur similitudo: secundo similitudinis adaptatio, ibi, *Ita et Christus.* Circa primum considerandum est, quod sicut dicitur *in 5. Metaphys.* tripliciter dicitur aliquid unum per se. Uno modo indivisibilitate, ut unitas, et punctum: secundum quem modum unitas excludit totaliter multitudinem, non solum actualem, sed etiam potentialem. Alio modo dicitur unum continuitate, ut linea, et superficies: quae quidem unitas excludit multitudinem actualem, sed non potentialem. Tertio modo integritate; quae non excludit multitudinem neque potentialem, neque actualem; sicut domus est una, quae constituitur ex diversis lapidibus, et lignis; et eodem modo corpus hominis, aut cuiuslibet animalis est unum, quia eius perfectio integratur ex diversis membris, sicut ex diversis animae instrumentis: unde et anima dicitur esse actus corporis organici, idest ex diversis organis constituti. Proponit ergo primo Apostolus quod unitas corporis membrorum multitudinem non excludit, dicens, quod *sicut corpus unum est, et multa membra habet:* unde et *Rom. 12. 4.* dicitur: *In uno corpore multa membra habemus.* Item proponit quod multitudo membrorum non tollit corporis unitatem: unde subdit: *Omnia autem membra corporis, cum sint multa,* nihilominus *unum corpus sunt,* quod ex omnibus perficitur. Unde et *Iob 10. 11.* dicitur: *Pelle, et carne vestisti me, ossibus, et nervis compegisti me.*

Deinde cum dicit, *Ita et Christus*, ponitur adaptatio similitudinis: et primo adaptat similitudinem, dicens: *Ita et Christus*, scilicet est unus, secundum illud *supra 8. 6. Unus Dominus noster Iesus, per quem omnia:* et tamen multa, et diversa habet membra, scilicet omnes fideles, secundum illud *Rom. 12. 5. Multi unum corpus sumus in Christo.* Secundo ponitur ratio adaptationis: ubi ponitur duplex ratio distinctionis. Una quidem ratio unitatis est Spiritus sanctus, secundum illud *Ephes. 4. 4. Unum corpus, et unus spiritus.* Sed per virtutem Spiritus sancti duplex beneficium consequimur. Primo quidem quia per ipsum regeneramur, secundum illud *Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto:* unde dicit: *Etenim in uno Spiritu*, scilicet per virtutem unius Spiritus sancti, *omnes nos*, qui sumus membra Christi, *sumus baptizati in unum corpus*, idest in unitatem Ecclesiae, quae est corpus Christi, secundum illud *Ephes. 1. 22. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius: Gal. 3. 27. Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Secundo per Spiritum sanctum reficimur ad salutem: unde subdit: *Et omnes potati sumus in uno Spiritu*, idest per virtutem unius Spiritus sancti. Potest autem hic potus intelligi dupliciter. Uno modo de interno refrigerio, quod Spiritus sanctus cordi humano praebet, extinguendo sitim carnalium desideriorum, et concupiscentiarum: unde *Eccli. 15. 3. Aqua salutaris sapientiae potavit eum: Ioan. 7. 38. Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Alio modo potest intelligi de potu sacramentali, qui per Spiritum sacratur: *Supra 10. 4. Omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Interponitur autem duplex ratio diversitatis. Una ex parte ritus, cum dicit: *Sive Iudaei, sive Gentiles:* alia ex parte conditionis, cum dicit: *Sive servi, sive liberi.* Nulla enim huiusmodi diversitas impedit unitatem corporis Christi: Unde *Galat. 3. 28.* dicitur: *Non est Iudaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber: unum enim estis in Christo Iesu.*

Deinde cum dicit, *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa*, explicat similitudinem in speciali: et primo describit conditionem corporis naturalis, et membrorum ipsius; secundo adaptat ad corpus mysticum Christi, ibi, *Vos autem estis corpus Christi.* Circa primum duo facit. Primo describit integritatem corporis naturalis; secundo habitudinem membrorum ad invicem, ibi, *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo.* Circa primum tria facit. Primo proponit quod intendit; secundo manifestat exemplificando, ibi, *Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore*; tertio probat ducendo ad inconveniens, ibi, *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Dicit ergo primo: Dictum est, quod omnes nos in unum corpus mysticum baptizati sumus: quod repraesentat similitudo corporis naturalis: *nam corpus*, naturale hominis, *non est unum membrum, sed multa:* quia scilicet eius perfectio non salvatur in uno membro, sed integratur ex multis, quae necesse habent deservire diversis potentiis, et actibus animae. Unde et *Rom. 12. 4.* dicitur: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo.*

Deinde cum dicit, *Si dixerit pes etc.* manifestat quod dixerat exemplificando in membris quibusdam: et primo membris deservientibus motui: et ponit duo membra: pedem tamquam ignobilius membrum, eo quod calcat terram, et portat totius corporis pondus; manum autem tamquam membrum nobilius, eo quod ipsa est organum organorum: et hoc est quod dicit: *Si dixerit pes, Non sum de corpore*, quoniam non sum manus, *non ideo non est de corpore*; quasi dicat: Perfectio corporis non tota consistit in uno membro, quamvis nobiliori; sed ad eius perfectionem requiruntur etiam ignobiliora. Per membra autem deservientia motui designantur in Ecclesia homines deditи vitae activae, ita quod pedes sunt subditi, de quibus dicitur *Ezech. 1. 7. Pedes eorum pedes recti:* per manus autem figurantur praelati, per quos alii disponuntur: unde et *Cant. 5. 14.* dicitur: *Manus illius tornatiles, aureae, plenae hiacynthis.* Sunt autem in Ecclesia necessariae non solum manus, idest praelati, sed etiam pedes, idest subditi: unde *Prov. 14. 28.* dicitur: *In multitudine populi dignitas Regis.* Secundo exemplificat de membris servientibus virtuti apprehensivae; et ponit oculum, qui deservit visui, et aurem, quae deservit auditui: nam isti duo sensus praecipue deserviunt humanae sapientiae: visus quidem quantum ad inventionem, eo quod plures re-

rum differentias ostendit ; auditus autem quantum ad disciplinam , quae fit per sermonem. Horum tamen sensuum dignior est visus quam auditus : quia et spiritualior est , et plura demonstrat , ac per hoc oculus est dignior aure. Dicit ergo : *Et si dixerit auris*, quae est ignobilius membrum , *Non sum de corpore, quia non sum oculus* , qui est membrum nobilius , *non ideo non est de corpore.* Per membra ergo deservientia virtuti apprehensivae designantur in Ecclesia illi qui student vitae contemplativae: inter quos sunt sicut oculi , doctores , qui per seipsos veritatem inspiciunt : unde dicitur *Cant. 5. 12. Oculi eius sicut columbae super rivos aquarum , quae resident iuxta fluenta plenissima.* Per aures autem significantur discipuli, qui a magistris veritatem audiendo recipiunt: unde et Dominus *Matth. 13. 9.* dicit: *Qui habet aures audiendi , audiat.* Sunt enim in Ecclesia necessarii non solum doctores , sed etiam discipuli : unde et *Iob 29. 11.* dicitur : *Auris audiens beatificavit me.*

Deinde cum dicit, *Si totum corpus oculus, ubi auditus ?* probat ducendo ad inconveniens duplex : quorum primum est subtractio necessariorum a corpore; secundum est remotio integritatis corporis , ibi, *Quod si essent omnia unum membrum , ubi corpus ?* Circa primum duo facit. Primo ponit inconveniens quod sequitur , dicens : *Si totum corpus* esset *oculus* , quod est membrum nobilius , *ubi esset auditus ?* idest instrumentum audiendi ; quasi dicat, Si in Ecclesia essent omnes magistri. Unde dicitur *Iac. 3. 1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei.* Et iterum *si totum corpus esset auditus* , idest instrumentum audiendi , *ubi* esset *odoratus ?* per quem possunt in Ecclesia intelligi illi qui etsi non sint capaces verborum sapientiae , percipiunt tamen quaedam eius indicia a remotis , quasi odorem : unde et *Cant. 1. 3.* dicitur : *In odorem unguentorum tuorum currimus.* Secundo asserit contrariam veritatem, scilicet quod nec visus, nec auditus corpori debent deesse , dicens : *Nunc autem Deus posuit*, idest ordinate disposuit , *membra diversa.* Nam etsi membrorum distinctio sit opus naturae, hoc tamen agit natura ut instrumentum divinae providentiae. Et ideo primam causam dispositionis membrorum assignans , subdit : *Unumquodque eorum in corpore ;* quasi dicat : Non sic posuit membra diversa ut unumquodque eorum secundum se separatim existeret , sed ut omnia convenirent in uno corpore ; et *sicut voluit :* nam prima causa institutionis rerum est voluntas divina, secundum illud *Psal. 113. 3. Omnia quaecumque voluit fecit.* Sic autem et in Ecclesia disposuit diversa officia , et diversos status , secundum suam voluntatem : unde et *Ephes. 1. 11.* dicitur : *Praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.*

Deinde cum dicit , *Quod si essent omnia unum membrum , ubi corpus ?* ducit ad aliud inconveniens , quod est defectus integritatis corporis. Unde primo ponit hoc inconveniens , dicens : *Quod si essent omnia unum membrum , ubi esset corpus ?* idest ubi esset integritas corporalis ? quasi dicat , non esset. Ita si omnes in Ecclesia unius conditionis , et gradus essent, tolleretur perfectio, et decor Ecclesiae, quae *in Psal. 44. 14.* describitur circumamicta varietate. Secundo asserit veritatem contrariam, dicens: *Nunc autem multa quidem sunt membra, sed unum corpus,* quod ex omnibus integratur. Sic Ecclesia ex diversis ordinibus constituitur: unde et *Cant. 6. 3.* describitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Deinde cum dicit , *Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo*, ponit comparationem membrorum ad invicem : et primo quantum ad necessitatem ; secundo quantum ad cultum membris adhibitum, ibi, *Et quae putamus ignobiliora membra esse corporis , his honorem abundantiorem circumdamus ;* tertio quantum ad mutuam solicitudinem , ibi , *Sed in idipsum pro invicem solicita sint membra.* Circa primum duo facit. Primo proponit omnia membra corporis esse necessaria , quamvis quaedam sint ignobiliora; secundo ponit necessitatis comparationem, ibi, *Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse necessariora sunt.* Ostendit autem primo rationem necessitatis membrorum secundum duplicem differentiam. Primo quidem secundum differentiam membrorum deservientium motui : unde dicit: *Non potest autem oculus,* qui deservit cognitioni, et significat contemplativos , *dicere manui* , quae deservit motui , et significat activos : *Opera tua non indigeo :* indigent enim contemplativi per opera activorum sustentari : unde et *Luc. 10.* dicitur, quod cum Maria secus pedes Domini sederet audiens verba eius , Martha satagebat circa frequens ministerium. Secundo ostendit idem secundum differentiam praelatorum , qui significantur per caput , et subditorum , qui significantur per pedes : et hoc est quod subdit : *Aut iterum caput,* idest praelatus, secundum illud *1. Reg. 15. 17. Caput in tribubus Israel factus es* , non potest dicere *pedibus* , idest subditis: *Non estis mihi necessarii:* quia , ut dicitur *Prov. 14. 28. in multitudine populi dignitas Regis.*

Deinde cum dicit , *Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt,* comparat diversa membra ad invicem , quoad necessitatem eorum , dicens , quod *membra corporis, quae videntur esse infirmiora , sunt magis necessaria* , sicut intestina. Ita etiam in Ecclesia sine officio aliquarum abiectarum personarum , puta agricultorum , et aliorum huiusmodi , praesens vita transiri non posset ; quae tamen posset duci sine aliquibus excellentioribus personis contemplationi , et sapientiae deputatis, quae Ecclesiae deserviunt, ad hoc quod sit ornatior, et melius se habens. Ex hoc enim aliquid dicitur necessarium , quod est utile ad finem. Illa vero quae sunt nobilissima , non se habent in ratione utilium , sed sunt per se ipsa appetenda ut fines : et ideo dicitur *Iob 31. 39. Si fructus terrae comedi absque pecunia, et animam agricolarum eius afflixi.*

Deinde cum dicit , *Et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his abundantiorem honorem circumdamus,* comparat membra quantum ad exteriorem cultum : et primo ponit diversitatem quae diversis membris adhibetur; secundo causam diversitatis assignat , ibi, *Deus temperavit corpus ei cui deerat.* Cultus autem exterior membris adhibitus ad duo pertinet, scilicet ad honorem, sicut ea quae apponuntur ad ornatum , ut monilia , et inaures ; et ad honestatem , sicut quae apponuntur ad tegumentum , ut brachae , et alia huiusmodi. Quantum ergo ad primum cultum

dicit primo: *Et quae putamus esse ignobiliora membra corporis, his circumdamus abundantiorem honorem*, idest maiorem ornatum; sicut auribus alicubi suspenduntur inaures, oculis autem nihil apponitur; et pedibus apponuntur calceamenta depicta, et gemmata, secundum illud *Cant. 7 1. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis;* manus autem nudae habentur. Et similiter in Ecclesia imperfectioribus sunt magis consolationes adhibendae, quibus perfectiores non egent. Unde dicitur *Isa. 40. 11. In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit:* et *1. Petr. 3. 7.* dicitur: *Viri quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* Secundo prosequitur quantum ad cultum honestatis, dicens: *Et quae inhonesta sunt, abundantiorem honestatem habent,* idest per studium humanum. Dicuntur autem membra aliqua inhonesta in sanctis non propter aliquam peccati turpitudinem, sed propter inobedientiam membrorum genitalium subsecutam ex peccato originali: vel etiam quia sunt ignobili usui deputata, sicut omnia membra quae deserviunt emissioni superfluitatum, quibus abundantior honestas adhibetur, dum studiosius teguntur, quo non indigent membra nobilibus usibus deputata: unde subdit: *Honesta autem nostra nullius egent*, scilicet exterioris honestatis: unde nec faciei velamen apponitur. Et similiter in Ecclesia illi qui sunt in aliquo culpabiles, sunt admonendi, et custodiendi, secundum illud *Eccli. 42. 11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam:* et *Gal. 6. 1.* dicitur: *Si praeoccupatus quis fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Illi autem qui sunt absque culpa, his non egent.

Et est notandum, quod triplicem defectum circa membra notavit, scilicet inhonestatis, ignobilitatis, et infirmitatis: quorum primum in membris Ecclesiae pertinet ad culpam; secundum ad conditionem servilem; tertium ad statum imperfectionis.

Deinde cum dicit, *Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat*, ponit causam praedicti cultus: et primo assignat causam efficientem primam: licet enim homines taliter se habeant ad cultum membrorum, hoc tamen procedit ex ordinatione divina: unde dicit: *Sed Deus temperavit corpus, abundantiorem honorem tribuendo ei* membro *cui deerat:* nam homines hoc faciunt ex quodam divino instinctu, secundum illud *Iob 33. 16. Aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Secundo ponit causam finalem, dicens: *Ut non sit schisma in corpore:* quod quidem sequeretur, si defectui membrorum non subveniretur. Hoc autem schisma, quantum ad membra corporis mystici, manifeste vitatur, dum pax Ecclesiae custoditur per hoc quod singulis ea quae sunt necessaria attribuuntur: unde et supra dictum est *cap. 1. 10. Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Sed quantum ad membra corporis naturalis schisma esset in corpore, si debita proportio membrorum tolleretur.

Deinde cum dicit, *Sed in idipsum pro invicem solicita sint membra,* ponit comparationem membrorum ad invicem quantum ad mutuam solicitudinem: et primo proponit eam, dicens: Non solum praedicta membra operantur ad invicem, *sed* etiam *pro* se *invicem sunt solicita in idipsum*, idest in unitatem corporis conservandi. Et hoc quidem manifeste in corpore naturali apparet: nam quodlibet membrum naturalem quamdam inclinationem habet ad iuvamentum aliorum membrorum: unde et naturaliter homo opponit manum ad protegendum alia membra ab actibus. Et similiter fideles, qui sunt membra corporis mystici, pro se invicem solicitudinem gerunt, secundum illud *Eccl. 17. 12. Unicuique mandavit Deus de proximo suo:* et *Galat. 6. 2. Alter alterius onera portate.* Secundo specificat hanc solicitudinem: et primo in malis, in quibus magis est manifestum: unde dicit: *Et si quod*, scilicet mali, *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quod quidem manifestum est in corpore naturali: nam uno membro languente, totum corpus quasi languescit, et ad locum languoris confluunt spiritus, et humores quasi ad subveniendum. Et similiter debet esse in fidelibus Christi, ut unus malum alterius compatiatur, secundum illud *Iob 30. 25. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et anima mea compatiebatur.* Secundo in bonis: unde subdit: *Sive gloriatur*, idest quocumque modo vigoratur, *unum membrum, congaudent omnia membra.* Quod etiam manifestum est in corpore naturali, in quo vigor unius membri in iuvamentum cedit aliis membris. Sic debet etiam esse in membris Ecclesiae, ut unusquisque bonis alterius congaudeat: *Phil. 2. 17. Gaudeo, et congratulor omnibus vobis: Rom. 12. 15. Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.*

Deinde cum dicit, *Vos autem estis corpus Christi*, adaptat similitudinem ad propositionem: et primo quantum ad corporis unitatem, dicens: *Vos autem,* scilicet qui estis in unitate fidei congregati, *estis corpus Christi*, secundum illud *Ephes. 1. 22. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius.* Secundo quantum ad membrorum distinctionem, cum subdit: *Et estis membra de membro:* quod potest intelligi tripliciter. Uno modo sic. *Estis membra* dependentia *de* Christo *membro;* qui quidem dicitur membrum secundum humanitatem, secundum quam praecipue dicitur Ecclesiae caput: nam secundum divinitatem non habet rationem membri, aut partis, cum sit commune bonum totius universi. Alio modo sic. *Vos estis membra* dependentia *de membro*, inquantum per me Christo acquisiti estis, secundum illud *supra 4. 15. In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* Tertio modo posset exponi, ut designaretur distinctio, et series membrorum, ut sit sensus: *Vos estis membra de membro*, idest ita distinguimini, et ordinamini ad invicem, sicut unum membrum ad aliud.

Deinde cum dicit, *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia*, prosequitur de distinctione ministrationum: circa quod tria facit. Primo assignat ordinem ministrationum; secundo manifestat earum distinctionem, ibi, *Numquid omnes Apostoli?* tertio ordinat eorum affectionem circa diversas administrationes, et gratias, ibi, *Æmulamini autem charismata meliora.* Circa primum duo facit. Primo ponit maiores, seu principales administrationes; secundo ministrationes secundarias, ibi, *Opitulationes etc.* Maiores autem ministri in Ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent: quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum, quae proprie pertinet ad officium apostolatus; secundo facultas docendi; tertio

potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinae: et de his tribus habetur *Luc. 9. 1.* ubi dicitur: *Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent, et misit illos praedicare regnum Dei.* In omnibus autem potestatibus, seu virtutibus ordinatis, illud quod est principalius reservatur supremae potestati; alia vero etiam inferioribus communicantur. Potestas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam sicut ad finem, secundum illud *Marc. ult. 20. Sermonem confirmante sequentibus signis.* Doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi sicut ad finem, secundum illud *Hierem. 3. 15. Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina.* Et ideo primus gradus inter ecclesiastica ministeria est Apostolorum, quibus specialiter competit Ecclesiae regimen: et propter hoc dicit: *Et Deus posuit*, idest ordinate collocavit in Ecclesia, *quosdam*, scilicet in determinatis ministeriis, secundum illud *Ioan. 15. 16. Posui vos ut eatis: primum quidem Apostolos*, quorum regimini commisit Ecclesiam, secundum illud *Luc. 22. 29. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Unde et *Apoc. 21.* super duodecim fundamenta civitatis describuntur duodecim Apostolorum nomina: propter quod et ipsi inter ceteros fideles primatum in spiritualibus gratiis obtinuerunt, secundum illud *Rom. 8. 23. Nos ipsi primitias Spiritus habentes.* Et quamvis ad Apostolos praecipue pertineat doctrinae officium, quibus dictum est *Matth. ult. 19. Euntes docete omnes gentes*; tamen alii in communionem huius officii assumuntur: quorum quidam per seipsos revelationes a Deo accipiunt, qui dicuntur Prophetae; quidam vero de his quae sunt aliis revelata, populum instruunt, qui dicuntur Doctores. Unde subdit, *Secundo Prophetas*, qui etiam in novo testamento fuerunt: quod enim dicitur *Matth. 11. 13. Lex, et Prophetae usque ad Ioannem*, intelligitur de Prophetis qui futurum Christi adventum praenuntiaverunt: *tertio Doctores*: unde et *Act. 13. 1.* dicitur: *Erant in Ecclesia quae erat Antiochiae, Prophetae, et Doctores.* Similiter etiam et gratia miraculorum fuit aliis communicata, quae primitus a Christo data fuit Apostolis: unde subdit, *Deinde virtutes*, qui scilicet miracula faciunt circa ipsa elementa mundi: *Galat. 3. 5. Operatur virtutes in nobis.* Quantum autem ad miracula quae fiunt in corporibus humanis, subdit: *Exinde gratias curationum*, secundum illud *Luc. 9. 1. Ut languores curarent.*

Deinde cum dicit, *Opitulationes etc.* ponit minores, sive secundarias administrationes: quarum quaedam ordinantur ad regimen Ecclesiae, quod ad apostolatus dignitatem pertinere diximus; quaedam vero ad doctrinam. Ad regimen Ecclesiae pertinent in generali quaedam *opitulationes*, idest illi qui opem ferunt maioribus praelatis in universali regimine, sicut archidiaconi Episcopis, secundum illud *Philip. 4. 3. Adiuva illas quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adiutoribus meis.* In speciali autem ponit *gubernationes*, sicut sunt parochiales sacerdotes, quibus committitur gubernatio aliquarum particularium plebium: *Prov. 11. 14. Ubi non est gubernator, corruet populus.* Ad doctrinam autem pertinet secundario quod subdit, *Linguarum genera*, quantum ad illos qui variis linguis loquuntur magnalia, ut dicitur *Act. 2.* ne scilicet propter varietatem idiomatum evangelica doctrina impediatur. Quantum vero ad amovendum impedimentum doctrinae, quod posset provenire ex obscuritate sermonum, subdit, *Interpretationes sermonum: Infra 14. 13. Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.*

Deinde cum dicit, *Numquid omnes Apostoli?* manifestat distinctionem praedictarum ministrationum, dicens: *Numquid omnes* in Ecclesia sunt *Apostoli?* quasi dicat, non. *Numquid omnes Prophetae etc.* Ex quo patet diversitas harum administrationum: *Eccli. 32. 11. In multitudine disciplinae Dominus separavit eos*: et *37. 31. Non omnia omnibus expediunt.*

Deinde cum dicit, *Æmulamini autem charismata meliora*, ordinat eorum affectum circa praedicta spiritualia dona, dicens: Cum multa sint dona Spiritus sancti, ut dictum est, *aemulamini*, idest desiderate, *charismata meliora*, idest gratias potiores, ut scilicet magis desideretis ea quae sunt meliora, puta prophetiam, quam donum linguarum, ut *infra 13.* dicetur: *1. ad Thess. ult. 21. Omnia probate: quod bonum est tenete.* Et ne in praemissis donis eorum affectus quiesceret, subdit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, scilicet caritatem, qua directius in Deum itur: *Psalm. 118. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri: Isa. 30. 32. Haec est via, ambulate in ea.*

## CAPITIS DECIMITERTII

### LECTIO PRIMA

Si linguis hominum loquar, et angelorum, caritatem autem non habeam; factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero; nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero; nihil mihi prodest.

Apostolus gratiarum gratis datarum distinctionem assignavit, et ministrationum in quibus membra Ecclesiae distinguuntur; hic agit de caritate quae inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem. Et quia promiserat eis se demonstraturum viam excellentiorem, ostendit praeeminentiam caritatis ad cetera gratuita dona: et primo quantum ad necessitatem, quia scilicet sine caritate alia dona gratuita non sufficiunt; secundo quantum ad utilitatem, quia scilicet per caritatem omnia mala vitantur, et omnia bona aguntur, ibi, *Caritas patiens est etc.* tertio quantum ad permanentiam, ibi, *Caritas numquam excidit.* Omnia autem dona gratuita reducere videtur Apostolus ad tria. Nam primo ostendit quod donum linguarum, quod pertinet ad locutionem, sine caritate non valet; secundo quod etiam non valent ea quae pertinent ad cognitionem, ibi, *Et si habuero prophetiam*; tertio ostendit idem de his quae pertinent ad operationem,

ibi, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Erat autem apud Corinthios multum desiderabile donum linguarum, ut *infra 14.* patebit; et ideo ab eo incipiens, dicit: Promisi me demonstraturum excellentiorem viam; et hoc primo patet in dono linguarum: quia *si linguis hominum*, scilicet omnium, *loquar*, idest si habuero donum gratiae, per quod loqui possim linguis omnium hominum; et ad maiorem abundantiam, subdit, *et angelorum, caritatem autem non habeam; factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.* Recta comparatione utitur. Anima enim per caritatem vivit, quae vivit Deo, qui est animae vita, secundum illud *Deut. 30. 20. Ipse est vita tua.* Unde et *1. Ioan. 3. 14.* dicitur: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Recte ergo comparat loquelam caritate carentem sono rei mortuae, scilicet aeris, aut cymbali, qui licet clarum sonum reddat, non tamen est vivus, sed mortuus; ita etiam locutio hominis caritate carentis, quantumcumque sit diserta, tamen habetur pro mortua, quia non proficit ad meritum vitae aeternae. Est autem differentia inter aes sonans, et cymbalum tinniens: quia aes cum sit planum, ex percussione simplicem sonum emittit; cymbalum autem cum sit concavum, ex una percussione sonum multiplicat, quod pertinet ad tinnitum. Æri ergo comparantur qui veritatem simpliciter pronuntiant; cymbalo vero qui veritatem multipliciter pronuntiant, multas rationes, et similitudines apponendo, et conclusiones plurimas eliciendo; quae tamen omnia sine caritate habentur ut mortua. Considerandum est autem, quae linguae angelorum dicantur. Nam cum lingua sit membrum corporeum, ad eius usum pertineat donum linguarum, quod interdum lingua dicitur, ut patebit *infra 14.* neutrum videtur angelis competere, qui membra non habent. Potest ergo dici, quod per angelos intelliguntur homines angelorum officium habentes, qui scilicet aliis hominibus divina annuntiant, secundum illud *Malach. 2. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Sub hoc ergo sensu dicitur: *Si linguis hominum loquar, et angelorum*, idest non solum minorum, sed etiam maiorum, qui alios docent. Potest etiam intelligi de ipsis incorporeis angelis, prout *in Psalm. 103. 4.* dicitur: *Qui facit angelos suos spiritus.* Et quamvis non habeant linguam corpoream, per similitudinem tamen lingua in eis dici potest vis qua manifestant aliis quod habent in mente. Est autem sciendum, quod in cognitione mentis angelicae aliquid est de quo superiores angeli non loquuntur inferioribus, neque e converso, scilicet ipsa divina essentia, quam omnes immediate vident, Deo se omnibus monstrante, secundum illud *Hierem. 31. 34. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum eorum:* aliquid autem est in cognitione mentis angelicae de quo superiores loquuntur inferioribus, sed non e converso; et huiusmodi sunt divinae providentiae mysteria, quorum plura cognoscunt in ipso Deo superiores, qui clarius eum vident quam inferiores: unde superiores de huiusmodi inferiores instruunt, vel illuminant; quod locutio potest dici: aliquid vero est in cognitione mentis angelicae de quo superiores loquuntur inferioribus, et e converso; et huiusmodi sunt occulta cordium, quae ex libero arbitrio dependent, quae soli Deo patent, et his quorum sunt, secundum illud *supra 2. 11. Quae sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis, qui in ipso est:* quae in notitiam alterius deveniunt, eo cuius sunt, manifestante, sive sit inferior, sive superior. Fit autem huiusmodi manifestatio, dum inferior angelus superiori loquitur, non per illuminationem, sed per quemdam significationis modum. Est enim in quolibet angelo aliquid quod naturaliter ab altero angelo cognoscitur. Dum ergo id quod est naturaliter notum, proponitur ut signum eius quod est ignotum, manifestatur occultum; et talis manifestatio dicitur locutio, ad similitudinem hominum qui occulta cordium manifestant aliis per voces sensibiles, aut per quodcumque aliud corporale exterius apparens. Unde et ea quae sunt in angelis naturaliter nota, inquantum assumuntur ad manifestationem occultorum, dicuntur signa, vel nutus. Potestas autem manifestandi conceptum suum hoc modo, metaphorice lingua nominatur.

Deinde cum dicit, *Et si habuero prophetiam*, ostendit idem de his quae pertinent ad cognitionem. Est autem attendendum, quod supra proposuit quatuor dona gratuita ad cognitionem pertinentia, scilicet sapientiam, scientiam, fidem, et prophetiam. Incipit ergo hic a prophetia, dicens: *Et si habuero prophetiam*, per quam divinitus occulta revelantur, secundum illud *2. Petr. 1. 21. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Secundo quantum ad sapientiam subdit: *Et noverim omnia mysteria*, idest occulta divinitatis, quod pertinet ad sapientiam, secundum illud *supra 2. 7. Loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam.* Tertio quantum ad scientiam dicit, *Et omnem scientiam*, sive humanitus acquisitam, sicut habuerunt Philosophi; sive divinitus infusam, sicut habuerunt eam Apostoli: *Sap. 7. 17. Dedit mihi eorum quae sunt veram scientiam.* Quarto quantum ad fidem subdit: *Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam.* Potest autem exponi id quod dicit, *Omnem fidem*, idest omnium articulorum, sed melius est ut exponatur, *Omnem*, idest perfectam fidem, propter illud quod subditur, *Ita ut montes transferam:* dicitur enim *Matth. 17. 19. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, et transibit.* Et quamvis granum sinapis sit minimum quantitate, non tamen intelligitur parva, sed perfecta fides grano sinapis comparari. Dicitur enim *Matth. 21. 21. Si habueritis fidem, et non haesitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed etiam si monti huic dixeritis, Tolle, et iacta te in mari, fiet.* Fides ergo quae non haesitat, grano sinapis comparatur, quod quanto magis atteritur, tanto magis eius fortitudo sentitur.

Obiiciunt autem aliqui, quod cum multi sancti perfectam fidem habuerunt, nullus legitur montes transtulisse.

Quod quidem solvitur per id quod *supra 12. 7.* dictum est: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Illo enim modo, loco, et tempore miracula per gratiam Spiritus sancti fiunt quo Ecclesiae requirit

utilitas. Fecerunt autem sancti multa maiora quam translationem montium, prout erat fidelibus utile; puta suscitando mortuos, dividendo mare, et alia huiusmodi opera faciendo : et hoc etiam fecissent, si necessitas adfuisset. Potest etiam hoc transferri ad expulsionem daemonum de humanis corporibus, qui montes dicuntur propter superbiam : *Hier. 13. 16. Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos :* et *51. 25. Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram.*

Attribuitur autem operatio miraculorum fidei non haesitanti, quia fides innititur omnipotentiae, per quam miracula fiunt. *Si*, inquam, *habuero* omnia praedicta ad perfectionem intellectus pertinentia, *caritatem autem non habuero*, per quam perficitur voluntas, *nihil sum*, scilicet secundum esse gratiae, de quo dicitur *Ephes. 2. 10. Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Unde et contra quemdam dicitur *Ezech. 28. 19. Nihil factus es, et non eris in perpetuum.* Quod quidem fit propter defectum caritatis, per quam homo bene utitur intellectu perfecto. Sine caritate autem eius usus bonus non est. Unde et *supra 8.* dicitur quod scientia inflat, caritas autem aedificat. Est autem notandum, quod Apostolus hic loquitur de sapientia et scientia, secundum quod pertinent ad dona gratiae gratis datae, quae sine caritate esse possunt : nam secundum quod computantur inter septem dona Spiritus sancti, numquam sine caritate habentur. Unde et *Sap. 1. 4.* dicitur : *In malevolam animam non intrabit sapientia :* et *ibid. 10. 10.* dicitur : *Dedit illi scientiam sanctorum.* De prophetia autem, et fide manifestum est quod sine caritate haberi possunt.

Sed notandum est hic, quod fides firma, etiam sine caritate, miracula facit. Unde *Matth. 7. 22.* dicentibus : *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et multas virtutes fecimus?* dicitur : *Numquam novi vos.* Spiritus enim sanctus operatur virtutes etiam per malos, sicut et per eos loquitur veritatem.

Deinde cum dicit, *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, ostendit idem in his quae pertinent ad opera, quae consistunt in hoc quod homo faciat bona, secundum illud *Galat. 6. 9. Bonum facientes, non deficiamus;* et in hoc quod patienter sustineat mala, secundum illud *Psal. 91. 15. Bene patientes erunt, ut annuntient.* Inter cetera vero bona opera magis commendantur opera pietatis, secundum illud *1. ad Timoth. 4. 18. Pietas ad omnia utilis est.* Circa quod opus quatuor conditiones designat : quarum prima est quod opus pietatis non totum congregetur in unum, sed dividatur in plures, secundum illud *Psalm. 102. 9. Dispersit, dedit pauperibus :* et hoc designatur cum dicitur, *Si distribuero.* Secundo ut opus pietatis fiat ad subveniendum necessitati, non ad serviendum superfluitati, secundum illud *Isa. 58. 7. Frange esurienti panem tuum :* et hoc designatur cum dicitur, *In cibos.* Tertio ut opus pietatis exhibeatur indigentibus, secundum illud *Luc. 14. 13. Cum facis convivium, voca pauperes :* et hoc designatur cum dicitur, *Pauperum.* Quarto ad perfectionem pertinet ut homo omnia bona sua in opera pietatis expendat, secundum illud *Matth. 19. 21. Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus :* et hoc designatur cum dicitur, *Omnes facultates meas.* Inter mala vero quae quis sustinet patienter, potissimum est martyrium : unde dicitur *Matth. 5. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Quod etiam quadrupliciter commendat. Primo quidem quia laudabilius est quod necessitate imminente, puta propter defensionem fidei, seipsum offerat passioni, quam si deprehensus patiatur : et ideo dicit, *Si tradidero :* sicut et de Christo dicitur *Ephes. 5. 2. Tradidit semetipsum pro nobis.* Secundo quia gravior est corporis humani iactura quam rerum, de quo tamen quidam commendantur : *Hebr. 10. 34. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis.* Et ideo dicit, *Corpus : Isa. 50. 6. Dedi corpus meum percutientibus.* Tertio laudabilius est quod aliquis exponat corpus suum supplicio, quam corpus filii, vel cuiuscumque propinqui, de quo tamen commendatur quaedam mulier *2. Machab. 7. 20. Supra modum videtur mirabilis, et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat.* Et ideo dicit *Meum: Iudic. 5. 9. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini pro Domino.* Quarto redditur martyrium laudabilius ex acerbitate poenae, de quo subditur, *Ita ut ardeam*, sicut Laurentius : *Eccli. 50. 9. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.* Si, inquam, praedicta opera tam excellentia fecero, *caritatem autem non habuero*, vel quia simul cum praedictis operibus adest voluntas peccandi mortaliter, vel quia fiunt propter inanem gloriam ; *nihil mihi prodest*, scilicet quantum ad meritum vitae aeternae, quae solis diligentibus Deum promittitur, secundum illud *Iob 56. 33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit.* Et notandum, quod locutionem, quae est vox animalis, si sit sine caritate, comparat non existenti ; opera autem quae fiunt propter fidem, si sint sine caritate, dicit esse infructuosa : *Sap. 3. 11. Vacua est spes eorum, et labores sine fructu.*

## LECTIO II.

Caritas patiens est, benigna est ; caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Postquam Apostolus ostendit caritatem esse adeo necessariam, quod sine ea nullum spirituale donum sufficiat ad salutem ; hic ostendit eam adeo esse utilem, et efficacis virtutis quod per eam cuncta opera virtutis implentur : et primo praemittit duo quasi generalia ; secundo subiungit in speciali virtutum opera quae per caritatem complentur, ibi, *Caritas non aemulatur etc.* Circa primum duo facit. Nam omnis virtus consistit in hoc quod aliqui in operando bene se habeant in sustinendo mala, vel in operando bona. Quantum ergo ad tolerantiam malorum dicit : *Caritas patiens est*, idest facit patienter tolerari mala. Cum enim homo diligit aliquem, propter eius amorem de facili tolerat quaecumque difficilia ; et similiter qui

diligit Deum, propter eius amorem patienter tolerat quaecumque adversa. Unde et *Cantic. 8. 7.* dicitur: *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam: Iac. 1. 5. Patientia opus perfectum habet.* Quantum autem ad operationem bonorum subdit, *Benigna est.* Benignitas autem dicitur quasi bona igneitas, ut scilicet sicut ignis liquefaciendo effluere facit, ita caritas hoc efficit ut bona quae homo habet, non sibi soli retineat, sed ad alios derivet, secundum illud *Prov. 5. 16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide:* quod quidem caritas facit: unde *1. Ioan. 3. 17.* dicitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo?* Unde et *Ephes. 4. 32.* dicitur: *Estote invicem benigni, et misericordes:* et *Sap. 1. 6.* dicitur: *Benignus est spiritus sapientiae.*

Deinde cum dicit, *Caritas non aemulatur etc.* proponit in speciali virtutum opera quae caritas efficit. Et quia ad virtutem duo pertinent, scilicet abstinere a malo, et facere bonum, secundum illud *Psalm. 33. 15. Declina a malo, et fac bonum:* et *Isa. 1. 16. Quiescite agere perverse, discite bene facere:* primo ostendit quomodo caritas facit omnia mala vitare; secundo quomodo facit omnia bona efficere, ibi, *Congaudet autem veritati.* Malum autem efficaciter non potest homo Deo facere, sed solum sibi, et proximo, secundum illud *Iob 35. 6. Si peccaveris quid ei nocebis?* et postea subditur *vers. 8. Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua.* Primo ergo ostendit quomodo per caritatem vitantur mala quae sunt contra proximum; secundo quomodo vitantur mala quibus aliquis deordinatur in seipso, ibi, *Non inflatur etc.* Malum autem quod est contra proximum, potest esse in affectu, et in effectu: in affectu autem praecipue est, cum per invidiam quis dolet de bonis proximi; quod directe contrariatur caritati, ad quam pertinet quod homo diligat proximum suum sicut seipsum, ut habetur *Levit. 19.* Et ideo ad caritatem pertinet ut sicut homo gaudet de bonis propriis, ita gaudeat de bonis proximi. Ex quo sequitur quod caritas excludat invidiam: et hoc est quod dicit: *Caritas non aemulatur*, idest non invidet, quia scilicet facit cavere invidiam. Unde et *in Psalm. 36. 1.* dicitur: *Noli aemulari in malignantibus:* et *Prov. 23. 17. Non aemuletur cor tuum peccatores.* Quantum ad effectum subdit: *Non agit perperam*, idest perverse contra aliquem. Nullus enim iniuste agit contra illum quem diligit sicut seipsum: *Isa. 1. 16. Quiescite agere perverse.*

Deinde cum dicit, *Non inflatur etc.* ostendit quomodo caritas facit vitare mala quibus aliquis deordinatur in seipso: et primo quantum ad passiones; secundo quantum ad electionem, ibi, *Non cogitat malum.* Ostendit ergo primo quod caritas repellit inordinatam passionem quantum ad tria. Primo quidem quantum ad superbiam, quae est inordinatus appetitus propriae excellentiae. Tunc autem inordinate suam excellentiam quis appetit, quando non sufficit ei contineri in eo gradu qui sibi est a Deo praestitus. Et ideo dicitur *Eccli. 10. 14. Initium superbiae hominis apostatare a Deo:* quod quidem fit dum homo non vult contineri sub regula ordinationis divinae; et hoc repugnat caritati, qua quis super omnia Deum diligit: *Colos. 2. 18. Inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, et coniunctiones subministratum, et constructum, crescit in augmentum Dei.* Recte autem superbia inflationi comparatur: nam id quod inflatur, non habet solidam magnitudinem, sed apparentem: ita superbi videntur quidem esse sibi magni, cum tamen vera magnitudine careant, quae non potest esse absque ordine divino: *Sap. 4. 19. Disrumpet illos inflatos sine voce.* Est autem principalis superbiae filia, ambitio, per quam aliquis quaerit praeesse; quam etiam caritas excludit, quae potius proximis eligit ministrare, secundum illud *Galat. 5. 13. Per caritatem spiritus servite invicem.* Et ideo subdit: *Non est ambitiosa*, idest facit hominem ambitionem vitare: *Eccli. 7. 4. Noli quaerere ab homine ducatum, neque a Rege cathedram honoris.* Secundo ostendit quomodo caritas excludit inordinationem cupiditatis, cum dicit: *Non quaerit quae sua sunt;* ut intelligatur cum praecisione, idest neglectis bonis aliorum: nam qui diligit alios sicut seipsum, bona aliorum quaerit, sicut et suipsius. Unde et *supra 10. 33.* Apostolus dixit: *Non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant:* contra quod de quibusdam dicitur *Philip. 2. 21. Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi.* Potest et aliter intelligi. *Non quaerit quae sua sunt*, idest non repetit ea quae sunt sibi ablata, scilicet in iudicio cum scandalo: quia magis amat salutem proximi quam pecuniam, secundum illud *Philip. ult. 17. Non quaero datum, sed requiro fructum abundantem in iustitia vestra.* Quod tamen qualiter intelligendum sit, *supra 6.* dictum est. Tertio ostendit quomodo caritas excludat inordinationem irae, dicens: *Non irritatur*, idest non provocatur ad iram: est enim ira inordinatus appetitus vindictae. Ad caritatem autem pertinet magis remittere offensas quam supra modum, aut inordinate vindicari, secundum illud *Colos. 3. 13. Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: Iac. 1. 20. Ira viri iustitiam Dei non operatur.*

Deinde cum dicit, *Non cogitat malum*, ostendit quomodo per caritatem excluditur inordinatio electionis. Est autem electio, ut dicitur *in 3. Ethic. cap. 5.* appetitus praeconsiliati. Tunc ergo homo peccat ex electione, et non ex passione, quando ex consilio rationis affectus eius provocatur ad malum. Caritas ergo primo quidem excludit perversitatem consilii: et ideo dicit: *Non cogitat malum*, idest non permittit excogitare quomodo aliquis perficiat malum: *Mich. 2. 1. Vae qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris: Isa. 1. 16. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Vel *caritas non cogitat malum*, quia non permittit hominem per varias suspiciones, et temeraria iudicia cogitare malum de proximo: *Matth. 9. 4. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Secundo caritas excludit inordinatum affectum malorum, cum dicit: *Non gaudet super iniquitate.* Ille enim qui ex passione peccat, cum quodam remorsu, et dolore peccatum committit; sed ille qui peccat ex electione, gaudet ex hoc ipso quod peccatum committit, secundum illud *Prov. 2. 14. Qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pes-*

*simis.* Hoc autem caritas impedit, inquantum est amor summi boni, cui repugnat omne peccatum. Vel dicit, quod caritas *non gaudet super iniquitate*, scilicet a proximo commissa; quinimmo de ea luget, inquantum contrariatur proximorum saluti, quam cupit: *2. Corinth. 12. 21. Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt.*

Deinde cum dicit, *Congaudet autem veritati*, ostendit quomodo caritas facit operari bonum: et primo quantum ad proximum; secundo quantum ad Deum, ibi, *Omnia credit.* Quantum ad proximum autem homo operatur bonum dupliciter. Primo quidem gaudendo de bonis eius; et quantum ad hoc dicit: *Congaudet autem veritati*, scilicet proximi, vel vitae, vel doctrinae, vel iustitiae, ex eo quod proximum diligit sicut seipsum: *3. Ioan. 3. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut in caritate ambulas.* Secundo in hoc quod homo mala proximi sustinet prout decet; et quantum ad hoc dicit: *Omnia suffert*, idest absque turbatione sustinet omnes defectus proximorum, vel quaecumque adversa: *Rom. 15. 1. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere: Galat. 6. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, scilicet caritatem. Deinde cum dicit, *Omnia credit*, ostendit quomodo caritas faciat operari bonum in comparatione ad Deum: quod quidem fit praecipue per virtutes theologicas, quae habent Deum pro obiecto. Sunt autem praeter caritatem duae virtutes theologicae, ut infra dicetur, scilicet fides, et spes. Quantum ergo ad fidem dicit: *Omnia credit*, scilicet quae divinitus traduntur: *Gen. 15. 6. Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.* Credere vero omnia quae ab homine dicuntur, est levitatis, secundum illud *Eccli. 19. 4. Qui cito credit, levis est corde.* Quantum autem ad spem dicit: *Omnia sperat*, quae scilicet promittuntur a Deo: *Eccli. 2. 9. Qui timetis Deum, sperate in eum.* Et ne spes frangatur per dilationem, subdit: *Omnia sustinet*, idest patienter expectat quae promittuntur a Deo, quamvis dilata, secundum illud *Habac. 2. 3. Si moram fecerit, expecta eum: Psal. 26. 14. Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

## LECTIO III.

**Caritas numquam excidit; sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.**

Postquam Apostolus ostendit quod caritas excellit alia dona Spiritus sancti necessitate, et fructuositate; hic ostendit excellentiam caritatis ad alia dona quantum ad permanentiam: et circa hoc tria facit. Primo proponit differentiam caritatis ad alia dona Spiritus sancti quantum ad permanentiam; secundo probat quod dixerat, ibi, *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus;* tertio infert conclusionem intentam, ibi, *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* Circa primum duo facit. Primo proponit permanentiam caritatis; secundo cessationem aliorum donorum, ibi, *Sive prophetiae evacuabuntur.* Dicit ergo primo: *Caritas numquam excidit:* quod quidam male intelligentes in errorem ceciderunt, dicentes quod caritas semel habita numquam potest amitti; cui videtur consonare quod dicitur *1. Ioan. 3. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Sed huius dicti primo quidem sententia falsa est: potest enim aliquis caritatem habens, a caritate excidere per peccatum, secundum illud *Apocal. 2. 4. Caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age poenitentiam.* Et hoc ideo est, quia caritas recipitur in anima hominis secundum modum ipsius, ut scilicet possit ea uti, vel non uti. Dum vero ea utitur homo, peccare non potest, quia usus caritatis est dilectio Dei super omnia: et ideo nihil restat propter quod homo Deum offendat; et per hunc modum intelligitur verbum Ioannis inductum. Secundo praedicta sententia non est secundum intentionem Apostoli: quia non loquitur hic de cessatione donorum spiritualium per peccatum mortale, sed potius de cessatione donorum spiritualium, quae pertinent ad hanc vitam, per gloriam supervenientem: unde sensus Apostoli est: *Caritas numquam excidit*, quia scilicet sicut est in statu viae, ita permanebit in statu patriae, et cum augmento, secundum illud *Isa. 31. 9. Dixit Dominus cuius ignis est in Sion*, scilicet in Ecclesia militante, *et caminus eius in Hierusalem*, idest in pace caelestis patriae.

Deinde cum dicit, *Sive prophetiae evacuabuntur*, proponit cessationem aliorum donorum spiritualium, et specialiter eorum quae praecipua videntur. Primo quantum ad prophetiam dicit: *Sive prophetiae evacuabuntur*, idest cessabunt, quia scilicet in futura gloria prophetia locum non habebit propter duo. Primo quidem quia prophetia respicit futurum; status autem ille non expectabit aliquid in futurum, sed erit finale complementum omnium eorum quae ante fuerant prophetata. Unde *in Psalm. 47. 9.* dicitur: *Sicut audivimus*, scilicet per Prophetas, *ita et vidimus*, praesentialiter, *in civitate Domini virtutum.* Secundo quia prophetia est cum cognitione figurali, et aenigmatica, quae cessabit in patria: unde dicitur *Num. 12. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum:* et *Osee 12. 10. In manibus Prophetarum assimilatus sum.* Secundo quantum ad donum linguarum dicit: *Sive linguae cessabunt.* Quod quidem non est intelligendum quantum ad ipsa membra corporea, quae linguae dicuntur, ut dicitur *infra 15. 52. Mortui resurgent incorrupti*, idest absque diminutione membrorum; neque etiam intelligendum est quantum ad usum linguae corporeae: est enim futura in patria laus vocalis, secundum illud *Ps. 149. 6. Exaltationes Dei in gutture eorum*, ut Glossa ibidem exponit. Est ergo intelligendum quantum ad donum linguarum, quo scilicet aliqui in primitiva Ecclesia linguis variis loquebantur, ut dicitur *Act. 1.* in futura enim gloria quilibet quamlibet linguam intelliget: unde non erit ne-

cessarium variis linguis loqui. Nam etiam a primordio generis humani, ut dicitur *Gen. 11.* unus erat sermo, et unum labium omnibus ; quod multo magis erit in ultimo statu , in quo erit unitas consummata. Tertio quantum ad scientiam subdit: *Sive scientia destruetur.*

Ex quo quidam accipere voluerunt , quod scientia acquisita totaliter perditur cum corpore. Ad cuius veritatis inquisitionem considerare oportet , quod duplex est vis cognitiva, scilicet vis sensitiva, et vis intellectiva : inter quas est differentia, quia vis sensitiva est actus organi corporalis, et ideo necesse est quod desinat corpore corrupto ; vis autem intellectiva non est actus organi corporei , ut probatur *in 3. de Anima* , et ideo necesse est quod maneat corpore corrupto. Si ergo aliquid scientiae acquisitae conservetur in parte animae intellectivae , necesse est quod id permaneat post mortem. Quidam ergo posuerunt quod species intelligibiles non conservantur in intellectu possibili nisi quamdiu intelligit. Conservantur autem species phantasmatum in potentiis animae sensitivae, puta in memorativa , et imaginativa , ita scilicet quod semper intellectus possibilis quando de novo vult intelligere etiam quae prius intellexit , indigeat abstrahere a phantasmatibus per lumen intellectus agentis ; et secundum hoc consequens est quod scientia hic acquisita non remaneat post mortem. Sed haec propositio est primo quidem contra rationem. Manifestum est enim quod species intelligibiles in intellectu possibili recipiuntur ad minus dum actu intelligit. Quod autem recipitur in aliquo , est in eo per modum recipientis. Cum ergo substantia intellectus possibilis sit immutabilis , et fixa, consequens est quod species intelligibiles remaneant in eo immobiliter. Secundo est contra auctoritatem Aristotelis *in 3. de Anima*, qui dicit , quod cum intellectus possibilis est sciens unumquodque , tunc etiam est intelligens in potentia. Et sic patet quod habet species intelligibiles , per quas dicitur sciens , et tamen adhuc est in potentia ad intelligendum in actu : et ita species intelligibiles sunt in intellectu possibili etiam quando non intelligit actu. Unde etiam ibidem Philosophus dicit, quod anima intellectiva est locus specierum , quia scilicet in ea conservantur species intelligibiles. Indiget tamen in hac vita convertere se ad phantasmata, ad hoc quod actu intelligat , non solum ut abstrahat species a phantasmatibus , sed etiam ut species habitas phantasmatibus applicet : cuius signum est quod laeso organo virtutis imaginativae, vel etiam memorativae, non solum impeditur homo ab acquisitione novae scientiae , sed etiam ab usu scientiae prius habitae. Sic ergo remanet scientia in anima post corporis mortem quantum ad species intelligibiles, non autem quantum ad inspectionem phantasmatum ; quibus anima separata non indigebit , habens esse, et operationem absque corporis communione. Et secundum hoc Apostolus hic dicit , quod scientia destruetur , scilicet secundum conversionem ad phantasmata. Unde et *Isa. 29. 14.* dicitur : *Peribit sapientia a sapientibus , et intellectus prudentium eius abscondetur.*

Deinde cum dicit , *Ex parte enim cognoscimus* , probat quod dixerat : et primo inducit probationem ; secundo manifestat ea quae in probatione continentur, ibi , *Cum essem parvulus , loquebar ut parvulus etc.*

Inducit ergo primo ad probandum propositum talem rationem. Adveniente perfecto cessat imperfectum. Sed dona alia praeter caritatem habent imperfectionem. Ergo cessabunt superveniente perfectione gloriae. Primo ergo proponit minorem propositionem quoad imperfectionem scientiae , cum dicit : *Ex parte enim cognoscimus* , idest imperfecte : nam pars habet rationem imperfecti. Et hoc praecipue verificatur quantum ad cognitionem Dei , secundum illud *Iob 36. 26. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram :* et *36. 14. Ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius.* Proponit etiam inperfectionem prophetiae , cum subdit: *Et ex parte* , idest imperfecte , *prophetamus:* est enim prophetia cognitio cum imperfectione, ut dictum est. Tacet autem de dono linguarum , quod est imperfectius his duobus , ut *infra 14.* patebit. Secundo ponit maiorem , dicens : *Cum autem venerit quod perfectum est* , idest perfectio gloriae, *evacuabitur quod ex parte est* , idest omnis imperfectio tolletur : de qua perfectione dicitur *1. Pet. ult. 10. Modicum passos ipse perficiet.* Sed secundum hoc videtur quod etiam caritas evacuetur per futuram gloriam, quia ipsa est imperfecta in statu viae per comparationem ad statum patriae.

Dicendum ergo , quod imperfectio dupliciter se habet ad id quod dicitur imperfectum. Quandoque enim est de ratione eius , quandoque vero non , sed accidit ei; sicut imperfectio est de ratione pueri, non autem de ratione hominis ; et ideo adveniente perfecta aetate, cessat quidem pueritia, sed humanitas fit perfecta. Imperfectio est ergo de ratione scientiae, prout hic de Deo habetur , inquantum scilicet cognoscitur ex sensibilibus; et similiter de ratione prophetiae, inquantum est cognitio figuralis, et in futurum tendens: non est autem de ratione caritatis , ad quam cognitum bonum diligere pertinet ; et ideo superveniente perfectione gloriae cessat prophetia , et scientia; caritas autem non cessat, sed magis perficitur: quia quanto perfectius cognoscetur Deus, tanto etiam perfectius amabitur.

Deinde cum dicit , *Cum essem parvulus etc.* manifestat ea quae praemissa sunt : et primo manifestat maiorem , scilicet quod veniente perfecto , cessat imperfectum ; secundo manifestat minorem, scilicet quod scientia , et prophetia sint imperfecta , ibi , *Videmus nunc per speculum in aenigmate.* Ostendit autem primum per similitudinem perfecti , et imperfecti , quod invenitur in aetate corporali : unde et primo describit imperfectum aetatis corporalis , dicens : *Cum essem parvulus* , scilicet aetate, *loquebar ut parvulus*, idest prout congruit parvulo, scilicet balbutiendo: unde propter naturalem defectum locutionis qui est in parvulis , commendatur sapientia *Sap. 10.* quod linguas infantium facit disertas: et ut parvulus loquitur qui vana loquitur : *Psal. 11. 3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Quantum vero ad iudicium subdit: *Sapiebam ut parvulus*, idest adprobabam, vel reprobabam aliqua stulte, ut faciunt parvuli, qui quandoque pretiosa contemnunt , et vilia appetunt , ut dicitur *Prov. 1. 22. Usquequo parvuli diligitis infantiam , et stulti ea quae sunt sibi noxia cupient?* Sapiunt ergo ut parvuli qui spiritualibus contemptis, terrenis inhaerent ; de quibus dicitur *Phil. 3. 19. Glo-*

*ria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Quantum autem ad rationis discursum dicit: *Cogitabam ut parvulus*, idest aliqua vana: unde et *in Psalm. 18. 11.* dicitur: *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.* Et videtur Apostolus ordine praepostero haec tria ponere: nam locutio praeexigit iudicium sapientiae, iudicium vero praesupponit cogitationes rationis. Et hoc satis congruit imperfectioni puerili, in qua est locutio sine iudicio, et iudicium sine deliberatione. Potest autem referri quod dicit, *Loquebar ut parvulus*, ad donum linguarum; cum dicit, *Sapiebam ut parvulus*, ad donum prophetiae; quod autem subdit, *Cogitabam ut parvulus*, ad donum scientiae. Secundo ponit id quod pertinet ad perfectionem aetatis, dicens: *Quando autem factus sum vir*, idest quando perveni ad perfectam, et virilem aetatem, *evacuavi*, idest abieci, *quae erant parvuli:* quia, ut dicitur *Isa. 65. 20. puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Et est attendendum, quod Apostolus hic comparat statum praesentem pueritiae propter imperfectionem, statum autem futurae gloriae propter perfectionem virili aetati.

## LECTIO IV.

Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.

Hic loquitur de visione quae est cognitio Dei. Unde omnia praecedentia dona evacuanda, sunt intelligenda secundum quod ordinantur ad cognitionem Dei. Circa hoc duo facit. Primo enim probat id quod intendit in generali; secundo in speciali de seipso, ibi, *Nunc cognosco ex parte.* Dicit ergo: Dixi, quod ex parte cognoscimus, quia *nunc videmus per speculum in aenigmate; sed tunc*, scilicet in patria, videbimus *facie ad faciem.*

Ubi primo considerandum est, quid sit videre per speculum in aenigmate; secundo quid sit videre facie ad faciem. Sciendum est ergo, quod sensibile aliquid potest tripliciter videri, scilicet aut per sui praesentiam in re vidente, sicut ipsa lux quae praesens est oculo; aut per praesentiam suae similitudinis in sensu immediate derivatam ab ipsa re; sicut albedo quae est in pariete, videtur, non existente ipsa albedine praesentialiter in oculo, sed eius similitudine, licet ipsa similitudo non videatur ab eo: aut per praesentiam similitudinis non immediate derivatae ab ipsa re, sed derivatae a similitudine rei in aliquid aliud; sicut cum videtur aliquis homo per speculum: non enim similitudo hominis immediate est in oculo, sed similitudo hominis resultantis in speculo. Per hunc ergo modum, loquendo de visione Dei, dico, quod naturali cognitione solus Deus videt seipsum, quia in Deo idem est sua essentia, et suus intellectus; et ideo sua essentia est praesens suo intellectui. Sed secundo modo forte angeli naturali cognitione Deum vident, inquantum similitudo divinae essentiae relucet immediate in eis. Tertio vero modo cognoscimus nos Deum in vita ista, inquantum invisibilia Dei per creaturas cognoscimus, ut dicitur *Rom. 1.* et ita tota creatura est nobis sicut speculum quoddam: quia ex ordine, et bonitate, et magnitudine, quae in rebus a Deo causata sunt, venimus in cognitionem sapientiae, bonitatis, et eminentiae divinae; et haec cognitio dicitur visio in speculo. Ulterius autem sciendum est, quod huiusmodi similitudo, quae est similitudinis in alio relucentis, est duplex: quia aliquando est clara, et aperta, sicut illa quae est in speculo; aliquando obscura, et occulta, et tunc illa visio dicitur aenigmatica; sicut dum dico: Me mater genuit, et eadem gignitur ex me: istud est per simile occultum; et dicitur de glacie, quae gignitur ex aqua congelata, et aqua gignitur ex glacie resoluta. Sic ergo patet quod visio per similitudinem similitudinis est in speculo per simile occultum in aenigmate; sed per simile clarum, et apertum facit aliam speciem allegoricae visionis. Inquantum ergo invisibilia Dei per creaturas cognoscimus, dicimur videre per speculum; inquantum vero illa invisibilia sunt nobis occulta, videmus in aenigmate. Vel aliter. *Videmus nunc per speculum*, idest per rationem nostram; et tunc ly *per* designat virtutem tantum; quasi dicat: *Videmus per speculum*, idest virtute animae nostrae. Circa secundum vero sciendum est, quod Deus, secundum quod Deus, non habet faciem; et ideo hoc quod dicit, *Facie ad faciem*, metaphorice dicitur. Cum enim videmus aliquid in speculo, non videmus ipsam rem, sed similitudinem eius; sed quando videmus aliquid secundum faciem, tunc videmus ipsam rem sicut est. Ideo nihil aliud vult dicere Apostolus, cum dicit, *Videbimus* in patria *facie ad faciem*, quam quod videbimus ipsam Dei essentiam: *1. Ioan. 3. 2. Videbimus eum sicuti est.*

Sed contra est, quia *Gen. 32. 30.* dicitur: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Sed constat quod tunc non vidit essentiam Dei. Ergo videre facie ad faciem, non est videre essentiam Dei.

Responsio. Dicendum est, quod illa visio fuit imaginaria. Visionis autem imaginariae est quidam gradus altior, scilicet videre illud quod apparet in ipsa imagine in qua apparet; et alius gradus infimus, scilicet audire tantum verba. Unde Iacob, ut insinuaret excellentiam visionis imaginariae sibi ostensae, dicit: *Vidi Dominum facie ad faciem*, idest vidi Dominum imaginarie apparentem in sua imagine, et non per essentiam suam: sic enim non fuisset visio imaginaria. Sed tamen quidam dicunt, quod in patria ipsa divina essentia videbitur per similitudinem creatam. Sed hoc est omnino falsum, et impossibile: quia numquam potest aliquid per essentiam cognosci per similitudinem quae non conveniat cum re illa in specie: lapis enim non potest cognosci secundum illud quod est nisi per speciem lapidis quae est in anima: nulla enim similitudo ducit in cognitionem essentiae alicuius rei, si differat a re illa secundum speciem, et multo minus si differat secundum genus: non enim per speciem equi, vel albedinis potest cognosci essentia hominis, et multo minus essentia angeli. Multo ergo minus per aliquam speciem creatam, quaecumque sit illa, potest videri divina essentia, cum ab essentia divina plus distet quaecumque species creata in anima, quam species equi, vel albedinis ab essentia angeli. Unde po-

nere, quod Deus videatur solum per similitudinem, seu per quamdam refulgentiam caritatis suae, est ponere, divinam essentiam non videri. Et praeterea cum anima sit quaedam similitudo Dei, visio illa non magis esset specularis, et aenigmatica, quae est in via, quam visio clara, et aperta, quae repromittitur sanctis in gloria, et in qua erit beatitudo nostra. Unde Augustinus, et habetur *Lib. 15. de Trinit. cap. 9.* dicit hic in Glossa, quod visio Dei, quae est per similitudinem, pertinet ad visionem speculi, et aenigmatis. Sequeretur etiam quod beatitudo hominis ultima esset in alio quam in ipso Deo; quod est alienum a fide. Naturale etiam hominis desiderium, quod est perveniendi ad primam rerum causam, et cognoscendi ipsam per seipsam, esset inane.

Sequitur: *Nunc cognosco ex parte.* Hic illud quod probavit in generali, probat in speciali de cognitione sui ipsius, dicens: *Nunc*, idest in praesenti vita, ego Paulus *cognosco ex parte*, idest obscure, et imperfecte; *tunc autem*, scilicet in patria, *cognoscam sicut et cognitus sum*, idest sicut Deus cognovit essentiam meam, ita Deum cognoscam per essentiam; ita quod ly *sicut* non importat hic aequalitatem cognitionis, sed similitudinem tantum.

Consequenter infert principalem conclusionem, cum dicit, *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* Causa autem quare non facit mentionem de omnibus donis, sed de istis tribus tantum, est quia haec tria coniungunt Deo; alia autem non coniungunt Deo, nisi mediantibus istis. Alia etiam dona sunt quaedam disponentia ad gignendum ista tria in cordibus hominum: unde et solum ista tria, scilicet fides, spes, et caritas, dicuntur virtutes theologicae, quia habent immediate Deum pro obiecto.

Sed cum dona sint ad perficiendum vel affectum, vel intellectum; et caritas perficiat affectum, fides intellectum; non videtur quod spes sit necessaria, sed superflua.

Ad hoc sciendum est, quod amor est quaedam vis unitiva, et omnis amor in unione quadam consistit. Unde et secundum diversas uniones diversae species amicitiae a Philosopho distinguntur. Nos autem habemus duplicem coniunctionem cum Deo. Una est quantum ad bona naturae, quae hic participamus ab ipso; alia quantum ad beatitudinem, inquantum nos hic sumus participes per gratiam supernae felicitatis, secundum quod hic est possibile: speramus etiam ad perfectam consecutionem illius aeternae beatitudinis pervenire, et fieri cives caelestis Hierusalem. Et secundum primam communicationem ad Deum est amicitia naturalis, secundum quam unumquodque, secundum quod est, Deum ut causam primam, et summum bonum appetit, et desiderat ut finem suum. Secundum vero communicationem secundam est amor caritatis, qua solum creatura intellectualis Deum diligit. Quia vero nihil potest amari nisi sit cognitum; ideo ad amorem caritatis exigitur primo cognitio Dei. Et quia hoc est supra naturam, primo exigitur fides, quae est non apparentium; secundo, ne homo deficiat, vel aberret, exigitur spes, per quam tendat in illum finem sicut ad se pertinentem: et de his tribus dicitur *Eccli. 2. 8. Qui timetis Deum, credite in illum*, quantum ad fidem: *qui timetis Deum, sperate in illum* quantum ad spem: *qui timetis Deum, diligite eum*, quantum ad caritatem. Ista ergo tria manent nunc; sed caritas maior est omnibus, propter ea quae dicta sunt supra

## CAPITIS DECIMIQUARTI

### LECTIO PRIMA

Sectamini caritatem, aemulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum aedificat; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei aedificat.

Posita excellentia caritatis ad alia dona; hic consequenter Apostolus comparat alia dona ad invicem, ostendens excellentiam prophetiae ad donum linguarum; et circa hoc duo facit. Primo ostendit excellentiam prophetiae ad donum linguarum; secundo quomodo sit utendum dono linguarum, et prophetiae, ibi, *Quid est ergo frater? etc.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod donum prophetiae est excellentius quam donum linguarum, rationibus sumptis ex parte infidelium; secundo ex parte fidelium, ibi, *Fratres mei, nolite pueri effici sensibus.* Prima pars dividitur in duas. Primo ostendit quod donum prophetiae est excellentius dono linguarum quantum ad usum earum in exhortationibus, seu praedicationibus; secundo quantum ad usum linguarum, qui est in orando: ad haec enim duo est usus linguae, ibi, *Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* Circa primum duo facit. Primo enim praemittit unum, per quod continuat se ad sequentia; et hoc est quod dicit: Dictum est quod caritas omnia dona excellit. Si ergo ita est, *sectamini*, scilicet totis viribus, *caritatem*, quae est dulce, et salubre vinculum mentium: *1. Pet. 4. 8. Ante omnia caritatem mutuam in vobismetipsis continuam habentes: Coloss. 3. 14. Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Secundo subdit illud per quod continuat se ad sequentia: et hoc est quod dicit: *Æmulamini spiritualia;* quasi dicat: Licet caritas sit maior omnibus donis, tamen alia non sunt contemnenda, sed *aemulamini*, idest ferventer ametis, *spiritualia* dona Spiritus sancti: *1. Pet. 3. 13. Quid est quod vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* Licet autem aemulatio quandoque sumatur pro ferventi dilectione, quandoque pro invidia; tamen non est aequivocatio, immo unum procedit ab alio: zelari enim, et aemulari designat ferventem amorem alicuius rei. Contingit autem quod res amata ita diligatur ferventer ab aliquo quod non patitur ibi consortem, sed ipse vult eam solus, et singulariter; et iste est zelus, qui secundum quosdam est amor intensus, non patiens consortium in amato. Hoc tamen non contingit in spiritualibus, quae possunt perfectissime a multis participari; sed solum in illis quae non possunt a multis participari. Unde in caritate non est hu-

iusmodi zelus, non patiens consortium in amato, sed tantum in corporalibus; in quibus provenit quod si aliquis habet illud quod ipse zelat, doleat; et ex hoc consurgit aemulatio, quae est invidia: sicut si ego amo dignitatem, seu divitias, doleo quod aliquis habet eas, unde et ei invideo. Et sic patet quod ex zelo surgit invidia. Cum ergo dicitur, *Æmulamini spiritualia*, non intelligitur de invidia, quia spiritualia possunt a multis haberi; sed dicit, *Æmulamini*, ut inducat ad ferventer amandum Deum. Et quia inter spiritualia est gradus quidam, quia prophetia excedit donum linguarum; ideo dicit: *Magis autem ut prophetetis*; quasi dicat: Inter spiritualia magis aemulamini donum prophetiae: *1. Thessal. 5. 19. Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere.*

Ad explanationem autem totius capituli praenotanda sunt tria, scilicet quid sit prophetia, quot modis dicatur in Scriptura sancta prophetia, et quid sit loqui linguis.

Circa primum sciendum est, quod Propheta dicitur quasi procul videns, et secundum quosdam dicitur a for faris, sed melius dicitur a pharos, quod est videre. Unde *1. Reg. 9.* dicitur, quod qui nunc dicitur Propheta, olim videns dicebatur. Unde visio eorum quae sunt procul, sive sint futura contingentia, sive supra rationem nostram, dicitur prophetia. Est igitur prophetia visio, seu manifestatio futurorum contingentium, seu intellectum humanum excedentium. Ad huiusmodi autem visionem quatuor requiruntur. Cum enim cognitio nostra sit per corporalia, et per phantasmata a sensibilibus accepta, primo exigitur quod in imaginatione formentur similitudines corporales eorum quae ostenduntur; ut Dionysius dicit, quod impossibile est aliter lucere nobis divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. Secundum quod exigitur est lumen intellectuale, illuminans intellectum ad ea quae supra naturalem cognitionem nostram ostenduntur cognoscenda: nisi enim ad similitudines sensibiles in imaginatione formatas intelligendas adsit lumen intellectuale, ille cui similitudines huiusmodi ostenduntur, non dicitur Propheta, sed potius somniator; sicut Pharao, qui licet viderit spicas, et vaccas, quae erant indicativa futurorum quorumdam; quia tamen non intellexit quod vidit, non dicitur Propheta, sed potius ille, scilicet Ioseph, qui interpretatus est: et similiter est de Nabuchodonosor, qui vidit statuam, et non intellexit: unde nec Propheta dicitur, sed Daniel. Et propter hoc dicitur *Dan. 10. 1. Intelligentia opus est in visione.* Tertium quod exigitur est audacia ad annuntiandum ea quae revelantur: ad hoc enim Deus revelat, ut aliis denuntientur: *Hier. 1. 9. Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Quartum est operatio miraculorum, quae sunt ad certitudinem prophetiae: nisi enim facerent aliqua quae excedunt operationem naturae, non crederetur eis in his quae naturalem cognitionem transcendunt.

Secundum ergo hos modos prophetiae, dicuntur aliqui diversis modis Prophetae. Aliquando enim aliquis dicitur Propheta qui habet omnia ista quatuor, scilicet quod videt imaginarias visiones, et habet intelligentiam de eis, et audacter annuntiat aliis, et operatur miracula: et de hoc dicitur *Num. 12. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Aliquando autem dicitur Propheta ille qui habet solas imaginarias visiones; sed tamen improprie et valde remote. Aliquando etiam dicitur Propheta qui habet intellectuale lumen ad explanandum etiam visiones imaginarias, sive sibi, sive alteri factas; vel ad exponendum dicta Prophetarum, vel Scripturas Apostolorum: et sic dicitur Propheta omnis qui discernit doctorum scripturas, quia eodem spiritu interpretatae sunt, quo editae sunt. Et sic Salomon, et David possunt dici Prophetae, inquantum habuerunt lumen intellectuale ad clare, et subtiliter intuendum nam visio David intellectualis tantum fuit. Dicitur etiam Propheta aliquis solum ex hoc quod Prophetarum dicta denuntiat, seu exponit, seu cantat in Ecclesia; et hoc modo dicitur *I. Reg. 19.* quod Saul erat inter Prophetas, idest inter canentes dicta Prophetarum. Dicitur etiam aliquis Propheta ex miraculorum operatione, secundum illud *Eccli. 48.* quod corpus Elisei mortuum prophetavit, idest miraculum fecit. Quod ergo dicit hic Apostolus per totum capitulum de Prophetis, intelligendum est de secundo modo, scilicet quod ille dicitur prophetare qui per lumen intellectuale divinas visiones sibi, et aliis factas exponit. Et secundum hoc planum erit quod hic dicitur de Prophetis.

Circa secundum sciendum est, quod quia in Ecclesia primitiva pauci erant quibus imminebat fidem Christi praedicare per mundum; ideo Dominus, ut commodius, et pluribus verbum Dei annuntiarent, dedit eis donum linguarum, quibus omnibus praedicarent: non quod una lingua loquentes ab omnibus intelligerentur, ut quidam dicunt, sed ad litteram, quod linguis diversarum gentium, immo omnium, loquerentur. Unde dicit Apostolus *hoc cap. Gratias ago Deo, quod omnium vestrum lingua loquor:* et *Act. 2. 4.* dicitur: *Loquebantur variis linguis Apostoli.* Et hoc donum multi adepti sunt a Deo in Ecclesia primitiva. Corinthii autem, quia curiosi erant, ideo libentius volebant illud donum quam donum prophetiae. Quod ergo dicitur hic loqui lingua, vult Apostolus intelligi lingua ignota, et non explanata; sicut si lingua Theutonica loquatur quis alicui Gallico, et non exponat, hic loquitur lingua. Vel etiam si loquatur visiones tantum, et non exponat, loquitur lingua. Unde omnis locutio non intellecta, nec explanata, quaecumque sit illa, est proprie loqui lingua.

His ergo visis, ad expositionem litterae accedamus, quae plana est. Circa hoc ergo duo facit. Primo probat quod donum prophetiae excellentius est dono linguarum; secundo excludit quamdam obiectionem, ibi, *Volo autem vos omnes loqui linguis.* Quod autem donum prophetiae excedat donum linguarum, probat duabus rationibus: quarum prima sumitur ex comparatione Dei ad Ecclesiam; secunda ratio sumitur ex comparatione hominum ad Ecclesiam. Prima autem ratio talis est. Illud per quod facit homo ea non solum quae sunt ad honorem Dei, sed etiam ad utilitatem proximorum, est melius quam illud quod fit tantum ad honorem Dei. Sed prophetia est non tantum ad honorem Dei, sed etiam ad proximi utilitatem; per donum vero linguarum solum illud fit quod est ad honorem Dei. Ergo etc. Huius autem rationis ponit me-

dium, et primo quantum ad hoc quod dicit, quod qui loquitur lingua, honorat tantum Deum: et hoc est quod dicit: *Qui loquitur lingua*, scilicet ignota, *non loquitur hominibus*, idest ad intellectum hominum, *sed Deo*, quia ipse Deus solus intelligit: *Sap. 1. 10. Auris zeli Dei audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.* Et quod non loquatur homini, subdit: *Nemo enim audit*, idest intelligit: sic enim frequenter accipitur non audire pro non intelligere: *Matth. 13. 9. Qui habet aures audiendi, audiat.* Quare autem soli Deo loquatur, subdit, quod ipse Deus loquitur: unde dicit: *Spiritus autem Dei loquitur mysteria*, idest occulta: *Matth. 10. 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis: Supra 2. 11. Nemo novit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei.* Secundo probat id quod dicit, quod prophetia est ad honorem Dei, et utilitatem proximorum: unde dicit: *Nam qui prophetat*, idest explanat visiones, seu Scripturas, *loquitur hominibus*, idest ad intellectum hominum; et hoc *ad aedificationem* incipientium, *et ad exhortationem* proficientium, *et ad consolationem* desolatorum: *1. Thess. 5. 14. Consolamini pusillanimes: Tit. 2. 15: Loquere, et exhortare.* Vel aedificatio pertinet ad spiritualem affectionem: quia ibi primo incipit aedificium spirituale: *Ephes. 2. 22. In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu:* exhortatio vero ad inductionem ad bonos actus: quia si affectus est bonus, tunc actus est bonus: *Tit. 2. 15. Haec loquere, et exhortare;* consolatio vero inducit ad tolerantiam malorum: *Rom. 15. 4. Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Ad haec enim tria inducunt praedicantes divinam Scripturam. Secunda ratio talis est. Illud quod est utile soli facienti, est minus quam illud quod prodest etiam aliis. Loqui autem linguis est utile soli ei qui loquitur, prophetare vero aliis prodest. Igitur etc. Huius autem rationis ponit medium: et primo quantum ad primam partem medii; et hoc est quod dicit: *Qui loquitur lingua, semetipsum aedificat: Psal. 38. 4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*: secundo quantum ad secundam partem; et hoc est quod dicit: *Qui autem prophetat, Ecclesiam*, idest fideles, *aedificat*, instruendo: *Ephes. 2. 20. Superaedificati supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.*

## LECTIO II.

**Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat quam qui loquitur linguis; nisi forte interpretetur, ut Ecclesia aedificationem accipiat. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, qnomodo scietur quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus; et qui loquitur mihi barbarus. Sic et vos, quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis.**

Hic Apostolus excludit obiectionem, seu falsum intellectum qui posset esse circa praemissa: possent enim aliqui credere, quod ex quo Apostolus praefert prophetiam dono linguarum, quod donum linguarum esset contemnendum: unde ut hoc excludat, dicit: *Volo autem vos omnes loqui linguis.* Ubi primo ostendit quid intenderit insinuare; secundo rationem horum assignat, ibi, *Nam maior est qui prophetat.* Dicit ergo: Licet haec quae dicta sunt, supra dixerim, non tamen volo vos donum linguarum spernere, sed *volo vos omnes loqui linguis;* tamen magis volo ut prophetetis: *Num. 11. 29. Quis tribuat ut omnis populus prophetet?* Cuius rationem assignat, cum dicit: *Nam maior est qui prophetat;* quasi dicat: Ideo volo ut magis prophetetis, quia *maior est qui prophetat.* Et huius ratio est, quia aliquando aliqui moventur a Spiritu sancto loqui aliquid mysticum, quod ipsi non intelligunt; unde isti habent donum linguarum. Aliquando autem non solum loquntur linguis, sed etiam ea quae dicunt interpretantur: et ideo dicit: *Nisi forte interpretetur.* Nam donum linguarum cum interpretatione est melius quam prophetia: quia, sicut dictum est, interpretatio cuiuscumque ardui pertinet ad prophetiam. Unde qui loquitur, et qui interpretatur, Propheta est, et donum linguarum habet, et interpretatur, ut Ecclesiam Dei aedificet: ideo dicit: *Ut Ecclesia aedificationem accipiat*, idest non solum intelligat se, sed etiam ut Ecclesia aedificetur: *Rom. 14. 19. Quae aedificationis sunt, invicem custodiamus:* et *Rom. 15. 2. Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad aedificationem.*

*Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero?* Hic probat donum prophetiae esse excellentius quam donum linguarum per exempla; et hoc tripliciter. Primo per exemplum a seipso sumptum; secundo per exemplum sumptum a rebus inanimatis, ibi, *Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur?* tertio per exemplum sumptum ab hominibus diversimode loquentibus, ibi, *Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo.* Ex seipso autem argumentatur sic. Constat ergo quod ego non minus habeo donum linguarum quam vos. Sed si loquerer vobis solum linguis, et non interpretarer, nihil vobis prodessem. Ergo nec vos ad invicem: et hoc est quod dicit: *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens*, hoc dupliciter potest intelligi, scilicet vel linguis ignotis; vel ad litteram, quibuscumque signis non intellectis, *quid vobis prodero, nisi loquar vobis aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Ubi notandum, quod ista quatuor, scilicet *aut in revelatione etc.* possunt du-

pliciter distingui. Uno modo penes ea de quibus sunt; et sic sciendum est, quod illustratio mentis ad cognoscendum est de quatuor. Quia vel est de divinis ; et haec illustratio pertinet ad donum sapientiae : divinorum enim , ut supra dictum est , est revelatio : quia *quae sunt Dei , nemo novit nisi Spiritus Dei , supra 2.* Et ideo dicit , *In revelatione* , qua scilicet illuminatur mens ad cognoscendum divina. Vel est de terrenis , et non de quibuscumque , sed de illis tantum quae sunt ad aedificationem fidei ; et hoc pertinet ad donum scientiae : et ideo dicit , *In scientia*, non Geometriae , nec Astrologiae , quia haec non pertinent ad aedificationem fidei ; sed *in scientia*, quae est sanctorum: *Sap. 10. 10. Dedit illi scientiam sanctorum.* Vel est de eventibus futurorum : et hoc pertinet ad donum prophetiae ; et ideo dicit , *Aut in prophetia : Sap. 8. 8. Signa, et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum, et saeculorum.* Notandum autem , quod prophetia non accipitur hic communiter , scilicet secundum quod supra dictum est ; sed accipitur hic particulariter , prout est manifestatio futurorum tantum : et secundum hoc definitur a Cassiodoro : *Prophetia est divina inspiratio rerum futura immobili veritate denuntians : Eccli. 24. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam , et relinquam illam quaerentibus sapientiam.* Vel est de agendis moralibus : et hoc pertinet ad doctrinam ; et ideo dicit , *Aut in doctrina : Rom. 12. 7. Qui docet, in doctrina: Prov. 13. 15. Doctrina bona dabit gratiam.* Alio modo possunt haec distingui penes diversos modos acquirendi cognitionem ; et sic sciendum est , quod omnis cognitio aut est a supernaturali principio, scilicet Deo, aut naturali , scilicet lumine naturali intellectus nostri. Si autem a supernaturali principio , scilicet lumine divino infuso, hoc potest esse dupliciter : quia aut infunditur subito cognitio , et sic est revelatio ; aut infunditur successive ; et sic est prophetia ; quam non subito habuerunt Prophetae , sed successive, et per partes , ut eorum prophetiae ostendunt. Si vero cognitio acquiratur a naturali principio , hoc est aut per studium proprium, et sic pertinet ad scientiam ; aut traditur ab alio , et sic pertinet ad doctrinam.

*Tamen quae sine anima sunt vocem dantia , sive tibia , sive cithara , nisi distinctionem sonituum dederint , quomodo scietur id quod canitur , aut quod citharizatur?* Hic ostendit idem per exempla sumpta ex rebus inanimatis , scilicet per instrumenta , quae videntur vocem habere : et primo per instrumenta gaudii ; secundo per instrumenta pugnae , ibi, *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Dicit ergo : Hoc non solum patet per ea quae supra dicta sunt , sed etiam quantum ad ea quae sine anima vocem dant , quod loqui linguis solum non prodest aliis.

*Et quae sine anima sunt vocem dantia.* Contra. Vox est sonus ab ore animalis prolatus naturalibus instrumentis formatus. Non ergo ea quae sunt sine anima, dant vocem.

Dicendum est , quod licet vox non sit nisi animalium , tamen potest dici per quamdam similitudinem, scilicet secundum quod quaedam , sicuti instrumenta, habent quamdam consonantiam , et melodiam ; et ideo de illis hic facit mentionem , scilicet de cithara, quae dat vocem tactu ; et tibia , quae flatu. Si ergo haec dant vocem sine distinctione, *quomodo scietur id quod canitur ?* Cum enim homo per instrumenta aliquid intendat exprimere , scilicet aliquos cantus , qui ordinantur vel ad fletum , vel ad gaudium : *Isa. 30. 29. Canticum erit vobis , sicut vox sanctificatae solemnitatis , et laetitia cordis ; sicut qui pergit cum tibia , ut intret in montem Domini ;* vel etiam ad lasciviam: non poterit diiudicari ad quid canitur tibia , aut ad quid cithara , si sonus sit confusus , et indistinctus. Ita si homo loquitur linguis , et non interpretatur , non poterit sciri quid velit dicere.

*Etenim si incertam vocem dederit tuba, quis parabit se ad bellum?* Hic ostendit idem per exempla inanimatorum , scilicet per instrumenta ad pugnam ordinata : et sumitur haec similitudo *ex Libro Num. 10.* Ibi enim legitur , quod Dominus praecepit Moysi ut faceret duas tubas argenteas , quae essent ad conveniendum populum , ad movendum castra , et ad pugnandum. Et pro quolibet istorum habebant certum modum tubandi : quia aliter dabant vocem quando debebant convenire ad concilium , aliter quando movebant castra , et aliter quando pugnabant ; et ideo arguit Apostolus , quod sicut *si tuba det incertam vocem* , idest indistinctam , nescitur utrum se debeant parare ad bellum ; ita et vos si loquimini tantum linguis , nisi distinctum sermonem dicatis interpretando, vel exponendo , non poterit quis scire quid loquamini. Per tubam poterit intelligi praedicator : *Isa. 58. 1. Quasi tuba exalta vocem tuam , et annuntia populo meo scelera eorum.* Ratio autem quare non potest sciri quid loquamini, est quia *eritis in aera loquentes*, idest inutiliter : *Supra 9. 26. Sic pugno non quasi aera verberans.*

*Tam multa , ut puta , genera linguarum sunt in hoc mundo.* Hic sumit exemplum a diversis linguis loquentium ; et circa hoc tria facit. Primo ostendit diversitatem linguarum; secundo inutilitatem loquentium sibi ad invicem in linguis extraneis , ibi , *Si ergo nesciero virtutem vocis , ero ei cui loquor , barbarus ;* tertio concludit quod intendit, ibi, *Sic et vos quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis.* Dicit ergo primo : Multae, et diversae linguae in mundo sunt , et quilibet potest loqui quaecumque vult ; si tamen non loquatur determinate , non intelligitur: et hoc est quod dicit: *Tam multa , ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo.* Hoc potest dupliciter exponi : quia potest continuari cum praecedentibus, ut dicatur : *Eritis in aera loquentes , et tam multa , ut puta , sunt genera linguarum ;* quasi dicat : Ideo *in aera* , idest inutiliter , loquimini omnibus linguis, quia loquimini sine intellectu ; quae tamen proprias significationes vocum ad hoc habent ut intelligantur : *nihil* enim *sine voce est.* Vel potest sic punctari. *Eritis in aera loquentes*, idest singulis linguis. *Tam multa , ut puta, sunt genera linguarum. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor , barbarus.* Hic ostendit horum inutilitatem ; et hoc est quod dicit : Si loquar omnibus linguis , sed *si nesciero virtutem vocis*, idest significationem vocis, *ero cui loquor , barbarus : Hierem. 5. 15. Adducam super te gentem de longinquo , gentem cuius ignoras linguam.*

Nota, quod barbari secundum quosdam dicuntur illi quorum idioma discordat omnino a Latino. Alii vero dicunt, quod quilibet extraneus est barbarus omni alii extraneo, quando scilicet non intelligitur ab eo. Sed hoc non est verum : quia secundum Isidorum, Barbaria est specialis natio : *Coloss. 3. 11. In Christo Iesu non est Barbarus, et Scitha etc.* Sed secundum quod verius dicitur, barbari proprie dicuntur illi qui in virtute rationis deficiunt, et sunt quasi extra leges et sine regimine iuris. Et huic videtur consonare Aristoteles *in Politicis suis.*

Consequenter cum dicit, *Sic et vos. . . quaerite ut abundetis*, concludit quod intendit. Et hoc potest dupliciter construi. Primo ut punctetur hoc modo, quasi dicat : Sic ego ero barbarus vobis, si loquar, sine significatione, et interpretatione, sicut et vos eritis barbari ad invicem: et ideo *quaerite ut abundetis;* et hoc, *quoniam estis aemulatores spirituum.* Vel alio modo, ut totum ponatur sub distinctione ; quasi diceret : Ne ergo sitis barbari, sic scilicet sicut ego facio, quoniam *estis aemulatores spirituum*, idest donorum Spiritus sancti, *quaerite*, a Deo, *ut abundetis : Proverb. 15. 5. In abundanti iustitia virtus maxima est:* quae quidem iustitia est aedificare alios : *Matth. 7. 7. Petite, et dabitur vobis ; quaerite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis.*

## LECTIO III.

Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente ; psallam spiritu, psallam et mente. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non aedificatur.

Supra ostendit Apostolus excellentiam doni prophetiae ad donum linguarum, rationibus sumptis ex parte exhortationis; hic vero ostendit idem rationibus sumptis ex parte orationis : haec enim duo per linguam exercemus, orationem scilicet, et exhortationem : et circa hoc duo facit : primo enim probat excellentiam prophetiae ad donum linguarum rationibus ; secundo exemplis, ibi, *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Circa primum duo facit. Primo ponit necessitatem orationis; secundo ostendit quomodo in oratione plus valet donum prophetiae quam donum linguarum, ibi, *Nam si orem lingua, spiritus meus orat.* Dicit ergo primo : Dixi, quod donum linguarum sine dono prophetiae non valet ; et ideo quia interpretari est actus prophetiae, quae est excellentior illo, *qui loquitur lingua* ignota, vel extranea, vel aliqua mysteria occulta, *oret*, scilicet Deum, *ut interpretetur*, idest ut interpretandi gratia detur sibi : *Coloss. 4. 3. Orantes ut Deus aperiat ostium.* Glossa aliter exponit *Oret :* orare enim dicitur dupliciter, scilicet vel deprecari Deum, vel persuadere: quasi dicat: *Qui loquitur lingua, oret*, idest ita persuadeat, *ut interpretetur.* Et sic accipit orare hic Glossa per totum capitulum. Sed non est haec intentio Apostoli, sed pro deprecatione ad Deum.

*Nam si orem lingua, spiritus meus orat.* Hic ostendit quod in orando plus valet prophetia quam donum linguarum ; et hoc dupliciter. Primo ratione sumpta ex parte ipsius orantis ; secundo ratione sumpta ex parte audientis, ibi, *Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet Amen super tua benedictione?* Circa primum duo facit. Primo ponit rationem ad propositum ostendendum; secundo removet obiectionem, ibi, *Quid ergo est etc.* Circa primum sciendum est, quod duplex est oratio. Una est privata, quando scilicet quis orat in seipso, et pro se ; alia publica, quando quis orat coram populo et pro aliis : et in utraque contingit uti et dono linguarum, et dono prophetiae. Et ideo vult ostendere quod in utraque plus valet donum prophetiae quam donum linguarum. Et primo in oratione privata, dicens, quod si sit aliquis idiota, qui faciat orationem suam, dicens Psalmum, vel Pater noster, et non intelligat ea quae dicit, iste orat lingua, et non refert utrum oret verbis sibi a Spiritu sancto concessis, sive verbis aliorum: et si sit alius qui orat, et intelligit quae dicit, hic quidem orat, et prophetat. Constat autem quod plus lucratur qui orat, et intelligit, quam qui tantum lingua orat, qui scilicet non intelligit quae dicit : nam ille qui intelligit, reficitur et quantum ad intellectum, et quantum ad affectum ; sed mens eius qui non intelligit, est sine fructu refectionis. Unde cum melius sit refici quantum ad affectum, et intellectum, quam quantum ad affectum solum ; constat quod in oratione plus valet prophetiae donum quam solum donum linguarum : et hoc est quod dicit : Dico, quod *oret ut interpretetur. Nam si orem lingua*, idest orando utor dono linguarum, ita quod proferam aliqua quae non intelligo ; tunc *Spiritus meus*, idest Spiritus sanctus mihi datus, *orat*, qui inclinat, et movet me ad orandum. Et nihilominus mereor in ipsa oratione: quia hoc ipsum quod moveor a Spiritu sancto, est mihi meritum: *Rom. 8. 26. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus sanctus postulare nos facit.* Vel *spiritus meus*, idest ratio mea *orat*, idest dictat mihi quod ego loquar ea quae ad bonum sunt, sive verbis propriis, sive aliorum sanctorum. Vel *spiritus meus*, idest virtus imaginativa, *orat*, inquantum voces, seu similitudines corporalium sunt tantum in imaginatione, absque hoc quod intelligantur ab intellectu : et ideo subdit : *Mens autem mea*, idest intellectus meus, *sine fructu est*, quia non intelligit. Et ideo melius est in oratione prophetia, seu interpretatio, quam donum linguarum.

Sed numquid quandocumque quis orat, et non intelligit quid dicit, est sine fructu orationis? Dicendum quod duplex est fructus orationis. Unus fructus est meritum, quod homini provenit; alius fructus est spiritualis consolatio, et devotio concepta ex oratione. Et quantum ad fructum devotionis spiritualis, privatur qui non attendit ad ea quae orat, seu non intelligit ; sed quantum ad fructum meriti, non est dicendum quod privetur : quia sic multae orationes essent sine merito, cum vix unum Pater noster possit homo dicere quin mens ad alia feratur. Et ideo dicendum

est, quod quando orans aliquando divertit ab his quae dicit, seu quando quis in uno opere meritorio non continue cogitat in quolibet actu, quod facit hoc propter Deum, non perdit rationem meriti. Cuius ratio est, quia in omnibus actibus meritoriis, qui ordinantur ad finem rectum, non requiritur quod intentio agentis coniungatur fini secundum quemlibet actum; sed vis prima, quae movet intentionem, manet in eo opere, etiam si aliquando in aliquo particulari divertat: et haec prima vis facit totum opus meritorium, nisi interrumpatur per contrariam affectionem, quae divertat a fine praedicto ad finem contrarium.

Sed sciendum est, quod triplex est attentio. Una est ad verba, quae homo dicit; et haec aliquando nocet, inquantum impedit devotionem: alia est ad sensum verborum; et haec nocet, non tamen est multum nociva: tertia est ad finem; et haec est melior, et quasi necessaria. Tamen id quod dicit Apostolus, *Mens est sine fructu*, intelligitur de fructu refectionis.

*Quid ergo est?* Quia potest aliquis dicere: Ex quo orare lingua est sine fructu mentis, sed tamen spiritus orat, numquid ergo non est orandum spiritu? ideo Apostolus hoc removet dicens, quod utroque modo orandum est, et spiritu, et mente; quia homo debet servire Deo de omnibus quae habet a Deo; sed a Deo habet spiritum, et mentem; et ideo debet de utroque orare: *Eccli. 47. 10. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum.* Et ideo dicit: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente.* Et sic dicit, *Orabo*, et *psallam:* quia oratio vel est ad deprecandum Deum, et sic dicit, *Orabo;* vel ad laudandum, et sic dicit, *Psallam.* De istis duobus: *Iac. 5. 13. Tristatur quis in vobis? Oret aequo animo, et psallat: Psal. 95. 6. Psallite Domino in cithara. Orabo* ergo *spiritu*, idest imaginatione, *et mente*, idest voluntate.

*Ceterum si benedixeris spiritu, quomodo qui supplet locum idiotae, dicet Amen super tuam benedictionem?* Hic secundo ostendit quod donum prophetiae plus valet quam donum linguarum, etiam in oratione publica, quae est quando sacerdos publice orat; ubi aliquando dicit quaedam quae non intelligit, aliquando aliqua quae intelligit: et circa hoc tria facit. Primo ponit rationem; secundo exponit eam, ibi, *Quomodo dicet Amen?* tertio probat quod supposuerat, ibi, *Quoniam quid dicas nescit.* Dicit ergo: Dixi, quod donum prophetiae in oratione privata plus valet; *ceterum*, pro sed, et in publica: quia *si benedixeris*, idest si benedictionem dederis, *spiritu*, idest in lingua quae non intelligatur, seu imaginatione, et motus a Spiritu sancto; *quis supplet locum idiotae?* idiota proprie dicitur qui scit tantum linguam in qua natus est, quasi diceret: Quis dicet illud quod debet dicere ibi idiota? quod est dicere, *Amen.* Et ideo dicit: *Quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* ubi Glossa exponit: *Idest quomodo consentiet benedictioni a te factae in persona Ecclesiae? Isa. 65. 16. Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, amen. Amen* idem est quod fiat, vel verum est; quasi dicat: Si non intelligit quae dicis, quomodo conformabit se dictis tuis? Potest quidem se conformare etiam si non intelligat; sed in generali tantum, non in speciali: quia non potest intelligere quid boni dicas, nisi quod benedicas tantum.

Sed quare non dantur benedictiones in vulgari, ut intelligantur a populo, et conforment se magis eis? Dicendum est, quod hoc forte fuit in Ecclesia primitiva, sed postquam fideles instructi sunt, et sciunt quae audiunt in communi officio, fiunt benedictiones in Latino.

Consequenter probat quare non potest dicere, *Amen*, cum dicit: *Nam tu quidem bene gratias agis*, idest licet tu gratias agas bene Deo, inquantum intelligis; *sed alter*, qui audit, et non intelligit, *non aedificatur*, inquantum non intelligit in speciali, etsi in generali intelligat, et aedificetur: *Ephes. 4. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem fidei.* Et ideo melius est ut non solum lingua benedicat, sed etiam ut interpretetur, et exponat; licet tu qui gratias agis, bene agas.

## LECTIO IV.

Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis, et in labiis aliis loquar populo huic, et nec sic exaudient me: dicit Dominus. Itaque linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; prophetiae autem, non infidelibus, sed fidelibus.

Hic ostendit Apostolus excellentiam doni prophetiae ad donum linguarum per rationes sumptas ex parte sui ipsius: et circa hoc duo facit. Primo agit gratias de dono linguarum sibi a Deo dato; secundo se eis in exemplum proponit, ibi, *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui.* Dicit ergo: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor;* quasi dicat: Non ideo vilipendo donum linguarum, quia ego dico quod donum prophetiae sit excellentius; sed debet carum haberi: unde et ego *gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Est ergo de omnibus gratias agendum: *1. Thess. 5. 18. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu.* Vel *gratias ago;* quasi dicat: Non ideo vilipendo donum linguarum, quasi eo carens, immo etiam ego habeo; et ideo dicit: *Gratias ago etc.* Et ne intelligatur quod omnes loquerentur una lingua, dicit: *Quod omnium vestrum lingua loquor: Act. 2. 4. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.*

*Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui.* Hic ponit se in exemplum; quasi dicat: Si ego habeo donum linguarum sicut et vos, debetis facere illud quod facio. *Sed* ego *volo*, idest magis volo, *loqui in Ecclesia quinque*, idest pauca verba, *sensu meo*, idest intellectu, ut scilicet ego intelligam, et intelligar, et ex hoc *instruam alios, quam decem millia*, idest quamcumque multitudinem, *verborum in lingua*, quod est loqui non ad intellectum, quocumque

modo fiat, ut supra expositum est. Dicunt quidam, quod ideo dicit, *Quinque*, quia Apostolus videtur velle quod magis velit dicere solum unam orationem ad intellectum quam multas sine intellectu. Oratio autem secundum grammaticos ad hoc quod debeat facere perfectum sensum, debet habere quinque, scilicet subiectum, praedicatum, copulam verbalem, determinationem subiecti, et determinationem praedicati. Aliis videtur melius quod, quia ad hoc loquendum est cum intellectu ut alii doceantur, ideo ponit quinque: quia doctor debet quinque docere: scilicet credenda: ad *Titum 2. 15. Haec loquere, et exhortare:* agenda: *Marc. ult. 15. Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae:* vitanda, scilicet peccata: *Eccli. 21. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata: Isa. 58. 1. Annuntia populo mea scelera eorum:* speranda, scilicet mercedem aeternam: *1. Pet. 1. 10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae:* timenda, scilicet poenas aeternas: *Matth. 25. 41. Ite maledicti in ignem aeternum.*

*Fratres mei, nolite pueri effici sensibus.* Hic ostendit excellentiam doni prophetiae ad donum linguarum rationibus sumptis ex parte infidelium: et circa hoc duo facit. Primo excitat attentionem, et reddit attentos; secundo arguit ad propositum, ibi, *In lege quid scriptum est?* Circa primum videtur Apostolus excludere pallium excusationis aliquorum, qui ideo docent quaedam rudia, et superficialia, quasi ostendant se volentes vivere in simplicitate, et ideo non curantes de subtilitatibus, ad quas secundum rei veritatem non attingunt: habentes verbum Domini ad hoc *Matth. 18. 3. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.* Sed hoc Apostolus excludit cum dicit: *Nolite pueri effici sensu,* idest nolite puerilia, et inutilia, et stulta loqui, et docere: *Supra 13. 11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus.* Sed quomodo debetis effici pueri? Affectu, non intellectu: et ideo dicit: *Sed malitia parvuli estote.* Ubi sciendum est, quod parvuli deficiunt in cogitando mala; et sic debemus effici parvuli: et ideo dicit: *Sed malitia parvuli estote:* et deficiunt in cogitando bona, et sic non debemus esse parvuli, immo viri perfecti: et ideo dicit: *Sensibus autem perfecti estote,* idest ad discretionem boni et mali perfecti sitis. Unde *Heb. 5. 14. Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali.* Non ergo laudatur in vobis simplicitas quae opponitur prudentiae, sed simplicitas quae astutiae. Et ideo Dominus dicit *Matth. 10. 19. Estote prudentes sicut serpentes: Rom. 16. 19. Volo vos sapientes esse in bono, simplices in malo.*

Consequenter cum dicit, *In lege quid scriptum est?* arguit ad propositum. Ubi sciendum est, quod hoc argumentum, sicut patet per Glossam, distinguitur per multa; sed, secundum intentionem Apostoli, non videtur quod attendatur in loco hoc nisi una ratio: et ratio sua ad probandum quod donum prophetiae est excellentius quam donum linguarum, est talis. Omne quod plus valet ad illud ad quod alterum principaliter ordinatur, est melius illo altero ordinato ad hoc. Sed tam donum prophetiae, quam donum linguarum ordinatur ad conversionem infidelium; sed prophetiae plus valent ad hoc quam donum linguarum. Ergo prophetia est melior. Circa hanc ergo rationem duo facit. Primo ostendit ad quid ordinatur donum linguarum, et ad quid ordinatur donum prophetiae; secundo quod plus valet donum prophetiae, ibi, *Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur; intrent autem idiotae, aut infideles, nonne dicent, quod insanitis?* Circa primum duo facit. Primo inducit auctoritatem; secundo ex auctoritate arguit ad propositum, ibi, *Itaque linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Circa primum sciendum est, quod hoc quod dicit, *In lege quid scriptum est?* potest legi vel interrogative; quasi dicat: Non debetis effici pueri sensibus, sed perfecti; et hoc est videre, et scire legem. Unde si estis perfecti sensibus, sciatis scilicet legem: et *in lege quid scriptum est* de linguis; quae sunt inutiles aliquando ad id ad quod ordinatae sunt? Quia licet in diversis linguis loquar, scilicet populo Iudaeorum; tamen homo non exaudit etc. Potest etiam legi remissive. *In lege quid scriptum est;* quasi dicat: Nolite moveri sicut pueri ad aliquid appetendum, non discernentes utrum bonum, vel minus bonum sit quod affectetis, et praeponatis meliori bono; sed *estote perfecti sensibus,* idest discernatis inter bona et magis bona, et sic affectetis. Et hoc fit, si cogitatis *quid scriptum est in lege: Quoniam in aliis linguis, et labiis aliis loquar populo huic; et nec sic exaudient me: dicit Dominus: Sapien. 6. 16. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus.* Et dicit *In lege,* non accipiendo legem stricte pro quinque Libris Moysi tantum, sicut accipitur *Lucae ult. 44. Necesse est impleri omnia quae scripta sunt de me in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis;* sed pro toto veteri testamento, sicut accipitur *Ioan. 15. 25. Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis:* quod tamen *in Psal. 119.* scriptum est. Accipitur tamen haec auctoritas *ex Isa. 28. 11.* ubi littera nostra habet: *In loquela labii, et lingua altera loquetur ad populum istum.* Hoc igitur scriptum est: *Quoniam in aliis linguis,* idest in diversis generibus linguarum, *et labiis,* idest in diversis idiomatibus, et modis pronuntiandi, *loquar populo huic,* scilicet Iudaico: quia hoc signum specialiter fuit datum ad conversionem populi Iudaeorum: *nec sic exaudient,* quia scilicet signis visis non crediderunt: *Isa. 6. 10. Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

Sed quare Deus dedit eis signa, si non debebant converti? Ad hoc sunt duae rationes. Una ratio est, quia licet non omnes conversi fuerint, tamen aliqui sunt conversi, eo quod non repulit Dominus plebem suam. Alia ratio est, ut iustior appareat eorum damnatio, dum manifestius apparet eorum nequitia: *Ioan. 15. 22. Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Consequenter cum dicit, *Itaque linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus,* ex inducta auctoritate argumentatur ad propositum; quasi dicat: Ex hoc manifeste apparet quod donum linguarum datum est, *non fidelibus,* ad credendum, quia iam cre-

dunt : *Ioan. 4. 42. Non propter tuam loquelam credimus , ipsi enim audivimus , et scimus : sed infidelibus* , ut convertantur.

In Glossa autem ponuntur duae expositiones Ambrosii hoc in loco , quae non sunt litterales : quarum una est , ut dicatur : Sicut in veteri testamento locutus sum populo Iudaeorum per linguas , idest per figuras , et per labia , idest promittendo bona temporalia ; sic adhuc in novo testamento *loquar huic populo in aliis linguis* , idest aperte , et clare , *et aliis labiis* , idest spiritualibus ; *nec* tamen *sic exaudient me* , scilicet quantum ad eorum multitudinem. *Itaque linguae datae sunt , non fidelibus , sed infidelibus*, ad manifestandum scilicet eorum infidelitatem. Alia est. *In aliis linguis*, idest obscure, et parabolice loquar : et quia sunt indigni , *non exaudient*, idest non intelligent.

Consequenter ostendit ad quod ordinatur prophetia, scilicet ad instructionem fidelium qui iam credunt : et ideo dicit , quod *prophetiae datae sunt , non infidelibus* , qui non credunt : *Isa. 53. 1. Domine quis credidit auditui nostro ? sed fidelibus*, ut credant, et instruantur : *Ezech. 3. 17. Fili hominis , speculatorem dedi te domui Israel : Prov. 29. 18. Cum defecerit prophetia , dissipabitur populus.*

## LECTIO V.

Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum , et omnes linguis loquantur ; intrent autem idiotae , et infideles : nonne dicent , Quid insanitis? Si autem omnes prophetent; intret autem quis infidelis , vel idiota : convincitur ab omnibus , diiudicatur ab omnibus : occulta enim cordis eius manifesta fiunt ; et ita cadens in faciem adorabit Deum , pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid ergo est , fratres ? Cum convenitis unusquisque vestrum psalmum habet , doctrinam habet , apocalypsim habet , linguam habet , interpretationem habet : omnia ad aedificationem fiant.

Glossa vult , quod hic incipiat alia ratio ad propositum ostendendum. Sed , secundum quod dictum est, non est nisi unum cum posita ratione , et est quasi manifestatio mediae ipsius rationis , scilicet quod prophetia plus valet ad illud ad quod specialiter ordinatur donum linguarum. Unde circa hoc duo facit. Primo ostendit inconveniens quod sequitur quantum ad infideles ex dono linguarum , ibi , *Si autem omnes linguis loquantur ; intrent autem idiotae, et infideles : nonne dicent , Quid insanitis ?* secundo ostendit bonum quod sequitur ex dono prophetiae , etiam ad infideles , ibi , *Si autem omnes prophetent ; intret autem quis infidelis , vel idiota : convincitur ab omnibus.* Inconveniens quod sequitur ex dono linguarum sine prophetia , etiam quantum ad infideles, est, quia reputantur insani qui sic loquuntur solis linguis ; cum tamen donum linguarum ordinetur ad conversionem infidelium , ut iam patet : et hoc est quod dicit : *Si autem omnes linguis loquantur; intrent autem idiotae, et infideles;* quasi dicat : Ex hoc patet , quod linguae non sunt praeferendae prophetiis, quia, *si conveniant*, scilicet omnes fideles , *in unum* , non solum corpore, sed etiam mente : *Act. 4. 32. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : et omnes* , qui iam convenerunt , *loquantur linguis* , ad litteram extraneis , vel loquantur ignota, et obscura ; et dum sic confuse loquntur , *intret aliquis idiota*, idest qui non intelligit nisi linguam suam, *vel infidelis*, propter quem datae sunt linguae : *nonne dicent*, his qui sic loquntur , *Quid insanitis ?* Quod enim non intelligitur, reputatur insanitio. Quod si intelligatur lingua , nihilominus quae loquntur sunt occulta ; tamen malum est si non exponatur : quia poterunt credere de vobis, si occulta loquimini , quae creduntur de Gentilibus , qui occultabant ea quae faciebant in ritu eorum, propter eorum turpitudinem. Et haec etiam insanitio quaedam est.

Contra. Idem est loqui linguis , et loqui litteraliter quantum ad idiotas. Cum ergo omnes loquantur litteraliter in Ecclesia, quia omnia dicuntur in Latino, videtur quod similiter sit insania.

Dicendum est ad hoc , quod ideo erat insania in primitiva Ecclesia , quia erant rudes in ritu ecclesiastico : unde nesciebant quae fiebant ibi , nisi exponeretur eis. Modo vero omnes sunt instructi : unde licet in Latino omnia dicantur, sciunt tamen illud quod fit in Ecclesia.

Consequenter autem cum dicit , *Si autem omnes prophetent etc.* ostendit quod bonum sequitur ex dono prophetiae; et circa hoc tria facit. Primo ostendit quid per bonum prophetiae sequatur quantum ad infideles ; secundo ostendit quomodo hoc sequatur , ibi , *Occulta enim cordis eius manifesta fiunt ;* tertio subinfert quis effectus inde proveniat , ibi , *Et ita cadens in faciem adorabit Deum.* Dicit ergo : Constat quod ex dono linguarum non convincuntur infideles. *Autem*, pro sed , sed hi qui conveniunt , *prophetent* , idest omnes ad intellectum loquantur, vel exponant Scripturas, vel etiam revelationes eis factas interpretentur : omnes , dico, non simul, sed unus post alium, si prophetent; *intret autem* , scilicet Ecclesiam , *idiota aliquis* , scilicet non habens nisi linguam maternam, hoc est bonum quod inde sequitur , quia *convincitur* de aliquo errore, qui ostenditur sibi: *Hierem. 31. 19. Postquam ostendisti mihi , confusus sum : ab omnibus*, qui prophetant , *diiudicatur ;* quasi dicat: Damnabilis ostenditur de malis moribus , et vitiis suis: *Supra 2. 15. Spiritualis* , idest doctor , *omnia diiudicat.* Ad haec enim duo valet prophetia , scilicet ad confirmationem fidei , et instructionem morum. Quomodo autem hoc bonum sequatur ex prophetiae dono, subdit cum dicit: *Occulta enim cordis eius manifesta fiunt :* quod potest intelligi tripliciter. Uno modo ex hoc ad litteram quod aliqui in primitiva Ecclesia gratiam habuerunt, ut secreta cordium , et peccata hominum scirent. Unde legitur de Petro *Act. 5.* quod damnavit Ananiam de fraudato pretio agri: et secundum hoc legitur: *Occulta enim cordis eius manifesta fiunt ;* quasi dicat : Ideo convincitur , quia *occulta* , idest secreta peccata sua, *manifesta fiunt*, ab illis qui ea revelant. Alio modo ex hoc quod aliquando quis in praedicatione tangit multa quae homines gerunt in corde , sicut patet in Libris beati Gregorii , ubi quilibet invenire potest

fere omnes motus cordis sui : et secundum hoc legitur : *Occulta cordis ;* quasi dicat: Ideo convincuntur, quia *occulta cordis sui*, idest ea quae gerunt in corde, *Prov. 27. 19. Quomodo in aquis resplendet vultus aspicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus, manifestantur*, idest tanguntur ab eis. Alio modo quia aliquando occultum cordis dicitur illud quod est alicui dubium, et non potest per se certificari : et secundum hoc legitur: *Occulta cordis sui*, idest ea de quibus in corde suo dubitabat, et quae non credebat, manifestantur, dum scilicet vadens ad Ecclesiam frequenter, fiunt sibi manifesta, sicut de seipso dicit Augustinus *Lib. 10. Conf. cap. 53.* quod ipse ibat ad Ecclesiam solum pro cantu, et tamen ibi multa de quibus dubitabat, et propter quae non iverat, manifestabantur sibi. Ex hoc enim sequebatur reverentia, quia convictus reverebatur Deum. Et hoc est quod dicit : *Et ita*, idest ex quo ita convincebantur, et manifestabantur occulta cordis sui, *cadens in faciem adorabit eum : Matth. 2. 2. Procidentes adoraverunt eum :* quod signum est reverentiae. De reprobis autem legitur, quod cadunt retrorsum : *Prov. 4. 19. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant;* electus vero in faciem cadit, quia videt ubi prosternitur: quod signum est reverentiae: *Lev. 9. 24. Laudaverunt Deum ruentes in facies suas : Psalm. 71. 9. Coram illo procident Æthiopes.* Et non solum exhibebit reverentiam Deo, sed etiam Ecclesiae, quia *pronuntians* dicet, *quod vere Deus est in vobis*, qui prophetatis in Ecclesia : *Zach. 8. 23. Ibimus vobiscum : audivimus enim quod Deus est vobiscum.* Apparet igitur quod donum prophetiae est utilius, quantum ad infideles.

*Quid ergo est, fratres ?* Hic ordinat eos ad usum donorum dictorum : et circa hoc duo facit. Primo ostendit qualiter se debeant habere ad usum horum donorum ; secundo concludit principale intentum, ibi, *Itaque, fratres, aemulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quomodo ordinate se debeant habere in usu dictorum donorum; secundo exprimit eorum praesumptionem, ibi, *An a vobis sermo Dei processit ?* Circa primum tria facit. Primo ostendit in generali quomodo se debeant habere in omnibus donis; secundo quomodo se habeant quantum ad donum linguarum, ibi, *Sive lingua quis loquatur etc.* tertio ostendit quomodo se habeant quantum ad donum prophetiae, ibi, *Prophetent duo, aut tres etc.* Dicit ergo : Prophetare est melius quam loqui linguis. *Quid ergo fratres*, agendum est? Hoc scilicet agendum est. Nam *cum convenitis*, constat quod unus non habet omnia dona; et ideo non debet uti aliquis vestrum omnibus donis, sed eo dono quod specialius accepit a Deo, et quod melius sit ad aedificationem. *Nam unusquisque vestrum habet* aliquod donum speciale. Alius *habet psalmum*, idest habet canticum ad laudandum nomen Dei, vel psalmos exponit : *Habac. 3. 19. Super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Alius vero *doctrinam*, idest habet praedicationem ad instructionem morum, vel expositionem, et spiritualem sensum : *Prov. 12. 8. Doctrina sua cognoscitur vir.* Alius *apocalypsim habet*, idest revelationem vel in somnis, vel in visione aliqua : *Daniel. 2. 38. Est Deus in caelo revelans mysteria.* Alius *linguam habet*, idest donum linguarum, vel legendi prophetias: *Act. 2. 4. Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Alius *interpretationem : Supra 12. 10. Alii interpretatio sermonum.* Haec autem sic ordinantur, quia vel sunt ex ingenio naturali, vel ex solo Deo. Si sunt ex solo ingenio naturali, vel sunt ad laudem Dei, et sic dicit, *Psalmum habet;* vel ad instructionem proximi, et sic dicit, *Doctrinam habet.* Si sunt a solo Deo, sic dupliciter. Vel sunt aliqua occulta interius, et sic dicit, *Apocalypsim habet ;* vel occulta exterius, et sic dicit, *Linguam habet.* Et ad horum manifestationem est tertium, scilicet *interpretatio.* Et debet fieri, *ut omnia ad aedificationem fiant: Rom. 15. 2. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem.*

## LECTIO VI.

Sive lingua quis loquatur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur, et Deo. Prophetae autem duo aut tres dicant, et ceteri diiudicent. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur. Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

Hic Apostolus ordinat eos quomodo se habeant ad usum doni linguarum ; et circa hoc duo facit. Primo ostendit qualiter debent uti dono linguarum ; secundo quando debent cessare ab usu, ibi, *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia.* Dicit ergo primo, quod modus utendi dono linguarum talis sit inter vos, ut *sive quis*, idest si aliquis, *loquatur lingua*, idest dicat visiones, vel somnia, huiusmodi locutio non fiat a multis propter occupationem temporis in linguis, et non restet locus prophetiis, et confusionem generet ; sed *secundum duos*, idest duobus, et si necesse fuerit, secundum *multum tres*, ut sit satis a tribus : *Deut. 17. 6. In ore duorum, vel trium testium peribit qui interficietur.*

Sed notandum, quod haec consuetudo adhuc partim servatur in Ecclesia. Nam lectiones, et Epistolas, et Evangelia habemus loco linguarum : et ideo in Missa *secundum duos* servatur : quia solum duo dicuntur, quae pertinent ad donum linguarum, scilicet Epistola, et Evangelium. In matutinis secundum multa fit, scilicet tribus lectionibus dictis in uno nocturno. Antiquitus enim dicebantur nocturna divisim secundum tres vigilias noctis; nunc vero dicuntur simul. Non solum autem debet servari ordo quantum ad numerum loquentium, sed etiam quantum ad modum; et hoc est quod dicit, *Et per partes*, idest ut illi qui loquuntur, succedant sibi ad invicem, scilicet quod unus post alium loquatur. Vel *per partes*, idest intercise, ut scilicet loquatur unam partem visionis, seu instructionis, et eam exponat, et post aliam, et ipsam exponat, et

sic deinceps: quem modum consueverunt servare praedicatores, quando praedicant per interpretationem hominibus ignotae linguae : et ideo dicit : *Et unus interpretetur.*

Consequenter cum dicit, *Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia*, ostendit quando non est utendum linguis, dicens, quod loquendum est per partes, et unus debet interpretari ; *sed si non fuerit* aliquis *interpres*, idest qui interpretetur, ille qui donum habet linguarum, *taceat in Ecclesia*, idest non loquatur, seu praedicet multitudini in lingua ignota, quia non intelligitur ab eis ; sed *sibi loquatur*, quia ipse se intelligit ; et hoc tacite orando, vel meditando : *Iob 10. 1. Loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo : Noli me condemnare. Prophetae autem duo aut tres dicant, et ceteri diiudicent.* Hic Apostolus ordinat eos quomodo se habeant ad usum prophetiae : et circa hoc duo facit. Primo ostendit qualiter utendum est dono prophetiae et quantum ad numerum, et quantum ad ordinem ; secundo ostendit quibus usus prophetiae interdicitur, ibi, *Mulieres in Ecclesia taceant.* Circa primum tria facit. Primo docet ordinem utendi dono prophetiae; secundo huius rationem assignat, ibi, *Potestis enim omnes per singulos prophetare ;* tertio obiectionem excludit, ibi, *Spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est.* Circa primum duo facit. Primo determinat numerum utentium dono dicto ; secundo docet modum, seu ordinem utendi, ibi, *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Circa primum sciendum est, quod usus prophetiae, secundum quod hic videtur accipere Apostolus, est proponere verbum exhortationis ad plebem, exponendo Scripturas sacras : et quia erant in primitiva Ecclesia plures qui a Deo hoc donum habebant, et fideles non erant adhuc multiplicati; ideo ne esset confusio, et taedium, vult Apostolus quod non omnes qui sciunt exponere prophetias, et sacram Scripturam, prophetent, sed aliqui, et determinati ; et hoc est quod dicit : *Prophetae autem duo aut tres dicant;* quasi dicat : Nolo quod omnes qui conveniunt, sed *duo* tantum, *aut* ad plus *tres*, prout hoc loquendi necessitas exigit, *dicant*, idest exhortentur. Et hoc etiam consonat Scripturae *Deut. 17.* et *Matth. 18. 16. In ore duorum, vel trium stat omne verbum. Ceteri vero*, scilicet illi qui non dicunt, *diiudicent* ea quae ab his proponuntur, utrum scilicet bene, vel male dicta sint, bene dicta adprobando, et male dicta retractari faciendo : *Supra 2. 15. Spiritualis homo omnia diiudicat.* Est etiam servandus ordo in utendo dicto dono, ut si alteri illorum qui sedebant, et tacebant, et diiudicabant, fuit aliquid melius revelatum quam illi qui exhortatur, et stat prior ; tunc ille qui stat, debet sedere ; et ille cui melius revelatum est, debet surgere, et exhortari : et hoc est quod dicit : *Quod si alii sedenti revelatum fuerit*, scilicet per Spiritum sanctum, *prior* stans *taceat*, et cedat ei : *Rom. 12. 10. Honore invicem praevenientes.* Et ratio huius est, quia secundum hunc modum *potestis* successive prophetare *per singulos*, idest omnes, scilicet *ut sic omnes*, idest maiores, *discant, et omnes*, idest minores, *exhortentur : Prover. 1. 5. Audiens sapiens sapientior erit.* Et si aliquis dicat: O Apostole, ego non possum tacere dum alius prophetat, vel cedere sedenti ex quo incepi : quia non possum retinere spiritum, qui in me loquitur, secundum illud *Iob 4. 22. Conceptum sermonem tenere quis potest?* ideo Apostolus hoc removet, cum dicit: *Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est ;* quasi dicat: Immo bene potest tacere, vel sedere, quia *spiritus Prophetarum*, idest spiritus qui dat prophetias, et ponit in plurali numero propter multas revelationes eis instinctas, *Prophetis subiectus est, non* quidem quantum ad cognitionem, quia, sicut dicit Gregorius *Lib. 2. Moral. cap. 41.* non semper spiritus prophetiae adest Prophetis: unde non est habitus, sicut scientia, sic enim sequeretur quod etiam quantum ad cognitionem eis subiectus esset, et possent uti eo quando vellent, et non uti, sed est quaedam vis aut impressio a Deo, illuminans, et tangens corda Prophetarum : et tunc solum quando sic tanguntur, cognoscunt. Unde non est sic eis subiectus, nec secundum hoc intelligitur verbum Apostoli ; sed spiritus Prophetarum sunt subiecti Prophetis quantum ad pronuntiationem, quia scilicet in eorum potestate est pronuntiare ea quae revelantur eis quando volunt, et non pronuntiare. Et sic nihil valet excusatio, quia non cogit te spiritus quin tacere possis. Et quod hoc sit verum, probat cum dicit : *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis.* Et facit talem rationem. Deus numquam cogit ad id unde oriatur rixa, vel dissensio: quia *Deus non est dissensionis, sed pacis.* Sed si cogeret homines spiritus prophetiae ad loquendum, tunc esset causa dissensionis : quia sic vellet semper loqui, vel docere, vel non tacere alio loquente, de quo alii turbarentur. Ergo Spiritus sanctus non cogit homines ad loquendum : *2. Corinth. ult. 2. Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.* Verumtamen quia adhuc posset obiicere, quod hoc non faceret, quia solum eis ista mandabat, et non aliis Ecclesiis, unde et in gravamen posset videri; ideo Apostolus subdit, hoc non solum in eis, sed etiam in omnibus Ecclesiis docere : et hoc est quod dicit: *Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*, scilicet de usu linguarum, et prophetiae : *Supra 1. 10. Idipsum dicatis omnes.*

## LECTIO VII.

**Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse ; sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. An a vobis verbum Dei processit ; aut in vos solos pervenit ? Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque, fratres, aemulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant in vobis.**

Hic Apostolus ponit personas quibus interdicit usum prophetiae : et circa hoc duo facit. Primo ostendit quibus prophetiae usus interdicitur ; secundo removet obiectionem, ibi, *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Circa primum duo facit. Primo ponit mandatum de interdicto ; secundo huius ra-

tionem assignat, ibi, *Non enim permittitur eis loqui.* Dicit ergo : Volo ut viri hoc modo utantur dono prophetiae ; sed *mulieres* in Ecclesia nolo loqui , sed *taceant in Ecclesiis : 1. Tim. 2. 12. Mulierem docere in Ecclesia non permitto.* Et rationem huius assignat Chrysostomus dicens *hom. 9. in 1. ad Tim. cap. 2.* quod semel est locuta mulier, et totum mundum subvertit.

Sed contra hoc videtur, quia de multis mulieribus legitur, quod prophetarunt, sicut de Samaritana, *Ioan. 4.* et de Anna uxore Phanuel, *Luc. 2.* et de Debbora , *Iudic. 4.* et de Holdam prophete uxore Sellum, *4. Regum. 22.* et de filiabus Philippi , *Act. 21. Supra 2. 5.* etiam dicitur: *Omnis mulier orans, vel prophetans non velato capite , deturpat caput suum.*

Responsio. Dicendum, quod in prophetia sunt duo , scilicet revelatio , et manifestatio revelationis ; sed a revelatione non excluduntur mulieres , sed multa revelantur eis, sicut et viris. Sed annuntiatio est duplex. Una publica, et ab hac excluduntur; alia est privata, et haec permittitur eis : quia non est praedicatio, sed annuntiatio.

Huius autem rationem assignat, dicens : *Non enim permittitur eis loqui,* scilicet ab Ecclesiae auctoritate; sed hoc est officium earum , ut sint subditae viris. Unde cum docere dicat praelationem, et praesidentiam, non decet eas quae subditae sunt. Ratio autem quare subditae sunt, et non praesunt, est quia deficiunt ratione , quae est maxime necessaria praesidenti. Et ideo dicit Philosophus *in Politica sua Lib. 4. cap. 2.* quod corruptio regiminis est , quando regimen pervenit ad mulieres.

Consequenter cum dicit , *Si quid volunt discere , domi viros suos interrogent,* quia possent aliqui dicere, quod ad minus de dubiis possunt quaerere in Ecclesia ; ideo Apostolus hoc excludit: et circa hoc duo facit. Primo enim removet obiectionem ; secundo rationem assignat , ibi , *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Dicit ergo , Dico , quod mulieres taceant in Ecclesia ; *sed si aliqua* de quibus dubitant, *addiscere volunt , interrogent viros suos domi : 1. Timoth. 2. 11. Mulier in silentio discat cum omni subiectione.* Huius autem ratio est , quia turpe est, non solum indecens : in mulieribus enim commendatur verecundia : *Eccli. 36. 19. Gratia super gratiam mulier sancta , et pudorata.* Si ergo in publico quaereret , et disputaret, signum esset inverecundiae ; et hoc est ei turpe : et inde est etiam quod in iure interdicitur mulieribus officium advocandi.

Consequenter cum dicit, *An a vobis sermo Dei processit ?* confutat omnes contradicentes. Et quia possent omnes simul contradicere, vel ad minus sapientes inter eos, ideo circa hoc duo facit : primo enim confutat eos quantum ad totam eorum Ecclesiam; secundo quantum ad sapientes tantum, ibi, *Si quis autem videtur Propheta esse , aut spiritualis , cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Circa primum sciendum est, quod causa quare populus consuevit contradicere domino , vel rectori , est singularitas. Singularitas autem potest causari vel ex prioritate in aliquo bono, vel excellentia. Et ideo Apostolus volens contradicentes Corinthios confutare, excludit primo ab eis prioritatem , cum dicit , *An a vobis sermo Dei processit ?* quasi dicat : Si in Ecclesia Iudaeorum facerem aliquas ordinationes contra ordinationes suas, possent contradicere , quia ipsi prius habuerunt verbum Dei ; sed vos non , quia non processit a vobis sermo Dei. Secundo excludit ab eis excellentiam : *An in vos solos pervenit ?* quasi dicat : Non solum vos credidistis , sed etiam alii : unde vos non excellitis eos : *Psalm. 18. 5. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum :* et ideo debetis facere , ut alii faciunt.

Consequenter cum dicit, *Si quis autem videtur Propheta esse etc.* in speciali confutat maiores : et circa hoc duo facit. Primo confutat eos; secundo respondet cuidam tacitae obiectioni , ibi , *Si quis autem ignorat , ignorabitur.* Dicit ergo: Esto quod tota Ecclesia non contradicat: sed *aliquis qui videtur esse Propheta.* Et dicit , *Videtur* , quia si contradicit , non vere est Propheta , vel sapiens seu spiritualis , quia non contradiceret. Dicit etiam , *Propheta , et spiritualis :* quia multi sunt spirituales qui non sunt Prophetae, licet omnes Prophetae sint spirituales. Iste, inquam, qui sic videtur Propheta, et spiritualis , non contradicat , sed *cognoscat,* idest sciat, quia ea *quae scribo vobis , sunt mandata Dei* , et non tantum mea; quasi dicat: Ex quo nullus ausus est mandatis Domini contradicere, et ea quae scribo, sunt mandata Dei, non audeat aliquis contradicere: *2. Corinth. ult. 3. An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus ?* Et ex hoc possumus colligere , quod verba Apostolorum sunt ex familiari revelatione Spiritus sancti, et Christi; et ideo servanda sunt sicut praecepta Christi. Unde et signanter Apostolus distinguit illa quae ex se mandat, cum dicit *supra 7. 25. De virginibus autem mandatum Domini non habeo.*

Sed possent dicere : O Apostole , quomodo ego cognoscam quod haec sint mandata Dei ? Non possum hoc scire. Hoc Apostolus excludit, dicens : Non valet tibi hoc, quia non debes ignorare. Quare? Quia omnis *ignorans ignorabitur : Matth. 25. 12. Amen dico vobis, nescio vos.* Ex quo patet quod omnes tenentur scire ea quae sunt de necessitate salutis, quae ipse prius mandat , et Apostoli, et Prophetae. Vel aliter. *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quae scribo, quia Domini sunt mandata:* ut sit confirmatio praecedentium ; quasi dicat : Ita scribo , sed vos non potestis ea cognoscere propter eorum difficultatem, et quia simplices estis; sed ut sciatis, quod ea quae scribo, iusta sunt, et honesta, volo adducere testimonium Prophetarum, et spiritualium virorum, qui sunt inter vos ; et ideo dicit ; *Si quis autem videtur Propheta esse , aut spiritualis , cognoscat etc : Supra 2. 15. Spiritualis iudicat omnia.* Et ne aliquis dicat , Non curamus scire ista , subdit quod tenentur scire : quia omnis *ignorans ignorabitur: Isa. 5. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam : Psal. 81. 5. Nescierunt, neque intellexerunt , in tenebris ambulant.*

*Itaque fratres mei aemulamini prophetare.* Apostolus hic concludit generalem admonitionem ; et circa hoc tria facit. Primo monet eos ad appetitum omnium donorum, dicens : Itaque et loqui linguis , et prophetare est bonum. *Æmulamini,* idest desideretis, *prophetare :* cuius causa est, quia, sicut dicitur *Prover. 29.*

*18. deficiente prophetia dissipabitur populus.* Et accipitur prophetare hic, secundum quod per totum capitulum expositum est. Et tamen licet desideretis prophetare, *nolite prohibere loqui linguis*, ne fiat dissensio. Secundo inducit ad modum debitum, cum dicit: *Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant in vobis:* ut scilicet uno loquente alii taceant, et mulieres in Ecclesia non loquantur, et similia: *Rom. 13. 13. Sicut in die honeste ambulemus.* Tertio inducit eos ad congruum ordinem, cum dicit, *Et secundum ordinem*, ut scilicet primo unus, et postea alius loquatur, et per partes, et similia quae dicta sunt: *Iudic. 5. 20. Stellae manentes in ordine, et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.*

## CAPITIS DECIMIQUINTI

### LECTIO PRIMA

Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini; qua ratione praedicaverim vobis si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas; et quia sepultus est; et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas; et quia visus est Cephae, et postea undecim; deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus; novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est et mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum: et gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Sive enim ego, sive illi, sic praedicavimus, et sic credidistis.

Postquam Apostolus instruxit Corinthios de ipsis sacramentis, et de re contenta, et significata in sacramentis, scilicet de gratia, et eius effectibus; hic consequenter instruit eos de re non contenta, sed significata in sacramentis, scilicet de gloria resurrectionis; quae non est contenta in sacramento, cum non statim habeat eam qui suscipit sacramenta; sed significatur gloria resurrectionis in ipsis, inquantum confertur in eis gratia, per quam ad beatitudinem pervenitur. Circa hoc autem duo facit. Primo praemittit tractatum de resurrectione; secundo per hoc probat resurrectionem communem omnium hominum, ibi, *Si autem Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quia resurrectio mortuorum non est?* Circa primum duo facit. Primo commendat evangelicam doctrinam; secundo annuntiat quae oportet scire circa resurrectionem Christi, ibi, *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi.* Commendat enim eminentiam evangelicae doctrinae quantum ad quatuor. Primo quantum ad praedicantium auctoritatem, quia ipsi Apostoli; et hoc est quod dicit: *O fratres*, continuando se ad praecedentia, *facio vobis notum Evangelium*, quod idem est quod bona annuntiatio, quae incipit a Christo: unde quidquid pertinet ad Christum, vel est de ipso Christo, dicitur Evangelium. *Quod praedicavi vobis;* quasi dicat: Illud quod praedicavi vobis de Christo, *notum facio vobis*, idest reduco vobis ad memoriam, quasi non sint nova ea quae scribo: *Philip. 3. 1. Eadem scribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Praedicavi*, ego scilicet vobis, et alii Apostoli aliis. Et in hoc apparet auctoritas huius doctrinae, quia a Christo, a Paulo, et ab aliis Apostolis: *Hebr. 2. 5. Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Secundo quantum ad communem fidem omnium populorum; et ideo dicit: *Quod et accepistis*, omnes. Sed hoc Augustinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 5.* dicit pertinere ad evidentiam huius fidei, faciens tale argumentum. Ad credenda ea quae sunt fidei, aut sunt miracula facta, aut non. Si sunt facta miracula, habeo propositum, quod dignissima, et certissima est. Si non sunt facta, hoc est maximum omnium miraculorum, quod per quosdam paucos conversi sunt ad fidem infinita multitudo hominum; per pauperes praedicantes paupertatem, divites; per idiotas praedicantes ea quae rationem excedunt, conversi sunt sapientes, et Philosophi: *Psalm. 18. 5. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

Sed si obiiciatur, quod etiam lex Machometi recepta est a multis; dicendum est, quod non est simile: quia ille opprimendo, et vi armorum subiugavit eos; sed isti Apostoli moriendo ipsi alios ad fidem duxerunt, et faciendo signa, et prodigia. Ille etiam proponebat quaedam quae ad delicias, et lascivias pertinent; sed Christus, et Apostoli terrenorum contemptum: *1. Thess. 2. 13. Cum accepissetis a nobis verbum Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei.*

Tertio quantum ad virtutem: quia confirmat, et elevat ad caelestia: ideo dicit: *In quo statis*, scilicet elevati ad caelestia. Ille enim dicitur stare qui rectus est; et hoc sola lex Christi facit: *Rom. 5. 2. Iustificati ergo per fidem... habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus.* Lex enim vetus non faciebat stare, sed curvabat ad terrena: *Deut. 33. 28. Oculus Iacob in terra frumenti, et vini.* Quarto quantum ad utilitatem: quia sola nova lex perducit ad finem salutis, vetus autem non: *Hebr. 7. 19. Neminem ad perfectum adduxit lex.* Et ideo dicit: *Per quod et salvamini.* Hic iam ex certitudine spei per inchoationem quae est per fidem, *salvamini*, et in futuro in veritate rei, et speciei: *Iacob. 1. 21. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras: Ioan. 20. 31. Haec autem scripta sunt, ut credatis, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Et apponit hic duas conditiones. Primam, cum dicit, *Si tenetis.* Glossa sic exponit. *Si tenetis qua ratione praedicavi vobis illud Evangelium, idest resurrectionem mortuorum, ea ratione qua confirmavi vobis, idest per resurrectionem Christi.* Vel aliter. *Salvamini*, ita tamen, *si tenetis*, idest si servatis,

ea *ratione qua praedicavi vobis* Evangelium Christi. Secundam conditionem ponit, cum dicit, *Nisi frustra credidistis*; quasi dicat: Salvamini per fidem, *si non frustra credidistis*, idest si fidei adduntur bona opera, quia fides sine operibus mortua est, *Iacob. 2.* Illud enim dicitur esse frustra quod est ad finem quem non consequitur. Finis autem fidei est visio Dei. Unde si non salvamini, frustra credidistis, non simpliciter, sed inquantum non pervenitis ad finem. Vel aliter. *Si tenetis*; quasi dicat, teneatis; *nisi frustra credidistis.*

*Tradidi enim vobis in primis quod et accepi.* Hic ostendit propositum. Circa hoc tria facit. Primo ostendit originem doctrinae de resurrectione Christi; secundo ostendit ea quae in doctrina huiusmodi continentur, ibi, *Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris*; tertio consonantiam, seu convenientiam praedicantium ad hanc doctrinam, ibi, *Sive enim ego, sive illi, sic praedicavimus, et sic credidistis.* Dicit ergo primo: Istud debetis tenere, idest in memoria habere, quod *tradidi vobis in primis*, et adhuc trado. Et dicit, *In primis*, idest inter prima credenda. Credenda enim vel pertinent ad Trinitatem, vel ad fidem Incarnationis. Et primo debet homo credere ea quae ad fidem Incarnationis pertinent, et postea quae ad Trinitatem pertinent. Unde *quod tradidi vobis in primis*, scilicet de Incarnatione, et non a me, vel ex mea auctoritate tradidi, sed *quod accepi* a Christo, vel a Spiritu sancto: *Galat. 1. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum: Supra 11. 23. Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis: Isa. 21. 10. Quae audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.* Ea autem quae accepit, et tradidit, sunt quatuor, scilicet mors, sepultura, resurrectio, et apparitio Christi. Dicit ergo primo: Tradidi vobis primo mortem Christi; et ideo dicit: *Quoniam Christus mortuus est:* in quo removet duplicem suspicionem, quae suboriri posset circa mortem Christi. Prima est quod mortuus esset pro peccatis suis actualibus, vel originali; et hoc excludit cum dicit, *Pro peccatis nostris*, non suis: *Isa. 53. 8. Propter scelus populi mei percussi eum: 1. Petr. 3. 1. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Alia suspicio est quod mors Christi esset casualis, vel violentia Iudaeorum; et hoc excludit cum dicit, *Secundum Scripturas*, scilicet veteris, et novi testamenti; et ideo signanter specialiter dicit, *Secundum Scripturas: Isa. 53. 7. Sicut ovis ad occisionem ductus est: Hierem. 11. 19. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam: Matt. 20. 18. Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte.* Tradidi etiam vobis secundo sepulturam Christi; et ideo dicit, *Et quia sepultus est.*

Sed numquid sepultura est articulus fidei specialiter, quia facit hic mentionem specialiter de ea? Dicendum, quod secundum illos qui numerant articulos secundum credenda, non est specialis articulus fidei, sed includitur cum articulo passionis, et mortis Christi. Cuius ratio est, quia fides est eorum quae sunt supra rationem: unde ibi incipit articulus fidei, ubi deficit ratio. Hoc autem primum est quod Dominus sit conceptus; et ideo conceptio est articulus fidei secundum quod Deus est natus de virgine, et ideo hic est alius; tertium quod impassibilis Deus patiatur, et moriatur, et hic est alius, et cum hoc intelligitur etiam de sepultura: unde non est specialis articulus. Facit autem Apostolus hic mentionem de sepultura propter tria. Primo ut ostendat veritatem mortis Christi: evidens enim mortis signum alicuius est quod sepeliatur. Secundo ad ostendendum veritatem resurrectionis: quia si non fuisset sepultus, nec custodes fuissent iuxta sepulcrum illis diebus; possent dicere, quod discipuli fuissent eum furati. Tertio quia Apostolus vult eos inducere ad fidem resurrectionis; et hoc videtur magis difficile quod sepultus resurgat. Et de hoc dicitur *Isa. 11. 10. Et erit sepulcrum eius gloriosum: Isa. 53. 9. Dabit impios pro sepultura.*

Tradidi etiam vobis resurrectionem: *quia resurrexit tertia die: Osee 6. 3. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Et etiam dicit, *Tertia die*, non quod fuerint tres dies integri, sed duae noctes, et una dies, per synecdochen. Et huius causa fuit, sicut dicit Augustinus *Lib. 4. de Trin. cap. 3.* quia Deus per suum simplum, idest per malum poenae, quod significatur per unum diem, destruxit nostrum duplum, idest poenam, et culpam, quod significatur per duas noctes. Tradidi etiam vobis quarto Christi apparitiones: *quia visus est Cephae.* Et ponit primo apparitiones factas aliis; secundo apparitiones factas sibi soli, ibi, *Novissime autem omnium, tamquam abortivo, visus est et mihi.* Sciendum est autem circa primum, quod apparitiones Christi non sunt factae omnibus communiter, sed aliquibus specialibus personis: *Act. 10. 40. Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo.* Et huius ratio fuit, ut servaretur ordo in Ecclesia, ut per quosdam speciales fides resurrectionis deveniret ad alios. Notandum autem est, quod apparitiones Christi non ponuntur hic omnes, nec illae quae factae sunt mulieribus; ponuntur autem hic quaedam quae non leguntur in Evangeliis. Et horum ratio fuit, quia Apostolus vult ex ratione confutare infideles; et ideo noluit ponere testimonia nisi authentica: et ideo tacuit apparitiones mulieribus factas, et posuit quasdam quae non inveniuntur, ut ostendat, quod etiam aliis pluribus apparuit. Sed facit mentionem specialem de Petro, et Iacobo, quia erant quasi columnae, ut dicitur *Galat. 2.* Dicit ergo: *Tradidi vobis, quia visus est Cephae*, idest Petro: *Luc. ult. 34. Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.* Et creditur quod inter viros primo apparuit Petro, quia erat in maxima tristitia: unde et Angelus dixit *Marc. ult. 7. Ite, dicite discipulis eius, et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam. Postea*, idest in alia vice, *visus est undecim Apostolis.* Semel quidem visus est decem tantum, quando Thomas erat absens, et post octo dies, undecim, quando Thomas erat cum eis. Augustinus *Lib. 2. de Cons. Evang. cap. 25.* dicit, quod debet dicere duodecim, sed corruptum est vitio scriptorum: et dicit quod non refert quod Iudas iam obierat, et Mathias nondum erat electus: quia consuetum est quod quando maior pars collegii facit aliquid, dicitur quod totum collegium hoc facit. Unde quia Dominus elegerat duodecim; ideo potest dici, quod visus est duodecim, idest toti collegio Apostolorum. Sed non est

vis, sive dicatur duodecim, sive undecim. *Deinde* iterum *visus est plusquam quingentis fratribus.* Sed de hoc nihil legimus in sacra Scriptura, nisi hoc quod hic dicitur. Potest tamen dici, quod haec apparitio fuit de qua loquitur Dionysius *in 3. de divinis Nominibus*, quando omnes discipuli convenerunt ad videndum corpus quod ferebat principem vitae.

Sed contra hoc videtur esse, quia hoc fuit ante ascensionem, quando scilicet Christus apparuit Iacobo. Sed congregatio discipulorum ad videndum Beatam Virginem, de qua videtur loqui Dionysius, fuit multum post.

Et ideo melius videtur dicendum, quod apparuit quingentis fratribus simul ante ascensionem suam, et non refert quod dicitur, Discipuli erant centum viginti: quia licet illi qui erant in Hierusalem, essent centum viginti, tamen in Galilaea erant multi discipuli, et forte omnes congregati sunt simul cum apparuit. Et ut huius testimonium sit magis certum, dicit, quod ex eis *adhuc multi manent*, idest vivunt, *quidam autem ex eis dormierunt*, idest mortui sunt in spe resurrectionis. Et vocat sanctorum mortem dormitionem: quia moriuntur carne corruptibili, ut resurgant incorruptibiles: *Rom. 6. 9. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

*Deinde*, idest post, *visus est Iacobo*, scilicet Alphaei. Et ratio huius potest assignari, quia, ut legitur, Iacobus vovit se non sumpturum cibum, nisi prius videret Christum.

Sed secundum hoc non servaretur ordo apparitionis: quia si post omnes numeratas apparitiones apparuisset Iacobo, nimis fuisset sine cibo; et hoc est difficile. Et ideo dicendum est, quod ideo singulariter Christus apparuit Iacobo, quia specialem devotionem Iacobus ad Christum habuit. Et de ista etiam apparitione nihil habetur in Evangelio.

*Deinde*, post hoc scilicet visus est, *omnibus Apostolis*, in ascensione, ut legitur *Matth. ult.* et *Act. 1. Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi.* Hic Apostolus commemorat apparitionem factam sibi soli; et circa hoc duo facit. Primo ostendit ordinem apparitionis; secundo rationem eius assignat, ibi, *Ego enim sum minimus Apostolorum.* Dicit ergo ita. Dixi, quod omnibus manifestatus est Christus: *novissime*, idest ultimo, et post ascensionem, *visus est et mihi*, *tamquam abortivo*, et ideo novissime. Dicit autem, *Tamquam abortivo*, propter tria. Abortivus dicitur aliquis foetus, vel quia nascitur extra tempus debitum, vel quia cum violentia educitur, vel quia non producitur ad debitam quantitatem. Et quia haec tria videbat in se Apostolus; ideo dicit, *Tamquam abortivo.* Primo enim ipse extra tempus aliorum Apostolorum renatus est Christo: nam alii Apostoli renati sunt Christo ante adventum Spiritus sancti, Paulus vero post. Secundo quia alii Apostoli spontanee conversi sunt ad Christum, sed Paulus coactus: *Act. 9. Prostravit eum ad terram etc.* Et hoc multum valet contra haereticos, qui dicunt, quod nullus debet cogi ad fidem, quia Paulus coactus fuit. Et sicut dicit Augustinus *epist. 1. post med.* plus profecit in fide Paulus cum coacte conversus est, quam multi qui spontanee venerunt. Tertio quia reputat se aliis minorem, et non pervenisse ad virtutem aliorum Apostolorum; et ideo quasi rationem assignans, dicit: *Ego enim sum minimus Apostolorum.* Circa hoc duo facit. Primo enim ostendit suam parvitatem; secundo rationem huius exponit, ibi, *Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Parvitatem autem suam manifestat primo in comparatione ad Apostolos, cum dicit: *Ego enim sum minimus Apostolorum: Isa. 60. 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam: Eccli. 3. 20. Quanto maior es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Et licet sit minimus in comparatione ad Apostolos, posset tamen dici, quod est magnus in comparatione ad alios, quia est Apostolus; et ideo secundo ostendit suam parvitatem in comparatione ad alios, cum dicit: *Qui non sum dignus*, non solum esse, sed *vocari Apostolus*, licet vocer: *2. Corinth. 3. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed posses dicere: O Apostole, propter humilitatem nullus debet dicere falsum: cum ergo tu sis magnus, quare vocas te minimum? et ideo cum dicit, *Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, ostendit quomodo sit minimus, et quomodo non minimus. Minimum autem dicit se, considerando praeterita facta sua, et dicit: *Non sum dignus vocari Apostolus.* Quare? *Quia persecutus sum Ecclesiam Dei*, quod alii Apostoli non fecerunt: *Gal. 1. 13. Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam: 1. Timoth. 1. 13. Qui fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus.* Et licet ex me sim minimus, tamen ex Deo non sum minimus; et ideo dicit: *Gratia Dei sum id quod sum.* Et circa hoc duo facit. Primo commendat conditionem suam quantum ad statum; secundo quantum ad executionem status, ibi, *Et gratia eius in me vacua non fuit.* Dicit ergo primo: Ex me nihil sum, sed id quod sum, gratia Dei sum, idest ex Deo, non ex me: *Ephes. 3. 7. Cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei quae data est mihi.* Et dicit, *Id quod sum*, quia homo sine gratia nihil est: *Supra 13. 2. Si habuero omnem prophetiam, et noverim mysteria omnia... caritatem autem non habuero, nihil sum.* Sed qualiter usus sit, et executus statum suum, ostendit dicens: *Et gratia eius in me vacua non fuit.* Ubi primo ostendit quomodo usus sit gratia ista, quia ad bonum; et ideo dicit: *In me vacua non fuit*, idest otiosa, quia ea usus est ad id ad quod data est sibi: *Phil. 2. 16. Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.* Secundo manifestat quomodo alios excessit; et ideo subdit: *Sed abundantius illis omnibus*, idest Apostolis sigillatim, *laboravi*, praedicando: quia nullus per tot loca praedicavit, et annuntiavit Christum: unde dicit *Rom. 15. 10. Ita quod a Hierusalem usque ad Illyricum per circuitum repleverim Evangelium Christi:* et etiam usque ad Hispaniam; operando: quia licet ipse, sicut alii Apostoli, posset exigere sumptus sibi necessarios, tamen specialiter voluit de labore manuum quaerere sumptus suos, ut ipse dicit *2. Thess. 3. 8. Nocte, et die manibus nostris operantes, ne quem vestrum gravemus;* tribulationes sustinendo: nullus enim Apostolorum tot persecutiones, et tribulationes sustinuit, ut ipse enumerat *2. Corinth. 11. 23. In laboribus plurimis, et carceribus etc.* Tertio osten-

dit usus efficaciam, quia hoc non a se solo, sed ex instinctu, et adiutorio Spiritus sancti; et ideo dicit: *Non autem ego* solus operor, *sed gratia Dei mecum*, quae movet voluntatem ad hoc: *Isa. 26. 12. Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine: Philip. 2. 13. Qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Deus enim non solum infundit gratiam, qua nostra opera grata fiunt, et meritoria; sed etiam movet ad bene utendum gratia infusa; et haec vocatur gratia cooperans.

*Sive ego enim, sive illi, sic praedicavimus.* Hic ostendit concordiam praedicantium; et hoc potest dupliciter legi. Primo ut sit confirmatio dictorum; quasi dicat aliquis: Tu ita praedicas, sed tamen non credimus tibi soli, quia tu minimus es inter Apostolos. Ideo respondens Apostolus ait: Immo debetis mihi credere, quia ego non praedico alia. *Sive ego*, sive alii Apostoli, *sic praedicavimus*, scilicet Christum resurrexisse, et visum fuisse etc. et vos etiam *credidistis*, sicut ego, et illi praedicaverunt, scilicet quod Christus resurrexit, et visus etc. *2. Corinth. 4. 13. Habentes eumdem spiritum fidei... et nos credimus, propter quod et loquimur.* Secundo potest legi, ut efficacia praedicationis sit omnibus Apostolis ex uno, idest a gratia Dei, quasi dicat: *Sive ego*, praedicem, *sive illi*, idest Apostoli, sicut praedicamus; hoc fecimus adiuti, et firmati per gratiam Dei; et etiam vos ipsi *credidistis*, scilicet inspirati Spiritu sancto, et gratia Dei, sine qua nihil facere possumus: *Ioan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere.*

## LECTIO II.

Si autem Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormieruut in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Supra Apostolus adstruxit fidem per resurrectionem Christi; hic vero probat per resurrectionem Christi resurrectionem mortuorum futuram: et primo probat futuram resurrectionem; secundo ostendit qualitatem resurgentium, ibi, *Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui?* tertio vero describit ordinem resurrectionis, ibi, *Ecce mysterium vobis dico.* Circa primum duo facit. Primo probat resurrectionem mortuorum futuram ratione sumpta ex resurrectione Christi; secundo ratione sumpta ex vita sanctorum, ibi, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Probat autem mortuorum resurrectionem ex resurrectione Christi tali ratione. Si Christus resurrexit, ergo et mortui resurgent. Circa ergo hanc rationem tria facit. Primo ponit conditionalem, scilicet si Christus resurrexit, et mortui resurgent; secundo vero probat antecedens ipsius conditionalis, ibi, *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit;* tertio probat conditionalem esse veram, ibi, *Nunc autem Christus resurrexit.* Dicit ergo primo: Dixi, quod sive ego praedicaverim, sive illi, scilicet alii Apostoli, sic credidistis; sed si praedicatur a nobis, quod Christus resurrexit a mortuis, *quomodo quidam in vobis*, idest inter vos, *dicunt quoniam resurrectio mortuorum non est?* quasi dicat: Si Christus resurrexit a mortuis secundum quod nos praedicamus, *1. Thes. 4. 13. Si credimus quod Christus mortuus est, et resurrexit; ita et Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo*, nullus debet dubitare resurrectionem mortuorum futuram. Unde *Rom. 8. 11. Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.*

Sed videtur quod haec argumentatio non valeat, cum sit locus a maiori, affirmando: quia licet Christus resurrexit specialiter ex virtute divinitatis suae, non sequitur quod alii homines resurgant.

Sed ad hoc dicunt aliqui, quod non est locus a maiori, sed a simili. Mori enim, et resurgere competit Christo secundum humanam naturam: et dicunt, quod est simile argumentum, sicut si diceret, anima Sortis est immortalis: ergo omnes, scilicet animae hominum, sunt immortales. Videtur autem quod sit melius dicendum, quod sit locus a causa: quia resurrectio Christi est causa resurrectionis nostrae. Et ideo, secundum Glossam, dicendum est. *Si Christus*, qui est causa efficiens nostrae resurrectionis, *resurrexit, quomodo dicunt, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Sed tamen non est dicendum, quod sit causa efficiens tantum per modum meriti, quia resurgendo non meruit eam, cum iam esset comprehensor, et viveret vita gloriosa; nisi forte meritum resurrectionis mortuorum referatur ad passionem Christi. Nec est causa exemplaris tantum, ut quidam dicunt; sed est causa efficiens, et exemplaris. Unde Augustinus dicit *super Ioan. tract. 19.* quod Verbum caro factum vivificat animas, et resuscitat mortuos. Sic ergo patet quod si Christus resurrexit, et mortui resurgent.

Sed contra. Resurgere a mortuis est supra naturam. Hoc autem non est nisi virtutis infinitae, quae Deus est. Non ergo resurrectio corporis Christi est causa efficiens resurrectionis mortuorum; cum humanitas Christi, seu corpus sit creatura; licet de Christo vel de homine non possit dici, quod est creatura.

Responsio. Dicendum, quod inquantum Deus, sive inquantum divinitas est in Christo, Christus est et exemplar, et causa efficiens resurrectionis mortuorum per humanitatem suam, sicut per instrumentum divinitatis suae. Ad illud quod obiicitur, dicendum, quod caro Christi, seu humanitas, non dicitur facere effectum virtutis infinitae, inquantum caro, vel humanitas, sed inquantum caro Christi, vel humanitas Christi.

Sed quaeritur adhuc. Nam posita causa sufficienti, statim ponitur effectus: si ergo resurrectio Christi est

sufficiens causa resurrectionis mortuorum, statim deberent mortui resurgere, et non tantum differre.

Responsio. Dicendum, quod effectus sequitur ex causis instrumentalibus secundum conditionem causae principalis : et ideo, cum Deus sit principalis causa nostrae resurrectionis, resurrectio vero Christi sit instrumentalis ; resurrectio nostra sequitur resurrectionem Christi secundum dispositionem divinam, quae ordinavit ut tali tempore fieret.

Sed numquid si Deus non fuisset incarnatus, homines resurrexissent ? Dicendum videtur quod non: quia Christus non fuisset passus, nec resurrexisset. Dicendum est autem ad hoc, quod haec obiectio nulla est: quia quando aliquid ordinatur ab aliqua causa, debet argumentari ad illud, servato ordine illius causae. Et ideo dicendum est, quod Deus ordinavit resurrectionem mortuorum fore per istum modum. Potuisset tamen et alius modus adhuc inveniri a Deo, si voluisset.

Deinde cum dicit, *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*, probat antecedens, scilicet quod Christus resurrexit; et hoc ducendo ad inconvenientia : et circa hoc duo facit. Primo ducit ad inconvenientia ; secundo ostendit illa esse inconvenientia, ibi, *Invenimur autem et falsi testes Dei.* Circa primum facit deductionem suam, supponendo quod si Christus non resurrexit, neque mortui resurgent : quod si ita est, sequntur duo inconvenientia. Unum est quod inanis est praedicatio Apostoli, et inutilis ; aliud est quod inanis est fides Corinthiorum. Unde dicit: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra.* Et hoc est quod dicit: Ex hoc quod sive ego, sive illi sic praedicant etc. Dicit ergo : *Si autem Christus non resurrexit, inanis est*, idest falsa, *praedicatio nostra*, quia sic credidistis ; et hoc magnum est inconveniens, quod praedicationem eorum non suffulserit veritas, cum Apostolus dicat *Philip. 2. 16. Non in vacuum cucurri, neque laboravi.*

*Invenimur autem et falsi testes Dei.* Hic ostendit illa duo esse inconvenientia : et primo ostendit quod sit inconveniens, si praedicatio Apostolorum esset inanis, seu falsa; secundo ostendit quod sit inconveniens, si fides illorum esset inanis, ibi, *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Ostenditur autem primum esse inconveniens; quia essent falsi testes non solum dicendo aliqua vana, vel aliqua contra aliquem hominem false, quod est mortale peccatum; sed falsi testes adversus Deum, quod est sacrilegium : quia si Deus non suscitavit Christum a mortuis, secundum quod nos praedicamus, *invenimur falsi testes;* et si mortui non resurgent, Deus non resuscitavit Christum a mortuis : *Iob 13. 7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ?* Et hoc est pessimum, scilicet quod aliquid attribuatur Deo quod non facit; et laudare in eo quod non est. Unde dicit Augustinus *epist. 8. Non minori, sed maiori fortasse scelere in Deo laudatur falsitas, quam vituperetur veritas.* Cuius ratio est, quia intellectus noster numquam potest tantum laudare Deum quin deficiat a perfectione eius; et ideo si non totaliter intellectus omnem veritatem possit de Deo intelligere, hoc est ad excellentiam Dei. Sed si attribuitur aliquid Deo quod non habet, vel non facit, videtur quod intellectus noster est maior Deo, et intelligat aliquid maius eo quod sibi false attribuit : et hoc contra illud *1. Ioan. 3. 20. Deus maior est corde nostro.*

*Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* Hic ostendit quod inconveniens sit, si fides illorum esset inanis; et hoc ostendit per tria inconvenientia, quae sequntur inde. Primum est, quia constat quod falsitas non habet virtutem purgandi ; sed constat quod fides purgat peccata: *Act. 15. 9. Fide purificans corda eorum.* Si ergo fides nostra sit inanis, quod esset si Christus non resurrexit ; peccata vestra non sunt vobis dimissa; et hoc est quod dicit: *Adhuc estis in peccatis vestris.* Sed quia posset aliquis dicere: Licet fides non purget peccata, possunt tamen purgari ab eis per bona opera; ideo addit secundum inconveniens, scilicet quod mortui, qui non possunt purgari in alia vita, perierunt absque spe salutis ; et ideo quasi concludens dicit : *Ergo qui in Christo*, idest in fide Christi, *dormierunt*, idest mortui sunt in spe salutis, *perierunt :* quia in alia vita nulla sunt opera meritoria. Sed quia posset adhuc dicere: Non curo de peccatis, non curo de mortuis, dummodo habeam in vita ista quietem, et tranquillitatem ; ideo addit tertium incouveniens, cum dicit : *Si in hac tantum vita in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et innititur tali argumento. Si resurrectio mortuorum non est, sequitur quod nihil boni habeatur ab hominibus, nisi solum in vita ista: et si hoc est, tunc illi sunt miserabiliores qui in vita ista multa mala, et tribulationes patiuntur. Cum ergo plures tribulationes Apostoli, et Christiani patiuntur, sequitur quod sint miserabiliores ceteris hominibus, qui ad minus perfruuntur huius mundi bonis.

Sed circa hanc rationem videntur duo dubitanda. Unum, quia non videtur quod sit verum universaliter quod Apostolus dicit, scilicet qnod Christiani sunt confidentes in hac vita tantum : quia possent dicere illi, quod licet corpora non habeant bona nisi in vita ista, quae est mortalis, tamen secundum animam habent multa bona in alia vita.

Ad hoc obviatur dupliciter. Uno modo quia si negetur resurrectio corporis, non de facili, immo difficile est sustinere immortalitatem animae. Constat enim quod anima naturaliter unitur corpori ; separatur autem ab eo contra suam naturam, et per accidens. Unde anima exuta corpore, quamdiu est sine corpore, est imperfecta. Impossibile autem est quod illud quod est naturale, et per se, sit finitum, et quasi nihil; et illud, quod est contra naturam, et per accidens, sit infinitum, si anima semper duret sine corpore. Et ideo Platonici ponentes immortalitatem, posuerunt reincorporationem; licet hoc sit haereticum. Et ideo si mortui non resurgunt, solum in hac vita confidentes erimus. Alio modo quia constat quod homo naturaliter desiderat salutem sui ipsius ; anima autem cum sit pars corporis humani, non est totus homo, et anima mea non est ego : unde licet anima consequatur salutem in alia vita, non tamen ego, vel quilibet homo. Et praeterea cum homo naturaliter desideret salutem etiam corporis, frustraretur naturale desiderium.

Secundum dubium est, quia videtur quod dato quod corpora non resurgant, non essemus nos Christiani miserabiliores ceteris hominibus: quia illi qui sunt in

peccatis, sustinent maximos labores: *Hier. 9. 5. Ut inique agerent, laboraverunt:* et *Sap. 5. 7.* dicunt impii: *Ambulavimus vias difficiles;* at vero de bonis et iustis dicitur *Galat. 5. 22. Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax etc.*

Ad hoc dicendum, quod mala quae sunt in hoc mundo, non sunt secundum se appetenda, sed secundum quod ordinantur ad aliquod bonum. Apostoli autem, et Christiani multa mala passi sunt in hoc mundo. Nisi ergo ordinarentur ad aliquod bonum, essent miserabiliores ceteris hominibus. Aut ergo ordinantur ad bonum futurum, aut ad bonum praesens. Sed ad bonum futurum non ordinantur, si non est resurrectio mortuorum. Si autem ordinantur ad bonum praesens, hoc vel est bonum intellectus, sicut Phililophi naturales paupertates, et alia multa mala passi sunt, ut pervenirent ad veritatem. Sed ad hoc non possunt ordinari, si non est resurrectio mortuorum: quia sic fides eorum esset falsa, quia ipsi praedicaverunt resurrectionem futuram. Falsitas autem non est bonum intellectus. Vel est bonum moris, sicut morales Philosophi multa mala passi sunt, ut pervenirent ad virtutes, et famam. Sed nec ad hoc ordinari possunt: quia si resurrectio mortuorum non sit, non reputatur virtus, et gloria velle omnia delectabilia dimittere, et sustinere poenas mortis, et contemptus; sed potius reputatur stultitia. Et sic patet quod miserabiliores essent ceteris hominibus.

## LECTIO III.

**Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventum eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.**

Hic probat positam superius conditionalem esse veram, scilicet si Christus resurrexit, mortui resurgunt: et circa hoc tria facit. Primo ostendit quomodo se habeat resurrectio Christi ad resurrectionem aliorum; secundo ostendit ordinem resurrectionis, ibi, *Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus;* tertio ostendit finem resucrectionis, ibi, *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Circa primum duo facit. Primo ostendit habitudinem resurrectionis Christi ad resurrectionem aliorum, per conditionalem praedictam probans hoc; secundo probat ipsam habitudinem, ibi, *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Dicit ergo: *Nunc*, idest ex quo dicta inconvenientia sequntur, si Christus non resurrexit, ideo ad ipsa vitanda dicamus, quod *Christus resurrexit.* Hoc autem verum est secundum quod *Matth. ult.* dicitur, et aliis locis Evangeliorum. Sed resurrectionis Christi habitudo ita se habet ad resurrectionem aliorum, sicut primitiae fructuum ad sequentes fructus, quae excedunt alios fructus tempore, et melioritate, seu dignitate; et ideo dicit, quod resurrexit, sicut alii, sed *primitiae*, idest primo tempore, et dignitate: *Apoc. 1. 5. Primogenitus mortuorum. Primitiae*, dico *dormientium*, qui in spe resurrectionis quiescunt. Ex hoc potest inferri conditionalis posita: quia, sicut dicimus, et verum est, si Christus, qui est primitiae dormientium, resurrexit, ergo et alii dormientes.

Sed contrarium videtur, scilicet quod Christus non resurrexit primitiae dormientium: quia Lazarus fuit resuscitatus a Christo nondum passo, et aliqui Prophetae suscitaverunt alios a mortuis, ut habetur in veteri testamento.

Ad hoc dicendum, quod duplex est resurrectio. Una est ad vitam mortalem; et ad istam Lazarus, et alii qui suscitati fuerunt, resurrexerunt ante Christum. Alia ad vitam immortalem; et de hac loquitur hic Apostolus.

Sed contra *Matth. 27.* dicitur, quod multa corpora sanctorum surrexerunt. Cum ergo hoc legatur ante Christi resurrectionem, et constet quod non resurrexerunt ad vitam mortalem; videtur quod adhuc restet quaestio prima.

Responsio. Dicendum, quod hoc quod Matthaeus dicit de resurrectione illorum, dicit per anticipationem: quia licet dicatur in tractatu de passione, non tunc resurrexerunt, sed postquam Christus resurrexit.

*Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Hic probat habitudinem positam, scilicet quod Christus sit primitiae dormientium: et primo probat in generali; secundo in speciali, ibi, *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Probat in generali tali ratione. Deus voluit reintegrare humanam naturam. Sed humana natura corrupta est per hominem, quia mors intravit per hominem. Pertinebat ergo ad dignitatem humanae naturae ut reintegraretur per hominem. Hoc autem est ut reducatur ad vitam. Conveniens ergo fuit ut sicut mors intravit per hominem, scilicet per Adam, ita *resurrectio mortuorum* fieret *per hominem*, scilicet per Christum: *Rom. 5. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes, in vitam regnabunt per unum Iesum Christum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Hic probat idem in speciali, dicens, quod sicut in Adam omnes morimur morte corporali, ita et omnes vivificamur in Christo: *Rom. 5. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.*

Et non dicit per Evam, quod videtur contra illud

*Eccli. 25. 33. Per illam omnes morimur.* Dicendum, quod hoc est per illam, Evam scilicet suggerentem, sed per Adam sicut causantem. Nam si solum Eva peccasset, peccatum originale non fuisset traductum in posteros.

*Vivificabuntur*, inquam, *in Christo*, scilicet boni, et mali vita naturae, sed vita gratiae nonnisi boni; sed tamen Apostolus loquitur hic de resurrectione ad vitam naturae, ad quam omnes vivificabuntur: *Ioan. 5. 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit vitam habere*, idest vivificandi virtutem: *Ibidem 28. Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.*

*Unusquisque autem in suo ordine.* Hic ostendit ordinem resurrectionis: et primo insinuat ipsum ordinem; secundo manifestat id quod dixerat, ibi, *Primitiae Christus.* Dicit ergo, quod verum est quod omnes in Christo vivificabuntur, sed tamen differenter: quia differentia erit inter caput et membra; et differentia erit quantum ad bonos, et malos: et ideo dicit, quod *unusquisque* resurget *in suo ordine*, scilicet dignitatis: *Rom. 13. 1. Quae autem sunt a Deo, ordinata sunt.* Sed hunc ordinem consequenter manifestat: quia *primitiae Christus*, quia ipse est prior tempore, et dignitate, quia plus habet de gloria: *Ioan. 1. 14. Vidimus eum quasi unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Deinde resurgent omnes *qui sunt Christi*, posteriores tempore, et dignitate: isti sunt qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis: *Galat. 4. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum: 1. Tim. 6. 14. Serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri.* Qui autem sint Christi, exponit dicens: *Qui crediderunt* per fidem per dilectionem operantem: *Hebr. 11. 6. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit. In adventum eius*, primo, et secundo.

Sed sciendum, quod inter alios sanctos non erit ordo temporis, quia omnes resurgent in ictu oculi; sed bene secundum dignitates, quia Martyr resurget ut Maryr, Apostolus ut Apostolus, et sic de aliis.

*Deinde finis.* Hic ostendit finem resurrectionis, et hunc duplicem: unum quantum ad adeptionem boni; alium quantum ad remotionem mali, ibi, *Oportet autem illum regnare.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod adeptio ipsius boni consistit in inhaerentia ad Deum; secundo ostendit quod in immediata inhaerentia, ibi, *Cum evacuerit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Dicit ergo, quod *deinde*, idest post hoc, erit *finis* resurrectionis: et finis huiusmodi non erit ut vivant vita corporis, et voluptatibus, ut Iudaei, et Saraceni fingunt; sed quod inhaereant Deo per immediatam visionem, et beatam fruitionem: et hoc est tradere regnum Deo et Patri. Et ideo dicit: *Cum tradiderit*, idest perduxerit, *regnum*, idest fideles suos, quos proprio sanguine acquisivit: *Apocal. 5. 9. Redemisti nos Deo in sanguine tuo: Deo et Patri*, idest ante conspectum Dei, idest Creatoris sui inquantum est homo, et Patris inquantum est Deus. Et hoc est quod petebat Philippus *Ioan. 14. 8. Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Sed sic tradet, ut sibi non adimat; immo ipse unus Deus cum Patre, et sancto Spiritu regnabit. Vel *cum tradiderit regnum Deo et Patri*, idest cum ostendet Deum Patrem regnare. In Scriptura enim tunc dicuntur aliqua fieri, quando primo innotescunt; et huiusmodi innotescentia fit per Christum: *Matth. 11. 27. Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

*Cum evacuaverit.* Hic ostendit immediationem dictae inhaerentiae. Sicut enim dicitur *Galat. 4. 1. quanto tempore haeres parvulus est ... est sub tutoribus, et actoribus usque ad praefinitum tempus a patre*; sed quando iam est magnus, et perfectus, tunc immediate absque paedagogo, et tutore sub patre est in domo. Status autem huius vitae praesentis assimilatur pueritiae; et ideo in vita ista sumus sub angelis, sicut sub tutoribus, inquantum prosunt nobis, et dirigunt nos; sed quando tradetur regnum Deo et Patri, tunc immediate erimus sub Deo, et cessabunt omnia alia dominia: et hoc est quod dicit: *Et cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*, idest cum cessaverit omne dominium tam humanum, quam angelicum, tunc immediate erimus sub Deo: *Isa. 2. 11. Exaltabitur Dominus solus in die illa: Hierem. 31. 34. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum.*

Sed numquid non remanebunt ordines angelorum distincti? Dicendum quod sic, quantum ad eminentiam gloriae, qua unus alteri praeeminet, sed non quantum ad efficaciam executionis ad nos; et ideo illos dicit evacuari quorum nomina pertinent ad executionem, scilicet principatus, potestates, et virtutes; illos autem qui sunt de superiori hierarchia, non nominat, quia non sunt exequentes, nec angelos, quia est nomen commune. Dominationes autem non dicit evacuari, quia licet sint de exequentibus, non tamen ipsi exequuntur, sed dirigunt, et imperant: dominorum enim est dirigere, et imperare, non exequi. Archangeli vero intelliguntur cum principatibus; archos enim idem est quod princeps. Hi tres ordines, secundum Gregorium *hom. 34. super Evang.* leguntur descendendo: quia, secundum ipsum, principatus sunt super potestates, et potestates super virtutes; sed secundum Dionysium, ascendendo: quia vult quod virtutes sint super potestates, et potestates super principatus.

Vel aliter. *Cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*, idest tunc erit notum quod principatus, et potestates, et dominationes nihil potestatis habuerunt ex seipsis, sed a Deo, ex quo sunt omnia.

Deinde cum dicit, *Oportet autem illum regnare*, ostendit Apostolus finem resurrectionis, quoad remotionem mali: quod quidem ostendit per destructionem omnium inimicorum ad Christum: et primo ponit ipsorum destructionem; secundo subiectionis perfectionem, ibi, *Novissime autem inimica destruetur mors*; tertio subiectionis finem, ibi, *Cum autem subiecta fuerint illi omnia.* Dicit ergo primo: Dixi, quod finis erit, *cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Sed numquid Christus habet regnum, ita quod oportet illum regnare? Sic enim dicitur *Matth. ult. 18. Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra: Luc. 1. 32. Et regnabit in domo Iacob. Oportet*, inquam, *donec ponat inimicos suos sub pedibus eius.*

Sed numquid modo non sunt inimici eius sub pedibus eius, idest sub potestate Christi? Dicendum, quod modo inimici Christi sunt sub potestate eius, sed dupliciter. Vel inquantum per ipsum convertuntur, sicut Paulus, quem prostravit, *Act. 9.* vel inquantum Christus facit voluntatem suam etiam de his qui faciunt hic contra voluntatem Christi. Sic ponit inimicos suos sub pedibus suis, puniendo eos ; sed in futuro ponet sub pedibus, idest sub humanitate Christi. Sicut enim per caput deitas Christi intelligitur, quia *caput Christi Deus*, *supra 11. 3.* ita per pedem humanitas : *Psal. 131. 7. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Sic ergo inimici erunt non solum sub deitate, sed etiam sub humanitate Christi : *Phil. 2. 10. In nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.*

Sed quid est quod dicit, *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius?* Numquid non regnabit priusquam posuerit inimicos sub pedibus? Dicendum, quod hoc potest intelligi dupliciter. Nam ly *donec* quandoque determinat tempus, et ponitur pro finito; sicut si dicerem : Non videbo Deum donec moriar : quia usque tunc non videbo, sed postea videbo : quandoque ponitur pro infinito, sicut cum dicitur *Matth. 1. 25. Non cognovit eam donec peperit filium suum :* non quod velit dicere, quod non cognovit eam solum usque ad partum filii, sed nec etiam postea umquam cognovit, sicut dicit Hieronymus. Iste modus servatur quando aliqui intendunt excludere illa solum de quibus est dubium. Unde Evangelium exclusit illud solum, quod videtur esse dubium, scilicet quod Ioseph cognovisset Beatam Virginem ante partum. Hoc vero quod post partum non cognovit eam, nulli est dubium, cum tot mysteria pueri viderit, et toties ab angelis monitus sit, et adoratus etiam a Magis Iesus fuisset : unde poterat eam iam Dei matrem cognoscere : et ideo non curavit hoc excludere. Sic etiam loquitur hic Apostolus. Quod enim aliquis regnet adhuc inimicis non subiugatis, videtur esse dubium ; sed quod regnet postquam inimici subiugati sunt, nulli est dubium : et ideo illud excludit principaliter, dicens : *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius ;* quasi dicat : Verum est quod Christus habet regnum: et licet sint aliqui inimici, dum non faciunt voluntatem suam, tamen regnat donec ponat illos sub pedibus. Potest etiam alio modo intelligi *Donec ponat etc.* ut ly *donec* determinet tempus, et ponatur pro futuro ; ut dicatur sic. *Oportet illum regnare.* Sed quando? *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius;* quasi dicat : Usque tunc regnabit, quousque ponat inimicos sub pedibus; postea vero non regnabit. Sed secundum hanc expositionem, regnare non importat regnum habere, sed in regnando proficere, et regnum augeri; et hoc quantum ad manifestationem perfectam regni Christi ; quasi dicat : Regnum Christi paulatim proficit, inquantum scilicet manifestatur, et innotescit, *donec ponat inimicos sub pedibus*, idest quousque omnes inimici regnare eum fateantur : boni quidem cum gaudio beatitudinis, mali vero cum confusione ; et postea non regnat, idest regnum suum non proficit, et non amplius manifestatur, quia iam plene manifestum erit.

Sic ergo patet omnium adversantium subiectio: quae quidem subiectio perfectissima erit, quia etiam illud quod maxime inimicatur, subiicietur sibi. Hoc autem est mors, quae maxime contrariatur vitae ; et ideo dicit : *Novissime autem inimica destruetur mors :* ubi tria facit. Primo ponit subiectionem mortis ; secundo probat hoc per auctoritatem, ibi, *Omnia enim subiecit sub pedibus eius;* tertio ex ipsa auctoritate arguit, ibi, *Cum autem dicat etc.* Dicit ergo : Dixi, quod omnes inimicos subiecit sub pedibus eius. Sed qualiter? Perfectissime, inquam, quia *novissime inimica mors destructur*, scilicet in fine, quia non poterit esse cum vita, ubi omnes per resurrectionem vivent: *Osee 13. 14. Ero mors tua, o mors : Isa. 25. 8. Praecipitabit mortem in sempiternum.*

Sciendum est autem, quod Origenes ex hoc verbo sumpsit occasionem erroris sui, quem ponit in Periarchon : ipse enim voluit quod poenae damnatorum essent purgatoriae, et non aeternae; et voluit quod omnes qui sunt in inferno, quandoque converterentur ad Christum, et salvarentur, et etiam diabolus : et hoc confirmat per ista verba, *Donec ponat inimicos sub pedibus eius :* et intelligit quod hoc quod dicitur, *Inimicos sub pedibus*, solum intelligatur de subiectione quae fit per conversionem peccatorum ad Deum, non de subiectione qua sunt subiecti Christo etiam illi qui numquam convertuntur ad Christum, inquantum punit eos in inferno. Et ideo dicit: *Oportet illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus :* quia tunc omnes damnati, et qui sunt in inferno, salvabuntur, inquantum scilicet convertentur ad ipsum, et servient ei, et non solum ipsi homines damnati ; *autem*, pro sed, *novissime ipsa mors*, idest diabolus, *destruetur*, non quod non sit omnino, sed quod non sit mors, quia etiam ipse diabolus in fine salvabitur. Sed hoc est haereticum, et damnatum in Concilio.

Iterum sciendum est, quod Apostolus signanter posuit hoc quod dicitur, *Novissime autem inimica destruetur mors*, ad removendum duas quaestiones, quae possent fieri circa praedicta de resurrectione : scilicet utrum Christus posset vivificare mortuos ; et hoc solvitur, quia omnes inimicos posuit sub pedibus eius, et etiam ipsam mortem : et quare non statim omnes resuscitavit ; ad quod respondetur, quod oportet quod primo subiiciat inimicos sub pedibus, et novissime cum destruetur ipsa mors, tunc resurgent omnes ad vitam. Non ergo differt, quia non potest, sed ut servet ordinem : quia quae a Deo sunt, ordinata sunt. Quod autem ipsa mors subiiciatur Christo, probat per auctoritatem *Psal. 8. 8. Omnia subiecisti sub pedibus*, idest sub humanitate, *eius*, scilicet Christi: *Philip. 2. 11. Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris: Isa. 45. 24. Mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua.* Ex hac autem auctoritate argumentatur, dicens : *Cum autem dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio praeter eum qui subiecit ei omnia.* Et est ratio sua talis. Propheta dicit : *Omnia subiecisti.* Sed dicendo *omnia*, constat quod nihil exclusit nisi illum qui subiecit. Ergo subiecta sunt Christo omnia, et ipsa mors. Dicit ergo : *Cum autem dicat*, Psalmista scilicet, *Omnia subiecta sunt ei*, scilicet Christo, inquantum homini, *praeter eum*, scilicet Patrem, *qui subiecit ei omnia : Hebr. 2. 8. In eo quod omnia sibi subiecit nihil di-*

*misit non subiectum ei: Matth. ult. 18. Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra.*

Sed contra. Si Pater subiecit omnia Filio, ergo Filius est minor Patre. Responsio. Dicendum est, quod Pater subiecit omnia Filio inquantum est homo, ut dictum est: et sic Pater est maior Filio: est enim minor Patre secundum humanitatem. Vel dicendum, quod etiam ipse Filius inquantum Deus subiecit sibi omnia: quia sic potest omnia quae Pater potest: *Philip. 3. 20. Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae secundum operationem qua potens est subiicere omnia.*

Consequenter cum dicit, *Cum autem subiecta fuerint*, ostendit finem huius resurrectionis non esse in humanitate Christi; sed ulterius perducetur rationalis creatura ad contemplationem divinitatis: et in ea est beatitudo nostra, et finis noster ipse Deus est: et ideo dicit: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia*; quasi dicat: Nondum Deus subiecit omnia Christo; sed *cum omnia fuerint ei subiecta*, scilicet Christo, *tunc ipse Filius*, secundum humanitatem, *subiectus erit illi*, scilicet Patri: *Ioan. 14. 28. Pater maior me est.* Et subiectus est nunc etiam Christus secundum quod homo Patri; sed hoc tunc manifestius erit. Et ratio huius subiectionis est, *ut sit Deus omnia in omnibus*, idest ut anima hominis totaliter requiescat in Deo, et solus Deus sit beatitudo. Modo enim in uno est vita, et virtus in alio, et gloria in alio; sed tunc Deus erit vita, et salus, et virtus, et gloria, et omnia. Vel aliter ita. *Ut sit Deus omnia in omnibus*: quia tunc manifestabitur quod quidquid boni habemus, est a Deo.

## LECTIO IV.

Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid et baptizantur pro illis? Ut quid et nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus: cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate iusti, et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor.

Ostensa resurrectione mortuorum ex resurrectione Christi; hic consequenter ostendit resurrectionem mortuorum ex vita sanctorum; et circa hoc duo facit. Primo probat propositum; secundo subiungit admonitionem, ibi, *Nolite seduci*. Probat autem propositum, ducendo ad tria inconvenientia. Primum inconveniens est quod frustraretur devotio hominum ad baptismum. Secundum est quod frustraretur labor sanctorum; et hoc ponit ibi, *Ut quid et nos periclitamur?* Tertium est quod daretur occasio fruendi voluptatibus; et hoc ponit ibi, *Manducemus, et bibamus etc.* Circa primum duo facit. Primo ponit primum inconveniens; secundo explicat illud, ibi, *Si omnino mortui non resurgunt*. Dicit ergo primo: Dixi quod mortui resurgunt: alioquin, scilicet si non est resurrectio mortuorum futura, ut nos praedicamus, *quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo ut per hoc quod dicit, *Mortuis*, intelligantur opera peccati, quae sunt mortua, quia carent vita gratiae, et ducunt ad mortem: *Hebr. 9. 14. Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*: et secundum hoc plana est littera. *Quid* scilicet *facient* illi *qui baptizantur pro mortuis*, idest pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratiae habituri? Alio modo, quia quidam tunc temporis volebant quod homines possent primo baptizari, ut sibi ipsis remissionem peccatorum consequerentur, et iterum baptizabantur pro aliquo consanguineo suo defuncto, ut etiam post mortem dimitterentur ei peccata: et secundum hoc sit littera. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis*, scilicet consanguineis, pro quorum salute baptizantur, si non sit resurrectio mortuorum? Sed isti in aliquo commendari possunt, scilicet in hoc quod fidem resurrectionis videbantur habere; sed in aliquo possunt reprehendi, in hoc scilicet quod unum credebant posse pro alio baptizari.

Sed tunc est quaestio. Si oratio unius prodest alteri, quare non etiam baptismus? Ad hoc est duplex responsio. Una est, quod opera quae faciunt vivi, prosunt mortuis propter unionem caritatis, et fidei: et ideo non prosunt nisi illis qui decedunt cum caritate, et fide: unde infidelibus nec oratio, nec baptismus vivorum prosunt, tamen oratio prodest illis qui sunt in purgatorio. Alia responsio, et melior, quia bona opera valent mortuis, non solum ex vi caritatis, sed etiam ex intentione facientis: sicut si ego dicerem psalterium: pro aliquo qui est in purgatorio, qui tenebatur dicere, ut satisfaciam pro eo; valet quidem quantum ad satisfactionem solum illi pro quo dico. Dicendum est ergo secundum hoc, quod baptismus non habet virtutem ex intentione nostra, sed ex intentione Christi. Intentio autem Christi est ut baptismus illis proficiat qui in Christi fide baptizantur.

Consequenter istud inconveniens explicat, dicens: *Si omnino mortui non resurgunt*. Et ista explicatio videtur magis convenire secundae expositioni supra positae, quasi dicat: *Ut quid baptizantur pro illis*, idest pro mortuis, *si non resurgunt?* Sed si secundum primam expositionem exponatur, tunc sic potest dici. *Si omnino mortui non resurgunt, ut quid etiam baptizantur pro illis*, idest pro peccatis, cum ipsa non dimittantur?

*Ut quid periclitamur omni hora?* Hic ponit secundum inconveniens; et circa hoc duo facit. Primo ponit inconveniens in communi; secundo in speciali, ibi, *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres*. Dicit ergo: Non solum frustra baptizantur aliqui pro remissione peccatorum, sed nos etiam frustra affligimur, si resurrectio mortuorum non est; et hoc est quod dicit: *Ut quid*, et nos sancti Apostoli, *periclitamur*, idest pericula patimur, *omni hora? 2. Corinth. 11. 26. Periculis fluminum, periculis latronum etc.* Constat enim quod sancti exponunt se tribulationibus, et affligunt seipsos propter spem vitae aeternae, se-

cundum illud *Rom. 5. 11. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum:* et *ibid. 5. Spes autem non confundit.* Si ergo resurrectio mortuorum non sit, totaliter spes perit. Frustra ergo affligerent se, si mortui non resurgunt. Nec obstat si dicatur, quod anima separata praemiatur: quia, ut probatum est supra, non posset probari quod anima esset immortalis. Consequenter cum dicit, *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres*, enumerat pericula in speciali: et primo quantum ad personam; secundo quantum ad locum, ibi, *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest?* Manifestat ergo in speciali pericula quantum ad personam suam: unde dicit: *Quotidie morior propter vestram gloriam*; quasi dicat: Non quaecumque pericula patimur, sed etiam mortis: quia *quotidie morior*, idest sum in periculis mortis: *Psalm. 43. 22. Propter te mortificamur tota die.* Et hoc ostendit Apostolus *Roman. 8.* in persona Apostolorum esse dictum: *2. Corinth. 4. 22. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes. Propter gloriam vestram*, idest ut ego acquiram gloriam, quam expecto ex vestra conversione ad fidem: *1. Thess. 2. 20. Vos estis gloria nostra: Et gaudium habeo*, idest spero me habiturum in Christo Iesu Domino nostro, idest per caritatem Christi. Alia littera habet, *Per gloriam vestram*, et tunc ly *per gloriam* est verbum iurantis; quasi dicat: *Per gloriam vestram*, quam scilicet expectatis, quae est Deus; ac si diceret: Iuro per Deum, quem *habeo* in spe *in Christo Iesu*, idest per passionem etc. Ex quo apparet quod etiam Apostolus iuravit, et quod in viris perfectis iurare non est peccatum. *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest?* Hic specificat pericula quantum ad locum. Ubi sciendum est, quod hoc legitur *Act. 19.* ubi dicitur, quod cum Paulus apud Ephesum multos convertisset ad fidem, quidam concitaverunt contra eum populum, intantum quod non esset ausus exire in theatrum, et quod multa pericula sit ibi passus. Ergo forte facit hic de hoc mentionem, quia e vicino passus hoc fuerat. Dicit ergo: *Si secundum hominem*, idest secundum rationem, ex qua homo est, hoc disputando de resurrectione concludens, quod homo non moritur sicut bestia, *pugnavi ad bestias*, idest ad homines bestialiter viventes apud Ephesum. Vel *si pugnavi ad bestias Ephesi;* et hoc dico non ex revelatione divina, sed *secundum hominem*, idest ex instinctu humano, si tot pericula passus sum etc.

Deinde cum dicit, *Manducemus, et bibamus*, ponit tertium inconveniens; quod est, si resurrectio mortuorum non esset, daretur occasio fruendi voluptatibus; quasi dicat: Si non est alia vita, stulti sumus si affligimus nos; sed *manducemus, et bibamus*, idest utamur deliciis, et fruamur voluptatibus: *Sap. 2. 1. Non est qui sit agnitus reversus ab inferis:* et *6. Venite, fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Cras enim*, idest in proximo, *moriemur:* totaliter enim deficiemus in anima, et corpore, si mortui non resurgunt.

Deinde cum dicit, *Nolite seduci*, ex praedictis concludit admonitionem: et primo quantum ad infirmos; secundo vero quantum ad perfectos, et iustos, ibi, *Vigilate iusti.* Circa primum duo facit. Primo reddit eos attentos, dicens: *Nolite seduci;* quasi dicat: Dictum est, quod si resurrectio mortuorum non sit, stultum esset non uti lasciviis, et voluptatibus. Ne ergo ad lascivias inducamini, nolite seduci ab his qui negant resurrectionem: *Coloss. 2. 8. Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam.* Secundo rationem attentionis assignat, dicens: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava;* quasi dicat: Ideo nolite seduci, quia *colloquia mala*, illorum scilicet qui negant resurrectionem, *corrumpunt bonos mores: 2. Timoth. 2. 17. Sermo eorum serpit ut cancer.* Hieronymus dicit, quod hoc est sumptum ex dictis Gentilium, et est versus cuiusdam Menandri. Et ex hoc, ut ipse dicit, argumentum habemus quod licet nobis quandoque in sacra Scriptura uti auctoritatibus Gentilium. Deinde cum dicit, *Vigilate iusti, et nolite peccare*, ponit admonitionem quantum ad perfectos. Possent enim dicere, quod a colloquiis illorum debent cavere infirmi, qui de facili seducuntur; perfecti autem non sic seduci possunt. Apostolus autem vult quod etiam perfecti sint cauti. Unde circa hoc duo facit. Primo reddit eos attentos, dicens: *Vigilate iusti*, idest vos qui reputamini iusti, *vigilate*, idest soliciti sitis: *Matth. 24. 42. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: Apoc. 16. 15. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua.* Secundo rationem assignat, dicens: *Nolite peccare:* et hanc duplicem: quarum unam propter seipsos. Nullus enim est adeo perfectus quin debeat sibi cavere a peccatis. Inertia autem, et torpor frequenter inducit ad peccatum. Unde ne peccent, inducit eos ad vigiliam; et ideo dicit: *Et nolite peccare*, idest ne peccetis: *Tob. 4. 6. In mentem habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias.* Aliam rationem inducit propter alios, quia non solum propter seipsos sint soliciti, sed propter alios ne illi seducantur; et hoc est quod dicit: *Quidam enim habent ignorantiam Dei*, idest non rectam fidem: *Rom. 10. 3. Ignorantes Dei iustitiam, et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti. Et hoc loquor vobis ad reverentiam vestram*, ut sitis cauti; vel ad verecundiam vestram, quia verecundum est vobis, qui reputamini sapientes, et instructi in fide, quod sint aliqui inter vos ignorantiam Dei habentes, idest non rectam fidem.

## LECTIO V.

Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur. Et quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum; ut puta tritici, aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus.

Superius Apostolus probavit resurrectionem mortuorum; hic ostendit qualitatem, et modum resurgentium; et circa hoc duo facit. Primo movet quaestionem circa qualitatem resurgentium; secundo solvit, ibi, *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur.* Circa resurrectionem fuerunt duo errores. Quidam enim totaliter negabant resurrectionem

mortuorum futuram. Cum enim non considerarent nisi principia naturae, et posse; et viderent quod secundum principia naturae, et posse nullus de morte potest redire ad vitam, nec caecus potest recuperare visum; ideo totaliter negaverunt resurrectionem: ex quorum persona dicitur *Sap. 2. 5. Umbrae transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri:* et *ibid. 2. De nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus: Iob 14. 14. Putasne mortuus homo rursum vivat?* Alii autem dixerunt, resurrectionem mortuorum futuram esse; sed dicebant quod resurgebant ad eumdem modum vivendi, et ad eosdem actus: et hoc etiam posuerunt quidam Philosophi, qui dicunt: Post multa annorum curricula, Plato adhuc resurget, et habebit eosdem scholares Athenis, quos aliquando habuit. Hoc etiam asserunt Pharisaei, *Matth. 22. 28.* de muliere septem virorum: unde dicebant? *In resurrectione cuius erit?* Saraceni etiam fingunt quod habebunt post resurrectionem uxores, et voluptates, et delicias corporales: *Iob 20. 17. Non videat rivulos fluminis torrentis, mellis, et butyri:* contra quos dicitur *Matth. 22.* quod erunt sicut angeli Dei in caelo. Has ergo duas quaestiones movet hic Apostolus. Primam cum dicit: *Quomodo resurgunt mortui?* quomodo est possibile quod mortui, qui sunt cinis, possint resurgere? Secundam, cum dicit: *Quali autem corpore venient?* quasi dicat: Numquid cum tali cerpore resurgent cum quali sumus modo?

Has duas quaestiones solvit cum dicit: *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur etc.* Primo solvit secundam; secundo vero solvit primam, ibi, *Ecce mysterium vobis dico.*

Ad intellectum autem eorum quae Apostolus ponit in prima parte, oportet investigare quid Apostolus intendat. Intendit autem in ista parte Apostolus ostendere quod mortui resurgunt, et quod erit eadem substantia. Ubi primo ponit similitudines; secundo adaptat, ibi, *Sic etiam resurrectio mortuorum;* tertio probat, ibi, *Si est corpus animale, est et spiritale.* Circa primum duo facit, Primo proponit similitudines in una specie; secundo in diversis speciebus, ibi, *Non omnis caro, eadem caro.* Circa primum sciendum est, quod videmus in una et eadem specie quod una res in via generationis habet diversas qualitates, et formas: sicut granum aliam formam, et qualitatem habet quando seminatur, aliam quando pullulat, aliam quando iam est in herba. Et ideo ex hac similitudine Apostolus intendit ostendere qualitatem resurgentium. Unde circa hoc tria facit. Primo comparat ordinem seminationis ad pullulationem; secundo differentiam qualitatis in semine, et in pullulatione, ibi, *Tu quod seminas non vivificatur nisi prius moriatur;* tertio causam qualitatis in pullulatione, ibi, *Deus autem dat illi corpus sicut vult.* Dicit ergo, *Insipiens.*

Sed contra. *Matth. 5. 22. Qui dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio.* Dicendum, quod Dominus prohibet dici fratri, Racha, seu fatue, ex ira, non ex correctione. Causa autem quare dicit, *Insipiens*, est quia haec obiectio contra resurrectionem procedit ex principiis humanae sapientiae: quae tamdiu est sapientia, quamdiu est subiecta sapientiae divinae; sed quando recedit a Deo, tunc vertitur in insipientiam: unde cum contradicat sapientiae divinae, vocat eum insipientem; quasi dicat: *Insipiens*, nonne quotidie experiris *tu* quia *quod seminas* in terra, *non vivificatur*, idest vegetatur, *nisi prius moriatur*, idest putrescat? *Ioan. 12. 24. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Ex hoc autem videtur Apostolus facere comparationem, quod quando corpus hominis ponitur in sepulcro in terra, tunc est quaedam seminatio; quando vero resurgit, tunc est quaedam vivificatio. Unde ex hoc opinantur aliqui, resurrectionem mortuorum esse naturalem propter hoc quod Apostolus hic resurrectionem comparat pullulationi seminis, quae est naturalis. Opinantur enim in pulveribus resolutis, in quos resolvuntur humana corpora, esse quasdam virtutes seminales activas ad corporum resurrectionem. Sed istud non videtur esse verum: fit enim resolutio corporis humani in elementa, sicut et aliorum mixtorum corporum. Unde pulveres in quos humana corpora resolvuntur, nullam aliam habent virtutem activam quam alii pulveres, in quibus constat non esse aliam virtutem activam ad corporis humani constitutionem, sed solum in semine hominis. Differunt autem pulveres in quos humana corpora resolvuntur, ab aliis pulveribus solum secundum ordinationem divinam, prout huiusmodi pulveres sunt ex divina sapientia ordinati ut iterum ex eis humana corpora reintegrentur. Unde resurrectionis activa causa solus Deus erit, etsi ad hoc utatur ministerio angelorum quantum ad pulverum collectionem. Propter quod Apostolus infra modum resurrectionis exponens, attribuit sono tubae, et supra attribuit Christo resurgenti, non autem alicui virtuti activae in pulveribus. Non ergo intendit hic probare Apostolus quod resurrectio sit naturalis, per hoc quod semen naturaliter pullulat; sed intendit hic manifestare per exempla quaedam quod non sit eadem qualitas corporum resurgentium, et corporum morientium: et primo per hoc quod non est eadem qualitas seminis, et pullulationis, ut ex sequentibus manifeste ostendetur. Nam consequenter cum dicit, *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, ostendit qualitatem seminis differentem esse a qualitate pullulationis, cum dicit: *Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas*, idest non quale futurum est seminas: quod exponens subdit: *Sed nudum granum, puta tritici, vel alicuius ceterorum*, scilicet seminum: quia seminatur nudum semen, pullulat autem ornatum herba, et aristis, et huiusmodi. Et similiter corpus humanum aliam qualitatem habebit in resurrectione quam nunc habet, ut infra exponetur. Est tamen differentia inter resurrectionem humani corporis, et pullulationem seminis: nam surget idem corpus numero, sed habebit aliam qualitatem, sicut infra *hoc cap.* dicit Apostolus, quod *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem;* et *Iob 19. 27.* dicitur: *Quem visurus sum ego ipse, et non alius.* Sed in pullulatione nec est eadem qualitas, nec idem corpus numero, sed solum idem specie: et ideo signanter Apostolus de pullulatione loquens dicit: *Non corpus quod futurum est seminas:* dans intelligere quod non sit idem numero. Et in hoc opus naturae deficit ab opere Dei: nam virtus naturae reparat idem spe-

cie, sed non idem numero; virtus autem Dei reparare potest etiam idem numero. Et sic etiam ex hoc quod dicitur, potest sumi probatio ad hoc quod resurrectionem futuram fieri non est impossibile, sicut insipiens obiiciebat: quia si natura ex eo quod mortuum est potest reparare idem specie, multo magis Deus potest reparare idem numero: quia et hoc ipsum quod natura facit, opus Dei est: habet enim hoc natura a Deo quod hoc facere possit. Et ideo consequenter describens qualitatem pullulationis, attribuit eam primum quidem Deo, secundo proportioni naturae. Dicit autem primo: *Deus autem dat illi corpus sicut vult:* quia scilicet ex ordinatione divinae voluntatis procedit quod ex tali semine talis planta producatur; quae quidem planta est quasi corpus seminis: ultimus enim fructus plantae est semen. Et hoc ideo attribuit operationi divinae, quia omnis operatio naturae est operatio Dei, secundum illud *supra 12. 6. Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et hoc sic potest considerari. Manifestum est enim quod res naturales absque cognitione operantur ad finem determinatum; alioquin non semper, vel in maiori parte eumdem finem consequerentur. Manifestum est etiam quod nulla res cognitione carens in certum finem tendit, nisi directa ab aliquo cognoscente; sicut sagitta tendit ad certum signum ex directione sagittantis. Sicut ergo si aliquis videret sagittam directe tendere ad certum signum, quamvis sagittantem non videret, cognosceret statim quod dirigeretur a sagittante; ita cum videamus res naturales absque cognitione tendere ad certos fines, possumus pro certo cognoscere quod operantur ex voluntate alicuius dirigentis, quem dicimus Deum. Et sic dicit Apostolus, quod Deus dat semini corpus, idest ex semine producit plantam sicut vult. Sed rursus ne aliquis crederet huiusmodi naturales effectus ex sola Dei voluntate provenire absque operatione, et proportione naturae, subiungit: *Et unicuique seminum proprium corpus:* puta, ex semine olivae generatur oliva, et ex semine tritici generatur triticum: Unde et *Gen. 1. 11. Germinet terra herbam virentem, et facientem semen iuxta genus suum.* Sic ergo et in resurrectione erit alia qualitas corporis resurgentis, quae tamen proportionabitur meritis morientis.

## LECTIO VI.

**Nom omnis caro, eadem caro; sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora caelestia, et corpora terrestria; sed alia quidem caelestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.**

Hic Apostolus ponit exemplum de diversitate qualitatis corporis resurgentis in diversis speciebus: et primo comparando caelestia ad terrestria; secundo terrestria ad caelestia, ibi, *Sunt corpora caelestia, et corpora terrestria;* tertio corpora caelestia ad invicem, ibi, *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum.* Quia posset aliquis dicere: Quomodo est possibile quod mortui resumant corpus, et carnem, si non sint habituri eamdem corporis qualitatem? ideo ad hoc excludendum introducit diversas qualitates corporis, et carnis, ut sic manifestum sit quod non oportet, si non erit eadem qualitas, quod non resumatur idem corpus, vel eadem caro. Dicit ergo primo, quod *non omnis caro est eadem caro*, secundum formam; *sed alia* est caro *hominum, alia piscium, alia pecorum, alia volucrum etc.* et similiter est alia morientis, et alia resurgentis. Sicut autem exemplum superius inductum de semine, et pullulatione deficiebat in hoc quod in seminatione, et pullulatione non est idem numero, nec eaedem qualitates; ita haec exempla deficiunt, quia in his exemplis nec est eadem species, nec eadem qualitas; sed caro hominis resurgentis est eadem secundum speciem cum carne morientis, sed tamen erit alia secundum qualitatem: erit enim eiusdem naturae, sed alterius gloriae, ut Gregorius *hom. 26. super Evang.* de corpore Christi dicit. Si quis autem haec quae dicta sunt, ad diversum statum resurgentium referre vellet, posset dici, quod per homines intelliguntur boni secundum rationem viventes, secundum illud *Ezech. 34. 31. Vos autem greges mei, greges pascuae meae homines estis;* per pecora vero intelliguntur luxuriosi, secundum illud *2. Petr. 2. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora... in corruptione sua peribunt*: per volucres superbi, per pisces cupidi, secundum illud *Psal. 8. 9. Volucres caeli, et pisces maris qui perambulant semitas maris.* Ad idem autem introducit diversitatem caelestium, et terrestrium corporum, cum subdit: *Sunt corpora caelestia*, ut sol, et luna, et huiusmodi; *et sunt corpora terrestria*, ut ignis, aqua, etc. *Sed alia quidem est gloria*, idest pulchritudo, et decor, *caelestium* corporum, *alia autem terrestrium: Eccli. 43. 10. Species caeli, gloria stellarum.* Et possunt per caelestia corpora intelligi contemplativi: *Phil. 3. 20. Nostra conversatio in caelis est;* per terrestria activi, qui circa terrena occupantur: unde Marthae dictum est: *Turbaris erga plurima, Luc. 10. 41.* Et ad idem ulterius introducit diversam qualitatem caelestium corporum, cum dicit: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum.* Similiter inter stellas est differentia: *stella enim differt a stella in claritate.* Et potest intelligi per solem Christus: *Malach. ult. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.* Per lunam Beata virgo, de qua *Cant. 6. 9. Pulchra ut luna.* Per stellas ad invicem ordinatas ceteri sancti: *Iudic. 5. 20. Stellae manentes in ordine suo adversus Sisaram pugnaverunt.*

Consequenter cum dicit, *Sic erit resurrectio mortuorum*, adaptat praedicta exempla ad resurrectionem mortuorum. Nec intelligendum est quantum ad litteralem expositionem, quod Apostolus hoc dicat ad designandum in resurgentibus generis diversitatem, propter id quod praemiserat, *Stella differt a stella in claritate;* sed hoc refert ad omnia praecedentia, ut ostendatur ex omnibus praemissis, quod sicut in rebus in-

veniuntur diversae qualitates corporum ; ita erit diversa qualitas resurgentium a qualitate morientium : unde sequitur : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ubi Apostolus maxime ostendit aliam esse qualitatem corporis morientis , et corporis resurgentis. Et agit hic de corpore resurgente glorioso, cuius propriae qualitates dotes corporis gloriosi dicuntur. Quae quidem sunt quatuor , quas hic Apostolus tangit. Primo enim tangit dotem impassibilitatis, cum dicit : *Seminatur in corruptione , surget in incorruptione.* Et quamvis seminatio accipi posset pro prima corporis origine, secundum quod generatur ex semine; tamen convenientius est , secundum intellectum Apostoli , ut seminatio referatur ad mortem , et sepulturam , ut respondeat ei quod supra dictum est *: Quod seminas non vivificatur , nisi prius moriatur.* Dicitur autem mors , et resolutio , seminatio : non quod in corpore mortuo , vel in cineribus ex eo resolutis sit aliqua virtus ad resurrectionem , sicut est virtus activa in semine ad generationem ; sed quia a Deo talis ordinatio est deputata ut ex eo iterato reformetur corpus humanum. Sic igitur corpus humanum quando seminatur , idest quando moritur , est in corruptione , idest secundum suam proprietatem est corruptioni subiectum , secundum illud *Rom. 8. 10. Corpus quidem mortuum est propter peccatum; sed resurget in incorruptione.* Dicitur autem hic incorruptio , non solum ad excludendum separationem animae a corpore, quia hanc incorruptionem et corpora damnatorum habebunt; ad excludendum tam mortem, quam quamlibet noxiam passionem ; sive ab interiori , sive ab exteriori : et quantum ad hoc intelligitur impassibilitas corporis gloriosi , secundum illud *Apoc. 7. 16. Non esurient, neque sitient amplius , neque cadet super illos sol , neque ullus aestus.* Secundo tangit dotem claritatis, cum dicit : *Seminatur in ignobilitate* , idest corpus quod ante mortem, et in morte est deformitatibus , et miseriis multis subiectum , secundum illud *Iob 14. 1. Homo natus de muliere , brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : sed resurget in gloria,* quae claritatem significat , ut Augustinus dicit *super Ioan. tract. 109.* Erunt enim corpora sanctorum clara , et fulgentia , secundum illud *Matth. 13. 43. Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Tertio tangit dotem agilitatis , cum dicit : *Seminatur in infirmitate* , idest corpus animale, quod ante mortem est infirmum, et tardum , et ab anima non facile mobile, secundum illud *Sap. 11. 15. Corpus quod corrumpitur aggravat animam ;* sed *surget in virtute* , qua scilicet fiet ut ex tanta virtute ab anima moveri possit, ut in nullo difficultatem ad motum exhibeat , quod ad dotem agilitatis pertinet : tanta enim erit ibi facilitas, quanta felicitas , ut Augustinus dicit. Unde dicitur *Sap. 5. 7.* de iustis : *Fulgebunt iusti , et tamquam scintillae in arundineto discurrent :* et *Isa. 40. 31. Qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae , current , et non laborabunt ; ambulabunt , et non deficient.* Quarto tangit dotem subtilitatis , cum dicit : *Seminatur corpus animale etc.* quam quidam ad hoc referre volunt quod corpori glorioso secundum hanc dotem competat ut possit simul esse cum corpore non glorioso in eodem loco: quod quidem sustineri posset , si corpori secundum statum praesentem competeret quod posset simul cum alio corpore esse in eodem loco secundum aliquid, quod a corpore removeri posset. Nunc autem , si diligenter consideretur , secundum nihil aliud hoc corpori competit , nisi secundum quod habet dimensiones corporales. Unde videmus corpora quantumcumque subtilia , non compati secum alia corpora , ut patet in aere, et in igne : et ulterius , si essent corpora separata omnino absque materia , sicut quidam posuerunt , non possent simul cum corporibus naturalibus esse in eisdem locis , ut Philosophus dicit. Remanentibus igitur dimensionibus in quocumque corpore, est contra suam naturam quod sit cum alio corpore in eodem loco. Unde si hoc aliquando contingit, erit ex miraculo. Propter quod Gregorius *hom. 26. super Evang.* et Augustinus miraculo adscribunt quod corpus Christi ad discipulos ianuis clausis intravit. Nulla enim virtus terminata potest facere miraculum : hoc enim solius Dei est. Relinquitur ergo quod esse simul cum alio corpore in eodem loco , non possit esse ex dote, seu ex qualitate corporis gloriosi ; non tamen negandum est quin corpus gloriosum possit esse simul cum alio corpore in eodem loco : quia corpus Christi post resurrectionem intravit ad discipulos ianuis clausis, cui corpus nostrum in resurrectione conformandum speramus. Sed sicut corpus Christi hoc habuit, non ex proprietate corporis , sed ex virtute divinitatis unitae ; ita corpus cuiuslibet alterius sancti hoc habebit , non ex dote , sed ex virtute divinitatis existentis in eo. Per quem modum corpus Petri habuit quod ad umbram eius sanarentur infirmi, non per aliquam proprietatem ipsius. Est ergo dicendum , quod ad dotem subtilitatis pertinet quod hic Apostolus tangit dicens : *Seminatur corpus animale , surget spirituale.* Quod quidam male intelligentes dixerunt , quod corpus in resurrectione vertetur in spiritum , et erit simile aeri , aut vento , qui spiritus dicitur : quod maxime excluditur per illud quod ad Apostolos dicitur *Luc. ult. 39. Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet , sicut me videtis habere.* Unde et hic Apostolus non dicit, quod resurgat spiritus, sed spirituale corpus. Ergo in resurrectione spirituale erit, non spiritus ; sicut nunc est animale, non anima.

Ad horum autem differentiam cognoscendam considerandum est , quod unum et idem in nobis est quod dicitur et anima , et spiritus ; sed anima dicitur secundum quod perficit corpus , spiritus autem proprie secundum mentem, secundum quam spiritualibus substantiis assimilamur , secundum illud *Ephes. 4. 23. Renovamini spiritu mentis vestrae.* Item considerandum est , quod triplex est differentia potentiarum in anima : quaedam enim potentiae sunt quarum operationes ad bonum corporis ordinantur, sicut generativa, nutritiva , et augmentativa ; quaedam vero sunt quae quidem corporeis organis utuntur, ut omnes potentiae sensitivae partis , sed earum actus ad corpus non ordinantur directe , sed magis ad perfectionem animae ; quaedam vero sunt potentiae quae neque utuntur corporeis organis, neque directe ad bonum corporis ordinantur , sed magis ad bonum animae, sicut quae pertinent ad intellectivam partem. Primae ergo potentiae pertinent ad animam, inquantum animat corpus ; tertiae vero maxime pertinent ad animam , inquantum

est spiritus ; secundae vero medio modo se habent inter utrasque. Quia tamen iudicium de potentia aliqua magis debet sumi ex obiecto , et fine , quam ex instrumento ; ideo secundae potentiae magis se tenent cum tertiis , quam cum primis. Item considerandum est , quod cum unaquaeque res sit propter suam operationem , corpus ad hoc perficitur ab anima ut sit subiectum operationibus animae. Nunc autem in statu isto corpus nostrum est subiectum operationibus quae pertinent ad animam inquantum est anima , prout generatur , et generat , nutritur , crescit , et decrescit. Quantum autem ad spirituales animae operationes , corpus, licet aliquo modo subserviat , tamen multum impedimentum affert : *quia corpus quod corrumpitur aggravat animam,* ut dicitur *Sap. 11. 15.* Sed in statu resurrectionis cessabunt operationes animales a corpore : quia non erit generatio, nec augmentum, aut nutrimentum; sed corpus absque aliquo impedimento, et fatigatione incessanter serviet animae ad spirituales operationes eius , secundum illud *Psalm. 83. 5. Beati qui habitant in domo tua , Domine : in saecula saeculorum laudabunt te.* Sicut ergo nunc est corpus nostrum animale, tunc vero erit spirituale. Causam autem harum proprietatum quidam attribuunt luci, quam dicunt esse de natura quintae essentiae, et venire in compositionem humani corporis : quod, quia frivolum est , et fabulosum, sequentes Augustinum , dicimus , quod procedunt ex virtute animae glorificatae. Dicit enim Augustinus *in epistola 56. ad Dioscorum: Tam potenti natura Deus fecit animam , ut eius plenissima beatitudine , quae in fine temporum promittitur sanctis , abundet etiam in inferiorem naturam , quae est corpus ; non beatitudo , quae fruentis est propria, sed plenitudo sanitatis, idest incorruptionis vigor.* Videmus autem ex anima quatuor corpori provenire , et tanto perfectius , quanto anima fuerit virtuosior. Primo quidem dat esse : unde quando erit in summo perfectionis , dabit esse spirituale. Secundo conservat a corruptione : unde videmus homines , quanto sunt fortioris naturae, minus a calore, et frigore pati. Cum ergo anima fuerit perfectissima , conservabit corpus omnino impassibile. Tertio dat pulchritudinem, et claritatem : infirmi enim , et mortui propter debilitatem operationis animae in corpus , efficiuntur discolorati; quando erit in summa perfectione , faciet corpus clarum , et fulgidum. Quarto dat motum , et tanto facilius, quanto virtus animae fuerit fortior supra corpus; et ideo quando erit in ultimo suae perfectionis , dabit corpori agilitatem.

## LECTIO VII.

Si est corpus animale , est et spirituale , sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem , novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est , sed quod animale , deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus , secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus , tales et terreni; et qualis caelestis , tales et caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni , portemus et imaginem caelestis. Hoc autem dico , fratres , quia caro , et sanguis regnum Dei possidere non possunt , neque corruptio incorruptelam possidebit.

Hic Apostolus differentiam qualitatis corporum morientium ad corpora resurgentium supra exemplis ostensam , ostendit ratione. Circa autem hoc duo facit: primo enim praemittit quod probare intendit ; secundo praemissum probat , ibi , *Sicut scriptum est etc.* Dicit ergo primo : Dixi, quod id quod seminatur animale , surget spirituale ; et quod hoc sit verum , scilicet quod sit aliquod corpus spirituale , ostendo: quia si est corpus animale , est et spirituale. Et non intendit Apostolus ex hoc arguere ad propositum ; sed hoc supponit , intendens probare ipsum quod dicit : *Si est corpus animale, est et spirituale: Eccli. 33. 15. Intuere in omnia opera Altissimi , duo contra duo , et unum contra unum.*

*Sicut scriptum est etc.* Hic probat propositum. Est autem sua probatio talis. Duo sunt principia humani generis. Unum , secundum vitam naturae , scilicet Adam ; aliud , secundum vitam gratiae , scilicet Christus. Sed animalitas est derivata in omnes homines a primo principio , scilicet Adam. Ergo constat quod multo amplius a secundo principio , scilicet Christo , spiritualitas derivabitur in omnes homines. Huius rationis primo probat primam diversitatem principiorum; secundo mediam , scilicet determinationem similitudinis ex utroque principiorum , ibi , *Qualis terrenus , tales et terreni.* Circa primum tria facit. Primo ostendit principiorum differentiam ; secundo principiorum ordinem ad invicem , ibi , *Sed non prius quod spirituale est , sed quod animale ;* tertio rationis ordinem assignat, ibi, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis.* Ponit ergo primo conditionem primi principii, secundum vitam naturae , sumens auctoritatem *Gen. 2.* Unde dicit : *Sicut scriptum est : Factus est* a Deo *primus homo Adam in animam viventem* , vita scilicet animali , qualem anima potest dare , cum scilicet spiravit Dominus in faciem eius spiraculum vitae , *Gen. 2.* forma enim humana , et anima dicitur , et spiritus : inquantum enim intendit curae corporis, scilicet vegetando, nutriendo, et generando , sic dicitur anima ; inquantum autem intendit cognitioni, scilicet intelligendo, volendo, et huiusmodi, sic dicitur spiritus. Unde cum dicit , *Factus est primus homo Adam in animam viventem* , intendit hic Apostolus de vita qua anima deservit circa corpus , non de Spiritu sancto , sicut quidam fingunt, propter hoc quod praecedit *Gen. 2. 7. Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* , dicentes hoc esse Spiritum sanctum. Secundo ponit conditionem secundi principii, dicens : *Novissimus vero Adam* , idest Christus: et dicitur novissimus , quia Adam induxit unum statum , scilicet culpae , Christus vero gloriae, et vitae. Unde cum post statum istum nullus alius sequatur in vita ista, ideo dicitur novissimus : *Isa. 53. 2. Desideravimus eum despectum , et novissimum virorum:* et alibi , scilicet *Apoc. 1. 17. Ego primus , et novissimus :* et alibi *ibid. 22. 13. Ego sum alpha, et omega , principium , et finis.* Dicit autem , *Adam* , quia de natura Adae factus , *in spiritum vivificantem.* Et

ex hoc, conditionibus principiorum visis, apparet eorum diversitas: quia primus homo factus est in animam, novissimus in spiritum; ille autem in animam viventem solum, iste vero in spiritum et viventem, et vivificantem. Cuius ratio est, quia sicut Adam consecutus est perfectionem sui esse per animam; ita et Christus perfectionem sui esse inquantum homo per Spiritum sanctum. Et ideo cum anima non possit nisi proprium corpus vivificare, ideo Adam factus est in animam, non vivificantem, sed viventem tantum; sed Christus factus est in spiritum viventem, et vivificantem; et ideo Christus habuit potestatem vivificandi: *Ioan. 1. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus:* et *ibid. 10. 10. Veni ut vitam habeant, et abundantius habeant:* et in symbolo: *Et in Spiritum sanctum vivificantem.* Sed ne aliquis diceret: Si Christus factus est in spiritum vivificantem, quare dicitur novissimus? ideo consequenter cum dicit, *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale*, ostendit ordinem principiorum. Videmus enim in natura, quod in uno et eodem prius est imperfectum quam perfectum. Unde cum spiritualitas se habet ad animalitatem sicut perfectum ad imperfectum; ideo in humana natura non prius debet esse spirituale, quod est perfectum; sed, ut servetur ordo, prius debet esse imperfectum, scilicet quod animale est, deinde perfectum, scilicet quod spirituale est: *supra 13. 10. Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sicut dicit Augustinus, huius signum est, quod primogeniti antiquitus consueverunt esse animales, sicut Cain ante Abel natus, Ismael ante Isaac, et Esau ante Iacob. Rationem autem dictae diversitatis assignat, dicens: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis;* quasi dicat: Vere *primus homo factus est in animam viventem*, quia de terra: *Gen. 2. 7. Formavit Dominus hominem de limo terrae;* et ideo dicitur esse terrenus, idest animalis: secundus homo, scilicet Christus, factus est *in spiritum vivificantem*, quia de caelo: quia divina natura, quae fuit huic naturae unita, de caelo est; et ideo debet esse caelestis, idest talem perfectionem debet habere, qualem decet de caelo venire, scilicet perfectionem spiritualem: *Ioan. 3. 31. Qui de caelo venit, super omnes est.* Dicit autem primum hominem de terra, secundum modum loquendi, quo res de illo esse dicuntur quod prima pars est in eorum fieri; sicut cultellus dicitur de ferro, quia prima pars unde est cultellus, est ferrum: et quia prima pars unde Adam factus est, terra est, ideo dicitur de terra. Secundus homo dicitur de caelo: non quod attulerit corpus de caelo, cum de terra assumpserit, scilicet de corpore Beatae Virginis; sed quia divinitas, quae naturae humanae unita est, de caelo venit, quae fuit prior quam corpus Christi. Sic ergo patet principiorum diversitas, quae erat maior propositio rationis principalis.

Consequenter cum dicit, *Qualis terrenus, tales et terreni*, ostendit derivationem similitudinis horum principiorum ex utroque: et primo in communi; secundo dividit eam per partes, ibi, *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.* Dicit ergo: *Qualis terrenus, tales et terreni;* quasi dicat: Primus homo, quia terrenus fuit, et mortalis, ideo derivatum est ut omnes essent et terreni, et mortales. Supra eodem: *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: Zach. 13. 5. Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Quia vero fuit secundus homo caelestis, idest spiritualis, et immortalis; ideo omnes et immortales, et spirituales erimus: *Rom. 6. 5. Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.* Hic concludit qualiter in speciali debeamus conformari homini, scilicet caelesti. Possumus autem dupliciter conformari caelesti, in vita scilicet gratiae, et gloriae; et una est via ad aliam: quia sine vita gratiae non pervenitur ad vitam gloriae; et ideo dicit: *Sicut portavimus imaginem terreni*, idest quamdiu peccatores fuimus, in nobis fuit similitudo *Adae: 2. Reg. 7. 19. Ista est lex Adam, Domine Deus.* Ut ergo possimus esse caelestes, idest pervenire ad vitam gloriae, *portemus imaginem caelestis*, per vitam gratiae: *Coloss. 3. 9. Exuentes veterem hominem, induite novum hominem*, scilicet Christum: *Rom. 8. 29. Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Sic ergo debemus conformari caelesti in vita gratiae, quia alias non perveniemus ad vitam gloriae: et hoc est quod dicit: *Hoc autem dico, fratres*; quasi dicat: Nisi vivatis, scilicet vita gratiae, non poteritis pervenire ad regnum Dei, scilicet ad vitam gloriae: *quia caro, et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Quod quidem non est intelligendum, sicut quidam haeretici dicunt, quod non resurgat caro, et sanguis secundum substantiam; sed quod totum corpus vel vertetur in spiritum, vel in aerem; quod est haereticum, et falsum: nam Apostolus dicit, quod conformabit corpus nostrum corpori claritatis suae. Unde cum Christus post resurrectionem habuerit carnem, et sanguinem, sicut dicitur *Lucae ult. 39. Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere;* constat quod et nos in resurrectione carnem, et sanguinem habebimus. Nec est intelligendum, *Caro, et sanguis*, idest substantia carnis, et sanguinis, *regnum Dei non possidebunt;* sed *caro, et sanguis*, idest carni et sanguini operam dantes, scilicet homines dediti vitiis, et voluptatibus, *regnum Dei non possidebunt.* Et sic accipitur caro, idest homo carnaliter vivens: *Rom. 8. 9. Vos autem non in carne estis, sed in spiritu.* Vel *caro, et sanguis*, idest opera carnis, et sanguinis, *regnum Dei non possidebunt;* quod est contra Iudaeos, et Saracenos, qui fingunt se habituros post resurrectionem uxores, fluvios mellis, et lactis. Vel *caro, et sanguis*, idest corruptio carnis, et sanguinis, *regnum Dei non possidebunt*, idest post resurrectionem corpus non subiicietur corruptioni carnis, et sanguinis, secundum quam vivit homo. Unde et secundum hoc subdit: *Neque corruptio incorruptionem possidebit*, idest neque corruptio mortalitatis, quae nomine carnis hic exprimitur, possidebit incorruptionem, idest incorruptibile regnum Dei, quia resurgemus in gloria: *Rom. 8. 21. Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.*

## LECTIO VIII.

Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur.

Hic Apostolus, postquam respondit quaestioni de qualitate resurgentium, respondet consequenter quaestioni qua quaerebatur de modo, et ordine resurgendi; et circa hoc duo facit. Primo ostendit modum, et ordinem resurrectionis; secundo confirmat per auctoritatem, ibi, *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est.* Circa primum duo facit: primo enim proponit intentum, secundo ostendit quo ordine fiat, ibi, *In momento, in ictu oculi etc.* Primo igitur reddit eos attentos, ostendens id quod proponit, esse arduum, et occultum, dicens: *Ecce mysterium*, idest occultum quoddam, *dico vobis*, idest aperio vobis, fratres, quod debet vobis aperiri, et omnibus credentibus: *Luc. 8. 10. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: Supra 2. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos:* et post: *Sed loquimur Dei sapientiam, quae abscondita est in mysterio.* Quid autem sit illud mysterium, subdit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

Circa primum sciendum est, quod, sicut Hieronymus dicit in quadam epistola ad Minervium, et Alexandrum monachos, hoc quod hic dicitur, *Omnes quidem resurgemus etc.* in nullo Libro Graecorum habetur, sed in quibusdam habetur, *Omnes quidem dormiemus*, idest omnes moriemur. Et dicitur mors somnus propter spem resurrectionis: unde idem est ac si diceret: *Omnes quidem resurgemus:* quia nullus resurget nisi moritur; *sed non omnes immutabimur.* Hoc non mutatur in Libris Graecis; et hoc est verum, quia ista mutatio de qua hic loquitur, non erit nisi secundum corpora beatorum: quia immutabuntur ad illa quatuor quae supra posita sunt, quae dicuntur dotes corporum gloriosorum; et hanc desiderabat *Iob 14. 14. Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* In quibusdam vero Libris invenitur, *Non omnes quidem dormiemus*, idest moriemur, *sed omnes immutabimur.* Et hoc intelligitur dupliciter. Primo ad litteram: quia quorumdam opinio fuit quod non omnes homines morientur, sed quod aliqui in adventu Christi ad iudicium venient vivi, et isti non morientur, sed isti mutabuntur in statum incorruptionis: et propter hoc dicunt: *Non omnes quidem dormiemus*, idest moriemur, *sed omnes immutabimur*, tam boni quam mali, et tam vivi quam mortui. Unde secundum hoc immutatio non intelligitur de statu animalitatis ad statum spiritualitatis: quia secundum hanc soli boni immutabuntur, sed de statu corruptionis ad statum incorruptionis. Alio modo exponitur mystice ab Origene; et dicit, quod hoc non dicitur de somno mortis, quia omnes morientur: *Psal. 88. 14. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* sed de somno peccati, de quo *in Psalm. 12. 5. Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam:* ut sic dicatur: *Non omnes morieuur*, idest non omnes peccabimus mortaliter; *sed omnes immutabimur*, sicut supra de statu corruptionis ad incorruptionem. Et licet haec littera, scilicet *Non omnes moriemur etc.* non sit contra fidem; tamen Ecclesia magis acceptat primam, scilicet quod *omnes moriemur*, sive *resurgemus etc.* quia omnes morientur, etiamsi sint tunc aliqui vivi. Ordinem autem et modum resurrectionis manifestat consequenter, cum dicit: *In momento, in ictu oculi:* et hoc quantum ad tria: primo enim manifestat ordinem quantum ad tempus; secundo quantum ad causam resurrectionis, ibi, *In novissima tuba;* tertio quantum ad progressum effectus a causa, ibi, *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* Dicit ergo quod omnes resurgemus; sed quomodo? *In momento:* per quod excludit errorem dicentium, resurrectionem non esse futuram omnium simul; sed dicitur quod martyres resurgent ante alios per mille annos; et tunc Christus descendet cum illis, et possidebit regnum corporale Hierusalem mille annis cum eis. Et haec fuit opinio Lactantii. Sed hoc patet esse falsum, quia omnes in momento resurgemus, et in ictu oculi. Excluditur etiam per hoc alius error eiusdem, qui dicebat, quod iudicium duraturum erat per spatium mille annorum. Sed hoc est falsum, quia non erit ibi aliquod perceptibile tempus, sed in momento.

Sciendum est autem, quod momentum potest accipi vel pro ipso instanti temporis, quod dicitur nunc; vel pro aliquo tempore perceptibili; tamen utroque modo potest accipi hoc, referendo illud ad diversa. Quia si nos referimus hoc ad collectionem pulverum, quae fiet ministerio angelorum; tunc momentum accipitur pro tempore perceptibili: cum enim in collectione illorum pulverum sit mutatio de loco ad locum, oportet quod sit ibi tempus aliquod. Si autem referamus ad reunitionem corporum, et pro unione animae, quae omnia fient a Deo; tunc momentum accipitur pro instanti temporis: quia Deus in instanti unit animam corpori, et vivificat corpus. Potest etiam hoc quod dicit, *In ictu oculi*, ad utrumque referri: quia si in ictu oculi intelligitur tantum apertio palpebrarum, quae fit in tempore perceptibili; tunc refertur ad collectionem pulverum. Si vero in ictu oculi intelligitur ipse subitus contuitus oculi, et qui fit in istanti; tunc refertur ad unionem animae ad corpus.

Consequenter cum dicit, *In novissima tuba*, ostendit ordinem resurrectionis quantum ad causam immediatam: et ista tuba est vox illa Christi de qua *Matth. 25. 6.* dicitur: *Media nocte clamor factus est: Ioan. 5. 25. Audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent:* vel ipsa praesentia Christi manifestata mundo, secundum quod dicit Gregorius: *Tuba nihil aliud esse designat quam praesentiam Christi mundo manifestatam, quae dicitur tuba propter manifestationem, quia omnibus erit manifesta.* Et hoc modo accipitur tuba *Matth. 6. 2. Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Item dicitur tuba propter officium tubae, quod erat ad quatuor, ut dicitur *Num. 10.* scilicet ad vocandum consilium; et hoc erit in resurrectione, quia tunc convocabit ad consilium, idest ad iudicium: *Isa. 3. 14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui.* Ad solemnizandum festum: *Psalm. 80. 4. Buccinate in neomenia tuba:*

sic et in resurrectione : *Isa. 33. 20. Respice Sion civitatem solemnitatis nostrae.* Ad pugnam; et hoc in resurrectione : *Sap. 5. 21. Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos: Isa. 30. 32. In citharis, et tympanis et in bellis praecipuis expugnabit eos.* Ad movendum castra ; sic et in resurrectione , quidam eundo ad paradisum, quidam eundo ad infernum : *Matth. 25. 46. Ibunt qui bona fecerunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.*

Consequenter cum dicit, *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti* , ponit progressum effectus a causa praedicta ; et circa hoc duo facit: primo enim ponit progressum effectus ; secundo necessitatem huius assignat , ibi , *Oportet enim mortale hoc induere incorruptionem.* Progressus effectus est , quia statim ad sonitum tubae sequetur effectus : *quod mortui resurgent incorrupti : Psalm. 67. 34. Dabit voci suae vocem virtutis.* Ponit autem duplicem effectum. Unus est communis: quia *mortui resurgent incorrupti,* idest integri sine aliqua diminutione membrorum: quod quidem est commune omnibus, quia in resurrectione est commune omne quod pertinet ad reparationem naturae , quia omnes habent communionem cum Christo in natura. Et licet Augustinus *Ench. cap.* [illegible] relinquat sub dubio utrum deformitates remaneant in damnatis ; ego tamen credo quod quidquid pertinet ad reparationem naturae , totum confertur eis ; sed quod pertinet ad gratiam , solum electis confertur. Et ideo omnes resurgent incorrupti, idest integri, etiam damnati. Hieronymus autem exponit , *Incorrupti,* idest in statu incorruptionis , ut scilicet ulterius post resurrectionem non corrumpantur: quia iusti ad beatitudinem aeternam ibunt ; mali vero ad poenam aeternam: *Dan. 12. 2. Multi de terrae pulvere evigilabunt; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium.* Alius effectus est proprius, idest Apostolorum tantum: quia *nos immutabimur* , scilicet Apostoli , et non solum erimus incorrupti , sed etiam immutabimur, scilicet de statu miseriae ad statum gloriae, quia *seminatur animale , surget autem spirituale.* Et secundum hunc modum exponendi apparet quod melior est littera illa quae dicit , *Omnes quidem resurgemus , sed non omnes immutabimur* , quam illa quae habet : *Omnes immutabimur:* quia licet omnes resurgant, tamen soli sancti, et electi immutabuntur. Posset tamen etiam secundum illos qui habent , *Non omnes quidem moriemur , sed omnes immutabimur* , legi sic : *Mortui resurgent incorrupti* , idest ad statum incorruptionis ; et nos qui vivimus , licet non resurgamus , quia non morimur , tamen immutabimur de statu corruptionis ad incorruptionem. Et videtur consonare iis quae dicit *1. Thes. 4. 16. Nos qui vivimus, qui relinquimur , simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera;* ut sicut ibi , et hic connumeret se vivis.

## LECTIO IX.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors , stimulus tuus ? Stimulus autem mortis, peccatum est ; virtus vero peccati , lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote , et immobiles , abundantes in omni opere Domini semper , scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

Hic Apostolus ponit necessitatem effectus resurrectionis ab ipsa causa progredientis ; et circa hoc duo ponit , correspondentia duobus quae posuerat in progressu effectuum ab ipsa causa. Primum fuit generale omnium, scilicet quod mortui resurgent incorrupti: et ideo primo quantum ad hoc dicit : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Secundum fuit speciale Apostolis, et bonis, scilicet *et nos immutabimur;* et ideo secundo quantum ad hoc dicit : *Et mortale hoc induere immortalitatem.* Quia enim corruptibile opponitur incorruptibili , et in statu praesentis vitae subiicimur corruptioni; ideo dicit, quod cum resurgemus, *oportet hoc corruptibile induere incorruptionem* , necessitate scilicet congruentiae. Et hoc propter tria. Primo propter completionem humanae naturae: nam, sicut etiam dicit Augustinus *Lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 35.* anima quamdiu est separata a corpore , est imperfecta, non habens perfectionem suae naturae ; et ideo non est in tanta beatitudine separata existens, in quanta erit corpori unita in resurrectione. Ut ergo perfruatur beatitudine perfecta , *oportet corruptibile hoc* , idest corpus, *induere* ut ornamentum, *incorruptionem* , ut ulterius aliquatenus non laedatur mortale. Secundo propter exigentiam divinae iustitiae, ut scilicet illi qui bona fecerunt, seu mala in corpore, praemientur, vel puniantur etiam in ipsis corporibus. Tertio propter conformitatem membrorum ad caput , ut sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus , *Rom. 6.*

Notandum autem, quod ipsam incorruptionem, seu immortalitatem assimilat vestimento , cum dicit , *Induere:* vestimentum enim adest vestito, et abest, manente eadem numero substantia vestiti; ut per hoc ostendat quod corpora eadem numero surgant: et iidem homines iidem numero erunt in statu incorruptionis , et immortalitatis, in quo sunt modo: unde ex hoc excluditur error dicentium, quod corpora non resurgent eadem numero. Unde signanter dicit : *Oportet corruptibile hoc,* scilicet corpus : nam anima non est corruptibilis. Excluditur etiam error dicentium, quod corpora glorificata non erunt eadem cum istis , sed caelestia ; et de isto modo simile habetur *2. Corinth. 5. 2. Nam in hoc ingemiscimus, habitationem nostram , quae de caelo est, superindui cupientes : Isa. 52. 1. Induere vestimentis gloriae tuae: Iob 40. 5. Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus , et speciosis induere vestibus.*

Sed contra hoc est , quia videtur impossibile quod corruptibile hoc induat incorruptionem, idest quod corpora resurgant eadem numero. Quia impossibile est ea quae differunt genere, vel specie , esse eadem numero. Sed corruptibile, et incorruptibile non solum differunt specie , sed genere. Ergo impossibile est quod corpora resurgentium sint incorruptibilia, et remaneant

eadem numero. Praeterea. Philosophus dicit, quod impossibile est quod illa quorum substantia corruptibilis mota est, reintegrentur eadem numero, sed eadem specie. Substantia autem corporum humanorum est corruptibilis. Ergo impossibile est reintegrari eadem numero.

Respondeo. Dicendum est ad primum, quod unumquodque consequitur genus, et speciem ex sua natura, et non ex aliquo extrinseco suae naturae; et ideo dico quod si resurrectio corporum futura esset ex principiis naturae corporum, impossibile esset quod corpora resurgerent eadem numero; sed dico, quod incorruptio corporum resurgentium dabitur ab alio principio quam a natura ipsorum corporum, scilicet a gloria animae, ex cuius beatitudine, et incorruptione tota beatitudo, et incorruptio corporum derivabitur. Sicut ergo eiusdem naturae, et idem numero est liberum arbitrium modo, dum est volubile ad utramque partem, et cum erit firmatum in fine ultimo; ita et eiusdem naturae, et idem numero erit corpus, quod modo est corruptibile, et tunc quando firmatum erit per gloriam animae, erit incorruptibile. Ad secundum dicendum, quod ratio Philosophi procedit contra illos qui ponebant omnia in istis inferioribus causari ex motu corporum caelestium, et quod revolutis eisdem revolutionibus corporum superiorum, sequebantur iidem effectus numero qui aliquando fuerant. Unde dicebant, quod adhuc Plato idem numero leget Athenis, et quod habebit easdem scholas, et eosdem auditores, quos habuit. Et ideo Philosophus contra eosdem arguit, quod licet idem caelum numero, et idem sol sit in eisdem revolutionibus, tamen effectus qui inde proveniunt non consequuntur identitatem numero, sed specie, et hoc secundum viam naturae. Similiter dico, quod si corpora induerent incorruptionem, et surgerent secundum viam naturae, quod non resurgerent eadem numero, sed eadem specie. Sed cum reintegratio, et resurrectio, sicut dictum est, fiant virtute divina, dicimus, quod corpora erunt eadem numero; cum neque principia individuantia huius hominis sint aliud quam haec anima, et hoc corpus. In resurrectione autem redibit et anima eadem numero, cum sit incorruptibilis, et hoc corpus idem numero ex eisdem pulveribus in quibus resolutum fuit, ex virtute divina reparatum, et sic erit idem homo numero resurgens. Nec facio vim in formis intermediis, quia non pono esse aliquam aliam formam substantialem in homine nisi animam rationalem, a qua habet corpus humanum quod sit animatum natura sensibili, et vegetabili, et quod sit rationale. Formae vero accidentales nihil impediunt identitatem numeralem quam ponimus.

Consequenter cum dicit, *Cum autem corruptibile hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est*, confirmat quod dixerat per auctoritatem; et circa hoc duo facit. Primo ponit auctoritatem; secundo ex ea concludit tria, ibi, *Ubi enim est, mors, victoria tua?* Dicit ergo primo: Dixi, quod *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem;* sed cum mortale hoc induerit immortalitatem, *tunc*, scilicet in futuro, quod est contra illos qui dicunt iam resurrectionem factam, *fiet sermo qui scriptus est*, scilicet, *Absorpta est mors in victoria.* Hoc secundum translationem nostram non invenitur in aliquo Libro Bibliae. Si tamen inveniatur in translatione LXX. non est certum unde sumptum sit. Potest tamen dici hoc esse sumptum ex *Isa. 36. 19. Vivent mortui, interfecti mei resurgent:* et *25. 8. Praecipitabit mortem in sempiternum: Osee 13. 14.* ubi nos habemus, *Ero mors tua, o mors*, LXX. habent, *Absorpta est mors in victoria*, idest propter victoriam Christi. Et ponit praeteritum pro futuro propter certitudinem prophetiae: *1. Pet. 3. 22. Deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur.*

Consequenter cum dicit, *Ubi est, mors, victoria tua?* concludit tria ex praemissa auctoritate: insultationem sanctorum contra mortem; gratiarum actiones ad Deum, ibi, *Deo autem gratias;* et admonitionem suam Corinthiis, ibi, *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote.* Circa primum duo facit. Primo ponit insultationem; secundo exponit, ibi, *Stimulus autem mortis peccatum est.* Loquens ergo Apostolus de victoria Christi contra mortem, quasi in quodam speciali gaudio positus assumit personam virorum resurgentium, dicens: *Ubi est, mors, victoria tua?* Hoc non invenitur in aliquo loco sacrae Scripturae: utrum autem ex se, vel aliunde habuerit hoc Apostolus, incertum est. Si tamen aliunde accepisset, videtur accepisse de *Isa. 14. 4. Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Ubi est, mors*, scilicet corruptionis, *victoria tua?* idest potentia qua totum humanum genus prosternebas, de omnibus triumphabas: *2. Reg. 14. 14. Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur super terram: Iob 18. 14. Calcet super eum quasi Rex interitus. Ubi est, mors, stimulus tuus?* Quid autem sit stimulus, consequenter exponit, dicens: *Stimulus autem mortis peccatum est.* Unde duo ponit. Unum per quod exponit quod dixit; aliud per quod obiectionem excludit, ibi, *Virtus peccati lex.* Sciendum est autem, quod stimulus mortis potest dici vel stimulans ad mortem, vel quo utitur, seu quem facit mors. Sed litteralis sensus est. *Stimulus mortis*, idest stimulans ad mortem, quia homo per peccatum est impulsus, et deiectus ad mortem: *Rom. 6. 23. Stipendia peccati, mors.* Sed quia aliquis posset obiicere quod iste stimulus est remotus per legem; ideo consequenter hoc Apostolus excludit, subdens: *Virtus vero*, idest augmentum, *peccati, lex;* quasi dicat: Non est remotum peccatum per legem, immo *virtus peccati lex*, idest augmentum occasionaliter, scilicet non quod induceret ad peccatum, sed inquantum dabat occasionem peccati, et non conferebat gratiam; ex quo magis accendebatur concupiscentia ad peccandum: *Rom. 5. 20. Lex subintravit, ut abundaret delictum: Rom. 7. 8. Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Est autem alius sensus, sed non litteralis, ut stimulus mortis dicatur quo utitur mors; et sic per mortem intelligitur diabolus: *Apocal. 6. 8. Nomen illi mors.* Et sic totum quod dicitur de morte, exponitur de diabolo, ut in Glossa habetur. Vel *stimulus mortis*, idest a carnali concupiscentia: *Iac. 1. 15. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Concupiscentia enim primo volentes allicit, sicut in intemperatis; secundo repugnantes trahit, ut in in-

continentibus ; postea contendit, sed non vincit, ut in continentibus ; postea debilitatur eius contentio , sicut in intemperatis ; et ultimo totaliter deficit , sicut in beatis , quibus dicere competit : *Ubi est, mors , contentio* , vel *victoria tua ?*

Quia ergo stimulus mortis destructus est non per legem, sed per victoriam Christi; ideo Deo sunt reddendae gratiarum actiones ; et hoc est quod dicit : *Deo autem gratias* , scilicet ago , seu agamus , *qui dedit nobis victoriam* , mortis, et peccati, *per Iesum Christum* , non per legem : *1. Ioan. 5. 4. Haec est victoria quae vincit mundum , fides nostra : Rom. 7. 24. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum ... Nam quod impossibile erat legi , in quo infirmabatur per carnem , Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne , ibid. 8. 3.*

Consequenter cum dicit , *Itaque fratres mei etc.* subdit admonitionem : sicut enim dictum est , pseudoapostoli corrumpebant Corinthios , negando resurrectionem : et ideo postquam iam adstruxit fidem resurrectionis, et per exempla ostendit, admonet eos quod bene se habeant , ne seducantur a pseudoapostolis; et circa hoc tria facit. Primo enim eos in fide confirmat, dicens : *Itaque* , scilicet iam ostensa resurrectione , *fratres mei* per fidem , per quam omnes sumus filii Dei : *Ioan. 1. 12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri : dilectissimi* per caritatem, qua debemus nos invicem diligere : *1. Ioan. 4. 11. Hoc mandatum habemus a Deo , ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum : stabiles estote* , scilicet in fide resurrectionis , ne recedatis a fide : *Ephes. 4. 14. Non simus sicut parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae : et immobiles* , ne scilicet ab aliis seducamini : *Col. 1. 23. In fide fundati, stabiles , et immobiles a spe Evangelii.* Secundo inducit ad bona opera , dicens, *Abundantes in omni opere bono semper : Gal. ult. 10. Dum tempus habemus , operemur bonum ad omnes : Prov. 15. 5. In abundanti iustitia virtus maxima est.* Tertio roborat eos per spem , dicens : *Scientes quod labor vester non est inanis in Domino: Sap. 3. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus.*

## CAPITIS DECIMISEXTI

### LECTIO PRIMA

De collectis autem quae fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiae , ita et vos facite per unam sabbati. Unusquisque vestrum apud se reponat recondens quod ei beneplacuerit, ut non cum venero tunc collectae fiant. Cum autem praesens fuero, quos adprobaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo; apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero: nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit ; permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens , et adversarii multi.

Supra per totam seriem Epistolae proposuit Apostolus Corinthiis quamdam doctrinam generalem ; in hoc ultimo capitulo proponit eis quaedam specialia, et familiaria : et circa hoc duo facit. Primo monet eos quid ipsi debeant aliis facere ; secundo ostendit quid alii faciant ipsis, ibi, *Salutat vos Ecclesia Asiae.* Circa primum duo facit. Primo instruit eos de his quae debent facere ad absentes; secundo vero de his quae debent facere ad praesentes, ibi , *Vigilate et state in fide.* Circa primum tria facit. Primo instruit eos de his quae pertinent ad absentes pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem ; secundo de his quae pertinent ad Apostolum, ibi , *Veniam ad vos cum Macedoniam pertransiero ;* tertio de his quae pertinent ad discipulos, ibi , *Si autem venerit Timotheus , videte ut sine timore sit apud vos.* Circa ea quae debent fieri sancti, qui erant in Hierusalem, de tribus instituit eos Apostolus. Primo qualiter eleemosyna sanctis facienda sit colligenda ; secundo qualiter sit conservanda , ibi, *Unusquisque autem vestrum apud se reponat, recondens quod ei beneplacuerit ;* tertio qualiter sit in Hierusalem transmittenda , ibi , *Cum autem praesens fuero , quos adprobaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem.* Circa primum sciendum est , quod sicut legitur *Act. 4.* mos erat in primitiva Ecclesia ut conversi ad fidem venderent possessiones, et omnia quae habebant , et pretium ponerent ad pedes Apostolorum, et de eis unicuique, prout erat opus, provideretur ; ut sic nullus haberet proprium, sed essent illis omnia communia. Et sicut dicitur in Collationibus Patrum , omnis religio ab illa sancta societate sumpsit exordium. Contigit autem ut fame pervalida exorta , pauperes sancti , qui erant in Hierusalem, inopia maxima laborarent : unde factum est ut Apostoli ordinarent ad ipsorum subventionem quod per alias Ecclesias Christi collectae fierent ; et haec commissio facta est Paulo , et Barnabae : *Gal. 2. 9. Dederunt mihi, et Barnabae dexteras societatis.* Et quia Apostolus super hoc solicitus erat , monebat illos quos converterat ut eis subvenirent: quia, sicut ipse *ad Rom.* dicit, iustum est ut a quibus spiritualia receperant, temporalia ministrent. Et hoc est quod dicit: *De collectis autem quae fiunt* , per Ecclesias, *in sanctos*, idest in usum sanctorum , non quorumlibet : *Eccli. 12. 5. Da iusto, et ne recipias peccatorem:* non quod peccatoribus non sit aliquid dandum , sed quia magis debet quis dare eleemosynam iusto indigenti quam peccatori : *sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiae , ita et vos facite* , idest colligite , *per unam*, scilicet diem , *sabbati* , idest septimanae. Et hoc ideo ordinatum est, ut paulatim qualibet hebdomada aliquid parvum solverent , ne si simul totum solvissent, gravarentur. Et licet eis paululum videretur, et quasi insensibile paulatim dare , tamen, completo anno , eleemosynae in simul collectae magnae erant. Vel per unam sabbati intelligitur prima dies post sabbatum, scilicet dies do-

minicus. Et hoc ideo illo die fieri voluit Apostolus, quia iam inoleverat consuetudo ut populus in dominicis diebus ad Ecclesiam conveniret: *Lev. 23. 35. Dies primus celeberrimus erit, atque sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo:* et *post 36. Est enim coetus, atque collectae.* De huiusmodi eleemosyna dicitur *Dan. 4. 24. Peccata tua eleemosynis redime:* et *Eccli. 17. 18. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso.* Quia vero non solum debet apponi modus in colligendo, sed etiam in conservando; ideo consequenter instruit qualiter collectae conserventur, cum dicit: *Unusquisque autem vestrum apud se reponat recondens quod ei beneplacuerit:* in quo ostenditur maxima industria Apostoli. Et ne aliqui crederent quod Apostolus faceret collectas istas magis causa quaestus proprii quam propter necessitatem sanctorum; ideo suspicionem hanc vitans, et quantum ad se, et quantum ad suos ministros, noluit dictam pecuniam a se, seu a suis ministris custodiri; sed ordinavit quod quilibet illud quod sibi placebat elargiri, reportaret domi, et conservaret seorsum, faciens sic per totum annum. Et huius ratio erat, quia Apostolus nolebat quod quando veniret Corinthum, vacarent collectis, sed doctrinae, et rebus spiritualibus. Et ideo dicit: *Ut non cum venero, tunc collectae fiant: Act. 6. 2. Non est aequum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis.*

† Notandum (1) est ergo, quod quilibet debet cavere sibi, ne videatur aliquid spirituale facere propter quaestum: et inde est quod Dominus *Matth. 10.* voluit praedicatores nihil habere. Romanis etiam mos erat ut nullus assumeretur ad Senatus officium, nisi prius probatus fuisset in officio Quaestoris, quia virtutis est magnae, res temporales custodire. †

Qualiter autem debeant mitti in Hierusalem, subdit dicens: *Cum autem praesens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam etc.* quasi dicat: Nec in hoc volo aliquos specialiter onerare, *cum praesens fuero*, scilicet ad portandum pecuniam, sed *mittam* illos *quos probaveritis*, idest adprobaveritis mittendos: *mittam*, inquam, *per epistolas*, idest cum epistolis missis a vobis, et a nobis, laudatoriis, et commendatoriis, scilicet in quibus contineatur quantitas pecuniae, commendatum studium nostrum, et caritas. *Mittam*, inquam, *perferre gratiam vestram*, idest quod gratis dabitis sanctis pauperibus, *in Hierusalem: 2. Cor. 8. 1. Notam faciemus vobis gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae. In Hierusalem*, idest sanctis qui sunt in Hierusalem. Et non solum mittam illos quos probaveritis; *sed si dignum fuerit ut ego eam*, idest si magna quantitas fuerit, *mecum ibunt:* in quo inducit eos ad bene, et liberaliter solvendum: *Rom. 15. 25. Nunc igitur proficiscar Hierusalem ministrare* sanctis.

Consequenter Apostolus instruit eos de his quae pertinent ad seipsum; et circa hoc tria facit. Primo promittit eis suam praesentiam, dicens: *Veniam ad vos cum Macedoninm pertransiero;* secundo dicit se facturum apud eos diutinam moram; tertio excusat suae praesentiae dilationem. Circa primum sciendum est, quod, sicut dicitur *Actor. 16. 9.* vir Macedo apparuit Apostolo cum esset in Troade, deprecans eum, dicens ei: *Transiens in Macedoniam libera nos.* Ut ergo Apostolus iussa impleret, disposuit se Macedoniam iturum: et quia Macedonia erat media inter Asiam et Achaiam, in qua est Corinthus; ideo dicit: *Cum pertransiero Macedoniam, veniam ad vos;* immo veniam ad vos inde, scilicet quia tunc ero vobis proprior. Secundo promittit se facturum apud eos diutinam moram, dicens: *Apud vos forsitan manebo*, idest moram contraham, *vel etiam hiemabo*, idest per totam hiemem permanebo vobiscum, quia multa corrigenda sunt in vobis. Vel causam quare ad eos vadit, subdit cum dicit: *Ut vos me deducatis quocumque iero. Et* dicit: *Quocumque*, quia nesciebat determinate quo iret, nisi secundum quod Spiritus sanctus inspirabat sibi. *Deducatis*, inquam, non defendatis me, sed ut doceatis vias. Tertio cum dicit, *Nolo enim vos modo in transitu videre*, excusat dilationem suae praesentiae dupliciter. Uno modo quia Corinthii possent dicere: Non est necesse quod tantum differas venire, et quod primo vadas in Macedoniam: quia tu potes venire in Achaiam, et permanere, ita quod non transeas per Macedoniam. Et ad hoc dicit: Licet sic possem venire ad vos, tamen non diu possem manere vobiscum: quia statim oportet me esse in Macedonia, vel redire in Asiam. Unde *quia nolo vos modo in transitu videre*, ideo modo non venio primo ad vos: nam ego spero aliquam moram contrahere vobiscum, *si Dominus permiserit.* Dicit, *Si Dominus permiserit*, quia forte vel antequam esset ibi, vel postquam iam esset ibi, Dominus inspiraret ei quod iret ad alium locum, ubi faceret maius bonum. Alio modo excusat se, et hoc videtur magis litterale, quia oportebat eum diu manere apud Ephesum, quae est in Asia; et ideo dicit: *Permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten.* Forte haec Epistola missa fuit in hieme, seu in vere, et tunc post pentecosten debebat ire in Macedoniam, et morari ibi usque ad hiemem, et tunc ire Corinthum, et hiemare. Rationem autem quare volebat morari Ephesi usque ad pentecosten, subdit cum dicit: *Ostium autem mihi apertum est magnum*, idest magnum fructum facio in Epheso. Et dicit ostium esse apertum *magnum*, idest multa corda hominum ad credendum parata, *et evidens*, quia sine contractione: *Coloss. 4. 3. Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Sed quia sunt *multi adversarii*, qui conantur impedire, vel subintrare; si ego absentarem me, tantus fructus posset de facili impediri; ideo nolo recedere quousque sitis bene firmati: *Apoc. 3. 8. Ecce dedi coram te ostium apertum.*

(1) Quod sequitur cruculis conclusum non invenitur in exemplari quodam anni 1498 in editione autem Veneta apud Iuntas an. 1562 curante F. Remigio Florentino ex qua in Romanam, et Venetam posterioresque, ut credimus; omnes haec verba manarunt, haec notantur ad marginem. *In manuscripto exemplari hoc addebatur notandum.*

## LECTIO II.

Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos : opus enim Domini operatur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat. Deducite autem illum in pace , ut veniat ad me : expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio , quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus ; et utique non fuit voluntas eius ut nunc veniret ; veniet autem cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide , viriliter agite , et confortamini : omnia vestra in caritate fiant. Obsecro autem vos, fratres ; nostis domum Stephanae , et Fortunati , et Achaici , quoniam sunt primitiae Achaiae , et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos : ut et vos subditi sitis eiusmodi, et omni cooperanti, et laboranti. Gaudeo autem in praesentia Stephanae , et Fortunati, et Achaici : quoniam id quod vobis deerat , ipsi suppleverunt. Refecerunt enim et meum spiritum , et vestrum. Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum Aquila , et Prisca , cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum , sit anathema maranatha. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

Hic instruit eos de his quae pertinent ad discipulos suos : et primo de his quae pertinent ad Timotheum; secundo de his quae pertinent ad Apollo , ibi, *De Apollo autem fratre vobis notum facio.* De Timotheo tria mandat. Primo ut secure custodiatur : unde dicit : *Si autem venerit ad vos Timotheus , videte,* idest studeatis , *ut sine timore sit apud vos.* Forte aliqua commotio fuerat ibi propter pseudoapostolos : *2. Corinth. 7. 5. Foris pugnae, intus timores.* Et hoc debetis facere , *quia opus Domini operatur, sicut et ego,* praedicando : *2. Timoth. 4. 5. Tu vero vigila , in omnibus labora.* Secundo ut in honore habeatur ; et ideo dicit : *Ne quis ergo illum spernat.* Et ratio huius est forte , quia iuvenis erat: *1. Timoth. 4. 12. Nemo adolescentiam tuam spernat : Luc. 10. 16. Qui vos spernit , me spernit.* Tertio ut pacifice deducatur ; et hoc est quod dicit: *Deducite autem illum in pace.* Et ratio huius est, *quia expecto illum cum fratribus* qui sunt cum eo.

*De Apollo autem fratre vobis notum facio etc.* Iste est ille Apollo de quo habetur *Act. 18. 24.* quod *Iudaeus quidam , Apollo nomine , Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Ephesum potens in Scripturis:* et iste ivit in Achaiam , et fuit quasi specialis doctor eorum post Apostolum : *supra 3. 6. Ego plantavi , Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit :* et , ut Glossa dicit , Episcopus erat. Et quia Corinthii male se habuerant , recesserat ab eis , et iverat ad Apostolum. Postmodum vero Corinthii rogaverunt Apostolum , ut remitteret illuc ipsum ; ad quod respondet eis , dicens : *De Apollo autem fratre ,* quem rogatis remitti ad vos , *notum vobis facio* tria. Primo preces meas sibi factas , *quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus.* Et dicit , *Rogavi eum ,* licet posset praecipere : quia magnis viris non de facili debet fieri praeceptum : *1. Timoth. 5. 1. Seniorem obsecra ut patrem : Eccli. 32. 1. Rectorem te posuerunt ? Noli extolli.*

Sed numquid licuit sibi relinquere populum suum ? Ad hoc dicendum , quod sicut Gregorius dicit, quando omnes subditi male se habent , et nolunt corrigi , licet Episcopo recedere ab eis. Unde quia isti erant tales , licuit ei. Vel dicendum est, quod forte non erat Episcopus eorum , sed specialiter praedicaverat eis.

Secundo responsum Apollinis, quia renuit venire ad eos , ibi , *Et utique non fuit voluntas eius ut nunc veniret.* Et ratio huius est , quia forte nondum erant bene correcti ; vel quia ipse erat in aliis arduis occupatus. Tertio promittit eum aliquando ad eos iturum: unde dicit : *Veniet autem cum ei vacuum ,* idest opportunum , *fuerit,* scilicet quando vos eritis correcti.

Consequenter postquam instruxit eos quid debeant facere absentibus, hic instruit eos qualiter se habeant ad praesentes. Circa hoc duo facit. Primo ostendit qualiter se habeant quantum ad omnes in communi ; secundo quantum ad quosdam in speciali, ibi, *Obsecro autem vos, fratres.* Instruit autem eos Apostolus in communi de tribus ; scilicet de fide , de bona operatione, et de modo bene operandi. Sed tamen istis tribus praemittit unum quod est omnibus necessarium, idest solicitudo : unde dicit: *Vigilate, et orate: Luc. 12. 37. Beati servi illi quos cum venerit dominus , invenerit vigilantes : Matth. 26 41. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* De fide ergo instruit cum dicit : *State,* scilicet *in fide : Ephes. 6. 14. State, succincti lumbos vestros in veritate.* De bona operatione , cum dicit : *Viriliter ,* idest fortiter, *agite :* quia *fides sine operibus mortua est , Iacob. 2. 20.* Sed quia bona operatio non est attribuenda nobis , sed Deo; ideo subdit : *Et confortamini in Domino: Psalm. 30. 25. Viriliter agite , et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* De modo agendi, cum dicit: *Omnia vestra in caritate fiant ,* idest omnia debent referri ad finem caritatis, scilicet ut fiant propter Deum, et proximum : *Coloss. 3. 4. Super omnia caritatem habete , quod est vinculum perfectionis.*

Consequenter cum dicit, *Obsecro autem vos fratres,* instruit eos quomodo se habeant ad quosdam in speciali : et primo quantum ad illos qui videntur habere aliquam praerogativam in spiritualibus; secundo quantum ad illos qui in corporalibus operibus, ibi, *Gaudeo autem in praesentia Stephanae.* Dicit ergo : *Obsecro autem vos , fratres : nostis,* idest adprobastis, *domum Stephanae , et Fortunati, et Achaici.* Adprobastis, inquam , propter duo, et quia sunt primitiae, idest primo conversi , quia ab ipso Apostolo in primis baptizati : *supra 1. 16. Baptizavi autem et Stephanae domum :* et quia magis devoti , et prompti ad ministeria sanctorum : unde dicit : *Et in ministeria sanctorum ordinaverunt seipsos : Rom. 12. 13. Necessitati-*

*bus sanctorum communicantes.* Et ideo obsecro *ut et vos subditi sitis eiusmodi: Hebr. 13. 17. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis : et omni cooperanti: Phil. 4. 3. Adiuva eos qui mecum laboraverunt: Sap. 3. 15. Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

*Gaudeo autem in praesentia Stephanae.* Hic instruit eos quantum ad illos qui praeeminent in ministeriis ; et potest dupliciter exponi. Uno modo ut dicatur : *Gaudeo autem in praesentia Stephanae, Fortunati, et Achaici*, qui sunt praesentes vobis, quorum praesentia est vobis proficua : quoniam ipsi id quod vobis deerat, suppleverunt, docendo vos. Et in hoc quidem *refecerunt spiritum meum*, inquantum gaudeo de bono vestro, *et spiritum vestrum*, inquantum instructi estis : *Phil. 4. 30. Gavisus sum valde, quia inveni tandem aliquando pro me sentire, sicut et sentiebatis.* Et ideo quia sic se habuerunt, *ergo agnoscite*, idest honorate, eos *qui huiusmodi sunt.* Alio modo ut dicatur : *Gaudeo in praesentia Stephanae, Fortunati, et Achaici :* quia scilicet personaliter mecum sunt, et serviunt mihi, in quo supplent *quod deerat vobis*, idest quod vos non poteratis mihi corporaliter exhibere. In quo quidem *refecerunt spiritum meum*, inquantum mihi servierunt, et paverunt me, *et vestrum*, inquantum de bono meo gaudetis; et ideo *cognoscite qui huiusmodi sunt.*

*Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae.* Hic Apostolus insinuat quid alii faciant Corinthiis ; et circa hoc duo facit. Primo insinuat quomodo salutentur ab aliis; secundo subdit suam salutationem, ibi, *Salutatio mea manu Pauli.* Circa primum tria facit. Primo insinuat quomodo salutat eos tota Ecclesia Asiae in communi ; unde dicit : *Salutant vos omnes Ecclesiae : Rom. ult. 16. Salutant vos omnes Ecclesiae Christi.* Secundo quomodo salutant eos specialiter hospites Pauli; unde dicit : *Salutant vos in Domino multum Aquila, et Prisca, cum domestica sua ecclesia.* Isti erant hospites Apostoli, et de his habetur *Rom. 16.* et *Act. 18.* Tertio quomodo salutant eos Apostoli, et familiares sui; unde dicit : *Salutant vos omnes fratres*, qui scilicet mecum sunt : *Phil. ult. 22. Salutant vos qui mecum sunt fratres.* Ex quo ergo omnes salutant vos, et vos etiam *salutate invicem in osculo sancto*, non libidinoso, quo mulier apprehensum deosculatur iuvenem: *Prov. 7.* non fraudulento, quo Iudas osculatus est Christum : *Matth. 26.* et *Marc. 14.*

*Salutatio mea manu Pauli.* Hic suam salutationem subdit ; et circa hoc duo facit. Primo ponit titulum salutationis, dicens, *Salutatio mea*, scilicet scripta est manu mea Pauli. Et hoc faciebat in Epistolis suis, propter quosdam qui sub specie Apostoli scribebant falsas litteras : unde ut non deciperentur, postquam scripta erat Epistola per aliquem, in fine consequenter scribebat Apostolus manu sua. Secundo ponit ipsam salutationem, in qua primo maledicit malis, dicens: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema*, idest separatus, vel excommunicatus, *maranatha*, idest Dominus veniet ; quasi dicat : *Qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema* in adventu Domini.

Sed numquid sunt excommunicandi omnes qui non sunt in caritate ? Respondeo. Dicendum, quod hoc intelligitur, si quis non amat Dominum Iesum Christum, idest fidem Christi ; et isti sunt haeretici, et sunt excommunicati. Vel si quis usque ad finem mortis non perseverat in amore Domini Iesu Christi, in adventu erit separatus a bonis.

Secundo benedicit bonis, bene optans eis, scilicet gratiam Christi, cum dicit : *Gratia Domini nostri Iesu Christi.* Et hoc optans, optat eis omne bonum : quia in gratia Domini nostri Iesu Christi continetur omne bonum. Optat etiam eis caritatem suam, dicens: *Caritas mea cum omnibus vobis*, ut vos invicem, et Deum diligatis ea caritate qua ego vos diligo ; et non propter aliquod aliud, nisi *in Christo Iesu*, idest propter amorem Christi. *Amen*, idest fiat.

FINIS SECUNDI TOMI.

13719